



R. P. VINCENTII HOUDRY
E SOCIETATE JESU


BIBLIOTHECA CONCIONATORUM
MORALIS EVANGELICA,

Ethices Christianæ præcipua continens argumenta ; ordine Alphabetico digesta, & Supplementis suo loco positis adaucta:

è Gallico sermone in Latinum translata.

EDITIO NOVISSIMA, cui nunc primum adjectus est TOMUS POSTREMUS continens duas Tabulas, seu duplices Sermonum, Argumentorumque Adumbrationes, quæ usum Operis universi faciliorem efficient.


TOMUS TERTIUS.
L—P



VENETIIS, MDCCLXI.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.







INDEX ARGUMENTORUM


Contentorum in hoc Tertio Tomo.

L

M

O

P



BI-

BIBLIOTHECA CONCIONATORIA.

LEX EVANGELICA.

Lex nova, sublimitas mysteriorum ejus, disciplina, illius sanctitas, Jesu Christi doctrina, Evangelica effata, &c.

MONITUM.



Liquid jam de hoc argumento delibavimus, ubi sermo fuit de mandatis Dei in lege veteri irrogatis, atque instauratis in recenti: sed cum ibi locuti simus de obedientia erga legem generatim, quin veteris, aut novæ peculiariter meminerimus, istic singillatim de Evangelicæ legis præstantia, & sanctitate verba facimus, de illius dignitate supra legem a Moyse latam, & quatenus est norma vitæ, ac morum Christi fidelium.

Hic tamen nequaquam ea repetemus, quæ alibi dicta sunt de Evangelii promulgatione, de Ecclesiæ, fideique institutione, immo neque de officiis, Christiani nominis professioni inhærentibus; hæc separata sunt argumenta, ac prorsus diversa, licet aliquam secum habeant rationem, & nexum. Quamobrem si quid de illis dicendum erit, eorum tituli consulentur. Sin autem doctrina Jesu Christi in Evangelio contenta, & supremi hujus legislatoris lex nimis late patens argumentum videatur, novum tamen non est, immo compendium quodammodo est sermonum omnium, qui unquam habiti fuerunt. Admonendum dumtaxat est, legem Evangelicam duobus modis considerari posse, vel tamquam impressam, insculptamque cordibus fidelium, quo in sensu S. Paulus, & post illum sancti Patres fere semper illam accipiunt; vel tamquam scriptam in divino volumine, quod Evangelium dicimus, ac in aliis libris, qui novum testamentum componunt. Quemadmodum vero altera quidem medium, altera finis est, utraque confunditur, cum de nova lege sermo est, non secus ac nomina Evangelii doctrinæ, legis, & religionis, magistri, legislatoris, doctoris; quod nullam parere debet confusionem in sermonibus, qui de hoc argumento fient, quia hæc omnia Evangelicam legem, ejusque auctorem respiciunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia sermonum hujus argumenti systemata.

I. EI Filius cum in terram venerit futurus hominum Salvator, propter hujus simili gloriam illum etiam assumere debuit magistri, & legislatoris, ut doceret eos vias salutis, eisque leges irrogaret, ut illos ad beatum hunc finem deduceret. Itaque utrumque ille officium exercuit verbo, & exemplo doctrinam prorsus cœlestem illis tradens, atque legem novam constituens, quæ medium esset necessarium, & inevitabile ad æternam beatitudinem consequendam. Doctrina, quam ille docuit, & prædicavit, continetur in Evangelio, quod simul est lex ejus, quam Spiritus sanctus primum scripsit in cordibus, & quam Apostoli mox in omnem terrarum orbem protulerunt: sed in transfigurationis mysterio hic Homo-Deus declaratus fuit hominum doctor, & legislator æterni Patris sui voce, quæ palam in Thabor audita fuit. De hac autem lege animus fert ad vos loqui, ut illi vosmet subjiciatis hilariter, eamque fideliter adimpleatis. 1. Æquitas hujus legis. 2. Illius servandæ facilitas. 3. Fructus, atque utilitas, quæ ex ejusdem observatione procedunt, nobis persuadere debent illam legum omnium justissimam esse, facillimam, utilissimamque. Hæc erit sermonis partitio.

Pars prima. Hæc justissima lex est, quæ fuerit umquam; quia nobis suadet interiorem, exterioremque cultum, quem debemus Deo; obedientiam, & submissionem magistris, ac superioribus nostris: charitatem erga æquales, lenitatem, & indulgentiam erga subditos, nosque ipsos ad altissimum perfectionis gradum adducit. Hæc, mea quidem sententia, generatim ad omnia justitiæ genera spectant; quod facile est in lege Evangelica probare nobis singillatim hæc omnia officia præscribente, atque imperante, ut illa fideliter obeamus; ita ut omnis & publica, & privata felicitas unice adhæreat exactæ omnium præceptorum, quæ in lege hac continentur, observantiæ. Hinc sequitur illam perfectissimam esse, sanctissimam, ac præ legibus omnibus unam rectæ rationi maxime conformem. 1. Si comparetur cum Philosophorum, aliorumque legislatorum institutis, qui vitia, aliaque permiserunt mala, quæ optimas evertere poterant regulas, quæ ab ipsis fuerant constitutæ. 2. Cum lege veteri per Moysem Judaico irrogata populo, quæ licet a Deo profecta, bona, justa, sanctaque esset, plurima tamen ferebat ob duritiem cordis populi ejusdem; præterquamquod non aliud erat, quam præparatio, & dispositio legi Evangelicæ, quæ toto cœlo sanctior est, atque perfectior. Quia licet humanæ sit accommodata imbecillitati, nihilque præter vires nostras præcipiat, omnia tamen peccati genera prohibet, eaque radicitus convellit imperans affectuum nostrorum mortificationem, & non exteriores dumtaxat actus prohibens, verum etiam inhonestas cogitationes, injusta, & voluntaria desideria proscribens. Deinde virtutes ea in perfectione præscribit, quam aliæ leges numquam attigerunt; humilitatem cordis, spiritus paupertatem, inimicorum amorem, similesque virtutes, quibus Christiani ad eminentem perfectionem attolluntur; sed quas cæteri legislatores ne de nomine quidem cognoverunt.

Pars altera. Hæc lenissima est, atque facillima præ cæteris legibus, quæ observetur, quamvis multa præcipiat, quæ gravia, & naturæ corruptæ contraria videtur; puta, sensuum, affectuumque eorum mortificationem, qui æquiores videntur; sui ipsius abdicationem, austeræque pœnitentiæ severitatem. Etenim postquam ostensum fuerit præter paucissima præcepta nihil nobis juberi, nisi quod naturalis lex inevitabili necessitate præcipit ob-

observatum ; satis est illam 1. Cum veteri lege conferre, quæ infinitis repleta est legalibus cæremoniis, & quæ eam non præbet gratiam, auxiliumque, quod ad Evangelicam servandam nobis confertur; quamobrem illa quidem lex dicitur severitatis, hæc autem mansuetudinis, & charitatis eo usque, ut omnia illius præcepta ad solam redigantur, ac referantur charitatem. 2. Lex hæc lenis est, & facilis si cum mundi legibus conferatur, in servitutem redigentibus eos, qui se iisdem subjiciunt, 3. Quam gravior est lex affectuum nostrorum, ambitionis, avaritiæ, ipsarumque voluptatum nostrarum.

Tertia pars. Bona, quæ lex Evangelica nobis procuravit: libertas filiorum Dei, medium semper vivendi in hac vita contentos, omnibus humanis casibus resistendi, atque æternam felicitatem acquirendi &c. Humanæ leges constitutæ sunt propter tranquillitatem, ac temporalem reipublicæ felicitatem, necnon ad subditorum beatitudinem; sed præterquamquod lex Evangelica una omnium maxime apta, immo etiam necessaria est fovendæ in regnis atque rebuspublicis paci, illis etiam, qui fideles ejusdem observatores extiterint, æternam spondet felicitatem; eos regit, atque beatæ pacis promissione recreat, & solatur,

II. Evangelium tribus modis potest considerari.

1. Tamquam felix nuntium, quod annuntiatur; hoc enim nominis ratio significat. Et sane libertatis nostræ tempus advenit, nobisque nuntiatur, in nostra potestate esse positum liberari a peccati, dæmonisque servitute, qui tamdiu regnavit in mundo; nobis Salvatorem adesse, qui ab æterna morte nos eruit, cui ea ipso sæculorum initio fueramus addicti: ad nos hos salutis dies pertinere, quorum omnes homines esse possunt participes; cœlum, cujus janua erat obstructa, nunc reseratum esse, nobisque esse jus ad æternam felicitatem, quam Dei filius sanguine suo nobis promeruit, & acquisivit. Quod felicius nuncium? Non minorem nobis afferre debet lætitiam, quam cum primum ab Angelis nuntium fuit; quia ad nostrum singulos peculiariter pertinet, & nobis hodierna quoque die nuntiatum.

2. Tamquam admirabilis, & prorsus nova doctrina, quam magister de cœlo dilapsus homines docuit, qui in profunda rerum omnium, quæ ad salutem pertinent, ignorantia versabantur. Doctrina toto cœlo præstantior, quam omnium veterum philosophorum, qui omnes impenderunt meditationes suas, ut posteris bene vivendi præcepta relinquerent. Doctrina, quæ mundo abstulit omnia fallacia præjudicia, & quæ nobis eas virtutes, regulasque tradidit, quarum nomen ipsum omnes antiquitatis sapientes fefellit,

3. Tamquam lex: retinuit etiam nomen novæ legis, legis gratiæ, legis misericordiæ, veteri lege Israelitis tradita præstantior: lex charitatis, quæ insculpta, ac impressa est in cordibus nostris, quæ nos regit, & ad prorsus aliam perfectionem extollit; quæ nobis prohibet, quidquid saluti nostræ noxium est, & præcipit, quidquid æternæ felicitati nostræ potest conferre.

III. Avertere a malo, & facere bonum duo sunt inevitabilia rationabilis hominis officia; & duo sunt, quæ lex naturæ nos docet; ad quæ tamen Evangelica lex nos vehementi, efficacique ratione adducit.

1. Nullum est malum, videlicet peccatum, quod non prohibeat, ipsam etiam mali radicem obtruncans. 2. Nulla virtus est, quam non præcipiat, & ad perfectionis apicem non attollat.

IV. Legis Evangelicæ bona, & prærogativæ præ veteri scripta lege Dei populo tradita.

1. Efficit ut ex amore, & charitate operemur, cum Judæi ex metu agant tantummodo: ita lex scripta lex erat servitutis, quæ minarum metu illos in officio continebat: prima pro servis erat, altera pro filiis. 2. Lex Evangelica longe facilior est, quæ observetur, quippe quæ soluta est plurimis cæremoniis, præceptisque, quorum prævaricatio sæpe morte plectebatur, atque in solo præcepto charitatis contenta. 3. Promissiones, & præmia in lege gratiæ longe uberiora sunt, atque præstantiora; etenim qui illam fideliter observaverint, æternam sunt beatitudinem consecuti, cum veteris legis observatoribus temporalia tantummodo præmia promitterentur.

V. Quod ut plurimum parit rebelliones, contradictiones vel inobservantiam in iis, quæ ad Evangelicam legem pertinent, fluit ea duobus capitibus, quæ duabus contrariis propositionibus oppugnari possunt: alii eam injustitiæ, duritiæ alii eamdem insimulant. Verum e contra illam æquam, & facilem esse affirmo; unde inferri possunt hæ duæ practicæ conclusiones, quæ sermonis partitionem efficient.

Conclusio prima. Evangelicâ hæc lex justa est; igitur sine murmure, & contradictione, quæ nostri dumtaxat spiritus, ac voluntatis rebellionem ostendunt, illi est obtemperandum.

Altera. Lex hæc facilis est, nihilque nimis severum habet, vel quod vires superet nostras: gratia quippe nobis fert opem, ob id numquam deficientem; igitur observanda est sine illis dispensationibus, ac lenimentis, quæ a plerisque Fidelium adhibentur,

VI. 1. Studium, & meditatio Evangelii, quod filii Dei lex est, & doctrina, magis serium, ac necessarium hominis Christiani esse debet negotium. 2. Legis hujus ignorantia confusio est Christianorum, malorum eorumdem, & mox æternæ damnationis causa.

VII. 1. Veritas Evangelii fallacibus malorum christianorum placitis oppugnatur. 2. Evangelii sanctitas eorum moribus polluitur; sub alia lege vivere crederentur. 3. Evangelii virtus frigore, ac modico ignavorum christianorum zelo deteritur.

VIII. Credunt alii legem Evangelicam, qua viam salutis docemur, nihil nisi suave, & mite, nihil grave, ac durum habere; illis filii Dei verbis innixi; *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Vera dicunt quodam in sensu, at in alio falluntur. Alii eam difficillimam, ac non ferendam putant, quia numquam illius suavitatem fuerunt experti. Utrorumque errorem auferre contendam.

1. Illis ostendam, salutis viam longe arctiorem, quam putent, sibique vim inferendam, ut Jesu Christi lex observetur. 2. His vero, salutis viam esse faciliorem, quam existiment, latamque fieri cum fervore ingredientibus illam. *P. Aurelianensis tomo primo sermonum.*

IX. Legis complementum in duobus consistit.

1. Ut nos cum humilitate subjiciamus indiscriminatim iis omnibus, quæ præcipiuntur, quin ullam dispensationem affectemus.

2. Ut fortiter superare conemur omnes difficultates, quæ in legis hujus observatione inveniuntur. *Ex P. Bourdalove in sermone Purificationis.*

X. Jesu Christi legem bifariam considerare possumus. 1. in seipsa. 2. in obligatione illius. Lex colenda est cum seipsa sancta est, & eidem parendum, cum strictim obligat.

1. Nil Christiana lege sanctius; igitur cum reverentia recipienda est.

2. Nihil arctius obligat quam hæc lex, igitur summa cum sollicitudine, ac fide illi parendum est, *Ex libro, cui titulus*, Essais de sermons pour le Careme, *tomo primo*.

XI. Dei lex cognoscenda est, & fideliter observanda: hæ duæ veritates in dubium revocari non possunt; non secus ac ambigi nequit, alteram ab altera supponi, & æqualis esse necessitatis.

1. Dei filius novam legem promulgans hominibus omnia tradidit lumina ad cognoscendum necessaria, quod lex hæc sola vera est, & sola ad salutem necessaria: ideoque illos, quibus annuntiata est, & qui illam norunt, nullam hac in re prætexere posse ignorantiam.

2. Nobis omnes contulit vires, ac necessaria adjui-

adminicula ad illam adimplendam; ideoque infirmitatis, ac impotentiæ excusatio non est admittenda. *P. Giroust in Adventu.*

XII. 1. Lex Evangelica plena est sapientiæ, & præ ceteris legibus æquissima. Hæc prima est propositio. 2. Lex hæc summopere est amabilis, & legum omnium suavissima. Rationes duæ, secundum quas applicare debemus legem Jesu Christi & spiritui nostro, & cordi. *Ex P. Bourdalove Dominica secunda Quadragesimæ.*

XIII. 1. Doctrinæ, & Evangelicæ legis præstantia palam ostendit dignitatem magistri, qui docuit illam; & hoc unum ex illis argumentis est, quæ de legislatoris divinitate persuadere nos debent. 2. Vicissim magistri dignitas, & divinitas legislatoris inevitabili necessitate nos cogit doctrinam illius sequi, & legi ejusdem obtemperare. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta, sermone pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

XIV. 1. Evangelium est vitæ regula, ac fidelium in omnibus actionibus norma. 2. Vita, & disciplina fidelium quodammodo probare debent Evangelium, & ostendere, hoc ab illis credi; facile, & cum honore observari.

XV. 1. Evangelicæ legis libertas opposita est servituti legis mundi. 2. Suavitas legis Evangelicæ opposita est severitati legis mundi. 3. Sanctitas legis Evangelicæ opposita est nequitiæ legis mundi.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Ambrosius *Epistola* 71. docet, Dei filium in lege nova nobis perfectiora, quam in veteri, dedisse præcepta.

Idem *Serm.* 21. *in Psalm.* 118. hæc explicans verba, *Pax multa diligentibus legem tuam*, docet legem antiquam non potuisse conferre pacem populo, qui semper in bello fuit; sed veram pacem Evangelicæ legi reservatam fuisse.

S. Augustinus *lib.* 3. *contra duas epist. Pelag. cap.* 4. ostendit quid Christianismus de veteri lege retinuerit, & quid rejecerit.

Idem, vel incertus auctor quæstionum veteris, novique testamenti parte 3. qu. 102. docet in quo discrepet lex nova ab antiqua.

Idem *lib.* 2. *contra adversarium legis, & Prophetar.* rationem reddit, cur Apostolus antiquam legem mortis ministerium appellet. *Ministratio mortis*, 2. ad Cor. 3. recentem vero, ministerium spiritus: *ministratio spiritus.*

S. Chrysostomus sermone primo in Evangelium S. Matthæi loquitur de præstantia, & utilitate Evangelii.

Origenes *Homil.* 25. *in cap.* 23. *Matth.* de iis loquitur, qui minutias legis cæremonias observant, & graviora negligunt præcepta.

S. Chrysostomus in caput 4. Epistolæ ad Galat. ostendit legem veterem Judæis tamquam pueris datam fuisse, ut ad perfectionem nempe Evangelicam disponerentur.

Tertullianus in Apologetico cap. 46. docet exemplis, quam sapientiores, & innocentiores fuerint Christiani, qui Evangelicam legem secuti sunt, quam qui inter Ethnicos legislatores fuere.

S. Justinus *Epist. ad Diognet.* ostendit quam sancti, perfectique fuerint Christiani, qui Evangelica dogmata secuti sunt.

Lactantius *lib.* 4. *de vera sapientia cap.* 23. prolixo sermone ostendit, prudentiæ esse, a legislatore eam, quam ipse tulit, legem observari, quod Dei filius præstitit.

Ascetici aliique. P. Ludovicus Granatensis in meditationibus de vita Domini loquitur de doctrina, quam ille docuit.

P. Ludovicus Franciscus de Argentano in collationibus de magnalibus Jesu, collectione sexta

loquitur de luminibus, quæ Evangelium attulit mundo, & magnis veritatibus, quas docuit.

Balinghen *in præpar. ad locos communes* docet quam necessaria ad bene vivendum sit Scripturæ sanctæ, præsertim vero Evangelii lectio.

Christianæ cogitationes ad calcem parvulum continent tractatum de puritate, & innocentia, quam ex nobis christiana lex exigit.

Liber cui titulus: Theologia moralis S. Augustini, satis amplum habet de veteri, novaque lege tractatum.

Theologus Gallus *Marandé* lib. 6. fusius de lege Evangelica loquitur.

In altera parte tractatus de christianæ religionis veritate cap. 13. probatur, novi testamenti scriptura a nobis tamquam divina habenda.

In morali christiana in *Pater* tractatu proœmiali, sermo est de moralis christianæ, quam videlicet docet Evangelium, prærogativis.

In libro, cui titulus *Essais de sermons pour le* Recentes Concionatores.
Careme Tomo 1. sermo est de lege, Dominica secunda; ac in iisdem pro Adventu sermone tertio ostenditur nobis satis luminis esse ad officia nostra cognoscenda, satisque virium ad eadem explenda.

Sarazin in adventu Tomo 1. prolixum habet de Jesu Christo legislatore sermonem, ubi plurima hujus habentur argumenti.

Reina *Conc.* 19. *num.* 12. loquitur de duritie legis antiquæ, & recentis suavitate.

P. Bourdalove in sermonibus sub ejus nomine editis, de lege sermonem habet pro secunda Quadragesimæ Dominica; cujus argumentum, & partitionem superius attulimus.

P. Aureliancensis tomo 1. sermonem habet de severitate Evangelii, & suavi jugo Jesu Christi.

P. Giroust in Adventu tomo 1. loquitur de divinæ legis observantia.

Concionatores in Purificationis mysterium, omnes fere de obedientia legi loquuntur.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta loquitur de lege, & doctrina filii Dei, sermone pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

Abbas de Monmorel homilia in Evangelium quintæ Dominicæ post Pentecosten loquitur de novæ legis præ antiquæ prærogativis.

Ludovicus Granatensis in locis communibus *Tit.* Qui collectanea edidere.
Evangelium.

Raynerius de Pisis *in Pantheologia*, Titulo *nova lex.*

Labatha in *Apparatu*, Titulo *Evangelium* septem habet vel octo hujus argumenti articulos.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturæ huic argumento.

L*Ex Domini immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Psalm. 18.

Lex sapientis fons vitæ. Prov. 13.

Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Prov. 6.

Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & vives. Prov. 4.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. Ibidem.

Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum. 1. Machab. 2.

Complures extant in veteri testamento loci legem divinam respicientes, qui legi Evangelicæ aptari possunt. Præcipuos congessimus, cum de divinis præceptis loqueremur, hic proinde non repetendos.

Prædicans Evangelium Regni. Matth. 4.

Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 5.

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cælorum; qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum. Ibidem.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite, Matth. 17.

Admirabantur turba super doctrina ejus. Matth. 7.

Nec vocemini magistri: quia magister vester unus est, Christus. Matth. 23.

Non veni solvere legem, sed adimplere. Matth. 5.

Stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ, Marc. 1.

Fac hoc & vives. Luc. 10.

Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Jesum Cristum facta est. Joan. 1.

Mandata ejus gravia non sunt. 1. Joan. 5.

Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Joan. 7.

Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1. Joannis 5.

Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11.

Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim Lex, & Prophetæ. Matth. 7.

Plenitudo legis est dilectio, Ad Rom. 13.

Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Ad Rom. 1.

In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 1. ad Corinth. 4.

Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini. 1. ad Corinth. 15.

Si quis vobis Evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit. Ad Galat. 1.

Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. &c. Ad Galat. 5.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ad Galat. 6.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. Ad Tit. 2.

Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joan. 15.

Exempla, & comparationes Evangelii cum lege veteri &c.

Quomodo primos Patriarchas Deus erudierit.

DEus locutus est ad Noe, Abraham, & posteros ejus, ad Job, & Moysem non characteribus, & per Epistolas, sed per seipsum immediate; cordis enim puritas, quam in illis deprehenderat, illos ejusdem allocutionibus aptos effecerat. Sed cum Judæorum populus mox in vitiorum omnium abyssum prolapsus esset, necesse fuit, ut Deus litteris, tabulisque uteretur; quod præstitit illi veterem tradens legem per manus Moysi, quem legislatoris nomine, & qualitate decoravit. Eam autem agendi rationem, quam in veteri servaret, in novo quoque testamento Deus est imitatus; atque cum Apostolis, uti olim cum Patriarchis se gessit. Jesus enim Christus nihil illis scriptum reliquit, sed librorum loco Spiritus sancti gratiam illis promisit; qui *suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Joann. 14. Ad intelligendam interioris hujus instructionis præ altera præstantiam audiendum est quid per Prophetam dicat Deus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. Jerem. 31. Et S. Paulus hujus legis Spiritus sancti præstantiam memorans ait: *Epistola estis Christi ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. 2. ad Cor. 3. Sed quoniam sæculorum decursu homines in vitia lapsi sunt, alii quidem per doctrinæ depravationem, alii vero per vitæ, morumque suorum corruptionem, opus fuit, ut Deus scriptis sua nobis documenta, præcepta, & exempla proponeret; quod fecit in Evangelio, novoque testamento, quod ideo lex nova appellatur. Hæc S. Chrysostomus ait sermone primo in Evangelium S. Matthæi.

Ratio diversa qua Judæis quidem vetus, Christianis vero lex nova tradita fuit.

Constat quo loco, tempore, modo legem antiquam populo suo tulerit Deus; scimus hoc accidisse post cladem Ægyptiorum, in deserto, in monte Sina, fumum inter, ac ignem, qui de montis ejus cacumine assurgebat, clangentibus buccinis, cœlo coruscante fulguribus, nec non tonitru perstrepente, & postquam Moyses nubis caliginem fuerat ingressus. Nova lex nequaquam hoc pacto lata fuit, non in deserto, neque in monte, non fumum inter, atque caliginem, neque per nubes, atque tempestates; sed sub ortum solis, sedentibus discipulis; atque omnia ibi summa quiete, ac tranquillitate acta, transactaque sunt. Quod si Spiritus sanctus tunc magno fragore descendit, exterius hoc signum non propter Apostolos, sed propter Judæos accidit, non secus ac igneæ linguæ, quæ eodem tempore apparuerunt, ut illi his capti miraculis sese magis dociles præberent. Apostoli non descenderunt de monte, ut olim Moyses, lapideas manibus tabulas deferentes; sed de cœnaculo Jerusalem egressi sunt Spiritum sanctum corde gerentes. Habebant illi in se thesaurum scientiæ, fontem gratiæ, & spiritualium donorum, quæ ubique effundebant; & profecti sunt ad prædicandum in omnem terram facti veluti lex vivens, ac libri spirituales a Spiritus sancti gratia animati.

Discrimen inter leges Filii Dei aliorumque legislatorum.

Aliorum legislatorum, qui urbibus, ac rebuspublicis regundis leges ferre voluerunt, plerique conati sunt populorum ingenia explorare, ut illis adeo conformia studiis eorum præcepta proponeret, ut easdem non inviti susciperent, & non ægre observarent. Sed quodnam hoc erat legislatorum genus, qui re ipsa leges non irrogabant, sed potius recipiebant, quandoquidem id tantum scribebant, ac imperabant, quod subditi concupierant? Nonne similes erant pravis architectis, qui normam lapidi accommodant, non recta facientes, quæ obliqua sunt, sed obliqua, quæ recta. Quis non videt, rempublicam nullatenus regi posse, si hoc unum spectetur, ut omnibus populorum studiis leges conformes statuantur? Nullus umquam princeps tale constituit imperium, quale Jesus Christus; nullus umquam ita perfecte populos rexit, minusve naturalibus subditorum studiis pepercit. E contra ille omnibus his adversatur; eos per arctam paupertatis spiritus, humilitatis, patientiæ, mortificationis sensuum, affectuumque viam deducens. Neque indulgentiorem se præbuit mundi principibus, eximiis ingeniis, hominibus voluptuosis, vel qui claro genere orti sunt; generatim ille suas pro toto mundo leges proposuit, quin variis conditionibus sese accommodaret, variisque personarum parceret temperamentis.

In quo J. C. disciplina ab illa antiquæ legis discrepet.

Sermo, quem Jesus Christus habuit in monte, semper habitus fuit tamquam doctrinæ ejusdem compendium, vel tamquam absolutissimum vitæ Christianæ exemplar: *Quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum*; quemadmodum illum S. Augustinus appellat. Nova lex, quam divinus legislator in sublimi hoc sermone gustandam præbuit, veteri contraria non est, sed latior, & explicatior. Ita dixit ille discipulis suis: *Non veni legem solvere, sed adimplere*; Matth. 5. hoc est, quamquam lex Moysis sancta esset, justa, & bona, quemadmodum magnus inquit Apostolus; Jesus Christus venit, ut illam perficeret, suoque exemplo, & gratiæ suæ virtute doceret, quomodo tutius illam servaremus, & perfectius adimpleremus; cumque Salvator ait: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum*; ostendit justitiæ eorum aliquid defuisse, & qualis nostra esse debeat. Hic autem sanctitatis, & justitiæ defectus in Pharisæis ad

hoc

hoc redigitur, quod virtus eorum mera exterior erat; lex enim vetus plurima habebat præcepta, quæ in exteriori tantummodo versabantur; sed nova lex nulla proponit, quæ ad interiorem animum non referantur, vel ad ea, quæ ad animum referuntur. Hac autem in re justitia nostra superare debet Pharisæorum justitiam; quod lex gratiæ lex est amoris, lex cordis, lex secretarum, interiorumque virtutum, quas illi omnino ignorabant.

Exemplū Filii Dei qui legem omnem voluit adimplere.

Dei Filius a Patre electus, & constitutus legis novæ, longeque præ veteri perfectioris legislator, illam primus juxta perfectissimam ejusdem normam adimplere voluit, ut hominibus præberet exemplum, omnemque illis querimoniæ occasionem auferret; cujus rei eximium nobis suppetit testimonium in verbis illis, quæ Præcursori suo dixit: *Decet nos implere omnem scripturam*. Math. 3. Hæc verba aliudne significare possunt; nisi, quemadmodum veni ut sanctam, perfectamque legem, Evangelium videlicet, ferrem; ita illius sedulus esse volo observator; & in hoc omnem adimplebo justitiam, quæ in hujus legis obedientia consistit, quam nemo adimplebit, quin plena justus, & omnino perfectus fiat.

Primorū fidelium exempli.

Ut de sanctitate, & puritate Christianæ legis ferretur judicium, primorum dumtaxat fidelium vita erat inspicienda. Eheu! quam longe differunt a primis illis fidelibus hodierni? Primi suam rebus in omnibus præseferebant sanctitatem, in cogitationum suarum puritate, verborum veritate, actionum omnium justitia, conversationis suavitate, ac disciplinæ austeritate. Quocumque in statu, vel conditione versarentur, sancte vivebant; patientes in adversis, humiles in nobilitate, modesti in affluentia, dominis, ac superioribus, licet idolorum cultoribus, in iis, quæ Religioni suæ non adversabantur, obedientes. Itaque ut sanctitas, & puritas legis, quam profitebantur, inspiceretur, satis erat vitam illorum intueri: nam ut Tertullianus ait, plura ex iis, quæ jubebantur, faciebant: *Vita legem superat*. Necesse non erat illis ad sancte vivendum leges proponere; ac in illis hoc sancti Pauli effatum adimplebatur: *Justo non est posita lex*.

Quorumdam locorum Applicationes.

Qualem Magistrum nobis suam tradidit doctrinam.

NON faciet avolare a te ultra doctorem tuum. Isaiæ 30. Non tenuet tibi ultra documenta sua Dominus, ac videbis magistrum, qui divinas tibi veritates est nuntiaturus. Messiam, magistrum, atque antonomastice doctorem Propheta spectabat, cum hæc vaticinaretur; ille enim verbo nos & exemplo docturus erat, tum per se, tum per eos, quos Evangelii sui ministros constituit. Quod pro nobis, o fideles, privilegium! Magistrum habemus, qui numquam recedet a nobis, qui nobis aderit semper, & per se nos suis gratiis illuminans, & per ministros suos, qui nobis suam doctrinam explicant, ac interpretantur. Huic vero tanto magis nosmet credere possumus, quod qui venit, ut nos doceret homo factus, falli, & fallere nequit, quia Deus est; ideoque magister optimus, & qui præ cæteris melius legem sanctam docere nos valeat; hac etiam in re ab aliis differens, qui tradere quidem præcepta possunt, non autem spiritum intelligendi illa, neque vires eadem observandi.

Summa sapientia dominicæ legis.

Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Psalm. 18. De nova lege longe potiori jure hæc verba dici possunt, quam de veteri. Etenim in omni Ethnicorum philosophia nemo pervenire potuit ad eum sapientiæ apicem, ad quem lex Evangelica rudem agricolam, humilem mulierculam, illiteratum ducit artificem. Et sane in simplicibus hujusmodi personis quænam deprehenditur erga primum Ens, quod colunt, obedientiam? Quibus veritatibus earum mentes illuminantur? quibus principiis reguntur? Et quantumvis parum Evangelicas calleant veritates, nonne Deum, ac divina magis norunt, quam sapientissimi quilibet philosophi rationis suæ lumine se detegere posse arbitrati sunt? *Sapientiam præstans parvulis*.

Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Psalm. 118. Videlicet mandata tua. Talis erat dispositio cordis S. Regis David erga antiquæ legis mandata, sed talis esse debet omnium Christifidelium erga Evangelii præcepta. Non solum præsto esse debemus observandæ legi iis in occasionibus, quæ sese offerunt nobis; sed tunc etiam cum nulla adest occasio; hæc enim voluntatis præparatio quodammodo continet effectivæ pretium obedientiæ, atque est veluti uberrimus fons meritorum, in omnes vitæ actiones sese latius effundens. Hinc fit, quod Propheta sese ad adeo præstantem excitans præparationem non putabat satis esse fideliter, & ad unguem observare legem, nisi ardenter hoc ipsum desiderium concupisceret. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas*. Psalm. 118. Eodem sensu loquitur, cum justi voluntatem aliquando in lege constituit: *In lege Dei voluntas ejus*. Psalm. 1. aliquando etiam legem in corde justi collocat, ut doceat Dei legem esse debere in corde nostro tamquam in sede; ubi omnibus animæ nostræ motibus imperet; simulque cor nostrum esse debere in lege, tamquam in sui amoris objecto, ut omnia illius mirabilia meditetur. *Desumptum ex libro, qui inscribitur*. Essais de Panegyriques, *pro die Purificationis*.

Semper paratos esse decet legibus, præceptisque evangelicis observandis.

Ut sit ibi contra te in testimonium. Deuteron. 31. Hoc Israelitis minitatus est Moyses, postquam absolvit lectionem libri legis, eumque Levitis tradidit in Arca reponendum, atque in omnem posteritatem servandum: sed ad quid servandum? *Ut sit contra te in testimonium*; ut ibi persistens, popule ingrate, ac infidelis, aliquando contra te tuam infidelitatem, atque ingratitudinem testetur. Hoc hodie possumus de lege Evangelica dicere. Et sane, quid potiori jure fideles ad Dei viventis tribunal accusare debet, quam Dei lex ab illis violata, & legislator, quem contempserunt? Profecto quantum populus Judæorum debebat Deo propter legis beneficium, tantum hoc contemptu, & hac ejusdem legis prævaricatione reus fiebat: sed eædem nobis instant minæ, si Jesu Christi legem perfregerimus: atque eo terribilius metuendum nobis judicium est, quo lex Evangelica, quam profitemur, Mosaicam, quæ ejusdem figura est, longius excedit.

Evangelium aliquando contra nos perhibebit testimonium, & erit nostræ damnationis subjectū.

Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Joan. 12. Verbum Evangelii, quod a me annunciatum est, illum judicabit, a quo servatum non fuerit. Doctrina salutis, quam ipse Jesus Christus prædicavit, aliis quidem semen est vitæ, aliis vero semen est mortis pro varia cordis eorum dispositione, quod S. Augustinus hac explicat similitudinem. Cœlum, inquit ille, imbribus suis & triticum irrigat, & spinas; sed pluvia super triticum decidens prodest illi, ut crescat, & in horreis condatur; & spinæ cœlesti rore madescunt, ut pariter crescant, sed ut mox conjiciantur in ignem; attamen utrobique eadem pluvia operatur. Hoc ipsum Evangelicis accidit verbis; cœlestis est imber in omnes homines decidens: uniuscujusque refert videre quam in corde suo habeat radicem, & in quam terram bonus hic depluat imber. Cœlestium veritatum, quas nos docet Evangelium, cognitio inæstimabilis gratia est; sed periculum, in quod nos, si eadem fuerimus abusi, præcipites agit, terribile est.

Lex evangelii aliis quidem erit in salutem, aliis in judicium.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & sententiæ S. Patrum in hoc argumento.

I*Nter omnes divinas authoritates, quæ sanctis literis continentur, Evangelium merito excellit, quod enim Prophetæ prænunciaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur*. Aug. l. 1. de consensu Evang. c. 1.

Nos

Nos sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum; quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & propter nos recitatum Idem, tract. 30. in Joann.

Sursum est Dominus, sed hic etiam est veritas Domini. Ibidem.

Fons Evangelicarum doctrinarum apertos habet rivulos, & si quis sitiens biberit ex eo, vivificatur. Serm. de Baptism. Christi.

Tu, Deus meus, in corde legem posuisti mihi Spiritu tuo, tamquam digito tuo, ut eam non tamquam servus sine amore metuerem, sed casto timore diligerem, & dilectione casta timerem. Idem, in Psalm. 118.

Quanto legis major in quocumque cognitio, tanto manifestior prævaricatio. Ibidem.

Idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. Idem, l. 2. quæst. ad Simplic. q. 2.

Tunc lex impletur, dum non cupiditate rerum temporalium, sed charitate illius qui præcipit, fiunt quæcumque præcipit. Idem, lib. de catech. rudib. c. 22.

Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera charitate. Idem, l. 1. de adult. conjug.

Ideo Lex clementiæ (Evangelium) quia Lex Gratiæ. Idem.

Deus se utriusque Testamenti voluit esse authorem, ut & terrena promitteret in veteri, & cœlestia in novo. Idem, in Psalm. 73.

Præcepta dominica & multa sunt & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Idem, Hom. 19. in Evang.

Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Idem, lib. de Nat. & Grat. cap. 43.

Evangelica præcepta nihil sunt aliud quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. S. Cyprian. in Prolegom. de Orat. Dominica.

Pene omnis sermo divinus habet æmulos suos, quot genera præceptorum sunt, tot adversariorum. Salvian. ad Eccles. Cathol.

Timenti adhuc populo lex est transmissa per servum, diligentibus filiis Evangelii gratia collata est per Dominum. Greg. lib. 22. Moral,

Christus & verbo sapientiam tradidit, & doctrinam præsenti virtute firmavit. Lactant. lib. 4. de vera sapient. cap. 23.

Non est Christi mandatum contrarium legi, sed latius patet quam lex. Auth. operis imperfect. super Matth.

Vere fidelis est, si non dispensationis licentiam, sed præcepta sequatur amoris. Gregor. lib. 2. in 1. Regum, c. 2.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum possit hauriri.

Quid sit Lex gratiæ, & lex Evangelica, quæ nova lex dicitur.

NOva lex, vel lex Evangelica, ex D. Thoma 1. 2. *qu.* 106. *art.* 1. bifariam intelligi potest. Primo pro gratia, quam Spiritus Sanctus in corda nostra infundit per charitatem; & gratia hæc, ut idem S. Doctor affirmat, est pars præcipua novæ legis. Modus alter, quo hæc lex considerari potest, vel minus considerabilis legis hujus pars, ea respicit, quæ a nobis credenda, faciendaque sunt. In sensu priori, vel parte præcipua, uti S. Thomas vult, scripta non est; sed in cordibus nostris infusa, & proprie lex gratiæ, lex vivens, lex amoris, & charitatis, lex interior nos novi testamenti filios efficiens appellatur; & lex hæc nos adigit, ut per amorem, & charitatis spiritum id faciamus, quod a nobis exigit Deus In altero sensu, vel in parte legis hujus minus principe ea sunt, quæ in Evangelio, aliisque libri hujus partibus, qui novum testamentum dicitur, continentur, ubi adsunt præcepta, consilia, & dogmata quæ Dei Filius dum viveret prædicavit, & post mortem suam nobis reliquit, ut omnibus hominibus norma essent, ac regula.

In quo, & quomodo lex nova distinguatur a veteri.

Nova lex a veteri lege ex eodem D. Thoma distingoitur eo modo, quo aliquid magis perfectum distat ab eo, quod in eodem genere minus perfectum est. Ita docet Apostolus veterem legem esse veluti pædagogum ad filios erudiendos traditum; sed lex oova lex est perfectionis, hoc est charitatis, quæ vinculum est totius perfectionis. Omnia autem discrimina, quæ veterem inter, novamque legem assignari possunt, ad duplicem hanc perfectionis, vel imperfectionis speciem rediguntur. Lex vetus lex erat timoris: nova autem lex amoris est: hæc spiritualia, illa temporalia bona promittit. Ubi animadverti potest, quemadmodum in lege veteri nonnulli viri boni propter spiritualium bonorum spem operabantur, ita in nova quamplurimos esse imperfectos, qui nonnisi propter sopplieiorum timorem, ac temporalium spem operantur. Quamvis in veteri non deessent charitatis præcepta, illa tamen non conferebant Spiritum sanctum, per quem in nova charitas in cordibus nostris infunditur.

Nova lex præstantior, quam naturalis, & scripta.

Quid legi deerat naturali? Cognitio eorum, quæ facienda erant, ut Deo placeretur; quia lumen hoc eoncupiscentia obscoraverat; quod erat in causa, propter quam homines ante, ac post diluvium malum pro bono, & gravissimos errores pro constantissimis veritatibus acciperent; & sine ullo metu turpissima scelera committerent, quasi actiones fuissent laudabiles, atque præstantes. Quid scriptæ legi deerat? Non utique cognitio malorum, quæ evitanda, & bonorum, quæ erant facienda, sed abondantia subsidiorum, & gratiæ ad peccatum vincendum, evitandumque, & ad justitiæ opera perficienda. Evangelii autem lex duos hosce reparavit defectus; etenim non solum nobis tribuit lumen ad ea cognoscenda, quæ facere tenemur, verum etiam hanc nobis confert subsidiorum, gratiarumque abundantiam, ut id, quod novimus, efficiamus; non extrinsecus tantum nobis divina proponit præcepta, ut littera, quæ occidit, quod lex vetus efficiebat; sed simul vivificantem inspirat spiritum, amorem videlicet, ita ut fideles christiani non videant solum, quid faciendum sit per spiritum desursum illustratum; verum etiam illud admirabili adimpleant facilitate.

Lex Evangelica omnes justas leges colligit, & confert.

Lex Evangelica centrum est, ad quod omnes factæ, justæque leges, quæ vel factæ fuerint, vel fieri umquam possint, referuntur; & ita verum est dicere, quod omnem adimplere justitiam non aliud nisi Evangelium adimplere significat. Ad examen namque vocemus unam ex iis, quas complectitur, legibus, videlicet, *qui vult sequi Jesum Christum, abneget semetipsum*. Quacumque ex parte consideretur, innotescet homines semper imperfectos futuros, donec præceptum istud non observaverint, omnemque eorum justitiam in cæteris adimplendis legibus inanem futuram nisi amorem proprium eradicare contendant, quem peccatum efformavit in illis, & qui ibi semper vivit, donec ad perfectam abnegationem perveniatur. Si lex hæc necessaria est, cæteræ similiter sunt: quamvis ex omnibus integrum, perfectumque fiat medium acquirendi justitiam, & satisfaciendi legibus omnibus, quas Deus, hominesque nobis imponere possunt.

Jesus Christus Evangelicæ legis Auctor est.

Nemo Christianus in dubium revocat, *Jesum* Christum Deum, & hominem esse Evangelicæ legis auctorem. Isaias Propheta de eo loquens, eumque ex propriis characteribus designans, non satis putat illum regem, judicemque nostrum vocare, verum etiam legislatoris titulum illi tradit: *Dominus Judex, Dominus Legifer, & Rex noster*; Is. 33. & ille ipse in Evangelio super omnia commendat, ut leges suas, præcepta, ac mandata servemus: *Si mandata mea servaveritis, quæ ego præcipio vobis* &c. Jo. 14. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*. Ib. 15. Quamobrem Tridentinum Concilium ejaculatur anathema in eum, qui ausus fuerit asserere, Jesum Christum Redemptorem quidem no-

strum

ftrum esse, non autem legislatorem. Et sane cum societas nulla sine legibus consistere valeat, Jesus Christus, qui Ecclesiam formaverat, quæ caput est, ac societas fidelium omnium, non debebat solum illius institutor esse, & conservator, verum etiam Dominus, & Legislator.

In Evangelica lege quædam præcepta sunt, quædam consilia.

Lex hæc adeo sancta, & perfecta composita est, ut ita dicam, ex præceptis, atque consiliis; discrimen, vero quod consilium inter, atque præceptum interest, in hoc positum est, S. Hieronymus inquit, quod præceptum necessitatem imponit, consilium vero integrum relinquit aliquid faciendi, vel secus. Ita vocabula, & loquendi ratio, quibus utitur Salvator ad utraque indigitanda, varia sunt; cum enim præcipit bonum, vel malum prohibet, absolute loquitur, imperandique verbis usus volo, & nolo, ait; & id nisi fecerimus, supplicium nobis minitatur æternum: *Ego autem dico vobis*. Cum vero suadet, testatur se quidem velle, non tamen absolute, neque adhibens minas, sed nobis significat, id se ex nobis volentibus velle, ad majorem sui nominis gloriam, & nostram utilitatem.

Cur lex Evangelica dicatur lex nova.

Lex ista *Nova* appellatur, non solum quod alteri succedit, quæ ideo vetus dicitur; sed peculiariter, uti S. Augustinus animadvertit, quia æterna dumtaxat bona proponit, quæ semper nova sunt, quin esse incipiat; & quæ in æternum durant, quin veterascant; quia a tempore nequaquam pendentes, nulla re labefactari possunt, vel corrumpi. Hinc horum bonorum amor efficit hominem novum, quemadmodum periturorum amor bonorum efficit veteris hominis, veterisque Testamenti characterem.

Cur vetus lex abrogata sit.

Non alia ratio quærenda est, propter quam vetus lex ista abrogata fuerit, quam ejusdem imperfectio; re enim vera pluribus in rebus erat imperfecta. In spiritu suo Judæis tantum erat accommodata, & pro ipsis tantummodo lata. Hinc ut se populi hujus infirmitati accommodaret, plurima permittebat, quæ lex nova interdicit, veluti ultionem, divortium, usuram cum alienigenis, aliaque id genus. Imperfecta erat in exercitio suo, quod Jerosolymæ tantum liberum erat; neque alibi mysteria celebrare fas erat. Hinc S. Chrysostomus contra Judæos concludit, cum Deus omnem publicum Judaicæ Religionis exercitium intra Jerosolymam continuerit, atque Templum, ac urbem illis abstulerit, apertissimam esse demonstrationem, voluisse eisdem Religionem auferre, eamque numquam, ut sperant, restitutum iri. Præterquam quod quemadmodum cultus & sacrificium legis antiquæ umbræ tantum erant cultus, & sacrificii legis novæ, ejusque mysteriis umbræ eorum, quæ in Christiana Religione colimus, opus erat, ut lex vetus cessaret, simulac nova, quæ universalis est, satis esset promulgata.

Utrum nova lex sit magis gravis, ac difficilis sit præ antiqua.

Quæstionem hanc D. Thomas proponit: & quamvis Patres omnes, & Concionatores semper pro nova stent lege; hæc ea tamen sunt, quæ Sanctus hic Doctor tradit. Si lex vetus consideretur in actibus exterioribus, quos præcipit, longe difficilior, & onerosior erat, quam nova; quia longe majorem cæremoniarum, atque exercitationum numerum præcipiebat, quibus soluti sumus per Evangelicam legem, quæ præter naturalia præcepta admodum exiguum eorum addit numerum: atque hac ex parte liquet legem novam minus onerosam esse, & faciliorem. Sed Sanctus hic Doctor concludit ex parte actuum interiorum Evangelicam legem vicissim magis onerosam esse, & difficiliorem, quia omnes interiores cordis, & cogitationis motus prohibet, qui in lege veteri explicite non prohibebantur, vel quos si quando prohibebat, saltem non irrogabat illis supplicia, & pœnas, uti lex nova, quæ minimas etiam pravas cogitationes, ac levissima voluntaria desideria interdicit. Inde vero simpliciter lex vetus gravis, severa, & lex servitutis vocatur, & e contra Evangelica dicitur lex suavitatis, gratiæ, & libertatis, quod prior illa nulla re leniebatur, recens vero hæc, licet ab ipso Salvatore jugum, & onus vocetur; hoc tamen jugum sit suave, & onus leve per interiorem gratiæ unctionem, quam effundit Deus in cordibus illa gestantium.

Charitas anima est, & spiritus novæ legis.

Charitas anima est, ac spiritus novæ legis, ita ut Jesu Christi doctrina fideliter in quatuor Evangelistarum scriptis enarrata, non aliud habenda sit, quam exterior cortex, & additamentum. Doctrina hæc gratiæ Spiritus Sancti id est, quod animæ corpus; quod si nostri pars est, sane pars est minus digna, & sine spiritu, quo animatur, merum cadaver est; similiter si Evangelica dogmata ad novam pertinent legem, minima hujus pars sunt, & sine spiritu charitatis, qui vivificat, littera sunt, quæ occidit. Ut autem intelligamus quomodo charitas, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris infundit, vera lex est, meminisse oportet generalis notionis, quæ de lege tribuitur; quæ eo æquior, & magis naturalis est, quo magis est simplex; videlicet legem esse actionum nostrarum normam. Hinc enim statim liquet, cum efficiat charitas ut Deum propter ipsum, proximum vero nostrum tamquam nosmetipsos amemus, hanc egregiam esse normam actionum nostrarum. Nostra vivendi ratio tantum sancta est, quantum huic regulæ conformis, atque tantum vitiosa, quantum ab hac eadem norma recedens. Ut igitur christiane vita ducatur, consulenda est dumtaxat inclinatio, quam nobis inicit charitas eundi ad Deum, aliosque ad illum deducendi; hac vitam nostram regere debemus, huic omnis vitæ nostræ ratio conformanda est; & si inclinatio hæc nobis dominaretur, non aliis profecto mandatis indigeremus. Ama, S. Augustinus ait, & secutus tui amoris instinctum, fac quod vis.

Fere nihil in Evangelio præcipitur, quod naturali lege non præcipiatur.

Animadvertere operæ pretium est, si Sacramenta demas, quæ extrinseca sunt adminicula, & quæ a mera illius pendent voluntate, a quo instituta fuere, ac si duo positivi juris excipias præcepta, quorum alterum insolubilitatem conjugii constituit, alterum vero prohibet polygamiam, nihil præcipi in Evangelio, quod non sit essentialis, & naturalis obligationis; videlicet quod proptie novam obligationem imponat; sed naturalis tantummodo legis veritates nobis proponi ut de officiis edoceamur, a quibus solvi non poteramus; ita ut tota legis severitas in eo sita sit, ut præcipiat quod absolute necessarium est ad nostram statuendam felicitatem, & prohibeat quidquid naturaliter saluti nostræ opponens obicem nonnisi miseros nos potest efficere.

Quidquid in Evangelio non esse videtur de jure naturali ad illud tamen refertur, & quomodo.

Quædam sunt in Evangelio instituta, quæ palam essentialem gerunt rigoris, & severitatis characterem, qui non omnino naturalis videtur; ita ut nisi spectetur auctoritas Jesu Christi ea præcipientis, vix sibi persuadere aliquis valeat, ea essentialis esse obligationis, ac juris naturalis; exempli gratia, contendere intrare per angustam portam, ac per arctam viam incedere, vel cum omnes nobismetipsis abrenunciare, & crucem ferre jubemur. Fateor equidem solam Dei, proximique diligendi obligationem per se satis esse non posse, ut inde hæc inferantur: sed originalis peccati fide supposita, facile est hæc dogmata ad juris naturalis principium revocare; si enim nihil veteris hominis superesset, nihil esset crucifigendum, neque necesse esset crucem suam ferre, si in primi status rectitudine permansissemus; non cogeremur contendere, ut per arctam incederemus viam; nobis commode incedendum esset, ac studia nostra suaviter sequenda, quæ naturaliter ad bonum contenderent. Supposita autem corruptione peccati, nonne inevitabilis necessitas nos contendere cogit, ne peccatum regnet in nostro mortali corpore, huic obtemperando, ut incomposita carnis desideria sequamur? Caro igitur cum vitiis, & concupiscentiis suis est crucifigenda. Ex hoc eodem principio facile inferre est interiorem affectuum mortificationem ejusdem esse absolutæ necessitatis, & nonnumquam exteriorem aliquam mortificationem requiri tamquam subsidium, & adminiculum, quo indigemus.

Christiana lex sanctior est, & ad majorem sanctitatem præ veteri adducit.

Judaismus profecto per se non adducebat in malum, nec præcipiebat aliquid, quod positive malum esset; verum neque malas actiones omnes damnabat; & pleraque innumerorum præceptorum, quæ Judæorum legem componebant, ad cæremonias mere legales spectabant,

& præcepti: quid credendum sit, quid faciendum, quid optandum, & quid metuendum. Ecce circa quæ versentur præcepta, quæ Dei Filius nobis irrogavit. Non quæsivit ille, quemadmodum humanæ sapientiæ Magistri, quomodo mysticis verbis suum sensum involveret. Non voluit se Philosophis tantum, sæculique sapientibus cognoscendum proponere. Apage ab illius schola fastum hunc ambitiosum. Documenta sua simplici etiam populo, rudique vulgo communicavit. Illa luminum nostrorum infirmitati accommodavit: omnia facilia sunt: stylus, figuræ, parabolæ, ipsæ quoque res, quæ licet in principiis suis altissimæ, atque nulli vestigabiles, nihil habent in praxi, morumque doctrina, quod rudissimum quodlibet ingenium exsuperet, nihil quod a quolibet nequeat intelligi. *P. Giroust in Adventu, Sermone de divinæ legis observantia.*

Evangelicæ doctrina facilis ad discendum.

Numquid diuturno opus est studio, acutoque ingenio, ut cognoscamus, quid Jesus Christus dixit, & fecit? At quod ille fecit, quod dixit, id totus est Christianismus. Quod fecit, illud est quod nobis imitandum proponitur, & hac in re nostrum exemplar est. Iis, quæ dixit, nosmet subjicere debemus, & in hoc noster est magister. Vel si mavis, in iis, quæ fecit, morum nostrorum normam habemus: in iis, quæ dixit, normam fidei nostræ, vel ut melius adhuc dicam; utrumque debet æque inservire seu ad fidem nostram animandam, seu ad vitam nostram sanctificandam. Ita Deus, quantumvis Deus, non poterat nos melius edocere, quam suis exemplis, & verbis. Verba illius exemplis ejusdem auctoritatem adjiciunt; & exempla vicissim vim addunt verbis, eaque in majorem lucem adducunt. Dicite nunc, fideles, vobis deesse lumina. Ego quidem e contra vereor, ne nimium habeatis luminis, & ne hic luminis excessus vobis cæcitatem pariat, & nocentiores efficiat. *Idem.*

Ignorantia veritatum Evangelii.

Mira rerum inversio, o Deus! Magistri ubique inveniuntur, & ex eorum lectionibus proficitur. Omne in mundo hodierna die scitur; & omne sciri vult. Unum ignoratur, vel ignorari affectatur, scientia nempe salutis, quam docet Evangelium. Scitur in cœtu personam gerere, in conversione scite loqui, in opere scribere eleganter. Scitur forus, bellum, negotium, at quod præ omnibus sciendum esset, nescitur. Essentialia Religionis puncta negliguntur, mysteria, præcepta, consilia; & quomodonam observari potest lex, quæ ignoratur? Ita qui plerosque fidelium agere intueretur, credendi locum haberet, illos numquam de Evangelio sermonem audivisse, eosque aliam quamlibet legem profiteri. Scitur fabula, scitur historia; ac memoria repletur sexcentis factis, vel jucundis, vel tragicis, sed prophanis. Summa cum voluptate narrantur, & numquam ad finem narratio perducitur; tot in memoria simul connexa, & in ordinem digesta sunt nomina, loci, circumstantiæ, facta .... Denique, ut quidam S. Pater ait, vacat, ut Philosophus fias, & ad id omnia necessaria adinveniuntur subsidia; at Christianus esse nescis, facta, mysteria, Evangelicæ veritates ignotæ sunt. *Vacat tibi, ut sis Philosophus; non vacat tibi, ut sis Christianus. Idem.*

Lex evangelica Moysis lege perfectior.

Ad quot res maximi momenti, atque Christianis maxime idoneas, & utiles Jesus Christus eam perfectionem extendit, quam ab illis petit, præter ea, quæ olim ex Israelitis petebat? Evangelium aperiamus, legem consulamus. *In lege quomodo legis?* Lego primum præcepta abrenuntiationis rebus omnibus, abnegationis sui, & mortificationis, quæ in veteri lege non lego. Exempli gratia. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me; non potest meus esse discipulus. Luc. 14. Qui non renunciat, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ibid.* Hæc verba nequaquam solis dicuntur Apostolis. Evangelista palam ait innumeræ dicta fuisse turbæ, quæ tunc Jesum Christum fuerat secuta. Profectio igitur, quam continent, toto proposita mundo est, omnibusque fidelibus imperata. Deus non ita locutus est ad Israelitas; Deus ergo a fidelibus petit perfectionem, & sanctitatem, quam ab Israelitis non exigebat. *Pater Aurelianensis, sermone de severitate Evangelica.*

Evangelica lex semper impugnata fuit, sed injuste.

Si res intra officii terminos sunt desumendæ, nostra profecto non interest ad examen ea revocare, quæ Jesus Christus probavit, & in mundum attulit; etenim quoniam Reges terræ potestatem habent efficiendi leges, & edicta, quin aliam afferre teneantur eorum rationem, præter voluntatem suam, & subditis jus non est aliud inquirendi; æquum esset profecto, eamdem a nobis Jesu Christo adhiberi reverentiam, qui verus est noster legislator, Dominus, & Deus, nosmet legibus illius submittendo, quin illas rationis nostræ criterio auderemus submittere, & audaci curiositate ridiculam discussionem efficere. Attamen scimus nullam unquam legem tantum fuisse oppugnatam, quam Legem Jesu Christi, & de Lege hac dicere possumus, quod Spiritus Sanctus de mundo generatim dicebat; *Tradidit eum disputationi eorum, Eccl.* 3. eam videlicet argumentum fuisse controversiæ mundi totius. Ethnici illam nimis severam, immo etiam impossibilem, & ultra naturæ vires esse dixerunt; hæretici vero quidam illam nimis indulgentem, commodamque commenti sunt. *P. Bourdalove sermone de lege pro secunda Quadragesima Dominica.*

Lex Evangelica severa est, sed justa in severitate sua.

Sive generalia spectemus præcepta, quæ Lex Evangelica præscribit, sive illa consideremus quatenus ad peculiaria referuntur officia, quæ unicuique imponit statui, secum gerit supremæ rationis characterem, atque ostendit illam in æternæ sapientiæ consiliis fuisse meditatam. Etenim, S. Chrysostomus inquit, quid in Christiana lege austerum est, quod natura, & ratio probare non teneantur! Lex ista præcipit, ut nosmetipsos abnegemus, ut crucem feramus, ut maxime naturalibus studiis nostris adversemur, qualia sunt ambitio, & ultio; ut rem nostram flocci faciamus, ut a jure persequendo desistamus, ac martyrio subeundo præsto simus pro veritate ac fide illius propugnanda. Hoc illud est, ut videtis, quod in hac lege durissimum est. At nihil in hoc non justissimum, non æquissimum est. Etenim quandoquidem solis rationis luminibus, ac jugi experientia imbecillitatis meæ, nihil in me esse, præter errorem, & malum agnosco; quandoquidem me non diffitente, plurimæ in me inveniuntur infirmitates, nonne justum est, ut hanc abnegationem amplectar? Hoc autem innuere vult Jesus Christus cum ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Matth.* 16. & *Luc.* 9. Quandoquidem in me injustus est amor, falsa cupiditas, & noxia oblectatio, æquum est, ut Deus hæc omnia mihi interdicat, & ego memetipsum abnegem. *Idem.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Ratio me cogit carnem meam crucifigere, quia alioquin pugnaret contra spiritum meum, & si illam propter corporis valetudinem mortifico ea ciborum parcitate, quæ mihi nullatenus placet; cur non mortificem illam pro salute animæ meæ, eidem suas denegans voluptates? Æquum est, ut ultioni interdicatur; nisi enim illi interdictum foret, quid agerem, quid paterer? Quænam esset vitæ meæ, æque, ac alienæ securitas, si rebus in omnibus meam tantum modo cupiditatem spectarem? Quid fieret de civili societate? quo bona fides, honestas, sexcentæque aliæ virtutes abirent? ... Verum est, docente hac lege eadem, martyrium nobis potius subeundum esse, quam abdicandam fidem; sed secundum humanæ politicæ regulas, nonne vitam potius profundere debemus, quam turpe aliquod committere, seu Principem nostrum prodentes, seu patriam nostram negantes? *Moriendi necessitatem ex disciplina nostra habemus, quibus convenit mori*, Tertullianus ajebat. Æquum, ut homo potius moriatur, quam suam abneget fidem; & si, licet vitæ suæ sit amator, illam tamen pro veritate sacrificare debet, quid faciendum Christiano, qui secundum sui Legislatoris dogmata cum ab ipsa nativitate sit morti devotus, eam debet etiam perquirere, ut suam fidem glorificet? Cordatus homo vitam potius amitteret, quam turpe aliquod facinus auderet; quod officium si æquum adeo videtur illi, ut in eo honorem suum verti putet, cur stultitiæ

nomi-

nomine redarguatur fidelis, qui legis sibi impositæ sanctitatem, atque justitiam cognoscens, mori mallet, quam ab illa turpi facinore prævaricari? *Idem.*

Legis Evangelicæ sanctitas norma erit secundum quam judicabimur.

Lex tua, Domine, adeo justa, & sapiens est, ut illi cordis mei obsequium denegare non valeam; inde vero rubore suffundor, quod me illius sectatorem esse non possim asserere, veritus ne id meæ actiones mentiantur, quæ ab illius puritate longissime abhorrent. Hoc efficit, ut quo sanctior lex est, eo mihi terribilior videatur, quia secundum illam, & per illam judicabor, repletusque iniquitatibus, æternis adjudicabor cruciatibus, nisi vitæ meæ ratio institutis illius par inveniatur. Verum si omnia mihi inde metuenda sunt, non deest tamen unde consoler: quod videlicet lex, quam amplector, unica, & vera lex est, & licet etiam *per impossibile* lex ista falsa esset, hoc tamen mihi solarium esset, quod sancta est; & non solum justitiam tuam non metuerem, sed in tua providentia confiderem, quæ nihil mihi adeo sanctum, quam tua sit lex, ostendisset. *Idem.*

Lex Evangelica suavis.

Verum est, Jesum Christum de sua lege loquentem eam jugum, & onus appellare, verum enim vero simul hoc onus leve esse, & jugum suave profitetur: *Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11.* Unde fit quod admirabili suæ sapientiæ consilio ad jugum hoc subeundum illos invitaverit tantum, qui jam essent fatigati. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Ibidem:* ejusdem se, solatium allaturum promittens: *& ego reficiam vos.* Hoc satis non est; illos jugum ferre jubet; *tollite jugum meum super vos*, & hoc onus subire. Nonne hæc contraria sunt? Haud ita; jugum hoc leve fit gerentibus illud, & ipsa docet experientia, nihil æque posse peccatori sceleribus prægravato onus levius efficere, quam si Jesu Christi jugum accipiat, seque eidem subjiciat. *Id.*

Gratia efficit, ut in lege Filii Dei suavitatē inveniamus.

Tu, Domine, non ego, fregisti vincula mea, S. Augustinus de hoc loquens argumento exclamat; tu Domine, non ego, mihi libertatem contulisti, ideoque tibi gratias æternas habeo, & eotam universa terra ago; sed quanam facilitate de obstinatione mea triumphum egisti? Legem tuam monstri loco habebam; credebam vivere me non posse, quo minus essem impudicus; voluptates omnino mihi necessariæ, & lex tua invictis præpedita difficultatibus, mihi videbantur; attamen effecisti, ut rem toto cœlo diversam esse intelligerem, & ex quo gratiam tuam mihi largitus es, tibi illico parui..... Ita loquebatur Sanctus, qui seipsum diuturnis, infelicibusque habitibus vinctum conspexerat. Si adeo palam gratiæ potestatem, & legis suavitatem profitebatur, qua fronte dicere audemus, jugum illius incommodum esse, & onus minime ferendum? *Idem.*

Evangelium est lex Charitatis.

Quid autem, si post hæc addo, Jesu Christi legem esse legem charitatis? Charitatis, cujus effectus est omnia lenire, & jucunda efficere, ac in ipso jugo nonnihil ostendere, quo gerentes, illud roborantur. Videte volucres, S. Augustinus ait, pennis onerati sunt; sed hoc onus eorum efficit agilitatem: quid dico? avis fert alas, & fertur alis; fert alas super terram, sed in cœlum fertur ab alis. Hoc ipsum legi accidit; illam in terra ferimus; illam colimus eidem obtemperantes, sed vicissim nos fert in cœlum, nostrum est ornamentum, perfectio, & beatitudo nostra. *Idem.*

Charitas omnem lenit laborem qui in Christiana lege invenitur.

Charitas ista injurias jucundas fecit, testantibus hoc Apostolis, qui ob illas gloriabantur; charitas catenas in honoris vincula convertit, teste S. Paulo; charitas crucibus illecebras addidit, S. Andrea teste; charitas effecit, ut inter flammas etiam refrigerium inveniretur, teste S. Laurentio. Hæc ipsa lex charitatis hodierna quoque die tot operatur miracula; quamplurimas christianas virgines ad religiosæ vitæ austeritates amplectendas impellit; christianos jubet corpora sua pœnitentiæ victimas offerre; solitudines frequentat, efficitque ut intemperantiæ abstinentia, divitiis paupertatis, licentiæ obedientia, indumentorumque magnificentiæ horror ciliciorum anteponatur. Lex hæc in nobis eosdem proculdubio operaretur effectus, si eodem charitatis ardore illam amplecteremur. *Idem.*

Lex Evangelica vitia radicitus convellit.

Veteres legislatores plurimas tulerunt leges; sed legibus hisce aliquod dumtaxat abstulere vitium, non omnem omnium originem exsiccarunt. Jesus Christus eos imitatus est, qui ut totam sylvam convellant, omnes arborum radices cædunt; cordis imas partes petiit, ibique vitiorum omnium radicem evulsit. Frustra torrenti obicem statuere conaris per agros late debacchanti; illius fons petendus est, & exhauriendus. Salvator ut humanorum affectuum torrentem cohiberet, oppugnavit ipsam cupiditatem, quæ est malorum omnium origo, eamque ea corde ejiciens, ibi charitatem constituit, quæ cum illa simul esse non potest. Moyses instituit leges, quæ vitium quidem evertebant, sed, ut Tertullianus ait, continebant nimis infirmæ charitatis præcepta: *Rudimenta charitatis balbutientis*; at Jesu Christi lex generalis, consummataeque charitatis præcepta, complectitur. Lex antiqua externos regebat actus, cædem vetabat, *non occides*, at secreta odia non extinguebat; Jesu Christi lex non prohibet solum odia, & ultionis desideria, sed injuriarum veniam præcipit, amari vult inimicos, & bonum reddi pro malo persequentibus nos. Denique lex antiqua detegebat malum, sed illius evitandi vim non conferebat, quod novæ legi reservabatur. *Essais de sermons pro Quadragesima, sermone pro secunda Dominica.*

Felicitas viventium sub gratiæ lege.

Nobis acceptabile hoc tempus, hi salutis dies contigerunt, de quibus Apostolus loquitur; sumus sub hac lege gratiæ, sub felicissima hac lege, quæ affluenter nobis remedia suppeditat, ut ab omni vulnere, quod peccatum infligit, convalescamus. Deus nequaquam tanta cum benignitate egit cum illis, qui Messiæ nativitatem præcesserunt. Plerique eorum, qui vivebant, antequam lex ferretur, in ignorantiæ tenebris versabantur, lumina quippe naturæ illis fere obscurata erant, cupiditas plerumque unica erat actionum eorumdem norma. Qui legis tempore vixerunt potuerunt quidem sua cognoscere officia, sed heu! ad quid illis hæc proderat cognitio, cum lex Moysis homini vim nequaquam tribueret ea faciendi, quæ noverat; Sua cognoscere officia, eaque non adimplere, nonne est nocentiorem fieri, quia majori cum cognitione peccatur? Cognoscimus viam, quæ ducit ad salutem; non necessaria solum, verum etiam ea omnia, quæ videntur optanda, suppetunt nobis auxilia, ut illam ingrediamur. Quænam gratia par huic, quam nobis Deus concessisti! ut nos inter tot alios distingueres, quamvis nihil in nobis esset, quod tantam mereretur misericordiam. *Ibidem pro Dominicis Tomo 2. Dominica infra Octavam S. Sacramenti.*

Gratia lex facilius adimplenda præ veteri.

Qui conqueruntur, sibi satis virium non esse ad legem explendam, aurem præbeant, satis est, hisce admirabilibus S. Augustini verbis de legis gratiæ præ Mosaica prærogativis. *Mutata sunt Sacramenta veteris Legis, mandata facta sunt pauciora, facta sunt faciliora, facta sunt feliciora.* Imminuta sunt legis mandata; quia soluti sumus fere infinita legalium observationum farragine, quibus premebantur Judæi; facta sunt faciliora; quia Jesus Christus majores, pluresque ad eadem explenda nobis contulit gratias; facta sunt feliciora; etenim Cœli portæ, quæ in veteri testamento clausæ erant, reseratæ sunt. *Ibidem pro Adventu Sermone* 1.

Quam venerari debeamus Evangelium, quod est Jesu Christi Doctrina.

Nos sumus filii, & discipuli Jesu Christi, quia novas nos effecit creaturas, nos suo regenerans sanguine, & quia venit, ut cœlestem doctrinam, quam a Patre hauserat, nos edoceret. Si igitur duas hasce admirabiles qualitates diligimus, easque respicimus tamquam totius dignitatis, gloriæque nostræ causas, quam pretiosus nobis esse debet hic liber; quia simul est divinorum magistri nostri institutorum congeries, ac testamentum, quo Patris nostri constituimur hæredes? Verum est legem novam, quam S. Paulus legem spiritus vitæ nuncupat, & quam semper legi antiquæ, tamquam mortis ministerio opponit, non esse simplicem novi testamenti litteram, sed amorem Dei, quem Spiritus Sanctus in fidelium corde scribit, tamquam viventem, interioremque legem, quæ illos proprie novi testamenti filios efficit, quemad-

nto-

modum illas Sanctus Augustinus appellat; sed certum quoque est interiorem hanc legem talem habere nexum cum exteriori, quæ in novi testamenti libro continetur; ut Sancti omnes illius consideraverint verba tamquam præcipuum instrumentum, quo utitur Deus in cordibus hanc amoris, gratiæque legem descripturus. Hinc illi non extremum inter Christianæ pietatis officia in hoc constituerunt, quod indesinenter eas meditarentur veritates, quas divino hoc in volumine nos docet Deus; quia non consideraruntverba illius tamquam a Spiritu Sancto separata, sed tamquam illius igne, unctione, & virtute repleta; quæ res efficit illa apta ad producendos in bene affectis animabus eosdem effectus gratiæ, quos populorum omnium conversione in universa terra pepererunt. *Ex præfatione Novi Testamenti.*

Christianorum negligentia legendi, & meditandi Evangelii.

Mirum esse non debet, si adeo crebro Sancti Patres conquerantur de Fidelium negligentia, qua munus adeo necessarium adimplent. Evangelium, inquiunt, est os Jesu Christi: sedet in Cœlis, sed jugiter loquitur in terra. Quomodo ergo se Jesu Christi servum audet vocare, qui scire non quærit, quid sibi ab eo præcipiatur; & quomodo præsto erit, ut obtemperet illi, si eumdem audire contemnit? Evangelii præcepta, (S. Cyprianus ait) sunt confidentiæ nostræ fundamenta, & pabulum cordis nostri. In lectione hac invenimus lumen, quo regimur, vim, qua roboramur, & remedia, quibus sanamur. *Ex eodem loco.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Si præceperat olim Deus populo suo, ut traditam a se legem indesinenter legeret, eamque interdiu, noctuque meditaretur; & si cœnobitæ teneri se putant sæpe eam, quam ab Institutore suo regulam acceperunt, legere; quomodo negligere possumus lectionem legis Jesu Christi, cujus verba spiritus, & vita sunt; quandoquidem per Baptismum Christianam Religionem ingressi, cujus Jesus Christus institutor est, Evangelium habere debemus tamquam regulam, quæ nobis illius aperit voluntatem, quæ promissionum illius certos nos facit, quæ nostrum in hoc mundo lumen est, & quæ in altero nos est judicatura? *Ibid.*

Quid evangeliorum liber nos docent.

Jesu Christi vita, quæ in hoc divino volumine descripta est, S. Augustinus ait, jugis est ad mores nostros imbuendos doctrina. In ægris, & energumenis, quos ibi curat, videmus quidquid in animarum nostrarum morbis, & curationibus accidit: & ut sciamus, quid necessarium sit, ne peccemus umquam, consideranda dumtaxat sunt, Patet hic addit, bona, quæ respuit, & mala, quæ pertulit; bifariam enim tantum peccatur; vel cupiendo quod ille contempsit, vel fugiendo quod ille dignatus est pati: *Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Ibidem.*

Tota lex nova, non secus ac vetus in duplici continetur præcepto: Deum ex toto corde, & proximum tamquam se ipsum diligendi.

Idem S. Augustinus, cujus spiritus æque humilis, ac sublimis majori perspicacia, quam alius quilibet, scripturæ mentem assecutus est, gravissimam dicit veritatem, quæ animabus minus perspicacibus maximum potest afferre solatium: hanc videlicet præceptorum, & mysteriorum multitudinem tot modis in sanctis Bibliis effusam, totam ad hoc unum referri præceptum, Deum nempe ex toto corde, & proximum tamquam nosmetipsos diligendi. Ad hoc justa ipsius Jesu Christi oraculum tota lex vetus, & Prophetæ referuntur, quibus omnia mysteria, omniaque novæ legis dogmata addi possunt. Amor enim, S. Paulo teste, est plenitudo, atque totius legis compendium. Hic amor, S. Augustinus addit, est veluti radix, & veritates omnes sunt veluti rami ejus, & fructus. Si non potestis comprehendere, ait ille, omnes hos ramos, quorum tanta extensio est, satis vobis sit radix, in qua omnes illi continentur. Qui amat, omnia scit, quia possidet finem, ad quem omnia referuntur; ne dicas te Scripturas assequi non posse; Deum ama, & nihil erit, quod non intelligas. *Illo tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus.* In eadem Præfatione.

Metus efficiebat, ut lex vetus observaretur, amor vero, ut nova.

S. Augustinus libro contra Adimantum cap. 7. ait utriusque testamenti discrimen duplici verbo explicari; amore, & timore, quorum hic ad veterem hominem, ille ad novum pertinent; hoc potissimum discrimen est. Nova enim lex illa est, quam Deus pollicetur se in spiritu impressurum, & descripturum in corde, & quam ibi scripsit conferens Spiritum Sanctum, qui charitatem effundit, ut veritati, ac justitiæ amorem conciliet. Itaque nova hæc lex efficit, ut ametur quidquid jubet; cum lex lapideis tabulis inscripta, hominibus eorum tantum ostendens officia, minas dumtaxat habeat, quibus sibi conciliet obedientiam. Discrimen hoc innuere voluit Apostolus in Epistola ad Romanos, cum ait; non accepimus spiritum servitutis, in timore adhuc vivamus, sed spiritum adoptionis filiorum Dei. Spiritus servitutis timor est; spiritus adoptionis amor. Timor efficit servos, amor filios. Judæi, qui nonnisi propter supplicii metum operabantur, servi erant; christiani, qui amant, veri sunt filii. *Ex libro, cui titulus, Moralis Theologia S. Augustini.*

Discrimen aliud inter gratiæ legem, & scriptam.

Discrimen hoc in eo positum est, quod nova lex in corde per Spiritum Sanctum scripta, regit sensus interiores; lex vero lapidibus insculpta minas dumtaxat habens, quibus sibi conciliet obedientiam, exteriores adsummum actiones regere potest. Timor cor ipsum immutare non potest, externa dumtaxat potest moderari, & vim inferre inclinationi, ut fiat, quod minime vellet, vel etiam oppositum illius, quod maxime vellet; ita ut qui extrinsecus coactus patet, intrinsecus parere detrectet; si actiones, & verba sunt legi conformia, cordis sensus contrarii sint, si os, manusque obediunt, spiritus repugnet. Hoc Judæis exprobravit Dominus, cum per Prophetam ait: Populus iste labiis me honorat; cor autem ejus longe est a me. *Idem.*

Diversæ legis utriusque promissiones.

Generales duæ hominum regendorum rationes sunt metus, & spes; ideoque lex vetus non minas dumtaxat adhibebat, ut sibi conciliaret obedientiam; verum promissiones etiam addebat; sed temporalium bonorum promissiones pro hominibus carnalibus, rudibusque, nil aliud optantibus. Ita cap. 23. Exodi ut populum hunc ad legis nuper latæ observantiam inducat, illi omnia pollicetur prospera, valetudinem, vitæ diuturnitatem, filiorum frequentiam, omnium, quæ ad victum necessaria sunt, affluentiam, & præsidium contra hostes eorum, ut tranquille bonis omnibus perfrui possent. E contra Dei Filius *Matth. 4.* pœnitentiam prædicare incipiens de Regno cœlorum tantummodo loquitur, atque ut homines intelligerent quantum vellet a fidelibus totam hanc temporalem felicitatem contemni, quin hæc ab illis tamquam virtutis merces appeteretur, pulcherrimum illum sermonem, quem in monte habuit, ita exorsus est: *Beati pauperes spiritu; Beati mites; Beati qui lugent &c. Matth. 5.* & apud Sanctum Lucam profert: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis: væ vobis qui ridetis; væ cum benedixerint vobis homines. Luc. 6.* In hac vita nihil sperandum proponit præter adversa, ærumnas, persecutiones, & nihil eorum, quæ videntur, a nobis patitur amari. *Idem.*

Sæpe conquæruntur prætextus ad Evangelica dogmata eludenda.

Hominis spiritus ultro eas imminuit veritates sibi incommodas, & quærit lenimenta ut præceptorum veritatem eludat. Suæ confidit nobilitati; ineptas comminiscitur distinctiones; atque inter vera officia inane decorum adnumerat. Quæ austera præcepta sunt, in infirma consilia mutat; & errata sua excusare contendit Dei ipsius verbo, quantumvis illud sanctum sit, & immutabile. Sed lex vivens, actiones videlicet Filii Dei, regulæ sunt, quæ per se facile explicantur; & quemadmodum negari nequit, Jesum Christum semper humilem fuisse, ita negari non potest, quo minus Fidelis incessanter se ipsum humiliare teneatur. *Flechier sermone pro die Cœnæ.*

Apostolorum doctrina sublimis erat.

Apostoli hominibus sublimem annuntiabant doctrinam, quæ humanam superabat naturam; nihil terrestre dicebant, & cœlestia tantummodo loquebantur: regnum prædicabant, de quo nondum sermo cujusquam auribus acciderat. Alias opes, aliamque pauperiem detegebant, aliam libertatem, aliamque

servi-

servitutem; aliam vitam, mortem aliam; mundum novum, & novam vivendi rationem; ac denique mutationem, & quamdam veluti novam, & generalem rerum omnium instaurationem. Quam maxime aberrant vel a Platone, qui ridiculæ Reipublicæ delineavit imaginem, vel a Zenone, vel ab aliis Philosophis, qui varia imperiorum, & rerum publicarum systemata proposuerunt, & qui populorum legislatores esse voluerunt. Oculos satis est in eorum scripta conjicere, ut liqueat, illos a dæmone fuisse animatos, qui tantas mentibus eorum tenebras offudit, ut per eos universum rerum ordinem perturbaret, sanctissimasque naturæ leges everteret. Attamen Philosophis integrum erat tunc proferre placita sua, quin vel persecutiones, vel pericula metuerent, & conabantur illas commendare, nullum prætermittentes eorum, quæ ex eloquentiæ fontibus haurire poterant, ornamenta. Evangelium e contra, quod a pauperibus tantum, atque piscatoribus terris in omnibus exagitatis, atque mancipiorum loco habitis prædicabatur, repente summa cum reverentia a doctis æque, & indoctis, a militibus, atque principibus, verbo a Græcis, & Romanis, atque a populis barbaris exceptum fuit. *Ex D. Chrysostomo.*

Evangelii doctrina facilior præ Philosophica perceptu, quamvis eadem sublimior sit.

Hi Philosophi, qui moralis disciplinæ magisterium sibi vindicarunt, ut homines bene vivendi rationem docerent, præter licentiam, quam invexerunt, scripta sua tot tenebris, tantaque caligine repleverunt, ut vix, ac ne vix quidem intelligi possint. Aliquidne magis ridiculum est, quam integra, ut faciunt, replete volumina, ut explicent, quid sit justitia, atque hoc pacto sermones suos obscurissima impediant obscuritate, ex qua emergere nequeas? Quamvis etiam aliquid boni inveniretur, hæc tamen obscuritas illos ad hominum vitam regendam inutiles efficeret. Nihil simile est in Evangelii præceptis. Jesus Christus nos hic docet, quod justum est, honestum, utile, & generatim, quidquid virtuti maxime necessarium est, paucis verbis, perspicuis, & quæ facile ab omnibus intelligantur; veluti cum ait, legem totam, atque Prophetas in duobus mandatis consistere, videlicet in Dei, & proximi dilectione; vel cum hanc nobis regulam tradit: *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* Matth. 7. Nullus est agricola, nullus artifex, nulla adeo simplex fœmina, vel ita humani sensus expers, quæ sine labore hæc præcepta non intelligat, & hæc eadem perspicuitas nota est, & quodammodo veritatis character. *Ex eodem.*

Sanctitas dogmatum Evangelii eorum veritatem illorum probat.

Omni tempore tamquam certissimum veritatis Religionis nostræ argumentum habita fuit dogmatum ejusdem puritas. Etenim quantumvis justi, ac perspicaces fuerint insignes illi legislatores, quos Roma, atque Athenæ jactitant, semper tamen aliqua in re leges eorum visæ sunt deficere, quod ab humani cordis corruptione separari non potest; cum e contra novæ legis præcepta quamdam habeant sanctitatis notam, atque eam perfectionem, animique magnitudinem præseferant, quæ Christianismum tantummodo deceat. Sensibilibus abrenunciare bonis, quibus in terra stipati sumus, caliginem, contemptumque sectari, in mortali corpore angelicam vitam ducere a terrenis voluptatibus abhorrentem, ultro sese hominis voluntatibus subjicere, hujus sunt characteres; & idololatræ, æque ac Hæretici non semel, inviti licet, eorum admirari debuere præstantiam. Ita pleræque virtutes, quas docet Evangelium, antiquos fefellere Philosophos; & Socratis schola, quæ falsam externam voluntariæ paupertatis speciem fuerat assecuta, & quæ sæculi honores se contemnere profitebatur, humilitatis, & amoris Inimicorum nomina ignoravit. *Desumptum ex manuscripto sermone P. Stephani Chamillart.*

Officia quæ lex Evangelica nos docet.

Lex Evangelica homines conjungit vinculis ejusdem fidei, ejusdem spei, & ejusdem charitatis; præcipit, ut potestatibus pareatur, ut Cæsari, quod Cæsaris est, reddatur, & Deo, quod Dei est. Docet, superiores vereri, inferiores cum humilitate pati, cum paribus servare concordiam. Parvulorum opponitur cupiditati, & ambitioni magnatum, hominem attollit, eique naturæ ipsius præstantiam ostendit; quin vanitatem inspiret; illum humiliat, efficitque, ut totum suæ infirmitatis pondus sentiat; quin aliquid de illius dignitate, & magnitudine imminuat; vitio virtutis nomen aufert, & virtuti nomen vitii; fallacia philosophiæ, educationis, decorique mundi hujus placita corrigit. *In collectione orationum Academiæ Gallicæ oblatarum anno 1703.*

Lex Evangelica lex est gratiæ, & lenitatis.

Lex hæc adeo lenis, & sancta nequaquam nobis ut olim Judæis inter fulgura, & fulmina tradita fuit; neque pro nobis, ut pro illis, lapideis insculpta fuit tabulis, quæ obdurationis eorum erat figura: sed cælata fuit in cordibus nostris digito ejusdem Dei, characteribus amore refertissimis. Neque hanc populis annunciari voluit per Prophetam, qui faciem haberet terribili legislatoris sui majestate coruscantem, sed per unigenitum suum, cujus gloria naturæ nostræ infirmitate quodam quasi velamine tegebatur. Lex illa, quæ erat fœderis antiqui vinculum, minis perterrebat, at ea, quæ novæ legis fundamentum est, præmiis, quæ proponit, cor illicit, & trahit. Homo Deus, qui illam nobis proponit, ipse etiam toto vitæ suæ spatio fidele præbuit exemplum, ac infirma, quibus usus est, instrumenta, ut eamdem in omnem terrarum orbem effunderet, satis probant, & magistri auctoritatem, & facilitatem, quæ in præceptorum suorum observatione invenitur. *Ibidem.*

Negligentia, qua legem & Evangelii dogmata discimus.

Fidelium plerique, quin ostendant, se operam dare, ut de mysteriis, ac Jesu Christi lege edoceantur, illam conantur evellere. Prophanos dumtaxat libros legunt, sanctos vero negligunt. Qua cura amatoriæ fabellæ, qua incuria Evangelia leguntur? Qua alacritate ad spectacula, inanesque sæculi oblectationes festinatur, quo tædio nonnumquam mens contemplationi Jesu Christi, & legis ejusdem admovetur? Christianus, qui Jesum Christum cupit agnoscere, ullamne elabi diem pati deberet, quin legis lectione suam pasceret mentem? Nomen illius gerit, ac in speciem quidem ejus vexilla sectatur; at sequiturne dogmata illius? Leges ejusdem conatur adjicere? lectionibus ejus studet? doctrinam ejus exercet? Vix, heu, ad hæc animum appellit, cum illa fastidit; vix oculos conjicit in libros, in quibus extremæ Jesu Christi voluntates continentur, cum illos steriles, tædiique plenos nanciscitur. *Ex manuscripto sermone de obligatione credendi, & imitandi Jesum Christum.*

De Christianæ legis præstantia.

Jesus Christus secum tres ex Apostolis suis assumpsit, eosque in altum montem adduxit. Sublimis hæc altitudo, Sanctus Augustinus ait, signum est sublimitatis doctrinæ illius, atque præstantiæ novæ legis. Et profecto lex ista toto cœlo sublimior est, quam lex Ethnicorum, quia toto cœlo eadem est sanctior, Christianæ legis principium Deus est; lex ista de cœlo venit per æterni Patris vocem de nube egressam significata: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matth. 17. Ethnicorum leges noxiæ erant, & vitia probabant; sed lex Dei damnat crimina, & probat virtutes, quas præcipit. Ethnicorum leges ab hominibus tantum ferebantur, sed Christianorum lex a Jesu Christo lata est. Hæc igitur in principio suo sanctior est. Sanctior quoque est quam lex Judæorum, quæ non aliud erat, quam veritatis umbra, & per circumstantias suas id significabat, quod in se lex Christianorum complectitur. Principium ejus sanctum erat, ideoque nonnisi bonos parere poterat effectus: sed Jesus Christus eadem sanctitas est, ideoque nonnisi sanctas leges ferre poterat. *Ex alio manuscripto sermone.*

Ejusdem argumenti.

Leges, quas Philosophi ferebant, in manibus tantum, non autem in cordibus operabantur; & rationem dumtaxat formabant, & dirigebant; sed Jesu Christi lex reformavit corda, ac infinitos homines convertit. Quæ igitur comparatio inter horum Philosophorum, & Jesu Christi leges? Imo neque ulla institui comparatio potest inter hanc, & Moysis legem. Moysis quidem lex terroris erat, ideoque inter fulgura, ac tonitrua lata; lex autem Jesu Christi cum summa lenitate lata fuit, & nihil nisi mansuetudinem inspirat; ideoque amoris, & charitatis lex appella-

appella,

pellatur. Lex Moysis erat imperfecta, Jesu Christi vero lex non perfecta solum est, sed eos, a quibus servatur, & exercetur, ad summum perfectionis apicem adducit. *Idem*.

Christiani Jesu Christi legem non servantes, sunt Ethnicis deteriores.

Videmus in Evangelio, Dei filium profiteri, eos, qui neque doctrina sua, neque operum fulgore moti in peccatis suis permansissent, ipso in terris docente, gravioribus puniatum iri suppliciis, quam nocentissimum quemlibet ex numero gentilium: Tyrum, Sidonem ac Sodomam extremi judicii die mitius exceptum iri, quam Corozaim, & Bethsaidam; quibus saluberrimum Evangelii lumen tanto cum nitore refulserat. Animo tecum reputa, quid Dei Filius aliquando cum gloriæ suæ majestate ad terrarum orbem judicandum descendens dicere poterit fidelibus, qui suam legem neglexerint, eamque impune violaverint. Miseri! quid faciendum erat, ut ad bene vivendum induceremini, quod incredibili cura non præstiterim? non naturæ tantum vobis, ut Ethnicis, librum aperui; non legem meam solum, ut Israelitis, obtuli: sed Evangelium meum vobis revelavi; ego ipse in terras descendi, ut vos erudirem; vobis secreta mea aperui, ad vos Apostolos meos misi, qui in universo mundo legem meam enunciarunt: vobis Ecclesiam, pastoresque reliqui, qui hanc vobis legem explicuerunt, qui de voluntatibus meis vos erudierunt, & qui salutis vestræ curam gesserunt. Quis igitur vos cepit furor, ut rebellaretis contra legem hanc tot laboribus constitutam, totque miraculis confirmatam? Defuerunt ne vobis documenta, exempla, & rationes, quibus excitaremini, ut fideles essetis? *Capharnaum, Capharnaum*, dicebat olim hic idem Salvator; *Numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes*, *Matth.* 11. *& Luc.* 10. innuens, ruinam illius dignitati ejusdem parem futuram, & quo altera fuerit eminentior, alteram graviorem futuram. Christiane, terribiles has Filii Dei minas tibimetipsi applicare debes. In cælum usque elatus fuisti propter magna bona, quibus cumulatus fuisti; propter sublimem cognitionem divinæ legis, quam per evangelium didicisti; propter cœlestem hanc revelationem, quæ tibi omnia hæc mirabilia detexit; tu vero his abusus es, tu legem contempsisti, tu de eadem erudiri neglexisti. In infernum usque detraheris, & eo gravius tuum erit exitium, quo major tua fuit exaltatio. *Ex Anonymo Auctore*.

De illis qui Evangelii leges mitiores student efficere.

Nonne verum est, plerosque fidelium credere, Deum esse indulgentem, & spiritum, legesque illius cum spiritu, legibusque mundi conciliari? Palam se Christianos esse affirmare, sed sæculi vanitates consectari: Dei quidem evangelium amplexos fuisse, at vitam Evangelio prorsus oppositam ducere: *Bellant adversus Evangelii præcepta*, ut loquitur Salvianus. Sacris illi intersunt mysteriis, at a spectaculis, ludisque minime abhorrent; discunt Evangelium, sed abdicatas Sathanæ pompas non deserunt. Se bonos Christianos esse jactitant; at quid hoc rei est? nonne hoc est sibi ad arbitrium legem, Evangeliumque concinnare? *Sermo Manuscriptus*.

De turbis, & mutationibus, quæ per occasionem prædicationis evangelii acciderunt.

Cum illum consideramus statum, ad quem mundus redactus est propter turbas, ac dissensiones, quæ per occasionem Evangelii obortæ sunt, nullam invenimus imaginem, qua aptius id valeat explicari, quam statum, in quo mundus fuit, cum nondum ex chaos emerserat. Terra informis erat, & vacua; vitæ principia cum principiis mortis pugnabant; lumen tenebris erat immixtum. Ibi nullus erat ordo, sed mera confusio. At Dei spiritus movebatur super faciem abyssi, omnibusque præterat confusionibus, necnon secundas præparabat causas, ut ex tenebris lumen, & ex belli sinu pacem, & hunc universum orbem adeo perfectum, & elegantem ex horrore, & confusione educeret. Talis fuit status humanæ societatis per Evangelii occasionem: omnia tunc turbata, confusaque sunt; lumen contra tenebras pugnavit; vita cum morte commixta fuit. Cœlum in terram decertavit, & ignis Spiritus Sancti cum carne, & sanguine commixtus fuit. In familiis, rebuspublicis, & imperiis oborta discordia est, omniaque ibi susque deque perturbata fuisse videntur &c. *Liber cui titulus, Charactères Christiani*.

Præstantia moralis evangelicæ.

In reliquis omnibus Religionibus aliquid rationi tribuitur, multum effectibus, & fere omnia naturæ; dummodo externa species servetur, & publicæ felicitati, ac tranquillitati consulatur, omnia sapientia, perfectique legislatoris munera adimpleta fuisse creduntur. At ne mireris; homines sunt aliis hominibus leges irrogantes; leges idcirco, quæ ex adeo infirmo, corruptoque principio fluentes, numquam altius assurgere possunt fonte suo, neque hominem ad eminentem illam perfectionem attollere, ad quam potest pervenire. Quisnamquam ex eorum numero docuit, se ipsum abnegare, & odisse? suum amorem, preces, & beneficia in illos effundere, qui sunt naturalia sui odii, atque abominationis objecta, videlicet in inimicos suos? Jesu Christi doctrina unica fuit, quæ ad cor ipsum pertingere potuerit; ut juberat Christianos sua suffocare odia, suos amare inimicos, pro persequentibus preces effundere, & pro maledictionibus benedictiones rependere. Hoc summa vi, & eloquentia in Apologetico suo Ethnicis Tertullianus ostendebat. *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo* 8.

Quilibet sibi morum disciplinam suo ingenio concinnant.

Quænam Dei ignorantia in mundo videtur? Nam licet ille aperte suam in Evangelio proferat sententiam de divitiis, mortificationibus, crucibus, pœnitentiis, nihil tale tamen auditur. Quod præceptum est, consilium putatur; & quod salutare consilium est, imbecillitas existimatur. Nihil credi vult, quia nihil vult fieri: omnes suo sibi ingenio morum disciplinam concinnant, atque studiis suis conscientiam accommodant; quilibet peculiare sibi Evangelium componit, juxta quod in oculis quidem suis salvatur, in oculis vero Dei condemnatur. Terribilis quidem hic status est, ac jugibus lacrymis deflendus. *Auctor Anonymus*.

De evangelii præceptis, atque consiliis.

Consilia nonnumquam transeunt in præcepta: exempli gratia; avarus divitias amat, illas possidere non potest, quin ab illis possideatur, & quin affectuum omnium turpissimo pareat: nonne huic præceptum est, esse pauperem, & eam, quam superare non potest, a se amovere tentationem? Alius in mundi hujus consuetudine suam servare nequit innocentiam, & conscientia sua ibi lethalibus confoditur vulneribus, quin convalescere possit; nonne inevitabili tenetur officio mundum relinquere, abditamque vitam traducere? Quidam magistratum obtinens sibi tantum vitium deesse cognoscit, quantum satis est, ut principum virorum favori obluctetur, cum jus sibi dicendum est; nonne cogitur ea se abdicare provincia, quam citra interitum suum obtinere non potest? Mercator sine dolo, & fraude mercimonia sua nequit exercere; nonne eam vivendi rationem relinquere debet, quæ saluti suæ erit obfutura? Peccator omni indiget pœnitentia, atque austeritate cœnobitarum, ut divinæ satisfaciat justitiæ, utque sua expiet peccata; diceine quispiam Dei voluntatem non esse, se inter claustra confugere, & hanc tabulam amplecti, quæ sibi jamjam naufragium facturo præbetur, sine qua periculum evitare non poterit? *Abbas Trappensis in explicatione regulæ S. Benedicti*.

Evangelica doctrina nonnihil divini habet, & probat auctoris divinitatem.

Doctrina, quæ in Evangelio continetur, ita admirabilis, sublimis, fortis, & ad persuadendum efficax est, ut vel una hæc consideratio pertinacissimum quemque de auctoris ejusdem divinitate debeat persuadere. Etenim si spectetur quo scientiæ genere Dei filius repleat animas doctrinam hanc recipientes, hæc ita super omnia humanæ rationis lumina elata est, quod tantum abest, homines per se illam assequi posse, ut e contra confundantur, ac stupore quodam capiantur, cum illa ipsia proponitur. Simul collige acutissima philosophorum ingenia, quæ in antiquitate floruerunt, ac illis dic, in paupertate latere thesaurum, qui magis præstat, quam omnium mundi imperiorum possessio; omnesque mundi opes negligendas esse, & conculcandas; ad

contentam, beatamque vitam ducendam abdicandum esse omnium creatarum rerum amorem, omnibusque sensibus maxime naturalem singulorum oblectationem negandam; jugiter in corporibus crucis mortificationem ferendam, in anima quoque ferendam crucem interiorem acerbissimæ desolationis; atque in his verum, solidumque solatium inveniri: adde altissimum gloriæ cumulum in profundissima contemptus abysso latere, ac melius esse ibi delitescere, quam regio insidentem solio fulgere. Illis dic tandem, nihil in vita suavius, quam memoriam, & spem mortis, nihilque optabilius unquam posse contingere, quam pro Deo vitam, & sanguinem effundere. Contende illis omnes has veritates probare iis rationibus, quas maxime validas, ac efficaces invenire poteris, & in uno hoc labore integros annos impende; tandemne votorum summam assequeris, ut adeo mirabiles veritates illis persuadeas? At tamen Jesus Christus illas persuasit sublimioribus ingeniis, innumerisque ex qualibet conditione mortalibus, idque paucis, simplicibusque verbis, & quin rationem ullam adferret. Quid efficit, ut doctrina adeo sensibus, humanæque rationi contraria concipiatur? Unde fluunt lumina hæc a generali hominum sensu adeo remota? Quam igitur auctoritatem secretamque potentiam habet iste, qui illam proponens effecit, ut reciperetur? Quis non confitebitur, hunc nequaquam esse hominem ut cæteros, immo neque solum magnum aliquem prophetam; sed ipsum Deum prophetarum? *Ex Theologicis Collationibus P. d'Argentano Capuccini Collatione sexta, artic. 7.*

Vis, quam inspiravit Deus tot mortalibus ut evangelii doctrinã exercerent, ostendit hanc a Deo esse.

Ad hæc quisnam alius præter Deum humanam confirmare potuit infirmitatem, & innumera mortalium cujuslibet conditionis turba eo usque, ut doctrinæ huic conformem vitam ducerent in statibus adeo supra naturæ vires positis, ut tamquam totidem miracula valeant haberi? Quot visi sunt monarchæ pedibus coronas conculcare, ut amplecterentur paupertatem, in qua aliquid deprehenderunt omnibus mundi hujus divitiis pretiosius? Quot visi sunt homines nobili genere orti, quorum infirma, gracilisque erat natura, a voluptatibus, quas affluenter illis mundus suppeditabat, divelli, ut hi quidem in desertis, illi vero in cœnobiis vitam in austeræ pœnitentiæ rigoribus penitus ducerent crucifixam? Quot alii gloria, & honore in sæculo renidentes harum vanitatum tædio affecti fuerunt, ac non ignorantes in istarum rerum contemptum aliquid toto cœlo majus elucescere, ultro sese subjecerunt; alii quidem in ignotas regiones concedentes ad evitandum fulgorem, quem illis virtus sua conciliaverat; alii vero in horrentibus speluncis delitescentes, ut seipsos annihilarent, hominumque fallerent cognitionem; qui autem præclaram nacti sunt occasionem vitam suam pro Deo sacrificandi, hi alacriter ad supplicia confugerunt. Quis dubitare potest, utrum hæc fortitudo, hæc constantia, & hoc consilium argumenta sint divinæ virtutis illis inspiratæ, qui evangelicas exercuere veritates, quandoquidem in religionibus aliis nihil tale videtur? *Idem.*

De morum puritate, quam postulat evangelium.

Inter christianam, aliasque religiones plura intercedunt discrimina; illud vero quod ad mores attinet, potissimum est, quod christianismus, vel lex evangelica omnino damnat peccatum. Ethnicorum religio, quæ antea longe lateque diu dominata est, ea probabat, permittebatque scelera, quæ natura perhorrescit. Non defuere idololatræ, qui pietatis erga parentes suos senio effœtos trucidabant; & apud Ethnicos hoc dogma vigebat, Diis nihil humano sanguine antiquius; ideoque eisdem humanis victimis litabatur. Adde his furta, & adulteria, quæ Lycurgi, & Platonis leges patiebantur. Verum; hoc mirum esse non debet: religio, quæ Deos inhumanos venerabatur, fures, impudicos, hominibus nonnisi vitia præscribere poterat; quapropter S. Cyprianus ait: *Deos suos, quos venerantur, imitantur; fiunt miseris & delicta religiosa. Ex Christianis cogitationibus sub finem.*

Christiana lex omnia peccatorũ genera damnat.

Una christiana lex generatim, & singillatim omnia improbarum actionum genera damnat, christianismus enim, ex S. Gregorii Nysseni sententia, imitatio Dei est, cujus voluntas cum essentialiter recta sit, ipsaque rectitudo, cum vitiis, & flagitiis subsistere nequit. Ita lex hæc non insignia tantum damnat peccata, sed levissimas etiam actiones prohibet, quæ recedunt ab ordine; minima verba, quæ vel parum charitatem, atque modestiam lædunt, paulo liberiores obtutus, gestus etiam, & oris habitus, qui proximum lædere, vel illis scandalum afferre possunt. Cædes in veteri quidem lege prohibebantur, sed in nova, iræ furor, acre verbum, dicterium, vox indignabunda totidem mala sunt, quæ nos coram Deo nocentes constituunt. Quid dico! ipsa etiam officiosa verba, quæ a veritate recedunt, officiosa mendacia, quæ ex bono principio profecta videntur, & quæ non iniqua intentione proferuntur, christiano interdicta sunt; quia in illis non deest aliquid inordinatum, & quia omne mendacium est contra legem naturalem. Ipsa etiam vana, inutiliaque verba pro peccatis in christiana religione censentur, quamvis neque contra charitatem sint, neque vel modestiam lædant, vel veritatem; de illis ratio reddenda erit judicii die, quia neque ad æquum, neque ad christianum finem relata fuere. *Ibidem.*

Nihil prætextus quibus ab evangelicis legibus se homines dispensant.

Explodendi sunt inanes illi omnes prætextus, quibus innixi homines secum dispensant ab iis officiis, quæ christianæ religioni sunt maxime necessaria. Putatisne genus, famam, opes, potentiam, consuetudinem legitimas esse coram Deo excusationes ad luxum vestium, immodestiam, superbiam, impudicitiam probandam? Nobiles viri, matronæ hujus sæculi censetisne, a Deo probari has legis permutationes, ac imminutiones; has divisiones, & exceptiones in leges; has negligentias, & omissiones legis; has fucatas, palliatasque legis transgressiones; hos legis contemptus, & prophanationes, quas, vel criminosa gracilitate, vel ambitiosa negotiorum multitudine, vel commentitiis distinctionibus probare contenditis? *In specimine Panegyricorum pro die Purificationis.*

Lex evangelica servanda est, quia vel in minimo deficiatur.

In morum disciplina, quatenus ad salutem spectat, idem ac de fide sentiendum est. Unicum religionis punctum, quod minime credo, infidelem me penitus facit; & unicum legis punctum, quod minime servo, me omnino nocentem, ac dignum morte constituit. Neque obtrectator, neque ad ultionem pronus es; bene est; igitur non ultio, neque obtrectatio te damnabit: sed fortunæ tuæ thus adoles, & quocumque pretio contendis assurgere; tua te perdet ambitio. Charitatem exerces; æquus, & integerrimus es; at vitam mollem diligis; reprobationis tuæ causa non erit tua erga eos, qui laborant, sævitia; non doli, ac versutiæ, neque cupiditas tua; sed inertia, & mollities. Donec his uti volueris exceptionibus, evangelicam legem non servas, neque particeps eris ejus præmii, quod fidelibus illius observatoribus promissum est. *P. Giroust Tomo 1. Sermonum de sanctis salutis desideriis.*

Elogia Divinæ legis.

Inæstimabilis felicitas est hanc legem cognoscere; certa enim vitæ via est, ac Deus ingentem illis retribuet mercedem, qui eamdem servaverint. Pura est, quippe emanatio quædam est divinæ sanctitatis; vim habet animas convertendi; lampas est ad vitæ eos deducendos, qui inter mundi hujus tenebras ambulant. Dei lex sapientiam parvulis tribuit, perfectis coronam impertit; æternæ felicitatis aditus est, & janua. Optimo igitur jure illam amabat Salomon plusquam valetudinem, & pulchritudinem corporis: recte igitur ratiocinabatur David, cum illam auro, argentoque præferebat, cum illam præ lapidibus pretiosis diligebat, cum illam super mel, & favum dulcem esse profitebatur, cumque illam tota die meditabatur. Nonne igitur insaniæ cumulus est ita vivere, uti vivo, in utilissimæ legis hujus oblivione? Nonne consilium suscipere debeo illam integerrime servandi non solum quidem juxta

verbo-

verborum superficiem, verum etiam secundum omnem sensus, quem continet, extensionem? Nonne esse debet gaudium, & consolatio mea, quandoquidem est principium meæ felicitatis? *Liber cui titulus: Vera orationis idea, pars prima, cap. 3.*

Sæpe verbo & affectu Evangelicis dogmatibus renunciamus.

Palam profitemur nos in Jesum Christum credere, nos credere Evangelio; omnes illius veritates certissimas esse; & christianus perhorresceret aliter sentire; sed ita cogitantes, & loquentes generaliter, particulariter oppositum dicimus, & cogitamus. Testatur Apostolus non deesse, qui se Deum quidem agnoscere profitentur, sed qui factis eumdem negant; & quod magis adhuc deplorabile est, illum non factis solum, sed ipsis etiam vocibus negant. Iterum dico; Deus verbis etiam negatur: animus enim advertatur ad ea, quæ passim a plerisque fidelibus in colloquiis, sermonibusque dicuntur, illos apparebit sensus proferre Evangelicis, & Jesu Christi dogmatibus prorsus oppositos. Ubique cum laude sermo auditur de nobilitate, voluptatibus, divitiis; ubique illi, qui hæc possident, beati existimantur, & miseri, qui in paupertate, contemptu, & dolore versantur. *Boudon, in Christiano ignoto.*

Christiana lex nullius vitii potest insimulari.

Insigne mendacium esset, ac manifesta calumnia christianam legem vitii alicujus redarguere; quandoquidem illa ipsum etiam desiderium, & criminis cogitationem condemnat. Ignorarine potest, quam cordis puritatem efflagitet? Cuinam vitio illa velificari dici potest? Ullumne in tota vita momentum est, quod a virtutis exercitatione vacuum velit, quod a necessitate Deo placendi dispenset? Ullumne est, quo Deo injuriam inferri permittat? *P. Croiset, in spiritualibus considerationibus.*

Qui in mundo vivunt ab evangelicarum legum observatione soluti non sunt.

Non extrema fraus, qua utitur Dæmon ad eos fideles perdendos, quos conditio sua in mundo vivere cogit, fallax est persuasio, qua putant Evangelii quidem præcepta illis optima esse, qui religiosæ vitæ nomen dederunt, vel qui in deserta concesserunt, ut in solitudines quiete servirent Deo; non autem illis, qui in mundi hujus luce versantur, ac publicis muneribus perfunguntur; quippe magnis onusti familiis, temporalibusque negotiis impediti; quibus indesinenter propemodum detinentur, Deo, uti opus esset, vacare minime possunt; familiæ curæ, & necessitas filiis suis pro generis, & conditionis dignitate consulendi illos a plurimis dispensant officiis, quæ illi facile obire possunt, qui latent; atque ita sibi persuadent, sibi vitio vertenda non esse plurima delicta, quæ eo in quo statu sunt, operantur. Error, & illusio! *Ex morali in Pater noster.*

Cur liber novam legem continens Evangelium dicatur.

Liber hic dicitur *Evangelium*, hoc est, bonum nuncium; omnibus enim improbis, impiis, inimicis Dei, cæcis in tenebris, & mortis umbra sedentibus annunciat liberationem a pœnis, veniam peccatorum, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem filiorum Dei, regni illius hæreditatem, & gloriam evadendi in unigeniti filii ejusdem fratres. Num potiora, majoraque his nuntiari possunt? Deus in terra, & homo in cælo; mirabilis rerum omnium commixtio. Quodnam spectaculum majus, atque divinius, quam æque verus, ac mundum ipsum, bellum repente cessare; Deum cum hominibus reconciliari; Dæmonem confundi; mortem vinci? Paradisum reserari; maledictionem destrui; peccatum eliminari, & præsentium bonorum possessionem spe futurorum in nobis confirmari? Jure igitur maximo Evangelii nomen sacræ huic historiæ tribuitur. *Ex primo Sermone S. Chrysostomi in S. Matthæum.*

Unus Dei filius esse debet hominum Doctor.

In se ipso fallendo industrius sane est, qui inter evangelii lumina, & in Ecclesiæ sinu dicit, nos nequaquam satis eruditos esse de veritatibus illis, quæ a nobis sunt credendæ, deque officiis, quæ a nobis sunt obeunda. Non satis fuit Deo loqui per os prophetarum, sed misit ad nos filium suum, qui docuit, ac doctrinæ suæ certitudinem exemplorum suorum sanctitate firmavit. Magister nobis opus est æque certus, ac innocens; cui tuto credere, & quem imitari possimus sine periculo vel errandi illi credentes, vel peccandi illum imitantes. Hic igitur Deus, homo factus, se nobis visibilem, ac sensibilem præbuit, ut facilius intelligeretur. Increata sapientia caro facta est, S. Bernardus ait, ut a carneis hominibus intelligatur; *Ecce tibi in carne exhibetur sapientia.* Deus hic caro factus in terris versatus adorabili ore suo tamquam divino fonte protulit verba vitæ, æternas evangelii sui veritates continentia &c. *Specimen Sermonum pro Adventu Sermone quarto.*

Stupor Judæorum cum primum audiere Jesum Christum prædicantem.

Quinam fuit Judæorum stupor, cum viderunt Salvatorem de cathedra primum loquentem? Sacerdotes dumtaxat, Pharisæi, Doctores legis, homines altarium ministerio devoti exedras conscendere consueverant; at repente homo trigesimum natus annum, qui hactenus habitus fuerat pauperculus ex populo, aliis ex ima plebe similis, faber, qui numquam scholas frequentare visus fuerat, neque alios docendi negotium suscipere, sed semper manuum suarum laboribus sibi victum comparare; repente inquam, Cathedram conscendens se prædicare velle innuit. Omnes undique confluunt; & cupidi audiendi, quid homo iste dicturus sit; nonne hic faber lignarius, inquiunt; nonne hic est filius Joseph, quem bene novimus? Cur mens illi palam loquendi, aliosque docendi, cum litteras ipse numquam didicerit? Traditur illi Scripturarum liber, quo aperto cum in illum incidisset Isaiæ Prophetæ locum: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: Isaiæ 61.* librum claudit, ac disserere incipit: Vos in me hodie vaticinium hoc adimpleri videtis; ego ad vos de cœlo missus sum tamdiu vobis promissus. Illos deinde etiam atque etiam cohortatus est ad pœnitentiam, uti in S. Matthæo refertur: *Cœpit prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Matth. 4.* Insectantem contra morum flagitia invehitur, quo audito omnes obstupescunt, atque vix sui compotes videntur, audientes divina oracula ex ore hujus hominis proedeuntis, quem hactenus illiteratum, rudemque crediderant, ac nescientes, quid sibi credendum de homine; qui repente ex fabri taberna egressus se Messiam a lege, atque Prophetis promissum ferebat, & qui ideo ab omnibus pro magistro, & genuino doctore admittendus erat. *P. de Argentano Capucinus collatione tertia.*

Ex evangelio li[illegible] da ea sunt, quæ nobis ad salutem sunt necessaria.

Ex divino hoc volumine hauriendum nobis est quidquid ad fidem, bonosque mores pertinet, & aquæ omnes ex hoc fonte non fluentes habendæ sunt tamquam rivuli veneno imbuti. Ita quemadmodum *veritas Domini manet in æternum*, quidquid hac lege vetitum fuit, numquam licere potest, quin recentem constituamus doctrinam, quæ procul dubio lenior, & commodior esset, sed tuta minus, magisque periculosa; legi huic hæreamus; videamus quid jubeat, quidve prohibeat, & iis, qui arctam viam latiorem conantur efficere, non aliud respondeamus, nisi, quid præcipit lex? Quid in ea legis? Huic mordicus adhæreamus, neque recentibus interpretationibus eam lenire quæramus. *Abbas de Montmorel Homil. in secund. Pentec. Dom.*

Non desunt, qui dividunt evangelium, illius credentes mysteria, ejusque moribus suis dogmata impugnantes.

Frequenter nimis hujusmodi Christiani inveniuntur, qui evangelium quodammodo dividunt; illius confitentes mysteria, quibus nequaquam incommodantur, dogmata vero (saltem in praxi) negantes, quia hæc ipsorum vitam, atque licentiam corripiunt. Cum velint sese tradere desideriis cordis sui, maxime solidas veritates corrumpunt; quærunt quomodo culpa vacare probent, quod persequi cupiunt; mentibus suis voluntarias offundunt tenebras, ut citra conscientiæ stimulos consuetudinem sequantur, quam superare nolunt; ac timor, ne eas detegant veritates, quibus tranquille peccare prohiberentur; efficit, ut in communibus erroribus perseverent, quin ad examen revocent, utrum hi vere errores sint. Immo in illis seipsos confirmant,

quia vident illos plurimorum exemplo, vel approbatione confirmari, quibus vel simulata, vel parum illustrata pietas est, & qui evangelii dogmata morum suorum relaxationi in evangelicis veritatibus accommodant. *Princeps de Conty in præfatione tractatus de Comœdia, & Spectaculis.*

Lex evangelica principes æque ac subditos humilitatem servare docet, ac terrena contemnere.

Jesu Christi evangelium, quod pro principibus æque ac pro subditis latum est, regni cœlestis januas illis tantum aperit, qui in sincera humilitate vixerunt, & vere a terrenis omnibus avulsum animum habuerunt. Neminem excipit, ac nemo est, quicumque tandem ille sit, qui sibi adeo sanctam, sed parum adeo notam illius protestationem applicare debeat, cum ait: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. Sententia hæc altius animo debet infigi. Rex, qui Dei jussu super solium sedet, illam in corde gerere debet æque ac alii. Dispositio hæc non prohibet, ne suam ille teneat dignitatem; auctoritatem illius non infirmat, confirmat immo potius; & subditi numquam voluntatibus ejus alacrius obtemperabunt, quam cum ille a Dei voluntate pendebit. *Abbas Trappensis Tomo 3. Christianorum sententiarum.*

Non recipit Deus afferas legis exemptiones, quas plerique fabricant.

Cum Jesus Christus, cum S. Paulus Apostolus, cum tota simul dicit Ecclesia, vos humiles esse debere, mortificatos, a terrenis rebus divulsos, cæteraque evangelii dogmata a vobis esse exercenda, ut cœlum promereamini, numquid aliquos tantum ex fidelium numero alloquitur? Numquid duplex est Christianismi genus, alterum pro illis, qui inter mundi hujus impedimenta vivunt, pro illis alterum, qui religiosam vitam ducunt? Et omnes istæ futiles rationes, quibus se sibi quisque probat, hæc lenimenta legis, quæ sibi quisque permittit, admittentur ne ab illo, apud quem nulla est personarum acceptio? Principes mundi, nobiles matronæ putatisne, a Deo probari has legis divisiones, & discrimina, hos contemptus, & prophanationes legis, quas vos probare contenditis, vel criminosa gracilitate, vel chimericis distinctionibus, quemadmodum hodie plerique hominum faciunt, quibus aliqua religionis reliqua est umbra? *Abbas du Jarry Sermone de Purificatione,*

Frustra flagitiosi homines evangelium, & religionis dogmata impugnant.

Flagitiosi homines, qui religionem non credunt, ideo legibus ejus non parent, dogmatibus illius se non subjiciunt, verum illane meditantur? Heu! ad illa impugnanda omnes industriæ nervos contendunt, quibus divinitus donati fuere, ut illa revererentur, eorumque necessitatem, atque utilitatem agnoscerent. Sed, ut inquit Propheta, omnia tela, quæ impietas eorum in Deum religionis auctorem ejaculatur, in illos recidunt, eorum conscientiam vulnerant, quin officiant veritati. Veritas ista triumphat etiam in corrupta illorum anima de omnibus inanibus argumentis, quæ eidem opponunt. Si jugiter contra illam obmurmurant, illa indesinenter contra ipsos loquitur. Quemadmodum ipsa eorum affectibus semper adversatur, ita ipsi illius placitis reluctantur. Divinum lumen, illis licet invitis, densum superat velum, quo se ultro excæcant. De imo conscientiæ eorum vox clamat vehementius, quam vox affectuum suorum, quæ illos, licet ægre ferentes, subinde revocat ad veritatem, quam fugiunt, & evangelii dogmata, quæ gustare non possunt. Hi tandem illis in morte perhibent testimonium, & desperatissimi quippe publica confessione reparare tenentur contumelias, quibus illa, dum viverent, proscindere non destiterunt. Sed licet, uti vixerunt, ita decederent, quid est murmur, & defectio nonnullorum insolentium spirituum jugum, & disciplinam detrectantium; qui densa nube occæcati, quam oculis eorum peccata, & affectus offuderunt, in divinis nihil vident, nihilque videre volunt; qui vix oculos in sacra conjecerunt Biblia, qui ad minimum horæ quadrantem seria meditatione evangelica dogmata perpenderunt, qui illa putantes tamquam importunum criminosis voluptatibus suis frenum eorum sensus in anima suffocare contendunt, ut cum illis auferant ipsam stimulorum, quibus turbantur, originem? *Idem Sermo de Annunciatione,*

Non desunt, qui putent evangelicas leges infirmitati suæ esse accommodandas.

In lege veteri plura Moyses permisit infirmitati, vel potius duritiæ cordis Judæorum; & in nova Dei filius non exigit ab omnibus fidelibus, quod perfectius est, & dici potest ille quibusdam in rebus nostræ indulgere infirmitati. Quamobrem S. Paulus nonnumquam zelum suum erga novos fideles moderabatur, neque ab illis semper omnes pœnitentiæ rigores requirebat: *Humanum dico, propter infirmitatem.* Ad Roman. 6. Sed illi, in quibus mundi spiritus regnat, unice in hac subsistunt indulgentia, vel potius ad hanc omnes redigunt leges evangelii, atque ita jugum conantur excutere, quod nimis durum, nimisque molestum videtur. Et sane videntes, necessitatem efficere, ut infirmiorum ratio habeatur, & ab illis id solum exquiratur, quod præstare possunt; ignavi Christiani inde occasionem arripiunt credendi permissiones, ac tolerantias solas esse leges, quas sequi debent, sibique persuadendi, se rebus in omnibus hac usos indulgentia adimplere legem, neque ad sublimiorem perfectionem adipiscendam teneri. Error hic efficit, ut pœnitentiam suam intra ea contineant opera, quæ ipsis incommoda non sunt, ac vivant multis impediti cupiditatibus, quas ne oppugnant quidem, tantum abest, ut eas stirpitus contendant evellere. Hæc agendi ratio, & hic error eo tendit, ut vertat omnem necessitatem evangelicas leges exequendi, ac illas haberi faciat tamquam leges neminem obligantes, atque a perfectioribus tantum adimplendas. Hoc illi spectant, cum ajunt, evangelium legem esse difficilem, ac nonnisi quibusdam sublimibus, magnisque animabus servandam, unde fit, ut auctores fiant vitæ prorsus remissæ, ac tandem in verum paganismum degenerantis. *Ex parte desumptum ex Sarazin, Sermone de Jesu Christo legislatore.*

Quomodo leges evangelicæ a legibus amoris proprii distingui valeant.

Si quæratur, quomodo pseudoprophetæ distingui possint a Jesu Christo, & regulæ, quas amor proprius præscribit, ab evangelicis; de hoc judicium feremus ex indulgentia, qua studiis, & corruptæ naturæ desideriis accommodantur. Fatebimur evangelicas non esse leges eas, quæ sinunt aliquem christianum esse cum honorum omnium ambitione, & omnis fastus amore; quæ non vetant inertem, ac voluptuosam duci vitam; quæ ultiones cum proximi dilectione, & auri cupiditatem cum divitiarum contemptu conciliant. Hæ leges ex animi affectibus fluunt, non ex evangelio, quod omnia odit lenimenta; atque ita quo magis decipimur alios sequendo legislatores præter Jesum Christum, eo magis christiani hominis vita ad vitæ corruptæ statum redigitur. *Idem,*

Nos met exercitare debemus ad evangelicarum legum observantiam spe mercedis.

Evangelicarum legum observantia modo non sine vi aliqua obtinetur; sed quantula hæc erit, cum præteritæ fidelitatis pericula nihil nobis præter gloriam, atque mercedem relinquent? Sed expectantes perseverare debemus in hac fideli praxi, & patientia, ut reportemus promissiones, ut Apostolus inquit: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones;* ad Hebr. 10. At sub vitæ hujus finem quam suavis nobis erit hujus patientiæ recordatio, cum jamjam illius uberrimum fructum erimus percepturi! Video tandem consummatam perseverantiam meam, o Deus! tunc dicemus; via mandatorum tuorum modo lata nimia mihi videtur intuenti magnitudinem præmii, quod in stadii hujus fine præparatum est: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Specimen Panegyricorum pro die Purificationis.*

Inepta plerumque Christianorum excusatio evangelicæ legis severitatem causantium.

Mirum sæpe est, de ejus legis severitate nos queri, ad quam adimplendam nobis Deus tot auxilia, & adminicula suppeditavit. At noverit Deus nostram confundere ignaviam, errorem auferens, cui innitebatur. Dicet enim aliquando, non contra legis meæ rigorem, sed contra nequitiam vestram succensere debebatis. Ea, quæ vobis impe-

rabam,

rabant, non erant supra vos, non aberant a vobis; non erant trans maria, ut eorum distantia vos ab illis servandis excusaret. Erant in medio cordis vestri; gratia mea illis hærebat; singulis horis vobis operam meam exhibebam; cur igitur non obtemperastis? Hoc Spiritus Sanctus dicit in Scripturis ad evertendum fallacem hunc prætextum plerorumque Christifidelium, qui legis severitatem dumtaxat intuentur, quin spectent auxilia legi huic inhærentia; dicere enim hæc nobis auxilia deesse, idem est, ac contra Dei bonitatem, & fidelitatem blasphemare. *P. Bourdaloue Sermone pro secunda Quadragesimæ Dominica.*

Infideles judicii die contra Christianos insurgent, qui secundum evangelii legem non vixerint.

Hic profecto dicere possum, futurum ut Ninivitæ, ac infideles in Dei Judicio contra Christianos consurgant: *Viri Ninivitæ surgent in judicio*: illi, quibus contumeliosa paupertas est, & qui illam veluti maledictionem putant, & qui secundum religionis suæ principia supplicium illam existimant; illi inquam nobis exprobrabunt opem; quam in nostra habemus, & pravum usum, quo eadem abutimur. Ecce quinam fuerunt discipuli tui, dicent Jesu Christo; quodnam inter illos, & nos intercedit discrimen? illine fuerunt minus avari, minus vani, minus superbi, minus honorum, ac divitiarum cupidi? vel potius nonne hac re nos superarunt? Numquid nos usi sumus rationibus illis, quæ magis illegitimæ essent, turpes, sordidæ, infames, tyrannicæ? Quanam in re illos Christianos esse cognoscis, nisi quod evangelium cognoverunt, quin illi obtemperarent? nisi quod tibi insultarunt, dedecus attulerunt, & quod impiis moribus fidei suæ veritatem in dubium apud alios vocarunt? Hæc, o fideles, nobis Ethnici exprobrabunt; nos vero quid respondebimus exemplis, quæ proferentur ab illis? Quid respondebit Laicus toto vitæ suæ tempore fortunæ suæ unice curam gerens? Quid Ecclesiasticus, nonnumquam Laicis ipsis cupidior, atque solutior? &c. *P. Cheminais Sermone de Jesu Christi Nativ.*

SUPPLEMENTUM.

Lex Evangelica severa est, quia nostris affectibus opposita.

CHristiana lex, quam profitemur, semper habita fuit tamquam una omnium severissima, quam laudem ne ipsi quidem illius inimici in dubium vocarunt. Sed laus hæc illam tantummodo decet, quia nulla umquam lex adeo humanis affectibus est adversata: quod enim apertius affectibus nostris bellum potest inferre, quam præcipere, ut eorum primos etiam motus cohibeamus, ut simplicia etiam desideria jugulemus, ut ne levissimas quidem oblectatiunculas nobis permittamus, ut obluctemur, ne eorum vis, aut insidiæ nostræ officiant libertati. Quænam hac major severitatis nota potest inveniri? *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Novæ legis prærogativæ majorem expetunt in Christianis eorum in sis præceptis quæ imponit.

Fidelibus lex Evangelica perfectius est observanda, quam a Judæis antiqua servaretur; primum enim antiqua lex ab Angelo irrogata fuit præcedente populum Israel, ut dux esset illi, eumque erudiret, quid ipsi erga Deum facere teneretur; sed Evangelium a Jesu Christo Filio Dei, dilecto Patris sui fuit annuntiatum. Deinde lex vetus observatoribus suis terrena dumtaxat pollicebatur bona; sed Evangelium cœlestia. Denique prisca lex jugum erat onerosius pro multitudine cæremoniarum, quas imponebat Judæis, & propter levia subsidia, quæ illi de sursum recipiebant; sed Evangelium ob oppositas causas jugum suave est, & onus leve. Alacriter ergo integrum feramus hoc jugum nos, quibus beata sors contigit, ut in Christianæ Religionis sinum vocaremur. Quod ingrati animi vitium, quæ ignavia, quæ dementia est totam non servare legem, quam Dei gratia nobis facilem reddit, legem cujus observantia nobis vitam æternam promittit? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Novæ legis præcepta violare, est

Cum legem novam infringis, non contra communem, vulgaremque legislatorem rebellas, sed contra ipsum Dei Filium, qui tulit eam. Si casus inopinatus, ac rei levitas inobedientiæ tuæ causa extitissent, esto; sed data opera, certoque consilio vis dominicæ auctoritatis jugum excutere, hoc est Dei Filium conculcare. *Qui Filium Dei conculcaverit*, Væ tibi qui peccati enormitatem agnoscens quasi per jocum illud committis! Terræ principes qui jura sua, suamque auctoritatem sartam tectam tueri summa cura contendunt, te docere debent, quam ex te reparationem Deus exiget ob causam hanc, quod illius potestatem contempseris. *Idem.*

Filium Dei conculcare.

Hebr. 10.

De legis Evangelicæ sanctitate ab illius auctore judicium ferendum est.

Utique Christiani, sancta lex est lex Evangelica; de hac ferre judicium ex Auctoris ejusdem sanctitate, qui est Jesus Christus, Messias a Deo missus, qui, quin verba fiat de divinitatis ipsius unctione, habitus est justissimus, & sanctissimus omnium dominus, cujus vita adeo ab omni labe extitit pura, ut dignatus fuerit illam crudelissimorum inimicorum suorum censuræ subjicere. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Contra quem Synagoga universa conjuratione facta numquam producere potuit testes suos concordes. *Et non erant convenientia testimonia*, Qui innocentiæ suæ probatissimum accepit testimonium ex ore Judicis ipsius, qui tulit sententiam damnationis illius. *Nullam invenio in eo causam.* Cujus denique virtutes plus quam humanæ ab illis etiam publicabantur, quorum intererat, gloriæ illius nebulam offundere: *Vere Filius Dei erat iste.* Hic ille est qui nobis dedit legem quam profitemur. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Joann. 8.

Marc. 14.

Joann. c. 18.

Matth. c. 26.

Dominica lex pura est, & sine macula; characteres sanctitatis legis Evangelicæ.

Lex Dei pura est, & immaculata, inquit Propheta; Lex sancta est, & cujus sanctitatis? Sanctitatis solidæ, quæ vitium aggreditur usque in radicibus ipsius, usque in remotissimis etiam principiis ejus, & quæ statuit virtutem super fundamentis stabilibus, & inconcussis, sanctitatis practicæ, quæ neque sensibus, neque verbis inhæret; sed quæ postulat opera; sanctitatis universalis, quæ ne minimum quidem legis punctum elabi sinit; quoniam secundum legem sufficit puncti unius prævaricatio, ut rei simus, & digni æterna reprobatione; sanctitatis sapientis, quæ nihil exigit non consonum æquitati, & in opus redigendum; sanctitatis strenuæ, quam difficultates non morantur, quam oppositiones non movent, quam maxima quævis sacrificia non terrent; sanctitatis patientis, quæ in doloribus gravissimis, in acerrimis injuriis, in molestissimis casibus non cedit sensuum querelis, iræ subsultibus, afflictioni cordis, dejectioni spiritus; sanctitatis Religiosæ erga Deum, submissæ Deo, & Dei gloriam quærentis; suavis, & affabilis erga proximum, prævenientis, & beneficæ; sibimet attentæ, & severæ in semet, expeditæ ab omnibus vitiis carnis, supra omnem avaritiam, ac fortunam; supra omnem ambitionem, existimationem, & humanam considerationem; minime pendentis a libidine, vel arbitrio, ab ariditate, & siccitate, a tædio, & a fastidio; fixæ, & immobilis in officio, & constanter addictæ bono, quia bonum est. Hæc, Fratres, est Legis Evangelicæ sanctitas, tales illius caracteres; & si hæc hypotiposis vos perstringit, credite nihilominus; verum enim est tantum abesse, quod aliquem colorem adjecerim, ut sexcenta potius prætermittenda censuerim, ne attentionem vestram defatigarem. *Idem.*

Non sufficit promittere se Dei legem adimpleturum, nec satis est paratum esse ad illius servitium, sed ubi adest occasio serviendum est.

Quamvis promiserimus Deo nos integerrime legem suam servaturos esse per Sacerdotum ministerium; quamvis generalem hanc promissionem confirmaverimus per organum eorum, qui nos Baptismo obtulerunt; debemus & ipsi scientes, & volentes ratum facere illud munus, quod per Jesu Christi gratiam suscepimus. Quamobrem Ecclesia jubet, quotidie a Ministris suis, qui nomine fidelium omnium alloquuntur Deum, recitari sacra Prophetæ cantica; quorum versiculi non aliud ferme sunt, quam jugis repetitio fidelitatis ejus, qua se divinam legem hanc adimpleturum esse pollicetur. Modo ait

partes suas esse Domini legem adimplere; Modo asserit tota die justificationes illius meditari; ibi profitetur in maximis cordis sui aberrationibus numquam oblitum fuisse Mandatorum illius: hic testatur se legem ipsius omnibus peccatorum divitiis præferre; illic declarat se concupiscere ut ab omnibus mandata ejus serventur; & alibi ait se paratum esse ad legem Dei in omnibus, singulisque partibus ejus sequendam, & neque numero, aut pondere præceptorum illius deterreri; *Paratus sum, & non sum turbatus, custodire mandata tua*. Sed non satis est paratum esse ad sanctam hanc legem servandam; sed fideliter etiam adimplenda est; cum sese offert occasio; & in mundo nulla dignitas est, nulla potestas, quæ nos a tota legis extensione valeat dispensare: *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege; donec omnia fiant*; *Specimen Orationum Panegyricarum*, *Tomo* 1.

Psal. 118.

Quam pauci perfecte Dei legem impleant.

Ubi sunt, o Deus! Christiani, qui hoc perfungantur munere legem sanctam tuam ad unguem adimplendi? Ubi illi, qui in hoc primas cogitationes, motus primos, verba, & actiones primas impendant? Numquid hæc mundana mulier, cujus inertia dimidium dierum suorum cum calamistris, ac voluptatibus partitur? Numquid causidicus ille, qui ex somno excitatus omnes exerit artes eloquentiæ suæ adeo viduis, pupillisque funestas? Numquid procax ille juvenis, cujus flagitiis, ac sceleribus Sol facem præferre erubescit? Numquid aulicus, qui fortunæ potius, quam Deo genuflectere studet? Numquid Eruditus ille vir, qui sæpe de Deo scribendi, vel loquendi opus aggreditur, vel ut sordidum lucellum acquirat, vel ut mundi plausus, laudesque aucupetur? Numquid ille opifex, qui dominicis diebus ipsis initium facit ab operibus, quæ lege prohibentur? Ita pulcherrimos ætatis nostræ dies impendimus avaritiæ, ambitioni, voluptati: ita ut, si quæ piæ animæ mundo absconditæ excipiantur; omnes fere Christiani, quin sint fideles legis observatores, parati sint ad illam infringendam, & vitam animamque suam inordinatis affectuum suorum cupiditatibus sacrificandam. *Idem*.

Evangel si pro moribus nostris cõparatum nobis probro erit.

Quomodonam hodierna die tot juvenes æquo licentiores, tot mundanæ mulieres, tot inertes Christiani probant se credere Evangelio? Modestia, verecundia, pietas olim devoti sexus caracterem constituebant: nunc in more positæ videntur licentia, irreligio, luxus. Conferamus illas adeo puras, adeo humiles, adeo perfectas Evangelii Regulas, abnegationem sui ipsius, cordis, & mentis humilitatem, sensuum mortificationem, jugem suorum affectuum victoriam; non fucatam pietatem, integram vitæ rationem, amorem crucis, exercitia pœnitentiæ; ardentem charitatem, fidem strenuam, & minime nutantem; conferamus inquam Evangelicam Tabulam hanc, cum illa, quam nostri mores singulis diebus deformant in Dei, & ipsorum etiam mortalium oculis, quæ oppositio, quæ inæqualitas! Ecce Evangelium, quod accepimus, quod profitemur, per quod salvi facti sumus. Intueamur imaginem nostram solis vitiorum nostrorum coloribus imbutam. Sanctitas Evangelii; morum corruptio, perfectionis norma; abnormis vitæ ratio, & etiam impia; quænam major inveniri potest oppositio, & magis monstrosa! Attamen posthæc in profunda vivimus securitate; Numquid legimus in Evangelio, Deum vitio magnificentissima præmia fuisse pollicitum? *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tomo* 4.

Lex Vetus Judæis data fuit, ut intelligerent sibi opus esse fidem in Jesum Christum.

Lex, S. Chrysostomus inquit, probavit eos, qui ante legem vixerunt, in plurimis rebus ad morum disciplinam spectantibus aberrasse. Judæis qui sub lege vivebant ostendit, illos esse prævaricatores. Denique illis spem quidem injecit, sed remedia morbis eorum utilia minime adjecit, quæ nonnisi per fidem in Jesum Christum obtinere potuerunt. Vetus igitur lex illis data non fuit, concludit Apostolus, ad homines justificandos, sed ad illis tribuendam propriæ infirmitatis cognitionem, & per hoc efficiendum, ut melius agnoscerent, se indigere fide in Jesum Christum Redemptorem suum, & Messiam, non aliam habentes viam ad hæreditatem acquirendam, nisi fidem in illum. *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex Fide Jesu Christi daretur credentibus*. *P. Croiset. Ibidem*.

Ad Gal. 3.

Lex nova successit antiquæ, & illius observatores sunt cohæredes Filii Dei.

Fides in Jesum Christum est proprie antiquæ legis perfectio; hæc enim lex non aliam prævaricationi remedium promittebat, nisi spem in Messiam futurum, cui tota salus nostra innitebatur tamquam soli Salvatori, qui in medio temporum malis nostris medicinam allaturus erat, & per vitæ suæ sacrificium omnia peccata nostra deleturus. *Justus vivit ex Fide* in Jesum Christum inquit Apostolus. Et licet aliquis omnia faceret bona opera legis, licet præditus esset probitate, fide bona, rectitudine, licet integer vitæ, scelerisque purus esset, licet maximam erga pauperes haberet Charitatem sine fide in Messiam per Legem promissum, virtutes hæ omnes pictæ essent, egregia animi ornamenta mere naturalia, fructus acerbi, ex inutili insitione producti. Illi, qui ex Abraham nasciturus erat, videlicet Christo Jesu, facta est hæreditatis promissio; per illum novæ legis observatores jus obtinent ad hæreditatem Regni, quam ipsis ille proprio sanguine comparavit. Per hoc facti sunt cohæredes illius, quemadmodum testatur Apostolus. Lex igitur vetus antiquata fuit, non quidem quoad morum disciplinam, sed quoad ceremonias, quæ per novæ legis irrogationem cessavit. Cumque Deus cultores velit, qui ipsum adorent in Spiritu, & veritate, quod Dei Filius Samaritanæ mulieri testatus est; qui legem novam acceperunt eique parent, sunt adoratores, quos pro suis recipit Deus, & pro cohæredibus Filii sui ad Regnum, quod possidet ab æterno per ineffabilem generationem suam, & quod iterum per temporalem in sinu Virginis generationem adeptus est, & sibi jure novo, & Christianis, qui secuti fuerint ea, quæ nobis reliquit exempla. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Rom. 1.

Novæ legis observatores pace immutabili fruuntur.

Gaudium, & interior lætitia, consueti bonæ conscientiæ fructus in corde puro & perfecte divinæ voluntati, Sanctæque legi subjecto inveniuntur. Immutabilis dulcedo, nullis vitæ casibus labefactanda; bonitas inexhausta; patientia nullis quatienda periculis, puritas cordis, & corporis immaculata efficiunt caracterem fidelium, qui constanter viam Dei mandatorum decurrunt. *Adversus hujusmodi non est lex*. Iis, qui his virtutibus ornati sunt, inquit Apostolus, lex nulla est; videlicet Antiqua lex lata non est pro illis, qui secundum Evangelii Canones vivunt; cum lex vetus irrogata fuerit propter prævaricationes, & instituta fuerit contra eos tantum, qui non fideliter omnia obeunt officia justitiæ, quæ in Evangelicæ legis præceptis continentur, & quorum singuli cum Propheta dicere possunt, *viam mandatorum tuorum cucurri*. Non solum ambulo, o Deus, in via mandatorum tuorum, sed curro, magnis passibus progredior, cum mihi liqueat in via hac non esse dormitandum. *P. Croiset. Ibidem Tomo* 5.

Psal. 118.

Quam terribile fit in hora mortis Evangelium opere non adimpletum.

Dei lex, Evangelium fidelium omnium oculis propositum in hora mortis, & cum erunt hinc migraturi ad reddendam Deo vitæ suæ rationem, eritne illis magnæ consolationis argumentum? Invenientne in hoc salutis libro, unde suam vitam probent? Heu! Objicere oculis Mundani hominis morientis, tepidi, imperfectique Sacerdotis, qui jam extremis refectus est Sacramentis, objicere oculis hominis æquo licentioris jamjam animam efflantis hoc Evangelium, supremam regulam morum, secundum quam omnes judicandi sumus,

in qua omnia reperiuntur, quæ ad processum nostrum instruendum sunt necessaria, præcepta, & canones, a quibus quodammodo nostra pendet æternitas; nonne hoc est illi tristem sortem suam enuntiare? Nonne est illi ob oculos condemnationis suæ sententiam objicere? Adigere illum ad desperationem, & in antecessum eidem inferre supplicium? Dum vivimus, oculos avertimus ab hoc Evangelio, quia Mandatis illius obedire, ejus consilia sequi, moresque nostros ad illius canones componere nolumus. *P. Croiset, ibidem Tomo 5.*

Evangelium mundo videtur lex antiquata, ac intempestiva.

Evangelium in mundo non habetur amplius nisi tamquam vetusta Religionis jura, antiquiores tituli, quibus derogavit consuetudo, quibus non est amplius vis legis, nisi exiguo Electorum numero, qui nonnisi inter Claustra vigent. Mundi Spiritus in illius locum subrogavit Canones prorsus oppositos, leges penitus contrarias, & perniciosas consuetudines legis locum tenentes. Diceres impietatem hodie in mundo præscriptionem obtinuisse, adeo licentia, & morum corruptio prævaluit Sanctitati Evangelii. In ipso Christianismi umbilico non pudet amplius vitiorum. Impietas, mala fides, ultio, impudicitia, ambitio virtutum locum ascenderunt, & hodie, quod de ævo suo Tertullianus dicebat, pro sæculi moribus habentur. Vitium exundavit; & post hæc miramur, si aquis putrescentibus aer corrumpatur, & tantam pariat morborum contagionem. Minus convalescere quærimus, quam terere tempus, & in tot malis obstupescere. Hinc ludi, profana spectacula, comœdiæ, oblectamenta prorsus Ethnica in locum sacrarum exercitationum subinvecta fuerunt. Tempus, quod non absorbet cupiditas, voluptatibus, flagitiis omnibusque scelerum generibus impenditur. *Idem, ibidem.*

Mundus, qui sua habet principia, suos quoque discipulos habet. Dæmon illius dominus est, Diabolus Magister est, Universus orbis schola est, amor proprius est lex. Verum si ipsi sumus Salvatoris discipuli, si in illius schola alti, eruditique sumus, si hunc Dominum, ac Magistrum nostrum fatemur, si charitas illius nostra lex est, oportet, ut illius canones Mundi institutis objiciamus, & per industriam eos vigere faciamus; ut parati simus ad illos cruore nostro signandos, & zelo succensi ob Sanctæ Religionis gloriam, iis, qui sancta Dei mandata impugnare audent, dicamus in illis nihil severum esse, nihilque non rationi consonum, amantibus, timentibus vero esse, vel videri dura, & difficilia: *Timenti grave præceptum Domini, amanti leve.* Mundi sectatoribus, atque mancipiis respondere debemus; obedientiam, quam Deo præstamus per fidem, neque cæcam esse, neque injustam; quoniam spiritus noster submissus esse debet Spiritui Dei, & in hac ipsa obedientia ille suum lumen invenit, & libertatem; vim quam nostri animi propensionibus inferimus æquissimam esse, quoniam per peccatum omnes inordinatæ sunt; non exigi a nobis, quod fieri minime possit; cum jubemur oblivisci injuriarum, & diligere inimicos; nam simul ac lex jubet, Deus nobis per gratiam fert opem, qua suffulti legi possumus obtemperare: *Jubendo, Deus velle tuum quærit: posse dat ipse, qui præcipit. P. Senault Oratorii in Panegyrico Sanctæ Catherinæ.*

D. August. in Joann.

August. de Dilectione inimicorum.

Licet omnes mercedem expectent, nemo tamen sese auget, ut legem observet.

Pauci sunt, in mundo etiam, qui non teneantur multa relinquere, ut Evangelicam legem sequantur, legem hanc divinam, ad quam irrogandam Mundi Salvator in terram descendit. Nemo, qui non debeat omnino radicitus convellere ex corde suo affectionem rerum omnium, quas possidet, si vult esse Jesu Christi discipulus. Nemo, cui sibimet renuntiandum non sit. Sed quotusquisque dicere poterit se esse discipulum Filii Dei? Hanc Divinam legem sequi, est humilem esse corde; purum, insontem, mitem; mortificatum, plenum charitate; quotidie Crucem gestare suam, amorem proprium, cæterosque affectus subigere. Hoc est sequi mandata, & Consilia Jesu Christi; hoc est mundi placita perhorrescere. Cœnobita ille adeo parum mortificatus, parum solers, ac frugi, divinam hanc legem secutus fuisse dicetur? Homo hic adeo vanus, ambitiosus, mollis, iracundus legem Evangelicam observasse feretur? Mundana hæc mulier vanitatibus, ornatibusque tantum occupata, dies in otio, voluptatibus, & mollitie traducens, hæc mulier adeo parum devota, & christiana numquid legem Evangelicam profitetur? Mirum, quilibet mercedem expectat, licet admodum pauci vacent iis conditionibus adimplendis, quibus merces hæc obtinetur. Pauci sunt, qui cum Apostolis non dicant, *quid ergo erit nobis*? Sed qui, ut illi, omnibus, & sibimet abrenuntient, paucissimi. *P. Croiset eodem Tomo 5.*

Matth. 19.

Dei Filius B. Virgo, Sanctique omnes nobis præbent exemplum Divinæ legis exercendæ.

Non satis est animo paratum esse ad legem Dei observandam: fideliter adimplenda est cum sese offert occasio. Hoc nobis exemplum Dei Filius, Sancta Virgo, Sanctique omnes dederunt. Nulla est in terris conditio, a divinis præceptis observandis immunis. Lex nobis est observanda quocumque in statu, munere, officio simus sive ex genere, sive ex voluntate. Si nobis minime licet nos ab infinitis eximere legibus, consuetudinibus, moribus, qui apud varias nationes, ubi versamur, invaluere; quanto magis nobis est observanda lex naturalis, & divina, præcipiens quid nobis faciendum, vitandumque sit; & interioribus stimulis ob singulas inobedientias nos torquens. Evangelica ista lex est primum scientiæ genus, in quo sublimissimæ cognitiones continentur. Est veluti radius divinitatis, qui per usum in quo adhibetur efficit ut Dei caracteres, imaginemque geramus. Evangelicam legem hanc laturus ipse Dei Filius novissimis temporibus in terram descendit; hanc ille nobis ore proprio tradere dignatus est: & ne quis, cujuslibet conditionis homo, se minime teneri putaret ad divinam hanc legem adimplendam; Salvator iste cœpit eamdem exercere: *Cœpit Jesus facere, & docere. Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Actor. 1.

Obedientia legi præstita Deo gratior est austeritatibus, & mortificationibus.

Complures inveniuntur animæ imbecilles, atque pusillæ, quæ arbitrantur, nisi plurimis austeritatibus corpus suum torqueant, futurum ut aliquando illis exprobrare possit Deus opera ipsarum non esse plena, & ipsas propter illius gloriam nihil umquam egisse. Sed ne animos despondeatis, fideles; non parum facitis, si Divinæ legi obtemperatis, si illam in praxim redigitis juxta numerum talentorum, quæ Deus vobis impertiit; quin ex finibus egrediamini status, & conditionis illius, in qua Divinæ placuit Providentiæ vos constituere. Creditisne Deo illa magis placere, quæ majorem edunt strepitum, & magis elucescunt? Nonne Deus testatus est se humiles anteferre? illos, qui latent, atque in munere suo diligenter obeundo se continent? Vosmet in dies magis, magisque confirmate in hac voluntate semper obediendi legi Evangelicæ, eamque secundum conditionem vestram observandi. Vosmet omnino Deo permittite, & confidite in illius bonitate. Credite obedientiam virtutem esse summis laudibus extollendam, & Christiano viro utilissimum esse in constanti virtutis hujus exercitatione versari. Sit vobis persuasum hoc verum esse negotium vestrum, hanc tutissimam esse rationem Deo placendi, & quoddam veluti æternæ felicitatis vestræ vadimonium. *Lambert in anno Evangelico.*

Lex vetus erat incipientium, & imperfectorum; Evangelica vero perfectorum est.

Apostolus Evangelium appellat legem perfectam, & libertatis. Lex est, quoniam continet præcepta, quorum observantia quidem præmiis, prævaricatio autem suppliciis est afficienda;

Lex est perfecta; legumque omnium sanctissima, & præstantissima: Lex, quæ Moysis legem superet, sicut veritas umbram, & alicujus rei perfectio prima ejusdem lineamenta. Moysis quippe lex non aliud erat, quam Evangelii figura, eratque regula incipientium; Evangelium autem regula est perfectorum; ille efformabat homines infirmos, parvulos, & rudes; hoc autem illos perficit, omnibusque numeris absolvit. Hac de causa S. Paulus legis præcepta *elementa* mundi hujus appellat, videlicet prima, & rudiora documenta, quæ Mundus accepit expectans adventum Jesu Christi, ad quem lex sensim illum adducebat. *P. le Tourneux in anno Christiano.*

Mundi spiritus semper in favorem suum Evangelii præcepta interpretatur.

Magna in Evangelii luce, quæ nos circumfulget, ignorare non possumus viam, quæ ducit ad Deum consitam esse crucibus, ac spinis, & Regnum Cœlorum vim pati. Verum cum naturalem sentiamus huic doctrinæ oppositionem, illam nobismetipsis dissimulamus, ac more nostro interpretamur, & per artificia quædam, quæ nobis prudentia carnis inspirat; conamur saltem dolorem ejus lenire, Potissimum vero callide adnitimur celare id quod affectibus nostris aptatissimis magis obstat, & adversatur. Ita vir doctus, licet illi persuasum sit scholam Salvatoris, scholam esse humilitatis, vult tamen ut pietas sua æque celebris existat, ac scientia. Mundanus, adversus propria lumina, a lege subtrahit quod suam oppugnat vanitatem; Avarus ab illa rejicit, quidquid suum divitiarum amorem condemnat. Devotus non sine præcepti contemptu consilia tantum sequi vult, cum interim suas sequatur libidines. Quilibet, Isaias Propheta inquit, in via propria aberravit, & omnes desiderio saluti suæ consulendi, eas ingrediuntur semitas, quæ ducunt ad interitum. *Sermo quartus Accademiæ anni 1695.*

Quanta est mundi sectatorum impudentia suas leges cum Evangelica lege conferre.

Æquo solutiores, & peccatores consueverunt mundi placita Evangelicis institutis opponere, Conantur persuadere nobis Christianam Religionem esse nimis austeram, a nobis cæcam exquirere obedientiam; velle nobis auferre mentem prohibens nos de mysteriis suis verba facere; auferre nobis rationalium prærogativam, ut illam fidelium conferat nobis; nos cogere, ut omnibus animi nostri propensionibus obluctemur, ut omnibus abrenuntiemus cupiditatibus, ut nihil faciamus eorum, quæ aliquam nobis afferre possunt oblectationem; eaque faciamus omnia, quæ nobis displicent, & ingenio nostro adversantur; nimis a nobis exigere, cum jubeat nos oblivisci injuriarum; omnem ultionis sensum jugulare, & inimicos diligere: denique naturæ bellum inferre, cum ipsi nosmet odisse cogimur, & deserere, quidquid nobis in mundo jucundius est, atque optatius. Hi sunt periculosi sermones, quos nobis obtrudunt dissimulati Christianæ Religionis inimici, Hi sunt errores, quos conantur effundere in omnes spiritus infirmos, quibus speciosa hæc verba os facile possunt sublinire. Hi Evangelicis verbis refellendi sunt; & nosmet tueri debemus ope gratiæ, quæ potissimum nobis conceditur, S. Augustinus ait, ad perniciosas hujusmodi rationes superandas. *Poscenda fides: ut vincatur Mundus cum suis erroribus.*

Lib. de corrept. & gratia. Discrimen quod inter legem Moysis, & Jesu Christi intercedit.

Plura deprehendi possent discrimina inter virtutem, quam docebant, & exercebant Scribæ, & Pharisæi, & quam Jesus Christus verbo, & exemplo nos docuit; sed illis tantum istic immorabimur, quæ ipse Dei Filius connotavit in hoc sermone, eaque ad tria redigentur. Discrimen primum est, quod Scribis; & Pharisæis satis erat exterior legis observantia, actiones quidem præcepta exercendo, a vetitis autem abstinendo; Jesus Christus interiorem exigit justitiam, quæ affectus æque regat, ac actiones, ut liquet, quia Lex cædem fieri vetat; Jesus autem ipsam damnat iracundiam. Lex Moysis necessitatis causa, & propter duritiam cordis Judæorum permittebat quædam primæ Dei institutioni contraria, veluti Divortium; lex vero Jesu Christi ea prohibet, & nos ad naturæ ordinem cogit. Judæi inhærebant literæ legis, Jesus Christus vult, nos legis spiritum sequi, & exequi præcepta eo modo, qui sit Legislatoris intentioni conformis. *P. Tourneux. Anno Christiano. Tomo 8.*

Evangelium consulendum est ut liqueat arctam esse viam quæ ducit ad vitam.

Si Christiani accuratius consulerent Evangelium, quæ ipsorum lex est, si sæpius semetipsos interrogarent, quid fert Evangelium? Quid in eo legitur? Ne illi quidem tam facile verba sibi dari non sinerent. Facilius per hanc regulam verum a falso secernerent, nec tam obnoxii essent erroribus, qui illis inspirari possunt, vel qui in pravis libris inveniuntur. Si legissent solum in Evangelio locos omnes, qui docent, Cœli viam arctam esse, sibique vim esse inferendam, ut quis Regnum Cœlorum lucretur; pœnitentiam agendam esse, crucem quotidie gerendam, & omnia illa salutis verba, quæ non minus sensui, quam naturæ sunt opposita; possuntne pati, ut privati sine auctoritate, sine fide adeo facile sibi verba darent? Numquid conquererentur de nimia severitate Pastorum, vel Directorum a Superioribus Ecclesiasticis approbatorum ob eam, quam in animabus dirigendis prudentiam sequuntur? Dicerentne, omnia hyperbolice ab illis exaggerari? ab illis viam nimis coarctari? E contra quam primum viderent has esse dæmonis artes, quibus utitur, ut nos a via salutis deterreat, *Tourneux in anno Christiano tomo 9.*

Quodcumque munus exerceamus perfecte Legi Dei obtemperare debemus.

Tu qui in exercitatione molesta officii tui obviis turbaris obicibus, ut confirmeris, considera quinam ille sit, qui tibi jugum imposuit. Pro Deo pugnas, coram Jesu Christo pugnas, & strenuæ pugnæ tuæ testes sunt Angeli, Si Salvator te fortem videt, si te fervorem tuum videt instaurantem, quia flagras desiderio eidem placendi; te sustinebit, & in album fidelissimorum famulorum suorum referet. At si cessas; si ignave cedis; si aditum præbes timori, ac tædio, quæ exprobrationes tibi perferendæ erunt ab eo, qui adeo valide exemplo suo suisque promissionibus, te confirmavit? Obtempera, constanter mane in eo loco, ubi te Deus collocavit. Non solum fidelis esto in omnibus, sed ex corde obedi; actio enim exterior nonnisi cortex est, & superficies. Deus vult cor; & illi tantum obediunt legi, qui sentiunt in corde, quod extrinsecus per actiones testantur. *Lambert in Anno Evangelico.*

Qui Divinæ subjacet legi, non debet mentem suam rebus aliis impedire.

Qui obedit, esse debet in requie perfecta. Ne turbetur: nullo agitari debet tumultu, neque sibi scrupulos inanes confingere. Est in Dei ordine, Quod facit, parum videtur; sed hoc non est tam parum, quantum putatur, Obedientia legi illius meritum extollit. Obedit, quidquid ratiocinetur, quidquid moliatur, nil melius potest efficere, nil Deo jucundius. Præstat obedientem legi facere, quod minoris momenti videtur mortalibus, quam obedientiam detrectare, ut proprium sequatur motum, ac spiritum, & ut iis rebus vacet, quæ ordinis superioris, & multo majoris momenti videntur. Alius dicit sibi non esse tempus orandi; alius queritur sibi denegari facultatem exercendi austeritates, ad quas pronus est. Verum est egregium opus esse diu vacare orationi: tum esse præstantissimum castigare corpus suum, & illud in servitutem redigere, sed longe præstantius est Divinæ legis obedire, & constanter in Dei ordine permanere. Quod facis tenuissimum est, fateor, abjectissimum, & maximi contemptus domi tuæ; sed in loco tuo es, & facis, quod juberis facere; Sta, ubi es, & tot veluti tentationes existima cogitationes omnes, quibus turbaris. Attende ad id, quod tuum est; es in statu Deo gratiori, quam si humillime prostratus in Templo jaceres, *Idem.*

Jugum

Lex Evangelica, facile adimpletur, quod in solo amore consistit. *Matth. 11.*

Jugum meum suave est, & onus meum leve, dicit Salvator in Evangelio. Jugum, & onus, quod Filius Dei nobis vult imponere, lex est Evangelica; & jugum hoc suave est, si conferatur cum lege Moysis, quæ referta est præceptis, & minis, quibus exonerat nos Jesus Christus per Evangelium suum, quam charitatem tantummodo præcipit, & Cœlum pro mercede promittit. Quid suavius hac lege, quandoquidem per illa Deus nonnisi amare nos jubet? Quid igitur facilius observatu est, quandoquidem illi non aliud principium est, neque finis alius quam amor Dei, & fratrum? Longe currendum non est, ut inveniamus quod a nobis expetit Deus nos amare jubens. Nostrum exigit amorem, simulque modum præbet in corda nostra hanc infundens charitatem, in qua tota Divina lex continetur. Lex ista, verum est, præcipit, ut nobismetipsis abrenunciemus, & crucem nostram geramus; Hoc durum quidem esset homini carnali; sed amanti Deum omnia sunt levia. Satis est hunc certo nosse, Dei voluntatem esse, se ab anima super omnia diligi; legem non aliud nisi amandi necessitatem inferre, dummodo omnes terrenas affectiones extrudat animo intime Supremo huic Enti adhærendi. Qui ergo non amat, reus est hujus legis violatæ, ideoque mortis æternæ, si in via adeo prava perseverat. Constans praxis legis hujus divinæ amor est. Quodnam ergo jugum suavius, quæ facilior lex, quam lex amoris? Igitur quantum lex ista differt a legibus, placitisque Mundi, quæ sexcenta requirunt, quæ nos a dulci, facilique via Mandatorum Dei avertunt, & quorum multiplex varietas animam efficiunt mundi, carnis, dæmonisque mancipium, quæ animam agentia per obliqua viarum tandem illam dejiciunt præcipitem in abyssum tipia, imoque carentem; unde idcirco reditus non patet. *Auctor Recens.*

Dei lex observatu difficilis propter nostram infirmitatem, facilis est cum gratiæ subsidio.

Nihil commodius, ac facilius observatu est, quam lex Evangelica, quæ proprie loquendo duo tantum præcepta complectitur, amorem videlicet Dei, & proximi; imo etiam docet Apostolus, amorem proximi, qui Dei amorem supponit, legem omnem implere. Dubitare autem nefas est, quominus amor Dei sit juris naturalis; necessitas enim amandi Deum tamquam nostrum finem, supremumque bonum, primum est Legis naturalis principium; ideoque non licet ambigere, quominus amor proximi necessario, ac individue amorem Dei consequatur. Affirmari igitur cum veritate potest, omnem morum disciplinam, omnemque Religionem Christianam contineri in hac lege Divina, quæ ad duplicem hanc Charitatem erga Deum, & proximum tota, quanta est redigitur. S. Augustinus verba faciens de Charitate, quæ tota in hac lege continetur, palam ait: in Scripturis omnibus nihil aliud quærite; nemo aliud vobis audeat præcipere. Quidquid in Bibliis obscurum est, obscure loquitur de Charitate, quæ ista lex est, & quidquid perspicuum est, de hac loquitur perspicue. At enim, inquies, non desunt in Evangelio canones, qui palam rigorem, ac severitatem sapiunt, quæ non omnino naturalis videtur; & si quis sequi vellet auctoritatem Salvatoris, qui illos instituit, vix hic sibi persuaderet, eos esse essentialis necessitatis, & de jure naturæ. Verum est, sed propter difficultatem, quam invenimus propter peccatum, Dei Filius nobis ostendere voluit ingrediendum esse per angustam portam in Æternum regnum suum perventuris; & simul, quod corruptæ naturæ difficile videbatur, cum auxilio gratiæ Dei facillimum fieri. *Ex Libro, cui Titulus Theologia Moralis Sancti Augustini.*

Insigne discrimen inter legem Moysis, & gratiæ.

At enim quod discrimen interesse potest inter novam legum, & Moysis? Discrimen hoc est, legem Evangelicam scriptam esse in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, effundentem charitatem, & interiores sensus regentem; Mosaycam vero in lapidibus sculptam fuisse, quæ cum minas duntaxat intentet, ut sibi obedientiam concilict, exteriores ad summum actiones regere potest. Timor rem ipsam funditus mutare non potest; potest solum exteriorum servare speciem; & vim facere affectui, ut fiat id quod nollet fieri; vel etiam ut fiat oppositum eorum, quæ quis facere vellet. Ita ut si quis exterius per vim sese scriptæ legi submittit, interius eidem resistat, & si verba, & facta consentiunt; sensus cordis dissentiant; si os, manusque imperata faciunt; spiritus sit obediens; quod Deus Judæis exprobrat per hæc verba: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Sanctus Augustinus discrimen hoc attigit, cum ait, legem veterem Judæis eadem præcepisse, quæ nobis præcipit Evangelium, sed non eadem promisisse. Illis quippe proponebatur in præmium terra, quæ patribus eorum fuerat promissa; nobis vero æterna promittitur vita, quæ sita est in Dei, ejusque Filii Jesu Christi ab eodem missi promissione. In hoc Lex cum Judæis agebat tamquam cum pueris, quibus aliqua tribuuntur bellaria, ut alliciantur ad ea, quæ ab ipsis in eorum utilitatem cessura fieri cupimus. *Ibidem.*

Tract. 3. in Joan.

Semper parati esse debemus ad legem implendam. *Psalm. 1.*

Regius Propheta nonnumquam justi voluntatem in lege constituit: *In Lege Domini voluntas ejus*; nonnumquam vero constituit legem in corde Justi; *Lex Dei in corde ipsius*, ut intelligamus legem esse debere in corde nostro, tamquam in folio, ubi omnibus animæ nostræ affectibus imperitat; simulque cor nostrum esse debere in lege tamquam in objecto amoris sui, ut semper illius admirabilia mediteur. At omnes hi loquendi modi, quibus Propheta usus est, non aliud significant quam dispositionem eam, in qua esse debemus legem adimplendi. Non enim satis est adimplere legem in variis occasionibus, quæ sese offerunt nobis illius adimplendæ, sed semper parati debemus esse ad illam adimplendam tunc etiam, cum nobis non sese offert occasio; quia hæc nostræ voluntatis affectio in se complectitur quodammodo pretium veræ observantiæ, ipsaque est veluti fons meritorum, quæ sea in omnes vitæ nostræ actiones effundit. Hinc oritur, Prophetæ sese in adeo præclara, Deoque accepta præparatione exercenti, non satis esse cupere, se diligentem, ac fidelem esse legis observatorem, sed vehementer etiam atque etiam desiderare hoc ipsum desiderium illius observandæ, cujus vim, meritumque agnoscebat: *Concupivi desiderare justificationes tuas. Abbas du Jarry.*

Psalm. 118.

Si volentes in hoc mundo illam observaverimus, nolentes in altero observabimus.

Ad Deum pertinemus per omnes eos titulos, qui legitimam dominationem possunt constituere. Deus absolutus est animarum, corporum, vitæ, bonorumque nostrorum Dominus. Nostram duntaxat voluntatem liberam esse voluit; verum cum hæc ipsa voluntas sit a Deo, ipse illius etiam Dominus esse debet. Licet hæc in actionibus suis a nemine pendeat, tamen in principio suo subdita est, quamvis Domini jugum excutere possit, huic tamen debet sese submittere. Optionem habet obediendi, & secus; sed citra scelus obedientiam detrectare non potest. Facultas qua donata est præscriptos sibi divinitus cancellos prætergrediendi, nonnisi, ut ultro sese intra illos contineat, inservire debet, & libertas hæc, qua nobis integrum est a legitimo Rege nostro desciscere, mutat solum servitutem in obedientiam: si enim nolumus nosmet subjicere legibus, quæ subditis irrogatæ sunt, nobis illæ subeundæ erant, quæ contra rebelles latæ fuerunt. Si in hac vita a Dei imperio discedimus, in illud post

mor-

mortem revertemur, nihilque nostræ libertatis reliquum nobis erit, quam murmur rebellis voluntatis, vinctæ, & quodammodum obrutæ pondere illius potestatis, quam, dum in terris versaremur, noluit revereri. Ita Dei voluntas numquam labefactabitur; omnipque in majorem eadem illius gloriam vel per coactam, vel per liberam creaturarum submissionem. Hoc igitur optimum consilium est, quod sequi valeamus, ut videlicet volentes, & ultro nosmet legitimæ huic potestati subjiciamus, quin expectemus egredi ex hac vita, ut nolentes, & inviti illius imperata faciamus. *Idem.*

Salvatoris jugum ultro, & libera voluntate ferendum est.

Dei Filius non ait, impono vobis jugum meum, velitis, nolitis, illud gestabitis; sed *tollite jugum meum super vos*, ut intelligamus, illum nolle libertati nostræ vim facere. Deus creavit hominem ab initio, Ecclesiasticus inquit, & reliquit illum in manu consilii sui. Mox illi leges constituit, si illas servare volueris ab illis servaberis. Notanda sunt verba: si eas servare volueris; palam ostendit, Divinæ legis observantiam nobis, juvante Deo, possibilem esse; nos illam observando mereri; & legi huic a nobis submittendam esse voluntatem, quæ nostrummetipsorum pars est præstantissima. Cultum, & obsequium rationabile a nobis expetit Deus, & hoc Domini verba significant, *tollite jugum meum super vos*. Alloquitur homines rationis compotes, & loquitur illis de jugo, quod ipse etiam tulit, *jugum meum*. Itaque spiritus longe magis, quam corpus huic jugo subjiciendus est, ambitio, libertatis amor, libido in ceteris dominandi hæc omnia sunt spiritus ille, quem Deus sibi sacrificari jubet per humilem legi suæ submissionem. Nonnumquam haud ægre caro ipsa subigitur, sed spiritus non adeo facile ad id redigitur. Propria tumens excellentia semper paratus est, ut sese subtrahat subjectioni. Nondum incœpimus ferre jugum Filii Dei, si spiritus noster nondum sese se illi subjecit. Licet pietatis exercitiis, jejuniis, austeritatibus vacemus, adhuc rebelles sumus, nisi cor nostrum sese legi Salvatoris subjecerit. *P. Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Marth. 7. Eccli. 15.

Rom. 12.

Minus excusabiles sumus quã Judæi nisi Dei mandatis paruerimus.

Timendum nobis est, ut Salvator nos ita aliquando coarguat: Vobis legem Sanctam tradidi, quæ vobis facem præferret, & in Cœlum adduceret; cur illam non sequimini? & cur iterum me flagitiis vestris crucifigitis? Lex, quam dederat Deus hominibus per Moysem probata, mitigata, & locupletata plurimis sanctis consiliis ab ipso Dei Filio, meretur proculdubio recentem observantiam, & amorem peculiarem. Illud vero nos magis magisque impellere debet ad Sanctæ legis hujus praxim, quod cum interiorem acceperimus legem, & ignem Spiritus Sancti ad nos confirmandos, & ad virtutem excitandos: nulla nobis suppetit excusatio, voluntatem illius non implentibus. Videamus itaque, & ad examen revocemus quidquid quotidie facimus contra divina mandata, & occasionem, quam Deo præbemus auferendi nobis sua lumina: *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justitiam fecerit &c.* Numquid recte faciunt, cum quotidie me quærunt, & viam meam scire volunt, quasi justitiam servaverint, & Dei sui legem minime fregerint? *P. Novet in Meditationibus.*

Isai. 58.

Omnia in via salutis facilia sūt Deum ducem sequenti.

Verum est, iter Evangelicum spinis, & obicibus non carere. Ut in eo progrediamur, sibimetipsi invigilandum est, semper cavendum ab insidiis sensuum, & imaginationis; semper obnitendum contra perniciosa Mundi placita, & contra torrentem consuetudinis; vitæ hujus ærumnæ circa impatientiam perferendæ, honores sine ambitione possidendi, utendum opibus sine affectu; verbo cogitationes, actus omnes ad immutabiles fidei canones referendi. Sed hujusmodi difficultates Christianum viatorem neque terrere debent, neque ab incepto deturbare. Illæ ultro, & ut ita dicam, ex semetipsis sternentur, dummodo illæ ducis sui voluntatibus pareat, legesque ejus tueatur. Prout in virtute progredietur, jugum Evangelicum fiet illi suavius, & levius. Deus præibit illi, Deus illum deficientem sustinebit, labentem attollet, ambulantem confirmabit. Radii Solis justitiæ indesinenter viam illius illustrantes, præbebunt ei dies puros, atque serenos. In ipsis usque desertis inveniet cœleste pabulum, & alimenta, quorum sapor millies gratior erit, quam epularum, quibus Regum mensæ instruuntur; cum interim impii in rerum affluentia esurientes, densissimis peccati tenebris involuti, modo ardentes flammis concupiscentiæ, modo adstricti formidinis gelu ad aspectum periculorum semper præsentium, de præcipiti in præceps, de calamitatibus in calamitates errabunt. *Ex Sermone secundo Accademiæ anni 1707.*

Licet verum esset Legis praxim esse admodum molestam, non ideo cessandum nobis esset, quia citra multos labores virtus acquiri non potest; Nemo coronatur nisi qui certaverit. Sed homines adeo sunt miseri, ut legem observare nolint, licet eam in silentio, & requie id exequi valeant. *Ex Opusculis Sancti Joannis Chrysostomi.*

Nil facilius, quam legem observare.

Si Mundi Principes nonnumquam concedunt quasdam dispensationes ab iis legibus, quas ipsi irrogarunt, mirum esse non debet; quia indigent opera illorum, quibus suas gratias impertiunt, vel remunerari volunt de se optime meritos cives. Id vero divinis, Evangelicisque legibus non accidit; quod his nefas est, numquam fas est aliis. Nulli fas est peccare, immo neque prava desideria concipere; nulli fas est avidas manus in aliena immittere bona; immo etiam nefas est iis, quæ jure possidentur, affectu adhærere. Nulli fas est contra proximum falsum testari, immo etiam nefas est alieno nomini labem offundere, licet verum dicatur. Legum harum enumeratio nimis esset prolixa; sed earum nulla aliquam patitur ætatis, sexus, nationis, temporum dispensationem. Nulla præscriptio expectanda est, nullum sperandum est lenimentum, *Abbas Boileau, in Delectis Sententiis.*

Leges Evangelii obligant omnes.

Omnes sæculi Sapientes, qui ferendarum legum auctoritatem sibi vindicarunt, hoc sibi proposuere, ut legibus suis subditorum felicitati consulerent, & ex profanis hisce legislatoribus nemo votorum summam est assecutus. *Et erunt, qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur, præcipitati.* Et ratio constat; quia cum horum Philosophorum, & Politicorum leges nequirent homines ad æternam vitam perducere, non poterant ideo eos beatos constituere. Felicitas nonnisi per observantiam Legis Christi Jesu potest comparari. Itaque ubi primum divinus hic Legislator in montem legem suam tulit, incœpit annuntiare eos omnes beatos futuros, qui illam observaverint. *Beati qui esuriunt justitiam; Beati, qui nunc fletis &c.* Sermo hic profecto admirabilis fuit & hominum sensibus longe oppositus, qui hactenus felicitatem constituerant in gloria, in opibus, in prosperitate. Hac ipsa de causa Sanctus Jacobus inquit: *Qui perspexerit in legem perfectam, & permanserit in ea . . . . hic beatus in facto suo erit.* Apostolus hic nos docet nullam esse sperandam felicitatem illi, qui alteri cuicumque legi, præterquam Christi Jesu, sese conformet. Hanc magni momenti veritatem intelligere conemur; quæ totius Christianæ vitæ fundamentum est. *Pater Segneri in Meditationibus,*

Una Jesu Christi lex hominem efficere potest beatũ. Isaie 9.

Jacob. 1. 25.

Jure

Adhortatio ad Jesu Christi legem amplectendam.

Jure quidem, Salvator, legem tuam in monte promulgans eos, a quibus sedulo servaretur, beatos futuros dixisti. Homo nonnisi in legis adeo perfectæ observantia invenire poterat felicitatem. Hæc neque alium mihi proponit finem, quam æternam beatitudinem, neque aliam viam illuc perventuro, quam Evangelica præcepta, & consilia. Praxis disciplinæ adeo puræ possetne me deterrere? Efficiens, ut futuræ vitæ merear felicitatem, in præsenti etiam vita beatum me facit. *Idem.*

LIBRI LECTIO.

Boni, Pravique Libri; Fructus, qui ex illis hauriri potest; & detrimentum, quod afferunt isti. Lectio Spiritualis &c.

MONITUM.



Licet de bonorum, pravorumque librorum lectione dici queat quidquid de bonis pravisque sermonibus dicitur; non desunt tamen quædam satis peculiaria; & Auctores, qui hoc argumentum pertractant, satis copiæ suppeditant, ut de hac re titulum seorsim instituamus.

Animadvertendum dumtaxat est, 1. Sanctos Patres ante cætera sacra Biblia commendare, quippe quæ Spiritu Sancto dictante conscripta fuere, & præ cæteris ad nos sanctificandos sunt aptissima, & verbo quia hic antonomastice Liber est; sed quin alios asceticos libros excludant, illos ipsos utilissima edidisse volumina ad populos edocendos, eosque ad omnem virtutem formandos.

2. Inter bonos libros, istic asceticos tantum recensemus, qui de mysteriis, ac moralibus religionis nostræ veritatibus agunt; ita inter malos, vel inutiles nequaquam a nobis recenseri eos, qui ad scientias, vel facultates pertinent; Philosophos, Historicos, Oratores veteres, & recentiores, immo neque eos, qui de indifferentibus dumtaxat rebus pertractant, qui ad mentis ornatum inservire possunt; sed malos eos dici, qui moribus, & religioni sunt perniciosi.

3. Etiamsi concionatores obiter dumtaxat ut plurimum hoc argumentum attingant, atque pauci occurrunt sermones, qui toti in hoc versentur, cum tamen prava volumina tantam omni tempore in moribus contagionem pepererint, cumque plurimi fideles doctrina egeant, ac duce, quem alios invenire non possunt, haud quidem credo lusurum operam, qui singulari concione pravorum librorum lectionem improbaverit, atque ad pios perlegendos libros fuerit hortatus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. 

Licet etiam Sancti Patres, sacrique Canones, & Ecclesiæ præceptum nequaquam interdicerent fidelibus pravorum librorum lectionem (hoc autem nomine eos intelligemus, qui vel fidem, vel bonos mores impugnant) lex ipsa naturæ, nostræque salutis negotium, quæ res una omnium nobis maxime cordi esse oportet, horrorem illorum nobis debet injicere, & ad eos fugiendos, ac detestandos impellere, 1. tamquam patens periculum, proximamque peccati occasionem; 2. tamquam maximorum in mundo malorum originem, hæresum nempe, impietatis, licentiæ, & corruptionis morum secundum librorum horum naturam, & qualitatem; 3. & propter peccata particularia, quæ ab illis committuntur, qui illos legunt, commodant, vendunt, approbant, ac retinent. Hæc erit totius concionis divisio.

Pars Prima, Dico eum, qui pravos legit libros, sese temere in peccandi occasionem objicere; quod antequam argumentis confirmem, explicandum est quid pravorum librorum nomine intelligatur; hi quippe nequaquam illi sunt, qui invenuste, ac ineleganter scripti sunt, quorum vel argumentum, vel stylus illepidus, & rudis est, neque legentium curiositati satisfacit; sed eos omnes complectimur, qui pravam docent doctrinam, vel perniciosa tradunt præcepta contra fidem, vel mores. Ad hæc cum hos libros citra noxam legi non posse dico, vel quin legentes se peccandi occasioni objiciant; satis constat excipiendos hinc esse Ecclesiasticos superiores, atque Doctores eorum examini præpositos, & si mavis, viros aliquot spectatæ doctrinæ, & probitatis, qui eos legendi vel jus habent, vel facultatem. Loquor igitur de vulgo fidelium, quibus lectio ista nonnisi periculosa, ac perniciosa esse potest, quippe quæ non solum est occasio peccati; quod jam patratum est, ut omnibus constat, cum aliquis ultro, & cum periculi cognitione se exponit; verum etiam propter formalem Ecclesiæ inobedientiam, quæ potestatem habet, jus, auctoritatem, justamque rationem interdicendi filiis suis curiositatem, & voluptatem, quam ipsa judicat, & ex ipsa rerum experientia perniciosam esse cognoscit. Esset illa ne pia mater, gereretque salutis eorum, quam debet, curam, nisi illos & periculi in quo sunt, & mali in quod prope est ut labantur, admoneret? Ad hæc ostendendum est, lectionem hanc esse peccati occasionem æque perniciosam, ac pravos sermones, qui semper vim habent eamdem, sive ex ore, sive ex calamo hæretici alicujus, vel flagitiosi hominis egrediantur. Comparatio quoque potest institui, ac ostendi illos in voluminibus adhue esse nequiores, quia cum majori studio, ordine, argumentorum robore, dicendique gravitate & lepore conjuncti sunt &c. Præterea apertæ scelerum descriptiones, quæ in libris occurrunt, tantam in animis nostris vim habent, quantam mala exempla, si ob oculos versarentur, ideoque magis periculosa est

co-

etorum occasio. Illa minus timemus, & perhorrescimus; sæpe vitæ nostræ ratio, & officium vituperandi scelus, quod videmus, non prohibent, ne illud legentes iis omnibus exutum circumstantiis, quæ illud nobis in odium possent inducere, probemus, & oblectemur earum rerum lectione, quarum adspectu erubesceremus. Perniciosi denique voluminis lectio, quamquam fiat clam, & in solitudine, majorem habet illecebram, ut nos ad peccandum alliciat, quam nequiores quælibet societates, quæ tamen vulgo nequissimæ omnium occasiones habentur. Ut plurimum enim fortuito illis interfumus: ubi earum periculum agnoscimus, nobismet quam diligentissime cavemus, & quantumvis parum in nobis conscientiæ, atque probitatis sit reliquum, merito nobis vertimus impudentissimorum insolentiam compescere, sed sensim persuaderi, & capi sinimus voluptate, qua hæc ipsa legentes perfundimur &c. Hæc autem argumenta deinceps fusius pertractata, ac in lucem suam posita occurrent.

Pars altera. Operosum non est docere pravorum librorum lectionem plurimorum malorum originem esse; memoria enim repetere satis est: 1. Hæreses, quæ nationes integras pervaserunt, celeberrima fefellerunt ingenia, & viros ipsos virtute præstantissima nitentes in errorem impulerunt, nonnisi librorum usu invectas, probatasque percrebuisse, Arianismum, Nestorianismum, & proximorum sæculorum errores, quin fusiori enumeratione eos necesse sit persequi. Malum ipsum adeo brevi sese effudit, ut ulceris instar magnam Europæ partem corruperit, atque in remotissimas usque terrarum plagas pervaserit. Quot animæ in errorem inductæ? Quot errores in Ecclesiæ agro sati? Quas cædes, quam vastitatem unus hujus generis liber non efficit? 2. Malum tamen in moribus, quam fide, minus late non sævit; quam enim corruptionem non gignunt amatoriæ nugæ, & fabellæ, impudica volumina, comœdiæ flagitiosissimæ? &c. Ubi latus aperitur oratori campus, ut acri disertaque oratione in morum disciplina spatietur.

Pars tertia. Peculiaria peccata, quæ malorum librorum lectio parit. Quot pravæ cogitationes, quot noxia desideria impudicum librum legenti? Voluptas, quæ ex hac lectione percipitur; laus, & approbatio, qua excipitur auctor; prava, quæ inde oriuntur consilia &c.

II. Ad auditores a pravorum librorum lectione deterrendos, illosque ex ea, qua nihil antiquius esse fas est, salutis videlicet suæ cura movendos, hæ duæ sunt considerationes, quæ illos ab adeo noxia lectione maxime debent avellere.

Prima. Pravorum librorum lectione spiritum corrumpi; videlicet horum librorum lectionem sensus immittere oppositos vel pietati, vel fidei, pro varietate argumenti, quod ibi pertractatur; quod si inutilia dumtaxat ibi contineantur argumenta, spiritus saltem dissipatur, ac saluberrimæ cogitationes suffocantur.

Altera: Corrumpi animum, & in vitium, vivendique licentiam impelli. Hujusmodi ii libri sunt, qui amatorii dicuntur, prophanatione amoris fabulas, nexusque prosequuntur; ubi ostendendum est illos quo venustius conscripti sunt, eo ad mores corrumpendos aptiores esse. Itaque cum mentis corruptio, ac vitæ nostræ nequitia duo sint malorum librorum vulgatissimi effectus, ac maximi nostræ salutis obices, criminosam curiositatem, ne dicam infanum hunc eorum perlegendorum furorem debemus compescere: quæ duo duplici concionis parte possunt ostendi.

III. 1. Pravorum librorum, qui a virtute dimovere, ac vitium edocere possunt, lectio nequaquam necessaria est adolescentibus vel ad eorum stylum acuendum, expoliendumque, vel ad quamlibet scientiam percipiendam: neque enim desunt, hoc vero præsertim sæculo, egregia volumina, ubi bene vivendi, loquendique ratio valeat edisci, quæ simul & doctiores, & meliores evadant. 2. Lectio hæc illis perniciosa est; nihil enim ad ingenium eorum corrumpendum est aptius, nihil ad illos in omnem libidinem impellendos validius; 3. Omnino indigna est homine Christiano propter impia dogmata evangelicis prorsus contraria, quæ ibi addiscuntur; & quæ non multo post exercentur.

IV. Pravos libros perhorrescere debemus; cum enim omnia Christiani hominis officia in hoc posita sint, ut malum fugiant, & operentur bonum;

1. Pravi libri nos in malum impellunt, ac illud docent exemplis, quæ affectibus nostris gratificantur; apertis descriptionibus, quæ illud ob oculos ponunt, ac in animis imprimunt, fallacibus placitis, atque rationibus, ideoque nobis sunt scandali occasio. 2. Nos a bono avertunt, efficientes, ut nostra negligamus officia eo tempore, quo lectioni vacamus; pietatis fastidium inspirant; conscientiæ stimulos suffocant &c.

V. Cum generatim loquendo duo sint genera librorum; bonorum videlicet, qui bonum docent, & ad virtutis exercitationem cient; nec non malorum, & perniciosorum, qui malum perdocent, & in vitium impellunt: justus institui sermo potest;

1. Si ostendatur malum, & scandalum, quod pravi libri gignunt, alii quidem contra fidem, & religionem, alii vero contra bonos mores: ita ut dici queat, hunc quovis tempore funestissimum fuisse pietatis, virtutumque omnium scopulum. 2. Bonum, & fructus, quem boni afferunt libri: etenim de iis, qui pia tractant; atque de religionis nostræ mysteriis, christianique hominis agunt officiis, id dici potest, quod de sacris Bibliis D. Thomas: *Docent cognoscere veritatem, suadent operari justitiam.*

VI. De lectione librorum, qui amatorias fabellas continent singulariter. Satis deplorari non possunt funesti effectus, quos hujusmodi libri gignunt: Ibi loquitur Dæmon, ibi Dæmon auditur, quæ vero magis peculiaria dici ostendique possunt; hæc ferme sunt.

1. Illos oppositos esse puritati propter malas cogitationes, quas excitant in mente; propter noxia desideria, quæ fovent in corde; propter periculosos affectus, quos vel suscitant, ubi sopiti fuerint, vel re adhuc integra accendunt, propter illecebram, qua narrant ea, quæ maxime sunt periculosa, & facta, quæ cor ipsum molliunt, ac mentem insanis refarciunt ideis. 2. Oppositos esse pietati, devotioni, christianisque virtutibus, sublimes adstruendo ideas virtutum aliarum, quæ mere paganæ dici possunt, & quæ propter objectum ipsarum, & eas personas, quæ de illis gloriantur, vera sunt vitia: hujusmodi sunt ambitio, gloriæ desiderium, constans fidelitas erga objectum affectus fabulosorum Heroum: vindictæ, quæ tamquam justi insignis generositatis effectus laudantur &c. Adde his, mentem refertam, repletamque fictitiis certaminibus, casibusque, qui avide perlecti fuerunt, non gustare amplius cælestia; quapropter hujusmodi libris majus periculum adjacet, quam illis qui vel impietates, vel obscœnæ libidinis monstra, quæ naturaliter perhorrescimus, complectuntur. Ejusdem argumenti.

VII. 1. Mala, quæ hujusmodi perniciosi libri pariunt, multa sunt numero, & fere incurabilia; & quamvis plurima non sint palam obscœna; longe plures rationes suadent lectionem eorum admodum esse perniciosam. Primum, non aliud eorum auctoribus consilium, neque mens est alia, quam hoc pacto noxium afflandi venenum, quo imbuti sunt. Secundo hujusmodi librorum argumentum est de prophano tantum amore verba facere, de fabulosorum Heroum conatibus, rebusque gestis, qui post varia discrimina tandem affectus sui consequuntur objectum. Denique ratio, qua hujusmodi libri scripti sunt, lectoris ciet curiositatem,

tem,

tum, allicit ejus ingenium, & callide virus in cor ejus instillat. 3. Prætextus omnes, qui afferuntur, ut eorum librorum lectio probetur, quales sunt styli expoliendi, sermonis lepores, veneresque discendi, vel aliquot horas otii terendi, atque animi e curarum severitate amovendi; hi omnes, inquam, prætextus inepti sunt, & alii post alios refellendi, atque ostendendum non posse illos cum salutis periculo, quod in hac lectione non deest, comparari.

VIII. De lectione spirituali, cujus viget usus apud eos, qui pietatem colunt.

Tria omnino sunt ad salutem necessaria, quæ in piorum librorum lectione uberrime inveniuntur.

1. Lumina in intellectu ad bonum a malo dignoscendum; id quod faciendum ab eo, quod fugiendum est. 2. Voluntatis affectiones ad bonum amplectendum, malumque fugiendum. 3. Boni cogniti constans exercitatio, & mali explorati horror, & fuga. *Videri potest hoc argumentum fusius pertractatum a P. Suffren Tomo 1. c. 10. §. 2.*

IX. Ejusdem argumenti.

1. Utilitas quæ ex Asceticorum librorum lectione percipitur. Magni sunt adjumenti, ad christiane vivendum, ad tuendam innocentiam, ad crescendum in virtute, & sanctitate, ad sese ad bonorum operum praxim excitandos &c. Hæ totidem sunt rationes, in quibus diutius immorandum est. 2. Quomodo legendi sint; scilicet mente proficiendi; ea meditando, quæ leguntur, & animo exercendi ea, quæ discuntur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, *l. 1. Confess. c. 16.* eorum objectioni respondet, qui malos perlegunt libros, hanc prætexentes causam, ut videlicet bene loqui discant.

Idem, *lib. de utilitate credendi c. 4.* docet quot rationibus aliquis falli possit in iis, quæ legit.

Idem, *serm. 112. de Tempore* tradit modum, quo semper cum Deo esse possumus, esse orare, & frequenter legere.

Idem *in Psalm. 93.* docet eruditionem, quam sacrorum librorum lectione percipimus, nobis esse jam beatæ vitæ principium.

S. Ambrosius, *Serm. 25. pro die Cinerum*, ostendit bonorum librorum lectionem utilem esse, ut in cordibus pia instituantur colloquia, ut doceantur, & hortamenta habeantur.

S. Hieronymus in Psalmos animadvertit, non deesse in sacris libris salutaria cuilibet ætati monita, ad institutionem singularum necessaria.

Idem in Epistolis *ad Rusticum*, *& Eustochium* illis bonorum librorum, præsertim vero scripturæ lectionem suadet.

S. Gregorius, *l. 2. moral. cap. 8.* refert effectus, quos sancta gignere consueverunt Biblia in iis, qui ea serio, atque attente perlegunt.

S. Ambrosius, *l. 1. in Lucam* rationem adfert, cur viri quidam docti, & perspicaces legere possint libros malos, qui aliis prohibentur.

S. Basilius *Hom. 20.* docet in librorum lectione imitandas apes floribus mel exsugentes.

Idem in libro *de forma honesta vitæ*, docet sanctorum vitas legentibus imitandos esse Pictores, qui oculos in ea conjiciunt objecta, quæ exhibenda coloribus sunt, ut omnia eorum exprimant lineamenta.

S. Chrysostomus *Hom. 35. in Gen.* numerat effectus sacrarum litterarum in legentibus illas, & homilia 29. etiam, atque etiam ad sacrarum Scripturarum lectionem hortatur.

Idem *homilia 3. in Genesim* Scripturæ sanctæ verba thesauro comparat, ac fonti, qui numquam exhauriuntur.

Idem vel Auctor libri imperfecti in S. Matthæum *Homil. 17.* recenset bona, & fructus, qui ex sacrorum librorum lectione percipiuntur.

S. Isidorus *de Officiis*, *l. 1.* ostendit utilitatem, quam ex bonis libris haurire possumus.

Idem, *l. 4. Epist. Epistol. 67.* docet ex bonis æque ac ex malis libris disci elocutionem, ideoque inanes prætexere rationes; qui ex obscœnis voluminibus sermonis leporem se discere velle causantur.

Cassiodorus Tractatum edidit *de Divinis lectionibus*.

S. Joannes Damascenus Scripturæ sanctæ lectionem commendat, eamque legentem comparat arbori secus fluentes aquas consitæ, quæ semper virescit, semperque floribus, fructibusque est onusta.

Cæsarius Arelatensis *Homil. 13.* loquitur de sanctorum librorum lectione, & fructu, qui inde potest hauriri.

S. Ephræm *Tract. 2.* agit de modo bonos libros legendi.

Trithemius *de Instit. vitæ Sacerd. c. 4. & l. 4. Homil. 4. ad Monachos.*

S. Basilius sermone 21. verba facit de utilitate quæ ex prophanis libris potest hauriri.

Gerson Parisiensis Universitatis Cancellarius Tractatum edidit contra libellum cui titulus *a Rosa*, insignem ejus temporis fabulosam historiam, quam damnat tamquam bonis moribus perniciosam propter rationes, quæ sunt omnibus hujusmodi libellis communes.

Petrus Blesensis *lib. de Confessione Sacram.* contra illos invehitur, qui obscœnos libros, vel elucubrantur, vel legunt. Auctores alii.

S. Theresia in vita sua, quam ipsa conscripsit, & in ea, quam Jacobus Yepensis reliquit, testatur quænam mala animæ ipsius amatoriarum fabularum lectio pepererat.

Ribeira in Commentariis suis in Michæam Prophetam ostendit, quantopere Fidelium officiat puritati hujusmodi librorum lectio.

Granatensis in Memoriali lib. 4. c. 1. §. 9. ostendit, quam necessaria sit lectio bonorum librorum ad pietatem, ac devotionem fovendam.

Alphonsus Rodriguez lib. 1. praxeos Christianæ perfectionis tractatu 5. cap. 28. docet quantæ utilitatis sit ista lectio, & quomodo utiliter fieri possit.

P. Suffren Tomo 1. Anni Christiani c. 10. funditus hoc argumentum exhaurit, & mox fusius de malorum librorum lectione differit.

Jacobus Alvarez Tomo 1. l. 2. parte 4. c. 2. hoc ipsum pertractat argumentum, & lib. 3. parte 5. sect. 2. c. 3. iterum de eodem verba facit.

Nigronus *Tract. 5. Ascet. c. 3. n. 8.*

Marchantius *in virga Aaronis tract. 10.* loquitur de bonorum librorum utilitate, & fructu ad salutem.

Joannes Trullus *ex ordine Can. Reg. l. 3. & 4.*

Mansi *Tract. de Discipl.* alibique passim in operibus suis de hoc loquitur argumento.

Marcus Antonius Sabellicus *l. 2. c. 7.* agit de electione legendorum librorum facienda, & quomodo legendi sint.

Dandinus *in Ethic. Sac. l. 3. c. 14.* agit de libris Hæreticorum.

Thiers Champronda Parochus in tractatu de ludis, atque solatiis loquitur de malorum librorum lectione.

Liber cui titulus; familiarum Christianarum Pædagogus, colloquio ultimo de malis libris.

Moralis Christiana in *Pater*, tractatu secundo in præambulum art. 9. puncto altero, docet per meditationem sacrorum librorum lectioni conjunctam orari.

P. de Argentano Capuccinus in Collationibus suis de Magnalibus Dei, collatione 30. art. 4. docet

cet omnes fastidire debere prophanorum, ac inutilium librorum lectionem.

Concionatores recentes.

P. Heliodorus Parisiensis ex Capuccinorum familia in Sermonibus, quos de mundi flagitiis edidit Sermone duodecimo. Punctum primum versatur circa lectionem generatim; alterum circa lectiones, quæ nullo sunt in discrimine; tertium vero circa libros asceticos.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in argumentis particularibus Tomo 2. Sermone hujus argumenti docet malorum librorum lectionem esse causam corruptionis mentis, & vitæ.

Abbas Trappensis in Collationibus, collationem habet in Sermonis formam pro prima Quadragesimæ Dominica.

Qui collectanea ediderunt.

Labatha } Titulo, *Lectio*.
Lohner }
Polianthea. Titulo, *Libri*, & *Lectio*.
Theatrum vitæ humanæ.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo. Josue 1.

Declaratio Sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat parvulis. Psalm. 118.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in versutias parabolarum simul introibit. Eccli. 39.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Psalm. 118.

Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Baruch. 4.

Qui legit, intelligat. Matth. 24.

Putasne intelligis quæ legis? Act. 8.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Ad Rom. 15.

Littera occidit, spiritus autem vivificat. 2. Ad Corinth. 3.

Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. 2. Ad Timoth. 3.

Venies affer tecum libros. 2. ad Timoth. 4.

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. 2. Ad Timoth. 3.

Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ; noli negligere gratiam, quæ in te est. 1. ad Timoth. 4.

Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 2. Petri 1.

Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Ibidem.

Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt. Apoc. 1.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

Quam curam & attentionem impendi volebat Deus libro legis.

IN veteri testamento de libro legis tantummodo sermo est; seu quod hic solus tunc adesset liber, seu quod per antonomasiam liber appellaretur; ille profecto unus satis erat, ut Judæos de omnibus ipsorum officiis erudiret. Verum illud a nobis considerandum est, quod præcipiebat Deus, ut summa cura, atque attentione omnes hunc librum perlegerent, & meditarentur. Videte satis est sextum Deuteronomii caput, ubi hæc dicit Deus: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos.* Quæ omnes locutiones significant non esse obiter duntaxat percurrenda ea, quæ hoc in libro scripta erant; sed meditanda, ad eorum utilitatem cognoscendam, & praxim numquam prætermittendam. Verum si hæc omnia non exposcit a nobis Deus ratione novi testamenti, in quo quidquid Christiano sciendum, servandumque ad salutem est, continetur, vel ratione aliorum librorum, qui evangelicarum veritatum sunt quædam explicationes, atque enarrationes; credendum nihilominus est nonnisi peculiari providentia in nostras devenire manus, nobisque ingenti esse subsidio cum ad erudiendos, tum ad inflammandos, ut bene vivamus; neque nisi summa cum attentione, & fructu esse legendos.

Quo fructu & attentione lecti, auditique fuerunt libri legis, quos ordinaverat Esdras.

Vin' scire qua cura legenda sint, vel ubi legantur, audienda Biblia, & libri, qui de rebus ad salutem spectantibus agunt? Spiritus Sanctus hujus rei nobis exemplar proponere voluit in iis, quæ post Jerosolymitani Templi instaurationem, & post reditum populi Dei de Babylonis captivitate acciderunt. Summus Sacerdos Esdras coram universo populo prodiit, ut legis libros, quos collegerat, & ordinaverat, illi perlegeret. Ecce quid textus 2. Esdr. 8. dicat: *Aures omnis populi erant erectæ*. Incredibili attentione aures adhibuerunt, ac propter reverentiam sese prostraverunt in terram: *Et incurvati sunt, & adoraverunt pronæ Deum in terram:* silentium vero nonnisi singultibus intercisum fuit ab iis, qui cogitabant, quot modis legem, quæ sibi annuntiabatur, ipsi perfregissent: *Flebat omnis populus, cum audiret verba legis*. Levitarum labor erat illos consolari, testarique hunc triumphi, & lætitiæ diem esse non lacrymis, neque mœrore perturbandum. Hoc pacto sancti, Asceticique libri legendi, audiendique sunt; dumque leguntur, cogitandum est nobis, quam longe ab iis, quæ audimus, aberravimus: Audiendum est quid nobis dicat Spiritus Sanctus per librum hunc, humentibusque genis fatendum est, nos hactenus negligentes, inutilesque servos fuisse.

Machabæi inter publicas calamitates solatium in sacris bibliis nanciscebantur.

Ascetici libri, qui hodierna die innumeri sunt, esse deberent fidelium in afflictionibus, tentationis calamitatibus, quibus hæc vita præpedita est, solatium; Machabæorum exemplo, qui in bellis, quibus lacessebantur, publicisque infelicitatibus ad sacras confugiebant scripturas. Hoc illi ad Lacedæmonum Magistratus scripsere fœdus cum illis antea percussum instauranti: *Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris:* 1. Mach. 12. Unde liquet illos solatium, præcipuumque spem suam in illis constituisse, licet fœderatorum opem implorare non desinerent; quamobrem Sanctus Chrysostomus in quadam ex Homiliis suis in Genesim hæc habet: *Vidisti quomodo quacumque calamitate, humanam naturam premente, conveniens ex scripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitæ hujus repellatur anxietas.*

Dei filius sacrorum librorum lectione usus est, ad Judæos refellendos.

In novo testamento Ipse etiam Mundi Salvator sanctis usus est libris, ut Judæis suam probaret missionem; Sanctus enim Lucas capite quarto narrat illum, cum esset in Nazareth, ubi diu fuerat commoratus, de more ingressum fuisse in quamdam Synagogam, acceptoque scripturarum libro incidisse in Isaiæ locum de hac Messiæ, quem præstolabantur, missione loquentis; atque locum hunc tanta facilitate, eloquentia, & gratia explanasse, ut omnium in se ora, admirationemque converteret. Omnes probarunt quidquid ab ipso dictum fuerat, & perhibuerunt testimonium veritati rerum earum, quæ ille explicuerat; verum non videmus aliquem tunc voluisse illum in Messiam agnoscere, & sequi. Hoc quotidie in sanctissimo-

rum

varii litterarum accidit lectione; illos probamus, laudibusque extollimus; hoc, dicimus, scite dictum est, hoc belle probatum, hoc venuste scriptum; verum num inde magis frugi, sancti, officiorumque nostrum diligentes observatores evadimus?

S. Paulus Timotheo lectionem commendat, quam ipse exercebat.

S. Paulus Timotheo discipulo suo præcipit, ut lectioni, & sibimetipsi vacet, non solum ut fideles intelligant illum in perfectione proficere, sed quia hac in re ipsius agitur salus; quod his verbis declarat; *Attende lectioni, attende tibi, ut profectus tuus manifestus sit omnibus; hoc enim faciens te ipsum salvum facies.* 1. Ad Timoth. 4. Qua in re nihil discipulo commendabat Apostolus, quod ipse non exerceret; & mirum est, hominem, qui totius mundi conversioni sese devovet, qui de Synagoga pergit in Synagogam, de urbe in urbem, de Provincia in Provinciam, & qui eodem fere tempore in omnibus Asiæ, & Europæ partibus invenitur; qui alioquin certus est se cælesti lumine afflatum, & qui nihil vel dicere, vel scribere potest, nisi ex primæ, supremæque veritatis motu, tamen tempus inquirat, quo lectioni vacet, atque jubeat, quocumque iverit, secum libros afferri: *Affer libros.*

Exemplū Eunuchi Reginæ Candacis.

Apertissimum fructus, qui ex sacrorum Bibliorum lectione uberrimus percipitur, exemplum habemus in Reginæ Candacis Eunucho, qui dum veheretur in rheda Isaiæ Prophetæ vaticinia legebat, atque tunc forte in eum locum inciderat, ubi nativitas, & mors Messiæ, quem præstolabantur Judæi, adeo palam expressa est, ut Evangelistæ nihil apertius enarraverint: cum Philippus, qui eadem incedebat via, & qui audiebat verba, quæ ab Eunucho legebantur, divino afflatus lumine ad illum accessit, cumque sciscitatus est, utrum bene intelligeret, quæ legebat; cui cum alter libere se nequaquam illa assequi respondisset, testatusque fuisset opus sibi esse interprete, a quo erudiretur, gratias habuit Philippo, qui ultro se hoc illi officium præstiturum recepit; quod cum vix præstitisset, atque perfecte neophytum suum de humanæ redemptionis mysterio, de Messiæ morte, ac nativitate erudivisset, baptismum petiit Eunuchus, eumque recepit ex manu illius, qui summa charitate ipsi ea, quæ ad salutem erant necessaria, tradiderat. Historia hæc fusius in Apostolorum Actis cap. 8. narratur. Hinc solum inferendum est, insigne hoc beneficium præmium fuisse lectionis, qua Eunuchus iste perlegerat sanctum Isaiæ librum, quem ad avertendum itineris tædium advexerat.

Ephesi omnes magici libros comburunt.

Cum Ephesi vidissent duos ex Judæis, qui exorcizandi provinciam sibi vindicaverant, mala habitos a furenti dæmone, eorum plures, qui execrabilem magiæ artem exercuerant, libros ea eadem agentes attulerunt, eosque omnibus inspectantibus in ignem conjecerunt; cumque eorum pretii summa ubi ad calculos redacta fuit, inventa est 50000. denarios, hoc est duodeviginti mille gallicas libras excedere. Novi hi Christiani facile horum librorum pretium reperire potuissent in frequentissima, & curiosissima civitate, qualis Ephesus erat; neque legimus, eos ab Apostolis jussos fuisse hanc librorum supellectilem igni absumere; sed Spiritus Sanctus tunc Ecclesiæ sancita prævenit, quæ deinde hoc ipsum pluribus in Conciliis imperavit.

Multi peccatores per librorum lectionem conversi.

In Ecclesiastica historia plurima occurrunt eorum virorum exempla, qui cum insignes essent peccatores, piorum librorum lectione conversi fuere. Celebriores vero hi ferme sunt.

S. Augustinus lectione cujusdam loci D. Pauli conversus. Aulici duo, de quibus loquitur S. Augustinus, quos vitam S. Antonii legentes tetigit Deus, atque convertit.

S. Athanasius Magus ex lectione vitæ Martyrum conversus.

S. Columbanus ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiæ.

S. Ignatius Loyola ex vita Jesu Christi, atque Sanctorum.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Ascetici libri aperta sunt declaratio veritatum, & dogmatum Scripturæ.

D*Eclaratio Sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Psalm. 118. Nullus Bibliorum locus aptius argumento, quod pertractamus, applicari potest, quam allata Regii Prophetæ verba: ambigi enim non potest, quo minus Ascetici libri, quos auctores nonnisi divino lumine afflati conscripserunt, sint declaratio, vel si mavis, explicatio veritatum, ac dogmatum Evangelii. Hæ veritates, atque hæc dogmata non semper ita perspicua sunt, ut aliqua non subsit illis obscuritas; vel quemadmodum ait S. Petrus de S. Pauli epistolis loquens, quæ ita difficiles erant ad intelligendum, ut nullo egerent interprete. Hæretici Scripturas in pravum sensum detorquent, & orthodoxi non semper omnem earum sensum assequuntur. At boni, nempe Ascetici libri sunt, veluti declaratio, & explicatio quædam verborum, quæ Spiritus Sanctus in Scripturis dictavit. Illi hæc spirituum nostrorum captui accommodant, illa vernacula nobis explicant lingua, ac dici possunt hac ratione aperire mentem, atque rudibus etiam explanare, quod non percipiunt ex simplicibus verbis, quibus in Prophetis, atque evangeliis Spiritus Sanctus usus est.

Putasne intelligis quæ legis? Act. 8. Hoc quæsivit Philippus ex Reginæ Candacis Eunucho, de quo jam locuti sumus, ubi illum audiit legentem Isaiæ Prophetæ locum de Filii Dei nativitate, & morte loquentis. Intelligisne, ait illi, vel putasne te intelligere quæ legis? Hos nos ipsi ex nobis quærere deberemus, quotiescumque legimus librum, qui magnam aliquam religionis nostræ veritatem nos docet, vel nos de officiis nostris erudit: *Putasne intelligis quæ legis?* Assequorne ritè quæ lego? Etenim, ut S. Augustinus ait, legere, & quæ leguntur, intelligere, differunt: *Intelligere est intus legere.* Legit, qui oculis scripta verba percutit; intelligit, qui scriptorum verborum sensum assequitur, & veritatis magnitudinem sapit. Cum igitur in Evangelio, vel in Ascetico quopiam libro lego, cor a terræ bonis avellendum esse, inimicos esse diligendos, dimittendas injurias, charitatis opera exercenda &c. *Putasne intelligis quæ legis?* Numquid in hodiernam usque diem magnas hasce veritates intellexi? Heu! quomodo illas opere complevi?

Qua cura, & aviditate boni libri legendi sint.

Fili hominis comede volumen istud. Ezechiel. 3. Spiritus Sanctus docturus, quanam attentione & aviditate legendi sint libri Sancti, videlicet Scriptura Sancta, vel Ascetici, qui Dei nomine ad nos loquuntur comedendi vocabulo utitur: *Comede volumen istud. Accipe librum, & devora illum:* Apoc. 10. quæ quidem loquendi ratio admirationem ciere deberet, nisi Sancti Patres nos admonuissent, bonorum librorum lectionem esse animæ cibum, quemadmodum caro est corporum nostrorum alimentum. Ita Ezechiel Propheta vidit manum sibi librum offerentem, illum manducare jussus; liber vero complectebatur lamentationes, epinicia, & maledicta; quæ naturalis est figura earum rerum, quæ in Asceticis libris continentur, qui ad fideles erudiendos, eosque ad Dei cultum excitandos scripti sunt. Ibi leguntur pœnitentiæ causæ, quæ efficiunt, ut in cœlum mittatur suspiria, cor dolore confectum testantia: *In eo scripta erant lamentationes.* Ibi leguntur epinicia, consolatoria verba, quæ efficiunt, ut in hac quoque vita justi Sanctorum deliciis perfruantur. Inveniuntur ibi quoque minæ, quas peccatoribus intentat Deus, & maledictiones, quæ obduratissima etiam corda concutere, ac perterrefacere possunt.

Lectio spiritualis adnumerari precibus potest.

Oportet semper orare. Luc. 18. Lectio spiritualis recenseri potest inter eas preces, quas effundere

dere possumus, & quod praecipuum toto vitæ nostræ tempore nobis esse debet negotium; ut enim cum fructu preces effundamus, Deo placere non sufficit; sed ea etiam audienda nobis sunt, quæ ipse dicit, & quæ nobis ad cor loquitur. Non satis est illi nostram exhibere calamitatem, spiritualem egestatem nostram, & ærumnas, quibus conficimur; necesse est etiam ab eodem recipere ea remedia, quæ apta sunt vulneribus nostris curandis, atque nostris necessitatibus sublevandis. Primum facimus, cum oramus; & audimus, quid nobis dicat Deus, cum Asceticos libros perlegimus: sed meditatio addenda est lectioni, quæ alioquin inutilis esset, & vacua. Itaque inter orationem, & meditationem hoc intercedit discrimen, quod orationis quidem objectum Deus est: at subjectum meditationis est verbum Dei, & christianæ veritates, quæ in Scripturis quidem continentur, ab Asceticis vero explicantur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Sicut ferrum, nisi usum habuerit, æruginem generat; ita & anima, nisi divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. August. quæst. 120. ex utroque Testam.

Quod semel lectum est, nullo modo arbitremini satis vobis innotescere; si ergo eum librum fructuosissimum habere vultis, non pigeat relegendo habere notissimum. Idem, libr. de Correption. & Grat. cap. 1.

Sacrarum lectio scripturarum divinæ est praecognitio non parva beatitudinis. Idem, Serm. 112. de Temp.

Qui vult cum Deo semper esse, debet orare & legere. Idem, ibid.

Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Idem, ibidem.

Geminum confert donum lectio sanctarum Litterarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Idem, ibidem.

Labor honestus est lectionis, & multum ad emendationem animi proficiens. Idem, ibidem.

Optime uteris lectione divina, si tibi eam adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet. Idem, Epist. 143.

Ita Scripturas sanctas lege, ut semper memineris, Dei verba illa esse, qui legem suam non sciri tantum, sed etiam adimpleri jubet. Idem, Ep. 143. ad Demetriad. Virg.

Divinæ Scripturæ quasi litteræ de patria nostra sunt. Idem, vel alius Author, Sermon. 36. ad fratres in Eremo.

Quid est Scriptura Sacra, nisi quædam Epistola Dei ad creaturam? Gregor. lib. 4. Epistol. Epist. 84.

Numquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber; ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Hieron. ad Rustic.

Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. Idem, ad Eustoch.

Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendis? Ambrof. libr. 1. Offic. c. 20.

Cur non Christum alloqueris, Christum audis? illum alloquimur, cum oramus; illum audimus, cum divina Oracula legimus. Idem, Ibid.

Perspicuum est spirituali lectione animam sanctificari, & gratiam Spiritus sancti affatim infundi. Chrysost. Hom. 13. in Joan.

Parate vobis libros, medicamenta animæ, Idem, Hom. 9. in c. 3. ad Coloss.

Arma dæmonum, Ecclesiæ subversio. (Ita libros malos vocat:) Idem, in Epist. ad Rom.

Lectioni sedulo incumbe, ut mens tua sedulo illuminetur, fiasque perfectus, & integer, in nullo deficiens. S. Ephrem, de patientia.

Non mediocriter solet illustrare, & colligere mentem lectio; verba enim Sancti sunt, & lectores omnino dirigunt, & moderantur. S. Climacus, Grad. 37.

Scribere est manu prædicare. Cassian. c. 30. de Divinis lect.

Quid prodest continua lectione tempus occupare, Sanctorum scripta, & gesta legendo transcurrere, nisi ut in his diligenter consideremus statum nostrum, & studeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Incertus Auctor scalæ Paradisi, c. 10. apud August. tom. 9.

Libri sacri sunt Christianorum utilitas, thesaurus Ecclesiæ. Cassiodorus.

Mens tua divinis se voluminibus occupet; his antiquus hostis cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum. Petrus Damiani, lib. 6. Epistol. 29.

Si quis ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quam saporem. Bernard. Epist. ad Fratr. de monte Dei.

Philosopho Christiano lectio exhortatio esse debet, non occupatio. Hugo a S. Victore.

Sine legendi studio neminem ad Deum intentum videas. Idem.

Ubicumque verbum Dei legitur, Spiritus Sanctus occulte operatur. Thomas a Kempis, opusc. de Discipl. c. 1.

Libri pii docent ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, exstimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri possit hoc in argumento.

CUM nemo unus ignoret, quid sit librorum lectio generatim, hoc in loco dicendum est dumtaxat, quid sit lectio spiritualis. Spiritualem appellamus lectionem, cum legitur vel Scriptura Sancta, vel alius quilibet liber de piis rebus agens, hac mente, non ut doctiores evadamus, quod studium est; sed ut spiritu proficiamus; videlicet ut nosmet excitemus ad ea exercenda, quæ legimus, atque ut sanctiores, perfectioresque siamus. Verum ut adeo sanctæ exercitationis naturam, & utilitatem rite assequamur, id unum considerare sufficit, cum libri facti sint ad hominum doctrinam, atque ut ea doceantur, quorum cognitionem cupiunt acquirere scientia, quæ ex libris discitur, varia est, pro varietate argumentorum, quæ ab illis tractantur. Quamobrem quemadmodum Medicus artis suæ libros legens scitus fit, & peritus Medicus, ita Christianus Asceticos legens libros animo erudiendi, & efficiendi ea, quæ discit, fit Asceticus, in salutis via magis perspicax, in Dei cultu magis fervens, atque in religionis, statusque sui officiis obeundis magis fidelis, in quo scientia sanctorum consistit. Itaque non secus ac omnibus in Regnis Academiæ sunt ad omnes scientias ediscendas institutæ, ita & in Ecclesia, quæ est quodammodo Jesu Christi lycæus, percipitur scientia salutis; & Scriptura, aliique pii libri totidem sunt præceptores doctissimi, integerrimique, qui licet muti, non minus scientiam hanc adeo necessariam nos docent, quam Concionatores, & Confessarii concionibus, atque hortationibus suis. *Quid sit lectio spiritualis.*

In tanta hac librorum copia, qui omnibus sæculis fuere conscripti, & quibus universus terrarum orbis repletus est, sciendum est tres esse eorum species, vel illos in tres classes esse dividendos. Alii nullo in discrimine sunt, hoc est qui neque sanctiores, neque perfectiores non faciunt; hujus- *Varia librorum genera, & varius eorum efficiendus usus.*

hujusmodi sunt libri scientifici, philologici, historici, opera nova, & vetera, qui mentem dumtaxat recreant, & ornant; sed cum hæc librorum genera continent aliquid, quod ad vitam nostram instituendam, informandamque conferat, verbo cum in bonum usum converti possunt, in bonorum classem sunt admittendi. Quidam sunt omnino mali, perniciosi, vel periculosi, quorum alii quidem mores corrumpunt, alii vero religionem impugnant. Prioris generis ii sunt, qui licentiæ amorem inspirant, qui de impudicis rebus agunt, libelli diffamatorii, satyrici &c. alterius vero libri impii, hæretici, qui damnabiles continent curiositates &c. Quamplures etiam adsunt boni, utiles, nobis sanctificandis apti, quales sunt Ascetici, qui docent, vel exponunt christianas veritates & Evangelii instituta, quos proprie spirituales dicimus, & quorum lectio satis unquam commendari non potest.

Electio librorum facienda.

Libros cognoscere non levis est scientia, neque mediocris prudentia eorum electionem habere; sed insignis felicitas est bonum invenire librum inter tot malos, atque inutiles, quorum copia in infinitum prorsus excrevit. Etenim quemadmodum nonnumquam unus satis fuit malus, hæreticusque liber ad Civitates, integrasque nationes corrumpendas, ita unus tantum satis est ad plurimos peccatores convertendos, atque inextimabilem fructum referendum. Hæc autem electio facienda est non solum ad evitandum periculum, ne mali alicujus libri lectione prævertamur, verum etiam ad præferendum inter Asceticos illum, ex quo pro nostra dispositione, statu, officio uberiorem recipere fructum possumus; qua in re sapientis, prudentisque confessarii monitum sequi tutissimum est. Nam prærerquamquod omnes haberi, omnesque legi non possunt; necessarium, immo utile etiam non est plurimum legere, sed ea, quæ lecta fuerint, diligenti cura perpendere, & per otium meditari gravissimas veritates, quas bonus liber nos docet, ut eas in praxim redigamus; quod si desit, lectio ut plurimum inutilis est.

Omnes libri boni a Deo inspirati fuerunt.

Dicere possumus, immo credere etiam debemus omnes bonos libros nobis a Deo missos fuisse tamquam magistros, a quibus edoceremur; hi sunt subsidia quædam, vel externæ gratiæ non secus ac prædicationes, bona exempla, & boni sermones, quos audimus; & ratio est, quia si dona quælibet, quæ bona sunt, desursum sunt, & a Patre luminum, ut inquit Apostolus; quis ambigere potest, utrum boni libri, qui continent veritates, & dogmata ad vitæ nostræ rationem instituendam, moresque corrigendos necessaria, cœli sint dona? Cumque Deus vulgo exterioribus gratiis interiores adnectat, quis dubio locus, quo minus boni libri sint veluti rivus earum, ideoque magna ad salutem nostram subsidia? Hac de causa a nonnullis Sanctis Patribus vocantur Epistolæ nobis a Deo missæ.

Quibus in rebus Ascetici libri sermonibus præstent.

Quemadmodum singularia nos magis movent quam generalia, & universalia, juxta Philosophorum adagia, sequitur, Asceticos libros, qui in iis quæ ad mores pertinent magis ad particularia descendunt, & ad quemlibet legentem singillatim loquuntur, & nullius rationem habent, hac re sermonibus præstant, quibus omnia generatim attinguntur, & quæ nemo ferme applicat sibi. Inde vero eorum magis patet utilitas, quod qui illos præ manibus habet, eosdem ubi voluerit, & vacaverit, consulere potest, lecta ad trutinam diligentius revocare, lectionem intermittere, ac rursus ad illam reverti; ita ut bonus liber sit Concionator domesticus, semperque paratus ad nos erudiendos, quin nobis vel blandiatur, vel incommodet.

Librorum qui de controversiis agunt, non omnibus indiscriminatim lectio permittenda.

Ex iis, quæ vel hactenus a nobis dicta sunt, vel sunt deinceps dicenda de bonis lectionibus, nequaquam inferendum est omnes bonos libros indiscriminatim esse legendos. Libri, qui fidei inimicos refellunt, sunt veluti armamentaria, ubi Theologi eligunt arma ad Dei, & Ecclesiæ inimicos infringendos; eorumque lectio non est indiscriminatim permittenda; plurimi enim seipsos vulnerarent, illa attrectantes arma, quæ minime norunt. Hoc ipsum dicendum de plurimis Sacræ Scripturæ libris. Hi proculdubio librorum omnium sunt optimi, & antonomastice Sacra Biblia vocantur; attamen nonnulla Concilia eorum lectionem promiscue negant permittendam. Et nonne mirum est, quod Ecclesiæ adversarii adeo vehementer contra hoc interdictum exurgant, quandoquidem nequeunt diffiteri, Marcionitas, Manichæos, Arianos, Nestorianos, Pelagianos, aliosque sectarios, quos veluti Hæreticos, & fatentur, & damnant, aberrasse male interpretando, quod adeo bene scriptum est? Meminisse opus est, solida obsonia parvulis, ægrisque negari non tamquam mala ex se, quandoquidem nemo unus bonas eorum qualitates ignorat, sed quia ægrotantium indispositio bonos, optimosque cibos in malum converteret.

De malis prohibitisque libris.

Satis ostendimus quinam sint libri mali, & perniciosi seu contra religionem, seu contra bonos mores. Addendum est dumtaxat, libros, quos in Tridentini Concilii indice recensentur, non esse solos, quorum lectio vetita sit. Index ille quosdam dumtaxat complectitur libros post annum millesimum quingentesimum decimum quintum usque ad aliquot annos subsequentes compositos; sed alii omnes seu ante, seu post Concilium ad hæc usque tempora editos, prohibiti sunt, si ejusdem sint characteris; hoc est, si sint fidei, bonisque moribus contrarii; quos etiam si nullum vel Generale, vel Provinciale Concilium damnasset, propria natura damnantur. Evangelium ne inutilia quidem colloquia permittit; liquet ergo damnari criminosa, sive cum viventibus, sive cum mortuis habeantur, seu cum auctoribus, seu cum operibus eorum; nisi aliter officii nostri postulet ratio, vel justa facultas fuerit impetrata.

Concilia non Hæreticorum tantum libros excommunicant, sed etiam qui tenent illos.

Notandum quoque diligenter est, Conciliis non damnari eos solum excommunicationis proposita pœna, qui hæreticorum libros legunt, & vendunt, sed eos quoque qui tenent illos; & Pius IV. in Bulla ante indicem libr. prohibit. vulgata declarat, esse peccatum mortale non solum legere, sed retinere libros alias ob causas prohibitos; & ratio est, quod ideo tenentur, ut legantur, quod saltem eos legendi periculum perseverat; quod ubi videntur in memoriam redeunt, quæ lecta fuerant; quod scandalum iis præbetur, qui sciunt illos a nobis retineri; quod necessario in alias manus migrabunt, si retinuerimus illos: & quod alii iis vel pejus, vel æque ac nos ipsi male utentur. Quid ergo censendum est de eorum auctoribus, qui illos conscribunt, de illis, qui eos commodant, ac ex eorum venditione lucrum conquirunt?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Commodum, ac suavitas cum libris conversandi.

SUavis, jucundaque homini scito, & sensato conversatio est habere libros, & cum sæculorum omnium sapientibus loqui. Quamvis illi non loquantur amplius, non cessant tamen nos utiliter erudire, nobisque ignorantiam nostram ostendere, quin ullo nos rubore suffundant. Plurima quidem a viventibus ediscere possumus, verum aliqua semper cum verecundia; eo quod ignoramus ea, quæ homini ætatis, statusque nostri ignoranda non essent; & sæpe pavor noster talis est, ut aliquid nescire malimus, quam illud ex aliquo exquirendo, nostram inscitiam palam fateri. At cum mortuis hic pavor abest; libere ad illos confugimus; illos rebus in omnibus consulimus, quin erubescamus, & quodcunque moni-

monitum ab illis recipiamus, nobis tamen integrum est id credere, & facere, quod e re magis futurum censemus. Si nostros nobis defectus aperiunt, id sine ulla exaggeratione peragunt; si nos commendant, omnis procul abest adulatio; si nos corripiunt, nulla interest acrimonia; cupiditate, quæ nullum umquam bonum consilium tradere didicit, & animi ægritudine quæ semper ostendit res aliter, quam sint, non afficiuntur; si malum, quod in nobis est, ostendunt, id agunt, ut nos eodem liberent; unaque eorum mens est efficiendi, ut veritatem intelligamus. Adde, quod conversatio, quam cum illis habemus super eo, quod ipsi cupimus argumento, tantum durat, quantum nobis lubet, eo tempore, & hora, quæ nobis lubet; eamque, ubi, & quoties lubet, nobis interrumpere integrum est: *Liber cui titulus Familia Sancta tomo* 1. *cap.* 2. §. 3.

Utilitas, quæ ex lectione generatim percipitur.

Quemadmodum conversatio, ac frequens cum sapientibus colloquium plurimum de pravo ingenio nostro tollit; ita lectio bonorum librorum plurimum ad ingenium nostrum excolendum conducit. Non desunt homines ita violenti, cum quibus æque ac cum feris tractare timemus; tantum illis passionis inest, rationis vero, honestatis, ac humanitatis parum adeo, ut nihil humanum præter figuram habere videantur. Hujus autem adeo ferocis ingenii flectendi, molliendique non aliam meliorem invenio viam, quam bonorum librorum lectionem; si enim ingenio excolendo eorum etiam, qui maxime rudes, durique sunt, aliquid confert, si educationi, & iis, quæ a natura sortiti non sumus, abunde supplet, cur illa ingenii feritatem non flectat? Itaque fatendum est hanc non esse minimam, quæ inde percipiatur, utilitatem: verum quod inde non hauritur ad vitæ nostræ regimen, atque in gravissimis negotiis auxilium? Quam maxime interest hominis illius, qui in mundi hujus commercio versatur, nosse ea, quæ sæculis superioribus contigerunt? Si in certo rerum statu ab aliis erratum fuit, poterit aliquis simili in occasione ab erroribus sibi cavere: videbit conatus hos semper in irritum cessisse, atque inferet, sibi illis immiscendum non esse. Talis occasio illis opitulata est, quibus a voto suscepta cesserunt consilia, non igitur eam mihi patiar elabi, cum sese offeret mihi. Hujusmodi considerationes modico stant labore, & plurimum afferunt fructum; eas nobis suggerunt libri, & hoc pacto præteritum docet, quid imposterum faciendum sit, & egregia nobis suppeditat lumina, ut vivendi rationem optime instituamus. Sed quodnam solatium, quod remedium ibi calamitatibus omnibus non invenitur, quæcumque sit nostræ mentis affectio? Tristis es, ac tristis aliquis casus negotium tibi facessit? In Asceticis libris invenies opem, & solatium, quo eges, vel saltem aliquod doloris tui lenimentum, quo facilius eum feras. Si quam bonorum, amicorum, consanguineorum, vel existimationis jacturam subiisti, libri tibi infinita suppeditabunt exempla eorum, qui majoribus affecti fuere curis, quorum in similibus malis perferendis constantia tibi animos faciet. Si lectio tibi non aufert mali cogitationem, quod te fortasse æquo gravius torquet, saltem illud imminuet, tibique etiam fortasse persuadebit illud in imaginatione tua gravius esse, quam reipsa sit. *Idem*.

In sanctis libris quæritur veritas, quæ in prophanis non reperitur.

Quemadmodum oculi lumen, & gustus sapores, ita mens amat veritatem, & illam ubicumque perquirit. Libros tamquam thesauros putat, ubi illam contineri arbitratur; eos aperit, & illam inquirit, sed sæpe decipitur; mundus enim repletus est inutilibus libris, qui sunt tamquam adulterini lapilli, qui aliquantulum quidem nitent, & veros imitantur, sed eorum virtutem, ac pretium non habent. Fere numquam aperiuntur libri sine spe vel voluptatis, vel utilitatis, vel utriusque percipiendæ, & pauci sunt, qui hoc non polliceantur, & quamdam non præseferant speciem. Sed mens, quæ repleri gestit, ibi non inveniens, quod quærit, quam primum fastidit; veritatis famelica est, sed omnes licet prophanos libros evolvat, nihil ibi solidum invenit, cui possit inniti, & quod iden illi satisfacere valeat. Hac de re olim conquerebatur Sanctus Augustinus lib. 10. Confess. cap. 25. Quæ tristitia inquieto spiritui, qui sollicito veritatis premitur desiderio, cum postquam cum labore diu illam in Ethnicorum philosophorum scriptis conquisivit, quod fecerat summus ille vir, nihil invenit, quod sibi satisfaciat, & laboris temporisque se fecisse jacturam cognoscit. Si laboris partem in sanctorum librorum lectione impendisset, solidas ibi nactus esset veritates, replesset, & saginasset spiritum suum, ac inde egressus esset voti sui compos magis quam esuriens, qui e convivio exquisitissimis instructo dapibus, quibus abunde saturatus est, discedit. *P. de Argentano Capuccinus libro de Magnalibus Dei, Collatione tertia in operis conclusione.*

Non omnium prophanorum librorum lectio inutilis est.

Dicitur Moyses, cujus adeo celebris sapientia est, in omnibus Ægyptiorum scientiis sese exercuisse, ac illis tot veluti gradibus usus ad divinam cognitionem pervenisse: eorum igitur libros evolverat. Sæculis insequentibus Daniel Babylone captivus sub Chaldæis magistris studuit, antequam sacris scientiis operam daret; & Sanctus Paulus ostendit poetarum lectionem a se nequaquam fuisse neglectam, cum in Areopago quosdam eorum protulit locos. Ita (Sanctus Basilius inquit) scientiis prophanis, ac librorum de iisdem agentium lectione nosmet præparare debemus, antequam sacrarum scientiarum adyta penetrare velimus. Vivis hisce luminibus assuescemus, quemadmodum Soli respiciendo assuescimus ejus in aqua intuentes imaginem. Si scientiæ aliquem inter se nexum habent, profecto prophanæ sacrarum cognitionem nobis faciliorem parabunt; si nullum habent, earum discrimen agnoscemus illas invicem comparantes, quæ comparatio optimæ electioni efficiendæ poterit inservire. *Abbas de Bellegarde in Collatione sermonum S. Basilii, sermone de librorum prophanorum auctoritate.*

Sacrorum librorum lectio hodie negligitur.

Miserum profecto, jugibusque lacrymis deflendum est, hoc litteratum, librorumque sæculo, nullum vulgo studium ita contemni, ut sacrorum Bibliorum, in quibus conscientiæ, divinique verbi doctrina continetur. Vitium, atque mendacium in amatoriis fabulis recens editis plurimos semper nanciscitur lectores, immo & admiratores, quos corrumpat; veritas autem, & pietas in sanctis libris adeo paucos inveniunt, qui eorum legendorum curam suscipiant, ut proficere possint. Pravus hic gustus mollium, inertiumque animarum est ægritudo, similis infirmis puerorum ideis, qui propter ludicrum, & pueritiæ quidpiam dolent. Verum inde magis obstupesco, quod video pertinaciam, pravumque horum hominum gustum, qui tamquam serio occupati creduntur, horum virorum, qui Bibliothecas frequentant, qui libris, atque manuscriptis codicibus impallescunt, qui laborant, insudantque sterilibus scriptis enucleandis, non secus ac agricolæ sterili, & maledictæ terræ excolendæ; quin in sacris libris inquirant fontem veritatis primitivæ, *discant Sapientiam Antiquorum*, Eccli. 39. vacent scientiæ Prophetarum, celeberrimorum Patriarcharum historiam evolvant, & uti Ecclesiasticus loquitur; *in secreta parabolarum ingrediantur. P. Bonal in Christiano temporis l.* 3, *cap.* 15.

Thesaurus, quem in scripturis sanctis habemus, & bonum, quod inde percipimus.

Quid sanctificationi nostræ magis prodesse potest, quam sanctorum cognitio librorum, in quibus sola, & vera continentur bona, quibus, tamquam inexhaustis omnium gratiarum, & benedictionum thesauris, & veluti copiæ infinitæ in defectibilibus fontibus animæ nostræ possunt locupletari? Hoc est subsidium, quod a divina largitate percepimus, quo omni tempore cum summo fructu uti possumus in innocentia, & peccato, in tentatione, & quiete, in bona, & infirma

vale-

valetudine, in bello, & in pace, malacia, & tranquillitate æque ac in tempestate, & naufragio; & de sacro verbo dicere possumus, quod his libris continetur id, quod de seipso Jesus Christus ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et sane nonne via est, quandoquidem viam nobis ostendit, qua incedendum est, atque nos illuminans prohibet, ne eamdem sequentes aberremus. Nonne veritas est, quandoquidem sanctas complectitur veritates, quas indesinenter meditari debemus, & quibus tamquam cœlesti esca infinitæ bonitatis, atque virtutis nutriti debemus? Vitam vero esse quis credere nequit, quandoquidem vitam impertit omnibus eamdem fidei, vivæque pietatis sensu recipientibus? *Abbas Trappensis Collatione pro secunda Adventus Dominica.*

Nihil nos ad perfectionem, & sanctitatem magis debet excitare, quam lectio sacræ scripturæ.

Numquam satis hortari vos possum (animæ Christianæ) ut indesinenter sanctæ huic lectioni vacetis, certus enim sum nulla re vos tutius, & celerius posse ad perfectionem attolli, ad quam Dei jussu evocati ini. Divinum hoc verbum universam sanctificavit Ecclesiam; martyres ibi invenerunt robur illud invictum, quo de tyrannorum furore, ac rabie retulere triumphum: doctores ibi nacti sunt lumina, & cognitiones, quibus indigebant, ut populos erudirent; & cœnobitæ inde hauserunt angelicam puritatem, insuperabilem in austeritatibus patientiam, & rerum omnium fluxarum, fragiliumque contemptum. De veteri æque ac novo testamento loquor; licet enim hoc pluribus in rebus illi præstet, attamen in priori quoque omnes fundamentales religionis virtutes inveniuntur. *Idem.*

De bonorũ librorum lectione; & quomodo facienda sit.

Quamquam omnium Asceticorum lectio librorum per se sanctissima sit, atque utilissima, attamen talis esse cessat, cum non fit secundum ordinem, statutasque regulas; videlicet, si fiat festinanter, cum curiositate, & animo positus sibi satisfaciendi, quam seipsum illuminandi, atque erudiendi; & eædem veritates, quæ cum necessariis præparationibus pertractatæ, & receptæ in animabus infinita producerent bona, nihil ferme ibi pariunt, vel etiam malum tantummodo gignunt propter pravas circumstantias, quæ in illis occurrunt. Quantumvis optima sit esca, quam præbes ægro, quamvis ejusdem temperamento, imbecillitati, statuique par; si nimia sumatur aviditate, si non antea bene mansa, neque ore apte præparata, itaut ibi prima veluti digestio fiat, deglutiatur, si offas offis agglomeras, quin aliud quæras, quam suam famem explere, stomachum lapidibus, & silicibus onerat, & caro hæc licet salubris, & levis ægritudinem illius graviorem efficiet. Hoc ipsum dicendum est de veritatibus, quæ in libris continentur: si illas sine meditatione, & consideratione festinanter perlegis, quin easdem gustes; si non alia tibi mens est, quam onerandi memoriam tuam, tantum abest quod in anima tua sanctiores dispositiones immittas, eamque meliorem efficias, ac aptiorem quæ sequatur ea dogmata, quæ tanta cum pernicitate legisti; ut potius mentem tuam diffingent. Anima tua languidior fiet, aridior, majori siti, & esurie laborabit, quia tempus illis defuit, quo inde succum, & alimoniam perciperet. *Idem collatione pro prima post Epiphaniam Dominica.*

De libris hæreticis qui in religionis materia licentiam inspirant.

Quemadmodum non desunt optimi libri, optimeque orthodoxi, qui pietatem inspirant, & quibus non alius finis est quam virtus, hominumque profectus: ita & perniciosissimi, pessimique adsunt libri, qui calici meretricis Apocalypsios, vel Circis comparantur, ex quo nemo bibit, qui non sensum, & rationem amittat. Inter eos, qui periculosissimi habentur, quia sunt in summo gradu nequitiæ, recensentur hæretici, & in materia religionis laxiores, quibus addendi illi omnes, qui non sunt ab omni novitatis suspicione vacui in iis, quæ referuntur ad fidem. Idem spiritus, quo animantur, in eorum libris etiam invenitur; qui eos legit eorum tabem recipit, & sæpe inficitur prius, quam sibi ab iis cavendum agnoverit. Inde vero virus hoc adeo præsens, & mortale, vel saltem adeo periculosum efficitur, quod tanta arte, & dapibus ita exquisitis immiscetur, ut cum voluptate ebibatur. Illud jam epotatum fuisse ex præsumptione, & multo magis ex pertinacia cognoscitur; efficit enim, ut ad contemptum usque procedatur; & propriis etiam institutoribus, ac magistris obsistatur. Qui illud ebibit sese præceptoribus suis parem putat, & qui ab aliis docendus esset, tamquam Pythius Apollo haberi vult, & quidquid effutit, vult ab omnibus instar oraculi haberi. Si aliis plus lectionis permittit, sibi auctiorem ingenii vim arrogat, qui primo statim obtutu omnem difficultatem assequatur. Ita mendacium triumphat, & quia tectum est inductumque magnificis verbis, venustisque locutionibus, ab insciis, & imperitis tamquam veritas essentialis existimatur. Qui ab adeo periculoso veneno præservari cupit, numquam similes libros videre debet: omnia enim ibi contagionem perflant, & nemo citra periculum attingit humum, ubi anguis suum virus effudit. *Liber, qui inscribitur; Familia sancta, tomo 2. cap. 11. §. 9.*

Obligatio legendi, & meditandi scripturas Dei legem continentes.

Dei lex in sanctis veteris, novique testamenti scripturis continetur, easque legentes, & meditantes divinam nobis misericordiam promeremur. Qui Dei legem meditatur assidue, hic, S. Ambrosius *in Psalm. 118. serm. 10.* ait, certus esse potest, se præsentem semper habere gratiam, qua vivat in æternum: *Beatus vir.... qui in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Psal. 1. Qui legem meditatur, per legem docetur, & a Deo ipso legis auctore eruditur: ita ut doctrina, quam a lege recipimus, cum sit immediate a Deo per sanctorum librorum lectionem, jam quoddam sit beatæ vitæ principium. Ideo, S. Augustinus inquit, quotidie in Ecclesia legis libri, & sacra Biblia leguntur; nondum enim ad sublimem hanc scientiam pervenimus, quæ replet corda, & spiritus eorum, qui illam palam contemplantur. Eadem ex causa alii Sancti Patres hortantur, ut indesinenter sacram Scripturam legamus, & S. Joannes Chrysostomus lectionem hanc ita necessariam existimat, ut neque illos dispenset, qui sæcularibus sunt deditii negotiis, atque mundi hujus commercio impediti. *Moralis christiana in Pater tractatu secundo præliminari.*

Dispositio quæ requiritur in legente scripturas, aliosque Asceticos libros.

De lectione idem est ac de oratione; inutilis est, & fructu vacua, nisi fiat uti oportet. Nescimus, inquit Apostolus, quomodo orandum sit, & quid in oratione petendum; sed Spiritus sanctus orat pro nobis, videlicet nos orare facit gemitibus inennarrabilibus, quos verbum nequit exprimere. Ideoque antequam lectio suscipiatur, Spiritus sanctus precibus invocandus est, ut illius lumine illustrati, nobis per meditationem applicemus, quæ leguntur. Itaque verum erit dicere, nos a Deo doctum iri, nobisque hæc Psalm. 93. verba applicari posse. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Idem.*

Elogium libri Evangeliorum.

Ex toto sacrorum Bibliorum corpore, liber, qui Christianos maxime deceat, & audeo dicere, qui prorsus illis sit necessarius, ille procul dubio est, qui sanctum continet Evangelium, quod regula est, quæ nobis præscripta fuit, & secundum quam vivere decrevimus, cum Jesu Christi legem professi sumus. Divinus hic liber est oraculum, quotidie in necessitatibus, & difficultatibus consulendum; per quod Dei filius nobis de cœlo loquitur, nosque de nostris edocet officiis. Hoc illud testamentum est, quod nobis Pater noster reliquit, per quod extremam voluntatem suam nobis aperit; & ideo quod jugiter ob oculos, interque manus habere debemus. Hoc novum dicitur, quia immutabile est, & numquam veterascit permanens usque ad temporum finem idem, quod fuit ab initio. Semper novum est, quia verba, quibus constat, spiritus, & vita sunt, ac nos penitus renovat in Jesu Christo cor novum, novumque spiritum tribuens; & tem-

temporum decursu tanto magis novum erit, quo magis, magisque crescemus in vita nova, quam nobis Spiritus sanctus inspirat. *Idem*.

Quinam libri legendi sint.

Habemus sanctorum Patrum scripta, totque alia pietatis opera omnibus conscripta sæculis a pluribus viris sanctitatis laude florentibus, quos colit Ecclesia, & qui fidelium omnium laudes promeriti sunt tum doctrinæ, cum virtutis præstantia, & qui omnium manibus evolvuntur. Inter sanctos libros, qui a nobis legendi sunt, recenseo tractatus Asceticos, non ab Ecclesiæ Patribus solum, verum etiam ab aliis sanctis viris conscriptos; hi quippe, ut ita dicam, sunt totidem Evangelii interpretes, per quos nobis loquitur Deus; & quemadmodum illos spiritu suo Deus replevit, cum scripserunt ea, quæ nobis scripta reliquerunt; quodammodo dicere possumus de illis, quod de antiquis Patribus, quorum mentio fit in Scripturis, S. Gregorius ait, illos esse veluti tot organa, per quæ loquitur Deus, cum illorum verba, & facta leguntur. Cum itaque tot nobis valida suppetant subsidia, liquet, Christiano de sua salute sollicito aliquam temporis sui partem piorum horum librorum lectioni esse impendendam; verum lectio eo modo, quo opus, instituenda est, ut aliquis inde fructus percipiatur. *Idem*.

Necessitas bonos libros legendi.

Sancti, Asceticique libri, Pater quidam ait, sunt veluti Epistolæ, quas scripsit Deus, & ad homines misit; hæ igitur Epistolæ sunt legendæ, ut quid a nobis Deus quærat, intelligamus. Dei verbum, quod continent, vel in sacris Bibliis expressum, vel in aliis voluminibus explanatum, est veluti robur, & cibus animæ: ita hos legens libros anima suum panem sumit, & comedit, ut loquitur David, quo si negligat vesci, fieri nequaquam potest quominus langueat, atque hostium suorum conatibus cedat. Unica sæpe scripturæ vox sufficit, ut magnos in anima edat effectus, quod S. Augustino, aliisque plurimis accidit. *Auctor Anonymus*.

Ethnicorum libri absolute non prohibendi.

Nimia severitas esset pueris Ethnicorum libros prorsus interdicere, quia plurima admodum utilia in iis continentur: verum opus est, ut magister illos christianos efficere noverit eo modo, quo illos explicabit. Non desunt in eorum scriptis sententiæ quædam, quæ prorsus veræ sunt, & istæ per se christianæ sunt; omnis enim veritas a Deo est, & pertinet ad Deum. Illæ igitur simpliciter approbandæ sunt, atque ostendendum, religionem christianam eas longius provehere, earumque veritatem melius ob oculos ponere. Non desunt aliæ, quæ in ore quidem Gentilium falsæ sunt, & in christianorum ore solidissimæ, verissimæque; hoc autem scitus magister debet ostendere Ethnicæ disciplinæ vanitatem ostendens, eique soliditatem principiorum christianæ religionis opponens. Denique aliæ omnino sunt falsæ, earumque falsitas perspicuis, solidisque argumentis est ostendenda. Hoc pacto omnia in libris erunt utilia, iique fient tamquam Ascetici libri; quandoquidem erroribus etiam, quos continent, utemur ad eas, quæ illis oppositæ sunt, veritates probandas, ac melius ostendendam cæcitatem, in quam culpa humanum redegit spiritum, ac divini luminis necessitatem ad hasce tenebras dissipandas. *Essais de morale, tomo 2. sub finem educationis Principis*.

De malis libris idem dicendum ac de colloquiis pravis, quæ mores corrumpunt.

In Corinthiis *in ep. 1. c. 15.* prohibet S. Paulus ne impiorum audiant sermones; atque Apostoli verba æque notanda sunt, ac necessarium est hoc interdictum: ***Corrumpunt mores bonos colloquia prava***. Hoc satis esset, ut ab impiorum librorum lectione nos deterreret, quia libri mali ex malis constant sermonibus; verum hoc satis non est ad nobis omnem immittendum horrorem, quem libri mali merentur; quia eorum lectio malis colloquiis longe est perniciosior, & in corda nostra majori vi, licet non æque palam, operatur. Quacumque arte homo, qui decipere studet, nos alloquatur, quocumque ardore sermones suos roboret; sentimus cor nostrum lædi ex iis, quæ audax nobis proponere nititur, & neque honestas, neque decor ipsa patitur, illum tranquille audiri. Licet secretam aliquam foveremus propensionem in scelus, quod ille nobis persuadere conatur, pudorem omnem abjecisse putandus est, qui sine resistentia ei præbet aures; & quamvis memoria retineat, nobisque repræsentet, quod perditus homo enarravit, omnia tandem delentur, vel imbecillius agunt, cum evitatur occasio, uti præcipit Deus. Librum vero numquam non ultro legimus; & non contemnendum crimen jam est, cum certi sumus illum esse malum, vel ejus legendi auctoritatem nobis non esse. Illum citra verecundiam legimus; nos ipsi soli hoc scimus: mens ita suæ vacat voluptati, ut ne animum quidem advertat ad malum, quod operatur, in iis acquiescit, quæ sibi placent; primum quidem incuriosius illum percurrit; mox per otium attentius evolvit, inde illum relegit, & gustat, quidquid ibi sibi placet, & illinc cum summa voluptate omne virus ebibit. *P. Heliodorus Capuccinus sermone de lectione*.

Adolescentula quædam re adhuc integra primas peccati cogitationes magis timebat, quam periculosissimorum morborum accessiones, crebro ad Sacramenta accedebat, bonis vacabat lectionibus, nihil antiquius habebat, quam salutis suæ curam; & sancta hæc principia felicissimum exitum promittere videbantur. Undenam factum est, quod modo mundo servit, & sibi fas esse putat, quæ minime decent; omnibus voluptuariis cœtibus interest, fugit Sacramenta, nullum habet amplius devotionis sensum, ac demum nullam vel officii, vel existimationis, vel salutis suæ curam gerit? Inde sane, quod librum amatoriis nugis, fabulisque refertum, quod comœdias legerit. Colloquia validissimis condita illecebris nihil profecerant; lectio sensim perfecit, quod mundi sermones forrasse nondum inceperant; curiositas impuritati, ac licentiæ aditum reservavit. *Idem*. — Libri obsceni integerrimos etiam corrumpunt.

Tertullianus *de carne Chr. c. 7.* ait sermonem, quo dæmon primam corrupit mulierem, fuisse generalem causam mortis corporum, & animarum: *Verbum ædificatorium mortis*. Verum possumus affirmare, malos libros esse perpetua hujus inimici salutis nostræ instrumenta, cumque hoc scripto, typisque edito verbo innumeras animas occidione delere. Cum illud diu duret, & vigeat, vastitatem hanc afferre non cessat: neque pravorum horum effectuum culpa vacatis, si quid confertis existimationi, aut venditioni librorum, qui perniciosæ sunt causæ illorum. In eamdem sententiam S. Chrysostomus *hom. in Gen.* conspirat, & ait primam mulierem virorum primo, totique posteritati propinasse venenum eo sermone, quo ipsum allocuta est, ut eum ad vetiti fructus esum induceret; cumque nihil non mortale, funestumque concepisset eo in colloquio, quod habuit cum dæmone, non aliud parere potuisse quam mortem, & inspirare Adam, quod sibi in corde fuerat a dæmone instillatum. Itaque ne dubites infamem hunc librum, hunc impium librum animæ tuæ, amicorumque tuorum, quibus illum commodaveris, mortem futurum; virus ab eorum manibus in cor eorum migrat; servique tui, qui se illum legentem videbunt, & qui, si poterint, & ipsi eum legent, venenum hoc epotabunt, ibique mortem invenient. Hoc vero veneno huic inest peculiare, quod sola etiam potatur cupiditate, & ut pereas, satis est, illud ebibere velle. Profecto negare nequis, quominus sis causa plerorumque horum scelerum emens, retinens, legens, laudans, & pravos hosce libros commendans. *Idem*. — Mali malorum librorum effectus.

Inter terribiles malorum circumstantias, quæ pravi libri pariunt, non postrema illa est, quod hæc mala fere sunt incurabilia; cujus rei hæc causa est; quia corruptio spiritus gravissimum est peccatorum conversioni obstaculum; etenim spiritus, qui fidei sensus retinuit, cordis rebellionibus adversatur; sed spiritus noxiis corruptus lectionibus cordis corruptionem fovet sensibus oblectationis, — Mala, quæ ex malis libris proveniunt, fere incurabilia.

cam-

eamque falsis ratiociniis, jucundisque speciebus corroborat. At ad generalem hanc rebellionem superandam validiores requiruntur gratiæ; & constat, hæc subsidia eo longius abesse, quo corruptio hæc universalis magis est odiosa Deo, sanctitati illius magis opposita, præceptis gloriæque ejusdem contraria. *Idem*.

Nihil majore gignit mala, quam pravorum lectio librorum.

Olim de summo quodam viro dictum fuit, neminem eodem melius scripsisse, cum bene scripsit, neminem vero deterius, cum male. Multa quidem respondenda essent, si hanc propositionem vellemus asserere; verum fatendum est, librorum compositionem, editionemque in maximorum honorum numero esse recensendam, cum libri, qui typis eduntur, boni sunt; quia inde homines seu pro tempore, seu pro æternitate non exigua bona percipiunt. Verum etiam Sole ipso clarius est compositionem eamdem, editionemque inter sæculi mala non postremum obtinere locum, cum in lucem pravos proferunt libros. Hac de causa Concilia peculiari cura edixerunt, nefarios libros flammis esse adjudicandos; & hæc una ex iis rationibus est, propter quas non supersunt amplius Valentini, Marcionis, Arii, Eunomii, Nestorii, Pelagii, aliorumque plurimorum hæreticorum scripta; licet eorum quidam innumeros ferme libros ediderit. Concilia Nicænum, Carthaginiense, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum præceperunt, ut nefariorum horum auctorum opera concremarentur; & zelus, quo Catholici Imperatores hoc expleri jusserunt, eos fere omnes sustulit, ita ut sola eorum hodie memoria supersit, quam omnes oderunt, & execrantur. *Idem*.

Adhortatio, ut & hac in re Ecclesiæ fideles nos submittamus imperiis.

Pareamus, fideles, iis, quæ Ecclesia, ratio, conscientiaque nobis imperant. Ne nosmetipsos in periculum intereundi adducamus; neque tot alios in idem periculum objiciamus, ut eam expleamus curiositatem, vel desiderium, quo flagramus, sciendi, discendique, cui quidem satisfacere possumus tot aliis libris eadem cum innocentia, & voluptate. Non minorem pro nostra salute, ac pro aliena zelum habeamus eo, quem tot insignes Præsules, Principesque ostenderunt; non minor hac perfecta fidei Christianæ ætate nobis integritas adsit, atque constantia ea, quam Ephesii fideles in ipsis fidei suæ exordiis ostenderunt. Scindamus, uramus, uti ratio, & Ecclesia postulant, hæc nefaria, & perniciosa opera: nonne præstat illa comburere, quam nos ipsos æternis flammis adjudicari? *Idem*.

Lectio spiritualis aliquo in se præstat ipsi divini Verbi prædicationi.

Ut dignam spiritualis lectionis existimationem concipiamus, Sancti illam divini Verbi prædicationi comparant, & dicunt, nisi lectioni ea omnis vis, & energia adsit, quam viva vox potest habere, longe plura tamen eidem inesse commoda, quæ vivæ prædicatiorum voci desunt. Primum non ita facile est quovis tempore concionatorem habere, uti facile est quovis momento bonum habere librum. Secundò quidquid optimum a concionatore dicitur, pernicissime transvolat, ideoque omnem effectum nequit obtinere. Tertio per lectionem cum summis viris, sanctissimis hominibus, maximisque Ecclesiæ Doctoribus conversamur; & modo cum hoc, modo cum illo colloqui possumus, eosque audire, quasi re ipsa præsentes adessent, atque illos loquentes audiremus. Denique bona, quæ ex spirituali lectione possunt hauriri, tanta sunt, ut S. Hieronymus loquens de interiori animæ incendio, profiteatur nullum esse dubium, quominus illud ex sacris libris procedat, quorum lectione anima divino igne succensa ab omni labe penitus expiatur. *Rodriguez tract. 5. cap. 28.*

Bonorum librorum legendorum negligentia nota est negligentiæ propriæ salutis.

Negligentia, atque contemptus, quo plurimi bonorum librorum lectionem aspernantur, palam testantur salutem ipsorum nullo fere in discrimine illis esse, quoniam parum adeo discere curant rationes, quæ in illis ejusdem desiderium accendere, eosque ad eam acquirendam possunt excitare. Ad prædicationem audiendam pergo, ais, cujus nonnisi tamquam supplementorum aliquod librorum lectio est; sed quamvis etiam Concionatores de omnibus veritatibus ad salutem necessariis te erudirent, difficile esset eas in sermonis decursu percipere, quia sæpe attentio nostra deficit; & operosum quoque esset eas retinere, quia sermo semper memoria ipsa celerius decurrit. Ad hæc certum est, terræ hujus negotia sæpe nos a cælestibus negotiis avertere; sed Ascetici libri docent, vel ob oculos ponunt, quod ignoramus, vel quod uti opus est minime consideramus. Nos erudiunt, atque hortantur tamquam omnium dierum, horarumque omnium concionatores; in pluribus lectionibus id retinemus, quod in concione ne animadvertimus quidem: secunda, ac tertia lectio illud cor debellat, quod prima non moverat. Si virtute præditi sumus, S. Chrysostomus inquit, inita consilia corroborant; si quid ausi sumus officio nostro contrarium, lectiones bonæ levissimorum etiam criminum metum injiciunt; graviorum horrorem immittunt, & utraque curant; cum sæpius legimus: quemadmodum iterata pharmaca ad cicatricem vocant ea vulnera, quæ primo non curantur plasmate. Hæ lectiones nos urgent, & ad pœnitentiam agendam impellunt; atque ita hæc lumina perficiunt fructus, quos gignunt, eosque ad maturitatem usque, & perfectionem adducunt. Negligere igitur id, quod tot rationibus nostræ aliquid conferre potest saluti, nonne est salutem ipsam negligere, ac ostendere, quod illa nullum nobis negotium facessit? *P. Heliodorus Capuccinus eo libro, & loco quos jam memoravimus.*

Plurimi sunt Ascetici libri, eosque eligere possumus, qui nobis sunt utiliores.

Pietas non minus fœcunda est, quam scientia vanitas, scelus; non pauciores fert libros ad hominum sanctificationem, quam scientiæ in lucem edant ad eorum eruditionem, scelus ad interitum, & vanitas ad inanem nominis auram. Pietati infinitum fere voluminum debemus numerum, & quamvis terminos cum adfectatione non quærat (argumentum enim quod tractat per se in pretio est habendum, & ornamenta nullum eidem adjungere possunt nitorem) non negligit tamen vividas, vehementesque locutiones; non respuit ornatum, qui eam Deo magis acceptam efficit, quia aliquid confert, ut homines alliciantur ad Deum, & scit se nihil nisi ad majorem Domini gloriam acquirere posse, cui uni placere desiderat. *Idem*.

Inanes excusationes, quibus Asceticorum librorum lectio rejicitur.

Undenam fit, ut cum sis christianus, teipsum ab ea lectione dispenses, a qua ne seipsum quidem dispensabat Apostolus? Pluribus impediris negotiis? Judas Machabæus jamjam prælium initurus tempus nanciscitur, quo aliquid ex sacris Bibliis delibet, ac inde tantum sibi honoris, quantum patriæ suæ utilitatis reportat. *Lectio sancto libro. 2. Mach.* 8. Doctus es, neque indiges librorum adminiculo, ut doctior fias? at illi etiam, qui doctissimi habentur, nonne aliquando, quæ didicerunt, tenentur repetere, & nonne aliquando sui obliviscuntur officii? Numquid doctior es S. Paulo, & in eadem schola, & ab eodem Præceptore institutus, qui eadem scientia, & eadem veritas est, & qui alterum erudiebat pro universo terrarum orbe magistrum, hunc sibi formans discipulum? Virtute præditus es? at num magis quam primi fideles, quam S. Timotheus? Numquid hunc S. Paulus a lectione censebat immunem? Immo nonne hanc illi tamquam maxime necessariam commendabat? Dices fortasse, libros plurimo venumdari argento? Heu! nonne invenitur pecunia pro sexcentis rebus, quæ supervacuæ sunt, pro libris curiosis, & nonnumquam impiis? nonnisi ubi officium, & nostra salus agitur, pauperes sumus. Tantus præstantium librorum numerus, qui adeo modico pretio comparantur, inanem prorsus hanc excusationem efficit; præterquamquod non deessent viri boni, qui libenter pauperibus, qui litteras scirent, hujusmodi libros commodarent.

De lectionibus indifferentibus ad optimum finem dirigendis.

Vix ullum ex toto elapsis sæculis fuit æque veterum auctorum curiosum, & adeo ferax recentium, ac nostrum istud; numquam locupletiores fuere Bibliothecæ libris compositis, ac in omnes linguas translatis; idque omnibus in argumentis, quæ sciendi cupiditatem possunt explere. Haud equidem credo, bene dicendi artem, historiam, omnes Philosophiæ partes, Jurisprudentiam, Theologiam, aliaque argumenta, quæ hanc eamdem explere valent sitim, & aliquid publico bono conferre, tanta perspicuitate, ordine, elegantia, facilitate, quanta hoc sæculo pertractata fuisse. Non desunt homines, qui ex professione sua hujusmodi lectionibus vacare tenentur, & qui ex conscientia erudiri debent de iis omnibus, quæ ad eam, quam amplexi fuerunt, vitæ rationem pertinent, & quam nonnisi sufficienti ingenio donati amplecti potuerunt; & quia infidelis est memoria; & novæ quotidie difficultates occurrunt, debent nonnumquam ad libros tamquam oracula confugere, rationemque reddituri sunt Deo malorum omnium, quæ ipsorum gignere posset ignorantia, & sæpe etiam eadem reparare tenentur. Hæc eadem lectio nequaquam prohibita est iis, qui alias vitæ rationes secuti fuerunt. Naturalis hominum propensio erga scientiam innocuis lectionibus potest expleri: spiritus perfectio non est voluntatis perfectioni contraria; infidelis Deo non est, qui opera illius cognoscere studet: quod nobis recentes illius admirandi, amandique rationes suppeditat, ab illius cultu nos nequaquam avellit: Deus æquus est, neque prohibet homini ejus facultatis exercitationem, qua inter cætera animantia distinguitur. Immo neque sibi persuadere quispiam debet, rationabili hac libertate quemquam dispensari ab ea attentione, quam suis debet officiis, vel illam eo usque extendi, ut illi inutiles professioni suæ lectiones permittant, cum ejusdem conscientiæ sint periculosæ. Curiositas, aut vanitas non conferunt jus legendi, quod professio, & publica utilitas quosdam scire cogunt; illi ipsi, qui hujusmodi lectionibus vacare coguntur, nonnisi summa præcautione illis operam dare debent; quæ procul dubio pravos gignent effectus in eorum mente, qui citra necessitatem, & sine causa illis occupantur. Cæterum jam culpa non caret sese malo, quod accidere potest, objicere. *Idem*.

De inventione scripturæ, typis scripti & librorum.

Scribendi, edendique typis inventum inspiravit Deus ad prævertendas jacturas memoriæ earum rerum, quæ gestæ sunt; duobusque hisce adminiculis humanus spiritus firma efficit verba, quæ natura sua fluunt; ac immortalitatem impertit sermonibus, qui vix nati occumberent, & qui ad perfectionem deducti, jam non esse inchoarent. Satis admirari non possumus, quod hac in re calamo, ac stylo plus insit virtutis, quam linguæ; quod mortua instrumenta quamdam immortalitatis speciem tribuere valeant verbis, quæ a lingua vivente privilegium hoc nequeunt accipere; quod modico attramento omnes hominum cogitationes exprimere possint, & hoc uno colore exhibere nobis quidquid in mundo est, vel fuit; qualitates omnes, omnem scientiam, omnes magnorum virorum actiones, quidquid dignum, indignumque memoria est; immortalitatem conferre iis, quæ mortua sunt, communicare id, quod non habent, atque tot res ab temporum injuriis vindicare, a quibus semet nequeunt eripere. *Idem*.

Boni sermones malique naturam non mutant, sive in ore sint, sive in scriptis.

Verba, & sermones ejusdem naturæ sunt sive in labiis, sive in papyro: quidquid os proferre potest, quidquid calamus scribere, quidquid torcular excudere ejusdem speciei sunt. Impius sermo non minus impius in libro est, quam in labiis; sermo indifferens, sermo pius speciem non mutat sive audiatur, sive legatur: os, calamus, torcular illum in ipsius natura relinquunt, & postrema duo illi firmitatem, ac diuturnitatem tribuentia speciem, & qualitatem ejus non mutant. Libri vel boni sunt, vel mali, vel neutri uti sermones, sive libri typis editi sint, sive manu scripti. Omnes isti libri licet diversæ speciei, in hoc tamen conveniunt, quod eorum lectio aliquando præcipitur, aliquando permittitur, aliquando prohibetur. *Idem*.

Quidam ex officio tenentur malos libros legere, eorumque lectionem prohibere.

Lectio librorum, qui fidei, bonisque moribus contrarii sunt, pars est officii nonnullorum, quos vel suscepta provincia, vel superiorum imperium illos ad examen revocare cogit, eosque refellere, vel proscribere. Viri hujusmodi, quibus vel officium, vel imperium hanc tribuit auctoritatem, legere possunt hæreticos, impiosque libros, ut videant utrum eorum doctrina æque mala sit, ac eorum existimatio, & utrum æque pravi sint, ac infames. Ipsa etiam conscientia non sinit, eos hujusmodi lectiones relinquere; & non minus illi tenentur hos libros evolvere, quam Judices teneantur nocentem interrogare. Ecclesiastici superiores non vacarent culpa, si damnarent, vel censoriam notam affigerent libro, quin illum vel per se, vel per alios scientia, & probitate præditos explorassent; quemadmodum peccarent Judices, si contra reum indicta causa ferrent sententiam; & quamquam difficillimum sit hos libros citra periculum legere, publica tamen utilitas non minus illos excusat, quos ratio muneris sui, vel superiorum jussio eosdem legere cogunt, quam Confessarios, vel Medicos, qui periculosa nonnumquam legunt, sed certo consilio illis ad hominum valetudinem, vel salutem utendi; & Deus, qui præcipit illis, ut hujusmodi lectionibus erudiantur, numquam eas denegat gratias, quæ necessariæ sunt, ut illi se ab hac contagione præservent. *Idem*.

Libri contra fidem, bonosque mores prohibiti sunt, & quid sibi velit, interdictum.

Lateranense Concilium Episcopis præcipit, ut ad examen revocent libros, qui contra fidem, bonosque mores sunt, atque ut de illis per se, doctosque viros judicium ferant. Concilium Tridentinum, Summique Pontifices, qui post illud rexerunt Ecclesiam, quam debent, adeo necessarii examinis curam susceperunt. Hoc nequit esse etiam in illis, quos Cœlum, ac terra probant, quia citra inobedientiam id negligere nequeunt; immo e contra labor est immortali gloria dignus operam navare, ut licentia, hæresis, ac impietas evellatur. Quod si Laici quidam prohibitos, damnatosque libros legendi obtinent facultatem, harum dispensationum non leves esse debent causæ, personæ tutæ, & præcautiones servatæ. Simplex curiositatis ratio non sufficit hujusmodi facultatibus impetrandis; rationabilis requiritur credendi causa lectionem hanc utilem vel Ecclesiæ, vel petenti futuram, neque tuta conscientia ulli tradi possunt arma, quibus metuendi ratio subest, ne ille contra seipsum utatur. *Idem*.

Quid de amatoriis libris sentiendum.

Profecto non ii tantum libri, qui obscœnis narrationibus repleti sunt, sed illi etiam qui amatoriis fabulis sunt referti; comœdiæ, historiæ ad voluptatem ciendam concinnatæ, & peccare docentes, quemadmodum Ethnicus quidam eas nuncupat; *Peccare docentes historias*; libri hujusmodi, eorum lectio, & oblectatio, quæ illinc petitur, sunt Christiano homine indigna, qui omnes cognitiones suas ad Deum debet referre, & uti talentis, quibus ab illo donatus fuit, ut saluti suæ consulat, & alienæ, quantum sui muneris, ac professionis postulat ratio. Et sane inficias ibit nemo, hujusmodi opera bonis moribus infinitam afferre perniciem, quia fere semper in legentium animis relinquunt ideas, ac sensus puritati contrarios. Profecto ad morum corruptionem evitandam, quam illi quocumque possunt inferre, Ethnici quoque illos ex Rebuspublicis eliminandos, proscribendosque censuerunt, existimantes, ut quidam ex eorum auctoribus inquit, lectionem adeo parum honestam corrumpere facilius posse virtutis sensus, quos pueris ab ineunte ætate inspirabant, quam eorum excolere ingenia: *Noluerunt his libris liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus nocerent, quam prodessent*

inge-

ingeniis. Valer. Maxim. Itaque nihil intentatum reliquit Ecclesia, ut fideles a lectione librorum adeo periculosorum deterreret, non minus fidei, quam morum puritatis gerens curam. Hac mente Nicænum Concilium, historico Nicephoro teste, tulit anathema contra Arii librum, cui titulus *Thalia*; quia stylus illius laxior erat, & effœminatus. Eamdem praxim servavit Ecclesia in quodam Provinciali Concilio erga Heliodorum Episcopum, qui de gradu deturbatus fuit eo, quod flammis absumere noluerat Ethiopicorum Historiam, vel amores Theagenis, & Caricleæ. Cum enim amatorii hujus libri lectio perniciosam in adolescentum animis impressionem effecisset, Provinciale Concilium præcepit, ut vel hic liber, qui impuri amoris ignem accenderat, igni addiceretur, vel Episcopus, qui illius Auctor extiterat, de Episcopali dignitate dejiceretur; qui cum mallet Episcopatu se abdicare, quam sua scripta flammis comburere, juridice loco motus fuit. *Thiers in tractatu de ludis, atque solatiis c.* 10.

Fabulosi amorum libri iis periculosi sunt, qui virtutem, & pietati colunt.

Quantumvis oscitanter ad examen vocentur fabulosi amorum libri, ii etiam qui honestiores videntur, haud ægre quivis judicabit illos rejiciendos esse in eorum numerum, qui mundi spiritum inspirant, ac devotionis, & pietatis spiritum in iis etiam suffocant, qui virtute prædíti sunt, ac sanctissime instituti fuerunt. Sancta Theresia fidele perhibet testimonium malorum, quæ horum librorum lectio primum in sua peperit anima. En quid illa fateatur: incœpi, ait illa, passim fabulorum amorum lectioni vacare; atque lectio hæc incœpit teporem injicere ardentibus desideriis, quibus Deo servire flagrabam, & ex corde meo pietatis sensus proscribere. Non adeo magnum mihi videbatur malum plures diei, & noctis horas ineptæ, inanique huic impendere occupationi, in qua ita tota eram, ut mihi non viderer voti compos nisi recentem aliquem bujus generis librum invenirem. Incœpi tunc velle secundum ejus temporis consuetudinem indui, unguentis oblini, omnesque vanitates consectari, quas meæ conditionis ratio patiebatur. Ex hujusmodi initiis, ait vitæ ejusdem historicus, plurimum primæ charitatis ardor deferbuit; alia ex parte gratia obscurari cœpit, & cor illius, quod antea divino erat amore succensum, pene in eam, quam diligebat, vanitatem transformatum est. *Idem*.

Mala, quæ amatorii libelli pariunt, merentur, ut in auctores animadvertatur, eorumque libri flammis absumantur.

Si debitus adhibeatur honor amatoriis libellis, atque præclaris fabularum voluminibus, quorum numerus quotidie non sine Christianæ religionis dedecore augetur, in eumdem fere cogentur ordinem, in quem hæreticorum libri rejiciuntur; si enim eorum nequitia tanta non est, est magis communis, ac a pluribus sentitur. Eo majorem habent pravitatem, quo majorem testantur innocentiam, & sub solatii colore vitium inspirant. Neque alios hujus veritatis assertores affero quam Episcopos, qui Thessalonicam Concilii gratia convenerunt: hi de Episcopali sede Heliodorum dejecerunt, quia in lucem ediderat suam Caricleam, eumque omnibus dignitatis insignibus exuerunt. Patres illi in severam adeo sententiam tunc tandem consensere, postquam diligenti examine ea reputarunt mala, quæ adolescentia, immo etiam provectior ætas ex adeo pernicioso libro percipere poterant. Jucundæ narrationes, atque ethopœjæ illecebris refertissimæ illum tutatæ non sunt; ac justissima censuræ nota subeunda auctori fuit, quia non satis humilitatis habuit, ut opus suum differretur. Prudenter summi illi viri censuerunt, adolescentiam per se nimis esse in vitia proclivem, quin in illa pertrahatur, vel impellatur, atque ignem concupiscentiæ nimis esse ardentem, ea vero potissimum ætate, quin oleum camino addere oporteat: quamobrem licet opus tale ferri potuisset, si a prophano auctore fuisset conscriptum, jure igni devovendum judicarunt, quia Episcopum habebat auctorem. Sortem hanc tot merentur volumina fabulosis referta narrationibus, & historiis ad voluptatem inventis, quas vernaculo nomine dicimus *Romans* propter insigne naturæ ejusdem opus, quod eodem nomine appellabatur, & quod jam trecentis ante hoc tempus annis præter propter conscriptum reliquis ejusdem farinæ libris suum nomen reliquit. Dici nequit quantum malorum flagitiosissimus hic liber peperent, quæ Gersonis Magni Cancellarii zelum excitarunt ad eorum cursum inhibendum; qui ejusdem auctorem miserrimo Judæ comparat propter criminis enormitatem. Heu! Quot sunt hujus characteris libri in Gallia, Hispania, Italia, regnisque omnibus? libri qui hujusmodi continent narrationes, quarum lectio nonnisi bonis moribus corrumpendis inservit. *P. Cordier tomo 2. Familiæ Sanctæ*.

Hujusmodi librorũ lectio nequicquam probare quidam contendunt.

At enim libri nunc honestiores sunt, atque iis rebus omnibus carent, quæ mentem quidem fœdare, animum vero corrumpere possunt; non enim sunt nisi jucundæ fabellæ, ubi insanus amor tanto excipitur contemptu, quanta prudentia sapiens, & honestus amor docetur; de morum licentia nullus ibi accidit sermo, nisi ut damnetur; ubique laudibus celebrantur modestia, & innocentia; quarum alterutra semper historiam concludit; & si quid ab hoc charactere occurrit abnorme, statim suum nanciscimur antidotum, atque remedium antequam possit nocere. Sed quæcunque ratio afferatur ad excusandos pravos affectus, quos id genus libri pepererunt, hodieque pariunt, hæ malæ arbores censendæ sunt, quia fructus earum mortem quidem plurimis, salutem vero nemini attulerunt. Illud autem de illis mitius judicium ferri potest; hujusmodi lectionem inanem esse cibum alendi virtute carentem: virtutes, quæ ibi descriptæ sunt, in imagine tantum sunt, vitia vero reipsa. Si quid bonum ibi legitur, in animum non illabitur, & fabula quædam censetur; malum vero, quod ibi deprehenditur tamquam veritas consideratur. Falsa perquisitio, & imaginaria voluptas eamdem efficiunt in animo legentium impressionem, ac si res cum omnibus illis peracta fuisset circumstantiis, quibus est exornata. At hoc ipsum non accidit generosæ repulsæ, vel bene servatæ integritati; nam præterquamquod malum credimus facilius, quam bonum propter generalem in qua vivimus corruptionem, certum est pulchris actionibus nos nequaquam æque moveri ac pravis; quia illæ sensus nostros excedunt, & nonnisi a spiritu percipiuntur. Ita peccati permanet occasio, & virtutis decor evanescit; quamobrem sapientes viri hujusmodi illustres, industresque fictiones adolescentiæ venenum esse censuerunt. *Idem*.

Vide a nobis dicta titulo de ludis, spectaculis, comœdiis &c.

Quamvis malum, quod ex hujusmodi librorum lectione procedit ad ea usque non pertingeret mala, quæ nihilominus passim videntur; periculosum tamen adolescentibus est, insomnes ducere noctes, ut videant finem ejus facinoris, quod gustare incœperunt. Illos curiositas urget, neque ullam percipiunt requiem, nisi ejusdem finem fuerint intuiti. Hoc in cor eorum aculeum jacit, quem, ubi voluerint, evellere nequeunt. Fabulosi casus isti ita bene concinnati sunt, ut nonnisi cum postrema pagina spiritus curiosus illos relinquant. Repetat modo adolescens ille, vel hæc puella amoris spicula corde gerens omnes casus, quos legit (ea enim omnia, quæ legit, jugiter menti illius obversantur) in mentem revocet occursus meditatos, tenera colloquia, inopinatas artes, indictos ad conveniendum locos ita belle dispositos, omnia parata, ut e voto initum cedat consilium; quem fructum præstolaris ex his omnibus, quæ indesinenter in spiritu ejus versantur? Profecto minus malum, quod metui queat, est pietatis jactura; neque enim credi potest, quantum hæ insanæ cogitatione procul amoveant omnem Dei, salutis, alteriusque vitæ curam: at inde ut plurimum accidit, quod spiritus, qui imaginariis hujusmodi casibus innutritus est, in praxim redigat, quidquid legit, & ex vitæ ratione alicujus re-

linguæ thesauros inquirere possumus, quin in insidias impingere metuamus. Libri, qui de linguæ nostræ dignitate, ac venustate loquuntur, plurimi sunt; atque horum præceptorum exempla in sacris æque, ac prophanis historiis, in remotissimarum regionum enarrationibus, & in ipsis scientiarum tractatibus invenimus. Eruditi scriptores isti scientiam cum elegantia consociarunt; scientia nos docet, quin barbarorum vocabulorum strue nos lacessat; neque venustiores dicendi formas dediscimus, cum mentem rebus optimis replemus. Si etiam libri, qui ea pertractant, quæ ad pietatem pertinent, hæc in contemptum non adducunt invenustis vocibus, vel ineleganti syntaxi. Pietas quoque credidit se carere non posse cura infirmitatibus nostris necessaria; & licet hoc præcipuum minime putat vocabulis inhærere, nostro se accommodat ingenio, ac nobis hæc cedit utilitas, quod eodem simul tempore & bene loqui, & bene vivere discamus, & simul linguam, mores, ac spiritum formare possimus. Sed licet alterius mundi lingua loquendum esset, licet inculti, ac barbari essemus habendi, tunc hæc quoque nobis ferenda esset injuria, potiusquam bene loquendi ars ex iis petenda esset voluminibus, quæ malum docent, & ad peccandum sollicitant. *Idem*.

Homine Christiano indignū est amatoriarū fabularum lectioni vacare.

Quodnam est horum librorum argumentum? Inventiones, doli, artes, exitusque prophani amoris, quorum lectio in idolorum cultoribus, qui verum Deum neque norunt, nec diligunt, vix esset ferenda. Verum quænam intercedit ratio inter Christianæ pietatis professionem, horrorem peccati, amorem, & praxim continentiæ, Jesu Christi imitationem, firmam in verbis ejus fidem, & lectionem amatoriarum fabellarum, quarum ficta argumenta omnes Christianas virtutes oppugnant? ... Lectio hæc in anima omnes Christianæ pietatis, divinique amoris, qui ejusdem perfectio est, suffocat sensus. Tandem enim si contraria contrariis extruduntur, quæ magis opposita sunt, quam divinus amor, atque prophanus? Inde igitur sequitur, & quotidiana docet experientia; simulac prophanus amor corde aliquo potitur, inde amorem Dei exulare, & prout alter accenditur, alterum extingui, & penitus evanescere. *Liber, cui titulus: Familiarum Christianarum Pædagogus, præcepto ultimo de pravorum librorum lectione.*

Mira impressio, quā in legentiū animis hujusmodi librorum lectio relinquit.

Ut liqueat quamnam in animarum mundanarum mentibus impressionem relinquat amatoriarum fabellarum lectio, audi, qua de re in cantibus illæ loquantur, & quid secum reputent in solitudine. Non aliud animo versant, nisi quod legerunt; modo invident fortunæ perditi amatoris, modo artes admirantur, quibus usus fuit, ut votorum summam consequeretur, modo illectæ sunt objectis, quæ imaginatio illis suavissima repræsentat: hæ sunt cogitationes, quibus animæ effeminatæ occupantur. De quibus loquuntur ex cordis abundantia, narrant Heroum, insigniumque fœminarum eventus, quibus mens eorum repleta est; & si forte eo in cœtu, in quo adsunt, accidit sermo de virtute, vel aliquo pietatis facto, quam nauseam, quod fastidium præseferunt? *Idem*.

Pravi libri pravis sermonibus deteriores.

Inter prava colloquia illa magis metuenda sunt, quæ periculosorum fiunt lectione librorum. Viva vox sæpe fluxas efficit impressiones; scripta manent, & ubi placuerit, legi possunt; attento spiritu per otium leguntur; vacat illis animum advertere, in illis voluptatem, solatiumque suum mortales constituunt; eaque illis impendunt plerumque momenta, quibus spiritus affectionum objectis maxime patet, ac minus sibi cavet; quibus cor magis iis rebus afficitur, quæ illius studiis velificantur; quibus denique impressiones magis vividæ; jucundæque sunt, magis profundæ, ac fere indelebiles. In hominum cœtu ea, quæ dicuntur, sæpe nobis ruborem offundunt, aliorum adspectus aliquam nobis verecundiam, & reverentiam inspirat: at cum legimus, non erubescimus; nihil nobis metuendum est; vitium liberius sese prodit; ideoque si secundum Ethnici cujusdam effatum, quod S. Paulus adoptavit, bonos corrumpunt mores colloquia prava; pravi libri hoc tutius, ac validius efficiunt. *Liber cui titulus: Excerpta ex operibus plurimorum Sanctorum Patrum, recentiumque scriptorum.*

Malorum librorum lectio periculosior est malorum hominum consuetudine.

Malorum lectio librorum moribus magis officit, quam malorum hominum consuetudo; liber enim, ubicumque voluerit, potest accipi, & legi; venenum illius semper præsto est, ut sese effundat; ac semper idem est, semperque eamdem habet contagionem. In libro nihil non meditatum occurrit; verba magis vivida sunt, atque valida; sermo compositus magis, & suavior; narrationes comptiores: omnia nitent, melius digesta, ac in ordinem deducta, nec non ad cor fictis coloribus corrumpendum ipsis etiam flagitiosissimis sermonibus aptiora .... Si S. Paulus ne permittebat quidem primis fidelibus obscœnorum vitiorum proferre nomina, cum invicem conversabantur; quid sentiendum de libris, qui de iisdem disserunt, qui immo ad eadem excitant, ac addunt scandalum impudicitiis, & sordibus, quas delectis vocabulis ornant, ut eadem homines minus perhorrescant. *Idem*.

Contra Auctores qui libros malos, vel scribūt, vel vertunt.

Quid autem dicendum non est in illos, qui vel pravos elucubrantur libros, vel qui rursus veteres suscitant, qui bonorum omnium censuram fuere promeriti; qui misera perfruuntur voluptate non legentes solum, verum etiam in nostratem sermonem vertentes, quidquid in alieno magis contagiosum est, ut venenum illis etiam propinent, qui vel mortuas, vel exoticas linguas non norunt; qui satis nequaquam rati illos in viventium manibus tradere, illis etiam præparant, qui nondum sunt, in tempus futurum? Crudelia fratrum homicidia, quæ illis etiam vitam auferunt, qui illam nondum acceperunt? Cui aliquis pudor est, potestne in re tali talenta, quibus a Deo donatus est, exercere? Sed potius ulla ne Religio illi est, cui damnabilis hæc voluptas arridet confundendi id, quod verum est Religionis virtus; iis omnibus illecebris, & veneribus, quæ efficere possunt, ut cum aviditate ebibatur, atque hauriatur? *Idem*.

Non desunt etiam, qui carminibus, impiisque scriptis novum præperant virus eo periculosius, quo occultius, ac majori arte dilutum, quod ex eorum manibus profectum, qui se Christianos dicunt, in manus eorum fertur, qui se tales esse gloriantur. At quomodonam qui hæc tenebrarum opera componunt, se Christianos audent vocare; hoc est divini illius Magistri discipulos, qui puritatem, & sanctitatem tantummodo docet? Qui ita cæci sunt, ut adeo prophanis lectionibus seipsos pascant, nonne evangelio abrenuntiant eam tradentes doctrinam, quæ iis tantum convenit, qui perditæ sunt, deploratæque conscientiæ? Nonne hoc est Jesum Christum cum Belial conciliare, & ex eadem persona fidelem, & infidelem efficere? Hic ille effectus est, quem Auctores perniciosis operibus serunt, amatoriis fabellis, carminibus adeo teneris, atque pathethicis, quæ inhonestas animi libidines tam venuste, tantoque lepore describunt; ubi malum eo magis metuendum est, quo magis sententiarum, verborumque luminibus involutum est, & callide in poemate, vel comœdia sub falsis urbanitatis, vel speciosæ honestatis coloribus dissimulatum ..... Ethnici, qui olim dæmones venerabantur tamquam scelerum, libidinumque Deos, fas esse putabant, hoc sibi non prohibente Religione, quam profitebantur, loqui, & scribere secundum corruptos cordis sui sensus; at horum librorum perniciosorum Auctores amplexi sunt Religionem, quæ hanc iniquitatis damnat doctrinam, quam ipsi neque sequi possunt, neque aliis proponere, nisi evangelicis dogmatibus,

tibus, & Christiano nomini abrenuntiaverint. *Idem.*

Qui malos legit libros, apertam ubi occasionem peccandi.

Nonne criminosa temeritas est sese objicere periculo peccandi, & se prævertendi? Hoc tamen accidit, cum aliquis suæ non diffidens infirmitati, malos legens libros peccati quærit occasionem, & eam occasionem, quæ sæpe illis etiam funesta fuit, qui se invulnerabiles existimabant. In apertum se objiciunt tentationis periculum; lapsus vero a tentatione non procul distat. Amant, atque perquirunt quod malas tantum cogitationes immittit, & malæ cogitationes nonnisi passionem; passio vero inordinata dumtaxat desideria producere possunt. Hæ cogitationes, atque cupiditates nimis prope sunt cordi, ita ut in illud impressionem minime efficiant, illudque penitus debellent; præterquamquod ex quo voluntariæ sunt, jam non sunt a scelere immunes. At voluntariæ sunt in causa, hoc est in voluptate, quæ ex lectione percipitur; quæ quidem lectio eas ciet cogitationes, quæ alioquin numquam habitæ fuissent. Hic verus est dæmonis laqueus ad ciendam voluptatem, & ad corruptæ naturæ propensionem inflammandam. *Idem.*

Ethnicorum prudentissimi malorum librorum lectionem damnarunt.

Ethnicorum prudentissimi, sapientissimique funesta docti experientia cognoscebant quidem hominum imbecillitatem, ac furentem illam propensionem, qua in sensuum voluptates impelluntur; verum neque principium illius, quod est originale peccatum, neque pœnam, neque remedium cognoscebant; quamobrem non alios sensus habebant, quam quos in corrupto suo corde inveniebant, nec alia lumina, quam quæ peccati tenebræ illis offundebant. Secundum hos sensus, & hæc lumina scribebant, & loquebantur. Attamen plures eorum pravos libros tamquam reipublicæ noxios damnarunt; quidam illos ex rebuspublicis suis proscripserunt; quidam in eorum auctores animadvertendum esse censuerunt; alii contra hanc perniciosam scribendi rationem invecti sunt, eam rati originem, veramque causam corruptionis morum adolescentiæ. *Idem.*

Scimus, licet originale peccatum baptismo deleatur, concupiscentiam, virulentam illam omnium vitiorum originem semper in baptizatis subsistere, eosque cogere, ut indesinenter sibimetipsis invigilent, sanctoque horrore fugiant quidquid illam potest suscitare. Dei Filius hoc nos docet in Evangelio, hoc in imo corde nobis inspirat per gratiam, nobisque necessaria præbet adminicula; ut nosmet ab hoc domestico inimico tueamur. Quis autem negare potest quod ipsi fatentur Ethnici, malis videlicet libris excitari, foveri, ali, & in nobis hanc peccati originem roborari? Patet ergo hos libros nonnisi a Principe sæculi proficisci, qui christianorum infidelium mentes excæcat. *Idem.*

Pravi libri Ephesiorum exemplo comburendi.

Docere nos voluit Spiritus sanctus, quid veris fidelibus faciendum sit de iis libris, quorum lectio periculosa est, primorum discipulorum exemplo, quod in Actis c. 19. adfertur: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Generosum primorum Ephesi Christianorum sacrificium, ac certissimum veræ conversionis argumentum æque nostro sæculo carum, ac illud fœcundum est pravis ingenii fructibus, comœdiis, amatoriis fabulis, satyris, libellis diffamatoriis, qui omnes magis periculosi sunt, quam ipsi magiæ libri; hi enim mentem dumtaxat prævertere possunt, & aliunde apud omnes in odio, & horrore sunt; illi vero corrumpunt cor, quod facilius, quam spiritus ipse seducitur, atque funestas habent illecebras ad plerosque mortales fallendos, eos etiam, qui felicius ingenium sortiti videntur. *Idem.*

Crimen, quod committunt pravos libros scribentes, atque legentes.

Cæci profecto vocandi sunt horum operum Auctores, quandoquidem minime prævident terribiles turpium harum elucubrationum effectus. Etenim arbitrarine possunt sibi licere ita oblectari, & oblectare alios non conscientiæ tantum suæ detrimento, verum etiam excidio earum animarum, quas seducunt, atque prævertunt? Etenim oblectari est cum animarum excidio, voluptatem suam constituere in iis scribendis, quæ licentiam inspirant. Hoc peccatum scandali est; hoc est struere insidias periculosissimas iis æque, qui sunt infirmissimi, ac iis qui sanctissimi sunt, quia per hoc causa fiunt lapsus plurimorum, tum eorum, qui ævo suo degunt, tum eorum qui futuris sæculis erunt. Profecto libri, qui perniciosum hoc virus continent, ejus naturæ sunt, ut nonnisi cum mundo videantur perituri. Verum fatendum quoque est non sanæ mentis esse, qui vacat eorum librorum lectioni, qui contra omne fas, omnemque verecundiam scripti videntur, ut animas in vitiorum abyssum detrudant. Solus abominabilium harum lucubrationum titulus sufficere debet, ut explodantur, neque illos attingere licet, quin suspicionem subeamus vitium probandi &c. *Idem.*

Molli libri sæpe malis conversationibus deteriores.

De lectione idem dicendum non est, ac de conversatione: desit conversatio, sæpe vix meminimus eorum, quæ in eadem acta fuere; perfunctoriæ sunt impressiones, & nonnisi primo occursu metuendæ. Lectio e contra lenius agit, ac irrepit. Quemadmodum tibi integrum est, quid potissimum velis efficere de libris, ac per otium ponderare ejus verba, & loquendi modos, qui illic occurrunt; nihil te fallit, nihil te fugit; & Hæreticus, exempli gratia, sperare potest se omne illud, quod potest, peperisse malum, ex quo scit cum voluptate illud opus legis, quod in lucem edidit. *P. Stephanus Chamillard, in sermone manuscripto.*

L I C E N T I A,

Effusa in omni intemperantia libidines, incompositi mores, Bacchanalia. Solutior æquo vita.

M O N I T U M.



ON modicum discriminis interest inter illud vivendi genus, quod in aperta, & proterva vivendi licentia ducitur, & illud, quod mollem vitam dicemus, de quo suo loco sermo erit. In vita molli, ubi omnia vitæ quæruntur commoda, atque omnes mundi hujus deliciæ gustantur, modus aliquis servatur, existimationis suæ geritur cura, statum quiſ deceat suum spectatur; cum interim ea in licentia, de qua istic sermo est, non desint effusa in omni intemperantia libidines, atque Ethnicorum more vita ducatur.

Primum quidem animus erat de solis Bacchanaliorum flagitiis loquendi, quo quidem tempore frequentius in omnia vitiorum genera frænum laxatur, atque omnia ad excessum prorsus evadunt; verum enim vero, cogitanti mihi vivendi licentiam, effusasque libidines non intra illud tantum,

modo

modo temporis spatium contineri, seculique librariam omni tempestate grassari, immo omnium plurimorum mortalium vitam jugem esse licentiam, quam neque religio, neque Dei metus, neque temporis ipsius calamitas cohibere possunt, aequius visum est eodem titulo ea quoque complecti flagitia, quibus procaces homines quocumque tempore se mancipant, quamvis de bacchanaliorum depravata consuetudine sim potissimum verba facturus.

Hoc in argumento duo tantum evitanda sunt. Primum ne morum licentia cum licentia fidei confundatur, quod vulgo intelligitur, cum sermo est de flagitiosis hominibus nullam religionem habentibus, vel incompositis moribus suis accommodatam religionem concinnantibus; de quibus in Titulo de Atheismo *verba fecimus: alterum, ut de quolibet vitio sigillatim fusior instituatur amplificatio, veluti gula, impudicitia &c. quorum singula peculiaris concionis sunt argumenta; sed generatim disserendum est de publicis vitiis, ac solutioris vitae flagitiis, in quo protux licentia consistit.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia hujus argumenti concionum systemata.

I. RO effusis in omni intemperantia libidinibus, quas omnes sibi fere permittunt bacchanaliorum diebus, haec institui concionis partitio potest. 1. Haec solatiorum genera, quae aegre quovis alio tempore probantur, hoc culpa vacare non posse, quo moderatissimus quisque majorem, quam vulgo, sibi libertatem permittit, propter periculum ea scelera perpetrandi, quae numquam possunt permitti. 2. Quia vitia, in quae facilis patet lapsus, numquam majus afferunt scandalum, ideoque numquam sunt, quam hoc tempore, nocentiora.

II. Pars Prior. Ut autem haec clarius appareat, quod primum vobis proposui, numquam videlicet majus esse periculum, quam hisce hilariorum, vel potius libidinum diebus, in gravissima proruendi scelera; per vos mihi liceat (Auditores) discrimen illud statuere, quod semper habendum est inter voluptates, atque solatia; non enim omnia ejusdem generis sunt, neque omnia in eadem scelera viam possunt aperire. Solatia quaedam omnium sunt temporum, ac in nullo discrimine posita sunt, quorum solus excessus potest redargui; hujusmodi sunt deambulationes, venatus, corporis exercitationes, quae & valetudini aeque, & voluptati aliquid conferunt. Necessitas, qua illa probantur, eadem quovis etiam tempore constituit, & lex ea nonnisi moderari potest, eorum tempus dirigens, atque nimium eorum amorem coercens. Alia vero sunt, quae consuetudo, quam cum S. Basilio Demonis traditionem vocare possumus, in hoc bacchanaliorum tempus invexit; qualia sunt aleae, choreae, nocturni conventus, convivia, quae non aliud sunt quam merae libidines; spectacula, ubi pudor, & honestas periclitantur, aliaque id genus, quae jam diu plurimis abhinc saeculis abolere conatur Ecclesia, & contra quae Concionatorum zelus adeo frequenter erumpit. Dico autem, licet ex hujusmodi solatiis nonnulla per se culpa vacare possint; hoc tempore ut plurimum esse nequissima. 1. Propter spiritus dispositionem, quae tunc maxime viget, & pravum exemplum, quo omnes fere trahimur; cum enim ita affectus sit spiritus, quis sibi promittere potest, se modum, qui tantopere necessarius est, non excessurum? 2. Quia quidquid nos in aliquod vitium potest impellere, ac timorem injicere, ne in illud ruamus, jam impellit, invitat, allicit, illudque etiam probare videtur; consuetudo, societates, metus ne ab aliis in ludibrium traducamur, digitoque notemur &c. Attamen quis affirmare ausit, hosce excessus innocuos esse, vel haec solatia esse permissa sub praetextu consuetudinis, quae contra Dei legem nequaquam praescribere potest? 3. Quia haec solatia per se hoc tempore magna sunt vitia, quia assidua sunt, quia in illis omne tempus teritur, quia illis sese omnino mortalis mancipat, & quia pleraque vel criminosa sunt, vel periculosa.

Pars altera. Flagitia haec, in quae facilis patet lapsus, numquam magis esse criminosa, magisque vituperanda, quam hoc tempore. 1. Quia hoc potissimum tempore majus scandalum afferunt, quae una circumstantia efficere potest nequam, quod suapte natura culpa vacaret. Scandalum affertur Ecclesiae, quae in fletus erumpit; bonis, qui iteratis pietatis exercitiis nequicquam contendunt hujusmodi effusiores libidines tollere; proximo denique, qui occasionem arripit id faciendi, quod ab aliis fieri intuetur. 2. Quia haec vitia, & excessus frequentiores sunt, magisque familiares, quam alio quovis tempore, immo sunt majores, quod nemo inficiatur. 3. Quia funestos exitus habent. Effusioris quippe licentiae spiritus arripitur, qui non adeo facile abjicitur; habitus contrahuntur, qui difficillime possunt aboleri; minus disponitur animus quadragesimali jejunio, & poenitentiae &c. *Partitio haec desumpta est ex Auctore sermonum in omnia Ethicae Christianae argumenta.*

Ostendi quoque potest effraenata licentia, ac depravatum vivendi genus, quod hoc tempore regnat, 1. Divinae justitiae flagella, & supplicia in urbes generatim, & in singulos peculiariter detrahere, qui effusioris protervitae apertiora tradit indicia. Rationes hae sunt, quia hoc tempore in majori Dei oblivione vivitur; graviora pluraque peccata committuntur, ac major divinarum legum contemptus ostenditur. 2. Haec flagella, atque supplicia vulgo aliquam habere rationem cum peccatis, quae perpetrantur. Ita convivia, atque intemperantia famem, messiumque sterilitatem; aleae, bonorum jacturam, ac rei domesticae interitum; voluptates, ac profana solatia publicas desolationes, bella, morbosque; Dei oblivio secum trahit caecitatem, finalemque impoenitentiam, quod est suppliciorum omnium maximum.

III. Circa ea scelera, atque flagitia, quae hisce libidinum, atque intemperantiae diebus committuntur; haec S. Augustini verba, quibus eadem evitandi rationem admonemur, concionis partitionem possunt tribuere.

1. Per hos dies, quibus effusae in omni intemperantia libidines tot effundunt tenebras in peccatores, Deum oremus, Pater ille inquit, ut nos suo lumine repleat, ut eas cognoscere, atque damnare possimus: *Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda.* 2. Per hos dies, quibus tot scelera Salvatoris mortem, & passionem instaurant; precemur Dominum, ut sanctas nobis affectiones immittat, ut illa fugiamus ac detestemur: *Affectum ad ista fugienda.* 3. Per hos dies, quibus haec eadem flagitia tot Ecclesiae dolores, ac gemitus afferunt, Dominum obtestemur super aris expositum, ut illa nobis dignetur ignoscere: *Misericordiam ad ignoscenda. Ex Moralibus sermonibus, Sermone de Dominica Quinquagesima.*

IV. 1. Hi bacchanaliorum dies impiis quidem caecitate perculsis, atque palam praeferentibus signa unde reprobatos esse, atque a Deo derelictos innotescit,

cescit, dies sunt libidinum, ganearum, omnisque intemperantiæ. 2. Christianis vero fidelibus fervorem, atque pietatis exercitationem hoc tempora, quod alii in intempestivis conviviis, alea, & impudicitia traducunt; instaurantibus, dies sunt gratiarum propitiationis, misericordiæ, indulgentiæ, atque salutis.

9. Cum hebdomadæ hujus Evangelium de cruce, ac Salvatoris morte loquatur. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur, & illudetur, & crucifigetur,* &c. in duabus concionis partibus ostendi potest.

1. Peccatores, procacesque homines hoc effusioris licentiæ tempore Jesu Christi crucem evertere. 1. Quia illius fructum auferunt, ac meritum inutile efficiunt. 2. Quia seipsos inimicos crucis Christi profitentur, quemadmodum S. Paulus loquitur, ea secuti dogmata, quæ Cruci ejusdem sunt prorsus opposita. 3. Quia omnia Crucis vestigia in Christianismo delent, qui non est amplius vita crucis, sed voluptatum, & solatiorum.

2. Hi peccatores ipsi novo impietatis scelere camdem crucem iterum extollunt, & erigunt. 1. Quia easdem instaurant contumelias, quibus Dei filius affectus fuit: *Tradetur, illudetur, crucifigetur.* 2. Quia illum majori cum cognitione offendunt. 3. Quia injuriæ, quas illi inferunt, longe graviores sunt, acerbioresque.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Fontes. CUM Bacchanaliorum, hilariorumque nomina ignota fuerint Sanctis Patribus, non secus ac effusiores in omni intemperantia libidines, quibus fidelium plerique hoc se mancipant tempore nullos locos afferre possumus, aut verba, quibus eædem sub hoc nomine damnentur: sed cum Ethnicis alii fuerint dies festi, ludisque & spectaculis suis destinati, contra quos Patres omni nisu, ac vi invecti fuere, ut ab iisdem Christianos homines deterrerent, ne & ipsi eorum sordibus polluerentur; qui eorum auctoritate voluerit uti in argumentis hujus sermone, ea quæ Patres dixere de prophanis temporum suorum oblectamentis ad hujus temporis solatia, quæ nihil minus noxia sunt, possunt transferri. Itaque, ne uti in adagio est crambe recocta enecet, consuli possunt quæ a nobis dicentur, dictaque fuerunt in titulo de *solatiis, de spectaculis, ludis, & chorris, de consuetudine & scandalo.*

Præterea peculiariter vivenda sunt, quæ Salvianus ait lib. 7. *de Gubernat.* ubi hujus temporis vitia per hypotiposim descripsisse videtur; necnon consulendus est S. Petrus Chrysologus sermone 155. ubi in eos declamat, qui personam induunt, quod nunc passim fieri consuevit.

In Titulis, quos memoravi, invenietur quid Patres dixerint adversus aleam, choreas, comœdias, convivia, aliasque id genus procaciores libidines, quæ per hosce bacchanaliorum dies committuntur, quibus in id unum mortales operam navare videntur, Ethnicorum flagitia, libidinesque rursus in consuetudinem revocaturi.

Ascetici, aliique. Lancicius *Opusc.* 11. *cap.* 22. agit de devotionibus, quas fidelis bacchanaliorum diebus exercere potest, ad evertendam Domini iracundiam, qui hoc tempore magis, quam alio quolibet læditur.

Engelgrave *part.* 2. *Lucis Evangelicæ in Domin. Quinquag.* pluribus ostendit exemplis, a peccatoribus hoc tempore Filium Dei crucifigi.

Qui loqui voluerint de spirituali cæcitate, quæ numquam vel gravior est, vel magis metuenda quam hoc tempore, quo tenebræ, & flagitia debacchantur, videri possunt ea, quæ hoc in titulo a nobis indigitata fuere, eosque auctores consulere, qui de eadem pertractant.

Delrius *in opere Mariano lect.* 4. *de Passione Domini* loquitur de scelcribus, quæ, dum bacchanalia furunt, perpetrantur.

Polydorus quoque Virgilius *lib.* 3. *c.* 17. loquitur de flagitiis, quæ per hosce dies grassantur; & lib. 5. agit de larvatis, & personatis hominibus.

Thomas Stapletonus, *orat.* 8. *Academ. tract. de bacchanalibus.*

Qui de solatiis generatim, vel speciatim de ludo, spectaculis, intemperantia loqui volunt, hos adeant titulos ubi eos memoravimus auctores, qui de iisdem loquuntur.

In libro, qui inscribitur: Christianarum familiarum Pædagogus amplissima occurrit admonitio ad ea evitanda flagitia, quæ bacchanalium diebus committuntur.

Liber, cui titulus: *Bellum vitiis*, prælio quinto contra licentiam, mala, quæ hæc gignit, ostendit, quæ facile ad bacchanalia transferri possunt; ubi longe sunt perniciosiora.

In homiliis S. Chrysostomi in S. Matthæum c. 11. exhortatione 2. adest invectiva contra turpia, & criminosa solatia, quæ non longe ab illis abludunt, quæ in bacchanalibus, præcipue vero propter larvas, atque personas videntur.

Joly in mixtis Operibus sermonem habet de modo sancte bacchanalia traducendi. Concionatores.

Idem *tom.* 2. *Propos.* in Quinquagesimæ Dominicam alterum habet contra temporis hujus libidines.

P. de la Colombiere Tomo 3. habet quatuor deinceps sermones de extremis bacchanalium diebus, qui tamen diversorum sunt argumentorum, & qui alio quovis tempore prædicari possunt.

Auctor sermonum Christianorum sermone pro Quinquagesima loquitur de tribus præcipuis flagitiis, quæ passim hoc tempore grassantur.

Auctor sermonum moralium in eamdem Dominicam ostendit, his tenebrarum diebus Domini Passionem iterari.

Abbas de Monmorel tomo 1. habet homiliam, & sermonem in hanc eamdem Dominicam.

In Dictionario Morali tomo 1. plures habes de bacchanalibus conciones cum pluribus animadversionibus de hujus temporis libidinibus, atque flagitiis.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tomo 2. particularium sermonum de bacchanalibus sermonem habet; ubi & alium de intemperantia, & in conviviis excessu, alium etiam de ludis, & alium de spectaculis, choreis, atque comœdiis.

In Titulo de solatiis generatim videri possunt, qui hac de re egerunt, uti etiam in titulo de scandalo; nullum enim tempus est, in quo scandala vel frequentiora sint, vel periculosiora.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes scripturarum huic argumento.

NOn sequeris turbam ad faciendum malum; Exod. 23.

Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Exod. 32.

Quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Jobi 34.

Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalm. 48.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Psalm. 34.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Psalm. 118.

Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Veni nobiscum .... ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Prov. 1.

Lætan-

Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Proverb. 2.

Post concupiscentias tuas non eas. Eccli. 18.

Extrema gaudii luctus occupat. Proverb. 14.

Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Ecclef. 2.

Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Sapient. 5.

Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus. Isaiæ 28.

Domine aperi oculos istorum, ut videant. 4. Reg. cap. 6.

Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum. Jerem. 7.

Cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus. Osee 2.

Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Osee 4.

Væ vobis, qui ridetis nunc. Luc. 6.

Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Luc. 22.

Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7.

Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. Ad Roman. 1.

Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Ibidem.

Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Ad Roman. 6.

Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. 2. ad Corinth. 4.

Nolite jugum ducere cum infidelibus 2. ad Corinth. 6.

Ut impleant peccata sua semper, pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. 1. ad Thessalon. 2.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus; quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum. Ad Philipp. 3.

Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. Petri 1.

Juxta proprias concupiscentias ambulantes. 2. Petri 3.

Secundum desideria sua ambulantes. In Epist. Judæ.

Scito quod in medio laqueorum ingrederis. Eccli. 9.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

Tenebræ Ægypti fuerunt earum figura, quæ per hæc bacchanalia inter fideles grassantur.

NON postrema sane, vel minus terribilis plaga, qua Deus olim Ægyptum percusserit, procul dubio fuit horrentes illæ tenebræ, quæ triduo incubuerunt, adeo densæ ut palpabiles essent, adeoque obscuræ, ut Ægyptii sese mutuo dignoscere, vel loco movere non possent; adeo tandem horribiles, ut astra quælibet laborare, totaque natura profunda noctis caligine insepulta videretur. Nonne diceres hoc tenebrarum triduum, quæ semel tantum, ac dum idolorum cultus vigebat, incubuerunt, modo quotannis inter Jesu Christi fideles reflorescere? Quid enim aliud de hac libidinum omnium tempestate sentiendum est? Quod nomen aptius tribus hisce diebus convenit, quibus tantam Dei oblivionem videmus, tantamque in plerisque mortalibus cæcitatem? Quid ergo? numquid necesse est, ut scelera quoque suum habeant tempus, impietas regnum suum, atque vitium vicissim, & virtus subinde vices suas obeant, & quemadmodum noctes, diesque totum vitæ nostræ spatium partiuntur, gratia quoque & peccatum similiter sibi anni tempestates dividant? *Ex Auctore sermonum in omnia Ethice Christianæ argumenta, sermone in Quinquagesima.*

Bacchanalium fla-… glia divinæ justitiæ supplicia merentur, ut ea, quæ tempore diluvii patrabantur.

Dubitandum non est, quominus scelerum, quæ bacchanalium tempore perpetrantur, multitudo simul atque enormitas Dei iram promereantur, & mala, quibus urbes, & regna obsidentur, bella, fames, ac messium inopia, effectus sint ultionis Domini, alio tempore eas punientis iniquitates, quæ alio patrantur. Profecto scelerum diluvium diluvio malorum puniendum est & jure posset Deus mundum prorsus novum efficere, uti fecit temporibus Noe; nisi jurejurando repetiisset se non ultra universali cataclismo terras obruturum. Et sane homines per hos dies suis destinatos solatiis aliam fortasse vitam ducunt, quam quæ antediluvianis temporibus ducebatur? Eorum temporum nequitiam paucis Scriptura Gen. 6. describit, dicens, quod *Omnis caro corruperat viam suam*; hoc est morum corruptio universalis erat inter homines, ingens erat ubique oblivio Dei, singuli suis voluptatibus indulgebant; ubique ludi, convivia, solatia videbantur, nec quisquam earum rerum, quæ turpissimæ sunt, pudore suffundebatur; verbo homines penitus deformaverant in se divinitatis imaginem suo vivendi genere, quod flagitiosissimum erat, atque impudicissimum. Nescio utrum illa describens tempora nostræ hujus ætatis, præsertim vero horum dierum videat flagitia describere, cum modo ad excessum usque procacissima mortalium licentia evasisse videatur. Quid enim aliud hoc tempore cernimus præter ludos, convivia, spectacula, effusas libidines, solatia, quæ omnem Christianismi faciem immutare videntur, cum qui in omnem licentiam magis effrænes sunt, ipsam etiam hominis relinquant speciem, ut brutorum imaginem induant, quæ profecto propter morum similitudinem illis optime quadrat? Cum autem tempora, & mores similes sint, mirum ne debet esse, si divina detonat ultio, & innocuos etiam cum nocentibus eodem involvit supplicio, quemadmodum Noeocis temporibus quamplurimi interiere parvuli, quibus aliena scelera imputari non poterant.

Ratio, qua averti possunt mala, quæ tëporis hujus flagitia pertrahere consueverunt. S. itum Tobiam imitari.

Ad avertenda mala, quibus divina Justitia ulcisci ea crimina consuevit, quæ hoc tempore plurima fiunt, imitari oportet Tobiæ sanctissimi viri exemplum, qui, quin cum aliis pergeret aureis vitulis, quos posuerat Jeroboam, thus adoleturus, Jerosolymam se conferebat, ut Deo vero sacra faceret; atque per ipsum captivitatis suæ tempus, cum contribules sui Ethnicis commixti eorum conviviis interessent, vetitisque dapibus vescebantur, sanctus ille vir charitatis operibus vacabat, pauperibus ferebat opem, illos consolabatur, concives hortabatur suos, ut fideles Domino permanerent, & constans in legis suæ observantia persistebat; ita ut ab adolescentia, ut Scriptura testatur, nullum in ipso deprehendi potuerit vestigium levitatis, vel animi ad licentiam, pravosque sodalium suorum mores propensi. Ad hoc exemplum verus Christianus nunc temporis seipsum formare debet. Donec alii catervatim ad ludos, & spectacula confluunt; majori cum modestia, verecundia, pietate, vivere debet & plura bona opera facere, & verbo eo majori zelo, ac fervore Dei servitio inhærere, quo magis illum a flagitiosis deseri, atque destitui cognoscit.

Christiani hodie id faciunt, quod olim Apostoli, qui non intellexerunt quid Salvator diceret de sua morte, ac Passione locutus.

Qui paulisper animo reputat, quid fecerint Apostoli, quibus Salvator imminentem sibi mortem prænuntiavit, non admirari non potest eorum vel cæcitatem, vel ignaviam cum illis palam, ut est in Evangelio, *Lucæ* 18. prædixit; *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur; & postquam flagellaverint, occident eum*. Quis non putaret, hos Discipulos, quibus adeo cordi erat optimi præceptoris sui gloria, statim solicite, ac festinanter ex eo quæsituros fuisse omnes adeo tragici casus circumstantias, & quo pacto honori illius, atque incolumitati consulere possent? At e contra oscitantes audiunt, quin ne moveantur quidem, quidquid de Passione sua Jesus Christus enarrat; & Evangelista testatur illos

nihil intellexisse eorum, quæ sibi dicebantur; verba ejus illis abdita fuisse tamquam mysteria, quorum ne verbum quidem assequebantur. Mira quidem hæc cæcitas, & incuria est, non diffiteor: sed fideles simili ignavia sopiri videntur. Illis dicitur, hisce bacchanalium diebus, Jesum Christum ascendere Jerosolymam, atque propter peccata, quæ hoc tempore ab ipsis patrantur, iterum filio Dei necem inferri, & dolorem illius refricari. At alii ne intelligunt quidem, quid sibi dicatur, alii ne animum quidem advertunt; nemo his movetur; & quod magis deplorabile est, licet Evangelici præcones hanc veritatem prædicent, homines nefarii, quin moveantur, fiunt ministri mortis filii Dei, quam instaurant sceleribus, quæ impune committunt, & flagitiis, quibus se mancipant.

A Deo hoc tempore petere debemus, quod cæcus Evangelicus; Domine, ut videam.

Jesus ex cæco quæsivit, ut est in Evangelio. Luc. 18. *Quid tibi vis faciam?* cæcus vero respondit: *Domine, ut videam*. Ita cæcus orabat Jesum Christum oculorum usum recepturus, quo plurimos annos caruerat. Orationem hanc pii homines usurpare nunc temporis debent pro tot infelicibus animabus, quas libidines, affectuumque perturbationes spiritualiter excæcant hisce tenebrarum diebus, quibus rationis, fidei, & religionis lumina plerisque fidelibus extincta esse videntur.

Quorumdam locorum Applicationes.

Monita salutaria, quæ nobis tradit Apostolus, numquam magis quam hoc tempore necessaria.

Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Ad Ephes. 5. Spectasse videtur Apostolus temporis hujus fideles, cum Ephesiis hoc monitum tradidit, ut sedulo caverent, quomodo solatiis sese abderent. Quinam enim dies sunt, quos malos vocat, nisi illi, quibus ingentia committuntur mala, quemadmodum domus mala, & impia vocatur, cum illam Incolentes mali sunt, atque impii. Apostolus autem hisce malis diebus duo exigit; primum ut sibimet invigilent, uti prudentes decet viros ab omnibus abhorrentes periculis, quibus alii per imprudentiam se objiciunt; alterum vero ut redimant tempus, quod alii perdunt, vel in peccatis impendunt. Quod ad primum pertinet consilium quid aptius suadere poterat hoc malo tempore, quam ut nobismetipsis diligentissime prospiceremus? *Videte quomodo caute ambuletis*. Mirum enim est, quod hodierni Christiani numquam minus vigilantes sint, quam his diebus, quibus majora impendent pericula; nunc enim magis effrenata furunt licentia, plurima negligunt, quæ ad sua spectant officia, peccandi occasiones sunt frequentiores, flagitiosorum hominum exemplis majori vi pertrahuntur, eorumque sollicitationibus validius urgentur: *Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes*. Monitum alterum est, ut redimant tempus, quoniam dies mali sunt. Scio equidem hæc verba variis in sensibus explicari; verum neque magis simplex, neque magis argumento nostro appositus illis appingi sensus potest, quam si dicamus, tempus hoc redemptum iri, reparando, ut ita dicam pietate, bonisque operibus nostris injuriam, quam mundi sectatores criminibus suis inferunt Domino inter ludos, & aleas, inter compotationes, libidinesque. Hac mente Ecclesia fideles invitat, ut preces iterent suas, pluribus in locis indulgentiarum thesauros aperit, super aras adorabile Salvatoris Corpus exponit; de suggestibus Dei verbum annuntiari jubet; nihilque intentatum relinquit, ut a fidelibus redimatur tempus, quod a procacibus, justoque solutioribus hominibus in noxiis oblectamentis prodigitur: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*.

Hoc potissimum tempore animæ piæ Deo fidelitatem suam testatam faciant debent.

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Luc. 22. Hæc verba sunt consolatoria, quæ Jesus Christus olim suis discipulis inquit, qui testati fuerant suam erga ipsum fidem, cum generatim ferme ab omnibus hominibus dereliqueretur: sed hoc præsertim tempore mereri possumus, ut aliquando istud audiamus præclarum fidei nostræ testimonium ex ore ejusdem Filii Dei, qui numquam magis deseritur, & exagitatur, quam per hosce bacchanalium dies. Et sane quandonam, fideles animæ, vestrum illi testabimini amorem, nisi hac in occasione fiat? Quandonam illi fideles eritis, nisi cum a mortalibus omnibus derelinquitur? In necessitatibus, similibusque occasionibus, nostram erga amicos fidem probamus, aisque certissima sinceræ, veræque necessitudinis præbemus indicia. Ne dubiteris, animæ Christianæ, ne erga vos se æque gratum, & generosum ostendat, vobisque hæc eadem verba dicat: *Vos estis, qui permansistis mecum .... Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*. Luc. 22.

Bacchanalium tempore fit inundatio vitiorum.

Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt. Osee 4. Hæc Prophetæ verba numquam magis vera fuerunt, quam hisce effusiorum libidinum, procaciorisque licentiæ diebus: aliis anni tempestatibus otium, mollities, intemperantia, impudicitia, aliaque vitia quodammodo in peccatorum corde sepulta sunt, & delitescunt; sed per hosce dies impudentissime debacchantur, tamquam torrens qui collectis jam pridem aquis tumidus tandem aggeres, & valla perrumpit, omniaque longe, lateque inundat; ita corruptio, quæ in peccatorum corde latebat sese effundit, ac universum orbem terrarum inficit. Nihil videtur uspiam nisi ludi, aleæ, convivia, prophana solatia, atque in his omnibus nihil nisi excessus, & impudentia? Homines inter se certare videntur, quis prior sit rationis, rectique sensus jacturam facturus.

Hoc præsertim tempore fidelis in Filii Dei partes concedere debet, & peccatorum flagitiis sese opponere.

Qui non est mecum contra me est. Luc. 11. Quemadmodum hoc potissimum tempore, quam alio quovis, peccatores Filio Dei bellum videntur inferre, & maxime exiguus est fidelium ejusdem servorum numerus, quos illis objiciat; ejus legatione perfungens vos etiam, atque etiam hortor, ut in partes ipsius concedatis, atque affirmo hac potissimum occasione illum jure dicere, eum, qui cum ipso non est, contra eumdem esse: mirum enim est, quot mortales, qui inter cæteros frugi, bonique videntur, hoc tempore se ab ejus devotionis usu dispensent, quæ illis reliquo anni totius tempore familiaris est, atque solemnis. Diceres hoc esse quoddam veluti tributum temporis hujus nequitiæ; atque nunc reparandam esse vim illam, quam sibi quisque aliis anni temporibus infert. His autem diebus, hoc rebellionis tempore Dei filius pro se stantem habebit neminem, & servi illius sæculi partes, veluti transfugæ, roborabunt non ausi pro eodem arma capessere? In tanta hac, & ferme generali contra eumdem conjuratione numquid neuter aliquis esse potest? & nonne contra illum esse dicendus est, qui cum eodem non est?

Fideles ussentiunt suis criminibus, eas instaurare contumelias, quibus Salvator a Judæis fuit affectus.

Ipsi nihil horum intellexerunt; erat enim verbum istud absconditum ab eis; & non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. 18. Postquam Dei filius Apostolis suis prædixit futurum ut proderetur, illuderetur, flagellis afficeretur, & crucifigeretur a Judæis; quid ille sibi vellet, non intellexerunt. At non miror, si cogitare non poterant, Judæos eo usque ingratitudinis, & crudelitatis evasuros esse, ut Salvatori suo mortem inferrent: hæc enim mors aliquid illis erat incomprehensibile. At si Apostoli intelligere nequaquam poterant, Judæos adeo crudeles futuros, fateor equidem, non facilius comprehendi posse fidelium sævitiam, & ingratitudinem, qui hoc tempore Salvatoris ejusdem passiones instaurant sceleribus suis, atque flagitiis; neque enim ignorare possunt, quod Apostolus *ad Hebr. 6.* palam docet, hoc esse idem, ac iterum sibimetipsis Dei filium crucifigere. Et profecto nonne captum omnem excedit, videre Christianos, qui per Baptisma pompis mundi, atque operibus Sathanæ abrenunciarunt; illos inquam videre palam exercentes,

atque

atque sine metu, & verecundia id appetentes, quod solemni promissione abnegarunt, atque hoc pacto majorem Salvatori suo injuriam inferentes; quam eidem Judæi intulerint? &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Erras homo, non sunt hæc ludicra; sed crimina; quis de impietate ludit? de sacrilegio quis jocatur? quis piaculum dicit risum? Satis se decipit qui sic sentit. Chrysostomus, Serm. 155.

Via perditionis spatiosa, quia intra regulam disciplinæ non inclusa. Idem.

Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista (ridicula & impia) damnanda, affectum ad fugienda, misericordiam ad ignoscenda. Augustinus.

Quid est aliud omnis cœtus malorum, quam sentina vitiorum? Salvian. lib. 3. de Gubernat.

An forte infructuosum putamus gaudium simplex, nec delectat ridere sine crimine? Idem, ibid. lib. 6.

Latam viam non quærimus, non inventione opus est, sponte se offert & errantium via est. Hieron. in cap. 7. Matthæi.

Dominus noster Jesus Christus, veritatem se, non consuetudinem nominavit. Tertull. lib. de veland Virg.

Non est per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad justitiam iter per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam. Basilius, Homil. 1. de laude jejunii.

Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. Cyprian. Epist. ad Donat.

Sanitatis patrocinium, insanientium turba est. August. lib. 6. de Civit.

Non prævaleat Evangelio neque privilegium nationum, neque patrocinium personarum. Tertull. lib. de veland. Virg.

Væ tibi flumen moris humani, quis resistit tibi, quamdiu non siccaberis? August. lib. 1. Confess. cap. 16.

Attendis quid alius faciat, non quod Deus te facere jubeat; metiris te comparatione pejoris, non vita melioris. Bernard.

Debet nos judicium veritatis ducere, non privilegium consuetudinis. Idem.

Invadens omnia consuetudo pro lege observatur. August. lib. de decem chordis, cap. 4.

Peccata, quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur. Idem, l. de fide, spe, & charitate.

Libebat malum facere, non solum libidine facti, sed etiam laudis. Idem, lib. 2. Confess. c. 9.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu in hoc argumento depromi possit.

Quodnam tempus bacchanalia vocetur. Bacchanalia tempus est, quod præcedit Quadragesimam, quod in conviviis, ludis, prophanisque cujuslibet generis oblectamentis traduci consuevit; Ethnicæ religionis reliquiæ, quæ per morum corruptionem ad hæc usque tempora viguere, & quas Ecclesia, quæ illas quotannis deflet, nondum potuit abolere; quæ res excitare debet Concionatores, ut quotannis contra publica invehantur flagitia, quæ infelicissimis hisce diebus patrantur, ut fideles deterreantur a spectaculis, effusis libidinibus, & procaci licentia, quam hoc anni tempore summi æque ac imi facile usurpant.

Quid sit morum licentia. Morum licentia, de qua hic sermo est per occasionem bacchanalium, differt a licentia fidei, de qua in primo tomo sermo fuit, titulo de Atheismo, ubi de illis, qui in iis, quæ credenda sunt, liberiores se jactitant, loquerentur. Licentia, de qua hic sermo, vita est prorsus flagitiosa, omni vitiorum generi, & effusissimis libidinibus mancipata sine Dei metu, nulla honestatis, religionis, aut valetudinis habita ratione: vita denique qualem ducunt quamplurimi adolescentes, qui otiosi, ac juris sui facti sese tradunt cordis sui desideriis, ut Propheta loquitur, atque totum hoc tempus in aperta licentia traducunt.

Qui vel parum religionis habet, sese continere non potest, quominus vituperet, atque damnet excessum libidinum, prophanorumque solatiorum, quibus passim bacchanalium tempore mortales indulgent; ignorare quippe non potest illa ab Evangelio damnari; sed hac in re, non secus atque in aliis longe plurimis ad morum disciplinam spectantibus se quisque fallit; eorum, qui seipsos æque decipiunt, numerus, & qualitas, quamdam auctoritatis speciem constituit, quæ illis etiam atque etiam hunc errorem commendat; & statim ac error iste placuerit, illico amatur, ac retinetur. At quodnam meritum bacchanalium tempus iis confert solatiis, quæ alio quovis tempore illicita sunt, & quæ nos ipsi damnamus? Quodnam privilegium habent hi dies, qui carnis privium præcedunt, ut id probetur, quod alio quovis tempore improbatur? Licetne potest inter fideles festos Ethnicorum ludos instaurare; fidelium professionem mundanis voluptatibus dedecorare, & has in trophæum veluti quoddam erigere? Nullus dubio locus est quomi-nus religio condemnet mundana bacchanalium solatia.

De fide est, mundum irreconciliabilem esse Dei inimicum: quomodo ergo censeri potest aliquod adesse tempus, quo citra scelus æque nosmet tradere omnibus mundi oblectamentis possimus? Tempus, quo mundum amare liceat, eique soli servire? Quis venditare audeat dogma adeo fidei, recto que sensui contrarium? Hanc tamen sententiam vulgo sequuntur homines: adeo verum est, necessario in quamdam insaniæ speciem impingere, qui ratione uti, & Christiano more vitam ducere cessat. Religioni contrarium est credere adesse tempus mundi solatiis præstitutum.

Hoc tempore quæstio solet institui; utrum bacchanalium oblectamenta totidem sint peccata mortalia. Quæcumque difficultas adsit hac in re aliquid statuendi, quia non omnia hujus temporis solatia ejusdem naturæ, generisque sunt, cum alia quidem omnino nefaria sint, & cum scandalo conjuncta, alia vero proximæ occasiones peccandi, & nonnulla crimine vacare possint, atque non hac magis anni tempestate crimina, quam alia prohibeantur; generatim nihilominus dici potest. 1. Si hujusmodi solatio proximæ sunt lapsus occasiones, vel illud nos in apertum peccandi periculum objicit, quod ipsa docet experientia, illa proculdubio totidem sunt mortalia peccata. 2. Quædam ita esse periculosa, & fere semper cum aliquo scandalo conjuncta, ut a peccato excusari non possint; cujus generis sunt choreæ, nocturni cœtus, ubi permittitur, & sæpe etiam accipitur licentia quædam justo solutior, & procacior. 3. Quæcumque adhibeatur diligentia ad periculum evitandum, quod in aliis solatiis invenitur, dici posse, ibi magnam semper adesse notam, ubi immodicus eorum fuerit excessus; non secus ac in conviviis, in quibus ultra modum aliquis sese dapibus, & mero proluit: quod dicendum est de aliis omnibus voluptatibus, quibus indulgent homines hoc tempore, quod ideo effusioris licentiæ tempus vocatur: quia nihil nisi excessus rebus in omnibus videtur, excessus in vestibus, excessus in sumptibus, qui propter choreas fiunt, excessus in ludis, excessus in conviviis, ita ut in iis omnibus, quæ hoc tempore fiunt, culpa non desit. Utrum mortale peccatum sit, si fidelis bacchanalium tempore oblectamentis indulgere.

Frustra consuetudo ad ea probanda mala, quæ hoc tempore fiunt, solet adferri; hæc enim consuetudo nonnisi damnare potest eos, qui iisdem se mancipant; hoc enim est cum majori cognitione peccare, & cum voluntate in malum magis determinate delinquere; ii quippe, qui ea mala com- Consuetudo excusare non potest hujus temporis flagitia.

thirunt, velle videntur sese in tranquilla Deum lædendi possessione statuere, dictis, factisque profitentes omnia bacchanalium tempore fas esse, quin illud attendant, quod Propheta dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

Hoc tempore viri boni majorem gratiæ copiam mereri possunt.

Constans in Scripturis est veritas, Deum non solum in hac vita peccatores punire gratiarum suarum subtractione; verum etiam eas, quas aliis subtrahit, ad alios transferre, qui iisdem melius utuntur, & qui fidelius eisdem famulantur. Hæc autem veritas hisce bacchanalium diebus fideles excitare debet, ut a mundi sectatorum cœtu secedentes, atque pietatis exercitationibus vacantes, dum interim alii nefariam, improbamque vitam sequuntur, gratias omnes, quas Deus aliis subtrahit, ipsi, ut ita dicam, in recessu, & pietatis operibus versantes promereantur; Ita ut dies isti, qui pro aliis sunt dies tenebrarum, pro ipsis fiant dies salutis, atque tempus acceptabile; dies ubertatis, & messis: & sæpe contingit, ut plurimis peccatorum suorum, atque reprobationis suæ mensuram explentibus, alii fidelitate, ac fervore in cultu Dei, qui infelicissimis hisce diebus ab omnibus fere deseritur, in tuto locaverint salutem suam, atque suæ prædestinationi prospexerint.

Quantumvis modicum licentia sibi aliquis hoc tempore vindicet, difficile est modum servare.

Notandum est, quantumvis modicum licentiæ hoc effusiorum libidinum tempore sibi aliquis vindicet, hunc non ita sui compotem, suique juris esse, ut certos sibi cancellos valeat statuere: & quemcumque modum sibi servandum proponat, semper longius, quam quod arbitrabatur, procedere. Gradus ille nimis lubricus est, ita ut intra fines a Christiana lege præscriptos seipsum valeat continere; ac seipsum ignorat, qui putat futurum ut resistere possit exemplo, sollicitationibus, ac tentationibus, quæ sese illi offerent, ubi semal inceperit. Ideo ad evitandum periculum, toto cœlo tutius, ac facilius est omnia sibi hujus temporis solatia interdicere sapienti, ac pio recessu; quam sperare futurum ut resistere possit precibus amicorum, sodaliumque, qui vim facere non cessabunt; & credere satis virium non defuturum, ut sese intra statos fines coerceat, atque modum tueatur?

Nusquam majus quam hoc tempore adest periculum in cæcitatem incidendi.

Cæcitas mentis proculdubio maximum est supplicium, quo Deus in hac vita homines se percussurum minitetur: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, & palpes in meridie.* Deut. 28. Supplicium, quod licet non ita sentiatur, uti bonorum, valetudinis, vitæque jactura, non ideo minus metuendum est, quatenus severioris ultionis, ac magis terribilis iræ effectus. Verum liquido constat, peccatores numquam in majori, quam hoc tempore, cæcitatis periculo versari; quoniam omnia ad gravissimum hoc malum videntur impellere, & jam fere cæcus est, qui illud non videt, nec meminit. Et sane hoc tempore effrænatæ libidinis, mundanorumque solatiorum Deus majori cum contemptu, & contumelia relinquitur; nunc gloriæ sibi vertunt homines ea committere, quorum alia quavis tempestate illos puderet; nunc in partes inimici ejusdem apertius transfugiunt, eique bellum inferre non erubescunt; nunc denique quadam apostasiæ specie illius cultui, nominique Christiano abrenunciant. Deus igitur nihil minus efficere posse videtur, quam suas gratias, suumque præsidium peccatoribus istis subtrahere, eosque propriis tradere desideriis, quæ nonnisi tristissimam cæcitatem gignere possunt.

Hoc effrænatæ licentiæ tempore fidelis tenetur magis fidelitatem suam Deo testatam facere.

Hoc nobis persuasum esse debet, salutem, vel reprobationem nostram fortasse pendere ab ea vivendi ratione, quam hac tempestate servabimus; hoc enim præsertim tempore Deus postulat, ut sibi constantius fidelis adhæreat; nunc enim apertius a suis derelinquitur, & ab hostibus læditur; & nos insignius eidem amoris nostri præbere possumus testimonium, propter amorem illius ab iis abhorrentes, quæ alii tantopere quærunt. Præterquamquod in vehementioribus oppugnationibus, & sollicitationibus, quibus hostis fidem nostram labefactare conatur, ut nos ab officio deterreat, majorem Deo fidem testari debemus, ac omni nisu contendere, ut contra hunc iniquitatis torrentem obluctemur invicti.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Malum, & perturbatio quam in fidelibus gignit bacchanalium solatia.

QUam merito deflet Ecclesia bacchanalium detrimenta, quoniam hisce effrænatæ licentiæ, effusiorumque in omni intemperantia libidinum diebus Christianismi facies prorsus immutata videtur, & excepto exiguo fidelium numero, qui genua minime flectunt Baal, eorum plerique, qui se Christianos dicunt, vitam prorsus Ethnicam ducunt! Et profecto quodnam discrimen interest inter primorum temporum, hodiernosque fideles? Tertullianus testatur illos numquam in circum prodiisse, illos a theatris, publicisque spectaculis semper abfuisse, numquam vel floribus redimitos, vel purpura indutos visos fuisse; immutabilem in statibus omnibus viguisse modestiam, nullum apud ipsos anni tempus voluptatibus fuisse destinatum, eorum solatia semper honesta, & pura, totidem fuisse virtutum, & officiorum præcepta; verbo, illos quovis tempore Christianos fuisse. Verum enim vero in nostri hujusce temporis fidelibus, præsertim vero diebus illis, qui solatiis, & bacchanalium feriarum licentiæ destinati sunt, videturne illa adeo christiana modestia, & verecundia? Val potius quid illi magis abnorme, oppositumque fingi potest, quam choreæ, saltationes, convivia, larvæ, aliaque id genus solatia, quæ primi fideles in Ethnicis quoque damnabant, tamquam aperta corruptorum morum, fallacisque religionis eorum Indicia? Quid Ethnicis reddere possemus, si dicerent a nobis hoc tempore id fieri, quod ipsi in Saturni, & Bacchi festis diebus facere consueverant? Iidem excessus, eædem crapulæ, eædem libidines, eadem solatia. Licentia publica est, neque minus effrænata. Nonne hoc est Ethnicæ religionis revocare tempus, & quod ad morum disciplinam pertinet, Christianismi faciem immutare? Humanæ salutis inimicus idololatriæ tempore superbus imperio, quod in omnium cordi obtinebat, sibi primos cujuslibet anni dies dicatos volebat; cuinam alteri causæ acceptam referre debemus institutionem, & nequissimam bacchanalium nostri hujus temporis consuetudinem. *Desumptum majori ex parte ex spiritualibus considerationibus Pater Croiset.*

Bacchanalium excessus probari non possunt sub sequenti Quadragesimali jejunio.

Quis chordatus nimis libera bacchanalium solatia probare auderet propter propinquitatem dierum pœnitentiæ, qui subsequuntur? Diceine, omnes se sensibus suis laxare habenas, quia primo quadragesimæ die pœnitentiam acturus est earum rerum, quæ sibi licere voluerit? Se omnibus mundi hujus voluptatibus, sexcentisque parum Christianis, ac honestis parum solatiis vacare, quia non multo post jejunandum est? Quadragesimali tempore deflenda erunt peccata; in antecessum ergo fletus isti reparandi sunt effusa in omni intemperantia libidine. Intra paucos dies jejunium indicet Ecclesia; hoc igitur jejunium crapulis, ganeisque prævertendum est. Quamprimum concionatores ostendent hæc omnia bacchanalium oblectamenta esse Christiano nomine indigna; pro virili ergo adnitamur, ut nos hujusmodi exprobrationibus dignos præbeamus. Pœnitentia nobis prædicabitur; nihil igitur prætermittamus, ut eadem magis indigeamus. Nemo non sentit, quam ridicula hæc sit argumentatio; quandonam sentietur hujus vivendi rationis indignitas? Nemo ita impudens, perfrictæque frontis erit, qui bacchanalium solatia ita vellet probare; hoc tamen significant ea, quæ ad eorumdem probandam consuetudinem afferuntur. Heu! numquid Christiani

etimus

simus tantum otis invenusta quadam compositione, & pro temporum varietate? Numquid res mimica est religio nostra? Hodie quidem in omni libidinum genere effusi, cras vero propter decorum hypocritæ. Quædam externa religionis species Ethnicas dissolutiones excipiet, & eumdem colentes Deum, eamdem legem habentes, eadem metuentes supplicia bacchanalium, & Quadragesimæ tempore, honori nobis vertemus hoc tempore facere, quidquid divinæ legi oppositum est, alio vero omnibus articulis ejus applaudere? Fierine potest, quod adeo crassa dementia ab omnibus non deprehendatur? Quis umquam, dummodo vel levis aliqua religionis, ne dicam rationis species adsit, in hunc errorem potest impingere? *Idem*.

Ridiculi est quærere, utrum malum sit, omnibus bacchanalium solatiis indulgere.

Quærunt quid mali in omnibus bacchanalium voluptatibus adsit. Heu! quod immo illic malum non adest? Quæ innocentia tot laqueis resistere potest? quæ virtus tot hostibus oppugnata victoriam referre? Tempus igitur bacchanaliorum illud erit, quo homines sese omnibus suis tradent cupiditatibus, quo citra metum sese sexcentis objicient periculis, quo palam vitiis omnibus litabunt. Quid ergo? Christiani nomen, quod gerimus, adeo ne abjectum est, & contemptibile, ut nulla decorari possit actione, quantumvis illa indecora sit, & insana? Fierine potest, ut nullum sit decorum eo in statu, qui nos Dei filios per adoptionem constituit? *Idem*.

Mala, quæ bacchanalium tempore fiunt.

Quærere quid mali sit, iis oblectamentis vacare, quæ bacchanalia suppeditant, idem est ac quærere quid mali sit, apud fideles plerosque Ethnicorum dies festos instaurare; Christiani nominis dignitatem quolibet voluptatum genere dedecorare, easque in tropheum quodammodo erigere. Quid mali est alienam induere personam, ne ullius rei pudore suffundamur? Quid mali meliorem diei partem in ludis, & aleis, totam vero ferme noctem in choreis; ac saltationibus traducere; oculos lascivis tantum, & illecebrosis objectis pascere; non alium Deum præter voluptatem, neque alium Dominum præter cupiditatem agnoscere; sese in flagitiosorum hominum caterva commiscere; sensus sine verecundia, cor sine custodia, mentem sine moderatione circumferre; omnibus voluptuariis cœtibus interesse; numquam deesse iis, quæ in urbe flagitiosissime fiunt; etenim bacchanalium tempore ex quonam alio mortalium genere coalescere possunt cœtus adeo liberi, atque plerumque nocturni? Ibi ne ullus vir bonus invenitur? Quam mirum esset, si inveniretur? Quibus ille irrisionibus, atque dicteriis sese objiceret? Egregia sane ratio, quæ palam ostendit, cujus farinæ sint homines, qui in hujusmodi cœtibus adsunt; & post hæc quæritur adhuc, quid mali sit in bacchanalium solatiis? *Idem*.

Descriptio malorum, quæ eo tempore videntur.

Quid? quinque vel sex horas in facie fuco linienda, cæsarieque comenda transigere, ut inde in virorum cœtum transitus fiat ad laqueos eorum castitati locandos; & præferendam Dæmoni facem, qua ubique impudicitiæ flamma accendatur; integras noctes patere oculis, & illecebrosis verborum blanditiis eorum, qui in civitate sunt perditissimi; nihil prætermittere eorum, quæ in arte, ac natura periculosissima sunt ad alienos oculos in se convertendos, & corda seducenda; personam, sexumque mentiri, ut gratiæ auferatur modicum illud subsidii, quod in nostris invenit vestimentis; de una in aliam urbis regionem migrare sub theatrica larva; satis non putare inutilia, ineptaque verba, verum ea etiam proferre, quæ non sine ingenti scandalo proferuntur, quibus vocabulis adeo procax licentia poterit excusari? Mundi spiritus, intemperantia in conviviis, excessus in aleis, cœtus voluptuarii, numquid minus bacchanalium tempore damnati sunt, quam Carnisprivii? Vitium numquid minus vitium hoc tempore, quam illo est? Ubinam in Evangelio reperies, quosdam in anno dies esse, ubi præceptum Christiano more vivendi, puram, integramque vitam ducendi minus quam alio quolibet obliget? *Idem*.

Quid Ethnicus jurare posset de religione nostra, si post bacchanalia cineris ceremoniis interesset.

Quidnam cogitaret Ethnicus, qui cum bacchanalium tempore testis fuisset publicorum spectaculorum, mundanorum cœtuum, comessationum, nocturnorum solatiorum, & fastus, quo majorem effusioremque ars nullum excogitare valeat; biduo, vel triduo post nostra ingrederetur templa, atque ad aras provolutos videret, sub cineribus inclinare caput plerosque illorum, quos aliquot ante horas vidisset choreas agentes, vel alteri cuipiam oblectationi vacantes? Videmus, quid Ethnicus cogitaret; immo etiam, ut ille, cogitamus. At satis ne semper arbitrabimur ea damnare, quæ facere pergimus? Nonne hoc est religionem nostram in ludibrium traducere, has palam personas ludere? Nonne hoc est sanctissimis Ecclesiæ, & religionis ritibus fidem abrogare, adeo abnormem vivendi rationem sectari? Pietatis simulatio plures prophanarum festivitatum dies excipit. *Idem*.

Quis in morte sensus erit de hujusmodi solatiis, quæ tempore deperdimus.

Tempus erit, cum flagitiosi homines secum irati non sine horrore damnabunt omnia hæc prophana solatia; verum tunc eritne amplius tempus? Tunc merito Ethnicorum solatiorum nomine bacchanalium gaudia nuncupata fuisse fatebuntur; tunc ministri Evangelici sinceri, & parum blandientes, sapientes fuisse dicent; tunc eorum virtus commendabitur, qui melius consulti omnes hujusmodi parum christianos ludos interdixerint; tunc agnoscent, mundi hujus placita non hoc magis, quam alio tempore fuisse permissa. Sed quam amara est pœnitentia, cum fructu caret, & spe? Immo neque adeo sero solatia tam parum christiana dimittamus. Tumultus nequaquam æternum nobis stuporem immisit; adsunt rationis intervalla quædam, quæ quantumvis in flagitioso homine infirmata sit, subinde tamen ostendit eorum rerum, quæ illi placent, nequitiam; & virus, quo fascinantur. *Idem*.

Quantum [illegible] hoc tempore.

Quocumque vertamus oculos hisce bacchanalium diebus, ubique ea flagitia videmus, quæ proculdubio stuporem nobis injicerent, nisi ea quodammodo consuetudo probasset fere universalia efficiens. Et sane si per compita, & plateas pertransimus, quid ibi intuemur? Otiosos homines, quos non pudet suam ostentare dementiam, atque impietatem sub larva, simulatisque indumentis: sed qui suam turpitudinem, & infamiam celare non possunt, & illam ipsi quoque agnoscerent, nisi popellus eorum insaniæ applauderet. Ex publicis plateis si in privatas domos dilabimur, quid ibi nisi cæcitatem, atque flagitia videbimus? Illic causidicus, jurisque consultus studiorum suorum rationem, ac Magistratus justitiæ administrationem, quæ res illum Dei constituit imaginem in terris, relinquunt, & ludis tantum, turpibusque voluptatibus vacant. Hic mercator aliquot dies negotiationis suæ curis, & opifex aliquot consuetis laboribus horas surripientes, nisi avida lucri cupiditate voluptatum amore superetur, id unum cogitant, quomodo præteritam tristitiam in libidinum effusiori licentia submergant. Ubique videbitis Christianas matronas, quæ aliquantisper seposita pietate, quam ipsarum propriam facit Ecclesia, dies integros absumant sese inanibus curis, & calamistris ornantes, ut venustiores ad choreas, hilaresque cœtus prodeant. *Auctor Sermonum Christianorum tomo 3. Sermone de Bacchalium solatiis.*

De personis & larvis quæ hoc tempore adhibentur.

Quod fideles derelictis hoc tempore naturæ gratiis, quæ illos a brutis distinguunt, atque viventem Creatoris efficiunt imaginem, his effusioris licentiæ diebus per compita, plateasque volitant ridiculis tecti indumentis; eo aliis jucundiores, quo magis monstruosi, & rationi oppositi, nonnon ab humana natura, qua induti sunt, abhorrentes? Quam vos ipsi, auditores, de hujusmodi monstris ideam concipitis? Cujus imaginem illos

præferre arbitramini? Tu vero, Deus, inter tot insaniæ argumenta tuamne cognoscis imaginem? Posses quidem merito ex singulis horum quærere, quod in terrestre Paradiso ex Adam post ejusdem lapsum quæsivisti: Adam, ubi es? Ubi sunt meæ formæ vestigia? Ubi est ratio hujus hominis, qui personam, sexumque mentitus? Ubi pudor, & modestia mulieris hujus, quæ sub mutuata facie noctes omnes ad choreas sollicita fertur? *Idem.*

Non desunt, qui totum vitæ suæ spatium inter ganeas, libidinesque traducant.

Neque uno tantum, statutoque anni tempore oblectamentis, solatiisque indulgetur; nimis multi in terris sunt, quibus non aliud negotium est, quam alea, & ludus; & illi ipsi, qui hæc interrumpere coguntur, ut victum sibi comparent, illi etiam nequaquam male vitam suam collocasse putant, cum hoc ineunt consilium alternis vicibus negotia solatiis, & negotiis reciprocare solatia; at viderine potest major cæcitas, quam impudentissimorum quorumdam mortalium, in quibus vivendi licentia omnes conscientiæ stimulos, omnesque religionis sensus suffocavit, eousque ut ne credant quidem ea mala, quæ ipsis Deus minitatus est? Hujusmodi illi sunt, de quibus in Sapientiæ libro sermo est: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Quodnam consilium? quæ cæcitas? quod ex illis lacrimarum imbres deberet elicere, illos in solatiis, atque voluptatibus immergit: fatalis hujus momenti expectatio, quod omnibus voluptatibus finem impositurum est, quin earum in ipsis fastidium ereet, efficit e contra, ut sese illis ingurgitare festinent; imminentem prævident mortem; neque verentur illam; stupiditas eorum efficit, ut hanc sine ullo metu, atque tumultu prope spectent; novissimis momentis, quæ Deus illis concedit, abutuntur, & non sine gravissima divinæ misericordiæ contumelia nocentem vitam nocentiori morte concludunt. Nolunt suas relinquere voluptates; a voluptatibus suis volunt divelli. Suos tantum sensus consulunt, a mensa ad sandapilam transeunt, atque seipsos immergunt mero, cum anima ipsorum est infernis ignibus immergenda. *Auctor Anonymus.*

Bacchanalium diebus Christianismi spiritus omnino videtur extinctus.

Satis aperte funesta nos ducet experientia, per hosce dies quosdam videri Christianos, in quibus nullum deprehenditur spiritus christianismi vestigium, & qui insano acti furore affectibus suis laxant habenas, ac libertatem sibi vindicant omnia per fas, nefasque conandi, omniaque contra decorum, pudorem, & honestatem audendi; qui insolentes Evangelii dogmata corripiunt, qui sexus confundunt, honori sibi vertentes, quod nihil ipsis simile sit nisi homo improbus, & flagitiosus; tumidis torrentibus similes, quorum cursum res nulla continere potest, & qui violenta pernicitate valla perrumpunt, secumque obvium quodlibet pertrahunt; Denique ut horum, qui nomine tenus Christiani quidem sunt, moribus autem Ethnici hypotiposis absolvatur, tanta eorum est cæcitas, ut putent, Dei leges licet immutabiles, hoc tamen habere commodi, ut quibusdam anni temporibus permittant, quod aliis severissime vetant; quasi impietas rerum naturam posset invertere, vel efficere, ut Deus corruptis hominum studiis velificaturus, ipse quoque esset obnoxius mutationi. *Sermo Manuscriptus.*

Ex morum licentia statim ad licentiam, animo ad jacturam fidei progreditur.

Quemadmodum difficile est diu ferre certamen affectum inter, & rationem initum, ita ut tranquillius vitæ præsentis voluptatibus indulgeatur, detestabilis hæc ars excogitata fuit, alterutrum vel infirmare, vel evertere, ut alteri satisfiat: hoc est, ne inordinatorum affectuum cursus abrumpatur, suffocantur in corde purissimi fidei sensus, omniaque sanæ mentis, & rationis lumina extinguuntur. Hoc pacto hebetantur importuni conscientiæ stimuli, quam quisque fere fallere conatur; atque sine ullo tumultu in licentia perseveratur; & quasi lex affectuum lenior, & suavior esse lege rationi, & æquitatis; vel quasi major illecebra, & gloria esset vitam brutorum potius, quam hominum tinis traducere; rationem potius amittere volunt, quam a flagitiosissimo vivendi genere abhorrere. *Idem.*

Solatia, & ludi, in quos Patres invehuntur, a bacchanalium solatiis non abhorrent.

Non miror, si posteriorum seculorum Patres tanta vi fuerint invecti contra prophana ævi sui oblectamenta. Alea, S. Augustinus ait, Christiani hominis abominatio est: *Alea crimen aleatoris*: Gula, Tertullianus inquit, polluit os esu divini corporis consecratum: *Ut quid gula Dei sanguine Sanguinaria?* Chorea, & saltatio, S. Ambrosius ait, *est morientis pudicitiæ agitatio*. Denique spectacula, & quidquid per oculos voluptatem immittit, S. Chrisostomus inquit, divina lege vetitum est. Quid hisce auctoritatibus responderi potest, præsertim vero cum experientia confirmet, bacchanalium solatia nequaquam magis a culpa abhorrere, quam quæ primis christianæ religionis temporibus consueverant? Quod si horum solatiorum singula criminosa sunt, quid de mortalibus sentiendum, qui illa sibi omnia hoc tempore, & nonnunquam toto vitæ suæ spatio licere volunt? Non enim desunt quorum negotium est gaudia perquirere. Quidam ex hoc cognoscuntur, per hoc indigitantur; hic homo est effusus in omni intemperantia libidinibus deditus; hæc mulier est voluptatum amica; nisi ita impudica sit, ut illius vivendi genus scandalum præbeat, saltem nihil intentatum reliquit, ut jucunde tempus traducat. Dici ne possunt mortales hujusmodi christianam vitam ducere, & secum reproborum characterem non gerere? *Sermo Manuscriptus P. Francisci Catrou.*

Hypothesis vitæ, ac dogmatum quibus homines flagitiosi imbuti sunt, in Sapientiæ libro exhibita.

Venite (flagitiosi homines inquiunt) *& fruamur bonis, quæ sunt*. Venite, voluptuarium nobis coetum constituamus, atque sine lege, indiscriminatim iis perfruamur bonis, quæ anni præsens tempus exhibet nobis. Patrimonium dissipetur; obmurmurent consanguinei, in egestate reliqua langueat familia, creditores nostram videant profusionem: hæ considerationes illam perturbarent animi hilaritatem, cui honorem, decorum, religionem, omnia posthabemus. *Utamur Creatura tamquam in juventute celeriter*. Adhuc in ætatis flore versamur; quamprimum læti dies nobis aufugient; senectus ocyus sapientiam, ac voluptatum nauseam afferet. *Vino pretioso, & unguentis nos impleamus*. Vinum, & delicias nonnisi ex earum raritate æstimemus; gaudium nonnisi ex legis prævaricatione metiamur; in licentia tantum voluptatem inveniamus, & furor suavissimum sit voluptati condimentum. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*. Ubicumque juventutem, & pulchritudinem florescentem invenerimus, illuc corruptionem invehamus; virgines honestissimas importunis fatigemus illecebris; minus cautas inanibus blanditiis decipiamus. *Ubique relinquamus signa lætitiæ*. Ubique agnoscamur ex oris habitu in omnem lætitiam effusi; loci omnes, ubi versamur, ubi voluptatibus indulgemus, ubi visitationes obimus, repleti sint vestigiis procacissimæ hilaritatis, quæ post nos ipsos relinquimus. *Hæc est enim pars nostra*. Epicuræorum placita professi in una voluptate omnia & pro tempore, & pro æternitate jura nostra constituamus. Quis autem dubitat, quo minus hujus farinæ homines in voluptatibus suis fatale virus, quod mortem ipsis inferat, nanciscantur? *Idem.*

Quomodo morum licentia in Christianismum obrepserit.

Fideles cum de primo fervore nonnihil remisissent, sensim Infidelium solatiis oblectari inceperunt. Eorum ludis, atque theatris interesse non erubescebant; non abhorrebant a solemnitatibus, quæ in idolorum honorem instituebantur; commessationum eorumdem lautitiem imitabantur, atque ac illi voluptuarios coetus habebant, quibus quosdam menses, & varias anni tempestates distinguebant tristes effectus exempli, quod eorum excitabat cupiditates, eosque paulatim a severis Ecclesiæ ritibus amovebat. Hoc pacto morum corruptio, quam Christianismus sustulerat, iterum in Christianismum obrepsit. Aliquid simile videmus adhuc in plurimorum fidelium vita contingere, qui in pietate innutriti, & Religionis institutis imbuti sese mundi solatiis immiscent;

in

in mundanorum societates ingrediuntur, eorum licentiam quibusdam temporibus imitantur, in eorum ludis, spectaculis, comessationibus locum habent, eosque in academiis, & cœtibus scandalo inferendo destinatis sequuntur, ac tandem in eorum mores abeuntes & ipsi fiunt palam æquo liberiores. *Auctor Anonymus.*

Quidquid bacchanaliorum tempore videtur in vitium impellit.

Quid videri potest, quo magis ea foveantur studia, quibus in vitium rapimur, & in nobis omnes verecundiæ, & probitatis sensus extinguantur, quam quod passim, dum bacchanalia furunt, videtur? Immodestioris habitus; immodicæ hilaritates, publicæ libidines; effusæ comessationes; vetita spectacula; voluptuarii cœtus; oculi ad omnem vanitatem aperti, & spiritus ad criminosa solatia dispositi; flagitia hæc, propter quæ erubescit Ecclesia, & tot animæ piæ collacrymantur, nullum inter Ethnicos, ac Fideles relinquentia discrimen. *Alius Auctor Anonymus.*

Bacchanalium dies impietati, ac libidini devoti videntur.

Quemadmodum inter anni dies, quidam pietati, modestiæ, & orationi destinati videntur; dies, quos devotionis nuncupamus, quales ii sunt, quibus colit Ecclesia præcipua religionis nostræ mysteria, nativitatem, passionem, & resurrectionem Domini nostri, aliique; similiter & quidam licentiæ, & libidini videntur destinati; dies, qui mollitiei, & effusiori in omni intemperantia libidini, adventante carnisprivio, dicantur, quod tempus est devotioni, pœnitentiæ, & mortificationi devotum: ita ut quin mortales sancto vivendi genere, & pie factis sese præparent hisce remissionis, & salutis diebus; vita prorsus soluta, ethnicoque digna interitum suum quærant, ac se tanto privent beneficio. Etenim quid quæso ubique videtur in plateis, & compitis, immo etiam in plerisque privatis domibus; quam peccatores simul coacti ad instaurandas veteres Ethnicæ superstitionis impietates, furoremque bacchantium: homines sine Christianismo, sine lege, dicamne? sine sensu, & sine ratione, qui non religionem solum, quam profitentur, verum etiam hominum, & rationalium nomen, quod gerunt, dedecorant. De illis judicium ferre lubet ex spectaculis, larvis, theatris, conviviis; ex hoc peccatorum nexu, quæ per hosce dies perpetrantur &c. *Desumptum partim ex Morali Dictionario Sermone hujus argumenti primo.*

De bacchanalium personis.

Quonam detestabili modo excogitata fuit ars, alienam induendi personam, ut homo longe alius ab eo, qui est, videretur, neque Dei sui in se deleret imaginem? Hoc olim intelligere Tertullianus non poterat; *Libido virum vultu transfiguravit*; voluptas deformavit hominis faciem; hæc non amplius est egregium illud opus, quod Deus ad sui similitudinem effinxerat; non amplius illud opus est manuum ejus, quod ipse suo flatu animaverat, alienam induit formam, qua dæmonum quidem ludibrium, cœli vero efficitur abominatio. Sexum cum mutare non possit, habitum mutat. Christiana verecundia, quæ saluberrimum est peccati frœnum, deletur: qui naturali facie prodire numquam ausus fuisset, sub aliena, quam impudentissime est mutuatus, sanctissimas naturæ leges infringit: quæ plurimo rubore suffusa ne minimum quidquam contra fas attentasset, si ex facie potuisset dignosci, alienam induens personam in omne vetitum ruit, & penitus modestiæ, quæ sexum decet suum, obliviscitur. *Idem.*

Hoc potissimum tempore Jesus Christus iterum crucifigitur.

Si verum est, quemadmodum explicitis verbis affirmat Apostolus, numquam a nobis lethale scelus admitti, quin intra nos Dei filium iterum crucifigamus: *Rursum crucifigentes in semetipsis filium Dei*: ad Hebr. 6. procax peccator animum advertere potest, quin perhorrescens, atque in seipsum indignatione succensus dentibus infrendat videns, quot modis hisce impietatis, effrænatæque licentiæ diebus filii Dei mors, ac tormenta instaurentur? Hæc non solum est simplex peccatorum illuvies; exundatio est, & universale diluvium. Non privati tantummodo nonnulli sese mero, aliisque noxiis cupiditatibus ingurgitant, sed urbes totæ, atque Provinciæ; omnes nefaria, atque anniversaria conjuratione conspirant, ut Dei filio necem inferant, atque ut olim Judæi, uno ore exclamare videntur. *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joann. 19. Aliis anni temporibus otium, impudicitia, mollities, gula, impietas quodammodo latent, atque sepulta sunt in nefariis peccatorum cordibus; sed hisce effusiorum libidinum diebus insolenter in lucem prodeunt. Peccatum perfregisse valla omnia videtur; corruptio quæ in eorum corde latebat sese effudit, & omnem late terrarum orbem corrupit. Ubique grassatur impietas, ubique licentia, sordes ubique; & homines certare videntur, quisnam citius recti sensus, & rationis faciat jacturam. Hi sese floribus coronant, illi inaudita metamorphosi se in belluas immutant; homines muliebri amictu, mulieres virili induuntur, & in tanta hac rerum omnium perturbatione utrique impune omnia sibi licere volunt; idque iis in urbibus, quæ Christianam religionem profitentur, atque apud eos homines, qui Evangelio se credere, & Jesu Christi discipulos esse gloriantur. Si hoc non est Jesum inimicis ejusdem tradere, illum illudere, atque intra se crucifigere; ne longissime erravit S. Paulus, cum lacrymarum imbre suffusus dixit, plurimos adhuc esse Crucis inimicos. *Idem.*

Hoc tempore magis, quam alio quolibet Jesus Christus contumeliis afficitur.

Mirum profecto est, fideles sæculi flagitiis adeo facile trahi, & adeo modicam gerere gloriæ præceptoris sui curam, ut quin eamdem omni nisu studeant provehere, illam ignavissimis prævaricationibus abolere adnitantur . . . . . Fabulam surdis canit, qui apud eos de maximo salutis negotio verba facit. Prorsus impie respondent, hæc monita temporis hujus non esse; singula suum tempus habere; hoc vero tempus esse solatiorum, atque gaudiorum; Hinc oritur universale hoc iniquitatum diluvium; quæ sub relaxandi animi prætextu committuntur. Hinc insani furores, hinc nefariæ libidines, hinc scandala; omnes fere Jesum Christum contumeliis afficere quærunt in iis etiam, quæ in religione sanctissima sunt, neque ulla ratione temeranda. Vobis hic imaginem exhibere variorum scelerum, quæ in mundo patrantur, hoc vero potissimum tempore, quo dæmon imperiosius regnat, & quo homines quadragesimalem reparaturi temperantiam in ea ruunt flagitia, quæ loci dignitas ne patitur quidem nominari; vobis, inquam, hujusmodi texere nomenclaturam opus esset prorsus inutile; etenim sat illa nostis: quamobrem eorum sanctum horrorem vobis injecisse sufficiat &c. *Idem Sermone 2.*

Flagitia hæc in Ethnicis admirationi nobis adferre non debent, sed in Christianis sunt detestabilia.

Cum apud historicos legimus depravatissimos Ethnicorum mores, & libidinum eorumdem insolentiam, quamquam admirationi causa non desit, hos tamen considerare debemus tamquam necessario ejus causæ effectus, quæ non alios gignere poterat. Quod numinis alicujus cultores se illius, quod colunt, moribus conforment; hic naturalis est cultus ejusdem effectus. Quod qui Jovem adulterum venerabantur, sese impudicitiis abdant, & alii iis indulgeant sceleribus, quorum exempla in Diis suis admirabantur, in hoc nihil mirum est, inquit Minutius Felix inter primos christianos Auctores: etenim cur homo suapte natura vitiosus abhorreat a vitio, & voluptate, ad quam numinis, quod colit, ministerio impellitur, & exemplo? Sed quod fideles, qui profitentur Evangelium, ubi de mortificatione tantum, ac temperantia sermo est, quod fideles a Deo in cruce mortuo redempti voluptuosam vitam ducunt, quod hoc tempore faciunt, erecta cervice, sine verecundia, & sine religione, hoc sane intelligi nequit, quin nobis sanctus horror incedat. *Idem.*

Bacchanalium flagitiis contuendis præmiatur.

Hisce diebus consuetudini tantum indulgent, quæ longo usu legis vim adepta videtur ea in religione, quam profitemur, & fidelium plerique dicere videntur, quod olim Judæi tempore Passionis

Domini: *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori*. Afferamus quotcumque libitum fuerit rationes; proferamus Scripturas, Concilia, Patres Bacchanalium licentiam, effusamque libidinem damnantes; non aliud responsum dabitur præterquam: hæc est consuetudo hoc tempore animum recreandi; qui nos præcesserunt, hoc fecerunt; nos ipsi hoc facimus. Hic usus inter nos percrebuit, & inolevit, ut psallamus, saltemus, meliorem diei, noctisque partem in ludis, spectaculis, & convivis traducamus. Sed in tanto hoc publico tumultu ulli ne invenientur veræ legis patroni, qui procacibus hujusmodi mortalibus dicant, quod tres illi pueri olim dixere Nabuchodonosor: *Notum tibi sit Rex, quod Deos tuos non colimus*: Daniel 3. Scitote, nos numquam conscientiam nostram proditures, & Deo, quem colimus, numquam injuriam hanc allaturos: *Idem*.

Mira plerorumque fidelium hoc Bacchanalium tempore cæcitas.

Quæ major dementia, quam plurimorum fidelium hoc tempore, qui obliti, non equidem divini, christiani hominis officia, quæ illis fere numquam negotium facessunt, sed proprii status sui, meliorem noctis partem in ludis, choreis, & conviviis traducunt; qui, quandoquidem cum omnibus loquendum est, triduo, vel ad summum quatriduo plurium hebdomadarum labores absumunt; qui sive a creditoribus urgeantur, sive frequenti filiorum sobole onerati sint, solatiis tantummodo, temporique terendo vacant; qui etiam de calamitatibus cum publicis, tum privatis conquesti, omnium tamen primi sodalitates nectunt, personam induunt, & in omne vetitum ruunt? Mirum! se miseros dicunt, & nihilominus sæculi nugas consectantur: *Miseri jam sumus, & nondum nugaces esse cessamus*, ajebat olim simili in occasione disertissimus Salvianus. Exclamamus contra corruptionem, & flagitia, quæ hisce diebus grassantur, & nemo ferme privato exemplo abusum hunc corrigere admititur. *Auctor Sermonum moralium, Sermone pro Quinquagesima Dominica*.

Dæmon cum Deo tempora, annique tempestates dividere vult.

Deus dierum omnium est auctor, omnesque dies illius sunt, & ut loquitur Scriptura, juxta providentiæ illius dispositionem durant, sibique succedunt. Sed hominum inimicus & gloriæ Creatoris usurpator cum illo tempus dividere vult; & ipse quoque suos habere dies, non secus, ac Deus suos. Quamobrem fidelibus persuadet, quasdam esse temporum voluptates; hos Bacchanalium dies potissimum dicatos esse solatiis, cœtibus, compotationibus, spectaculis; quemadmodum qui subsequuntur sunt, dies erunt mortificationis, jejunii, & pœnitentiæ. Periculosa dæmonis illusio, qui hoc tempore sibi servitutem præstari vult, & quamdam imperii speciem in homines exercere. *Idem*.

Humanæ salutis inimicus ad mortales perdendos hisce bacchanalium diebus duplici utitur via; consuetudine videlicet, & pravo exemplo: consuetudine, quam dæmonis traditionem vocare possum; & exemplo, quod flagitiosorum hominum legem jure appellabo; consuetudine, & exemplo, quæ congregantia venenatas aquas, quas quodlibet sæculum attulit, simul conjunguntur, ut ingens illud efficiant iniquitatum diluvium, quod universum ferme terrarum orbem inundat; consuetudine, & exemplo, quæ detestabiles rationes sunt mundanos homines ad interitum catervatim compellendi, qui a subsequentibus compulsi, atque impellentes eos, qui præcedunt, conjunctim in abyssum sese præcipites dejiciunt. *Idem*.

Dolor, quo veri fideles affici debent ea videntes scelera, quæ hoc tempore perpetrantur.

In Ecclesiastica narratur historia, Episcopus cujusdam oppidi in Syria nomine Epiphanius, cum causam intellexisset insueti strepitus, qui per omnia compita exaudiebatur, audiissetque publicam hanc lætitiam inde profectam, quod Bacchi idolum in Templum ipsius inferebatur, tanto fuisse dolore perculsus, ut statim obierit, quia superstes esse non poterat tantæ huic abominationi in loco sancto. Deo immortales habeantur gratiæ, eo, quo vivimus sæculo, similis prophanatio metuenda non est; verum non deest nobis conquerendi causa; cum per hos dies videamus eversa Ethnicorum simulacra iterum erigi, veteres abominationes antiquari sub Christiani nomine gravissimam Ecclesiæ injuriam inferri, nefaria intemperantia in corporibus nostris, quæ ab Apostolo templa sancta, & Dei domicilia vocantur, Bacchi erigi idolum. Nos vero hujusmodi prophanationes, & scandala non movebunt? In Dei causa, & nostra frigidi erimus? cur in lacrymas non erumpimus? cur ad tot peccatorum adspectum præ dolore non morimur? Hæc quidem mors pretiosa esset in oculis Domini; at extremus iste charitatis nostræ nisus ex nobis non petitur; illud vero nobis faciendum est, ut omnes in eamdem mentem consentientes simul omnes clamemus, precibus nostris majus pondus addituri ut dignetur Dominus illuminare hos cæcos, & cum illis uti misericordia, quia peccati sui enormitatem minime agnoscunt. *Idem*.

Hoc tempore deflere debemus ea mala, quæ committuntur in mundo.

Hæc animo cogitantes mala, quæ hisce diebus accidunt, quid nosipsi, quid vos animæ fideles facere possumus, nisi amarissimum lacrymarum imbrem effundere hoc tempore, quo vitium triumphat, quo libidines impune grassantur, quo scelus corona redimitur; quo viæ omnes refertæ sunt cæcis, atque furentibus; amentium instar hac illac volitantibus quo cum nostræ religionis scandalo nonnisi licentia, impietasque videtur. Vestrum est, animæ sanctæ, publica hæc amovere flagitia, in Templa, & ad aras confugiendo, ut Regem gloriæ colatis nunc maxime, cum a tot cæcis peccatoribus, qui ad illius necem, ut olim Judæi, conjurasse videntur, nequissimis afficitur contumeliis. Etenim quandonam, fideles animæ, cum illi testabimini amorem, quem profitemini, nisi hoc tempore fiet? Quandonam illi fideles eritis, nisi cum ab omnibus fere mortalibus derelinquitur? Numquid non timetis, ne vobis in hac publica conjuratione dicat, quod Apostolis suis olim in horto olivarum: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* Matth. 26. Ego in his altaribus adsto, ac eo tempore quo gravissimis proscindor contumeliis, nullum mihi precibus, & pietate vestra solatium affertis. Hoc ex vobis proximi vestri petit utilitas, qui per hæc Bacchanalium flagitia in se fortasse maledictiones cœli detraheret, nisi illa precibus vestris averteretis. Eheu! quot sunt miseri peccatores in pereundi periculo positi, nisi aliquod spirituale subsidium afferatis, & nisi charitas vestra erga illos divinæ ultionis tela detorqueat? *Joly, Tomo secundo propositionem pro Quinquagesima Dominica*.

Peccatores hoc tempore oblectantur, dum interim Deus eorum sceleribus irritatur reprobationis eorum scribit sententiam.

Quam miseret me vestri, o insipientes! qui oblectationibus indulgetis, qui per plateas volitatis, qui de choreis ad choreas, de spectaculis ad spectacula properatis; hic fortasse peccatorum vestrorum erit cumulus; lætamini, & fortasse jamjam reprobationi vestræ cumulum additis, atque in infernum estis descensuri: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Gula vestra vos fortasse perdet, ut Esau, mollities, & ebrietas vestra, vos perdet, ut Balthasar; impudicitia, ac libido vestra vos perdet, ut senes illos, qui Susannæ stuprum inferre conati sunt. Adhuc escæ erant in ore Israelitarum, cum Dei ultio in illos detonuit, ut eorum intemperantia puniret. Heu! numquid non timetis, ne eadem committentes scelera, subituri sitis idem supplicium? Ad divinas ultiones inhibendas vos hodie obtestamur, o fideles, ut ante aras provoluti tantam calamitatem deprecemini. Deus adeo bonus, & misericors est, atque tantum sibi complacet veniam permittens, ut statim ac lacrymas videt, atque audit suspiria, tela deponat. Nonnumquam duo tantum justi sufficiunt ad brachium illius inhibendum, prohibendumque, ne centum peccatores ab illo puniantur. Decem tantummodo homines pii Sodomæ, & Gomorrhæ incendium prohibuissent: nefariaque illæ civitates nequaquam in cineres fuissent redactæ, si decem animæ justæ fuissent inventæ, quæ tantum deprecarentur excidium.

dirum. Moyses unus divinam ultionem latius deservire vetuis, cum prope erat, ut populum Israel occidione deleret: & quemadmodum patet, qui irascitur filio suo, gaudet sibi e manibus virgas auferri; ita, S. Augustinus ait, gaudet Deus videns justos homines, qui brachium ejus continent, ejusque ultionem impediunt. Accedite ergo, fideles animæ, ad Domini pedes provolutæ, madentibus lacrymarum imbre genis, atque ex corde suspiria emittentes: Obliviscere Domine, obliviscere eam, quam peccatores tibi inferunt, injuriam; insipientes sunt, & suis vacant oblectationibus, cum tu in illos vis animadvertere. *Idem*.

Hoc Bacchanalium tempore fideles preces suas instaurare & augere tenentur.

Ratio, quæ jubet veros Christianos hoc Bacchanalium tempus in pietatis sensibus, atque secessu transigere, ea est, quod hisce effrænatæ licentiæ diebus omnes fere mortales Dei filium offendunt. Mirum! non desunt quamplures, qui in mundo viri boni, & virtute præditi habentur, qui hoc tempore libertatem sibi vindicant relinquendi devotionem, reliquo anni spatio sibi familiarem. Diceres, hoc esse quoddam veluti tributum temporis hujus consuetudini debitum; per hoc reparandam esse quodammodo vim, quam sibi quisque aliis anni tempestatibus infert, & credi, quædam hoc tempore licere, quæ aliis ferenda non essent. Verum Jesus Christus hisce defectionis diebus neminem pro se stantem habebit? Num illi ipsi, qui eum sequuntur, hoc libidinum effusiorum tempore ab illo recedent? Nonne saltem opus est, ut dum omnes fere mortales seculi partes roborant, atque confirmant, exiguus saltem piorum hominum numerus ab illius societate non deficiat, ac a magna nocentum turba secedentes illum adoraturi in templum se conferant, sibique legem integent sese mortificandi, & pœnitentiam agendi? *Idem in mixtis operibus*.

Duæ semper fuere partes in omnibus statibus vitæ Jesu Christi; altera quidem pro illo, altera, contra illum.

Animadvertendum est, Dei filium quâlibet in occasione duas semper habuisse partes; quarum altera pro illo esset, altera contra illum. Statim ac in mundum venit exiguam Pastorum manus ad illum adorandum accessit; verum simul Herodes, Jerusalem, Principes omnes, legisque doctores in eumdem insurrexerunt. Post annos triginta coegit Apostolos, & prædicavis in Synagogis: tunc quidem duæ partes extitere; alii quidem dixerunt, hic vir bonus est; alii vero, homo est seditiosus. Pharisæi, & Principes nationis illi bellum indixerunt. In morte illius hæ itidem partes duæ deprehenduntur; unus ex Discipulis ejus, & piæ quædam mulieres sequuntur, & comitantur illum; atque alter ex latronibus supplicii ejusdem sociis illum Dei filium confitetur; cæteri vero occasionem arripiunt illum blasphemandi, eique illudendi. Post illius mortem hæ duæ partes adhuc vigent; alii convertuntur, & palam profitentur ipsum revera Dei filium fuisse; sed longe plurimi quatientes capita sua illum seductorem esse dicunt, & quia dixerat se tertia die resurrecturum, ad sepulchrum ejus custodes adhibent ut illum seductorem fuisse probent. Quod autem accidit in nativitate, vita, morte, & post mortem filii Dei, hisce diebus instauratur. Modicus fidelium servorum ejus numerus in ejus partes concedit, eum sequitur; illi adhæret, & hos dies in secessu, & pietatis exercitiis traducit; at potior numerus contra eumdem est sese in omne vitiorum genus, omnemque libidinem tradens. *Idem in compendium redactus*.

Quid ex hoc principio inferendum sit.

Quæ cum ita sint, (Auditores) huic innixi principio relinquere debetis magnum hunc coecorum numerum, libidinosorum, ac in omne flagitiorum genere perditorum, ut in exiguo Jesu Christi grege recenseamini. Quamplurimi illum offendunt: cur augebitis numerum inimicorum ejus, eumdem, ut alii, lædentes? Plurimi sunt, qui a S. Paulo ad Philip. 3. vocantur, *Inimici crucis Christi*, quia ventrem suum sibi Deum statuunt; cur vos quoque, ut illi, noxiis voluptatibus indulgebitis? Hac in occasione jure quidem ille dicere potest, quod olim: *Qui non est mecum, contra me est*: Luc. 11. qui pro me non stat, qui in partes meas non concedit, jam concedit in partes hostium meorum, & pugnat contra me. *Idem*.

Quid conetur Ecclesia hoc tempore licentiam inhibitura, & Bacchanalium flagitia prohibitura.

Videmus Ecclesiam conari, ut hos dies æque solemnes efficiat, ac licentia eos abominabiles facit. Dum plurimi loci blasphemiis, & abominationibus prophanantur, templa sacris evangelii oraculis resonant. Dum Christiani infamibus, diabolicisque larvis deformati tamquam monstra in religione videntur; Ecclesia exponit corpus Salvatoris sui sub Eucharisticis speciebus, ut solatium afferat animabus molestissimam hanc Ethnicæ nequitiæ instaurationem deflentibus. Dum plurimi peccatores mensuræ scelerum suorum cumulum addunt; illa expiationis offert sacrificia, & indulgentias pro aliis. Dum homines seculi perniciosa, atque detestabili consuetudine scelerum omnium indignitate pœnitentiæ aditum reserant; omnes religiosæ domus abstinentias, & mortificationes Quadragesimæ incipiunt. Verbo, dum ex altera parte videtur quidquid in mundo magis impium, atque prophanum est, ex altera videtur quidquid in religione sanctius est, & augustius. Ingrediamur, o fideles, in hos sensus Ecclesiæ. Quantum in nobis erit conferemus aliquid oppositioni, quam illa Deum inter, ac mundum statuere contendit. Secreto rubore suffundamur, eo quod fortasse noxia facilitate, atque indulgentia ab eadem secessimus. Abjiciamus omnes oblectationum, & solatiorum ideas, quas fortasse concepimus. Nosmet fortitudine armemus, ut religionem in periculosis cæteri tueantur, in quibus licet inviti propter inevitabilia nostri status officia nosmet reperimus. *Essais de Sermons pro secunda Adventus Dominica*.

Adhortationes ad fidem Dei servandam hoc Bacchanalium tempore.

Propter salutem nostram, atque Dei gloriam ostendamus, adesse adhuc in mundo veras, solidasque virtutes; non deesse fideles, qui tanto magis religionem revereantur, quo magis indigne illam ab impiis labefactari conspiciunt, & qui ex pravo illorum exemplo, nihil nisi & indignationis causam percipiunt in eos, a quibus illud præbetur, & fervoris incrementum, ut illud persequantur. Deus calamitosis hisce temporibus undequaque lacessitur; effrænata licentia januam aperuisse videtur omnibus sceleribus; vix minimum pietatis vestigium inter mundi hujus homines deprehenditur. Ita nulla Ecclesiæ reliqua spes est, nisi in nobis; hoc tempus est ostendendi, utrum veri simus filii ejus. Illa in manibus nostris gloriam suam collocat; nostrum igitur est, omnia illius detrimenta reparare; gloriam ejus tueri exemplis virtutis, quæ æque publica sint, ac ea scandala, quibus dedecoratur, resistere huic torrenti impietatis, undequaque exundanti; revocare in flagitiosorum hominum corde memoriam Dei, cujus ideam illi penitus delere conantur; palam damnare ea vivendi ratione, quæ publica sit vitæ eorum censura, id, quod reformare non possumus, & saltem impiorum pacem turbare, nisi scelerum ipsorum cursum inhibere valeamus. *Ibidem*.

De licentia generatim, de illis, qui in eadem totam transigunt vitam, & eorum corruptione dicitur.

Nihil periculosius est, neque pestis ulla in mundo perniciosior, quam fallax, & nefaria libertas, quæ licentiam parit, nutrit, auget, eamque ad extremum usque compellit; quia neque ordinem, neque rationem, neque virtutem sequi patiens sese tradit flagitiosæ, perditæ, libidinosæque vitæ criminibus, quæ illam Deo, hominibusque non ferendam efficit in iis quæcumque operatur. Licentia hæc non est vitium particulare, sed violenta inclinatio ad omnia vitiorum genera, quæ laxas habenas, & quæ nullo metu, vel lege deterretur. Hæc ipsa non est sceleris alicujus species, sed abominabilium multitudo peccatorum, quæ sibi obnoxios tanta confusione, & infamia suffundit, quantam singula vitia, & delicta merentur. Servitus etiam accedit infamiæ; qui enim sese effrænatæ licentiæ flagitiis mancipant, sæpe invisibilium catenarum suarum pondus persentiunt, quin sese

inde valeant expedire; cujus rei non alium testem afferam, quam S. Augustinum hæc de seipso dicentem: l. 8. Confess. c. 5. *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate.* Licentiæ nequitia latius adhuc extenditur; non enim solum quodcumque bonorum genus impedit, sed quocumque gerit tantum vitiorum, & abominationum diluvium, ut secum omnem trahat juventutem, & provectiori etiam ætati non parcat. Profecto qui justo solutiores sunt, virtutes, ac prudentia destituti vivunt in familiis suis sine lege, ac sine ratione, in statu, officioque suo sine cura, & attentione, in cœtibus sine honestate, & verecundia; in omnia sese effundunt libidinum genera sine pudore, & sine modo, ac tandem omnia sine honore, & merito operantur. Hinc sequitur, quod licentia causa est, dux, & auctrix nequissimarum omnium libidinum; publica pestis, quæ ubique in animas virulentam luem effundit; quæ res efficit, ut illam omnes boni perhorrescant, & ut verbo omnia complectar, ut illa virtutem omnem, pietatem, & religionem persequatur. *Liber cui titulus, Bellum vitiis prælio quinto contra licentiam.*

Qui justo solutiores sunt, plurimos secum trahunt, quorum interitus sunt causa.

Quicumque justo solutior est, hic sibi pravus est dux, pravus magister, & freneticus, qui sese in præceps demittere quærit: verum cum sibimetipsi adeo noxius sit, fieri non potest quominus officiat aliis; ideoque omnes conatus suos exerit, ut jugibus sollicitationibus, variisque modis eos, quorum utitur familiaritate, & consuetudine perdat. Hostis furens, & freneticus, qui vult, ut alii secum in omnia perditissimæ libidinis flagitia ruant; qui equis, & quadrigis admittitur, ut alios a virtutis semita detorqueat, & in vias perditionis abripiat; qui bonorum verecundiam, atque modestiam irridet; qui juvenes allicit, atque nefariis exemplis ad libidinem pertrahit, qui non alios novit amicos, nisi quos habet criminum, atque impietatum socios; qui sibi inimicos putat, qui illum imitari detrectant, ut ait S. Cyprianus: *Malos, qui non imitatur, offendit.* Furens hoc ingenium in quovis flagitiosorum hominum genere deprehenditur; parvuli enim initio id ex animi tantum levitate faciunt, ubique scelerum suorum consortes perquirunt, ut & alios a via virtutis avertant. Hoc videtur in filiis male institutis, qui intra modicum tempus in omnem licentiam erumpunt: namque semper in flagitiis suis crescentes, prout adolescunt ætate, æque & sceleribus, libidinibusque adolescunt, quærunt societatem eorum, qui sibi similes sunt, omnemque civitatis juventutem in eamdem licentiam, & libidinem pertrahunt. *Idem.*

Improborum hominum licentia in bonis hominibus augere debet vitii horrorem & amorem virtutis.

Cum nullus vel major sit, vel periculosior humanæ salutis inimicus, quam licentia, quæ sese in omnes ætates, in omnes sexus, & in omnes hominum conditiones effundit; ita viri boni omnes industriæ suæ nervos intendere debent, ut illi adversentur. Hæc humani generis lues in illis vitii horrorem debet augere, videntibus ea mala, in quæ libidinosi homines ruunt. Regis Prophetæ sensus animo concipere debent præ zeli sui fervore dicentis Psalm. 93. *Quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Quamquam autem nemo miles esse non debeat, cum de hostibus Dei oppugnandis agitur; *In reos majestatis, omnis homo miles*, ut loquitur Tertullianus in Apologetica, nihilominus constat, magistratus, quos potentiæ suæ sequestres constituit Deus, teneri coram Deo propter religionis officium, quam tueri debent, & auctoritatem, quam ipsis tradidit Deus, nequaquam ferre in civitatibus tantum hoc mali; licentia enim publicus est inimicus omnium Reipublicæ hostium perniciosissimus. Vos, o parentes, Deo rationem eritis reddituri malorum, quæ filiorum vestrorum licentia gignet, nisi patria usi fueritis auctoritate ad illam coercendam, antequam roboretur, & ad extrema contendat: Vos, o Pastores, & Ministri Domini, propter auctoritatem, quam vobis dignitas, atque ministerium impertit, vestrum est redarguere, increpare, damnare publice, privatim, qualibet in occasione, quolibet momento, rationibus omnibus, quas Deus vobis suggerere potest, vitii hujus horrorem ciere, illud totis viribus expellere, & eliminare ex omnibus locis, ad quos vestra jurisdictio, vel potestas se extendit. *Idem.*

Jure damnat Ecclesia solatia quæ Bacchanalium tempore licere putantur.

Videamus, utrum Ecclesia, & Patres jure ea damnent solatia, quæ plurimi eorum, qui boni, & frugi ducuntur, hoc sibi licere tempore arbitrantur. Non loquor hoc in loco de oblectamentis nefariis, & voluptatibus fœdissimis, quibus illi se ingurgitant, qui palam libidinosam vitam sequuntur, & qui non satis bene oblectatos se fuisse putant, nisi ea perpetrarint, quæ ipsa horret natura; qui gloriæ sibi vertunt recens aliquod libidinis genus quotidie excogitare. Neque de perditis hominibus loquor, qui ex sceleribus solum voluptatem percipere videntur, qui scelus in voluptatibus, potiusquam in sceleribus voluptatem videntur requirere: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. Immo neque de illis voluptatibus loquor, quæ generatim criminosæ ducuntur, licet passim communes sint, & hoc tempore multo magis, quam aliis; de consuetis eorum solatiis verba facio, qui honesti censentur. Quæso enim, quanam in re tempus illud, quod animi relaxationem vocant, traducunt? quænam sunt eorum voluptates, atque solatia? Nonne in conviviis, ubi luxus, prodigalitas, & intemperantia regnant, cum interim alii fame moriantur? Nonne in ludis, & alea, ubi plerumque non desunt dolus, ira, jurgia, & juramenta? Nonne in cœtibus, ubi blandæ verborum illecebræ, obtrectatio, æquivoca, & obscœna verba, nec non sacrarum rerum, & religionis irrisio locum habent? Numquid immerito hæc solatia vituperantur, atque damnantur, licet ad graviora scelera processus non fiat? Numquid graviora tantum crimina notanda, corripiendaque sunt? Si quædam ex his voluptatibus quibusdam in circumstantiis probari potest, quod satis difficile est; numquid hoc probari poterit tempore, ubi consuetudo, pravum exemplum, & licentia, quam sibi arrogat quisque, probare videntur excessum, qui alioquin sunt quam maxime pertimescendi? *Auctor Anonymus.*

Turpe est Christiano, consuetudine trahi ad prophana Bacchanalium solatia.

Nonne verum est, quamvi ingenium nostrum nequaquam ad prophana solatia nos rapiret, vel ætas, ordo, officium, aut negotia ab iisdem alio quovis tempore nos averterent, hoctamen tempore omnia consuetudini cedere? Silent forensia jurgia, opifices a laboribus, operibusque suis cessant, aliisque negotiis, vel familiaribus curis inducias præbent; atque unicum temporis hujus negotium esse videtur oblectari. Verum si honesta aliqua oblectatio quæreretur, non adeo severus essem, ut quodvis solatii genus hoc tempore potius quam alio quovis damnare vellem; at nonne pudere debet Christianum flagitiis, ac libidinibus suis prætexere tempus, & consuetudinem, & omnes modestiæ, atque temperantiæ fines excedere? Attamen hanc prætexentes excusationem facilius temporis hujus oblectationibus vacant; consuetudo enim torrens esse dicitur, qui firmissimum quemque, & constantissimum trahit; & quasi consuetudo hæc rationi legibusque Christianæ religionis præscribere posset, in excusationem adfertur. Hoc nonne turpe est? *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta Tomo 2. Sermonum particularium.*

Quomodo hoc tempore instauratur passio, & mors Filii Dei.

Cur mihi non licet vos in spiritu Jerosolymam transferre, vobisque ob oculos ponere tristem earum rerum consummationem, quæ de hominis filio narrantur! Viderisne, dicerem, matronas illas, quæ mane quidem ad sacram accessere mensam, vespere ad choreas atque theatra profecturæ? Hæ illæ sunt, quæ osculo filium hominis tradunt, quemadmodum hebdomadæ hujus habet evangelium; Luc. 18. *Tradetur.* Videtis homines illos æquo solutiores, qui personati in conviviis inter pocula,

atque

atque delicias natant? Hi sunt illi, qui faciem ejus velamine tegunt, alapas illi impingunt, atque eidem illudunt: *Illudetur*. Isti qui aleis intenti videntur, illi sunt, qui vestem Domini sibi partiuntur, ac super illam sortes conjiciunt. Alii qui sermonibus suis aliis obtrectant, atque obscœna habent colloquia, barbari sunt, qui illum flagellis cædunt, atque in faciem expuunt. *Flagellabitur, & conspuetur*. Confusæ illæ hominum turbæ, quæ cum clamoribus, & ululatibus Salvatorem sequuntur, quocumque ducitur, illi sunt, qui postquam indignissimis eum affecere suppliciis, quæ nequitia ipsorum illis suggessit, cruci illum configunt, eique inferunt mortem. Filiæ Jerusalem, aspectus viri hujus dolorum, & ignominiæ ex oculis vestris lacrymas nequaquam potest elicere? Attamen si vos illius mala movent, verbis ejusdem: Luc. 23. vos moneo, ne super illum flere velitis, sed super vosmetipsas ploretis; inhibeatis, si vobis licet, publica mala; intrinsecis fletibus prosequamini tot peccata, quæ hisce diebus patrantur, nisi eadem reprimere in vestra positum sit potestate; præsertim vero vitam vestram reformaveris absolute, ac in æternum recedentes ab iis voluptatibus, quæ vetitæ sunt, atque per temperantiam vos iis etiam fraudantes, quæ licent. *Ex moralibus Sermonibus, Sermone pro Dominica Quinquagesima*.

Nonne diceres hodierna die publicam esse contra Dei Filium conjurationem factam, ac tres hosce Bacchanalium dies persecutionibus illius finem, & cumulum ponere? *Consummabuntur omnia quæ dicta sunt per Prophetas de filio Hominis*. Luc. 18. At quænam dicta sunt? *Tradetur, illudetur, conspuetur, & flagellabitur*. Dictum est, illum doloribus, & contumeliis affectum iri, probris, & irrisionibus tamquam theatricum Regem exceptum iri, oculos ejus velamine clausum iri, flagellis iri laniatum, pedibusque obtritum. At nonne, hæc hisce diebus fiunt? Nonne in choreis, & saltationibus illuditur? Oculi ejus nonne larvis, turpibusque personis obnubuntur? Nonne in lusoriis cœtibus sors super vestem ejus conjicitur? Nonne tot obtrectationibus, & blasphemiis dilaniatur? Nonne verbis, cantionibusque inhonestis eidem in faciem exspuitur? Denique nonne tot sceleribus, atque criminibus iterum crucifigitur? Ne sitis, Auditores amantissimi, ex horum impiorum numero; relinquite perversum hunc, reprobatumque mundum, & si vel modicum Salvatoris gloria vos movet, aliqua in re pietate vestra, ac assiduitate, qua sacris interestis officiis, gravissimas, quibus afficitur, contumelias reparate. Donec furens populus clamat, Crucifigatur, eumque blasphemiis proscindit, ad Crucis hujus pedes adeste; veluti piæ illæ mulieres, quæ lacrymis manabant, & fidelis ille discipulus, qui a cruce numquam recedere voluit. *Joly, Tomo 2. Propositionum pro Quinquagesima Dominica*.

Ecclesia hoc tempore proponit memoriam Passionis Domini, ut fideles licentiam coerceat.

Non poterat profecto Ecclesia evangelium aptius eligere ad Christianorum cohibendam hoc tempore effusiorum in omni intemperantiæ genere libidinum licentiam, quam quod illis in mentem revocat Dominicæ Passionis historiam. Ecclesiæ mentem teneamus, fideles, & ita efficiamus, ut consideratio dolorum, & ignominiarum, quas pro nobis passus est Deus, non ob inanibus voluptatibus, & vanis horum insanæ lætitiæ dierum solatiis avertat, & exemplum cæci, cui oculorum acies reddita fuit, nobis hoc tempore ad Evangelio Marth. 16. propositum, a cæcitate nostra curare nos possit. Dei Filius pluries jam de morte sua locutus fuerat cum Apostolis, modo illis dicens, se Jerosolymam ascendere, ubi plurima passurus erat; modo illis profitens, futurum ut filius hominis traderetur in manus hominum ab illis morte afficiendus. Hodie vero fusius omnes persequitur circumstantias, quæ mortem hanc erant concomitaturæ,...... Et hanc enumerationem hodie nobis proponit Ecclesia, velut objectum maxime efficax ad affectuum nostrorum impetum infringendum, nosque a peccato, quod vera extitit mortis, & passionis ejus causa, deterrendos. Neque minus requirebatur antidotum, ut fideles deterrerentur, ne abirent post tot cæcorum peccatorum exempla, qui hisce tenebrarum diebus in omnia scelera ruunt. *Abbas de Monmorel in Evangelium Quinquagesimæ*.

Obligatio fugiendi solatia Bacchanalium.

Si hinc quidem certum est, voluptates, vel quæ sunt proximæ lapsus, scandalique occasiones, vel quibus immodice sese aliquis ingurgitat, totidem esse peccata mortalia: si inde pariter certum est, omnes fere voluptates, quibus per hosce dies indulgemus, aliquem pravum habere characterem, vel omnes simul, necessario illæ nobis vanis, remisque fugiendæ sunt; quam rem paucissimi animadvertunt. *Ex Moralibus Sermonibus Sermone pro Quinquagesima*.

Fideles hisce diebus filii Dei passionem, & mortē instaurant.

Nonne diceres, hisce diebus, qui, ut ita dicam, dæmoni dicati videntur, fideles imitari velle Judæos, & id quærere, quomodo Dominicæ Passionis historiam instaurent? Et sane; illum produnt, ac Gentibus tradunt: *Tradetur*, uti est in hebdomadæ hujus Evangelio: etenim nonne illum prodere, ac tradere est, palam concedere in partes mundi, qui apertus est hostis illius; flagitiis omnibus, atque criminibus sese mancipare; in Christianismo ea committere scelera, ex quibus Ethnici ansam arripiunt contemnendi religionem Jesu Christi? Hic igitur christianis ea applicari possunt verba, quæ olim Dominus per Prophetam Jerem. 2. dicebat Judæis: *Transite ad insulas Cethim, & videte si factum est hujuscemodi, si mutavit gens Deos suos*: Hoc tamen est, de quo vobiscum conqueri debeo. *Ibidem*.

Nonne dicere possumus, Jesum Christum hisce effrænatæ licentiæ diebus, ubi ignominiæ verti videtur virtutis exercitium, & fas esse putatur in omnem libidinem laxare fræna, ab omnibus fere venumdari? Hi sunt illi dies sceleris, atque libidinis, qui merito magnum dæmonis commercium vocari possunt, ubi crudelem exercet animarum mercaturam, quas vili emit pretio, licet tot Jesu Christi sanguine fuerint redemptæ. Etenim quo pretio Deus, & anima hoc tempore væneunt? Pro libidinis æstu, immodico cibo, voluptatibus, quibus plures commixtæ sunt amaritudines. Quod Regius Propheta: Psalm. 105. olim dicebat Deum, & Paradisum ab hominibus pro nihil tradi; *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*; hoc potiori jure hodie dicere possumus: Nihilum, inane Jesu Christo præfertur: dummodo fluxa, & vix uno duratura momento percipiatur voluptas, Deus, & anima nullo in discrimine habentur. *Essais des Sermons, pro Quinquagesima Dominica*.

MATRIMONIUM.

Matrimonii sanctitas, Officia & obligationes huic statui inhærentes &c.

MONITUM.



Uamvis Matrimonium res sancta sit, & ad Sacramenti dignitatem per eumdem Dei Filium erecta; nullum tamen argumentum est, in quo cautius Concionatori, quam cum de Matrimonio loquitur, agendum sit. Hinc enim linguæ nostræ puritas non patitur locutiones eas, quæ vel minimum quidem audientium mentes polluere, castasque aures offendere valeant, quod perdifficile est evitare; inde vero tanta sæculi corruptio est, tantaque humani cordis in nequitiam propensio, ut improbe oblectetur, modo quidem ridendi, atque in cachinnos erumpendi occasionem nanciscens; modo cogitandi ea, a quibus concionator audientium cogitationem conatur avertere; modo tandem censoria nota corripiendi eum, qui sermonem instituit de periculis, ac vitiis status illius, cujus omnino rudis est, & quem etiam ignorare deberet.

Multa igitur præcautione utendum est, seu in iis, quæ dicuntur, seu in ea dicendi ratione. Verum nullus puto, evangelico Prœconi, cujus est omnium statuum abusus, & vitia corrigere, hac de causa, ubi sese obtulerit occasio, prætermittendum esse, quo minus corripiat, atque vituperet ea, quæ in magis communi, magisque necessario vitæ statu patrantur; & eos, qui illum susceperunt, de ejusdem officiis, & obligationibus erudiat, modum illis tradat, quo in familia regunda sese gerere debent, & eos, qui temere, & sine vocatione statum illum ingressi sunt, de periculis, ac malis, quibus sese objiciunt, admoneat.

Ut igitur hoc pertractetur argumentum ad Auditorum utilitatem, quo fieri potest maximam, Theologis, Casuistis, & Confessariis hanc relinquemus provinciam ad singularia descendendi, quod suggestus dignitas Concionatoribus non permittit, & ea tantum colligemus, quæ honeste, ac utiliter in populo dici possunt. Quod si quæ alia sunt argumenta, quæ cum hoc nexum aliquem habere possint, qualia sunt vocatio ad statum aliquem generatim, impudicitia, mundi negotia, & impedimenta, atque ex his aliquid inferi velit hujusmodi argumento, singula suis locis videnda sunt, & alphabeticus ordo, vel generalis tabula, qua omnia indicabuntur, consulenda.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Partitiones.

I. 

Prima urbes, ac regna bene regendi, omnesque abusus, & mala, quæ in societatibus omnibus committuntur, tollendi ratio est proculdubio sanctificatio eorum, qui in conjugio vivunt: cum enim urbes, & regna ex familiis coalescant; si familiæ singulæ optime fuerint institutæ, tota etiam respublica certissime dirigetur. Hinc Ethica docet, familiam exiguum esse regnum; regnum vero magnam familiam. (*Aristot. lib. 3. Politic. c. 14.*) Ad hunc igitur statum sanctificandum, ac efficiendum conjugium felix, & inde uberrimum benedictionum fontem eliciendum, hoc in sermone ad examen revocare in animo est, 1. Quid faciendum antequam hujusmodi status suscipiatur, 2. Quomodo vivendum, & quid agendum, ubi semel fuerit susceptus.

Pars prima. Quod faciendum est, antequam statum ingrediaris, ubi proculdubio magna sunt pericula, magna ad salutem impedimenta, tribus in rebus consistit. 1. Ut Deus consulatur, cognoscendum est ex signis moraliter certis, utrum ad hoc vitæ genus vocatus sis; licet enim dubio locus esse nequeat, quo minus conjugii auctor sit Deus, quandoquidem hic illud inter primum virum, primamque mulierem instituit; & hoc in statu ad altissimum perfectionis gradum pervenire possit, quod olim Abraham, Isaac, Jacob, aliique quamplures Dei servi præstiterunt; constat liquido tamen, non omnes ad conjugium vocari, unde fit, ut qui in religione seipsum salvaret, eo in statu salutem suam minime operetur. Quamobrem antequam uxorem ducas, Deum consule, utrum id ipse velit, secundum eas regulas, quas alibi tradidimus, cum generatim de vocatione loquerentur. 2. A Deo petendum est, ut personam illam nobis ostendat, cum qua fœdus adeo arctum percutiendum est, ut fideliter ipsi inservientes salutem nostram operemur; quia quemadmodum Spiritus Sanctus testatur; *Prov. 19.* per os mortalium omnium sapientissimi, uxor prudens, ac virtutibus ornata donum Dei est, & qui talem nactus est, ingens invenit bonum, & gaudium accipiet a Domino. Quod dicitur de mulieribus, de viris quoque ob eamdem causam dicendum est. Unde liquet, quantopere intersit eorum, qui conjugalem statum amplexuri sunt, enixius Domino preces effundere, ut sibi eam personam jugali vinculo nectat, cum qua pacatam vitam ducere, salutem suam operari, ac seipsos sanctificare valeant. Verum hoc negotium non ita in Deum unum conjiciendum est, ut minime labores in conjugis electione, ut non revoces ad examen qualitates illius, cum qua, vel quo fœdus jungendum est, præsertim vero ut rationem potius non habeas virtutis, bonorumque morum, quam divitiarum, aliarumque rerum, quæ inde tibi cedere possint &c. 3. Statum hunc aggredi opus est propter eos fines, propter quos a Deo fuit institutus, qui a S. Paulo Apostolo recensentur, ut videlicet evitetur incontinentia, eæque vitia, in quæ libido nos trahit; ut filios gignamus, non tam ut nomen, familiamque perennemus, bonorumque hæredes relinquamus, quam ut sanctos efficiamus optima institutione, quam eisdem procurare decernimus; & demum ut vivamus in illius contubernio, ac societate; qui, vel quæ nos summa charitate complectens opem afferat, ut facilius vitæ hujus incommoda toleremus &c.

Pars altera. Ratio, qua sese gerere debet, qui statum hunc ingressus est, in eo posita est, ut omnibus perfungatur officiis illi inhærentibus, quæ ad tria generatim rediguntur, sub quibus peculiaria continentur. 1. Ad amorem conjugalem, affectum videlicet, quo conjuges ultro citroque sese debent complecti, ut totum vitæ suæ spatium simul transigant, ut mutuo defectus alternos tolerent, ac perfectam invicem habeant confidentiam,

quum

quam quidem mulier perfecta submissione, vir autem moderatione sua debet testari; ita ut alterius quidem auctoritas imperiosa non sit, neque alterius submissio redoleat servitutem, sed amorem omnia regantur; alioquin enim conjugium fiet jugum intolerabile, & crux perpetua. 2. Ad eam fidem sibi mutuo integerrime servandam, quam ante aras sibi ultro citroque servaturos receperunt; sed citra zelotypiam, citra suspiciones, quæ vulgo levibus causis innituntur, & quin alterutri ob minimam quamlibet speciem ulla suboriatur diffidentia: hæc enim causa est dissensionum, divortiorum, simultatum, & ut verbo me expediam, malorum omnium, quæ privatis domibus accidunt. 3. Ad familiæ curas, & onera, bona, & mala, prospera, & adversa, quæ accidunt, partiendas; sibique vicissim rebus in omnibus opem ferendam.

II. Ostendi potest, in conjugali statu Christianissimi perfectionem obtineri posse, & Sanctitatis lauream acquiri:

1. Fideliter obeundo omnia hujus status munera, & officia. 2. Exercendo virtutes, quæ hunc statum maxime decent, curam gerendo servorum, filiorum optimam institutionem procurando, ferendo incommoda &c. 3. Deo fideliter in hoc statu serviendo, omniaque Christiani hominis officia adimplendo.

III. In duabus etiam justæ concionis partibus ostendi potest: 1. Dignitas, & præstantia Sacramenti, quod quidem Apostolus, ad Ephes. 5. magnum appellat; *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. 2. Dispositiones afferendæ, ut digne recipiatur.

Pro parte prima, videndum quod reipsa hoc magnum est Sacramentum: 1. Propter auctorem suum, Deum videlicet, qui illum in terrestri Paradiso, atque in statu innocentiæ instituit. 2. Propter id, quod significat, ac repræsentat, videlicet Jesu Christi unionem cum Ecclesia. 3. Propter magnas illius obligationes, quæ magnis cœli egent subsidiis.

Pars altera in eo consistit, ut ostendantur dispositiones, quæ requiruntur ad recipiendas gratias Sacramento huic inhærentes, & ad statum hunc amplectendum citra quodvis salutis æternæ periculum. 1. Status hic amplectendus est cum ingenti salutem suam operandi desiderio, & ad id consulenda est Dei voluntas, nec aliquid aggrediendum, inexplorata illius vocatione. 2. Status hic amplectendus non est nisi cum sancta intentione, optimoque fine, qualem habuit Deus in Sacramenti hujus institutione. 3. Est in gratiæ statu amplectendus, ne sacrilegium fiat ex Sacramento, quo sanctificantur illi, qui cum requisitis dispositionibus statum hunc amplectuntur.

IV. Primo ostendi potest Matrimonium sanctum vocari, & sanctum esse 1. in principio suo; illud enim Deus instituit, & Jesus Christus ad Sacramenti dignitatem extulit, quamvis suapte natura civilis contractus fines minime excedat. 2. In fine suo, at causa; quæ in Deo quidem sancta sunt, & in nobis esse debent supernaturalia. 3. In eo quod significat, & repræsentat, videlicet Jesu Christi unionem cum Ecclesia.

Secundo, ratio scipsum in hoc statu sanctificandi est omnia illius munera, & officia adimplere. 1. Mutuam sibi fidem promissam tueri. 2. Pacem, atque concordiam mutuo amore, & confidentia servare. 3. Concordi animo & suam, & familiæ salutem operari.

V. Conjugum munera ad tria hæc officiorum genera possunt redigi, quorum explicatio justam concionem potest replere. 1. Ad id, quod debent Deo in hoc statu, videlicet exactam præceptorum ejus observantiam, quin se putent ulla in re dispensari. 2. Ad id quod uterque conjux ultro citroque sibi debent, fidem, amorem mutuum, perfectamque confidentiam. 3. Ad id quod sibi personaliter, familiæque suæ debent, filiorum videlicet suæ, servorumque suorum curam.

VI. Tria sunt consideranda in conjugio; quæ solidas morales suppeditare possunt considerationes, & concioni materiam præbere.

1. Sanctitas illius, quæ vetat, ne ob humanas rationes, cupiditatem, aliudve temporale negotium statum hunc amplectamur. 2. Officia, & munera, quæ res exigit, ut rite exploremus, utrum nos ad hoc vitæ genus Deus vocet, & utrum pares simus adimplendis iis omnibus muneribus, quæ ab hoc statu sejungi non possunt. 3. Illius bona, & pericula ad salutem consequendam, quæ quidem rite consideranda sunt, ut aliis quidem utamur, alia vero evitemus.

VII. 1. Necesse est, vocatos esse a Deo, ut matrimonii officiis satisfaciamus. 2. Necesse est, divino spiritu præventos esse, ut matrimonii pœnas feramus. 3. Necesse est peculiari Dei gratia directos esse, ut salutis pericula, quæ in conjugio inveniuntur, evitemus. *Essais de Sermons pro Dominicis, Dominica secunda post Epiphaniam.*

VIII. Ut hac in re utilis habeatur instructio, duo hæc assumi possunt puncta, quidquid dici potest, continentia.

1. Quomodo status hic sit amplectendus. 2. Quomodo in eo vivendum. In priori puncto ostendi potest Deum consulendum esse, ut hunc potius, quam alium statum eligamus; in altero vero indigitandæ sunt dispositiones, quæ requiruntur, ut conjugium sit felix. *De la Font in Ecclesiasticis Sermonibus pro secunda post Epiphaniam Dominica.*

IX. Hæ duæ propositiones concionis partitionem possunt præbere;

1. In conjugio salutem operari possumus, quia status hic sanctus est, a Deo institutus, ad quem Deus plures vocat, & quem S. Paulus aliquibus suadet. 2. Ex omnibus statibus periculosissimus saluti nostræ conjugium est; quia ex S. Hieronymi sententia, simul conciliari debent ea, quæ simul esse non posse videntur; bonorum temporalium cura cum mentis avulsione a bonis iisdem; tenerrimam erga creaturam dilectionem, cum intemerata fidelitate erga Creatorem; & demum conjugalem castitatem, quæ rerum omnium difficillima est; quia nihil facilius, quam eos præterire terminos, intra quos conjugalis libertas continetur. *Specimen Sermonum pro secunda post Epiphaniam Dominica.*

X. De infelicium conjugiorum, quæ in mundo vulgaria adeo sunt, causis.

1. Quia parentes, quin consulant Deum, ubi de filiis collocandis agitur, humano tantum consilio operantur; quin Dei voluntatem explorent, & quin divinæ Providentiæ ullam habeant rationem. 2. Quia filii, quin in conjugio Jesu Christi, beatæque Virginis, quæ puritatis Mater est, opem invocent, sese tradunt in cæcæ libidinis studia. *Abbas de Monmorel, Sermone in idem Evangelium.*

XI. Conjugium considerari potest, vel tamquam vinculum, quo homines cum hominibus, familiæ cum familiis, cor & voluntas viri cum corde, & voluntate mulieris conjunguntur, vel tamquam remedium contra concupiscentiam, quæ teterrimas in mundo vastationes efficeret, nisi Deus hunc invenisset modum sanctificandi eas voluptates, quæ citra hoc Sacramentum sunt criminosæ; vel tamquam publicum bonum; quia institutum est, ut reipublicæ membra addantur, & alantur filii, qui rempublicam perennent, ejusque negotia sustineant. Unde hæc possunt inferri.

1. Hoc vinculum est, quod conjungere debet familias, & corda eorum, qui statum hunc amplectuntur; igitur quam diligentissime cavendum est, ne sint origo discordiarum propter malam illius personæ electionem, cum qua fœdus hoc ineundum est, propter ætatis, bonorum, & conditionis inæqualitatem &c. 2. Remedium est contra impudicitiam; cavendum igitur, ne inde fiat impuritatis origo, & jugis occasio peccati Sanctitatem hujus Sacramenti

Abbas de Montmorel in ejusdem Dominicæ Evangelium.

Auctor Sermonum moralium unum habet hujus argumenti.

In specimine Sermonum pro Dominicis, primum pro secunda post Epiph. Domin. argumentum est de Matrimonio.

Auctor actionum Christianarum in secunda parte Panegyrici S. Annæ.

Omnes qui S. Josephi Panegyricum elucubrati sunt, per occasionem conjugii sanctissimi hujus viri cum B. Virgine de matrimonio quoque locuti sunt.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis in locis communibus.

Busæus in libro de statibus, *De statu Matrimonii*.

Peraldus Tom. 1. titulo *Temperantia* c. 14. & seq.

Lohner, verb. *Matrimonium*.

Engelgrave in alteram post Epiphaniam Dominicam.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 2.

Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Genes. 3.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum. Proverb. 18.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum. Ibidem.

Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda. Proverb. 21.

Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Eccli. 26.

Mulier diligens, corona est viro suo. Prov. 12.

Noli discedere a muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore Domini. Eccl. 7.

Beatus qui habitat cum muliere sensata. Eccli. 25.

Datum Dei est, mulier sensata & tacita. Eccli. 26.

Domus, & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens. Prov. 19.

Mulieris bonæ beatus vir. Eccli. 26.

Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Ibidem.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. Eccl. 2.

Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus. Tob. 6.

Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini vacent, habet potestatem dæmonium super eos. Ibidem.

Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Eccli. 25.

Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Matth. 19.

Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. Luc. 16.

Vocatus est Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Joan. 2.

Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth. 19.

Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Ad Roman. c. 7.

Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. Ad Corinth. cap. 7.

Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.

Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Ibidem.

Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ibidem.

Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Ibidem.

Mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Ibidem.

Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Ibidem.

Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Ibidem.

Et vir uxorem non dimittat. Ibidem.

Caput autem mulieris vir. Ibidem, c. 11.

Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ibidem.

Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. 1. ad Corinth. c. 7.

Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Ad Coloss. 3.

Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat. Ad Ephes. 5.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Ibidem.

Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ibidem.

Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Ibidem.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Ibidem.

Uxor timeat virum suum. Ibidem.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ad Hebr. 13.

Mulier salvabitur per filiorum generationem. 1. Ad Timoth. 2.

Mulieres subditæ sint viris suis, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant. 1. Petri c. 3.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Adam, & Evæ in terrestri Paradiso conjugium.

IPsa terrarum orbis primordia altius repetenda sunt, atque in primo conjugio, quod inter protoparentes nostros ipse Deus instituit perfecti matrimonii exemplar est inquirendum. Creator cum primum hominem ad similitudinem suam effinxisset, eumque omnibus animi, corporibusque dotibus tamquam opus manuum suarum decorasset, illum in terrestri Paradiso constituit, ubi nihil deerat, ut vitam delitiis plenam transigeret. Verum perinde ac felicitati suæ aliquid defuisset, si solus in eo delitiarum loco permansisset, e re censuit, ut Scriptura inquit, illi sociam addere similem ipsi, tum ut eidem opitularetur, & inserviret, tum ut Dei consilium perficeretur; videlicet ut humanum genus multiplicaretur, non per creationem, ut in Angelis, sed per successionem, & propagationem hominum, qui ex primis duobus illis erant nascituri. Hoc ille consilio eos simul arcto conjugii vinculo, cujus ipse primus auctor, & veluti pronubus esse voluit, ut Patres inquiunt, consociavit. Ut autem primum hoc matrimonium conjungeret, quod in institutione sua, & modo, quo peractum fuit, prorsus mysticum est, hanc viam est secutus, neque enim Evam, ut Adam, ex terræ limo edu-

eduxit, sed ex primi hominis costa illam effinxit, ut naturali quodam studio illi adhæreret, & cum eo unum quodammodo, idemque corpus efficeret. Cæterum animadvertunt Patres, mulierem nequaquam eductam fuisse ex hominis capite, ne hinc occasionem superioris alicujus dignitatis sibi vindicandæ occasionem arriperet; sed neque ex pedibus viri illam fuisse efformatam, ne hic vir occasionem illius despiciendæ, mancipiique loco habendæ nancisceretur; sed effictam fuisse ex ea parte, quæ propior adjacet cordi, ut homo intelligeret, eam sibi sociam habendam, ipsique non tantum unum corpus, unamque carnem cum ea, sed cor unum, unumque spiritum efficiendum.

Conjugium hoc in ipsa quoque institutione mysterio non carnit; etenim quemadmodum Tertulliano teste, Deus primi hominis corpus effingens, Jesu Christi corpus ex Virgine de illius progenie nasciturum sibi proposuerat; similiter hoc instituens matrimonium illud cogitabat, quod æterno Verbo aliquando cum humana natura obeundum erat; & illud quod hoc ipsum Incarnatum Verbum instituturum erat cum Ecclesia ex latere suo proditura, per fidelium matrimonium, quod ipse ad Sacramenti dignitatem elaturus erat, repræsentandum.

Conjugii Isaac cum Rebecca.

Isaaci, & Rebeccæ conjugium a Spiritu sancto adeo fuse in scripturis non alia de causa narratur, nisi ut seculis omnibus exemplar esset omnium connubiorum, & probatio ejus, quod deinde a Salomone dictum fuit, Deum videlicet esse, qui viro sapientem conjugem jungit. Prudentia Abrahæ, fidelitas, & pietas internuntii, qui illud pertractavit; adeo impensus amor Isaaci, adeo profunda Rebeccæ reverentia, parentum virgunculæ moderatio, qui nihil nisi experito illius consensu operati sunt, adolescentulæ modestia, quæ omni affectu vacua parentum electioni subscripsit; cura denique, quam omnes testati sunt consulendi voluntatem Dei, non opes, vel formam, totidem regulæ sunt in omnibus conjugiis servandæ, & a quibus nemo recedere potest, quo minus se periculo objiciat connubia, quæ tam infausta futura sint, quam hoc Isaaci, & Rebeccæ felix, faustumque fuit, contrahendi.

Junioris Tobiæ cum Sara conjugium.

Ut plurima prætermittamus conjugia sancta, quæ legis tempore habita sunt, solus Tobiæ liber palam ostendit quam longe a prophanorum nuptiis sanctorum connubia differant: *Filii Sanctorum sumus*, inquit Tobias junior, *Et non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum;* sibique matrimonii finem proponens, ita alloquitur Deum: *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Et capite præcedenti Angelus testatur hominem, qui timet Deum, dignum esse uxore bona. Ita Raguel, Saræ Pater, quæ juniori Tobiæ nupsit, non ignorabat, unde fructus, & benedictio conjugii procederet, cum arreptam filiæ suæ dexteram dexteræ Tobiæ junxit dicens: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.*

Punitio, quam exercet Deus in eos, qui matrimonii sanctitatem violant.

Plura nobis suppetunt in scripturis pœnarum exempla, quas exercuit Deus in illos, qui adeo sanctum statum dedecorarunt, & qui impuro fine illud aggredi voluerunt. Septem viri Saræ, quos dæmon jugulavit, & quod Angelus Raphael hæc de te dixit, hoc satis probant, & ostendunt, Deum non pati, quod impuritas matrimonio viam sternat. David en quod Uriæ Bethsabæam abstulerat, nonne prope fuit, ut in Absalonis defectione regnum amitteret? Calamitates, quæ repente locupletes, potentesque domos sæpius evertunt, ut plurimum sunt hujus peccati supplicia, quod in illas Domini detrahit maledictionem. Videmus profecto in Genesi, cum filii Seth uxores duxissent ex filiabus Cain tantummodo propter speciem earum, Deum tunc professum fuisse, futurum ut spiritus suus non permaneret in homine, quia erat caro. Itaque licet alia non defuerint crimina, quæ Deum ad iracundiam provocaverint, scriptura non alium memorat quam abusum conjugii, ut ostendat abominationem, quæ tunc in terris vigebat, & hominum corruptionem, quæ coegit Deum, & universali diluvio terras omnes expiaret.

Cur Deus prohibuerit populo suo alienigenas uxores ducere.

In veteri lege Deus explicite interdicto vetuerat, ne quis e populo suo uxorem duceret ex alienigenis mulieribus; certa enim videbat, futurum ut hæ illorum cor primum quidem, mox etiam mentem corrumperent, ac illos idolis, Diis videlicet Gentium, sacra facere cogerent. Hoc satis probavit eventus in Salomonis persona; qui exemplo est maximæ imbecillitatis, atque nequissimæ conniventiæ, quæ stuporem sæculis omnibus peperit, eo quod Princeps hominum omnium sapientissimus eousque insaniæ, ac impietatis processit in senectute sua; ut templa ædificaret Diis pellicum, & concubinarum suarum, atque tot muneribus, & beneficiis a vero Deo auctus, & cumulatus fictis numinibus thus adoleret. Hoc etiam accidit nonnullis e successoribus ejus veluti Achab, de quo Scriptura 3. Reg. c. 21. ait, venundatum fuisse iniquitati, ut committeret malum coram Domino, illud impellente impia Jezabel uxore sua, eousque ut idola quoque veneraretur.

Quid coegit Filium Dei, ut nuptiali interesset convivio.

Plures sunt rationes, quæ Dei Filium coegerunt, ut interesset nuptiis Canæ, de quibus loquitur Evangelium; sed sive hoc fecerit, ut indigitaret Deum auctorem esse, primumque conjugii institutorem; sive ut in antecessum quorumdam hæreticorum damnaret errorem, qui illud erant improbaturi tamquam malum; sive ut præsentia sua matrimonium sanctificaret; seu quia cum venisset sanctificaturus homines per Baptismum post nativitatem, voluerit etiam benedicere, & sanctificare eorum principium, conjugii videlicet statum, illud ad Sacramenti dignitatem attollens in Ecclesia: seu denique hoc fecerit, ut honor accederet magnis, divinisque mysteriis ineffabilis affinitatis, quam cum Ecclesia, nostraque natura contraxit; certum est, cum status hic ex illis sit, ex quibus coalescere debebat Ecclesia, & qui tot electos cœlo editurus erat, eum voluisse nuptiis assistendo innuere, eos, qui sese illis implicant, non esse benedictionibus, & gratiis suis recipiendis impares. Ob rationes easdem primum, quod idem Salvator ediderit, miraculum fuit in gratiam sponsi earum nuptiarum, quibus interfuit; licet enim conjugii status cœlibatui sit inferior, ambigi nequit, quo minus *sit honorabile connubium*; cum per misericordiam suam Deus diversos status instituerit, ut, qui ad aureum pervenire non posset, in argenteo saltem subsisteret. Idem denique Salvator, qui ex Virgine voluit nasci Josepho desponsata, qui pater ipsius putabatur, satis nequaquam putavit his probare conjugium, uti ex Evangelio Sancti Matthæi didicimus; verum etiam illud indissolubile effecit ad Sacramenti dignitatem attollens; atque abolevit consuetudinem, quæ apud Judæos percrebuerat repudiandi conjugem, huic authenticum tradendo repudii libellum, quod propter duritiam cordis eorum Moyses permiserat.

Conjugii Zachariæ, & sanctæ Elisabeth parentum S. Jo: Baptistæ exemplar sancti matrimonii.

Qui conjugali vinculo adstricti sunt pro vitæ sibi in hoc statu ducendæ exemplo, proponere sibi possunt id, quod de magni percursoris Joannis Baptistæ parentibus Evangelium *Luc. 4.* testatur: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Qui statum hunc elegerunt, & ad illum vocati sunt, ita vitam debent instituere, ut justi sint coram Deo; nihil enim est justos esse tantum coram hominibus; debent Dei, & Ecclesiæ præcepta religiosius servare, ac irreprehensibilem vitam ducere. In hoc tota christiani sita est sanctitas matrimonii, cujus praxis erit facillima, si vir, & uxor conjuncti fuerint, quomodo Jesus Christus, & Ecclesia; si

vir

vir uxorem amaverit, quomodo Ecclesiam diligit Jesus Christus; si uxor virum coluerit, eique obtemperaverit, quomodo Ecclesia colit Jesum Christum; dummodo, ut verbo me expediam, concordes sint, eorumque corda conjuncta sint vinculo pacis, & charitatis, & Deus ipse sit nodus eorum unionis, atque conjugalis dilectionis. Hac in re exemplo esse potest duorum horum sanctorum connubium. Pii erant, adhærebant legi, omnibusque officiis suis rite perfungebantur: *Incedentes in omnibus mandatis Domini*. Si aliis in familiis non desunt jurgia, lites, divortia, hæc erat *sine querela*. Patienter suos vicissim ferebant defectus, vel ut melius cum Sancto Petro Chrysologo dicam, patientia in illis erat sine exercitatione, quia uterque justi erant, ac Deum metuebant. Itaque, uti Sanctus hic Doctor animadvertit, ex sanctis parentibus Sanctitas, quam illi possidebant, in filium migravit.

Sanctæ Virginis cum Sancto Josepho conjugium.

Ambigi nequit, quominus sanctissimum, pulcherrimum, perfectissimumque conjugium illud fuerit, quo Beatissima Virgo Sancto Josepho nupsit. Alibi diximus nihil essentiale defuisse ut illud verum esset connubium; hic vero spectari potest, tamquam felicissimum, & auspicatissimum quod unquam fuerit, vel imposterum futurum sit. Naturæ, studiorum, pietatis, cæterarumque virtutum similitudo utrobique perfecta erat. Uterque cœli muneribus cumulatissimi fuere, ut digni fierent locupletissimi pignoris custodes. Mentis quoque, & cordis unio tanta fuit, ut hac nulla major excogitari possit: mutua, quæ sibi præstiterunt subsidia, maxima fuerunt; & quemadmodum hujus conjugii finis longe spectatissimus fuit, quam in aliis quibuslibet, in dubium revocari non potest, quominus hujusmodi media, quæ ad finem adeo gloriosum contulere, summa cum perfectione fuerint adhibita; & illi, qui Dei jussu conjugalem statum sunt ingressi, eo facilius ad sanctitatis apicem sint accessuri, quo propius ad præstantissimum hunc exemplar accesserint.

Applicationes quarumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Connubium quacumque ex parte spectetur sanctum est.

HOnorabile connubium in omnibus. Ad Hebr. 13. Conjugium quacumque ex parte consideretur, sanctus est, & Sanctus Paulus addit etiam rebus in omnibus esse spectatissimum. Sanctum, & honorabile est propter Auctorem suum; a Deo in terrestri Paradiso institutum; a Deo in lege Moysis consecratum; ab Homine Deo in lege gratiæ ad Sacramenti dignitatem elatum: *Honorabile in omnibus*. Sanctum est, & honorabile propter ejus prototypum; quippe nobis repræsentat conjugium Jesu Christi cum Ecclesia die Passionis illius; conjugium animæ justæ die missionis, & effusionis Spiritus ejus. Sanctum, & honorabile propter materiam; in aliis enim Sacramentis materia est inanimata; in Baptismate aqua; panis, & vinum in Eucharistia &c. Sed in Conjugii Sacramento materia est animata, atque ex animatis entibus illud, quod præ cæteris dignissimum est, & spectatissimum, videlicet hominis corpus, quod Sanctus Paulus Spiritus sancti templum appellat: *Honorabile in omnibus*. Sanctus est, & honorabile propter formam, & effectus. Quænam forma est? utriusque partis consensus, ac verba sacramentalia. Quinam effectus? alter quidam generalis, videlicet augmentum gratiæ sanctificantis; alter peculiaris, nempe infusio gratiarum actualium, quæ propriæ sunt status ejus vitæ, quæ conjugali vinculo adstrictis ducenda est: *honorabile in omnibus*. Denique Conjugium sanctum est, & honorabile in fine, & propter eas, quas exigit, conditiones. A Deo institutum est, ut efformentur non vincula fragilia, libidine, incontinentia, fortunæ mutatione infringenda, sed fortia, & insolubilia, quæ una mors valeat perrumpere. Institutum fuit non ad fovendam, sed ad frænandam licentiam; non ad accendendam concupiscentiam, sed ad illius mala cohibenda, ad vagam libidinem auferendam, sanctamque societatem efficiendam, ubi ex duobus corporibus unum, & ex spiritibus duobus unus tantum spiritus fiat.

Quid sibi velit S. Paulus his verbis nubere in Domino.

Nubat tantum in Domino 1. ad Corinth. 7. Christiano more nubere, a Sancto Paulo dicitur *nubere in Domino*, innuente, cum Christiani connubium ineunt opus esse, ut eorum nuptiis præsit Deus, ut illas ipse nectat, conjugum corda mutuæ dilectionis vinculo jungat, eosque suis gratiis, & benedictionibus repleat. Cum magnitudo, atque præstantia christiani conjugii sanctæ innitatur similitudini, quam habet cum admirabili affinitate, quæ inter Jesum Christum, & Ecclesiam adest, inde palam sequitur, eos, qui hunc amplectuntur statum, & simul magni hujus Sacramenti vinculo consociantur, intentionem suam debere conjungere cum intentione divini hujus sponsi, sponsæque fidelis, quæ est, augendi electorum numerum, gignendi Deo filios spirituales, qui sint bonorum ejus cum filio ipsius Unigenito hæredes, & qui cum in omnem laudent æternitatem.

Cur, & quomodo conjugium sit magnum Sacramentum in repræsentatione sua.

Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ad Ephes. 5. Probandum non est, Jesu Christi cum Ecclesia conjugium magnum esse exemplar conjugii fidelium post hæc Apostoli verba id explicite affirmantis. Ambigi nequit, quo minus per illa dicere velit, quidquid admirabile in Jesu Christi cum Ecclesia conjugio invenitur, inveniri quoque in fidelium matrimonio, quod magnum ideo dicitur Sacramentum, videlicet magnum mysterium, quia magnum hoc, & ineffabile conjugium repræsentat. Hæc igitur etiam Apostoli verba mysterio non carent, & innuunt, Christianorum conjugium tribus in rebus esse admirabile in indissolubilitate sua, fidelitate, & fœcunditate, quæ tria in Jesu Christi cum Ecclesia conjugio admiramur. Innuunt etiam, ex tribus hisce qualitatibus Dominicæ unionis cum Ecclesia, tria gratiarum genera emanare, quæ eadem ipsa in conjugibus operantur, ita ut Christianum conjugium prorsus sanctum sit, & admirabile propter novæ insolubilitatis gratiam, propter gratiam perfectæ fidelitatis, & propter gratiam omnino miraculosæ fœcunditatis.

Qua in re mulier sit corona viri sui.

Mulier diligens, corona est viro suo. Proverb. 12. Sapiens in proverbiis affirmat, solertem, ac diligentem conjugem, quæ virum suum diligit, esse veluti coronam illius. Et S. Chrysostomus addidit illius regnum esse, & imperium: *Cuilibet viro propria uxor regnum est*. Mox addit non contemnendam hanc animadversionem, rationem videlicet, propter quam permisit Deus, ut Davidi proprium illius regnum tentaretur auferri, quia ipse pudicitiæ Bethsabeæ stuprum intulerat, atque Uriæ domesticum hoc imperium abstulerat, quod in conjugis suæ fidelitate possidebat. Disertissimus hic Doctor significat, quemadmodum reges gloriam, voluptatem, & felicitatem in regni sui possessione inveniunt, virum quoque hæc eadem bona ex conjugis suæ amore, ac fide posse percipere.

Quomodo & cur uxor data fuerit viro in adjutorium.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. Genes. 2. Cum Deus in Genesi loquitur de uxore Adamo tradenda, loquitur tamquam de auxilio, quod huic hominum principi daturus erat: qua loquendi ratione significat præcipuam conjugis qualitatem esse, viro suo opem, auxiliumque ferre. Similis autem esse debet, ut melius hoc munere perfungatur, ac viro in duobus præsertim, vitæ scilicet necessitatibus, & salutis negotiis opituletur. Oportet, illam cooperari temporali ejusdem felicitati, sed præcipue aliquid spirituali ejusdem bono conferre, quod ad gratiæ, & prædestinationis ordinem spectat. Accidit tamen, quod prima illa mulier miserrime utrique huic muneri defuit ac per infidelitatem suam duos hujus conjugii fines prodidit. Tantum abfuit quod sanctificationi viri sui cooperatetur,

tur, ut illum fontem effecerit; tantum abfuit ut temporali ejusdem felicitati aliquid contulerit, ut eumdem ad fummam inopiam redegerit; unde S. Gregorius Nazianzenus concludit, quod Adam *pro focia hostem habuit, & pro conjuge adverfariam.*

Vel etiam filius, qui bonum conjugem invenerit.

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum. Proverb. 18. Quam verum eft fapientis dictum; eum, qui bonum nactus eft conjugem, magnum inveniffe bonum, & bonum illud, quod fimpliciter, & abfolute hoc nomine poteft appellari. Cur hoc? Quia inde omnia percipere poteft bona ad vitæ felicitatem, ac beatitudinem neceffaria. Defumitur ratio ex conjugali amore, quo illum complectitur, tunc præfertim cum animatur, & confecratur fupernaturali charitate, & gratia Sacramenti; tunc enim fit tamquam univerfale principium, unde haurit obligationes, caufas, & media hæc omnia eidem officia præftandi.

Vigilantia, quæ adhibetur in mulieris, quæ in conjugem ducitur, bonis dignofcendis, & negligentia, qua bonæ illius qualitates confiderantur.

Immifit Dominus Deus foporem in Adam. Genef. 2. Sanctus Bafilius Seleucienfis animadvertit, Deum, cum adduxiffet Evam coram Adam, excitaffe hunc ex myftico fopore, quo dum captus effet, ex latere ejus ipfe mulierem eduxerat. Infudit fimul in animam illius lumen admirabile, ut intelligeret, quænam illa effet, ac unde profecta; verbo, quænam effent bonæ qualitates, ac virtutes, quibus Deus illam ornaverat. At profecto, Pater hic ait, conjugia hoc fæculo nequaquam hoc pacto contrahuntur: *Multi dormientes conjugium contrahunt, pauci vigilantes.* Plerique adhuc fopore capti ducunt uxorem; non dormiunt illi quidem, ut ad examen revocent, ex qua familia fit, quam dotem fit habitura; immo e contra quam fedulæ conquifitiones, quot hac illac difcurfus, quæ vigilantia, quæ attentio, quod ftudium, cum nuptialis contractus chirographum fcribendum eft! fed claufos habent oculos, & dormiunt, ne videant malas qualitates, & vitia earum, quæ fibi in conjuges proponuntur. *In dote accipienda vigilant, in uxore confideranda dormiunt.*

Amor, & fides in conjugio veri non funt, fi conjuges fefe mutuo magis diligunt quam Deum.

Si quis non odit patrem, & matrem, & uxorem. Luc. 14. Hæc æque magna veritas eft, ac neceffaria, & parum comperta. Evangelium velle videtur, ut vir uxorem, uxor virum oderit; quæ quidem barbara lex eft non intelligentibus illam; At præcipit ne re ipfa Evangelium, ut vir uxorem oderit? Nequaquam: quandoquidem toties repetit Apoftolus: *Viri diligite uxores veftras ficut & Chriftus Ecclefiam, & feipfum tradidit pro ea.* Itaque hoc viri odium in uxorem, & uxoris in virum non aliud eft, nifi quod amor viri in uxorem, & uxoris in virum minor fit, quam utriufque amor in Deum. In hoc odium iftud confiftit, quod amor Dei princeps fit in conjugio, & omnem amorem excedat; vel juxta mentem Apoftoli, in hoc quod vir uxorem habeat quafi non haberet, & fimiliter virum uxor; quod ad hoc tandem redit, quod uterque minus fe mutuo diligant, quam ament Deum.

Conjuges, qui fefe vicifsim fanctificare debebant, fefe vicifsim in communem damnationem impellunt.

Sanctificatus eft vir infidelis per mulierem fidelem; &c. 1. ad Corinth. 7. Hæc eft Sancti Pauli doctrina Epiftola prima ad Corinthios, virum infidelem per fidelem uxorem fanctificari, & contra infidelem uxorem per virum fidelem; hoc eft juxta communem interpretationem, alterius virtutem, & fanctitatem conferre, ut alter fanctior, ac virtute præditus fiat, propter bonum exemplum, quod in frequenti confuetudine alter alteri præbet. Sed fæpius docet experientia, inter virum, & uxorem mifcram fieri vitiorum, pravorumque amorum communicationem, & nifi gratiæ miraculum adfit, alterum ab altero vicifsim in peccatum, mox vero in æternam damnationem præcipitem dari.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hoc in Argumento.

In nuptiis plus valet fanctitas facramenti, quam fæcunditas uteri. Auguftinus, l. de bono conjugii, c. 28.

Multi facilius fe abftinent ut non utantur nuptiis, quam temperanter, & bene utantur. Idem, ibidem.

In Conjugali vinculo, fi pudicitia confervatur, damnatio non timetur. Idem de bono viduitatis, cap. 9.

Hoc cuftoditur in Chrifto & in Ecclefia, ut vivens cum vivente, in æternum nullo divortio feparetur. Auguft. l. 1. de nuptiis, c. 10.

Si ducturi eftis uxores, quales vultis eas invenire, tales & ipfæ inveniant vos. Quis eft qui non caftam velit ducere? Idem, de verb. Domini.

Si paria fint cætera, continentem conjugato præferre quis ambigat? Idem, lib. 16. de Civit. cap. 36.

Si uxor amat maritum quia dives eft, non eft cafta; maritum enim non amat, fed aurum mariti. Si enim maritum amat, & nudum & pauperem amat. Idem, Serm. 44. de verb. Domini.

Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta myftica fignificatione, confirmare voluit quod ipfe fecit. Auguft. tract. 9. in Joan.

Non fibi placeant viri, quia divites, quia fublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles; fed quia fideles, quia religiofi, quia pudici, quia viri boni. Idem, l. de nupt. & concupifc.

Quomodo poteft conjugium dici, ubi non eft fidei concordia? Ambrof. Epift. 82.

Jure laudatur bona uxor, fed melius pia virgo præfertur. Idem, ibid.

Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjuge, quam morum requiris? placeat uxor honeftate magis quam pulchritudine, illa eligatur quæ moribus Saram referat. Idem, l. 1. virginit.

Quia vero, nec domina, nec ancilla parabatur Adamo, fed focia, nec de capite, nec de pedibus, fed de latere erat producenda; ut juxta fe ponendam cognofceret, quam de juxta fe fumptam didiciffet. Idem, Sacram. l. 1. part. 6. c. 35.

Non tam pulchritudo mulieris, quam virtus ejus & gravitas delectat virum. Ambrof. l. 1. de Abraham, cap. 2.

Cum Sancto fanctus eris, & cum perverfo perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus fpiritus eft? Idem, ibidem, capite 9.

Difce quid in uxore quæratur, non aurum, non argentum quæfivit Abraham, non poffeffiones, fed gratiam bonæ indolis. Idem, ibid.

Sicut vir publicis officiis, ita mulier domefticis minifteriis habilior æftimatur. Idem, l. de Parad. cap. 11.

Adam per Evam deceptus eft, non Eva per Adam; quem vocavit ad culpam mulier, juftum eft ut eum gubernatorem affumat, ne iterum fœminea facilitate labatur. Idem, l. 5. Hexam. c. 7.

Non ancillam fortitus es, fed uxorem; gubernatorem te Deus effe voluit fexus inferioris, non præpotentem; redde ftudio vicem, redde amori gratiam. Idem, ibid.

Non tantum boni eft in nuptiis quod fperamus, quantum mali, quod accidere poteft, & timendum eft. Hieronymus, Epift. ad Geront.

Uxorem pauperem alere difficile eft, divitem ferre, tormentum. Idem, contra Jovinian.

Simus honorabiles, & cubile immaculatum. Idem, Epift. 9.

Licet bonum fit conjugium, mala tamen funt, quæ circa illud ex hujus mundi cura fuccrefcunt. Gregor,

Ma-

Magnum revera mysterium, & inæstimabilem quandam sapientiam habens. Chrysostomus, Homil. 21. in Epist. ad Ephesios.

Quando concordia & pax, & vinculum dilectionis cum muliere & viro fuerit, omnia simul affluunt bona. Idem, Homil. 38. in Genesim.

Illæ vera divitiæ sunt, illæ maximæ sunt facultates, si vir cum muliere non discordet. Idem, ibid.

Nihil potentius muliere bona ad instruendum informandumque virum. Idem, Homil. 60. in Joannem.

Omni immunditiæ habenas laxet, qui nuptias damnat. Bernard.

Æstimare debet uxor mores viri esse legem & formam suæ vitæ impositam sibi a Deo. Aristotel. in Oeconomicis.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi possit in hoc Argumento.

Quid sit Sacramentum matrimonii, ejusque definitio. *Catechismus Trid. Concilii.*

MAtrimonium ex communi Theologorum consensu ita definiunt: Conjugalis conjunctio viri, & uxoris, legitime contracta; videlicet secundum leges, quæ utrumque cogit simul, ac inseparabiliter vivere.

Ut hæc definitio bene intelligatur; notandum est, quod licet hæc omnia simul in vero conjugio inveniantur, partium consensus, qui interior est; pactum exterius, quod fit per verba, obligatio, & vinculum, quod vicissim contrahunt, & quod sequitur pactum, ac tandem conjugalis copula, qua matrimonium consummatur; nihilominus conjugium proprie, & essentialiter consistit in hac obligatione, & vinculo, quod conjunctionis nomine expressum est. Additur autem conjugalis, ut distinguatur ab aliis quibuscumque conventionibus, per quas homines, & mulieres sese mutuo obligare possunt, ut ultro citroque sibi ferant opem, seu per venditionem, aut emptionem, seu aliter, quæ omnes obligationes longe ab ea recedunt, quæ per matrimonium contrahitur.

Dicitur deinde, *conjunctio legitime contracta*; ad innuendum, personas eas, quæ per leges conjugium inire non possunt, illud nequaquam contrahere, & si contrahatur, nullum est; exempli gratia consanguinei in gradibus prohibitis, vel propter defectum ætatis, propter quem legibus nubere prohibentur, pares non sunt sese legitimi conjugii vinculis adstringendo! Denique novissima ea verba, *Quæ utrumque cogit simul & inseparabiliter vivere*, innuunt, vinculum, quo vir & uxor inseparabiliter conjunguntur suapte natura solvi non posse. Ex his omnibus sequitur, conjugium proprie, & essentialiter consistere in hoc vinculo, & hac conjunctione; nam licet Theologi nonnulli illud in mutuo partium consensu statuere velle videantur, veluti cum inquiunt, conjugium non aliud esse quam consensum, quem vir, & mulier sibi mutuo præstat, hoc intelligendum est, quatenus iste consensus est causa conjugii, quemadmodum Florentinæ Synodi Patres docuerunt; re enim vera sine partium consensu nullum inter eas esse vinculum, nulla obligatio potest.

Divisio matrimonii in mere civile, & Sacramentum.

Animadvertendum est, conjugium duplici modo considerari posse, tamquam mere civile, & tamquam ad Sacramenti dignitatem evectum. Conjugium mere civile illud est, quod contrahitur exempli gratia inter Ethnicos, & infideles secundum patrias leges, & quod per leges easdem ratum fit, atque probatum. Sed cum Concionator apud fideles tantum sermonem habeat, necessarium non est, immo abs re est eum latius disserere de legibus, ac variis gentium moribus; neque referre, explicare quonam in sensu conjugium homini sit naturale, neque, utrum Sacramentum institutum fuisset, si homo in statu innocentiæ perseverasset; sed, his, aliisque id genus quæstionibus inutilibus prætermissis docere solum debet, matrimonium a Deo ipso fuisse institutum, & non esse humanæ politicæ inventum; licet ex ipsa natura initium ducere videatur, homini suadente ut hoc pacto suam speciem perennet. Hoc autem probatur per hæc Geneseos c. 2. verba. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam .... masculum, & feminam creavit eos; Benedixitque illis Deus, & ait. Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: & per illa: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi*; & cum addit: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*. Quæ novissima verba secundum idem Jesu Christi testimonium illa apud S. Matthæum c. 19. referentis ostendunt, Deum perpetuum, ac insolubilem effecisse nodum matrimonii. Et S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. ostendit, etiamsi inter solius naturæ terminos subsistere velimus, matrimonium non posse dissolvi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: Et Concilium Tridentinum sess. 24. declarat; Quamvis conjugium quatenus naturale dissolvi minime possit propter filiorum educationem; aliaque munera conjugio inhærentia, sine hac insolubilitate subsistere nequeant; hoc illi convenit tamen peculiariter, quatenus ad Sacramenti dignitatem evectum est.

Deus hominibus nullam conjugii necessitatem imposuit.

Animadvertendum quoque est, per ea Genesis verba, quæ dixit Deus Adam, *crescite, & multiplicamini* nequaquam impositam fuisse omnibus hominibus conjugii necessitatem; sed tantum demonstratum fuisse finem, propter quem matrimonium fuerat institutum; nunc enim cum homines satis, superque fuerint multiplicati, non solum nulla tenentur lege uxorem ducere; verum etiam virginitas in Scripturis commendatur, atque suadetur, tamquam status præ conjugio multo sublimior, sanctior, atque perfectior. Hoc nos docet Salvator, ubi de illis locutus, qui virginitatis statum amplectuntur, addit; *Qui potest capere, capiat*. Matth. 19.

Non defuerunt heretici, qui conjugium damnarent licet sancta sit ejusdē institutio.

Quamvis sanctissima sit conjugii institutio, & in ipsis etiam mundi primordiis nihil reliquum fecerit Deus, ut illud etiam, atque etiam commendaret, quippe qui illud instituit non post peccatum, sed in ipso statu innocentiæ, ut intelligeretur, ejusdem finis longe præstantior esse, quam voluptatis inquirendæ. Quamvis demum ex eo tempore illud sua benedictione cumulaverit tamquam sensibile signum approbationis suæ; hoc tamen cohibere non potuit Marcionitarum, Encratitarum, Manichæorum, aliorumque plurimorum hæreticorum blasphemias, qui in Sacramentum hoc eo usque exarserunt, ut illud diabolicum inventum, actionem prophanam, prostitutionem, scandalumque vocarent. Contra hos errores insurrexerunt Sancti Patres, ac præsertim SS. Augustinus, & Hieronymus, qui eos refutarunt.

Conjugii status pluribus modis sanctus est.

Ambigi nequit de hujus status sanctitate, quandoquidem ab ipso Deo in ipsis mundi incunabulis institutus, & sanctificatus fuit, & mox ad Sacramenti dignitatem a Dei Filio evectus, ut sanctificarentur ii, qui eumdem vellent amplecti, utque necessariis cumularentur gratiis, quibus adjuti omnibus ejusdem muneribus rite perfungerentur. Itaque status hic omnibus modis sanctus est; propter auctorem suum, qui Deus est, propter adnexam Sacramenti dignitatem, propter sanctificantem gratiam, quæ in illum recipientibus augetur; propter gratias, & subsidia, quæ in ipsorum necessitatibus tradit, ac tandem propter excellentem significationem unionis Jesu Christi cum Ecclesia ejus sponsa, quod efficit, ut a S. Paulo magnum Sacramentum dicatur.

Finis quem sibi proposuit Deus conjugium instituens,

Quamquam Deus in ipsis mundi primordiis constituerit inter virum & mulierem conjugium, tamquam amoris, & societatis vinculum pro humani generis multiplicatione, & post peccatum tamquam remedium concupiscentiæ, & incontinentiæ,

quæ

quæ cum mala sit, atque in vitium tendat, hoc pacto intra justos limites continetur, ac fit honesta per filiorum generationem. Attamen si bene exploremus consilium, quod ab æternitate conceperat, in hac institutione spectabat affinitatem, & unionem, quam aliquando facturus erat Jesu Christi filii sui cum Ecclesia, cujus signum, ac figura fuit in antecessum corporale hoc matrimonium. Quamvis autem duobus hisce conjugiis hoc sit commune, quod utrique finis est filiorum generatio; hoc tamen discriminis intercedit, quod ex matrimonio Adam, & Evæ, qui post peccatum duntaxat convenerunt, nati sunt filii carnales; sed ex Jesu Christi, & Ecclesiæ conjugio, spirituales filii erant nascituri. Ex priori nati sunt filii hominum, ex altero regenerantur Filii Dei. Duo parentes, Sanctus Augustinus ait, nos genuerunt ad mortem, & duos nos genuerunt ad vitam. Qui ad mortem nos genuerunt sunt Adam, & Eva; qui vero ad vitam Jesus Christus, & Ecclesia.

Deus naturalem habet, & supernaturalem providentiam in hominum conjugiis.

Præterea Deus in conjugii institutione ingentes sibi fines proposuit, ex quibus patet, ipsum duplicem erga homines habere providentiam. Horum autem finium alter quidem fuit homines successive in terris servandi, alter vero cœlum replendi. Prior, qui ad naturalem tantummodo providentiam pertinet, alteri subordinatus est, qui supernaturalem respicit providentiam; at neuter commode potest habere effectum suum sine conjugio; cum enim homines immortales non sint, mors quantocyus mundum fuisset depopulata, nisi Deus morientibus alios homines substituisset; cumque ab hominibus replendæ in cœlo sint rebellium Angelorum sedes, per conjugium nascuntur in terra, aliquando cœlum repleturi.

Conjugium est ex his vitæ statibus, quos Deus in mundo voluit institutos.

Deus varios in mundo status instituit, & quemadmodum in natura entium varietas, & commixtio illius pulchritudinem faciunt, ita in Christianismo varia vitæ genera, ad quæ alii vocantur, efficiunt gloriam corporis mystici Jesu Christi, videlicet Ecclesiæ: alii quidem claustris, alii cœlibatui, alii conjugio destinati sunt, & hæc jucunda varietas, inquit Apostolus Paulus, augusti hujus corporis componit ædificium, atque inter omnes illius partes præclarum hunc ordinem statuit. In hac statuum diversitate, diversæ sunt gratiæ; & Deus præter generalia officia ex illis peculiaria quædam exposcit. In Ecclesiastico spiritum pietatis requirit, in magistratu spiritum justitiæ, & fortitudinis, sed in conjugali vinculo adstrictis spiritum amoris, atque concordiæ.

Fines, propter quos conjugium institutum est.

Fines, propter quos christiana conjugia instituta fuere, duo peculiariter sunt, qui ob animos eorum versari debent, qui statum hunc amplectuntur. Alter est gignendi Filios Deo juxta sanctissimam illam Tobiæ sententiam: *Nosti, Domine, quod conjugalem statum ingredior, non ut meam expleam libidinem, sed ut posteros habeam, qui te laudent, tibique in æternum benedicant.* Alter conjugii finis est concupiscentiam cohibere, cum perfectæ continentiæ servandæ non satis pares nosmet experimur; juxta sapiens illud Apostoli 1. Cor. 7. consilium: *Melius est nubere, quam uri.* Melius est inire conjugium, quam cupiditatis suæ flamma succendi. Hinc oritur parentum obligatio filios quam primum in matrimonium collocandi, nisi Deus ad perfectiorem statum illos evocet; ut hoc pacto ab effusiori libidine, aliisque flagitiis, in quæ prona fertur juventus, illos avertat.

Conjugii finis varius fuit pro temporum varietate.

Connubii finis non idem semper fuit temporibus omnibus, ac in omnibus statibus. Deus illud ab initio instituit pro humani generis propagatione, quod hoc pacto voluit multiplicari; atque tunc necessarium fuit, licet inter consanguineos, ut terra quam primum habitatoribus repleretur. Deinde cum Deus revelasset, ac promisisset Abrahæ filium suum de illius sobole, ac progenie nasciturum, fœcunditas in electo eo populo tanto in honore habebatur, ut conjugalis status ipsi præferretur virginitati; ac inter nuptas opprobrii loco sterilitas haberetur; & quoniam unusquisque hanc fovebat spem, futurum ut Christus ex familia sua posset oriri, non mediocrem se assecutum benedictionem arbitrabatur, qui plures liberos suscepisset. Sed cum hic finis per Filii Dei incarnationem defierit, mutatis rebus, ex quo nec de terrarum orbe incolis replendo, neque de Christo in lucem edendo agitur, qui conjugalem statum ingrediuntur, illum cogitare debent tamquam ad ordinem superiorem erectum; videlicet ad Sacramenti dignitatem, ut significet non solum Jesu Christi unionem cum Ecclesia quod ab ipsis mundi incunabulis repræsentavit, verum etiam ut sit fons gratiarum, & spiritualium benedictionum; ideoque illud respicere debent tamquam statum sanctum, quem sancte ingredi debent.

Cur Apostolus conjugium vocet magnum Sacramentum.

Magnum est, si conferatur cum veterum Patriarcharum conjugio, qui in figura tantum habebant, quod nobis re ipsa est. Magnum est, si conferatur cum conjugio status innocentiæ, ubi non aliud erat, quam civilis contractus; prærogativæ, quæ huic tribuuntur, non tam procedebant ex contractus hujus natura, qui Sacramentum non erat, quam ex originali justitia, quæ generalem in omnes actiones Adæ benedictionem effundebat. Magnum est, quatenus est Sacramentum; gratia enim, quam confert, nequaquam intra exiguum effectorum numerum continetur, uti effectus Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, sed ad omnes extenditur curas, quas gerere debent pater, materque familias. Effectum suum nequaquam uno, eodemque ictu facit, sed æque diu operatur ac conjuges vitam producunt. Itaque hoc magni nomen nequaquam tribuitur Sacramentis omnibus indiscriminatim; etenim ex septem, quatuor dumtaxat, iisque ob longe varias rationes appingitur. Magnus dicitur Baptismus, propter nobilem effectum, quem in recentis Christiani anima gignit: Confirmationis Sacramentum magnum dictum fuit propter dignitatem ministri, qui Episcopus esse debet: magnum quoque vocant Eucharistiæ Sacramentum propter id, quod in eo continetur, verum videlicet Corpus, ac verus Sanguis Jesu Christi: denique Sacramentum Matrimonii hoc magni nomine celebratur, quia significat, ac repræsentat, tres easque magnas, & illustres Dei cum hominibus affinitates; quarum prima fit per gratiam, qua Deus animas nostras sibi sponsas adjungit; altera quæ fit per amorem, & unionem inter Jesum Christum & Ecclesiam; ac tertia, quæ fit per hypostaticam Divini Verbi cum humanitate nostra in persona Dei Hominis unionem.

Deus gratias tribuit conjugibus ad fidem, atque concordiam servandam.

Fides in matrimonio prima est obligatio, ac primum eorum officium, qui hunc statum amplexi sunt, eaque inviolabilis esse debet, quia imago est fidei, quam Deus semper integram, inviolatamque servavit Ecclesiæ; eaque debet religiosius observari, quia in conjugio Deus tribuit gratiam ad eam servandam, non secus ac ad fovendam unionem, quæ illos simul vivere cogit atque invicem numquam separari permittit. Hæc enim fundamentalis est veritas, Sacramenta omnia præter sanctificantem gratiam, qui effectus est omnibus communis, peculiaria etiam nobis subsidia conferre, ut feliciter ad eum perveniamus finem, propter quem sunt instituta. Quemadmodum Baptismus per gratiæ infusionem non solum delet peccata; verum etiam nobis aperit fontem luminum, sanctarumque inspirationum, quæ nobis necessariæ sunt, ut vitam ducamus Christiani nominis dignitati conformem; ita cum conjugii onera magna sint, credendum est, præter habitualem gratiam, quam confert, adesse quoque actualium fontem auxiliorum ad fideliter officia hujus status explenda, ad conjugalem fidem adeo solemniter promissam servandam, & fovendam unionem, quæ

omni-

omnino est necessaria, ut alter alterius defectus æquo animo ferat.

De mutua conjugum dilectione.

Philosophus lib. 8. Eth. c. 2. nullam novit amicitiam magis legitimam, quam viri erga uxorem suam; reliqua huic longe concedere affirmat. Verum est, si rem serio consideremus, conjugalem amorem habendum esse tamquam primam naturalium amicitiarum regulam; quia par est amori sui ipsius, quemadmodum testatur Apostolus ad Ephes. 5. *Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit*, unde S. Thomas concludit, virum non posse odio habere uxorem suam, neque e contra, quin ejusdem speciei peccatum admittat, cujus esset odium sui ipsius, quod post Dei odium, præ cæteris maxime detestabile est, ac desperatorum tantummodo proprium.

Conjuges simul cohabitare tenentur.

Satis est animum advertere ad conjugii fines, ut fatearis, uxorem a viro, virum ab uxore seorsim vivere non posse. Conjugium institutum est, ut legitimi gignantur filii, ac prædestinatorum numerus repleatur; ut concordi penitusque conflato agatur consensu cum in iis, quæ ad filiorum pertinent institutionem, tum in iis, quæ familiam respiciunt; quibus curis vir unus satis esse non potest; ut viro adjutorium simile sibi detur, cui rerum domesticarum partem committat; ut detur mulieri præsidium, quo imbecillitas ejus fulciatur; quarum rerum omnium quemnam locum habere potest in divortio? quod sibi in necessitatibus præbebunt auxilium? ad quid hæc proderit cognatio? &c. Et sane tanta est hæc obligatio, ut quamvis religio status sit conjugio præferendus, quia majoris est meriti, non liceat tamen viro, uxore invita, vel mulieri, invito conjuge statum illum amplecti. Hæc janua omnibus Christianismi conditionibus patet, exceptis conjugibus.

Matrimonium verum est Sacramentum.

Credidit semper Ecclesia tamquam certissimam, ac in dubium minime revocandam veritatem, conjugium esse Sacramentum, idque illa credidit innixa auctoritati Apostoli dicentis: *Sacramentum hoc magnum est, in Christo, dico, & Ecclesia.* Ad hæc Tridentinum Concilium sess. 14. declarat gratiam per hoc Sacramentum significari, & communicari, in qua præsertim Sacramenti essentia consistit. Jesus Christus, inquit Concilium, qui Sacramentorum auctor est, & consummator, nobis per passionem eam gratiam promeruit, quæ naturalem viri, & uxoris amorem perficere posset, atque roborare indissolubilem unionem, quæ est inter illos.

Veritates, quibus animum debent advertere qui matrimonio junguntur.

Qui ut Christiani, non autem Ethnici, conjugium inire volunt, Jesu Christi opem debent implorare, & nihil aggredi sine motu gratiæ ejus, atque ad obtinendas omnes benedictiones eo in statu, ubi salutem consequantur, intelligent connubium esse figuram adorabilis unionis æterni Verbi cum humana natura, & Jesu Christi cum Ecclesia, atque conjugali vinculo adstrictos tanto se se ultro citroque amore debere complecti, quanto Jesus Christus suam sponsam prosequitur. Considerare debent matrimonium fœdus esse sacrum, quod eo potius spectat, ut cœlo magis, quam terræ filii procreentur, & sanctam esse societatem, quæ ideo corpora conjungit, ut nodo magis sacro corda conjungat; videlicet vere christiana dilectione; sed præsertim cogitare debent, paucissimos recipere, ut oportet, gratiam hujus Sacramenti, ejusque servandæ minorem adhuc habere curam; unde tot existunt turbæ, ac tam frequens inter conjuges discordia, nec tot mala, & sæpe etiam parentum atque ac filiorum damnatio.

De hujus Sacramenti gratia.

Maxime refert considerare matrimonii naturam, quod contrahentibus vincula injicit nonnisi alterutrius morte infringenda; ita ut quemadmodum hoc Sacramentum iterari non potest, donec, qui eodem conjuncti sunt, in hoc mundo vivunt; ita gratia perpetuo huic statui inhærens, si recepta non fuerit, vel semel fuerit amissa, nonnisi post diuturnam sanctamque pœnitentiam possit reparari. Communes pœnitentiæ fere numquam illud reparant scelus, quod patratum est contra Evangelii præcepta nubendo; præsertim vero cum personæ præditæ virtute non sunt, & christianæ societatis gratiam non habent; sed conjuges semper vincti permanent personæ illi, quam in sua cæcitate elegerunt; ac nihil illos dispensare potest coram Deo ab iis difficultatibus, & impedimentis, in quæ se ipsos dedere præcipites; æternæ quippe legis est, quod quilibet status sui, & illius, quem suscepturus est, noscat officia.

Matrimonium est novæ legis Sacramentum, a J. C. institutum.

Sacramentum hoc a Jesu Christo institutum est, non solum quod cum re vera non fuerit primus unionis conjugalis auctor, novam quodammodo illi præbuit institutionem illud in lege sua approbans, atque ad primum, a quo exciderat, revocans institutum; verum etiam quod unum esse voluit ex septem Evangelicæ legis Sacramentis, & quod illi non secus se alii, suam gratiam addidit, quemadmodum Patres docent, & Concilia, Tridentinum vero præsertim.

De matrimonii fine, & institutione.

Verum est, matrimonium in prima institutione, quæ in statu innocentiæ facta fuit, non aliud habuisse finem, quam humanæ speciei multiplicationem; sed post peccatum, affectuumque perturbationem, voluit Deus illud esse concupiscentiæ remedium; & quemadmodum remedium hoc nimis fuisset infirmum contra mali ejus magnitudinem, illi Sacramenti novæ legis gratiam Jesus Christus adjecit. Verum humiliter sane de hoc Sacramento sentiret, qui crederet ideo fuisse institutum, ut inordinati affectus unice esset remedium; illud tamquam infidelis, non autem Christianus consideraret, qui illud esse putaret veluti rationem quamdam suam explendi cupiditatem, non autem veluti mysterium, cui Deus suam addidit gratiam, ut in iis, qui sanctius conjugium ineunt, fœcundum amorem exprimeret, quo Jesus Christus suam dilexit Ecclesiam. Constat quippe, quemadmodum fidelium conjugium repræsentat Jesu Christi unionem cum Ecclesia; ita opus esset, ut eorum amor illi sese conformet dilectioni, qua Salvator suam sponsam prosecutus est; quæ est Sancti Pauli sententia ad Ephesios scribentis: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam*. Verum quomodonam Salvator Ecclesiam dilexit? Hoc discimus ex eodem Apostolo, ubi ait, ideo illam amasse, ut eam sanctificaret, & coram Patre suo mundam, sine labe, & macula efficeret. Ita ergo viris diligendæ sunt uxores, & uxoribus viri; ut ultro, citroque se ipsos sanctificent sese intra pudici amoris terminos continentes.

PARAGRAPHUS VI.

Loci delecti ex Asceticis ac recentibus Concionatoribus hujus Argumenti.

Conjugii utilitas, & necessitas ad Mundi conservationem.

Conjugium vocari potest hominum seminarium, unde quotidie novæ existunt plantæ, quæ in earum locum substituantur, quæ longa annorum serie effætæ sunt. Hæc mystica est Metempsycosis, sed longe gloriosior, hominibusque utilior ea, quam Philosophi quidam commenti sunt, qui homines ex brutis, & ex hominibus bruta renasci docebant. Conjugium efficit, ut homines quodammodo sint immortales; ut pater mortem subeat, quin moriatur, quia renascitur in filio, ac posteris suis: hic vitæ fons est, semper fluens, & qui numquam exhauritur. Mors gurges est, quo homines omnes contendunt, non secus ac in mare fluvii; sed quia fons hic non exhauritur pro singulis, qui moriuntur, plures sæpe renascuntur. Profecto sine conjugio, mors, quæ nemini parcit, non multo indigeret tempore, ut urbes omnes, atque provincias deleret; nulla enim re vi illius resistente, unius sæculi, vel minus etiam sufficeret intervallum ad hoc, ut omnes homines efferentur. At Deus, qui non patitur opus suum perire, antequam electorum numerus repleatur, connubii patronum seipsum constituit, quemadmodum primus fuit ejusdem institutor; eadem cura, qua mundum tuetur,

tur, efficit, ut alteram hanc ille suscipiat affinitatum, quæ contrahuntur, & quæ unica est mundi servandi ratio. Hæc est causa propter quam mundus quotidie magis incolis repletur, urbes frequentiores fiunt, & regna florentiora, Ullusne, amabo vos, inveniri poterat efficacior modus magni hujus operis tuendi, & conservandi? Mortis tela cadunt, at nihil proficiunt, quia conjugii fœcunditas omnia illius vulnera eludit; & hoc pacto adimpletur magnum Dei consilium, qui cœlum replere desiderat. Magnum Dei voco consilium; quia finis est cæterorum, & cætera huc tamquam lineæ tendunt in centrum. Magnus hic finis obtineri non poterat sine conjugio eo in ordine, quem Deus ipse constituit; ideoque ab ipsis mundi primordiis conjugii ejusdem auctor esse voluit, & institutor. *Familia Sancta Patris Cordier Tomo tertio cap. 19.*

Sine conjugii institutione nihil in terris esset nisi confusio.

Quidnam, amabo vos, mundus fuisset, si a Deo ibi posita sexuum varietate, conjugii leges positæ non fuissent? Nisi ita disposuisset, ut vir suam uxorem, & uxor suum virum haberet? Nisi illos vicissim indissolubili vinculo alligasset? Fingine potest magis horribilis corruptio, magisque detestabilis confusio? Si viro licuisset uxorem, & uxori mutare virum, simulac alteruter fastidio fuisset affectus, quid fieret? quid de liberis esset? quænam esset in familiis dissensio? Quot ultiones, quot cædes, quot orirentur parricidia? Sed quænam abominatio, si nullum inter se præter voluntatis vinculum viri, & mulieres haberent! Quemadmodum non alius illis fuisset Deus, nisi suus unicuique affectus; nulla illis religio, pietas nulla; omnia ibi polluta fuissent, & homines, quippe qui majori pollent industria, quam bruta animantia, ut suis satisfaciant cupiditatibus in turpissima quælibet scelera irruissent. Tot extitissent adversarii, quot homines in terris, in id semper intenti ut alter alterum proderet, dummodo insanam explerent libidinem, semperque parati ensibus distringendis, diluendisque venenis, ut de medio competitores auferrent. Quamobrem Deus adeo abominabilem confusionem prævidens prorsus divina sapientia, atque providentia censuit in terris ante omnia conjugium instituendum esse, quod totius recti ordinis servandi esset fundamentum; videbat enim ubi hoc semel constitutum esset, cætera levi labore posse constitui. Itaque inde initium sumpsit; postquam hominem, mulieremque creaverat, ut illis amorem inspiraret, quo vicissim se complecti debebant, voluit, mulierem esse hominis partem, ut vir uxorem tamquam suiipsius partem diligeret, & uxor erga virum eadem foveret studia, quæ pars habere debet ad totum suum. *Idem.*

Deus primum instituens inter Adam & Evam conjugium, illis futurorum omnium conjugiorum leges declaravit.

Statim ac mulier educta fuit ex primi hominis latere, Deus utrumque simul in matrimonium conjunxit, ac obtulit Evam Adæ, ut hoc efficeret conjugium, & ore proprio utrique conjugales leges, & officia declararet. Significavit illis, eorum amicitiam esse debere primam, atque solidissimam, quæ in terris esset umquam futura, & ex illa tamquam ex fonte rivulos, amicitias reliquas originem habere debere; & quamquam parentum erga filios amor maximus futurus esset, nihilominus amorem inter virum, & uxorem primum obtinere locum debere, tamquam primigenium, & sacrum, qui citra aliquam sacrilegii speciem violari non potest. Addidit, quandoquidem ipse utrumque eodem spiritu repleverat, velle etiam, ut eamdem haberent carnem, omnia negotia communia. Ad hæc antequam etiam ullum conjugii sui fructum vidissent, Deus illis patrium amorem, omnesque inspiraverat qualitates, quæ ad bonam sanctamque filiorum educationem sunt necessariæ. Quemadmodum vero non solum erant futuri totius posteritatis parentes, verum etiam magistri, atque doctores; mentem eorum iis replevit cognitionibus, quæ ipsis ad familiam regendam auxilio esse poterant, non solum ut illi eas probe tenerent, verum etiam ut easdem aliis tradere possent. *Idem.*

Antequam ineatur conjugium Deus est consulendus.

Haud injuria vulgo dicitur tamquam veritas omnibus recepta sæculis, bona, & felicia conjugia in terris quidem contrahi, atque adimpleri, sed in cœlis disponi; etenim quemadmodum unus Deus nos perfecte cognoscit, ita ille unus potest parem nobis jungere conjugem, quicum pacem servare, tranquillaque vita frui possimus, & facilius salutem nostram operari. Idcirco illi qui adhuc liberi sunt, ac per ætatem conjugio pares, monendi sunt, ne quid inconsulto Domino hac in re aggredi audeant; in hac enim potissimum ab eo pendere debemus, ejusque voluntatem desideriorum nostrorum normam efficere. Cum in Christiana Religione duo status sint, alter quidem continentiæ, alter conjugii, si alteruter a nobis cum utilitate eligendus est, nihil conari opus est inexplorata numinis voluntate, nihilque aggredi, nisi prius ejus lumina imploraverimus. Si arbitramur, filium officio suo deesse, dum inconsulto patre uxorem ducere meditatur; & si pater hanc ob rem adeo exardescit, ut illum exhæredet, omnemque successionis in bona sua spem illi auferat; credine potest, Deus, qui tantum hominibus confert honorem, ut eos filios vocare non dedignetur, non succensurus, si in tanti momenti negotio quid aggrediaris, antequam ejus voluntatem exquiras? Meritone cogitari potest post adeo explicitum divinæ bonitatis contemptum, illum nequaquam ablaturum gratias suas, suasque benedictiones minime denegaturum? Vis conjugii statum amplecti? at quis tibi vires præbebit ad omnes illius curas sustinendas, & onera ferenda, nisi te Deus in hoc statu esse jusserit? *Idem Tomo primo.*

A Deo mutibi expectanda uxor est, quæ tibi utilis futura sit.

Cum Dei afflatu, vel ministrorum ejus consilio, aut eorum, qui in te aliquam obtinet auctoritatem, consilium inieris ducendi uxorem, a Deo præstolare conjugem, quæ tibi utilis futura sit; videlicet, crede, Providentiam hanc, qua reguntur omnia, oblaturam tibi personam eam, quæ a te sit eligenda. Hoc nos admonet Sapiens, cum asserit Prov. 19. bonam, prudentemque uxorem Dei munus esse, ac unice a Deo proficisci: *Domus, & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* Cum prædestinationis quædam causa sit, cohabitare cum ea, quæ nobis, quod bonum est suadeat, nosque ad illud inducat; credendum est, hinc eamdem Providentiam, quæ super electos vigilat, ita quæcumque ad eos spectant disponere, ut tandem ad eum perveniant finem, cui illos destinat per vias, quas ipse illis aperuit, & per quas illos deduxit. *Idem.*

Conjugii elogium, & quo in pretio habendum.

Conjugium primum est vitæ communis vinculum; fundamentum, primum totius humani commercii præsidium, cognationum omnium principium. Hoc familias efficit; familiæ civitates, civitates regna. Omnes homines illud intueri debent veluti petram, unde excisi sunt. *Attendite ad petram, unde excisi estis. Isaia 51.* Contractus est eadem cum orbe terrarum jactans primordia, neque alium præter Deum habens auctorem. Gnostici hæreticorum omnium turpissimi, illud tamquam malum, ac detestabile, rejecerunt; sed cum in Genesi videamus Deum conjugii institutorem, & in Evangelio Jesum Christum nuptiali convivio interesse non dedignantem; detestari debemus infames hæreticos, a quibus improbatur. Neque enim propter castitatis honorem, ac reverentiam ita loquebantur, sed propter libidinosissimam licentiam, quæ tot illis permittebat uxores, quot possent abuti. Quod si suadet Apostolus, ut continentia servetur, non ideo tamen improbat conjugium, quod nonnisi ab illis damnari potest, qui de divinis operibus sentiunt injuste; verum docet, neminem ad conjugalem statum teneri, eumque non sine merito relinqui posse, ut status perfectior eligatur. *Idem.*

Conjugia est indissolubile.

Quamvis natura, humanisque legibus, conjugia indissolubilia esse non doceremur, solum Jesu Christi præceptum in Evangelio irrogatum ad omnem

omnem auferendam dubitationem sufficere posset: ita ut matrimonium frangi nequeat, quin lædatur magnum illud sacramentum, quod Jesus Christus cum Ecclesia constituit, cui se non ad tempus, sed in æternum conjunxit. Hæc adeo constans est inter fideles veritas, nullam esse rationabilem causam, qua matrimonium possit infringi præter mortem! Sterilitas, quæ præcipuum illius finem impugnare videtur, semper habita fuit causa nimium infirma; quacumque in persona reperiatur, ad illius dissolutionem obtinendam, neque sine lacrymis in historia legi possunt terribilia Dei supplicia in eos, qui infringere ausi sunt, quod Deus arcte adeo conjunxit. *Idem*.

De conjugii fidelitate.

Inter conjuges fides reputanda est veluti prima obligatio, quæ ex conjugio oboriatur. Vir ergo, & uxor sibi persuadeant, se ex ipso nuptiarum die inviolabilem ultro, citroque sibi fidem fuisse pollicitos, & non posse, quin salutem suam prodant, infringere promissionem suam, cujus Deus testis est, & cujus futurus est vindex, si umquam fuerit perfracta. Sciant, ubi semel assenserunt, omni jure suo exutos fuisse translatione irrevocabili, ac mutuo dono, quod humanis, divinisque legibus probatum fuit, viri corpus in uxoris, uxoris vero in viri esse potestate. Hinc S. Augustinus de bono conjugii cap. 6. eos omnes, qui statum hunc amplectuntur, etiam atque etiam monitos vult, ne putent, conjugium statum esse libertatis; sed potius servitutem esse, quæ alterum alteri subjicit, virumque cogit, ne de ulla imposterum muliere, quam de sua cogitet, & mulierem, ne velit, nisi quod secundum conjugalis castimoniæ leges viro suo est placiturum: *Debent sibi conjugati mutuam quodammodo servitutem*. *Idem*.

Quam grave, & infame illud sit peccatum, quo conjugalis fides violatur.

Cum S. Job de hoc scelere cap. 31. loquitur, diceres, hunc religioni sibi vertere illius proferre nomen; ac metuere, ne vocabulo adeo hominibus, ac Deo inviso, & detestabili sua scripta coinquinet. Illud vocat scelus, *nefas*, *maximam iniquitatem*; si enim cum aliis criminibus conferatur, eorum nequitiam exsuperat, eo usque ut Deus animam perditam, atque omni scelere fœdatam exprobraturus non aliud aptius nomen inveniat, eamque, veluti maximum probrum, vocet adulteram. *Generatio mala, & adultera*. Matth. 16. Quodcumque illa scelus patraverit, hoc uno nomine eidem exprobratur; cumque Deus illam adulteram dixit, omnia dixisse videtur, neque apertius exprimere posse hominis indignitatem, qui Dominum suum dereliquit, ut versus creaturam aliquam suas affectiones convertat. Quænam vero esse debet hujus peccati deformitas, quæ cæterorum, ut ita dicam, turpitudinem auget? *Idem*.

Mutuus conjugum Amor.

Ubi Adam ex mystico evigilavit somno, quod infuderat Deus, costam illi auferens, & ubi ex divina revelatione cognovit, mulierem, quam intuebatur, illam esse, quam ipsi in conjugem destinaverat Deus, statim clamavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Quid autem innuebat, nisi mulierem hanc suiipsius partem esse, eamque se amaturum esse eadem charitate, qua se ipsum amabat, ejusque incolumitatem sibi æque charam futuram a vitam suam. Et sane nisi Deus inspirasset Adæ affectionem hanc æque teneram, ac fortem, voluissetne ille post lapsum ultra hanc mulierem videre? Recordatio semper præsens, quod ut illi morem gereret, iis exciderat bonis, quibus divinitus fuerat cumulatus, tanto illum mœrore confecisset, ut illam pati minime posset, neque respicere nisi tamquam suæ calamitatis, suæque maledictionis originem. At Deus, qui prævidebat malum, quod ex odio hoc profecturum erat, tantum mulieris amorem in Adam accendit, ut quidquid deinceps contigerit, numquam illam summe complecti benevolentia destiterit: *Idem*.

Annulus, qui Sponsæ tribuitur amoris mutui symbolū.

Ecclesia, quam in omnibus cæremoniis Spiritus Sanctus dirigit, in matrimoniis cum servat ritum, quo sponsi mutuam, quam ultro citroque fovere debent, dilectionem docentur. Præcipit enim Sacerdoti, ut annulum benedicat, qui viro primum tribuitur, qui illum recipiens cor suum signare, & illud alteri cuicumque amori claudere videtur. Hinc sponsæ digito ingeritur, ut vicissim obligetur non alium mortalem diligere præter eum, quem sibi in virum Deo disponente conjungit. Annulus hic est veluti signum, cujus duplex esse debet effectus in duorum conjugum corde. Alter est conjugalem in illis amorem servare; alter vero aditum externo cuilibet amori concludere. *Idem*.

Inter conjuges mutua esse debet confidentia.

Quemadmodum confidentia est constantis amoris exploratæque fidei effectus, necessaria est mortalibus omnibus, quicumque commercii vinculo simul adstricti sunt; at nulla societas est, ubi major esse debeat, quam in conjugio: & sane quænam crux esset viro de uxore diffidere, cui non minima negotiorum, bonorumque suorum cura committenda est? Nonne est cum domestico inimico vitam ducere, cohabitare cum fœmina, jugiterque de mala ejusdem fide dubitare? Nonne hoc idem est ac sibimetipsi non fidere, ac se suis armis confodere? &c. *Idem*.

Conjugum concordia.

Concordia, S. Joannes Chrysostomus inquit, omnes efficit conjugii divitias simul atque delicias; hæc enim, Pater idem ait, vera sunt bona, si vir cum uxore consentiat, & uterque animo, ac sensu conjuncti sint, tamquam unum tantummodo corpus efficientes. Bona hæc talia sunt, ut beatos se possidentes efficiant in ipsa etiam paupertate, atque conditionis humilitate, quia jugi tranquillitate fruuntur. Verum ne putes unionem, & pacem hanc possideri posse, nisi per *charitatem, quæ diffusa est in cordibus nostris*. Ad Rom. 14. Hanc autem, qui conjugali statu irretiti sunt, a Deo peculiariter debent expetere, quin illam ex se ipsis expectare, ac sperare possint; quicumque enim amor, qui Dei charitati minime innititur, numquam corde conjungit, nisi carnali, prophanoque vinculo, quod serius, ocys frangitur, atque conteritur. E contra quæcumque accidant adversa iis, quos Sacramentum indissolubili nexu alligavit, Dominus illis gratias afferet necessarias, quibus adjuti in commune ferant jugum, cui ferendo unus non est, sed quod fit leve cum a duobus mutua charitate conjunctis sustinetur. *Abbas de Monmorel sermone pro secundo Evangelio post Epiphaniam*.

Ut conjugium sit felix conjugum requiritur similitudo.

Ut conjugium sit felix ante cætera necessarium est, ut inter illum contrahentes similitudo inveniatur, & sponsus sponsæ, & hæc illi similis sit; hoc est cura quam diligenter habenda est, ut uterque genere, ætate, fortuna sint pares; præsertim vero studiis, & affectibus, in quibus præcipua similitudo consistit. Hoc attendere parentes debent, ubi filiis suis prospicere cupiunt, nisi Deo respondere velint de malis omnibus, quæ male conjunctum matrimonium, vel si dicere fas est, monstrosam conjunctionem subsequi consueverunt. Hoc autem plerumque evenit, cum patres cogunt filios eas uxores ducere, vel filias illis viris nubere, quos libido, ambitio, vel avaritia delegit. Quid cogitatis, o parentes? quibus malis aditum reseratis? Sine hac æqualitate, quæ vinculum pacis est, & nodus concordiæ, quæ ante cætera optanda vobis est, quia inde omnis connubiorum felicitas pendet, Domus universa quamprimum susdeque vertetur, non aliud præter jurgia, ac lites audietur, vir uxori, uxor viro, uterque sibi invicem dæmones erunt. *Idem paulo immutatus, & amplificatus*.

Studiorum, ac virtutum similitudo fons est pacis, & benedictionis familiarum, & conditio prima, quam Deus esse voluit in conjugio, cujus ipse auctor fuit. Attamen hodierna die præ cæteris magis negligitur. Ambitio, vel avaritia plerumque conjugia nectit. Non quæritur quænam fuerit institutio, quæ sit probitas, quæ sapientia, sed quæ dignitas, quæ substantia. Diligenter ad examen vocatur quid-

quidquid ad fortunæ bona pertinet, & perfunctoriè animi, ac mentis dotes, nec non Dei timor, qui utramque fons est, inquiruntur. Conjugium non habetur amplius tamquam *Sacramentum*, in Jesu Christo, & *Ecclesia*, sed quædam veluti negotiatio, quæ inter virum, uxoremque transigitur; non secundum eorum merita, sed secundum bona, quæ possidentur ab illis. De divitiis solliciti non laborant, utrum hoc suæ felicitati, & minus adhuc, utrum suæ expediat sanctitati, & dummodo id multa cum utilitate fiat, negliguntur mores, studia, conscientia, quæ utrique omnes vitæ hujus motus, vel lenire debet, vel exasperare. Hoc pacto connubium initur, ubi errata nullam habent medicinam, ubi pœnæ acriores sunt, & frequentiores propter funestam commoditatem, qua alter alteri potest molestiam afferre. *Flechier in S. Josephi Panegyrico.*

Discordia, & mala, quæ ex conjugum inæqualitate oriuntur.

Hinc omnia proficiscuntur incommoda, quæ in plerisque conjugiis videntur; hinc asperitas illa, & molestia, quæ domum paci, & societati destinatam, in perpetuum discordiæ, sollicitudinis, & zelotypiæ infernum convertunt. Hinc aversio ab eo solo objecto, quod unice amandum est, quæ paulatim tepore quodam, mox vero infidelitate, ac denique manifestis sese prodit inimicitiis. Hinc familiarum, quæ optime constitutæ videbantur, interitus propter conjugum de familiæ imperio certantium, suas voluptates, suaque bona seorsim habere cupientium, ac sæpe solatium earum injuriarum, quas sibi inferunt, in illis, quibus alios afficiunt, invenientium. Hinc filiorum excidium propter pravum patris ingenium; omnia inquirentis oblectamenta, illosque sermonibus, & exemplis malum edocentis, antequam per ætatem illud cognoscere valeant, ac per negligentiam matris, quam ludi voluptas, & suiipsius amor totam occupant. Hujusmodi sunt pleraque conjugia, quæ mundi hujus spiritus consociavit. *Idem.*

De conditionum inæqualitate in conjugiis.

Satis intelligi nequeunt gravissima incommoda, quæ in conjugiis accidunt, in quibus non modica partium deprehenditur inæqualitas. Etenim quin singulas prosequamur ætatis, ingenii, aliarumque qualitatum dissimilitudines, quæ nonnisi molestissimos effectus habere possunt, eam tantummodo placet attingere, quæ ad genus, & nobilitatem pertinet. Quid enim vulgo lucratur humili loco natus, nobilem fœminam uxorem ducens? Quin gratiam, & auxilium inveniat, quomodo sperabat, repulsas, atque contemptus nanciscitur. Quemadmodum dominam pro uxore duxit, ita factus est tot dominorum servus, quot affines adeptus est; indesinenter illi generis humilitas exprobrabitur; inferetur sermo de patris, vel avi arte, atque indigitabitur officina, ubi laboribus suis ille victum sibi comparavit; opportune, importune allusio fiet ei muneri, quod non ita pridem obire consuevit, cujus plurimi meminerunt, & quod exprobrabitur illi, quotiescumque paulo turgidius sese extulerit. Si vir uxorem in debita continere studuerit obedientia, hæc fratres suos illi intentabit, atque cum parentibus suis sexcentas querimonias subinde adhibebit; sin autem illam ita, ut ipsi libuerit, vitam ducere passus fuerit, jam veluti servus habebitur. Altera ex parte humili loco nata mulier, sed cui sese liberalem fortuna præbuit, si propter opes, quibus aucta est, nobili nubat viro, egregiis nitescere debet corporis, animique dotibus, alioquin totius affinitatis ludibrium futura. Quotidie sexcenta videbit, sibi dissimulanda; plurimæ illi ferendæ erunt injuriæ; genus illius millies ipsi exprobrabitur, ita ut nisi profunda humilitate, invictaque patientia sit prædita, vitam in lacrymis, perpetuoque mœrore sit traductura; assentiri cogetur, quod dotalia bona impendantur ad æs alienum solvendum, atque erogentur in insanos sumptus viri, qui nulla numquam utetur erga illam indulgentia, quæ huic non mediocri bonorum suorum fiet pretio. Illa non audebit prodire in cœtum consanguineorum viri sui, nisi æquo animo non solum passura sit quemcumque locum sibi relinquere velint, verum etiam illos veneratura sit tamquam indignabunda numina, quæ omne recipiunt thus, quod sibi adoletur, quin ne gratum quidem animum testentur. *Sancta Familia Tomo tertio.*

In conjugiis præ cæteris vitanda est status, & conditionis disparitas. Cum aliquis supremæ Aulæ minister uxorem ducit artificis cujusdam filiam, disparitas, quæ intra hos conjuges adest, statim sese prodit, omnibusque obloquendi tribuit occasionem. Nemo sibi persuadere potest, hujusmodi necti posse conjugia sine quadam turpitudine: immo neque satis solida esse posse censentur; cum enim similitudo sit fundamentum concordiæ, nihil boni sperari potest, nihilque diuturni ex duorum mortalium connubio, inter quos nulla interest similitudo. *Idem.*

Quid spectandum in conjugis electione.

Ea quæ in conjugis electione spectanda sunt, nequaquam obnoxia tempori sunt, neque morbis, uti species, neque calamitates, aut fortunæ vices debent metuere, ut divitiæ; sed immutabilem habent constantiam, qualia sunt lene, ac docile ingenium; pia, & sapiens educatio, quæ alteram nobis naturam impertit eo præstantiorem priori, quo ratio exculta agresti, incultæque rationi præstat; indoles suavis, atque aliis placere studens, quæ sibimet vim infert in omnibus, ne aliis crucem figat; prudens, consultaque agendi ratio, quæ in omnibus modum servare novit; fortitudo, & generositas, quæ nullum fugit laborem, ut ad bonum aliquod perveniat; quæ omnes iracundiæ motus suffocat, potiusquam exardescat, & alicui afferat injuriam; quæ suiipsius compos est, ac se ipsam cohibere didicit, ne qualibet in occasione sese in inutilia verba effundat. Hæ qualitates fere numquam spectantur; sed verissimum semper erit asserere, quo magis in iis reperientur, qui conjugio adstricti sunt, eo majorem in eorum conjugio suavitatem futuram. *Idem.*

De illis, qui filias suas nuptui tradunt imparem ætatem habentes.

Quam rari parentes sunt, qui secundum Apostoli consilium filios suos *in Domino* collocent in matrimonium. Quot sunt, qui sperantes futurum ut filiæ suæ alieno ditescant patrimonio, ut deinde illas nobiliori viro dignas efficiant post mortem viri senio confecti, quam in singula momenta præstolantur, eas senibus tradunt, qui sunt potius cadavera jamjam efferenda, quam homines in posteritate sua studentes reviviscere; hoc pacto in juvenibus hisce victimis paternæ, maternæque ambitionis, & cupiditatis instaurantes crudele illius tyranni supplicium, qui mortuis viventia nectebat corpora, ut horum cruciatus diutior esset, & gravior. Quid enim est puella ætatis flore gaudens conjuncta viro, qui senio confectus est; quos avaritia, & ambitio indissolubili vinculo consociarunt, & quibus Deus in pœnam numquam elargitur benedictionem, & gratiam sese vicissim amandi? Quid, inquam, est hoc conjugium? nisi corpus vivens mortuo corpori alligatum? Quid duo isti conjuges, qui inevitabili necessitate sese singulis momentis, eamdemque ad mensam videre debent, & quibus ætatum, atque idcirco studiorum, affectuumque disparitas necessitatem indicit, sese mutuis odii persequendi, sibique vicissim mortem imprecandi, & fortasse etiam procurandi? *Auctor sermonum Christianorum pro 2. post Epiph. Dominica.*

Mala, quæ accidunt in conjugiis, in quibus Dei voluntas explorata non fuit.

Undenam tot mala, quæ frequentissime in conjugiis videntur? Non alia profecto causa inquirenda est, nisi quod antequam status hic suscipiatur, Dei voluntas non exploratur, neque consulitur oraculum istud, sine quo aliud quodvis consilium nonnisi fatale esse potest, ac perniciosum. Et sane undenam proficisci putas hoc frigus, hunc contemptum, hanc zelotypiam, has injurias, infidelitates, divortia, bonorum dissipationes, malosque negotiorum eventus, qui integras perdunt familias? Hæc tot malorum origo est; quia pleraque conjugia inexplorata numinis voluntate fiunt, quia cum ducitur uxor, cæca tantum libido, vel avaritia consulitur, quæ ab invitis etiam extorquent consensum; vel oculi

consu-

consuluntur; qui se decipi sinunt illecebris objectis, quod nihil intentatum reliquit, ut eos falleret, vel mortalium dolis, qui nihil reliquum fecerunt, ut nobis facerent fucum. Quia plerique filii post adolescentiam in omni libidinis genere antea&ctam, parentibus eam, quam debent detrectantes reverentiam, illis invitis, ac repugnantibus, vel saltem eorum consensu non expectato ducunt uxorem, quia parentes ipsi suam potius utilitatem, inanemque consulentes cupiditatem, quam rationem, & Dei gloriam spectantes minus diligenter inquirunt, utrum illi, quibus in matrimonium consociare student filias suas, probitate, aut virtute sint præditi, quam utrum magnis fulgeant honoribus, ac opes, agrosque possideant. *Idem.*

Præcipuus finis, propter quem conjugium institutum est.

Verum est, conjugium in prima institutione sua, quæ in innocentiæ statu peracta est, non alium habuisse finem, quam hominum multiplicationem; sed post peccatum, affectuumque perturbationem voluit Deus, illud esse concupiscentiæ remedium; cui, quia nimis infirmum, contra tantum hoc malum fuisset, ut efficacius existeret, gratiam Sacramenti novæ legis Jesus Christus adjecit. Verum humiliter sane de illo sentiret, qui arbitraretur ideo tantum fuisse institutum, ut incompositæ remedium esset cupiditatis, tribuens facultatem eidem satisfaciendi, dummodo intra legitimi conjugii terminos fiat. Sacramentum hoc tamquam infidelis quidam, & non Christianus respiceret, qui illud esse cogitaret prophanum cupiditatis explendæ adminiculum, non autem veluti mysterium, cui Deus ideo suas elargitur gratias, ut conjuges in castitate contineat, utque illos inducat ad sanctius imitandum amorem illum, quo Ecclesiam suam Jesus Christus prosequitur. Certum est enim, quemadmodum fidelium conjugium illud Jesu Christi cum Ecclesia repræsentat; opus esse, ut eorum amor illum imitetur, quo Ecclesia a Salvatore diligitur: quæ quidem S. Pauli sententia est ad Ephesios *c.* 5. scribentis. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Idem.*

Discrimen inter Christianorum & infidelium conjugia.

Christianorum conjugium nequaquam in eodem loco habendum est, ac infidelium. Hoc eo spectat, ut homines in lucem edat, ut opes illis congerat, utque illos ad vitam humanæ societati conformem instituat; sed fidelium matrimonium institutum est, ut tot Jesu Christo filios gignat, quot in lucem edere poterit. Igitur nequaquam voluptatis desiderio, sed animo tantum divinum adimplendi consilium, quod est Christianorum numerum multiplicandi, atque Ecclesiæ filios gignendi, qui ad Cœlestem gloriam contendere possint, conjugium est ineundum. *Idem.*

Matrimonium sanctum est, & pro sancto habendum.

Nihil matrimonio sanctius, cum parentes statum suum tamquam publicum bonum spectantes, unanimi, constantique consensu filios suos qui ipsorum gloria, & corona futuri sunt, sancte instituere contendunt; sed nihil funestius, nihilque perniciosius est eo conjugio, in quo parentes statum suum tamquam voluptatis, ac libertatis statum considerantes, parum laborant bona præbituri exempla filiis suis, quos hoc pacto in Christianæ religionis opprobrium, ac Reipublicæ interitum educant. *Idem.*

Mala conjugia sæpe ex filiis proveniunt, qui contra parentum voluntatem ducunt uxores ut libidinem expleant.

Malorum conjugiorum causa sæpe penes adolescentulos est, qui in Sacramento id unum inquirunt, quomodo effrænem libidinem expleant. Incipiunt, fortuito adamare; per habitum prosequuntur; & ex criminosa licentia sæpe mutuum nexum efficiunt. Inde inobedientia, & contra patriam auctoritatem rebellio; postquam seu ducant, seu minime ducant in uxorem futurum cupiditatum objecta, patet, conjugia eorum semper mala futura. Et profecto, si quos vel quas depereunt, non ducunt, primus amor invictus est obex amoris, & concordiæ, quam habere deberent vel cum uxoribus, quas ducunt, vel cum viris, quibus nubunt; sin autem ducunt, ignis, qui te adhuc integra adeo flagrans, & ardens videbatur, & qui libidinis tantum imagine excitatus, vel impedimento irritatus erat, tepescit, atque extinguitur statim ac illi satisfactum est, ac nullus reliquus est obex, qui superetur. *Abbas de Montmorel sermone jam memorato.*

Conjugii dignitas, & sanctitas.

Fatendum est Deum insignem hominibus contulisse gratiam, ubi voluit instituere Sacramentum, ut inter illos firmaret conjugia, quæ ad supernaturalem ordinem extulit, & quorum illi ipsi ministri sunt. Non minimum parentibus honorem impertit Deus, cum illos eligit, ut in Ecclesia filios educent, qui Sancti fieri possint in cœlo; ita ut conjugium Jesu Christi institutione consecratum non sit criminosus aliquis contractus, qualem Heretici quidam crediderunt, neque societas mere civilis, qualis apud Ethnicos erat; immo neque simplex religionis cæremonia, ut in lege veteri, sed magnum Sacramentum, quod repræsentat augustissimum fidei nostræ mysterium in unione Jesu Christi cum Ecclesia. Hæc autem conjugii sanctitas principium est munerum, & officiorum, quæ imponit, quorum præcipuum est, hunc statum ob christianas rationes amplecti, in quibus caro, & sanguis nullam partem obtineant. Quo magis animalis homo conatur unionis hujus puritatem corrumpere, eo magis ab homine spirituali sanctificari, attollique debet; etenim quemadmodum præstantissima quæque fiunt deterrima, ubi corrumpuntur, ita sæpe ea quæ in labem, vitiumque magis vergunt; fieri possunt perfectissima, ubi per gratiam expientur. *Essais de sermons* pro secunda post Epiphaniam Dominica.

Conjugii jugum est molestum & nodus indissolubilis.

Inter conjugii pœnas, quid gravius hac servitute, quæ nonnisi cum vita finem est habitura? Conjugium enim vere servitus est, S. Ambrosius inquit, eamdem ob causam, quia est Sacramentum in indissolubili nexu consistens. Si Dei Filius matrimonium in ordine naturæ reliquisset, ad summum contractus esset civilis, qui frangi posset iis in occasionibus, quæ id exquirerent. Docent historici prophani divortium apud veteres licuisse; & in veteri etiam lege non deerant quædam legitimæ causæ, propter quas vir uxori libellum repudii dare posset. Sed in Jesu Christi Ecclesia postquam Deus conjugio tradidit virtutem repræsentandi unionem corporis sui cum Verbi persona; hoc sacramentale vinculum æque indissolubile est, ac unio, quam repræsentat. Ita Sacer hic nodus, qui irrevocabili nodo alteri personæ nos alligat, vere servitus est. Idcirco Apostoli loqui audientes Salvatorem de conjugii vinculo tanta vi disputantem dixerunt illi; hæc igitur si vera sunt, non expedit uxorem ducere. Hoc non omnes norunt, Dei Filius respondit, & beati sunt, qui continentiæ legem sibi irrogarunt, ut cœlum lucrentur. Hoc ille pacto loquebatur; sciebat enim conjugium plerisque fidelium molestum jugum futurum, cujus pondere premerentur. Namque conjugalis societas infinitis propemodum pœnis conjuncta est, quæ perferendæ quidem sunt, sed quas in sanctum usum transferre paucissimi sciunt, quia non satis habent patientiæ, atque religionis. *Idem.*

Curæ, & molestiæ, quæ in conjugio accidunt.

Quin memorem maximam hanc vim molestarum curarum, quibus hominum vita præpedita est, & quæ in matrimonio magis augentur; attendenda solum est varietas temperamentorum, quæ in duabus occurrit personis, quæ invicem sunt conjugali vinculo adstrictæ; viri prudentis, atque sapientis cum muliere vana, & mundana; mulieris modestæ, ac frugi cum viro intemperante, ac furioso. Quot uxores male habitæ, vel contemptæ gemunt, ac tribulationis pane vescuntur, quem lacrymis miscent, quotiescumque conjugum suorum flagitia, quorum cursum inhibere non possunt, intuentur?

De conjugum officiis.

Quid dicam de officiis, omnino conjugali statui inhærentibus, & viro æque, ac uxori communibus, quales est alterius vicissim, immo etiam filiorum, ac domesticorum salutem operandi? Etenim, o mulier, rationem redditura es animæ viri tui, filiorum, atque domesticorum tuorum. Ideo vitam vivere debes frugi, cum omnium virtutum exemplo, & qualis christianam decet mulierem; illos erudire debes, illos corrigere, illis invigilare. Alter alte-

stius curas lenire debetis, alter alterum ferre, filios alere, educere, illorum defectus, & vitia corripere, interitum illorum vereri, eorumque saluti cooperari. Hæc quidem vestra sunt munera, & onera non levia, pro quibus sæpe cœlestem opem implorare debetis. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Mutuus conjugum amor.

Cum matrimonium sit societas a Deo virum inter, uxoremque ordinata, ejus perfectio in amore consistit, qui illos indissolubili ratione connectit. Amor hic sanctus erit, si illius principium, finis, & causa fuerint supernaturales, si se mutuo dilexerint, quemadmodum præcipit Deus. Si secundum S. Pauli *ad Ephes.* 5. doctrinam meminerint, matrimonium Sacramentum esse, quod Jesu Christi unionem cum Ecclesia repræsentat, si unionem illam tamquam suæ imitari fuerint exemplar; si vir uxorem dilexerit, ut Jesus Christus Ecclesiam, ita ut pro illa mortem subierit; si uxor viro suo ita subdita fuerit, ut divino sponso Ecclesia; si mutuus amor utrumque ad Dei amorem, ac servitutem accenderit. *Author Anonymus.*

Conjugia, quæ efficit avaritia &c. numquam felicia sunt.

Mirantur mortales, ut plurimam inter conjuges parum amicitiæ, & concordiæ inveniri; at equidem fateor, mihi hac de re numquam incessisse admirationem. Quomodo enim matrimonia fiunt, & quo intuitu conjugia instituuntur? Alia quidem per avaritiam: adolescens ille locuples est? plures eidem sperandæ sunt hæreditates? dignitatem aliquam obtinet? In mundo effulgere potest? Hæc ea sunt, quæ quæruntur; non virtus, nec persona viri, sed illius fortuna spectatur; atque inde fit quod ubi duxit uxorem, mutata fortuna, mutatur amor. Nonnisi propter opes amabaris, nisi tantum divitiarum possides, quantum putatur; vel nisi tantum suggeris in aleam, luxum, aliosque ambitiosæ conjugis sumptus, quantum illa requirit, jam nullus amor est; sed lites tantum, indignationes, probra; & fortasse alibi sibi quæret amasium, qui hæc omnia illi abunde suppeditet. Vos autem, mulieres, vosmet beatas existimabatis cum hoc viro, qui tot blanda verba vobis proferebat, qui testabatur, se pro vobis totum sanguinem suum effusurum, sed vos ille fallebat; Pecuniam amabat vestram; ubi bonorum vestrorum partem obliguriverit, vos contemnet, ac irridebit. Alia conjugia ex cæca libidine oriuntur. Puella illecebris suis, affectationibus, blanditiis, lenociniis, ac meditatis artibus, quas præ me ipsi melius nostis, adolescenti huic perplacet. Quamvis non eodem nata sit loco, quamquam consanguinei, & amici id ægre ferant, illam habere cupit; sed illius amat illecebras, non personam; hæc lenocinia, hæc suavitas brevi transibunt. Nondum absolutum erat convivium, cum in nuptiis Canæ vinum defecit. Vix illis nupseritis, o puellæ, cum in sexcentas erumpent injurias, & contumelias; alius quidem errorem suum, alius suam fatebitur calamitatem, alius mœrore conficietur, alium uret zelotypia. *Joly pro secunda post Epiphaniam Dominica.*

Patientia, & mutua indulgentia in matrimonio est necessaria.

Inter ea, quæ in connubiis necessaria sunt, non extremum locum obtinet christiana patientia, & mutua indulgentia. Fieri non potest, ne lis aliqua inter virum, uxoremque suboriatur; nisi utrique plurimum insit moderationis, & lenitatis, numquam inter eos pax erit. Hæc sunt dissensionis semina, S. Gregorius inquit, quæ dæmon salutis inimicus ad eos perdendos serit. Nonnumquam utitur ille inconstantia, ambitione, impatientia, impetu, pertinacia, superbia mulieris, ut virum torqueat, quemadmodum usus est lingua, probris & imprecationibus uxoris Job, ut hujus malis insultaret. Nonnumquam utitur imperioso, feroci, moroso, inquieto, indocili, iracundo viri alicujus ingenio, ut excruciet uxorem. Violentus homo est, qui ad minimum verbum exardescit, qui suspiciosus est, qui, si quid non cedit ex sententia, vel aliquam jacturam patitur in obvium quodlibet iracundiæ, dolorisque sui depromit effectus. Quid in hujusmodi occasionibus faciendum est? Mansuetudine, ac indulgentia vicissim utendum est; neque dicendum, quod sæpe auditur, deterior ergo conditio mea est, quam servi, quandoquidem pati debeo pravum mulieris, quæ mihi obtemperare debet, ingenium; neque illud; ergo serva ipsa sum calamitosior, cum debeam ferre malum viri temperamentum, qui me deberet amare. *Idem.*

Mala conjugia sunt causa malorum omnium, quæ in Christiana religione videntur.

Quemadmodum ea ratio prorsus prophana, atque ab omni Dei consilio prorsus abhorrens, qua conjugia fiunt, assiduaque mala, quæ ibi videntur, sunt funestissima, omnium malorum causa, quæ totam Ecclesiæ faciem miserrime fœdant, ad primigeniæ pulchritudinis illius formam exprimendam satis esset omnes conjugiis abusus reformare, ac illud ad eam revocare puritatem, quam in ipsa habuit institutione. Sed donec avaritia, ambitio, voluptas, vel fors erunt nuptiarum pronubæ; donec in tanti momenti negotio Deus neque consuletur, neque invocabitur; donec qui statum hunc amplecti volunt, inquirent dumtaxat uxoris dotem, quin ullam rationem habeant generis, virtutis, institutionis ejusdem, & puellæ parentes illam nuptui tradituri non aliud spectabunt, quam bona, dignitatem, officium adolescentis, quin illud inquirant, utrum sit sapiens, atque virtute præditus; donec fides conjugalis negligetur, atque ea contemnetur unio, quam adeo arcta affinitas quærit; donec nulla erit cura filios ad cœli hæreditatem educandi, sperandum non est futurum ut vetus christianismi puritas reflorescat, atque desinant mala, quæ jampridem Ecclesiam deformant, simulque sunt causa malorum omnium, quæ late quolibet in statu grassantur. *La Rone, discursu pro altera post Epiphaniam Dominica.*

Maxime interest statum hunc Deo inconsulto minime amplecti.

Si maximi momenti ad salutem est nullum ingredi statum, nisi a Deo fueris vocatus, hæc necessitas tanto magis inevitabilis fit, atque arcta, quo majoribus præpeditus est difficultatibus, ac graviora continet officia status ille, qui suscipitur, ita ut majoribus gratiis ad illa rite obeunda te egere cognoscas. Docet ratio, tunc diligentiores curas esse adhibendas, prolixiores ferventioresque preces fundendas, si minime desint legitima ad statum hunc vocationis indicia. Talis est conjugii conditio, quacumque ex parte suspiciatur pluribus circumundique scopulis septum est, gravia imponit onera, magnaque officia, in quorum multitudine facillimum est ea prætermittere, quæ magis essentialia sunt, maximique habentur momenti. Nonne igitur prudentia interest, S. Chrysostomus ait, nequaquam fortuito tantum hoc negotium aggredi, neque eum ingredi statum, unde egredi minime liceat, cum semel fueris ingressus, quin antea rite perpenderis, utrum a Deo vocatus; utrum hæc ea sit conditio, quam ille nobis indigitavit, ut eidem inservientes salutem nostram operaremur; utrum nobis propriæ, & necessariæ insint qualitates, ut illius onera sustineamus, ejusque munera adimpleamus. *Idem.*

Pro hac, magis quam pro alia qualibet re ad Deum confugiendum est.

Si christianæ pietatis est Deum invocare, ejusque implorare subsidium rebus in omnibus, ne quid contra illius voluntatem fiat, quanto hoc potiori jure faciendum est, cum amplectendus est status pro toto vitæ spatio, præsertim vero status periculis, pœnis, curisque repletus, ac tot calamitatibus obnoxius, qualis est status conjugii? Attamen o deplorabilem cæcitatem! Qui in minoribus periculis divinam opem exposcunt, ubi conjugium ingressuri sunt Deum ne invocant quidem, quamquam quotidie videant quot mortalibus status hic fiat funestus curarum, malorum, crudeliumque sollicitudinum fons. Heu! quot calamitatibus septa sunt ipsa etiam conjugia, quæ felicissima videntur? modo pro earum curarum magnitudine, quæ suscipiendæ sunt, ut familia nimium frequens alatur; modo pro filii jactura, qui parentum erat deliciæ; modo pro lite aliqua, vel negotio cujus ambiguus est exitus; modo pro suspicionibus, & zelotypia, quam verbum temere prolatum accendit in viri, aut uxoris animo, & quæ in rerum omnium affluentia omnem vitæ tranquillitatem perturbat. Hæc omnia proculdubio mirentur, ut illis cogitatis

impen-

suspendatur, & confugiatur ad Deum pro negotio, quod adeo molestos eventus potest habere. *Idem.*

Viro bono, & felicitati familiæ opus est, ut vir, & uxor curas partiantur.

Ad amicitiam, concordiam, & unionem inter virum, uxoremque fovendam quam maxime prodest conjugii munera, & onera partiri, & quomodo vita nostra in publica, & domestica negotia dispescitur; uxoris interest postrema hæc sibi vindicare, ea vero quæ difficilia, majorisque momenti sunt, viro integra reservare. Ad uxorem non pertinet, S. Chrysostomus hoc in argumento inquit, publicis vel belli, vel pacis immisceri negotiis, rei familiaris, negotiorumque domesticorum cura illam magis decet, quam publicis rebus vacare. Providentiæ effectus est, Pater idem ait, quod homines, qui maximis negotiis partes sunt, minus sint minimis, quæ nihilominus prætermitti non possunt; ut gratias habeant mulieribus ob curam, quam gerunt de illis: homines enim illa contemnerent, nisi earum haberent auxilium, ac illa facile præterire possent; altera vero ex parte mulieres, quæ sunpte ingenio superbæ sunt, ac imperiosæ, insolentia intumescerent, si magnis negotiis admoverentur. Quamobrem Deus conjugii onera, & officia divisit, ne mulierum conditio contemptibilis fieret propter inutilitatem, & ut hac divisione inter conjuges firmaretur concordia, cogitantes, alterum vicissim alterius auxilio indigere. *Idem.*

Consueta simul tibi inter conjuges causa.

In plerisque conjugiis non invocatur Deus; metuitur immo etiam, ne hic eorum regat articulos; finis illis propositus non virtus, non salus est, sed vel voluptas, vel bonum aliquod temporale; artes vero quæ adhibentur, sunt dolus, atque mendacium; nulla amplius sinceritas est, plurima autem dissimulatio. Augentur bona, æs alienum minuitur; argentum commodato acceptum, tamquam proprium exponitur palam; genus jactatur, ac plurima servorum caterva oculorum acies perstringitur, ac pro veris ea, quæ commentitia sunt, venditantur. Adhibentur amici, qui per assentationem loquuntur, aut per occasionem, malæ fidei interpretes; quod autem maxime deflendum est, hujusmodi negotii sæpe Sanctuarii Ministri præficiuntur, quibus ea una esse deberet cura, ut ministerii sui dignitatem tuerentur. Hinc ea mala, quæ in plerisque familiis effusa videntur, frigus, tædia, contemptus, lites, divortia. Nullum inveniret finem oratio, si omnia singillatim persequi vellem: dicere satis sit, horum malorum causam hanc esse, quod Deus hæc non fuerit conjugia, & finis, artes, & intentiones nequaquam fuere conformes regulis, quas ille ad matrimonii felicitatem constituit. *Actiones Christiana in S. Anna Panegyrico.*

Conjugis similitudine & ex... pidi... aliqua ...,

Morum similitudo præcipua est conditio, quam Deus ipse *Genes.* 2. in conjugio voluit statuere: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*; quæ quidem omnibus in conjugiis adesse deberet, sed quæ hodie maxime omnium negligitur, cum ambitio, vel avaritia ut plurimum de hoc Sacramento decernat. Ne quæritur quidem cujusnam ingenii sit ille, qui sese offert; utrum vitiis diffluat, an virtute præditus sit: hoc primum quæritur, utrum locuples sit, utrum aliquam obtineat dignitatem, utrum uberes habeat agros, & aliquam speret hæreditatem; minimam etiam fortunæ momenta ad examen vocantur. Sed ubi virtus tantum & præclaræ animi dotes nitent, hic præteritur; connubium tamquam negotiatio inter personam, ac personam tractatur; qui plura habet bona, illi, qui melior est, anteferatur: nihil intentatum relinquitur, ubi temporalis spectatur utilitas, & nullo in discrimine habetur bonum, pravumque ingenium, virtus, & vitium, prudens, ac imprudens agendi ratio illius, cum quo conjugium contrahitur. Hoc unice spectatur, ut opes augeantur, neque metuitur, ne calamitas ingruat, ubi semel jugum fuerit assumptum, cujus violentia, vel crudelitas non aliud habitura solatium est præter mortem. Inde tot mala proficiscuntur, ac ideo reperitur infernus, ubi parvus sperabatur Paradisus. Vir uxorem non diligit; uxor virum odit; alter in immodicos sumptus se tradit, altera in voluptates; domus hæc jam misera est, atque inordinata; quemadmodum mundi spiritus nectit conjugia; ita spiritus idem ea turbat, ac perdit. *Sermo manuscriptus cujus Auctor Flechier perhibetur.*

Quid uxor bona pati debeat a viro non bono.

Mulier adstricta conjugio, quod sola parentum cupiditas consociavit, & quæ meliori nupta viro tranquillam duxisset vitam, sed quæ in reliquum vitæ spatium se videt alligatam viro difficili, moroso, aspero, cujus tamen ingenium ferre, defectus pati, odia, furores, insanias dissimulare debet, quin in eas iras, ac divortia erumpat, quæ semper cum scandalo conjuncta sunt: quantum huic mulieri ferendum est? quot non ferendas cruces domi suæ invenit? Sed quot merita pro cœlesti gloria potest acquirere illas patienter ferens, zelotypi viri rationem habens, quotidie sustinens ingenii vani, ac imperiosi impotentiam, suffocans, dissimulans, oblivioni tradens omnia, & cor suum clanculum coram Deo effundens, in quo uno solatium potest invenire? *Pater Cheminais.*

Qui per avaritiam conjugium ineunt, sæpe vicissim falluntur.

Quinam hodie ille juvenis est, qui uxorem ducturus scire quærat, quænam sit mulier, quam accepturus est, quomodo instituta, utrum probis moribus sit, & irreprehensibili vita. Omnes illius curæ illuc tandem redeunt, ut sciat, quantum bonorum habeat, quantum agrorum, quantum mobilium; emere videtur uxorem, & sæpe etiam conjugium contractus nomine appellatur, & plures audio hodierna die dicentes, talis cum tali contraxit, innuentes, eam in uxorem duxisse; hoc pacto Dei donum dedecoratur, atque Sacramentum adeo Sanctum tamquam negotiatio quædam putatur, velut emptio, atque venditio. In hujusmodi etiam contractibus, quilibet sibi diligentissime caveat opus est, quia in his potissimum fallere quæritur. Et profecto conjugium negotium est, in quo falli non est difficile, & in quo non alius propositus finis esse videtur, quam sese vicissim decipiendi non in iis tantum, quæ ad fortunæ pertinent bona, sed in corporis quoque, animique defectibus, qui post conjugium deteguntur; & qui efficiunt, ut plurimum de illa affectione deperdat, qua alter alterum antea prosequebatur. *Auctor Anonymus.*

Conjuges mutuo defectus suos ferre debent.

Numquid vir statim cum uxore sua divortium facere meditetur propter aliquam illius imperfectionem? Adlaboret immo potius, ut leniter illam corrigat, ut pravum illius ingenium castiget; & licet in irritum cederent conatus omnes, nec credat ideo sibi licere illam relinquere; quia assentiri nequit, ut crus, vel brachium sibi abscindatur, tunc etiam, dum non sperat amplius futurum ut convalescat. Vera unionis, & concordiæ fovendæ ratio hæc est, ut uterque conjux officia sua diligenter obire satagat; uxor virum tamquam superiorem suum, & eum, quem Deus illi dedit in dominum, revereatur; vir autem amet uxorem suam eo modo, quo Jesus Christus dilexit Ecclesiam. Mulier hæc reliquit domum patris, matrisque suæ, ut tibi adhæreret, ne inveniat ergo in te imperiosum dominum, a quo injuriis afficiatur, vel qui eidem rebus in omnibus gaudeat adversari. *Idem*

Uxores subditæ esse debent viris suis.

Apostolus *ad Ephes.* 5. paucis docet, quomodo uxores viris suis subjectæ esse debeant: *Sicut Ecclesia subjecta est Christo; ita & mulieres viris suis in omnibus.* Uxores eam adhibeant viris suis, quam debent, reverentiam, atque obedientiam, tamquam Jesu Christo, cujus erga illas repræsentant auctoritatem; vir enim mulieris caput est, sicut Jesus Christus Ecclesiæ. Quemadmodum Ecclesia subdita est Jesu Christo, oportet etiam uxores rebus in omnibus subditas esse viris suis. Hæc una vox, *in omnibus* sufficit ad prætextus omnes auferendos, ad omnes inanes excusationes dissipandas, ad omnes dubitationes, quæ oboriri possent, solvendas: *In omnibus*, quin aliquid præter culpam excipiatur; facile enim quisque intelligere potest, Apostolum nequaquam significasse, vel docuisse, quod uxor viro debeat morem gerere in iis, ubi læditur Deus. *Cambolas, in libro, cui titulus: Exemplar vitæ Christianæ cap. 5. de Familiarum regimine.*

Mala conjugia unde procedunt.

Si rite perpendatur causa divortiorum, litium, discordiarum, quæ vulgo in familiis videntur, possibi-

Quia Dei auxilium invocatum non fuit.

hæc inde proficisci, quia antequam conjugia statuerentur, Deus consultus non fuit, sed ad illa contrahenda in consilium adhibitas fuisse cupiditates, humanos sensus, & carnis prudentiam, non leges rationis, & Evangelii. Et sane quidnam accidere potest illis connubiis, quibus non religio, & gratia, sed solæ cogitationes, ac perennis divortii desideria interfuerunt? Deus profecto fecit quod debuit, ut diffidia prohiberet, inseparabili vinculo virum, uxoremque conjungens; sed cur cupiditates id, quod possunt minime præstent, quandoquidem in hæc fœdera consuluntur? At quid illæ sæpe naturæ, turbidæ, ac impetuosæ possunt efficere, nisi pariant turbas, ac dissensiones, & id separent, quod Deus arcte adeo conjunxit? *Sarazin t. 2. Adventu.*

Inter conjuges ingeniorum, virtutum, que similitudo requiritur.

Quæ unio, & quæ concordia inter illos esse unquam potest, qui diverso sunt ingenio; & ubi bonorum, ætatis, aliarumque qualitatum æqualitas unioni fovendæ maxime necessaria desideratur; sed ubi potius integra inæqualitas invenitur, ita ut sapiens, ac prudens puella adolescenti flagitioso, ac vitiis omnibus coinquinato, vel vana mulier juveni prædito virtute nubat. Quomodo hæc adeo diversa conciliari possunt? Et quænam esse potest illa societas, quæ in omnem vitam duratura est, ubi alter quidem suis servit affectibus, alter vero moderatus est; ubi devota uxor est, & vir impius, vel uxor furens est, ac iracunda, vir autem lenis atque pacatus? Operosum est hæc inter se adeo opposita conciliari, & perrarum est, quod hujusmodi conjugia turbis, atque litibus sint vacua; etenim quemadmodum rarum est, quod simul vitia conveniant, & affectiones sibi mutuo non adversentur; ita rarum quoque est, quod iidem conjuges pacem servent; & re ipsa minime sint veluti duo contraria, sese invicem evertere, ac vinculum, quo conjunguntur infringere, toto nisu conantia. *Idem.*

Non opes sed virtus spectanda illius est, quæ est in uxorem ducenda.

Cum S. Chrysostomus eos, qui uxorem ducere volunt, hortatur, ne respiciant opum affluentiam, sed bonos tantum mores, innocentiam, & sapientiam considerent illius, quam sibi sponsam assumere cupiunt, non ait Sanctus hic Doctor, nullam omnino habendam esse rationem vel bonorum, vel generis; sed tantum docet, opus esse, ne hoc uno tantum consilio conjugia fiant; & præ cæteris rationem quam diligentissime habendam morum, vitæ, pietatis, aliarumque spiritualium qualitatum, quæ vel solæ efficiunt conjugia locupletissima. Ita illa omnia condemnat, quæ mere ob humanam fiunt utilitatem; tunc enim horum connubiorum auctor Deus non est, & illa sæpe, sin minus solvi possunt propter vinculum, quo conjuges adstringuntur, solvuntur tamen per affectus, qui remittuntur, ac facile dissipantur, ubi humanis tantum rationibus innituntur. *Idem.*

Enormitas sceleris, quod committitur ab iis, qui conjugalem fidem infringunt.

Adulterii gravitas desumitur ex injuria, quæ fit Sacramento, & ex promissæ fidei perfractione. Quod si leges civiles magis austeræ sunt erga mulieres sui oblitas officii, quam erga homines; Dei tamen lex utrosque damnat æqualiter, cumque de mutuo agatur officio, quicumque deficit, æque nocens est in oculis Dei. Itaque vehementer errat, qui putat, cum de pudore, & castitate sermo est viros aliquod præ uxoribus habere privilegium; si enim conjugii leges perfregerint, iisdem subjacent pœnis, & jure; puella enim cur patrem, matremque suam relinquit adhæsura viro, a quo sibi vile scortum, ac prostitute meretrix præferatur? Vos miseros! Si uxoris dotem dissipassetis, Magistratus vos ad ejusdem rationem reddendam adigeret; at si conjugalem perfregeritis fidem, non homini quidem, vobis erit ratio reddenda; at ulciscetur Deus frustrata conjugis jura, & conjugii sanctitatem, quam polluistis. Hoc ipsum dicendum de nupta muliere, quæ sese alteri mancipat viro; frustra oculis viri sui artibus, ac dolis secretam abscondit impudicitiam; numquid fallet oculos Dei, qui, ut Sapiens ait, sunt lucidiores sole, utrinsque hominum vias illuminant? Ut generatim loquar; nullum scelus est hoc magis contumeliosum Deo, & quod illum majori dedecore afficiat. Ideo Scripturas plenas videmus suppliciis, quæ Deus in illos exercuit, qui hac labe infecti fuere; Onam subita morte percussum; Urbem Sichem deletam; Tribum Benjamin cæsam, Amnonem interfectum, Salomonem idololatram factum, Davidem plures in regno suo clades perpessum. Quæ quidem pœnæ animis vestris satis imprimere debent ejus criminis horrorem, quod ita ad iracundiam provocat Deum. *La Font, & Auctor Anonymus.*

Gen. 38. Gen. 34. Jud. 20.

Nuptæ assuefacere viros debent vestium ornatu.

Christianæ mulieres, assuefacite viros vestros ut in vobis id diligant, quod in meretricibus invenire non possunt; at quomodonam illos assuefacietis; nisi abjicientes criminosos ornatus, ac reverentiam, & amorem modestia, & sapientia vobis concilantes. Ita conjugii vestri felicitas erit tuta, viri vestri lætabuntur, vos autem honorem consequemini. Benedicet Deus familiæ vestræ, & vos admirabitur mundus; ita docebitis filias vestras, luxum, & amatorias blanditias, quæ familias dedecorant, ac sæpe etiam evertunt, evitare. Ad hæc scitote rei domesticæ curam præsertim a vobis pendere; cum enim frequentius domi præ viris maneatis, qui vobis integram relinquunt rei familiaris œconomiam; vestrum est illius quam solertissimam curam gerere. Vobis cordi sit servorum æque ac filiorum vestrorum salus; ut sciant fidei mysteria, ad Sacramenta frequentius accedant, & mane, ac vespere Deo preces effundant; vos autem virtutum omnium illis exempla præbere: Hæc sunt vestri status officia. *Auctor Anonymus.*

De motivis quæ filias in matrimonium vel propter ambitionem, vel propter avaritiam tradunt.

Avaritia, amor proprius, ac temporalis fortunæ utilis status movere solent matres, quæ filias suas nuptui tradituræ. Hunc unum sibi proponunt finem: animarum earumdem salute minus moventur; non quærunt, utrum ille, quem filiæ sponsum eligere cupiunt, virtute sit præditus, sapiens, pius, prudens, sed utrum sit locuples, multa cognatione nobilis, forma decorus. Itaque mirum esse non debet, si postquam nos Dei fuerimus obliti, & ipse vicissim obliviscatur nostri, & si malum initio adeo pravos, ac molestos exitus habeat. *Cameracensis Antistes in Christiana instructione pro puellarum educatione.*

Mala dispositio qua ad hoc Sacramentum passim acceditur.

Non miror equidem, nihil æque rarum esse, ac sancti conjugii gratiam, quandoquidem illius munera, & officia ita ignorantur, & plerique fidelium, qui sese aliis præparant Sacramentis per actiones pietatis, ac pœnitentiæ, huic sese disponunt per luxum, per intemperantiam, licentiam, verbo, per ea omnia, quæ in Evangelio damnantur. Puellæ sese ad hoc præparant præter morem calamistris se comentes, ac mundo muliebri ornantes, ut incauti alicujus adolescentis oculos fallant, quin morum puritate, modestia, ac prudentia viri alicujus virtute præditi sibi concilient amorem. Aliis placere gestientes ægre intra exactæ modestiæ fines se continent; quæ res efficit, ut juvenes puellas has vanas fastidiant, quia illas intus, & in cute bene norunt, & quia illarum vanitatem, ac modicum verecundiæ non ignorantes a nuptiis cum iisdem contrahendis abstinent, veriti, ne illæ immodicis sumptibus rem familiarem evertant, & ne cum bonorum, honorisque virilis jactura, aliis adhuc placere concupiscant. *Idem.*

In conjugii statu sanctitas, & sublimis perfectio potest acquiri.

Cum matrimonium institutione sua, fine, ac mysterio, quod repræsentat, sanctum sit; liquido patet in eo homines sanctificare se posse, illam perfectionem acquirere, quam Deus ab illis exigit, quos ad hunc evocat statum, quemadmodum tot sancti viri in veteri, novâque lege fecerunt; posse amare Deum eique inservire, omnesque virtutum actiones exercere, quæ cum hoc statu simul possunt inveniri. Quod si quis objiciat; S. Paulum in prima ad Corinthios Epistola & conjugio loquentem ibi aliquod ad perfectionem impedimentum nancisci, eo quod eorum, qui conjugali vinculo adstricti sunt, cor divisum est: (vir, inquit ille, cor suum Deum inter, & uxorem partitur, & uxor suum Deum inter, & virum; quam

cordis

cordis divisionem, satis ostendit Apostolus, ab ipso censeri perfectæ Dei servituti contrariam, quandoquidem fidelibus suadet, ut si possunt, a vinculis conjugii expedit remaneant, in statu de Deo uno cogitandi remansuri.) Verum est tamen, & hoc in sensu Apostoli verba intelligenda sunt, a Deo non eamdem requiri perfectionem in conjugatis, ac in iis qui in cælibatu, ac religione vivunt; & quemadmodum varii sunt in sanctitate perfectionis gradus, in conjugio ad illum perveniri posse, quem Deus petit ex iis, qui in hoc statu reperiuntur; & accidere etiam, ut quamvis status hic non sit æque, ac religiosorum perfectus, non desint tamen qui perfectiorem ducant vitam, & qui in cœlo majorem sanctitatis lauream consequentur, quam alii plures, quia in statu minus perfecto fidelius, diligentius, atque puriori cum intentione omnia officia obire studuerunt. *Auctor Anonymus.*

Quomodo vir, & uxor sibi mutuo opem ferre debent in morbis, aliisque vitæ casibus.

Quicumque morbus, quæcumque infirmitas, quodcumque accidat infortunium alterutri conjugum, qui sese mutua charitate prosequuntur; alter qui scit non conjugalis tantummodo status, sed humanitatis esse vicissim compati malis, quibus premuntur, ipsam instaurare debet benevolentiam, ac indesinenter supremum flagitare Dominum, ut sin minus in se illud transferre velit malum, saltem illud partiri, suæque justitiæ pro una duplicem mactare victimam velit. Hac in occasione charitas expromere debet quidquid habet fervoris, generositatis, perseverantiæ; & quod in hac occasione testatur; idem esse debet in omnibus vitæ casibus, atque in ipsius effœtæ senectutis infirmitatibus. *Desumptum ex libro, cui titulus: Rationes servandæ pacis in conjugio.*

In alterutrius conjugis morte superstiti quid faciendum.

Intulogitne mors sacrum illud vinculum, quod Sacramento arcte adeo fuerat adstrictum? gratia efficere debet, ut naturæ ipsi vis inferatur, ut hæc jactura ea submissione feratur, quæ illis digna sit, qui ex ipso conjugii sui primordio Dei voluntatem tamquam propriæ normam sibi proposuerant, qui didicerant nos non ideo nasci, ut vivamus, sed ut moriamur, ita ut id quod vitam dicimus, proprie loquendo non aliud sit quam morbus nos ad extremum finem adducens. Ita cum illi sese irrevocabilibus divinæ providentiæ mandatis submittant, opus est, ut qui superstes remanet, oculos alteri claudat, quem Deus priorem vocavit, atque extremo hoc officio ea absolvat munera, quæ Sacramentum ipsi imposuerat. Deinde lacrymæ illius esse debent Christianæ, quæ debent impendi ad divinam misericordiam flectendam, non obliti, si eorum in terris perfracta conjunctio est, in cœlo tamen non debere interrumpi per communicationem precum, quas superstes effundere debet ad maturandam demortui beatitudinem, cui aliquid adhuc superesset divinæ justitiæ persolvendum. *Idem.*

Cur S. Paulus sanctam familiam vocet domesticam Ecclesiam.

Veritas est satis superque confirmata, conjugium a Jesu Christo ad Sacramenti dignitatem evectum fuisse ad indissolubilem repræsentandam unionem, quam cum Ecclesia sua contrahere dignatus est. Hinc inferuntur officia, & munera eorum, qui statum hunc amplexi sunt: videlicet unio animorum, mutua auxilia, reciproci affectus, præsertim vero inseparabilis hujus affinitatis nodus numquam infringendus. At S. Paulus, qui in Epistola ad Ephesios *cap. 5.* hæc omnia collegit officia, familiam, ubi hæc omnia religiosius servantur, Ecclesiam domesticam vocat: *Salutate Priscam, & Aquilam adjutores meos, & domesticam Ecclesiam eorum*; ut ostendat eos, qui hoc Sacramento conjuncti sunt ex privatis domibus efficere debere particularem Ecclesiam; videlicet domum orationis, viventes sumet ipsorum hostias offerre, filios, servosque edocere, curam habere, ut Deo serviatur, atque, ut verbo me expediam, exercere omnia, quæ in Ecclesia fiunt ad promerendas gratias, & benedictiones, quas Deus generatim super Ecclesiam effundit. *Auctor Anonymus.*

Undenam [illegible] di-

Nostin' unde oriantur discordiæ, atque magis insignes familiarum divisiones? ex harum causarum alterutra, vel ex pravo uxoris ingenio, vel ex mariti furore; illic quidem mulier erit affectuum vario æstu agitata, quæ postquam, tamquam recens Jacobi conjux, insociabili ingenio pacati viri patientiam delassaverit, reliquum fellis in innocentes victimas effundet, in filios videlicet, quibus non alia noxa est, nisi quod bacchantem sortiti sunt matrem. Hic vero violentus est vir, qui ad levissimam occasionem, & ob minimum verbum exardescit, cui facile de omnibus susceptiones subinde oboriuntur, & qui mœrore confectus, quod res aliqua male cesserit: pœnas ex uxore deposcit, efficitque per duritiem suam, ut illa indissolubilis vinculi nimis diuturnam durationem execretur. Si hujusmodi in occasionibus, qui conjugio vincti sunt, meminissent necessitatis, qua alter alterius defectus ferre tenentur, ne illi quidem in hos excessus parcius erumperent. Attamen furit vir? uxor magis adhuc furit. Aliquid ne poscit maritus? uxor contrarium exigit, idque eo pertinacius, quo iniquius; unde fit, ut insociabile alterius ingenium, alterius vero inflexibilis pertinacia quam primum in familiam conjiciant discordiæ spiritum, qui & filios pauperes, & parentes efficit noxios. Hic iracundus vir est in singula momenta in iras exardescens; ibi uxor imperiosa, cedere nescia. Hinc oritur in familia infelix commixtio mortalium male conjugatorum. Hujusmodi in occasionibus ea requiritur indulgentia, de qua Apostolus loquitur: *Supportantes invicem*; quæ si adesset, nullæ jam audirentur querelæ, nulla jurgia, quæ virum inter, & uxorem mirum quam frequenter audiantur. Numquid, hæc inquit, deterior, quam ancillæ, erit conditio mea, si quotidie ferendum mihi fuerit pravum hominis ingenium, a quo amari deberem? Numquid, alter addit, servo calamitosior ero, ut patiar mulieris, quæ mihi obedire debet, libidinem? Unicum Apostoli verbum has omnes tempestates sedare deberet. *Supportantes invicem. Ex libro, cui titulus: Regimen familiarum.*

Scandala in familiis oriantur.

Monita mulieribus sub asperorum virorum capitivitate gementibus.

Desolatæ mulieres, quibus fortasse Deus virum consociavit, qui vestra crux foret, & qui in teterrima captivitate vos detineret; hoc in loco ad examen non revoco, utrum vosmet vobis tantam hanc tempestatem conflastis propter cupiditatem in domibus vestris imperitandi, propter nimis frequentes liberasque hominum visitationes, quæ nonnullam viris vestris ingerunt suspicionem. Quomodocumque sit, magnum repente furores eorum sedandis consilium est ad lenitatem, atque patientiam confugere; auferre ab oculis eorum furoris, iraumque materiem; in aliis certaminibus si iteratis ictibus adversarium premas, illum prosternis; in hoc autem cedendo triumphus reportatur. Donec violento restiteritis viro, agitatione vestra oleum camino addetis. Torrenti similis est contra oppositum vallum assurgenti, quo ablato statim detumescit. Ne imperiosæ ultra sitis, viri vestri non erunt ultra iracundi; & quo erga illos vos leniores, ac indulgentiores præbebitis, eo magis de sua erga vos severitate remittent. Uterque evitate cum simul estis, quemdam altercationis, & contentionis spiritum, quo fit, ut quilibet pro se rationem stare velit ostendere; inde enim lites oriuntur; & cum vox aliqua alterutri elabitur, periculosissimum est illam in arena statim exaggerare, hoc enim magis, magisque exasperat animos. *Idem.*

Duæ variæ descriptiones, altera quid mulieris de re familiari sollicitæ, altera mulieris rem domesticam negligentis.

Non sine voluptate legi possunt duæ, eæque variæ descriptiones, quas in Sapientiæ libro nobis Biblia reliquerunt, altera quidem laboriosæ mulieris, ac familiæ regundæ vacantis; altera vero inertis, & rem familiarem negligentis; audite quæso utramque, & quid discriminis inter mulierem utramque intersit, advertite. Altera quidem per diligentiam congregat, quod per inertiam altera dissipat. Illa, Scriptura *Prov. 31.* inquit, pro filiorum suorum bono, *manum suam misit ad fortia*; at hæc viris tantummodo, mulierbusque mundo

ac

ac ludis vacat; hæc ipsius est disciplina. Illa non dedignatur fusum volvere, ut domi suæ necessitati prospiciat: *Digiti ejus apprehenderunt fusum*; hæc vero tota die non aliud quærit, quam mane e strato surgere, ut vespere cubitum eat; Cum nihil habeat, quod agat, se ipsam comere, ac ornare satagit, ac infelici faciei eum fucum allinere, quem natura eidem negavit; vel in insanos sumptus nimium creduli conjugis opes erogare. Illa manum, crumenamque aperit pauperum egestatibus: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem*; hæc autem non satis divitiarum habet, quas absumat in alea, sericam vestem gerit, & cor ferreum pauperum lacrymis obduratum. Illa domesticorum suorum mores scrutatur, ad evertenda peccata semper vigilans, ac intenta, atque hæc faciens non comedit panem, quem labore suo non comparaverit: *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*; hæc vero ne jucundam turbet inertiam, qua fruitur, nullum patitur sibi verbum fieri, vel de filiorum educatione, quos externæ providentiæ curis relinquit, vel de servorum profectu, quos posita mercede defraudat. Ita videte, quæso, diversam duarum harum mulierum sortem; prior illa filiorum quidem sibi reverentiam conciliat, qui illius virtutem concelebrant, viri autem amorem, qui illius sapientiam admiratur; *Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam*; hæc vero ab omnibus contemnitur; filii quidem, quorum perdita res est, in illam rebellant: vir autem illam pati non potest. Eam domestici aspernantur, & populus dolet vicem viri, cui providentia talem uxorem destinavit. *Idem*.

Conjugia sæpius ex avaritia ut plurimum fiunt.

Quamvis conjugium aliquid sanctum sit, numquam tamen sancte administratur; in eo majorem semper cupiditas partem sibi vindicat, quam ratio; at non ideo tamen eadem semper cupiditas illius sanctitatem corrupit. Olim studium, & amor consulebatur, nunc sola fere avaritia consulitur. ideo tot videntur male consociata conjugia, quia non spectatur amplius personarum conditio, sympathia, ingeniorum similitudo: sufficit omnia ad id referri studia, ut plurimum videlicet afferatur argentum. Idcirco tot infelices in conjugio videntur, quia conjugium ineuntes, ad felicitatem satis esse divitias crediderunt: *P. de la Colombiere. Sermone pro Virgine religionis vestem induente*.

Zelotypia in conjugibus crudelis affectus est, ac plerumque injustus.

Zelotypia, ac suspicio de conjugis fide sæpe ad furorem, ac injustitiam procedit. Hæc insana est animi ægritudo, cæcusque furor, familiarum pacem perturbans, ac sæpe ad funestos exitus eos rapiens, qui sese illi tradunt. Ater, improbusque humor est, apud quem perfectissimæ etiam virtutes suspicione non vacant, qui integerrimas etiam actiones culpa vacare non putat, qui omnia inficit veneno, qui se videre credit, quidquid veretur, & qui, ut S. Chrysostomus animadvertit, iis etiam, quæ magis incredibilia sunt, adhibet fidem. A crudeli hac passione quam diligentissime cavendum est. *Idem*.

Dissensiones [illegible] quæ inter conjuges sæpe ob levia oriuntur.

Viro, & uxori unum cor esse debet, spiritus unus: eadem habere debent desideria, eosdem sensus, affectiones easdem; verbo, unum sunt, nequaquam considerandi sunt, tamquam duo separati, quia una sunt caro, neque hominis est, id separare, quod adeo arcto vinculo conjunxit Deus. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Matth. 19. Quam parum inter homines observatur lex ista adeo sancte instituta! Quid vulgatius est, & quid viros inter, uxoresque frequentius videtur, quam discordiæ, antipathiæ, dissidia, quæ cum vita ipsa permanent, atque nonnisi post mortem cessant? Illud vero magis mirum est, quod cum nulla momenti alicujus suppetit ratio, quæ pacem perturbare possit; cum nullam habeant causam, propter quam invicem conquerantur, cum immo eæ adsunt qualitates, quæ in illis mutuam alere deberent existimationem, ac benevolentiam, attamen propter nugas dissentiunt. Vel minima res quælibet illos ad iracundiam provocat, ac sæpe jurgia parit, & inimicitias; privatas quidem inimicitias, quæ licet simulatæ sint, neque extrinsecus prodeant, immortales esse non cessant. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in Evangelium Sancti Matthei*.

Conjugia sæpe infelicia sunt, quia in illis contrahendis [illegible] non petitur.

Harum vero dissensionum, horumque malorum, quæ in conjugiis accidunt, causa hæc sæpissime est, quod eorum Deus auctor non est, neque de hoc viro, & muliere matrimonium contrahentibus dici potest: *Quod Deus illos conjunxit*. Conjugia hæc rationibus, & considerationibus, quæ mere humanæ sunt, fiunt, propter familiarum dignitatem, utilitatemque junguntur. Quemadmodum nulla in illis Dei pars est, neque Deus in illis vocatus est, & nihil in iis minus spectatur, quam Dei gloria, & contrahentium sanctificatio, mirum esse non debet, si exitus eorum semper sunt infelices. *Idem*.

Mala, quæ consequuntur matrimonium.

Salvatoris discipuli qui ea mala videbant, quæ in conjugiis accidunt, secundum ea, quæ sibi a divino Magistro declarata fuerant, dixerunt illi, si res ita se haberet, nequaquam expedire mortalibus sese conjugali vinculo adstringere, in quo servari minime posset quies, & pax, quam illi omnes sibi proponere debent, qui hunc statum eligunt, & ingrediuntur. Vir se expositum videt pravo suæ uxoris ingenio, illius iracundiæ, anxietati, æquis iniquisque suspicionibus, mobilitati, levitati, dicamus etiam infidelitati, & cordis improbitati. Quibus omnibus si regimen accedat familiæ, cura institutionis filiorum, dolor, quo patres anguntur, ubi expectationi non respondeant, vigilantia, qua eorum fortunas student provehere, bonorum jacturæ, quæ nimia frequentes sunt vel propter malam rei familiaris curam, vel propter hominum iniquitatem; omnes denique hæ rationes, aliæque plures nimis validæ sunt, ut homines ab eo statu deterreant, quem tot mala consequuntur. Quandonam igitur felicia erunt conjugia? Numquid habenda sunt tamquam status prohibiti, ac illegitimi? Haud ita sane; sancti immo erunt, cum Divini spiritus afflatu fient; cum viri, & uxores sibi ob oculos Dei gloriam proponent, cum Dei cultum, ac sui ipsorum sanctificationem inquirent. *Idem*.

Justitia divina in hac etiam vita punit, qui ad hunc non vocati statum, Deoque [illegible] ineunt conjugium.

Operæ pretium est scire, Dei justitiam satis crebro peccatorum supplicia in alteram vitam differre; sed in sancti matrimonii prophanatores non solum in hac vita, verum ipsius etiam primis sacramentalis eorum unionis temporibus, incipit animadvertere, fastidiis, doloribus, pravo uxoris, aut viri ingenio, nulla, vel nimia sobole, contentionibus, morbis, jacturis, præsertim vero illos cogens toto vitæ spatio cum domestico cohabitare inimico, a quo separari non possunt. Dici quodammodo potest, S. Paulum has omnes conjugales calamitates nomine tribulationum carnis indigitare; verum nihil aptius ad eas exprimendas excogitari potest verbo, quo utitur S. Basilius, qui conjugium *Officinam dolorum* appellat. Quod ostendit quammaxime interesse Ecclesiæ, Reipublicæ, familiarum, ac singulorum hominum nosse, quænam fuerint Dei in hoc Sacramento instituendo consilia. *Liber, cui titulus: Regula Christiana ad conjugium ingrediendum, ac in eo sancte vivendum*.

Pauci admodum advertunt ad eam, quam ingrediuntur [illegible]

Nihil inter homines conjugio frequentius, nihilque ignotius, quam hujus adeo communis conditionis officia. Plerique eorum, qui hanc aggrediuntur, externam duntaxat illius speciem, & quid in illa carnale, terrenumque est, spectant; nullo pacto quærunt munera, quæ in ea continentur, neque maximas eadem christiano more obeundi difficultates. Hoc totius vitæ aggrediuntur iter, quin sciant, quo eundum sit, & quæ via sit calcanda, atque cum externa persona indissolubilem contrahentes affinitatem vix norunt quinam, vel quænam in hac vita futurus, futurave sit. suæ vel felicita-

licitatis, vel infelicitatis comes; sed qui, vel quæ non æterna futura est causa ejusdem & in hac vita, & in tota æternitate. *Auctor Recens & Anonymus.*

Malorum quæ in familiis accidunt causa hæc est, quod in conjugio ineundis aliud quodvis præter Deum consulitur.

Plerique eorum, qui ducunt uxorem, antequam sese conjugio implicent, nequaquam Jesum Christum accersunt, ut ipsorum nuptiis intersit; hoc est, non consulunt Deum, qui oraculum est, sine quo aliud quodvis consilium nonnisi periculosum, ac fatale esse potest. Undenam putas proficisci hoc frigus, hanc incuriam, contemptum, zelotypiam, injurias, divortia, bonorum dissipationem, pravosque negotiorum eventus, qui tot familiarum interitum creant? Hæc sane causa est, quod pleraque connubia suadentur non quidem a Jesu Christo, a quo reprobantur; sed a Dæmone, qui illis præest; hæc est, quod cum ducitur uxor, ea tantum consulitur libido, quæ mentem excæcat, vel utilitas, quæ vel ab invitis consensum extorquet, vel oculi, qui se decipi sinunt ejus objecti lenociniis, quod nihil intentatum reliquit, ut fucum faceret; vel quod mendacis amici, qui se corrumpi passus est, ut nos corruptus corrumperet, consilium amplectimur. Hæc est, quia parentes suam potius utilitatem, insanamque ambitionem provehendi familias suas in posteris, quam rationem, & Spiritus Sancti lumina consulentes minus quærunt utrum ille, cui filiam in uxorem tradere cupiunt, frugi sit, ac bene moratus, an utrum insignes obtineat dignitates; & numeratam pecuniam, agrosque plurimos possideat. *Auctor Anonymus.*

SUPPLEMENTUM.

DEus ex Matrimonio fecit Sacramentum; Sacramentum, S. Paulus ait, quod magnum est in Jesu Christo, & Ecclesia: Sacramentum, cujus prototypus est unio Verbi increati cum humana natura, & sancta affinitas incarnati Verbi cum Ecclesia illius sponsa. Itaque Matrimonium non est mere civilis societas, ut apud Ethnicos, neque simplex Religionis ritus, neque figura simplex, aut Sacramentum inane, & imperfectum, qualia erant veteris legis Sacramenta: sed verum Sacramentum, vere continens gratiam sanctificantem, eamque communicans illam in gratiæ statu recipientibus; simulque conferens iisdem jus sancte nomen illud gestandi, quod Deus assumere dignatus est erga nos, nosmet sibi adoptans in Filios. Aliter humanas affinitates jungere, aliud sibi exemplar proponere, quam illud affinitatis Filii Dei cum Ecclesia, est abhorrere a Sacramenti perfectione, sibi malorum, ac miseriarum fontem aperire, & adire periculum patrii nominis acquirendi augendo subinde numerum & peccatorum suorum, & damnatorum: cum e contra sese componendo ad divinum illud exemplum quod nobis in Ecclesia propositum est, Patris nomen sit in genitoribus nomen sanctitatis, nomen, quod illos ipsos sanctificare potest, simulque per eos potest augere numerum Sanctorum in persona filiorum ipsorum. *Ex libro, cui titulus: Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Tam pro Matrimonio, quam pro Religioso statu vocatio requiritur.

Liquet nemini Religionis statum esse amplectendum, si desit vocatio: sed in mundo homines connubiis se immiscent, quin cogitent, utrum ad eū sint vocati. Attamen non desunt multa salutis pericula in statu conjugali; & insignis est error sibimet persuadere, omnia ibi fas esse. Asserere immo licet in ipso conjugio plures peccandi occasiones inveniri; difficilius enim est sese intra præscriptos fines continere in iis quæ ad voluptatum affectum pertinent, quam procul omnino a voluptatibus vivere. Itaque ad salutem hoc in statu comparandam divina opus est vocatione æque explicita, & forti, ac illa, quæ ad Religiosum statum ingrediendum requiritur. Sed quem sibi proponunt vulgo finem ii, qui conjugalem statum amplectuntur? Hic plerumque culpa non vacat, omnino carnalis est, omnino oppositus sanctitati hujus Sacramenti, in quo Deus nihil spectavit, nisi conjugis utriusque sanctitatem; cum mortales ut plurimum spectent voluptatem sibi cum pecudibus communem. *Idem.*

Conjugum ærumnæ non minus magnæ sunt quia non videntur.

Locutio, qua S. Paulus Apostolus utitur de conjugio verba faciens satis ostendit illud vere jugum esse, & genus quoddam captivitatis. Bone Deus! Quam caro pretio emitur illa voluptas, quam sibi quisque pollicetur! Quot molestiæ! quot tædia! quot suspiciones! quot secretæ ægritudines! quot cruces! quæ quidem non videntur, sed quæ veræ, & graves sunt? Sapientia jubet illas celare; sed ideo sunt acerbiores. Videntur quidem pœnæ in statu perfectionis; non videtur autem unctio gratiæ, quæ illas mulcet; videntur sæculi voluptates, non videntur amaritudines, quæ illas veneno inficiunt. Seria Animadversio de brevitate vitæ hujus sufficeret ad auferendum nobis gustum etiam voluptatum, quæ omni culpæ suspicione carerent. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Impedimenta ac difficultates, quæ a Matrimonio separari non possunt.

Quotcumque virtutibus ornata refulgeat sponsa, conjugium magnas secum semper trahit difficultates. Sexcentæ ingruunt curæ; vix spiritum reciprocare vacat, & de salute sua cogitare. Vir qui ad tranquillum, ac solitarium vitæ genus incumberet, invitus cogitur negotiis sese implicare, ad aspectum natorum quibus circumundique septus est, & uxoris quæ illum cogit, ut magnos eroget sumptus. Nonnumquam licet nolens turbari debet, irasci, minari, exprobrare, ulcisci, propulsare verbis acribus conjugis nimis superbæ impotentiam. Sæpe tenetur connivere, dissimulare, assentari. Potestne Deus non offendi tot inter illius offendendi occasiones? Quot curæ in re familiari! His careres, si uxorem non duxisses. Impedimenta hæc, licet illa virtute sit prædita, & amabilis, evitari vix, & ne vix quidem possunt. Verum si difficilis est, pertinax, superba, arrogans, morosa; quot fastidia, & ægritudines hanc excipient societatem? Liberum esse oportet & mentem his omnibus expeditam habere, ut quis in via virtutis ambulet. Mundi negotia sunt obices, qui nos ab illa deterrent; sed si tot oppositiones sustinendæ sunt; & tot laquei evitandi: malum ingenium, & nequitia uxoris malorum omnium est maximum. *S. Chrysostomus in Opusculis.*

Quomodo esse debeat vigilantia viri erga filios & sibi erga uxorem.

Pater non officit filiorum suorum virtuti, si illis invigilat cum metu quodam, ex quo colligitur, aliquam de illis diffidendi causa: Pater potest sapienter ambigere de virtute filiorum suorum. Adolescentia, ætatis hujus levitas, mobilitas, vividæ affectiones, natura in vitium prona, facilitas ad recipiendas impressiones omnigenorum objectorum, exigunt ab illo curam, quæ nimis tutum esse non patitur: sed vir officit reverentiæ, quam debet virtuti conjugis suæ, si cum timore, ac diffidentia omnes illius gressus scrutatur, nisi re ipsa causam habeat diffidendi. Credere debet illam virtute esse præditam, nisi validas habet rationes propter quas illi negare debeat hanc prærogativam, non autem causam ambiguam. Dubitat de filii sapientia, esto; sed illi dubitandum non est de conjugis suæ verecundia, saltem nisi probabilissima adsit dubitandi causa, nisi de facto constet, & liqueat. Mecum igitur tamquam de jam constituto canone, nullam habente difficultatem sentire, ubi de moribus uxoris agitur, viro neque certam securitatem, neque metum præ se esse ferendum; sed tantum prudentem attentionem, atque vigilantiam; & plerumque hanc sibi legem esse observandam. Sin autem cogeretur ob causam exploratam atque legitimam aliter sibi præcavere, non debet negotium sibi facessere vigilantia timoris plena; immo suo etiam deesset muneri, si se ab iniquitate diffidentia exolveret; diffidentia tamen, quæ operitur quin erumpat, vel quæ non apparet, nisi quatenus opus est, ut sinat sese quasi per caliginem videre, non ut sese penitus ostendat. *Liber cui titulus: Christiani Conjugis officia.*

Matrimonium est insolubile.

Quod Conjugium sit Sacramentum, hæc illius præstantissima est in lege gratiæ prærogativa; sed hoc ipsum illius constituit servitutem. Quare? Quia

hæc

hæc Sacramenti qualitas reddit illud insolubile, & proinde reddit illud jugum, subjectionem, & veluti captivitatem quamdam, ubi homo suam abdicat libertatem. Si Dei Filius reliquisset Matrimonium in ordine mere naturali, hoc non aliud esset quam simplex contractus, ceterorum quidem in officiis suis maxime austerus, at saltem ubi extrema ingrueret necessitas, dissolvendus. Et profecto apud Ethnicos, apud quos leges, & jurisprudentia visæ sunt humanæ rationi maxime conformes, conjugiorum dissolutio probabatur, illa antiquabant, ubi maximi alicujus momenti ratio id posceret; Deus ipse in lege veteri permittebat Judæis, ut uxoribus darent libellum repudii; & licet hanc illis daret facultatem, ut indulgeret duritiæ cordis eorum; hæc tamen legitima erat potestas, qua ut illis integrum erat. Sed in Ecclesia Christiana, hoc est postquam Jesus Christum Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit, hoc secum gerit caracterem immutabilitatis. Ubi semel validum judicatum fuis, semper tale est, licet de vita tuenda ageretur, licet regna integra essent peritura, licet Ecclesiæ universali impenderet excidium, licet omnes terrenæ potestates illi bellum indicerent, Matrimonium hoc subsistet, & ad mortem usque vigebit, quæ una omnia dissolvit. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Conjux uterque alter alterius onera ferre debet,

Si vir lenis est, & uxorius; uxor vero morosa, incommoda, importuna; si hæc fastum, sumptumque diligit, si imperfectionibus diffluit: oportetne, ut ille hujus pravum ingenium, libidinemque animo ferat æquo, & suppeditet aurum in quoscumque sumptus insanos, quos illa voluerit? E contra si uxor modesta, & tranquilla est, vir autem violentus, iracundus, ferox, superbus propter opes suas, vel dignitates; illam habet mancipii loco, quomodonam hæc poterit cogi, ut vivat sub adeo tristi servitute, præsertim si vir conjugis suæ nullam habuerit indulgentiam aut rationem? Patienter sustinete vinculum vestrum, S. Paulus ait, non nisi post conjugis vestri obitum liberi eritis; sed donec vivit, vobis adnitendum est, ut illud mulceatis, atque deliniatis, alioquin omnes illius ægritudines, pravumque ingenium vobis erunt perferenda.

Sponsus zelotypia laborare non debet.

Si quis ad zelotypiam pronus sit, eademque temere, & sine causa laboret, numquid hoc calamitosius aliquid fingi potest! Hæ curæ nonne imitantur aciem, ubi manus semper conseruntur. Ille plenus est mœrore, suspicione, tumultu. Zelotypia laborantium status non est melior, quam insipientium. Illi irritantur, & in singula momenta contra omnes furunt. Domestici pravos experiuntur mali eorumdem ingenii, & iracundiæ effectus. Gaudium, suavitas, voluptas procul exulant ab eorum domibus, ut locum faciant ægritudini, dolori, desperationi. Zelotypus sive domi lateat, sive prodeat, secum defert omne malum, quod ipsum rodit, & torquet; non solum tædio obrutus est, sed illi non desunt furoris impetus, quibus sapitur extra se. Malorum horum minimum satis est, ut miserum faciat, qui eodem laborat; verum si ea simul patiatur universa, quomodonam illis resistere poterit? *Idem.*

Uxor non debet unquam zelotypiam alere.

Si uxor hoc morbo laboraverit, quod satis crebro accidit, longe calamitosior erit, quam vir; neque enim fas est illi iisdem armis uti, contra illum, neque eum intra privatos parietes retinere. Huic domestici non audebunt obniti, non illius explorare facta, neque illum domi concludere. Mulieri numquam proderis dolorem, itaque suam testari; neque enim vir æquo animo semper illius questus, & probra feret; & sentiet illa, non melius sibi consilium esse capiendum, quam tacere. Hoc in statu reperitur, ubi res intra infidelitatis suspiciones, & viri sui dolos se continent, sed ubi hujus infidelitas comperta, explorataque sit, nihil inausum, ac tentatum relinquit, ut pœnas ab illo reposcat. Muliere nonnumquam ad venena, magicasque artes confugerunt. *Idem.*

Ægritudo quæ in matrimonii statu habetur.

Ita est, vos qui uxorem ducitis, incidetis fortasse in uxorem, quæ fortasse dedecus erit vestrum; sæpe supplicium, semper impedimentum. Esto, non sit tibi mulier insipiens, quæ in ludibrium traducere valeat nomen tuum, vel insignes in domum tuam inferre tumultus; esto, sapiens tibi erit uxor, quæ tamen querulo ingenio suo virtutem compensabit; & inveniet artem in partes suas vulgi sermonem conciliare, tuam patientiam exercens. Vos autem, quæ nubitis, virum invenietis omnibus charum, non vobis; aliis omnibus nimium in modum indulgentem, domi vero suæ durum, & asperum. Exterius quidem flores fundet, intus vero spinas reservabit; omnem sibi libertatem vindicabit, vestram vobis auferet, illam etiam conquerendi. In familiis etiam extrinsecus, optime institutis videntur homines, qui neque ab invicem separari possunt, neque ultro citroque sese pati; & qui quin sibi bellum indicant, pacem servare non possunt. Filiis carent? Doloris causa est. Filios habent? hi vel virtute, vel ingenio destituti sunt; miseri, & ingrati. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

Quam timenda in conjugio zelotypia,

Zelotypia magis metuenda, quam fames est, quam morbi, quam ferrum, & ignis. Qui illam experti sunt, de eadem satis digne verba facere possunt. Quis consolari hominem potest, qui æternis lancinatur uxoriæ fidei suspicionibus? Quibus oculis hanc potest intueri? Attamen hac nihil illi charius esse debet. Quocumque se vertat, nonnisi ægritudinis causas intuetur; intercisos dumtaxat somnos trahit; metuit, ne mensa sibi sit in laqueum ad se decipiendum, sibique venenatis dapibus mortem inferendam. Amici nullum ipsi afferre valent solatium; negotia, conversationes, voluptates malo ipsius mederi non possunt. Jure Salomon morti zelotypiam comparabat. *Sanctus Chrysostomus in Opusculis.*

Manifesta pericula conjugiorum sæculi, & pravi eorum effectus.

Si ad examen vocentur circumstantiæ, & qualitates nuptiarum mundi, nihil occurret ex iis, quæ constituunt caracterem nuptiarum Sanctarum Filii Dei cum Ecclesia. Diceres e contra affinitates, quæ per magnum hoc Sacramentum nectuntur, hodierna die contractus esse, ubi ultro citroque conjuges emuntur, & veneunt. Immo in contractibus nuptialibus magis cavendum, quam in ceteris est. Quemadmodum circumstantiæ nuptiarum prorsus oppositæ sunt illi affinitatis Divini Verbi cum Ecclesia; ita fructus, qui inde existunt longe differunt; quippe inde orti filii vulgo inordinati sunt, corrupti, nequam. Sese impedire humanæ societatis nexibus, cum plurimis defectibus; res adeo communis est, & cujus effecta adeo parum reformidantur, ut omnes fere huic generi tentationis succumbans. Concede, quæso Domine Deus, ut adeo bene periculosos hujusmodi affinitatum sentiamus effectus, ut defectus earum evitare valeamus. Si intra me agi quodammodo sensero, ut propositas mihi nuptias eligam, ac videro me ibi saluti meæ commode consulturum: illas amplectar. Verum si prænoscis, Domine, salutem meam ibi periclitari, virum sua lenitate, ac vitæ sanctimonia nihil ad conjugis suæ sanctificationem conferre, nihilque uxorem modestia, & pietate sua ad sanctificationem viri sui: largire nobis hanc gratiam, ut hanc perturbes affinitatem. Quid enim hisce temporibus videtur in Connubiis, quæ sine vocatione junguntur, nisi turbæ, furores, injuriæ, omnium generum mala, divortia, secessiones, quæ ingenti cum mortalium scandalo dividunt, quod Matrimonium sancte conjunxerat? *Ex libro, cui titulus: Modus recitandi Orationem Dominicam.*

MEN

MENDACIUM,

Duplicitas, Calliditas, bona Fides, Sinceritas, Christiana simplicitas.

MONITUM.



IN Concione de fidelitate, & bona fide, qua cum hominibus agendum est, necessario omnes hi tituli sunt attingendi; ita ut quacumque ex parte hoc argumentum spectetur, sive contra duplicitatem, atque mendacium invehatur Orator, sive ad sinceritatem, rectitudinemque cohortetur, verborum discrimen ordinem quidem; non autem materiam & sermonis argumentum immutet juxta canonem illum, quem toties attulimus, non posse aliquem efficaciter ad virtutis exercitationem impelli, nisi ab opposito vitio deterreatur.

Huic nihilominus argumento id inest peculiare, quod virtus, oppositumque vitium facile dividi possent, ac seorsim pertractari, atque sermo intra hos cancellos coerceri, exempli gratia, ut ab astu ac mendacio avertatur, vel ut ad bonam fidem rebus in omnibus servandam excitetur Auditor. Attamen, licet hoc argumenta simul invicem quodam veluti vinculo nexa cohaereant, integrum mihi esse ratus sum, de illis sub uno titulo pertractare; operosum enim esset multum copiae suggerere, quae alterutri argumento ita esset accommodata, ut nullo pacto alteri conveniret. Fatendum est tamen hoc ipsum cum aliis pluribus, de quibus egimus, nexum quemdam habere, veluti cum hypocrisi, quae simulatio est, ac species mendacii; cum adulatione, quae fallit, & seducit; cum proditione, & perfidia, quas aliis titulis adjecimus; de quibus pauca tantum, obiterque in praesenti attingemus. Caeterum argumentum hoc quocumque vertatur, magnam exigit morum enumerationem, quoniam, officia omnia, omniaque negotia respicit: praeterquamquod magna rerum, instructionum, & characterum varietas exigit, ut totam vitae rationem quocumque in statu, & conditione amplectatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. Inceritati, bonaeque fidei civilis societas innititur; omne commercium incumbit; ac per eam inter homines pax, & concordia fovetur. Nullum ergo utilius, & in quo mortalium omnium res agatur, argumentum pertractandum assumere possum, quam de sinceritate, bonaque fide, qua omnibus in rebus agendum est, sermonem instituens. Verum quemadmodum ubi de re agitur privata mortales fere nullo habent in discrimine sanctissimas, sacratissimasque leges, ad sinceritatem, bonamque fidem servandam, nulla re melius excitare vos posse credidi, quam si vobis meridiana luce clarius probavero: 1. Spiritui Dei, & Christianae religionis nihil magis adversari, quam spiritum mendacii, versutiae, & calliditatis. 2. Nihil hoc magis contrarium esse humanae, & civili societati, quoniam haec est omnium turbarum, & dissensionum, quae ibi accidunt, causa. 3. Nulla re majorem mentis, & cordis corruptionem indigitari, quam habitu mentiendi, atque in omnibus, quae aguntur negotiis, dolum, atque astum adhibendi. Haec est totius concionis partitio.

1. Nihil magis adversatur spiritui Dei, & Christianae religionis, quam mendacium, dolus, & sinceritatis defectus: quis enim nescit, Deum eamdem esse veritatem, aequitatem, ac immutabilem rectitudinem: illum in promissionibus suis fidelem esse, inquit Apostolus; & totum Caeli ordinem, totamque rerum naturam potius defecturam, quam vel unum *jota* ex lege, quam tradidit, & ex verbo illius interiret. Dolus ergo, & simulatio naturae, ac maxime essentialibus dotibus ejus adversantur. Quamobrem quantum diligit veritatem, justitiam, fidelitatem, bonamque fidem, tantum odit mendacium, astum, atque versutiam. Hoc ille passim in Scripturis testatur; & nullum peccatum est, quod se magis perhorrescere ostendat, vel in quod majori animadvertat severitate, quia nullum est, a quo majori afficiatur contumelia. Quae cum meridiana luce clariora sint, dici ne potest Dei spiritus hodierna die super terram, atque inter homines permanere, ubi palam grassatur infidelitas, versutia; & adeo modicum bonae fidei in commerciis, justitia, omnibusque conditionibus vitae deprehenditur? 2. Neque minus liquido constat nihil humanae societati magis oppositum, ideoque perniciosius esse; si enim illam fidelitas, & recta fides fovet, & alit, quisnam dubio locus esse potest, quominus calliditas, mendacium, fideique defectus sint ejusdem funestissimus scopulus, ac interitus? Possuntne familiae concordiam, & pacem fovere, quae inter fratres, & consanguineos requiritur, si vicissim in mutua vixerint diffidentia? Subsisterene possunt civitates, cum quilibet accolam suum fallere quaerat, ac per fraudem, ac vim bonis ejusdem potiri? Quid de publica fiet securitate, cum quilibet in id unum vacabit, quomodo os sublinat, ac in errorem impellat hic quidem socium, ille adversarium, alius competitorem? Qualibet ars, ac vitae consilia non aliud esset ultra quam latrocinium, & universa terra non aliud quam acies; ubi homines sibi mutuo digladiarentur, ac nullam ultro citroque sibi fidem haberent. E contra vero si bona fides, sinceritas, ac fidelitas ibi regnarent, mundus jugi, tranquillaque pace perfrueretur. Quapropter lex Evangelica, quae uni innititur charitati, fidelibus omnibus praescribit, & etiam atque etiam commendat simplicitatem, & sinceritatem tamquam tutiorem unionis, quae inter fideles omnes esse debet, tuendae rationem. 3. Si mendacium, astus, & fidei defectus civili societati tantam afferunt perniciem, tertio loco addi posse mihi videtur, eos, qui praeter ingenium in hujusmodi vitia proclives, longa fallendi consuetudine validum contraxerunt habitum, homines esse non solum pravae naturae, cum quibus nulla est ineunda necessitudo, ubi hujus farinae esse agnoscantur; verum etiam cor aeque corruptum habere, ac spiritum, & quantum hic dolis, diabolicisque abundat inventis, tantum illud esse quibuscumque sceleribus par: ita ut homo versutus, dolosus, callidus nequeat non esse nefarius; quia juxta S. Gregorium, non solum quodlibet mendacium, & quaelibet fraus est iniquitas,

quitas, verum etiam quodlibet peccatum, & quælibet iniquitas species est fraudis, atque mendacii; & quemadmodum alterum sine altero esse non potest, homo sine fide, est etiam sine conscientia, in omnia scelera pronus, quia rebus in omnibus fallere novit. Hac de causa S. Augustinus versutos, improbæque fidei homines filios, & servos appellat Dæmonis, qui est pater mendacii; e contra vero illi, quibus rectum est cor, in Scripturis vocantur Dei Filii, qui sancto ejusdem spiritu aguntur.

II. 1. Fraus, mendacium, versutia, & duplicitas indignæ sunt honesto viro, cujus verus caracter est sinceritas, fidelitas, & bona fides. 2. Hæc eadem vitia non minus homine Christiano indigna sunt, quia palam adversantur simplicitati, sinceritati, rectæque fidei, quæ tantopere in Evangelio commendatur, & quam Christiana religio peculiariter profitetur.

III. 1. In quo consistat sinceritas, atque simplicitas Christiana, quæ æque distat a falsa prudentia mundana, & a crassa rusticitate hominum, nullo præditorum ingenio, nullaque institutione excultorum. 2. Simplicitas hæc tantum Deo accepta est, quantum ille mendacium, duplicitatem, & versutiam perhorrescit.

IV. 1. Numquam nos vel a Deo, vel ab hominibus tutiores esse, quam cum rebus in omnibus sine dolo, & simulatione agimus. 2. E contra vero omnia nobis & a Deo, & ab hominibus metuenda, cum utimur astu, mendacio, versutia: tandem enim veritas aperitur, & prava fide detecta, Dei, hominumque odio, & ultioni sumus obnoxii.

V. 1. Cordis rectitudo, & sinceritas virtus est, quam præ cæteris homines diligunt; attamen præ cæteris infrequentior est, & hodierna die in omnibus vitæ statibus, ac negotiis, necnon erga hominum genus rarissima: *Totus mundus in maligno positus est*; 1. Jo. 5. 2. Duplicitas, simulatio, & doli vitia sunt, quæ maxime odimus, a quibus maxime cavendum est, & quæ maxima pariunt detrimenta; nihilominus illa effugere non conamur, quia amor proprius, ac utilitas nostra sese illis accommodant.

VI. 1. Vehementer errant, qui christianam sinceritatem; & simplicitatem pro stupiditate, ac defectu mentis interpretantur. 2. At vehementius adhuc errant cum versutiam ac dolum veram prudentiam putant.

VII. Cur Deus a Christifidelibus petat puerorum sinceritatem, atque simplicitatem.

1. Quia aptissima, vel dicam melius, unica tuendæ innocentiæ, evitandique peccati, ratio est semper agere secundum conscientiam, & cum rectitudine cordis, quam nulla cupiditas, ac nulla cogitatio detorquere potest. 2. Quia hæc dispositio est maxime opportuna ad virtutes omnes acquirendas, & exercendas. 3. Hæc melior, & facilior via est omnia munera sua obeundi, Deoque fidem servandi.

VIII. 1. Mortalium omnium interest odisse mendacium, & calliditatem; hæc enim malorum omnium est causa, quæ acciderunt, & hodie in terris accidunt. 2. Difficultas ab alienis dolis cavendi, & dolor, quo ex fraudibus, pravaque aliorum fide conficimur, causa esse debent, ne quempiam fallamus.

IX. 1. Qui dolo, & versutia utitur, ut proximum fallat, se ipsum primum omnium fallit, & in se ipsum operatur. 2. Non potest fallere Deum, qui pravam illius intentionem videt, omnesque cordis sinus scrutatur. 3. Illius artes, ac doli tandem aperiuntur, & longe majus auctori afferunt damnum, quam fructum afferre potuissent, etiamsi e sententia cessisset; quia hoc pacto existimationem, amicitiam, & omnium confidentiam amittit.

X. 1. Mendacia, doli, & mala fides, quæ adhibentur, ut negotium aliquod ex voto cedat, efficiunt, ut Dei gratiam, & amicitiam amittamus peccatis, quæ per eadem committimus. 2. Efficiunt ut amittamus existimationem, nominis famam, & hominum amorem, quibus inter naturalia bona nulla pretiosa magis habentur. 3. Efficiunt, ut amittamus pacem, & quietem propter metum, ne prava consilia nostra aperiantur, & propter dolorem, quo efficimur, cum reipsa aperiuntur.

XI. 1. Injuria, quæ fit Deo, qui supreme veritas est, & qui per mendacium dedecore afficitur. 2. Injuria, & detrimentum, quod proximo adfertur illum decipiendo, simulve justitiam, & charitatem violando; 3. Injuria, quæ sibimetipsi infertur, conscientiam suam onerando ea nota, quæ non ita facile reparatur, & ut loquitur Sapiens cap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*.

XII. 1. Nulla ratio, nulla utilitas, nulla consideratio excusare potest mendacium, calliditatem, & malam fidem. 2. Omnia ad illa evertenda conjurant, divinæ, humanæque leges, quæ severissimas pœnas deposcunt. 3. Illa non Deus, non homines pati possunt; atque tunc etiam cum nobis utilia sunt, conscientia nostra illa diffitetur.

XIII. 1. Sinceritas, rectitudo, & bona fides Dei cor nobis deliniunt. 2. Hominumque amorem nobis promerentur. *Dilectus Deo, & hominibus*. Ecclesiast. 45.

XIV. 1. Uti fraude, versutia, & simulatione, est habere spiritum mundi, & sequi dogmata illius, quæ ad damnationem inducunt. 2. Semper agere cum bona fide, & rectitudine, est agere per Spiritum Jesu Christi, & secundum Evangelii præcepta.

XV. 1. Major nobis cura, & vigilantia adhibenda est, quem umquam fallamus, quam ne ab aliis decipi sinamus, quia majus nobis hic, quam illic periculum instat. 2. Bona fide rebus in omnibus, & cum omnibus agere debemus; hoc apertius est indicium, quod præbere valeamus fidelitatis, atque rectitudinis, qua Deus quæritur, & quæ efficit, ut ille inveniatur, eique simus accepti.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus duos edidit libros de mendacio, ubi egregie hoc tractat argumentum.

Idem de re eadem loquitur etiam in Enchiridio cap. 18. & 22.

Idem in Psalmum quintum explicans illa Prophetæ verba: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, docet, veritatem tacere non semper esse mentiri, & mendacium semper esse peccatum.

Idem *libro Quæstionum in Genes. quæst.* 26. ostendit S. Patriarcham Abraham non esse mentitum, cum Saram sororem suam dixit.

Idem *lib.* 14. *de Civit. Dei* ostendit Dæmonem esse mendacii Patrem, auctoremque, & hoc ipsum docet *tract.* 42. *in S. Joannem*.

Idem serm. 52. docet illum amare, & quærere mendacium, qui in rebus terrenis suam constituit felicitatem.

S. Gregorius *lib.* 8. *Moral. cap.* 38. Egregiam habet descriptionem Christianæ simplicitatis, quam sapientiam appellat.

Idem *lib.* 4. *Regest.* explicat quomodo simplicitas comes accedere debeat prudentiæ.

Idem *in Psalm.* 4. *Pœnit.* explicat quid sit cordis rectitudo, & simplicitas.

Idem lib. 18. Moral. hæc explicans verba Job cap. 27. *Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*, prolixum habet de mendacio sermonem.

Idem

Idem lib. 6. Reg. loquitur de dissimulatione, & quonam in casu liceat dissimulare.

Idem *in Psalm.* 5. *Pœnit.* ostendit bona rectitudinis, & simplicitatis.

Idem *lib.* 4. *Epist.* *Epist.* 32. simplicitatis conditiones exponit.

Idem lib. 5. in Job describit characterem hominis duplicis, & dissimulati; & idipsum fere aliis vocibus inquit libro 26.

Idem lib. 9. loquitur de fraude, ac dolo, & docet quot modis peccatum hoc committatur.

S. Chrysostomus homil. 63. in S. Matthæi confert christianam simplicitatem cum puerili.

Idem *Homil.* 7. *in Acta* ostendit, libenter necessitudinem initicam hominibus fraude, doloque carentibus.

Idem *Homil.* 63. *in eadem Acta*, docet simplices, & cor rectum habentes facile salutem suam operari, & pro illis potissimum cœlum factum fuisse.

S. Hieronymus in cap. 18. Sacti Matthæi latius prosequitur puerilis innocentiæ cum Christiana comparationem.

Sanctus Ambrosius in hunc S. Matthæi locum: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste &c.* *& in Exhort. ad virg.* eamdem instituit comparationem.

Idem loquens de S. Satyro in *Monod.* illius simplicitatem, & rectitudinem laudat.

Idem lib. 2. de Officiis cap. 17. ostendit quænam fides habeatur hominibus rectis, & dolo carentibus.

Idem lib. 3. de Officiis docet bona fide agendum, neque fraudibus utendum in tractatibus, qui fiunt.

Tertullianus contra Valentinianos alludens ad verba filii Dei columbæ simplicitatem præfert prudentiæ serpentis.

S. Cyprianus in Epistola ad Donatum loquitur de fraudibus, quæ in justitiæ administratione committebantur, & Salvianus acriter contra hæc peccata declamat.

Libri Ascetici, alii-que. P. Poire libro de scientia Sanctorum tractatu secundo, capite primo, late differit de spiritu recto, & sincero, & de spiritu duplici, ac dissimulato.

P. Cordier tom. 3. Familiæ sanctæ cap. 20. §. 7. & 8. agit de fraudibus Mercatorum, & Opificum.

P. Caussinus in Aula sancta, tractatu 2. sententia undecima agit de dolis, & simplicitate.

Moralis Christiana in *Pater*, lib. 3. sect. 4. art. 5. loquitur de falso testimonio, & mendacio; & lib. 8. sect. 4. art. 3. loquitur de mundi spiritu, de fraudibus, & dolis, qui inter homines exercentur.

In libro de falsitate virtutum, quem edidit D. *Esprit*, unum habetur caput de sinceritate, & alterum de secreti fidelitate in tomo primo.

Abbas de Bellegarde in considerationibus de morum elegantia fusius agit de sinceritate.

P. Heliodorus Parisiensis, Capuccinus in sermonibus de voluptatibus, sermone 9. de conversatione loquitur de sinceritate, ac mendacio.

Marchantius *in Horto Pastorum tract.* 4. *sect.* 16. verba facit de mendacio.

P. Theophilus Renaud *in Theologia moral. tom.* 2. *de virtutibus lib.* 4. *sect.* 11. *cap.* 15. loquitur de sinceritate, & simplicitate Christiana.

Raynerius de Pisis titulum habet, ubi agit de fidelitate, & alterum ubi de fraude, ac dolo, ac tertium de mendacio.

Drexellius *in Phaetonte cap.* 35. 36. 37.

Liber, qui inscribitur, *Guerre aux vices*, prælio 26. contra mendacium.

Mathias Faber *conc.* 5. *in Dom.* 7. *post Pent.*

Idem *conc.* 6. *in Domin.* 8. *post Pentec.*

Specimina sermonum pro Dominicis tomo altero argumento secundo in Dom. 14. post Pent.

Maimbourg, tomo 2. sermone pro feria tertia post primam Quadragesimæ Dominicam de bona fide in negotiis omnibus, quæ aguntur, adhibenda.

Sermones castigati Patris le Jeune, tomo 5. sermone 4. de mendacio.

Sermones in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, tomo 3. argumentorum particularium sermone 7. de bona fide, & sinceritate.

Auctor idem pro feria sexta hebdomadæ quintæ in Quadragesima sermonem habet de falsa prudentia.

P. Ludovicus Granatensis in locis communibus, *Titulo Veritas.* Qui locos communes ediderunt.

Busæus in Viridario, *titulo Simplicitas.*

Idem, *titulo Mendacium* in Panario.

Peraldus. *De peccato mendacii.*

Labatha, *titulo mendacium.*

Summa Prædicantium, *titulo mendacium.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

SCio, *dixit Deus ad Abraham, quod simplici corde feceris: & ideo custodivi te ne peccares in me.* Genes. 20.

Scio, Deus meus, quod probes corda, & simplicitatem diligas, unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc. 1. Paralip. 29.

Erat vir ille simplex, & rectus. Jobi 1.

Ipse (*Deus*) *novit & decipientem, & eum qui decipitur.* Job. 12.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Job. 8.

Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Levit. 19.

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psalmus 4.

Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psalmus 5.

Labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. Psalm. 11.

Diminutæ sunt veritates a filiis hominum; vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Ibidem.

In circuitu impii ambulant. Ibidem.

Salvos facit rectos corde. Psalm. 7.

Abominatio Domini est omnis illusor. Prov. 3.

Cum simplicibus sermocinatio ejus. Ibidem.

Abominabile Domino cor pravum, & voluntas ejus in eis, qui simpliciter ambulant. Prov. 11.

Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sapient. 1.

In simplicitate cordis quærite Dominum. Ibid.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Proverb. 10.

Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel. Ibid. 28.

Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum. Prov. 20.

Rectis corde lætitia. Psalm. 96.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Psalm. 72.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? .... Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Psalm. 14.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos. Proverb. 10.

Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus. Prov. 17.

Vanitatem, & verba mendacia longe fac a me. Prov. 30.

Os, quod mentitur, occidit animam. Sap. 1.

Sex sunt quæ odit Dominus ....proferentem mendacia, testem fallacem. Prov. 6.

Abominatio est Domino labia mendacia. Proverb. 12.

Verbum mendax justus detestabitur. Prov. 13.

Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit. Prov. 19.

Dolos tota die meditabantur. Psalm. 37.

Vir fidelis multum laudabitur. Prov. 28.

Non

Non inveniet fraudulentus lucrum. Prov. 12.

Simplicitas justorum diriget eos, & supplantatio perversorum vastabit illos. Prov. 11.

Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Prov. 27.

Cor machinans cogitationes pessimas. Prov. 6.

Qui fodit foveam, incidet in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. Prov. 26.

Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona ejus. Proverb. 28.

Potior fur quam assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hereditabunt. Eccli. 20.

Mores hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. Ibid.

Opprobrium nequam in homine mendacium. Ibid.

Væ duplici corde, & labiis scelestis. Eccli. 2.

Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Eccli. 4.

Ante omnia opera verbum verax precedat te. Eccli. 37.

Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona. Eccli. 7.

Noli arare mendacium adversus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias. Ibid.

Amico fideli nulla est comparatio; & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Eccli. 6.

Omnis peccator probatur in duplici lingua. Eccli. 5.

Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Isaiæ 28.

Docuerunt linguam suam loqui mendacium. Jerem. 9.

Maledictus dolosus. Malach. 1.

Ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas. Amos 8.

Sit sermo vester, est, est: non, non, quod autem his abundantius est, a malo est. Matth. 5.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 18.

Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11.

Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Joann. 1.

Ille (Dæmon) *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, & pater ejus*. Joann. 7.

Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Ad Roman. 16.

Malitia parvuli estote. 1. ad Corinth. 14.

Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra. Ad Ephes. 4.

Obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri. Ad Ephes. 6.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali conversati sumus. 2. ad Corinth. 1.

Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum. Ad Thessal. 4.

Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. Ad Titum 2.

Hoc oro, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi. Ad Philipp. 2.

Vir duplex animi. Jacobi 1.

Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite. 1. Petri, cap. 2.

Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Ibid.

In ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt. Apocal. 14.

Omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Apocalyps. 21.

Virum fidelem quis inveniet? Prov. 30.

Profert mendacia versipellis. Prov. 14.

Vir versutus odiosus erit. Ibidem.

Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus. Proverb. 29.

Qui fideliter agunt, placent Domino. Prov. 12.

Verba oris ejus iniquitas, & dolus: astitit omni viæ non bonæ. Psalm. 35.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Psalm. 9.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit. Psalm. 7.

Qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Eccli. 27.

Inquiri tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. Tob. 5.

In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias; numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujusmodi non ulciscetur anima mea? Jerem. 9.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

Exempla, quæ nobis Scriptura suppeditat, seu de fidelitate, & bona fide, seu de perfidia, & sinceritatis defectu tot sunt, ut recenseri vix possit; afferam nonnulla, quæ præcipua sunt, & magis insignia.

Josue fidelitas erga Gabaonitas promissa fidem præstitit.

Præclarum habemus exemplum magnæ rectitudinis, ac raræ fidelitatis in Josue erga Gabaonitas. Factum satis prolixe capite nono libri Josue narratur. Mortalibus omnibus terrorem incusserat rumor mirabilis transitus rubri maris, quod sub Israelitarum pedibus aruerat; atque alia miracula, quæ in hujus populi gratiam Deus fuerat operatus, perterruere Gabaonitas, qui veriti ne in Israelitarum manus deciderent convenerunt Josue, & plurimis usi sunt artibus, ut illum sibi delinirent. Simularunt, se ex remotissima regione accessisse, atque ut longum iter crederentur emensi, calceos, vestesque suas disfuerant, ut fidem adstruerent, quod illa itineris longitudine fuissent attrita. Cum sese hoc in statu obtulissent Israelitarum imperatori dixerunt illi, se propter pacis, atque amicitiæ cum eorum gente contrahendæ desiderium tantum laboris suscepisse, atque enixis precibus fatigarunt Josue, ut postulatis subscriberet. Non sensit fraudem Josue, nondum enim regionem illam, incolasque ejus cognoverat: dictis eorum adhibuit fidem, & quin aliquid præcaveret, non enim diffidebat, omnia, quæ ab illis petebantur, concessit. Sed non multo post pravam illorum intellexit fidem, verum noluit idcirco pacem infringere, quam illis promiserat; & aliorum perfidiam corripiens noluit sibi defectum probitatis posse exprobrari.

Perfidia & ars Absalonis.

Necesse non est hoc in loco exaggerare cupiditatem regnandi, qua Absalon tenebatur, quæ tandem inhumanum hunc filium eo impulit, ut Davidi parentum omnium optimo, Regumque sanctissimo necem moliretur. Illud vero præsentis est instituti, quod antequam rebellionem suam patefaceret, atque in apertum bellum descenderet, subditorum patris sui fidelitatem labefactare conatus est blanditiis, illecebrisque, ex quibus satis conjicere possumus illum callido, versutoque æque ac crudeli animo fuisse. Ut enim quod ambitione actus optabat, sibi e voto cederet, infra dignitatem suam sese dimittebat erga plebejos abjectum se fovere amorem testatus. Summo mane strato surgebat, atque Regio in limine stabat, immo occurrebat etiam illis, qui ad David accedebant jus sibi fieri petentes, eosque subdolis, blandisque verbis alloquebatur. Cujas es, sciscitabatur ille hominem quemdam, qui ad sua negotia transigenda sese illuc contulerat? Israelita ergo sum, respondit ille, ac minimus inter servos tuos. Mehercle, reddit Absalon, optimæ sunt rationes tuæ; vehementerque doleo, quod a patre meo nullus con-

stitutus

ftitutus fit, qui judicet. Si hæc mihi Provincia fuiſſet concredita, omnibus Jus dicerem, omneſque voti compotes domos ſuas dilaberentur. Hi ſermones populum deliniebant, eumque in Abſalonis partes pertrahebant. Eos, qui ob reverentiam ad genua illius provoluti ruebant, complectebatur, atque oſculabatur; neque ſatis exprimi poteſt quantam vim ac imperium hæc blandimenta in populi animos obtinerent; ita ut, cum Abſalon his artibus eos ſibi conciliaſſet, tandem aperte contra patrem ſuum perduellionis reus arma diſtrinxerit. Sed funeſtus hujus belli exitus oſtendit non plurimum fidendum eſſe fraudibus, ac dolis, & conſilia omnia, quæ ſimulationibus, & calliditati innituntur, evaneſcere, & ſæpe auctotibus ſuis afferre perniciem.

Qui artibus uti vult, ſeipſum excæcat alios fallere cupiens.

Nullum adeo felix ingenium eſt, & nulla adeo eminens virtus, quæ in periculum non adducatur, cum aliquis verſutia, ac dolo votorum ſuorum ſummam aſſequi contendit. Hoc nos docet Davidis exemplum viri illius, qui ſecundum Dei cor factus erat, & quo non alium æquiorem, ac ſincerum magis Sacra Biblia repræſentant. Optimum iſtud cor, quod a conſueta rectitudine declinaverat, vix tribus, vel quatuor fraudibus, quibus in facto Bethſabeæ uſus fuerat in profundam cecidit cæcitatem, quæ omnem vitæ illius rationem ita perturbavit, ut ad interitum feſtinaret, & ſeſe præcipitem in malorum abyſſum dediſſet, niſi Deus oculos illius aperuiſſet, eumque radio ſuæ lucis affiaſſet. Tunc tantum concepit horrorem ſtatus illius, in quem ceciderat, ut nullam invenerit requiem, nullumque ſolatium, niſi prius priſtinam ſinceritatem, vitæque rationem recuperaſſet. Ea in occaſione tot ille lacrymarum imbres effudit, ac toties Deum oravit ut in ſe ſpiritum rectum, quo antea fuerat donatus, inſtauraret: *Spiritum rectum innova in viſceribus meis*. Pſalm. 50. atque ex eo tempore lapſus illius effecit, ut conſideraret modicum ſinceritatis, quæ in hominibus invenitur, & pleroſque ſpiritus corruptos eſſe cognoſceret. Quæ res tantum illi terrorem incuſſit, ut exclamaverit: *Salvum me fac Domine, quoniam diminutæ ſunt veritates a filiis hominum*.

Mala, quæ Sedeciæ Regi acciderunt pœna fuerunt illius perfidiæ.

Sedecias Rex Iſrael cum Aſſyriorum Principi ſpondiſſet, ſe ab illius fœdere numquam receſſurum, nihilo ſecius in Egyptii Regis partes conceſſit; verum non multo poſt perfidiæ ſuæ debitas pœnas luit. Scriptura enim teſtatur nono regni ejuſdem anno, Nabuchodonoſor Regem Babylonis cum omnibus copiis Jeroſolymam vallaſſe, cumque in urbe fame laboraretur, ortam fuiſſe ſeditionem in illa, cujus excidium Deus in annum tertium diſtulit, populum domare volens diuturnæ, graviſſimæque obſidionis incommodis, ut tandem traderet Regem ſuum in manus barbarorum, quibus pactam non ſervarat fidem, & promiſſum fœdus perfregerat. At vide quomodo ſe inexorabilem præbeat Deus illis, qui bona fide non operantur: permiſit, ut Jeroſolyma caperetur, quo cum ingreſſi eſſent inimici, poſtquam omnia late diripuerunt, illam igni, ferroque vaſtarunt; incendium brevi ſe quocumque diffudit, neque a regiis ædibus abſtinuit. Sedecias nequaquam meliorem nactus eſt fortunam, quam civitas, & licet fugam corripuerit, ex hoſtium manibus evadere non potuit. Cum enim per deſerti portam fuiſſet clanculum egreſſus, Aſſyrii illum perſecuti apprehenderunt, & adduxerunt ad Regem, qui rationem popoſcit perfidiæ illius, & poſtquam ante ejus faciem liberos ipſius trucidari juſſiſſet, illi tandem oculos eruit, ferreiſque onuſtum vinculis Babylonem miſit, ut gentes omnes ex illius exemplo intelligerent, qua pœna ſit afficienda perfidia.

Exempla eorum, qui fraudibus uſi ut inimicos perderent, ſuppliciis affecti fuerunt.

Fraudulentorum anteſignanus ipſe dæmon eſt, qui ſub ſerpentis forma primis parentibus fucum fecit, eiſque perſuaſit, ut Domini præceptum infringerent; ac inde mendacii pater appellatus fuit, & qui illum imitantur, in Scripturis filii ejuſdem dicuntur.

Geneſis capite undetrigeſimo videmus pravam Labani fidem erga Jacob, & quomodo illum fefellerit, Liam pro Rachel, quam illi in conjugem ſpoponderat, ſubſtituens. Libri ejuſdem capite 34. legimus fraudem, qua uſi ſunt Simeon, & Levi filii Jacob, ut ulciſcerentur injuriam a Sichem, ejuſque patre ſorori ſuæ illatam. In Exodo referuntur doli, quibus uſus eſt Pharao, ut Dei populum opprimeret, & quomodo non ſteterit iis, quæ promiſerat Moyſi, & Aaroni, qui ad eumdem Dei nomine fuerant locuti. Primo Regum libro intuemur, quomodo Saul nihil intentatum reliquerit, ut Davidem perderet: in ſecundo autem crudelem Joabi proditionem, qua Amaſam in amicitiæ pignus deoſculatus occidit. In libro Eſther, quid ſuperbus Aman fecerit, ut Mardochæum, & cum eo totam Judæorum nationem occidione deleret. Exempla hæc, aliaque plurima ſatis nota ſunt; at non minus nota ſupplicia, quibus Deus mulctavit has perfidias, quas impunes abire non patitur.

Simplicitas, & ſinceritas Patriarcharū aliorūque inſignium veteris Legis virorum.

Bonæ fidei, atque ſinceritatis perfecta videri poteſt imago in antiquis Patribus, aliiſque nonnullis veteris Teſtamenti egregiis viris; quia in eorum factis, verbis, itineribus, vita, & morte deprehenditur neſcio quid ſimplicitatis, ac ſinceritatis ab omni fraudis ſuſpicione abhorrentis, quæ illis reverentiam conciliat. Eccleſia ipſa eorum texit encomia, illoſque nobis in exemplum proponit. Hujus notæ ſunt Abel, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob. Job in hac virtute excelluit, Scriptura enim eum virum ſimplicem, hoc eſt rectum, ſincerum, Deoque fidelem appellat. Spiritus Sanctus in tota Sancti Tobiæ vita, ac præceptis, quibus ſuum imbuit filium, admirabile nobis præbet exemplum, in quo omnis innocentiæ, & rectæ, puræ, ac ſinceræ animæ ſimplicitas nitet.

Eleazarus diſſimulatione uti detrectavit, ut ſuæ incolumitati conſuleret.

Ex Sancti ſenis Eleazari exemplo diſcere poſſumus, quam turpe, ac viro bono indignum ſit ſinceritate carere, ac dolis uti, ubi de divina lege ſervanda, vel Religioni teſtimonio perhibendo ſermo eſt. Cum Sanctus hic vir juberetur legem violare, vel rogaretur, ut ſaltem pateretur ſibi carnes afferri, quibus veſci poterat, ne videretur eas abjeciſſe, quæ prohibitæ erant, & profanæ exiſtimabantur; quid ille reſpondit? Ea, qua ſum, ætate indignum eſt, hac uti fraude, quæ ſcandali occaſionem præberet plurimis, qui exemplo noſtro in errorem inducerentur. Simulatio hæc nullam decet ætatem; quoniam omnes homines, cujuſcumque ætatis illi ſint, aliis præbere tenentur ſinceræ fidei, & non diſſimulatæ pietatis exempla.

Joſephi fidelitas.

S. Patriarcha Joſeph, cujus vita fuit virtutum omnium exemplar, innocentiæ, patientiæ, charitatis, ſubmiſſionis providentiæ divinæ, eſſe quoque poteſt exemplum fidelitatis, quam omnia ſæcula admirata ſunt. Fratrum ſuorum turpi proditione, ut omnibus conſtat, ad indignam redactus fuit ſervitutem, cujus tempore ſumma cum reverentia, & humilitate paruit Domino, a quo emptus fuerat; verum fidelitatem ſuam tunc potiſſimum probavit, cum dominæ ad ſtuprum ſollicitanti, atque in præſens periculum virtutem ejus vocanti reſpondit: Dominus meus omnia meæ fidei commiſit; vix ea novit bona, quæ poſſidet, mihique de rebus omnibus abſolutam diſponendi facultatem, præter te unam, conceſſit; quomodo ergo tantum facinus patrare poſſem memet Dei, & heri mei odio, atque indignationi objiciens?

Sinceritas, & ſimplicitas fuit unus ex Incarnati Verbi characteribus.

Jeſus Chriſtus non ſolum quatenus Deus, veritas eſt eſſentialis, ut ipſe ait: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Verum etiam quatenus homo Deus nihil niſi verum dicere poterat; omnia illius facta recta erant, atque tendebant in Deum, omnis illius vivendi ratio ſincera erat, ſine ſimulatione, & dolo, ut loquitur S. Petrus in 1. Ep. c. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Ita nulla virtus eſt, quam ſæpius in lege nova commendaverit, quemadmodum nulla eſt, quam ſæpius exercuerit, pluribuſque modis oſtenderit. Jubet Apoſtolos ſuos

ſimpli-

simplices esse, uti columbas; profitetur, nisi efficiamur tamquam parvuli, hoc est simplices, innocentes, sine fraude, ac sine dolo, sicuti infantes, nobis Dei Regnum interclusum iri. Denique adoratio Dei in spiritu, & veritate non aliud est, quam Evangelica simplicitas, quæ efficit ut cum corde puro, & recto in viis Domini, & præceptorum ejus observantia incedamus.

Apostolorum simplicitas.

Mundi Salvator elegit homines rudes, illiteratos, incultosque, ut gratia in eorum ruditate parum apta simulationi majorem inveniret dispositionem simplicitati Evangelii, quod eorum ministerio promulgari cupiebat: qui cum esse deberent omnium Fidelium prototypi, opus erat, ut agnoscerentur ex simplicitate, quæ præcipuus est character religionis ab ipsis prædicandæ. Neque ideo putes ingenia elatiora, mentesque magis sublimes nequaquam posse cum mentis sublimitate, & acumine conjungere simplicitatem, quod egregie præstiterunt Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, aliaque Ecclesiæ oracula, in quorum spiritibus religio æque simplex est, & cum majestate conjuncta: verum opus erat, Apostolos, primos illos lapides hujus ædificii super angularem Jesu Christi lapidem positos magis manifestam habere cum divini Institutoris sui simplicitate similitudinem.

Primorum fidelium simplicitas, ac fidelitas.

Christianæ religionis primordium spectari potest tamquam instauratio primæ ætatis mundi, quæ in eo fidelitatem, sinceritatem, bonamque fidem revocavit. Egregiæ hæ qualitates in primorum fidelium motibus adeo relucebant, ut in eorum descriptione, quam Plinius secundus *Ep. 79. l.* 10. Trajano Imperatori exornavit, fidelitatem memoret, tamquam virtutem, ex qua ab omnibus poterant agnosci. Vita eorum, ait ille, est integerrima, omnium promissionum suarum fidem præstant, & credita sibi deposita fideliter reddunt. Verum S. Lucas absolutissimam eorum proponit imaginem, cum ait, illis unum tantum cor, unamque animam fuisse, illos vivere consuevisse tamquam fratres unam eamdemque familiam constituentes: omnia eorum bona fuisse communica, atque pro cujuscumque necessitate distributa; illos simul convenisse ut Dei laudes concinerent, atque in cordis simplicitate, cum sancto, modestoque gaudio vesci solitos fuisse.

Fraudis, & duplicitatis exempla.

Suppetunt etiam in novo testamento exempla duplicitatis, fraudis, atque versutiæ. Herodis Ascalonitæ dissimulationem omnis sæcula perhorrescent, cum ut celaret nefarium, quod animo conceperat consilium e medio sustollendi Messiam, cujus nativitatem illi nuntiaverant Magi Reges novo sydere admoniti, atque ducti; eos misit, ut illum inviserent, professus se quoque profecturum, ut recens natum Regem veneraretur, postquam ex illis locum nativitatis ejusdem didicisset.

Herodes alter, qui Tetrarcha vocabatur, & successor primi in imperii partem, callidus, versutusque fuit, eumque vulpem appellavit Dominus, ad illius duplicitatem, fraudemque significandam; & tantum abfuit, quod Dei filius ad illius tribunal adductus, ut judicaretur, in ejus gratiam vellet operari miracula, ut ne verbum quidem illi respondere fuerit dignatus. Non loquor hoc in loco de Judæ perfidia, & proditione, quæ ad aliud pertinet argumentum.

Exemplō Ananiæ, & Saphiræ.

Magis manifestum supplicium, quod exercuerit Deus in eos, qui carent sinceritate, ac fraudibus agunt, illud est, quo Ananiam, Saphiramque percussit, & quod in Actis Apostolorum refertur. Agrum suum vendiderant, pretiique partem attulerant ad Apostolos, ad quos pretium integrum sese allaturos receperant. Verum prava eorum fides illis vitæ stetit. Domini erant pecuniæ suæ, quam sine ulla injustitia servare poterant; sed quod mentiti sunt, nullam muneris, quod offerebant, invenerunt gratiam, & fraudis suæ insignem pœnam luerunt.

Applicationes.

In omnibus Christiani hominis verbis veritas, atque sinceritas requiritur.

ANte omnia opera verbum verax præcedat te. Eccli. 37. Ita assuesce vera dicere, ut quicumque videbit te, antequam loquaris, certo sciat, te nihil non verum esse dicturum. Verbum hoc sit in spiritu videntium te, antequam ex ore tuo egrediatur; spiritus eorum intelligat, te dicturum esse veritatem, antequam proferas illam: spectata, compertaque sit probitas tua, & actionibus tuis eadem habeatur fides, ac sanctissimis quibuslibet juramentis.

Deus odit simulationem, & astum.

Væ duplici corde. Eccli. 2. Versutiæ, fraudes, doli, omnesque hujusmodi turpes artes efficiunt hoc duplex cor, quod dissimulatis hominibus tribuit Spiritus sanctus; etenim, exempli gratia homo, qui multa ambitione tumet, duo habere corda videtur; alterum, quo fovet consilium dignitatum acquirendarum, & cujus sensus omnes iis vacant rebus, quæ eidem possunt velificari; & cor hoc latet, crudele est, inexorabile, indesinenter sexcentis agitatum sollicitudinibus; alterum cor apertum est, sincerum, lene, pacatum, humile, ac semper aliis gratificando paratum; & hoc regit linguam, omnesque externas actiones, ut imponat oculis, fidem sibi conciliet, & quin ulla fraudis suspicio oboriatur, omnes in errorem inducat.

Mendacium scelus est, & iniquitas.

Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Jobi 27. Ex his verbis S. Gregorius infert omne mendacium esse iniquitatem, & vicissim omnem iniquitatem mendacium: veritas enim non aliud est, quam æquitas, atque justitia. Itaque ab altera non licet recedere, quin simul recedatur ab altera. Verum in hoc ipso Scripturæ loco magnum statuitur discrimen inter mentiri, & meditari mendacium. Mentitur mortalis nonnumquam ex præcipiti potius effutiendi festinatione, quam ex nequitia; atque tunc levius est crimen, quam cum data opera, & meditate mentitur. Sed quodcumque intercedat discrimen inter hæc mendacia; quicumque sincere veritatem dilexerit, in neutrum labetur.

Cur Deus vocetur Deus veritatis.

Redemisti me Domine Deus veritatis. Psalm. 30. David Prophetico afflatus spiritu Salvatorem Deum veritatis appellat; & S. Joannes Spiritum Jesu Christi vocat Spiritum veritatis. Cur omnes hæ gloriosæ qualitates? cur hi tituli adeo speciosi, atque magnifici? Non satis est dicere illum Deum nostrum esse; addendum est, Deum esse veritatis, ut in hujus amorem adducamur, atque ut omnia mendacii genera evitemus, quæ proprie opus sunt Dæmonis. Verum si Jesus Christus Deus est veritatis, Dæmon, ut ita dicam, Deus est mendacii: hic illud invenit; hic illius primus est auctor. Quid hæresis? quid idololatria? quid impietas est? Hæc omnia crimina mendacia sunt, & hæc omnia mendacia sunt opera Dæmonis.

Quid sit simplicitas, & in quo consistat.

Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ad Rom. 12. S. Paulus Apostolus nos palam docet, quid sit Evangelica simplicitas, cum vetat, ne sapientiores simus ultra quam fas est: etenim quemadmodum Dei filius religionem constituit per scandalum, & stultitiam crucis, qua omnes humanæ prudentiæ leges evertit; vult, discipulos suos perhorrescere carnis prudentiam, quam reprobat, & quidquid mundum sapit, quem toties maledicto percussit. Evangelicæ simplicitati nihil adversatur magis, quam hæc sapientia, quam politici, ac cerebrosa affectant ingenia, quibus stultitia videtur simplex agendi ratio, qua homines virtute prædiò utuntur. De his loquitur Deus, cum ait: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. 1. ad Cor. 1.

Mendacium, & fraus latebras quærunt.

Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuris. Psalm. 10. Versuti homines, Propheta inquit, paratas semper habent sagittas, quas in obscuritate contorqueant; hoc est, quomodo veritas

pro-

prodire gaudet, & agnosci; fraudes e contra, doli, simulationes, mendacia latebras quærunt, ac oderunt lucem. In caligine tela acuuntur; clanculum ineuntur consilia; doli nemini aperiuntur, & nihil metuitur magis, quam ne aliquando veritas enitescat, & aperiatur; & iniquitatis mysteria, quæ fraudolenti noctis beneficio contegunt, in lucem proferantur, ac tandem evolvantur.

Qui aliis tendit laqueos primus capitur.

Mentita est iniquitas sibi. Psalm. 26. Verba hæc juxta nonnullorum interpretationem innuunt, illum, qui per dolum, & fraudem operatur, seipsum decipere, atque interitum sibi conflare, dum proximo nocere contendit; quia sæpe labitur in laqueum, quem illi tetendit; & insuper quia reus est omnium malorum, quæ ipsius doli, & fraudes patiunt, ita ut omnia in caput ipsius relabantur, eique vitio vertantur a Deo, qui aliquando justas pœnas deposcet.

Deus se communicat simplicibus.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Psalm. 54. Cur nam Propheta, qui in solitudinem secedere cupit ut mundi strepitum evitet, atque se attollat ad Deum, columbæ potius alas postulat quam aquilæ; cum aquila celerius volet, atque sublimius ascendat! Quia Columba, ut eruditus respondet interpres, symbolum est simplicitatis, & Deus sese humilibus, simplicibusque communicat, a superbis vero, qui velut aquilæ sese super cæteros conantur efferre, recedit.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc argumento.

Lingua dolosa est ministra falsitatis, lingua dolosa est aliud in corde gestantium, aliud ore promentium; sed in his subversio, in his submersio. August. in Psalm. 14.

Verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Idem in Enchirid. c. 22.

In lingua agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. Idem, in Psalm. 14.

Dæmon mendacium genuit, quod a nemine audivit. Idem, in Joann. c. 24.

Vir bonus, etsi circumvenitur ab aliquo, de omnibus tamen bene judicat, quia fidem esse in omnibus arbitratur. Ambros. lib. 3. Offic. c. 10.

Ait Salomon, innocens credit omni verbo; non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Idem, ibidem.

Quis decor esse potest, ubi violatur fides? Idem, l. 1. Offic. c. 29.

Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant, & quia ipsis est amica veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt. Idem, l. 3. Offic.

Regula justitiæ manifesta est, quod a vero declinare non decoat virum bonum, nec doli annectere quidquam, fraudesve componere. Idem, l. 3. Offic. c. 11.

Sapientia justorum est nihil per ostentationem fingere. Greg. 8. Moral. c. 38.

Deus de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. Idem, in Pastor. parte tertia.

Omne mendacium iniquitas est, quia profecto ab æquitate discordat, quidquid a veritate discordat. Idem, l. 8. Moral. c. 4.

Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio. August. in Psalm. 63.

Sicut prope summa & divina virtus est neminem decipere, sic ultimum vitium est quemlibet decipere. Idem, l. 83. quæst.

Non ideo nullum mendacium putandum est, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Idem in Enchir.

Si humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. Idem, ibidem.

Non solum in falsis verbis, sed in simulatis operibus est mendacium; mendacium nempe est se Christianum dicere, & opera Christi non facere. Idem.

Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat a vitio vel decipere posse, vel decipi Christianum. Hier. Epist. 13. ad Paul. de Inst. Mon.

Deus illos cœlestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, & duplicitatis nihil habere considerat. Idem, in Proverb. Salomonis.

Mendaces faciunt, ut & vera dicentibus non credatur. Idem, Epist. 37.

Incauta est simplicitas, minime quicquam suspicatur, quia a malo libera est. Gregor. Nazianz. Orat. 4.

Ideo simplices notamur apud illos, & hoc tantum, non etiam sapientes, quasi statim deficere cogatur a simplicitate sapientia: Domino utrumque jungente, estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ. Tertull. contra Valent.

Estote, fratres mei, prudentes sicut serpentes; & simplices sicut columbæ. Duo enim sunt quæ annexa adinvicem sunt, ut unum sine altero, aut parum aut nihil omnino proficiat. Auctor Sermon. ad fratres in Eremo.

Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitiæ linea, mendacium. Basil. in Procem. lib. de Spiritu Sancto.

Mendacium est diaboli fœtus. Idem, Epist. 79.

Virgo mentiri sacrilegium putat. Hieronymus, Epist. 7.

Quid aliud cunctorum negotiantium vita, quam fraus & perjurium? Salvianus, l. 3. de Gubern.

Vita istorum (litigantium) *quid aliud quam meditatio doli, & tritura mendacii?* Idem, l. 4.

Ille prudentior judicatur qui peritior est fallendi. Petrarcha, l. 2. de remedio ottiusque fortunæ.

Nunc nec promittendi modus est, nec promissa frangendi pudor ullus. Idem, lib. 1.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento valeat depromi.

Quid sit sinceritas & bona fides.

Sinceritas quatenus moralis est virtus, est quædam cordis expansio, & rectitudo mentis, quæ efficit, ut sensus nostros promamus sine ambagibus, sine dissimulatione, sine fuco, ubi illos aperire tenemur; & quæ præstat ut sine versutia, & cum simplicitate operemur; quæ res nobis conciliat amorem, ac benevolentiam eorum omnium, cum quibus agimus. Dixi autem, quatenus ista sinceritas moralis est virtus; quia non deest naturalis; etenim quemadmodum non desunt, qui suapte natura fortes, ac strenui sint, ac alia fortiti fuerint ingenia; non desunt quoque ex ipsa natura simplices, & sinceri sibimet vim inferentes cum simulatione quadam uti coguntur .... Sinceritas porro, quæ virtus est, habitus est acquisitus, naturalem perficiens sinceritatem, efficiens, ut ratione duce operemur, ac docens, homini numquam contra proprium sensum agendum esse, neque in tota vitæ suæ ratione dolis, & dissimulationibus utendum.

De Christiana sinceritate.

Christiana sinceritas, de qua hic quæstio est, & quam Sacræ litteræ simplicitatem vocant, non est, ut plures arbitrantur, quædam rusticitas; sed candor animæ, ac puritas intentionis, quæ facit, ut sine dolo, & simulatione quæramus Deum, verba, & facta conformantes æternæ legi, quæ omne prohibet in verbis mendacium, in corde duplicitatem, & in actionibus dolum. Sacer Textus huic sinceritati plura nomina attribuit, quæ totidem sunt præclara ejusdem encomia. Illam modo vocat spiritum rectum, quia recta nos adducit ad Deum, & nullam

pati possit versutiam; modo simplicitatem appellat, quo nomine ipse etiam Dei filius in Evangelio illam appellat, atque cordis nuncupat simplicitatem. Nonnunquam dicitur spiritus bonus, quia ex corde procul expellit nequitiam, & fraudem, & aliquando etiam spiritus Dei, vel spiritus veritatis oppositus spiritui hujus mundi, qui non aliud est quam error, dolus, atque mendacium. Denum magnorum virorum virtus nuncupatur.

Hæc virtus olim fuit primorum fidelium character.

Sinceritas, quæ toties in scripturis sub simplicitatis nomine commendatur, erat veluti proprius primorum fidelium character; itaut illi ex verborum sinceritate, ex fidelitate in promissionibus adimplendis, ex ingenii candore, ac bona fide erga eos omnes, qui cum illis agebant, dignoscerentur, utque hic christianæ religioni spiritus esse intelligeretur, cum lustralibus sacri Baptismatis aquis abluebantur, albis induebantur vestibus in signum innocentiæ, quam receperant, & quam servare debebant candore, & simplicitate morum suorum, totiusque vitæ suæ, juxta illa Principis Apostolorum verba: *Quasi modo geniti infantes, sine dolo lac concupiscite.* 1. Petr. 2.

De duplicitate, dolo, fraude.

Ex iis, quæ nuper de sinceritate, & cordis rectitudine dicta sunt, facile est oppositorum vitiorum naturam cognoscere, videlicet duplicitatis, versutiæ, fraudis aliorumque id genus vitiorum, quæ nomine tenus differunt, & quæ ut plurimum, conjuncta sunt. Principium ex quo fluunt, in Bibliis vocatur modo spiritus duplex, modo spiritus mendacii, & modo spiritus mundi, propterea quod opponitur spiritui Jesu Christi, qui veritas est, & spiritui Evangelii, qui est simplicitas.

De mendacio singillatim.

In mendacio nonnihil peculiare invenitur, quod ut S. Augustinus, & post hunc S. Thomas docent, in eo positum est, quod aliquid contra mentem dicatur, ut pro vero habeatur, quamvis falsum sit, aut tale existimetur. Quod si quis falsum dicit verum putans, hic, Doctores ajunt, materiale tantum mendacium facit: quamobrem statuunt aliquod discrimen inter mentiri & dicere mendacium; quia illud est aliquid contra mentem, & cogitationem asserere, hoc vero non item.

Variæ mendacii species.

Doctores iidem vulgo tria mendacii genera distinguunt; primum per jocum, ac voluptatem dicitur; alterum dicitur officiosum, quod nocet nemini, & immo prodesse potest illi, in cujus gratiam profertur; tertium vocatur perniciosum, quod semper est cum proximi detrimento conjunctum. Cuncta hæc vere peccata sunt; sed priora duo a S. Augustino levibus criminibus accensentur; tertium vero suapte natura mortale est; quia unicus sufficientis cognitionis defectus, vel damni, quod infertur, levitas, efficere possunt, ne tale habeatur.

Ironia, cæteræque loquendi rationes mendacia vocari non possunt.

Ironia, aliæque loquendi figuræ mendacia nequeunt existimari; quamvis aliud significent, quam quod verba in propria significatione desumpta designent; etenim qui eas profert, tono vocis, vel verborum ambitu satis ostendit, quid velit innuere, & quid ad aliis sit intelligendum. Hoc ipsum dicendum est de officiosis verbis, per quæ aliis testamur, quo in pretio illos habeamus; qui enim illa audit, scire debet, quid significent, & qui profert illa, semper in pretio habere tenetur proximum suum, atque id palam testari, ubi officium, vel urbanitas postulat; & cum hoc ex urbanitate fit, sine adulatione, & immodica exaggeratione, mendacii nomine insimulari non potest.

Mendacium quacumque ex causa fiat, numquam licere potest.

Nobis debet esse persuasum tamquam de certissima veritate, cum mendacium suapte natura sit malum, numquam quacumque ex causa licere posse: quamvis id fieret ut alicujus honestati, aut vitæ consuleretur; & ex vitiorum sentina crueretur; verbo ut mundi totius saluti prospiceretur, quæ res omnes aufert excusationes, omnesque prætextus, qui possent afferri, qualis esset bona intentio, vel finis, quem sibi mentiendo aliquis potest proponere. Verum est, S. Augustinus inquit, causam, finem, ac intentionem plurimum ad actionum nostrarum merita, vel demerita conferre; sed quæ ex seipsis mala sunt, numquam bona esse possunt, quacumque causa, fine, ac intentione fiant. Quod si in Scripturis videmus mortales aliquot laudibus celebrari, eo quod mendacio, vel astu usi sunt, veluti Ægyptias obstetrices, quæ simulatione, & mendacio maribus Israelitarum filiis vitam servarunt, S. Augustinus respondet, non laudari mendacium, sed miserationem, & horrorem, quo detestatæ sunt impium facinus, quod jussæ fuerant perpetrare. His addi potest, ignorantiam, infirmitatem, ipsam etiam pietatem, vel aliam quamlibet virtutem impellere nonnumquam posse hominem, ut mentiatur, & contra mentem loquatur; sed tunc virtus non amplius est virtus, quia fertur contra objectum suum, quod semper aliquod bonum est; & quamvis hoc in casu peccata passim venialia tantummodo sint, sunt nihilominus vera peccata, & quatenus talia prohibentur; & quemadmodum scite S. Augustinus animadvertit, homo bonus non est, quia minus est nequam, quam alter.

Ut nihil prætermittamus eorum, quæ Doctores hac in re tradunt; plurimum discriminis interest, inquiunt illi, inter proferre mendacium, ac tacere veritatem: mentiri enim numquam fas est: sed Christiana prudentia sæpe tacere, & veritatem celare jubet, non enim desunt occasiones, in quibus, si detegeretur, proximo gravissimum inferretur præjudicium: hæc est S. Augustini doctrina. Aliud est, inquit, veritatem abscondere, aliud loqui contra veritatem; alterum peccatum est, alterum effectus prudentiæ, atque sapientiæ. Sæpe de iis rebus interrogari potes, quas dicere minime potes, quin rebus tuis detrimentum afferas, quin tibi dedecus, vel aliis contumeliam inferas, quin scandalum parias, vel excites contentiones. Deus hæc tacere te jubet: at quomodo? Si qui te interrogant, jus non habent cogendi, ut id aperias, quod tua interest celare, & si tuum silentium fidem potest adstruere, quod veritatem scias, sed illam vel minime velis, vel nequeas fateri; profecto verum non dicis, sed neque falsum affirmas. Verum, inter hæc extrema quid consilii capiendum? Hoc. Non prohibet Deus, te iis uti verbis, quæ duo significant, si illis uti velis eo in sensu, in quo iisdem tibi uti permittit; non autem ut aperias id, quod te jubet abscondere, ut vel proximi tui, vel tuo honori prospicias. Verum dices, quamvis non intelligatur ab illis, qui te interrogant; reipsa loqueris secundum mentem tuam, quamvis comperta non sit: & sine restrictione, quæ mere mentalis sit, teges veritatem, quam illi percontari ex te non debebant, & quam Deus, te illis dicere prohibet.

Præcautio hac in re necessaria.

Quemadmodum hæc doctrina nequaquam difficultate caret, & a nonnullis in dubium accersitur, ita duæ istæ regulæ servandæ sunt. Prima est, si te Judex interroget, veritatem citra æquivocum affirmare teneris, quin iis utaris vocibus, quæ locum præbere possunt rem alio in sensu intelligendi ab eo, qui tibi in animo versatur, & quin arbitreris, te a legibus dispensari, ne veritatem dicas ea in occasione, de qua agitur, exempli gratia, te ipsum accusandi. Altera, quamquam S. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. fatetur, & declaret quibusdam in occasionibus fas esse aliquibus uti locutionibus veritatem involventibus, & quamquam in eadem sententia sit S. Augustini *c.* 11. *contra mendacium*, non licet tamen passim hac loquendi ratione uti; quia ambiguarum vocum usus eosdem produceret effectus, ac mendacium; nobisque hominum fidei carentium famam conflaret, ac publicam everteret securitatem. Verbo hæ loquendi rationes æque ferme criminosæ fierent, ac mendacium, quia eadem gignerent mala.

De falso testimonio.

Cum falsum testimonium simul sit, & contra veritatem, & contra justitiam, necnon contra bonam fidem, in humana societate servandam, liquido constat hac in re nullum majus committi posse

pecca-

peccatum; ideoque peculiariter etiam prohibetur. *Non falsum testimonium dices*. Peccatum hoc, ex D. Thoma, tria complectitur, quæ uno tantum actu patrantur; videlicet mendacium, perjurium, & injustitiam; verum cum hæc sit fraus publicæ securitati maxime perniciosa; humanæ leges numquam nimia uti possunt severitate, ut in illam animadvertant, ejusque pravissimos effectus cohibeant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Honestus homo numquam simulare, vel fallere debet.

QUamvis honesti viri aliis placendi studium summum esse deceat, non decet tamen, hoc illum consilii espere, ut simulare, fallere, mentiri audeat; quippe nihil magis adversatur honesti hominis characteri, quam nequitia sinceritatis integumento abscondita, vel simplicitas versutorum ingeniorum, quæ simulationibus sese tegunt, & involvunt. Apage has artes, dolos, malas ambages, fraudes, omnesque simulationes, quæ adhibentur, ut per fas & nefas propositum sibi finem homines assequantur. Necesse est, honestum virum earum rerum omnium, quas pollicetur, præstare fidem, atque præseferre integerrimam æquitatem bonæ fidei innixam, & non imitari illum copiarum Ducem, qui dierum triginta pactus inducias, noctu hostiles agros depopulabatur, dicens, in induciis nihil cautum fuisse de noctibus. *Ex collectione Orationum, Gallice Accademiæ oblatarum anno 1703.*

Humanum cor artibus scatet, ac secretos habet sinus & latebras.

Cor hominis abyssus est, cujus penetrari tenebræ nequeunt; mare est, cujus imum inveniri non potest; novi orbis species est adhuc detegendi; labyrinthus est, ubi viæ omnes invicem implicantur, & confunduntur, & ubi qui longius procedit, magis errore viarum decipitur, quin illinc expedire se valeat. Cæcus est, in errorem inducens perspieacissimum quemlibet, qui sequitur illum; præstigiator est, qui ea videnda exhibet, quæ non sunt, qui decipit, qui fallit, qui eorum etiam oculis illudit, qui attentius oculorum aciem in illos intendunt, quin ne sentiant quidem. *Ex paraphrasi quadam apologetici Tertulliani.*

Facilius est ab amico, quam ab inimico decipi.

Deus simplices eligit, quibus rectum est cor, præ superbis animabus meritorum suorum idea tumidis, illos contemnentibus, qui in Dei viis ambulant, qui religiosius præceptis ejus obediunt, & quos non pravi sermones, non irrisiones, non impiorum probra a via virtutis detorquent. His se communicat Deus. *Cum simplicibus sermocinatio ejus. Abbas de Bellegarde in proverbia Salomonis.*

Fallax amicus amicum verbis suis fallit. Difficilius est ab inimico decipi: ab hoc enim nobismetipsi cavemus; blanditiæ illius apud nos suspicione non vacant. Verbis illius non addimus fidem, atque nullam prætermittimus sedulitatem, ut illius dolos, artesque eludamus; sed quomodo nobis cavere possumus ab eo, qui necessarius est, & quo utimur familiariter? qui blandientis ns, habitumque gerens scipsum, & opellam suam tibi mancipat, ac jurejurando pollicetur se pro te vitam ipsam in discrimen quodcumque adducturum? Laqueus hic subdolus est, ac in illum facile impingimus. *Idem.*

Homines veritatem neque dicere neque audire volunt, cum de suis defectibus agitur.

Veritatem videre nolumus, cum aliqua opus est cura, atque vigilantia, ut illam inveniamus; sed non desunt occasiones, in quibus illa nosmetipsos convenit, & in quibus illam adspicere cogeremur, nisi multa ad illam evitandam arte uteremur. Non enim desunt nonnumquam homines tanta præditi charitate, qui nos ex errore, & illusione, in qua versamur, conentur eruere; sed amor proprius nihil intentatum, nihilque inausum relinquit, ut tantum avertat incommodum; neque iis caret artibus, quarum ope voti reus fieri possit; quoniam illis, qui præclarum hoc sibi præstare conantur officium, tantum dolorem testatur, tantumque odium; tot prætextus excogitat, ne credat ea, quæ de suis sibi defectibus narrantur; tanta pollet industria, ut in iis, a quibus errata sua notantur, majora deprehendat, atque nequitiæ redarguat judicia, quæ sibi minus jucunda sunt, ut nemo fere inveniatur, qui veritatis aidem aperiendæ subire velit periculum .... Itaque ex quo ostendit aliquis non probare in omnibus illius agendi rationem; statim vel invidiæ, vel alterius cujuspiam ægritudinis animi suspicio oboritur. Cum autem nemo talis videri velit, inter homines quædam conjurationis species fit, ut eos dissimulent sensus, quos vicissim fovent, & nulla conventio est, quæ melius servetur, quippe innititur amori proprio, quo paucissimi carent. *Desumptum ex specimine Ethicorum præceptorum tractatu primo capite quinto.*

Cur nemo vult, vel audeat veritatem plurimis dicere.

Omnes summis vitiis fallendis navant operam, at non majorem navant, ut imos errore aliquo liberent. Hoc unum discrimen inter utrosque statuitur. Nemo aliena vult sibi odia conflare, ita nemo coipiam veritatem dicere audet. Patet aliunde ad hoc, ut veritas, quæ dicitur, ab aliis excipiatur, plurimis opus esse lenimentis, temperamentis, & meditatis ambagibus, quem laborem nemo sibi vendicare vult pro illis, quos nullo habet in pretio. Itaque veritas neque summis dicitur, quia hanc illis abscondere interest; neque imis, quia hanc illis dicere, non interest. Verum quod coram illis dissimulatur, ubi recesserint tanto liberius dicitur, quanto ægrius silentium servatum est. *Ibidem.*

Veritas, serius, ocius detegitur.

Veritas inter densam omnium nebularum caliginem, quæ illi offunduntur, viam semper sibi aperit. Aliquot semper intermitent radia, quæ superbiæ accidunt incommoda, eamque pacem perturbant, quam illa sibi adnititur procurare. Sententiæ, quæ voluntario innituntur errori, numquam certæ, ac tutæ sunt. Notandum est, quod quemadmodum maximus defectus est videre nolle veritatem, ita neque in nobismetipsis fateri volumus hanc pravam animi affectionem, non secus ac in aliis; ideoque non multi videntur, qui fateantur, se iniquo animo ferre, quod hæc sibi aperiantur. Hæc exprobatio æque ac alia quævis displicet; & ut verbo me expediam, obtinere vellent gloriam amandi veritatem, & voluptatem numquam illam audiendi. *Idem.*

Veritas, quæ dicitur æqui bonique facienda est, si illam scire cupimus.

Supponendum est, unumquemque, cum hinc sciat nemini jucundum esse de suis defectibus certiorem fieri, inde vero nostram sibi conflare nolit inimicitiam, paratum esse, ut seipsum ab hoc eximat charitatis officio, nihilque nobis aperiat eorum, quæ vel ipse de nobis sentit, vel ab aliis sentiri cognoscat. Itaque nisi hunc obicem abstulerimus, ac ipsi ultro quodammodo veritati occurrerimus, alios ad eam nobis patefaciendam hortantes, & ea sinceritate, de qua nulla suboriri possi: suspicio, testantes nos illi gratiam habituros quomodocumque id fecerint, atque ita dissipantes metum, quo nostra sibimet odia conflare verentur; semper nobiscum fallacem hanc moderationem servabunt, qua in plurimarum rerum, quas nosse nobis plurimum prodesset, ignorantia detinemur. *Idem.*

Rara inter homines sinceritas.

Hominum plerique incomprebensibiles sunt; contra mentem suam palam loquuntur, & agunt: & fere semper intelligendum est oppositum eorum, quæ dicunt. Os, & cor raro consentiunt, neque bonam fidem, neque sinceritatem habent, personam semper gerunt, nihilque non simulatum in illis reperitur. Homines hujusmodi sunt civilis societatis flagellum, & ab illis semper cavendum est, ne decipiamur. Illud mirabile est, quod sæpius majorem laborem, & curam impendunt, ut simulent, & fucum faciant, quam qui impendendus esset, ut veras virtutes, quibus solidum inest meritum, adipiscantur. *Abbas de Bellegarde in considerationibus de sinceritate.*

Honesto viro indignum est fallere.

Magna infirmitas est, ac turpis imbecillitas contra propriam loqui conscientiam, ut illis placeamus, quos in partes nostras pertrahere contendimus. Honestus vir neque simulare debet, neque fallere, neque mentiri; neque proprios sensus exuere, ut induat alienos, qui rationi nequaquam consentiunt. Verum neque tanta præferenda rusticitas est, ut in rebus, quæ nullo in discrimine habentur, & ubi modicum obsequii eos nobis delinire posset, palam offendamus. Etenim quot homines suis excidere negotiis propter importunam sinceritatem, quæ animos hominum exasperat, eosque nobis efficit inimicos? *Idem*.

Pseudopoliticorum de sinceritate sententia.

Politici, qui suis tantum commodis student, & qui honestati præferunt utilitatem, docent, eum qui dissimulare nescit, nescire suæ incolumitati consulere. Omnia pessum mittit negotia sua, qui eam jactat sinceritatem, quæ nihil severitatis remittat. Oportet scire illis adblandiri, quos odisti, & quos perdere desideras; necnon obsequium, & existimationem illius profiteri, quem omnino contemnis. Quæ artes, & simulationes, si omnino necessariæ sunt, ut nostræ consulamus utilitati, profecto honesto viro abdicandæ sunt. Quod si eo in gradu es, ubi plurimorum tibi habenda sit ratio, a quibus tua pendet fortuna, hominum difficilium, quos loci sui dignitas duros, ac inexorabiles efficit; non ideo tamen turpiter illis assentiari debes, & laudibus prosequi iniquitates, quas nimis crebro operantur; sed palam illis aperire quid sentias, atque tanto studio, diligentia, arte illis tua proponere consilia, ut ea teneantur amplecti, quamvis vitæ, ac utilitatis eorum ratio aliud suadeant. *Idem*.

Simulatio & mala fides sunt humanæ societati perniciosa.

Fallaces blanditiæ in civili societate labes sunt, & imbecillis animæ indicium. Cur illis adblandiris, quos odisti, & quos a te quam remotissimos velles? Minus turpe esset sincere, ut veri sensus tui internoscerentur; saltem enim illi, quid sibi faciendum scirent, sibique præcaverent abs te, qui illos deludere gestis. Nulla prudentia resistere valet dolis illius, qui ad fallendum compositus tibi suam pollicetur operam, ac pro te semper vitam ipsam in discrimen esse adducturum; bona sua, existimationem, amicos, omnia tibi se devovere; si sub præclara hac specie duplicem animum celat, si ob simultatem aliquam tibi interitum meditatur inferre; quomodo dolosis hujusmodi illecebris falli non potes? quomodo cavere potes, ne in laqueos incidas hominis, ut te in errorem inducat, ipsa amicitiæ signa adhibentis; qui se tibi necessarium simulat, ut tuum secretum extorqueat, & qui tibi omnia pollicetur auxilia tunc temporis, quo tibi cladem inferre meditatur? *Idem*.

De fide in promissionibus servanda.

Si quid amicis pollicemur, nullis utendum est ambagibus, & æquivocis; male audit, qui promissi fidem non præstat, & sinceritate vacuus deprehenditur. Plerique hominum festinanter promittunt, quidquid ab ipsis petitur, quin certo sciant, utrum promissionem adimplere aut velint, aut valeant. Hæc levitas illis conflat contemptum eorum, quos fallunt. Ubi aliquid polliciti sumus, citius, quam fieri potest, fidem nostram liberare debemus, quin efficiamus, ut alii promissam expectantes opem elangueant. Bis dat, qui cito dat; ac datæ fidei pœnitere videtur, qui quam recepit, differt in dies. *Idem*.

Sinceritatis characteres.

Plurimum discriminis interest inter sinceritatem, & quamdam loquendi pruriginem, quæ efficit, ut nosmet aperiamus illis, cum quibus perperam necessitudo sociatur. Sinceritas neque imprudens esse debet, neque præceps; non cogit ea omnia nos effutire, quæ scimus, neque cor nostrum aperire curiosis hominibus, qui secretos animi nostri sensus penetrare conantur. Cum id genus mortalibus cautus esto, sæpe enim iis abutentur, quæ illis commiseris. *Idem Abbas de Bellegarde*.

Sinceritas aliorum existimationem sibi conciliat.

Sinceritas fortasse brevissima est ad hominum existimationem promerendam via: satius est bona fide suas fateri infirmitates, quam tot ambagibus uti ad fallendos mortales, qui quid sibi existimandum sit, norunt. Quid enim prodest quorumdam hominum versutia, qua aliis fucum facere quærunt? Omnes eorum artes placere non possunt . . . . Non satis assequor causam, propter quam homines tantopere simulare gestiant; semper theatricam gerere videntur personam; eorum gestus, verba, incessus, omnia composita sunt. Putantne, se placere posse ita ab ingenio suo recedentes? *Idem*.

Sinceri sæpe ab aliis falluntur.

Sinceritas aliquando pro rusticitate habetur. Videntur homines, qui ingenii acumine pollentes, æquo judicio de rebus disceptantes, quantumvis his luminibus præditi, nonnumquam fiunt eorum ludibrium, qui litteraturæ omnis experies sunt, qui carent sinceritate, & qui modicum illud ingenii, quod habent, impendunt, ut illos, cum quibus rem habent, decipiant . . . . Sunt etiam, qui vix, & ne vix quidem id dicere umquam possunt, quod sentiunt: in eorum sermonibus aliquid semper ambiguitatis adest, & ineptissimas etiam nugas, tamquam secreta consilia, aliorum fidei committunt. Sexcenta sunt prudentiæ eorum, cum quibus versamur, relinquenda, & nullum requirentia mysterium. Ea tantum excipienda sunt, quæ alicui possent officere; tunc enim de illis loquendum non est, neque cum ipsis amicissimis, qui certe conqueri jure non possunt, si intelligant, hæc illis te noluisse committere. *Idem*.

Rationi cedere rectæ mentis nota est.

Quodcumque tibi sit meritum, quamcumque præ aliis auctoritatem habere putes, rationi cedas oportet, & aurem illis adhibeas, qui optimum habent sensum, ut ex eorum consiliis fructum percipias, atque ubi deerraveris, redeas in viam. Rectitudo etiam, & sinceritas requiritur, ut illis perspicue, ac pro rei veritate sine simulatione rerum suarum statum enarres. Quomodo enim consilium salubre sibi præbeant ea in re, cujus finem, ac summam illis abscondis? quæ tibi præbebunt, consilia inania erunt, ac nullius tibi esse poterunt utilitatis. *Idem*.

Officiosa verba temere prolata sinceritati opponuntur.

Non desunt qui urbanitatem hac in re sitam putant, ut sine ullo dignitatum, meritorumque discrimine omnes officiosis verbis excipiant: illos morantur ineptis obsequiis, ac operæ suæ pollicitationibus, quæ ad nihilum rediguntur. Aliquantisper hac specie decipiunt; qui inde se aliquem percepturum fructum sperat, illis adhæret, sed eos tandem aspernatur, ubi tandem sæpius deceptus promissionum vanitatem agnoscit. Nonne præstat ingenue fateri illis, qui aliqua de re impensius nos rogant, ea, quæ petuntur, supra vires esse; dolere nos, quod pares minime simus illis gratificando? Confessio hæc rubore suffundit eos, qui vani sunt; metuunt, ne quid boni nominis, quo fruuntur, pereat; verum multo magis erubescunt, ubi palam docet experientia, quam exilis fuerit eorum facultas. *Idem Abbas de Bellegarde*.

In amicitiis sinceritas requiritur.

Non tenemur cum omnibus necessitudinem, & amicitiam conjungere: hac in re prudenti electione opus est; verum turpe est inanibus blanditiis obruere eos, qui non amantur, eisque os sublinire fallacis amicitiæ, quæ illos seducit, argumentis. Etenim verbis tuis adhibent fidem; atque illis innituntur auxiliis, quæ spopondisti; sed ubi maxime indiguerint, illos deseris, ac tandem promissionum tuarum fraudem agnoscunt. *Idem*.

Quam perniciosus sit sinceritatis defectus.

In mundi commercio nihil periculosius est amico, qui caret sinceritate. Inimico vulgo fidem non habemus, immo quam diligentissime cavemus, ne nobis illudat; sed nequaquam de illo diffidimus, quem res nostras curare arbitramur; illius sequimur consilia, ac sæpe in periculo versamur errandi, si ita perfidus sit, ut nos prodere velit. *Idem*.

Fraudes ut plurimum in auctorem relabuntur.

Calumniæ ut plurimum æque funestæ sunt veteratoribus, ac illis, qui decipiuntur. Ex fraude passim nihil percipit auctor, quam ignominiam, eo quod facinus ausus fueris honesto viro indignissimum . . . . . . Verum ex omnibus veteratoribus

neme

nemo est, a quo minus nobis caveamus, quam ab iis, qui in religionis materia nos fallunt; spiritus enim præoccupatus non consulit rationem, immo neque sibi tantum relinquit temporis, quantum ad ratiocinandum requiritur. Oculi clauduntur, ne manifesta eorum flagitia videantur; eorum impotentia, ac furor a ratione procul abhorrens excusatur; hic bonus est vir, dicitur, qui nihil audet, quod conscientiæ suæ labem valeat offundere, iniquitatis mysterium intus, & in cute non exploratur, atque omnino rationi consonum invenitur.

Rara in terris sinceritas.

Qui hodierna die vivunt, non multum de sinceritate laborant; neque admodum dolent, si eadem penitus careant. Hac in re non sunt religiosi; pro bona fide ac sinceritate in illis simulatio tantum, ars, & sæpe etiam perfidia deprehenditur. Miraris te proditum videns ab iis, in quibus omnino confidebas, & qui tunc se tibi inimicos ostendunt, cum maxime eorum eges auxilio: hi profecto ictus lethalia vulnera infligunt, ex quibus numquam valeas convalescere. Numquam venia conceditur huic fidelitatis defectui, quantumvis proditor tibi placere contendat; manet semper alta mente reposta secreta amaritudo, & qui semel fefellit, in amicorum suorum benevolentia imposterum non confidat. *Idem*.

Infamia, quæ mendacium sequitur.

Inter potissimas rationes, quæ nos a mendacio possunt deterrere, infamia est, quæ nomini nostro inuritur, ubi semel illud in habitum migravetit. Mendacium auctorem suum confusione suffundit, & qui famam adeptus est mendacis, & veteratoris, reipsa fit mortalium omnium fabula, & ludibrium; mendacium enim vulgo ex pluribus aliis vitiis procedit; veritas enim non proditur nisi ob avaritiam, superbiam, invidiam, impudicitiam, impietatem, vel aliud quodlibet vitium; & nonnisi ea corruptionis fonte potest proficisci. *Ex nono sermone de voluptatibus, P. Heliodori Capucini*.

Homines pati nequeunt mendacii.

Hæ causæ sunt, propter quas male audiunt mendaces; hæ propter quas Spiritus sanctus mendacium æternum opprobrium appellat. Vos autem, qui æquo animo ferre non potestis homines hoc vobis vitium exprobrantes; vos qui vitam, salutemque vestram objiceretis, nisi legibus cohiberetur insanus ille furor, qui vos agit, ut cruore vestro abluatis contumeliam, quæ hoc probro vobis infertur, vos pudeat, quod homines sciant, vos pati non posse hoc opprobrium; vos pudeat; quod illi norint, id quod vobis exprobrari non vultis; sed metuite minas, atque judicia Dei veritatis, qui nebulones, ac mendaces abominatur. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Psalm. 5. *Idem*.

Aliæ rationes quæ nos a mendacio debent deterrere.

Nimium procederem si omnes explicare vellem rationes, quæ vos a mendacio debent avertere; satis sit nosse, mendacio alia peccata graviora fieri, virtutum innocentiam imminui, & veritatem diffamari. Avaritia nocentior est, cum perjurio nititur, vel adulterato chirographo, ut aliena bona vel invadat, vel retineat. Superbia nocentior est, cum ea profert, quæ comminiscitur ad existimationem captandam, vel ad evitandam infamiam. Odium gravius est, cum fictitia crimina excogitat, ut innocuis honorem eripiat. Hæresis detestabilior est, cum Scripturæ, Patribus, & Ecclesiæ sensus, & sententias, quas non habent, imponit. Virtutes ipsæ aliquam integritatis suæ partem amittunt, cum utuntur mendacio. Humilitas omnino culpa non vacat, si quis mentitur, ut suas tegat perfectiones; misericordia innocens non habetur, si quem mentiri doceat ad pauperum egestatem levandam, vel ad proximi vitia tegenda. Justitia se injustam quodammodo præbet, si ut facti veritatem assequatur, utatur mendacio. Virtutes reliquæ puritatem suam non tuerentur, si, quamquam optimus earum finis esset, mendacio uterentur. *Idem*.

Plurimi dolum & fraudem prudentiæ vocant.

Hominem probro dignum esse, cum veritatem qua dictis, qua factis lædit, liquido constat; illud vero ferendum non est, quod fallendi artem callere glorietur, quod fraudem, ac versutiam industriam vocet; perinde ac animæ corruptio, ut S. Gregorius loquitur, facta fuisset pretiosissimum Aulici talentum .... Inde oriuntur fraudes, & temeraria judicia; inde prava officia, & falsa testimonia; inde ars injustas suspiciones tamquam exploratissimas veritates venditandi; inde os nequitia refertissimum, & lingua in mendaciis, dolisque exercita &c. *Ex Manuscripto*.

De dolo, ac dolosis hominibus.

Quamquam verum sit, mendacium, fraudem, & dissimulationem omnem esse ambitiosorum hominum artem, atque industriam, hæc esse corruptæ politicæ instrumenta, & exquisita consilia, quibus sæculi prudentes utuntur; hoc nihilominus discriminis interest, quod scitus Aulicus tunc solum mendaciis utitur, cum tuto se id fieri posse arbitratur, neque ullam adversus amicos, & necessarios adhibet dissimulationem, ne amicitiæ, ac necessitudinis eorum voluptatem, vel utilitatem amittat; sed artem eam omnibus exercet, quia ingenii sui acumine sperat futurum ut omnes artes suas valeat celare. Et sane potest quidem mendacium deprehendi; dissimulatio detegi potest; sed ars nequit penetrari; & Ægypti tenebræ nuquaquam densiores erant illis, quibus ars illa tegitur; quæ res efficit, ut subdoli homines non ita facile intelligantur; quapropter Ecclesiasticus c. 19. inquit: *Interiora ejus plena sunt dolo. Liber cui titulus de humanarum virtutum falsitate, Capite de amore veritatis*.

De duplicitate.

Dolus duplex illud efficit cor, quod a Spiritu sancto dissimulatis hominibus tribuitur; ambitiosus enim homo duo habere corda videtur, alterum quidem, ubi fovet systema illud fortunæ ad quam anhelat, & cujus sensus omnes iis occupantur cogitationibus, quæ pertinent ad eamdem: cor istud abditum est, ferox, sævum, inexorabile, ac indesinenter sexcentis affectibus agitatum; alterum vero apertum est, lene, pacatum, humile; aliisque gratificando paratum; & hoc linguam gerit, & ut ita dicam curam habet oris, habitus corporis, gestus, omniumque externarum actionum .... Hoc nos docet Scriptura cum ait, subdolos homines duplici corde loqui; hoc est, quamvis altero in alicujus gratiam aliquid statuant, atque decernant, altero tamen constituunt omnia ad suam utilitatem referre. *Idem*.

De simulationibus, & dolis.

Versutia magis adhuc apparet in partium, factionumque capitibus, in magnis dolorum magistris, qui ut Regius Propheta loquitur, noctis partem, totamque traducunt diem inquirendo fraudes, & dolos, qui sine religione eam violant legem, quam Deus adeo sapienter constituit, quod nempe verba sint nostrarum cogitationum imagines; & qui adoptasse videntur tenebras, æquivoca, & sermonum ambiguitates, ut suas artes, infidelitates, & fraudes protegant. Hoc pacto excipitur in aula veritas a politicis, qui linguam suam instruunt ad scite mentiendum, ut ait Scriptura. Neque melius alibi excipitur; nam præterquamquod a nobilium ædibus, ab omnibus artibus, atque professionibus proscripta est; plerique hominum indesinenter illam offendunt, ut opes congerant. Imminuitur, dissimulatur, alia ei persona inducitur in foro; pro exiguo quolibet lucello ubique, & sæpe etiam pro nihilo negantur veritates, quæ maxime patent, & pauci religioni sibi vertunt eas, quæ maximi momenti sunt, oppugnare. *Idem*.

Fallacia tamquam politicæ præcepta.

Nequaquam in animo refellere mihi est, quod impius quidam ausus est affirmare, quod regnare, ac servare fidem simul esse non possint; nec quod copiarum dux quidam novissimorum horum temporum Cæsari scripsit; quod si fidem præstare vellet, ac probitatem servare, sese imperio, regnisque omnibus abdicaret, & in claustra confugeret;

nec quod primus quidam minister affirmabat fieri non posse, ut summi viri in Regis aula detinerentur, nisi pluribus promitteretur, quod uni tantum conferendum est; & nisi contra veritatem diceretur Principi, cui non gratificari periculosum est, jam pridem alteri destinatum fuisse, quod ille recens deposcit. Omnes hujusmodi sententiæ, & rationes pravæ, quæ ad versutiam probandam afferuntur, non ex hominis corruptione tantum, verum etiam ex ignorantia solidorum veræ politicæ præceptorum proficiscuntur. *Idem*.

Principes fidem præstare tenentur.

Principum conditio profecto deplorabilis esset, si cum probitate illis regnare nequaquam liceret, neque fovere possent cum subditis, fœderatisque suis necessariam concordiam, quin ad mendacium, fraudesque confugerent, eamque violarent fidem, quæ unicum est omnis commercii vinculum. Illud certum est, bonam fidem maximum esse subsidium, nihilque Principibus utilius esse; quam omnibus probatum esse, hanc omnium operum eorumdem esse principium, & normam. Quod ad aulicos pertinet, verum est æquitatem, rectitudinem, & veritatem non esse, ut plurimum, breviores, faciliores que vias, quibus ad dignitates perveniant; verum necesse non est crescere; sed rectum, verum, fidelemque esse, hoc utique necesse est. *Idem*.

Sinceritas amabilis.

Nulla virtus est, quæ potiori jure credenda sit vera, quam sinceritas; neque enim altera pulchriorem speciem præsefert. Hæc ex omnibus virtutibus, quæ ad societatem nectendam, fovendamque inserviunt, una omnium maxime utilis, & amabilis est; hæc est fidei fundamentum, hæc requies, & securitas commercii; sine hac privata omnia colloquia tamquam laqueos metuimus; consilia omnia, quæ nobis communicantur, tamquam obices nostri veremur; & omnes homines, qui nobiscum vivunt, tamquam inimicos timemus, a quibus decipi possumus: verbo; sine illa tanto metu vivimus, & conversamur, quanto qui noctu in præcipiti gradimur. *Idem*.

Quinam sinceri dicantur.

Hoc nomine appellatur homo donec putatur simplex, & verax, atque fides haberi potest iis, quæ ab ipso dicuntur; quia in illius potestate situm non est sensus suos dissimulare; sed ubi intus & in cute perspicitur, & deprehenditur sua uti sinceritate, ut propriæ consulat utilitati, ac simplicitatem viam esse, qua ad fines suos tendit; quamprimum de eodem alius conceptus efficitur. Qui vere sinceri sunt, omnem a se amovent duplicitatis, & versutiæ suspicionem; cum enim videant, fraudem existimationi præsertim obesse, illam odio prosequuntur, sinceritatem vero virtutem putant, per quam facile honesti homines possint haberi. Hinc sperant etiam se mortalium omnium benevolentiam morum simplicitate, ac verborum sinceritate adepturos; nam ob eamdem causam propter quam dissimulati homines metuuntur, sinceri amantur, & inquiruntur, eorum fortunæ etiam impensius velificamur, & libenter illis operam nostram impendimus, ubi sese nobis offert occasio. *Idem*.

De falsis familiaritatibus.

Si pleræque familiaritates, quæ passim fiunt, vituperandæ sunt, quia vanæ sunt, & periculosæ, quid cogitandum, dicendumque de illis, quas simulant ii, qui aulæ negotiis impediti sunt, ut vicissim alter alterius consilia detegant; vel ut illa celent; atque fidelissimos amicos mereant, non aliud animo versantes, nisi ut sese ultro citroque decipiant? *Idem*.

Raro est fidelitas.

Pertinuo videntur homines, quorum fides, ac probitas adeo solida; confirmataque sit, ut nonsolum minis labefactari nequeat, vel tentari promissis; verum etiam ut omnibus affectuum contibus resistere valeat. Ut hæc veritas constet, debet unusquisque secum omnes vitæ suæ actiones repetere, atque scrutari, utrum odium aliquod, ultio, amor, vel ambitio effecerit umquam ut lapsam fidem, ac probitatem offenderit; utrum acciderit umquam, ut amico rem perjucundam facturus illi secretum sibi commissum aperiret; utrum metus excidendi gratia Principis alicujus viri, prohibuerit, ne testimonium perhiberet veritati iis in occasionibus, ubi testimonium illius satis erat, ut hominis immerito probris, calumniisque petiti existimationi consuleretur; denique utrum per invidiam imminuere conatus fuerit pretium, & gloriam actionis alicujus, quam amicorum omnium familiarissimus fuit operatus. *Idem*.

De sinceritate agitur, in qua opus est religionis præcepto.

Satis superque ominis vobis est, auditores lectissimi, ut palam videre possitis ea mala, quæ ingruerent, si quilibet seipsum rationis lumine ducere vellet, si se arbitrum constitueret rerum earum, quæ ad ipsum pertinent, si judex in propria causa fieret, atque negotiorum suorum dominus esset: ita ut ratio seipsam a Deo independenter absolute considerans principem locum obtineret. Quot illa prætextus excogitaret proprios errores probatura? Quot peccatis virtutis nomina deferret? Hac de causa, S. Chrysostomus inquit in iis, quæ majoris momenti sunt, in tractatibus pacis, in dignitatibus adeundis, jusjurandum exquiritur, tamquam actus, ac protestatio quædam. Quorsum istud? quia videlicet nisi Deus testis accederet, fieretque initæ conventionis, dataeque fidei sponsor, homines vicissim sibi diffiderent, ac assidue multa orirentur incommoda in republica, & societate. Ratio nostra nimis infirma est, voluntas vero nimis corrupta, nisi religione illuminetur, atque regatur. *Ex sermone quodam P. Bourdaloue*.

Facta æque ac verba decipiunt.

Facta æque ac verba decipiunt, & communis agendi ratio nihilo magis sincera est, quam communis ratio loquendi. Homo sexcentas quotidie personas mutat, ne agnoscatur qualis est, & ut qualis non est, existimetur. Non solum mundo fucum facere quærit suppositis titulis, mutuatisque coloribus; sed perinde ac Deus decipi, fallique possit, illum ipsum fallere contendit, illum ore colens, at cordis obsequium detrectans, exteriorem tantummodo cultum eidem adhibendo. *Ex moralibus sermonibus, sermone de pietate*.

De veritate, ac mendacio.

Belluæ suos edentes clamores neminem fallunt; homo solus nequitia sua vocis usum pervertit: attamen veritas universale bonum est, quo mundi ordo servatur. Huic publica fides, jus gentium, atque justitia innititur, hæc præstat amicitiæ; sine hac mundus non aliud esset, quam merum chaos; omnes homines essent subdoli, ignavi, veteratores; & si ex mundo veritas proscriberetur, nulla ibi esset honestas, voluptas nulla.... Mendacium dissimulationi inservit, dolo, perfidiæ, ignaviæ, omnibusque fere criminibus. Mendacio ut infirmitatis etiam est, atque imprudentiæ, qui enim mentitur sese exponit crimini, quod committi numquam potest, quin sese in discrimen illud adducat, ubi possit deprehendi. Pro nihilo mentiri, insania est; pro quæstu iniquitas magna. *Auctor Anonymus, & recens*.

Mendacium legi naturali contrarium est.

Veritas debetur proximo simulac cum eo loquimur, & sermonis commercium tacitam continet veritatis promissionem, cum ad id unum datus sit nobis; neque est hæc privati cum privato conventio, sed communis omnibus hominibus inter se, & quædam species juris gentium, vel potius lex quædam naturæ. Lex ista, & communis conventio per mendacium violatur; & quo arctior est nexus ille, quem inter se homines habent, eo legis hujus prævaricatio magis sanctitati & justitiæ adversatur. Quamobrem Apostolus ut Christianos ab usu fraudis, atque versutiæ deterreat, hanc adjicit rationem, quod videlicet alii aliorum membra sumus. Membrum numquam alteri membro fraudem facit; oculus non decipit manum, neque manus pedem, sed simul omnes cooperantur, ut corporis utilitati, communique bono prospiciant. Ad hæc nulla vera sanctitas est sine veritate; nulla veritas in fraude, atque calliditate. *Essais de morale Tome 3*.

Homo

Animus nobilis contra veritatem loqui non potest.

Homo magnum habens animum, & cor generosum ignorat quid sit mentiri, & putat seipsum prodere, qui prodit veritatem. Cum procul ab illo turpes, abjectique sensus absint, putat, pudendum non esse sese talem ostendere, qualis est, sibique persuadet eum, qui veritati abrenunciat, abrenunciare quoque honestati. Prudentia illum nonnumquam reticere cogit, quod cogitat; at numquam aliter quam cogitat, loqui; nulla eum ad id adstringere potest utilitas; maxima quippe utilitatum omnium est honestas, atque conscientia, quæ sine sinceritate, & rectitudine subsistere nequit. *P. Nepveu in Considerationibus.*

Doli, & fraudes, quas excogitat avaritia.

Quis dicendo enumerare posset injustitias, rapinas, fraudes, quæ per avaritiam, & ditescendi cupiditatem quotidie sexcentis modis, in omni negotiorum genere, ac in mutuis commerciis committuntur, modo per contractus, qui palam sunt usurarii, modo per fœnora callide dissimulata, & quibusdam formulis, coloribusque fucata, qui efficiunt, ut humanos judices fallant, modo per simoniam, secretasque pactiones; nonnumquam Principes, cum quibus res est, decipiendo, nonnumquam injustis favendo lucris, ut inde aliquam percipiant utilitas; nunc dando, vel accipiendo ut commutetur justitia, vel ad eam opprimendam utendo gratia, potentia, fraude, aliisque artibus, quas forensium rabularum industria excogitavit, ut injustitiæ faverent; aliquando cum bonæ fidei detrimento, ac ipsius etiam humanæ valetudinis, vitæque præjudicio merces adulterando. Nescio equidem intus, & in cute mundum; neque experientia id cupio doceri, scio nihilominus, quoniam hæc communis fama est, & quia illorum, qui adeo injuste opprimuntur, passim hæc auditur querela, ubique, ubi agitur de contractibus, commerciis, negotiatione, & cujuslibet generis re innumera videri adinventa iniquissime, ab hominum avaritia excogitata, quæ nequiter acuit ingenia, ut sese homines ultro citroque fallant, atque alienis bonis ditescant. *Maimbourg, sermone pro feria tertia post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Non desunt negotia, ubi vix fieri potest, ut bona fide, & sincere agatur.

Sancti Chrysostomus, & Augustinus omnino nolunt, Christianum hujusmodi negotiis sese irretire, ubi fere nullum percipi lucrum potest, quin malis artibus christiana simplicitas, & iniquitate justitia amittatur. Cum enim aliquis sibi persuasit, ad hoc ut locuplex fiat, plurima sibi obeunda esse negotia, cum illis, ex quibus insignem quæstum se sperat percepturum; hic ut voti damnetur, sibi religioni minime vertit, mendacio, fraude, sexcentisque nefariis rationibus uti plurima per injustum commercium acquirendi. *Idem.*

Negotia, & commercium permittuntur, dummodo bona fide agatur.

At enim, numquid prohibitum est negotium, nefasne mihi est negotiari, pacisci, tractatus transigere, vendere, emere, atque rationes, calculosque subducere? Quis hac de re dubitat? Quid fierent alioquin commercium, atque civilis societas? Quænam igitur sunt hæc negotiorum genera, quæ prohibent, ne Deo reddamus quod ad ipsum pertinet? *Quæ sunt istæ negotiationes?* S. Augustinus interrogat; *audite, quando pretiis rerum, quas vendis, non solum mentiris, sed etiam falsum juras*; merces vestras distrahentes, & cum proximo vestro contractum ineuntes, non solum sine ulla religione sexcenta immiscetis mendacia, verum etiam illa sexcentis perjuriis probare contenditis, cum injustis negotiis, quæ per avaritiam aggredimini, & quæ per cordis levitatem tanta nequitia, atque impotentia persequimini, occasionem præbetis blasphemandi nomen Dei, ac in ludibrium vertendi religionem iis, qui eam scandalo objiciunt, ecce quinam sunt Christiani, exactores magis duri, quam Ethnicorum exstiterint Publicani, magisque immites fœneratores, quam Judæi; ubinam illa columbæ simplicitas, & charitas, quæ illorum esse debet character, ex quo distinguantur ab aliis? Quid? homines, qui tecum agunt id unum quærunt, quomodo te decipiant, te fallant, ac fraudulentis fictis quidem acuminibus, veris autem dolis te perdant? *Idem.*

Exhortatio ad bonam fidem, & sinceritatem.

Perhorrescite, o Fideles, dolos, ut incidatis in manus divinæ justitiæ, quæ certissime pœnas reposcit, etiamsi humana deficiat justitia, quæ illis sæpissime parcit. Negotiamini, sed bona fide; contractus facite, sed sine dolo; mercamini, sed sine fraude; vendite, sed quin decipiatis, atque honestum lucrum vobis sufficiat; Ecclesiastica quoque beneficia quærite, & possidete, verum sine ulla simoniæ suspicione. Publicos aggredimini magistratus, sed quin vel repetundarum vel peculatus nomine vos reos constituatis; ideoque antequam aliquod cum hominibus negotium suscipiatis, cum Deo in oratione negotiamini; & si aliqua conscientiæ vestræ oboriatur dubitatio, probum, scitumque virum consulite, qui aperte doceat, quid sit faciendum. *Idem.*

Fraudes, quæ in foro, & jure dicendo committuntur.

Quin de falsis loquamur testibus, aliisque crassioribus adulterationibus, quæ in fronte descriptam gestant damnationis sententiam; quot doli, dissimulationes, fraudes, verbo, quot mendacia adhibentur, ut causa fiat melior? Attamen testatur Propheta Psalm. 5. Deum sine ulla exceptione eos, quicumque mentiti fuerint, perditurum: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Ex sermonibus in præcipua Ethicæ Christianæ argumenta, sermone de Mendacio.*

De iis, qui per habitum mentiuntur.

Conjicite quid sit amare mendacium, & prodere veritatem. Non loquor de illis, qui per imbecillitatem, vel metum nonnumquam imprudentes mentiuntur; peccant illi quidem, licet levius; de illis loquor qui sibi habitum faciunt mentiendi, in omnem vitam permansurum; habitum, cujus illos non pœniteat umquam; habitum, qui infelicem efformat in anima mentiendi facilitatem, quoties cumque sese offerat occasio. Isti illi sunt, de quibus Isaias Propheta cap. 57. loquitur, quorum pater diabolus est; isti illi sunt, quos a cœlesti Jerusalem S. Joannes Apoc. 22. excludit: *Foris canes, & venefici, & impudici, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Videte cum quonam mortalium genere Apostolus mendaces commisceat. *Idem.*

De certis duplicitate, & fraudibus, quibus mundi utuntur, ut simplices fallant.

S. Gregorius admirabilem nobis proponit hypotyposim hujus duplicitatis, illa Jobi c. 12. explicans verba: *Deridetur justi simplicitas* &c. *Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur: hanc, qui sciunt, ceteros despiciendo superbiunt; hanc, qui nesciunt, subjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab iis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, cum mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere. Sed hæc justorum simplicitas deridetur; quia ab hujus sæculi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur: omne enim quod innocenter agitur, ab iis proculdubio stultum putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Ex 10. libro Moralium S. Gregorii Papæ cap. 16. in cap. 12. Job.*

Mendacium, & simulatio efficiunt, negotiationes quia abstinent criminibus.

Si negotiationem, atque commercium in primigenia ipsius institutione spectemus, quæ quidem regula est recti de rebus judicii ferendi, liquido constat, hanc professionem integerrimam esse, atque ab hominibus excogitatam, ut suis opem ferrent necessitatibus. Deus ipse primo illius jecit funda-

fundamenta, cum terrarum orbem creavit, his enim regionibus ea concedens, quæ aliis negavit, occasionem hominibus præbuit ab aliis ea, quibus carebant, accipiendi, illisque ea, quibus abundabant, communicandi. Si quælibet Provincia ea protulisset, quæ vitæ hujus commodis necessaria, quemadmodum nullum extitisset commercium, ita & nulla societas extitisset: commercium omnes simul conjunxit, & consociavit. Verum enim vero fatendum est, commercium hoc pluribus sceleribus occasionem præbere, in quorum numero mendacium est, quod nonnumquam in aliquid deterius, perjurium videlicet, degenerat, sive enim mercatores emant, seu vendant, numquam deest simulatio. Vendentes pluris æstimant merces suas, quam verum sit pretium earum; illas extollunt, & pro virili celebrant, omnes earum defectus dissimulantes; ementes vero ita oblatum quodlibet contemnunt; & imminuunt, ut pro nihilo illud acquirere velle videantur; & quo majori illius possidendi flagrant desiderio; eo majori illius affici videntur fastidio. Ubi vero acta, transactaque omnia, & mercis antea neglectæ facti sunt domini, tunc diceres illius immutatam esse naturam; tunc enim nihil est adeo delicatum, affabreque elaboratum, nil æque numeris absolutum omnibus; jam nullo satis æstimari potest pretio; jam nihil supra desiderari potest, jam artis miraculum est ad unguem perfectum. *P. Cordier in Familia Sancta Tomo 3.*

Hæc agendi ratio, quæ omnium fere est, qui mercaturam exercent, dubitari jure potest utrum sincera sit. Tunc dolos, fraudesque adhibent impensius, cum aliquid pluris, quam æquum est, venundare volunt. Affirmant exoticum esse, cum vernaculum sit, ex orientali allatum plaga, cum ex occidua venerit; tanti illud stetisse, cum ne tanti quidem; neque se illud daturos nisi tanti, cum in animo sit, illud etiam minoris venumdare. Verum enormius adhuc crimen est, cum non abstinent juramentis, atque imprecationibus, & ad id confirmandum, quod falsum est, Deum testem vocant, quasi illum in suæ infidelitatis partem accersant; nos perdat Deus, inquiunt, nisi ita se habet res. Qui hanc vivendi rationem sequuntur tanquam parum religiosi justitiæ observatores habentur. At longum, ac difficile esset omnium id genus scelerum texere nomenclaturam. Non desunt, qui duplici pondere, duplicique vendant mensura; omnes chariori, quam fieri potest, pretio vendunt; quin ullam rationem habeant æquitatis, & credunt emptoris inscitiam sibi jus fallendi conferre. Qua in re gravissime committuntur injustitiæ; etenim quamvis singularum rerum pretium aliquam extensionem obtineat, & paulo majus, ac paulo minus statui possit, quin ultra æquitatis terminos egrediatur; nihilominus merces eædem non minus habent pretium pro illo, a quo cognoscuntur, quam pro hoc, a quo ignorantur. *Idem.*

Opificum artes.

Opifices neque majorem habent præ mercatoribus sinceritatem, neque fidem meliorem. Alii ut magis lucrentur; opus suum producunt ultra terminos, quos illis Ecclesia constituit, non enim expectare possunt donec sanctus excesserit dies, ut operi vacent; & male feriati semper aliquam sacri temporis auferunt partem, quam servilibus impendant operibus. Alii opera sua vitiant, seu illis non omnem, quæ requiritur, industriam, tempus, & curam impendentes; seu aliquid materiæ subtrahentes, vel aliam sequioris notæ subrogantes. Aptissimum, quod huic versutiæ nomen possit appingi, est secretum latrocinium, vel publica infidelitas, quæ eo nocentior est, quo majorem adhibent industriam, ut lateat. *Idem.*

[illegible]

Si quid est non honestis tantum, nobilibusque viris, verum neque vulgo hominum ferendum, hi sane sunt tenebriones, ac veteratores, qui oppositum faciunt eorum, quæ dicunt, & quæ pollicentur: *Væ duplici corde, & labiis scelestis*, Eccl. 7. Hoc sapientem impulit, ut eos ubique exploraret, ut illos anathemate percuteret, ut illis quodlibet malorum genus imprecaretur: quia sine fide sunt, sine conscientia, sine religione, & iis, quæ dicunt, minime fidendum est: *In corde, & corde locuti sunt*, inquit Regius Propheta. Psal. 11. Duplici sunt corde; neque aperiunt os, nisi, ut illos qui fidem dictis eorum habuerint, decipiant: *In lingua eorum agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore regitur.* Nulla major hac fingi potest versutia. Doctissimus quisque ab eadem sibi cavere non potest; nemo enim est, qui eludere valeat tela dolosæ linguæ hominis subdoli, ac dissimulati. Versuta hæc lingua fons est malæ fidei, omniumque fraudum, quæ inter homines fiunt, cum minime consentit cum corde loquentis, aliud quidem cogitando, aliud proferendo. Itaque dupliciter loqui res est non fovenda. *Ex tractatu quodam de pœnitentia.*

De veritate, & mendacio.

Veritas, atque sinceritas ab hominum commercio, & societate exulant; quæ causa est, propter quam homines vicissim sibimet minime fidunt, & quilibet in omni negotiorum genere sibi quam diligenter cavere conatur; quia sine ullo metu, ac religione mortales mentiuntur, ac mentiendi habitum contrahunt; & nihilominus norunt omnes; & ne unus quidem ambigit, quodlibet mendacium peccatum esse, & secundum Scripturæ oracula, animæ mortem inferre. S. Augustinus duobus libris, quos hujus argumenti edidit, scripturarum auctoritate, validisque rationibus ostendit, numquam fas esse pro quacumque causa mentiri, licet etiam de fratris temporali vita ageretur, immo licet de animæ salute res esset, nisi aliter quam per mendacium prohiberi posset, ne in infernum prorueret. Cumque illi objecta fuerint quædam ex scripturis exempla eorum virorum, qui gravissimis acti necessitatibus mentiti sunt, atque laudem ideo consecuti; respondet exempla hæc non esse imitanda, & falli eos, qui ad alios fallendos eadem proponunt. *Moralis Christiana in Pater l. 3. sect. 4. art. 3.*

Fallacia, & simulatio sunt secundum seculi gloriam.

Si sæculi genium rite perpendimus, patet hunc non alium esse, quam fraudem, qua alii alios decipere satagunt; illi tamen speciosum, honestumque nomen inducitur, & vulgo prudentia, & politia vocatur, cujus fundamentum est detestabile illud nuperi Auctoris placitum, qui novissimis hisce sæculis ejus præcepta conscripsit; utile esse, virtutis speciem tantum acquirere, quia inde fructus percipi potest; sed virtutis praxim periculosam esse, quia passim impedimento est, ne magni conatus atque negotia ex voto cedant. Hæc enim prudentia, reipsa, non aliud est quam humani cordis dissimulatio, quod, ubi de sua gloria, ac temporali agitur utilitate, in hoc unum suas cogitationes intendit, quomodo aliis fucum faciat; ac parum laborat, utrum seipsum decipiat in iis, quæ ad salutem suam pertinent, quam nullo habet in pretio. *Ibidem lib. 8. sect. 4. art. 3.*

Rara inter homines sinceritas.

Hodierna die sinceritas a christiana religione exul, atque extorris est; stultum putatur, animum suum promere, & fidem servare; qui ditescere cupit, fortunarum suarum basim, ac fundamentum habere debet versutiam, & dolum. Hac de causa officia ipsa quæ majorem sapiunt urbanitatem, suspicione vacare non debent viro prudenti. Qui se amicum simulat, non blanditur, nisi ut perdat, similis latronibus, qui secus viam præstolantur viatores, eosque nimiis amplexibus jugulant. Non omnibus qui cum aliis consuescere gaudent, æque aperta indoles est; in centenario numero vix unum, alterumque reperies, qui sese vicissim non fallant: teterrimæ perfidiæ egregiam speciem præseferunt; atque familiaritas, ac necessitudo, quam alicui profitentur mortales, tutior via est, qua imbecilliorem illius partem explorare, ejusque simplicitatem decipere valeant; officia, quæ amicitiæ protestatio,

statio ; ac operæ promissio comitantur, præstigia sunt, coguntque eum credere, quod externa blandimenta sint internæ fidelitatis imagines. Infideles animæ hominem, cum adest, laudibus cumulant, cum abest, illum calumniis proscindunt: eodem ore frigidum, calidumque emittunt halitum, ac sæpe abscindere vellent dexteram, quam reverentiæ causa deosculati sunt. *Liber cui titulus*, la Conduite des Illustres.

Dolosi serius ocyus, & ipsi dolis capiuntur ac fraudis suæ pœnas luunt.

Salomon Prov. 12. ait, veteratorem nullum unquam ex fraudibus suis fructum esse perceptutum: *Non inveniet fraudulentus lucrum*. Esto quidem, aliquandiu felices exitus illius votis respondeant; finis illius semper tragicus erit, quia malorum ejus maximum erit excidium animæ, cujus inæstimabile coram Deo pretium est, quando quidem ad eam redimendam Jesus Christus suum cruorem effudit. Huic jacturæ accedit altera; quia fraudulenti & ipsi fraudibus capiuntur, & incidunt in foveam, quam aliis fecerunt, ut Regius loquitur Propheta: *Incidit in foveam quam fecit*. Psalm. 7.

Juvenes simulationibus minus obnoxia est, sed facilius decipitur.

Scio equidem, juvenes minus deditos esse fraudibus; verum ipsi facilius fraudibus patent; nondum enim illos docuit experientia. Sodalitatum suavitas persuadere potest adolescenti officiosa aulici alicujus verba sinceri cordis esse argumenta; ejusque credulitas illum coget suum aperire cor ei, qui ideo familiaritatem ejus inquirit, ut aliquam referat utilitatem. Ita propter prudentiæ defectum necessitudinem inibit cum tenebrione; ac fiet omnium dolorum ejus scopus. *Idem*.

De christiana, & Evangelica sinceritate.

Nulla concipi potest Evangelicæ simplicitatis, qua invicem fideles uti debent, sublimior idea, quam quæ nobis a Jesu Christo per hæc verba proponitur; *Sit sermo vester, est est: non non: quod autem his abundantius est, a malo est*. Ubi aliquid affirmare volueris, dixisse sufficiat, est, non est; quidquid enim præterea adjicies, malum erit; hoc enim consilio omnem aufert sermonem contentionis, rixæ, mendacii, atque versutiæ. Christiana simplicitas non solum semper regere debet nostram conversationem; verum etiam omnem agendi rationem cum proximo; eaque in omne vitæ nostræ corpus sese debet effundere. Ita primi fideles vivebant &c. *Essais de sermons pro decima quarta post Pentecosten Dominica*.

Signa, ex quibus spiritus rectus cognoscitur.

Si notas inquiritis ex quibus agnosci possit spiritus rectus, ac ab illo distingui, qui eidem oppositus est: dicam, spiritus rectus recta incedit ad Deum, ac unum illud respicit; non aliud quærit, nisi ut eidem placeat, quomodocumque cætera cesserint. Spiritus duplex e contra, semper, quæ sua sunt, persequitur, suis tantum negotiis cavet; & quodcumque erga alios benevolentiæ præbeat argumentum, non aliud cogitat, nisi crescere; existimationem, nominisque sui famam tueri, fortunam suam longius provehere, & quidquid suis consiliis adversatur, evertere. Hinc spiritus rectus semper comitem habet simplicitatem, videlicet quamdam dispositionem, quæ procul arcet quodlibet genus immixtionis, & varietatis. Spiritus mundi e contra spiritus est duplicitatis, in iis, quæ operatur, duplicem semper habet intentionem, quarum alteram in imis animæ latebris, alteram extrinsecus gerit. *P. Poire in scientia Sanctorum*.

Dolosi, duplicisque hominis character.

Spiritus duplex, atque versutus nihil intentatum relinquit, ut seipsum tegat, ne talis, qualis est, videatur. Cum enim nihil nisi propter cupiditatem efficiat, omnia illius consilia abjecta, & vilia sint, pudet illum, ea declarare, nec patitur illa, ab aliis internosci. Hac de causa seipsum, quoad fieri potest, celat, speciosam induit personam, & laudabile aliquod consilium præsefert; ita ut vere dici queat omnem illius vitam mimicam actionem esse, assiduamque illusionem. Sexcentis versutiæ artibus abundat; sexcentas habet simulationes, ut consiliis suis aliquem colorem appingat, veruntamen semper trepidans, ne detegantur. Ideo similis est adulterinæ monetæ cusoribus, qui semper in tenebricosis locis delitescunt, & latebras quærunt. Spiritus rectus e contra spiritus est lucis, qui lumen diligit, & nihil noctis beneficio celare studet. Qualis est, talis videri vult, & quod ore præsefert, hoc corde gerit. Hæc illa suavissima simplicitas est, quam in pueris diligimus, quam etiam atque etiam Salvator commendavit, & quam moribus nostris exprimi tantopere S. Petrus concupivit. *Idem*.

Aliud discrimen spiritus recti cum spiritu doloso.

Spiritus rectus nihilominus hæret in electione mediorum, quibus utitur, quam in finis perquisitione. Quidquid obliquum est, & nonnisi per ambages ad exitum ducit; quidquid studium, & amorem proprium sapit, apud illum suspicione non vacat. Idem lumen, quod illi detegit finem, quem sequi debet, ostendit illi quoque media, ut illuc assequatur, adhibenda, & non electio, minus, quam intentio illius ab omni abhorret cupiditate. E contra vero mundi spiritus nihil inausum relinquit ut ad suos fines perveniat, & sacra profanis, terras cœlis, religionem avaritiæ, quæ proprie illius divinitas est, commiscet. In eadem ara Dagonem, Fœderisque arcam constituit; modum invenit, quo mundum cum Deo consociet, eorum principia, atque placita conciliet, & utrique sive simul, sive alternis inserviat; ubique invenit temperamentum, & nihil adeo remotum est, quod non conjungat, & quod simul se non speret compositurum. *Idem*.

Spiritus rectus nihil turpe operatur.

Spiritus, & cor rectum semper est nobile, & generosum. Licet de totius mundi interitu ageretur, nihil turpe, vel indignum auderet, neque aggrederetur aliquid, quod cordis indignitatem redoleret, nescit, quid sit a recta deflectere, ubi agitur de veritate, neque timorem novit, ubi suis non defuit officiis, neque applaudere didicit potestati, quæ caret æquitate. Adulationem detestatur tamquam virtutis inimicam, tamquam humanæ societatis vitius, & tamquam abjecti, & servilis animi argumentum. Spiritus duplex e contra modo in hanc, modo in alteram partem deflectit; & nihil est, quod non audeat, ut placeat; dicit, dicta retractat; laudat, quod vituperavit: quod laudavit, vituperat; omnem opinionem amplectitur, dummodo aliis jucundior sit, vel sibi utilior: hæc res illum mobilem facit, & libramentum addit iis, quæ damnat, & approbat. *Idem*.

De falsa prudentia.

Politia, & humana prudentia fraudibus tantum, atque dolis innititur, & quemadmodum sæpe suæ studet utilitati, ita fere semper injusta est. Versutia illi adeo ingenita est, ut omnia ejus consilia eadem imbuta sint. Probat calliditatem, quæ sibi prodest; & quoniam leges belli sinunt, hostes & vi, & dolo superari, putat se posse hac uti ratione cum omnibus hominibus, & satis esse, alterius æmulum esse, ut sit inimicus. Nequitiam suam in omne mundi commercium effundit; sive privati jurgia sua litibus dirimant, sive mercatores cum alienigenis negotientur; seu Principes per legatos simul agant, prudentia in sui tutelam versutiam vocat, atque in omnibus hisce muneribus, qui melius decipere didicit, hic prudentior habetur. Ita calliditas sæpe cum prudentia confunditur; & qui cœlesti lumine non reguntur, prudentes esse non possunt, nisi fiant veteratores. *P. Senault, in homine Criminoso, sermone quinto*.

Simplicitati comes semper esse debet prudentia.

Cum Dei filius suos erudit discipulos, nunquam illis suadet, ut serpentis prudentiam imitentur, quominus velit eos columbæ prudentiam imitari; simplicitas enim sine prudentia in insipientiam converteretur, & prudentia sine simplicitate in nequitiam. Tertullianus huic alludens loco dicebat, si optio sibi daretur, se columbæ simplicitatem prælaturum serpentis prudentiæ; & nisi evitare posset duo mala, quæ duas hasce virtutes comitantur, optaturum potius simplicem rusticitatem, quam prudentem versutiam. *Idem*.

Ubique simulatio, & versutia nobis occurrunt.

Videtur mundus in simulationum theatrum conversus, ubi vix, & ne vix quidem veritas dignosci potest; tot illi personæ induuntur. Diceres,

terræ

terræ nauseam fuisse immutatam & factam mare, ubi simplices sunt veluti reptilia callidiorum præda. Hæc sententia est prophetæ dicentis Deo; numquid, Domine, mortales tamquam simplices pisces effecisti? dolus ubique laqueos tetendit, & retia ad illos capiendos. *P. Caussinus in Aula Sancta.*

Honestus homo debet esse sincerus.

Honestus homo hanc sibi legem irrogare debet, ut nihil dicat umquam nisi quod cogitat, nihilque in vita fictum, ac dissimulatum præseferat. Si neminem vis fallere, cur tot ambagibus uteris? Naturaliter loquere, similiter operare. Ars, simulatio, versutia honestæ non sunt, & cordis nequitiam ostendunt. Si sinceritas absit, mundus deserendus est; sine hac civilis societas est latrocinium, nihil non intentatum relinquitur, ut sopor illis inducatur, cum quibus res est, & ut decipiantur. In hac agendi ratione nescio quid turpitudinis inest; qui honestos fovet sensus, animo fraudes fovere non potest. *Abbas de Bellegarde in considerationibus de morum concinnitate.*

Levia etiamque mendacia fugienda sunt.

Non desunt plurimi, qui ea damnant mendacia, quæ proximo aliquod inferunt detrimentum, & quæ perniciosa vocantur: verum pauci sunt qui vituperant, vel potius qui eum voluptate non proferant ea mendacia, quæ nemini afferunt injuriam, & quæ ad oblectationem dumtaxat effutiunt. At ne unus quidem est, qui non solum condemnet, verum etiam non laudet illa, quæ tantum abest, quod proximo inferant damnum, ut immo illum maxima afficiant utilitate. Attamen æterna veritas hæc non distinguit, & generaliter omnes, qui mentiuntur, condemnat: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psalm. 5. *Pater le Jeune sermone de Mendacio.*

Priscorum temporum probitas, & sinceritas.

Adeo sancta erat illis temporibus fides, ut falli posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, cæteros de suo affectu æstimantibus? & quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit ignorant: libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere, quod non sunt. Hinc Salomon ait; *Innocens credit omni verbo.* Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Hoc est innocentem esse, ignorare, quod noceat: & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene judicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. *S. Ambrosius de Officiis lib. 3. cap. 10.*

Christianæ simplicitatis character.

Hæc sinceritas, quam simplicitatem vocat Evangelium, non quærit abditas, obliquasque vias, ut ad suos fines perveniat; sed tuto incedit, quin vereatur, semper tamen prudentiam sapientis cum columbæ simplicitate conjungens; scit enim sine simplicitate prudentiam in improbitatem, simplicitatem vero sine prudentia degenerare in imbecillitatem; juxta illud Apostoli ad Rom. 16. effatum: *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo*, videlicet volo, prudentiam prohibere, ne decipiamini, quemadmodum simplicitas prohibet, ne decipiatis. *P. Dozenne sermone primo de Jesu Christi Divinitate.*

Mala quæ accidunt mendacio.

Virtutis, & veritatis inimicus ex omnibus vitiis, in quæ homines conatur impellere, potissimum eligit mendacium, cujus merito pater vocatur. Novit ille hoc aptissimum esse instrumentum ad hoc ut alia quælibet scelera committantur, atque celentur. Mendacium profecto homines fallit affirmando quod falsum est, & audacter negando quod verum est; justitiam decipit, corrumpit innocentiam, credulis imponit, innocentes insimulat, nocentes excusat, ac sexcenta alia committit flagitia, quæ Deus perhorrescit. Hoc etiam vitio dæmon utitur, ut serat discordias, turbas, & dissensiones in familiis, ut lites, ac simultates excitet inter consanguineos, & necessarios, ut plurimæ fraudes, doli, injustitiæ, perjuria fiant a mercatoribus, & opificibus malæ fidei; ut fictis testimoniis judiciorum rectitudinem prohibeant. *Liber cui titulus, Bellum vitiis.*

Mendacia & fraudes charitati christianæ adversantur.

S. Paulus in prima, quam ad Ephesios scribit, Epistola postquam dixit opus esse; ut veterem exuant hominem, ac novum induant, addit spiritalem hanc renovationem ex linguæ reformatione esse incipiendam: *Propter quod deponentes mendacium*, ait ille, *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* S. Chrysostomus rationem hanc ponderat, eamque præsentissimam putat, ad ostendendum, quo candore, qua simplicitate fideles sese vicissim complecti, & quanam sinceritate debeant operari. Corporis nostri membra, Pater hic ait, sese ultro citroque minime fallunt, si oculus videt anguem, vel præcipitem locum, non decipit pedem, sed monet illum, ne progrediatur. Ita cum fideles ejusdem corporis membra sint, dolum, & mendacium perhorrescere debent, ac fratres suos eodem amore, & sinceritate prosequi, qua seipsos diligunt; nihil enim profecto magis simultates, & inimicitias parit, & fovet, nihil magis charitatem evertit, quam mendacium, & dolus. *Ex Morali Christiana in* Pater *l. 3. sect. 4. art. 6.*

De versutia generatim.

Ex ea ratione, qua inter se vivunt homines, in hoc omnem industriam, laboremque suum collocare videntur, ut sese mutuo decipiant: mundus hodierna die adeo versutus est, sæpe fabula fit, qui bona fide operatur, & quamvis aliter animus, ingeniumque ferat, cogimur nonnumquam sensus nostros celare ad insidias, quæ nobis struuntur evitandas. Attamen calliditas ex honestorum hominum commercio esset proscribenda, tamquam virtus æquivoca vitium inter, & virtutem fluctuans, sed quæ plerumque sensus obliquat, & probitatem corrumpit: præsertim vero cum nobis res est cum parum religiosis hominibus, & qui fraudibus uti consueverunt. Vis vi, dolo dolus eluditur, verum hæc agendi ratio non satis probatur..... Nullus locus est, ubi bona fides sit diligentius servanda, quam in ludo. Non levis tentatio est plurimam lucrari posse pecuniam, arte sua utendo: honestissimi viri, & qui aliis quibusque in rebus plurimum rectitudinis, & probitatis præseferunt, non semper hanc tentationem eludunt, neque illi resistunt. Verum cur se periculo objiciunt? Honestus vir, cui conscientia sua fraudem exprobrat, hanccinne sibi dimittere potest? *Abbas de Bellegarde in præceptis ad societatem spectantibus.*

Versuti homines numquam honesti possunt haberi.

Qui versutus habetur, in civili societate numquam honestus homo censeri potest; nihil adeo turpe, quam sibimetipsi mentiri; id affirmando, quod in mente non est, ac sermonibus suis mentem ipsam impugnando. Mortales, de quibus non temere hæc perfidiæ suspicio percrebuit, non contemnimus tantum, sed odimus; ita enim evertunt essentiale principium necessitudinis, quam conjungere possumus. Veremur, ne eorum sermonibus decipiamur, neque hoc nos in periculo versari existimare possumus, quin illud oderimus, a quo huc nos adactos cognoscimus. Nobis imponens eudem exprobrat nobis simplicitatem, contemnendam imbecillitatem, modicum acumen, modicamque sapientiam, quæ agendi ratio cordatum virum, optimosque sensus foventem offendit. Immo ipsæ etiam vulgares animæ contra adeo injustæ humiliationis auctorem succensent. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta. Tomo 2.*

De Christiana, & Evangelica simplicitate.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5. Quamvis pauperes spiritu intelligantur illi, qui corde, & affectu a terrenis rebus expediti sunt, his tamen verbis alia appingi potest explicatio, cui non minus sanctitatis insit, atque ædificationis. Pauperes spiritu sunt homines simplices, qui mortalium contemptus objectum esse videntur; hæc simplicitas quædam est cordis affectio, quam omnes perhorrescunt; quamvis sancta sit, & quamvis Salvator illam hominibus etiam, atque etiam commendaverit, omnes tamen illam equis, atque quadrigis fugiunt. Qua in re eo procedit insania, ut plerique impudicos, bla-

blasphemosque mallent, quam simplices existimari. Hic benedictionis character nemini placet; & quamvis Jesus Christus docuerit, per hunc illos dignosci, qui ad ipsum pertinent, ab alienis; veritas hæc hyperbolica creditur exaggeratio, quæ neminem movet, vel persuadet. Ille simplex est, qui integer est, scelerisque purus, qui omni suspicione vacuus est, qui christianas virtutes vel tenet, vel acquirere studet, qui æquo incessu graditur, & sine ulla affectatione in virtutum praxi; & qui in nullo habet in discrimine laudem, probrumque, ut æque jucundi illi sint & ii, a quibus probatur, & ii, a quibus corripitur. *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in S. Matthæum.*

Quid sit parvulorum simplicitas hodie ignorantia ubique fraus, ubique versutia est.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cælorum. Joan. 15. Ubinam servatur præceptum istud, quo sicut parvuli fieri jubemur? quonam in statu, vel qua in conditione videtur, qui illius meminerit, vel qui illud adimplere contendat? Dicamus e contra, ubique prorsus opposita placita servari; neminem esse qui illud non oderit, non perhorrescat, non putet dedecus, veramque contumeliam officia, quæ in eo continentur. Parvuli isti, quos nobis Dei filius proponit, innocentes sunt sine dolo, sine fraude, sine versutia, sine nequitia; non mundum, non vanitatem, non opes diligunt. Quamvis ita affectus esse debeat fidelis, neque vere fidelis sit, in quibus hæc qualitas desideretur; attamen nullibi deprehenditur, nullibi invenitur, neque variæ hominum conditiones perfectissimam hac in re servare videntur conformitatem. Ecclesiastica, quæ præ ceteris religiosissima esse deberet, hac in re neque diligentior ulla est, neque fidelior. Qui primos obtinent gradus mundi sapientiam secuti simplicitatem hanc tantopere commendatam contemnunt. Cor eorum est duplex; quod cogitant, dolosis contegunt verbis; mendacio quamdam veritatis speciem inducunt, & veritatem pro mendacio volunt haberi. *Idem in Considerationibus in S. Lucam.*

Doli, quibus plerique homines utuntur, ut se invicem fallant.

Quisnam exprimere posset dolos, & fraudes, quibus hominum plerique utuntur, ut se invicem fallant? *Vani filii hominum, mendaces filii hominum, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Psal. 64. Fingunt, comminiscuntur, simulant, nihilque inausum relinquunt, ubi de sua agitur utilitate; omniaque illi bona videntur, dummodo sint cum eorum quæstu conjuncta. Causa vero, propter quam hæc agendi ratio licet injusta plurimos habeat sectatores, hæc est, quia nihil ferme superest charitatis; quilibet respicit, & inquirit quod suum est, neque religioni sibi vertit, crescere cum proximi detrimento. *Idem.*

MISERICORDIA DEI.

Confidentia in hac Misericordia, Præsumptio Misericordiæ; Diffidentia, & desperatio &c.

MONITUM.



DEI Misericordia ex iis est argumentis, de quibus in omnibus fere concionibus incidit sermo: ideoque nimis late pateret, nisi ad finem, præcipuumque divinæ misericordiæ coarctaretur effectum, videlicet ad peccatorum salutem, & conversionem; & quemadmodum misericordia in hoc præsertim elucet, quod illos prævenit, & inquirit, urget, ac sollicitat, ut revertantur ad Deum, illos clementer recipit, cum gaudio illis sævissimas quaslibet remittit injurias, quibus Deus affectus fuit, eosque in hujus amicitia, & eo jure, a quo per scelus exciderant, restituit, nec non gratiis, & favoribus cumulat; ita in hoc potissimum immorabimur, quin de aliis verba faciamus beneficiis, quæ totidem sunt apertissima ejusdem misericordiæ argumenta, & effectus.

Illud solum notandum est, ut hoc argumentum oratorie tractetur, 1. Nequaquam in eo concionem omnem verti debere, ut sublimis adstruatur divina hujus perfectionis idea, quin consideretur, quatenus refertur ad homines, qui præcipuum sunt misericordiæ hujus objectum. 2. Auditores non ita excitandos, ut in illa confidant, quin simul ostendatur communis peccatorum abusus, qui temeraria præsumptione in sceleribus volutantur sperantes se facile eorum veniam consecuturos. 3. Quemadmodum vera confidentia in Dei misericordia sita est inter extrema duo æque periculosa, & metuenda, alterum quidem per excessum, quæ præsumptio est, alterum vero per defectum, quæ est desperatio: tale servandum est temperamentum, ut peccator, in misericordia confidens, nunquam justitiæ timorem amittat.

Denique cum hoc argumentum nimis late vagetur, cavendum est, ne cum aliis confundatur, quæ cum hoc aliquam rationem habere videntur, & habent, qualia sunt confidentia in Deum pro vita hujus necessitatibus, distributio gratiarum Dei, quæ nota sunt, & effectus illius misericordiæ &c. Hæc separata sunt argumenta, de quibus sigillatim loco suo verba fecimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti structura.

I.



UT omnes homines præsertim vero summos peccatores ad divinam misericordiam perquirendam compellam, animus fere illius ostendere magnitudinem, quamvis nullis circumscripta sit terminis, ac toto cœlo major sit, quam hominum nequitia, & calamitas, quæ ejusdem objectum existit. Quamobrem æquiorem illius ideam vobis præbere nequaquam posse mihi videor, quam si ejusdem afferam dimensiones, quod de charitate divina facit Apostolus, quæ in Deo unum & idem est, vel si quod intercedit discrimen, illud a nobis statuitur diversum eidem tribuentibus nomen; quatenus hæc bonitas, & infinita charitas nostrarum miseretur ærumnarum, nobisque scelerum veniam largitur. Misericordis igitur charitatis hujus dimensiones per hæc S. Pauli ad Ephes. 3. verba denotantur: *Ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum:* quæ hujus concionis partitionem efficient, nobisque, ut arbitror, sublimis inspirabit grati animi sensus, ac metum, ne hac abuta-

abutamur misericordia, ac ne tandem patientia Dei fatigemus.

Dimensio prima latitudo ejus est, atque extensio, quippe sese ad omnia, quæ umquam fingi possunt, extendit peccata, quorum veniam concedit, & ad peccatores omnes, quibus recipiendis semper præsto est, ubi ad illam confugiunt animo a sceleribus suis recedendi. Cogita, quot peccata fuerint commissa, & quot quotidie in mundo committantur, & quot sint species eorum, quis numerus, quænam enormitas; super hæc omnia divina extenditur misericordia, & non exhauritur. Quot peccatorum Deus misertus est; & nonne profitetur, se eorum semper misertum, cum ad ipsum humiliato, & contrito corde confugerint? Illos immo in ipsis scelerum eorumdem volutabris conquirit; eos ex erroribus revocat, eosque ut ita dicam expansis excipit ulnis. Jure quidem Regius Propheta inquit, terram plenam esse misericordia Domini; & addit Ecclesia, misericordiam proprium illius characterem esse, atque naturam. Unus profecto Deus eam erga peccatores habet patientiam, quam dominorum nemo erga servos, & nemo parentum erga filios haberet.

Altera divinæ hujus misericordiæ dimensio est longitudo, quæ non aliud est, quam diuturna patientia: quam Scriptura toties commendat, & cui par fingi non potest; triginta enim, & quadraginta annis expectat peccatores obduratos, omnibus gratiis rebelles, iisque indignissimos; non fatigatur illos sollicitans, ac sæpe etiam usque ad extremum senium expectans, patiens illos impune leges suas perfringentes, ac sanctum nomen suum blasphemantes, neque illos umquam ita deserens, ut non relinquat illis spatium pœnitentiæ, & salutis eorum subsidia. O summam misericordiam! sed quotnam sunt eadem indigni, qui eam lacessere pergunt hoc usi prætextu, & qui quod Deus illos in præsens usque tempus passus est in sceleribus eorum, in iisdem perseverare volunt usque ad finem, quia Deus non alium misericordiæ suæ terminum, quam vitæ hujus spatium circumscripsit; idroque sperant se veniam impetraturos, licet plura sæcula in nequissimis flagitiis traduxerint.

3. Ut Dei misericordiam secundum illius altitudinem metiamur, ratio consideranda est, propter quam miseretur peccatorum, suamque misericordiam exercet erga eos, qui nonnumquam eadem sunt indignissimi; hac enim re supra hominum miserationem commendatur, quia ex propria dumtaxat bonitate miseretur, sine ullius utilitatis spe, & quin in peccatoribus ulla merita inveniantur, quæ benignos ejusdem obtutus in se convertere valeant: e contra quamvis illi promeriti fuerint gravissimas iræ, ultionisque divinæ pœnas, eos tamen inquirit tanta festinatione, quanta, si eorum opera indigeret; cum illis redit in gratiam unica lacrymula, unico suspirio commotus, illis suam restituit amicitiam, eaque jura, ex quibus per scelus exciderant. Intelligamus præstantissimam hanc, illecebrisque plenissimam bonitatem, fateamur indignitatem nostram, nosque in omnem æternitatem immortales habituros gratias, acturosque profiteamur: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Psalm. 88.

4. Possumus etiam quamdam profunditatis speciem in divina misericordia intueri ex comparatione cum hominum miseratione instituenda, quæ ut plurimum in speciem dumtaxat est, in verbis hærens, & raro ad effectus usque procedens. Perfectissima illa est, quæ verbis bona etiam addit officia, & insigne subsidium in gravi necessitate. Hujusmodi est Dei misericordia: ita ut ille cum Apostolo 2. ad Cor. 1. vocari possit *Pater misericordiarum, & totius consolationis*. Illi non suffecerunt verba, sed ad præstantissimos usque effectus processit; atque humanam induit naturam, ut nostris nos miseriis liberaret; omnes vitæ suæ labores, atque passiones mortis obtulit, ut scelerum nostrorum veniam obtineret, & nos in æternæ felicitatis possessionem adduceret &c. Nonne igitur in divina hac misericordia nobis est confidendum? Verum caveamus, ne per temerariam præsumptionem illa abutamur &c.

Ostendi potest qua bonitate utatur Deus erga peccatorem, quomodocumque ille affectus sit. II.

1. Fugientem sequitur, præstolatur, invitat, sollicitat, urget. 2. Redeunti occurrit, blanditur, suum reddit amorem, recipit, receptumque suis cumulat beneficiis.

1. Quam admirabili patientia tolerat Deus gravissimos peccatorum errores, eorumque reditum præstolatur, ubi recesserint. 2. Qua festinatione illos prævertat, eosdem inquirens, atque ad se revocans. 3. Quo affectu, & gaudio redeuntes excipiat. *La Font sermone pro Dominica 3. post Pentecosten.* III.

Fert animus hoc in sermone vobis exponere infinitas Divinæ misericordiæ divitias, ut Apostolus loquitur; verum non sine necessariis præcautionibus, ne iisdem abutamur. Cum enim saluberrimarum rerum abusus vulgo sit periculosissimus, idcirco tres potissimum vobis ostendam effectus, æque pares & cordibus vestris alliciendis, & mentibus vestris deterrendis. IV.

Primus est ardor, ac sollicitudo, qua clementissimus Deus peccatores in ipsis etiam scelerum eorumdem abyssis inquirit; sed ardor, & sollicitudo hæc tepescit, ac friget, cum peccatores, ut illum impune lacessant, audaci præsumptione ejusdem bonitate abutuntur.

Alter est invicta ejusdem patientia in illis perferendis, atque expectandis, donec revertantur; sed patientia hæc fatigatur, cum peccata in scelere obstinato perseverent animo per inanem confidentiam,

Tertius est, suavitas, & facilitas, qua recipit peccatores, cum convertuntur, & ex corde redeunt ad ipsum: verum suavitas, & facilitas hæc in inflexibilem, & inexorabilem degenerat severitatem cum peccator illum offendit vana spe facile veniam assequendi. Hæ, o fideles, tres sunt considerationes, quæ pariter excitare possunt spem peccatorum converti cupientium; & deterrere eosqui in divina præsumunt misericordia, & per hunc temerarium prætextum in peccatis suis perseverant. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Adventu.*

Confidentia in Dei misericordia considerari potest tamquam via, & tamquam obex conversioni peccatoris. V.

1. Tamquam via; hæc enim omnes efficit conversiones, nos ad illas invitat, & excitat; ad id autem necessarias habere debet conditiones. Prima est, quod proficiscatur ex viva fide bonitatis, & misericordiæ Salvatoris, qui non vult mortem peccatoris, sed e contra omnium salutem exquirit. Altera est, quod verum adsit salutis suæ desiderium; alioquin efficax non esset: sed motio simplex sine effectu: quia fieri omnino non potest, ut bonum aliquod efficaciter speres, nisi illud desideres. Tertia est, quod semper supponit efficacem recedendi a peccato voluntatem, cum æquum non sit, Deum misereri illius, qui in illius lædendi voluntate persistit. 2. Tamquam obex; hæc enim vetat, ne plerique peccatores convertantur, eosque pœnitentiam semper differre jubet. *P. Aurelianensis Tomo 1.*

De causis diffidentiæ in misericordia Dei, quæ totidem sunt periculosæ tentationes ab iis impugnandæ, qui serio converti desiderant. Prima est ex parte divinæ justitiæ, quam flectere se non posse peccator veretur. Altera oritur ex conscientiæ impeditioris perturbatione, quam se enucleare, & elucidare posse desperat. Tertiam gignit propriæ infirmitatis adspectus, quam se superare nequaquam posse arbitratur. In prima Deus peccatori tamquam omnino inaccessus videtur; hæc VI.

est

est diffidentia de illius misericordia; ubi peccator confirmandus est, atque ostendendum, Deum semper præsto esse, ut illum recipiat. In altera, probandum est, difficultatem hanc inanem esse, & de divina bonitate diffidentiam. Deus enim non petit a nobis, nisi illa, quæ possumus. Tertia est diffidentia de ejus auxilio, quæ superanda est spe, futurum ut illa numquam nobis desit. *Idem*.

VII. Ostendere possumus evitanda esse extrema duo, quæ metuenda illis sunt, qui in divina misericordia confiduot: prima est, sperare nimis: altera, nimis parum sperare. Sperare nimis est de divina misericordia præsumere; nimis parum sperare, est de eadem diffidere. 1. In parte priori hæc præsumptio, 2. in posteriori vero hæc diffidentia auferenda est,

VIII. 1. Quam misericors sit Deus erga peccatores, quos inquirit, præstolatur, & incomprehensibili recipit bonitate. 2. Qua confidentia peccatores ad Dei misericordiam confugere debeant.

IX. Non ita cogitare debemus Deum misericordem, humanique generis Salvatorem, ut non meminerimus justum esse, ac venturum aliquando ut nos judicet. 1. Hæc cogitantibus Divina misericordia numquam est separanda a justitia; ut metuentes sperent: *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*. 2. Neque separanda justitia est a misericordia, ut metuant quidem, sed non desperent. Ita confidentia sine præsumptione erit, & metus sine desperatione.

X. 1. Quid divina præstet misericordia, ut peccatorem servet; illum videlicet sua prævenit gratia, & longissime aberrantem inquirit: illi aufert opem, ac spem, quam in rebus creatis habebat, ut facilius revertatur ad Deum nullos inveniens obices, quibus prohibeatur; & demum illi propinat delicias omnes, quibus perfruuntur, qui serviunt Deo, postquam fuerit expertus amaritudinem, qua inebriantur, qui famulantur mundo. 2. Fidelitas, quam vicissim ex parte sua præstare debet peccator divinæ erga se bonitati, & misericordiæ; videlicet ne aures claudat Deo vocanti, ne illius gratiis resistat; ne hac abutatur bonitate inde prætextum arripiens procrastinandæ pœnitentiæ, & in flagitiis suis perseverandi; denique ut illi per amorem gratique animi affectum adhæreat.

1. Divina nos vocat misericordia, nos invitat, nos urget, ut ad eam confugiamus: vult ergo nostram conversionem, atque salutem: propositio prima. 2. Misericordia hæc postulat, ut nostræ salutis acti desiderio ad ipsam confugiamus; opus est ergo ut & ipsi nos conversionem, salutemque nostram velimus. *Ex morali dictionario*.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde copia hauriri possit ad proposita argumenta exornanda.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *libro de vita Christiana c. 5.* docet, non ideo tutos nos esse, quia Deus differt irrogare supplicia.

Idem *in Psalm.* 144. ostendit nimiam in Dei misericordia confidentiam, & desperationem æque esse in peccatore pertimescendas.

Idem *lib. de Catechizandis rudibus* contra illos invehitur, qui sub prætextu obtinendæ veniæ in flagitiis suis perseverant.

Idem *Tract.* 13. *in Joan.* docet nimiam confidentiam, & desperationem æque exhaurire fontes misericordiæ Dei.

Idem *Serm.* 71. *de divers.* ostendit Verbi Incarnationem magnum esse opus divinæ misericordiæ.

Idem *in Psalm.* 58. *Serm.* 2. hæc explicans verba; *Deus meus misericordia mea*, docet Deum erga homines totum esse misericordiam.

Idem *in Psalm.* 102. ostendit Dei patientiam in peccatoribus perferendis.

Idem *Tract.* 36. *in Joan.* ostendit Deum semper misericordiam suam ante justitiam exercere.

S. Hieronymus *l.* 8. *in c.* 26. *Isaiæ* hæc verba interpretatus: *Indulsisti, Domine, indulsisti genti* &c. ostendit quomodo peccatores divina misericordia semper abusi sunt, *& l.* 2. *in c.* 6. *Osee*.

Idem *l.* 5. *in c.* 6. *Ezech.* ostendit iram non esse naturalem Deo, sed ipsum natura sua clementem esse, & misericordem.

S. Gregorius *l.* 6. *Moral. c.* 4. hæc explicans verba cap. 24. Job: *Dedit ei Deus locum pænitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam*, loquitur de communi Divinæ misericordiæ abusu.

Idem *Hom.* 9. *in Evang.* hæc Regii Prophetæ ponderat verba: *Deus meus, misericordia mea*, & ostendit magnam Regis hujus in divina misericordia confidentiam.

Idem *l.* 5. *in Reg.* docet, peccatori ita in Divina misericordia confidendum esse, ut non præsumat.

Idem *l.* 2. *in Reg.* prolixum habet sermonem de præsumptione in misericordia Dei.

Idem *in* 6. *Psalm. Pœnit.* plurima refert exempla misericordiæ Dei.

Idem *Hom.* 20. *in Ezech.* ostendit Jesum Christum fontem esse misericordiæ, & omnes recenset occasiones, in quibus illam exercuit.

Origenes *l.* 2. *super Epist. ad Rom.* hæc explicans verba: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* docet has divitias patientiæ, & longanimitatis in eo positas, quod tolerat peccatores.

Idem *l.* 7. *in eamd. Epist.* hanc Dei explicans patientiam, illius ostendit magnitudinem.

S. Chrysostomus *Serm. de Adam, & Sodomitis, & Achab*, ostendit quoties Deus misericordia usus sit erga nequissimos peccatores.

Idem *Homil.* 2. *in Psalm.* 50. hæc explicans verba: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, ostendit divinæ misericordiæ magnitudinem.

Idem, vel auctor imperfectus in S. Matthæum hæc explicans verba: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina &c.* ait Deum non tantum irritatum videri, quod hominum sceleribus læsus fuerit, quam quod illa punire tenetur, & eos perdere, a quibus contumeliis afficitur.

Idem *l.* 1. *de Providentia Dei* ostendit misericordiæ divinæ magnitudinem intelligi, & explicari non posse.

Idem *serm.* 1. *de Elia* commendat Dei misericordiam contra severitatem, qua in rebelles agit cupiebat Elias.

Idem Tomo 5. Homil. 60. ostendit Deum semper esse misericordem, etiam cum severissime punit.

Idem sermone 14. in S. Matthæum docet ad misericordiam Dei semper esse confugiendum.

S. Basilius *Homil.* 8. *in Psalm.* 32. hæc explicans verba: *Diligit misericordiam, & judicium*, ostendit, Deum semper efficere, ut misericordia justitiam præcedat.

Idem *in Homil. Exhort. ad Baptism.* docet Dei misericordiam peccatori ad se confugienti recipiendo paratam esse.

S. Fulgentius *de fide ad Petrum Diaconum* c. 3. ostendit quonam in periculo sit, qui permanet in peccato temere in divina misericordia confidens.

S. Augustinus in Psalm. 102. ostendit, quam misericors sit Deus ob hoc etiam, quia nos omni ratione vocat ad pœnitentiam.

S. Chrysologus *Serm.* 1. *de filio prodigo*, imaginem benevolentiæ Dei erga peccatores nobis ostendit ea in ratione, qua prodigus filius a Patre receptus fuit.

Origenes *Homil.* 1. *in c.* 1. *Jerem.* ostendit Deum toto cœlo ad miserendum, quam ulciscendum esse proniorem.

S. Bernardus *serm.* 5. *in vigil. Nativ.* rationem reddit, cur Deus Pater misericordiarum vocetur.

Idem *serm.* 16. *in Cant.* explicans hæc Isaiæ verba:

Ut

Ut prædicarem captivis indulgentiam, docet quam suavis, & misericors sit Dei Filius.

S. Petrus Damiani *serm. de S. Martino*, peccatores hortatur, ut ad Dei misericordiam perfugiant. S. Anselmus *l. 2. Cur Deus homo c. 2. & 9*, loquitur de divina misericordia.

S. Antonius Patavinus *in Dom. 4. Quadrag.* docet de misericordia Dei numquam esse desperandum.

S. Thomas Villanovanus *tract. de Adventu*, ostendit nobis desperandum non esse propter criminum nostrorum magnitudinem.

Ascetici, aliique, Taulerus *apud Blosium de Consol. pusillan.*

Ludovicus Granatensis in Duce peccatorum c. 10. divinæ misericordiæ magnitudinem in Deo homine facto, & nostrorum peccatorum pondus subeunte ostendit.

Idem in memoriali cap. §. 3. probat, Dei misericordiam nitidius, & sæpius præ aliis ejusdem perfectionibus elucescere.

P. Ludovicus de Argentano Capuccinus in Theologicis, ac spiritualibus Collationibus collatione 20. de misericordia Dei.

P. Chabu in scientia salutis tractatu tertio de boni perquisitione cap. & art. 1. fusius de divina loquitur misericordia.

P. Antonius a S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur: *les Conduites de la Grace*, parte 1. prima veritate, probatione octava.

P. Lessius in opusculis tractatum habet de Dei misericordia, cujus vestigiis insistens P. Maucorps duodecim edidit sermones de divinis perfectionibus.

In opusculis Cardinalis Bellarmini Tomo 1. de gradibus, quibus spiritus in Deum ascendit, gradus 14. est divina misericordia.

P. Cheminais in sensibus Asceticis egregiam adstruit divinæ misericordiæ ideam in filio prodigo.

P. Nepveu Tomo 1. Christianarum Considerationum. Consid. pro 28. die Februarii.

Idem tomo 3. Consid. pro 20. Julii, & 16. Septembris.

Idem in modo sese præparandi ad mortem, veritate 15. vero fideli mortem non esse metuendam.

In libro, cui titulus, Jesu Christi Passiones, ostenditur, quanto dolore affectus fuerit Dei filius propter Judæ desperationem.

Tiberge in recessu spirituali die tertia, lectione secunda proponit divinæ misericordiæ exemplar in parabola filii prodigi, quam fusius amplificat, & quæ non longe abludit ab explicatione, & Paraphrasi, quam ejusdem argumenti exornavit P. Cheminais in libro, cui titulus: sensus Ascetici.

Liber cui titulus, Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta. Tomo tertio.

Concionatores, qui de hac re sermones ediderunt. Joly Propositione pro tertia post Pentecosten Dominica.

P. Aurelianensis Tomo 1. sermone de Confidentia in Deum, & usu illius faciendo.

Sarazin Tomo 1. Adventus sermone 10.

P. Duneau sermone pro tertia post Pentecosten Dominica.

Idem in Adventu pro Dominica secunda.

La Font Sermone pro Dominica tertia post Pentecosten.

P. de la Colombiere Tomo 4. sermone 66.

Idem in Christianis considerationibus loquitur etiam de misericordia Dei erga peccatores.

Biroat in Adventu sermone septimo.

P. Masson Oratorii Presbyter sermone quinto Adventus.

Abbas de Monmorel Homilia in Evangelium Dominicæ 21. post Pentecosten.

In morali dictionario titulo *misericordia* duos habes sermones cum plerisque hujus argumenti considerationibus.

In speciminibus sermonum pro Dominica tertia post Pentecosten.

P. Giroust in Adventu, prætexta nono sermone de spe Christiana.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone quinto Adventus, ubi loquitur de misericordia Dei, & inani ejusdem præsumptione.

Qui collectanea hujus argumenti ediderunt. P. Ludovicus Granatensis in libris communibus, titulo *Desperatio*.

Busæus in Panario titulo *Præsumptio*.

Lohner in Bibliotheca manuali, titulo *misericordia*,

Labatha in thesauro, titulo *misericordia*.

Quicumque de pœnitentia, & peccatoris conversione loquuntur, verba faciunt etiam de divina illos recipiente misericordia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes scripturarum huic argumento.

Deus, misericors & clemens, faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exod. 34.

Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis. Ibid.

Universa via Domini, misericordia & veritas. Psalm. 24.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. Psalm. 31.

Oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant in misericordia ejus. Psalm. 32.

Corroboravit misericordiam suam super timentes se. Psalm. 102.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Ibid.

Deus meus, misericordia mea. Psalm. 58.

Domine in Cælo misericordia tua. Psalm. 35.

Magna est super Cælos misericordia tua. Psalmo 107.

Miserator & misericors Dominus: patiens, & multum misericors, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Psalm. 144.

Misericordia tua Domine plena est terra. Psalmo 118.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Psalm. 129.

Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Psalm. 100.

Misericordias Domini in æternum cantabo. Psalmo 88.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Psalm. 50.

Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Psalm. 144.

Erravi, sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum. Psalm. 118.

Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Sapient. 11.

O quam bonus, & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant, corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, ut relicta malitia, credant in te Domine. Sap. 12.

Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se. Eccli. 17.

Ne dixeris; Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim patiens redditor. Eccl. 5.

Ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ibidem.

Expectat Dominus ut misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis. Isaiæ 30.

Misericordia Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus. Thren. 3.

Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Ezech. 33.

Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, vita vivet, & non morietur. Ezech. 18.

Pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata. Eccl. 2.

In

In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans. Jerem. 31.

Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. Jonæ 3.

Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Habacuc. 3.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto. Luc. 1.

Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Luc. 19.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ad Rom. 2.

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Ad Rom. 5.

Deus autem, qui dives est in misericordia. Ad Ephes. 2.

Sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum. Ad Rom. 9.

Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire. 2. Petri, cap. 3.

Superexaltat misericordia judicium. Jacobi 2.

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Ad Titum 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Dei misericordia erga Adā.

QUemadmodum homo fragilis semper fuit, ita semper divina illum conquisivit misericordia. Vix creatus, lapsus est; sed vix lapsum misericordia quæsivit: *Adam ubi es?* Postulabat justitia, ut modo insignibus adeo, & manifestis Dei cumulatus beneficiis, penitus ad nihilum redigeretur ob ingrati animi vitium. Utique, Sanctus Chrysostomus inquit; *Justitiæ ratio hoc exigebat;* ordo hic erat, quem a divina sapientia æquitas postulabat: verum Deus neque justitiam, neque iram suam audit, suam tantummodo consulit bonitatem. Accedit ad Adam, tamquam medicus ad ægrotum; nulla utitur exprobratione; suaviter illum interpellat; solus ad solum loquitur, & veluti ad amicum in gravem aliquam lapsum calamitatem. Illum ex nomine appellat, quod quidem est amoris argumentum.

Exemplū Divinæ misericordiæ in Noeticæ Arcæ structione.

Voluit Deus Noeticæ constructionem Arcæ, quæ ducentis annis ædificata est, esse quamdam vocem, perennemque prædicationem, qua homines admonerentur, quid illa esset metuendum. Bonitas ejus, quæ ægre homines punit, & quæ ad sontes plectendos lento procedit gradu, quia non lætatur in perditione illorum, diuturnum hoc illis temporis spatium tribuit, ut resipiscerent. Docere homines voluit, qua patientia, & lenitate uti debeant cum impiis, qui boni fieri possunt, cum vident a Deo tolerari tot annos, quamvis ille sciat numquam ad frugem redituros: *Dat pœnitens spatium ut nostram patientiam exerceat, & informat exemplo suo &c.* Sanctus Augustinus de catechizandis rudibus cap. 19.

Misericordia Dei vel in ipsa justitia quam in Sodomam, & Gomorrham evertit.

Deus Abraham admonuit consilii sui, quod de infamissimis Sodoma, & Gomorrha urbibus evertendis inierat, non tam, ut illum secreti certiorem faceret, quam ut illum impelleret ad preces pro miseris effundendas, ac iræ suæ inhibendos effectus. Itaque Abraham, cui Dei mens perspecta, exploratataque fuit, preces addidit, ac Deum eo compulit, ut profiteretur, si in civitatibus illis decem dumtaxat invenirentur homines justi, se a cæterorum supplicio temperaturum. Profecto cum cogitur Deus insignes de nocentibus pœnas reposcere, diceres illum pati malum, quod infert; tanto inde dolore conficitur. Quid, inquit ille Genes. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo hominem, quem creavi?*

Sensus Moysi erga misericordiam Dei.

Narratur in Exodo Moyses, postquam rubrum siccis pedibus transfretasset mare, ac per medios fluctus, quibus mox Ægyptii absorpti fuere, feliciter Israelitas traduxisset, ex deserti ora oppositum prospiciens littus Ægyptiorum, qui naufragium fecerant, cadaveribus tectum, oculos in cœlum, manusque sustulisse, & effecisse ut populus Eucharisticum Deo canticum concineret in gratiarum actionem, laudemque Dei, qui insigni potentiæ suæ miraculo eos salvos fecerat, postquam illos alio bonitatis, & misericordiæ suæ prodigio ex Ægypti servitute eripuerat: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Exod. 15. Hi sunt sensus, quos fovere debet peccator, quem Deus diu præstolatus est, ubi cogitat se tot annos in Dei, & salutis suæ oblivione traduxisse, tot scopulos, & pericula, in quibus alii plures naufragium fecerunt, evitasse; sibi pepercisse Deum largitum pœnitentiæ tempus tot aliis negatum, quos præceps mors, ac terribilis divinæ justitiæ effectus abstulit.

Dei erga Ninivitas misericordia.

Quid factum fuisset de Ninivitis, nisi divina misericordia eorum pœnitentiæ quadraginta dierum spatium concessisset? Injuria ob id irascitur Jonas; audi, quid illi respondeat Deus Joan. 4. *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti, ut cresceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit: & ego non parcam Ninive civitati, in qua sunt plus centum viginti millia hominum* opera manuum mearum? Servus impatiens est, summus quidam vir ait, & Dominus nihil festinat. Servus vult populum perire, quia peccavit, & Dominus expectat, donec ille peccatorum suorum agat pœnitentiam, ut hæc illi remittere valeat.

Manasses, filiique ejus Amon exemplū docet nobis semper in Dei misericordia, sperandū esse ejusque metuendā esse justitiam.

Audiamus, quid dicat scriptura de duobus Principibus, quorum exitus longe alius fuit, licet illorum similis fuerit nequitia. Manasses postquam vitæ suæ spatium in licentia, scelere, & impietate traduxisset, tandem peccatum suum detestatus est, & a Deo, quam poposcit, gratiam obtinuit. Amon filius Manasse *ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus, servivitque immunditiis, quibus servi erat pater ejus, & adoravit eas.* 4. Reg. 21. Sed in ipso juventutis flore vitam amisit; fortasse exemplo patris sui fretus, se quoque ut illum postquam pœnituerit, vitæ suæ finem impositurum. Duorum horum regum exemplo, quod Spiritus Sanctus ad nos erudiendos ob oculos statuit, discamus semper in Dei misericordia sperare, quantumvis nefarii simus peccatores, ubi ex animo ad eum revertamur; & ultricem illius vereri justitiam, ubi tranquille in sceleribus nostris persistimus, hanc prætexentes causam, quod longum adhuc nobis absolvendum superest stadium, & quod unicum satis esse potest momentum, ut gravissimorum scelerum veniam petamus, atque obtineamus.

Exemplū misericordiæ in vocatione S. Matthei, & Zachæi.

Sanctus Matthæus divitiarum actus cupiditate, quæstuosissimo fungebatur munere, quo mortales miserorum sanguine saginantur. Hoc in statu nulla est cogitatio salutis, perfectionis, æternitatis, cœlestium bonorum; unicum illius votum erat thesauros thesauris aggerere, omnisque illius cura in terrena hæc versabatur. Jesus de industria ante illum pertransit, eumque in telonio sedentem intuitus sequi jubet: *Veni, & sequere me.* Matth. 9. O summam miserationem! efficit, ut periculoso valedicat muneri, eumque Apostolum facit. Zachæus vero juxta mundi consuetudinem, moresque vivebat; hoc est immodicas libidines, apertasque fraudes perosus, quæ nomini labem inurunt apud homines, in deliciis habebat luxum, vanitatem, ludum, voluptates, verbo quidquid ut plurimum commodum, felicemque fortunam concomitatur. Si cupide prætereuntem videre Jesum Christum conatus est, id uni illius curiositati referendum est. Hic Homo Deus habebatur tamquam propheta magnus, & reliquorum hominum vulgo dissimilis; ut plurimum hujus characteris hominem saltem ex facie cognoscere quærimus. Jesus illum in turba distinguit, illum

acceſſit, apud illum ſe non invitatus invitat, eumque diſcipulorum ſuorum numero accenſet. Quodnam miſericordiæ exemplum erga hominem, qui adeo parum gratiam hanc merebatur! Sed hic miſericordiæ Deus venerat, ut quæreret peccatores.

Jeſu Chriſti clementia, & lenitas erga mulierem adulterã.

Adultera mulièr nuperrime in adulterio fuerat deprehenſa: non poterat hæc evitare mortem, quandoquidem hoc ſupplicium irrogabatur Moyſia lege; neque illud evadere ei licuiſſet, ſi Scribæ rite eam coram judicibus accuſaſſent. Illa tamen, licet tantum ruboris, atque periculi ſibi imminerer, inconcuſſa videbatur, & quin expeteret opem Jeſu, ad quem fuerat adducta, cum unicum vix protuliſſet verbum, Jeſus prior illam interrogat, cauſam ejus ſuſcipit, & illam abſolvit.

Illius erga S. Petrum miſericordia.

Sanctus Petrus moniti præceptoris ſui oblitus, in nequiſſimam lapſus fuerat infidelitatem, profeſſus jurejurando, ſe inter diſcipulos illius numquam adlectum, numeratumque fuiſſe; cum ter negaverat; ejuſque cæcitas, error, pertinacia longius proceſſiſſent, niſi Deus clementi, ac miſericordi intuitu illum occupaſſet. Licet ut ſummo Synagogæ Sacerdoti reſponderet, intentus eſſet, voluit tamen muta voce eidem fidem facere, quod ipſum diligebat, ejuſque curam gerebat.

Illius miſericordia Magdalenæ peccata dimittentis.

Quemadmodum Magdalena fidelibus veluti perfectiſſimum animæ pœnitentis exemplar proponitur, ita veriſſimum eſt, ac maxime admirandum miſericordiæ Salvatoris exemplum. Hujus loci non eſt docere, quomodo ſe miſericordia hac indigniſſimam præbuerit flagitioſiſſimo vivendi genere, & quibus ſceleribus peccatricis nomen fuerit adepta: verum ideo hoc nomine paſſim Jeroſolymæ cognita, appellataque fuiſſe videtur, ut melius eniteſceret magnitudo miſericordiæ illius, qui venerat, ut nequiſſimum quemlibet conquireret, & ſalvum faceret. Inſignis iſta peccatrix vix ad Salvatoris pedes procubuit, cum oculi ejus in duplicem lacrymarum fontem immutati ſunt, quibus omnia ſua delicta ſubmerſit. O quam eloquentes fuere ejus lacrymæ, quam valida ejus ſuſpiria! Vocibus non fuit opus ad gratiam obtinendam; nulla eſt eloquentia ad perſuadendum magis efficax, quam lacrymarum; hæc eſt cordis lingua, & eloquentia Sanctorum plurimum valens apud Deum. Illud autem præſentis eſt argumenti, quod miſericordiarum Deus hanc audit linguam, illi peccatorum veniam pollicetur, & ubi peccatum abundaverat, ſeſe ibi largius gratia Redemptoris effudit, ita ut illa facta fuerit exemplar pœnitentiæ, ardentis in Deum charitatis, ac præſtantiſſimæ ſanctitatis, quæ eamdem integerrimis, ſanctiſſimiſque animabus æquavit.

Salvatoris erga Sanctum Paulum miſericordia.

Satis conſtat qualiter affectus fuerit S. Paulus, antequam converteretur: hoc ipſe docet, ad Galat. 1. *Supra modum perſequebar Eccleſiam*, ita ut id nunc reputans perhorreſcam. Igne micabant oculi, odio, & ultione cor tumidum erat, minas, cædeſque anhelabam. Quis crediſſet umquam, divinam miſericordiam illud temporis momentum expectaſſe, ut illum evocaret? Attamen tunc de cœlo circumfulſit eum lux, vocemque ipſe audiit ſibi dicentem; *Saule, Saule quid me perſequeris?* in me tua vertitur rabies? Non ſine miraculo vox hæc Pauli auribus intonuit; ſed miſericordiæ miraculum fuit, quod illum inquireret, & acceſſeret, tunc cum in Deum magis furebat, eumque eligeret, ut perſecutorem ſæviſſimum in maximum Apoſtolum, firmiſſimamque Eccleſiæ ſuæ columnam converteret.

Una Judæ deſperatio Salvatoris miſericordiam prohibuit.

Judas, heu! hoc dumtaxat proferens nomen vobis exhibeo peccatorem, eorum omnium, qui extiterunt umquam, nequiſſimum, ac pertinaciſſimum. Ita profecto haud ægre exiſtimabitis ab hoc proditore nequaquam quæſitum fuiſſe Deum, & Salvatorem ſuum, atque ab hoc veniam rogatam fuiſſe, quam impetraſſet, ſi ad illius miſericordiam confugiſſet. Judas, inquam, cum maxime fureret, atque ad ſcelus patrandum raperetur, vidit Jeſum pedes ſibi abluentem, ſe amici, diſcipulique loco excipientem, amplectentem, deoſculantemque. Heu! nonne inſignia hæc ſunt bonitatis, clementiæ, ac divinæ miſericordiæ argumenta, cujus fons ulla umquam noxa exhauriri potuit, præterquam calamitoſi hujus hominis deſperatione, qui ideo periit, quia ad illam confugere detrectavit?

Parabolæ Evangelicæ magnitudinem divinæ miſericordiæ ſignificantes.

Non ſatis fuit Dei filio dum vixit in terris jugiter ſuam exercere miſericordiam erga peccatores, voluit etiam pluribus parabolis docere, quanta, & quam facilis eſſet, ut illos ad eamdem implorandam excitaret. Ex illis vero præcipuas hic attingemus.

Prima eſt Paſtoris centum oves habentis, quarum una deerravit. Paſtor hic reliquas in deſerto relinquit, ut deerrantem inquirat, quam inventam humeris imponit ſuis, atque ad gregem reducit lætior ob hanc unam inventam, quam ob aliarum, quæ in deſerto permanſerant, incolumitatem. Ita, addit Evangelium, Angeli in cœlo magis lætabuntur ob unius peccatoris converſionem, quam ob juſtos nulla pœnitentia indigentes.

Altera ſervi eſt Principi cuidam decem mille talenta debentis; qui cum ille ſolvendo non eſſet, ad pedes Domini provolutus temporis moram ad ſolvendum ex aſſe popoſcit. At Princeps ratus ſervum numquam ſolvendo futurum, miſertus ejus vicem, debitum omne large eidem dimiſit; *Miſertus Domini ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Matth. 18. Hinc intelligimus peccatum debitum eſſe, cui ſolvendo pares eſſe non poſſumus, atque ubi pro virili adniſi ſumus, ut illius remiſſionem obtineamus, ad Dei miſericordiam eſſe confugiendum.

Tertia eſt filii prodigi in miſerrimo ſtatu ad patrem redeuntis, quem pater ſumma excipit humanitate. Hoc miſericordiæ exemplum ita Dei clementiam, & bonitatem ob oculos ponit, ut quicumque argumentum hoc pertractarunt, illud graphice deſcribere conati ſint; inter cæteros vero P. Cheminais in ſenſibus Aſceticis, P. de la Colombiere, ſermone de miſericordia; P. Aurelianenſis in uſu confidentiæ; Joly, propoſitione de miſericordia; la Font, ſermone pro tertia poſt Pentecoſten Dominica &c. Eorum autem, quæ ab illis dicta ſunt huc afferam compendium.

Prodigi filii Parabola maxime in modum divinæ miſericordiæ magnitudinem nobis oſtendit.

Nulla umquam magis aperta deſcriptio facta eſt, quam quæ a Jeſu Chriſto in prodigi filii parabola adhibetur. Voluit Salvator omnes afferre circumſtantias ſcelerum illius, ut paternæ in ipſum miſericordiæ magis intelligeremus effectus. Ingratus hic filius nullam habet optimi parentis rationem, qui tanta illum proſecutus fuerat benevolentia, cumque tanta cura educaverat. Ex eo legitimam paternæ ſubſtantiæ partem ſibi debitam petit, & quin illum vel monita, vel blanditiæ, vel dolor, quo pater conficiebatur ob ipſius diſceſſionem, moverent, illum exultans præ gaudio relinquit, & in remotam ſecedit regionem, ut ex oculis illius elabatur, cujus auctoritatem, imperiumque pati non poteſt: parentis enim adſpectus illum inter ſcelera ſua verſantem turbaſſet. Vix autem ſeceſſit, cum patria oblitus conſilia in omne effuſioris libidinis genus ſe tradit, ita ut brevi ingentia obligurierit bona ad extremam mendicitatem redactus ..... Tanta pauperie laborans apud quemdam regionis illius civem ſervitutem ſervire exorſus eſt; altera inde calamitas; cecidit in captivitatem; ab hero ſuillo gregi paſcendo præficitur, cui invidet eſcam, qua veſci eidem non licet. Prodigi hujus filii vivendi ratio, atque calamitas nonne noſtram in primis refert? Singuli hæc ſecum ipſi conferant, & ſatis juſtam applicationem invenient. Hæc ingratiſſima vivendi, agendique ratio locumne præbere poterat filio, qui omnem humanitatis ſenſum exuerat, ullas inveniendi bonitatis, & miſerationis reliquias in corde patris adeo crudeliter laceſſiti, & injuſte irritati?

tati? Omnem immo desperandi locum habebat, & se aliquid umquam obtenturum sperare non poterat. Attamen radius quidam spei inter has turbas internitens conversionis ejusdem opus absolvit. Secum igitur reputans Patris benevolentiam, confidentiæ sensum induis, & licet Pater unus ille sit, quem læseris, in uno tamen illo confidit. Non quærit perfugium apud amicos, quos immodicis libidinum suarum sumptibus sibi fortasse comparaveras; infidos amicos, qui postquam ex illius prodigalitate quæstum perceperant, omnium primi ejusdem nequitiam damnassent. Ad Patrem meum conferre me volo, utique ad Patrem meum; novi animum illius, & ubi me ad officium redeuntem adspexerit, acceptam obliviscetur injuriam. Si nulla nisi in hominibus reliqua mihi spes esset, de me jam actum esset; non solum aures negarent petenti, sed misero quoque insultarent; verum in patris mei corde fontem bonitatis inveniam, quem peccata mea exhaurire non valuerunt. Verum quid illi dicam? Quibus eum alloquar verbis, post tot scelera? Dicam ea, quæ obsequentissimus suggeret dolor. Incipiam illi in mentem revocans, ipsum Patrem esse mihi; ac ipse quoque animo reputans patrium amorem, quo abusus sum, ad illius genua provolutus, quin ullam afferam excusationem, quin scelus imminuam, fatebor omnia: *Pater peccavi in cælum, & coram te*. Luc. 15. Pater statim ac eminus filium redeuntem prospexit, misericordia motus est; neque enim cor ejus statim in iras exarsit, licet justissima adesset causa, sed ad miserationem inclinatum est. Neque affectus ille meditatus fuit, sed naturalis, cujus adeo parum fuit compos, ut neque brevi temporis spatio vultum ad severitatem componere potuerit, ut adeo inhumanum filium redargueret: *Accurrens*. Neque solum illi se obvium dedit, quod plurimum quidem fuisset; sed suæ infirmitatis, patriæque dignitatis, seniique oblitus cucurrit. Immo neque illum pedibus suis provolutum sustinuit; sed irruens in collum ejus eumdem amplectitur, atque osculatur, neque tempus permittit illi, quo ea proferat, quæ fuerat præmeditatus. Non filii sermonem, sed suum audit affectum. Statim præterita omnia oblivioni traduntur; dolet filii casum, eumque tamquam amantissimus pater, non tamquam offensus excipit. Verum quænam fuit exundantis lætitiæ magnitudo in filio sese inter patris sui amplexus intuente tot exceptum benevolentiæ argumentis, quot non antea fortasse fuerat expertus? Quisnam illius fuit dolor eo quod adeo amabilem parentem offenderat? Tunc profecto gravissimo doloris vulnere confectus fuit. Ita peccator ad Deum reversus, cœlique gratiis cumulatus dolore angitur, ac pœnitentia. Ille & propter præteritam noxam, & propter præsentem gratiam rubore suffunditur; ista comparatio illi amorem ciet, atque admirationem; centies sua detestatur flagitia; illa conatur lacrymarum imbre detergere, suspiriisque, & sexcentis æternæ fidelitatis protestationibus reparare.

Quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento Applicationes.

Divinæ misericordiæ effectus est peccatores admonere, ut ultionis tela evitent.

DEdisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Psalm. 59. Hoc ipsi dicere possumus quotiescumque in nos Dominus irritatus videtur. Ira ejus effectus est misericordiæ ipsius, quæ nobis ostendit, quid metuendum sit, ut illud effugiamus; eadem præter propter ratione qua qui in scopum collimat, atque eminus librat missile, eos, qui ante ipsum sunt, admonet, ut recedant; num homini huic, telum contorquenti in animo est aliquem ferire? E contra clamat, & monet, ut sibi quilibet caveat. Hoc ipsum præstat Deus aliquem puniturus; minitatur, periculum ostentat, atque ut illud quisque effugiat, certiores facit: *Dedis eis significationem, ut fugiant a facie arcus*. Universali diluvio mortales omnes delere vult; centum annos ante minitatur excidium, ac jubet arcam ædificari, qua hominum reliquiæ servarentur. Pharaonis sævitiam, atque impotentiam punire cupit; illum per Moysem admonet, & antequam in ipsius personam animadvertat, regnum illius decem plagis affligit. Quorsum istud? Ut videlicet peccatores resipiscant, & ultionis suæ effectus evitent.

Deus quodammodo per misericordiam se multiplicat.

Deus multus est ad ignoscendum. Isaiæ 55. Ex his verbis conjicimus, videri Deum se ipsum multiplicare ut misereatur, ad innuendum ipsum cum gaudio, & voluptate misereri. Alia versio: *plurimus est ad ignoscendum*. Cum Deus natura sua simplicissimus sit; per bonitatem suam rationem invenit, qua quodammodo seipsum multiplicet; naturæ humanæ se ipsum in incarnatione conjunxit, & modum excogitavit, quo mirabili replicatione in Eucharistiæ sacramento multiplex fieret, ut se omnibus daret hominibus, eisque divinæ hujus misericordiæ effectus ostenderet: *Multus est ad ignoscendum*.

Nosmet indignos credere debemus quos Deus requirat.

Quem persequeris Rex Israel? 1. Reg. cap. 24. olim Sauli dicebat David, & hoc ipsum nos quoque Deo dicere possumus propter amorem, quem nobis testatur: *Quem persequeris? canem mortuum persequeris*. Quem inquiris Rex Israel, Rex cœli, ac terræ? Quæris canem mortuum, qui adeo amore tuo indignus est, ut neque ira tua sit dignus, & non nisi horrorem tibi valeat ciere. Nos vero, o fideles, quem fugimus? Cur Deum contemnimus, cur illius amorem illudimus, cur tamdiu patientiam illius exercemus, & renuimus amicitiam, quam nobis offert, & ut recipiamus, sollicitat?

Ut ad Deū quem reliquimus revertamur, opus est ut ille prior nos inquirat.

Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum. Psalm. 118. Regius Propheta postquam suum agnovit facinus, Deo has preces effundit: Erravi sicut ovis, quæ periit, & a reliquo grege secessit; veni, Domine, inquire me, ut ad te revertar. Oratio hæc nescio quid mirum habet. Servi enim est, omnia conari, omnia facere, ut cum domino suo, quem injuria affecit, redeat in gratiam. Numquid domini interest quærere servum, quem infidelem agnovit? Talis nihilominus est funestus ille status, ad quem peccatum redigit homines; ubi semel a Deo recesserint; ne gradum quidem proferre possunt, ut ad illum accedant, atque in rectam viam revertantur. Nisi antea Deus illos perquisiverit, in dies magis ab illo recedent, & numquam ad eum revertentur. Quam admirabilis est hæc Domini providentia! quam ineffabilis misericordia? Quam dignum hoc est æternæ gratitudinis argumentum!

Dei misericordia separanda est ab illius justitia.

Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1. ad Timoth. cap. 1. Nihil hac propositione facilius, nihil vulgarius; attamen quia sæpe hæc auribus insonat nostris, ita consuevimus, ut illam audiamus, quin afficiamur. Qui vero illam serius perpendunt, periculum subeunt, ut, nisi diligentissime caveant, spes migret in præsumptionem, sibique persuadeant, Dei misericordiam pati non posse, ut ipsi quantumvis nequissimi intereant; qua inani spe suffulti in omne libidinis genus erumpunt. Verum non ita cogitare debemus, Dei filium misericordem esse, ac in mundum, ad nos salvos faciendos venisse, ut obliviscamur ipsum justum esse, atque ad nos judicandos venturum. Misericordia numquam a justitia separanda est, ut metuentes speremus, neque justitia a misericordia, ut sperantes metuamus. Ita sine præsumptione spes erit, & metus sine desperatione.

Misericordia coram Deo causā agit peccatoris pœnitentis atque justitiam superat.

Justitia de cælo prospexit. Psalm. 84. Sanctus Augustinus mirum in modum hæc explicat verba; cum ait, misericordiam videntem se humanum cor flectere nequaquam posse, nisi prius Divinum flecteret, hinc duxisse initium, eique exhibere altera quidem ex parte peccatorem contritum, & humiliatum, qui suspiria emittens, lacrymisque fluens,

pectusque percutiens cum Publicano ait : Luc. 18. *Propitius esto mihi peccatori*, ex altera vero Jesum Christum Sanguine manantem, vulneribus defor-matum, in cruce morientem; atque tot linguis, quot vulneribus clamantem : *Pater dimitte illis*. Luc. 33. *Justitia de cœlo prospexit*. Psalm. 84. Justitia hæc ad horum objectorum adspectum se vitam videt, & a misericordia delinitam; huic locum cedit, & hæc misericordia tunc mirabilia operatur in cor Dei erga pœnitentem peccatorem : eumque cogit agere pœnitentiam, ac eam rescindere sententiam, qua peccatoris exitium decreverat : *Deus primus in seipso pœnitentiam dedicat, rescissa sententia pristinarum irarum, parcens imagini suæ*.

Impii Deũ lædunt, quia bonus est. *Propter quid irritavit impius Deum? Dixit in corde suo : non requiret*. Psalm. 10. Impius Deum lædit iniquitatibus suis : illum impudicitiis, perjuriis, flagitiis suis lædit; sed cum arbitratur Deum nimis bonum esse, nec omnia scelera puniturum, neque parem eorum enormitati ultionem sumpturum, irritat, & exasperat illum; etenim quia nimis multa confert misericordiæ, justitiam ejus, sanctitatem, atque sapientiam offendit, cujus ille, ut cum Tertulliano loquar, prævaricator esse non potest : *Deum perspicacia sua prævaricator esse non potest*.

Fons misericordiarũ Domini est inexhaustus. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. *Isaiæ* 12. Peccatorem scelerum suorum numerus terret; sed hic peccatorum numerus, quæ per brevis vitæ spatio patrata fuerunt, possuntne infinitam exhaurire misericordiam? Homo qui toto vitæ curriculo pelagus exsiccare adniteretur, illud possetne exinanire? Numera ab Adam usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Davidem, a Davide ad Jesum Christum, hinc autem ad præsens usque tempus, quot peccatores ex hoc misericordiæ fonte hauserunt? Attamen adhuc infinitus est; quemadmodum mare, cui eadem non deest aquarum affluentia; quamquam jampridem ex eodem hauriantur. Unus homo efficere posset, quod tot peccatores non potuere, exhaurire videlicet fontem miserationum Dei hactenus inexhaustum? Magna quidem sunt scelera mea, sed quemadmodum mare altissimos etiam deglutiret montes, si in illius sinum transferrentur, gratia, & misericordia Dei nequissima quævis facinora delet, & evertit. Deus illa projicit in mare, secundum Scripturæ verba, neque amplius videntur.

Sinite utraque crescere usque ad messem. Matth. 13. Pater familias vetuit, ne servi sui lolium, quod tritico immixtum creverat, convellerent; sed messem expectari jussit : *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Cum messis hujus tempus advenit, lolium collectum fuit, alligatumque, & in ignem conjectum. Quandonam messis hujus tempus adveniet? fortasse cras, fortasse etiam hodie; etenim vel unum tibi polliceri momentum potes? Sin autem advenerit, quin misericordis, & patientis Dei consideratio te moveat, quo ibis? Eo profecto, quo lolium projectum fuit, in ignem.

Quis Deus dicitur dives in misericordia. *Dives in Misericordia*. Ad Ephes. 2. Apostolus Deum dicit divitem in misericordia, sed cur? interrogare aliquis posset, ditior ne est in misericordia, quam in alia qualibet re, ille qui infinite dives in omnibus, & infinitos possidet sapientiæ, & scientiæ thesauros, quemadmodum Apostolus loquitur : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi?* Nonne dives est in potentia, & gloria, omnique perfectionum genere? neque enim Deus esset, si quid illi deesset, quod acquirere posset, & hoc pacto fieri major, & ditior, quam est. Hoc verum utique est : sed potissimum dives est in misericordia, illam quippe jugiter exercet, ejusque effectus omnibus creaturis depromit, quin fatigetur unquam, & exhauriatur. Vel dicitur dives in misericordia, quia vult a nobis ea ex parte agnosci, qua liberiorem nobis aditum præbet. *Dives in misericordia*.

Deus meus misericordia mea. Psalm. 58. David Domini gratiis cumulatus in grati animi argumentum exclamat : Deus meus, tu es misericordia mea. Cur David Deum suã vocet misericordiam. Nescit quo illum nomine appellet, Sanctus Augustinus inquit; si diceret illi; Deus meus, salus mea tu es, liqueret statim, quid velit innuere, liquet enim Deum hanc salutem conferre. Si illum refugium suum vocaret, mentem illius facile assequeremur, ad Deum quippe confugimus; si fortitudinem suam nuncuparet, nemo obstupesceret; constat enim omnem a Deo fortitudinem esse : at quorsum illum suam vocat *misericordiam*, ne miremini, Pater hic ait, hæc enim Dei qualitas est, quæ maximus hominibus adfert solatium; hoc nomen est, quod illis majorem spem adfert.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc Argumentum pertinentes.

Ille negat Deum, qui eum peccata dimittere non credit. August. Serm. 4. de Nat. Domini.

Patiens est Deus super peccatores, donec convertantur, quandocumque conversi fuerint, præterita obliviscitur, futura promittit. Idem, in Psal. 32. Serm. 1.

Neminem deserit laborantem, & exclamantem ad se; donat unde sibi sacrificetur, ipse tribuit, unde placetur. Idem, ibid.

Hoc magnum misericordiæ tempus non nos transeat, venturum est enim judicium, & tunc erit pœnitentia, sed infructuosa. Idem, ibid.

Magna est misericordia Dei, magna mansuetudo; sed si non abutamur patientia ejus ad nostram nequitiam. Idem, libr. de ovibus, cap. 4.

Nos perversitate nostra sic volumus Deum esse misericordem, ut non sit justus. Alii rursus; quasi præsidentes de justitia sua, sic volunt justum, ut nolint misericordiam. Idem, Sermon. 109. de temp.

Deus misericors & justus est, unde misericordem probamus? Parcit modo peccatoribus, dat veniam confitentibus. Unde probamus quia justus? quia venturus est dies judicii, quem modo differt, non aufert. Idem, ibidem.

Non dicamus : semper parcit Deus, ecce feci heri, & pepercit Deus : facio & hodie, & parcit Deus; faciam & cras, quia parcet Deus; attendis ad misericordiam, & non times judicium. Idem, in Psalm. 100. vers. 1.

Ideo Deus parcit ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas. Idem, ibid.

Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire quos emit, non emit quos perdat, sed emit quos vivificet. Idem, Serm. 109. de temp.

Misericordiæ tempus nunc est, nondum judicii, nisi enim Deus primo per misericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret. Idem, in Psalm. 100.

Cum justitia te judicabit, qui cum misericordia te redemit, Idem, de Passione Dom. die Parasceve.

Quod tam longo tempore peccamus, & parcit Deus, non negligentia est, sed patientia, Idem, ibidem.

Dei misericordia est ut peccata nostra dimittat; nam si vellet pro meritis agere, non inveniret nisi quos damnaret. Idem, in Psalm. 94.

Nemo de Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria : & quisquis ad Deum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quia misericors. Idem, vel quis alius Auctor libr. de spiritu & anima, cap. 6.

Tardius Deo videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Idem, ibid.

Data est venia peccatori, data est spes justificationis, data est charitas & dilectio, & super hæc dabit vitam æternam, & hoc totum de misericordia. Idem, in Psalm. 144.

Est

Est misericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes. Idem, in Psalmum 170.

Non sic est Deus misericors, ut injustus sit: non sic justus est, ut misericors non sit. Idem, in Psalm. 39.

O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnovit: sola enim misericordia ad Deum, dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, sola Deum deduxit ad hominem. Idem, vel quivis alius, in Sermonibus ad Fratres in Eremo.

O grandis misericordia! o infinita! tu sola potuisti trahere Deum de cœlo ad terram, & nos de exilio ad regnum erigere. Idem, ibidem.

Quomodo non est misericors, qui nos tantopere expectat? numquidem tam prolixa misericordia potest Deo auferre justitiam? Quanto enim diutius expectat, tanto gravius vindicat. Idem, Serm. 102. de tempore.

Quando prolixis temporibus peccamus, & nihil mali a Domino sustinemus, patientia est, non negligentia: non illa potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Idem, ibid.

Peccator desperat ut peccet, sperat ut peccet, utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Idem, in Psalm. 144.

Ex utroque homines periclitantur, & sperando & desperando: contrariis rebus, contrariis affectionibus, Idem, tract. 13. in Joannem.

Metuendum est ne te occidat spes, & cum multum speras de misericordia, incidas in judicium. Idem, ibidem.

Magnam misericordiam magnus peccator implorat, magnam medicinam magnum vulnus desiderat. Idem, Serm. 3. de Nov.

Deus, vita mea! qui persecutus es fugientem te, & oblitum tui non es oblitus. Idem, libr. 1. Confession.

Timendum est ne dum multum speras de misericordia, incidas in judicium. Idem, Serm. 47. de verb. Domin.

Misericors & justus est Dominus, nolimus quæso nos Deum ex dimidia tantum parte cognoscere, neque ejus erga nos bonitatem ad ignaviæ occasionem accipiamus. S. Basilius.

Deum discis tam optimum quam & justum, de suo optimum, de nostro justum. Tertull. libr. de Resurrect. Carn. cap. 2.

Qui præsumit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur. Idem, de cultu fœmin.

Redundantia clementiæ cœlestis. Idem, libr. de Pœnit.

Tam pater nemo; tam pius nemo, quam Deus. Idem.

Maluit Deus de sua divinitate, quam de sua patientia dubitari. Idem.

Misericordiæ Dei nec mensuras possemus ponere, nec tempora definire. S. Leo, Epist. 91.

Abutuntur quidam patientia Dei, & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio. Idem, Serm. 12. de Quad.

Quem peccator præsumit sibi pie parcere, semper etiam cogitet & districte judicare, Gregor. lib. 33. Moral. cap. 5.

Inordinata fiducia apud omnipotentem Deum, vindictæ locum habere potest, indulgentiæ vero obtinere non potest. Idem, in cap. 3. lib. 1. Regum.

Etiamsi omnium hominum linguæ simul coacervarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. Cyrill. Jerosolymit. Catech. 2.

Licet provocaveris patientiam Dei, paratum est tamen misereri cum volueris, & reverti ad revertentem, nec erit mora inter confitentem & remittentem. Petrus Damiani, serm. de Sanct. Martino.

Videt Deus opera tua, recursus & excursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam, cœlum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbuit tellus. Idem, opusc. 7. cap. 23.

Dei misericordia tanta est, ut nulla oratione explicari, nulla cogitatione comprehendi possit, mentemque omnem excedat, & rationem superet. Chrysost. Homil. 2. in Psalm. 50.

Magna omnino misericordia Domini in expectatione est, jam enim expectat, dissimulat, sustinet decem annis; & viginti, & usque ad senectutem & senium. Bernardus.

Sine ullo intervallo conjunguntur, & lacrymæ peccatricis, & misericordia Salvatoris. Idem, in festo Sanctæ Magdalenæ.

Quis desperet ultra præ magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Idem, Serm. 1. de Convers. Sancti Pauli.

Nullus misericordiam invocaret, nisi miseria provocaret sua. S. Bonaventura, in Psalm. 119.

Si cognosceret homo quam multiplicia sunt ejus pericula, tunc cognosceretur quam multiplex sit ejus misericordia. Idem, Serm. 3. in Domin. 3. post Pentecost.

Mira res, mirabilisque misericordia Dei, & Redemptoris nostri: gemit peccator intra se, doletque perpetrasse delictum, & confestim placatur Altissimus. Laur. Just. libr. de Obedient. cap. 15.

Patiens est Deus, quia æternus est. Tertull.

Tanto magna tunc, nempe in Judicio, *exercetur severitas: quanto nunc major misericordia prorogatur*. Gregor. libr. Moral. 18. in cap. 7. Job.

Si nos & misericordia ejus refoveat, ut nullo modo negligentes reddat; sic peccata nostra perturbent, ut mens in desperationem non prorruat. Homil. 32. in Evang.

Cum irascitur Deus in reos, differt ut puniat. Cum miseretur, properat ut absolvat. D. Paulinus, Epist. 2.

Illi blasphemo, nempe malo latroni, *quia de Domini desperavit potentia, nulla potuit subvenire clementia*. Cyprian. de Pass. Christi.

Sustinuit Deus blasphemantem, ut reciperet pœnitentem. Loquitur de Divo Paulo, Chrysost.

Dilatio vindictæ dat locum pœnitentiæ. Sanctus Leo Serm. 5. de Epiph.

Non possunt perire pro quibus Filius rogat ne pereant, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem, ut vivant. Bernard. Homil. 3. super missus est.

Sua sibi patientia Deus detrahit. Tertull. libr. de Pœnit. cap. 2.

Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Hieronym. lib. 2. in Lucam.

Ne desperetis veniam, scelerum magnitudine, quia magna peccata delebit misericordia. Idem in Joel.

Erit tempus quando non erit locus, cum fons ille miserationis interminabili siccabitur siccitate. Bernard. in illud Isaiæ, Quærite Dominum dum inveniri potest.

Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem eorum qui ad eam confugiunt, sinit in carcerem mitti. August. in Psalm. 122.

Quis hic desperet sperante Latrone? Bernard. de Passione.

Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat; nam cui vere propitius est, castigat peccata, ut semper peccare delectet. Augustinus.

De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. Idem, in Psalm. 30.

Impium te quæsivit (Deus) *ut redimeret; redemptum quomodo deseret?* Idem, in Psalm. 66.

In cassum speras in Dei misericordiam, nisi metuas ejus justitiam; & in cassum times justitiam, nisi speres in misericordiam. Gregorius.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in Argumento valeat depromi.

Definitio divinæ erga homines misericordiæ.

Misericordia Dei secundum communem notionem, quæ a Theologis traditur, actus est divinæ voluntatis, quo Deus sua actus bonitate humanarum miseretur ærumnarum. Ubi D. Thomas part. 1. quæst. 21. art. 3. quærit, utrum hic actus misericordiæ vere inveniatur in Deo, &' respondet misericordiam bifariam posse considerari; primum quidem in eo, quod ad affectum pertinet, videlicet motum, quem aliena calamitas gignit in corde illius, qui tamquam propria dolet calamitate: rursus vero in effectu, quem hæc misericordia parit in eo, qui ejusdem objectum est; quod accidit, cum benigno subsidio alienæ subvenitur inopiæ. S. hic Doctor respondet misericordiam si in sensu, vel affectione consideretur, veluti species quædam tristitiæ ex aliena calamitate, quæ nos angit; hanc in Deo quidem inveniri non posse, quia per naturæ suæ præstantiam tristitiæ obnoxius non est; sin autem spectetur effectus, nostrarum videlicet ærumnarum solatium; misericordia antonomastice convenit Deo; illius enim interest nos ex omnibus malis eruere, nosque omni bonorum genere cumulare.

Quinam sint divinæ misericordiæ erga mortales effectus.

Quemadmodum divina præsertim elucet misericordia in peccatoris conversione, ita hac ex parte a nobis unice hoc in loco spectatur, quio verba faciamus de cæteris beneficiis, quibus cumulati fuimus, & quotidie cumulamur. Ita considerata in hoc potissimum sita est, quod Divina bonitas gratia sua revocat peccatorem, qui per scelus recesserat: quod illum inquirat, præstoletur, patienter eumdem aberrantem ferat, & ad se, officiumque redeuntem recipiat: quod illi ea reddat jura, quibus exciderat, ac tandem post plurimorum annorum evagationem in via salutis restituatur. Ex his actibus de misericordiæ hujus magnitudine judicium ferendum est.

Quam differant bonitas, amor, & misericordia Dei.

Quamquam Dei erga homines bonitas, amor, quo illos complectitur, & misericordia qua cum illis utitur, tamquam sinonyma haberi possint vocabula; immo illis etiam utamur promiscue in eo, de quo agimus, argumento; hoc tamen discriminis interest, quod bonitas, & amor nomina sunt magis generalia, & quorum latius patet significatio: quia omnia gratiæ, & gloriæ bona sunt bonitatis, & amoris ipsius beneficia. Misericordia vero proprie significat justificationis nostræ beneficium, criminum nostrorum veniam, remissionem pœnarum, quas meriti sumus, & amicitiam suam, cujus nos rursus participes efficit, postquam per summum nefas illud offendimus. Etenim misericordia hæc essentialem habet rationem cum miseria, cujus miseretur, & cui vult opitulari.

Quo in sensu Dei misericordia reliqua illius opera superet.

Etiamsi omnes Dei perfectiones indivisibiles sint, quia sunt ipse Deus, attamen illos distinguimus propter earum effectus, & dicimus etiam alios ab aliis superari, quia magis elucescunt; & hoc in sensu regius Propheta opera misericordiæ super cætera Dei opera extollit: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*. Psalm. 144. Cum Propheta hic loquitur de justitia, illam montibus comparat; *Justitia tua sicut montes Dei*. Psalm. 35. Misericordiam vero usque in cœlum attollit: *Domine in cœlo misericordia tua: misericordia tua super cœlos*. Psalm. 107. Neque ideo putes duas hasce perfectiones in Deo paris non esse; infinite enim justus est, ac infinite misericors; sed quia secundum divinæ providentiæ rationem, effectus misericordiæ superant effectus justitiæ, eodem fere pacto, quo cœlum altitudine montibus præstat. In hoc etiam sensu Sanctus Jacobus Apostolus inquit misericordiam judicio longe altiorem esse: *Superexaltat misericordia judicium*. Non ait: *superexaltat justitiam*, quia proprie loquendo cum duo hæc attributa sint æque infinita, alterum altero neque majus est, neque minus; quod minime prohibet, quo minus misericordia supra judicium, quod non aliud est, quam effectus justitiæ, se attollat. Deus neque judicare, neque punire peccatorem potest, nisi illum supplicio dignum inveniat; sed illius miseretur, quamquam per scelus sit misericordiæ indignissimus; cumque alioquin infrequentius hac in vita pœnas sumat de improbis, & nemini peccatorum remissionem, veniamque deneget; in hoc etiam multo magis misericordia, quam justitia ejus effulget.

Peccatum proprie loquendo præcipuum est divinæ misericordiæ objectum.

Magna proculdubio Deum inter, & peccatum adest oppositio; peccatum quippe vera est contra divinam Majestatem rebellio. Peccatum nihilominus præcipuum est divinæ objectum misericordiæ, quoniam hoc ablato auferretur Deo subjectum, in quo misericordiam exerceat, cum cætera quæcumque hujus mundi mala, & ærumnæ, quibus per naturæ suæ conditionem homo patet, mala non sunt. Theologi duplex attributorum genus distinguunt in Deo: quorum alia ita perfectiones suas in illo sitas habent, ut nullam habeant ad creata rationem; qualia sunt scientia, bonitas, sanctitas ejus; alia vero ita in ipso sunt, ut ad creata referantur; qualia sunt justitia, quæ supponit homines, quibus dicenda sit; misericordia, quæ supponit peccatores, quibus delicti venia sit concedenda. Hinc sequitur, nullum hujus misericordiæ præstantius esse exercitium, quam peccata dimittere, hominibusque eorumdem expiandorum tempus, & adminicula suppeditare. Quibus addendum est, Dei cum hominibus reconciliationem nequaquam positam esse in mera cessatione iræ illius, sed involvere etiam actum misericordiæ, quæ positive peccata dimittit, homines in Dei gratia restituit, & inimicorum qualitatem, quæ in ipsis erat, in qualitatem filiorum, quam confert, immutat.

Duo peccata opponuntur confidentiæ, quæ in Dei misericordia habenda est.

Duo, Sanctus Thomas inquit, directe opponuntur spei Christianæ, & confidentiæ, quæ in Dei misericordia habenda est; desperatio, & præsumptio; altera quidem per defectum, per excessum altera. Desperatio, quæ illam evertit; præsumptio, quæ illam dedecorat; desperatio, quæ Deum sibi tamquam crudelem, & inexorabilem exhibet, & præsumptio, quæ cum justitiæ, minatumque ejus contemptu illum sibi fingit facilem, indulgentem, ac paratum ad efficaces gratias suas quodlibet temporis puncto elargiendas, & ad redeundum in gratiam cum ingratissimis, nequissimis, pertinacissimisque peccatoribus: desperatio, qua, ut olim Cain, dicit peccator: major est iniquitas mea, quam ut veniam consequi valeam; præsumptio, qua id dicit, quod impii in libro sapientiæ; pecavimus, verum quid mali accidit nobis? & quid impostterum accidet; quandoquidem cum optimo, & misericorde Deo nobis res est? Funesta hæc extrema duo semper sunt admodum metuenda: ideoque Patres nos admonent, ne umquam a misericordia justitiam, neque a justitia misericordiam sejungamus, ut altera alterius temperamentum existat.

Quomodo peccari possit per nimiam in Dei misericordia confidentiam.

Sanctus Thomas hanc proponit quæstionem, & quærit, utrum homo nimis possit in Deum confidere. Ad quam solvendam difficultatem, S. hic Doctor considerat bifariam spem Christianam; primum quoad Deum, qui illius præcipuum objectum est, & veluti primum principium; secundo quoad bona opera quæ alterum est spei fundamentum, & veluti secundum principium. Spes autem, subdit Angelicus doctor, quatenus refertur ad Deum theologica virtus est; & hæ virtutes numquam superant objectum suum, quia infinitum est, ipse videlicet Deus. Ita nequeo nimis credere in Deum per fidem, quia Deus infinite credibilis est; nequeo illum nimis amare per charitatem, quia infinite amabilis est; nequeo in illum nimis per spem confidere, quia infinite bonus, & misericors est.

Sed

Sed spes considerata quatenus ad bona opera refertur, quæ debent, ut ita dicam, divinæ misericordiæ velificari, fines prætergredi potest, atque in criminosam degenerare præsumptionem. Etenim quoniam salus non solum esse debet opus divinæ misericordiæ, verum etiam pretium cooperationis gratiæ ejusdem, perfecte tuti esse non possumus, quia certi esse non possumus de perfecta fidelitate; & quoniam nimium facile est, & commune divinæ gratiæ minime respondere, cum Sancto Thoma inferre debemus, nobis semper justum adesse metuendi argumentum.

Cur Angeli post defectionem veniam obtinere non potuerint.

Quæritur, cur rebelles Angeli non invenerint post scelus suum misericordiam apud Deum, quamquam illi, si ipsorum naturam inspiciamus, longe hominibus perfectiores sit, atque præstantiores. Cur igitur Deus creaturas illas adeo perfectas deseruit, post unum tantummodo crimen, ac tanta erga homines utitur misericordia? Pro causa afferri potest, ipsum infirmiorum fuisse misertum, atque eo misericordiam suam inclinasse, ubi majorem nactus est miseriam, ut creaturam adeo humilem, abjectamque usque ad divinitatis solium attolleret; dici quoque potest, peccatum nostrum quodammodo magis venia dignum fuisse, quod in primorum parentum persona a dæmone fuimus seducti. Præterquamquod si particulares, ac personales actiones nostræ spectantur, cum carneo corpore impediti simus, & sexcentis affectibus perturbati, nobis non est tantum libertatis, & luminis, quantum Angelis fuit, propter quod habere non possumus vel tantum meriti, cum bene, vel tantum improbitatis cum male operamur.

Ratio divinæ promerendæ misericordiæ est illam humiliter petere.

De fide est, peccatoribus omnibus orandum esse, ut Deus illos sua misericordia præveniat, ut illis manum tendat, eos de abysso, quo se præcipites dedere, eruturus; sed ad hanc misericordiam ciendam maxima dispositio est, miserorum personam induere, & humilitati sensu, qui ex peccatorum nostrorum intuitu concipimus coram Deo nostram calamitatem exponere, & rubore, & confusione suffusos ad eumdem prodire. At Dei timor efficit, ut contremiscamus, nos humiliat, ideoque præparat, atque disponit ad recipiendos effectus bonitatis illius, qui humilibus quidem dat gratiam, superbis vero resistit.

Opus fuit, ut Salvator divinæ satisfacturus justitiæ, Deus simul esset, & homo.

Opus fuit, Salvatorem, ut noster mediator esset, nosque Patri suo reconciliaret, Deum simul, & hominem esse. Et sane si aliud, quam purus homo extitisset, non habuisset, unde homines Deo conciliaret, quia similis in omnibus eisdem fuisset, hoc est peccator, ut illi; sin autem Deus tantum fuisset, quandoquidem ipse læsus fuerat, potuissetne eorum causam agere, a quibus fuerat offensus, nihil habens, per quod ad eorum naturam accederet? Oportuit igitur illum ex Deo aliquid, & aliquid ex hominibus etiam complecti; ne tamquam merus homo nimis abesset a Deo; & ne tamquam Deus merus nimis abesset ab hominibus, ideoque pro his mediator esse, eisque misericordiam obtinere non posset. Itaque divina Sapientia Deum, & hominem in Jesu Christo conjunxit, ut Deus, qui non potest ex se miseriæ sensum habere, illam sentiret, & quatenus homo, experiretur; & hoc invento perfectus esset misericors, & Pontifex omnibus infirmitatibus nostris compatiens.

Gratia pœnitentiam agendi magna est misericordia, qua Deus utitur erga peccatores.

Misericordia, qua Deus erga peccatorem utitur, proprie est illi pœnitentiæ agendæ gratiam concedere; ita ut hæc pœnitentia simul sit & misericordia, & justitia. Misericordia est, quia est gratia, quam nemini debet Deus, & quam peccatores licet indignissimi recipiunt: justitia est, quia per illam se ipsos puniunt peccatores. Itaque in pœnitentia misericordia, & justitia sibi obviam occurrunt, & mystice osculantur, ut ait Propheta. Falluntur igitur peccatores, ubi cogitant Deum uti secum misericordia, cum in hac vita illos non punit, & severum esse, cum illos animadvertit: quippe e contra severus est, cum minime eos plectit, ideo enim parcit, ut severius in altera vita corripiat, & misericors est, cum in hoc percutit mundo, ne in altero gravioribus pœnis eos torqueatur. Quamobrem S. Augustinus ait: *Est quædam misericordia sæviens, & justitia parcens.*

Peccatum dimittere plus est, quam mundum creare.

Extra Deum nihil majus intuemur mundi hujus creatione. Pulcherrimum hoc manuum ejus opus, tot in se continet mirabilia, ut fuerit studium, & admiratio celeberrimorum, quæ extiterint umquam ingeniorum. Verum S. Augustinus postquam illud attentius inspexit, hanc proponit quæstionem, utrum videlicet minus sit divinæ omnipotentiæ prodigium unum tantum homini peccatum dimittere, quam ingentem hanc molem ex nihilo educere; & his verbis concludit; *prorsus hoc majus esse dixerim, quam cœlum, & terra.* Proculdubio, hoc amplius est, quam cœlum terramque, & quidquid ibi continetur, creare; & S. Thomas fidelis ejusdem interpretationem addit. Mundi creatio intra naturæ opera sese continet; sed peccati venia ponit justificationem peccatoris, quæ opus est gratiæ, ideoque cum gratia naturam superet, peccati dimissio opus est universorum creatione admirabilius.

Præsumptio in divina misericordia peccatum est contra Spiritum Sanctum.

Pro certo tenet Albertus Magnus nimiam in divina miseratione confidentiam, quæ peccatori præbet audaciam semper in peccatis suis permanendi, vel potius criminosam hanc præsumptionem qua peccator putat, quo magis peccaverit, eo facilius peccati veniam se consecuturum, peccatum esse contra Spiritum Sanctum; quod omnino irremissibile est, quia Scriptura sancta explicite ait, neque in hoc, neque in altero mundo dimitti; *Confidentia de Dei misericordia, quod quando pœnituerit, ipsum recipiet, est peccatum in Spiritum Sanctum.*

Cur Deus cum misericors sit non dimittit peccata, quin aliquam exigat satisfactionem.

Quæri etiam posset, utrum Deus, cum misericors sit, cedere posset jure suo ulciscendi peccatum, quo læsus fuit; nemini enim infert injuriam, & a nemine cogitur hanc satisfactionem exigere, cum supra se nullum habeat superiorem, cui facti rationem sit redditurus. Quis enim ambigit, omnem hominem, vel etiam Principem, qui fuit affectus contumelia, posse dimittere simpliciter injuriam, qua lacessitus fuit, qui ullam exigat pœnam, vel ex asse debitum omne remittere, ut fecisse dicitur princeps ille, de quo loquitur Evangelium? At de Deo non eadem ratione, ac de hominibus censendum est. Verum est; si Deus solum esset misericors, posset injuriam simpliciter relaxare sibi per peccatum illatam, quin ullam illius ultionem persequeretur; sed quod infinite etiam justus est, eam punire tenetur. Verum est; parcens nemini esset injurius; sed sibimetipsi injuriam inferret, quia læderet justitiam suam, æternamque legem infringeret, quæ poscit, ut ad creatarum rerum ordinem, & universorum decorem tuendum peccati pœnæ luantur. Peccatum est ordinis inversio; ultio vero peccati est ejusdem ordinis reparatio.

Sine confidentia in misericordia Dei peccator numquam convertitur.

Cum dicimus confidendum, sperandumque esse in misericordia Dei in ipso etiam statu peccati, hoc dicimus, ut inde emergamus, non ut ibi permaneamus. Affirmo autem sine hac spe peccatorem numquam iri conversum; etenim ut ex peccati statu egrediatur, utque cum Deo redeat in gratiam, opus est, ut illi parcat Deus. At numquam parcet Deus nisi veniam petiero; neque petam, nisi me hanc consecuturum speravero. Ideo Tridentina Synodus *sess. 2. cap.* 14. in egregia illa de Pœnitentiæ Sacramento explicatione, quam adfert, tamquam necessariam dispositionem, & essentialem actum pœnitentis memorat spem divinæ misericordiæ: *Cum spe veniæ*, actum, qui semper vel tacite, vel explicite interesse debet, & sine quo nulla est pœnitentia.

Hæreticorum de confidentia error.

Novissimorum temporum hæretici affirmarunt integram, si adsit, confidentiam solam sufficere ad peccatoris justificationem; & hanc illam esse virtutem, quæ a S. Paulo fides appellatur, & ex qua justum vivere dicit: *Justus autem ex fide vivit*: ad Rom. 1. Error jure proscriptus. Fides peccatorem justificans esse debet aliquid amplius ea, quam

confidentiam nuncupamus: idem enim Apostolus asserit, se, licet omnem fidem, omnemque spem, quæ unquam fingi potest, habuerit, sed illi charitas defuerit, quæ postrema est ad justificationem dispositio, sin minus eadem justitia, numquam justificandum: *Etsi habuero omnem fidem, etsi habuero omnem spem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. 1. ad Cor. 13. Verum si error est credere, solam confidentiam justificare, veritas est dicere, hanc eamdem confidentiam necessariam esse justificationi dispositionem. Et ratio constat, quia confidentia semper peccatorem ad pœnitentiam determinat. Nisi speraret se in Deo clementiam, ac dulcedinem inventurum, illa, qua in peccatis perfruitur, dulcedo inde emergendi cogitationem extruderet.

Deum tentat, qui sub divinæ misericordiæ prætextu permanet in peccato.

Deum tentare est in peccato permanere, quin ullus exeratur nisus ad emergendum, sub hoc prætextu, quod illius misericordia major est nostra nequitia, quod non ideo creavit nos, ut in interitum daret. Illum tentare est, expectare, ne petitam quidem, victricem gratiam, quæ nos repente convertat, ut olim Saulum. Illum tentare est, improbum esse velle, quia ille bonus est, atque hoc pacto eumdem in scelerum nostrorum partem vocare. Illum adhuc tentare est, Salvatoris gratiam sese nobis offerentem dimittere, in aliud tempus utendam, perinde ac gratiam istam, ubi voluerimus, obtinere possemus.

De peccatorū mensura postquam aliqui nullā spem esse putant.

Secundum quorumdam Theologorum sententiam quædam adest enormium peccatorem mensura, post quæ Deus ita peccatorem derelinquit, ut non electas tantum, & efficaces illi auferat gratias, verum etiam communia subsidia, ita ut reliquo vitæ spatio tamquam incorrigibilis vivat. Quantumvis dura sententia hæc videatur, auctores illius Sacræ Scripturæ verbis inniti contendunt: *Super tribus sceleribus Damasci non convertam eum*. Amos 1. Dicimus tamen errorem esse contra fidem credere, hominem, donec viator est, corrigi non posse. Deus misericordiam suam neque ad certum peccatorum numerum, neque ad certum tempus coarctavit; quandoquidem in Ezechiele pollicetur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Quamobrem Ecclesia jure anathema ejaculata est contra Novati sententiam asserentis, hominem, ubi semel peccavit, in gratiam reverti non posse.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Quamquā caute de divina misericordia loquendum sit, tacendum tamen non est.

VUlgo hæc percrebuit sententia Concionatoribus nonnisi caute de divina misericordia loquendum, ne inde peccatores occasionem arripiant in sceleribus suis permanendi, ac pœnitentiam suam differendi. Sciunt quidem omnes nihil iniquius esse, quam Deo displicere velle, quia bonus est; verum constat etiam nullum esse peccatorem nequiorem, illo, qui peccat sperans se veniam obtenturum; & divinæ misericordiæ cogitatione abuti tamquam ratione quadam, propter quam in sceleribus permanendum sit, hoc profecto est omnem sibi ad hanc eamdem misericordiam reditum intercludere. Quid autem, Domine, omnium perfectionum tuarum suavissima silentio erit prætereunda? Nihil dicendum de misericordia hac, qua juxta Prophetæ verba *Psalm*. 118. plena est terra? *Misericordia Domini plena est terra*. Misericordia hæc in iis omnibus, quæ fecisti, quæque facis, elucet; immo operum suorum est præstantissimum: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*; Psalm. 144. & hæc una erit, quam laudibus minime liceat extollere? Hæc nos prævenit, nos comitatur; hac septi sumus; huic debemus quidquid sumus; ab hac expectamus, quidquid speramus, neque illam omnibus hominibus agnoscendam præbebimus, & de illa ne verbum quidem facere audebimus! Haud ita sane; non possum facere quin quid hac de re sentiam, expromam. Compescere nequeo admirationem, quam in me infinita hæc bonitas ciet. De misericordia loquar apud eos, qui vel jam obtinuerunt illam, vel eam actu petunt, vel jam serio petere cogitant. *Pater de la Colombiere sermone 66*.

In hoc elucet Dei misericordia quod nos loquitur, cum procul ab illo evagamur.

Admiramini, si vobis lubet, optimi hujus Domini zelum, amoremque: statim ac illum lædentes ab ejus amicitia recedimus, ille hoc excitatus malo, quod nostra tamen accidit culpa, nos iis clamoribus insectatur, qui mirum in modum cordis ipsius emotionem significant. Conscientia hæc, quæ turbatur, repente in sexcentos questus, & probra erumpit; conscientia hæc non est vox Dæmonis, quandoquidem bonum suadet; vox nostra non est, quia nobis invitis, & contra nos loquitur, reliquum ergo est hanc Dei vocem esse. Quid autem vox hæc secreta non dicit! Si Dei interesset vos tueri, si vos amittens dimidium, ut ita dicam, Regni sui amitteret, numquid vel celerius vos revocaret; vel sollicitius vobis extremum, in quo estis, periculum ostenderet, vel facilius in cor vestrum irrumperet, vel constantius amicitiam vestram perquireret? Nonne ob oculos vestros statuit quidquid vos movere potest, mortis incertitudinem, alterius vitæ pœnas, sua beneficia, præmia, justitiam, amorem, misericordiam? Nonne quovis tempore, quovis in loco vos persequitur, ubique adest, ubique suos questus instaurat, ubique suam vocem attollit? Nonne ex iis omnibus, quæ vobis occurrunt, seu bona, seu mala, occasionem arripit, ut vos ad gratiam secum resarciendam impellat? . . . O Deus, adeone interest tua, inutilem hunc servum recuperare? Numquid sine me esse non potes? Licet me pravæ meæ traderes voluntati, ac in improbum sensum abire me patereris, numquid inde minus esses beatus? Pro anima, quæ periis, nonne decem mille creare posses, quas sanctificares, & quas numquam dissolvendis vinculis suæ addiceres servituti? Hic ardor, quo me persequeris, proculdubio infinitæ misericordiæ tuæ est effectus. *Idem*.

Hac misericordia peccatores, quem convertere vult, rationem habet.

Si cum Deus non convertere vult, pro sua adlaborares utilitate, haud mirarer sane illum tanta uti bonitate; admirabile tamen est, quod cum zelo ejus non alius sit finis nisi nos a morte, ac inferia eruendi, tot utitur cautionibus, tanta diligentia, & cura. Cum Pater filium videt sese aquis submergentem, vel periculum subeuntem, ne flammis absumatur, non cogitat, utrum manu, pede, capillis, vestibusque apprehensum ex periculo eripiat, & non parum se fecisse arbitratur, si etiam cum aliquo detrimento vitam illius ab interitu vindicaverit. At Deus rationem habet nostræ infidelitatis etiam in simili occasione. Nostram scrutatur indolem, studia, affectus, pravosque habitus nostros, ut nos ex ea parte aggrediatur, qua minimum nobis est dolorem allaturus. *Idem*.

Deus propter peccatoris existentiam, & ingrati animi vitium non cessat.

Cum diligentius considerans infatigabilem, amantissimumque Dei zelum oculos in peccatorem conjicio qui illius objectum est; fateor equidem, fideles, tantum mihi stuporis incedere, ut me ægre recipiam. David nostram cogitans infirmitatem, eamque secum divinæ objiciens majestati clamabat: Heu! Domine, *quid est homo, quod memor es ejus*? Psalm. 8. Sed ecce alterum majoris admirationis argumentum: recordatur hominis Deus, cum homo Dei prorsus oblitus est, immo cætera videtur oblivioni tradere, ut ingrati hujus dumtaxat reminiscatur. Amantissimus hic Pastor nonaginta novem relinquit oves in deserto, eam, quæ deerravit, quæsiturus, malens totum gregem periculo objicere, ne miseram hanc derelinquat. Deus nos quantumvis peccatores diligit, hoc est quamvis illum oderimus, & quod admirabilius adhuc est, quamvis ille infinito odio peccata nostra persequatur. Utique, auditores, Deus suapte natura, & necessario peccatum odit, & nihil oculis nostris tam horrendum videtur, quam suis anima sceleribus inqui-

inquinata. Censete igitur, quanta sit vis dilectionis illius, quandoquidem tantum superat odium. *Idem*.

Quanta sit peccatoris ingratitudo, atque stupiditas Dei fatigare patientiam.

Cur tamdiu Dei hujus misericordis, ac jam pridem nos præstolantis patientiam fatigamus, & detrectamus amicitiam, quam nobis offert, & ad quam recipiendam nos urget? Cur non metuimus, ne infinita hæc delassetur Majestas? Nec quid illa sit, nec quid nos attendimus? Terror non incessit nobis videntibus universorum Dominus centies læsum, tamen pulsantem ad ostium nostrum, nostramque amicitiam quærentem? Illum pulsantem; illum jampridem expectantem adhuc præstolari sinimus, quin illi aperire, vel respondere dignemur. Quid istic magis admirer? Tuamne o Domine patientiam, an nostram pertinaciam? amorem tuum, an cordis nostri duritiam? Quænam erit ingratæ hujus animæ, audacisque confusio, si oculos umquam aperuerit? Audebitne illa coram te prodire, postquam te tanta effecerit contumelia? Sed licet nos ita perfrictæ frontis essemus, ut coram illo prodire non dubitaremus, vellet illene toties, ac tam indigne repulsos nos redeuntes excipere? Vellet, profecto, o fideles. Non fatigatur peccatorem recipiens cum post diutissimam evagationem, indignissimumque contemptum tandem vult ad officium redire. Dicam amplius; idem amor qui efficit, ut Deus fugientem peccatorem sequatur, efficit quoque, ut redeuntem præcedat. *Idem*.

Dei misericordia præsto est ut nobis parcat.

Deus cum peccatore longe aliter agit, quam peccator cum Deo. Peccator illum diutius ostio pulsantem neglexit, illum gemitus emittentem, & ad cordis ostium clamantem non audiit. Æquum esset profecto, Deum harum reminisci repulsarum, ac vicissim negligere peccatorem sese in suspiria, lacrymasque effundentem. Verum ejus misericordia non finit, ut hæc eadem ratione nobiscum operetur; statim ac meum fateor scelus, illico veniam recipio. Immo neque confessionem hanc Deus semper expectat, ubi consilium cepi, ac desiderium fovi cum illo in gratiam redeundi, statim admittat sine ulla in futurum tempus cautione, quamvis centies promissis non steterim, datamque fidem in singulos ferme dies fregerim. Videtur Deus desiderio nobiscum in gratiam redeundi quodammodo excæcati. Mavult sese nostræ objicere infidelitati, quam toties expertus est, quam gratiam suam momento differre, quo cautionibus vacet recipiendis. S. Augustinus testatur, quod *tardius ei videtur peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere*. *Idem*.

Gaudium, quod testatur Deus eo quod deerrantē receperit animam.

Nihil me movet magis quam effusa hæc optimi Pastoris lætitia, cum ove, quæ perierat, inventa gaudio exultans revertitur, atque lætitiam suam temperare non valens amicos omnes, accolasque vocat, eosque ut secum gratulabundi congaudeant, obtestatur: *Congratulamini mihi*, inquit illis Luc. 15. *quia inveni ovem, quæ perierat*. Nonne diceretis, auditores, Deum nostrum insignem aliquam retulisse victoriam, & potentissimum aliquod regnum adeptum? Una tantum anima redit ad officium? & vult, Angelos omnes sibi congratulari, atque in cœlo insigni exultare lætitia; & quod incredibile, & hyperbolica exaggeratione plenum videtur, magis illi placere videtur peccatricis animæ pœnitentia, quam perseverantia nonaginta novem justorum pœnitentia nulla indigentium. *Idem*.

Deus peccata dimittit; quin acceptæ injuriæ sensum ullum tueatur.

Deus ita peccata nostra dimittit, ut injuriarum maximarum, quibus a nobis affectus fuit, ipsam etiam memoriam amittat. Haud ita, fideles, Deus non agit, ut homines; neque dimidiatam dumtaxat veniam concedit. Cum proditi fuimus, cum crudeliter læsi, quæcumque pax fiat, quomodocumque redeamus in gratiam, quamvis extrinsecus optime sarta videatur amicitia, quamvis bona fide parcere optemus, & ad id nobismetipsis vim inferamus; attamen vix, & ne vix quidem pristina coalescit necessitudo, & familiaritas; & licet in vitis, superest tamen in anima nescio quæ amaritudo, quæ subinde excitatur, cum acceptæ injuriæ reminiscimur. At misericors Dominus infirmitati huic obnoxius non est. Vellem, peccatores omnes, quos suorum pœnitet criminum, videre possent quomodo in corde illius nullæ sunt amaritudinis, irarumque reliquiæ, & qua cum sinceritate illis parcit..... Neque hoc satis putat; non enim solum scelerum nostrorum obliviscitur, non solum omne reddit bonorum operum meritum, quod per gratiæ jacturam amiseramus; sed & hæc merita, & hanc gratiam insigni cum incremento restituit; nosque in meliorem statum adducit quam quo excideramus. *Idem*.

Cogitatio læsi Dei adeo boni, atque clementis, peccatorū nostrorum nobis gravissimum dolorem debet immittere.

Non equidem miror, quod triginta annorum spatio Magdalena minime temperaverit, quominus lacrymarum imbribus sua peccata dilueret; quamvis nullus dubio locus eidem esse posset, eorum se veniam absolutissimam fuisse consecutam. Non miror, quod S. Petrus ad mortem usque tristitia confectus fuerit, eo quod Domino suo infidelis extiterit; licet certus esset facinus hoc sibi fuisse remissum. Meminissene possumus illatæ adeo misericordi Domino injuriæ, quin gravissimo in nosmetipsos odio flagremus? Cogitarene possumus illum a nobis contumelia per summam indignitatem temere affectum, cum e contra sexcentæ nobis essent illius amandi causæ; tamdiu nos beneficiis ipsius, patientia, amore, misericordia abusos fuisse, quin dolor, & pœnitentia spiritum nobis intercludat? *Idem*.

Grati animi sensus propter misericordiam qua nobiscum usus est Deus.

Hinc autem plurima fit doloris accessio, quod crudeliter adeo læsi Deum, adeo facile mihi parcentem, bonum reddentem pro malo, & pro quovis malorum genere quodvis bonorum genus retribuentem. Fierine potest, ut earum obliviscar ingratitudinem, quarum ipse statim oblitus est; ut ipse mihi parcam ob eam perfidiam, cujus mihi veniam obtulit, concessit, atque ut illam recipere urgere non destitit? Denique ut aliquod solatium inveniam, postquam toties, ac tamdiu illum contempserim, qui non minus me hodie amat, quam olim antequam a me læderetur? Proh Deus! Bonitas tua quodam in sensu mihi austerior visa est, quam tua justitia! Etenim quodnam mihi crudelius esse potest supplicium, quam dolor, quo ob læsam infinitam misericordiam tuam conficior? Infinita hæc bonitas tua efficit, ut me ipsum detester, & execrer, qui nihil prætermisi ut iram tuam excitarem, atque tuam fatigarem patientiam? Numquid æquum erat, ut tanta te indignitate lacesserem, te inquam, qui non ideo severius mecum agis, te, qui de præteritis sceleribus meis ne quereris quidem. *Idem*.

Duritis cordis, quod tantæ misericordiæ cogitatio nō movet.

Quam durus es peccator, quicumque es, quem tanta Dei tui bonitas non movet, neque ad pœnitentiam adducit? Verum quam insanus es, si iterum recentia peccata committis? Non ferenda inhumanitas est ex hominis imbecillitate vires, animumque ad illum exagitandum sumere, eumque percutere, quia vires propulsare non potest. At quid de illis dicendum, qui lædunt Deum, quia nos punire non vult, quia ab illo nos amari, nostrumque interitum timeri scimus? Jure quidem in tantam misericordiam plurimum speramus; sed væ illis, qui ad eam confugere differunt, quia hæc ipsos patienter præstolatur; væ illis, qui gratiam expetere detrectant, quia Deus eorum votis audiens est; qui sunt nequam, quia Deus bonus est; qui facile peccant, quia ille facile parcit; qui eidem displicere volunt, quia ægre in illos animadvertit. Quomodo misericordia eos salvos faciat, quibus causa est in scelere perseverandi, quibus damnationis occasio est? Misericordia quidem salvos nos facere debet; verum est; at per peccatumne, an per pœnitentiam est nos salvos factura? Eos salvos facit, qui eadem bene uti cupiunt; num salvos faciet, qui eadem abutuntur, qui per abusum eamdem sibi in exitiale virus immutant?

Debet

Debet illa quidem peccatorem a desperatione deterrere; verum certum est, nullum peccatorem esse magis desperantem, eo quem illa ad impœnitentiam impellit. Perfice, Domine, si tibi lubet, in nobis infinitæ opus misericordiæ. Ne permittas illam nobis vel funestam fieri, vel inutilem; ne patiaris nos in hoc salutis fonte interire.... Ne credatis a Deo scelus probari, quia diu patitur peccatores; quænam hæc esset Sapientia Dei, si æterna illis intentans supplicia, a quibus injuria fuerit affectus, iisdem impunitatem, & scelerum omnium, quæ committere possent, oblivionem polliceretur? *Idem*.

Salvatoris misericordia elucet in facultate dimitten di peccata, quam suis Ministris reliquit.

O insignem misericordiam, atque bonitatem! Non sufficit Jesu Christo hominibus potestatem conferre homines judicandi, & absolvendi, sed patitur, se a Petro negari, ut se illi præbeat indulgentiorem. Deus flagitiis nostris movetur potius, quam irritetur; peccatorem sequitur, potiusquam fugiat; illis parcit ne illum confusione suffundat; cumque illum ad frugem revocaverit, efficit ut peccatum auctori utile fiat, quin peccantem puniat. Diceres illum nobis deerrantibus jacturam, redeuntibus vero quæstum aliquem facere. Pœnitenti majora confert beneficia, quam antequam laberetur, unde fit, quemadmodum Sanctus Gregorius animadvertit, quod pœnitentes ut plurimum ferventiores illis sunt, qui numquam peccaverunt. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus*.

Divina misericordia erga peccatores in ejus patientia maxime nitet.

Divina justitia in peccatores animadvertere posset, statim ac lapsi sunt; illos posset perdere, ubi primum peccatum: etenim quid illa his debet, quidve hi non merentur? Sed inexhausti sunt divinæ patientiæ thesauri, ut loquitur S. Paulus, & habet Deus infinitam longanimitatem, quemadmodum eam vocat Apostolus. Deerrent peccatores, patitur; longius recedant, in devia, & avia evagentur, præstolatur, donec redeant, & fatigentur, ut ita dicam, viarum salebris, atque periculis: *O Domine ibam longius, & recedebam a te, & non fugiebas*. S. Augustinus exclamat. O Domine, o misericordiarum Deus quotidie magis recedebam a te; omnes gressus mei novi erant lapsus, & scelera; attamen ne verbum quidem proferebas; cupiditates meæ semper magis inflammabantur, & patiebaris. Heu! patientia, quam admirabilis es, atque incomprehensibilis! Tanto vero admirabilior est, quia nulla est creatura, quæ peccatoris interitum non efflagitet, & quia peccator reliquas omnes Dei perfectiones offendit. Donec homo Deo fidelis fuit, ac legi paruit, creata quælibet pro hominis hujus incolumitate deprecata sunt, eique subjecta extiterunt, S. Augustinus inquit; sed ex quo contra Deum rebellavit, statim in illum insurrexerunt, & rebellionis pœnas poposcerunt. *Joly propositione pro tertia post Pentecosten Dominica*.

Videtur misericordia justitiæ aliisque, Dei perfectionibus adversari.

Deus per patientiam non resistit solum voci creaturarum omnium peccatoris excidium petentium, sed videtur etiam eam cohibere ultionem, quam reliquæ suæ perfectiones deposcunt. Nullam quidem inter divina attributa oppositionem statuimus; verum dicimus cum Theologis de gratia, videri, unam tantum misericordiam nostram peroraré causam, ac pro nobis aliis Dei perfectionibus adversari. Sanctitas ejus a nobis recedit peccatoribus; justitia debitas poscit pœnas; immensitas postulat, ut omnibus in locis, atque æternitas, ut omni tempore puniamur: potentia, atque sapientia nos puniendi ratione, modosque suppeditant; sola misericordia clamat: paulisper adhuc expectetur; ego peccatorem hunc tangam; ego pravam hanc arborem excolam; ego tot curas impendam, ut aliquando bonum aliquem fructum producat. Ecce, auditores lectissimi, quidquid aliquam nobis in hac vita spem gignere potest; nobis res est cum Deo infinite bono, infinite patienti. Ubinam essemus, si statim ac primum peccatum patravimus, ille nos justitiæ suæ rigoribus tradidisset? Quot nunc in inferno sævissimis torquentur suppliciis, atque in æternum torquebuntur; quare? quia unicum mortale peccatum patrarunt? *Idem*.

Quanta indignitas sit divius abuti patientia & misericordia ad peccandum.

Quam bonus es Deus; sed ego quam nequam, & inexcusabilis, si diutius tua abutor misericordia? Diceturne Deus, eo quod me ad pœnitentiam præstolaris, me numquam pœnitere; eo quod tamdiu me tot flagitiis abditum sustines, me in illis cum eadem spe impunitatis versari? Quid ego ipse alteri mihi simili facerem, si postquam pluries eidem pepercissem, postquam illi sæpe significassem, nisi tandem aliquando ille mecum in gratiam redierit, me fatigatum illi, omnia mala illaturum; hic tamen semper me læderet, & veteribus recentes injurias accumularet? Nonne delassaret? Nonne me pœniteret diuturnæ patientiæ? Cum autem ego ita effectus sim erga similem mei, erga hominem, cui justa fortasse non deest de me querendi causa, quid cogitare debeo de te, o Deus, quem toties per pravam meam voluntatem affeci contumelia? de te, qui cum posses tot ante hanc diem annos me præcipitem in flammarum voraginem dare, mihi adhuc pœnitentiæ spatium relinquis? Nonne metuendum mihi est, ut in furore tuo ne cogitantem quidem percutias; atque patientia tua mihi in interitum cedat, mihique plures aggerat pœnas, quam longe plurimis, propter plures, insigniore sque gratias, quibus me tua cumulaverit misericordia? Hæ illæ sapientes sunt, justæque considerationes, quæ sunt nobis faciendæ. *Idem*.

Patientia, qua nos Deus expectavit efficere debet, ut ejus justitiam vereamur.

Patientia Dei consolari vos debet; sed hæc eadem patientia timorem vobis det inferre, excitare debet, ut bene vivatis; at terrorem vobis debet incutere, si male vivendo perseveretis... Peccatorum vestrorum clamor ad solium Dei ascendit; sæpe ille dixit, descendam, & videbo; verum non semper hoc dicet; & statim ac descenderit, ignis fortasse sulphurisque imber ingruens vos in voluptatibus, solatiis, ludis, libidinibusque vestris deprehendet. Heu quid! quin divina hac patientia in rem vestram utamini, peccatis vestris novas additis circumstantias, quibus graviora fiunt; adulteria fornicationibus, rapinas avaritiæ, temerariis judiciis detractiones, mendaciis perjuria, & sacrilegia blasphemiis. Attamen tot annos vos Deus expectat, ut locum tribuat pœnitentiæ. Si vos minime pœnitet; fortasse unum tantummodo superest momentum, antequam justitia ultionem suam persequatur, postquam misericordia tamdiu vindictæ ejusdem austeritatem cohibuit. Adhuc ne contemnetis divitias patientiæ, & bonitatis, atque ut Apostoli verbis ad Rom. 2. utar, longanimitatis ejus: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Putatisne, si id perrexeritis facere, quod facitis, judicii illius pœnas evitaturos? Nonne videtis e contra, vos tamquam per gradus labi in obdurationem, ac impœnitentiam, atque congerere thesaurum iræ non cogitantes Deum ideo bonitatis, & patientiæ plenum esse, ut pœnitentiam agatis? *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Idem*.

Si sufficeret Deo peccatores præstolari, numquam ad illum reverterentur; illos quærere debet, ut illos currere, illos vocare, & sollicitare, ut redeant, illos prævertere, concomitari, sequi; hæc enim, infinita ipsum agente misericordia, operatur. Paralytici sunt, ex semet incedere nequeunt, ut remedium inquirant: captivi sunt, nequeunt ex se sua vincula infringere libertatem adepturi. Tu Domine illos inquiris, & ut sese dedant, urges. *Idem*.

Deus ob nostram conversionẽ lætatur quasi illi utilis esset.

Si Deo necessarii essemus, & ille nobis carere non posset, aliter ne nobiscum operaretur? Quod Pastor ob inventam lætetur ovem, non miror; eam quippe amittens jacturam fuit passus. Quod mulier decem tantummodo drachmas habens, qui-

quibus victum sibi compatet, ob unam amissam in fletus erumpat, eaque inventa gaudio efferatur, non mitor; videbat exiguum thesaurum suum decrescere, & fortasse illi deerat necessarium. Quod autem Deus creatura non indigens, quod Deus a creatura sua læsus, & affectus injuria, quod Deus, qui plures animarum creare potest myriades, ob unius peccatoris reditum gaudeat magis, quam ob nonaginta novem justorum perseverantiam, & amicos suos sibi congratulari jubeat; hoc profecto intelligere nequeo, S. Augustinus inquit. Ita quæcumque exempla, quæcumque afferuntur parabolæ, ut aliqua nobis divinæ misericordiæ adstruatur idea; hæc exempla, & parabolæ numquam eam, quam exhibent, veritatem exæquant. Peccator gaudebas, cum recedebas a Deo, & Deus dolebat; flocci facis tuæ reconciliationis, atque justificationis gratiam, & Deus tanti illa facit, ut non contemnendam lætitiæ causam putet æque ac si felicitas sua penderet abs te, atque de re omnium pretiosissima, cujus fecerat jacturam, recuperanda ageretur. *Idem*.

Numquam de divina misericordia desperandum est.

Ne diffidas umquam de bonitate Dei; cujus misericordia major semper est, quam tua esse possit iniquitas. Ne dicas umquam, ut Cain; majus peccatum meum est, quam ut veniam merear; dic e contra cum Regio Propheta: licet innumera patrassem crimina; licet undequaque sævissimis hostibus me circumseptum viderem; licet terra, & infernus me persequerentur, licet abyssi os patens viderem ad me degluttiendum, numquam cessarem quominus in Domino meo confiderem. Ille non creavit me, ut me perderet, non redemit, ut damnaret, non toties exquisivit, ac humeris gestavit, ut omnis pro me perdita esse intelligerem. Utique Domine; quantumvis nefarius peccator sim, tu refugium meum es, præsidium meum, spes mea. *Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea*. Psalm. 141. & dummodo ad misericordiam tuam confugiam cum spiritu humiliato, & corde contrito, certus sum me veniam impetraturum, *Idem*,

De Dei patientia peccatores ad pœnitentiam expectantis.

Vide quamdiu patientiam Dei fatigasti, quomodo illam exercuisti, quin ille a te contemptus te fastidiret; plures annos traduxisti, quin audire dignareris vocem invitantis, ut ad ipsum redires, modo stimulis conscientiæ tuæ, modo amicorum, & consanguineorum tuorum correptionibus, modo exhortationibus Concionatorum verborum ejus minis armatorum; modo bonorum virorum exemplis, quæ tuis oculis objecit; tu vero omnibus hisce vocibus aures obstruxisti; ejus suavitas, patientia, diuturna expectatio nihilum profuit, nisi ut in iniquitate occallesceres, ac in ea pertinacius persisteres: divina abusus es misericordia abutens tot iteratis dilationibus, quas tibi ad resipiscendum concessit, atque tibi, ut Apostolus *ad Rom.* 2. inquit, terribilem iræ thesaurum congessisti; *Thesaurizas tibi iram in die iræ*. Adeo diuturnus abusus exhaurire debuisset misericordiam ejus, & delassare patientiam, ita ut justitiæ tandem locum relinqueret. Indignus fuisti, quem tamdio te expectaret, & sustineret; justitia ejus adeo longa in tot sceleribus perseverantia irritata, Deum urgebat, ut te tamquam inutilem, sterilemque arborem ex Ecclesiæ agro convelleret; attamen divina misericordia præ omni justitiæ jure prævaluit, plurimum adhuc temporis reliquit tibi, expectans donec melius, quam olim uteretis. Vide quantum divinæ huic debeas patientiæ, quæ, ut converteretis, tibi tantum indulsit, concessitque temporis, quantum tot aliis negavit! Nonne hæc te movere deberent? Nonne magnos in te grati animi sensus deberent exciere? *La Font, in Ecclesiasticis alloquiis pro tertia post Pentecosten Dominica*.

Gratissimus sensus pro tanto beneficio.

Intellige quantum debeas Deo, qui tamdiu te passus est; quid enim in te minus grave, & invisum est, quam in tot aliis, quibus hanc lucem ademit, dum in sceleribus suis maxime voluptarentur? Attamen in te benigne oculos suos convertit, dum illos ab aliis avertit: non minus iram illius merebaris, attamen objectum fuisti benevolentiæ ipsius, quandoquidem aliis negatum tibi pœnitentiæ spatium largitus est: & fortasse tu præ aliis magis rebellis fuisti luminibus Spiritus Sancti, magisque surdus vocibus ejus; fortasse gravioribus implicitus eras criminibus, ac diutius in illis permanseras; attamen eodem tempore quo plures alios te sua minus indignos misericordia repulit, te ab illis distinxit eligens, quem diutius in hac vita relinqueret; ita ut si minorem erga te patientiam exercuisset, jam in nullam reditus spem tibi esset intereundum. Hæc a Tertulliano: *Redundantia clementiæ cœlestis* vocatur. Quam gratiam habere deberes inæstimabili huic beneficio? Quam movere deberet ineffabilis hæc Dei bonitas, quæ te ex inferno revulsit, ubi esses æterna iracundiæ ejus victima, si minorem erga te habuisset patientiam? Triginta fortasse, vel etiam quadraginta annos in pravis habitibus, nefariisque sceleribus tuis emarcuisti; tenebræ, quibus mens tua erat involuta, prohibuerunt, ne videres errorem tuum. Quot consanguineos, accolas, libidinum tuarum socios pereuntes vidisti eo in statu, in quo tot annos versatus es? Hoc memoria repete, ut agnoscas quantum divinæ debeas patientiæ, atque misericordiæ, quæ tamdiu te expectavit, atque sustinuit? Nonne hæc totidem beneficia sunt, iteratæque gratiæ, quot ad hanc usque diem alibi reliquit momenta Deus, ut status tui calamitatem agnosceres? Quos grati animi sensus fovere debes ob tam diuturnam patientiam? Nonne tibi ad extremum usque vitæ spatium juges essent gratiarum actiones habendæ? *Idem*.

Sollicitudo, qua misericors Deus peccatores inquirit.

Quis satis exprimere posset, quot blandis, officiosisque modis, qua sollicitudine, cura, suavitate bonus hic Pastor ingratam, & infidelem inviter, urgeat, sollicitet, & requirat animam, ut ad officium redire compellat? Simul ac illa peccavit, atque ab ipso recessit, persequitur eam, nihilque intentatum relinquit, ut illam recipiat: statim quidem excitat in illa conscientiæ turbas, ac stimulos, qui indesinenter ubique, & quovis tempore ob oculos ejus peccatum, & iniquitatem ipsius repræsentant. Peccator infelix vellet quidem aures suas obstruere secretæ huic voci, quæ amaritudinem inspergit omnibus voluptatibus illius; sed invito illo semper clamat, ac illi a semetipso fugiendum esset, ut ejus probra posset effugere. Hæc illi horribilem detegit fœditatem fallacis hujus voluptatis, hujus injustitiæ, ac ultionis, quæ inani fulgore oculos ejus perstrinxerunt. Hæc omnibus peccatis ejus larvam aufert, quam cupiditas illis appinxerat, ne agnoscerentur; hæc peccatorem eumdem terroribus replet mortem, judicium, ac infernum intentans.

Ut ad se peccatores revocet, amabilis hic Pastor modo illecebras, & lenitatem, modo ærumnarum, malorumque, quibus eos percutit, adhibet austeritatem: modo prosperum consiliis ejus tribuit eventum; modo evertit illa obices, & impedimenta suscitans; sexcentasque amaritudines gaudiis, deliciisque ejus immiscet; ut videns voluptatibus suis se facere satis non posse, consilium ineat ad Deum plene redeundi, atque inviolabili fide eidem serviendi. Quorsum, Domine, quorsum tot amoris tendunt argumenta? Quem fructum percipies ubi ingratam, & infidelem hanc animam fueris adeptus? Numquid minus felix, beatusque esses, si illam in corruptione, & errore, in quem se ultro præcipitem dedit, relinqueres? Opusne est, ut adeo ignave proditus, ac desertus tantam curam, tantumque laborem suscipias, ut illam in viam salutis, quam flocci facit, reducas? Hoc mirum in modum Dei bonitatem commendat, quo non contentus tot modis urgendi peccatorem, ut redeat, videtur illius indolem, ac studia

scruta-

ſcrutari, & opportuna aucupari momenta, quibus vides fore ut ille vocatus gratiæ afflatus ſequatur. *Idem*.

Deus mirabili miſericordiæ exceſſu pluries nos revocavit.

Hoc ſcis, Deum non ſemel te vocaſſe, invitaſſe, compuliſſe, ut reverteteris. Quoties pulſavit ad oſtium cordis tui, quin illum audire dignareris? Quoties recentes moras nectere voluiſti, antequam animum adjiceres, ut vocem illius ſequereris? Quoties defuiſti promiſſionibus tuis, quibus te illi impoſterum adhæſurum juraſti? Quot annos in perenni iteratorum lapſuum, ſimulatarumque converſionum vice traduxiſti? Quoties oppugnandum fuit cor iſtud rebelle ad illius duritiem conterendam, ac illud legibus ſubjiciendum? Attamen adeo pertinax reſiſtentia illum de mente non dejecit; amor ejus repulſis non ceſſit, neque tot infidelitatibus, atque ingratitudinibus non deferbuit; non deſerit te perſequi, ac reliqui gregis curam oblitus videtur, ut in id unum mentem, animumque transferret, ut te in ſepta reduceret. Quænam tibi habendæ eſſent gratiæ erga adeo officioſam, conſtantemque miſericordiam? Nonne tibi juges agendæ eſſent gratiæ? Vide quantum debeas Deo, quod te amore tanto quæſiverit, atque ſollicitaverit, ut in eum te revocaret ſtatum, in quo es, poſtquam longius ab illo aberraſti. *Idem*.

Videtur Deus peccatorum noſtrorum oblivisci, ubi illa nobis dimittit.

Deus numquam dimidiatam veniam impertit, quod plerique homines paſſim facere conſueverunt ubi proditi ſunt, vel inſigni aliqua contumelia affecti. Licet in gratiam redeant, aliquam tamen vulgo ſervant amaritudinem, aliquem in imo corde dolorem, neque ultra illos, a quibus læſi fuerunt, pari, ut antea, neceſſitudine proſequuntur. Deo e contra ſatis non eſt integram peccatori veniam elargiri, eique omnia virtutum merita, quæ gratiam amittens amiſerat, reddere, ſed in digniorem ſtatum adducit præ illo, ex quo per ſcelus exciderant. *Idem*.

Cogitatio divinæ miſericordiæ elicere debet, ut ad illam confugiamus.

Solus ſcelerum noſtrorum intuitus facile nos in eam mentem poteſt inducere, ut noſmet ita miſeros exiſtimemus, & a Deo rejiciendos, contemnendoſque; ac inutili nos labore ad eumdem redire adniſuros. Verum ſi huic indignitatis noſtræ cognitioni illa quoque divinæ bonitatis acceſſerit; ſi cogitaverimus non mortem, ſed converſionem, ſalutemque peccatoris ab illo conquiri; ſi meminerimus Mundi Salvatorem non ſolum non repellere redeuntes ad ſe, ſed illos errantes conquirere; ſua charitate prævertere, illos urgere, atque compellere, ut in regnum ſuum revertantur; optimum hunc Paſtorem nullis laboribus parcere, ut deerrantem inveniat ovem, eamque humeris ſuis impoſitam in paſcua reducat: nihil nos prohibet, quo minus omnia ab illo ſperemus, & credamus illum noſtram quoque ſpem eſſe victurum. *De Sancta Martha tomo primo tractatuum Aſceticorum*.

Divina miſericordiæ extenſio.

Dei cor adeo latum, & amplum eſt, ut innumera peccatorum multitudo ibi locum inveniat. Eos ſinu ſuo geſtat, paratus ad miſericordiam exercendam, ſi miſeros ultra eſſe noluerint. Apoſtolus optabat, ut Epheſii divini cordis dimenſiones intelligerent, cum illis ſcribebat: *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum*. Ad Epheſ. 3. Verum quomodonam comprehendi poteſt, quod eſt incomprehenſibile! Infinitæ ſunt Dei miſericordiæ, & inexhauſti ſunt bonitatis, & clementiæ ejus theſauri. Ipſe unus perfecte magnitudinem, amplitudinemque ſui cordis intelligit. *P. Duncan pro 21. poſt Pentecoſten Dominica*.

Diſcrimen inter Dei miſericordiam, aliaque ejus attributa.

De patientia Dei aliter cenſendum eſt ac de aliis attributis, quæ in eodem nobis detegit fides. Numquam extrinſecus agit, quin omnes illius divinæ perfectiones ſint omnium operationum ejus participes; ſi aliquod miſericordiæ opus exercet, in illius partem accedunt juſtitia, potentia, & providentia. At aliud de patientia videtur ſentiendum: cum enim aliqua ex perfectionibus Dei quodammodo reliquas moveat, & ad agendum compellat; patientia aliarum actionem inhibere videtur: retinet juſtos iræ ejuſdem ſenſus; cohibet fulmina, quæ jamjam in nos erat ejaculaturus, denique juſtitiam, atque potentiam ejus compeſcit, prohibetque ne Deus ultionem ſumat de iniquitatibus noſtris, ut per hanc tolerantiam ad illas expiandas, & ad ſarciendam cum eodem gratiam invitet: *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Sapient. cap. 11. O ſummam Dei patientiam! Quam officioſa, amabilis, & incomprehenſibilis eſt, quandoquidem cum tot in ſingulos dies contumeliis a miſeris, abjectiſque creaturis afficiatur, cumque facile poſſit pœnas repoſcere, illas patitur tamen, impunes abire permittit, earumque differt ſupplicia, ut peccatoribus præbeat locum ſeſe colligendi, & ad ipſum per veram pœnitentiam redeundi. *Patienter agis propter vos nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. 2. Pet. 3. *Font. tractatu de ſermonibus Eccleſiaſticis pro tertia poſt Pentecoſten Dominica*.

Quid de divina ſentire debeant miſericordia illi, qui ejuſdem effectus experti ſunt.

In Exodo legimus, Moyſem poſt traductum mare rubrum, Iſraelitaſque feliciter per medios fluctus, quibus Ægyptii ſubmerſi ſunt, deductos, ex ulteriori maris littore citeriorem inſpicientem oram Ægyptiis repletam cadaveribus, quæ mare projecerat, imperaſſe ut populus univerſus in cœlum oculos, manuſque attolleret, & canticum gratiarum actionis, laudumque caneret Deo, a quo adeo inſigni potentiæ ſuæ miraculo ex tot imminentibus periculis fuerant erepti: *Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt*. Exod. 15. Hos ſenſus fovere deberet peccator, quem tamdiu expectavit Deus; ubi cogitat ſe tot annos in Dei, ſalutiſque ſuæ oblivione traduxiſſe; Dei adjutum miſericordia feliciter per illorum fluctus inceſſiſſe, cum interim alii plurimi minus adhuc nocentes ibidem naufragium paſſi fuerint, Deum ſibi peperciſſe, tempus tot aliis præcipiti morte, ac terribili divinæ juſtitiæ effectu negatum, elargiendo. Quos grati animi ſenſus fovere non debet pro tanto beneficio huic divinæ patientiæ? Quam mirum eſt, quod adeo celſa, potens, ſupremaque majeſtas tamdiu adeo graves ſibi contumelias inferri ab abjectiſſimo terræ vermiculo ſit paſſa! *Idem*.

Dæmon modo inanem confidentiam modo deſperationem de divina miſericordia nobis immittit.

En quid nobiſcum agat Dæmon: donec pœnitentiam differimus, omne illius ſtudium in hoc verſatur, ut noſtram foveat confidentiam. Deus bonus eſt, dicit; ſemper plenus miſericordia, & indulgentia erga peccatores, ſemper æque & patiens eſt, ut illos expectet, & præſto, ut recipiat. Ubi vero ſenſit, nos reditum cogitare; e contra nihil reliquum facit, ut perſuadeat, nos longius proceſſiſſe, nec aliud ultra pœnitentiæ ſpatium ſupereſſe. Hinc turbæ, ſcrupuli, metus, inquietæ dubitationes plurimorum pœnitentium, cum ſerio ad converſionem appellunt animum: quibus ſpiritus erroris, qui facilem ſemper promittit reditum recedentibus a Deo, invictum oſtendit obicem, rurſus ad eumdem redire cogitantibus. Ex hoc Dæmonis ſtratagemate fructum percipiamus oppoſito prorſus conſilio; ſi ad converſionem intrinſecus nos agi intelligimus, excitemus confidentiam noſtram, futurum ut Deus converſionem noſtram perficiat. Sin autem pœnitentiam differre fert animus, diffidamus de confidentia, tamquam obice noſtræ converſionis. *P. Aurelianenſis tomo 1. ſermone de Confidentia*.

S. Bernardus animadvertit, Dæmonem ad peccatorem excæcandum tenebris æque, ac lumine uti. Illum excæcat tenebris, eum in mundi hujus vivendi genere detinens, omnibus abditum cupiditatibus, in cœtibus omnibus diſſipatum, omnibus deditum voluptatibus, peccati, divinæque juſtitiæ aufert illi proſpectum. Etenim in hiſce funeſtis tenebris peccator nihil omnino videt; vel nihil videt, quale eſt, excuſans omnia, omnia levia putans, concionatorum verba in ludibrium vertens, inaniaque putans terriculamenta, minas, quibus

ob

ob fragilitatis delicta illi minitantur infernum: tutus in ora abyssi, ac certus in periculo, quod minime videt, vel contemnit. Lumine vero Dæmon illum excæcat, cum gratia detegente ea, quæ ipse tanta celabat industria, ut illum in desperationem adducat, eidem persuadere conatur malum nimium crevisse, ac omni jam medicina carere, eique damnationis sententiam tamquam irrevocabilem objicit. Injusta, ac irrationabilis cogitatio peccatori qui bona fide, ac sine mora studet converti. Justitiam times; heu! nescis hic misericordiam ipsa justitia esse potentiorem. Si tibi favet misericordia, ne te deterreat justitia. Peccatorum te numerus terret; numquid ullis finibus circumscripta est misericordia? Nonne immensum est hoc attributum, de quo loquitur Propheta *Psal.* 118. cum eadem terras omnes plenas esse testatur; *Misericordia Domini plena est terra*? Nonne in profunda hac abysso pœnitentes omne criminum suorum pondus abjecerunt? Veterisne nullum tuis locum superesse? Peccatorum tuorum tibi stuporem injicit magnitudo? peccata enormia sunt, & præter humanam cogitationem, gravissima .... Terribilis quidem hic status est, non diffiteor, & raro inde peccator emergit. Verum cum inde serio velis emergere, nonne magna in Deo misericordia est, S. Augustinus inquit, ut magna dimittat peccata? Si communis tantum in eo inveniretur misericordia, credere posses nonnisi pro levibus, communibusque peccatis veniam esse sperandam, sed quoniam David insuetam poposcit misericordiam; quoniam ipse quoque in Deo admirabilem agnovit misericordiam, quis prohibet, ne cum illo dicas: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*? Psal. 50. Miserere mei Domine, non quidem secundum communem misericordiam tuam; neque enim communia sunt scelera mea; sed secundum misericordiam magnam; magna quippe existunt mea crimina: *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te*, Psal. 16. Ne sufficiat tibi Domine communem in me exercere misericordiam; iis, quæ commisi, sceleribus mirabili misericordia opus est, quæ mihi veniam impertiens miraculum operetur. Hæc autem ipsa adeo insignis misericordia non pluris stat Deo, præ altera, quam passim exercet, licet illa infrequentius utatur; & certissimo argumento est, ipsum ejusdem exercendæ cupiditate teneri, cum nequissimo peccatori hæc conversionis immittit desideria. *Idem*.

Tentatio desperationis de divina misericordia.

Non deest tentatio quædam minus quidem communis, sed plerumque periculosior. Dæmon quidem cessat repræsentare nobis Deum tamquam irreconciliabilem inimicum; nihilominus tot objicit difficultates ad illum deliniendum, resarciendamque cum illo gratiam superandas, ut periculum adsit, ne peccator animos despondeat, atque in desperationem labatur. Tunc aperit ille conscientiam sexcentis impeditam involucris, quæ sunt evolvenda, statum animæ omnibus voluptatum flagitiis abditæ, tumultum animæ plurimis, iisque iniquissimis negotiis distentæ, horrorem enormium quorumdam scelerum, quorum nulla nisi in seipso occurrunt exempla: quæ omnia peccatori exhibent chaos quoddam æque & ad videndum horribile, & difficile ad expediendum. Novit sathanas opportune hac rerum perturbatione uti ad prohibendam illorum conversionem; qui reditum meditantur, & ad eos in desperationem conjiciendos. Tunc opus est confidentia, ne divinæ misericordiæ spes abjiciatur; *Idem*.

Abusus divinæ misericordiæ.

Quæris, quomodo fieri possit, ut confidentia in Deo, quæ virtus est, pravum gignere valeat effectum. Respondeo, in more hoc esse positum, ut optima quæque in deteriorem usum vertantur. Misericordia est attributum Dei; & hujus misericordiæ abusus plerosque damnat peccatores. Ad hæc ne putes, confidentiam, quam fovet peccator differens pœnitentiam, eam esse virtutem confidentiæ in Deo, quæ a Salvatore in Evangelio commendatur. Primum enim quælibet virtus est ad bonum dispositio; at hæc eorum confidentia, qui in sceleribus suis permanere cupiunt, dispositio est ad malum. Secundo, vera in Deum confidentia Dei existimationi innititur; hæc vero proficiscitur ex ejusdem contemptu. Tertio, vera confidentia donum est Spiritus Sancti; hæc autem sæpe est peccatum contra Spiritum Sanctum, & præsumptio potius, quam confidentia appellanda. Verum quid? Nonne laudabile est credere, nonne bonum est sperare futurum ut Deus nobiscum suam exerceat misericordiam, ab eodem veniam petentibus? Utique bonum est: sed S. Augustinus animadvertit, peccatorem nequaquam propter confidentiam suam conversionem differre. Hæc enim peccatoris confidentia non efficit solum, ut se veniam consecuturum putet, cum ad misericordiam confugerit; verum etiam in hanc spem inducit futurum ut non desit sibi tempus petendæ veniæ, ut se convertendi gratiam obtineat, tantamque fortitudinem habeat, ut eidem possit respondere; quæ quidem manifesta præsumptio est; quia spes est omni carens fundamento ... O ingrata, & crudelis confidentia, quæ divina abutitur bonitate, ut Deo afferat injuriam! O sacrilega confidentia, quæ ad peccandum divina abutitur misericordia! O funesta confidentia, quæ peccatorem in peccatis retinens, efficit, ut in impœnitentia moriatur! ... Ajo confidentiam in eo, qui non convertitur sperans se misericordiam consecuturum, certissime ad impœnitentiam adducere; quippe efficiendo, ut misericordia deserat peccatorem in abusus ejusdem pœnam, in illum terribiles justitiæ pœnas detrahit; & Sancti Patres vulgo dicunt subitas mortes ut plurimum sceleris hujus esse supplicia. *Idem*.

Non cessandum est quominus, de misericordia Dei sermo habeatur, eo quod nonnulli eadē abutuntur.

Fateor equidem, Auditores, hoc de divina misericordia argumentum, raro, & perquam caute pertractandum esse, ne peccatores inde occasionem arripiant in sceleribus suis callum ducendi, & hac freti spe conversionem suam in tempus differendi. Cor enim humanum, pudet eheu! eo corruptionis evasit, ut supremum hoc ens lædere non vereatur, ubi videt illius in noxis dimittendis facilitatem. Verum aliunde quantum esset nefas non audere de hac suavissima Dei mei perfectione verba facere? Nulla creatura est, Regius inquit Propheta; licet sensu carens, quæ singulis momentis eamdem non celebret. Homo vero unus mirabilia ejus reticeat, homo qui ratione præditus, ideo ex nihilo eductus videtur, ut ejusdem perfruatur effectibus? Ex iis, qui in hac spectatissima corona me dicentem audiunt vel unus est, qui ad infinitam hanc misericordiam nondum confugerit, qui illam non experierit, qui non obtinuerit? Quo intrinsecus afficiemini gaudio me de illa disserentem audientes; vel potius quem ardorem, quam sollicitudinem vobis hujusmodi sermo inspirabit ad eamdem quam celerrime confugiendi? *P. Sthephanus Chamillard sermone manuscripto hujus argumenti*.

Dei misericordia ab omni spe quæstus vacuus.

Quam percipit ex peccatoris conversione supremum hoc ens utilitatem? quid interest sua, illum in viam salutis revocare? Jam nostis. Deus non esset Deus, si ex creatura aliquid posset magnitudinis ejus accedere. Itaque seu omnes homines salvi fiant, seu damnentur, æque magnus est, æque gloriosus, æque felix. Nonne æternitatem omnem impendit suiipsius amori vacans, & cognitioni? Nihil ejus deerat felicitati, & si hoc iniit consilium, ut ex nihilo visibilem hunc mundum, homines, Angelosque educeret, id minime præstitit, ut ulla felicitati suæ fieret accessio. Heu! quid habemus, quod ab illius liberali manu non recepimus, & quod ideo non sit infinitæ misericordiæ illius argumentum, quandoquidem nihil nobis debet? Verum quid dico, Dominum nullam inde utilitatem percipere? immo e contra gloria illius nonne plurimum patitur detrimentum? Crederes enim, Sanctus Thomas ait, ipsum homine indi-

indigere, atque illum bonorum, ac beatitudinis suæ jacturam facere; prout magis magisque peccator se illi præbet ingratum, & infidelem. Nonne affici deberemus ea sollicitudine, qua nos deerrantes inquirit perinde ac opera nostra indigeret? *Deus vita mea!* S. Augustinus exclamat, *qui persecutus es fugientem te, & oblitum tui non es oblitus*. O Deus cordis mei; tu me summa charitate persecutus es, cum maxime a te recedebam, ac recordatus es mei, cum te penitus dederam oblivioni. Cogitatio hæc sanctis animabus amoris, confidentiæ, gratitudinis adeo teneros sensus inspirat, ut sit eorum cum Deo colloquii argumentum: sed homines vulgo hac nequaquam moventur. *Idem*.

Rationes quæ excitare nos debent ad divinas erga nos misericordias celebrandas.

Procul dubio, Deus meus, nisi infelicissimo eo tempore, quo me cupiditas excæcabat, mihi manum tuam tetendisses, jam pridem in abysso iniquitatum obrutus essem. Ubinam gratiæ sunt, quas tibi rependere debeo? ullumne vitæ momentum est, quo tibi immortales agere gratias non debeam? De corde meo ex meo corde judico? Si turpi aliquo facinore terreni Principis gratia excidissem, & Princeps ipse inaudito amoris excessu, quin jure suo in me animadverteret, omnem immo collocaret industriam, ut me ad officium revocaret, & ipse prior meam perquireret amicitiam, diurna luce indignum me existimarem, si vel modicum laberer in pristinum scelus, postquam constantem, æternamque illi fidem pollicitus essem: verum cum de te agitur, levis sum, & inconstans, quin facti mei vel pudeat, vel tædeat. Quid autem? fierine poterit, o Deus, ut tua erga me misericordia causa sit mihi in peccatis perseverandi, & mihi fiat damnationis occasio? Haud ita; perfice in me opus infinitæ hujus misericordiæ; si amas me eo usque, ut me deerrantem persequaris, effice, ut tibi adhærescam, teque constanter diligam. *Idem*.

Dei misericordia quacumque utitur via ut nos revocet ad officium.

Deus infinita sua actus misericordia omnes, quæ fingi possunt, induit figuras, ubi faciliorem efficere possunt reditum animæ deerrantis. Plena sunt Biblia exemplis nobis veritatem hanc meridiana luce clarius ostendentibus; & nonne hoc nobis voluit innuere Salvator amabilis hac nominum, vel potius qualitatum copia, quam sibi erga nos vindicat? Si enim illi habemus fidem, ipse nobis est amantissimus Pater, Mater tenera, solers Medicus, vigilans Pastor; sedulus magister, dux fidelis; quæ munera, & officia Deo, licet Deus sit, ad unguem non adimpleret, nisi in tot varias figuras se se ipsa transformaret; videlicet, nisi, ubi de peccatoris agitur conversione, interius vias omnes tentaret amoris plenissimas, quibus utuntur homines his characteribus præditi; ubi ad frugem revocare conantur amicum, filium, discipulum, quem ægre, & gravate in interitum abeuntem viderent. Verum quorsum mea evaderet oratio, si hanc sententiam probare vellem congerie exemplorum, quorum sola enumeratio tædium vobis afferret? Ut hoc vobis probetur, sufficit videre, qua charitate prodigus filius excipiatur a Patre. *Idem*.

Numquam desperandum est de divina misericordia propter peccatorū nostrorum multitudinem.

Peccatorum nostrorum multitudo, & enormitas numquam efficere debent, ut de divina misericordia desperemus; quamvis profunda sunt vulnera, quæ nobis peccatum inflixit, nequaquam incurabilia sunt Medico, qui potest omnia. Conversio nostra, quæ in semet difficilis adeo videtur, difficilis illi non est, qui cœlos extendit. Satis est, eum velle, ut fiat. Quomodo videbatur lux ex nihilo esse educenda; vel Jerusalem post eversionem iterum ædificanda? Attamen satis est Domino dicere: *Fiat lux:* Genes. 1. *Jerusalem ædificaberis*, Isai. 44. & fiet lux, atque Jerusalem ædificabitur. Unicum sufficere potest momentum ad gratiam cum illo faciendam; verum si dementis est per temerariam præsumptionem momentum hoc expectare, multo magis est, sinere illud elabi sibi per desperationem, quæ nonnisi Deo potest esse contumeliosissima. Licet totam diem ad undecimam usque horam in sceleribus transegissemus; & jamjam animam essemus efflaturi; sciamus, futurum ut, si vere in hoc Deo misericordiæ speraverimus, Deus, cujus bonitas potentiam exæquat, & qui nulla indiget temporum successione, ut majora opera sua perficiat, seu in gratiæ, seu in ordine naturæ, nos uno momento convertat. *Eum, qui venit ad me*, inquit ille in Evangelio, Joan. 6. *non ejiciam foras*. Nobis ut olim *Luc.* 23. fortunatissimo latroni dicet: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso*: etenim quatriduanum suscitare potest mortuum, suumque persecutorem in vas electionis convertere. *Abbas de Montmorel, Homilia in Evangelium Septuagesimæ*.

Peccatores, quos criminum gravitas ad hanc usque deterruit diem ne ad Dominum reverteremini. *Sentite de Domino in bonitate*. Sapient. 1. Quantacumque sit vestra nequitia, multo major est illius misericordia; nequitia enim vestra suis, ejus vero misericordia nullis finibus continetur. *Si impius*, ait ille Ezech. 18. *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est; & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur*. Ubi hæc vox auditur, S. Augustinus inquit, eique fides habetur, impii quodammodo solatium inveniunt; omnes desperationis sensus abjiciunt, & egredi incipiunt ea abysso profunda, in qua alte erant demersi. Verum est, Deum odisse peccatum, quod opus est dæmonis; sed peccatorem, quod opus suum est, diligit, & statim ac sincera scelera nostra detestamur, nihil amplius reperit in nobis sua indignum benevolentia. Quid cunctamur igitur nosmet inter ejus brachia conjicere? *Adeamus*, inquit Apostolus ad Hebr. *cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. *Idem Homil.* 12. *Evang. Dominica 6. post Pentecosten*.

Quantum nobis solatium afferat divinæ misericordiæ cogitatio.

Si nunc Domini misericordiam contemnimus, aliquando justitiæ ejusdem severitatem experiemur.

Dominus rebus in omnibus sua nos prævenit misericordia; nos vero in nulla obsequimur illi: catenas infringit, quibus sceleri alligabamur, nos vero recentes nectimus; accedit ille ad nos, nos ab eodem recedimus. Ille tangit, nos cor nostrum obduramus: imperat ille, ut surgamus, nos autem magis magisque in vitiorum abyssum demergimur. Ita ille per os Prophetarum suorum conqueritur: *Vocavi, & non respondistis, locutus sum, & non audistis*, pulsavi, & non aperuistis: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret*. Isai. 52. Apoc. 3. Prov. 1. Vereamur, Sanctus Gregorius inquit, ne postquam toties ejus misericordiam irritaverimus, illam in furorem vertamus; nobis enim persuasum esse debet, illum aliquando eo nobis severiorem futurum, quo nunc se nobis præbet leniorem, clementioremque. Ne obstruamus aures cordis nostri voci, qua introrsecus nos alloquitur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psalm. 94. *Idem Homilia in Evangelium Dominica quinta post Pentecosten*.

Deus nos ex mera diligit misericordia, quin egeat nostri.

Non ideo nos amat Deus, quia illi utiles sumus, & ex amore nostro aliquem fructum percipiat. Quis adeo insanam fovere posset sententiam, omnibusque rationis luminibus adeo oppositam? In hoc immo Dei bonitas immensa refulget: nos diligit, quin egeat nostri; quam veritatem præclare exprimit Regius Propheta, cum ait Psalm. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Quam afferre possumus utilitatem illi, qui in seipso infinitum perfectionum thesaurum continet, qui fons est omnis felicitatis, & ex quo fluit quidquid boni in creatis rebus potest inveniri? Cum amat Deus, utilitas omnis ei, qui amatur, nulla cedit amanti. Ad Deum per indigentiam accedimus; ille nos bonis cumulat per misericordiam. *Lambert. Homilia* 73.

Dei bonitas, & misericordia

Animadvertite, dum cupiditatis æstu perturbamur, dum animi ægritudo in ipso adhuc ortu subsistit, vide-

nos contra alia ejusdē protegit attributa.

videri Deum oculos claudere, ac dissimulare non per ignorantiam, ut homines, qui passim ignorant, quousque sceleris progrediatur enormitas; non ut illi per imbecillitatem, quia peccata neque punire possunt, neque cohibere; sed ut peccatorem expectet, eique tribuat tempus insaniæ, errorisque sui cognoscendi: *Misereris omnium, quia potes*, Sapiens inquit c. 11. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Sustinet, ut ita dicam, omnes conatus sanctitatis, quæ maximam habet peccato compositionem; justitiæ, quæ illum jugiter ad ultionem sumendam sollicitat; zeli infiniti, quem habet pro gloria sua, & qui urget illum, ut eos perdat, a quibus illa per summam indignitatem eripitur. Bonitas ejus, & misericordia, iterum dicam, sola cæteris Dei attributis resistit, donec hi tenebrarum, & caliginis abeunt dies; sed ubi deferbuit æstus, & aliquot momentis rumor, ac tumultus cessarunt, tunc Deus maxime rebelle cor ad officium revocare conatur; suas auget gratias, illos invitat, urget, sollicitat, minas, ac illecebras miscet; nihilque intentatum prætermittit, ut illum ad se redire compellat. *Sermo manuscriptus P. Stephani Chamillard de Samaritana.*

Quænam sit vera, & falsa confidentia in misericordia Dei.

Ultro jam pronus eram in malum, sed quot vitiosos habitus pravis studiis adjeci? Attamen si in Dei misericordia, tamquam in certo præsidio confiderem, nonne temeraria esset confidentia, & me conditionis meæ immemorem ostenderem? Unum hoc faciendum mihi superest eo in terrore, quo correptus sum, ut humiliter ad te Domine oculos, & manus attollam. Sin in pravam abii viam, tu me inde recipies; si in ipsa interitus ora positus sum, tu me sustinebis. Quo magis de corde, vigilantia, præterita pœnitentia, præsenti, futuroque statu meo diffidam, eo magis tuos in me oculos convertam, meque gratia tua, divinaque protectione dignum præbebo. Hæ cogitationes semper vobis esse præsentes, o Christiani, deberent. Peccato contra peccatum utamur, & Dei ira contra iram ipsius; videlicet numquam præteritorum criminum, divinarumque ultionum obliviscamur. Peccatorum nostrorum intuitus zelum excitabit ad illa expianda, ac deinceps tota sedulitate evitanda; & divinarum metus ultionum efficiet, ut nihil prætermittamus easdem evitaturi. *P. Girout in Adventu sermone de spe Christiana.*

Ut in Dei misericordia speramus, quantum in nobis est adlaborare debemus.

Frustra credimus nos a Deo salvos faciendos esse, & nullos bonitatis ejus esse terminos; frustra vota concipimus feliciter ad promissum nobis finem, & propter quem creati sumus, perveniendi, nisi hanc fidem, & hoc desiderium vitæ sanctitas regat; fides vana est, & mendax desiderium, assertaque spes nostra tunc vitium potius est, quam virtus. Nullus peccator est, dummodo illi vel modicum fidei supersit, cui persuasum non sit infinitam esse Domini misericordiam, & qui ultro non speret futurum ut sibi Dominus parcat. Ex omnibus dæmonibus, qui infernis ignibus uruntur, ne unus quidem est, qui pœnarum suarum finem non optet, & qui inde emergere non concupiscat. Attamen neque peccatoribus, donec in peccato, ac in molli, inutilique vita permanserint, neque dæmonibus ulla salus speranda est. *Idem.*

Fallax idea, quam plurimi de Dei bonitate, & misericordia concipiunt.

Quam ideam, o fideles, de divina bonitate concipitis? Nonne illam corrumpit, idemque annihilat, qui eam nimis intelligere quærit? Si enim bonus est Deus, justus est; hæc est Tertulliani argumentatio. Nulla vera bonitas est sine æquitate, & rectitudine, nulla rectitudo, & æquitas sine perfecta justitia: *Si bonus est, & justus*. Debet igitur, licet bonus sit, immo quia bonus est, tantum odisse malum, quantum diligit bonum; tantum inertem servum punire, quantum fidelem remuneratur; & donec in iis, quæ ad legem pertinent, sterilem, vacuamque foveris ignaviam, donec divinam hanc legem violatis, spes vestra falsa est, immo etiam nequissima. *Idem.*

Diversus bonorum

Nisi Dei tui patientia utereris, ut in sceleribus, pravisque habitibus tuis occallesceres; si melior fieres, quia scis Deum bonum esse: si tot periculorum, ex quibus ille te eripuit, memoria novam imposterum tibi vigilantiam, morumque rationem suaderet: tunc dicerem: Lætare in Domino, ac certo scias illum omnia vota, expectationemque tuam repleturum. Dicerem; ne metuas, quod nimis in Deo sperare possis; spes tua numquam illius bonitatem æquabit, quæ infinita est. Sed cum videam, quo magis in Dei misericordia confidis, eo audacius te in omne scelus proruere; indulgentiam, qua in hanc usque diem erga te usus est, & gratias, quas ab illo consecuturum speras, quin justos grati animi sensus excitent in te, & quin illi fideliter adhæres, efficere ut insolentius, & procacius leges ejusdem infringas: cum intelligam omnem spei tuæ fructum novam esse obstinationem, novosque lapsus; nihil mihi reliquum est, nisi ut Dei nomine tibi sævissimas intentem minas, & gravissimis te anathematis feriam. Apage stulte, ac insipiens. Actum de te jam est, ac post adeo sacrilegum beneficiorum ejus abusum nihil nisi gravissima te manent supplicia. *Idem.*

malorumque mortalis usus.

Prava illatio quæ ex divina desumitur misericordia.

Deus patiens est, inquis, misericors est: hoc novi; ac tu ipse testis esse potes post tot contumelias, quibus ad hanc usque diem a te fuit affectus, & post tot iniquitates, quas pertulit. Verum quid inde? Numquid tuto vivere, & peccare potes? Non ita inferendum esse docet Spiritus Sanctus. E contra enim me Dei terret patientia. Cur? Quo enim magis pœna differtur, eo crescit iræ thesaurus, qui ad me obruendum in caput meum est effundendus. Patientiæ ejus mensura fit mensura ejusdem justitiæ, & postquam expectaverit, graviora infligit supplicia. *Altissimus enim est patiens redditor*. Eccli. 5. Quid de te erit, si irruat repente? quis autem pollicetur, illum jamjam irruturum non esse? Justitia non secus ac gratias suos habet statutos dies .... Cum in Templo peccatum est, præcipit lex, ne Templum sit ultra peccanti perfugium, neque enim amplius sanctum est, ex quo violatum fuit. Perfugium tuum, o peccator, Divina est misericordia, sed illam usu nefario polluisti; non debet ergo esse tibi ultra spei locus, & securitatis. *Idem.*

Sancti non audent in Dei misericordia confidere, & in illa peccatores præsumūt.

Eheu! Sancti in Dei misericordia non audebant confidere: vivebant ut Sancti, atque trepidabant uti peccatores, dicam melius, trepidabant ut Sancti; quia cæcorum, & obduratorum tantummodo peccatorum est nihil metuere, & non contremiscere. Quæ perturbatio, Domine, quæ oppositio? Horrentes ingredior solitudines, locos Evangelicæ mortificationi sacros, sanctos Christianæ Religionis, omnisque ejusdem austeritatis recessus, rupes fere invias, tenebricosos, profundosque specus, cœnobia jugi omnium virtutum exercitatione sanctificata; ibique invenio homines vigiliis, laboribus, jejuniis, & abstinentia confectos, qui tamen nonnisi cum horrore Dei cogitant judicia. Ibi solitarios audio jamjam animam agentes Dei misericordiam implorare, Deumque obtestari cum David, ne districte ipsos judicare velit; non enim satis innocuam vitam duxerunt, neque ita justi sunt, ut interroganti valeant respondere. Hilario, hi tui fuere sensus; hi pariter tui, o Arseni. Vero e contra in sæculo, immo etiam in profanissimo sæculo video peccatores audacissimos in luxu, & mollitie, sine pœnitentia, & sine bonis operibus viventes, & nihilominus tutos, atque tranquillos, post vitam in flagitiis transactam nihil dubitantes de venia, sanctam mortem, beatamque sperantes æternitatem, eadem & majori etiam certitudine ac si illam fuissent promeriti. *Idem.*

Consilium infelix quod desperatio immittit.

Si peccatori metum injicis, ita ille argumentabitur: *Impius sum, peccator sum*, actum est de me. Ita illum S. Augustinus loquentem inducit; *Quare ergo non mihi licet quidquid lubet*, quandoquidem a Deo nihil est, quod valeam sperare! Horribilis illatio! Verum nonne huc illum rapit desperatio? Nonne

toto

toto cœlo utilius est, quandoquidem potius patet (ita enim loquitur Augustinus) ad illum deerrantes advocare fratres, illuc pertrahere, illos etiam invitos, vi sancta, compellere? *Portu indulgentiæ proposito, compellite intrare*. De venia, ac peccatorum remissione loquitur, non ut illos in sceleribus suis confirmemus, quandoquidem non aliam illis proponimus spem, nisi per pœnitentiam, qua peccatum destruitur ... Non sperent in te Domine, qui ignorant te, & qui nesciunt beneficia tua. Ego vero in infinitarum misericordiarum tuarum cognitione nutritus, & altus, clamare non desinam, ac in te uno semper solatium, præsidiumque meum constituam. Non erit hæc spes iners, ac sterilis, sed practica, & operatrix. *Idem*.

Ad Dei misericordiam confugiendum est, donec Deus paratus est, ut misereatur.

Cum tam reconciliabilem nobis habeamus Deum, eum tamen ad iracundiam provocamus, nec ubi illum provocavimus ad pœnitentiam aliquando confugimus. Et certe ille ne tum quidem cum irascitur non odio nostri, aut alienatus a nobis hoc facit, sed ut hoc saltem pacto ad se attrahat, quos non vult perire. Alioquin si etiam injuriis lacessitus jugiter beneficia præstaret, amplius profecto contemneretur. Ne igitur istud eveniat adversatur ad tempus, ut te secum habeat in æternum. Confidamus ergo in ipsius misericordia, & sollicitissimæ pœnitentiæ opera monstremus, priusquam ille illucescat dies, qui nobis minime jam istud prodesse permittat. Nunc enim fere totum in nobis positum est: nunc vero solus profecto judex habebit in te sententiæ potestatem: *Præoccupemus igitur faciem ejus in Confessione*. Ps. 94. fleamus, atque etiam lugeamus. Si enim poterimus ante certam illam horam, definitamque sententiam rogare judicem ut nobis peccata dimittat, jam nec introitu opus erit ad judicium Dei: at ex diverso, nisi id faciamus, publice ac toto mundo teste nos audiet, nec spes ulla veniæ restabit. *S. Chrys. hom. 14 in S. Matthæum*.

Dei misericordia contra ipsum pro nobis stare videtur.

Eadem misericordia Dei in ipsum armatur. Cum illius nobis adversatur providentia, ad misericordiam ejus confugimus. Cum ejus justitia ensem distringit, nosmet inter bonitatis ejus brachia conjicimus. Cum sanctitas ejus recedit a nobis, amorem illius imploramus. Sed cum hæc bonitas, misericordia, amor vult ulcisci, acta sunt omnia; quia juxta nostram intelligendi rationem sub nostro perimus asylo; ea, quæ ceterarum perfectionum Dei cohibet indignationem, in nostrum armatur interitum. *Ex morali Dictionario, de derelictione Dei*.

Ad divinam misericordiam omnino recurrendum est, cum tentamur, ut in desperationem labamur.

Non desunt peccatores, qui criminum suorum, quibus se obnoxios norunt, numerum, ac magnitudinem cogitantes in desperationem labuntur. Deum tamquam irreconciliabilem respiciunt hostem, & idem ferme dicunt, quod desperatorum omnium antesignanus: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Fateor equidem, eum, qui serio sua cogitet peccata, non sine quadam rationis specie in similem labi posse desperationem, vel saltem de divina misericordia diffidere; verum affirmo, cogitationem Incarnationis filii Dei, quod est spei nostræ mysterium, debere hos animi tumultus sedare, nobisque hunc sensum immittere, quem olim S. Augustinus *manual. cap.* 13. & post hunc S. Bernardus protulere: *Desperare utique potuissem propter nimia peccata mea; nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis*. Transactæ vitæ meæ imago animum terret, & peccata, quæ commisi, intuitus desperationis sensus fovere possem, nisi scirem pro me Dei filium hominem factum. Qui de sua salute desperat, putat nequitiam suam majorem esse Dei bonitate, & si satis potestatis habet, ut veniam obtineat, illum non satis misericordiæ habiturum, ut velit misereri. *Biroat in Adventu sermone* 7.

Quanta sit Dei misericordia.

Cogitare quanta sit Salvatoris misericordia, quandoquidem semper est præsto misericordissimo cuilibet peccatori veniam largiendo. Quis ergo criminum suorum veniam non speret, postquam id ille recepit, ac additi jurisjurandi fide roboravit, ut per ea duo, per quæ Deus mentiri non potest, consilii sui, ut loquitur S. Paulus in Epistola ad Hebræos *c.* 6. firmitatem, atque immutabilitatem declaret. Hæc spes ab Apostolo dicitur *Fortissimum solatium*, quia mirum in modum solatur peccatorem, illi veniam pollicitans, si eam contrito, humiliatoque corde petierit. *P. Duneau, sermone in secundam Adventus Dominicam*.

Peccatores divina patientia, & misericordia abutuntur.

Diceres Dei patientiam peccatoribus novas conferre vires, ut contra illum rebellent; hoc misericordiæ dies ab illis in dies iræ converti, eosque interire, quia illis Deus pœnitentiæ tempus relinquit. Quæ cæcitas? quænam hominum ingratitudo? numquid ideo nequam sunt, quia Dominus bonus est? Confessio hæc humano cordi turpis est, verum peccatores, si possunt eamdem detrectent. Ne seipsos peccatores excæcent Dei bonitatem intuiti: patientia illius bonum est, cum homines ad pœnitentiam adducit; sed cum in sua improbitate indurantur, patientia ejus effectus est iræ ejusdem, & ultio diuturni abusus illius. Sed vel sit gratia, vel sit ultio Dei, semper terribilis est peccatoribus propter effectus, quos gignit. *Ex sermone quodam Gallica Accademiæ oblato anno* 1683.

Quid vanam pariat confidentiam in animis impiorum.

Deus bonus est, dicit impius secum, neque creavit nos, ut sineret interire. Impium est credere, illius misericordiam nobis umquam defuturam; & si extremos vitæ meæ annos pœnitentiæ impendero, idem, quod plurimi sancti fecerunt, præstabo. Hic primus est divinæ patientiæ effectus in peccatores, audax, & nefaria præsumptio futurum ut diutius vitam producant, proinde ac vitæ diuturnitas ab eorum voluntate penderet. Cum ita effecti homines sint, quænam eorum sunt consilia, quænam ratio vivendi? In id incumbunt, ut beatam ducant adolescentiam, donec delicias suas illis mundus affluenter impertit; tempus illud pœnitentiæ, cui in vita locum designaverant, numquam accedit; cumque ab una ad alteram ætatem gradum facientes, nec mentem immutent, neque cor, causas prætexunt, ne illud umquam accedat ..... Adhuc quadraginta dies, dicebat Ninivitis Jonas, & Ninive subvertetur. Hoc satis fuit verbum, ut Idololatræ pretium divinæ patientiæ intelligerent. Deus illis quadraginta concessit dies; illi autem hos pœnitentiæ impenderunt; Christiani vero a teneris usque unguiculis eruditi de æternis ultionibus Dei tranquillam ducunt vitam, quin ne cogitent quidem patientiam, qua Deus ipsos ad pœnitentiam expectat. Ad hanc eos vocat, donec in terris versantur, atque in illusionibus, deliciisque traducunt spatium, quod peccatum inter, ac mortem interfluit. Intervallum hoc est tempus patientiæ Dei, cæcitatis peccatoris, atque impœnitentiæ, & obdurationis cordis. *Idem*.

Peccatores in scelere obdurantur per Dei patientiam.

Filii hominum malum sine metu committunt, inquit Ecclesiastes, quia differt Deus in illos mortis sententiam proferre. Persistunt, sequitur Scriptura, in habitu prævaricationum suarum, & quia vident Solem, non sibi minus quam Justis enitescere ... Ne vereamur hoc palam dicere: Dei patientia illa est, quæ cor efficit impœnitens, ac illud indurat. Illam aliis utilem esse, S. Augustinus inquit, quia eadem utuntur ad pœnitentiam peragendam, aliis vero inutilem, quia majorem in illis fovet audaciam resistendi Deo, & in sceleribus persistendi; sed quantumvis pravum in peccatoribus effectum gignat, non minus Deo digna est. Illi hanc in suum vertunt interitum malignis similes plantis, quæ cœleste ros in virus convertunt. Nequiores fiunt, ac in vitiis obduratiores, quo magis Deus in illos suas gratias effundit. *Idem*.

Quam injuriam afferat Deo, qui sub divinæ misericordiæ prætextu in sceleribus perseverant.

Quam majorem Deo inferri posse putatis injuriam, quam propria ejusdem bonitate ad improbitatem vestram alendam abuti? ita rerum mutare naturam, ut infinita Dei misericordia quæ suapte natura peccatum in vobis delere contendit, contra natu-

riatura ipsius abutamini ad peccatum melius roborandum, fovendum, multiplicandum, ac in eo semper perseverandum, intra vos dicentes: audacter peccemus, infinita quippe est misericordia Dei; illa a nobis justitiæ pœnas avertet: quantumvis in omne scelus ruamus, semper perorabit pro nobis. Quid aliud hoc est, quam Dei misericordiam omnium peccatorum vestrorum facere velle consortem? Creditisne hoc enorme scelus non esse ita in divina confidere misericordia, ut in peccatis semper perseveretis? . . . . . Scio equidem, Domine, in epistola quadam S. Hieronymus ajebat, equidem scio infinitam esse tuam misericordiam; & ideo contremisco. Vereor quodammodo magis misericordiæ, quam justitiæ tuæ magnitudinem; si enim justitiam tuam læsi, ad tuam misericordiam confugiam, quæ mihi manum tendet, tutumque præbebit asylum; at si læsero misericordiam tuam, si illam contempsero, si delassavero, si contra me illam irritavero, quis contra illam me protegat, ad quam aram accedere potero, ut offeram vota mea? *Auctor Anonymus.*

Contra eos qui numquam nisi divinæ justitiæ severitatem prædicant, & qui nolunt apud peccatores sermonem haberi de misericordia.

Se ipsum damnat, & propriæ infirmitatis experientiam negat, qui peccatoribus irati dumtaxat Dei faciem ostendit, quin umquam ejusdem misericordiæ vultum exhibeat. Quid autem dici potest de eorum evangelii præconum severitate, qui numquam nisi judiciorum austeritatem prædicant, & qui, ut olim Jonas, subirascuntur, quia Deus pepercerat Ninivitis, quibus ipse prædicaverat pœnitentiam? Nonne barbaræ crudelitatis nomine, & iniquitatis redargui possunt, eo quod minime velint Deum, erga alios eadem uti misericordia, qua erga illos usus est Deus? Nonne igitur ad propriam amandandi sunt miseriam, & quærendum ex illis, utrum proprium sentiant infirmitatem, & utrum hæc, non secus ac aliena, Dei egeant misericordia? Interrogandi sunt, utrum putent, Deo pro ipsis tantum esse misericordiam, pro aliis vero justitiam; & utrum jure aditum, quem sibi patentem cupiunt, aliis velint obstructum; vel ut Patris cujusdam sententiæ inhæream, utrum æquum sit, ut viam, per quam ingressi sunt, intercidant, ne alii per eamdem ingrediantur. *Sarazin, Sermone de Jesu Christo Redemptore.*

Quomodo loquendũ de divina misericordia.

Dei misericordiæ procuildubio peccatoribus prædicandæ sunt; non autem illis promittendum, fore ut iisdem in scelerum suorum volutabro pertinaciter permanentibus misericordia hæc non sit defutura. Si dicunt Concionatores majorem Dei esse misericordiam, quam hominum improbitatem; si dicunt illam numquam exhauriri, & ad extremum usque vitæ spiritum in ea sperandum esse; Dei sinum semper patere ad peccatores recipiendos, ac illum non ignarum nostræ infirmitatis, atque miseriæ parcendo non fatigari; si sæpius illa repetunt verba Prophetæ Ps. 102. ingentem consolationem afferentia: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Si Concionatores has veritates annuntiant, non ideo dicant, misericordiam, quæcumque scelera committantur, non defuturam; sed hortentur, ut quilibet cum timore, ac tremore salutem suam operetur. Prædicent, Deum exercere misericordiam, non quidem patiendo, peccata impune abire, sed gratiam tribuendo, ut agatur pœnitentia. *Idem.*

Quid pro nobis divina præstet misericordia.

Dei misericordia pro nobis omnes justitiæ ejusdem sententias abrogat unicam ex labiis nostris vocem eliciendo, *peccavi*; hæc inferni flammas extinguit, quibus in æternum essemus cruciandi, unica aquæ gutta, quam ex nostris oculis elicit: hæc momento gravissimas quaslibet catenas infringit nos in dæmonis, peccatique captivitate detinentes, unico motu cordis, quod sua movet gratia, mox per contritionem illud debellatura: hæc, ut verbo me expediam, nobis exhibet generalem, & efficacem omnibus infirmitatibus nostris medicinam; neque solum omnibus nos eripit malis, verum etiam large suos nobis aperit thesauros, ut æternis bonis nos cumulet. *P. d'Argentano Capuccinus in Collationibus de magnalibus Dei collatione vigesima.*

Dei misericordia in ratione, qua dimittit peccata, ostenditur.

Beatos nos putamus, si satisfactionibus, submissionibus, & precibus apud Principem aliquem impetrare possumus levis alicujus noxæ veniam. Licet Deus, cujus infinita majestas est largissimum lacrymarum torrentem exposcere, licet omnibus vitæ nostræ laboribus unicum ex peccatis nostris esset redimendum, immortales nihilominus habendæ essent infinitæ huic bonitati gratiæ, dummodo hanc nobis veniam permitteret. Sed ejus misericordia, quæ nullis est terminis circumscripta, nullum suæ liberalitati finem constituit. Hac autem ratione illam concedit, quæ superat quidquid in hominum mentem cadere potuisset. Primum veniam eodem temporis momento concedit, quo petitur; secundo no expectat quidem, donec petatur, sed peccatorem prævertit, eique illam offert; Tertio si ille hanc acceptat, illi tanta charitate parcit, ut numquam peccati meminerit eodem fere pacto, ac si illum in maris imum projecisset. Quarto plura tribuit, quam quæ petuntur; atque ut cumulus accedat, agens cum peccatore qui sibi inimicus est, tanta cum hilaritate, gaudioque agit, quanta si felicitatis apicem consecutus fuisset, ita ut cœlum omne congaudere velit, sibique tantum boni gratulari. O incomprehensibilem divinarum miserationum excessum! Possumus ne te agnoscere, & non diligere! O dignissimum, qui æternis divinæ justitiæ suppliciis torqueatur, miserum peccatorem, qui pertinaci consilio clementissimæ hujus bonitatis illecebris adversatur! *Idem.*

Quid sit divina abuti misericordia.

Quinam est character, ac spiritus tot peccatorum divinæ misericordiæ gratiis abutentium? Hac eadem abuti misericordia contra ipsam, & credere, quod quia bonus est Deus, ipsi impunes esse possunt nocentes. Illam suis subjicere iniquitatibus; bonitatem illius suis captivare cupiditatibus, ac desideriis; Deo obedientiam detrectare, ejusque leges infringere; quasi certi essent, illum, quia mitis, & misericors est facile rebellionis veniam concessurum: illum offendere animo tandem aliquando redeundi cum eodem in gratiam; sine ulla religione in omne scelus ruendi non sine consilio pœnitentiæ tandem agendæ, ac veniæ implorandæ: denique præsentes illius gratias respuere non sine spe validiores recipiendi, quibus tunc illatas divino nomini contumelias poterunt separare. Hac autem damnabili mentis, & cordis dispositione supposita quænam terribilis congeries, quinam horribilis peccatorum acervus? Peccatorum ingratitudinis, peccatorum præsumptionis, peccatorum improbitatis. *Ex morali Dictionario Sermone 2. de Misericordia.*

Cur Regius Propheta Deum misericordiam suam dicat.

S. Augustinus in hæc Psalmi 58. verba *Deus meus misericordia mea*, exclamat, & quærit quid sibi hæc verba velint. Si dico, Domine, te salutem esse meam, fateor, aba te salutem meam proficisci. Si dico te fortitudinem meam, intelligo nullum mihi robur esse, nisi tu mihi illud contuleris. Sed te *misericordiam meam* nuncupans, hoc nomine complector quidquid ego sum erga te, & quidquid tu es erga me. Perieram, & tu salus mea fuisti; casurus eram in manus inimicorum meorum, & tu fuisti refugium meum; ad extremam usque infirmitatem, ac languorem contabueram, & tu fuisti fortitudo mea; sed omnia a te hæc beneficia recepi, quia fuisti misericordia mea. *Idem in Considerationibus suis.*

Quomodo confugiendum sit ad misericordiam Dei.

Nosti Domine, a me cognosci non posse mala, quæ mihi ab ira tua imminent. Quomodo ergo coram me prodiens tibi satisfacere potero, ac respondere? Nihil mereor, nisi pœnam, justamque damnationem, quam proferes in me, nisi misericordiæ tuæ oculis me respexeris. Passus es flagitia adolescentiæ meæ, ac vitæ meæ scelera prorsus paterna charitate. Vidisti me turpissima quælibet sectantem vitia, intentum omnibus te lædendi occasionibus, sexcentis vanitatibus infatuatum, quas tuæ legis, salutisque meæ oblitus, deperibam;

voluptatum amore captum, atque in plures, variosque affectus divisum, quorum ne minima quidem pars ad te refertur. Intuitus es me deceptum, deerrantem, perfidum, jamjam in inferni ignes lapsurum, atque in ipsa ejusdem ora me tenuisti: Sum miser peccator, quem toties expectasti, licet neque mala mea, neque cæcitatem, qua tenebar, ne cognoscerem illa, ignorares. Heu! illa nondum agnosco. Quid igitur agam? Prohibes enim, ne desperem, quamvis nullam in me sperandi occasionem inveniam. O suavissime Pastor! qui noluisti aliquam extra te reperiri malis, quæ adversum te commiseram, medicinam; qui mihi tua clargitus es merita, ut in tua misericordia sperarem, & qui ipse me docuisti, quomodo ad te per pœnitentiam reverterer: aperi oculos meos, ut agnoscam, atque detester, quidquid in me tibi displicuit. *Liber cui titulus: Domini Nostri cruciatus.*

Quid intercedat discriminis inter Dei misericordiam atque justitiam.

Divinæ misericordiæ hoc proprium est, celerem esse nobis benefaciendo; cum justitiæ proprium sit lento gradu ad pœnam reposcendam incedere. Non vult Deus præcipiti in nos judicio animadvertere; ut plurimum diu suum differt supplicium; judicium ejus est cum tranquillitate conjunctum: *Tu autem cum tranquillitate judicas.* Sap. 12. Verum cum nobis benefacturus est, celeriter agit; ac ea fertur celeritate, quæ ejusdem decet charitatem. Fieri nequit, quo minus sit lenta justitia, quoniam illi expectandum momentum est, quod in decretis suis constituit Deus ad ultionem exercendam; fieri e contra nequit, quo minus prompta sit misericordia, quoniam opus est, ut nos præveniat, atque præcedat. Cum Deus puniturus est, eget ministro, cujus opera ultionem suam exequatur, sed cum miseretur, nullius adhibet ministerium, solusque operatur. Addam etiam, in misericordia Deum sequi naturam, ingeniumque suum, quia ex Tertulliani sententia Deus est suapte natura beneficus: *Cujus natura benefaciens est.* In justitia vero exercenda Deus sibi vim facit, & agit invitus. *P. Claudius Massil. Sermone 5. Adventus.*

Melior dispositio ad peccatorũ veniam obtinendã est ad Dei misericordiam confugere.

Peccator, qui me audis, quantacumque sint animæ tuæ vulnera, quantumlibet inveterata sint, & quamlibet nequitiam in tuo scelere agnoscas, scias, optimam dispositionem ad peccatorum veniam consequendam hanc esse, ut teipsum ad perfectam excites in divina misericordia confidentiam. Universalis hæc plaga iniquitatis in omnem tuam conscientiam effusa; nefaria vitæ ratio quæ non aliud est quam haud intermissa criminum series; hoc est dignum infinitæ Dei misericordiæ objectum. Opus non habet aliquid in peccatore invenire, quo excitetur; ex semetipsa causas ejus bonitatis adfert, qua illius miseretur; peccatricem, Jerosolymæ scandalum in perfectæ pœnitentis exemplum convertere vult; Ecclesiæ suæ persecutorem, cædem, flammamque discipulis suis minitantem in vas electionis vult immutare; infideli discipulo ad ancillæ vocem seipsum neganti Ecclesiæ suæ claves dignatur conferre. *Abbas du Jarry Sermone de Magdalena.*

Exhortatio ad Dei misericordiam implorandã.

Fides, qua docemur, peccatà nobis divinam indignationem conflare, docet etiam illam per pœnitentiam sedari. Ecclesia, quæ contra impœnitentes peccatores contorquet anathemata, eos qui convertuntur, pacificis recipit verbis, atque inter symboli sui articulos peccatorum remissionem recenset. Eos lacrymis prosequitur, qui cadunt; & ubi aliquis consurgit, lætatur. *Adeamus ergo*, inquit Apostolus, *cum fiducia ad thronum gratiæ ejus*, ut misericordiam consequamur. Templa omnia patent; ubi prima ex oculis nostris defluxerit lacryma, audiet ille cordis contriti voces; ubi primum ex ore suspirium emanaverit, ubi primum contritionis sensum conscientia nostra conceperit, arma de manibus ejus decident. Quemadmodum ne minimum quidem illi abscondere peccatum possumus, ita in nobis primum etiam gradum, quo ad justitiam revertimur, intuetur. *Idem.*

Dei sensus erga pœnitentem.

Tales sunt Dei sensus erga peccatorem pœnitentiam agentem: *Perierat, & inventus est*, quod per occasionem filii Prodigi dictum fuit. *Perierat*, opus manuum mearum, imago, similitudo mea, pretium sanguinis mei perierat; hodie vero tamquam postliminii jure illius possessionem rursus acquiro. *Mortuus erat.* Anima erat desperata, derelicta, de qua actum putabam. Centies quæsita, & sollicitata, me repellebat, & aspernabatur, hodie præter spem gratiæ reviviscit; tandem ingredior in cor hoc subjectum, mansuefactum, docile; ad pedes meos video rebellem filium, & ob tantam hanc victoriam, quam retuli, lætandum mihi non est? *P. Cheminais.*

Dei misericordia visa est malis, & calamitatibus nostris medicinam afferre.

Dei bonitas, quin ob injurias, quibus a nobis lacessita fuit, succenseret, & in nos ultionis suæ tela ejacularetur, miserta est nostrarum ærumnarum, consiliumque iniit nobis tendendi manum, ut in servitutis suæ, supremæque felicitatis viam nos revocaret. Verum justitiæ illius erat satisfaciendum; dimissoque crimine, quod a primo parente nostro traditum accepimus nobis relinquendum erat pro sceleribus omnibus, quæ ex peculiari voluntatum nostrarum motu proficisci poterant, pharmacum. Hoc autem creatura simplex præstare non poterat; quis enim satisfecisset pro noxa contra infinitam majestatem patrata? Quis adeo locuples fuisset, ut omnia dissolveret debita, quæ singulis momentis conflare possumus, utque vitam nobis toties redderet, quoties nobismet mortem conscivissemus? Unum peccatum tantam Deo infert injuriam, ut omnia mortalium omnium, Angelorumque sacrificia, licet semel tamquam illius gloriæ victimas immolarent; neque honorem illius reparare, neque maculam hanc possent eluere. Idcirco, quandoquidem nullum nobis vel in cœlo, vel in terra esse poterat remedium, ille ipse, qui affectus fuerat contumelia, & qui secundum justitiæ leges æternis nos afficere debebat suppliciis, cupiens sequi suæ bonitatis studia eo miraculo, quod spiritibus omnibus stuporem injecit, & ea misericordia, quæ exemplum habere non potest, seipsum victimam obtulit, ut peccata nostra expiaret. *P. Mancerye Sermone duodecimo de misericordia Dei, secundum Lessii mentem.*

Rationes propter quas in misericordia Dei sperare debemus.

Scriptura ubique exhibet Deum iis imaginibus, quæ solatium nobis afferunt; modo veluti mitem, ac patientem dominum, qui expectat, ac dissimulat ea, quæ patrantur facinora, qui servi sui utilitatem propriæ antefert, qui omnia suffert sine querela, qui absoluta, quam habet, potestate non utitur, qui minas intentat, ut arma sibi auferantur; modo veluti benevolum amicum, qui non cessat loqui ad cor, ut illud moveat, & qui sexcentas adhibet artes, modosque ut rebelle cor in viam salutis reducat; modo veluti infatigabilem Pastorem, qui amissam ovem quærit ubique, inventamque suis imponit humeris, ut in ovile reducat; & qui jubet felicem hunc reditum universæ Angelorum aulæ gaudiis celebrari. Profecto peccatricem animam hujusmodi imagines misericordiæ Dei sui movere debent; & jure dici potest, peccator qui post hæc desperat, esse mortalium omnium stultissimus. Verum ne hinc arguatis, peccatorem, qui per temerariam in hac bonitate confidentiam in suis sceleribus perseverat, minus stultum esse; divinamque misericordiam confidentiæ argumentum esse illis, qui nihil ad eam consequendam conantur. *P. Massillon Sermone pro feria secunda post Passionis Dominicam.*

Postquam peccavimus, singula momenta, quibus vitam producimus, sunt divinæ misericordiæ effectus.

Quemadmodum quodvis mortale peccatum meretur mortem, ita tot vitæ momenta, quæ Deus nobis concedit, postquam divinam illius majestatem offendimus, totidem sunt misericordiæ illius erga nos, & bonitatis effectus. In hoc illam agnoscere deberemus, vivendi rationes mutantes, & justitiæ

Dei

Dei satisfacere studentes. Hæc enim mora, ac dilatio mortis effectus est incomparabilis hujus misericordiæ, quæ pro nobis divinæ sese opponit justitiæ, brachium illius jamjam sublatum cohibet, retinetque iræ illius fulmina jamjam casura, ut aliquod nobis pœnitentiam agendi spatium supersit. Christiana veritas est, vitam, quæ nobis post mortale scelus relinquitur, munus esse divinæ misericordiæ, non commune bonitatis ejus beneficium, quæ nobis hanc vitæ prorogationem, ac mortis dilationem concedit, ut oculos aperientes ad ea, quæ nobis impendent, mala, salutari pœnitentia omnia justi furoris ejusdem supplicia evitare possimus. *Desumptum ex specimine eloquentiæ Abbatis de Aubignac.*

Donec vivimus, semper in Dei misericordia sperare possumus.

Væ illis, qui in debitam pœnam contemptus, quo Dei misericordiam flocci fecerunt, subita morte rapiuntur, quin spatium habere possint sese ad Deum convertendi, ac peccatum relinquendi. Sed donec in terris vivimus, licet paucissima vitæ nobis superessent momenta, certum est gravissimorum scelerum veniam obtinere nos posse. Quantumvis sero agatur pœnitentia, S. Hieronymus inquit, dummodo sincera sit, salvare nos potest. Bonus latro in cruce suam conversionem incœpit, & salvatus est: *Numquam est sera conversio, latro de cruce transiit in paradisum*. Unum sufficit conversioni momentum; & quantulumcumque sit tempus, satis magnum est, ut redeamus ad Deum. *Ex S. Chrysostomo, Homilia ad Populum Antiochenum.*

Deus ita peccata nostra dimittit, ut juxta scripturarum verba non recordetur eorum.

Cum Deum læsimus, nobiscum in gratiam redit, non ex parte, neque ex dimidio, neque aliquot solum gradibus ad nos accedens, se omnino, integramque nobis gratiam largitur, omnia oblivīscitur; omnia dimittit. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis*, ait ille, Ezech. 18. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*. Omnia æterna oblivione obruuntur; commissio, omissio, actus, habitus, infirmitates, errores, rebelliones, atrocia crimina, omnia remittuntur. Ubi abundavit peccatum, gratia supervenit, & superabundat; & reconciliatio adeo perfecta est, ut hic Deus misericordiæ gaudium suum testetur, totumque cœlum secum jubeat congaudere. *Auctor Anonymus.*

De peccatorum venia.

Ego sum, inquit Deus per Isaiam, c. 25. & 28. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Ego sum:* His verbis peculiarem denotat characterem, qui uni convenit sibi. Unus Deus tanta facilitate tam gravia remittit peccata; Deus unus omne remittit debitum talenta decem millia debenti: *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*. Quod deletum est, non videtur ultra; argumentum, quod completa, ac integra venia est, & debitum omne dimissum: *Propter me*. Non alia quærenda ratio est hujus veniæ adeo generosæ, quam bonitas Dei. Servus evangelicus nihil suo regi tribuit: si rex omne debitum remittit illi, hoc unice opus est misericordiæ ipsius. Rex, inquit Evangelium, misertus est. Noverat David quam late pateret bonitas Dei, hunc deprecans, ut a peccatis suis faciem averteret: *Averte faciem tuam a peccatis meis*, omnesque ipsius iniquitates deleret: *& omnes iniquitates meas dele*.... Deus paratus est, ut quæ debeamus illi remittat; nihil hac veritate certius; verum nihil æque certum, quam quod hæ promissiones eos tantum peccatores respiciunt, qui e peccatis emergere cupiunt. *Lambert, Homilia 75. in diem festum Sanctissimæ Trinitatis.*

Misericordia, & clementia, qua Salvator usus est cum peccatoribus.

Ullane in Evangelio occurrit veritas apertius notata, quam efficax Jesu Christi desiderium, quo flagravit, & flagrat adhuc peccatores salvos faciendi? *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Matth. 9. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Matth. 11. Exemplum ejus nonne fuit verbis ejusdem conforme? Ex omnibus peccatoribus ad eum redeuntibus, aliquem ne repellit, atque contemnit? Nonne illos consolatur, nonne illos contra Pharisæorum criminationes tuetur, & protegit? modo illis dicit: sanus factus es, jam noli ulterius peccare; modo, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quænam verba majus afferre solatium possunt? quænam agendi ratio erga peccatores mitior, atque indulgentior! Illos fugientes persequitur, sui oblitos revocat, misericordiam implorantes ita exaudit, ut oblectetur suum, totiusque cœlestis aulæ pro unius peccatoris pœnitentia magis quam pro plurimorum justorum fidelitate, ac perseverantia gaudium ostendere. *Specimen Sermonum pro tertia post Pentecosten Dominica Argumento 3.*

Præsumptio in Dei bonitate, ac misericordia.

Deus bonus est, non diffiteor; verum putasne in illo stupidam, sensuque carentem esse bonitatem? Bonus est Deus: quibus autem? Israeli, correctum habenti, neque confidentiam suam temere in ignava bonitate constituenti. *Quam bonus Israel Deus, iis, qui recto sunt corde*. Sed in quam scelerum abyssum ruit, qui divina fretus bonitate, confidens, atque securus sese vitiis ingurgitat? Non majori cum periculo, inquiunt, multa, quam pauca scelera committimus, gravioribus nosmet abdimus flagitiis, quam levioribus adhæreamus: Dei sufficit misericordia, ut utrorumque veniam consequamur. Hinc autem quomodo impietati laxantur habenæ? quomodo in omne nefas ruitur? Heu Frater, S. Paulus *ad Rom.* 2. exclamat; ne Dei patientia te ad impœnitentiam trahat; ideo patiens est, ideo te suffert, ac tolerat: *Patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit*. Contra hujusmodi profecto peccatores, quos divina misericordia in peccatis audentes efficit, Apostolus hæc terribilia verba pronuntiat: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Sermo Manuscriptus.*

Omnis fiducia in Dei misericordia constituenda est.

Dissimulare non licet; si nostra duntaxat intueremur peccata, non ingiuria in desperationem decideremus: sin autem sanguinem, mortemque Jesu Christi respicimus, magnum spei nostræ mysterium; corda nostra ab his desperationis sensibus prorsus erunt aliena: *Desperare utique potuissem propter omnia peccata mea, nisi Verbum tuum, Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis*, S. Augustinus ait. Præteritorum scelerum meorum imago me quidem perterret, Sanctus hic addit, & si oculos in mea tantum flagitia conjicerem, de divina misericordia fortasse diffiderem; sed Jesus Christus in cruce omnes metus meos dissipat, & sanguis ejus cor meum confirmat. Si me tamquam dæmonis, cui me peccata mea tradiderunt, mancipium spectarem, non alium criminum meorum exitum expectare possem, quam infernum; ubi vero cogito, me Jesu Christi membrum esse, ejusque sanguinem in venas meas defluere, tunc non spe hac confirmari nequeo, ipsum mecum sua usurum misericordia...... Quæcumque peccata patrasti, S. Basilius inquit; eorum numerus, & magnitudo potest inveniri; at divinæ misericordiæ fines inveniri non possunt. *Abbas de Breteville libro cui titulus: Eloquentia Ecclesiastica, & Forensis lib. 4.*

Quomodo de divina misericordia diffidimus.

De bonitate, & misericordia Dei diffidimus, cum scelerum nostrorum pondere obruti, vel ad extrema quædam redacti, unde humana ope nequaquam eripi possumus, animo deficimus, vel labimur in desperationem; quasi misericordiam illius non satis magnam arbitraremur, ut nobis parcere posset, vel brachium illius non satis validum, ut nos ea ex calamitate, in qua sumus, posset eruere. Ita Cain, quin peccatum suum coram Domino confiteretur, non aliud respondit, nisi majorem esse ipsius iniquitatem, quam ut veniam posset obtinere. Ita Saul quin accepta clade uteretur, ut rediret ad Deum, gladio seipsum confodit, & Amalecitæ manu sibi mortem conscivit. Ita Judas, quin ad divinam confugeret misericordiam, cujus toties expertus fuerat effecta, omnem abjecit spem, ac seipsum laqueo interemit. *Abbas de Monmorel, Homilia in primam Quadragesimæ Dominicam.*

Grati animi sensus eo quod divina misericordiæ ope infernum evasimus.

Toties infernum meritus sum, quoties mortalia peccata commisi, ac Deus me toties inde eruit, quoties illum meritus sum, & ipse me æternis ignibus non addixit. Quam igitur rependere gratiam possum Deo, qui ex tanta calamitate me eripuit? Si Deus modo erueret ex inferni flammis damnatum iisdem excruciatum, quas illi haberet, agereteque gratias? Numquid minus teneor ego, ab illis ignibus præservatus? Num minorem illi gratiam debeo? Quot ibi torquentur miseri, ob unum dumtaxat mortale scelus illuc in præceps dati? Ego vero post sexcenta nondum damnatus sum; o summam Dei misericordiam! undenam tanta illic quidem austeritas, hic vero misericordia? Nihil scio: hoc unum scio, me hanc bonitatem nequaquam fuisse prometitum, & la severitate in miseros magis commendari hanc Dei clementiam in me; meque inexcusabilem fieri, si me ingratum præbuero. *P. Nepveu tomo 2. Christianarum Considerationum.*

O potentissimam rationem, qua ad pœnitentiam peragendam inflammer! Dicere possum cum Job c. 17. *Infernus Domus mea est:* eo in loco torquendus essem, si meritis me Deus affecisset supplicils. Ita sane; ignes illi, opprobria, æterni cruciatus essent pars mea, si Deus non misericordiæ magis, quam justitiæ suæ, criminumque meorum voci aures præbuisset. Æque ne subeundæ sunt mihi cruces, quas divina immittit Providentia, cogitanti, has mihi irrogatas pro æternis suppliciis, quæ meritus sum? Pœnitentis vitæ humiliationes gravesne mihi videri debent censeni, has locum obtinere opprobriorum æternorum, quibus essem adjudicandus? Hæc omnia levia, & suavia videri debent homini, qui infernum, & meritus est, & meditatus. *Idem.*

Dei misericordiam beati in cœlo admirantur, & celebrant.

Paradisus sedes est, ubi divina misericordia magis effulget; beati illam singulari studio admirantur, celebrant, eique gratias agunt: omnes ejusdem thesauros aperiunt; omnem illius rationem scrutantur; omnes illius experiuntur affectus. Illos rapit, illos transfert, illos ineffabilibus cumulat deliciis. Hæc illos ad supremum, quo perfruuntur bonum, adduxis; hæc illis aditum reseravit; hæc sedem illis ibi constituit; hæc certam hanc illis effecit possessionem. Quamobrem æternis eam laudibus celebrabunt, ac indesinenter clamabunt: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ps. 88. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Actus spei, & confidentiæ in Dei misericordia.

Ne permittas o Deus, me teterrimæ bujus ingratitudinis reum fieri, ut de tua bonitate diffidam. Licet peccatorum meorum me terreat pondus, licet dæmones mihi metus, ac timores incutiant; sperabo Domine in tua misericordia, & non os tantum meum, verum etiam ossium meorum, ut Propheta loquitur, medulla, venarumque mearum sanguis jugiter dicent, tu Domine unica es spes mea, unicum refugium meum; in te spero, neque confundar umquam. Licet in umbra mortis incederem, licet totus infernus in meum conjuraret interitum; nihil timebo; quia proteges eos, qui sperant in te. *Auctor Anonymus.*

Quomodo consolari possimus peccatorē de divina misericordia diffidentem.

At enim, infelix peccator sum; verum nescis, & Salvator nonne expliciris verbis professus est, se in mundum venisse ob id unum, ut quæreret peccatores; & quia interitus eorum misertus est, ideo de cœlis in terras descendisse! Alioquin quid illius esset misericordia? Peccata mea, inquies, gravia sunt: numquid gravia magis sunt, quam Dei misericordia sit magna? Nonne peccatorum nostrorum multitudo, & enormitas misericordiæ hujus gloriam commendat? Instabis fortasse, te nimis diu hac abusum fuisse confidentia; esto; verum fatebris etiam, diuturnum hunc abusum ostendere, te ab eadem amari; alioquin tamdiu passa non fuisset contemptus, ac rebelliones tuas; illa ad hanc usque diem tanta cum patientia te non expectasset; & post hæc potes adhuc de hac misericordia diffidere? Quanam argumentandi regula desperationis causam desumis ex tot monumentis amoris, ac benevolentiæ, quæ Dei misericordia tibi conferre non destitit? *Idem.*

Dei patientia nos diu præstolata est.

Peccator, qui nimis diu per latas deerrasti vias, quæ ducunt ad mortem, si nondum periisti ut longe plurimi; opus est misericordiæ, quæ te licet ingratum, perfidum, rebellem semper expectavit. Fessus hic Deus super oram putei Jacob sedit expectans donec tu quoque, ut olim Samaritana mulier, accederes, & ex eo peteres aquam in æternum usque vitam salientem. Tot licet gravissima patrasses peccata, quorum clamor, ut olim Sodomæ, & Gomorrhæ in cœlum usque ascendit; patiens hic Deus se descensurum ait, atque visurum: *Ex Dictionario Morali, Sermone primo de Misericordia Dei.*

Dei patientia in hominum sceleribus perferendis.

Tota hominum patientia cum patientia Dei comparari non potest; non secus nulla proportio est inter injuriam, quæ creaturæ infertur, & eam, quæ contra Creatorem committitur. Deus autem videt omnia crimina, quæ contra divinam suam majestatem patrantur; & quemadmodum inde maximo dolore afficitur, posset simul ultionem reposcere, nisi ille nostrarum ærumnarum misertus sequi mallet mitem suæ bonitatis inclinationem, quam ad terribiles justitiæ suæ effectus gradum facere. Hinc quidem videt quanta sibi homines debeant, quia illos creavit, atque ad supremam evocavit felicitatem; inde vero summam eorum considerat ingratitudinem, & peccata omnia, quæ committuntur contra se in omnibus mundi locis. Videt blasphemos, perjuros, homicidas, animas iniquitati mancipatas. Videt aras suas pollutas, mysteria contempta, fideles servos exagitatos, omnesque leges suas a monstris impietatis violatas. Dicamne eodem oculo intueri domi suæ, atque inter fideles, homines terrena tantum cogitantes, quasi alteram futuram vitam nescirent; proditores, infideles, qui gratias ipsius aspernantur, legesque contemnunt, homines avaritiæ, & ambitioni inservientes? Dicamne, oculum hunc intimas cordium latebras perlustrantem in conjugiis infidelitates, in familiis inimicitias, in regnis seditiones, in foro rapinas, in templo atque sanctuario hypocrisim, & irreligionem prospicere? Deus hæc videt omnia, & licet inde affici nequeat dolore, tamen succenset; ita ut nisi major illi, quam nobis, esset patientia in perferendis injuriis, jampridem brachium illius, quod pluribus armatum est fulminibus, nos præcipites in abyssum protrusisset, ac cœlum, terramque subvertisset, ut nos sub eorum ruinis obrueret. Nos patitur tamen, peccata nostra dissimulat, ut ipse ait in Scripturis, ut nobis pœnitentiæ spatium relinquat. O miram Dei patientiam, quam tot indignitates, atque contumeliæ labefactare non possunt! *P. Maucorps Sermone de Misericordia Dei.*

Justitia, & misericordia semper simul esse debent.

Quodnam majus divinæ misericordiæ inveniri potest exemplum, quam in Crucifixo? sed ubi alterum invenietis exemplum, quo melius divina probetur justitia? Quomodo possumus non sperare in Deo, qui pro nobis proprium filium suum sacrificavit? verum quomodo possumus etiam illum non timere, quandoquidem ita illi displicuit peccatum, ut illud punire debuerit in filii sui persona, quem æque ac seipsum amabat? Si bonus latro bene moriens postquam male vixerat vobis spem facit, mortem vestram non fore infelicem; malus latro male moriens licet ad latus quidem Salvatorem habeat, ad pedes vero beatam Virginem, terrorem vobis incutere nequit? *P. Hainensve libro de ordine, tractatu de Prudentia.*

Magnitudo misericordiæ Dei.

Tertullianus, cujus ingenium semper ad severitatem pronum fuit, paucis verbis tradidit ideam, quam de divina misericordia habere debemus, illam *Redundantiam clementiæ cœlestis appellans.* Innuit autem, Dei misericordiam, non secus ac alias illius perfectiones non posse aliter concipi, quam per superabundantiam perfectionum. Exempli gratia quid est infinitas Dei? Est superabundantia perfectionum; ita ut quascumque concipis perfectiones, aliquæ adhuc præter eas, quas concipis, superent. Quid est ejus æternitas? Est superabundantia diuturnitatis ultra omnia temporis spatia, quæ concipi

cipi possunt. Quid ejus immensitas? Superabundantia præsentiæ ultra mundos omnes possibiles. Similiter quid est Dei misericordia? Est bonitatis superabundantia, quæ efficit ut postquam decies centena peccatorum millia patrasti, si alia decies centena millia adjicias, bonitatem habeat, qua tibi parcere possit, & gratiam, qua te huic gratiæ disponat, nisi illi, ut oportet, servire renueris. *P. Texier Sermone de peccatoris defectione.*

Divinæ misericordiæ præsumptio.

Præclare animadvertit S. Augustinus, duo esse, quæ hominem perdunt, alterum quidem in tempore, alterum in æternitate. Diffidentia de bonitate, ac providentia Dei hominem in tempore miserum facit. Quid non adfert in scripturis Deus hominem persuasurus, ut pro terrenis negotiis in ipsius providentia confidat, & in ea familiæ suæ fundamentum constituat? Attamen homo semper hac in re diffidit; sed quod ad æternam pertinet salutem, ac peccatorum remissionem, nimiam habet in Dei bonitate fiduciam, & fallax hæc confidentia illum perdit, quia est cum præsumptione conjuncta. *Idem. Sermone de Procrastinatione pœnitentiæ.*

Fallax peccatoris de divina misericordia confidentia.

Objicies fortasse, infinitam esse Dei misericordiam; verum ignorasne Dei misericordam spectari bifariam posse, & in seipsa, & in effectibus suis: in seipsa infinita est; est enim ipsa Deus; in effectibus vero finita esse potest: nonne enim palam testatur Scriptura, Deum licet summopere misericordem certum nihilominus constituere terminum gratiis, quas nobis conferre cupit? quis autem affirmare audeat hanc non esse novissimam gratiam, quam hodie nobis offert misericordia? Cur ergo adeo acceptam, sanctamque abjicis occasionem; cur salutis tuæ inimicus es, eo usque ut resistas, atque adverseris Deo te inquirenti, ac ne tuæ saluti studeas, sollicitanti? *P. Masson Sermone quinto.*

Cum peccatoribus indulgentem esse oportet, Salvatoris exemplo.

Pius Sanctusque Abbas confessarium quemdam alloquens, hæc illi: *Exprime in te Christi affectum*, quandoquidem illius vicem geris: *Minister ejus est, qui dives est in misericordia.* Illius locum tenes; illius officio perfungeris: *Noli in alieno prædurus inveniri.* Ne te immitem præbeas in iis, quæ non pertinent ad te: misericordiam, quam facere potes, tua non est, sed Jesu Christi. Illam ipse facere dignatur, cur manus illius alligare cupis? cur prohibeas, ne misericors sit? *Idem.*

Cavendum ne divina abutamur misericordia.

Vide ne mollescas audita Dei bonitate, S. Chrysostomus inquit. Cave ne in christiana vita tepescas eo quod summam Dei esse audis misericordiam. Piget Deum te perdere, fateor equidem; attamen si vixeris, ut Ethnicis, & carnalibus hominibus mos est, nisi in vita tua alios secutus fueris canones, quam corruptas mundi sententias, fatigari potest, immo debet; quia neque negligens esse potest, neque injustus. Quamvis misericors sit, tua puniet flagitia... Quicumque igitur es, iterum dico: *Vide ne mollescas audita Dei bonitate.* Ne ignavus sis in cultu Dei; ne fallacem sibi adstruas de misericordia ejus ideam; nihil est, quod hæc divina perfectio modo pro se non efficiat, quia nunc regnum ipsius est: verum cum tempus erit justitiæ, nihil erit, quod posterior hæc perfectio contra te non efficiat. *Idem.*

Grati animi sensus ob eas misericordias, quibus erga nos usus est Deus.

Animæ bonæ nulla umquam re magis affectæ fuerunt, quam grati animi sensu. Videte, quos sensus in corde S. Augustini excitet gratitudo. Quotidie magnus hic vir secus oram abyssi, unde illum eduxerat Deus, ejus scrutatur altitudinem. Quotidie recenti capitur admiratione misericordiarum, quas in ipsum exercuit Deus. Tunc etiam, o Domine, exclamat, tunc etiam, cum maxime recedebam a te, fugiebam te; monita, gratiasque tuas contemnebam, tu me inquirebas, me persequebaris, nec cessasti, nisi meam superasti duritiem, ac ad te me reduxisti. Quomodo grati animi sensus erga te meos proferam, quandoquidem illos proferendi cupiditas nova gratia est, quam mihi largiris? Nos vero, quibus Deus talia proponit exempla, cur non eosdem sensus foveamus, quandoquidem eamdem experti sumus bonitatem? Spiritus igitur noster deinceps immensis tantummodo Dei vacet beneficiis; eorum numquam obliviscamur; sæpius quam fieri poterit, illa mente repetamus; nihil hujusmodi cogitatione vel jucundius, vel utilius. Commoveantur viscera nostra, corda nostra hos foveant sensus; ossa nostra licet sensu carentia, sensu & ipsa afficiantur, & ut ossa Prophetæ exclament: *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?* Psalm. 34. *Fiberge postrema recessus sui die, meditatione prima.*

Hominis Dei misericordia major est, quam omnia mortalium peccata.

Hic homo Deus, qui ad homines salvos faciendos, & redimendos advenit, non effudit sanguinem, qui ultionem deposcat, ut sanguis Abel, sed qui misericordiam rogare non cessat, eamque semper pro peccatoribus rogat, rogabitque. Itaque illius meritum arctat, qui eam non septies, vel septuagies peti ab eo putat; etenim eam septies septuagies petit, hoc est semper, ac pro omni scelerum genere; non solum pro communibus noxis, verum etiam pro gravissimis, qualia sunt adulteria, parricidia, & alia quæ adhuc graviora sunt, & magis abominabilia; etenim virtuti sanguinis, quem per infinitam misericordiam effudit, nulli sunt fines, nulla mensura, & fortior est, quam omnia simul peccata, quæ fingi possunt, & quæ maximam infelicitatem constituunt. Non igitur credendum est, infinitam Dei misericordiam cum humana miseria conjunctam, ut Deum misericordem efficiat, ad eam redigi misericordiam, quæ ad tempus tantummodo parcat, & quibusdam tantummodo miseriis medeatur. *Saraxin Sermone de Jesu Christo Redemptore.*

In hoc Dei effulget misericordia quod prior peccatorem inquirat.

Miratur Propheta, quod Deus non solum de homine cogitare, verum etiam sese ad illum inquirendum submittere dignetur; verum magis mirandum est, cum ea consideratur ratio, qua illum inquirit; primus enim licet læsus eum quærit. Evangelium, quod tantopere inimicorum dilectionem commendat, huc non procedit; hoc ab uno Deo, qui infinite misericors est, fieri potest. Deus prior peccatorem inquirit: heu! nisi hunc prior inquireret Deus, peccatoris calamitas omni spe omnino careret; homo enim ex se potest quidem a Deo recedere, at ad Deum ex se redire non potest. Oportet Deum primos movere gradus, ac præcedere; peccator vero ad illum venire nequit nisi invitetur, atque attrahatur. Oportet eum, quem peccatis suis inimicum sibi esse jussit, eidem suppeditare, unde leniatur; oportet a Deo peccatorem ad veniam deposcendam sollicitari, dummodo in illius recipiendæ statu inveniatur. Quis audiit umquam, fontem a judice rogari, ut gratiam recipiat? Hoc agit Deus, cum nos ad pœnitentiam invitat? Quis audiit umquam nocentem oblatam sibi gratiam detrectare? Hoc tu facis tamen, cum renuis agere pœnitentiam. *P. Nepveu tomo 3. Christianarum Considerationum pro die vigesima prima Julii.*

Sollicitudo, qua Deus peccatorem inquirit, illius ostendit misericordiam.

Deus sollicite peccatorem inquirit non indigens illo. Quamvis omnes vel in nihilum redigeremur, vel interni flammis excruciaremur, Deus non ideo vel minus magnus esset, vel minus beatus. Attamen eam intuitus sollicitudinem, qua Deus peccatorem requirit, diceres illius felicitatem ab hominis amicitia pendere. Omnes perditi amatoris curæ, omnes amantissimæ genitricis anxietates numquam imitantur eam sollicitudinem, quam præsefert Salvator infidelem perquirens animam, quæ deerravit. Boni pastoris parabola, & cura, qua errabundam inquirit ovem; sedulitas, atque ardor, qua mulier evangelica amissam drachmam inquirit; alterius quidem intemperans gaudium propter ovis reditum, alterius vero propter drachmam inventam figuræ quidem sunt, sed infirmæ illius sollicitudinis, qua Salvator infidelem inquirit animam, & lætitiæ, qua ob eamdem inventam perfunditur. Verum hæc nonne palam nostram redarguunt ignaviam, quæ perquisitionis hujus ardore non tangitur, & quæ fortasse inquirentem fallere studet, eique resistit? *Idem.*

Inde vero divinæ patientiæ miraculum crescit,

quod nobiscum dissimulare videtur: *Misereris omnium*, Sapiens ait, *quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Illud nobis admirationem ciere debet, quod Deus omnia scit, omnia potest; & dissimulat. Dissimulant homines per ignorantiam; namque mali magnitudinem nesciunt, vel per imbecillitatem, quia illud punire, vel coercere non possunt. Hæc omnia Deo facilia sunt, & dissimulat; immo non dissimulat solum, verum etiam aliquando excusat... Ullumne umquam scelus extitit minus excusabile, quam Judæorum deicidium? Attamen Salvator rationem invenit, qua illud excuset: Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*.

Quantumvis magnus peccator sis, metuere non debes ad Deum confugere.

Ne metuas quantumvis nefarius sis, accede veniam petiturus, dummodo cum sincera hoc fiat pœnitentia. Deum honorat, qui bonitatem illius majorem putat, quam reipsa sit, vel esse queat improbitas nostra. Verum nonne insignem Deo inferret injuriam, qui sibi fingeret irreconciliabile cor in Deo, cujus natura est bonitas ipsa? Confidamus igitur in eo, Sancta inquit Theresia; dolor noster efficiet, ut ille obliviscatur ingratitudinis nostræ; & gratiæ ipsæ, quibus abusi sumus, efficere poterunt, ut habeamur tamquam domestici, qui eidem inserviendi honorem adepti sunt. Si fons misericordiarum Dei inexhaustus est, & si ille non fatigatur donando; nonne infelices essemus, si fatigaremur recipiendo, ac in miseriis nostris opem illius expascere dedignaremur? Peccatum time, antequam illud committas, quasi Deus illud dimissurus non esset, sed postquam illud commisisti, ad Deum tanta accede fiducia, quanta si veniæ obtinendæ certus esses. Te pudeat quidem, atque pœniteat, sed cave, ne spem per pusillanimitatem abjicias; ut miserum esse desinas, sentienda tibi est miseria tua non augenda. *P. Dozenne in morali Jesu Christi*.

Videtur Deus justitiam suam in dispositione nostra statuere.

Infinitæ tibi, Domine, sunt perfectiones, omnes æque adorabiles, æque amabiles. Sola justitia tua efficit, ut coram te contremiscam; hæc punire debet iniquitates nostras, ac de æterno statu nostro decernere. Verum, Deus, dicere audeo, justitiam hanc quodammodo in nostra voluntate constituis: nobis permittis illius sententias, & flagella moderari; illam severam, mitemque facis, prout libertas nostra gratiis tuis utitur, vel abutitur. Nonne lætandum nobis est, quod tu virtutem debeas remunerari? Sed peccatores sumus, & æquitas tua terrore nos replet... Non deero illi reverentiæ, qua coram te annihilare me debeo, si quamvis peccator iterum dixero, te ita æquum esse, ut te cogere nequeamus, ne sis, nisi ut nos perfecte beatos efficias? Scimus, te nihil nobis debere, ac ne posse quidem nobis debere. Verum est tamen, te nequaquam justum fore in interitu nostro, nisi ad id nostra te peccata coegerint. Teneram misericordiam tuam exerces, quia vis; terribilem vero justitiam tuam non exerces, quia nolumus; satis est, non peccemus: tu vero in nos non esse misericordem non poteris... Crimina nostra sunt causa, & instrumenta ultionum tuarum. Nihil mihi metuendum est, immo vero omnia abs te speranda, si ubi peccata mea rite expiavero, deinceps voci tuæ me fidelem præbuero. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, Ethicaque argumenta, Tomo 2*.

Peccator inhibet cursum misericordiarum Dei erga se.

Peccator nonnumquam in peccato suo perseverat, quia sperat misericordiam, quam mereri negligit; manifesta est ejus præsumptio. Nonnumquam se non convertit, quia se credit dignum misericordia, quæ illum repellit, ac longius arcet: gravissima est iniquitas ejus. Dolet, quod non experitur effectus hujus bonitatis, quæ illum salvum facere vult; sed vivit adhuc, ut illos petat, & obtineat, si uti opus est, illos petierit. In ipso igitur positum est illos recipere; & querela ipsius ingratum ejusdem animum ostendit. Dolet, quod præterita peccata divinorum beneficiorum cursum retardarunt: Deus paratus est, ut peccatorum ejus obliviscatur, si ille pœnitere voluerit. Incipiat hodie peccator bene vivere; hoc potest: non poterit deinceps neque seipsum, neque alios eum, per quam immutatus fuit celare misericordiam. Si sola ipsi mens, solum inesset desiderium ad frugem redeundi, Deum erga se bonum experiretur; sin autem reipsa ad frugem redierit, nonne vitæ suæ conversione ineffabilem Dei erga se misericordiam celebrabit? Si tamquam amicus haberi vellet, donec obdurato animo se illi præbet inimicum, extrema sane illius esset insolentia. *Idem*.

Peccator injuria de divina misericordia diffidit.

Peccator, qui sincera ducitur pœnitentia, & nihilominus de divina diffidit misericordia, perperam argumentatur. Quisnam illum evocavit longius in dies aberrantem? Quis excitavit eum alto demersum somno? Quis illum gratiis prævenit, cum illas ne petere quidem in animo ipsi erat? Nempe ipse ille Deus, a quo putat se recipiendum non esse, cum in illius brachia se conjecerit, a quo aures sibi negandas arbitratur veniam, opemque flagitanti; quem non miserturum credit, cum illi miseriam suam repræsentaverit. Rediisti ne cum illo in gratiam Deus, ut illum desereret? illum immo adhuc inimicum deseruisset. Quid cogere potuisset Deum, ut ipsum beneficiis ornaret suis, nisi desiderium affatim illius lucrandi, priora majoribus cumulando? Intereratne Dei ejus dissimulare flagitia, ut illius rationem haberet? Numquam potiori jure illius oblivisci potuisset, quam cum in sceleribus volutabatur. Numquid illum in salutis viam revocasset, ut perderet? Qui hæc negaverit, næ ille rationi æque ac fidei facit injuriam. *Idem*.

Deus de suo bonus est, de nostro justus, ut ait Tertullianus.

Si Deum in natura ejusdem spectemus, non aliud est, quam bonitas, & misericordia; *Deus de suo bonus est*, inquit Tertullianus. Divinæ hujus naturæ ratio summa bonitas est, & ad benefaciendum inclinatio; ex infinito hoc misericordiæ thesauro gratias haurit, beneficia, benedictiones, & præmia; pœnas vero, atque supplicia, quibus peccatum punit, & nostra illi nequitia, & ingratitudo ministrat. Justus est, quia nocentes sumus; nos illi arma suppeditamus, quibus nos puniat: *Deus de suo bonus est, de nostro justus*. Verum Deus hic licet bonus, atque misericors, severus, & inexorabilis fit, cum punire debet in peccatore suæ misericordiæ contemptum. Ad peccatorem vero convertendum quid intentatum misericordia relinquit? illum in ipsa iniquitatis ejusdem abysso perquirit; illum inde reducit, animæque illius vulneribus mederi oblectatur &c. *In specimine Sermonum pro Adventu*.

Justitiæ divinæ fines non secus ac misericordiæ fines statuere non possumus.

In Deo ea tantum novimus attributa, quorum infinita est magnitudo, ita ut eum misericordiæ illius nullos statuere fines possimus, nullos quoque ejusdem justitiæ terminos possimus invenire: veluti cum duo æqualia pondera æquis pendent in lancibus, neque alterum attingi potest, quin alterum moveatur, hoc ipsum de misericordia, & justitia Domini potest affirmari qui alteram lacessit, alteram quoque lædit. Ita cum Propheta inquit, se in æternum Domini misericordias celebraturum: *Misericordias Domini in æternum cantabo*; hoc ad duo longe diversa tempora est referendum. Etenim donec in terris sumus, S. Gregorius ait, lenire possumus iram Dei, quem non videmus; sed cum ad tribunal ejus, & coram ipso prodibimus, justitiam illius flectere non ultra licebit. Hinc illa in omnibus vitæ operibus diffidentia, & salutaris ille timor, qui incesserat Job, cum ob infirmitates suas rubore suffusus, Eheu, Domine, clamabat, c. 9. omnes actiones meas intuitus contremisco; scio enim post mortem nullam peccatori sperandam esse misericordiam: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*. Hinc illa difficultas, qua Propheta solum irati Dei adspectum se nequaquam ferre posse timebat. Hinc illa desperatio reproborum, qui nullam in misericordia spem invenientes, in nihilum redire cupiunt, ac montes ipsos orant, ut in caput suum ruant, perinde ac istud unicum sit malorum suorum remedium, unicumque suarum pœnarum solatium. *P. Massillon Sermone de extremo judicio*.

At

Deus non minus justus, quam bonus est.

At enim Deus bonus est; & quia bonus est, gloriæ tibi vertis nequitiæ tuæ addere cumulum? illum in ipsa ejusque misericordia lacessis; illius patientiam, ac lenitatem in ludibrium vertis? Recordare, si bonus est, non minus justum esse, & quia justus est, summa cum severitate crimina tua puniturum. Ille nullam erga te misericordiam habebit, quia tu nullam illius rationem habuisti. Eheu fratres, nimis arcta Dei esset potestas, nisi aliquod saltem sibi reservasset tempus, quo acceptas contumelias ulcisceretur. *Idem.*

Justitia misericordiæ succedit.

Sanctus vir Job de extrema impii calamitate verba faciens, *cap.* 24. quodam utitur verbo, quod imprecationem sapere videtur, quamvis re ipsa non aliud sit quam vaticinium eorum, quæ aliquando eventura sunt peccatori Dei misericordiam contemnenti. *Obliviscatur*, ait, *ejus misericordia*, innuens hoc gravissimum esse, quod possit accidere, malum. Sed alter Propheta eodem justitiæ zelo succensus e contra petit, ut Deus suas contra peccatorem ultiones exercens misericordiæ suæ recordetur: ita enim nonnulli hæc explicant verba; *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis*. Habac. 3. Hæ duæ sententiæ eadem in re sibi adversari videntur, verum operosum non est eas conciliare; utraque enim mirum in modum, licet diversa ratione iræ, justitiæque divinæ magnitudinem exprimit. Prior quidem petendo, ut misericordia obliviscatur peccatoris, quasi ad nihilum redacti; altera vero, ut Deus ejusdem reminiscatur misericordiæ, cum consilium inierit de peccatore pœnam reposcendi. Illa in oblivione repræsentat peccatorem derelictum, ac sine ulla exceptione traditum potestati meræ, & rigorosæ justitiæ. Hæc in recordatione nobis ostendit causam hujus severitatis, omni miseratione carentis. Illa petit, ut misericordia ne meminerit quidem peccatoris, ne illius misereatur; hæc, ut in memoriam revocet eas, quas erga hunc ingratum misericordias exercuit, ut vehementius iram Dei in illum accendat. *Sermo Manuscriptus.*

Vult Deus cogi ad misericordiam exercendam.

Quoties conquestus est Deus cum Moyse, a quo nimis premebatur, sibique vis inferebatur, prohibente, ne irasceretur contra populum, a quo semper contumeliis afficiebatur: *Dimitte me, ut irascatur furor meus &c.* Exod. 32. Ne prohibeas Moyses, furorem meum contra hos rebelles sævire, adeo sapienti duce prorsus indignos. His verbis iram quidem ostendebat suam, verum nihilominus facile intelligere poterat Moyses, preces remittendas non esse; quod docuit eventus; quandoquidem passus est Deus se precibus illius superari. *Idem.*

Adhortatio ad Dei misericordiam expetendam.

Audite, fratres mei, quorum salus mihi mea ipsa esse debet antiquior; audite hodie vocem Dei, & nolite obdurare corda vestra. Deus ille, quem injuria affecistis, habet adhuc sepositas gratias. Quemadmodum brachium illius abbreviatum non est, ita paratus est, ut se flecti vestra pœnitentia, lacrymisque permittat. Diuturna patientia, qua vos in præsens usque tempus sustinuit, vobis argumentum esse debet, ac tutum pignus gratiæ obtinendæ. Licet judex sit, licet gravissima sint vestra scelera, habet adhuc erga vos patris, & amantissimi patris charitatem. In peccatoribus, ac in omnem libidinem æquo effusioribus, oblectatur ille misericordiæ suæ gratias effundere, ut magis elucescant. Quantumvis nefaria vita vestra extiterit, vos ipsi eligi ad id potestis, & quis scit, utrum qui ex vobis majori impietate antecellunt, ad id electi jam fuerint? Fieri potestis vasa electionis. Ad illum accedite, humilique confessione horribilis cæcitatis, ad quam vos peccatum vestrum redegit, licet peccatores vosmet eo in loco statuite, ubi coram illo gratiam invenire valeatis: conversio vestra illius quidem erigit gloriam, Ecclesiæ vero illius ædificatio. Nomine tuo loquor Deus; neque longius quam par est provehere mihi videor ideas clementiæ tuæ, quas illi adstruo, quia infinite adhuc superat omnem charitatem qua illos complector. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus ejus. Adventu secundo Sermone de extremo judicio.*

Falsa idea, quam plurimi de divina misericordia concipiunt.

Affirmare possumus fideles in peccatis suis retineri, & confirmari fallaci divinæ misericordiæ idea. Concipitur enim veluti imbecillis bonitas quædam, divina magnitudine indigna, sanctitati illius indecora, justitiæque ejus contumeliosa: unde sequitur, quod in peccato persistere, quia Deus misericors est, idem est, ac quantum in nobis est, illum iniquitatis nostræ consortem efficere. Verum majorne inferri potest divinæ huic bonitati contumelia, post talem offensam contra illius misericordiam? Quodnam igitur nostrum erit perfugium? Hoc autem nobis terrorem debet incutere, quod eo tempore, quo Deus irritatus ex omnibus pœnas deposcet, non misericordia minus, quam justitia illatas sibi injurias erit persecutura. Nihil flectere poterit Deum hunc ira succensum, qui severissimis pœnis scelera simul, & publica peccata persequetur. *Abbas de Monmorel, Sermone in primam Adventus Dominica.*

Per præsumptionem, ac divinæ misericordiæ diffidentiam æque recedimus a Deo.

Cum iniquitas vulgo soleat esse cum mendacio conjuncta, mirum non est, quod adeo frequenter sibi adversetur, & peccatores quotidie adhibeant rationes prorsus oppositas, ne pœnitentiam agere teneantur. Præsumunt alii, omnia peccata sibi a Deo esse dimittenda; alii e contra sibi persuadent futurum ut nunquam sibi parcat Deus. Primi per præsumptionem, posteriores peccant per pusillanimitatem; sed utrique a Dei viis æque recedunt. Qui enim præsumunt falsa, quam habent in Dei misericordia, confidentia ad Deum impune lædendum abutuntur: pusillanimes vero de divina bonitate desperantes, inde prætextum arripiunt in pravis habitibus suis permanendi, ac sese cupiditatibus omnibus mancipandi. *P. Giroust in Adventu, Sermone de spe Christiana.*

Deus misertus est nostri cum indigni essemus misericordia.

Ad magnitudinem divinæ misericordiæ agnoscendam ea repetenda sunt tempora, quibus omnes damnati eramus, & ubi nullum liberatorem merebamur. Liberator hic nobis ab ipsis mundi primordiis promissus fuit, & illius mittendi consilium ante omnia sæcula initum fuit; at misericordia hæc non est meritis nostris accepta referenda. Si Deus sanctitatem, ac justitiam tantummodo consuluisset, illos in eorum iniquitatibus reliquisset, eosque punivisset, quin nos converteret, ideoque æternis illos damnasset suppliciis. Angeli in infernum præcipites dati infelicitate sua docent, qualis nostra futura fuisset. Per impœnitentiam suam nos erudiunt, quid nostra merita fuisset inobedientia; & quod frustra tot sæculis patiuntur, nobis ostendit, quam steriles, omnique fructu carentes hactenus fuissent clamores, lacrymæque nostræ eas inter flammas, quibus uruntur. Quemadmodum Christiani efficimur, statim ac in lucem editi sumus, ac de Evangelicis promissionibus tunc verba nobis fiunt, ubi per ætatem illa intelligere possumus, ita perraro accidit, ut cogitemus, nos esse potuisse sine mediatore, ac sine ulla spe salutis. *Ex libro, cui titulus: Tractatus de Oratione.*

Mirum est, quod Deus erga peccatorem sit adeo misericors.

Si peccator justam habet ideam de scelerum suorum enormitate, admirari profecto debet, quod Deus parcendo paratus sit: neque mirum nobis accidere deberet, si ille desperaret de gratia, nisi proposita damnationis pœna Deus illi imperasset, ut in sua misericordia confideret. Peccata illius adeo nefaria sunt; ille per nihilum suum adeo procul abest a Judicis sui magnitudine: adeo contemptibilis, & misericordia indignus est, ut Dominus ejus, qui ab eodem contumelia effectus est, jure illum tamquam malum desereret famulum, cujus salutem, vel interitum nullo habet in discrimine. Sed fides credere nos cogit, illum donec vixerit, posse petere, sperare, & obtinere scelerum suorum remissionem. Hæc Domini indulgentia si in omni extensione sua, omnibusque spectetur circumstantiis, aliquod nobis videbitur religionis nostræ mysterium ex iis,

quæ difficillime comprehenduntur. Non satis fuit Deo veniam promittere peccatori, sese ad illam recipiendam disponenti; ut hanc illi concedat, non aliud petit, quam quod ab illo maxime pendet: voluntatem videlicet, quam gratia sua excitare, ac fovere promittit. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta tomo* 3.

Quo animo affectus esse debeat peccator erga Deum qui in ipso tanta utitur misericordia.

Si peccator paullo serius attenderet divinæ erga se misericordiæ effectus, nonne sensu carere existimandus esset, si illis minime afficeretur? Non denegat illi Deus gratiam, quæ necessaria est, ut sese colligat, ipsumque criminum suorum pœniteat; hoc jam est bonitatis argumentum, quo ille naturaliter esset afficiendus. Quis inimicus, alioquin ex se spectabilis, primos movere gradus vellet, ut eum, a quo læsus fuerit, cogeret adniti, ut a capite suo justam illius ultionem averteret? Dei clementia longius procedit, eamque ille quodammodo in peccatoris voluntate constituit. Quid ab illo petit, ut eidem parcat? Dolorem, quo sua detestetur crimina. Numquid peccatori nimis grave potest videri, quod hic a se auferendus sit error? Nonne illum ad id propria utilitas cogit? Perire non vult; nondum ita spem omnem salutis abjecit, ut data opera cœlum abrenuntiare velit ultro in infernum prolapsurus. Peccatum ejus nonne detestabile est propter ingratitudinem, perfidiam, nequitiam, quæ in illud eum impulere?... Dei læsi misericordia nequaquam hos benevolentiæ suæ cancellos constituit; vult ad hæc ut quodammodo in peccatoris facultate situm sit sua regere beneficia. Fit magis liberalis, ac tenera, prout peccator majorem acerbioremque dolorem experitur; eique libentius parcet, quo minus sibi nocens condonabit. Cum autem illum sincere pœniteat (cur vero hac fretus misericordia illum ex animo vere contrito non pœniteat?) ulliusne rei habere debet rationem, ex quo scelus suum odisse decrevit? Cur enim conceptum sui criminis horrorem imminuat? Dei misericordia ex doloris illius magnitudine sua metitur solatia, blandimenta, beneficia. Nonne igitur admodum infelix est, si fuerit in causa, ut illa suam inhibeat bonitatem, ac desiderium, quo tenetur, eum gratiis suis cumulandi? *Idem*.

Deus misericors est, verum nequit facere quo minus peccatum oderit, ac illud puniat.

Arduum esset aliquid sibi fingere, ultra ea, quæ Deus facit, ut suam peccatori testetur misericordiam, nisi ab illo injusta exquiratur impunitas, quæ quidem horribilis blasphemia est .... Velle Deum peccatoris dissimulare crimina, & numquam insigni aliqua pœna in ipsum animadvertere, idem esset ac velle ab eo nefaria quælibet scelera, teterrimosque conatus probari. Una hæc cogitatio, quod Judex infinite sanctus, ac sapiens sibi permittere queat adeo noxiam clementiam adeoque recto ordini oppositam, citra horrorem concipi nequit. Non potest facere Deus quominus peccatum oderit, & puniat peccatorem. Verum quomodonam potest ille magis sincerum ostendere desiderium, & peccatum prohibendi, & peccatori parcendi? Ante peccatum nos illuminat, nobis minitatur, ut ejusdem horrorem cieat; nobis animos facit, viresque suppeditat, ut de ipsa cupiditate victoriam reportemus; atque contra naturæ studium gratiam, fidem, rationem, conscientiam armat. Ubi vero peccatum patratum est, indesinenter ob oculos ponit illius turpitudinem, metu gravissimorum suppliciorum, quibus hoc nos objicit, scelus, perterret; sexcentis rationibus movere conatur, ut nos veniam ab eo petere cogat. Incredibili patientia præstolatur, ut nosmet colligamus, nostrique criminis nos pœniteat: & licet jure nobis succenseat, præcedit, extenditque manum, ut in misericordiæ suæ sinu recipiat. *Idem*.

Consideratio misericordiæ ejus ab ejus offensione deterrere nos debet.

Longe magis infidelitates nostras perhorrescеremus, si animum adverteremus ad eam, quam erga nos Deus profitetur misericordiam....... Deum offendimus, illius legem violamus, irritamus justitiam ejus: quæ res illum impellere posset, ut nobis veniam elargiretur? Quid interest illius utrum cum ipso redeamus in gratiam; utrum præmiis afficiamur, an pœnis? Quantumvis ille magnus sit, quantumvis a nemine pendeat, nos liberaliter, & peramanter invitat, ut sibi servemus fidem. Sollicitationes, minæ, illecebræ, promissiones, nihil intentatum relinquitur, ut eidem adhærere velimus. Quam metuendum nobis esset, ne illi displiceremus, quandoquidem aliquo habere dignatur in loco eos conatus, quibus illi placere studemus, & adeo libenter nostra acceptat obsequia? Ut eam, quam nobis elargitur gratiam, rite æstimemus, satis est, si cogitemus, quid nobis accideret, si ille nullo nos in discrimine haberet, ac nobiscum sese gereret tamquam cum creaturis sibi inutilibus... Sufficeret nos ab illo contemni, ac negligi, ut ille nos perderet, nisi se submitteret, ita ut in bonorum nostrorum partem quodammodo accederet, nostros nos nihilo, nostræque traderet improbitati, actumque esset de nobis. *Idem*.

Deus incomprehensibili misericordia nihil prætermittit, ut nos ad se trahat.

Deus hic misericordiæ nihil prætermittit, ut nos salvos faciat, & ad officium redire cogat. Si percutit, ideo percutit, ut nobis medeatur; si terret, ideo terret, ut parcat; si irascitur, ideo irascitur, ut cum eo redeamus in gratiam, nobisque osculum pacis tribuat. Quot moras nectit, nos ad frugem reversuros sperans? Qua sollicitudine suam nobis gratiam reddit, si nos sceleris nostri pœniteat? Quibus nos excipit blandimentis, si nos ad illum bona fide revertamur? Non est cur omnes bonitatis ejus artes enucleamus; illas intuemur, sentimus, agnoscimus. Quomodonam Deus adeo magnus, & a nemine pendens ita operaretur, nisi nostro afficeretur interitu, nisi nos maximo complecteretur amore? Homo nobis similis, æqualis noster, dominus paria præstaret, ut inimicum sibi iterum conciliaret? Cum damnabit nos Deus, quid illi respondere licebit? *Idem*.

Deus Pater dicitur misericordiarum.

Deus vocari vult Pater misericordiarum, non autem Pater ultionum; quia pater cum etiam iratus est majorem præ se miserationem fert, quam indignationem; quia pater in corde suo invenit suæ bonitatis principium, & causas, & nonnisi in sceleribus filii puniendi, ac ulciscendi causas nanciscitur. Si Deus nostri miseretur; nulla re, nisi ex propria misericordia miseretur; nobis benefacit, quia vult; neque meremur, quod nobis benefaciat, nisi quatenus per gratiam beneficiis suis dignus nos facit. Misericordia ejus longissime superat illam, quam in optimo, & amantissimo liberorum suorum patre fingere possumus. Non solum sua ducitur natura ad eam, quam nobis testatur miserationem; non solum nostrarum miseretur ærumnarum, quia ultro sese iisdem sensibilem præbet; non solum in nos flagella distringeret, atque nos odisset, si nostram tantummodo indignitatem, nostraque flagitia perpenderet; sed o ineffabilem bonitatem, quæ amantissimorum parentum dilectionem longius excedit! ex infelicitate nostra, nostrisque criminibus sumit occasionem suam erga nos exercendi misericordiam: sese eo usque demittit, ut nostris succurrat necessitatibus, quia miseri sumus: odit peccatum nostrum, & arcet nostrum supplicium. A nullo pendens, omnipotens, justus, inimicos suos ad supremam felicitatem vellet adducere. Bonitas ejus horret peccatum; bonitas ejus agere non cessat, sollicitеque sua effundit beneficia, ut peccatorem convertat, & salvum faciat. Nequitia nostra non prohibet misericordiam illius; nonne misericordia illius nostram prohibere deberet nequitiam. *Idem*.

Divinæ misericordiæ prodigium erga Regem Manassem.

Si quod umquam conversionis miraculum divina operata est misericordia, hoc sane in Manasse contigit. Duodecim annis natus Judææ thronum ascenderat, ubi ea omnis peccata patraverat, quibus per fas, & nefas Rex par esse potest. Non defuit impietas, crudelitas, & idololatria. Dei templum prophanaverat, interfecerat Isaiam, proprios filios manibus suis ad inanium deorum aras mactaverat; verbo, annos viginti natus tot scelera

com-

commiserat, quot nemo ex illis insignibus peccatoribus, qui ea ætate vivebant. Attamen Deus elegit Manassem, cui misericordiæ suæ gratiam conferret; illum ex adversa eruit fortuna, ut ad pœnitentiam revocaret. Primum quidem Assyriis traditur, ferreis onetatur vinculis, in teterrimum carcerem conjicitur; mox sua confitetur peccata, eaque amarissimis lacrymis eluit; voti damnatur, Deus illum ex hostium manibus eripit, atque Judææ solio restituit, ubi quinque, & quadraginta annos in jugi pœnitentiæ exercitatione traducit. O admirabile misericordiæ prodigium! quidnam post hæc nequissimi etiam peccatores sperare non audeant? Attamen ne nimis huic confidatis exemplo. Manasses quidem veniam obtinuit; Amon vero filius ejus obtinere non potuit. *Sermo pro feria 7. post tertiam Quadragesimæ Dominicam cujusdam Anonymi.*

Nemini de divina misericordia desperandum est.

Nequissimus etiam peccator salutem suam debet sperare, dummodo consilium ineat ex scelerum suorum cœno emergendi. Cur autem desperet? O Deus, assequine possum animo hunc tuæ miserationis excessum? Numquam a me recedes, nisi quia ad te reverti noluero. Non irasceris amplius mihi; ex quo serio te ad lenitatem vocare studuero: omnium iniquitatum mearum oblivisceris, cum tibi persuasero, me vere concupiscere, ut earumdem ultra non reminiscaris. In te confidam, satis est, & mihi misericordiam polliceris; prohibes ne de tua bonitate desperem; ne desperem de salute mea; unicum illud scelus mihi dimittere non vis, quod committo, existimans, te nolle omnia mihi peccata dimittere. Quid amplius facere posses, ut me ad spem in te collocandam compelleres? Te mihi inexorabilem non præbebis, nisi te mihi inexorabilem futurum credidero. *Liber, cui titulus: Animadversiones in varia Religionis, Ethicaque argumenta.*

Divinæ misericordiæ effectus est in nobis conscientiæ stimulos excitare, ut nos ad officium redire cogat.

Frustra veritas tegitur, ac dissimulatur: illa sæpe seipsum prodit; sæpe enim Deus loquitur ad cor, cum etiam homines silent; atque nos persequi dignatur, cum illum maxime fugimus. Ita olim a te sceleribus meis, ac sæculi hujus amore longius recedebam, Domine, S. Augustinus exclamat; sed quo magis recedebam, eo magis tu te mihi misericordi iracundia offerebas: *Aderas misericorditer sæviens*. Ita vos persequitur hic misericordiarum Deus, sive piis considerationibus, quibus turbamini, sive dubiis, quæ in vobis excitat; modo propter nimiam locupletandi celeritatem, modo propterea quod provinciam illam subiistis, cui regundæ pares non estis; modo propter mollem, ac voluptuosam vivendi rationem, quam sequimini, modo propter iteratas confessionum, lapsuumque vices, quæ meliorem vitæ vestræ partem constituunt: *Tu aderas*. Deus se vobis offert, ac vos persequitur ea bonorum jactura, quam vobis immittit, morbo, quo vos percutit, calamitate, quam vobis ciet: vos confirmat nunc pii viri exemplo, nunc adolescentis alicujus in ipso ætatis flore obeuntis interitu, sexcentisque id genus casibus excitat. *Anonymus pro Dominica Passionis.*

Dei misericordia nos ad pœnitentiam debet excitare.

Potiori jure sæculi hujus christianis dicere posset Sanctus Paulus Apostolus, quod olim Romanis dicebat: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & misericordiam ejus novis te cumulantem beneficiis recentibus simul obligationibus onerare? ignorasne, nisi *Divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis*, acerbissimum scelerum tuorum dolorem respondere debere ei bonitati, quæ tibi eadem remittit? *Ignoras*? Quam ignorantiæ hujus causam afferre vales? quis scripturæ locus, quod prophetarum verbum, quod Jesu Christi oraculum, quæ figura, & parabola in sacris libris contenta hoc in errore confirmare te possunt? Vetus, ac nova lex te monent, quod te Dominus patitur, expectat, vocat, parcit, hac ipsa de causa, tibi confugiendum esse in lacrymarum affluentia, & amaritudine ad illius misericordiam, quemadmodum Judith divino animata spiritu olim civibus Bethuliæ dicebat. *Ex Morali Dictionario, Sermone secundo de Jubilæo.*

Jesu Christi misericordia, eo processit ut mortis suæ scelus diminueret.

Si quod umquam scelus venia indignum visum est, proculdubio fuit crimen Judæorum, qui Deum ipsum occiderunt. Cum S. Petrus illis facti hujus horrorem ob oculos posuit, Scriptura narrat, ipsos etiam hoc scelus perhorruisse: *Compuncti sunt corde*. Act. 2. Et S. Augustinus addit, adeo enormis criminis repræsentationem tantam habuisse vim, ut illos ad desperationem posset adigere, quam ob causam S. Petrus illos consolatur, & excusat dicens compertum esse sibi, quod per ignorantiam peccaverant: *Scio quia per ignorantiam fecistis*. Attamen cum infirmi illi ita in desperatis essent, ut indigentes Deo, a quo sanarentur, tamquam phrenetici supremum hunc medicum interficerent, quid evenit? evenit ut admirabili misericordiæ prodigio, quod nemo mortalium sibi fingere poterat, medici sanguis pro ægroto effusus illi fieret medicina. Supremus hic medicus adeo potens est, ut post mortem seipsum resuscitare valeat; adeo bonus, & misericors est, ut ipsam mortem suam in eorum, a quibus cæsus fuit, medicinam convertat. Quamobrem, ut Sanctus Augustinus in Psalm. 63. de primis illis Judæis inquit, conversi ad illum, quem occiderant, consecuti sunt veniam criminis, quo illius sanguinem fuderant: *Liber qui inscribitur: Christiana Rudimenta in duodevigesimam post Pentecosten Dominicam.*

Præsumptio, & fallax confidentia in misericordia Dei.

Tantamne in se ipsis fallendis pollent industria mortales, ut errorem esse putent credere a Deo puniri peccatum, quod unico momento peragitur, ea pœna, quæ in omnem duratura est æternitatem? Hanc autem fallacem confidentiam præsumptione plenissimam in divina quidem bonitate, sua vero imbecillitate constituunt. Inquiunt Deum infinite bonum esse, & *Patrem misericordiarum*, peccatum exiguum quid esse, eum vero, a quo patratur, plenum esse ignorantia, & infirmitate circumdatum; ideoque fieri nequaquam posse, ut hac severitate in eam animadvertat Dominus creaturam, quæ tot rationibus excusatur. Hoc pacto illi se ipsos contra te Deus tuentur; sed vi omnipotentis verbi tui audacissimos hosce peccatores confunde. Tu aliquando damnationis eorum causam ex iisdem principiis educes, quæ proferunt, ut sibi in sceleribus suis fucum faciant. Dicunt te infinite bonum esse, sed erga illos infinite justus eris: arbitrantur peccatum suum rem parvam esse; at verum est infinitam esse illorum nequitiam: ajunt peccatorem ignarum esse, ac infirmum; at certum est pertinacem esse, ac obduratum. Ita justitiæ tuæ æquitas, enormitas peccati, & peccatoris pertinacia postulant, ut in illum animadvertas eo modo, qui huic æquitati, pertinaciæ, & enormitati respondeat. *Auctor Anonymus.*

Confidentia in misericordia Dei non semper est charitatis effectus; non modicam ibi partem obtinent amor proprius, atque cupiditas. Speramus aliquando, quia timere molestum est; ideoque nos admonet Scriptura, *Ne dicas, miseratio Domini magna est*. Vult nos propter ea etiam timere peccata, quorum veniam nos consecutos esse arbitramur, & beatos dicit, qui metuunt semper: *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Prov. 28. Blanda hæc, & audax confidentia inde proficiscitur, quod peccatorum nostrorum horror imminutus est. Si nos ita eorum pœniteret, ut illa toto vitæ hujus spatio lacrymis eluere adniteremur, uti oporteret; non alibi ullam perciperemus voluptatem, quam in hac pœnitentia. Non video quid majori nos mœrore conficere debeat, quam quidquid in nobis lacrymarum pœnitentiæ fontem exhaurit. Verum quæso cuinam rei confidimus, cum sine metu tantum sperare volumus? Numquid piis operibus nostris? Heu! sæpe nescimus quo spiritu ad illa capessenda ducamur. Quis autem nobis spopondit peccata nostra jam dimissa fuisse; dolorem nostrum fuisse sincerum, & effectum charitatis, postquam pœnitentiæ consilia toties inita toties mentiti sumus? Justitia Dei nobis

æque

æque metuenda est, ac in ejus misericordia speramus. *Idem.*

Spes, ac perfugium in Dei misericordia.

Pater peccavi in cœlum, & coram te. Hæc ea sunt, quæ a medici possunt: utique, peccavi, non inficior, & in hac confessione meam salutem inquiro. Fateor me mortalium omnium ingratissimum esse: peccavi; ne exprobres mihi ultra flagitia vitæ meæ, exprobrationes tuæ superara nequeunt illas, quibus me cor meum torquet: peccavi. Ita est, Pater mi, peccasse me fateor; me perdere potes; hoc meritus sum. Verum cogita, quod filium ad tuam confugientem misericordiam, opus manuum tuarum, sanguinisque tui pretium perdes. Hæc una cogitatio iram tuam flectere potest; cumque mecum repuio, quanto tibi stem pretio, quamvis nocentissimus sum, facere non possum quin veniam sperem me consecuturum. Ita est, Salvator amabilis cum te video in cruce pendentem, numerus, & enormitas peccatorum meorum dolorem quidem auget meum, at confidentiam in tua misericordia non minuit: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Ps. 24. Quantumcumque sit iniquitatum mearum numerus, tu plura quam debeo pro me solvisti, & audeo dicere, numquam magis triumphare misericordiam tuam, quam nefariis peccatoribus parcendo. Justa ira tua, Pater Æterne, prope est, ut in ingratum detonet caput, neque me intueri potes nisi oculis plurima indignatione suffusis: verum sine, offeram tibi charissimum filium tuum, in quo bene complaces tibi: *Respice in faciem Christi tui.* Psalm. 83. Potesne iram tuam non lenire hoc divinum objectum? Videsne faciem hanc pallentem, caput spinis coronatum, pedes, manusque confixas, totum adorabile corpus laniatum, totumque pretiosum sanguinem effusum; Hoc animæ pretium meæ, hoc salutis meæ pignus, victimam hanc pro me immolatam offero tibi; hoc propitiationis sacrificium, quod ipse pro delictis meis offert, numquid hæc tibi satisfacere poterunt? *P. Croiset tomo primo Recessus pro una die in mensibus singulis.*

Mirû est, quod peccatores abutantur misericordia Dei ut illum offendant.

Nonne mirum est, eo quod Dominus facilis est ad bene faciendum, peccatores adeo promptos esse ut malum illi rependant? quod facile peccata dimitrit, eos inde occasionem arripere in peccatis perseverandi? quod patiens est injuriis, illos adeo insolentes esse, ut quotidie recentibus illum lacessant contumeliis? quod in gratiis, & beneficiis suis magnificus est, eos illi contumelias, & convicia rependere? quod erga mortales bonus est, homines adversum illum esse adeo malos? quod denique opera bonitatis ejus majora sunt operibus potentiæ illius, opera naturæ illorum quodammodo ab operibus nequitiæ eorumdem superari? O Deus! S. Hieronymus admiratione, ac terrore plenus exclamat; fingine potest arrogantia magis terribilis, magisque patens ingrati animi vitium? *Liber, qui inscribitur: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Mira peccatorum ingratitudo qui Deû ergo se misericordê lacessunt.

Jure in scripturis Peccatores vocantur insipientes, hominesque ratione carentes, eo quod ne momento quidem cessent, quominus lædant illum, qui ne momento quidem cessat, quominus illi amoris, & clementiæ præbeat argumenta. Cogitare ne possunt, se ab æterno in amantissimi hujus Dei conceptu fuisse; cumque ab illo crearentur, augusto divinitatis ejusdem charactere insignitos fuisse; ab illo factos, ut felicitati, gloriæque ipsius participes fierent; illum erga eos, qui sæpe meriti fuerant severissimas divinæ justitiæ pœnas, maxima usum fuisse misericordia; potentiam illius in eorum gratiam ex nihilo creata omnia eduxisse; omnia denique bona, quibus illi fruuntur, non aliud esse quam benedictiones, quibus ipsos ejus prævenit misericordia, & dona, quæ divina bonitas multiplicare videtur, illis interim scelerum suorum numerum augere conantibus? Verum si ingratissimi tot tantisque non moventur beneficiis, nonne dicendum est diabolicum illis inesse cor, quandoquidem illos non vincit infinitus amor, quem hic misericordiarum pater, ac totius consolationis Deus illis testatus est, tradens filium unigenitum ut esset reconciliationis eorum victima, eisque veniam mereretur? Quid! animum adjicere possunt, ut tanta cum indignitate hunc Deum misericordiæ, & bonitatis excipiant, quin vereantur, ne justitia illius ipsum ultra in eos fulmina jaculetur? *Idem.*

Actus confidentiæ in misericordia Dei.

Certa veritas est, inquit Apostolus, & summo cum obsequio recipienda, Jesum Christum venisse in mundum, ut salvos faceret peccatores, quorum me principem esse non diffiteor. Magna profecto sunt crimina mea, ac numero cœli sydera, marisque arenas excedunt; sed ille, cui me sistere debeo, Deus est, cujus misericordia super omnes cœlos attollitur, & qui miseratione plenus est erga eos, qui invocant illum. Ad hæc scio, Salvatorem mundi venisse, ut peccatores, non justos vocaret ad pœnitentiam, atque pro his a Deo gratiæ thronum constitutum fuisse. Hoc pacto si meorum scelerum me exanimat cogitatio, throni hujus adspectus me consolatur, atque confirmat: si justitia ejus, qui posuit illum, me terret; venia, quam offert mihi, cordi meo pacem reddit, ac tranquillitatem. Fateor indignum me esse, qui ad hoc misericordiæ tribunal accedam; attamen nonnisi fidenter accedendum est, quia super illud sedens per os Prophetarum, sanctumque Evangelii sui verbum me accersit. Tandem ex his omnibus considerationibus adeo perfectam confidentiam concipio, ut licet peccatorum meorum numerus, & magnitudo, licet conscientiæ meæ exprobrationes, & animæ mœror meæ, nec non omnes dæmonis conatus, obicesque me terreant, ad sacri hujus throni pedes me prosternam. *Idem.*

Multitudo peccatorum, imperfectionum, malorumque nostrorum Dei misericordiam commendat.

Quid vita nostra est nisi inobedientiarum, ac infidelitatum congeries? nisi series non intermissa prævaricationum legum sanctissimarum? Qualibet in occasione offenderis, Domine, factis, verbis, cogitationibus, negligentia, attentionis defectu, languore, tædio, & oscitantia, qua muneribus nostris defungi conamur. Heu! quid non parit in nobis cordium nostrorum nequitia! quousque naturæ nostræ corruptione pertrahi nos patimur? Denique iniquitatibus nostris, tamquam vero diluvio sumus submersi. Nihil in nobis est, quod corruptum non sit, & flagitia nostra, ut loquitur Propheta, Psalm. 87. supra caput nostrum se attollunt. Attamen tua, Domine, misericordia eo procedit, ut dummodo vera pœnitentia, sincera conversione, acerboque dolore, eo quod vias veritatis quidem reliquimus, mendacii vero secuti sumus, ad nos revertamur; hic reditus, hæc mutatio auferat arma dexteræ tuæ, quam jam extuleras, ut nos percuteres, & loco severæ justitiæ tuæ nihil inveniamus in te nisi tuæ misericordiæ, ac bonitatis argumenta: *Abbas Trappensis in Moralibus Considerationibus in S. Matthæum.*

Divinæ misericordiæ effectus est sincerâ peccatorû pœnitentiâ acquiescere.

Si post primum a nobis patratum scelus nobiscum egisset Deus, uti olim cum Angelis, qui simulac peccarunt præcipites in infernum dati sunt; heu! quid nobis accidisset? Verum cum nobis adeo facile, ac præsens remedium præceperit, quale pœnitentia est, quænam gratia est, quænam bonitas! Videte, S. Ambrosius ait, pœnitentiam, quam mundus quotidie imponit asseclis suis, quamquam nihil omittant, ut illi placeant, ejusque mandata sequantur. Avaro præcipit, ut omnibus sese pelagi periculis objiciat; ex illo labores exigit, vigiliasque noctu, & interdiu; nobis vero, postquam adeo impotenter læsimus Deum per legum ejus contemptum, quam injicit pœnitentiam ut peccatorum nostrorum veniam obtineamus? Jubet nos ingratitudinem, ac insolentiam nostram fateri, dolere, quod illum offendimus, & consilium inire imposterum non lædendi, denique reddendi cor nostrum quod illi eripuimus, ut turpem voluptatem, levemque illi quæstum anteferremus. Quodnam pœnitentiæ hoc genus est, Domine, admissi criminis dolore teneri! Æquus homo potestne, quin doleat, cogitare,

se

se prima rationis lumina deseruisse? illatam a se Deo injuriam detestari! Potestne Creatura probare facinus Creatori suo contumeliosum? Reddere cor nostrum Deo, quasi cor nostrum extra centrum suum pacem, ac requiem posset invenire; quasi extra illud cor nostrum tumultu, perpetuaque agitatione posset carere. O Deus! quam magna est bonitas tua, quandoquidem tantam cum illis etiam, a quibus læsus fuisti, misericordiam exerces? quam vero mercedem expectare non debent fideles famuli tui, quandoquidem pœnitentia, quam tuis præcipis inimicis, tantam habeat suavitatem? *P. Gegou in libro qui inscribitur: Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Spes divinæ misericordiæ perficit peccatoris conversionem.

O Deus, quam amabilis est misericordia tua! eo tempore, quo tui obliviscitur peccator, & longius recedit a te, te propius ad illum accedis. Salubres considerationes, quas prodigius filius facit de statu misero ad quem redactus est; sensibilis comparatio, quam inter eum statum instituit, quo paterna in domo fruebatur, & eum, quo procul a domo torquetur: denique hic reditus in seipsum, est gratiæ tuæ effectus, idque eo tempore, quo per impietatem, ac pertinaciam se eadem maxime indignum præbuerat. Felix illud momentum, quo peccator supernaturalis hujus luminis ductu errores, evagationesque suas detegit, & per otium suæ servitutis indignitatem agnoscit! *P. Croiset, tomo Secundo Recessuum.*

Modus quo Deus excipit peccatorē ad se redeuntem, illius misericordiam ostendit.

Quot servi sunt in domo patris mei, quibus affluenter suppetit panis, prodigus filius inquit, ego vero hic fame pereo! Quis peccator, quis impius hæc eadem usurpare verba non debet? Heu! minimus servorum Dei bonis est cumulatus, suavi tranquillitate perfruitur, dierum suorum finem fidenter expectat, dum interim peccator vitam suam in jugi tumultu traducit, & in desperatione eidem finem imponit: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. Jacta jam alea est, discedam, & ad Patrem me conferam: o sapiens consilium! o felix sententia! Spei radius inter conscientiæ tumultus affulgens perficit opus conversionis. Non possumus oculos in Deum nostrum convertere, quominus in eo inexhaustum bonitatis, & misericordiæ thesaurum inveniamus. *Idem.*

Modus quo prodigi filii pater inhumanum filium excepit, figura illius est, quo Deus excipit peccatorem ad officium redeuntem, divinamque misericordiam poscentem. Eminus semper misericordes oculos in peccatorem conjicit Deus; verum nonne saltem oris habitus ad severitatem compositus, exprobratio aliqua, salutaris correctio, aliquod doloris indicium peropportuna accidissent, immo necessaria fuissent huic adolescenti, qui omnem sensum abjecerat? Sed voluptas, qua pater perfruitur videns prodigum filium ad officium revertentem, ita occupat illum, ut non aliud tunc audiat, quam amorem suum, filiumque non ut læsus pater, sed ut pater amantissimus recipiat. O Deus quantæ tibi curæ est peccatoris reditum faciliorem efficere hujusmodi exemplis: nonne dici posset felicitas tua a nostra pendere, atque tua potius, quam nostra interesse, quod salvi fiamus? Attamen quotnam mortalibus invitationes hujusmodi amoris plenissimæ inutiles fiunt? Misericordiam tuam admirantur, & in sua nequitia persistunt. *Idem.*

Aliud etiam nobis suppetit divinæ erga peccatores misericordiæ exemplum in parabola Regis servo decem millia talentorum; quæ sibi debebantur, remittentis. Matth. 18. Princeps ille præceperat, ut summa severitate ageretur cum eo, ut ad æs dissolvendum impelleretur. Attamen servus sese ad Domini pedes projiciens, eum obtestatur, ut patientiam paulisper habeat, atque debitum ad extremum usque quadrantem se persoluturum pollicetur, quæ res dominum ita delinivit, ut illum impunem abire permiserit, eique debitum omnem dimiserit. Ita agis Domine cum nequissimis etiam peccatoribus, ubi sese te coram prosternunt, scelerum suorum pœnitentia ducuntur, enixis laborant precibus, ut sibi parcas, atque sinceræ pœnitentiæ operibus justitiæ tuæ satis se facturos pollicentur: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Illis præteritas remittis iniquitates fidem adhibens promissionibus, quibus se vitæ rationem, moresque mutaturos recipiunt: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Verum sæpe miseri quin fidem præstent, impœnitentiæ, & ingratitudinis tibi præbent argumenta, neque eadem lenitate, ac misericordia erga suos fratres utuntur. *Abbas Trappensis in Moralibus considerationibus in Sancti Matthæi Evangelium.*

Quam misericors sit Deus erga homines.

Primum infinita Dei misericordia prævenit homines, sive illis esse tribuens, sive illis gratiam communicans; secundo non fatigatur illos sua protectione confirmans, eorumque necessitatibus consulens, quin illorum ingratitudo ipsam dimoveat; atque ut scriptum est, solem suum oriri facit æque super malos, & bonos. Eos punire differt, cum per inobedientiam ac scelus gravissimas meriti sunt pœnas, ut illis pœnitentiæ tempus relinquat, quo peccata sua lacrymis, & austeritatibus delere contendant: *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*; denique in illis judicia sua non exercet, nisi cum illum sua cogit justitia. Eas vero misericordias, quibus cumulat illos, qui sui sunt, sibique inserviunt, quisnam dicendo consequi potest? Illos illuminat, excitat, attollit, tuetur, jugi gratiarum suarum communicatione consolatur. Oculi ejus aperti sunt omnibus eorum necessitatibus, donec in regnum suum eos vocat, suæque beatitudinis participes efficit. *Idem in Moralibus considerationibus in Evangelium Sancti Lucæ.*

Deus misericordiæ suæ imaginem tribuit in eo modo, quo filium prodigum pater recepit.

Ostendis, Domine, infinitas esse misericordias tuas, & quin punias peccatorem cum adversum te se extulit, patienter expectas, donec ille errores agnoscat suos, & perhorrescens abyssum in quam se præcipitem dedit, in cordis amaritudine ad te revertatur; atque solliciter bonitatem tuam, illam urgeat, ac tandem inveniat in te paternam benevolentiam, qua se indignissimum præbuit. Hoc nos doces parentis illius exemplo, qui sinceram ingrati filii pœnitentiam, ac dolorem videns, quo conficiebatur, eo quod optimo patri displicuerat, illi obvius processit, apertisque ulnis accepit, eique osculum fixit in signum oblivionis, cui omnes iracundiæ causas tradiderat, & in pignus reconciliationis perfectæ, in qua nihil vel ex parentis, vel ex filii parte desiderabatur. Etenim quemadmodum filius melius non potuit, apertiusque testatum facere dolorem, quem ob ingratitudinem suam conceperat; atque reditus sui sinceritatem, quam in cœli terræque faciem confitens indignum se esse, qui filius ejus vocaretur: *Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus:* Luc. 15. ita pater lætitiæ suæ magnitudinem melius non potuit exprimere, quam sollicitudine illa, qua illum stola prima indui, annulum in digito ejus statui, vitulum saginatum in cœnam mactari jubet, cum illo hilariter obsonaturus. *Idem.*

Dei consilium misericordiam cum hominibus exercentis.

Si nobis ostendis, Domine, misericordiam tuam nullis esse terminis circumscriptam, atque vias quasdam habere, quæ a nobis intelligi nequeunt, nequaquam id facis, ne justitiam tuam timeamus, atque intra nosmetipsos dicamus; peccavimus, verum quid triste accidit nobis? Sed e contra ut in nostra calamitate solatium aliquod habeamus, cum te ad iracundiam provocavimus, ut nos ad te inquirendum persuadeas prompta, sinceraque mutatione voluntatis, atque ut prohibeas, ne in desperationem labamur scelera nostra cum beneficiis, gratiisque tuis, quas contempsimus, conferentes. Ut verbo me expediam, quid infinitæ bonitati tuæ non debetur? Corde nullis finibus circumscripto opus esset, ut responderemus misericordiæ, ac amori, cui nil umquam par est, & qui nil superius agnoscit.

Pecca-

Peccator in desperationem laberetur, nisi divinæ misericordiæ spes illum confirmaret.

Peccator pœnitens, qui post vitam in divinarum voluntatum contemptu transactam, ac iniquitates iniquitatibus superadditas errorum suorum diuturnitate, tandem agnoscit altitudinem abyssi, in quam se præcipitem dedit, in desperationem laberetur, nisi misericordiæ tuæ adspectus, o Domine, illi animos faceret. Cum vero sciat, a te peccatores recipi, a te illis tendi manum, ut illos ex naufragio educas; tunc iniquitates suas incipit detestari; defectionem suam perhorrescit; odit omnia flagitia, quibus se abdidit, omnesque conatus, quibus cor suum par est, intendit, ut te ad misericordiam flectat. Ad te confugit, te sollicitat, urget, instat; cumque illum vides dolore confectum eo quod displicuerit tibi, tandem eam, quam petit, illi gratiam concedis. *Idem.*

Exhortatio ad divinam misericordiam implorandam.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum Dei, inquit Apostolus, *ut misericordiam consequamur*. Quamvis peccati lepra tecti essemus, meminerimus unicam veræ contritionis lacrymulam ad eam detergendam satis esse. Una dominici sanguinis gutta, inquiunt Theologi, mortalium omnium criminibus expiandis sufficerat; tota vero adorabilis hujus sanguinis virtus, quæ nobis per pœnitentiam applicatur, nostra delere peccata non poterit? Non desunt peccatores, qui post gravia patrata scelera, in secretam decidunt divinæ bonitatis desperationem, ac in eam tristitiam, quæ mortem operatur, ut dicit Apostolus; qua tabescentes cœlum non audent respicere propter multitudinem peccatorum, quibus obruti sunt, & quæ velut gravis sarcina, illos terram versus incurvant. Hoc in statu Propheta, Psalm. 41. dicebat animæ suæ: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.* Spera, quandoquidem potes adhuc nomen illius confiteri, & sincera conversione reparare malum, quod per scelus tibi conflasti. *In specimine Sermonum pro quarta Adventus Dominica.*

Deus in misericordiam pronus est.

Quomodo loquitur Deus de parcendi, ac misericordiam exercendi desiderio, quo flagrat? Ait, se non venisse, ut justos, sed ut peccatores vocaret; se in cœlo cum omnibus Angelis suis gaudere, ubi videt peccatorem pœnitentiam agentem: se Pastori similem esse universum deserenti gregem, ut ovem deerrantem inquirat. Animadvertite, auditores, præter studium illud, quo ipsum sua bonitas trahit, ut pœnitenti veniam conferat peccatori, hoc suum tamquam officium, ac necessitatem injicit sibi: cum dolore quidem justum punit a recta virtutis via deflectentem; sed cum alacri gaudio absolvit impium redeuntem, & gratia, quam illi confert, opus est suæ justitiæ simul, & misericordiæ. Et profecto cum generosus vir, qui afficitur contumelia, pedibus suis obvolutum videt eum, a quo lacessitus est, eumque sibi audit offerentem eas, quascumque voluerit, satisfactiones, ac veniam petentem cum omnibus sinceræ pœnitentiæ signis, potestne veniam negare, quin duri, injustique hominis notam subeat? Præsertim vero si qui lacessitus est pro supplicante laboret, atque intercedat. Pater vero misericordiarum, & Deus totius consolationis minori indulgentia cum filiis aget, quorum fragilitas semper cum improbitate mixta est, ipsum unigenito suo pro illis sollicitante; vulnera sua Patri ostendente, quæ sunt veluti ora disertissima, quæ pro illis aperit deprecaturus; adorabili ejus sanguine misericordiam ab illo deposcente eodem pacto, quo sanguis Abel ultionem petebat, atque inexplicabilibus Spiritus sancti gemitibus simul cum lacrymis nostris judicis iram flectentibus? Haud ita sane! jam hoc dixisti, Domine, te non despecturum cor contritum, & humiliatum; spiritumque pœnitentiæ amaritudine confectum expiatorium esse sacrificium, quo maxime ad misericordiam moveris. Ut pœnitentes salutari fiducia repleantur, ille, qui noster est judex, noster simul est advocatus, nec non habemus Pontificem, ut Sanctus Paulus ad Hebr. 4. inquit, omnia tentationis genera expertum absque peccato, ut paratior sit iis dimittendis criminibus, quorum illæ sunt causæ. *Abbas du Jarry Sermone pro Septuagesima.*

Quam in Dei bonitate, qui ad parcendum, ac miserendum adeo pronus est, confidentiam habere debemus; Ita est, o peccator, qui adstas; quantumvis magni, ac inveterati sint animæ tuæ morbi; quantacumque sit nequitia, & pertinacia eorum scelerum, quibus fœdatus es; scias non alia ratione melius Deo placere te posse, quam temetipsum excitando ad integram in illius misericordia confidentiam habendam. Universalis hæc iniquitatis plaga in tuam effusa conscientiam; nefaria vita tua, quæ haud intermissa series est iniquitatum, ac scelerum, objectum est infinita Dei tui misericordia dignum. Hæc opus non habet alicujus rei in peccatore ad hoc, ut excitetur, ex semet eas invenit causas, propter quas indefectibiles suos thesauros aperiat: publicam hanc peccatricem, totius civitatis scandalum in veræ pœnitentiæ exemplar convertere cupit; hunc populi sui persecutorem, cædem, flammamque minitantem in vas electionis vult immutare; huic infideli discipulo, a quo per ignaviam negatur, Ecclesiæ suæ claves committere studet Jesus Christus . . . Sanctam hanc confidentiam exquirebat Salvator in ægris omnibus, qui undequaque ad ipsum adducebantur a languoribus suis curandi, & quorum dimittebat peccata, dum morbis medebatur; hanc eamdem requirit ex peccatoribus, quorum infirmi illi, qui ab eo curabantur, erant figura. *Idem.*

Quam indignum sit in sceleribus persistere, quia Deus bonus est, & misericors.

Quid! Tertullianus cum omni eloquentiæ suæ energia inquit; numquid ideo crimini locus est, quia locus est veniæ? facilitas, qua Deus peccata dimittit, ejus lædendi ansam præbebit? peccatum impudenter patrabitur, quia Ecclesiæ dimittendi illud facultas conceditur? & licebit a Deo recedere, quia ad illum redire licet? Pœnitentia, quæ peccati remedium est, per hominis improbitatem fiet ad peccandum illecebra? & patientia, qua Deus peccatum tolerat, ratio erit, propter quam scelera augeantur? Divina clementia humanæ temeritati licentiæ prætextum, impietatis occasionem, impœnitentiæ causam præbebit? Ut verbo me expediam, nullis coercebitur cancellis iniquitas, quia nullis Dei misericordia continetur; & homo in nequitia infinitus erit, quia Deus infinitus est in bonitate? *Absit, ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior, quoties ignoscitur, toties delinquendo.* Tertull. de pœnit. cap. 6. *De la Volpilliere, Sermone de Procrastinatione pœnitentiæ.*

Oppositio, quæ inter Dei justitiam, ac misericordiam esse videtur, & quomodo simul conciliетur.

Si ulla in Deo inveniri posset oppositio, hæc sane contingeret propter duo hæc attributa, justitiam, & misericordiam, quibus prorsus oppositus finis inesse videtur. Justitia quidem peccatoris pœnas poscit; misericordia vero illius reconciliationem. Justitia adversatur; patrocinatur misericordia; hæc Deo dicit, ipsum misericordiarum patrem vocari, maximam ejus perfectionem esse misereri; & cum punit eo modo agere, qui ab ipsius bonitate est abnormis. Justitia e contra contendit, cum jura sua justa, & æqua sint, violari non posse, & satisfaciendum illi, qui læsus fuit. Pro misericordia stant prophetarum oracula Dei celebrantium bonitatem; misericors est, & patiens, ac dives in misericordia. Justitia vero eos prophetarum locos depromit, qui terribilibus minis referti sunt, veluti cum inquiunt, Dominum esse ultionum Deum. Divina Sapientia huic præsens certamini omnem tollit oppositionem, & utrique parti satisfaciens, præcipit ut justa sit misericordia, misericors vero justitia. Hoc oraculum duas hasce adeo oppositas perfectiones conciliat, ita ut inter se fœdus æternum constituant. *Justitia, & pax osculatæ sunt &c. P. de Buc Theatinus in O Adventus.*

Diutius

Deus nos diu expectavit antequam ejus sollicitationibus nos traderemus.

Diutius fortasse Dei vocem audire dedignati estis; deinde per otium deliberastis, utrum suavissimis, fortissimisque ejusdem illecebris obsequendum esset; cumque vobis persuasum fuit, nullum utilius esse posse consilium, quam vosmet illi omnino tradere, quot ille inferre debuit prælia, ut vos sequi cogeret vestri spiritus lumina? quot in crastinum, futurumque tempus dilationes? quot promissiones, & lapsus? quot anni obstinationis, ac perfidiæ; antequam bona fide, ac serio pœnitentiam ageretis? Tibi autem, Domine, tanta patientia fuit, ut adeo diuturnam, atque contumeliosam obnitentiam superares! Quidquid egi animum tuum avertere non potuit; persististi me persequens, evocans, sollicitans, amans. Me tuis imposuisti humeris, velut ovem, quæ erravit; ut in pascua reduceres; ac in ea, quæ mihi restat, via te mihi offers, ut sexcentis modis virtutis exercitationem leniorem efficias. Æquum igitur est, ut memet tibi totum tradam, ut adhæream tibi, tamquam ovis pastori suo, & ut per eam misericordiam, quæ me absentem revocavit, obsecter, ne imposterum me ab oculis tuis deflectere finas. *Tiberges die tertia Recessus.*

De Judæ desperatione, deque diffidentia divinæ misericordiæ.

Judam non scelus suum, sed desperatio perdidit; etenim sine desperatione patratum facinus illum damnare non poterat. Si Judas sperasset, peccatum illius prædestinationi ejusdem inservisset: si sperasset simul & proditor, & prædestinatus fuisset, non secus ac Petrus & prædestinatus fuit, & blasphemus. Sed hoc Petrum inter & Judam discriminis adfuit; quod Petrus semper criminis sui veniam speravit se impetraturum; at infelix Judas damnatus est, quia spem omnem abjecit, & nullam pro se ultra esse posse misericordiam credidit. Mediocres peccatores ut plurimum per præsumptionem in divina misericordia, nimiamque spem pereunt; at magni peccatores per desperationem intereunt. Illi nimiam, hi nullam spem habent. *Ex Manuscripto Sermone.*

SUPPLEMENTUM.

De periculo nullam utilitatem ex Dei misericordia recipiendi.

Deus infinite misericors est, verum est: & infinita hæc misericordia satis refulget in ea bonitate, qua nequissimos etiam recipit peccatores, cum pœnitentia ducti ad illum contriti, fidentesque revertuntur. Non ita, Deus neque magno criminum numero, neque gravissimorum scelerum enormitate movetur, ut peccatorem rejiciat, modo in eodem inveniat sincerum, ac supernaturalem dolorem patratorum flagitiorum; & in hoc magna illius renidet misericordia. Sed ubi videt, ipsam infinitæ hujus misericordiæ spem alere in peccatore propensionem ad peccandum, & amorem peccati, nonne divinæ interest justitiæ nullam pro eodem habere misericordiam? *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: Mane consurgent, & non invenient me.* (Prov. 1.) *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tomo* 4.

Effectus misericordiæ Dei.

Dei misericordia prohibere debet ne in desperationem incidatis; sed te in desperatis habeo, dicebat magnus Dei servus, si illa tibi occasio est ruendi in impœnitentiam. Salvum te faciet Dei misericordia impellens te ad amorem Dei, & horrorem earum rerum omnium, quæ displicent illi. Salvos nos faciet nobis inspirans extremum criminum nostrorum dolorem, & confidentiam in bonitate Dei, quæ nos ad pœnitentiam adducit. En quinam esse debet affectus Misericordiæ Dei. Omnia ab illius bonitate spera, ne unum quidem diem differas pœnitentiam tuam. Singulis diebus detestare peccata tua, itemque singulis excita confidentiam tuam in ipsius misericordia, sed cave ne unquam in crimen vel levissimum incidas spe ductus, futurum ut veniam a Dei misericordia consequaris; nihil enim hoc magis illius justitiam irritat. *Idem. Tomo* 4.

Ne lædamus Deum quia misericors est.

Caveamus quam diligentissime ne simus in eorum numero, qui Deum lædendi occasionem arripiunt, inde, quod misericors est. Heu! Misericordiam illius lacessentes nobismet omnem spem conversionis adimimus; quia hoc unum Dei attributum delet peccatum. Sanctitas illum a peccato removet; Justitia peccatum punire vult, potentia manibus illius fulmina ministrat: quare cavendum ne illius misericordiam excitemus adversum nos ab ea sumentes ansam ad Deum licentius offendendum; sed illam potius nos excitet ad nosmet celerius convertendos. *Schola Jesu Christi. Pean Auctore.*

Quam celebrate Deus misericordiam liquet exemplo Manassis, Achab, & David.

Quis umquam in terris nocentior fuit Manasse Rege Juda? Illius abominationes & scelera terribilia sunt. Veneficium, Magia, idolorum cultus, impudicitia, sævitia, injustitiæ, fuerunt dilectissimæ illius virtutes; neque hoc mirum erit illi, qui noverit, ipsum non, satis putans quod in toto Regno suo Dei veri cultum abstulerat, ut infamissimorum idolorum cultum subrogaret; nec satis, quod jugulaverat Prophetas Domini; suos etiam filios Dæmoni idque per ignem, juxta morem idolatrarum ævi illius, immolasse. Rex iste a Deo derelictus incidit in captivitatem, ferreis obruitur vinculis, in teterrimum carcerem conjicitur, & in summa infelicitate positus ad Deum incipit reverti. Elevavit vocem suam; ut effunderet gemitus, ac misericordiam flagitaret, & Deus misericordiæ audivit, atque exaudivit illum, pepercit ei, cum in solium avitum restituit, reddiditque ei potestatem, quam vitia sua ab eodem abstulerant. Quis scelestior Achab alio Rege Juda, alio omnigenæ iniquitatis exemplo? Cultus Baal, Eliæ persecutio, cædes Prophetarum, sanguis Naboth, furores Jezabel uxoris ejus illum satis cognoscendum præbuerunt. Miser hic quadam die se humiliat ad vocem Prophetæ sibi minitantis; dolore conficitur, & mœret; induit se cilicio, ambulat oris habitu cordis contritionem ostendens. Fragilis, & fluxa devotio, non diu permansura: fuit tamen jucunda Deo, obtinuitque ab eo pœnarum sibi imminentium dilationem. Quæ graviora scelera, quam quæ David operatus est? Duplex adulterium & alterum quidem proditione, & innocentis nece cumulatum. Hactenus fuerat Propheta, & Sanctus, sed quo magis illi faverat Deus, eo gravius erat illius crimen. Quæ enim ingratitudo fuit hominis Deo ita chari! Quod scandalum videre sanctum Regem repente in tot vitia præcipitem; sed quænam mortalium omnium admiratio illum intueri annum integrum in sceleribus suis obstinato animo commorantem; annus quippe integer, vel circiter elapsus est, antequam resipisceret, & ageret pœnitentiam; & jam adulterii fructus in lucem prodierat, cum Propheta Dei nomine, & jussu illum adiit allocututus. Opus est igitur Propheta, & extraordinaria missione, ut ad officium revocetur. Loquitur Propheta, & hunc Rex audiens redit ad se, suumque scelus confitetur. Unum dumtaxat profert verbum: *Peccavi*; ac statim Propheta Dei nomine subjicit: tibi pepercit Deus, idque sine mora, sine temporis dilatione, sine amoris reprehensionibus. Ita celeriter Deus peccatoribus parcit, nonnisi lente, ac sero ad ipsum revertentibus. *Recens Auctor.*

David in Psalmis Dei misericordiam extollit.

David in Psalmis Domini extollit Misericordiam, tamquam præcipuam caussam suæ in illo confidentiæ, licet scelerum gravitate, ac numero obrutus esset; immo etiam ipsam peccati sui gravitatem desumit pro causa, peculiari ipsius confidentiæ: *Propitiaberis peccato meo, multum est enim.* Quasi diceret, Infinita, Domine, est misericordia tua, & audeo dicere nihil tibi esse honorificentius, majoremque adstruere tuæ magnitudinis, infinitæque tuæ potestatis conceptum, quam immensa tua misericordia; *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Nihil vero aptius est ad hanc bonitatem ostendendam, quam venia, quam mihi largiris peccatorum meorum licet numero caren-

carentium. Patet, Prophetas, potissimum vero David admiratos esse, ac indesinenter energeticis loquendi modis super alia Dei attributa celebrasse Dei misericordiam eo quod hic dignatus est induere humanitatem, ut homines per mortem suam in Cruce redimeret. Et profecto Incarnatio, & Redemptio sunt incomprehensibilia mysteria, & ad confidentiam, atque pœnitentiam nostram excitandam aptissima. *Exercit. Ascetica P. Croiset Tomo* 2.

Quibus mediis uti debet peccator ad implorandam Dei misericordiam.

Cum sit nobis persuasum in Cœlesti Jerusalem omnia esse munda, & nihil coinquinatum illuc esse ingressurum, neque illuc a Deo admissum iri, qui perfecte cum illo, & cum proximo non redierit in gratiam; quid faciendum est nobis, qui plurimis obruti sumus criminibus, nisi Dei misericordia imploranda, & clamandum in amaritudine cordis vere contriti, & sincere humiliati: *Domine non intres in Judicium cum servo tuo*? (*Psal.* 142.) Conjice Domine oculos in deformatam Filii tui faciem; in illo plus est pretii, quam opus sit pro peccatorum nostrorum remissione; habet illa, unde populum suum ab omnibus redimat iniquitatibus. Adimple Domine verbum illius; præsta fidem eorum, quæ ille nobis pollicitus est, præcipiens ut tibi dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus debitoribus nostris. Divinæ illius promissioni tota spes nostra incumbit; eaque freti audemus ad solii tui pedes accedere misericordiam tuam impetraturi. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Quid profecit Moyses qui semet divinæ opposuit iracundiæ.

Quæritur cur Deus dixerit Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus*; & meæ pateam indignationi populum hunc ingratum, ac fidelem delendo. Quia Dei misericordia, quemadmodum pro peccatoribus contra ejusdem justitiam perorabat. Deus vult parcere, sed orari vult. Dixit Moysi Deus, *Dimitte me*, hoc est, Theodoretus inquit, quasi tacite alio in sensu illi diceret: precibus cohibe furorem meum. Non diceret ille, *Dimitte*, *ut irascatur*; irasceretur enim, nisi parcere vellet. Deus Moysi dicens; *Dimitte me*, *ut irascar*, præbet illi occasionem, & ciet in illo desiderium orandi; eidem significans vim, quam preces haberent, quas effusurus ille erat pro populo. Agnoscamus hoc in loco potestatem, efficientiam, adeo etiam necessitatem, quæ nobis est, orationum Sanctorum, & funestam ploremus hæreticorum cæcitatem, qui Sanctorum intercessionem, & communionem negantes, misere semetipsos orbant maximo, ac validissimo vitæ hujus subsidio. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo* 2.

De fallaci confidentia in misericordia Dei.

Si magna Dei erga peccatores misericordia magnum his est confidentiæ argumentum non debet illis esse causa in sceleribus suis permanendi. Nihil perniciosius, nihilque nocentius, quam fallax confidentia. Misericordia non salvat eos, quibus est damnationis causa? In quo Dei misericordia potissimum elucet? In inspirando peccatoribus sincero pœnitentiæ desiderio; quia hic effectus est divinæ misericordiæ: sed manifestum est argumentum, nullam adesse amplius pro homine misericordiam, cum eadem abutitur homo tamquam ratione propter quam ipsum non pœniteat. Debet quidem misericordia illi confidentiam inspirare, sed confidentiam a pœnitentia inseparabilem. Nequitia longius procedere nequit, quam abutendo bonitate Dei, patientia Dei, misericordia Dei, ut quis in sceleribus suis perseveret. Quia bonus est Deus, ego tranquille volo esse nequam; quia Deus est misericors, illi contumeliam inferre volo impune; patiens est, metuendum mihi non est, ut illius patientiam fatigem; cumque ipse lædendo illum fuero delassatus, minus nequam ero, illius rationem habebo. Impie, intelligisne quantum nequitiæ, & impietatis insit fallaci huic confidentiæ! Intellige utrum sit, non dicam justitiæ; sed audeo dicere, honoris Dei summa cum severitate scelus adeo horrendum punire, quod in obstinatione sua ceterorum omnium, ut ita dicam, improbitatem complectitur. *Idem. Tomo* 4.

Pœnitentia non est differenda ne misericordia fatigetur.

Diu sustinet Deus populi delicta; sed illius patientia delassanda non est. Deus illi constituit terminos quoscumque vult, & post statum peccatorum numerum, non parcit amplius; novissimum peccatum tandem efficit, ut decidat fulmen, quod tandiu fuerat suspensum; & ostendit Deus, si aliquandiu dissimulaverat, non ex ignorantia, sed ex bonitate illius hoc accidisse, quandoquidem peccatoribus relinquere voluit spatium pœnitentiæ, ac ad se revertendi. *Tourneux in anno Christiano. Tomo* 10.

Dei misericordia erga peccatores.

Deus antequam præbeat aures justitiæ nos insimulanti, quoties suam consulit clementiam? Videt nos in vitium prorurere; statim quidem nostri miseretur, potiusquam nobis irascatur; multoque magis animam nostram diligit, quam nostra oderit crimina. Audit murmur mundi, cui scandalo fuerunt scelera nostra, diuturnum servat silentium, nosque ad pœnitentiam expectat. Nos videt tardos, ac duros, sine animo, & sine motu, ut ex nostris sordibus emergamus, nosque suis excitat gratiis. Efficit, ut circum nos, & in nobis sexcenta inopinata suboriantur subsidia, ut nos ad se pertrahat. Videt nos post pœnitentiam, immo etiam post veniam in pristina labi flagitia; neque ideo tædet ipsum nostræ fragilitatis, & quoniam agnoscit nos fragiles, inconstantes, & mutabiles usque ad mortem, nos patitur, nos invitat, nos ad mortem usque sollicitat. Quod erga singulos peccatores facit, facit etiam erga populos, ac gentes pravas. Quonam percitus erat furore adversus Sodomam? Decreverat jam omnia in cineres redacturum, cives cum civitate. Tamen precibus Abrahæ delinitus, decem dumtaxat quærebat justos, ut ceterorum misereretur. *Non delebo propter decem*. (*Genes.* 18.) Decem justi in corde illius æquiponderabant iniquitati populi totius nequissimi. Eheu! quantum egemus hac oppositione clementiæ illius torrenti furoris ejusdem. Si Deus celeriter, & sæpe in nos pro meritis nostris animadverteret, numquid satis fluminum in cœlo reperiretur? Nostrorum suppliciorum fulgor nonne jampridem Sodomæ, & Gomorrhæ memoriam delevisset? Tamen adhuc vivimus peccatores, & impunes. Ad id autem bonitas illius quodnam pondus objicit justitiæ ipsius? Non punit, nisi tamquam Pater non sine lacrymis, & mœrore, sciens nocentem sui ipsius esse patrem. Nostris rebellionibus actus ad nos inimicorum instar habendos, oblivisci nequit nos suos esse filios; & sicut Isaias ait, ubi vult reparare injurias, quas illius effecimus justitiæ, dolet se ad id per scelera nostra adactum fuisse: *Consolabor super hostibus meis*. (*Isaia* 1.) Pœnas reposcam, & ulciscar; sed heu! illi peribunt. Post hæc si patimur, si miseri sumus, & in hac, & in æterna vita; nonne hoc nostra accidit culpa, qui per nostrum non patimur scelus iracunda Deum ponere fulmina? Nonne verum est, si quid nobis infert mali, hoc invitum inferre? *P. de la Rue in Quadragesima.*

Dei misericordia fortius agit in peccatores qui nocentiores sunt, & obstinatiores.

Videmus aliquando in rerum natura, causam aliquam vehementius agere in objectum quod maxime distat, quam in proximum. Ita exempli gratia Solem videmus agere, majoremque calorem ciere in terra, quam in media aeris regione; ejusdemque ardores in regionibus etiam hyperboreis tantos esse, ut nonnumquam nemora ipsa, saltusque comburat. Ita nihil est, quod melius valeat potentiam, & Dei bonitatem attollere, quam effectus, quos sancta illius gratia, & amor illius parit in gelidis cordibus, omni scelerum generi addictis,

quod

quod cum in lucem proferat infinitas illius miserationes, debet magis, magisque inflammare peccatores ad spem in immensa illius bonitate fovendam. Et sane hoc Regius Propheta perfecte assequebatur, cum hanc ipsam Dei urgens misericordiam, ut sibi criminum veniam largiretur; illum hac prece obtestabatur. Domine, ajebat ille, magnus peccator sum; & scelera mea eo pervaserunt, quo vix cogitatio pervenire potest: sed hanc ipsam ob causam mihi parcere debes, & mihi spes est, te mihi gratiam hanc esse largiturum; nam alioquin quid prodesset misericordia tua, si careret actione, exteriorique effectu in sua objecta, & materiam, quæ sunt nostra peccata, & calamitas nostra. Verum potesne bonitati, ac omnipotentiæ tuæ majorem fulgorem, decusque tribuere, quam gravissimis sceleribus nostris parcendo? *P. Antonius de Santo Martino a Porta, in libro cui titulus*; Lex conduites de la Grace.

Læsi Numinis dolor a Dei amore debet proficisci.

In peccati punitione duo possumus considerare, correctionem illius, qui plectitur, eruditionem populi. Punitio eo præstantior, ac nobilior est, quo magis est libera, & minus coacta; & quo sublimius, diviniusque habet objectum. Si Deus statim post patratum scelus puniret, ad illum confugere cogeremur; quo enim heu! ire liceret? Sed hæc pœnitentia vi extorqueretur, ideoque minus nobilis esset. Deus itaque vult, amorem nostrum erga ipsum in nobis parere hunc dolorem, & hanc peccati detestationem, quæ sit principium pœnitentiæ, & punitionis criminum nostrorum, ut magis meritoria sit, & gloriosa.

Dei justitia eo gravior, quo lentior.

Pœnæ, quas reposcit Deus, postquam diutina usus est patientia plerumque graviores sunt triplici ex causa: 1. propter pœnæ gravitatem; 2. propter temporis circumstantias; 3. propter conditionem punientis. Quod vero pertinet ad temporis circumstantias, si Deus tollere vult peccatorem in ipso voluptatum suarum actu, in maxima, & dulcissima suarum deliciarum inopina morte, & illo minime cogitante; hæc ultio est, quæ reliquis videtur insignior. *Idem*.

Dei misericordia apparet etiam in modo, quo percutit peccatorem.

Dominus in ira sua sæpe reminiscitur misericordiæ suæ; hanc quippe in illos etiam exercet, quos severissime punit. Reproborum in inferno pœnæ nondum criminum eorumdem enormitatem exæquant; sed in hac vita præsertim divina misericordia divinæ præstat justitiæ; Omnis terra, Propheta inquit, plena est misericordia Domini. Peccatores ipsi nonnumquam satis hoc norunt. Potissima causa diligendi Deum, eique inserviendi in corde ipsorum corrupto evadit ratio illum audacius offendendi. *Indulsisti genti; numquid glorificatus es?* Dominus bonus est, liberalis, indulgens, misericors. Libenter in ipso hæc attributa inveniri fatemur. Quorsum autem? Ut illis abutamur, ut nobismet in sceleribus nostris polliceamur impunitatem. Abominabilis dispositio! chimerica audacia! Cur? misericordia ne Dei in illo est assensus peccato! Nequaquam; illum in hac vita punit modo per tribulationes, & in hoc etiam misericors est, hæc enim sunt peccatoribus conversionis excitamenta; modo per gratiarum subtractionem, & in hoc magis adhuc divina elucet misericordia, quia adhuc in peccatorem satis gratiarum relinquit, ut sese convertat. Quandocumque igitur Dominus sua utatur misericordia in hoc mundo, jus suum numquam amittit justitia, & peccatum impune abire non potest, *P. Segneri in Meditationibus*.

Dei misericordia contempta efficit justitiam severiorem. Tob. 3.

Quemadmodum abusus divinæ misericordiæ abutentem afficit nequiorem; ita recordatio misericordiæ toties contemptæ ipsa ultionum die iram Domini exacuet: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*. Indicia, quæ subinde nobis præbet Deus indignationis suæ proprie non sunt effectus iræ suæ. *Nunc non infert furorem suum*. Hoc tunc erit primum, cum agnus repente fiet Leo furens, cujus rugitus universum orbem perterrefacient. *Viam fecit semitæ iræ suæ*. Tunc frustra implorabitur infinita hæc misericordia, qua adeo superbe ac toties mortales abusi sunt. Iracundia tandiu dilata eo vehementius erumpet, quo magis causa, qua antea cohibebatur, tunc illam excitabit; ideoque juxta Scripturæ verba, illa erit iræ dies. *Dies iræ dies illa*. *Idem, ibidem*. Job 39. Ps. 77. Sophon. 1.

Cur utatur Deus tanta patientia erga peccatorem.

Dei Longanimitas efficit, ut diu scelus impune patiatur multiplici ex causa, quarum singulæ peccatoris animam perterrere magis possunt, quam illi securitatem immittere. Primum supplicii dilatio satis ostendit, Deum de reo suo esse securum, se vis externæ subsidio; & reum de omnipotenti manu Dei elabi non posse, ubicumque placuerit Deo infelix ejusdem fatum statuere. Secundo, quodcumque momentum quo Deus affert peccatoris pœnam, recens est gloriæ suæ incrementum: Etenim per hoc divina patientia toties temere irritata, videtur procul dubio sola ipsius majestate digna: *Patiens redditor*. Per hoc peccator tandiu expectatus, toties multifariam ad pœnitentiam excitatus, omni caret excusatione. Denique Dei tarditas in puniendis peccatoribus illos omnino persuadere debet, in hac etiam vita, ipsum nullo actum affectu operari: ipsum suam cohibere iracundiam, ut nocentibus permittat illius mulcendæ spatium; & justitiam suam, quodcumque jus habeat aliquando exercendi omnem severitatem suam contra illos, tamen non minimum de suo jure concedere. Quænam desperationis causa reprobis hæc erit persuasio! Patiens hic Deus eo usque ut tulerit me, qui tandiu sua abusus sum misericordia, & qui eamdem ipsius patientiam mihi in illius offendendi causam converti, Deus hic adeo tardus ad puniendum, qui toties mihi obtulit veniam, qui tantum mihi temporis spatium concessit, ut ad clementiam suam confugerem, ille est, qui hodie æternis me damnat suppliciis! Heu! evitemus hunc recentem infernum flammis devorantibus crudeliorem. Deus Pater est, cujus bonitas semper retardat supplicia, quæ statim culpam subsequi deberent? Quinam esse deberet misericordis hujus consilii effectus, si veri ejusdem filii sumus? Debet in nobis ciere timorem maximum, ne illum amplius lædamus, & celerrimam criminum patratorum pœnitentiam. Quinam ingratitudinis, & corruptionis excessus in homine tua abuti misericordia, Domine, ut audacius te offendat, & tamquam nequitiæ suæ causam prætexere bonitatem tuam? Numquid ignoras in peccatore sacrilegum hunc abusum patientiæ tuæ? Haud ita quidem, immo neque ejusdem sensu cares. Sed bonitas tua semper major est nequitia nostra. *P. Segneri in Meditationibus*.

Quia Deus bonus est, & tardus ad pœnas homo audacior est ad culpam.

Si homines statim post patratum scelus, illius pœnas darent, ne tot quidem occurrerent peccatores. Aspectus celerrimæ ultionis Dei, illius etiam lædendi cogitatio illos perterreret. Sed eo quod tardus est ad puniendum Deus, quod tolerat, tacet, dissimulat, homines magis magisque insolescunt, ac fiunt audaciores: *Quia non profertur cito contra malos sententia; absque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Quid monstro similius est; esse impium, quia Deus bonus est! Merito Sapiens hujusmodi ingratos filios hominum vocat, neque enim esse possunt filii Dei, cum tanta audacia divinæ insultent bonitati. Filii sunt perditionis, reprobi sunt, qui suæ subscribunt sententiæ, antequam annulo Judicis fuerit confirmata. *Idem, ibidem*. Eccl. 8.

Deus ad puniendū.

Cum Evangelici præcones nobis aperiunt mala di-

certum est, sed ultio ideo erit terribilis.

In diversa, quibus Deus in peccatores animadvertit; impius hactenus felix dicit intra se: Peccavi, & nihilominus tandiu in meis permansi iniquitatibus: quam inde passus sum calamitatem? Perfecta valetudine fruor; multa mihi bona sunt, amici, auctoritas, gratia: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Non vides igitur peccator, Deum esse, testem, Judicem, ac ultorem tuarum iniquitatum, & secretissimorum cordis tui motuum? Non credis ergo, adesse Providentiam, quæ permittit, quæ conservat, quæ mutat cursum præclarissimarum fortunarum, juxta irrevocabilia suæ Sapientiæ consilia? Altissimus est ad puniendum tardus, verum est; sed tandem ejus Justitia eo terribilius punit, quo diutius expectavit; brachium illius ingravescit super peccatores, & nemo illorum ultionem ejus evadit: *Altissimus enim est patiens redditor*. Deus non est ex Diis invalidis, atque cæcis; lumen illius omnia permeat, & scrutatur; potestati vero illius nemo resistere valet. Itaque postquam suæ indulsit clementiæ peccatori spatium suimet cognoscendi relinquens; tandem iterum justitiam in suo jure constituit, & ipsa novit, quo pacto illud exerceat. *Peccavi*, inquit, *& quid mihi accidit triste?* Ita conaris teipsum in scelere confirmare, tunc temporis, cum cogendus es oculos aperire, & cum terminus instat, quem sibi Dei patientia perscripsit? Quo minus times, tanto magis timendum est tibi, & obdurationis tuæ signum accedentis divinæ ultionis argumentum est. *Idem ibidem*.

Tanta est Dei misericordia ut peccatores ad illam confugere possint toties quoties ceciderint.

Jussit Deus in omnem terrarum orbem late prædicari generalem omnigenarum noxarum remissionem: *Prædicate remissionem peccatorum in omnes gentes*; voluitque Apostolos, qui nomine illius pronuntiarunt leges, & edicta, quibus illius regitur imperium, inter articulos fidei hanc inserere peccatorum remissionem; ad hæc relinquens in Ecclesia facultatem dimittendi peccata, non semel, sed quotiescumque humana fragilitas novis succumberet lapsibus; ita ut sicuti Sacerdotium illius æternum est, jugis etiam sperari posset misericordia, & ne unus quidem esset, qui sufficientibus gratiis, quas Deus ad extremum usque vitæ exitum largitur, suffultus, quacumque hora voluerit converti, salvarique possit. Misericordia enim semper cum Justitia consentit, & hæc semper effectibus, & studiis divinæ bonitatis velificatur. O admirabilem Dei nostri bonitatem! Peccatores cur largitates illius coarctatis? Cur vultis contrahere immensam misericordiæ ipsius extensionem? Vult omnes converti, ac salvari; igitur omnes convertere, & salvare potest. *P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur*, Les Conduites de la Grace.

Copiosior est ubi major scelerum numerus.

S. Paulus Apostolus ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*: Omnia teterrima licet peccata non aliud sunt, quam gutta, ubi comparentur cum immensa abyssu gratiarum, & misericordiarum Dei. Nonne diceres Apostolum hoc stylo, & hac loquendi ratione sibimet quamdam veluti circumvallationem, vel obsidionem fingere, quam omnes impietates mundi extruunt adversum hanc Dei misericordiam, & voluntatem nosmet omnes salvos faciendi? Ubi tantum abest, quod illi victoriam reportent, ut e contra divinam hanc misericordiam ita provocent, ut ex contrariorum oppositione novas vires, novaque incrementa recipere videntur, & quodammodo conatus, ac vires suas ad resistendum ingeminare, ut referant victoriam? *Idem*.

Ideo Apostolus gratiam Dei vocat thesaurum bonitatis

Apostolus Gentium agnoscit, & adorat in Deo divitias, & infinitos bonitatis thesauros iis verbis, quæ nos æquissima reprehensione confundere debent, simulque cogitatione infinitarum misericordiarum ejus consolari! *Num divitias bonitatis ejus, & sapientiæ, & longanimitatis contemnis?* Ubi animadverti potest, non dici, in Deo esse bonitatem, patientiam, ac longanimitatem; sed divitias, ac thesaurum bonitatis, patientiæ, & longanimitatis. Non dicit, Deum gratias conferre; hic usitatus est bonitatis ejusdem effectus, sed uberes, copiosas, numeroque carentes gratias profundere, quod significat immensus hic bonitatis thesaurus. Non dicit illum nos in nostris iniquitatibus pati; hæc illius consueta patientia est; sed pati abominationes immodicas toties repetitas; qui magnus est thesaurus patientiæ. Non dicit, illum nos biennio, vel triennio sustinere; quæ naturalis est longanimitas, sed quadraginta, & quinquaginta annos impendere in peccatoribus, perditissimisque animabus inquirendis, iisque ad se revocandis per infinitæ misericordiæ suæ effectus: quæ sunt profusiones longanimitatis, & misericordiæ erga miseros peccatores. Adeo verum est per multitudinem gratiarum, & plenitudinem Redemptionis Domini, nobis persuasum esse debere nullam esse adeo impenetrabilem conscientiam, neque spiritum adeo derelictum, qui sceleribus suis medicinam invenire nequeat, & qui plura non habeat conversionis subsidia, dummodo velit salutem suam operari. *Idem*.

nullis finibus septa.

Hujus rei magnificum invenimus exemplum in parabola filii prodigi.

Quodnam magnificentius divinæ exemplum misericordiæ nobis occurrere potest, quam prodigus Filius, qui cum plurima secum reputasset consilia de reditu suo in paternam domum, judicans præteritæ vitæ libidines, ac reverentiam Patri suo debitam, quam ipse conculcaverat, sibi nequaquam promittere posse se facile admissum iri tamquam filium, arbitratus est si se patri suo tamquam mercenarium obtulisset, facilius se excitaturum in patris sui corde sensum miserationis, & consecuturum ut hic suæ calamitatis misereseeret. Hoc usus consilio, omnique abjecta verecundia viam corripit; nanciscitur Patrem suum, a quo omnia numerabantur suæ absentiæ momenta, quæ illum optatissimi filii hujus adspectu privabant. Statim ac illum venientem prospexit properante gradu irruit in collum ejus, eumque suis lacrymis irrigat. Jubet saginatum vitulum mactari, eum pretiosissimis vestibus induit, sibique videtur non satis mortalium invenire, quos in lætitiæ suæ, gaudiorumque partem vocet. *Idem*.

Cum Dei gratiis resistimus, ille nostri misereri cessat.

S. Thomæ, plurimorumque Theologorum cum eodem docentium auctoritate confirmari posset hæc veritas; licet Dei misericordia in semet sit infinita; nihilominus cum præter Deum nihil sit infinitum, gratias, quibus eadem utitur misericordia ad salutem nostram procurandam esse in finito, ac determinato numero: ita ut quo sæpius Spiritui Sancto resistimus, eo magis misericordiam hanc exhaurimus, & in reprobationis statum addicimur. Hic ordo est, quem Dei misericordia erga peccatores tuetur, & quem nobis ostendit ea ratio, qua Salvator cum Jerusalem utitur. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas: Quoties volui congregare sub alas filios tuos, & noluisti? ecce relinquetur domus vestra deserta*. Infelix Jerusalem Prophetarum interfectrix, *quoties volui*? Quoties tibi lumen prætuli, quoties interius tetigi te, quoties copiosa misericordiæ subsidia contuli tibi? *& noluisti*. Ecce resistentia, qua homo sese præbet durum sollicitationibus Dei, ita ut illis minime afficiatur. *Ecce relinquetur*. Deus primum quidem hominem relinquit, mox reprobat. *P. Texier in Dominicis, Tomo* 2.

Matth. 23.

Deus peccatorem patitur ut habeat tempus illum convertendi & ille ad misericordiam confugere valeat.

Si te peccantem sustinet Deus, non ideo putes, eum non posse, simulac læditur, te in infernum dare præcipitem; sed te sustinet, sperans tandem temet collecturum, acturumque pœnitentiam. Ecce ubi infinita Domini erga te bonitas emicat. Non solum te invitat, cogit etiam, ut ad se revertaris; expectat adhuc cum invicta patientia, ut velis gratiæ suæ respon-

respondere, ac omnes repulsas, contemptusque tuos patitur ob id unum, ne pereas. Ita est. Deus te peccantem sustinet, suaque flagella suspendit, ut resipiscas, eique miserendi locum præbeas: *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Bonitas autem te flectere nequit, ac ad Deum tuum per pœnitentiam revocare? *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. P. Segneri in Meditationibus.*

Isai. 30. — *Rom. 2.*

Quodnam in peccatorem scelus esset abuti patientia Dei ut in peccato persisteret.

Quodnam hoc scelus esset, si Dei bonitas, & patientia, nos ad illum lacessendum audaciores efficeret? Nonne hoc esset esse velle nequam, quia Deus bonus est? Deum magis, magisque offendere vultis, quia sustinet vos, & vobis indulget. Non restat amplius, nisi ut offendatis illum, quandoquidem propter vos factus est homo; quandoquidem propter vestram salutem in Cruce expiravit. Deus bonus est, patiens est, non vult perdere vos. Cur ergo nosmet urgere debemus, ut serviamus illi, & pœnitentiam agamus? Tempus non deerit. Insipiens conclusio! Tamen ita argumentamini; & per summam cæcitatem, quæ res vos urgere deberet, ut peccato nuntium mitteretis, vos in eo persistere cogit, & ad interitum adducit. *Idem.*

Ut Dei misericordiã obtineamus, illam mereamur oportet.

Quid putamus, cum dicimus Deum misertutum esse nostri? Credimus ne, cum salus nostra sit divinæ bonitatis effectus, quia pendet a gratia, nobis unice in divina misericordia esse quiescendum, quin eamdem nobis conciliare adnitamur. Salvator non ait, misericordes misericordiam percepturos, sed misericordiam obtenturos. Deus igitur non omnes misericordiæ suæ largitur effectus veluti mera dona; sed sæpissime tamquam præmia; licet præmia hæc semper meris donis insistant, & alioquin sint adeo copiosa, ut numquam misericordiæ titulum amittant. At si misericordia ex parte veluti præmium, & merces obtinetur, cur illam nos consecuturos speramus, quin illi quidquam per nos conferre velimus? *P. Segneri. Meditat. Tomo 3.*

Dei unius est esse divitem in misericordia.

Dei unius est proprie divitem esse in misericordia, & hic unus caracter ex Apostoli sententia illum ab hominibus secernit. *Deus qui dives est in misericordia*. Primum enim in hominibus benefaciendis facultas exiguis finibus continetur, eaque usu teritur, & exhauritur. Secundo eorum liberalitas fere semper præcipitur; ad id Charitatis lege tenentur. Denique eorum beneficia sæpius minora sunt ea, quam sibi proponunt, utilitate, quamvis non aliud sibi proponerent, quam liberalitatis laudem, & gloriam. Non ita sentiendum est de misericordia Dei. Hic inexhaustus est fons bonorum, adeoque dives ita ut nemini petita negare possit: *Dives in omnes, qui invocant illum*. Nulla tenetur lege nobis suas communicare divitias; si vota nostra repelleret, quisnam jure ab eo quæreret, cur ita agat? Nullum ex donis suis quæstum refert; qui enim illi cedere quæstus potest? Gratiarum actiones, laudes, cultus? Gloria hæc, quæ eidem est mere externa, nihil ejus adjiciet felicitati. Cæterum omnes honores, quos possumus deferre, æstimabiles non sunt, nisi quatenus sunt indicia veri ejus meriti, cui illos exhibemus. At Dominus nonne illis æque dignus est sive suam exerceat misericordiam, sive utatur jure justitiæ suæ? *P. Segneri in Meditat.*

Ephes. 2. — *Rom. 10.*

Nihil nos magis movere potest, quam ratio, qua ille peccatorem inquirit.

Ecce aliquid mirabilius. Deus, infinitæ Majestatis Dominus, læsus ab homine sibi subdito, ac mancipio suo conviciis affectus largitur huic ex mero amore, & quin jure aliquo teneatur, tempus, & modum resipiscendi: illum excitat, ut sui peccati pœniteat, & ad id gratiæ suæ illi offert subsidium: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ*. Quanta est, o Domine, bonitas tua, qui ita parcis peccatori, quem perdere, & quem facillime perdere posses? Quæ tibi ratio, quæ utilitas efficere potest, ut in me adeo clementem, ac misericordem te præbeas? Heu! quis ego sum, ut me adeo sollicite perquiras? Sed aliquidne ultra requiritur, ut sentiam injustitiam meam, qua te dereliqui? Infinita hac adductus misericordia, qua mecum uteris, ne momento quidem pœnitentiam meam volo differre. Statim peccatum meum execror. Redde mihi amorem tuum, cujus per peccatum jacturam feci, & hunc semper omnibus vitæ meæ bonis præferam. *P. Segneri in suis Meditationibus.*

Job 24.

Dei erga nos bonitas tanta est, ut quo nequiores sumus, eo magis misereatur nostri.

Mirum non est, quod Deus bonitatis foveat miserationis sensus erga peccatores; quod autem homines non solum ex origine peccatores, sed qui per jugem nequitiam adjiciunt contemptum sceleribus, & contemptui irrisionem, qui Dei ipsius beneficiis abutuntur, ut eidem inferant bellum, qui illius patientia abutuntur, ut rebellionem, atque impotentiam suam graviorem efficiant; quod homines, inquam, hoc in statu sint objectum benevolentiæ Dei; quod illos amet, sustineat, eosque bonis cumulet, hoc Deus unus efficere potest, homo vero intelligere nequit; & hoc illud est quod Auctor Ecclesiastici non satis poterat admirari. Verum est, inquiebat ille, quodam in sensu dici posse, Dei misericordiam erga peccatores esse coarctatam, quandoquidem illius spatium intra vitæ eorum curriculum constrinit, qui ad centum annos minime protenditur; & ita constituens numerum dierum ipsorum, perscripsisse videtur limites durationis bonitatum suarum: sed vult, ut alio pacto sentiamus latitudinem miserationis suæ per infinitam earum gratiarum copiam, quibus nos cumulat. Non enim solum aliquam nobis confert suæ misericordiæ partem, sed integram effundit in nos, ut ita dicam, atque profundit. Festinat prævertere momentum illud, quod vitæ nostræ terminum injiciens, esse debet principium regni justitiæ ipsius super nos; se ipsum urget, ac sollicitat quasi timeret, ne deprehenderetur. Licet rebelles simus, nos patitur tamen, nos vocat, nos suis cumulat beneficiis. Dissimulat, quia tempus breve est, & vult singula momenta recentibus misericordiæ suæ effectibus connotari. Tamen non ignorat cor nostrum ingratum esse, atque superbum. Illud videt, illius testis est, scrutatur enim abditissimos animarum nostrarum sinus, earumque corruptionem agnoscit. Spectaculum adeo indignum illius patientiam delassare deberet; quæ tamen non cessat, & ex consummata nequitia nostra arripit occasionem consummandi in nos infinitas suas miserationes. Quin illius iram irritet, ejusdem ciet misericordiam. Sua clementia decertat cum ingrata hac creatura, ac semper sperat se blanditiis suis de illa victoriam reportaturum. Cæci sumus, illuminat nos; superbi sumus, nos humiliat; duri sumus, nos emollit; vincti sumus, nostra infringit vincula; fugimus, nos persequitur. Nullum tempus est, locus nullus, nulla occasio, qua non utatur, ut vocem illius audiamus; & quo magis ab illo recedimus, eo magis ad nos accedit per misericordiam. *Auctor recens.*

Cur Deus, cum sit naturalis hominum judex, qualitatem hanc in Filium transtulerit juxta Prophetæ votum.

Adnotandum est, quod si Deus noster est judex, est quoque Pater noster, est Sponsus animarum nostrarum, est Amicus noster, est Frater, Patronus, atque Salvator noster. Quot qualitates, quæ nobis solatio esse debent, adversus unam, quæ terribilis est! Quod in hac terribile est, nonne æquiponderatur eo, quod in aliis inest amabile? & intuiti tot varias formas, quas illius assumit misericordia, pro una, sub qua sese nobis ostendit justitia. Nonne justa nobis est causa nosmet in terroribus nostris confirmandi, & cum Propheta confitendi, misericordias Domini quod spectat ad nos omnibus aliis operibus potentiæ ejusdem præstare. Addere hoc in loco possumus præclaram Sancti Joannis Chrysostomi sententiam, explicantis hanc orationem Prophetæ, qui Deum enixius precabatur, ut judicium, & justitia sua per Filium suum exerceret. Quare, inquit Sanctus Pater, rogabat ille, ut Deus semet sua exueret potestate in Filium suum hominem factum transferenda? Quare Deus Pro-

phetæ orationem exaudiens re ipsa demandavit Jesu Christo curam judicandi vivos, & mortuos, quemadmodum Salvator ipse in Evangelio testatur? Numquid judicium in manibus Dei non æque juste exercitum fuisset? Ita procul dubio: judicium quidem pariter æquum fuisset, sed fuisset terribilius. *Auctor Recens*.

Homines infirmi, & peccatores omnia timere debebant e Judice Sancto, & omnipotenti.

Quod Deus Sanctus judicet peccatores, quod Deus impassibilis judicet homines tot addictos cupiditatibus; quod Deus potens, & irritatus judicet homines infirmos, & nocentes: heu! his nonnisi supplicia essent expectanda? Quod vero judicentur ab homine simili sibi, qui eorum miserias expertus est, eorumque peccata sustinuit, qui factus est ejusdem naturæ, frater illorum, amicus, atque Salvator; quibus antea omnia erant metuenda, his modo sperandum magis est, quam timendum, quandoquidem judex, quem obtinuerunt adeo pronus est ad misericordiam. Ideo ex Sancti Hieronymi sententia judicium translatum fuit in Filium Regis, & hæc nobis est consolatio, quod Deus insigni misericordiæ suæ effectu, seipsum abdicare dignatus fuerit hac Judicis dignitate, ut eadem Filium suum decoraret. Sed hoc nondum totum est; illud præcipuum est quod hæc in Salvatore dignitas est titulus, qui maximam nobis adfert consolationem, omnemque mulcet formidinem. *Idem*.

Dei Filius nostra Indutus est ex nobis adimit nimium terrorem judiciorum Dei.

Quantumvis gravia, ac frequentia nostra sint crimina, cum Filii Dei redemptione omnia divinæ justitiæ jura adimplemus. Invenimus thesaurum hunc in Jesu Christo, in hoc illum possidemus, per hunc illum offerimus Patri ipsius, & cum tali pretio jure omnia ab illius misericordia expectare debemus. Hæc me consolatur cogitatio, cum ad Aras manibus meis teneo pretiosum Salvatoris mei Corpus, & Sanguinem illius adorabilem. Tunc credo me jure dicere posse, Pater meus, & Deus meus! si contra me irritatus es, ecce unde tibi satis faciam. Thesaurus, quem teneo meus est, quia illum mihi dono dedit Jesus Christus; & iste thesaurus infinitus est, & æque infinitus ac gratia tua, ac tua misericordia. Statue Domine quodcumque pretium salutis, Paradisi, beneficiorum tuorum: ecce, unde tibi satisfacere possum, tuamque implere justitiam. *Idem*.

Verum est nos ex nobis nihil præsumere posse, sed cum Jesu Christo audemus omnia.

Non audet peccator dicere, respice me, *Domine*; e contra pudore suffusus ob miseriam suam libentius diceret cum Sancto Petro, recede a me Domine, quia pollutus sum. Oculos dejicit in terram velut Publicanus, illos in Cœlum non ausus attollere, ne, hoc saltem videtur, ad se Dei oculos convertat; vel tamquam Maria Magdalena, quæ lacrymis suis Salvatoris pedes rigabat retro ad pedes ejus provoluta. Verum si peccator seipsum non audet ostendere; dicit Deo, inspice in filium tuum, intuere illius vulnera, & sanguinem, & placaberis. Sed quid dico, itane loquitur peccator? Non ita; ipse est Dei Filius, qui pro peccatore sollicitat, qui Patri suo irritato infinitos offert suorum meritorum thesauros ut omnia justitiæ jura compleat; & per hoc ipsa etiam nobis favet justitia. *Idem*.

Ipso pro nobis perorante non nisi misericordem æquitatem possumus expectare.

Jesus Christus, ut ita dicam, sceleribus nostris onustus non solum noster mediator est, verum etiam, ut Sanctus Joannes ait, noster apud Deum Advocatus. Inter duplicem hanc qualitatem aliquid discriminis adest. Mediator misericordiam petit; ipse eam petit tunc etiam cum illam non meremur; & petit illam, ut videtur, non sine quadam specie timoris: Advocatus autem justitiam poscit, cum firmitate quadam eam poscit, poscit cum auctoritate, & securitate. Si Tribunal coram quo loquitur justum est, ac perspicax flagitat illam vi argumentorum, quæ profert; & quin illum loci, ubi loquitur, justitia deterreat, in eadem Tribunalis justitia suam confidentiam constituit. Ita pro nobis loquitur Jesus Christus cum auctoritate, & securitate loquitur præ se titulos ferens, & hi tituli æque certi sunt ac ejus vulnera manifesta. Suas etiam in Cœlo cicatrices servavit, quidam Pater ait, tamquam pretium suarum miserationum. Quid ergo nobis timendum est? Quo æquior est judex, eo melius propitiam sententiam expectare debemus, cum talis Orator pro nobis perorat. *Idem*.

Quamvis Dei misericordia infinita sit, sibi tamen quosdam fines constituit.

Quemadmodum perperam argueret, si quis diceret, Dei omnipotentia infinita est, plures igitur mundos creabit; ita perperam sibi blanditur, qui eo quod infinita illius est misericordia, tenet, ipsum omnibus peccatoribus omne gratiarum genus concessurum. Divina potentia licet in se infinita quosdam sibi limites statuit; ita & misericordia. At post quem peccatorum numerum Deus suas tenuit gratias? Hoc nos fallit. Unum aliquando satis est crimen. Rebelles Angeli quot commisere peccata? Unum. Quot hominibus Cain mortem intulit! Uni. Quoties furatus est Achan? Semel. Quot gulæ peccata commisit Esau? Unum. Quot Simonias patravit Simon? Unam. *Dictionarium Morale*.

Dei erga pauperes misericordia.

Rex Propheta testatur, Dominum esse plenum bonitate, prolixam habere patientiam, & numero carere ipsius misericordias. Et sane, Sanctus Augustinus ait, quam simile est diutiuæ Dei patientiæ? Quid simile affluentiæ miserationum illius? Homo peccat, Deus illum vivere patitur, nihil intentatum relinquit, ut homines ad conversionem excitet, nihil missum facit ut illos ad pœnitentiam invitet. Ad se illos arcessit per beneficia sua, illos arcessit per sanctam aliquam lectionem; illos arcessit voce ministrorum suorum, quos mittit ad annunciandum verbum suum, illos arcessit per sanctas cogitationes quas in illis ciet; illos denique & severitate suppliciorum, & consolationum dulcedine arcessit. *Lambere*.

Peccator non debet abuti clementia Dei ut in scelere perseveret.

Quid agit homo Dei sui indulgentiam conspiciens? Hac abutitur, ut contra illum exurgat, & iterum offendat. Si scires debere Deum jure suo uti, ac statim post primum scelus tuum illi pœnas sumendas esse de te, teque præcipitem in infernum projicere, quonam timore, qua humilitate coram illo ambulares? Quid? quia ægre sese excitat ad te perdendum, quia spatium tibi ad illum redeundi permittit, quia te ipsum urget, ut revertaris, quia te licet inimicum suis cumulat bonis, ideo magis insolescis, & ad illum lacessendum audacior evadis? videlicet, Domine, fidelius homines tibi famularentur, si minora illis conferres beneficia, & si erga illos omni lenitate, & misericordia caveres. Heu! Si Domine bonus es, patiens, misericors, nonne hoc ipsum cogere debet, ut ita dicam, peccatores, ut agant pœnitentiam, & sese tibi dedant? Attamen hoc ipsum in causa est, quod a te procul permaneat, & majori cum audacia, & impotentia in omne facinus ruat. *P. Segneri in Meditat.*

Deus per suam misericordiam educit nos ex errore, ut ad sanctitatem adducat. Job 1.

Eras nuda, & confusione plena, & pertransivi per te, & vidi te . . . Ex expandi amictum meum super te, & operui ignominiam meam. Verba hæc exhibent nobis admirabilem Dei bonitatem, qui per immensæ misericordiæ suæ effectum animam ex errorum tenebris educit, ut ad sublimiorem sanctitatis verticem illam attollat. *Eras nuda, & confusione plena.* Anima peccatrix nuda est, quia omnibus virtutum ornamentis exuta; *Confusione plena est*; quia sceleribus onusta. Deus ut ita loquar propter illam pertransit: *Transivi*, & eam in hoc statu videt, *& vidi te*. Videlicet in illam suam oculorum aciem figit, qua hæc illuminatur, & inde cognoscit quam ipsi charus, ac jucundus esse debeat Deus suus: Ita Jesus Nathanaelem respexit: *vidi te sub ficu*; hoc est juxta Sancti Gregorii interpretationem, elegi te; quem enim hominem in terra non videt Deus, ubicumque ille sit? *Pater Segneri in Meditationibus*.

Deus per misericordiam suam nos convenit, cum maxime dediti sumus peccato.

Deus illud eligit tempus, quo homo mundi, vanitatis, & cupiditatum suarum amore magis occupatus est, ut in ipsum peramanter suos oculos figat. Tunc Deus illum sibi integrum vult comparare, ut misericordia sua insigniorem referat de humana miseria triumphum: *Expectandi amicum meum super te, & operui ignominiam tuam*. Hoc nobis ostendit gratiam, qua Deus prævenit animam, ut illam cohibeat, sibique alliget gratiam adeo validam, officiosam, potentem, ut anima illi cedat semper, quamvis eidem resistere valeat. Gratia, quæ nos justificat, pone sequitur gratiam, quæ nos amovet a culpa: utraque enim ex eodem principio proficiscuntur. Cum enim anima, urgente gratia, cedere incipit; idem spiritus charitatis, quo primum ad Deum suum trahebatur, sensim in eamdem se insinuat, eam pretiosis muneribus ornat, ciet in illa sensus contritionis teneræ, vivæ, sinceræ, qua suorum scelerum deletur opprobrium; *Operui ignominiam tuam. Idem ibidem*.

Deus per misericordiam suam animæ pœnitenti sponsæ tribuit dignitatem.

Animam, quæ peccatrix olim pœnitens facta est, Deus sibi dignatur sponsam eligere. Apparatus, quos facit, ut illam ad hunc honorem extollat, totidem sunt amoris pignora, quæ illi largitur. Confert autem illi spiritum pietatis, conscientiæ religionem, donum lacrymarum, & præsertim stabilem spem, futurum ut illa sit ei loco rerum omnium in mundo. Animæ hoc æque persuasum est, ac si Deus sese illi palam ostenderet hoc promissurus. Fide hac roborata init consilium nexus omnes cum creatis rebus infringendi, ut unice Deo famuletur. Tunc Deus animam hanc sibi assumit in Sponsam, ipse illi, ipsi illa sese obligat, & adeo arcta voluntatis conjunctione junguntur, ut anima non solum Dei sit, tamquam alii justi, sed ut omnino, & absoluta tota illius sit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Deus hoc modo agit solum cum electis animabus quas primis cœli subselliis destinat, & cum quibus oblectatur colloquii in terra in altissimæ contemplationis tranquillitate. Quam felices sunt animæ hujusmodi, in quas dignaris Domine oculorum tuorum aciem convertere, ut eas tibi arctissimis misericordiæ tuæ vinculis devincias: Scio, Domine, meam tanti muneris indignitatem; sed ut tua elucescat misericordia sæpe respicis animas abjectissimas, ac maxime contemptibiles ut electas tibi sponsas efficias. Quam aptus sum ex hoc loco, ut fiam tuæ gloriæ instrumentum! *P. Segneri in Meditat.*

Cant. 2.

Quanta fuit ira Dei adversus Ægyptios, & quanta est adversus peccatores.

Volens Deus iram suam exercere in Israelitas dicebat Moysi: *Dimitte me, ut irascatur furor meus*. Quam sublimem, & solatii plenum infinitæ bonitatis Dei nostri conceptum, nobis hæc adstruunt verba! Populus, quem Deus mero misericordiæ suæ effectu præ cæteris terrarum gentibus elegerat sibi in populum dilectum, in cujus gratiam nuperrime tot insignia operatus erat miracula; populus cumulatus, & saturatus miraculis, & beneficiis qualia fuerunt flagella super Ægyptios iterata, donec populo eidem libertatem donassent; transitus maris rubri sicco pede trajecti; exquisitæ dapes de cœlo demissæ; manna miraculosum; panis cœlestis, qui cujuscumque gustui adaptatur; pretiosum cum Deo fœdus etiam ut Deus esset suus, suus Patronus, legislator, & Pater: tot inter miracula atque alia plurima, quæ in singulas horas pro illis, & sub eorum oculis fiebant, populus hic ingratus, & impius momento obliviscitur tot insignium beneficiorum, auctorisque eorum, palam contra benefactorem suum rebellat, contra Deum, Patremque suum, atque impietatem suam ad excessum usque protendens conflat sibi vitulum aureum, hunc tamquam Deum suum thure colit, huic hostiis sacrificat. Quibus fulminibus justissime irritata Dei ira uti non debet ad nationem adeo pravam internecione delendam? Nullus umquam populus extitit, qui severioribus pœnis esset torquendus, nulli fuerunt umquam peccatores divina ultione digniores. Deus irritatus est; illius ira, & indignatio contra infidelem hunc populum irritatur; sed ejus bonitas, & misericordia magis adhuc elucet, quam illius iracundia. *Dimitte me*, dicit ille Moysi, *ut irascatur furor meus*. Si vellet irasci, nequaquam diceret Moysi, *dimitte me*; irasceretur, puniret, exterminaret. Cur prævertit servum suum, nisi eum admoniturus, ut precibus sibi ille auferat arma? *Dimitte me*. Moyses Deo non obstitit umquam, sed optat Deus, ut ille sibi resistat. Moyses nondum illum precabatur, ut parceret; sed timet Deus, ut Moyses criminis atrocitatem detestatus preces non addat, ac se in nocentes sinat desævire. Deus agit tamquam Pater bonus, qui ægre fert, ubi videt se adigi ad necessitatem nocentem filium puniendi; qui dum magis fervet ira, cupit, ut inter se, filiumque suum aliquis intercedat, sibique virgam extorqueat, quam ad illum puniendum distrinxerat, ut auctoritate gravis vir pro improbo filio intercedat, eique aliquam præbeat causam, quam veniæ reo concedendæ prætexat. Ita Deus in peccatores operatur. *Dimitte me ut irascatur furor meus*. Vult preces Moysis esse tamquam validum brachium, quod Dei manum ad feriendum pronam detineat; vel potius inspirat, & in Moysis corde format eas preces, quibus cedere vult: misericordia Dei pugnante, ut ita dicam, cum ejusdem Justitia effectusque hujus inhibente. Hoc in sensu, Patres inquiunt, Deus vehementer clamat, & tamen edit strepitum, cum minitatur. Inducit Prophetam suum dicentem quod Deus arcum suum tendit, quod acuit sagittas suas, quod illius ira inflammatur, & jamjam eruptura est. Qui tantum strepitum edit, hic sane non vult grave damnum inferre. *Dimitte me, ut irascatur furor meus. Dimitte me*; hæc Sanctissimæ Virgini, quæ peccatorum refugium est, & patrona, hæc Sanctis Angelis Custodibus, qui sua interesse putant salutem eorum, quorum sibi cura demandata fuit; hæc Sanctis Protectoribus, quo valide pro peccatoribus intercedere possunt; Hæc dicere videtur Deus: *Dimitte me*, ut parcendi causam habeam. *Ascetica Exercitationes Patris Croiset Tomo secundo*.

Numquam ex hoc infelicitatis statu egressi fuissemus nisi per misericordiam suam, Dei Filius nos liberasset. Ipse divinæ satisfecit justitiæ pro sceleribus nostris; ipse nobis eas gratias obtinuit, quæ sunt conversionis nostræ nostrorumque bonorum operum principium; ipse nos fecit corporis sui membra. Ut coram Deo prodire possimus, ipse tegit imperfectionem justitiæ nostræ, sua perfectione, alioquin enim peccata, quæ indesinenter committimus, imperfectio, quæ in optimis actionibus nostris reperitur, nostri cordis impuritas, nos indignos præberent, qui nosmet offerremus coram Deo, & qui ab eodem benigne admitteremur. *Annus Evangelicus Lambert Tomo* 1.

Quænam validior fingi potest ratio, ut peccator ad conversionem agatur, hac Dei patientia? Bonitas Dei, Sanctus Paulus ait, nos ad pœnitentiam ingrediendam sollicitat. Quoties dæmones magis impatientes, quam Servi Patris Familias Deo dicunt; visne eamus ad hoc lolium colligendum: Sed patiens hic Deus illos expectare jubet usque ad messem, ut liqueat utrum mala gramina in frugiferas plantas valeant immutari? Peccatores quisnam ille est, qui vos expectat? Deus, quem læditis, Omnipotens Deus, Deus qui flatu uno vos redigere potest in cinerea. Creatura deserit Creatorem, & Creator requirit Creaturam. Hæc bonitas si bene intelligatur nonne flectere deberet durissima corda? Intelligi nequit; quomodo humani cordis durities eousque procedere valeat, ut tantæ huic misericordiæ non cedat. *Idem Tomo* 1.

Cavendum ne misericordia abutamur.

Jesus Christus est Agnus Dei, quia pro Dei

gloria immolatur. Nec minus Agnus est nobis propter mansuetudinem atque patientiam. Qua bonitate nostras sustinet infirmitates? Nonne scelera nostra dissimulat? Nonne suffert ingratitudinem nostram? Qua facilitate nobis dimittit injurias, quas illi fortasse quotidie inferimus? Sed cavendum est nobis ne nimis
Apoc. c. 5. diu hac misericordia abutamur. Agnus quidem Dei est, sed simul est Leo Juda. Lenitas illius fortasse non multo post in indignationem, furoremque mutanda
Rom. 2. est. Ne contemnas ergo, Sanctus Paulus ait, divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis ejus. Memento, quod Dei bonitas te ad lenitatem adducit, & quod ob hunc tantummodo finem hactenus peccata tua dissimulavit. Si differs adhuc sequi illecebras misericordiæ ipsius, cave ne sibi sustinendum sit omne pondus & misericordiæ contemptæ, & irritatæ justitiæ. Ne patiaris, Salvator amabilis, me ita divitias bonitatis tuæ in iræ thesaurum immutare per duritiem cordis rebellis, atque impœnitentis. Fac illud voci tuæ docilem misque gratum beneficiis, ut vera pœnitentia incessanter tuam leniat justitiam. *Pater la Neuville primo Ethicæ Tomo.*

MODESTIA.

Compositus oris habitus. Immodestia.

MONITUM.



RO externo oris habitu composito nihil præter modestiam intelligo: sed cum hoc modestiæ nomen pluribus conveniat argumentis, de quibus jam verba fecimus, vel deinde facienda sunt: operæ pretium est, re adhuc integra eos cancellos statuere, intra quos præsens hoc argumentum contineatur. Hic igitur locuturi sumus de exteriori modestia, quatenus ex interiori principio ad virtutem composito proficiscitur; sine quo neque esse potest ethica, neque christiana virtus, sed vel hypocrisis, vel ipsius naturæ effectus. De vestium modestia, atque immodestia alibi recurret sermo, ubi etiam de virtute, quæ nimiam eorum pompam, & apparatum moderatur, qui in insigni aliquo gradu constituti refulgent; quæ & ipsa modestia appellatur. Locuti quoque sumus de interiori modestia, quatenus cum humilitate confunditur, quæ ob generis, fortunæque bona minime inflatur. Reliquum igitur est, ut hoc in loco de exteriori agamus modestia, quæ in eo sita est, ut gestus, omnesque corporis motus, verba, & actiones moderetur.

Verum quidem est hoc argumentum, aptius apud cœnobitas, vel in cœtu eorum, qui pietatem profitentur, quam magna in populi concione pertractari, quamobrem perpaucos Concionatores invenerit, qui hac de re integros sermones ediderint: sed cum virtus hæc aliter sit exercenda pro statu, ordine, ætate, sexu, & conditione singulorum; & hæc illa sit virtus, quæ statim oculos perstringit, & peccatorum corda potest attingere, hujus argumenti sermo quibusdam in locis, & occasionibus potest plurimum, procul dubio, fidelium pietati conferre; præterquamquod cum immodestia oppositum huic virtuti vitium illis scandalum possit adferre, alterum ab altero non est sejungendum, & hoc pacto argumentum licet nimis arctum videatur, non erit ita sterile, ut illis videtur, qui illius latitudinem, & utilitatem satis non considerant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. Ostquam viam tibi straveris ostendens, in quo modestia, quam Apostolus ad Philip. 4. in Christianis requirit, consistat, atque pro themate hæc protuleris verba: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus:* pro sermonis argumento, atque partitione duplicem hanc assumere causam possumus, quæ nos ad virtutem hanc exercendam impellunt, & quæ ab ipso Apostolo suggeruntur. 1. Necessitas, qua fidelis Deum glorificare tenetur, quod per ipsam modestiam, præter cæteras rationes, præstare possumus. 2. Necessitas ædificandi proximum, eumque ad virtutem traducendi, quod per modestiam mirum in modum obtinemus.

Ratio prior, quæ nos modestiam servare jubet, est ut Deum glorificemus, eique honorem deferamus: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* 1. Corinth. 6. Cum Deus creata quælibet propter sui nominis gloriam effinxerit, inter cætera homo huic satisfacere debet officio, utpote qui præ cæteris divinis cumulatus fuit beneficiis: ideoque hoc Deus expetit longe alia ratione, quam ab aliis exposcat; 1. Quia licet ille spectet, ac præsertim cor hominis, interioremque cultum efflagitet, vult tamen veros fideles compositum oris habitum præseferre, atque externam tueri modestiam, quæ nomini respondeat filiorum Dei, & servorum supremi hujus Domini, qui pompis, vanitatibus, omnibusque inanibus mundi gaudiis abrenunciarunt; quod fieri nequit, nisi diligens servetur modestia in vestibus, pompa, verbis, gestibus, & quidquid ad exteriorem corporis speciem pertinet. Et ratio constat; quia ejusdem penitus sumus; toti ad illum spectamus, corpus simul & anima, exterior æque, ac interior pars; ideoque utrumque ad illius mandata est componendum. Hinc fit, quod quemadmodum si in homine exterior dumtaxat pars esset ad modestiam composita, quin ex interiori moderatione procederet, quæ illius esse debet principium, mera esset hypocrisis in oculis Dei execrabilis: ita immodestus corporis habitus, in vitæ ipsius ratione inordinatus, atque in agendi modis abnormis significat animum vel superbum, vel ambitiosum, vel incompositum, pietate vacuum, & christiano, quod gerit, nomine indignum: eodem præter propter pacto, quo in religione, si interiorem tantummodo cultum quæreremus, atque

illum

illum extrinsecus testatum facere negligeremus, cum hoc facere teneamur, locum praeberemus credendi, nos a fide jam defecisse: similiter affirmare possumus eum abdicasse christianam religionem, quam in Baptismate professus est, qui nullum servat modum in iis, quae ad exteriora pertinent officia, & ad rationes agendi Christiano homine dignas, propter nexum qui inter exteriorem, interioremque partem invenitur, propter quem alterum ex altero infertur. 2. Modestia non postrema ex iis rationibus est, quibus Deum glorificamus; quia hoc pacto nosmet praebemus Incarnato Verbo similes, quod, ut S. Paulus ait, est splendor gloriae, & cui in omnibus vitae suae actionibus non alia fuit mens, quam aeternum Patrem suum glorificandi. At modestia exteriori habitu, agendique ratione similes nos efficit huic humani generis reparatori; haec enim illi majorem admirationem conciliabat, haec plures asseclas merebatur, haec eorum omnium, qui ad ipsum accedebant, existimationem, atque confidentiam excitabat, atque ut verbo me expediam, haec caeterarum virtutum una maxime in eo fulgebat, & ut S. Hieronymus ait, divinitatis personae ipsius erat testimonium. In hoc autem fideli, facilius imitari potest Jesum Christum, quem sibi rebus in omnibus proponere debet veluti exemplar; reliquae enim virtutes, humilitas, charitas, patientia non videri possunt nisi per modestiam, quae totius mundi oculis patet. 3. Modestia nostra praestantissima ratio est glorificandi, colendique Deum; etenim quemadmodum idem S. Paulus testatur, nos sumus Jesu Christi membra; membra videlicet mystici ejusdem corporis, quae idcirco exhibere tenentur corpus illius naturale modestia, quae in sensuum omnium, facultatum, omniumque corporis nostri motuum ordinata compositione consistere debet; ita ut obtutus nostri modesti, verba, gestus, mores ad Jesu Christi exemplar composita sint, & quilibet dicere possit cum S. Paulo ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus*. Spiritus ejus me animat, hic est veluti anima corporis mei. Hoc pacto nihil in nobis erit, quod non glorificet Deus &c. Ratio altera propter quam modestiam servare tenemur, est proximi aedificatio, ut adspectus externae speciei ad virtutem compositae illum magis excitet, ut glorificet Deum, eique serviat. Ideo vult Apostolus, ut extrinsecus se prodat modestia nostra, & sit mortalibus omnibus explorata. 1. Hinc enim bonam de nobis ipsis proximi opinionem concipient, de internis animi virtutibus ex modesta corporis compositione ferentes judicium; ideoque nobis habebunt fidem, atque monitis nostris aurem, & exemplis animum adhibebunt. 2. Haec efficacissima via est illos Deo lucrandi, ob oculos eorum exhibendo pulchritudinem virtutis, quae quodammodo in persona nostra sese visibilem praebet. 3. E contra vero nihil magis illis scandalum afferre potest nostra immodestia; nullum enim vitium est, quod se facilius communicet, atque contagione sua universum orbem inficiat.

II. Aliter efferri hic sermo potest pro argumento assumendo tres causas, quae nos ad virtutis exercitationem compellunt.

Prima est, propria virtutis hujus praestantia; licet enim officium illius, quod est exteriorem corporis habitum componere, minus spectabile videatur, est tamen certissimum argumentum interioris animi optime instituti; oritur enim ex affectuum omnium mortificatione, & supponit, omnes jam acquisitas fuisse virtutes, quibus decorem etiam, ac meritum tribuit. Haec ea virtus est, quae oculos hominum maxime captat, & caeteras quodammodo praebet inspiciendas.

Altera est, proximi utilitas, cui bonum debemus exemplum: at nihil illum melius aedificare potest, Deo lucrari, eique virtutis, ac pietatis amorem immittere, quam modestia.

Tertia est propria utilitas nostra. Nos & Deo, & hominibus charos efficit: Deo quidem, qui omnia operatur in pondere, & mensura; qui omnia suprema sapientia gubernat, & qui decorem rebus in omnibus servat: ad haec nos perfecte similes efficit Salvatori Mundi, qui prototypus est, ad quem omnes homines sese componere debent, & in quo nihil admirabilius enituit, quam modestia. Hominibus etiam nos jucundos facit, qui reverentur, & colunt eos, in quibus haec virtus elucet.

III. Quam necessaria modestia sit, ut christiana vita ducatur.

1. Prohibet, ne malum fiat, eo, quod in omnibus actionibus externam decoris speciem servari jubet, ne aliquid fiat, propter quod male audire possimus. Omnes peccati occasiones amovet, propter jugem eam vigilantiam, qua omnes sensus nostros tueri nos vult, & propter circumspectionem, quam in omnibus actionibus nostris requirit, ne quid incompositum videatur. Custos est puritatis cordis, & corporis prohibens ne quid alterutrum eorum polluat, decorum rebus in omnibus, omnibusque in occasionibus servans, & efficiens, ut externa species sit vera virtutis interioris imago.

2. Alterum Christianae vitae officium est virtutem colere; quod praestat modestia eo pacto, quod ipsi proprium est, & peculiare. Haec jugis est virtutis doctrina, muta quidem praedicatio, sed potens, & efficax, quae bonum suadet, illud duntaxat praeseferens. Haec tacita est flagitiosorum hominum correptio, quin aliquid eorum imminuat reverentiae, & quin illi se lacessitos arbitrari queant, eos pudore suffundit. Cum autem arctissimum habeat cum virtutibus omnibus vinculum, eas omnes quodammodo exercet, qui omnibus in actionibus modestiam colit, ita ut interior, exteriorque pars hominis sint perfecte ad virtutem compositae, atque eo in statu, in quo esse debent.

IV. Quemadmodum priscis Ecclesiae temporibus modestia nota erat, ac veluti character, quo fideles ab Ethnicis, Idolorumque cultoribus distinguebantur, haec eadem modestia hodierna die perfecti Christi fidelis est nota.

1. Quia simul est & effectus, & causa sanctitatis, quae Christianae religionis perfectionem constituit; videlicet certissimum acquisitae virtutis indicium; & efficacissimum ejusdem acquirendae subsidium. 2. Quia nihil validius est, ut aliis suadeatur; hoc est ut aliorum prohibeantur flagitia, ac illi ad Dei servitutem pertrahantur.

V. 1. Aestimatio; quae de hac virtute habenda est, ex qua ea omnis pendet aestimatio, quam de nobis Deus, & homines habent; quod enim ad Deum pertinet, potestne peculiari existimatione complecti illum, qui per exteriorem modestiam publice profitetur, se ipsius esse, sibi gloriae vertere, quod illi inserviat, qui hujus servitutis notas corpori suo quodammodo gerit inustas, quemadmodum Apostolus 1. Cor. 6. loquitur: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Nonne benigno intuetur oculo illum, qui semper coram se incedit, & omnia operatur, ut illi placeat, atque tantum timet, ne illum offendat, ut ne minimum quidam inordinatum gestum efficiat? Quod pertinet ad hominum existimationem, hoc satis liquet, non enim de meritis, virtutibusque nostris judicant nisi ex habitu corporis exteriori; cumque secreto virtutem habeant in pretio, facere nequeunt quo minus in pretio habeant eos, in quibus per modestiam externam satis elucet.

2. Fructus qui inde percipitur, tantus est, ut qui illum neglexerit, vel pravi momenti duxerit, praecipuam suam parvipendat utilitatem. Modestia enim nos jubet vita frugi, atque composito oris habitu bonam fovere opinionem, quae de nobis percrebuit. Efficit, ut ea evitemus flagitia, quae ex sensuum licentia procedunt. Cohibet flagi-

flagitiosorum hominum impudentiam, eosque cogit ut intra obsequii, & officii fines sese coram nobis contineant. Haec viam nobis praebet Deum glorificandi, atque mortales omnes ad illius servitutem pertrahendi.

VI. 1. Necessitas modestiae exercendae, ut tamquam veri Christiani vivamus.

2. Quomodo exercenda sit, quo praesertim tempore, loco, occasionibus.

3. Viae illius acquirendae, atque servandae juxta cujuslibet statum, & conditionem.

VII. 1. Modestia virtus est omnis hominum conditionis, aetatis, sexus propria, estque status singulorum non secus ac personarum ornamentum.

2. Haec ratio est, qua civitates, familiae, communitates in recto ordine continentur; ac prohibetur, ne illuc morum labes obrepat.

3. Inde judicium de singulorum merito, & virtute fieri consuevit.

De immodestia cujuscumque generis.

VIII. 1. Immodestia ex vitiis omnibus unum magis honestos homines, & probos laedit, quia aeque & contra decorum, & contra bonos mores est.

2. Vitium est, quod prae ceteris majus scandalum adfert, quia sese facilius communicat, & exemplum habet magis periculosum.

3. Ab hoc vitio nobis minus cavemus; putamus quippe leve esse, & nullius momenti.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

SS. Patres. SAnctus Ambrosius, *lib.* 1. *c.* 18. *Offic.* eximia tradit modestiae praecepta, praesertim vero adolescentibus.

S. Hieronymus de hac re sermonem habet Epistola 45.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. de moderat. in disputat. servanda*, modestiae regulas hujusmodi in occasionibus servandas praescribit.

Idem *contra Julianum* describit immodestiam, quae in hoc Principe deprehendit, cum puer adhuc studeret Athenis, & quid jam inde ominatus fuerit.

Idem *orat. de infantibus mature abreptis* de hac virtute loquitur.

S. Basilius *Epist. ad Canon.* docet quam rara sit haec virtus, & quomodo servanda sit.

Idem *in serm. de Ascens.*

Idem *in regul. fusius disput.* docet in quo consistat modestia eorum, qui pietatem profitentur.

Idem *Epist.* 1. *ad Greg. Theolog.* docet quaenam in incessu, gestu, totoque habitu corporis gravitas illum deceat.

S. Prosper *l.* 3. *c.* 19. *de vita contempl.* docet in quo potissimum servanda sit modestia.

S. Chrysostomus in tractatu, qui inscribitur; *quod foemina viris cohabitare non debent*, amplam habet modestae Virginis descriptionem.

S. Bernardus in vita S. Malachiae fusius loquitur de admirabili viri hujus modestia, eumque virtutis hujus exemplar proponit.

Idem *Epist.* 113. hanc ipsam virtutem peculiariter commendat.

Idem *De ordine vitae, & morum constit.* eximias tradit modestiae regulas.

S. Isidorus Pelusiota 1. 2. Epist. 1. docet modestiam validam esse adhortationem virtutis intuentibus illam.

S. Laurentius Justinianus *de Discipl. monast.* docet fidelium modestiam imitari debere eam, quae coram terrae Principibus servatur.

Sanctus Anselmus *in med. c.* 5. ostendit, membra nostra cum sint membra Jesu Christi a nobis ita esse componenda, ut illum minime dedeceant.

Sanctus Thomas in libris, quos edidit de Principum educatione quintum insumit de modestia, & iis, quae ad exteriorem oris habitum pertinent, verba faciens.

S. Vincentius Ferrerius *De vita spirit. c.* 5. docet iis, qui vere Deo servire volunt, omnes gustus, & actiones ad virtutem esse componendas.

Granatensis in Duce peccatorum c. 15. §. 1. Ascetici, aliique.

Alphonsus Rodriguez parte secunda Tractatu secundo,

P. *Saint jure* lib. 3. de Cognitione, & amore Jesu Christi sect. 38.

Nicolaus Lancicius *Opusc.* 2.

Julius Tatius *de mortif. c.* 20.

Bernardinus Rossignolus *l.* 5. *de discipl. c.* 38.

Joannes Pelecius *lib.* 3. *de offic. Relig. cap.* 16. *& a cap.* 20. *ad* 34. quidquid ad hoc argumentum spectat, fuse pertractat.

P. Haineuve in praxi ordinis vitae, & morum, sermone 38. prolixius hac de re verba facit.

P. Suffren, tomo 1. Anni Christiani peculiarem habet tractatum de modestia.

P. Le Moine integrum edidit librum ubi de omnibus virtutis hujus speciebus, omnibusque rebus loquitur, ubi potest exerceri.

Jacobus Alvares l. 3. parte 2. c. 9. §. 14.

Dandinus *in Ethicis Sacris lib.* 31.

P. Gaudier *lib. de natura, & statibus perfectionis cap.* 18.

Leonardus Lessius *de Justitia, & jure lib.* 4. *cap.* 4.

P. Theophilus Renaud. *lib. de virtutibus, & vitiis*, lib. 6. cap. 12.

Liber, cui titulus; Vita Virginalis c. 20.

Gobinet parte 4. de Adolescentiae institutione.

Plures etiam prophani auctores de modestia locuti sunt, & admodum utiles regulas tradidere, puta Seneca, Plutarchus, Theophrastus, Cicero &c.

Pauci Concionatores de hoc argumento locuti sunt, & vix unum, & alterum reperi, qui de industria hujus argumenti sermonem ediderint. Recentes Concionatores.

Pean Tomo 2. Spiritualium sermonum, sermone undecimo.

Auctor sermonum in omnia Ethicae Christianae argumenta, in argumentis particularibus tomo quarto.

Granatensis in locis communibus. Titulo *Modestia*. Qui collectanea ediderunt.

Bosaeus in Panario titulo *Immodestia*.

Drexelius in Rosis.

Geraldus. Tomo 1. de virtutibus: titulo *Modestia*.

Lohner, Biblioth. Manual. titulo *Modestia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

HOmo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat. Proverb. 6.

Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correctio. Proverb. 29.

Finis modestiae timor Domini, divitiae & gloria & vita. Proverb. 22.

In facie prudenti lucet sapientia. Proverb. 17.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. Eccli. 8.

Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. Eccli. 13.

Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Eccli. 19.

Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Ibidem.

Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacite ridebit. Eccli. 21.

Pro

Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem earum, & crinem earum nudabit. Isaiæ 3.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5.

Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. Corinth. 6.

Omnia honeste, & secundum ordinem fiant. 1. ad Corinth. 14.

Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 1. ad Corinth. 4.

Rogamus vos, fratres, ut quieti sitis, & honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. 1. ad Thessalon. 4.

Induite vos sicut electi Dei, humilitatem, modestiam, patientiam. Ad Coloss. 3.

Obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi. 2. Ad Corinth. 10.

Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Ad Philipp. 4.

Quæ desursum est sapientia, pudica est, modesta, suadibilis, bonis consentiens. Jacobi 3.

Cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. 1. Petri c. 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Modestia S. Job in oculorum custodia.

QUid innuebat Sanctus Job, cum suam probaturus innocentiam adversus eos, qui arbitrari non poterant ipsum scelere aliquo obstrictum non esse, quandoquidem illum tot malis affectum intuebantur, palam profitebatur, omnes obtutus suos modestos fuisse, ac se pactum cum oculis suis percussisse, ne aciem in aliquod objectum converterent, quod cor illius posset polluere? nonne videtur potius pactum hoc cum ipso corde percutiendum esse; quod immediata est omnium impurarum, ac nocentium cogitationum origo, ut ipse docet Jesus Christus in Evangelio. Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ.* At Sanctus Gregorius affirmat nos a sancto hoc viro edoceri, custodiam oculorum; in qua modestia potissimum exercenda est, omnino esse necessariam ad cordis integritatem tuendam; oculi enim corrumpunt affectiones nostras, atque ad periculosorum objectorum intuitum turpes cient passiones, ita ut ad animæ motus regendos, initium ducendum sit a sensuum exteriorum regimine; oculorum vero præsertim, qui primi omnium cor ipsum corrumpunt. Itaque hoc primum est modestiæ officium, hoc præcipuum illius munus, & hoc primum documentum, quod Sancti tradere consueverint, utpote quod maxime necessarium est, atque utilissimum.

Sancti Patriarchæ Joseph modestia.

Si Scriptura nihil peculiariter memorat de Josephi Patriarchæ modestia, hoc inde factum est, Sanctus Ambrosius inquit, quod omnes vitæ illius actiones, verba omnia, & quidquid in eo videbatur, juge erat virtutis hujus documentum. Hæc illi a puero parentis optimi conciliavit benevolentiam. Hæc in illum fratrum convertit odia; tanto enim horrore detestatus est pessimum crimen, quod illos patrare conspexerat, ut patrem de eodem a se admonendum censuerit. Et ratio, qua in domo Putipharis se gessit, satis probat, quantopere hæc virtus illi cordi esset: sed modestia hæc, cui comes accesserat prudentia singularis, Pharaonis cor ita captivavit, ut in eo penitus confideret, omnesque regni sui curas illi demandaret.

Modestia Judith.

Judith, cujus insignis modestia fuit, qua viduitatis suæ tempore vixit, virtutis hujus regulas, legesque nequaquam perfregit, lætitiæ vestibus se ornans, omnemque muliebrem adhibens mundum, qui naturalem oris speciem magis commendare posset, eique recentem decorem afferre. Etenim ejus consilium, & mens, quam eidem immiserat Dominus, hæc omnia probabat, quæ immodestiæ nomine, ac vanitatis eo in sexu familiarissimæ redarguenda fuissent, nisi adfuisset intentionis hujus æquitas, quæ ex scripturarum testimonio omne attulit condimentum, quod necessarium erat, incessui, formæ, gestibus, atque ornamentorum nitori, ut in se totius exercitus Holofernis oculos, & admirationem converteret, & ut insignem victoriam reportaret, qua imperatoris capite obtruncato infidelem delevit exercitum.

Immodestia Dinæ filiæ Jacob.

Omnibus audita sæculis hæc fuit querela, adolescentulas ejus sexus, cujus pulcherrimum ornamentum modestia est, æque esse liberas, procaces, emancipatas, curiosas, atque ut omnia uno verbo complectar, parum adeo modestas, ut idem periculum subeant, vel saltem sese eidem objiciant discrimini, ac immodesta Dina Sancti Patriarchæ Jacob filia, quæ quindecim annos nata, cum sola, sine comite, ac facultate paterna domo esset egressa, acta curiositate videndi choreas, & festos dies filiarum Sichem, atque vicissim ut videretur, omnia eidem male cesserunt. Ipsa enim illico vi facta rapta fuit, & propter illam populus integer fuit internecione deletus. Historia hæc adeo luctuosa, & funesta deberet profecto virgunculas in officio magis continere, easque docere ut magis essent modestæ, verecundæ, circumspectæ, neque hanc, quam solent, oris habitu licentiam præseferrent, neque assuescerent hilaritati, atque procacitati, quæ ex diametro adversatur modestiæ, quæ una maxime earum sexum, ætatemque decet.

Immodestia filiarũ Sion, de qua Isaias Propheta loquitur.

Isaias Propheta contra filiarum Sion immodestiam declamans, describere videtur plerasque temporis hujus virgines, atque mulieres. Videntur, ait ille, per compita incedere magnificis ornatæ vestibus, erecto capite, superbo gradu, oculos circumferentes, caudatas trahentes tunicas, gestu, & oris habitu prorsus immodesto; & quod magis adhuc modestiæ oppositum est, ea nuditate, quæ ad scandalum usque procedit. Audite, Propheta ait, quid cogitet Deus de hisce mulieribus verecundia, & modestia carentibus, & quomodo illas excipiet aliquando. Postquam ejus justitia tota hac exteriori magnificentia illas exuerit, omnemque abstulerit hanc vanitatis pompam, capilli quidem fictitii mittentur in ignem, proprii vero radicitus evellentur. Uniones, muliebris mundus, ornamenta, quæ earum superbiam, atque immodestiam adaugent, auferentur illis, & pro his odoribus, & unguentis, terribilis circum eas fœtor erit. Hoc pacto Propheta nobis exhibet immodestas adolescentulas, atque mulieres, quæ præ timore, ac terrore contremiscere deberent, judicium adeo severum, ac formidabile expectantes.

De Salvatoris nostri modestia.

Cum fideles perfecti esse debent Jesu Christi imitatores, omnes contendere debent nervos, ut eidem rebus in omnibus similes fiant. At si ullam virtutem constanter, omnibusque in occasionibus Jesus Christus exercuit, hæc sane modestia fuit, qua illi omnes, quibus ad eum accedendi beata contigerat sors, alliciebantur; ita ut S. Paulus Corinthi fideles per Jesu Christi modestiam, cujus recens adhuc erat memoria, obtestaretur. Hoc profecto jucundissimum erat speculum videre illud duodecim annos natum cum legis Doctoribus disputantem, interrogantem illos, atque incomparabili modestia illis respondentem. Qui sermonibus ejus aderant, dum concionem haberet ad populum, non tantum eam admirabantur venustatem, qua loquebatur.

tur, quam ipsas cœlestes veritates, quas annuntiabat. Qui illius colloquio frui poterant, nonne inde recedebant illius modestia, ac suavitate illecti? Et quodcumque ille faceret, seu conviviis invitatus accumberet, seu aliquem inviseret, seu afflictis afferret solatium, seu peccatores ad pœnitentiam revocaret, seu curaret infirmos, seu miraculum aliquod operaretur; in tanta actionum varietate semper divina, semperque admirabilis illius erat misericordia.

Modestia Sanctissimæ Virginis Deiparæ. Virtus hæc præ cæteris gloriosa Dei genitricem commendavit: ita de illa S. Ambrosius loquitur capite 18. libri primi de Officiis. Sola erat in cubiculo, cum fuit ab Angelo salutata: visitationis hujus novitas eam perturbavit; pudor, & modestia illius excanduit, ubi vidit imaginem viri, & aliquantisper hæsit, & obmutuit: licet enim profundæ humilitatis esset, Angelum non salutavit, neque cum illo locuta est, antequam intelligeret se a Deo electam fuisse in matrem illius, qui universum humanum genus erat reparaturus. Ut hoc mysterium cognosceret, cum reverentia suas proposuit dubitationes, & pari modestia sese divinæ voluntati subjecit. Doctor idem in c. 1. Luc. illam tamquam absolutissimum modestiæ exemplar Virginibus omnibus proponit. Discite, ait, ex moribus, & modestia, quæ in illius persona, totaque vitæ ratione refulsit, quomodo vosmet gerere debeatis. Discite quoque ex illius pudore, virginum esse ad omnem virorum contremiscere adspectum. Contendant igitur mulieres omnes, sese ad modestiæ, & verecundiæ illius exempla conformare: Illa sola erat in cubiculo; Angelus eam in solitudine invenit; nulla erat socia, vel testis, orationi vacabat, & si locuta est, cum Angelo tantum est locuta.

Exemplū Apostolorum, & Discipulorū Salvatoris. Apostoli, & Discipuli Salvatoris, qui incarnatum viderant Verbum, qui cum eo consueverant, & qui testes fuerant modestiæ, quæ omnia illius verba, factaque comitabatur, se ad divinum hoc exemplar composuerunt, primosque fideles docuerunt, ut eodem pacto sese gererent proximum ædificaturi. Hinc Tertullianus ducentis post illud tempus annis dixit, fidelem inter centum Idolorum cultores agnosci consuevisse ex quibusdam indiciis, quæ fallere numquam poterant, & Minutius Felix ipso Tertulliano vetustior, in Octav. credidit se debere Ethnicis hunc errorem auferre, qui arbitrabantur signa hæc, & indicia corporibus fidelium esse inusta, atque asserere, ideo agnitos fuisse, quia in ore eorum, gestibus, totoque habitu corporis serio, & ad gravitatem composito modestia elucebat. *Non notaculo corporis, ait ille, sed innocentia, & modestia signo Christiani dignoscimur.*

S. Paulus virtutem hanc exercebat, eamque etiam, atque etiā primis fidelibus commendabat. Non satis fuit Sancto Paulo sæpe virtutem hanc commendare, illam etiam in omnibus actionibus suis præseferre studebat, licet ferventi esset ingenio, ideoque intra accuratæ modestiæ cancellos difficilius se contineret. Quod non prohibet, quo minus de se ipso loquens dicat: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus; videlicet se loqui, agere, conversari, perinde ac ipse esset Jesus Christus, & divinus hic Salvator esset omnium actionum, omniumque motuum non animæ solum, verum etiam corporis ejusdem principium. Hoc ipsum iis suadebat, qui ab ipso erudiebantur: *Induite vos sicut electi Dei, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*; ad Colos. 3. In Dei nomine, ajebat ille, ita vivite, ut singuli pro Jesu Christo haberi possitis, moribus ejusdem simillimos habentes mores, & ut per sanctum vivendi genus reviviscat in vobis, spiritus ejus animet vestrum, sed modestia illius in corpore vestro refulgeat: induimini illi tamquam pretiosissimo ornatu, quo decorati possitis. Ex ore vestro non alia prodeant verba, quam Jesu Christi: nihil faciatis, quod ille non fecerit; præsertim vero modestia vestra testimonium perhibeat, quod illius estis discipuli, & ex ejusdem schola estis egressi.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Cur præcipiat Apostolus, ut J.C. induamur. *INduimini Dominum Jesum Christum.* Ad Rom. 13. Hæc Apostoli verba, quibus Jesum Christum jubemur induere, modestiam magis, quam virtutes cæteras a nobis servandam significant; etenim ex omnibus Jesu Christi virtutibus modestia una omnium maxime oculis mortalium patebat, quibus addendum, modestiam in omnibus Jesu Christi actionibus, motibus, gestibusque enituisse. Micabat illa in ejus facie, & in oculis; nihilque in eo erat, ubi non enitesceret, & jure dicere possumus, ipsum totum fuisse justitiam. Hoc fortasse ob oculos S. Pauli versabatur, ideoque figura hac se uti posse credidit subjectum pro forma, ac virtute præditum pro ipsa virtute desumens; ita ut nos hortaturus, ut induamur modestiam, se majori cum emphasi hoc dicturum putaverint, si etiam atque etiam commendaret, ut Jesum Christum, qui modestiæ prototypus rebus in omnibus fuit, indueremur.

Quomodo glorificemus Deum per modestiam, & quid sit in corpore nostro portare Deum, ut Apostolus jubet. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* 1. ad Corinth. 6. Hæc quoque Apostoli est locutio: portare, & efficere, ut Deum omnes agnoscant, eique deserviant, quod glorificare Deum appellatur. Hoc autem efficaci, ac prorsus peculiari fit modo per modestiam; ita alios ad Dei cultum attrahimus; ita acquirimus auctoritatem, confidentiam nobis conciliamus, ac tandem illos ad virtutem, & sanctitatem impellimus; quod Apostolus vocat portare Deum in corpore suo, videlicet modesto oris habitu, qui virtutem, ac sanctitatem inspiret. Cum enim hæc virtus statim oculis objiciatur; ita efficit, ut melius agnoscatur, ac sublimiorem tradit virtutis ideam; atque majorem ad persuadendum vim habet, quam cæteræ. Ita exclamat Apostolus: glorificate Deum, & facite, ut omnibus in locis agnoscatur, ubi eritis, atque id tuto faciatis; illum quodammodo per modestiam in corpore vestro portare debetis. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

Quomodo gaudium, quod nobis suadet Apostolus cum modestia concordet. *Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ad Philipp. 4. Aliqua inesse videtur oppositio, vel saltem mysterium aliquod in hoc Apostoli consilio suadentis, ut modestiam servemus nunc maxime, cum nos ad gaudendum invitat. Subiti enim, atque inconsiderati lætitiæ motus nos sæpe rapiunt; & illi ipsi qui magis verecundi sunt, labuntur, ac vix, & ne vix quidem intra decori terminos sese continent. At enim, dices aliquis, nonne significare vult, cum virtutes reliquæ suum habent tempus, locumque suum, modestiam ita esse temporum, locorumque omnium, ut inter ipsa etiam elucescere debeat gaudia, quæ eidem esse videntur opposita? An potius innuit inter lætitiam, quæ a Deo est, & eam, quam in mundi hujus rebus inquirimus, hoc discriminis interesse, quod prior illa suavis est, modesta, & tranquilla, posterior vero sese effundit extrinsecus, atque sine modo, ac verecundia impudenter se prodit? Esto si lubet: Ego cum Sancto Chrysostomo censeo hanc fuisse mentem Apostoli nobis videlicet exteriorem, ac visibilem tribuendi notam, ex qua verus fidelis posset agnosci; notam vero hanc esse modestiam, quæ oritur ex interiori gaudio, animi tranquillitate, affectuum malacia, & pace cosciențiæ, gaudio, pace, tranquillitate, quæ per oris serenitatem, gestuum omnium moderationem, sensuum verecundiam, totiusque exterioris hominis compositionem in ipsum corpus effunditur.

Finis modestiæ, Sapiens inquit, est timor Dei. *Finis modestiæ timor Domini.* Proverb. 22. Ipse Spiritus Sanctus asserit, finem, & scopum modestiæ esse debere timorem Dei; re enim vera semper

per modum servare debemus propter divinæ majestatis reverentiam, coram qua vivimus, movemur, & sumus, ita ut ne minimum quidem motum edere valeamus, cujus Deus testis non sit; cumque oblectetur ille nos sanctos, perfectosque videns, defectus, nævique seu interiores illi sint, seu exteriores magis illi displicent, quam Pictori maculæ, quas videt offusas tabulæ omni cura, ac industria ab ipso elaboratæ. Præterquamquod si Principis, vel gravis alicujus viri conspectus nobis reverentiam injicit, & diligentissime cavemus ne aliquid nobis excidat indecorum, quo se læsum putare queat; quam modestiam servare nos decet coram terribili hac majestate, quæ nullibi non invenitur?

Cur jubet Apostolus modestiā nostram esse omnibus hominibus notam.

Sic luceat lux vestra coram hominibus. Matth. 5. *Et modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* De modestia prorsus oppositum dicendum est, ac de reliquis virtutibus, quas jubet Evangelium abscondi, ut Deo uni exploratæ sint, atque compertæ; vel quas saltem extrinsecus proferri vetat, ne aliqua subeat vanitas, & ostentatio, quæ earum meritum corrumpat; sed S. Paulus imperat, ut modestiam omnibus, si fieri possit, mortalibus notam faciamus. Undenam, amabo vos, hoc accidit discrimen? Hinc profecto, ut Sancti Patres putant, quia nihil hac virtute potentius est ad alios ad Dei servitutem pertrahendos, eorumque animis virtutis amorem injiciendum, *Glorificent Patrem vestrum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc pertinentes Argumentum.

IN omnibus moribus nostris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod deceat sanctitatem. August. in regul.

Sicut mollicultum, & infractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem, neque rusticum imitemur; effigies enim formæ disciplinæ, forma honestatis est. Ambrosius, lib. 1. de Offic. c. 18.

Motum natura informet, si quid in natura vitii est, industria emendat. Idem, ibidem.

In modestia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis, gratia, honestatis cura spectatur & quæritur. Idem, ibid.

Studium desit atque affectatio, sed motus sit tibi purus ac simplex. Idem, ibid.

Forma honestatis, & ornatus ad omnem actionem accommodatus. Idem, ibid.

Ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus; speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Idem, ibid. c. 19.

Pulchra est virtus verecundia, & suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. Idem, ibid.

Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem. Ibidem.

Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolescentes juvenesque maxime decet. Ibidem.

Non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam exquisitus. Ibid.

Speculum mentis facies, & taciti oculi fatentur arcana. Hieronymus Epist. ad Tur.

Quorum habitus, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Idem, Epist. ad Rustic.

Ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Greg. l. 2. Moral. c. 1.

Intus est custodia quæ servat exterius membra, qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Gregor. in Pastor. c. 24.

Studeamus modestiæ: nam studiis & exercitiis assimilatur anima, & qualia facis, talis formatur & figuratur. Basil. Sermon. de humilit.

Ubi Christus, modestia quoque est. Gregor. Nazianz. Epist. 193.

Habitus mentis in corporis motu cernitur; animi vox est corporis motus. Ambrosius, lib. 1. Offic. cap. 18.

Bona domus in ipso vestibulo debet agnosci. Idem, ibid.

Vitia ex occursu meo suffundo. Tertullian. de pallio.

Præcones quidam animi, compositi motus corporis. Greg. Nazianz. Epist. 131.

Sanctorum non tantum verba, sed etiam ipsi vultus spirituali gratia pleni sunt. Chrysost. Homil. 3. ad popul.

Exterioris hominis motu interioris status agnoscitur. Cassianus, lib. 12. Instit. c. 29.

Hilari omnes capiuntur vultu, tristem & truculentum refugiunt. Climac. Grad. 29.

Hæc est modestia & grata compositio, primum non circumferre huc & illuc oculos, sed quæ ante te sunt, intueri, neque vana & otiosa loqui, sed tantum necessaria. Dorotheus, Serm. 24.

Risus est vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians. Cassiodorus in Psalmos.

Nebulosa corporis compositio, & facies tenebris obscurata tristitiæ, devotionem ab animo recessisse significant. Bernard. Serm. de virt. obedient.

Quam pulchra, quam splendida gemma est verecundia, in vita & vultu adolescentis! quam vera & minime dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index! Idem, Serm. 86. in Cant.

Modestia virtutis amantes decet, & reliquas animi dotes exornat & illustrat. Isidorus Pelusiota.

Viri summa virtute præditi, etiamsi nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariore discipulos suos erudiunt. Idem, lib. 1. Epist. 1.

Sit in gestu tuo gravitas, in motu simplicitas, in incessu honestas. Idem, lib. 2. Soliloq.

Temperanda est etiam facies, & modificanda in gestu suo, ut nec proterve exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat, & rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Hugo Vict. lib. de discipl. monast.

Non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo, Christiani dignoscimur. Minutius Felix, in Octavio.

Conversemur quasi Dei templa, & Deum in nobis constet habitare. Cyprian. de Orat. Domin.

Plerisque, justi aspectus, admonitio correctionis est. Ambros. in Psalm. 118.

Teneamus eam, quæ totius vitæ ornatum attollit, modestiam. Idem lib. 1. Offic. c. 45.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum pertinens depromi possit.

MOdestia eo in sensu, quo isthic accipimus, virtus est temperantiæ subjecta, cujus etiam partem constituit: ejus officium est exteriorem hominis partem regere: videlicet moderari excessus, & corrigere defectus, qui in gestibus, motibus, totoque oris, & corporis habitu occurrunt; ita ut tota externa species sit ita composita, ut nihil adsit, quod cujusquam oculos lacessere valeat, & quidquid extrinsecus patet, statum, ac professionem nostram maxime deceat. Hanc virtutis hujus notionem adstruunt Theologi, præsertim vero omnes asceticæ vitæ magistri. *Definitio modestiæ.*

Vulgatum axioma est, ubicumque regulæ, mensuræque servandæ sint, necessarium esse, ut quædam sit virtus, quæ dirigat, extrema ad mediocritatem redigat, abscindat, quidquid superfluum est, & quidquid breve, producat; quæ singulis *Modestia est virtus.*

for-

formis justam extensionem tribuat, atque eam proportionem, quæ subjecto optime congruat. At fatentur omnes, gestum, vocem, oris habitum, actionem, corporis ornatum ex earum rerum esse numero, ubi non desunt extrema vitanda, & mediocritas eligenda, nec non modus servandus: oportet ergo virtutem esse, quæ hæc omnia dirigat, hoc est, cujus materies sit positura, incessus, vocis tonus, oculorum conjectus, & corporis motus, & formam, quam illa addit, esse ordinem, ac decorum, ut requirunt circumstantiæ personæ, rerum, loci, temporis, aliæque, ubi invenitur. Hinc sequitur 1. Varias esse illius regulas pro varietate, statuum, ætatum, conditionum, & professionis singulorum: 2. ubicumque modestia non adest, adesse posse artem, & disciplinam; nec non elegantiam, & scientiam; sed hanc artem fore luxus, & disciplinam prodigalitatis. Nihil ibi nisi excessus erit, & non solum nulla erit virtus; verum etiam nullum decorum erit, nihilque sapientiam redolebit.

Modestia esse potest virtus Christiana.

Modestia considerari potest vel tamquam virtus mere moralis, cui non alius sit finis, neque exercitatio alia, quam exteriorem corporis habitum regere, & nihil contra decorum efficere; vel tamquam virtus, quæ simul Christiana etiam est, cujus finis est gloria Dei, qui hoc pacto honoratur, ædificatio proximi, & nostra sanctificatio. Hoc autem in sensu illam consideramus, & Christianus quilibet eam debet exercere; & ad hanc referemus quidquid de virtute hac erit dicendum, quæ plurimis quidem levis momenti videtur; sed quæ numquam satis æstimari potest, quippe quæ cæteris quibuscumque recentem addit nitorem, & efficit, ut omnes actiones nostræ & Deo, & hominibus accidant perjucundæ.

Exterior modestia ab interiori proficiscitur a qua separari non potest.

Licet de exteriori tantum modestia hic nobis sit sermo, supponendum est tamen, illam ab interiori numquam separandam esse, sine qua virtus esse non potest, sed mera hypocrisis, humanus respectus; servilis timor, vel secretorum flagitiorum dissimulatio, quæ exteriori oris habitu ad virtutem composito alios celare contendimus. Itaque interior modestia, quæ in affectuum regimina sita est, propriè principium est exterioris, quæ ex eadem omne meritum haurit; affectus enim rationi, divinæque legi subjecti nullam habent amplius vim in corporibus, quæ bene composita sunt.

Nexus inter spiritum, & corpus inter hominem interiorem, & exteriore.

Liquido constat Christiani hominis sanctitatem, & perfectionem nequaquam positam esse in exteriori corporis habitu modesto, ac bene composito, sed in cordis puritate, & charitate, & amore Dei: verum neque negari potest, modestiam, ac verecundiam plurimum ad perfectionis acquisitionem conferre, ut vere sanctus, ac virtutibus præditus fias; etenim adeo arctum invenitur corpus inter, spiritumque vinculum, inter exteriorem, interioremque hominem, ut quidquid in altero est, statim alteri communicetur. Cum motus animi bene sunt instituti, plerumque ita & motus corporis sunt: quemadmodum a contra cum in motibus corporis aliqua perturbatio invenitur, non deest etiam in moribus animi. Quamobrem exterior modestia semper magnum est indicium atque argumentum interioris, non secus ac horologii acus certissimum indicium est compositi motus rotarum. Hac de causa homines habent in pretio, colunt, admirantur verecundiam, atque modestiam, quæ videtur extrinsecus, quia illinc semper argumentantur, intrinsecus virtutes latere.

Modestia non est solum studiosorum, qui Deo servire incipiunt.

Error est arbitrari, modestiam eos tantum decere, qui virtutis, ac pietatis studium ingrediuntur; qui profecto initium ducunt ex vestium, gestuum, verborumque reformatione, atque hoc pacto, se vitam prorsus recentem vivere, & virtutem palam profiteri, ostendunt: verum sancti prorsus aliud judicium serunt, qui uno ore sentiunt, constantem in iis omnibus, quæ ad exteriorem corporis habitum pertinent, modestiam, effectum æque ac indicium esse perfectæ, consummatæque virtutis; quæ ex interiori plenitudine, & copia sese effundit extrinsecus in omnes corporis motus, in sensus omnes, in omnes actiones, ita ut nihil in homine relinquat, quod sua careat perfectione. Hoc probatur tot Sanctorum exemplo, quorum modestia admirabilis virtutum, & sanctitatis eorumdem magnitudinem prodidit.

Modestia non solum est nota probitatis, & ornamentum virtutis, sed illius etiam custos est, ac præsidiū.

Etiamsi modestia, atque verecundia nequaquam tanti momenti esse pluribus videatur, persuasum nihilominus esse debet, illam non solum virtutis esse ornamentum, verum etiam necessariam esse ad illius tutelam, atque incolumitatem. Rationem adfert Sanctus Bonaventura; quemadmodum enim natura nullas producit arbores sine foliis, & sine cortice, quorum illa quidem ornamenta sunt, hic vero tutela; & quemadmodum nihil efformavit unquam cui non addiderit aliquid pro ejusdem ornatu, & præsidio; similiter gratia cujus operationes a natura non longe abludunt, sed quæ longe sunt perfectiores, interiorem in corde virtutem non gignit, quin addat externum etiam corporis habitum, de quo verba facimus. Modestia, & verecundia cortex est, qui medullam interiorem protegit; hæc custos est, atque præsidium internæ puritatis, pietatis, & innocentiæ; aufert externum hunc, ut ita dicam, corticem; reliqua brevi interibunt.

Externa modestia interiorem gignit collectionem, & vicissim.

Inde vero clarius innotescit, quantopere necessaria sit exterior modestia, quia mirum in modum prodest, ut nosmet interius colligamus, quemadmodum sese interius colligere causa est, ut extrinsecus effulgeat modestia; & dicere possumus alterum vicissim esse causam alterius; videlicet cum solida virtus intrinsecus latet, non deesse in motibus omnibus extrinsecus gravitatem, modestiam, & verecundiam; & modestiam hanc, quæ ex interiori pace atque humilitate proficiscitur producere, vel saltem tueri virtutem hanc, pietatem & humilitatem cordis mortificati. Quamobrem Sancti omnes illam semper necessariam esse ad sanctitatem acquirendam, atque tuendam censuerunt.

Occasiones exercendæ modestiæ non desunt unquam.

Cum de Christianis virtutibus acquirendis agitur, nequaquam illæ spectandæ sunt, quæ magis enitescunt, sed illæ quarum objecta sese frequentius offerunt, & quarum usus est quotidianus. Fatendum quidem est, fortitudinem, magnanimitatem, & magnificentiam egregias esse virtutes, atque admirationem afferre videntibus illas; at virtutum harum exercendarum occasiones non occurrunt quotidie. E contra vero modestia est omnium temporum, locorum, conditionum, atque personarum. Ubique igitur micare debet & jure affirmare possumus nullam esse virtutem, cujus usus magis late pateat. Inde vero colligitur quanti referat illam non negligere, quod sensus omnes dirigens, aufert peccandi occasiones, ideoque nostram tuetur innocentiam.

Quid sit decorum quod est objectum modestiæ.

Ut liqueat quanam in re decorum consistat, quod rebus in omnibus modestia respicit, meminisse opus est in objectix omnibus, quæ nostris sensibus accidunt, adesse quamdam illecebram, & nescio quem leporem, qui efficit, ut nobis placeant, & qui si desit, displicent, neque citra molestiam ea toleramus. Hæc autem illecebra, lepos hic nihil est aliud, quam proportio horum objectorum cum idea, quam de illorum perfectione concipimus, veluti graphice delineata tabella, ædificium, ubi partium symmetria diligentissime servata est, placent, & perjucunda sunt iis, qui pingendi, ædificandique gratias, veneresque cognoscant; quia non desunt ibi legitimæ proportiones, quas id genus opera exposcunt. Ita decor incessus, gestuum, omniumque motuum corporis nostri nihil est nisi lepos quidam videntibus illa placens, quia conformia sunt ideæ, quam omnes chordati viri conceperunt de ratione illa, qua agendum est, & qua in omnibus occasionibus mortales sese gerere debent, & quæ congruit cum statu nostro, sexu,

profes-

professione, ætate, loco, ubi sumus, actionibus, quas operamur, negotiis, quæ transigimus, & personis, cum quibus versamur; ita ut nihil in exteriori corporis habitu inveniatur, quod minime congruat cum idea, quæ habenda est de singulorum cujusque in suo statu, modestia.

Christianus domi quoque, ac privatim modestiâ debet exercere.

Fideli non satis esse debet modestum esse coram oculis hominum, nisi privatim quoque modestus fuerit. Regula hæc a spiritualibus Patribus traditur hanc adsentibus causam, quod, tunc solum modestos esse, cum videmur, ac metuendi locus adest, ne actiones nostræ observentur; vel noteniur, hypocrisis est, vel humanus respectus. Verecundi, modestique sumus, donec aliorum in nos conversi sunt oculi; timemus, ne existimationis jacturam subeamus, ne levitatis, stupiditatis, & immodestiæ nomine redarguamur: sed privatim modestos esse, ubi nullum virtutis nostræ testem habemus præter Deum, indicio est, nos hoc unum quærere quomodo illi placeamus, nosque uno tantum illius adspectu in officio contineri.

Immodestia vitium est, quod sese facile communicat.

Certum est nullum esse vitium, quod citius sese communicet, ac celerius sese offundat, quam immodestia: seu quod cum non æque turpe, flagitiosum, ac deforme sit, ac reliqua vitia, minorem adhibemus curam, ut ab eodem nobismet caveamus; seu quia cum plerique actus immodestiæ habeantur veluti lepores, ac veneres, nec non ingenii liberi, hilarisque argumenta, vel tamquam licentiæ, quæ a mundo probantur, & quas erga quosdam homines licere arbitrantur, omnia hæc prava exempla arripiuntur, eorumque labes semper contagionem late diffundit.

De impudentia quæ gravior est immodestia & perniciosissimum scandalum.

Si in terris gravius ullum daretur malum peccato, hoc impudentiam esse jure affirmaremus, quæ præterquamquod criminosissima est immodestia, peccatis aliis nequiorem ipso peccato communicat improbitatem. Etiamsi hæc una adesset infelicissima stupiditas, quæ hominibus & metum aufert, & verecundiam, eisque audaciam adfert infames actiones perpetrandi contra conscientiam, & honestatem, quas simul, & semel amittunt; hoc tamen sufficeret, ut impudentia vitium esse vitio ipso deterius ostenderetur. Itaque impudentiæ natura, ac proprium est, ut sit procax, & effrænis audacia nefarias actiones sine metu, ac pudore efficiendi, quemadmodum in quibusdam peccatoribus intuemur, qui propter libidines suas, scelerataque ostentationem, scandalum fiunt civitatum, & Provinciarum. Cum nihil reliquum est illis conscientiæ, aut virtutis, qua in officio contineantur, adeo impudentes sunt, Sanctus Augustinus ait, ut neque honestas, neque modestia illos valeat coercere: *Non frenat illos verecundia, quia pleni sunt impudentia*. Itaque impudentia non solum est vitium infame in specie sua particulari: sed ut ex propria ipsius distinguatur improbitate, protervium suam vitiis omnibus communicat; nisi enim adesset impudentia, vitium prodire erubesceret: omnia enim vitia natura sua infamia sunt, suamque fere sentiunt infamiam; quæ res tantum illis pavorem immittit, ut non audeant prodire cum ea, quam gerunt, turpitudine, atque deformitate, nisi impudentia gignat audaciam, atque effrenem procacitatem.

In quo differant modestia, & pudor.

Pudoris objectum est aversio ab iis omnibus externis rebus, quæ sunt castitati contrariæ; quas neque in se, neque in aliis pati potest. Modestia vero procul amovet quidquid in exteriori corporis specie indecorum est, veluti in oculorum conjectu, verbis, gestibus, indumentis, quorum immodestia signum, & effectus est mentis incompositæ. Hæ tamen virtutes duæ ita sibi similes sunt, ut sæpius confundantur, vel simul conjungantur, quippe quæ eosdem habent effectus: sed ut pressius loquamur, dicere oportet, modestiæ significationem latius patere, vel pudorem esse partem dumtaxat modestiæ, ita ut quidquid pudorem lædit, necessario lædat etiam modestiam, non tamen e contra quod modestiæ adversatur, hoc & pudori necessario adversari censendum est. Hoc liquido patet ex utriusque virtutis objecto. Si enim pudor longe amovet quælibet exteriora, quæ oriri possunt ex desideriis, & sensibus oppositis pietati, qualia sunt inhonesta verba, lascivi obtutus, licentiæ, quæ vel minimum quid officere possunt puritati; ambigi nequit modestiæ non esse, ab illis abstinere, eaque cane pejus, & angue evitare. At pudor non semper læditur incedendi immodestia, gestibus nimium vastis, verbis nimium asperis, aut vocis tono nimis elato, aliisque id genus defectibus, quæ urbanitati dumtaxat, ac decoro omnibus in rebus servando adversantur. Ita quemadmodum modestia pars est temperantiæ, pudor similiter pars est modestiæ.

Modestia sæpe in latiori desumitur sensu, & pro temperantia accipitur cujus tantummodo est pars.

Ea, quæ modestia regere, vel moderari tenetur, ex S. Thomæ, aliorumque Theologorum sententia, ad quatuor capita rediguntur, quæ totidem diversas virtutes efficiunt. Primum respicit motus spiritus ad excellentiam tendentes, uti sunt ambitio, superbia, vanagloria, qui motus reprimuntur, reguntur, cohibentur per humilitatis virtutem, quæ nonnumquam modestiæ nomine appellatur, sub quo tantum Ethnicis cognita fuit. Alterum respicit desideria scientiarum, & cognitionum, quæ sæpe nimis ardentia sunt, ac indigent moderatione; hæc autem desideria moderatur affectio, vel studium honestum oppositum curiositati. Tertium respicit exteriores actiones in ludis, atque solatiis, ut omnia honeste, ac decenter fiant, ut oportet, non secus ac in seriis, nec deest peculiaris virtus his quoque rebus præposita. Quartum denique respicit exteriores corporis motus, in quibus præsertim occupatur modestia tamquam virtus particularis. At quamquam proprie loquendo novissimum tantummodo obtineat locum inter partes temperantiæ; non ideo tamen virtus est minus excellens, minus necessaria, & quæ satis possit æstimari.

In decoro servando vitanda sunt extrema vitiosa tam excessus, quam defectus.

Quemadmodum Philosophi virtutes omnes in quadam mediocritate constituunt, ab extremis vitiosis æque distantes: ita ut modestus neque nimium levis esse debeat, neque gravis nimium in externo corporis habitu, nec nimis liber, neque cautus nimis in humanis cœtibus, neque nimis amator, neque inimicus nimis solatiorum; neque nimis negligens, neque adfectatus nimis in verbis, & gestibus: ideo S. Paulus primis fidelibus etiam, atque etiam commendans modestiam præcipit illis, *ut Omnia honeste, & secundum ordinem fiant*: 1. Cor. 14. & S. Augustinus lib. de vita beata modestiæ nomen a moderationis vocabulo deducens, addit ad hoc ut bene servetur, opus esse ne quid nimis fiat, & ne quid parum: *Modestia utique dicta est a modo; ubi autem modus est, nec plus quicquam, nec minus*.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Qua in pretio habenda sit modestia.

Cavendum est quam diligentissime, ne virtus hæc negligatur, vel contemnatur, vel ne humilis de eadem foveatur conceptus, eo quod exterior corporis habitus, in quo regendo occupatur, non est in aliqua virtute essentialis. Quemadmodum enim ipse effectus est, atque certissimum indicium, unde interiorem partem optime compositam esse intelligimus; simul etiam ab hominibus habetur in pretio, & eum, in quo reperitur, acceptum, & jucundum efficit in oculis Dei. Ipsa est in animo, non secus ac virtutes reliquæ, S. Petrus Apostolus in 1. ep. cap. 3. inquit, licet in exteriori corporis specie refulgeat. Non secus ac oris color elegans ex bono proficiscitur temperamento; ita modestus oris habitus, qualis cujusque statum docet, oritur ex anima bene instituta, ex qua in corpus resiliunt perfectæ valetudinis, qua gaudet,

indi-

indicia. Hæc virtus est, quæ in vulneribus nostris exhibet cæterarum virtutum lineamenta, quæ illas videndas præbet, licet sint spirituales; quæ efficit, ut in pretio habeantur, & perquirantur ab illis etiam, qui ab earum exercitatione maxime abhorrent, & quæ ex ipsis etiam peccatoribus confessionem extorquet, non deesse sibi illecebras, adversus quas se ipsos tueri non possunt. *P. Haineuve. De ordine parte tertia, sermone 39. qui totus est de modestia.*

Quam rara sit hæc virtus in mundo.

Audire satis est modestiæ nomen, quod ex moderatione fluit, ex Sancti Augustini sententia, ut quantum virtus hæc sit amabilis judicare possimus: verum satis est oculos conjicere in eam rationem, qua homines vivunt, ac in mundi commercio se gerunt, ut intelligamus nullam virtutem negligi magis hac, & nullam hac esse infrequentiorem. Etenim quotusquisque omnes illius regulas servat, eas etiam, quas decorum impensissime flagitat seu ratione locorum, in quibus sumus, seu personarum, qui nos considerant, & fortasse propius explorant? Plurimos quidem videbitis, qui compositum oris habitum servare non possunt, & qui non aliam habent posituram, quam ea, quam vel sors, vel libido illis tribuit: alios, quorum incompositus est corporis status, gestus inconditi, oris species morosa, vel etiam contemptrix, tale vero ingenium, ut ob rem quamlibet exasperentur, omnesque exasperent: alios demum, qui ut hilari videantur ingenio nimiam adfectant licentiam, sibi ea fas esse putant, quæ minime decent, æquivocis ludunt in verbis, & qui lætari non possunt, quin pudori officiant, atque modestiæ. Hoc in omnibus fere cœtibus mortalium videtur: ita ut modestia, qua olim fidelis ab Ethnico secernebatur, ab omni prorsus mundi consuetudine extorris, atque proscripta inter Claustra concessisse videatur. *Idem ex parte.*

Modestia quæ debet illius statui, ætati, & professioni conformis.

Quamvis modestia in omni personarum genere sit commendabilis, præsertim vero ab Apostolo fidelibus omnibus etiam, atque etiam commendetur; & modestia hæc nihil sit aliud, quam externus corporis habitus compositus ad rationem, & decori ideam, quam sapientes conceperunt, oblivisci tamen numquam debemus illam veram esse debere pro varietate sexus, ætatis, status, & professionis personarum, immo etiam locorum, rerum, temporum, eorum, quibuscum consuescimus, aliarumque circumstantiarum, alioquin ipsum etiam decorum violatur. Etenim deceretne magistratum, ac prætextatum virum incedere, loqui, & agere, ut militem; militem vero æque gravem, & serium esse, ac prætextatum? Ecclesiasticum, vel cœnobitam eorum mores imitari, qui in mundi luce, & in aula versantur? Adolescentulum senis gravitatem affectare, & virum jam ætate provectiori sese tamquam adolescentulum gerere? Matrona immodestiæ nomine redargueretur, nisi aliam præseferret verecundiam, quam quæ virum decet. Oportet igitur, ut hæc virtus nostræ personæ, ætati, & conditioni se accommodet. Ad hæc attendenda insuper est ea, quæ transigitur, actio; quis enim ignorat majorem in ludo, quam in communi consuetudine non decedere licentiam, quandoquidem ideo luditur, ut mens a seriis occupationibus relaxetur? Quis ambigit, utrum oris specie, alioque vultu negotiis vacandum sit, quam cum amicis colloquendum; cum alienis gravius, quam cum familiaribus agendum; cum principibus viris aliter ac cum hominibus e vulgo sermonem habendum; & ut verbo me expediam, modestiam, & decorum cum Christianum, tum urbanum suos habere canones proprios locorum, temporum, personarum, & negotiorum, quæ varias agendi rationes exposcunt. *Idem.*

S. Ambrosii sensus de modestia.

Modestia, Sanctus hic Ecclesiæ Doctor ait, omnes actiones, ipsa etiam verba commendat, prohibetque ne plurima vel faciamus, vel dicamus, quæ audientes offendere possent. Sæpe verbum imprudenti elapsum cor aperit, & secretissimas etiam retegit cogitationes. Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cujusquam offendat aurem vox fortior. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus est verecundiæ actus: denique si aut infantiæ putatur, aut superbiæ, probro datur, si verecundiæ, laudi ducitur. Opus quoque est, ut omnis exterior corporis habitus, incessus, motus, gestus modestiam redoleant: externa quippe species animi statum ostendunt, & quamvis affectus lateant, hi tamen per exteriora signa se produnt. Utrum aliquis inconstans sit, superbus, ambitiosus, an sapiens, patiens, & cautus, facile deprehenditur; motus corporis est quædam vocis species ea retegens omnia, quæ in anima delitescunt. *Ex S. Ambrosio lib. 1. de Officiis cap. 18.*

Modestia in incessu servanda.

Sunt etiam qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium, ut quotiescumque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Nec in illis ergo tamquam effigies simulacrorum probo, neque in istis tamquam excursorum ruinas. Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen ut studium desit, atque affectatio, sed motus sit purus, & simplex. Nihil enim fucatum placet. *Idem.*

Modestia ætatum omnium, atque conditionum est.

Modestia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, & locis apta; tamen adolescentes, juvenilesque animos maxime decet. In omni autem servandum ætate, ut deceat, quod agas, & conveniat, & quadret sibi ordo vitæ suæ. Unde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro servari oportere: idque positum dicit in formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, quæ difficile, ait, loquendo explicari posse, & ideo satis esse intelligi. Verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet: ita tamen ut etiam ipse non sit adfectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expetitus, non pretiosis, & albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, & honestati, vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt; sed formam quamdam, & regulam, ac succum virilem reservans. Hoc est enim pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui, & personæ reddere, hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed ut molliculum, & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem, ac rusticum. Naturam imitemur. Ejus effigies formula disciplinæ, forma honestatis est. *Idem in capite sequenti.*

Modestia ædificat proximum, eumque lucratur Deo.

Liquido constat nulla re magis quam sapienti, modestoque oris habitu proximum ædificari posse; homines enim nihil nisi exteriorem speciem possunt intueri, quæ illos movet, & efficacius illos persuadet, quam verborum strepitus, ac tonitru. Et profecto corporis habitus humilis, atque mortificatus poculo pietatem, ac mundi contemptum suadet, illum ad peccatorum pœnitentiam ciet, ejusque cor, & desideria ad cœlestia evehit. Hæc muta est prædicatio, quæ sæpe majorem effectum obtinet, quam sermones magis diserti, atque sublimes. Ratio vero, propter quam modestia, atque exterior verecundia ita ædificat homines, & ab illis tanti æstimatur, ea est, quia inde semper optimas interiores virtutes argumentantur. Facies, Sancto Hieronymo teste, speculum est animæ, & oculi quantumvis muti illi sint, abditissima illius secreta produnt, nullum speculum est, quod melius exhibeat objecta, quam species oris exterior interiorem animum repræsentat. *Ex visu cognoscitur vir,* inquit Ecclesiasticus cap. 19. *& ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium*

pium & ingressus hominis enunciant de illo. Et Spiritus Sanctus loquens per os Sapientis, *Homo apostata*, inquit Prov. 6. *vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur*. Quemadmodum ergo incomposita facies signum est animum quoque esse inordinatum, ita exterior modestia signum est animi intrinsecus compositi; ideoque illa ut plurimum homines movet, atque ædificat. *Rodriguez tractatu de Modestia.*

Judicium quod protulit Sanct. Gregorius Nazianzenus de Juliano Apostata videns immodestum ejusdē corporis habitum.

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione prima contra Julianum Apostatam narrat, quod cum adhuc puer una cum eodem Athenis operam dedisset scientiis, jam tunc animo hanc opinionem imbuerat, futurum ut ille nequissimus esset Imperator, quia illius immodestiam, atque omnium corporis motuum inconcinnitatem perspexerat. Elato incedebat, ait, capite, indesinenter quassabat humeros, in singula momenta oculos circumferebat; torvum habebat intuitum, neque pedes in loco poterat continere. Nares subinde inflabat, vel remittebat in iracundiæ, atque contemptus indicium: sales, ineptosque jocos proferre gestiebat; in cachinnos immodice solutus erat; temere altero quidem momento negabat, quod concesserat altero, inordinate, & inconsulte loquebatur, importunas afferebat interrogationes, interrogatusque procul abs re abhorrentes responsiones reddebat. Illum ex his rebus jam tunc agnovi, antequam ex actionibus cognoscerem, quæ deinde conceptum de eodem judicium confirmarunt; quæ omnia ubi attentius consideratem coram pluribus amicis in hæc verba prorupi: Quale monstrum Romana civitas alit! *Idem.*

Periculosa mulierum consuetudo quæ se in tabula immodesto Oris habitu pingi volunt.

Si hodierna die mulieribus tantum inesset modestiæ, atque verecundiæ, quantum Reginæ Esther, quæ Ethnico, idolorumque cultori nupserat Regi, næ illæ quidem minime essent adeo sollicitæ, ut sese ostentarent immodesto corporis habitu, fuco, atque emendicatis coloribus, qui ad hoc unum prosunt, ut videlicet in lucem proferant superbiam, ac vanitatem, quibus mens earum plena est; præsertim vero nollent se in tabula coloribus exhiberi, ut nunc moris est, eo gestu, qui prorsus modestiæ, & pudori adversatur, ita ut videatur anima se ipsam sibi repræsentare, suasque cogitationes, & affectus palam ostendere. Si enim ex S. Basilii sententia anima formam induit externæ corporis speciei, dicere hic possumus sæpius externam speciem interiora animæ lineamenta, & characteres exhibere. Licet illæ ipsæ, quæ adeo immodestæ repræsentantur, reapse intus non essent, quales in imagine exhibentur; similes tamen quamprimum fiunt, & mira ordinis perturbatione, quin tabula imitetur prototypum, sæpe prototypus sese ad tabulæ colores conformat. At non solum imago efformatur secundum rem ipsam, quæ est illius imago; sed effectus etiam, quem hujusmodi tabulæ obtinent in iis, a quibus videntur, prototypi sunt infinita propemodum exemplaria ferentes; præsertim vero adolescentes, quorum spiritus adhuc est parum serius, funeste animas suas, externumque oris habitum pingunt secundum id genus prototypos, & nequissima eorum lineamenta mutuantur. Adde his, cum pictura vulgo naturales defectus corrigere, atque novas addere veneres consueverit, multo periculosior est, quam quidquid extat in prototypo. *Ex Auctore nupero.*

Modestia vitium est, quod præ cæteris contagione sua sit perniciosum.

Cum ex vitiis omnibus immodestia oculis maxime pateat, nullum vitium est, quod gravius scandalum, & periculosius afferre valeat exemplum. Quin immo vitia omnia, atque peccata quæ scandalum gignunt, ut plurimum contagionis, scandalique principium ab ipsa desumunt immodestia. Sine hac superbus talis non videretur, qualis est; illius timor intra cor ejusdem subsisteret, ejusque vanitates cum magnitudinis suæ phantasmatis, gloriæque chimeris in capite ipsius continerentur: sine hac impudici lues sese extrinsecus non effunderet, cumque generatim viæ omnes, per quas vitia egredi consueverant, essent obstructæ, homines hac in re saltem in tuto essent, ac nemini metuenda esset pravi exempli contagio, vel scandali ruina. Verborum igitur, gestuum, actionumque immodestia illa ex tenebris, quibus insepulta esse deberent, eruit, atque in externa corporis specie male composita tradit cognoscenda. *Pater le Moine in Tractatu de Modestia.*

De cordis perturbatione conjicitur ex ea, quæ in facie videtur.

Cum facies sit cordis index, quemadmodum qui horologium inspiciunt de rotarum composito, vel inordinato motu judicium ferunt ex indiciis motu composito, vel inordinato; ita de cordis tranquillitate, ac tumultu conjicimus ex oris serenitate, vel nubibus, uti liquet in ira, cæterisque affectibus, quæ certissime mutationem aliquam gignunt externo corporis habitu, statim ac esse inceperunt in corde. In faciem vero potissimum maxime prodeunt. At licet non alia suppeteret causa, celanda tamen esset ea turba, quam gignunt, & pro decoro, quod ubique servandum est, viribus omnibus adnitendum esset, ut facies serena videretur ab iis nubibus vacua, quas mœror, ira, tristitiaque offendunt modestiæ prorsus oppositæ, & quæ semper signa sunt interioris alicujus perturbationis, atque tumultus. *Idem.*

Elogium modestiæ.

Modestia est virtutis documentum: nonne hoc innuere voluit S. Hieronymus, ubi inquit, verba, gestus, ornatusque ipsos eorum, qui virtute præditi, modestique sunt, tot esse dogmata, atque axiomata, ut per oculos doceatur bonum ab hominibus exercendum? Nonne hoc in sensu Martyr S. Ignatius ait, modestiam publicam esse disciplinam? Sed Sanctus hic majori adhuc encomio modestiam celebrat, cum illam religionis disciplinam appellat; quocumque in sensu illam desumat, sive innuere velit, illam cum religione ortam, ejusque veluti pedissequam esse, seu tamquam mediatricem nos ad eamdem perducere: uterque titulus est æqualis dignitatis, ejusque meritum atque præstantiam confirmat. Illud vero majori est habendum in pretio, quod cum virtus sit, virtutem tribuit pulchritudini, quæ sine eadem semper est periculosa; cum sit sancta, sanctificat lepores ipsos, ita ut Deo placere possint; & hac in re toto cœlo abhorret a vanitate, quæ corpus exornans corrumpit animum, faciem sordibus animæ condecorat, & brevi duraturam pompam sibi in æternum supplicium convertit. *Idem.*

Dei præsentia omnes debet cohibere, ne sint immodesti.

Cogitatio Dei præsentis, ac nos ubique videntis non parum prodest ut semper modesti, & verecundi simus, & ne quid contra pudorem, atque decorum peccemus, vel ne quid admittamus, quod tenebrarum audiat licentiam: etenim pro illo semper dies est; atque homo in se ipso lucernam gestat, quæ ipsum latere, vel aliam personam induere non patitur, quæ, quidquid ille facit, aperit testi, qui semper explorat, actori, qui jugiter illum accusat, Judici, qui in errorem induci non potest. Fidelis, cui de veritate hac sit persuasum, se ubique oculis Dei patere, & quocumque in loco sit, & quodcumque agat ab eodem videri, potestne oblivisci reverentiæ, quam debet illi, atque verecundiam abjicere? Potestne modestiæ, & decori fines excedere? Si sola cogitatio videndi ab homine gravi, ac sapiente, flagitiosissimis etiam frænum esse potest; oculi Dei, quibus nulla nox est, quæ clara non sit, nullæ tenebræ, quæ non luceant, nullam in nobis potestatem habebunt? & adspectus illius, cui nihil est clausum, nihilque secretum nos in officio cohibere non poterit? *Idem.*

Ecclesiastici potiori jure modestiā servare tenentur.

Consideratio, qua Apostolus utitur, ut nobis modestiam suadeat, efficax est procul dubio; sed longe magis urget Ecclesiasticum, qui ad Deum propius accedit; & si mecum reputare volueritis, quot modis ad eum propius accedat, invenietis illi totidem specificis, & peculiaribus causis religiosiorem servandam esse modestiam. 1. Ecclesiastici sunt propria Domini hæreditas, & possessio. 2. Sunt

veluti

veluti pars interior Sanctuarii. 3. Sunt tamquam vox Jesu Christi; per illos loquitur, ac sensus explicat suos: verbu quemadmodum ad Deum propius accedunt statu, ministerio, ac peculiaribus magis expressæ similitudinis lineamentis, ita majorem præseferre modestiam, atque verecundiam tenentur. *Idem.*

Quænam modestiæ documenta, atque exempla adolescentibus debent ii, qui vel provectiori sunt ætate, vel aliqua pollent auctoritate? Nonne solo corporis habitu illos erudire, atque edocere; ad officium revocare, in eoque adspectu solo continere tenentur? Nonne tot illis regulas debent, quot gestus edunt, tot præcepta, quot proferunt verba? Nonne affirmare possumus vitia iis in civitatibus esse incorrigibilia, ubi qui magistratus obtinent, scandalum præbent; atque incurabilem esse iis in familiis licentiam, ubi domini omnem modestiam, atque verecundiam abjecerunt? *Idem.*

S. Paulus Corinthios per J. C. modestiam obtestabatur.

Sanctus Paulus in altera, quam ad Corinthios dedit, Epistola obtestationem adhibet, quæ postrema est, atque vehementissima patheticæ eloquentiæ figura: illud vero notandum est, quod non per charitatem, neque per misericordiam Jesu Christi; non per Crucem Sanguinemque illius, cujus virtutem fuerat toties expertus, obtestatur illos, sed per ejusdem modestiam, quam hoc in loco præfert charitati, & misericordiæ, & quam aptiorem animis commovendis putat ipsa Cruce, & Sanguine Redemptoris. Hæc autem modestia ad persuadendum olim adeo potens, & efficax hodiene vim, ac virtutem amisit? Numquid longa annorum serie infirmata est? Hodie ne adeo parum haberet roboris, adeo exiguo haberetur in pretio, ut Christianis modestiæ necessitatem persuadere non posset? *Idem.*

Modestia puritatis & innocentiæ custos.

Modestia, ex S. Ambrosii sententia, socia est, atque custos puritatis in utroque sexu: sicuti enim forma in cordibus concupiscentiæ flammas accendit, quæ non sine gravi labore Dei metu, atque æternarum veritatum cogitatione extinguitur; præsenti opus est amuleto, neque alterum efficacius potest inveniri quam modestia, quæ validissimum est contra illius virus antidotum, & quæ contra naturalem illius improbitatem duplicem habet effectum. Primus est, quod illius retundit jacula, & simul fulgorem auget; prohibet ne noceat, & recentem illi addit illecebram. Alter vero, quod validum est præsidium adversus quascumque oppugnationes, quibus tentari potest; etenim, ut Tertullianus ait, cum aliquis sapienter se gerit, & cum oris, corporisque habitum ad modestiam compositum præsefert, reverentiam inspirat, & frænat eorum audaciam, qui in aliquam erumpere vellent licentiam. *Auctor Anonymus.*

Quid consilii S. Hieronymus tribuat Demetriadi circa modestiã.

Sanctus Hieronymus sciens quam necessaria sit puellis ad morum innocentiam tuendam modestia, virgini Demetriadi, cujus salutis curam susceperat, suadebat, Ep. 8. ut mulierum hujus mundi, earumque puellarum quæ nimis liberæ, hilaresque erant, consuetudinem evitaret; eas sibi socias eligeret, quæ seriæ, modestæque essent, & quarum conversatio honesta, sermones sapientes, & probata esset modestia; earum vero e contra perhorresceret societatem, quæ mollem vitam traducunt, quæ caput ornare, crinesque comere laborant, & quæ unguentis delibutæ in sola corporis sui curatore sunt. Illæ, ajebat, amore dignæ tibi videantur, quæ propriam negligunt formam, quæ muliebrem mundum contemnunt, & quæ diligentissime sese conteguot, ubi prodire tenentur.

Animadversio in Patris hujus sententiam.

Doctoris hujus monitum in primis necessarium est Christianis virginibus, easque docet, in ipsarum potestate esse positum se ipsas a nimium liberis sermonibus, atque importunis libidinosorum virorum sollicitationibus liberare, qui inanibus laudatiunculis, assentationibus, operæ suæ pollicitationibus id quærunt unum, quomodo earum amorem sibi concilient, ut eas, si possint, misere perdant, Si enim testatur Sapiens, tristem oris habitum, quo obtrectantem excipimus, hunc pudore suffundere, atque prohibere, ne suas persequatur obtrectationes; vere quoque dicere possumus, serium, gravem, atque modestum oris habitum in honesta, probaque femina, reverentiam injicere videntibus illam, ac prohibere ne quid contra decorum dicatur, aut fiat, non secus ac e contra, cum nimiam præsefert licentiam, ac blande aliis complacere studet, parum seriis sermonibus subridet amatoriis fabulis delectatur, & quid de similibus sibi factum fuerit, audire non refugit, locum præbet, ut omnes illius ratione posthabita in liberos, ac flagitiosos sermones erumpant. *Auctor recens.*

Modestia palam, & privatim servanda.

Necessum est servare modestiam non solum palam, & coram honestis hominibus, quibus aliqua oboriri suspicio posset, si quid ipsis præsentibus licentius diceretur, aut fieret; sed etiam intra privatos parietes, iisque in occasionibus, in quibus ad illius observantiam minus teneri videmur. Profecto citra ruborem, & lacrymas cogitare, & dicere nequeo, non deesse nobiles feminas hac in re adeo parum modestas, & verecundas, quæ e strato surgunt, & cubitum eunt, se induunt, exuuntque, licet eas famuli inspiciant, vel quæ ab illis operam exigunt, ut induantur, & exuantur? Heu! adeone sensum omnem abjecerunt, ut minime videant quantum scandali hæc afferat immodestia? Adeone pudorem omnem exuerunt, ut se in hoc statu a viris videri patiantur? Considerantne, conditionum, generisque discrimine nequaquam prohiberi criminosas eas cogitationes, quas sexuum discrimen fovere potest? *Idem.*

Humilitatis, & modestiæ concordia.

Humilitas sine modestia est velut anima sine corpore; quemadmodum sine humilitate modestia corpus est sine anima; quemadmodum ergo humilitas virtus est generalis, & universalis, modestia similiter ad actiones omnes se debet extendere. Modestus non humilis falso modestus est, vel saltem imperfecte humilis. Modestia sine humilitate ea est modestia, quæ in hominibus mundi invenitur, quorum urbanitas, & moderatio vulgo non aliud est quam superbi cordis dissimulatio, quod exteriori nitore, & quadam specie humilitatis contegitur, ut in oculis hominum existimationem sibi conciliet. Igitur si eam habere cupimus modestiam, de qua loquitur S. Paulus, vere, & ex corde modesti simus; & modestia nota sit humilitatis nostræ, quæ sese effundens extrinsecus replere debet omnes actiones nostras ea sapientia, & moderatione, quæ & Deo, & hominibus nos amabiles præbeat. Hæc igitur modestia ex cordis imo prodire debet; si enim exterior esset tantummodo, jam virtus non esset. Anima autem hoc pacto modesta, atque in omnibus actionibus suis verecunda esse nequit, nisi semper Deo vacet, ejusque spiritu gubernetur. Sed præcipit etiam S. Paulus, ut modestia nostra videatur, & cognoscatur ab illis, quibuscum vivimus; innuere quippe vult, non satis esse humilitatem in corde servare, ac de se humiliter sentire, sed sensus hos extrinsecus etiam esse testandos, quod fit per modestiam. *Liber cui titulus:* Instructions Chretienes.

Modestia adolescentiam maxime decet.

Modestia in adolescente potissimum est desiderabilis: certa quippe est interioris virtutis, ac sapientis, optimeque instituti animi nota & argumentum. Animus ex actionibus cognoscitur, & hominis sapientia ex habitu corporis deprehenditur. *Sapientia hominis*, Scriptura Eccl. 8. ait, *lucet in vultu ejus. Et visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Eccli. 19. Quapropter S. Ambrosius libr. 1. Offic. cap. 18. ait, spiritus dispositionem ex corporis positura dignosci, exterioremque motum quamdam esse vocem, quæ animum prodit. Itaque si spiritum habes sapientem, optimeque institutum, hoc modestia testabitur tua; at si extrinsecus male compositus, & immodestus es; hoc certissimo est argumento, animum tibi esse levem, volucrem, indiscre-

tum,

tum, cuicumque feriæ cogitationi imparem, omnibusque inanibus, & importunis cogitationibus patentem. Hæc autem mala externi oris habitus compositio pravum erit signum pro præsenti, ominosumque præjudicium pro futuro. *Gobinet parte 4. De adolescentiæ educatione.*

Quenam esse debeat exterior in actionibus modestia.

Pro virili incumbe in id, ne in obtutu, gestu, incessuque tuo ulla sese prodat levitas, atque immodestia; facies tibi sit seria, comis, affabilis, oculorum acies verecunda, oris habitus modestus, & qui sapientem, ac bene natum animum deceat. Talem te præbe cum quocumque, vel quibuscumque sis; cum superioribus propter eam, quam illis debes reverentiam, cum æqualibus, vel inferioribus, quia illis bonum debes exemplum; tunc etiam cum solus es, semper enim es coram Deo. Spiritus sapiens, ac bene institutus, ubicumque sit, semper modestus est; non enim modestus est, ut hominibus placeat (quod vanitas esset mera) sed ut placeat Deo, a quo semper videtur. *Modestia vestra*, Apostolus inquit, *nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est. Idem.*

Modestia in templo potissimum servanda.

Præsertim vero in templo modestia servanda est; hæc enim domus Dei est, & locus destinatus, ut Deo preces effundantur, & thus adoleatur. Illuc magna cum reverentia ingrediendum est. *Custodi*, Sapiens ait, *pedem tuum ingrediens Domum Dei.* Ibi majori cum modestia permanendum, humili, devotaque corporis positura, quæ loci sanctitatem maxime deceat. Illuc ergo ingredi tamquam in profanam domum sine modestia, ac verecundia; ibi sine reverentia permanere oculos circumferentes, sine ulla necessitate loquentes, cum his, aut illis ridentes: indecoro corporis habitu ibi persistere, ac indecenter innixos altero quidem poplite in terram flexo, altero autem erecto, aliisque id genus irreverentiis, peccata sunt, quæ Deum magis lædunt, quam vulgo existimetur. Hinc judicium esto de illis, qui in Templis aliquid audent, qui impudicos oculorum obtutus circumferunt non veriti in ipsum usque sanctuarium suam inferre libidinem, ac Deum lacessere eo in loco, qui sacer est, ejusque cultui devotus. Hoc scelus est, quod Deus per Prophetas suos detestatur, & S. Augustinus in confessionibus suis inter cætera vitæ suæ peccata summo dolore conficitur ob hoc tamquam nulli secundum, pro quo etiam se a Deo, non autem pro meritis, punitum fuisse fatetur. *Idem.*

De modestia verborum.

Modestia in verbis æque, ac in actionibus sita est. Non mediocris virtus est, nosse sapienter loqui, & ut Sapiens ait, viri sapientia ex verbis ejus deprehenditur. Loqui autem sapienter in duobus consistit. 1. ne quid dicas quod malum sit, vel extra rem. 2. ipsa etiam bona opportune dicenda sunt, videlicet quando oportet, & ubi oportet. Ita veluti pestem perhorresce colloquia prava, quæ vere bonos mores corrumpunt, & plurima in illis gignunt peccata & in loquentibus, & in audientibus. Fuge etiam æquivoca ac duplicem habentia sensum vocabula, quæ inhonestis cogitationibus aditum præbent. Denique evita verba omnia contumeliosa, & obscœna, quæ vulgo in hominum ore sonant, & quæ ne in impudicissimo quopiam ferenda sunt; quomodo vero erunt ferenda in homine honesto qui ubique, & quibuscumque in rebus decorum servare didicerit? *Idem.*

Quomodo S. Petrus de mulierum modestia loquatur.

Si discretus haberi cupis, atque modestus, ne loquatis, nisi opportune; neque imiteris homines leves, inconstantes, atque inconsideratos, qui indesinenter bona simul, malaque blatterant, qui fluxum habent verborum, & auribus, quibus audiant, carere videntur. Insania est semper loqui, quin ea ponderentur, quæ dicuntur; & prudentia est opportune loqui, & ad eam respondere: vel tace, ajebat sapiens quidam philosophus, vel dic aliquid melius silentio, & pone labiis tuis custodiam prudentiæ, atque circumspectionis. *Auctor nuperus, & Anonymus.*

Ecce quomodo loquitur S. Petrus in 1. Ep. cap. 3. Mulieres pudorem habeant, atque modestiam, ornatus earum non sit exterior in capillorum cincinnis, & calamistris, vel in aureis vittis, aut indumentorum pulchritudine positus, sed interior in anima sit, atque in invisibili pulchritudine consistat, intrinsecus in corde absconditus, & in puritate spiritus lenis, atque peccati, quod quidem locuples, & magnificum est in oculis Dei ornamentum, quo olim Sanctæ Patriarcharum conjuges sese decorare consueverant. Si te ipsam tanto studio, atque affectatione comis; si præterea immodestum oris habitum & gestus affectas, ita ut oculi, & affectiones intuentium gravissimis veluti oppugnationibus quatiantur; id si feceris, coram Deo culpa non vacas; & scias te postquam causa extiteris, ut alii puritatis jacturam efficiant, ita judicatum iri, ac si tu ipsa eamdem fueris perpessa. *Cameracensis Episcopus, in libro de Virginum educatione.*

Modestia peculiari modo christianis mulieribus est necessaria.

Non sufficit Christianis virginibus luxum, sæculique vanitatem evitare, mundanos ornatus non gerere, & nihil extrinsecus præseferre, quod impellere possit homines, ut benevolentiam, atque existimationem ipsis profiteantur. Hæc prima tantum pars est Christianæ justitiæ, quæ in mali fuga consistit; ad hæc præseferre tenentur serium corporis habitum, modestum, atque aptum iis omnibus ædificandis, a quibus habentur in pretio. Non defuere primis Ecclesiæ temporibus nuptæ, innuptæque puellæ, quæ, ubi illis suadebatur, ut muliebrem mundum relinquerent, atque extrinsecus eam præseferrent modestiam, quæ sexum earum maxime decet, respondebant, se hominum judicia non morari, neque illorum amorem, atque existimationem perquirere; sibique satis esse placere Deo, cui cordis sui explorata erat affectio, & qui videbat ab illis vanitatem non diligi; sibi tamen cordi esse libertatem suam, & pati non posse, quod lege hac cogerentur. Plurimo succensus zelo Tertullianus exarsit in hasce fœminas, quæ vitam ducere volebant parum adeo statui suo congruam. Impugnavit futiles earum excusationes, eisque ostendit, eas facere non posse quominus pietatis, & Christianæ modestiæ regulas extrinsecus servarent, quia bonum a nobis faciendum est non coram Deo solum, verum etiam coram hominibus, & Salvatorem imperasse, Matth. 5. ut lux nostra coram hominibus luceat, ut videntes opera nostra bona, cœlestem Patrem glorificent. Illis demonstrat non satis esse, cor mundum habere; sed opus esse, ut earum puritas in vestibus quoque, gestibus, actionibus, totoque corporis habitu elucesceret; & nisi illæ graves, seriæ, modestæque essent, fieri numquam posse, ut virorum sollicitationes effugerent; e contra vero si seriæ, frugi, ac verecundæ ab omnibus visæ fuissent, neminem umquam ausurum aliquid illis contra earum officium proponere. *Auctor Anonymus.*

Sententia S. Basilii de modestia quæ in Christiana virgine relucere debet.

Apud S. Basilium legimus eximiam illius modestiæ descriptionem, quæ Jesu Christi sponsas decet. Dicit illis nonnisi raro esse egrediendum; & cum facere nequeunt, quominus prodeant, opus esse, ut earum incessus, vestimenta, totusque corporis habitus honestus sit, & pietati ita conformis, ut quicumque illis obvii fuerint, talem admirentur modestiam, easque venerentur, tamquam viventes divinitatis imagines, ac præ reverentia oculos dejiciant, ac vehementer ad virtutem se allici sentiant. Cui eidem sententiæ Sanctus Chrysostomus addit, ubi virgo palam prodit, opus esse, ut sit tamquam vivens modestiæ Christianæ, & pietatis imago, ita ut mortales omnes cum admiratione illam tamquam Angelum de cœlo delapsum suspiciant. *Idem.*

Externa moderatio necessaria, & quia.

Exterior modestia eo magis est necessaria quia secreta quædam enunciatio est cogitationum nostrarum, ac status cordis nostri, atque fidele perhibet testimonium omnium affectionum animæ nostræ. Quapropter ajebat Salomon ex faciei nostræ habitu facile judicium esse de internis cordis nostri dispositionibus sive in bonum, sive in malum. Adde his

etiam

etiam verba, quæ, ut S. Hieronymus inquit, sunt nostrarum cogitationum interpretes, licet sæpe temere, & inconsulto proferantur: *Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia*. Et quemadmodum prava corporis affectio ex vultu cognoscitur, similiter in corporum habitu, motibusque æque facile est cordis secreta scrutari, & vestigare, ac hominis avaritiam cognoscere ex parcissimo opum suarum usu, atque inordinata minimarum rerum cupiditate. *Alius Recens Auctor*.

Perfecta modestia virtus est difficile acquirenda.

Modestia ita decenter exercita, ut nihil eidem valeat opponi, virtus est difficilius acquirenda, quam vulgo censeatur: ut enim ita constans, perfectaque fiat, indiget, ut S. Thom. a. 2. *quæst.* 168. *art.* 1. *ad* 3. animadvertit, aliarum auxilio virtutum, quæ affectibus moderantur, quorum perturbationes non aliud sunt, quam internæ, externæve immodestiæ. Perpetuam expetit præsentiæ Domini recordationem, & jugis mortificationis exercitationem ad prohibendos non solum inordinatos corporis motus; verum etiam superfluos, quibus natura oblectatur, atque personam omni tempore, omnique in loco subjectam tenet; unde sequitur nullam esse virtutem, quæ adeo assiduam, constantemque attentionem, atque tantam in vel minimis actionibus suis vigilantiam perquirat. *Pater Saint Jure libro tertio de cognitione, & amore Domini sect.* 35.

Vera modestiæ exemplum.

Sanctus hic vir singulari præditus erat modestia; gestus, incessus, totus corporis habitus optime compositus animæ ipsius, omniumque facultatum ejusdem egregium statum indicabant. Vultu in terram demisso, gravi, lentoque gradu incedebat, ita ut humilitas ejus hinc effulgeret. Gratiæ, qua repletus erat abundantia sese in faciem effundebat, ita ut plurimi ex solo ejusdem intuitu commoverentur, in lacrymas ruerent, atque viderent unctionem Spiritus Sancti, quo animatus erat, in facie ipsius, necnon vim ejusdem, qua ad virtutem excitabantur, in totum oris illius habitum resilire conspicerent.....Quod vero de generoso S. Luciano martyre legimus longe admirabilius est; tantam oris ejusdem majestatem, tantamque in toto corporis habitu fuisse modestiam, ut solo adspectu Ethnicos ad fidem converteret, eisque Jesu Christi Religionem persuaderet. Quod cum Maximiani Imperatoris, a quo capite damnatus fuit, auribus accidisset, jussit, illum coram se adferri, ut suis ipsemet oculis testis esset veritatis. Verum simul ac Lucianus accessit, Tyrannus se tuto in eum oculos conjicere non posse ratus, verebatur quidem ne incomparabili ejus modestia illectus, actusque in Jesu Christi castra concedere teneretur, jussit velum obtendi, quo interposito tandem illum est allocutus. *Idem*.

Modestia ad sanctitatem acquirendam necessaria.

Quid validius afferri potest ad modestiæ meritum indigitandum, quæ quidem hodie præ cæteris virtutibus maxime negligitur, quam affirmare hanc maxime necessariam esse ad sanctitatem acquirendam; quandoquidem illius nota est, atque visibilis effectus, qui extrinsecus patet, & efficit, ut judicium feramus de eo, quod latet intrinsecus, non secus ac ex oris colore de corporis alicujus temperamento, ac valetudine judicamus. Dicamus, si vobis lubet, hoc esse naturale virtutis signum, quod nemo non novit; illi enim ipsi, qui speciem dumtaxat virtutis habent, ejusque gloriam, & celebritatem assequi cupiunt, adfectatam, simulatamque præ se ferre modestiam contendunt; illis quippe persuasum est illam ita sese ostendere, atque extrinsecus prodire; atque illius speciem personamque saltem esse gerendam ab illis, qui haberi cupiunt ab hominibus tamquam virtute præditi; non enim homines virtutem nisi ex modestia cognoscunt. At hæc affectatio, & hypocrisis sensibile argumentum est, modestiam esse virtutis notam; atque id unum inspiciendum esse, utrum altera sincera, ac vera sit, ut de alterius sinceritate judicetur. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, tomo 4. argumentorum particularium*.

Exterior modestia cum interiori esse debet conjuncta, sine qua, nullius est pretii, & meriti.

Fateor equidem solam virtutis externam speciem nihilum esse, sed cum interiore conjunctum esse veluti corpus, quod illam sensibilem facit. Itaque, S. Thomas ait, inter Angeli, hominisque virtutem, hoc discriminis intercedit, quod virtus Angeli, qui merus est spiritus, perfecta, integra est intrinsecus; sed virtus hominis, qui ex anima simul & corpore constat principium quidem intrinsecus habet, sed extrinsecus suam nanciscitur perfectionem. Itaque modestia est veluti flos, & nitor virtutis ipsius, omnem quippe eidem tribuit colorem, atque ornamentum; vel, si mavis, hæc est virtutis insigne, atque vexillum. Ratio vero desumenda est ex arctissima affinitate, mutuoque commercio, quod interiorem inter, exterioremque hominem invenitur, quo ultro citroque bona, malaque sua sibi communicant. Corpus naturaliter sequitur dispositionem spiritus; & animi affectus sese naturaliter æque in corpus effundunt, atque certissimis se signis ostendunt. Ita cum alterius motus rite compositi sunt, necessario & motus alterius sunt compositi; uti e contra simulac in altero aliqua fit perturbatio, statim migrat in alterum, nisi meditata adsit adfectatio, quæ diu permanere non potest. Hinc sequitur modestiam justam esse, constantemque exterioris habitus moderationem, effectum ordinis, & moderationis internæ facultatum, & affectuum animi; & jure ratiocinatur, qui de causa judicat ex effectu. Ideo præcipiebat Apostolus, ut fideles primi modestiam suam mortalibus omnibus testatam facerent: Ethnici quippe ex nota hac exteriori judicabant quam religionem Christiani profiterentur, & quænam esset interior virtus eorum; quandoquidem tanta illius lux effulgebat extrinsecus, & mortalium oculos perstringebat. *Idem*.

Religiosus modestus esse debet.

Si Religiosus in mortalium oculis virtute præditus videri debet, si tenetur peculiari quadam ratione rebus in omnibus præbere virtutis exemplum, si status, indumenta, professio ejus efficere debent, ut ab hominibus reliquis tamquam exemplar virtutis habeatur; quo pacto nisi per modestiam muneri huic satisfacere potest? Nonne jure ex eo quæritur, ut talem se gerat extrinsecus, qualem se intrinsecus esse vult existimari? Quod si sui characteris, suæque professionis oblitus videatur immodica sese efferre lætitia, & joculatoriam hilaritatem præseferre, modo impatientia rapi, & hanc ipsam impatientiam clamoribus, gestibus, & oris perturbatione indicare; si deprehendatur inverecunde oculos circumferre; si asperos habeat mores, incompositum oris habitum, nimis elatum vocis sonum, incessum præcipitem, indecoras corporis posituras: si inquietis motibus in singula momenta locum mutet; si, ut verbo dicam, nihil in tota corporis specie compositum sit, quinam de illo haberi conceptus potest, quodnam ferri judicium? Temerariumne judicium erit, si ex homine exteriori de interiore judicium feratur, & si ex modestia exteriori haud sane æqua de internis flagitiis illatio fiat? *Idem*.

Exterior modestia ratio valida est interioris obtinendæ, quæ in affectuum mortificatione consistit.

Qui meminerit arctæ illius affinitatis, quæ inter hominem interiorem, exterioremque invenitur, haud ita difficile intelliget virtutis habitum frequentius, atque facilius acquiri exterioribus actibus, sensuum mortificatione, & vi, quam nobismetipsis inferimus, ne affectus nostri sese extrinsecus prodant. Itaque si corpus facilius subjicitur; si initium ducendum est ex regimine gestuum, motuumque omnium illius, & alioquin frustra aliquis in virtute progressus expetitur; nonne hinc sequitur, modestiam, quæ justa, & constans est totius externæ speciei mortificatio, futuram quoque viam subigendi animi affectus, qui hanc gignunt perturbationem, evellendi vitia, quæ nos in hæc scelera impellunt, & acquirendi virtutes, sine quibus subsistere nequit? Inde etiam, quemadmodum

modum docet experientia, ducitur initium, cum sincere vitam frugi, sanctioremque ducere cupimus, hac mente, quod ubi corpus sedula modestia compositum fuerit, spiritum quoque quamprimum legi Dei, & rationis subditum iri; atque internam animi partem optime tunc institutam futuram, cum pars exterior perfecte subjecta fuerit, & reformata. *Idem.*

Ex immodestia agnoscitur relaxatio pietatis.

Audacter affirmare possumus pro ut modestia laxatur, devotionem etiam imminui. Hoc statim deprehenditur. Persona hæc, dicunt, primum fervorem objecit, non eadem est ae antea in cultu Dei, verbo, ex eo decidit statu, in quo olim fuerat. Quomodo hoc vides? & ex quo signo de hac judicas mutatione? Satis est, respondent, illam cum seipsa comparare, ubi illa modestia, quam præseferebat cum primum se devovit Deo, & quæ indigitabat studium illud, quo res omnes ad unguem perficere satagebat. Nonne vides quomodo nunc sese emancipet, quomodo levis, & curiosa sit, qua licentia loquatur, quam effuse in cachinnoa solvatur, quomodo festinanter, incauteque omnia operetur? Quid factum est de hoc pœnitentiæ spiritu, & præsentia Dei, qua penitus antea erat occupata? Hæc omnia cum modestia evanuerunt, quia ab eadem separari non poterant; nunc vero pro verecundia illa, quæ in se mortalium omnium oculos convertebar, facies, gestus, verba illius, quidquid vel dicit, vel facit, nonne ostendunt animæ ipsius tumultum, mentis evagationem, cordis licentiam, quæ efficiet ut quamprimum impudentiæ succedat modestia, & hanc fucatam abjicere coget personam? Undenam hoc, quæso? Quia pietas, devotio, sanctitas nullibi sine modestia esse potest; altera cum altera acquiritur, & per alteram altera. Sibi mutuo dant manus, ac tandem periculum idem, eamdemque subeunt sortem. *Idem.*

Cur velit Apostolus modestiã nostram omnibus hominibus notam esse.

Modestiæ prorsus oppositum accidit, ac virtutibus reliquis, quas pro virili a nobis abscondi jubet Evangelium, ut Deo uni compertæ sint, atque exploratæ; saltem quærendum non est, quomodo illas extrinsecus ostendamus; ne locus præbeatur vanitati omne earum meritum corrumpenti: at jubet S. Paulus *ad Philip. 4.* si fieri possit, mortalibus omnibus notam fieri modestiam: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et videmus sanctos illos, qui humillimi fuerunt, & qui omnem curam, studiumque suum collocarunt, ut ea, quæ bona facerent, mortalium oculis absconderent; id unum curasse, quomodo modestiam suam, ut ita dicam, ostentarent; ut olim S. Franciscus per vias, & compita incedebat ea mente, ut videretur, & solo incessu populis prædicaret. Undenam, quæso, tantum discriminis? Quia ad alios in Dei cultum pertrahendos, S. Bernardus, qui ejusdem erat sententiæ, ait, atque ad cor eorum movendum, eisque sanctitatis desiderium injiciendum nulla efficacior est ratio, quam externus oris habitus modestus, atque compositus, qui quidem inevitabiles habet illecebras. *Idem.*

Modestia peculiarẽ habet vim, ut peccatores convertat eosque Deo lucretur.

Modestia, quæ videtur in nobis, statim sibi fidem conciliat apud eos, a quibus videtur, & qui ideo sublimem virtutis nostræ conceptum fovent, ac deinde omnia verba nostra taquam oracula excipiunt, eaque audiunt quasi de cœlo dilaberentur, ita ut sine vocis ipsius ope modestia sit mutus concionator; sed tamen eloquens, qui, placet, qui movet, qui persuadet; quoties enim accidit, ut Sancti nequissimos etiam peccatores sola modestia, & composito oris habitu converterint? Quot homines sæculi voluptatibus abditi ad religiosum statum evocati fuere, illecti eorum modestia, qui hunc ipsum statum fuerant amplexi? Pleni sunt libri triumphis, atque victoriis, quas hæc peperit virtus, quæ sine armis, sine vi potitur cordis, & voluntate eorum, qui vident illam. Cum enim virtus hæc per se sit amabilis, ita ut nequissimus quisque eam plurimi non facere nequeat, cumque non valeant homines interiorem scrutari partem, unde proficiscitur, nitor qui extrinsecus affulget, omnium hominum oculos in se convertit, & admirabilem vim in eorum animos facit. Itaque dicere possumus per hanc religiosas domos frequentari, per hanc bonum ordinem, atque disciplinam servari, per hanc sanctitatia suæ religiosoa suavem odorem efflare, per hanc denique bonum eorum exemplum ædificare omnes illos, cum quibus versantur. *Idem.*

Sine modestia qui proximorum saluti adlaborãt frustra, vel parum referunt fructum.

Hinc etiam inferendum est sine modestia, qui alios ad virtutem studet impellere, oleum, & operam perdere: hoc enim est altera manu ædificare, altera evertere; & quodcumque boni faciamus, modus, quo fiet, omnia corrumpet. Nulla amplius erit vel decori, vel honestatis mensura in colloquiis, & conversationibus nostris, quæ omnium avertent animos immodestis, nimiumque liberis moribus, qui ostendunt animum parum iis rebus affectum, quibus alios affici cupimus. Etenim licet immodestia eo in sensu, quo istic accipimus, omne hominum genus dedeceat, in nullo tamen pejus sedet quam in illis, qui alios a vitiis retrahere, atque ad virtutem conantur impellere. Defectus hic statim deprehenditur, neque ulla umquam illi venia conceditur, quippe qui eorum muneri, atque professioni omnium maxime adversatur. *Idem.*

Eorum, qui virtute præditi sunt, modestia, in officio continet procaciores.

Si tantam vim habet modestia, ut Deo nequissimos etiam peccatores lucretur, addendum quoque est, non minorem habere facultatem ad vitium comprimendum, atque cohibendum, quod licet impudentissimum sit, illius tamen faciem, ac vultum sustinere non potest. *Vitia ex occursu meo suffundo*, Tertullianus ajebat, loquens solum de Philosophica toga, quam gerebat, & quæ nota erat virtutis magis austeræ, quam vulgo esse consueverit. Externa hæc species, vultus ad severitatem compositus vitium ipsum confundere, ac debellare potest. Et profecto si procacissimus quisque coram viro senio, atque auctoritate gravi, quem reveretur, sese continet; quid non obtinebit Ecclesiastici, vel Regularis alicujus modestia, vel etiam ejus viri modestia, cujus pietas probata est, atque confirmata en professione, quæ per se jam sancta est, atque reverentiam omnem meretur? Audebitne quispiam in verba, factave nimis libera erumpere? audebitne coram eodem sese indecore, ac immodeste gerere? Et si fortasse eo in cœtu flagitiosi aliquot adessent viri, nonne dicerent, ut olim Sancti Bernardini Senensis socii, qui ubi sanctum hunc adolescentem ad se accedere intuebantur, taceamus, ajebant, mutemus argumentum sermonis; ille enim licentiam nostram ferre non poterit. *Idem.*

Aliquot regulæ modestiæ quibus animum advertere operæ pretium est.

Auctor naturæ humanum efformans corpus ex tanta membrorum varietate compositum, caput veluti partem principem in sublimiori loco constituit, ita ut sit hominem integrum videre illius tantum caput, & os intueri; eo usque ut ad veritatem aliquam testandam olim sufficeret aperire caput, & jurare per hanc hominis partem, in qua Ethnici divinum aliquod esse jactabant; & quæ hodierna quoque die prima res est, in quam oculi conjiciantur. Si facies modesta sit, in ea immoramur, ut personam agnoscamus, & de cordis ipsius æquitate, atque spiritus qualitate judicium feramus. Ibi autem occurrunt tria, quæ decoro, & urbanitati videntur opposita, & quæ sedulo sunt evitanda. Primum ne quid ferox, aut nimis severum ibi videatur; alterum, ne molli, languidaque ratione, quæ effœminatum aliquid sudlat, flectatur: tertium ne caput in singula momenta circumundique feratur; quod est levis, & inconstantis spiritus indicium. Caput non semper erectum esse debet, quod superbiæ, & audaciæ testimonium

est. Ut justæ modestiæ regulæ serventur opus est, faciem ita esse compositam, ut nulla appareat turbæ nota, ut neque nimium sit tristis, neque nimium læta, sed gravis semper, & seria; nulla sollicitudine, nulla agitatione ejus serenitatem turbari; sed in mundi consuetudine nonnihil de illius serietate imminui. Oculi sunt speculum animæ, plurima in illis circumferendis opus est circumspectione, ne curiosi sint, neque in partem omnem errantes, uti neque eidem objecto nimis hærentes; sed in necessarios usus honesta cum libertate adhibiri, quæ nihil immodestum, nihilque nimis austerum sapiat. Non loquor autem de sermonibus, & colloquiis: sufficit jam ostendisse modestiam a mimicis salibus, ab obscœnis jocis, ab importunis altercationibus, atque ab iis omnibus abhorrere, quæ vel minimum quidquam pudori officiunt: verum neque probare potest fatuum, stupidumque silentium, quod vel contemptum significat, vel innuit, nos iis, quæ dicuntur, ne animum quidem advertere. Modestia sese extendit etiam ad gestus, incessum, vocis tonum, atque singillatim ad ea omnia, quæ exteriorem corporis habitum respiciunt; sed hoc melius ex honestorum virorum commercio, quam ex præceptis, quæ possint afferri, percipitur. *Auctor recens.*



M O L L I T I E S,

Vita mollis, & voluptuaria; commodorum perquisitio; Evangelicarum legum temperamentum, &c.

M O N I T U M.



RIA, vel quatuor occurrunt notanda in hoc argumento vitu illius, qua mollis, iners, vel voluptuaria appellatur, & quæ aliis quoque nominibus potest nuncupari. Primum hic non agi de peculiari aliquo vitio, puta aleu, gula, luxu, vel perniciosa aliqua animi remissione; sed de ex his omnibus conflato argumento, de ea vivendi ratione, ubi temporis terendi modus inquiritur sine ullo solido, serioque negotio, quin, nonnisi temere, atque in ipsum dumtaxat, vita christiana adimpleantur officia; ubi denique, ut verbo me expediam, homines nequaquam apertam profitentur licentiam, sed ubi potiores curas impendunt, & vitu hujus commodis, atque deliciis perfruantur, quam ut saluti suæ consulant.

Alterum est, quemadmodum hoc argumentum quadam congeries est ex aliis pluribus constans, itu nonnisi ex aliorum materia posse repleri; itu tamen ut semper in genere ferme habeatur, quin ad particularia descensus fiat: tunc enim non contra mollem vitam, sed contra aliquod ex iis, quæ illam constituunt, oratio institueretur.

Tertium, quamvis quodlibet solatium seorsim sumptum fortusse neque vitium sit, neque hominem in salutis adducat periculum, attamen cum in illud ita incumbimus, & nosmet totos eidem mancipamus ut omnia vita negligamus officia, tunc culpu non carere: quod semper concionis vel argumentum vel pars potissima esse debet.

Quartum denique, apud veteres Concionatores nullibi mentionem inveniri de molli vita eo, quo istic accipitur, sensu, & non multos ante hanc diem annos argumentum hoc pertractari consuevisse, immo & postremis etiam temporibus paucos in lucem prodiisse libros, in quibus de eodem agatur, quæ res me coegit supellectilem ex aliis petere argumentis, quæ cum hoc nexum, & rationem aliquam habent, vel quæ eidem opposita sunt; videlicet ex mundi oblectamentis, ex arcta via, quam præscribit Evangelium, & mortificatione, aliisque, quin tamen ea, quæ in his titulis allatu sunt, repetantur; itu ut illis, qui plura voluerint, liceat eosdem consulere, ubi satis superque invenient, unde argumentum hoc valeant exornare.

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Varia Concionum hujus Argumenti systemata.

I. 

RO Concionis argumento assumi potest; neminem in molli, inertique vita salutem suam operari posse; ea quippe christiana vita non est; idque tribus ex causis, quæ sermonis partitionem præbebunt: prima, quia vita hæc non est Evangelio conformis, quod quidem eorum, quæ a nobis facienda sunt, normam præbere debet. Altera, quia similis non est vitæ Salvatoris, qui prototypus est ab omnibus fidelibus exprimendus. Tertia, quia via non est summam assequendi felicitatem, finem videlicet, ad quem sumus creati.

Quoad primam patet mollem vitam, qualem plerique e sæculo ducunt, nequaquam esse legibus, Evangelicisque præceptis conformem; Evangelium enim cruces tantummodo, sui abnegationem, austeritates, mortificationes, voluptatum fugam loquitur, eaque horret quæ in voluptuaria, commodaque vita quæruntur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Matth. 16. *Qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. *Væ vobis, qui ridetis.* Luc. 6. aliique ejus generis loci. Quid autem molli vitæ magis oppositum quam hæ sententiæ, quæ totidem sunt regulæ, quas in vita sua sequi debet Christianus, qui alioquin salvus fieri non potest: idcoque commoda, voluptates, solatia, quæ voluptuariam hanc vitam constituunt, odisse tenetur? Inutile est respondere, has leges, hasque sententias mera esse consilia, quæ illos tantum respiciunt, qui ad perfectionem anhelant, quales sunt Cœnobites, non autem vulgus hominum, & minus adhuc eos, quos genus, dignitas, & gradus, quem obtinent, in mundo distinguit. Facile enim ista diluuntur iisdem Filii Dei verbis, ac intentione Legislatoris, qui hæc omnia præcepta proposuit, ut mederetur malo, quod scelus in mundum invexerat: cum enim hæc irrogavit præcepta, nonne palam professus est se illa mortalibus omnibus irrogare. *Quod vobis dico, omnibus dico, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. 10. Et sane cum S. Paulus *Coloss.* 3. Magistri sui verbis imperat; *Mortificate membra*

re-

vestra; numquid religiosos tantum alloquitur viros? Nempe Colossenses alloquitur, quibus prædicaverat Evangelium; videlicet homines omnium statuum, & conditionum sine ullo discrimine, sine exceptione. Cui igitur rationi inniti potest asserta hæc dispensatio, quandoquidem legis verba generalia sunt, & Filius Dei nullam habet rationem vel hominis alicujus singillatim, vel alicujus conditionis generatim; neque ullam excipit nobilitatem, aut dignitatem, cum lex sit inevitabilis? Adhæc nonnullæ afferri possunt rationes ad probandum sensuum mortificationem nobis esse necessariam, ut salutem nostram operemur; cujusmodi essent, sine hoc Evangelica adimpleri præcepta non posse, atque hinc inferre, præceptam esse a voluptatibus, solatiisque abstinentiam, quæ licet nobis noxa carere videantur, viam tamen illis aperiunt, quæ culpa minime vacant. Si enim in iis etiam, quæ nobis licent, nullo utamur modo, semperque amori proprio satisfacere velimus, quomodo prohibere possumus, ne affectus nostri præter jus, & fas in ea proruant, quæ facere prohibemur? Ex his omnibus inferendum est, eum, qui mollem vult vitam ducere, quin seipsum mortificet in iis, quæ absolute sunt contra præceptum, legemque Evangelicam, & in re gravi, salutem suam operari non posse, quia non vivit vitam Evangelio conformem, & Christiano nomine dignam.

Quod ad alteram rationem spectat non minus patet mollem, ac voluptuosam vitam, qualis principum virorum, eorumque esse solet, qui in mundo enitescunt, nullam habere conformitatem cum vita, quam Salvator duxit in terris; attamen sine hac similitudine, & conformitate nulla salus speranda est: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*. ad Rom. 8. Ut autem liqueat quam parum similitudinis, vel potius quanta oppositio intercedat inter id genus hominum vitam; & eam, quæ nobis exemplo esse debet, satis est illam cum tribus partibus vitæ Filii Dei super tertam conferre. 1. Abdita illius vita ab ipso nativitatis exordio usque ad annum trigesimum in submissione, labore, paupertate, ac recessu transacta fuit. 2. Pars altera, quæ dicitur activa, & quæ in prædicationibus, atque conversionibus peragendis traducta fuit, poteratne magis opposita esse molli, inertique vitæ eorum, qui in mundo obsequuntur? 3. Hæc vero oppositio magis adhuc patet in tertia vitæ illius parte, qua passus est; quæ toto cœlo ei opponitur vitæ, quæ nihil præter solatia, & voluptates inquirit.

Ratio tertia hæc est, quod mollis, ac iners vita nullam habet rationem ad finem, cui nos destinavit Deus, videlicet ad cœlum, æternamque felicitatem. 1. Quia gloria, & beatitudo, quam speramus, pretium est, ac merces laborum, operumque bonorum. At ullumne in hac inerti vita fit bonum opus? 2. Cœlum non acquiritur nisi ea vi, quam quilibet sibimet infert. At quam sibi vim infert qui ubique commoda, & voluptates inquirit? 3. Hanc passione meremur. Sed in hac deliciarum vita quid patimur?

II. Vita hæc mollis, & voluptuaria, quam plerique in Christianæ religionis luce vivere cupiunt.

1. Est mixtio quædam mundanarum, Evangelicarumque sententiarum; quas quidem simul coalescere posse, numquam existimatum est: *Quæ conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. 2. Divisio est Mundum inter, & Deum, Deo quidem contumeliosa, & quam mundus etiam ægre pati potest. 3. Temperamentum est, quod neque Evangelicarum legum lenit austeritatem, neque legum mundi iniquitatem minuit, sed illas quidem corrumpit, has probat.

III. Qui vitam mollem, voluptuatiamque ducunt, salutem suam nequeunt operari.

1. Quia non auferunt obices saluti, qui intra nos sunt, videlicet affectiones, ac studia quibus in malum rapimur, & quæ hac ratione fovemus. 2. Quia non conantur evitare pereundi pericula; quæ obstacula sunt extra nos; videlicet mundi illecebras, voluptates, ac mundana solatia. 3. Quia medium inter utrumque hunc statum neque Deo prorsus, neque prorsus mundo inserviendi mediumque inter latam, angustamque viam, via est commentitia, & quæ numquam fuit via salutis.

1. In Christianismo salvari non possumus, nisi arctam sequamur viam, quæ ducit ad vitam. 2. Vita mollis propric via lata est, per quam major incedit numerus; constat enim plures esse, qui ita omnibus in statibus, & conditionibus vivunt, quam qui palam impii sunt, ac nequitiæ mancipati. IV.

1. Hominum cæcitas hac in re magna est, & communis, ac generalis illusio; potior enim hominum pars putat salutem se operari posse hanc vitam ducendo, quæ ipsis culpa vacare videtur. 2. Hæc autem, neque consuetudinis prætextu, neque exemplo eorum, qui boni ducuntur, neque societatibus, quas sibi frequentandas putant, excusatur. V.

1. Hoc vitæ genus, ubi satis existimatur majora evitare scelera, & ubi nihil eorum nobis negamus, quæ studiis, & affectionibus nostris satisfacere possit ut suavem, commodamque vitam vivamus, nequaquam satis austerum est, ut pœnitens vita possit haberi, & ut vera conversio fiat, quamvis mundum fugiamus, ab illicitis voluptatibus abstineamus, vivendi licentiam, quam antea sequebamur, abjiciamus: hoc enim non est omnino, sed ex parte illam abjicere. 2. Hoc non est vitam vivere satis frugi, atque ita a terrenis rebus sepositam, ut innocentiæ morum consuli possit: sin autem nosmetipsos tamquam peccatores consideramus; in hac molli vita vera fieri pœnitentia non potest, neque vita duci christiano homine digna, & ad salutem operandum idonea. VI.

1. Hunc vitæ statum eligere, ubi omnia adsint commoda, sine ulla vi, ullaque voluntaria mortificatione, & quin recte utamur illis, quæ invitis accidere possunt, hoc est vitam traducere in summa officiorum christianæ vitæ ignorantia. 2. Indicium est cordis semi corrupti, & quod non diu occasionibus, atque periculis in extremam ruendi licentiam resistere poterit. VII.

1. Qui in mundo vivunt propter conditionis, muneris, vel status sui necessitatem, incedere tenentur per arctam viam, & nihil eos dispensare potest, si uti Christianos decet, vitam velint instituere. 2. Qui in mundo vivunt, ejusque voluptatibus perfruuntur, ibique sua commoda inquirunt, quamquam non gravia committant peccata, sunt tamen in lata via, ideoque in manifesto pereundi periculo, licet minime putent. VIII.

Peccatur, inquiunt Theologi, per omissionem, & commissionem; videlicet non faciendo ea, quæ facienda sunt, & ea faciendo, quæ minime sunt facienda. At vita mollis, quam hominum plerique ducunt, utroque ex capite nocens est. IX.

1. In ea non satis illa operamur bona, quæ ad salutem sufficiant. 2. Ea mala operamur, quibus damnamur. *Ex P. Girouft. Tomo altero Adventus sermone de inutili mundi vita.*

Christiana Lex nos moderari cogit nimis magna, nimisque assidua solatia; quia licet in seipsis videantur innocua, modum excedunt, statim ac in habitum transeunt; & passim producunt affectum mollitiei, & inertiæ, qui animæ virtutem enervat, ac frangit: ita ut impar fiat, quæ peccato, affectionibus, & salutis inimicis resistat. 2. Lex eadem nos cogit sæpe abstinere ab iis voluptatibus, quæ per se omni criminis suspicione carent ad expiandam, ut S. Gregorius ait, fallacem licentiam, quam nobis vindicavimus, iis perfruendi voluptatibus, quæ maxime turpes sunt, & nefariæ: unde inferendum est, nos salutem nostram operari non posse in hac molli, ac voluptuaria vita, quam plerique in sæculo vivunt. X.

In hac molli, inutilique vita hominum sæculi duo deprehenduntur fontes peccati, qui cum innocentia XI.

fimul esse non possunt; sterilitas bonorum operum, malorum vero fœcunditas.

1. Peccatur, quia nibil boni fit. 2. Peccatur, quia fit plurimum mali. *Essais de sermons pro Adventu: quod argumentum non abludit ab illo, quod superius ex P. Giroust allatum est.*

XII. 1. Si hæc mollis vita in seipsa spectetur, status est peccati, peccati etiam habitualis, quia ibi semper In occasione manetur, ac eo in statu, ubi diu maneri citra peccatum non potest. 2. Si in effectis consideretur est fons peccatorum, eorumque gravissimorum.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

SS. Patres. SAnctus Augustinus *serm. 42. de Communibus* Viam latam describens, per quam vulgus hominum incedit, describere videtur honestorum sæculi hominum characterem.

Idem *l. 4. de Symb. ad Catechum.* in eos invehitur, qui & Deo, & hominibus obsequi student.

Idem, vel Auctor *tract. de triplici habitaculo c. 4.* docet, quænam sit arcta via, & quænam lata; in arcta vero loquitur solum de abstinentia, voluptatum fuga, luxus moderatione &c.

Idem, vel Auctor *tract. de quatuor virtutibus charitatis* docet arctam viam semper sensibus, naturæque nostræ studiis esse contrariam.

S. Chrysostomus *Homil. 22. in cap. 6. Matth.* plura habet, quæ ostendunt suavem hanc, commodamque vitam esse legi Jesu Christi contrariam.

Idem *Homil. 9. in epist. Pauli ad Thessalon.* loquitur de modo, quo in mundo vivendum est, ne in sæculi flagitia ruamus.

Idem, vel auctor operis imperfecti in S. Matth. homil. 18. in via lata recenset plura, quæ ab hominibus culpa vacare existimantur.

Origenes *Homil. 2. in lib. Judic.* docet duobus dominis serviri non posse, quod se facere posse in hac commoda vita molles arbitrantur.

S. Bernardus *serm. 11. in Psalm. Qui habitat*, docet in lata via plures esse semitas, quæ ab arcta recedunt.

Ascetici aliique. P. Haineuve libro, qui inscribitur, *Magna via, qua Mundum perdit*, in libri præfatione docet non dari viam mediam latam inter, & arctam, de quibus loquitur Evangelium; qua de re alibi etiam eodem in libro verba facit.

Cambolas, libro, cui titulus, *Exemplar Christianæ vitæ*, capitibus tertio, & sexto, alibique passim.

P. Bonal, libro, qui inscribitur, *le Chretien du temps* parte tertia cap. 5. ubi verba facit de primitivæ Ecclesiæ puritate cap. 13. & 14. item parte quarta c. 16. & 17. numero 9. & 19. totoque tractatu de Christianorum laxatione.

P. Valesius epistola quarta de recessu.

P. Croiset Tomo secundo Christianarum Considerationum duobus in capitibus loquitur de inutili vita pleorumque eorum qui in mundo, ac in omni statuum genere vivunt.

Essais de morale tomo 9. in Epistolam undevigesimæ Dominicæ post Pentecosten.

P. Guillore lib. 1. de commodæ devotionis illusionibus cap. 1. 2. & 3. ostendit, devotum esse non posse, qui frequens omnibus cœtibus mundi interesse consuevit, & qui mundi mores, rationesque sequitur, omnia sibi corporis commoda procurans.

Concionatores. In moralibus sermonibus, tomo sexto, sermonem invenies hujus argumenti.

In specimine sermonum pro Adventu, sermone tertio.

P. Giroust in Quadragesima tomo 1. sermone de inutili mundi vita.

P. Cheminais tomo 1. parte prima sermonis de quadam religiosa professione.

P. Aurelianensis tomo 1. sermone de Evangelica severitate.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in Adventu sermonem integrum habet de vita molli.

Sarrazin tomo 1. in sermone de sui Ipsius abnegatione de eodem loquitur argumento.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

S*Ensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Genes. 8.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris. Psalm. 31.

Fiat via illorum tenebra & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Psalm. 34.

Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Psalm. 80.

Omnes vias ejus intelligere noluerunt. Jobi 34.

Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. Prov. 16.

Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis. Sapient. 5.

Venite, & fruamur bonis quæ sunt. Sapient. 2.

Unumquemque juxta vias suas judicabo. Ezechiel. 18.

Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant; sed & hoc vanissimum judico. Eccles. 8.

Noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus. Isaiæ 42.

Unusquisque in viam suam declinavit. Isaiæ 53.

Elongaverunt a me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt. Jerem. 2.

Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. Jerem. 7.

Numquid viæ meæ non sunt æquæ? Ezech. 18.

Abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis sui mali. Jerem. 7.

Non est reversa ad me in toto corde suo, sed in mendacio. Jerem. 3.

Dixisti: Absque peccato & innocens ego sum; ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi. Jerem. 2.

Confundetur Israel in voluntate sua. Osee 10.

Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Matth. 10.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 1. Joan. 2.

Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Joan. 8.

Non deficimus; sed abdicamus occulta dedecoris. 2. ad Cor. 4.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Ibidem.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Ad Galat. 5.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum. Ad Philipp. 3.

In novissimis diebus erunt homines voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. 2. ad Timoth. 3.

Immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Jacobi 1.

Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 2. Petri 1.

Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Jac. 4.

Juxta

Juxta proprias concupiscentias ambulantes. 2. Petri 3.

Secundum desideria sua ambulantes. Epist. canon. Judæ.

Exempla ex veteri, novoque Testamento deprompta.

Israelitæ perterriti laborum, figura sunt eorum, qui suavem, commodamque vitâ consectantur.

PLurimi eorum; qui olim cum Moyse rubrum mare siccis pedibus traduxerunt, prospicientes vastissima deserta sibi transmittenda, ut in promissam terram pervenirent, itineris difficultate ita perterriti fuere, ut ægre ad illud suscipiendum animum appulerint. In quam infelicem terram nos adduxisti, seditiosi ductori suo dixerunt, ubi neque fluvii sunt, neque fontes, neque arbores, neque fruges, nec pecora: immensa arenarum æquora, cœlum ardens, aer æstuosus, rupes, ubi vix lustra ferarum invenies. Hæccine via est, quam ingredi possit qui naturæ, ac sui ipsius inimicus non est? Hic in figura est mundanorum hominum sermo suavem diligentium vitam, cum verba faciunt de arcta via, quam veri fideles sequuntur, & quam præscribit Evangelium. Hæc, inquiunt illi, regio est, quæ in mundo veluti quædam deserti species habetur, ubi procul a ludis, spectaculis, conviviis, voluptatibus, & sæculi solatiis, nonnisi injucunda, morosaque vita duci potest. Ibi de bonis tantum operibus, deque status sui rite obeundis muneribus, jejuniis, precibus &c. agitur.

Pœna eorum, qui conquesti fuerant se laboribus perferendis.

Numquam Deus se magis ad iracundiam percitum contra Israelitas ostendit, quam postquam e duta Ægypti captivitate liberati fuerunt, simul omnes traducendi in eam benedictionum terram, quæ illis fuerat promissa, cum conquesti sunt de laboribus eo in itinere perferendis. Querela hæc adeo injusta, & iniqua fuit, ut universali a terra sancta exilio mulctata fuerit; illuc enim ex iis, qui murmuraverant, ne unus quidem intulit pedem, quo exemplo S. Paulus ad nostram utitur doctrinam, atque testatur, supplicium illud figuram ejus fuisse, quod nos meremur, & quod certissime subeundum erit nobis, nisi aliquid pati voluerimus in hac via, quæ ad æternam vitam adducit, mollem, inertemque vitam ducentes.

Cum Judæi a Madianitis vexarentur, Deus Gedeonis opera uti voluit populum suum liberaturus; cumque huic imperasset, ut milites ad arma vocaret, statim ad signa duo ac triginta virorum millia convenerunt jamjam acie decertaturi. Verum nimis multi hi milites sunt: Duci præcipit Deus, ut eorum partem dimittat; dimissisque primum viginti duobus millibus; ex decem millibus, qui supererant, jubetur Gedeon delectum habere, ut delectos quidem secum in prælium adduceret, alios autem relinqueret. Verum delectus hujus habendi ratio ad nostrum maxime pertinet argumentum. Omnes erant ad fluvium adducendi, sitim, qua urebantur, revelaturi, ubi qui corpus humi prosternerent, vel flecterent genu, ut ore aquas haurirent, & commode biberent, erant ex militum albo expungendi; qui vero cavam manum tantummodo demitterent aquam haustuti, eamque ori admoturi, reservandi erant, ac in aciem ducendi; quod cum rite observasset Imperator, aliosque ab aliis separasset, trecenti dumtaxat inventi sunt, qui stantes potassent. Tunc autem Gedeoni Deus, per hos, inquit, trecentos milites, qui manu tantum attigerunt aquam, Madianitas tuæ potestati subjiciam; quod probavit eventus. Hinc intelligere est a Deo veros servos suos hac ratione deligi, atque ab aliis distingui: eos, qui mundi voluptates, & gaudia ex necessitate dumtaxat delibant, seponit; eos vero, qui inordinato appetitu sese illis ingurgitant, respuit.

Exemplū, Joas Regis.

In Scripturis legimus, Regem Joas, cæteroquin Principem optimum, & de quo facet textus 4. *Reg.* 12. ait: *fecit rectum coram Domino*. Ni-

hilominus impiis regibus fuisse adnumeratum hac de causa: *Verumtamen excelsa non abstulit*. Non evertit idolorum aras, atque delubra, ideoque misere periit a propriis servis occisus. Quid autem? Si Princeps veram profitens fidem reprobis, & impiis accensetur, quia idola omnino evertere neglexit, quid dicendum de Fideli, qui in corde suo communem ponere contendit aram Jesu Christo, & Belial, & qui reipsa quin Deo sacrificet, affectus suos propriis immolat idolis; commodis nempe, atque oblectamentis? Animadvertendum quippe est, cordis humani divisionem Deum inter, & creaturam, numquam fieri sine utriusque comparatione, hanc vero sine prælatione non fieri.

Qui mollē vitam in Christiana religione vivere contendunt, imitantur Saulis sacrificium.

Qui in Christiana religione ducere volunt vitam mollem, ac voluptuariam, sunt Sauli similes, & crimen illius imitantur. Rex iste jussus Amalecitas penitus delere, omnesque occidione ad unum de medio tollere, manubiarum partem sibi reservavit, & Regi Agag pepercit. En quid faciant mundi nobiles, suavam vitam ducentes. Christianæ religionis officiis quodammodo cupiunt satisfacere; gravissima quæque sibi interdicunt scelera, atque a nequissimis facinoribus abstinent; reservant tamen sibi commoda, & mundana solatia, quæ honestis viris licere arbitrantur; atque ita Dei mandata ex altera tantum parte exequuntur, præcipientis etiam, ut sensuum, affectuumque mortificatio exerceatur. Quid illi post hæc putant aventurum, nisi quod eorum mollitie irritatus Salvator illos, ut Saulem reprobet?

Exemplū, & lex filii Dei.

Mundi Salvator nequaquam satis esse arbitratus est, si palam profiteretur, atque enuntiaret, viam, quæ ducit ad vitam, arctam esse, nosque tot modis hortaretur, ut illam amplecteremur; quod sane est satis aperte mollem, & voluptuosam vitam damnare, in qua fidelium pleique salutem suam operari se posse contendunt. Ad hæc exemplo quoque suo hoc vitæ genus reprobavit; etenim eam elegit, quæ maxime laboriosa est, atque austera, atque ut melius dicam, quæ non aliud fuit nisi cruces, labores, cruciatus. Illud vero animadvertendum sedulo est, quod nostræ prædestinationis fundamentum, & quadam veluti necessariam dispositionem, qua illam assequeremur, eam constituit conformitatem, quam cum vita illius nostra debet habere. Sed hominum plerique legem hanc immutare volunt; cumque velint, dum vivunt, mundi voluptatibus, & deliciis conformari, sperant post hæc se consecuturos mercedem, quæ illis tantum promissa est, qui Jesum Christum sequuntur, ejusque vestigiis insistent. Profecto, S. Chrysostomus inquit, hoc simul est Jesum Christum sequi, & non sequi; illum sequimini quia estis Christiani, non sequimini autem, quia incedere vultis per eam viam, quæ penitus opposita est illi, quam ipse secutus est.

Exemplū, divitis Evangelici

Difficile non est invenire scelera infelicissimi divitis, de quo in Evangelio sermo est: *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide*. Nullas patrasse dicitur cœdes, nullam exercuisse violentiam, nulla commisisse adulteria, aliaque scelera, quæ scandalum afferrent; sed dumtaxat indui consuevisse pretiosis vestibus, & opipare solitus epulari, & Lazari pauperis ante fores illius fame intereuntis (qui luxus etiam effectus est) nequaquam fuisse misertus. Difficile porro non est eamdem vivendi rationem in plerisque divitibus, nobilibusque viris deprehendere, qui sine metu audiunt ea, quæ de hoc divite nequam dicuntur, tamquam historiam, quæ ad ipsos nequaquam pertineat. Quid enim illis usitatius est molli hac, voluptuosaque vita luxui, crapulæ, atque delitiis omnibus dedita? Quid aliud in mundo faciunt, quam quod ille efficiebat? & si minus per impotentiam hoc faciunt; si liceret, quid facerent aliud? Præsertim vero quomodo differunt hæ mundi matronæ, quæ putant vitam mollem, voluptuariam, inertem, otiosamque esse suæ conditionis essentiam,

& totum esse ipsarum negotium? Attamen non liquet, illas ab Evangelica severitate a Deo dispensatas fuisse; neque constat quid respondere poterunt, cum sibi dicetur, quod olim Epuloni Evangelico dixit Abraham, cum bona receperint in vita, nihil illis in altera expectandum præter pœnas, atque supplicia.

Congeries exemplorum, ac similitudinum ex Evangelio desumptarum.

Postquam illis, qui molli vita oblectantur, explicata fuerint Filii Dei de hac vivendi ratione oracula; operæ pretium est iisdem ob oculos ponere similitudines, atque parabolas, quibus ille usus est, ut ostenderet, quam periculosum, ac saluti oppositum sit hoc genus vivendi: Arboris sterilis fructuque carentis succisæ, & in ignem projectæ eo quod frondes tantum protulerat, parabola; item sterilis ficulneæ, cui maledixit Jesus Christus, a quo fructibus vacua inventa fuerat; necnon inutilis servi, qui damnatus fuit, non quod creditum amisisset talentum, sed dumtaxat quia nullum ex eo fructum perceperat. Denique ostendi etiam potest, Dei filium damnationis sententiam ferentem in reprobos, nequaquam illos exprobraturum, quod ipsum conviciis, & contumeliis affecerint, quod alibi sibi rapuerint, vel se in carcerem conjecerint; sed dicet solum: Esurivi, & non dedistis escam mihi; Sitivi, neque potum præbuistis &c, hoc est non solum damnabit illos propter ea mala, quæ fecerint, sed etiam propter ea bona, quæ minime fecerint in vita inerti, ignavaque, & in id unum intenta, ut sua commoda, suasque delicias conquirerent.

Alia exempla, quæ huic etiam inservire possunt argumento reperies in titulo mortificationis, quippe quæ vitæ molli, ac voluptuariæ adversatur.

Applicationes Biblicorum locorum huic Argumento.

Qui inertem vitam ducunt, sunt arbores steriles, de quibus Salvator loquitur in Evangelio.

OMnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 7. Arbores steriles, nullumque fructum ferentes nobis exhibent Christianos, qui mollem, inutilemque vitam ducunt; qui bonorum operum omni seposita cura, satis esse putant ab illis abstinere, quæ palam mala sunt; qui nihil operantes ut cœlum adipiscantur contendunt solum evitare crimina, quæ merentur infernum, & qui semper iis voluptatibus dediti, quæ eorum studiis velificantur, quin conscientiæ suæ fallacem tranquillitatem perturbent, in utramque sternunt aurem in ea vitæ mollitie, quæ deplorabilis æque est, ac criminosa. Mundus profecto hujus generis fidelibus abundat; mollis vita filiorum sæculi frequentissima est illecebra, ac præsentissimum virus iniquitatis. Huic autem inutili vitæ reprobationis characterem adhærere Jesus Christus testatur arboris fructum non facientis parabola: etenim non damnat illam ferro, flammisque eo quod malos, ac venenatos proferat fructus; sed quod nullos fert bonos, ut intelligamus non satis esse nulla committere scelera, sed bona quoque opera facienda esse ad evitandam damnationis sententiam.

Qui hujusmodi vitam vivit, duobus dominis servire contendit, quod fieri nequit.

Nemo potest duobus dominis servire, Matth. 6. Duo isti domini, quibus nemo servire potest, sunt Deus, & mundus: cum enim omnino inter se sint oppositi, fieri non potest, ut eorum simul concilientur sententiæ, & imperia, & inevitabiliter imminet necessitas alterius jussa negligendi, vel alterius imperiis aures obstruendi; *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet*. Matth. 6. Deus Dominus zelotes est, qui ferre nequit eum dividi honorem, qui sibi uni debetur. Nequicquam amor proprius omnes excogitat artes, ut mundi amorem cum Dei amore conciliet. Unio hæc non minus impossibilis est, quam nefaria; hoc tamen facere conamur, cum vitam christianam simul, & mundanam ducere adnitimur, nostra Deum inter, & mundum officia partiti, eisque servientes mollem ducendo vitam; quoniam auferre volumus; alteri vero, quod maxime habet austerum.

Via hæc recta quidem videtur, sed ducit ad mortem.

Est via quæ videtur recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. Prov. 16. Quinam esse posset hic error, quem Sapiens innuit, nisi hoc vitæ genus, quod mundus probat, & culpa vacare putat, quia nihil habet, quod aperte sit noxium? Hoc in numero habendæ sunt deambulationes, convivia, conversationes, verbo omnia profana solatia, quæ vulgo hominum sæculo inservientium destinant vitam; Hæc illi sibi licere putant, quia illa crimine carere arbitrantur, verum non attendimus, vel attendere nolumus, viam hanc, cum opposita sit angustæ viæ, quam Dei filius in Evangelio nobis ostendit, nonnisi ad mortem adducere.

Angusta via de qua Dei Filius loquitur non pro Religiosis tantum est, sed pro universis hominibus.

Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. Animadvertite fideles, Jesum Christum non dicere, viam, quæ ducit ad perfectionem, angustam esse: quod si diceret, illud applicare possetis cœnobitis, qui Evanglica sequi consilia profitentur; sed loquitur de via, quæ ad æternam vitam adducit; hoc est de via salutis, per quam mortales omnes incedere debent, si salvi esse cupiunt: *Quam angusta?* Hæc verba difficultatem ostendunt. Ille etiam hujus rei admiratione captus videtur. Non dicit solum, angusta est, sed quam angusta, quam difficilis est! Non ait, cogitate, animum appellite, laborate, sed *contendite*. Nimis non est tutus homo divina adjutus gratia; nec vulgari cura hoc vos assecuturos speretis; hæc in irritum cedet. Operis hujus magnitudinem, ac difficultatem non abscondo; tanta est, ut Deo ipsi afferat admirationem; at ne vos decipiam; hic postremus character est, ex quo illam agnoscetis; *Pauci sunt, qui inveniunt eam*. Pauci sunt, qui viam salutis sequuntur.

Mundum amat, qui illius commoda quærit, illa innocua esse dictitans.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Joan. 2. Præservate cor vestrum ab hac esca fallaci; si enim mundum diligitis, secundum illum vivetis; & si secundum mundum vixeritis, moriemini, S. Paulus addit. Ne fidem habeatis æternam cuidam speciei probitatis; sub fallaci sapientia, quot veri delitescunt errores! *Nolite diligere mundum*. Attendite porro non solum vobis dici, ne velitis diligere mundum flagitiosum, impium, cujus incompositi mores æque & scandalum afferunt, & odium cient: Loquor etiam de hoc mundo, qui in speciem innocens honestusque videtur; ceterum inimicus est crucis, & eorum omnium, quæ mortificant sensus; vitæ hujus delicias gustans, ac amator sui. Laquei ejus magis abditi sunt, magis subtilis est ejus nequitia, sed ut vos facilius fallat, atque arctius vinciat: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*, bona, honores, fastum, nitorem, mores, consuetudines, festos dies, gaudia, venenatas vitiorum omnium origines

Ex molli, & voluptuaria vita defensus fit in turpissima quæque flagitia.

Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Eccles. 2. Cum Salamon hæc protulit verba: Cumulabo opes, atque divitias præ locupletissimis terrarum Principibus, vitam ducam lætitia, voluptate, ac deliciis affluentem: nihil mihi deerit: omnia mihi fluente sententia, putatis ne Auditores, illum hæc animo concipientem simul voluisse divinæ legis jugum excutere, ut majori frueretur licentia? atque ut magis sui compos fieret voluisse in idolorum cultum proruere? Hoc nequaquam videtur: in omnibus hujusmodi vanis consiliis excæcatus, credidit futurum, ut Deus semper esset protector, & præsidium suum, seque ab eo numquam derelictum iri speravit. Verum spes sua illum fefellit, atque per voluptuariam hanc vitam eo nequitiæ processit, quo se venturum nequaquam arbitrabatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

VOluntatis propensio authoritatem vitiis quærit, & quod malum est, bonum aut bono proximum esse suadet. August. Serm. 12. de temp.

Sunt quædam, quæ levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Idem, l. 2. Enchirid. c. 79.

Deus tibi felicitatem hujus sæculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Idem, tract. in Joann.

Si delectat te mundus, immundus es; si autem jam te non delectat, jam tu es mundus. Idem, tract. 38. in Joann.

Non convertitur animus ad Deum, nisi dum ab hoc sæculo avertitur. Idem, in Psalm. 9.

Quid tibi cum pompis Diaboli amator Christi? nolite falli, odit enim tales Deus, nec inter suos deputat possessores, quos cernit vitæ suæ desertores. Idem, serm. 4. de Symb. ad Catechum.

Nequitia est mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere, & ea concupiscere, & pro iis laborare. Idem, lib. de Agone christiano.

Figura hujus mundi præterit, non natura. l. 20. de Civit. Dei.

Dei Filius sustinuit ignominiam crucis, & tu putas beatos, qui felicitate istius sæculi & deliciis perfruuntur. Hieron. Ep. 33. ad Castiut.

Angustam viam nec omnes inveniunt, nec qui invenerint statim ingrediuntur per eam. Idem, in c. 7. Matthæi.

Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata aut de angusta via est, Idem, Epist. 14. ad Celani.

Si omni cupiditate calcata soli studemus virtuti, per angustam viam nitimur. Idem, ibid.

Arcta via, in qua studiose constringitur, est in hoc mundo vivere, & de hujus mundi concupiscentiis nihil habere. Greg. 27. Moral. c. 22.

Via perditionis spatiosa, quia intra regulam disciplinæ non inclusa. Chrysost.

Nemo miles ad bellum cum deliciis venit. Tertull. advers. Marc.

Discutiendæ sunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effeminari potest. Idem, de cultu fœmin.

Amicus mundi excluditur a consilio amicorum Dei, qui non spiritum hujus mundi acceperunt, sed spiritum qui ex Deo est. Bernard. Epist. 117.

Delicatus es frater, si sic vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo. Hieronymus in Epist.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in Argumento valeat depromi.

Quid est vita mollis, & quænam illius idea sit concipienda.

EA, quæ ad hoc pertinent argumentum, non ex Theologis scholasticis, sed ex illis potissimum, qui de morali Christiana locuti sunt, hoc est ex spiritualis vitæ magistris mutuati sumus, qui sub aliis nominibus nobis ostendunt, quam periculosum sit, mollem, inertem, atque oppositam angustæ Evangelii viæ vitam ducere. Videri quoque possunt, quæ de Christiana mortificatione a nobis suo loco dicentur.

Cum hæc vita, quam vulgo mollem, inertemque vocamus, nequaquam particulare sit vitium impugnandum a nobis, sed potius in mixtura quadam consistat actionum, ac sensuum, qui seorsim sumpti theoreticeque expensi non admodum nefarii videntur, æquior concipi nequit idea, quam si consideremus vitam, quam plerique in mundo vivunt, & ii qui honesti viri existimantur; hoc est qui nulla in se desunt earum, quas ipsorum conditio, urbanitasque deposcunt; sed qui simul parum diligentes sunt in religionis officiis, quibus in speciem dumtaxat, idque raro perfunguntur; qui profecto graviora effugiunt vitia: delictaque magis nefaria, sed qui nulli rei parcunt, ut tempus suavissime traducant; qui verecundia, & honestate, ac si vis, probitate satis videntur ornati, ne in vitiorum volutabro persistant, sed qui nullum in urbe solatium, ludumve celebrari paterentur, cui minime interessent; verbo; qui vitam traducunt suam in aleis, in festivis cœtibus, conviviis, comessationibus, verum citra scandalum, quin alicui afferant injuriam, non secus ac quin pœnitentiam, mortificationem, & bona opera exerceant. Vita hæc dicitur mollis, iners, suavis, & commoda, honestorum hominum in sæculo vita, eorum tamen, qui Evangelica dogmata, & christianæ religionis leges nequaquam sequuntur; at hæc christiani hominis vita non est, neque ad salutem operandam idonea.

Quid in hoc vitæ genere proprie improbatur, atque damnatur.

Non quæritur hoc in loco, utrum alea, choreæ, cæteraque communia id genus oblectamenta culpa vacent, necne; supponere possumus suapte natura vacare: hæc igitur quæstio, utrum ubi in habitum transiere, eaque negotium, status, ac vitæ professio facta fuerint, innocentia servari possit, ac animarum salus obtineri? Omnes spiritualis vitæ magistri concludunt, innocentiam simul esse non posse cum hac voluptuosa vita, & inerti; alioquin, inquiunt illi, salvari possemus sine labore, & sine cruce, quod numquam erit, neque esse poterit, quoniam gerimus nobiscum, ut S. Paulus ait, corpus peccati, naturam corruptam, ac studia nefaria, quæ sunt oppugnanda.

Mundum sectantes salvari nequeunt vitam ducentes mollem, & voluptuosam.

Supponamus ergo solatia omnia, quæ mundus honesta vocat, suapte natura in circumstantiis, effectibusque suis culpa vacare; constat nihilominus illa negotiis, muneribus, officiisque suis subrogare; verbo, vitam voluptatibus abditam ducere, statum esse reprobationis. Rationem S. Thomas affert. Omnis Christianus, ait, tenetur ad status sui perfectionem contendere; qui in sæculo est, omnem navare operam, ut seipsum secundum perfectionis suæ gradum perficiat; qui vero inter claustra, sine relaxatione incedere in via consiliorum, quæ apud ipsos præcepti vim obtinuerunt: *Quicumque profitetur aliquem statum, tenetur ad ea, quæ illi statui conveniunt.* Quemadmodum ergo religiosus, qui ad perfectionem contendere negligit per ea, quæ vocationis suæ propria sunt, jam in peccati mortalis statu versatur; ita laicus, qui ad status sui perfectionem anhelare contemnit, & ad illam ea incedere via, quæ suo statui conformis est, in statu peccati esse dicendus est. Unde inferendum est, ita sese voluptatibus, ac solatiis, qualiacumque illa sint, abdere, iisque tamquam communi exercitationi vacare, assiduum esse habitum peccati.

Effectus vitæ mollis, & voluptuosæ.

Si commodam, & voluptuariam vitam ex effectis, & vitiis, quæ parit, æstimare velimus, asserere possumus illam nequaquam culpa vacare. 1. Inde enim mollities oritur, quæ enervat corpus, ac illud ineptum efficit omnibus pœnitentiæ laboribus. Homines sunt abdomini suo nati, & voluptatum amatores, quibus nihil antiquius, quam ut a jejunio, imperataque abstinentia dispensationem obtineant. Demum qui carnis maceratione præ aliis indigent magis, hi sese impares efficiunt eidem perferendæ. Ex hoc molli, ac delicato vivendi genere oritur etiam oblivio Dei, & officiorum religionis. Qua enim oscitantia maxime necessariis religionis perfunguntur officiis! quo contemptu divinum verbum excipiunt? Quam longe a Sacramentis absunt! in qua mysteriorum ignorantia versantur! Quomodo preces oderunt? Ultrane requiritur aliud, ut aliquis in apertum salutis suæ discrimen adducatur?

In hoc vitæ genere damnatur qui bonū non operatur, licet nil mali operetur.

Docet Regius Propheta, ut æterna acquiratur felicitas, satis non esse evitare malum, sed bonum etiam faciendum esse: *declina a malo, & fac bonum*. Ita fidelis, qui a vitiis tantum abstineret, bonorum autem operum exercitationem negligeret, totamque vitam in molli inertia traduceret, legitime sperare non posset hanc felicitatem, quæ merces est bonorum operum, atque christianæ austeritatis. Hoc satis ostendit quam inepta sit eorum excusatio, qui se salvari posse putant hoc vitæ genus ducentes, quam innocentem appellant, inter ea solatia, quæ neque ab Evangelio, neque a bonorum virorum praxi damnantur. Hunc illi prætextum afferunt, qui eorum conversionem efficit longe difficiliorem. Scire igitur debent ii, Christiana religione certissimum esse dogma, satis non esse abstinere a malo, nisi bonum etiam fiat; quia servus inutilis damnatus fuit, non quod dissipasset talentum sibi a patre familias commissum, sed quod nullum ex eo quæstum fecisset. Sin autem addiderint, se aliquid etiam boni facere, quia præcipuis religionis muneribus perfunguntur, quia festis diebus sacrificiu intersunt, quia Paschalis communionis præcepto, aliisque id genus obtemperant: quin ad examen vocem, utrum hoc in statu omnia hæc rite obire possint officia, respondemus, quod si quando aliquid boni operantur, quod quidem in dubium posset revocari, non tamen ea faciunt, quæ ad salutem sufficiunt; quod satis perspicue Salvator innuit, dicens futurum ut nisi fidelium justitia magis abundaret, quam Phariseorum, illi numquam in regnum cœlorum ingrederentur.

Qui hujusmodi vitam vivunt, errant, si se justos, & innocentes fatē.

Fatendum est illos, qui se innocentes inter gravissima peccata arbitrantur, longe aberrare: verum non desunt qui se justos putent, quia a vitiis abstinent; quorum error levior quidem est, at nihilo minus periculosus propter eam, quam nuper attulimus, rationem. Hinc sequitur quamplurimos quin cogitent, credantque, damnatum iri, ac multos in Dei judicio damnandos esse, qui in eodem præmiis se afficiendos spectabant. In hoc enim judicio terribili Dei filius nequaquam illos damnabit quasi idololatras, scelestosque, vel quod atrocia crimina patraverint; sed quod minime eam exercuerint charitatem, cujus occasio sese illis obtulerat; neque bona fecerint opera, quæ in Evangelio memorantur. Quibus addendum, cæcitatem hanc difficillimæ curationis esse; peccatoribus enim, qui omni vitiorum labe fœdati sunt, facile persuademus, nisi vitæ rationem immutaverint, jam actum de illis; sed quomodonam auferri potest error eorum, qui semetipsos metientes ex aliorum nequitia, qui improbiores sunt, bonos se putant, atque ob commentitiam justitiam suam sibi plaudunt.

In iis, qui in mundo vivunt, validiores requiruntur gratiæ, ut resistere valeant omnibus tentationibus, quæ ex affectionibus, societatibus, pravis exemplis, occasionibus, & periculis, quæ nullibi desunt, suboriuntur. Viri boni, quos conditio, vel officium simul cum improbis vivere cogit, fideles esse debent gratiæ, ne consuetudinis torrente abripiantur; sæpe etiam periculosas occasiones evitare tenentur. Quis porro crediderit Deum potentes hasce gratias largiri illi, qui illud vitæ genus amplectuntur, ad quod procul dubio non vocavit illos Deus, sed quem ipsi elegerunt, non ut ei majori cum libertate inservirent, sed ut omnibus vitæ suavitatibus, atque voluptatibus perfruerentur; ut sese ab omni rei familiaris, magistratuum, & quidquid in mundo molestissimus est, cura expedirent, id tantum, quod ibidem jucundius est, delibaturi; illis demum, quos pudet Domini jugum prorsus excutere; sed qui æquo animo nequeunt illud vitæ genus aggredi, quod ipsi lex Evangelica, atque conscientia præscribit? Hi non habent e contra nisi imbecilles gratias, quæ sufficiunt quidem ad vitæ rationem adeo periculosam relinquendam; sed quibus illi numquam cooperabuntur.

Vita dulcis, & cōmoda proprie est lata via, de qua sermo est in Evangelio.

Cum nihil homini utilius esse possit, quam cognoscere utrum bonam sequatur viam, Dei filius ad hoc facilem nobis tradidit canonem, quem sapiens æque ac insipiens intelligere posset; *Lata porta, ait ille, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam*, Matth. 7. Via hæc latissima est, eamque si tum cognoscere cupis, attende utrum eam multitudo sequatur; eo enim major numerus fertur. Animadverte porro regulam hanc non explicari de illis tantum posse, qui in aperta morum, fideique licentia vivunt: patet enim, eorum numerum haud ita magnum esse; & quamvis plurimi sint, qui in sæculo ita vitam instituant, hi tamen si conferantur cum illis, qui mollem, inertem, voluptariamque vitam ducunt, minorem procul dubio numerum constituunt. Hinc inferendum est regulam hanc ad molles homines esse traducendam.

Error, & illusio mollem vitam viventium est interitus eorum causa.

Manifestus error est, putare tertiam adesse viam inter arctam, latamque, ubi decurrunt qui apertam licentiam adsectant, sed error adeo perniciosus est, ut affirmare possimus hanc esse causam, propter quam qui mollem vitam ducunt, periculum interitus sui minime videant. Hoc enim illos prohibet ne ab hac vita recedant, donec error eorum animis insidet. Si enim seipsos perspicue in perditionis via intuerentur, ibi vivere minime vellent, veriti, ne ibidem occumberent: serius, ocius ab eodem recederent, si ulla ipsis conscientiæ, fideique superesset reliquia. Sed quia cœci in eamdem feruntur non cogitantes ubi sint, & quo vadant, permanent in periculo, quin illud videant, ac inde egrediantur; & numerus eorum, qui ita præter mentem intereunt, tantus est, ut de eodem nonnisi cum admiratione Dei filius loquatur, quod satis probat rei veritatem.

Quid hoc vitæ genus saluti periculosum efficiat.

Hoc vitæ genus tanto magis saluti periculosum est, quanto videtur satis honestum, ac tutum, ubi nihil metuendum sit, quippe quod vulgo acceptum est, & a plerisque mortalibus probatum, qui non aliter vivunt, neque credere volunt aliquid periculi in hujusmodi vita inveniri, quamquam periculum maxime adsit omnino in flagitia, ideoque in interitum proruendi. Homines sunt honesti, eruditi, meritis præstantes, ex omnibus conditionibus, omnique sexu, laici, Ecclesiastici in quadam vitæ suavitate viventes, quæ neque admodum soluta videtur, neque admodum austera: non admodum quidem soluta, neque enim permittunt, ut peccatum in corde, & actionibus suis regnet; neque admodum austera, quia voluptatum, & solatiorum amor illis dominatur. Non sequuntur ingenium suum quousque naturalis inclinatio eos ferre posset; sed illud præterquamquod ratio, & lex Evangelica sinunt, sequuntur. Non contemnunt Evangelii præcepta; verum illa non habent tanto in pretio, ut eadem observent; in quo malum est, & sufficiens damnationis eorum causa.

Hæc vitæ ratio proprie divisio est Deum inter, & mundū.

Evangelium aperte docet neminem duobus dominis servire posse, ut intelligamus divitiarum amorem cum servitute Dei simul esse nequire. Hic tamen divitiarum amor una est ex tribus concupiscentiis, quæ reprobum mundum componunt: unde judicium ferri potest, utrum hæc mollis, inersque vita, quæ cum amore divitiarum complectitur etiam amorem voluptatum, honoris, & rerum omnium, quæ sensibus nostris accidunt perjucundæ; utrum, inquam, vita hæc cum Dei servitio possit conciliari. Sin autem reponis, in hoc vitæ genere cupiditatem non adeo abnormem esse, ut aliquis avarus, libidinosus, & ambitiosus idem habeatur; erit igitur ex numero eorum, qui duobus Dominis servire gestiunt; aliquid alteri quidem, potiorem vero partem alteri tradet. At Dei cultus divisionem hanc pati nequit; vel totum vult, vel nihil; & si qui æquis partibus

inter

inter illum ; & mundum partiri cupit , ultra non est in numero servorum ejus ; numquid erit ille , qui Deo mundum præfert ; quod sane fit in ea , quam mollem vitam descripsimus ?

Mollities hæc reprobationis nota.

Patres , atque Theologi vulgo dicunt hanc mollitiem , voluptariamque vitam signum esse reprobationis , quia efficit , ut christiani minime pares sint iis perferendis , quæ necessaria sunt ad beatam gloriam assequendam , seu ad illius ingrediendam viam , ejusque dispositiones obtinendas , seu ad perseverandum in tanti boni perquisitione.

Præcepto mortificationis, exercendæ vitā mollem necessaria illatione interdicit.

Nullus ambigendi locus esse potest , quominus omnes omnium conditionum mortales omnia teneantur evitare peccata , & pro virili ea superare vitia , in quæ proni sunt . Sin autem verum est , quod cum finis aliquis de præcepto est , media quoque talia censenda sunt ; patet de præcepto relinquendam esse vitam mollem , & voluptariam ; quia docent experientia simul , & ratio , hanc genuinam esse rationem intra officij fines , & in aliorum] præceptorum perseverantia sese continendi . Alioquin moraliter impossibile est omnia evitare peccata , ac superare propensionem illam , qua in malum ruimus . Mollitiem ergo abdicare præceptum est , præceptum in aliis præceptis consusum , præceptum in aliis præceptis contentum : & si ex iis ipsis , quæ permissa sunt , nihil tibi negas , quomodonam animi ægritudines in eorum , quæ vetita sunt , fines non irruent ?

Hac de re non secus ac de venialibus peccatis differendum est.

Nemo inter Theologos extat , qui post D. Thomam non confiteatur , licet venialia peccata , quotcumque illa fuerint , minime damnare hominem valeant , eum tamen , qui omnibus illis patrandis præsto esset ; animo ne ab ullo quidem abstinendi , jam peccatum mortale committere , & in damnationis statu versari . Similiter (nullum enim intercedit discrimen quandoquidem alterum in altero continetur .) Similiter inquam , qui hoc animo asset omnes sibi voluptates , omniaque permittendi solatia , quorum ne unum quidem ad mortalem usque noxam perveniret , nequaquam in statu reperiretur operandi salutem suam ; etenim quamquam ad salutem assequendam sufficiat servare præcepta , ut Salvator Matth. 19. ait : *Si vis ad vitam ingredi , serva mandata :* ideoque theoretice hæc teneri posse videatur opinio , attamen cum difficillimum sit in lubrico stare , quin ab iis , quæ licent , ad ea quæ minime licent transitus fiat , fidelis , qui hoc sibi satis esse contendit , in manifesto versatur periculo ulterius procedendi , & non præstandi ea , quæ tenetur : quin immo meretur a Deo deseri , atque in delicatis , & periculosis occasionibus potentibus gratiis destitui.

Undenam hæc oriatur in fidelibus mollities, qui se eādem prorsus abdicare professi sunt.

Mollities hæc in quadam dispositione consistit , ubi homines nequeunt , videlicet , nolunt aliquid pro Deo , ac pro animarum suarum salute pati ; sive hoc proficiscatur ex incomposito amore , quo corporis sui bona prosequuntur , quorum quidem suopte ingenio idololatræ sunt , seu oriantur , quia spiritualibus rebus , fideique objectis non afficiuntur ; seu effectus hic sit odii , quo mortificationes , atque austeritates perhorrescant , non solum propter naturæ corruptæ mollitiem , verum etiam propter fallaces Mundi sententias . Hinc illi quodvis prætextuum genus inquirunt , ut se ab austeris obligationibus dispensent , quæ necessario professioni christianæ religionis adhærent.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis , recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti .

Jesu Christi minime mollem.

ADmoneamus illos qui in mollitie , ac suavitate humanæ vitæ vivunt sub capite spinis coronato , doloribusque confecto , ut fallacem pacem , periculosamque securitatem , in qua sunt , pertimescant . Nos ipsi totis artubus contremiscamus reputantes terribilium verborum fulmen , quo Deus minitari videtur illis , qui vitæ hujus amore ebrii tanta sollicitudine , & cura , quomodo sibi faciant satis , inquirunt in bonorum , quæ possident , perfruitione , cum formidabili vocis tono dici illis Luc. 6. *Væ vobis divitibus , quia habetis consolationem vestram ;* qui videlicet in divitiarum vestimentorum usu beatam vitam ducitis : Væ vobis , qui gaudio , & voluptatibus abundatis . *P. Rapin in libro , cui titulus . Vita prædestinatorum in beata æternitate .*

Qui in mundo vivunt magis quam qui inter claustra , indigent mortificatione.

Ita est ; majori labore in mundo salutem suam anima fidelis operatur , quam Cœnobitæ in Ascitefiis suis , ac in Eremis solitarii ; difficilius quippe multo est cautum esse in periculis , humilem in honoribus , temperantem in dapum , cupidiarumque lautitie , pauperem in divitiis , pœnitentem in deliciis , & in bonorum jactura patientem : quæ tamen omnia nisi in mundo præstiteris , jam actum de te est . Proh Superi ! Si sanctæ hujusmodi austeritates in claustris sunt necessariæ , ubi tamen occasiones infrequentius accidunt , gratiæ fortiores sunt , & lapsus minus crebri , quam in mundo , ubi omnia plena sunt insidiis , ubi plures obique latent scopuli , ubi omnia ad malum excitant , ubi omnia seducunt , ubi nonnisi cum diligentissima sedulitate saluti suæ consuli potest : quæ illusio ! quis error , arbitrari homines illos ab omni periculo , & occasione sepositos indigere magis mortificationibus , & austeritatibus , quam mundanos , qui omnibus periculorum generibus patent ? & credere minori vobis opus esse cura in mundo , ubi vitæ ratio vos periculosis occasionibus objicit , ubi periculorum frequentia salutis viam efficit difficiliorem , ubi idcirco sensuum custodia magis assidua , mortificationes magis inevitabiles , inertiæ , voluptatum , mundanorumque solatiorum fuga magis est necessaria *Ex manuscripto sermone .*

Mollis eorum vita , qui boni optant haberi .

Libenter in mundo suspicimus naturales virtutes , quæ vitæ hujus consuetudinem jucundam efficere possunt , & vulgo negligitur christiana pietas , quæ omnis veræ virtutis fundamentum est , præsidium , & decor . Admiratio hæc satis aperte probat mortalium inordinatam agendi rationem . Haud ægre habent in pretio quamdam probitatis speciem , quæ magnam affectibus eorum relinquit libertatem , & non postulat hanc vigilantiam , severamque austeritatem , quam præscribit Evangelium . Hoc pacto mitigant interiores pœnas , quæ voluptariam vitam comitantur , minorique cum metu vivunt suis affectibus indulgentes . Cum citra repugnantiam minime liceat superare obices , quos criminis horror licentiæ opponit ; se ab omni licentia abhorrere putant , donec aliquam sibi vindicare possunt speciem virtutis . *Liber , cui titulus animadversiones in varia Religionis , & moralis argumenta .*

Consilium capere non possumus angustam ingrediendi viam ; atque Deum inter , & mundum hæremus .

Latam peccatorum evitantibus semitam , cavendum est diligenter ne in amoris proprii lenem , mollemque incidant viam , uti homines voluptarii ; ita in magis delicatum , periculosumque errorem gradum facientes eos relinquunt errores , qui crassiores sunt , & in quibus totum vitæ spatium non audent traducere . Postquam diutius mundo obsecuti sunt , tædet ipsos suæ servitutis ; atque delicias , quas libentissime gustaverunt , fastidiunt . Fortunam consectantes fatigantur , cumque semel illam fuerint assecuti , invenientes pericula majora voluptatibus , Deum inquirendi ineunt consilium , cui facilius quam mundo servitur ; verum ideone angustam Evangelii viam ingrediuntur ? Haud ita sane ; Intelligunt utilius , immo æquius esse Deo servire , quam mundo , verum mentem hanc suscipere nequeunt arctam ineundi viam , quam ille nobis ostendit , & crucem , quam ille gestavit , ferendi . Ita sese in suavi amoris proprii via continent . Deum amare volunt , quin seipsos oderint ; religioni suæ satisfacere , quin sibi vim faciant ; aliquid gratiæ tribuere , & cupiditati nihil negare ; amplecti pœnitentiam , & nihil de vitæ deliciis remittere . Hæc Dei cum mundo conciliatio arcet quidem ab ingen-

tibus

tibus malis; verum pati non potest austeram, qua opus est, sollicitudinem; noxiarum inimica voluptatum, sed deliciarum, optatorumque commerciorum amica: cœli quidem assequendi cupida, sed illuc leni, jucundoque contendens itinere. *Sermo manuscriptus.*

Vita mollis criminosa.

Quamvis omnes actiones tuæ singillatim sumptæ vacarent crimine, eas nequaquam vacare dico, si universe accipiantur; & adeo diuturnam voluptatum catenam necessario criminosam esse contendo. Si nefas non est per intervalla spiritum recreare; num fas est toto vitæ spatio jugibus indulgere solatiis? Numquid ideo te creavit Deus? Numquid opus erat, Dei Filium humanam carnem induere, pauperiem pati, tamdiu in terris versari in caligine, labore, persecutionibus, & crucis mortem subire, ut tibi gratiam mereretur ludendi, gaudendi, omnibusque diebus novas inquirendi voluptates, nullamque tibi negandi ex illis, quas omnino vetitas esse non putas? Deus quidem nostram sciens infirmitatem, atque cognoscens spiritum nostrum non semper orationi, vel negotiis vacare posse, aliqua nobis solatia permittit; at permittitne, ut unice solatii curam, tempusque omne impendamus? permittitne, ut in illis finem nostrum constituamus? ipso vero non permittente, hoc tibimet permittere audebis? *Pater le Valois. Epistola quarta inter eas, quibus ad recessum invitat.*

De quibus loquimur, cum de vita molli loquimur.

Cum dico voluptatem semper esse periculosam, eamque nobis semper esse evitandam, non loquor solum de obscœnis voluptatibus, quas ratio prohibet, quas lex damnat, quas omnes boni horrent: non solum immodicæ libidinis, omnes continentiæ cancellos infringentis, furorem damnare in animo est; hic ergo operam luderem invehens contra hæc flagitiosorum hominum genera, qui sine ulla verecundia turpissimis sese voluptatibus abdunt. Quemadmodum improborum id genus mortalium cor induratum est, ita præsentissima etiam remedia illis sunt inutilia .... Illi, quibus timorem incutere cupio, eosque a voluptatibus avocare, viri sunt alioquin timentes Deum; quos sæculum quoque veretur, qui clanculum fortasse ob virtutem suam intumescunt, qui inter rerum affluentiam, vitæque delicias perfecta securitate fruuntur; voluptates vero, quas illis interdicturus sum, communia sunt vulgataque sæculi solatia; voluptates consuetudinis, absit verbo invidia, & quæ in commercium eorum admissæ sunt, qui honestissimi habentur. Has autem dico, licet nulla prohibeantur lege, immo etiam ipsa consuetudine probari videantur, semper esse periculosas, quia vita, quæ in hujusmodi voluptatibus traducitur, fons est, occasio, & illecebra peccati. *Sermo manuscriptus.*

Vita mollis, ac inertis descriptio.

Aleæ, deambulationes, ludi, jucundæ sodalitates vulgata sunt mortalium mundi hujus negotia. Omnis eorum vita in inerti inutitate transigitur, immo etiam in negligentia, quæ quantumvis culpa vacet, coram Deo non criminosa esse non potest: quia otio, & voluptatibus vitæ ejus indulgent, quæ non aliud esse deberet nisi juge virtutis eorum periculum, ac non intermissum certamen, ad eam, quæ victoribus dumtaxat defertur, coronam promerendam. Hæc salutis ipsorum incuria efficit, ut in sanctissimarum rerum usum quidam spiritus teporis obrepat, qui opera eorum ad cœli acquisitionem facit inutilia; iique damnantur, quia de salute sua non laborant. *Pater Rapin libro de Salutis momento.*

Hominum plerique æquo patiuntur animo, si toto pectore in graviora crimina, avaritiam, fœnus, obtrectationem, aliaque id genus invehatis: Verum si leviter mollem hanc, inertemque vitam attingas, qualem hodierna die ducit eorum virorum cœtus, qui id, quod mundus nuncupatur, componunt: si sedula enumeratione persequaris occupationes illas, quibus constat; si de ludis, quibus assueverunt, de commerciis, quæ ibi fociantur, de conversationibus, quæ obeuntur; de solatiis, quibus sese recreant, disceptes; si hæc omnia ad Sanctuarii lancem appendas, si dicas, quod sentis juxta Evangelii, & christianæ disciplinæ instituta; si proferas, aleam, in qua temporis tantum, tantumque pecuniarum absumitur, grave peccatum esse contra amorem, quo familiæ suæ utilitati consulere singuli debent, & contra necessitatem, qua pauperibus opem ferre tenemur; si affirmes assidua quædam officia, quæ mulieres facile adeo patiuntur, publico quidem scandala esse, scopulos vero earumdem pudori: Si, cum Tertulliano, inanes earum ornatus animarum voces homicidia, atque venena, quanta tibi conflas inimicitias? *P. Aurelianensis, sermone de veritate.*

Mulieres magis, quam viri, vitæ molli sunt obnoxiæ.

Quam metuendum hac in re est nobilibus fœminis, quæ in misera vivunt inertia, quæ ethnicam quamdam probitatem cum felici indole, bonaque educatione conjunctam, virtutis locum obtinere putant; quas naturalis superbia a flagitiis arcet; quæ se satis bonas arbitrantur, quia in oculis mundi non admodum noxiæ videntur; & quæ singularem sibi inesse virtutem credunt, quia plurimum habent honestatis, & modicum vitiorum, eorum saltem vitiorum, quæ magis elucescunt, & quæ auctorum suorum nomini officiunt; sed quæ mollem, inertem, inutilemque vitam ducunt, quin ulla umquam misericordiæ, ac pœnitentiæ opera exerceant, quin christianas virtutes assequi curent, quamquam de fide sit, sine illis nullam sperandam esse salutem. *P. Bourdalove in sermonibus sub ejus nomine editis.*

Hæc mollis & voluptuaria vita opponitur vitæ Jesu Christi.

Non cogitamus, S. Paulinus inquit, per Baptismi gratiam fideles cum Jesu Christo consepultos esse; spopondisse crucem se amplexuros, non ultra sibimetipsi, vel mundo victuros, sed effecturos, ut Jesus Christus vivat in ipsis .... Non cogitamus, christianam vitam esse debere non imitationem solum, verum etiam continuationem vitæ Jesu Christi; quia hujus spiritus agere debet in illis, & in cordibus eorum eosdem sensus imprimere, quos in corde ejus impressit. Si christiana vita hac spectaretur ex parte, liqueret statim quam longe ab illa mollis vita recedat; neque ullis opus esset rationibus ad eorum mentem evincendam, quibus de præcipuis religionis nostræ veritatibus esset persuasum. *Ex tractatu de Comœdia.*

Opposita est vitæ pœnitenti, & mortificatæ, quam Christianus ducere debet.

Quanam in re mortificata vita consistit, quæ christiano viro ducenda est? In hoc sane, ut per spiritum opera carnis mortificet; ut a quibusdam secedat societatibus, quorum familiaritas nimis est periculosa, quod ipsa docuit experientia; ut interius mundi pompas abdicet, a proximis peccati occasionibus absit, ut pœnitentem ducat vitam iis satisfacturus criminibus, quæ patravit; ut paulatim suas affectiones infringat eisdem ea negans, quibus possent inflammari; ut numquam nimis mundanis sese abdat solatiis, quæ vel aliquo tempore nocua sint, vel aliqua ex causa sint criminosa; ut per virtutem ab illis etiam temperet, quæ per se culpa vacare possunt. Verum quis non videt mollem vitam esse omnibus hujusmodi præceptis; atque institutis oppositam? *Ex moralibus sermonibus.*

S. Bernardi sententia de vita molli.

S. Bernardus l. 1. de consideratione inquit, mollem hanc voluptuariamque vitam homines in quamdam stupiditatem, & quodammodo necessariam obdurationem conjicere, & nihil magis metuendum esse, quam funesti hujus status calamitatem....Per quos gradus in hanc corruptionis, & duritiæ abyssum descenditur? Sæpe per mollem, voluptuariamque descenditur vitam, sanctus idem reponit. Cur autem? quia anima hoc in statu fit omnino carnalis, atque animalis, habetque interiorem quamdam stupiditatem, quæ fere separari non potest ab habituali consuetudine peccandi. *Ibidem.*

Quid impugnetur, cum de molli vita habetur sermo.

Hodierna die non conversationes, non sodalitates, non ludos, non voluptates, non solatia perstringo; sed ad examen revocandum est, utrum

vita

vita ex his rebus omnibus constans merito innocens vocari queat; atque utrum hic innocentiæ prætextus eidem jure applicetur: ego vero affirmo vitam hanc damnationis esse. Ecce autem Tridentinæ Synodi verba, quæ mihi terrorem incutiunt: *Tota vita christiani perpetua debet esse pœnitentia*. Cumque non videatur periculum, quod in hac vita molli adest, hæc infelicissima fascinatio est, quæ mundum excæcat: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum*; Sap. 4. videlicet quædam est fascinatio, quæ ita nos perstringit, & excæcat, ut minime videamus magnitudinem bonorum alterius vitæ, & periculum, quod sub specie bonorum vitæ præsentis delitescit; quod satis explicare non possum nisi hoc Isaiæ Prophetæ verbo: *Spiritus vertiginis*. Vertigo est, circuitus, ac jugis confusio. Hæc voluptas, & deambulatio, hic cœtus, & hoc solatiolum; dormire, consurgere, sese comere, vesci; omnes isti circuitus, crebræque visitationes, quas cum mane receperis, a prandio reddis &c. *Impii in circuitu ambulant*. Psal. 11. *Sermo manuscriptus*.

Vita mollis non est vita christiana.

Inviti licet, fateamur oportet auditores non æquam nobis esse Christianæ sanctitatis ideam. Quid autem? Sese anoibilaverit Deus; totum effuderit sanguinem, & in cruce mortem subierit; tot præparaverit Sacramenta, tot operatus fuerit miracula, ut Religionem institueret; atque tota hæc religio, tot laborum, prodigiorumque fructus ad aliquot aquæ guttas in nostra nativitate redigatur; ac deinde liceat, si libitum fuerit, aleis invigilare, tesseris ludere & ducere choreas. At enim quæritis, quis salvus erit, si ad salutem assequendam, abdicanda sunt mundi solatia, labor amplectendus est, & bona opera exercenda. Ego vero ea vobis quæro, si hoc necessarium non est, quis non salvabitur? Cur Evangelium tantopere exiguum electorum numerum exaggeravit, si ludentibus, atque omni voluptate fruentibus licet in cœlum contendere? *P. De la Colombiere*.

Inanis spes existimantiũ se in hoc vitæ genere salvari posse.

Profitetur S. Paulus *ad Philip.* 3. se rerum omnium jacturam æquo subiturum animo, & quidquid maximum, & locupletissimum est nullo habiturum in pretio, dummodo Jesum Christum lucretur: *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Hodie vero prorsus opposito sensu speramus, & credimus nos eumdem lucraturos esse mollem, immortificatamque vitam docentes; atque ut verbo me expediam in pernicioso hoc errore vivimus, Christianos nos esse posse, & salvari, quin ea relinquamus, quæ habemus; quin ex corde nosmetipsos abnegemus, quod quidem Jesus Christus, omnesque Patres esse affirmarunt penitus necessarium ad nostræ vocationis sanctitatem. Hoc enim chimæricæ horum temporum devotionis adinventum est; Christianismi quidem gloriam, pœnam vero non item habere volunt; illum sibi honori vertere cupiunt, ut conscientiæ stimulos suffocent; illius autem jugum nolunt sustinere tanquam nimis grave, & incommodum. *P. Bourdalove in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur*.

Turpe christiano viro est in mollitie, et epulaque versari; tenetur ille suæ mensæ subtrahere quidquid conditionis suæ decor permittit, sibique quantum potest deliciarum usum interdicere non solum secundum probitatis, verum etiam pœnitentiæ leges. Insignis enim illusio est arbitrari in mundo homines esse, quos status sui ratio in deliciis versari cogat, & a pœnitentiæ legibus dispenset. Nihil adeo facile est, quam hunc errorem agnoscere, non solum ex christianæ religionis præceptis, quæ neminem dispensant, verum etiam ex plurimorum Regum, & Principum exemplis, qui in austeritatum exercitatione nihilo fuere præ aliis diligentiores. *Essais de Morale tom.* 5.

Numerus eorum qui mollem, & voluptuariam vitam vivunt ingens est.

Quantumvis magnus sit horum mortalium numerus, qui impie vivunt, modicus tamen videri potest si comparetur cum illis, qui sub specie frugi, sanctæque vitæ reipsa voluptuosissimam ducunt vitam nihil suis affectibus denegantes. Honesti homines, ut mundo videntur, & æquitatem profitentes: sed quorum negotium omne est otium juge; vel sollicita earum rerum cura, quæ ambitioni, & cupiditati velificantur; homines demum, quos vitæ ratio Evangelicis contraria institutis in eo majus periculum adducit, quo se tutiores esse arbitrantur. *Sermones morales tom.* 6.

Hæc vita mollis principũ virorum ac locupletum propria est.

Religioni minime sibi vertunt ad satietatem terranis perfrui deliciis, quin ullam vel Evangelicorum canonum, vel propriæ imbecillitatis habeant rationem. Divites præsertim, nobiles, & qui aulam frequentant, sibi persuadent, omnia commoda, omniaque sæculi solatia ad se pertinere; per status sui conditionem licere sibi mollem, inertem, & voluptuosam ducere vitam; sensibus, & cupiditatibus suis satisfacere, & quoad possunt, commodam, suavemque sibi vitam parare. Hinc seipsos ab omnibus pietatis, & religionis exercitationibus, quæ incommodæ accidunt, dispensant; vetant, ne sibi verba fiant de iis, quæ requiem ipsorum perturbant: inquirunt homines, qui sibi palpent, & per quos omnibus vitæ suavitatibus perfruantur. Quod ad christianas pertinet mortificationes, licitis aliquando voluptatibus abstinere, recessum, orationem, & bona opera status, & conditionis suæ propria exercere, hoc ab eorum usu quam longissime abest, eamque tandem devotionem adoptant, quæ ipsis arridet, eorumque cupiditatibus non obluctatur. Maximi faciunt, quod nemini vim inferunt, & quod insignes injustitias non committunt, quasi christiana vita esset nihil mali facere quin aliquid boni fieri quæratur. *Auctor Anonymus*.

Quid hominibus in mundo faciendũ, ut christiane vivant.

Si qui in mundo versantur christianam vitam vivere volunt, in mundo ipso arctam quærere viam debent, extra quam nulla salus: & sperare, se eam Deo fovente inventuros, dummodo lacrymis ea prosequantur, quæ aliorum gaudia constituunt, atque oculis fidei respicientes vanitates, ac mundanorum solatia hæc aspernentur, & horreant. Seipsos solitarios præstare debent in turba; quales profecto erunt, cum aliter vivent ac homines mundi, fovebuntque cogitationes, consilia; & exercitationes illis prorsus oppositas; cum operi vacabunt, aliis in otio permanentibus, cum affectus suos impugnabunt, aliis eisdem satisfacere cupientibus; cum Deo preces effundere, cum Deo loqui, Deumque audire quærent, aliis in obtrectatione, atque assentatione tempus terentibus; cum denique nihil reliquum facient, ne sæculi iniquitatibus coinquinentur. At ne audeant se Deum inter, & mundum dividere, & ab utroque id mutuari, quod commodum, suoque ingenio conforme reperient; hæc enim proprie vita mollis, ac temperati christianismi species vocatur. *Idem*.

Plerimi arctam amplecti viam volentes falluntur.

Scio equidem, si sæculum hoc spectemus ex reformatione, severitate, austerisque sententiis, quas plurimi hodie magnifice profitentur, non defuturum, unde mundanorum relaxationem consolemur: verum nescio, utrum penitiora scrutantes eorum corda, qui videntur altius hunc severitatis spiritum concepisse, inveniemus, quod externa species promittit. Videmus enim adeo mirabilem severitatis, & relaxationis commixtionem in vita plurimorum, qui severi cupiunt haberi, ut quantumvis obiter illos ad examen revocemus, liqueat, eos longe alios esse ab iis, quos esse simulant. Quæ via corpori arcta est, nimis lata est cordi; quæ sensus arctat, hæc laxat mores; ac sæpe miro concupiscentiæ, amorisque proprii artificio contingit, viam hac ex parte coarctari, ut laxetur ex altera; & immodice ea ex parte, quo nos studium non rapit, viam ad angustias redigi, ut quo nos fert ingenium, ibi ultra modum fiat latior. *P. Aurelianensis. Sermone de severitate Evangelica*.

Nibil

Nihil in speciem quidem suavius est molli mundanorum vita; mens omnis expers curæ, corpus omnibus perfruens commodis; variarum voluptatum sibimet succedentium series; agitatio jucunda, quæ mentem recreans, quin illam occupet, eam seriis, maximeque necessariis considerationibus liberat; vita spectaculis, conviviis, deambulationibus, conversationibus dedita; nihil hoc jucundius fingi potest, si spectetur extrinsecus. Attamen hic omnis felicitatis evanescit adspectus, cum salutis, quod ibi inest, periculum consideratur; cum cogitatur hoc vitæ genus Evangelicis oppositum esse institutis; vitæ Jesu Christi in doloribus, cruciatibusque transactæ; viæ quæ ducit in cœlum, quod nonnisi vi rapitur, quam sibi quisque facit, & quo nemo nisi per cruces, & passiones pervenit. *Auctor Anonymus.*

Christiani vita conformis esse debet vitæ Jesu Christi.

Christianus, qui ex statu suo capitis crucifixi membrum est, quoddam est deforme, ac monstrosum in Jesu Christi corpore, nisi in se deferat characteres, & uti loquitur S. Paulus, stigmata Salvatoris sui. Quæ autem similitudo est inter caput spinis coronatum, & membra floribus redimita? inter vitam Jesu Christi, quæ fuit laboribus exercita usque ab infantia, & Christianorum vitam, quæ catena est voluptatum? Potestne apertius impugnari terribilis hæc Tridentini Concilii sententia, asserentis totam christiani hominis vitam jugem esse debere pœnitentiam: *Tota vita christiani perpetua debet esse pœnitentia.* Ita loquitur Oecumenicum illud Concilium, quod morum, æque ac fidei nobis norma esse debet certissima. Non dicit autem vitam religiosi hominis, sed christiani: nullam excipit ætatem, nullam conditionem, nullum sexum, omnesque simul involvit mortales in hac inevitabili crucis deferendæ necessitate, quam perpetuam pœnitentiam appellat: *Perpetua debet esse pœnitentia.* Hæc igitur mollis, & commoda mundanorum vita non est vita Christiani, quandoquidem tantum distat a pœnitentia, quæ ab illa separari non potest. *Specimina serm. pro Adventu.*

In hac molli vita nemo seipsum sanctificare contendit.

Sanctificatio nostra Dei opus, & nostrum est S. Augustinus inquit: *Hoc opus suum esse voluit, & nostrum:* Dei opus est nos evocantis, nostrum vero, qui vocantem sequimur: *suum vocando, & nostrum sequendo.* Hæc autem vita, quam mundus innocuam vocat, nos divinis vocibus surdos facit, vel prohibet ne sequamur illas: neque aliquid ultra requiritur, ut, quam noxia sit, innotescat. Et sane fieri ne potest, ut qui semper voluptatibus addicti sunt, semper distracti, semperque tot jucundis rebus, societatibus, & conversationibus occupati, quas Deus minime vult, & ubi idcirco nequaquam supplere tenetur attentioni mentis eorum copia luminum suorum; fieri ne potest, inquam, ut id genus homines animum advertere solum possint considerandis, meditandisque veritatibus Religionis, quas illis ob oculos objicit gratia? At nisi suas adjiciant cogitationes interioribus illustrationibus, quibus a Deo illuminantur, quem inde referent fructum? Nisi autem ex Dei gratiis fructum referant, fieri non potest, ut salutem suam operentur. *Ibidem.*

Hæc vita mollis innocens esse non potest.

Vita inutilis, atque bonorum operum sterilis culpa vacare non potest, quia culpa non vacat ea vita, quæ saluti ejus non prospicit, qui ducit illam, sed quæ illum damnat, quandoquidem nil medium est salutem inter, & damnationem. Qui non colligit mecum dispergit, & qui non est mecum contra me est, ait Jesus Christus *Luc.* 15. & *Matth.* 12. ut intelligamus, ab ipso reprobari christianos hosce neutros, & ambiguos, qui neutri parti hærere videntur. Deus videns cor christiani inter ipsum, dæmonemque divisum? inde egreditur, S. Augustinus ait, dæmonique relinquit eam partem, cujus dominus videbatur. Multum malis facis, cum non facis bonum, quod ex te petit Deus: omnes negligentiæ tuæ omissiones sunt infidelitates gratiæ ejusdem..... Neque solum suavis, & commoda mundanorum vita innocens non est; sed si serio secundum sanæ disciplinæ principia illam ad examen vocemus, vita hæc prorsus criminosa est, atque ut ita dicam, non intermissa peccatorum catena, quia ab una voluptate ad alteram, ab una ad alteram cupiditatem fit transitus. *Ibidem.*

Alia eorū hypotyposis qui mollem vitam ducunt.

Non deest quædam christianorum species, qui in mundo honesti viri censentur; qui neque in improborum, insigniumque peccatorum numero sunt, neque in numero eorum, qui se pios esse profitentur, bonis operibus, omnibusque suæ religionis officiis intentos, sed qui inter utramque hanc vitæ rationem mediam sequi viam affectant. Non patent illi quidem gravioribus vitiis, oderunt crimina, quæ nomini infamiæ notam inurunt; verum omnibus perfruuntur solatiis, omnibusque voluptuariis cœtibus adsunt; in nulla re desunt earum, quæ mundi vocantur officia; sed satis putant id exercere per urbanitatem, quod in Christianismo maxime necessarium est. Norunt satis quid faciendum sit; sed mundo magis placere contendunt, quam Deo: Domini legem observant, non autem universe, neque perfecte; quibusdam in officiis fideles, in aliis se facile dispensant; nullam sibi vim adhibent, nullam curam impendunt, ut suos vincant affectus, nullam habent famem sitimque justitiæ, nullum in virtute progressum; sed quærunt indesinenter commoda sua, & quidquid vitam ipsorum efficere potest jucundiorem. Hæc vita est hominum, qui honesti mundo vocantur, sed quæ coram Deo multiplici ex causa nequam est. *Sermo manuscriptus.*

Vita mollis non est vita christiana.

Christianismus duas nobis generatim leges præscribit, quæ norma esse debent vitæ, totiusque christiani hominis disciplinæ. Prima est mundum, & eorum quidquam, quæ mundi sunt, a nobis amari non posse. Hæ duæ sunt leges, quæ unam tantum efficiunt, quam gratia semper ponit ob oculos fidelium eo in commercio, quod cum mundo habere tenentur. Duabus hisce utamur regulis, ut illas actionibus applicemus, consuetudinibus, moribusque eorum, qui mollem ducunt vitam, quales vulgo Principes sunt, ac divites sæculi. Vita hæc nemini fere criminosa videtur, quippe magnis caret sceleribus, neque adulteriis fœdata est, immo neque brutali, turpique intemperantia, cui se nequiores ingurgitant. Verum utrum reipsa noxia sit, ex duplici hoc canone judicemus. Perpendamus utrum in hac vita, quæ mollis vocatur, cor a terrenis avulsum sit, æternorumque rerum amore succensus. Qui minus hanc vitam oderunt; immo qui eam maxime diligunt, non negant, ab ipsa voluptates amari, & inquiri, atque plurimum divitiarum in easdem impendi; illam semper oblectari deliciis, atque in id unum incumbere, quomodo amoveat quidquid illorum pacem, & requiem valet perturbare; atque ita negare non possunt illam vitæ crucis, quæ fidelium vita est, esse oppositam. En generatim, quid sit vita mollis: sed de vitæ hujus veritate ex his principiis judicium feramus; res mundi hujus amandas non esse, cor a terrenis esse avocandum; statimque patebit, illam, cum non aliud sit quam amor mundi, christianam esse non posse, nullamque partem habere in nostrum metipsorum abnegatione, nullumque indicium, quod cor nostrum sit ad res æternas conversum. *Sarrazin tomo 2. Adventus sermone de sui ipsius abnegatione.*

Vita mollis divisa est Deum inter, & mundum.

Non postrema inter vulgatissimas, periculosissimasque sæculi illusiones, illa est pleroruMque fidelium, qui extrinsecus retinent adhuc aliquos religionis sensus, tati, quia in flagitiosissimam relaxationem non ruunt, se cum Deo rem componere posse, illi simplicem superioritatis, & existimationis præ mundo in animo prælationem deferentes, atque hoc pacto utrique huic simul domino servire posse. Fatali hoc errore decepti morum disciplinam juxta suam cupiditatem sibi concinnant: nolunt omnino Dei servitutem abdicare, at ne mundi quidem servitutem penitus abjicere nolunt. Frequenter ad Sacramenta accedunt, preces, & eleemo-

synas

fynas effundunt, verum semper animo rebus creatis adhærent, atque sine religione sese omnibus mancipans objectia, erga quæ incompositis rapiuntur affectibus. Si alteri tentationi resistuns, cedunt alteri; si mundum ea ex parte contemnunt, quæ ipsorum cupiditatem non palpat, ad commentitium contemptum hunc reparandum aliis in rebus a se illum amari posse arbitrantur. Pœnitentes, sed quin sibi vim faciant, sed quin amorem proprium abnegent, temperantes ex urbanitate; honesti ex officio; zelantes ex vanitate; nunc devoti, nunc mundani alternis vitiorum, virtutumque vicibus, & bonorum malorumque studiorum mixtura. *Ex moralibus sermonibus, tomo 8.*

In hac vita molli nulla fidelitatis Christiani homi nis ratio haberi potest.

Non admodum fidendum est eorum fidelitati, qui cum Deo componere student; qui sese ita illi tradunt, ut cum ejusdem hostibus bellum non gerant; qui pietatem in speciem tantummodo sequuntur; qui post se relinquere videntur aditum semper patentem, ut cum libitum fuerit, redeant ad mundum; qui aliquod servans adhuc cum illo vinculum, & non omnem dæmoni spem auferunt imperium suum iterum obtinendi. At nonne hic eorum status est, qui commodam vitam ducunt, postquam flagitiosam duxerunt; qui adhuc adhærent mundo quem se relinquere simularunt, & qui sati esse putant dimidiato corde servire Deo, postquam totum impenderint mundo. Hoc non est, fateor equidem, ad prima relabi flagitia, sed earum partem servare est; non est eadem peccata committere, sed minora patrare, nam eadem, quæ antea, retinetur affectio, sed pudet eadem ut antea committere. *Auctor Anonymus.*

Deus pati nequit divisionem inter se & mundum.

Deus hæc neutra genera odit; anima frigida minus illi displicet, quam tepida; apertusque inimicus, quam iners, & imbecillis amicus; inducias non vult; vel pacem, vel bellum cupit; qui duorum Principum inter se diffidentium gratiam aucupatur, sæpe utrumque lædit. Qui Deo, & mundo satisfacere admititur, vulgo neutri satisfacit: officia illis præstanda, ita sibi adversantur, ut alia obire non possis, quin in aliis deficias. *P. Nepveu, tomo 3. Christianarum Considerationum.*

Qui mollē amplectitur vitam, perditionis loquenditur via.

Hæc præclara sunt amoris proprii erga nos merita; efficit ut ita in hac perditionis incedamus via, ut ibi nequaquam esse cogitemus mollem, inertemque vitam ducentes; neque animum advertere vellimus, ut id cogitemus. Neque ideo existimandum est, quod nosmetipsos in hoc vitæ statu imperfectos non agnoscamus, nobisque vitia, infirmitates, & cupiditates inesse nesciamus; sed cum in mundo magis nefaria non desint crimina, quæ ipsi in conscientia nostra pati minime vellemus, & mortales nequiores, quorum licentiam, & impietatem perhorrescimus; nobismet persuademus, hos tantum flagitiosos homines latam perditionis viam decurrere; & quia non eadem insistimus via, vel non eadem pernicitate in præceps ferimur, eo nos nequam ferri arbitramur. *P. Haineuve in præfatione libri, cui titulus, Lata via, quæ mundum perdit.*

Pericalosissimus error est credere, eum qui mollem, inertemque vitam ducit, non esse in lata via quæ ducit ad mortem; hoc enim idem est, ac dicere neminem esse posse nequam, & improbum nisi in omne scelus perditissime ruat: & ad interitum non pergere, qui gradatim, lentoque pede ad illum incedit. Si conscientiam nostram interrogaremus, intelligeremus utique, sicuti hujusmodi vitam ducentes nequaquam rectam sequimur viam, in quam Dominus noster, ut ingrediamur, invitat, ita nos injuria confiteri nolle, quod in latiori via sumus; & ultro concederemus nos nequaquam in eorum esse numero, qui inter cruces, atque austeritates vitam agunt, quæ hanc viam arctatu, januamque angustam efficiunt, sicuti pati non possumus eos, qui nos exprobrant quasi impiorum more vivamus. Hinc sequitur, quod tertium esse arbitramur iter, cujus non meminit Jesus Christus, & posse nos tuto in hac incedere via, quin in hoc mundo plurimum adlaboremus, ut perveniamus in cœlum. *Idem.*

Undenam oriatur hic error in plerisque mortalibus.

Numquam fortasse advertimus animum ad tertiam hanc viam, de qua mox locuti sumus; sed re ipsa naturaliter mollem, inertemque vitam diligimus, omnibus commodis frui gaudemus, quin plurimum laboris vel difficultatis perferamus, & hoc in statu spiritus nostri, si respondere teneremus, unam eligere velimus viam, diceremus utique nos neutram velle: non arctam, quia vim, laboremque metuimus, sed neque latam, quia interitum, reprobationemque veremur, qui ejusdem exitus est. Quid ergo? Quo incedere volumus? quomodo vitam agere cupimus? Si cor nostrum aperire auderemus, confitendum esset a nobis inquiri modum vitæ hujus voluptatibus perfruendi, quin metuendum nobis esset, ne in æternum damnaremur, & ad æternam beatitudinem perveniendi, quin nobis perferendi essent omnes labores, & curæ, quæ ad illam promerendam subeundæ sunt. Hoc nos inquisimus, hoc volumus, sed quodnam hoc iter est? ubi hæc tuta via? ubinam in orbe invenitur? Hoc sane esse nequit alterutra earum de quibus loquitur Evangelium? altera enim nonnisi in laboribus, crucibusque, quas fugimus, invenitur; altera vero desinit in perditionem quam metuimus, & minime volumus. Tertia igitur fingenda est, quæ numquam fuit, eritque numquam; quæ neque pro hac vita molesta sit, neque periculosa pro altera: & hæc illa via est lenis, & commoda, quæ ex aliis duabus habet nihil, nisi quod nobis satisfacere potest.

Nemo eorum qui hoc vitæ genus amplectuntur, damnari vult, sed omnes damnantur.

Ne unus quidem ex illis est, qui mollem hanc, inertemque vitam ducunt, qui non profiteatur maximam æternæ salutis suæ curam, & qui ideo non a gravissimis quibusque sceleribus abhorreat, atque ab iis vitiis recedat, in quæ suopte ingenio facile rueret. Sibique complacet per hanc conciliationis speciem Deum inter, & mundum sese videns distinctum ab apertissimis Dei inimicis, & ab omni virtute, cujus viæ homines, ut Apostolus inquit, numquam regnum Cœlorum possidebunt. Constat nihilominus, quemadmodum superius ostensum est, hos mortales, præter mentem damnari, atque in illusione versari. Tu vero, dilectissime Auditor cave ne te decipias; quamquam optimam te ipsum salvandi voluntatem habere videaris. Intereunt illi, quia sunt in illusione, neque sibimet persuadere possunt eam, quam ducunt, vitam ad mortem adducere; tu vero, qui in eadem es sententia, ne illusione dicam, qui, ut illi, vivis, & qui, ut illi, minime credis in vitæ periculo versari, eadem insistens via, quam metuendum tibi est, ne ad eumdem finem pervenias? Teipsum paulisper collige; cogita non esse te in arcta via, in qua unice salvari possumus; arctæ huic vitæ, quam Dei filius nobis ostendit, eam, quæ tibi maxime arridet, extensionem tribue; nullum illius characterem deprehendo in eo vitæ genere, quod licitum, & innocuum esse contendis. *Ex sententiis Auct. ejusdem.*

Interest scire, quænam sit arcta via, per quam in cœlum eundum est.

Heus tu, quid cogitas, quid existimas de hac perditionis via, de qua adeo palam sermo fit in Evangelio? quomodo illam intelligis? Malorum omnium fons est, hoc ignorare; nisi aliter hanc tenes, quam homines vulgo; & si putas, neminem in lata via decurrere, nisi qui omnibus sese flagitiis mancipiat, næ tu quidem vehementer erras; & error hic præsertim te perdet; prohibet enim, ne agnoscas illud, in quo es, periculum, & in quod te animi tui ægritudines possunt impellere. Contende igitur hunc errorem abjicere, atque ita perfecte nosse quid latam, arctamque constituat viam, ut id intelligas, quod Salvator inquit, plerosque mortales eam sequi, quæ lata est: ad hoc, ut in eadem gradiatis opus non esse ut sis ex scelestissimorum numero; sed satis esse, non recenseri in albo eorum, qui virtute sunt præditi, & qui amplectuntur crucem, arctamque

chri-

christianæ mortificationis viam; cumque serio perpenderis mollem, commodamque vitam quam ducis, fortasse metuendi locum invenies, ne in eo, in quo minime putas, numero inveniaris. *Idem.*

Modus cognoscendi utrum in lata, an in arcta via simus.

Verum est, de nemine judicandum, & neminem tuto de vitæ suæ statu posse ferre judicium: at non minus verum est, non deesse indicia, & signa quædam, ex quibus nosmetipsos ita inspicere, & cognoscere valeamus, ut in quo statu simus, ignorare nequeamus. Mundi Salvator nequaquam satis esse censuit, si nobis duas esse aperiret vias, quarum altera ad vitam, ad mortem altera adducit; verum etiam nobis indigitarit, quinam diversis his itineribus insistant. De aliis dicit: Luc. 6. *Væ vobis, qui ridetis;* Væ vobis, qui hoc in mundo vestra gaudia, vestra commoda habetis, vestramque consolationem: de aliis vero: Matth. 5. *Beati, qui lugent, beati, qui persecutionem patiuntur.* Vide modo in molli hac commodaque vita, utrum patiaris, an tuum gaudium, & lætitiam invenias. *Idem.*

Quædam peccata sæculi usu approbata videntur, & omnem exuisse noxam creduntur. Pulcherrima illis species appingitur, & nobismet persuadere conamur, ea nullateous Evangelicæ legi esse opposita. Ita homo, ac mulier mundana secundum mundum vivunt, secundum mundi instituta vitam traducunt, omnibus vacant solatiis, omnibus indulgent voluptatibus, & hæc omnia innocua esse contendunt. Hoc multum est, fideles, mihique animus est commentitiæ hujus integritatis illusionem ostendere. Si vobis autem adhibemus, estis de statu vestro, ac de Mundo, cujus suavitatibus perfruimini, contenti, at vix credam, de vobis contentum esse Deum; ac vereor, ne abieritis in periculosam viam, de qua loquitur Spiritus Sanctus, & quæ tutissima, ac rectissima videtur; quæ tamen ducit ad mortem: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Hæc res nonne indiget explanatione? *P. Giroust tomo primo de Inutili mundi vita.*

Omnis Christianus ducere tenetur vitam pœnitentem vitæ huic molli oppositam.

Quatenus Christiani membra sumus Capitis spinis coronati; & discipuli ejus magistri, qui inter labores, & cruciatus vitam duxit, & mortem subiit. Ipsa, quam profitemur, fides nos cogitet, ut indesinenter nosmetipsos coram Deo veluti sontes consideremus, atque per pœnitentiam ea prævertamus supplicia, quæ illius nobis intentat justitia, & quæ toties meriti sumus. Si ergo Christianæ Religionis assequimur spiritum, omnes in terris pœnitentes esse debemus; pœnitens autem, Tertullianus ait, non vivit, ut sensibus suis satisfaciat, suisque cupiditatibus pareat, sed ut ploret, atque patiatur. Qua in re Tridentina Synodus *Sess.* 15. iis utitur verbis, quæ terrorem incutere debent illis, qui mollem, commodamque vitam ducere cupiunt: *Tota vita Christiani perpetua debet esse pœnitentia;* Audite, mortales voluptatibus, deliciisque dediti; ita Jesu Christi loquitur Ecclesia; totaque simul congregata Ecclesia. Hæc non minus ab erroris suspicione remota est, cum morum disciplinam corrigit, quam cum de fide disceptat; quia par nobis necessitas est & bene facere, & bene credere. Singula sancti Concilii verba enucleate; nullum est, quod non habeat vim peculiarem. Non dicit, actio aliqua, sed *vita*; non dicit, vitæ pars, sed *tota vita*. Non inquit, vita cœnobitæ alicujus, sed *Christiani*, neque ait Christiani alicujus, sed generatim *Christiani*, cujuscumque generis ille sit, conditionis, ætatis. Denique non ait hoc esse consilium, ac opus supererogationis, sed inevitabilem necessitatem: *Tota vita Christiani perpetua debet esse pœnitentia. Idem.*

Qui molliter vivit, nequit Dei gratia...

Nemo gratiæ fructum percipere potest, qui non sedulo omnibus ejus motibus studeat, ac diligentissime eamdem sequatur. Quæro autem, fideles, utrum huic pares sitis diligentiæ ea in vita, quam negotia, ac mundi solatia vicissim penitus occupant? Quot oblectamenta, & dulces nugæ ex mente vestra aliam quamcumque cogitationem exterminant, & in corde vestro alium quemlibet suffocant sensum? Tot sodalitates, solatia, convivia, cœtus, conversationes, ludi, spectacula. Inter hæc omnia quomodonam, & quando voci Dei adhibebitis autem? .... Hinc autem quibus in rebus teritur vita? in inutilibus, ineptisque nugis: & hæc illa popularis insania est, ex qua vix, & ne vix quidem nosmet colligimus: hæc illa fascinatio nugarum est, quæ nos fallit, & de qua Salomon *Sap.* 1. loquitur: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* Horum verborum sensum intelligite. In vulgatis sæculi distractionibus, falsisque illius bonis, non deest quædam illecebra, quæ nos fascinat, & excæcat, prohibetque, ne vitæ alterius bonorum magnitudinem, præstantiamque deprehendamus. Bona hæc ab oculis vestris evanescunt, dum alia concupiscitis, & cogitatis. Indesinenter circa hoc versamini, & in brevi hoc ambitu hæretis. Longissima annorum vestrorum series non aliud est quam vicissitudo, & perennis inconstantia concupiscentiæ de uno in aliud objectum transeuntis, ac unum id, quomodo seipsam nutriat, quærentis, *Idem.*

In hoc vitæ genere de Deo parum cogitatur.

Bona fide quæso, quotam temporis partem in hac vita, quam ducitis, singulis diebus impenditis Deo; vel potius fatemini vos ne minimam quidem eidem impendere. Neque enim putate, ullam habendam esse rationem quarumdam precum, quas per habitum, & sine ulla attentione proferunt labia. Quas etiam quoties omnino negligitis, prout fert libido, cum vos evocat mundus? Cæterum mentem habetis curis prorsus profanis, cœptis, consiliis, cupiditatibus, sæpe etiam ornatibus, indumentis, servis, supellectili, cœtibus, nugisque oppletam: hæc ipsi cogitatis; idque tanto magis, quia de nulla re alia loquentes auditis, vosque ipsi de illis incessanter sermonem habetis. Quomodo autem cogitare de Deo potestis, Tertullianus ait, ubi de Deo numquam incidit sermo? *Quomodo cogitabis de Deo positus hic, ubi nihil dicitur de Deo? Idem.*

In hoc vitæ genere multa committuntur peccata.

Frustra huic molli vitæ speciosum virtutis velum prætendis. Frustra dicis: mundum equidem video sed cum honestate, cœtus frequento, verum nihil ibi contra jus, & fas accidit. Sub præclara hac specie quoties flagitiosissimi sensus latent! quot insana consilia! quot mali conventus! Nonne miraculum esset, si quis staret tot inter pericula, quibus se indesinenter expositum videt? Quis mihi persuaserit in his virorum, mulierumque cœtibus, ubi sermones semper circa amatorias nugas versantur, & ubi nemo sibi religione vertit sexcentas loquendi rationes nimium liberas, obscœnasque mentem nullam labem concipere, sibique semper diligentissime cavere ab omnibus ideis, quæ illam corrumpere possent? Quis mihi probaverit, inter tot objecta, quæ placere possunt, atque reipsa placent, oculos nequaquam perstringi, & cor, quod oculos sequitur, ita compos esse sui, ut illis minime adhæreat? Crederem potius aliquem in violentum sese conjicere posse torrentem, quin aquarum flumine abripiatur; vel medium in igne stare, quin flammis uratur. Vix disertissima qualibet solitudo nos ab affectionum vi protegit. *Idem.*

Quid sibi fas esse velint homines in molli vita, quæ contra Dei legem est.

Qui ita vitam instituunt, se nullis agi scrupulis jactitant. Fas esse sibi putant, aculeatissimis irrisionibus, detractionibus callidis aliquem proscindere, jucundis fabellis, festivis, sed parum modestis vocibus; hilari, sed nimis familiari loquendi ratione alios oblectare mundanis, & decori oppositis ornatibus sese comere, videre, & videri, aliis complacere, assiduamque opellam officiose præstare. Hæc omnia tamquam usus recepti existimantur. Nesciret vitæ rationem, qui in his deficeret, nimisque rusticitatis insimularetur, qui hæc vellet damnare. Hi tamen usus totidem abusus sunt; & quantumvis obiter bona fide expenderentur, ne laxior quidem morum disciplina eos posset probare. *Idem.*

Ne

Distinguenda est vita mollis, a sceleribus, quæ committuntur.

Ne puteris istic me vobis per hypotiposim ob oculos exhibere velle sæculi corruptionem, quæ vobis quam mihi notior est: atque hic describere misera vitii mancipia, quæ cupiditatum vis ad extremum usque libidinis, licentiæ, atque impietatis etiam fortasse rapuit. Quamvis hæc vitia gravissima sint, atque enormissima, non semper tamen eorum contagium præ ceteris metuendum est: neque propter illa mundus saluti magis officere mihi videtur. Cum vitium personam abjicit, totumque suum horrorem ostendit, totamque infamiam sibi inhærentem, plurimum de viribus, illecebrisque ejus deperit .... Sed periculum fere inevitabile in sæculo exemplum est sanioris honestorum hominum partis, qui a turpibus hisce flagitiis abhorrens, non ideo sunt Dei regno propiores. Hæc videlicet vita mollis, iners, & voluptuaria, in qua nati sunt, quæ nihil sibi negat deliciarum, & commodorum, quæ natura requirit; quæ præcipue, & unice voluptatibus vacat, ubi alea, crapulæ, comœdiæ, spectaculisque chorea, & saltatio succedit; ubi dies integra non aliud est, quam non intermissa solatiorum, futiliumque nugarum series; ubi ambitionem fas esse putant, tamquam affectum animo bene nato dignum; ubi honor, & utilitas toto studio quæruntur; vita denique ubi nullum Christianismi vestigium videtur, & quæ hominibus ita placet, atque ut ita dicam, ita illos infatuat, ut ne dubitent quidem, utrum in salutis via reperiantur. *P. Cheminais tom.* 1. *sermone de religiosa Professione*.

Quodam oppositio adesse videtur inter vitam mollem, & præceptorum Dei observantiam.

Nihil prodest asserere, mollem, commodamque vitam ducendo, observari legem, nihilque ultra a Jesu Christo requiri. Fateor equidem nihil ultra requiri; & absit, quod vobis illud imponere velim onus, quo ne Jesus quidem Christus vos onerat; verum cavete, ne vos illo, quod impositum ab eodem est, exoneretis. Etenim esse in lata via, ubi quidem vos esse ea Evangelicis verbis liquido constat, & nihilominus legem servare manifesta contradictio est. Et sane vitam voluptuariam vivere, non autem criminosam, & ab illegitimis abhorrere voluptatibus; hilaritatem, amatoriosque mores in conversationibus amare, quin cor elabatur, atque fines, quos lex ipsa præscribit, effringat; teneras fovere amicitias cum alterius sexus personis, quin cor ipsum exæstuat; gloriam, ac dignitatem in pretio habere, quin cor ambitione intumescat: cum de honore agitur delicatissimum esse, simul severissimum in Evangelica servanda lege, qua injurias dimittere jubemur, hoc potissimum sæculo, quo nulli vel sacro, vel profano parcit invidia; mentem, & cor mundo repletum habere, neque illum magis, quam Deum diligere; orationem, & bona opera ignorare, diemque noctemque impendere iis cogitationibus, quæ vanitas suggerit, & nihilo secius suo Christiani hominis officio fungi; ex libidine, ingenioque suo vitam ducere, neque desipere &c. chimæra est. Quicumque ita vivit, latam decurrit viam: & quicumque viam latam decurrit, legem non servat. *Idem*.

Probatur, quod in hoc vitæ genere Dei lex non servatur.

Adeo verum est in molli hac, mundanaque honestorum sæculi mortalium vita legem nequaquam servari, quam si servarent, vita, quam tantopere in deliciis habent, omni prorsus suavitate illis carere videretur. Hæc mundanorum sors est, fastidire voluptates, ubi lege reguntur. Si in singulos gressus inspicere deberent, utrum quod cogitant, dicunt, faciunt, divinæ legi repugnet: mundi vita in crucem, ac non ferendum supplicium converteretur; quemadmodum illis accidit, qui divino afflati numine aperiunt oculos jugibus periculis, in quibus salus versatur sua, atque consilium ineunt rite Christiani hominis munere perfungendi. Mundus tunc illis molestus fit, & gravis; quantum antea placebat illis eo frui; tantum displicet ipsis æternas mundi, & Evangelii contradictiones ibi experiri; sunt in statu violento, ac sæpe integrum secessum prælio adeo periculoso censent anteferendum. Ecce autem cur mihi magis metuendus propter assertam frugalitatem mundus videatur. Quid enim conari potest adolescens, ne has vias ingrediatur? Eo se trahi videt saniori honestorum mortalium parte; se probari ab illis videt, quorum, mores illius formare, maxime interest: qui hujusmodi vitam ducunt, ante alios apud eum magna detestantur flagitia; exactam probitatem, & fortasse etiam pietatem profitentur, quam æquissimam putant, quia singula expendentes nihil, quod conscientiam vulneret, intuentur. Mundi usus, & multitudo animos facit; sese mutuo decipiunt, neque cogitant, eos, quos sequuntur, esse *non viæ duces, sed erroris comites*, ut S. Hieronymus inquit. *Idem*.

Inanes excusationes, falsique prætextus mollem vitam ducentium.

Frustra his mortalibus persuadere contendimus, ut de eo, in quo sunt, periculo cogitent: semper in eadem hærent sententia, & quærunt, quid mali faciant? Utrum aliena capiant, & proximo negant, quod illi debent? utrum iracundi sint, ultores, detractores, libidinosi? Semper id repetunt, neminem damnari, ubi nihil ex iis, quæ a Deo prohibita sunt, faciat; & juxta speciosum hunc canonem, quem more suo interpretantur, audent arbitrari, se in via salutis incedere. Palam quidem fatentur, se in perfectorum numero non esse; se tamen in peccatorum numero esse fateri nolunt; neque advertunt hanc vitæ inutilitatem, cui innocentiæ velum prætendunt, crimine nequaquam vacare; ex diametro oppositam esse disciplinæ Jesu Christi, qui illam sexcenties in Evangelio anathemate perculit; utque omnia verbo complectar, secundum fundamentales fidei nostræ regulas, maximum coram Deo malum esse, nihil boni operari. *P. Girousť De vita inutili tomo* 1. *Adventus*.

Eorum mortalium mollities, qui immodicis fatigantur curis, ut a se quodvis arceant incommodum, ut plurimum noxia est. Periculum enim est, ut virtutem in discrimen adducunt, quæ ubi standi occasio adest, infirmetur, & corruat. Hæc etiam mollities semper aliquid ridiculum habet. Minutæ hujusmodi præcautiones, quas requirit, molesta hæc vigilantia, quam inspirat, tumultus, libido, inconstantia, quæ illius comites esse solent, imbecillitatem, infirmitatemque irridendam designant. Mollities hæc æque contemptibilis, ut parum christiana seipsam fallit, ac in caput suum illud vertit malum, quod vellet effugere. Qui per summum dedecus ita vitæ hujus commodis, & deliciis inhæret, cur sese demittit ad molestum hoc examen rerum omnium, quæ mollitiei suæ vel facere possunt, vel advertere? *Liber cui titulus*; *Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta*.

Scriptura contra mollitiem hanc testimonium.

Salvator asserit, eum, qui crucem non bajulat suam, dignum non esse, qui ipsius vocetur discipulus. Dives nequam in inferno ex Evangelio non alterius sceleris videtur reus, nisi quod mollem, voluptuariamque vitam duxerit, atque in superfluas mensæ delicias absumpserit, quod in pauperum solatium erat erogandum. Viduam in deliciis viventem, mortuam esse, testatur Apostolus; qui suadet, ut corpora, quæ sunt super terram mortificemus. Ille corpus suum severe castigat, & redigit in servitutem, ac palam docet, omnibus Jesu Christi discipulis carnem suam esse cum concupiscentiis ejus crucifigendam. Quænam fuit iniquitas Sodomorum, & domus Juda? Propheta Ezechiel interrogat. Filiæ sæculi, quæ putatis monstrosam hanc mollitiem, cui vosmet penitus abdidistis, cum Christianarum nomine conciliari posse, aurem adhibete terribilibus Prophetæ verbis. Quænam fuit, inquit ille, iniquitas Sodomorum, nisi superbia, immodicus, exquisitusque cibus, affluentia, mollities, & ignavia filiarum suarum? Contremiscite vos, quæ vosmetipsas in hoc tamquam speculo deprehenditis; hæc vitæ, quam ducitis, mollities abominabiles flammam succendit, quarum scintillæ in præsens fortasse etiam tempus evolarunt. Heu! inquit Dominus Deus vester, scitote, quod infelix ea civitas, & civium ejus filiæ scelera vestra non

exæqua-

exæquarunt : *Vivo ego , dicit Dominus , quia non fecit Sodoma foror tua , ipsa , & filiæ ejus , sicus fecisti tu , & filiæ tua :* Ezech. 6. Attamen , hisce perstrepentibus minis , in utramque aurem stertimus , tantumque luxus , mollitiei . ignaviæque videtur , quantum numquam antea .· *Essais de sermons pour l' Avvent . tom.* 1.

Voluptates , & solatia, quibus in hac vita molli indulgemus , hus peccati occasiones.

Amor proprius te ne ita excæcat , ut celet periculum , quod instat omnia commoda , voluptatesque suas inquirenti ? Nonne vides hæc omnia voluptatum objecta tentationes esse, & peccati occasionet ? Vetita non sunt ; innocua sunt , dicis . Illa quoad tibi placuerit , tuere, & proba ; ego tamen cum Spiritu Sancto per os Sapientis loquente reponam , creata omnia post primi homini scelus facta esse objecta odii , & abominationis , non secus ac sunt occasiones peccati , & laquei temere depereuntibus illa . Hinc magnum illud fluit Ethicæ christianæ principium ad salutem acquirendam , tuendamque innoccotiam opus esse animo a terrenis omnibus sejuncto , atque divulso . Ante peccatum homo ferebatur in Deum , & bonorum mundi usu recto sanctificabatur ; postmodum vero eorumdem catentia , & separatione sanctificandus est . In terris nullus amplius est pro homine peccatore paradisus , nullæ deliciæ , nulla voluptas ; ideoque illa perquirere , in illa curam , ac industriam omnem impendere , atque ex iis habitum , negotium , vitæ rationem efficere , idem est ac cœlestibus abrenuntiare gaudiis ; quæ nonnisi terrenorum fuga acquiruntur . *Pater Camaret tomo secundo libri cui titulus , Purus , perfectusque Christianismus .*

Fuga voluptatum, rerumque omnium , quæ sensibus blandiri possunt , necessaria est tuendæ gratiæ, ac servandæ innocentiæ , quam nobis Jesus Christus promeruit ; etenim post primum scelus in bis rebus omnibus , quæ mundi bona vocamus , in his voluptuariis objectis remanet maligna quædam infectio , quæ secum in animam usque defert corruptiones , quantumvis modicum hæc illis oblectatura immoretur . Hujus rei tot nobis funesta supersunt exempla , ut nesciam , quomodo vel ipsum voluptatis nomen non horreamus , neque satis passim stupiditatem , vel illusionem quorumdam hominum admirari , qui Asceticum vivendi genus profitentur , & qui sensibus , menti , & cordi suo facultatem sese effundendi relinquunt ; quasi nullum sibi immineret periculum in earum rerum omnium usu , quæ naturæ , & amori proprio blandiuntur , & in molli , voluptuatiaque vita , quam ducunt . *Auctor Anonymus .*

Parum illud bona , quod in hoc vitæ genere fit non prohibet damnationis periculi.

At enim aliquot bona opera fiunt , preces funduntur , erogantur eleemosynæ in hoc vitæ genere . Non inficior ; verum minorine cupiditate sensuum quæritur oblectatio ? Numquid melius dispositus es severæ pœnitentiæ , quam ex te divina exigit justitia ? Evangelii dogmata non ignoras ; religionem tenes ; inde ergo judicium fer de hac pietate , quæ tuam palpat ignaviam ; eas enumera actiones , quas Deo offeras aliquando , ut aliqua cum æquitate ab eo gloriam obtineas . Postquam inter mollis , iotetisque vitæ oblectamenta vitam traduxeris , tandem morti proximus fies . Fideine consonum est , ut repente animum ab iis rebus avellas , quæ hactenus tuum gaudium , tuaque requies fuere ? Quit spondere vellet pro sinceritate ejus sacrificii , quod facturus eris eorum bonorum , quæ tibi inevitabilis auferet potentia ? *Auctor Anonymus .*

Dei viventis militiæ dedimus nomen , atque per baptismi nostri Sacramentum juravimus , Tertullianus lib. adv. Marc. ait : *Vocati sumus ad militiam Dei vivi , jam tunc cum in Sacramenti verba respondimus .* Polliciti sumus sub Dei vexillis , & pro ejusdem gloria nos pugnaturos . Unde colligit ad spirituale hoc bellum tire bellandum constantia nobis opus esse , & delicatam mundi mollitiem esse abdicandam : *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit .* Qui deliciis assuetus est , bonus miles esse non potest ; non debet esse mollis , si vult in aciem descendere . *Æquiori* jure dicendum est , Christiano viro plurimum fortitudinis opus esse , ut salutis suæ inimicos impugnet , & Christianæ religionis officiis persungatur . *Bireat in Adventu sermone undecimo .*

Mollis hæc vita non est vitæ Jesu Christi conformis.

Hæccine vita christiana est , quæ conformari debet vitæ Dei pro vobis crucifixi ? Hæccine vita fervens , quæ pretium esse debet æternæ felicitatis , vestræque prædestinationis fundamentum ? hæccine vita illa solitaria , quæ mundo abdita esse debet , & abscondita in Jesu Christo ? hæccine vita mortificata , dura , & austera , sensibus , omnibusque sensuum voluptatibus contraria , quæ proprium efficit characterem legis filii Dei ; & quæ una tantum in Evangelio illius probata est ? Participes esse vultis gloriæ illius , verum quonam pretio illam emistis ? quos titulos protuleritis ? In Regno illius vultis admitti . Cur autem ; & quo jure ? Numquid quia semper in iis locis fuistis , quo mundus vos pertrahebat ? semperque in prosanis cœtibus , ubi austeritas nulla reperiebatur ? Gloriam hanc æternum possidere quæritis velut unicum finem , supremumque bonum vestrum . Cur ? Num quia dum vixistis , illius semper estis obliti ? Pura cœli gaudia petitis . Cur ? Num quia in vita indesinenter fallacibus terræ deliciis perfrui concupiistis ? Nonne e contra propter hanc ipsam causam repellendi estis , reprobandique ? *P. Giroust in Adventu . Tomo* 1. *sermone de inutili mundi vita .*

Inter duos hosce passionia , & voluptatis status , medium vobis aperire conamur , quod commodorum utrinsque sit particeps , expers autem incommodorum . Quodnam autem chimericum hoc medium est , neuter hic status ? Vita mollis est , ignavaque ab Evangelio reprobata , vita plurimorum fidelium , qui Jesu Christi doctrinam se credere profitentur , cum nihil eorum vel facere vel pati velint , quæ ille , & fecit , & passus est . Hæc enim ea sunt , quæ facimus : requiem perdite amantes , duos illi magnos obices invenimus , mundanæ vitæ stimulos , quæ nos ad infernum adducit , & vitæ sanctæ , quæ nos per severitatem ad cœlum attollit , austeritatem . Dum alterutrum eligendum nobis est , animum quidem adjicimus mundo relinquendo , virtutique amplectendæ ; verum non sine duplici præcautione ; quorum altera est ne quid ex mundo relinquamus , nisi quod criminosum est ; altera ne ex virtute recipiamus , nisi quod in ea commodum invenitur . *Sermo pro feria secunda Paschatis ; Anonymi Auctoris .*

Qui Deo non fervenier inservit , mundi irrisiones pati non potest.

Etiamsi non aliud nobis ferendum esset præter irrisiones , improbasque mundi censuras ; illis ne ferendis ignavæ hujusmodi animæ pares sunt ? Mundus naturali antipathia eos urget , qui salutem suam in via pietatis inquirunt ; sed semidevotos potissimum , ac tepidos persequitur . Illos per intervalla excitat neque parcit ; sincera enim , firma , & constans devotio reverentiam potius , quam mundi irrisiones sibi conciliat . Infirma tantum , & ambigua pietas in mundo contemnitur , & irridetur . Hæc futilis , & ridicula habetur ; vos autem levem hanc virtutem eligitis , tamquam certam , tutamque viam , cui mundus bellum indicit . In irritum cederet conatus ejus contra illum , qui vere virtutem amplectitur , quandoquidem mundi irrisiones contemnit ; at non id ipsum de illo dicendum est , qui mundum inter , Deumque hæret , hic mundi irrisiones sustinere non potest &c. *Idem .*

Cum lustralibus aquis ablueremini , carni abrenuntiastis ; hoc est polliciti estis futurum ut non viveretis secundum sensus ; recepistis criminum loco vos habituros mollitiem , ignaviam , voluptates , atque ut Apostoli verbis utar , spopondistis futurum ut carnem vestram crucifigeretis , & corpus vestrum redigeretis in servitutem . Hic non est perfectionis status , qui disciplinæ severitati innitatur ; votum est solemne , quod sanctissimo omnium religionis actuum incumbit . Non est consilium , sed inevitabile christianæ fidei debitum ,

Qui

Qui autem mollitiem videt, qua corpus excipitur; qui inertiam, ignaviamque intuetur, cui sese homines mancipant, nonne illos Epicuri discipulos potius, quam Jesu Christi Ecclesiæque illius filios appellet? *Pater Massillon sermone de exiguo electorum numero.*

Amor voluptatum cum Christiana vita conciliari non potest.

Adeo communis, & universalis cæcitas, cui mederi hoc in loco animus est, in eo posita est, quod putant mortales invenire se posse medium, ac temperamentum inter mortificatam, voluptuariamque vitam, in qua Christiana virtus possit exerceri, quin ei deferantur deliciæ, & commoda, quæ carnem, sensusque palpant. Cordi, quod pronum est in voluptates, & alioquin quædam habet Religionis principia adeo utile videtur mundi hujus voluptatibus tranquille frui, quin interim spem beatæ æternitatis amittat, ut facile in hunc errorem se trahi sinat, alterum cum altero posse conciliari, pura Evangelii dogmata amplecti, simulque mundi sequi principia arbitretur. Naturam omnem sensusque everteret, qui absolute infelicem hanc sequeretur inclinationem, quæ nos in omne flagitiorum genus pertrahit, omnibus conscientiæ exprobrationibus, stimulisque se subjiceret, dummodo vel modicum quid fidei, vel religionis haberet. Quid autem? dogmata hæc leniuntur, atque inclinationi huic modus injicitur; fingitur hic pœnitentiæ, crucis, & mortificationis spiritus pro illis tantum esse, qui ad sublimiorem Christianæ perfectionis gradum contendunt; eos vero, qui adeo sublime non conantur, & quibus in altera vita mediocris fortuna sufficit, posse in hac citra metum sibi plura permittere. Pro libidine sibi religionis systema confingunt conflatum cum ex iis, quæ in Christiana vita facillima sunt, tum ex iis, quæ in vita voluptuosa minus sunt nefaria: ex vita quidem molli enormia crimina, & nefaria scandala; ex Christiana vero cruces, humiliationes, atque pœnitentiæ, & mortificationis spiritum auferunt. Tres sibi characteres effingunt, primum quidem hominis sancti, alterum voluptuosi, ac mundani, tertium vero Christiani communis. Sancto in partem tribuunt pœnitentiam, nec non purissima Evangelii dogmata pro vitæ ipsius norma. Voluptuosus cum omnibus signis perditi hominis; ac palam in omnem licentiam, & petulantiam effusi describitur. In Christiani vero tabula ex utroque nonnihil commiscetur; ex voluptate aliquid, & ex virtute quoque aliquid ad illius proponendam imaginem sumitur. Pietatis exercitia quarumdam voluptatum perfruitione leniuntur; hæ vero voluptates aliquot piorum operum praxi temperantur. Sanctum quidem reverentur, & admirantur; voluptuosum detestantur, & horrent; at hoc Christiani phantasma sibi ad imitandum proponunt, eique eo fortius adhærent, ut sese illi conforment, quo magis statum hunc & tutum & commodum simul esse arbitrantur. *Manuscriptus sermo.*

Qui mollē ducit vitam nequit moraliter Dei mandata adimplere.

Quid vitæ mollis fautores objicient, præsentio. Inquient, mandatorum Dei observantiam ad cœlum promerendum sufficere; ita respondisse Jesum Christum adolescentulo, ex ipso viam, quæ ducit in cœlum, perquirenti. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Addent viam hanc non esse adeo arctam; delicias, & commoda quæ sibi permittunt, divinæ legi nequaquam esse opposita. Non diffiteor equidem. Divinorum mandatorum observantiam salvare nos posse; neque enim hoc in loco animus est gravius aliquid afferendi; verum Dei mandata servari posse commodam, & mollem vitam ducendo, hoc sane diffiteor. Existimo autem a Salvatoris mente, ac Evangelii spiritu non abludere, cum ajo, vos numquam Dei legem adimpleturos, nisi jugiter vosmet Christiana mortificatione exercueritis; neque diffido vos quoque sententiæ meæ accessuros, ubi abjectis falsis præjudiciis, quibus natura corrupta, & mundana educatio vos prævenire consuevit, serio Jesu Christi verba expendere volueritis. Salvatur, qui Dei servat mandata, verum est; sed verum quoque est neminem nisi per arctam viam salvari: hæc duo sunt oracula, utrumque certissimum. Si primum creditis, quia illud Salvator edidit, alterum quoque ab eodem manavit. At si salvatur mandata servando; atque si in commoda molliique vita servantur mandata, quomodo verum est, neminem nisi per arctam viam posse salvari? Sin autem non nisi per arctam viam pervenitur ad vitam, quomodo verum est, in vita molli mandata Dei posse servari? Quæ vestra sententia est? Subsistat enim oportet duarum harum propositionum veritas; atque utriusque conciliandæ ratio excogitanda est. Et sane nisi lumini oculos claudere velimus, ac nosmet ipsos excæcare libeat; quandoquidem verum est salvari Dei mandata servando, & non nisi in arcta salvari via, nonne inferendum est ad Dei mandata servanda per arctam viam esse incedendum? Non aliam video rationem, qua utriusque hujus oraculi veritas probari possit, audeoque provocare amorem proprium, licet summa polleat industria, ut alteram inveniat viam simul conciliandi hæc duo certissima effata, nisi fortasse asserere velit, mollem hanc vitam arctam esse viam Evangelii. *Idem.*

Salvatur qui Dei servat mandata, & non salvatur, nisi qui carnem suam odit. Salvator utrumque testatus est. Non ait ille, qui corpus, carnemque suam amaverit, perfectionem non assequetur, sed damnabitur: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Matth. 10. & 16. At corpori suo omnes delicias, omniaque commoda procurare; gustum non mortificare, nisi cum eidem satisfaciendi ratio deest; oculis permittere, ut omnia videant, linguæ, ut omnia dicat, auribus, ut omnia audiant; cor suum non nisi mundi hujus oblectamentis, & voluptatibus pascere; meliorem Dei partem in strati, somnique mollitie languescere; mundanis sese comere ornamentis; ac pro sæculi varietate varios ornatus inducere, tempus in turpi otio perdere: jejunium Quadragesimale horrere; se dispensare ob ineptos prætextus, & levia incommoda ab omnibus pœnitentiæ exercitiis; se ipsum æternis veritatibus legendis, ac meditandis, non posse submittere: hoccine est suum corpus odisse? Hoccine est viam salutis amplecti? &c. *Idem.*

Mollem vitam ducentes inimici sunt Crucis, & Dei crucifixi.

Numinis cultus necessario cogit, ut nosmet juxta illius exempla conformare velimus: *Summa religionis est imitari quod colimus.* S. Augustinus inquit. Quodnam autem majus nostræ adorationis objectum? Quem Deum in Christiana religione colimus? nonne Deum Cruci suffixum, qui cum totum vitæ suæ spatium inter labores transegerit, tandem inter exquisitissimos cruciatus animam efflat, ac post mortem in Cœlum ascendens illuc ferre voluit sua vulnera, ut æternum præsens haberet dolorum, & Crucis suæ monumentum inter ipsius gloriæ suæ gaudia? Hoc est Christianæ religionis numen. Igitur verus non est Dei cultor, ideoque nec verus Christi fidelis, qui non solum labores illius non imitatur, verum etiam pro virili illos amovet, atque ex animo suo omnem delet mortificationis, dolorisque cogitationem; qui numquam eas sibi negat voluptates, quas verecundia, & valetudo permittere possunt. Nonne ita affecti sunt mortales omnes voluptuosi? Nonne vitæ suæ ratione satis ostendunt, secreto atque in corde suo improbare dolores, quos Jesus Christus in Cruce passus est, ne naturali hoc instinctu, qui a religione separari non potest, imitari cogantur quod colunt? Neque enim hæc ipse meo marte loquor; hæc S. Augustini sententia est: *Displicet delicatis, quod Deus cruciatus est.* Huc usque mollitiei, amorisque voluptatum, quæ culpa vacare putantur, crimen evadit. *P. Champigni in Collectione electorum sermone de malo divite.*

Quomodo vitæ mollities animam coram Deo nocentem efficiat.

Eo in examine, quo mortalium plerique vitam suam excutiunt, ut illius nequitiam detegant, solatia, assiduasque voluptates, quibus sese abdunt, non

non nisi seorsim, ac singillatim in propriis, peculiaribusque earum circumstantiis inspiciunt. Qua in re cum nihil videatur oppositum legibus verecundiæ, atque modestiæ; omnia honesta, rectaque esse arbitrantur. Ita voluptates has nequaquam in perenni decursu, ac non intermissa earum sequela considerantibus, hæc mollis, & voluptuaria vita, nequaquam illis æque nocens videtur, uti est. Nocentem appello, quia cor terrenis rebus agglutinat, ac efficit, ut in illis suam oblectationem, & requiem inveniat. Nocentem appello, efficit enim, ut Cœli obliviscantur, vel illud nullo in discrimine habeant. Nocentem appello, quia perpetuo voluptatum progressu sese opponit inevitabili crucis ferendæ, ac exercendæ pœnitentiæ necessitati. Nocentem appello, quia otiosa, & inutilis est negotium, laboremque fugiens, atque animæ eam constans maledictionem, de qua sermo est in Evangelio, ubi de arbore nullos fructus ferente. Nocentem denique appello in hoc ipso, quod peccatorem excæcatus, cui status ipsius periculum abscondit, conjicit eum in inexcusabilem potissimorum officiorum ipsius ignorantiam; quæ inde oritur, quod varia hæc voluptatum, oblectamentorumque genera seorsim tantum, non autem in ea unione, qua criminosa fiunt, considerantur. *Idem*.

Mollis hæc vita opposita est arctæ viæ, per qui Christiano vivere incedendum.

Arcta via est, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. Dei filius non ait viam, quæ ducit ad perfectionem, sed quæ ducit ad vitam arctam esse; neque ait viam quamdam, quæ ducit ad vitam, arctam esse, quasi non deesset altera; sed absolute ait, arctam esse viam, quæ ad æternam vitam adducit, ut intelligamus, hic transeundum esse omnibus, qui in cœlum pervenire conantur. Considerate quæso, quoties apud SS. Matthæum, & Lucam hoc ipsum repetat: *Arcta via est, angusta via est, contendite intrare per angustam portam*. Semel ne dixit ullam esse viam stratam, facilemque operandi salutem suam? Si vel una extitisset, eamne ignorasset? Si eam agnovisset, numquid nos illam celasset? Sin autem illam ignorasset; quo jure ille se ipsum veram viam, præstantissimumque ducem vocaret? *Ego sum via, veritas, & vita*. Joan. 14. postquam illam detexisset, nobis eam voluisset abscondere, nonne justa nobis esset in re tanti momenti de eodem querela? Numquid conqueri possemus, quod nos inutili sarcina onerare voluerit, nos deducens per difficilem, præruptam, silicibus, spinisque oppletam viam ad eum terminum quo per stratam, facilem, floribusque ridentem semitam potuisset adducere? Attendite potissimum quomodo itineris hujus difficultates exaggeret: *Quam arcta, & angusta via est*! Si mollis, & commoda vita, quam tot ducunt fideles arcta haberi posset, cur tanta cum emphasi acclamaret? *Quam arcta, & angusta via est*? Matth. 7. Sed præ cæteris animadvertite, Salvatorem de duplici tantum via loqui, altera quidem arcta, lata altera, nullum tertiæ vestigium videmus; cumque reprobi omnes per latam hanc incedant viam, hinc sequitur, idque palam, ut mihi videtur, omnibus prædestinatis indiscriminatim per arctam viam esse incedendum. His positis, quæ illusio, quæ cæcitas est, arbitrari in facili, molli, commodaque vita posse aliquem suæ saluti consulere! *P. Haineuve, libro cui titulus, Magna via quæ mundum perdit*.

Non perfunctoriū solatium sed non intermissa solatiorū catena mollem efficit vitam.

Recordamini quæso quæ a nobis dicta sunt, non particulare aliquod solatium, quod per occasionem sese nobis offert, atque intra decori fines se continet, non perfunctoriam voluptatem efficere criminosum hunc mollitiei statum, quem damnamus, criminosus enim fit voluptatum jugi nexu, & catena, cum alia relinquitur, ut alteri animus appellatur; cumque vita, vel saltem potior vitæ pars suaviter inter commoda, deliciasque traducitur. Atque ut æquior adstruatur idea, qua mediocris fortunæ mortales non secus ac viri Principes comprehendantur; dicimus vitæ mollitiem, qui status est damnationis, ad hoc redigi, ut vita pro libidine ducatur, atque suaviter mundi hujus bonis perfruatur. Hoc infinitas propemodum animas perdit. *P. Champigni, superius memorato sermone*.

Non desunt, qui volunt quidem Jesum Christum sequi, sed per latam viam sequi volunt, neque pati possunt sibi verba fieri de arcta via, de qua loquitur Evangelium: verum hisce mortalibus objiciendum est aureum illud S. Augustini effatum: si vere Christianus es, per Jesu Christi viam debes incedere: *ipse est Christianus, qui non aspernatur viam Christi*. Non est cur nosmet hac in re decipiamus, neque dicamus longe plures latiori insistere via: scite enim Sanctus idem Doctor addit: *Dura videtur, sed ipsa est tuta via; alia forte delicias habet, sed latronibus plena est: noli per aliam velle ire, quam per illam qua ipse ivit*. Quidquid mortales recinant, cave ne aliam amplectaris præter eam, quam Jesus Christus elegit. Dura sane hæc videtur, sed tuta, certaque est. Ostendent illi fortasse stratas semitas, solatia crimine vacua, colloquia, socios cum quibus hilariter tempus traducere valeas: Aliquid fortasse adversi accidet tibi, ut tua conscientia quiescat; sed permittent, ut mundum videas, intersis spectaculis, omnibus hilaritatis cœtibus adsis, vitam denique mollem, & deliciis affluentem ducas: hoc est efficient ut eam ingrediaris viam, de qua loquitur Salomon, quæ recta quidem incedenti videtur, cujus tamen exitus ducit ad interitum. Huc tandem hoc vitæ genus tendit, cum Deum inter hæret, & mundum. *Liber cui titulus, Christiana Rudimenta, &c. pro vigesima secunda post Pentecosten Dominica*.

Respondetur objectioni, quæ huic argumento potissima solet esse.

At enim quid mali est, ludere, psallere, choreas agere, comœdiis adesse? quomodo hæc damnare potes solatia, quin simul & summos viros, & sanctissimos Confessarios damnes, a quibus hæc permittuntur? Non abnuo huic aliquando occurrere objectioni, qua pluries fortasse usi fuistis. Primum, licet actiones istæ seorsim sumptæ culpa vacarent, ajo, simul sumptas non amplius carere noxa; & adeo prolixam voluptatum seriem necessario esse criminosam. Si minime nefas est per intervalla spiritum relaxare; numquid fas est totum vitæ spatium in juges voluptates impendere? Numquid ad id vos creavit Deus? Opusne erat, ut Dei Filius humanam carnem assumeret, ut pauper fieret, ut tandiu super terram in caligine, in laboribus, in persecutionibus viveret, mortemque subiret vobis gratiam promeriturus, ludendi, saltandi, novas in singulos dies voluptates quærendi, ac nullam ex iis prætermittendi, quas nequaquam absolute nefarias, & inhonestas existimatis? Secundo, verum est, Deum, qui nostram agnoscit infirmitatem, qui scit, nos non esse Angelos, & non posse vacare semper orationi vel negotiis, aliquod nobis solatium permittere: at permittitne, ut interminatis vosmet voluptatibus ingurgitetis? Permittitne ut unicum negotium vestrum solatia esse putetis? Ut hæc tamquam finem vobis proponatis? Quæ major injustitia, quam omnia Dei servitio subtrahere, ut in solatium vestrum impendatis? Quæ major iniquitas, facere ut quod additamentum est, caput rei fiat, ut ex additamento fiat totum? Hoc autem ipsi efficitis eo vivendi genere, cui consuescitis. *P. le Valois in undecima Epistola de Recessu*.

Christiani in Baptismo huic molli, inerti, ac voluptuariæ vitæ abrenunciarunt.

Cum lustralibus aquis abluti fuimus per eos, qui nos Ecclesiæ præsentarunt, palam professi sumus, quod pompis, satanæque operibus abrenuntiabamus. Hæ autem pompæ non aliud sunt, quam hæc vanitas sæculi, hæc mollis, profanaque ignavia, immodicus luxus, voluptatum, deliciarumque cupiditas, commodorum nimis diligens perquisitio, carnalis requies, hoc denique amoris proprii regnum, quod vulgo in mundi hujus spiritu viget. Cum hoc vitæ genus amplectimur,

ctimur,

ditimur, nobis blandimur, nosque excæcamus; erroneam conscientiam nobis confingimus, ac perniciosam securitatem, dummodo cupiditas absit, in graviora proruendi flagitia. Salutis nostræ inimicus omne ferme tulit punctum, cum e votis illi accidit, ut in inutilem vitam adduceret, nobisque persuasit commodorum, deliciarumque rebus in omnibus perquisitionem innocentem esse, vel saltem non esse nocentem. *Liber, qui inscribitur, Solitudo Christiana, Epistola quarta Solitarii ejusdem.*

Vitæ mollis descriptio, & mala quæ inde proficiscuntur.

Quid de illis cogitandum, qui nullam adhibent curam, nisi ut omnium anni temporum varias subinde voluptates sibi procurent; ut hyemalibus choreis, & conviviis vernas deambulationes substituant; ita ut totum vitæ spatium non solum in otium, sed in voluptatum perquisitione ducatur? Quibus crapula quotidianum est prandium, alea negotium, comœdia a ludis cessatio? Nonne hoc satis est, ut palam decernatur hujusmodi vitæ genus vitam non esse Christianam, ideoque in ea saluti suæ consuli nequaquam posse? Verum si hunc voluptatis statum ex effectis, & vitiis, quæ illum subsequuntur spectare velimus, heu quam metuendum est! Inde enim mollities oritur, quæ corpus enervat, viriumque defectus, qui illud pœnitentiæ laboribus impar efficiunt. Hi sunt homines voluptatibus dediti, qui a jejuniis, irrogataque abstinentia dispensationem obtinere conantur; illi denique, qui carnis macerationem magis indigerent, sese eidem perferendæ reddunt ineptiores...... Inde etiam oritur injustitia, avaritia, usurpatio: ut suppetat unde voluptati incessanter subministretur, utraque manu rapiendum est, æris crediti reliquias per vim cumulandæ, opifices delassandi, domestici mercede fraudandi; oppignorandum, fænerandumque est, & fortasse turpibus voluptatibus sese prostituere opus est, ut honestis voluptatibus provideatur. Ex voluptuaria vita hac oritur etiam Dei, officiorumque religionis oblivio. Quinam divini verbi contemptus! Quænam Sacramentorum infrequentia! Quæ negligentia orationis! Quæ mysteriorum ignorantia! Numquid ulterius aliquid exquiritur, ut pereas? *Sermo Manuscriptus P. Francisci Catrou.*

Hoc vitæ genus culpa vacare non potest.

At enim, licet his voluptatibus indulgeamus, nonne hoc vitæ genus culpa vacat? Hoc ille prætextus est, qui mortalium voluptatibus mancipatorum conversionem efficit difficiliorem. Verum quid amplius egit malus dives? Vitæ præsentis bonis usus fuerat; vitam in deliciis egerat: hic illius status erat: *Epulabatur quotidie splendide.* Luc. 16. Singulis diebus exquisitissimis epulis mensam instruebat. Qua in re Sanctus Chrysostomus animadvertit, peculiares quasdam voluptates nequaquam fortasse causam futuras fuisse, ut in nullam reditus spem interiret, sed propter voluptatis habitum damnatum fuisse: *quotidie*. Verum igitur est mollem hanc, voluptuosamque vitam statum esse damnationis, sive illa spectetur in peculiaribus voluptatum, quibus se ingurgitat, speciebus; sive pro generali voluptatum, deliciarumque omnium frequentia accipiatur. Væ igitur illis, qui eas gustant, qui eas requirunt, qui illis inserviunt, easque unicum, potissimumque vitæ suæ negotium efficiunt. *Væ vobis, qui ridetis.* Luc. 6. *Idem.*

Divites, ac nobiles putant sibi jus esse mollem vitam ducendi.

Divites, præsertim nobiles, & qui in aula versantur, jure suo sibi persuadent omnes sæculi pompas, atque delicias ad se pertinere. Conditionem suam sibi permittere, ut mollem, inertem, ac voluptuosam vitam traducant; ut suæ ambitioni, cupiditatibusque omnibus satisfaciant, ut omnia commoda quærant; denique contendunt mundum universum hæreditatem esse suam, ac se eodem pro libidine uti posse, quin ullæ divinæ humanæque leges ullos ipsis terminos possint statuere. Hinc se a jejuniis atque omnibus austeritatibus, quæ sibi incommodant, sa facile dispensant: nolunt sibi verba fieri de iis, quæ requiem suam possunt perturbare. Homines quærunt, qui sibi blandiantur, qui cupiditatibus ipsorum velificentur, qui omnes vitæ voluptates illis omni ratione degustandas præbeant. Summa cura metus omnes, atque conscientiæ stimuli removentur, ne eorum gaudia turbent, vel minuant; quodcumque faciant, pax illis nunciatur, neque ulla ipsis devotio proponitur, quæ ab illorum studiis abhorreat. *De Sancta Martha Tomo secundo Tractatuum Asceticorum de necessitate mundum fugiendi.*

Qui mollem vitam ducunt de sententia decedent, cum erunt morituri.

Qui virtutem profitentur, & Christianam mortificationem exercent, habentur tamquam simplices, rudes, inutiles, quia omnibus voluptuariis cœtibus non intersunt; extorres a mundo, ab honestorum virorum commercio sepositi, indigni, qui in splendidis eorum conventibus videantur; homines denique vivere nescii, & quorum miserentur. Sed paulisper expecta; fulgidi hujusmodi dies obscurabuntur; splendor hic, qui fascinat, ac tumultus, quo stuporem ciet, cessabunt; gemitus, amaræque pœnitentiæ omnibus his deliciis, parumque Christianis festivitatibus succedent; mors ostendet, quisnam fuerit sapientior. Hi felices sæculi, mundi opibus gaudentes, atque sua sorte superbi sub extremum vitæ spatium hilaritatem, inanemque superbiam suam sustinebunt; numquid mollis, & voluptuaria vita sua illis placebit? *P. Croiset in spiritualibus considerationibus.*

Fallaces eorum sensus, qui vitæ commoda quærunt.

Nihil majorem ciet indignationem, nihil Christianam mentem magis avertit, quam videre quasnam fallaci securitate voluptuarii mortales sententias suas venditent. Qui illos imperioso vocis tono ratiocinantes de disciplina, deque religionis dogmatibus audiret, diceret quidem, Sanctos Christiane vivendi artem ignorasse, & mundanos tantum verum Evangelii sensum assecutos fuisse. Vita Christiana, ex eorum sententia, non est amplius laboriosa, mortificataque vita, cujus exempla Dei filius nobis reliquit; sed mollis, deliciis affluens, omniumque austeritatum inimica. Cœlum non est amplius illa terra promissionis, quo non nisi per plures victorias aditus patet; sed ex eorum mente ager est quacumque pervius, & cujus semitæ omnes stratæ, & faciles sunt. Si ex eorum vivendi ratione judicium ferre liceat, cœleste regnum quod sanctissimo cuique tanto stetit impendio, nunc prostat omnibus levissimo pretio comparandum. Perpetua illa vis, de qua loquitur Jesus Christus, ad eos tantum pertinet, qui integram, scelerisque puram vitam ducunt; pœnitentia vera peccatoribus tantum relinquenda est. Mirum est, in mundo adeo crassum errorem non agnosci; & magis adhuc mirum, in hoc errore perseverari, si agnoscitur. Numquid alta opus est meditatione, numquid sublime ingenium requiritur, ut horum sensuum nequitia deprehendatur? *Idem.*

Mollities, & iners vita Christiana esse non potest.

Deambulationi ludus, ludo spectaculum succedit. Ad hanc solatiorum assiduitatem tota mundanorum cura redigitur, eorumque minus commentitia felicitas in hoc posita est, quod nullam requiem inveniant. Hæccine, Domine, Christiani vita est? Hæc tamen eorum est, qui mundo inserviunt, hæ honestæ illæ voluptates, innocua solatia, quæ parum abest, quominus meritis adscribantur; videlicet id quod Jesu Christi disciplinam evertit, quod Christianam vitam annihilat, hodie in mundo fit splendida vita fidelium. Nulla ipsis amplius sustinenda sunt prælia, nulla sibi vis inferenda; affectionibus tantum favendum est, atque obtemperandum. Mollis, & iners vita subiit in locum vitæ laboribus exercitæ, ac pœnitentis, quam Jesus Christus esse quodammodo jubet characterem, quo filii sui dignoscantur: Quidquid recessum, modestiam, frugalitatem sapit, nimis eorum sensus offendit, neque delicatis his voluptuosis placere potest. Deliciarum ideis pascuntur, temporis partem impendunt quærentes quomodo placeant, alteram vero ea, quæ sibi placeant. Itane, Deus, fidelis institutus

fuit, ut suis tantum voluptatibus vacet, ac turpe otium nugis refertissimum gravissimum negotium putet? *Idem*.

Tota Christiani vita, ex Tridentino Concilio, jugis esse debet pœnitentia. Profecto, nisi ludus, deambulatio, voluptuarii cœtus, cæteraque oblectamenta, quæ hodierna die sunt maximum vitæ negotium, pœnitentiæ genera sint, quænam mundanorum sit pœnitentia, non liquet. Strato consurgunt, sese ornant, & comunt, de aliquo solatio instituendo decernunt, ludunt, dulcibus alloquiis tempus terunt; de Deo vero fere non cogitant, Spiritus affectionum mancipium delassatus excogitans quomodo sedari possint turbæ cordis semper esurientis. Terrenæ hæ voluptates omnem æternorum bonorum auferunt gustum. Non alia desideriorum objecta sunt, quam mundana gaudia; & hæc tota est Christiani hominis vita. At enim hujusmodi solatia culpa vacant, nempe ex bonum mortalium sententia, licet Christiano dies omnes in æterna Dei oblivione traducere. Primas diei horas sese ornando impendit; reliquum spatium ludo, sexcentisque contagiosis sermonibus, futilibus nugis, cœtibus, spectaculisque devovet; numquid infideli per hanc vitæ rationem te Christianum esse probares? Nihil mali fit; verum nonne gravissimum malum est nihil efficere boni, cum singulis horis bene facere tenearis, cumque certissime reprobandus sis, nisi boni satis effeceris. Nihil mali fit. Quid autem? Vita nugis sexcentis attrita, vita otio, & mollitie inebriata numquid Christiana vita est? Sin autem Christiana non est, nonne hoc ingens malum est? *Idem*.

Hæc voluptuaria vita omnino bonorum operũ sterilis est.

Hæc vicissitudo, & sæpe etiam congeries delitiarum, cœtuum, conviviorum, oblectationum, sodalitatum, conversationum, spectaculorum, relinquitne interiorem requiem, attentionem, vigilantiam adeo necessariam, ut vox Dei audiatur, ejusque gratiæ respondeatur? Amicorum coronæ aptine sunt loci, ubi thesaurus iste valere debeat? O Deus, quot gratiæ amissæ? earum vero irreparabilis jactura numquid mediocre malum est? At enim nihil mali fit; verum quid boni, quæ bona opera fiunt ad cœlum promerendum? Quis nostrum ignorat, inertem, bonisque operibus vacuam vitam reprobatam esse? Ficus frondibus quidem ornata, sed sine fructibus, flammis adjudicatur. Servus parum industrius damnatur; Inertia sola, ubi de salute agitur scelus est. Quid mali fit, cum solatiis locus tribuitur? Aliena bona non rapiuntur; scelera omnia evitantur; voluptates intra æqui fines continentur. Neque ob hæc reprobabitur quisquam; verum ignoratisne supremum Judicem reprobis singulariter eorum in bono ignaviam, inertiamque exprobraturum? Servus iners nequaquam damnatur, quia fuit in dominum suum rebellis, sed quod talentum sibi creditum in quæstu non posuit. Nemini affertur injuria: at omnis magnam vobismetipsis infertis. Nihil mali facitis, verum nihil boni facitis, mollem, ac voluptuariam, mundanam, & nullatenus Christianam vitam ducitis; nonne hoc magnum malum est? *Idem*.

Mollis, inertisque vitæ mundanarum mulierum descriptio.

Postquam primas diei horas cincinnis, & calamistris, vel alteri cuipiam nugæ æque inani impenderunt, ad extremum Missæ Sacrificium, tamquam ad conventum pulchrioris mortalium partis accedunt. Ibi voluptatum ineunt consilia; ibi cœtuum loci indicuntur. Quibus parum honestis colloquiis ad prandium usque detinentur. Deinde sodalitatem, & conversationem quædam quietis intervalla condire non cessant, donec visitationum excipiendarum, reddendarumque tempus simul cogit inertes. Tunc cœtus ineuntur; tunc nectuntur consilia; rursus incipiunt privatæ comœdiæ, ubi quilibet suam ludit personam; & colloquia illa, quibus nugæ præbent argumentum, & quæ detractionis sale condiuntur; neque enim in hujusmodi otii, ignaviæque conventibus aliquid solidum, ac utile expectandum est. Attamen quemadmodum nullius rei magis tædet, quam otii ipsius, adeo indignis solatiis ludus, vel deambulatio immiscetur. Deinceps spectaculis recreantur per aliquot horas; ac tandem nocturni cœtus finem injiciunt diei earum, quæ se Christianas esse profitentur; videlicet quæ eam religionem sequuntur, quæ vel minimum otiosum verbum damnat, & quæ ex omnibus asseclis suis exigit vitam puram, mortificatam, laboribus exercitam, & adeo exemplarem morum probitatem, ut ne minimam quidem pati possit relaxationem. Bona fide, quæso, hæc una vita Christiana vita esse potest? Qui religionis nostræ vel prima vidit rudimenta, ignorarene potest, quanta severitate hanc mollem, inutilemque reprobent vitam? *Idem*.

Frustra aliquis putat mollem hanc vitam culpa vacare.

Putant in molli hac vita omnia culpa vacare; sed ex quonam tempore hi voluptuarii cœtus, qui sunt quædam veluti otii, & ignaviæ gymnasia, omniumque cupiditatum academiæ, ubi omnia periculis, laqueisque præpedita sunt; ex quonam tempore, inquam, hi solatiorum omnium cœtus facti sunt innocentiæ perfugium; cum interim innocentia ipsa in tuto se minime credat in solitudine, horrentibusque desertis? Omnia ibi innocua sunt, dicitis; verum omnia vos tentant, & ad peccatum sollicitant; ludi, colloquia, spectacula, ipsa etiam inertia, omnia vos seducere conantur; & cor otio mollitum, sexcentis periculosis objectis tentatum, sine ullo præsidio ipsa audacter pericula provocat, atque illis undique stipatus morum integritatem tuetur. Qui cor humanum intelligit, facilene persuadere sibi potest hoc vitæ genus culpa vacare? Profecto si hanc prætexentes causam se a pœnitentia, & Christiana mortificatione dispensant, illi in gravi illusione, vel potius in terribili cæcitate versari dicendi sunt. *Idem*.

Non desunt, qui mollem vitam ipsi ducunt, erga alios vero austeri sunt.

Quomodonam vita mollis, & voluptuosa, inconditi, liberique mores conciliari possunt cum inevitabilibus obligationibus, & cum eximiæ perfectionis lectionibus, quæ aliis traduntur! Honestus homo improbam odit fidem, nihil odiosum magis, quam simulatio cum de religione agitur: hypocrisis ubique execrabilis. Quomodonam severæ disciplinæ doctor, quomodo Directores tantæ probitatis, quos nihil fallit, qui statim ac discipulos suos labi vident, contra morum relaxationem invehuntur, in semet indulgentes habent oculos, neque eadem utuntur mensura, qua dirigunt alios! solliciti ut illos in Dei præceptis erudiant, iisque vel levissimarum noxarum metum injiciant; quomodo in propria perfectione oscitantur; quam ignavi sunt in Dei cultu, & interim quam inter æquissimos stimulos tranquilli! Undenam proficiscitur admirabilis ista securitas in illis, qui periculum non ignorant, & qui tam belle illius effecta aliis ob oculos ponunt? Putantne iisdem se legibus obnoxios non esse, vel aliquo frui privilegio, quo ab iis dispensentur? Nequaquam; verum hæc ars est ad flagitia sua dissimulanda &c. *Idem*.

In vita molli facile falsa fit conscientia.

In errore, atque in sententia Spiritui religionis, & Evangelio adeo opposita tranquillitas summa servatur. Creditisne, exempli gratia, mundanas mulieres inertem, mollemque vitam ducentes, quarum maxime seria negotia saltem ad salutem sunt inutilia, ac sæpe etiam evagationes funestæ, nequaquam intellecturas periculum, in quo sunt, si cor spiritui liberum rationis, luminumque ejus usum relinqueret? Sed amor proprius imperat; omnia illi parent, illius tantum præcepta audiuntur, neque mirum esse debet, si secundum illius principia agatur. Nihil non æquum videtur eo in vitæ genere, ubi omnia amorem proprium, sensumque palpant. Itaque otium juge, inutilis vita, propriorum officiorum tædium, pietatis fastidium, negligentia salutis, Dei oblivio, & ut verbo me expediam, parum Christiani mores; hæc omnia sufficerent ad excitandas fidei, & religionis reliquias; sed illusio mirabili metamorphosi cuncta subvertit, & uni-

& universa sub alienis, simulatisque coloribus exhibet. *Idem*.

Omnes videntur Cœli viam faciles putare, & pœnitentiæ labores lenire.

Pœnitentia numquam minus placuit, numquam magis in horrore fuit. Videntur mortales omnes in id conjurasse, ut in mundo mollem, commodam, voluptuariamque vitam constituant: Jesu Christi Crux lenitur, & infirmatur, ita ut nulla amplius illi durities, nullum insit onus. Docuere nos Sancti, in Cœlum non nisi per aspera, per spinas, & rupes eundum: nunc vero quantum fieri potest cœli via sternitur, & ut ita dicam, floribus spargitur; & in illis ipsis, qui pietatem profitentur, vix minima laborum, & cruciatuum Domini deprehenduntur vestigia, quasi ille ad id unum passus fuisset, ut nos a passione liberaret, non ut exemplo suo ad eamdem induceret. *Abbas Trappensis tomo secundo dogmatum Asceticorum*.

Mollis vita fovet concupiscentiam.

Hæc obligatio est, quam gustare non possunt inertes Christiani, Crucis Jesu Christi inimici, qui sibi voluptates palam criminosas dumtaxat interdicentes, tanta cura vitæ delicias, & commoda persequuntur, quæ fovent, alantque potius concupiscentiam, quam illam frangant, atque mortificent. Sed licet etiam hæc mollities, atque inutilitas vitæ non esset directe vitæ Jesu Christi opposita, fieri adhuc omnino non potest, ut qui illam ducunt, in exteriori etiam ejus legis exercitatione perseverent, quam in speciem observant, dum interim in Christianæ religionis essentia illam violant. Ista concupiscentia illos inquietat, inveniens eos in temporalium commodorum perquisitione sollicitos imemosque quin contra subitas, & inexpectatas illius irruptiones sibimet caveant: hinc illa debacchatur, tempusque eligit aptum omnem animæ eorum libertatem depopulandi. Cum hoc monstro familiaritatem non aspernamini; verum scitote, naturalem illius feritatem a vobis augeri, non minui, cum illud blande palpatis: & nisi quam diligentissime vobismet caveatis, hoc ne cogitantes quidem vos devoratarum. *Abbas du Jarry sermone de Sancta Virginis Conceptione*.

MORBI,

Bonus eorum usus, atque ad animæ salutem utilitas &c.

MONITUM.



Quamvis corporis ægritudines sub tribulationum nomine, ac titulo comprehendantur; tamquam sub genere species, quemadmodum a nobis notatum fuit, cum de illis ageremus; attamen peculiarem hic de morbis titulum instituemus, quin sermonem habeamus de morbis animæ, vitiis nempe, & peccatis, neque de aliis tribulationibus, & adversis, quæ vitæ nostræ gaudia, & beatitudinem interpellant.

Argumentum hoc de quo veteres Concionatores non nisi per transennam, cum de aliis tribulationibus agerent locuti sunt, hodierna die satis familiare est, atque utilissimum; docet enim, quomodo morbis, quibus nostra nos subjecit natura, uti debeamus, sive illos intueamur tamquam pericula, quibus Deus virtutem probat, vel tamquam peccatorum nostrorum pœnas, atque supplicia, seu demum veluti casus aliquos, quibus mederi non possumus; semper liquet, hos omnes morbos non nisi divina providentia jussu nobis accidere, ideoque bonum eorumdem usum non parum conferre posse Christiani hominis saluti, atque perfectioni per patientiam, divinæ voluntati submissionem, pœnitentiam, & virtutes alias, quarum exercendarum latissimum campum aperiunt.

Ut igitur argumentum hoc Christiano more pertractemus, ac inde illum, quem possumus, fructum percipiamus, Medicis quidem relinquemus curam medendi morbis pharmacorum usu, quem ipsorum ars tradit; nos autem concionatoribus trademus artem utendi corporum ægritudinibus ad animæ morbos curandos, atque ad salutis adminicula percipienda; quibus bene valentes numquam eadem cum utilitate fruuntur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

1 
Um inter omnes tribulationes morbi maxime familiares sint, ac difficillime perferantur, reor, non utilius eligi posse argumentum, & quod hoc tempore majus solatium afferat, quam ostendere bonum eorum usum, qui faciendus est; quandoquidem in morbis omnibus id dicere possumus, quod de Lazari morbo Salvator ait, eos videlicet non esse ad mortem; sed potius ad majorem Dei quidem gloriam, animæ vero nostræ sanctificationem. Hoc in sensu duplici Concionis parte vobis ostendam: 1. rationes, quæ nos excitare debent, ut illis bene utamur, 2. dispositiones a nobis afferendas, ut illi & ad Dei gloriam, & ad sanctificationem nostram utiles fiant.

Quoad rationes, hæ fere potissimæ sunt, ac maxime urgentes. 1. Quia ut plurimum nos ipsi morborum nostrorum causa sumus, ganeis, & compotationibus, atque peccatis, quæ ipsi committimus, quæ tantum nobis malum promovent, vel in sceleris pœnam, vel quia corporis temperamentum corrumpentes eas nobis conflamus infirmitates, quas evitaremus, si frugi, & caste viveremus. Si juvenis exempli gratia noctes in alea, choreis, vel aliis solatiis traducens, ægrotaverit, cuinam accepta referenda est ægritudo, nisi vitæ ejusdem flagitiis? Homo aliquis effræni sese tradens libidini si corporis bonam valetudinem amiserit, sibi uni succenseat &c. Tu valetudinem tuam vigiliis, crapula, vino perdis; numquid post hæc justa erit querela tua, si ægra fueris valetudine? Quod si hos morbos consideramus tamquam a Deo missos in scelerum nostrorum pœnam, nobismet persuadere debemus, supplicium hoc meritos fuisse, ideoque nos esse mali, quod patimur, causam. Hæc ratio efficere debet, ut illos haud ægre sera-

feramus cum tranquillitate, ac spiritu pœnitentiæ. Sin autem e contra casu hæ nobis ægritudines ingruant, vel ob naturæ nostræ infirmitatem, vel quia parum nobismetipsis prospeximus, tunc ex necessitate virtus efficienda est; neque in meliorem usum illas traducere possumus, quam si illis ad peccata nostra expianda, ea vero præsertim, quæ morbos ipsos pepererunt, utamur. 2. Secunda ratio est considerare, si morbus est scelerum nostrorum effectus, & pœna, eorum quoque remedium esse; Dei enim illum mittentis consilium non est solum nos punire, sed potius nos hac punitione ad frugem revocare, ac resipiscendi occasionem præbere; quod nobis Regius Propheta, *Psalm.* 15. Declarat loquens de Israelitis: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt ad Deum reverti*. Itaque videmus insignes peccatores, quos Deus in hac vita derelinquit, prospera frui valetudine, quia æternis reservantur suppliciis. E contra vero justi sæpissime acutissimis doloribus excruciantur; etenim per infirmitates Deus illos a peccatis præservat, a periculosis occasionibus arcet, atque in statum adducit divinæ satisfaciendi justitiæ, propter scelera, quæ commiserunt. Hinc in eam mentem accedere debemus morbos cum actione gratiarum recipiendi veluti insigne aliquod beneficium, tamquam animæ nostræ malis, quæ præ corporeis ægritudinibus longe perniciosiora sunt, remedium, & denique tamquam antidotum contra peccata, in quæ, si bona uteremur valetudine, laberemur. 3. Tertia ratio est, nihil gloriosius, & acceptius Deo fieri a nobis posse, quam propter illius amorem pati eos morbos, quibus illius disponente providentia affligamur; quod Salvator nos docuit de Lazari morbo loquens, eumque ad majorem Dei gloriam accidisse dicens. Et ratio est, quia dolores, qui tunc perferuntur, totidem sunt sacrificia, quæ offeruntur Deo, cum patienter illos toleramus, & uti loquitur S. Paulus, corpus nostrum Deo hostiam viventem offerimus. Et profecto ingens divinæ huic majestati gloria est servos habere ita suis voluntatibus subditos, dictoque parentes, ut æquo, magnoque animo accipiant calicem, quem ipsa illis propinat, oblectationum omnium, negotiorum, valetudinis, vitæ denique ipsius privationem. Hinc Tertullianus Sanctum Job vocat divinæ opificem gloriæ; Deus enim ex illius patientia sibi trophæum posuit, ut affligeret dæmonem, quem ad illum non in bonis tantum, verum etiam in ipso corpore affligendum provocaverat.

Pars altera posita est in ostensione dispositionum earum, quæ in nobis requiruntur, ut morborum sanctum usum efficiamus; quarum quæ maximæ necessariæ, hæ ferme sunt: 1. Illos seu pro diuturnitate, seu pro mali qualitate tanta animi obedientia ferre, ut illis liberari non exoptemus, nisi quatenus divinæ voluntati placuerit, scientes nos numquam illi gratiores fore, quam eo in statu, qui nos Salvatori magis similes efficit. 2. Patienter, paratoque animo ferre dolores morbi, fastidia, pharmacorum amaritudinem, ac tædium, cum inquietam illam præ nobis feramus sollicitudinem, qua passim corporis salutem perquirimus, tempus hoc considerantes tamquam pœnitentiæ tempus, quo illi supplere pœnitentiæ possimus, quam peragere neglexímus. 3. Dispositio tertia est per Sacramenta gratiæ statum sibi comparare, cum ut ipsa ægritudo nobis fiat meritoria, tum ut mortis insidias eludamus.

II. De bono morborum usu, quos nobis immittit providentia, & a quibus paucissimi in hac vita sunt immunes, ostendendo eorum ad salutem acquirendam utilitatem.

1. Ostendendum est illos conferre quamplurimum; ut peccatum relinquatur, ut illius nexus, & impedimenta infringantur, ut peccandi evitetur occasio, atque ut pravi habitus in vitio contracti abjiciantur. 2. Morbos opportunas esse occasiones cum Deo in gratiam redeundi vera, sinceraque pœnitentia, quam efficere possumus; patienter ferentes eorum vim, eosque animo æquo, non ægre acceptantes. 3. Nobis viam aperire nosmet sanctificandi per patientiam, & praxim maximarum virtutum, quas hoc in statu possumus exercere.

III. Pro concionis argumento desumi potest, corporis morbos sæpe morbis animæ mederi, hanc saltem Dei mentem esse illos immittentis. 1. Animæ salutem reddunt illam ex peccatis retrahentes, efficiendo ut resipiscat, eique cogitationem, desiderium, & consilium cum Deo in gratiam redeundi inspirantes. 2. Illam conservant, ac tuentur prohibendo, ne in peccatum labatur, eique præbendo modum satisfaciendi justitiæ divinæ ejus pœnitentiæ austeritate, quam peccator voluntariam potest efficere, illam æquo animo accipiens.

IV. Morbum respicere possumus: 1. Non solum tamquam peccati originalis, quod nascentes contraximus, effectum, sed præterea veluti pœnam, quam nobis divina irrogat justitia pro peccatis, quæ patravimus, & tamquam effectum scelerum nostrorum. 2. Tamquam periculum nostræ fidelitatis, atque virtutis, quam Deus vult exercere. 3. Tamquam remedium malis animæ, quibus Deus sæpe mederi vult per mala corporis; per hæc nos a mundo, sensibilibusque bonis divellens, quæ immodice amantur a nobis, atque admonens, ut mortem cogitemus, cujus quidam veluti præcursor est ægritudo. Hæ autem variæ relationes, quibus morbum respicere possumus, varias nobis indigitant dispositiones, quibus illum debemus recipere.

1. Si hunc tamquam peccati originalis effectum respicimus æquo animo subeunda nobis est pœna, quam Divina justitia, in primi parentis nostri persona, tulit adversum nos; atque illum reputantibus veluti pœnam propriorum criminum, quæ magna, multaque sunt, non sine pœnitentiæ spiritu recipienda sunt mala, quæ Deus nobis immittit, dicendumque cum Job: *Peccavi, &, ut eram dignus, non recepi*. 2. Si morbum spectamus tamquam periculum, quod Deus facere vult fidei nostræ, & tamquam virtutis, nostræque patientiæ exercitationem, nobismet persuadeamus non posse melius Deum suum nobis amorem testari, quam occasionem præbens nostram eidem testandi, atque ostendendi fidem, perfectamque providentiæ ipsius obedientiam. 3. Si corporis morbum intuemur tamquam spiritualium morborum medicinam, eorum etiam, quæ sæpissime ignoramus, vel quæ vix ipsi sentimus; eidem nosmet subjicere debemus cogitantes, nos oblivisci Dei, cum prospera utimur valetudine, ac opus esse, ut nobis Deus aliquem morbum immittat, ut ad illum cogitationes attollere nos cogat, atque ad officium revocet adorantes misericordis hujus severitatis consilia, quæ hac ratione nos ad servitutem ipsius jubet reverti. *Ex Patre Nepveu in libro cui titulus: Ratio sese præparandi ad mortem.*

V. Morbi considerari possunt, 1. in peccatoribus, 2. in justis; eaque amplificari bona, quæ inde utrique recipiunt.

Primum quoad peccatores spectat efficiunt, ut qui peccandi habitum contraxerunt, qui jam occalluerunt, qui oculos lumini jam claudebant, ac videbantur jam traditi errori spiritus depravati, resipiscant, ac serio præteritam vivendi rationem recogitent. 2. Sunt pœna, quam Deus ipse per misericordiam illis imponit, ut occasionem præbeat redimendi peccata, ac justitiæ suæ satisfaciendi. 3. Signa sunt, indicantia Deum velle ipsorum misereri, quandoquidem illos in hoc mundo flagellat; etenim pro eisdem criminibus ille numquam duplici pœna bis in peccatorem animadvertit. Quod efficere deberet, ut morbos tamquam felicitatem numquam satis æstimandam respicerent.

Secundo quod ad justos pertinet, non minora

illis

illis afferunt bona : etenim 1. indicio sunt illos a Deo amari, quandoquidem, ut inquit Apostolus, Deus, quos amat, corripit ; unde inferendum est, morbos, quibus illos afficit esse argumentum amoris, quo eosdem prosequitur. 2. Dominum justis præsentem efficiunt ; nam licet ubique sit per immensitatem, nihilominus pollicitus est per prophetam se prope illos semper futurum, qui in tribulationibus fuerint. At in morbis non abest tribulatio, ut idem loquitur Propheta : *Ne elongeris a me, quoniam tribulatio proxima est*, secundum Sancti Augustini explicationem. 3. eorum virtutem per patientiam perficiunt ; illos in oculis ipsorum humiliant, atque contra vanitatem mentur : efficiuntque, ut nova coram Deo merita acquirant omnium Christianarum virtutum acquisitione.

VI. Justus institui sermo potest hujus argumenti, illud in duo puncta dividendo. 1. Quid faciendum in morbis; & quomodo in illis verus fidelis se gerere debeat. 2. Quid post receptam valetudinem faciendum.

Pro puncto primo. 1. Simulac nos periculoso aliquo morbo lacessitos sentimus, ac dum eodem afflictamur, ad Deum confugere debemus, & magis in illius ope, quam in Medicorum peritia, & vi Medicamentorum confidere ; hæc enim medendi vim non habent, nisi quatenus hanc illis Deo conferre placuerit. 2. A Deo petenda valetudo est cum submissione sanctæ illius voluntati, & consilio eadem utendi ad gloriam illius, ac diligentius propriæ saluti prospiciendi. 3. Deo offerendi sunt morbi dolores in spiritu pœnitentiæ pro peccatorum nostrorum satisfactione, iique cum Salvatoris doloribus conjungendi, ut facilius acceptentur a Deo.

Punctum alterum. Quid recepta sanitate faciendum. 1. Cum gratiarum actione fatendum est nos illius debitores esse Deo ; & curatio divinæ potius misericordiæ, quam pharmacorum virtuti, & Medicorum curæ accepta referenda est. 2. Fides præstanda est Deo, & adimplendæ promissiones ac bona consilia imposterum melius vivendi. 3. Diligentius cavendum, ne iterum labamur in scelera, quæ plane hanc nobis pœnam constarunt, quam ne in eosdem recidamus morbos, ex quibus convaluimus.

VII. Morbi tribus rebus inserviunt, quæ observandæ sunt, ut inde fiat concionis partitio. 1. Ad nos erudiendos. 2. Ad nos corrigendos. 3. Ad nos sanctificandos. In hos usus illos convertere debemus.

Primum nos erudiunt ; nihil enim melius nobis conditionis nostræ miseriam ostendit, quam morbi, qui nos docent quid sumus ; qui sæculi vanitates ob oculos ponunt, qui in mentem revocant æternas veritates, quarum, dum bene valentes sumus, sæpe obliviscimur &c.

2. Præcipuus finis quem sibi proponit Deus in iis morbis, quibus nos torquet, est, nos corrigere. Sæpe etiam illos immittit, ut puniat, qua de re nullus dubio locus est ; sed punitionis hujus finis est nostra conversio, vitæ mutatio ; & satis docet experientia, nullam rem ad hunc obtinendum effectum hac esse validiorem. *Percutiam, & sanabo*, inquit Scriptura, & quomodo Sanctus Ambrosius explicat, *percutiam infirmitate, & sanabo fide*. Et sane optandum esset, ut tales in bona valetudine essemus, quales in afflicta sumus, vel saltem quales nos in posterum futuros pollicemur.

3. Patet denique quod morbi nos possunt sanctificare, atque id sæpe per patientiam, aliarumque Christianarum virtutum exercitationem efficere. *Ex Abbate de S. Martino in Quadragesima sermone hujus argumenti*.

VIII. 1. Morbi signa sunt, argumenta, & pignora amoris, quo Deus illos prosequitur, quos illis afficit, etenim per hos testatur desiderium, quo flagrat, illos salvandi, efficacissima ad id adminicula tribuens, ac præbens occasionem acquirendi merita pro Cœli gloria, & satisfaciendi peccatis in hac vita. 2. Occasiones sunt, ac viæ vicissim amorem nostrum erga Deum testandi per submissionem mandatis providentiæ ipsius, per sacrificium ejus rei, qua nihil nobis antiquius est, valetudinis videlicet, & vitæ ; & denique per patientiam propter amorem ipsius ferendo, & ut nosmet præbeamus similes illi, qui pro nobis tantum passus est.

Communis sententia est, morbos non secus ac ceteras tribulationes, quæ in hac accidunt vita, esse scholam virtutis ; sed ut de solis morbis loquamur, dicere possumus : IX.

1. In schola hac disci sublimem Sanctorum scientiam, humilitatem, patientiam, pietatem, virtutesque Christiano viro necessarias, qui tunc fit verus Jesu Christi discipulus. 2. In schola hac munus, & officium magistri obeundum est, ut exemplo, atque sermone alios erudiamus.

Morbos passim mala, & Dei flagella arbitramur, ego vero ostendam : X.

1. Insignia esse beneficia, divinæ erga nos misericordiæ consilia, quæ efficiunt, ut ad nos redeamus, nostræ consulamus saluti, alteram vitam cogitemus, & in hac divinæ justitiæ satisfaciamus. 2. Malum usum, quem homines vulgo eorum faciunt; illos enim per impatientiam, murmur, impetumque vera efficiunt mala, quia sine solatio, & sine merito patiuntur, & quia per hæc suum dolorem immiouant.

Cum morbi, qui hac in vita accidunt nobis, divina disponente providentia contingant ; homines qui vulgo valetudine abutuntur, pro viribus conari debent, ut ægritudines in lucro ponant. XI.

1. Illis utentes ad patratorum scelerum pœnitentiam agendam, pœnitentiam quam numquam fortasse nisi hac una ratione acti suscipient ; 2. Per hoc supplentes omnibus operibus bonis, quæ facere neglexerunt ; cum plura tunc Christianæ perfectionis exercendæ illis suppetant adminicula.

Bona, quæ in ipsis morbis ad salutem animarum nobis adsunt, & quæ vulgo a bene valentibus negliguntur. XII.

1. Cum bona utimur valetudine plerumque obliviscimur Dei, ac cœlestes veritates non cogitamus, sed cum morbo afflictamur, ad Deum confugimus, illum supremum vitæ mortisque arbitrum profitemur, æternitatem cogitamus, ac metus mortis efficit, ut vitæ alterius curam geramus. 2. Solatia, & voluptates consectamur, Deum sexcentis modis lacessimus ; at cum ægrotamus, non solum a peccati occasionibus absumus, verum etiam modum habemus satisfaciendi pro illis, quæ patravimus, & divinam misericordiam flectendi. 3. Bene valentes Dei vocem non audimus ; vulgo gratiis illius rebelles sumus, & Christianismi veritatibus parum movemur, ægri vero, Christianos sensus excitamus, sapientibus Confessarii monitis autem præbemus, sanctiorisque vitæ ducendæ inimus consilia.

Punctum primum. Felicitas illius, qui morbum cum patientia, ac plena divinæ voluntati submissione tolerat. 1. Suum in hoc mundo sibi facit purgatorium. 2. Hoc in statu solatium habet imitandi eum, qui propter amorem nostrum factus est vir dolorum. 3. Infinita pro Cœlesti gloria acquirenda congerit merita virtutum, quæ hujus status sunt propriæ, exercitatione. XIII.

Punctum alterum. Infelicitas illius, qui morbi impatiens est : 1. In antecessum hoc in mundo suum patitur infernum, sine solatio excruciatur. 2. Per impatientiam, furoremque sua aegerit scelera. 3. Non amittit solum passionis suæ meritum, sed illam in recentem damnationis causam convertit.

1. Modus quo a Dei manu recipiendi sunt morbi. 2. usus eorum faciendus. *Abbas de Monmorel sermone pro 18. post Pentecosten Dominica*. XIV.

XV. 1. Morbus ærumnarum, ac tribulationum omnium gravissima est, quippe bona valetudine nihil est homini charius. 2. Tentationum omnium acerrima est; ideoque in ea virtus nostra magis effulget, ut Sancti Job exemplo docemur. 3. Ex malis omnibus hoc majori indiget patientia; ideoque in eodem plura merita acquiruntur.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

SS. Patres. Sanctus Augustinus *in Psalm.* 21. in hæc verba *Ne elongeris a me, quoniam tribulatio proxima est*, docet Deum numquam nobis propiorem esse, quam ægrotantibus.

Idem *in Psalm.* 83. ostendit, morbis illos tantum labefactari, qui terrenorum bonorum possessione se corrumpi patiuntur.

Idem *Tract.* 7. *in Joann.* ait plures justos per infirmitates cubilibus suis hærere, qui si bona uterentur valetudine, in omne scelus ruerent.

Idem *in Psalm.* 102. loquitur de morbis, & miseriis, quibus homo obnoxius est.

Idem *lib. de* 50. *Homil.* 38. idem tractat argumentum,

Idem, vel alius aliquis tomo nono tractatum edidit *de Visitatione Infirmorum*, in cujus primo capite ostendit, morbum Dei Donum esse, & sexto docet quomodo æger sit consolandus.

Idem libro de bono Patientiæ plurima habet hujus argumenti.

Idem *Epist.* 149. ita belle de morbis disserit, ut ejus verba ægrotantium impatientiæ mederi possint.

Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 12. docet afflictionibus hujusmodi animam perfici, & roborari.

S. Chrysostomus *Homil.* 1. *ad Popul.* per occasionem S. Timothei rationem tradit, cur sæpe Deus justis graves, ac molestos morbos immittat.

Idem *Homil.* 6. *in Joannem* Lazari exemplo, quem Salvator amicum suum nominat, probat ægritudines æque ac afflictiones alias partem esse justorum.

Et in *Epistola quarta ad Olympiadem* huic tradit quomodo morbis utendum sit.

Sanctus Basilius *in Regul. fusius disput. quæst.* 55. docet morbos nonnumquam esse peccatorum nostrorum supplicia, ægrisque infirmitates suas patienter esse ferendas.

Idem *de Constit. monast.* ostendit quomodo qui a Deo bonam receperunt valetudinem, eadem uti debeant.

S. Bernardus *Serm.* 10. *&* 30. *in Cant.* docet in morbis in Deo magis, quam in pharmacis esse confidendum, ac invehitur in eorum mollitiem, qui de sanitate sua sunt nimis solliciti.

Salvianus *Epist. ad Cethuram* ei perlatam gratulatur infirmitatem, ac ea bona, quæ ex corporis ægritudine in illius animam redundarunt.

Hugo de Sancto Victore *lib.* 1. *de Claustro animæ cap.* 12. latius disserit de vitiis, & defectibus ægrotantium nimis delicatorum.

Turrecremata *Tract.* 28. *in Regul. S. Benedicti* loquitur de patientiæ bono inter infirmitates.

Ascetici, aliique. Alphonsus Rodriquez Tractatu octavo de Christiana, & Religiosa Perfectione cap. 16. loquitur de conformitate, quæ in morbis cum Dei voluntate habenda est.

Bellarminus *de Gemitu Columbæ lib.* 2. *cap.* 8.

Liber cui titulus. *Christianus inter tribulationes, & adversitates* amplum habet tractatum de usu morborum.

Liber qui inscribitur, *Pedagogus Familiarum Christianarum*, varias tradit praxes ad fructum ex ingruentibus morbis percipiendum.

P. Novet in exercitiis pro præparatione ad Mortem Meditatione prima pro die tertio docet; qua submissione fideles omnes a manu Dei morbos recipere debeant.

Abbas Trappensis Tomo 2. de Monasticæ vitæ Officiis cap. 22. tractatu de patientia in infirmitatibus.

P. Nepveu in libro qui inscribitur, *Ratio sese præparandi ad mortem*, Consideratione sexta de usu morborum faciendo.

Item tomo tertio Christianarum Considerationum.

Liber cui titulus *Familia Sancta* Tom. 3. cap. 16. §. 3. docet, quid in morbis servandum.

P. Guillorè in operibus asceticis Instructione 4. loquitur de morbis, quomodo recipiendi sint, ac fructu ex illis percipiendo.

Drexellius *in Gymnasio Patientiæ cap.* 4. plurima habet hujus argumenti.

Petrarcha tomo primo Dialogorum unum habet de bona valetudine, ubi non desunt plura de mala.

Dialogi Ascetici P. Surin *Tomo* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. ubi de morbis agit.

Et omnes, quicumque de tribulationibus, patientia in adversis, deque vitæ hujus calamitatibus egerunt, simul de morbis etiam, licet indirecte locuti sunt; & ex Titulo Tribulationum peti possunt ea, quæ sunt communia cum corporis infirmitatibus, quibus Deus justorum virtutem periclitatur.

Molinier sermone pro feria quinta post Cineres agit de morborum utilitate, de fructu inde percipiendo, & in illos invehitur, qui ad superstitiosa, vel diabolica remedia confugiunt. Recentes Concionatores.

P. Duneau in Dominicali sermone pro 21. post Pentecosten Dominica explicat variam rationem, qua Salvator corpora, animasque curavit.

Auctor sermonum Moralium unum habet de morborum usu, & utilitate.

In specimine sermonum in omnes anni Dominicas sermo hujus argumenti habetur Dominica 21. post Pentecosten.

In Domesticis exhortationibus a Benedictino quodam Monacho editis unam habes de bono morborum usu.

Auctor sermonum in omnia Christianæ Moralis argumenta argumentum hoc explicite tractat in sermone pro feria quinta Hebdomadæ tertiæ in Quadragesima.

Abbas de Monmorel sermone pro 18. post Pentecosten Dominica.

Abbas de S. Martino in Quadragesima peculiarem habet hujus argumenti concionem.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. 1. Reg. cap. 2.

Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? Job 2.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. 3.

Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Tob. 12.

Hanc tentationem ideo permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job. Tob. 2.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Psalm. 6.

In manibus tuis sortes meæ. Psalm. 30.

Ab ipso patientia mea. Psalm. 61.

Neque herba, neque malagma sanavit eos; sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Sap. 16.

Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Ibidem.

Propter iniquitatem corripuisti hominem. Ps. 38.

In-

Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Psalm. 49.

Qui sanat omnes infirmitates. Psalm. 102.

Infirmitas gravis sobriam facit animam. Eccli. 31.

In tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Eccli. 38.

Non te pigeat visitare infirmum. Eccli. 7.

Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus. Marci 1.

Circuibat Jesus omnes civitates, curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Matth. 9.

Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joann. 5.

Domine, ecce quem amas infirmatur. Joann. 11.

Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei. Joann. 11.

Virtus in infirmitate perficitur. 2. ad Corinthios 12.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. ad Corinth. 4.

Cum infirmor, tunc potens sum. 2. ad Corinthios 12.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Ibidem.

Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. Mich. 7.

Infirmus eram, & non visitastis me. Matth. 25.

Pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Act. 10.

Imperavit febri, & dimisit illam. Luc. 4.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me. Thren. 1.

Peccavi, &, ut eram dignus, non recepi. Jobi 33.

Omnis turba quærebat illum tangere, quia virtus de illa exibat, & sanabat omnes. Luc. 6.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento desumpta.

Morbi sunt peccati Originalis effectus.

IN statu innocentiæ creavit Deus protoparentes nostros cum iis corporibus, quæ esse debebant immortalia, atque ab omni morborum genere immunia. At in rebellionis eorum pœnam cum Deus illos hoc fraudasset privilegio, quod peculiari gratia illis contulerat; peccatum, quod illos morti subjecerat, morbis quoque effecit obnoxios, qui sunt mortis causæ, & præcursores; temperamentum eorum vitiatum fuit, & nullum fuit morborum genus, quo homines deinceps in originalis peccati pœnam minime afficerentur. Animadvertendum est tamen Adam ipsum post lapsum, filiosque ejus, quamvis & ipsi peccatores, nequaquam statim expertos fuisse effectus maledictionis, quam Deus in omne genus humanum post primum peccatum ejaculatus est; etenim diu post illud tempus satis perfecta valetudine usi sunt. Ipsi quoque Israelitæ quadraginta annis in deserto fuere, quin in omnibus Tribubus eorum, ut David ait, vel unus esset infirmus. Nunc vero cum homines peccato originali tot nova adjecerint crimina, eorum corpora nimis delicato epularum usu, immodicaque crapula, & ebrietate, aliisque vitiis attrita, vitam habent breviorem, eamque sexcentis morborum generibus obnoxiam, qui illos ad mortem adducunt.

Patientia Job in doloribus, quos ferebat, certissimum fidei ipsius ergaDeum argumentum.

Vitæ sanctitas, quam duxit Job eo tempore, quo divitiis affluebat, bonaque utebatur valetudine, plurimum illi apud suos existimationis, & laudum conciliaverat; sed Dæmon tunc temporis hominis virtutem parum admirabatur, quia illum in rerum omnium copia videbat; & cum etiam omnibus illum exuit bonis, non obstupuit videns insignia heroicæ patientiæ signa, quæ ille in sua paupertate præbebat, quia licet pauper, nihil adhuc tamen patiebatur in corpore; sed cum permittente Deo illum ulceribus cooperuit, sævissimisque doloribus afflixit, quin vel minimum quid illius constantiam labefactaret, verbum non addidit, se victum credidit, neque ausus est ultra lacessere hominem, cujus virtus in infirma æque, ac in bona valetudine se constantem præbuerat. At quid tum vir illa malis obrutus? Scriptura Job 6. testatur, illum testa ulcerum saniem abrasisse, quare ostendebat, se minime quæsivisse, quomodo suos dolores imminueret, sed potius quomodo illos augeret. Ita dicebat ille: *Quis det, ut veniat petitio mea & quod expecto tribuat mihi Deus: & qui cœpit ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat?* O heroicam patientiam! Horribiles patiebatur dolores, ac tamen Deus eidem parcere videbatur, atque Dominum precabatur, ut super ipsum extenderet manum, ita ut omne ejusdem pondus sentiret; immo illum etiam urgebat, ut ipsum voti damnaret. Eodem spiritu æger Dominum rogare debet, non ut sibi salutem impertiat, si corporis salus animæ saluti sit obfutura; sed ut malum augeat, si eidem placuerit, & cum magno quodam viro dicere: *Domine auge dolorem, sed auge patientiam*.

Tobiæ exemplum docet morbos, aliasque tribulationes ex Dei permissione accidere.

Nequaquam forte accidit, ut Tobias sub nido hyrundinino dormiret, ac excæcaretur avium stercore, quod in ipsius oculos cecidit, sed immutabili divinæ voluntatis imperio hoc factum est. *Hanc tentationem*, Scriptura ait, *permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & S. Job*. Et Angelus Tobiam jam hoc morbo curatum alloquens, inquit: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Tob. 12.

Ezechiæ exemplum ostendit Deum nonnumquam ægris sanitatem reddere propter preces eorum.

Cum Rex Ezechias intumuisset propter insignem victoriam, quam illi Deus de Assyriis contulerat, Dominus gravem, periculosumque eidem morbum immisit, quo affectus sese coram illo humiliavit, votaque pro salute nuncupavit. Tunc temporis, sacer Textus ait, ad mortem ægrotavit Ezechias, eumque invisens Isaias Propheta, dixit illi; dispone domui tuæ, non enim ultra vives, sed morieris. Tunc Ezechias ad parietem conversus, suam Domino orationem effudit, dixitque; recordare, quæso Domine, quomodo incesserim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quomodo id egerim quodcumque in oculis tuis acceptum fore existimavi. His dictis uberem lacrymarum imbrem effudit, & antequam Isaias vestibuli medium attigisset, Dominus huic locutus est, dixitque, revertere, & dic Ezechiæ Principi populi mei: audivi preces tuas, & vidi lacrymas tuas, & sanaberis, atque tertia die in Domini Templum proficisceris. Hoc exemplo docemur, in morbis non solum nos posse confugere ad Deum, sed Deum nonnumquam precibus nostris sanitatem concedere.

Ægris in Deo potius, quam in pharmacis, & medicorũ ope confidendum est.

Rex Asa corripitur, quia, ut inquit Scriptura, in morbo suo Dominum non exquisivit, sed potius in Medicorum scientia confidit. His nequaquam acceptus referendus est bonus, vel malus pharmacorum effectus, sed uni Deo, qui illos, uti voluerit, operari facit, & quantvis omni Medicorum, pharmocorumque ope destituti essemus, inquit S. Basilius, non ideo tamen de sanitate nobis esset desperandum.

Ochoziæ supplicium, quod in gravi morbo ad Deũ Accaron confugit.

Sæpe in pœnam modicæ confidentiæ, quam in Deum habent ægri, & nimiæ, quam in medicorum, & medicamentorum ope collocant, Deus illos in morbis languescere sinit, ac illos vi morbi interire permittit; quemadmodum Ochoziæ Regi accidit in pœnam, quod gravi laborans morbo misit, qui Gentilium idola consulerent, eorumque opem implorarent. Factum hoc sacrilegum Isaiæ Prophetæ zelum accendit, eumque egit, ut liberrime Regi exprobraret; *Numquid quia non erat Deus in Israel, misisti ad consulendum Beelzebub?* 4. Reg. 1. Quid, Rex? deerat Deus Israel, ut Ethnicorum Deos consuleres, eisque vota nuncupares? *Ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descen-*

descendes, sed morte morieris. Vivat Deus Israel, morieris, ut tuo doceas exemplo eos, qui in eodem periculo versantur, ne in Diis falsis, & dicere possumus etiam, ne in humanis auxiliis confidant.

Exemplū impii Antiochi docet, homines maxime superbos morbis humiliari, & ad sui cognitionem adduci.

Qui præ cæteris majori tument superbia, fastum relinquunt, seque coram Deo humiliant in morbis, a quibus in mortis periculum adducuntur. Testis impius Antiochus, de quo loquitur Scriptura, qui se videns in lectulo jacentem, ac propter vulnerum saniem sibimetipsi non ferendam; superbus ille, qui antea in cœlum ipsum sese extollere audebat, incipit humiliari sub potenti manu Dei, cumque supremum rerum omnium Dominum confiteri: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. 2. Mach. 9. Quidnam hominem hunc, qui nudius tertius impias evomebat blasphemias, in tantum concionatorem convertit? Morbus illi vanæ dignitatis ejusdem errorem abstulit, effecitque, ut seipsum videret, qualis reipsa erat, hominem videlicet communibus aliorum hominum miseriis obnoxium.

Morbi non semper efficiunt, ut vitæ ratio mutetur.

Cum Jeroboam extulisset manum admoniturus præfectos suos; ut caperent Prophetam, qui Dei nomine ipsum de omnibus sceleribus corripuerat, manus illius immota stetit, ac se palam adeo percussum sentiens ad Dei hominem confugit, ut manui suæ motus redderetur, eumque obtestatus est, ut tantum malum deprecaretur. Hoc regi concessum fuit, verum ideone a pristina vivendi ratione recessit? Immo factus est magis impius, quam ante, & eadem manu, cujus motum miraculo receperat, idolis sacrificavit, ac thura adolevit. Hoc illi faciunt, qui postquam convaluere, in prioribus flagitiis perseverant.

Dei Filius non fuit morbis obnoxius.

Sapienter animadvertit D. Th. 3. p. q. 14. art. 4. licet Salvator eas subierit infirmitates, quibus homo erat obnoxius, attamen non eos subiisse morbos, qui cum temperamento egregio, quale suum erat, simul esse non poterant. Ipse ab iisdem ægritudinibus sanctissimam Genitricem, aliosque Sanctos, quos insignibus cœptis designaverat, & quæ illis e voto cedere non potuissent, nisi ad perferendum eorum laborem satis robusta corpora habuissent, fecit immunes. Qui hoc divinitus donum acceperunt, pro virili, juxta S. Basilii consilium, illud tueri debent, & cum S. Propheta Psal. 58. dicere: *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es*. Idcirco vires propriæ non sunt imprudenter atterendæ, sed ad Dei servitium reservandæ.

Mundi Salvator sanavit corpora, ut animabus mederetur.

Quamquam Salvator fuerit corporum, animarumque medicus; attamen certum est, illum præsertim in mundum non venisse, ut corporum morbis mederetur. Nihilominus duplici ex causa corporibus quoque curandis animum advertit; quarum prior fuit, ut miraculosis, sensibilibusque operationibus suam missionem, potestatem, ac divinitatem probaret; quamobrem Judæis, qui miraculosas curationes intuebantur, ajebat Joann. 10. *Si mihi non creditis, operibus credite*; altera vero, ut per corporales hasce curationes indigitaret illas, quas intrinsecus in animabus operatur, primas semper ad secundas referendo: ita ut, ex Patrum sententia, numquam homines a quacumque corporis infirmitate curaret, quin simul eos a spiritualibus infirmitatibus liberaret, eorum peccata dimittens. Quod satis liquet; quia eos sanans, nonnumquam illa adjiciebat verba: *Remittuntur tibi peccata tua*. Matth. 9. Scribis vero, qui hæc audientes illum blasphemiæ nomine insimulabant, respondens quæsivit utrum facilius esset dicere; *Remittuntur tibi peccata tua*, an dicere, *Surge, & ambula*? Matt. 9. Ut igitur sciatis, filium hominis potestatem habere dimittendi peccata, conversus ad paralyticum, qui sibi fuerat oblatus, inquit illi; Surge, & revertere in domum tuam; quod ostendit illum simul & corporum, & animarum curationes, sed illas quidem propter has; fuisse operatum.

Deus orari vult pro corporum æque ac pro animarum salute.

Mysterio vacuum non est, ex ægris omnibus, quos a Salvatore curatos legimus, ne unum quidem hoc fuisse consequutum, quin illud vel petierit, vel per alios poposcerit, vel saltem illius assequendi cupiditatem ostenderit. In S. Matthæo cap. 9. videmus curationem duorum cæcorum, qui diu clamarunt, fili David miserere nostri; iterumque duos pariter cæcos secus viam Jerichuntinam similiter clamasse, & curatos fuisse legimus in eodem cap. 20. Alius similiter cæcus Bartimæus nomine, cum audisset Jesum pertransire, non cessavit clamare, donec vocatus fuit, atque ut celerius curreret, in terram pallium suum projecit, & voti reus factus fuit. Luc. 18. Ita si omnes miraculosas curationes velimus percurrere, omnes fere ægrotantium precibus, vel aliorum, qui pro illis vota nuncupaverunt, petitionibus fuisse concessas inveniemus; ut intelligamus, bonam valetudinem Dei donum esse, ac mereri, ut si eam consequi optamus, precibus exoremus.

Modus varius, quo Dei Filius sese cum ægris gerebat.

Salvator, cum inter homines versabatur, sola voluntate nonnumquam ægrotantibus medebatur, veluti cum leprosum mundavit, dicens illi: *Volo, mundare*. Matth. 8. Nonnumquam rei alicujus applicatione utebatur, veluti cum ex sputo, & pulvere facto luto, illevit oculos cæci nati, eique præcepit, ut in natatoria Siloe sese ablueret; & nonnumquam etiam illos in morbis suis relinquebat, nolebatque curari, quantumvis in Medicos, & medicamenta plurimum auri effunderent. Deus nobiscum similiter agit; modo valetudinem nobis concedit, quin Medici, vel pharmaca aliquid valetudini conferant; modo per medicamenta sanitatem largitur; & modo omnes consultationes, & medicamenta efficit inutilia, ut inde intelligamus, in ipso uno confidentiam nostram esse constituendam. Quod si minime convalescis, non ideo de Medicis, ac medicamentis conqueri debes; sed reputare debes, hæc omnia a Deo proficisci, ac illum nolle, te sanari.

Lazarus, licet a J.C. amaretur, morbo affectatus fuit, qui eidem attulit mortem.

S. Chrysostomus Lazari exemplo probat, morbos, non secus ac alias tribulationes justorum, sanctorumque esse hæreditatem. Homo ille justus erat, & Jesu Christi amicus, & nihilominus gravi morbo affectus fuit, qui mortem illi peperit. Plurimi obstupescunt, Sanctus hic Doctor homil. 61. in Joann. ait, cum vident hominem justum, & Deo charum, aliquod malum, veluti morbos, pati; at nesciunt, hoc pacto a Deo amicos excipi. Et profecto Lazarus simul & a Jesu Christo diligebatur, & periculoso morbo torquebatur; quod satis liquet ex verbis sororum ejus, qui ad Dominum miserunt opem illius imploraturæ. Domine, eidem nunciari jusserunt, ecce quem amas, infirmatur. Ipse etiam inquit Evangelista, Sanctus Chrysostomus addit, a Jesu Lazarum, sororesque ejus amatas fuisse, per hoc volens innuere, mirum esse non debere, sicubi amici Dei morbis, aliisque infirmitatibus laborare videntur.

Vult Deus sibi gratias haberi propter beneficiā quod confert bonā reddens valetudinem.

Memento pauperis illius Samaritani, qui cum novem aliis leprosis, sibi similibus, ad Salvatorem accessit, curationem suam impetraturus, & qui lepra mundatus unus ex omnibus reversus est, ut Benefactori suo gratias ageret. Fides, & gratitudo hominis adeo visæ sunt admirabiles Salvatori, ut eas coram omni populo laudibus celebraverit, & econtra conquestus fuerit de aliorum novem ingratitudine, qui cum Judæi essent, & ideo majorem fidem, gratique animi sensum habere deberent, quam hic alienigena, tamen illius exemplum secuti non fuerant. Itaque inter plurimos ægros, qui laborant, ut a Deo impetrent sanitatem, pauci sunt, qui damnati votis eidem gratias agant.

Appli-

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Morbi efficiunt, ut æternas veritates recogitemus.

MIsit Deus ignem in ossibus meis, & erudivit me. Thren. 1. Accendit Deus in ossibus meis febris ignem, atque per hunc eas me docuit veritates, quas ignorabam. Quid hoc sibi vult? nisi quod cum caro patitur, eamque febris affligit, hæc prohibet, ne corpus in vitium feratur; corrigit errores illius, & oculos aperit, ut videat invisibilem Deum, qui illud jamjam puniturus est, ut coram suprema hac majestate humiliatus, nihil ardentius optet, quam a prava recedere via, ut bonam amplectatur. Præsertim vero morbi in mentem revocant cœlestes veritates, de quibus ne cogitabamus quidem, cum bona valetudine perfrueremur. Efficiunt, ut nos mortales esse meminerimus; nobis admovent mortem, quam veluti remotissimam arbitrabamur; nos admonent, ut æternitatem cogitemus: mundi hujus vanitatem ostendunt, ac sensibili lingua dicunt futurum ut brevi prodeundum nobis sit, & coram supremo Judice de omnibus actionibus nostris rationem reddituri.

Putare debemus nos meritos fuisse supplicium, quo a Deo fuimus affecti.

Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi, Jobi 33. Peccavi, Domine, cumque gravissimæ sint iniquitates meæ, quantumvis magna videantur mala, quibus me percutis, hæc semper tamen sunt minora sceleribus meis. Hunc habere debemus sensum in iis morbis, quibus a Deo percutimur, & quos habere debemus tamquam scelerum nostrorum pœnas; ita ut benedicere debeamus clementissimæ Domini misericordiæ, qui videns, nobis satis animi non esse, ut ex nobis pœnitentiam agamus, hanc nobis illius agendæ occasionem procurat. Amanda est bonitas, & indulgentia Domini permittentis, ut morbus hic (licet voluntarius non sit, immo neque nobis integrum sit ab eo immunes esse, & licet nihil intentatum relinquamus, ut ab eo liberemur, vel ut illi saltem aliquod solatium afferamus) permittentis, inquam, ut fiat quodammodo voluntarius, & aptus non solum ad satisfaciendum pro peccatis nostris, verum etiam ad æternam nobis felicitatem promerendam, statim ac illum cum submissione divinæ voluntati recipimus, atque patienter toleramus. Denique nostras cum Salvatoris passionibus debemus conjungere, ut per meritum passionum ejus nostrarum defectui suppleamus, quæ nihil habent dignum propter quod illi offerantur.

Quomodo virtus in infirmitate perficiatur.

Virtus in infirmitate perficitur. 2. ad Cor. 12. Hæc Sancti Pauli verba non melius applicari possunt, quam corporis ægritudinibus, quæ signa sunt, certaque argumenta infelicissimæ conditionis nostræ. Verum animadvertendum est, ab Apostolo nullam peculiariter virtutem designari, ut intelligamus, in morbis virtutes omnes exerceri, & perfici posse. Et sane Dei amor ibi perficitur amorem proprium mortificando, ac destruendo; charitas, discendo quomodo alienorum malorum misereri debeamus; obedientia, nostram divinæ voluntati conformando; patientia, alacri animo gravissimos dolores perferendo. Verbo, virtutes omnes morales, similes auro, quod per ignem probatur, eo majorem nitorem, meritumque adipiscuntur, quo majores obices illis superandi sunt, & fortiores hostes profligandi.

Submissio Divinæ voluntati in morbis.

Ecce quem amas, infirmatur. Joann. 11. Hæc verba Deo cum humilitate dici possunt: Domine, quem amas, infirmatur. Non rogo te, ut me sanes; rogo solum, ut eo in statu, in quo sum, ostendas me a te amari; certus enim sum, a te, qui diliguntur, non derelinqui. Da mihi, quod me omnium maxime decet; hoc mihi procul dubio dabis, quidquid enim in me a te fluit, nonnisi amoris tui erga me effectus esse potest: etenim per hunc amorem tibi placuit me ex nihilo educere; & si corpus, si animam habeo, omnia huic eidem amori debeo. Verum memento, Domine, corpus hoc, quod est opus manuum tuarum; corpus hoc inquam viribus exhaustum, & languens non aliud expectare, quam mortem. Si volueris, illi reddes bonam valetudinem, ut eadem in tui servitio maxime utatur. Sed quodcumque jubeas, ostendere volo, me tui amore succensum esse; te amare volo, uti me amas; æque & bona, & mala usus valetudine tibi cupio inservire.

In morbis ad Deum præsertim confugiendum est, ut animæ salutem impetremus.

Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Matth. 26. Æger ægritudinem suam respicere potest sub amarissimi calicis imagine, quidquid acerbissimum est continentis; capitis dolores, horrores ex frigore, ardoresque febrium, sitim, fastidium, lassitudinem, ferme jugem importunitatem catharticorum, sanguinisque missionum: atque hæc omnia simul spectans ad æternum Patrem confugiet cum submissione, & confidentia dicturus illi: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; neque sinas morbum hunc ad mortem usque procedere. Attamen tua potius voluntas fiat, quam mea; hoc unum opto, ut quodcumque tibi placuerit adimpleatur.

Providentia præscripsit tempus, quo morbus duraturus est, & mala, quæ accidere possunt symptomata.

Nescitis quid petatis. Matth. 20. Ex Medico vestro salutem petitis; at nescit ille, utrum vobis sit necessaria; fortasse valetudo, quam vobis procurat, futura est æterna damnatio vestra. Nescitis, quid petatis; & ille nescit, quid vobis concedat; sed magnus animarum æque ac corporum Medicus scit, quid vobis necessarium sit; non respicit solum corporis vestri sanitatem, sed multo magis salutem animæ vestræ considerat. Non ex febri, sed ex ambitione, sceleribusque convalescere debetis; neque enim Deus corpus vestrum affligit, nisi ut salvet animam vestram. Ad unum illum igitur nobis confugiendum est, unus enim ille novit morbum nostrum, atque remedium. Frustra ægrotantes tantopere laborant, ut ex hominibus aliquam opem accipiant; Deus unus illis mederi potest, & nisi potentia, & misericordia ejus humanis remediis virtutem fuerit elargita, hæc prorsus erunt inutilia. Medicorum peritissimus, licet Ethnicus, bona fide confessus est, Dei solius manum morbos curare; & S. Ambrosius nebulones, & ingratos vocat eos, qui arti, ac scientiæ suæ morborum curationem referunt acceptam: *Divinæ misericordiæ munus præripiunt*; Deo ipsi misericordiam ejus volunt auferre.

Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Sap. 11. Quemadmodum Deus infinita sapientia sua, quidquid facit, ita regit, ut semper ibi mensura, numerus, pondusque inveniantur, ita hæc tria diligentissime servat in iis pœnis, ac tribulationibus, quas hominibus immittit. Providentia ejus constituit numerum morborum, quibus ante mortem affligtabimini, numerum dierum, quibus quilibet duraturus est, numerum horarum, quibus febrium calor persistet, numerum denique symptomatum, quæ toto morbi tempore accident. Hæc omnia præscripta sunt, & medici, quæcumque adhibeant pharmaca, numquam hunc numerum augere possunt, vel imminuere. Quod si quando accidit, ut vel data opera, vel fortuito ægrotantium dies vel imminuant, vel producant, nihil fit sine divina providentia, quæ omnia prævidit, & quæ æque humana utitur industria, inscitia, & improbitate, ut sua consilia exequatur. Ad hæc Deus infinite sapiens appendit, ut ita dicam, in statera morbos nostros, & jussu illius vel graviores sunt, vel leviores; ita ut sine illo doctissimi etiam Medici nequeant vel minimum ægrotanti solatium afferre; quod si afferunt, hinc accidit, quia ita constitutum est. Attamen ita res omnes ille disponit, ut cruces, quas tribuit, quæcumque sint, numquam ita sint graves, ut ferri non possint.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

A*D hoc utiles morbi, ut non peccare liceat, ut non peccasse noceat.* Augustinus.

Nasci hic in corpore mortis, incipere ægrotare est. Idem, in Psalm. 102.

Sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus hujus sæculi solet morbum corporis. Idem, l. 50. Homil. Homil. 38.

Hic ure, hic seca, modo in æternum parcas. Idem, ibid. Homil. 22.

Novit Deus quid nobis expediat; id tantum agamus, ut cor nostrum sanum sit a peccatis. Idem, tract. 7. in Joann.

Multi accepta sanitate lasciviunt, qui ægroti casti erant, sanati adulteri fiunt. Dum ægrotabant, neminem lædebant; receptis viribus, invadunt, & opprimunt innocentes. Idem, in Psalm. 97.

Melius est ardere flamma febrium, quam igne vitiorum. Gregorius.

Ut qui ex carnis blandimento peccavimus, ex carnis afflictione purgemur. Idem.

Ut pœna præsens sit finis culpæ præcedentis. Idem.

Infirmitas corporis sanitas animæ est. Idem, l. 6. Moral. c. 9.

Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat. Idem, Homilia 19. in Evangel.

Omnis divina percussio aut purgatio est vitæ præsentis, aut initium pœnæ subsequentis. Idem, l. 18. Moral. c. 13.

Admonendi sunt ægri, ut considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit. Idem, in Pastoral. 3. part.

Remotis febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus ægritudo est. Idem, 8. Moral.

Ad salutem ea infirmitas fuit, plus aculei quam periculi ferens, hoc est quod Deus ait, percutiam & ego sanabo, percussit infirmitate, & sanavit fide. Ambrosius, in Epist.

Quantamvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta, modo ab æternalibus pœnis libereris. Idem ad virginem lapsam, c. 8.

Heu mihi! purgatorium febris. S. Paulinus.

Imbecillitas carnis mentis vigorem exacuit, & afflictis artubus, vires corporis in virtutes transferuntur animarum, ut mihi genus quoddam sanitatis videatur hominem interdum non esse suum. Salvianus, Epist. ad Cethuram.

Exultet anima læta corpore afflicto, quasi adversario subjugato. Idem, l. 1. de Provid.

Si sani erunt, sancti non erunt. Idem, ibid.

Nunquam, ut puto, habitatione Dei dignior extitisti, quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu, vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti. Idem, in Epist. ad Cethuram.

Salubris infirmitas, quæ per divinam correptionem, mentem a duritia frangit, & humiliat. Bernardus de interiore domo.

Quosdam præsciens Deus peccare posse, in salutem flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent: ut eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. Idem, ib.

Bona est infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad sanitatem animæ. Idem, Serm. 43. ad sororem.

Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur! Quis mihi dabit non solum infirmari, sed deficere penitus a me, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Idem, Serm. 25. in Cantic.

Perfectius est adversa tolerare fortiter, quam bonis operibus insudare. Sanctus Bonaventura, de gradibus virtut. c. 27.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi valeat.

NEmo unus est, qui nesciat, quid sit ægritudo, & quilibet de hac sermonem habere potest, seu quia ægrotavit, seu quia vidit ægrotantes. Ideo inutile est illius definitionem inquirere, quæ varia esset pro varietate infirmitatum corporis, quibus nostra patet natura. Dicere satis est corpus humanum tot ex partibus morbo affligi, quot sunt in eodem partes. Supremus artifex nostra effinxit corpora ex tot humoribus, facultatibus, organis, ut eadem variis ad vitam necessariis functionibus exercendis idonea faceret, ut difficile sit hæc omnia diu conservari, quin aliquam patiantur immutationem. Cum ex limito terræ Deus primum efformavit hominem, corpori illius suapte natura fragili, atque mortali supernaturalem contulit virtutem, propter quam illius temperamentum semper æquale, ac immutabile permanere debebat; verum hoc illi privilegium ademptum fuit in inobedientiæ pœnam; & corpus quod numquam vel ægritudini, vel morti fuisset obnoxium, ad naturalem suam conditionem redactum cœpit experiri vitæ hujus miserias, quæ totidem sunt dispositiones morti. *De morbis generatim.*

Morbus considerari potest 1. vel tamquam effectus originalis peccati, quod nascendo contraximus, & quod tamquam funestam protoparentis nostri hæreditatem accepimus. 2. tamquam pœna, quam nobis divina imponit justitia pro peccatis, quæ patravimus. 3. tamquam effectus flagitiorum nostrorum. 4. tamquam periculum nostræ fidelitatis, atque virtutis, quam Deus vult exercere. 5. tamquam remedium morbis animæ, quos Deus sæpe corporeis ægritudinibus curare desiderat. 6. tamquam monitum, quo nos expergiscitur Deus, ut mortem cogitemus, cujus quidam veluti præcursor est morbus. Variæ hujusmodi rationes, sub quibus morbum spectare possumus, varias innuunt dispositiones, cum quibus illum recipere debemus, ubi divinæ placuerit providentiæ illum nobis immittere, & usum in quem illum debemus convertere. *Variæ rationes, sub quibus morbus considerari potest.*

Quis numerando consequi posset morbos omnes, quibus homo est obnoxius? quandoquidem nulla est adeo exigua corporis nostri pars, quæ suum, immo plures simul non habeat. Omnes istæ infirmitates, quibus obnoxii sumus, sunt effecta vel originalis peccati, vel actualium criminum, quæ committimus, & quæ Deus nonnumquam in hac vita punit, quemadmodum punitum fuit peccatum illius, qui octo ac triginta annos secus oram Piscinæ jacuerat, & cui Salvator Joann. 5. dixit: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, hoc verbo significans, languorem hunc peccati ejusdem pœnam fuisse. Verum si corporis morbi numero carent, pauciores non sunt animæ morbi; etenim quamvis indivisibilis sit, ac partibus careat, ac in ea nonnisi intellectus, & voluntas distinguantur, in intellectu tamen tot esse possunt morbi, quot errores, & in voluntate tot infirmitates, quot affectus inordinati. Hic de corporeis tantum infirmitatibus loquimur; de morbis enim animæ locuti fuimus, cum de quolibet vitio singillatim loqueremur. *Corporis morbi sunt innumeri.*

Quælibet corporalis infirmitas peculiarem habet rationem cum aliqua spirituali infirmitate, quemadmodum Sancti Patres animadverterunt in iis morbis, quibus Salvator medebatur, dum versaretur in terris. Exempli gratia cum cæcis visum reddebat, innuebat se venisse ad ignorantiæ nostræ tenebras dissipandas, gentesque ad evangelii lumen convertendas. Cum surdis aures aperiebat, significabat eos, qui antea aures obstruxerant voci Dei, eam- *Corporales morbi aliquam habent cum morbis animæ rationem.*

dem

dem mox audituros, & ex ea fructum perceپturos. Cum mutorum linguam solvebat, portendebat non multo post adfuturos Concionatores, qui prorsus divina eloquentia Cœli veritates nunciarent. Cum claudos ambulare efficiebat, docebat, ut ad Cœlum perveniamus, in viam mandatorum esse progrediendum. Cum leprosos mundabat, indicabat, se unum peccata nostra delere, animamque expiare posse. Et quoniam accidit plerumque, ut postquam justificati fuerimus in quemdam languorem decidamus, qui efficit, ut remissius in bonorum operum exercitatione agatur, reddidit motum pluribus languentibus, & paralyticis, ut significaret, per gratiam suam nos futuros alacres, ac vigilantes, atque ferventius opera pietatis operaturos.

Divinum de nobis consilium, cum nobis morbos immittit.

Quemadmodum bona valetudo Dei donum est, ita alterum & mala est, & hanc ille bonis immittit, ut infirmitatem nostram agnoscamus, ut a terrenis rebus, sensuumque voluptatibus divellamur, ut atteramus, & imminuamus vires perniciosissimi inimici, qui caro nostra est, ut reminiscamur hic in exilio nos esse, & Cœlum veram esse patriam nostram, utque tandem ea omnia percipiamus bona, quæ ex morbo recipiuntur, ubi hic tamquam divinæ manus donum consideratur. Effectus est magnæ virtutis consummatæque pietatis Deo gratias agere ob ea mala, quibus nos percutit.

Rationes, propter quas Deus morbis patientiam justorum exercet.

S. Chrysostomus plures animadvertit rationes, propter quas Deus morbis justorum patientiam exercet, quarum hæ potissimæ sunt. Prima, ut magna illa, quæ per ipsos operatur Omnipotens, his superbiendi occasionem non tribuant, sed ut ex malis, quæ patiuntur, suam intelligentes infirmitatem humilientur, ac seipsos coram Domino annihilent. Altera est, ut illi omnes, qui testes sunt heroicarum actionum, & miraculorum eorumdem eos videntes communibus obnoxios infirmitatibus, agnoscant illos ejusdem esse naturæ, ac cæteros homines, & si quid mirum, & præter humanas vires ab illis fieri viderint, intelligant, non illis, sed Deo gloriam esse referendam. Tertia ut Deus in illis gratiæ suæ virtutem ostendat, qui per adeo infirma instrumenta tot mirabilia operatur, supplens virtute sua defectui virium eorum. Quarta, ut mundus admiretur horum hominum adeo generosorum patientiam, & puritatem, qua Deo serviunt, propter ipsum, non autem propter solatia, quibus ab illo cumulantur. Quinta, ut oculos aperiamus consideraturi coronas, quas illis in æternitate reservat, & gloriam, qua illos post sæculorum finem remunerabitur. Sexta, ut Sanctorum exempla nos consolentur, si paribus affligamur calamitatibus. Septima, ut cum tantorum virorum nobis proponuntur exempla, qui iisdem ac nos obnoxii sunt infirmitatibus, recordemur, si passionum ipsorum participes fuerimus, coronarum quoque, & meritorum consortes futuros. Octava, ut discamus veram hujus vitæ felicitatem in valetudine bona nequaquam contineri, uti neque in solatiis, & voluptatibus.

Quomodo nos in morbis gerere debeamus.

Cum omnes homines inter infirmitates, & languores, quibus eorum corpora conficiuntur, & absumuntur, hilari, lætoque animo esse nequeant, illos saltem patienter ferre debent divinæ voluntati submissi, & præstolantes donec ad sublimiorem perfectioris apicem possint attolli. Pro virili questus, & lacrymæ supprimendæ sunt; nosque cogitare debemus tamquam argillam in manu Dei, quam per fornacem traducit, ut illam purificet, & ex ea vasa in honorem, instrumentaque effinget, quæ æternorum consiliorum suorum perfectioni deserviant. Nobismet ob oculos statuere debemus plurimorum sanctorum exempla, qui inter gravissimos dolores, atque cruciatus invictam præ se tulere patientiam.

Generalis dispositio, qua morbis tempore debemus.

Hæc ea est dispositio, qua esse debemus, ut morbos doloresque, uti christianos homines decet, perferamus. Hæc omnibus fidelibus convenit sine ullo ætatis, sexus, & conditionis discrimine. Illis persuasum esse debet, se hæc mala meritos fuisse, ac spiritu pœnitentiæ sese illis submittere debent; atque ea spectare tamquam media, quæ illis suppeditat Deus ad peccata sua redimenda, & justitiæ illius satisfaciendum. Constans est, infirmitates, & morbos, quibus modo affligimur, effectum esse peccati, & si originis nostræ innocentia nequaquam interiisset, nos semper iisdem immunes fuisse futuros. Docet Sanctus Augustinus futurum ut Dei justitia pati nequaquam posset, ut homo, qui ejusdem ferebat imaginem, hæc pateretur mala, nisi hic per scelus se ipsum de gradu dejecisset, atque in aliquam prius iniquitatem cecidisset. Inde autem, necessaria illatione, sequitur, morbos respiciendos esse tamquam peccati pœnam, cum pœnitentiæ spiritu esse perferendos, atque profunda cum humilitate subeundos. Considerandos esse non solum tamquam satisfactionem, quam a nobis exigit Deus, verum etiam tamquam remedium, quod nobis affert, ut nos ab omnibus malis eripiat. Fatendum esse, omnipotentem illius dexteram nos per misericordiam punire, ut ad nos revertamur; dum morbo laboramus adhibendam esse eam lenitatem, docilitatem, & obedientiam, quæ pœnitentibus convenit, qui supernam Dei misericordiam flectere, & ab ipso perfectam reconciliationem obtinere contendunt.

Defectus in morbis vitandos.

Defectus in morbis vitandi hi sunt: 1. impatientia, murmur, quæ efficiunt, ut meriti occasio nobis fiat peccati materia. 2. Immoderata inquietudo, ac nimis urgens valetudinis recuperandæ desiderium, nam quamvis permittat Deus, ut quæratur, optetur, procuretur; hoc semper tamen fieri debet cum modo, ac submissione divinæ providentiæ mandatis. 3. Querela, iracundia, ac impetus in eos, qui nobis inserviunt.

Remedia contra murmur, aliosque defectus.

Remedia contra murmur, aliosque defectus, hæc sunt, 1. sese comparare cum omnibus, qui patiuntur, & cogitare, illos plus pati, quam nos, & ab illis Deum minus læsum fuisse, quam a nobis. 2. Dolores, & passiones nostras cum doloribus Dei innocentis, atque impeccabilis conferre. 3. Illas conferre cum inferni cruciatibus, quos meriti sumus. 4. Comparare illas cum beneficiis Dei, quibus toto cœlo superantur, & cum S. Job dicere: *Si bona a Dei manu recipimus, mala quare non recipiamus?* 5. Illas cum cœlesti felicitate comparare, & cum Apostolo dicere: non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum hoc, & leve nostræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. 6. Se ipsos confirmare spe auxilii, quod nobis in necessitatibus Deus pollicetur.

Fructus, & bona patientiæ in morbis.

Primum, quod ægris repræsentari oportent, ut aliquod illis præbeatur solatium in iis doloribus, in quibus sunt, ac in eo statu, in quo bonis operibus vacare non possunt, hoc est; patientiam videlicet infinita afferre bona, & quacumque affligemur infirmitate, per hanc virtutem omnia nos posse munera nostra obire. Insignes reportare possumus de salutis nostræ inimicis triumphos, magnos in perfectionis via progressus efficere, verbo, generalis, & efficax nobis suppetit ratio, qua adimplere valeamus quidquid ad Dei honorem, proximi utilitatem, ac spiritualem profectum nostrum pertinet.

Morbi sunt in ordine providentiæ erga electos.

Sapientissimæ Dei providentiæ effectus est, qui sciens quamplurimos in gravia scelera ruere, quia valetudine, viribusque sibi traditis abutuntur, vel prænoscens futurum ut si eorum valetudinem sartam tectam reservaverit, illos damnatum iri; molestas illis ægritudines immittit, ut ab hoc malo eos tueatur, atque ut per patientiam illi ingentem gratiarum numerum mereantur, re enim vera nihil morbis aptius est ad corpus domandum, coercendas cupiditates, ac prohibendum, ne appetitus rationi dominetur.

Nobis

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

A*D hoc utiles morbi, ut non peccare liceat, ut non peccasse noceat*. Augustinus.

Nasci hic in corpore mortis, incipere ægrotare est. Idem, in Psalm. 102.

Sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus hujus sæculi solet morbum corporis. Idem, l. 50. Homil. Homil. 38.

Hic ure, hic seca, modo in æternum parcas. Idem, ibid. Homil. 22.

Novit Deus quid nobis expediat; id tantum agamus, ut cor nostrum sanum sit a peccatis. Idem, tract. 7. in Joann.

Multi accepta sanitate lasciviunt, qui ægroti casti erant, sanati adulteri fiunt. Dum ægrotabant, neminem lædebant; receptis viribus, invadunt, & opprimunt innocentes. Idem, in Psalm. 97.

Melius est ardere flamma febrium, quam igne vitiorum. Gregorius.

Ut qui ex carnis blandimento peccavimus, ex carnis afflictione purgemur. Idem.

Ut pœna præsens sit finis culpæ præcedentis. Idem.

Infirmitas corporis sanitas animæ est. Idem, l. 6. Moral. c. 9.

Divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat. Idem, Homilia 19. in Evangel.

Omnis divina percussio aut purgatio est vitæ præsentis, aut initium pœnæ subsequentis. Idem, l. 18. Moral. c. 13.

Admonendi sunt ægri, ut considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, compescit. Idem, in Pastoral. 3. part.

Remotis febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus ægritudo est. Idem, 8. Moral.

Ad salutem ea infirmitas fuit, plus aculei quam periculi ferens, hoc est quod Deus ait, percutiam & ego sanabo, percussit infirmitate, & sanavit fide. Ambrosius, in Epist.

Quantamvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta, modo ab æternalibus pœnis libereris. Idem ad virginem lapsam, c. 8.

Heu mihi! purgatorium febris. S. Paulinus.

Imbecillitas carnis mentis vigorem exacuit, & afflictis artubus, vires corporis in virtutes transferuntur animarum, ut mihi genus quoddam sanitatis videatur hominem interdum non esse sanum. Salvianus, Epist. ad Cethuram.

Exultet anima læta corpore afflicto, quasi adversario subjugato. Idem, l. 1. de Provid.

Si sani erunt, sancti non erunt. Idem, ibid.

Nunquam, ut puto, habitatione Dei dignior extitisti, quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu, vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti. Idem, in Epist. ad Cethuram.

Salubris infirmitas, quæ per divinam correptionem, mentem a duritia frangit, & humiliat. Bernardus de interiore domo.

Quosdam præsciens Deus peccare posse, in salutem flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent: ut eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quam remanere incolumes ad damnationem. Idem, ib.

Bona est infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad sanitatem animæ. Idem, Serm. 43. ad sororem.

Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur! Quis mihi dabit non solum infirmari, sed deficere penitus a me, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Idem, Serm. 25. in Cantic.

Perfectius est adversa tolerare fortiter, quam bonis operibus insudare. Sanctus Bonaventura, de gradibus virtut. c. 27.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi valeat.

De morbis generatim.

NEmo unus est, qui nesciat, quid sit ægritudo, & quilibet de hac sermonem habere potest, seu quia ægrotavit, seu quia vidit ægrotantes. Ideo inutile est illius definitionem inquirere, quæ varia esset pro varietate infirmitatum corporis, quibus nostra patet natura. Dicere satis est corpus humanum tot ex partibus morbo affligi, quot sunt in eodem partes. Supremus artifex nostra effinxit corpora ex tot humoribus, facultatibus, organis, ut eadem variis ad vitam necessariis functionibus exercendis idonea faceret, ut difficile sit hæc omnia diu conservari, quin aliquam patiantur immutationem. Cum ex limito terræ Deus primum efformavit hominem, corpori illius suapte natura fragili, atque mortali supernaturalem contulit virtutem, propter quam illius temperamentum semper æquale, ac immutabile permanere debebat; verum hoc illi privilegium ademptum fuit in inobedientiæ pœnam; & corpus quod numquam vel ægritudini, vel morti fuisset obnoxium, ad naturalem suam conditionem redactum cœpit experiri vitæ hujus miserias, quæ totidem sunt dispositiones morti.

Variæ rationes, sub quibus morbus considerari potest.

Morbus considerari potest 1. vel tamquam effectus originalis peccati, quod nascendo contraximus, & quod tamquam funestam protoparentis nostri hæreditatem accepimus. 2. tamquam pœna, quam nobis divina imponit justitia pro peccatis, quæ patravimus. 3. tamquam effectus flagitiorum nostrorum. 4. tamquam periculum nostræ fidelitatis, atque virtutis, quam Deus vult exercere. 5. tamquam remedium morbis animæ, quos Deus sæpe corporeis ægritudinibus curare desiderat. 6. tamquam monitum, quo nos expergiscitur Deus, ut mortem cogitemus, cujus quidam veluti præcursor est morbus. Variæ hujusmodi rationes, sub quibus morbum spectare possumus, varias innuunt dispositiones, cum quibus illum recipere debemus, ubi divinæ placuerit providentiæ illum nobis immittere, & usum in quem illum debemus convertere.

Corporis morbi sunt innumeri.

Quis numerando consequi posset morbos omnes, quibus homo est obnoxius? quandoquidem nulla est adeo exigua corporis nostri pars, quæ suum, immo plures simul non habeat. Omnes istæ infirmitates, quibus obnoxii sumus, sunt effecta vel originalis peccati, vel actualium criminum, quæ committimus, & quæ Deus nonnumquam in hac vita punit, quemadmodum punitum fuit peccatum illius, qui octo ac triginta annos secus oram Piscinæ jacuerat, & cui Salvator Joann. 5. dixit: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, hoc verbo significans, languorem hunc peccati ejusdem pœnam fuisse. Verum si corporis morbi numero carent, pauciores non sunt animæ morbi; etenim quamvis indivisibilis sit, ac partibus careat, ac in ea nonnisi intellectus, & voluntas distinguantur, in intellectu tamen tot esse possunt morbi, quot errores, & in voluntate tot infirmitates, quot affectus inordinati. Hic de corporeis tantum infirmitatibus loquimur; de morbis enim animæ locuti sumus, cum de quolibet vitio singillatim loqueremur.

Corporales morbi aliquam habent cũ morbis animæ rationem.

Quælibet corporalis infirmitas peculiarem habet rationem cum aliqua spirituali infirmitate, quemadmodum Sancti Patres animadvertunt in iis morbis, quibus Salvator medebatur, dum versaretur in terris. Exempli gratia cum cæcis visum reddebat, innuebat se venisse ad ignorantiæ nostræ tenebras dissipandas, gentesque ad evangelii lumen convertendas. Cum surdis aures aperiebat, significabat eos, qui antea aures obstruxerant voci Dei, eamdem

dem mox auditures, & ex ea fructum percepturos. Cum mutorum linguam solvebat, portendebat non multo post adfuturos Concionatores, qui prorsus divina eloquentia Cœli veritates nunciarent. Cum claudos ambulare efficiebat, docebat, ut ad Cœlum perveniamus, in viam mandatorum esse progrediendum. Cum leprosos mundabat, indicabat, se unum peccata nostra delere, animamque expiare posse. Et quoniam accidit plerumque, ut postquam justificati fuerimus in quemdam languorem decidamus, qui efficit, ut remissius in bonorum operum exercitatione agatur, reddidit motum pluribus languentibus, & paralyticis, ut significaret, per gratiam suam nos futuros alacres, ac vigilantes, atque ferventius opera pietatis operaturos.

Divinum de nobis consilium, cum nobis morbos immittit.

Quemadmodum bona valetudo Dei donum est, ita alterum & mala est, & hanc ille bonis immittit, ut infirmitatem nostram agnoscamus, ut a terrenis rebus, sensuumque voluptatibus divellamur, ut atteramus, & imminuamus vires perniciosissimi inimici, qui caro nostra est; ut reminiscamur hic in exilio nos esse, & Cœlum veram esse patriam nostram, utque tandem ea omnia percipiamus bona, quæ ex morbo recipiuntur, ubi hic tamquam divinæ manus donum consideratur. Effectus est magnæ virtutis consummatæque pietatis Deo gratias agere ob ea mala, quibus nos percutit.

Rationes, propter quas Deus morbis patientiam justorum exercet.

S. Chrysostomus plures animadvertit rationes, propter quas Deus morbis justorum patientiam exercet, quarum hæ potissimæ sunt. Prima, ut magna illa, quæ per ipsos operatur Omnipotens, his superbiendi occasionem non tribuant, sed ut ex malis, quæ patiuntur, suam intelligentes infirmitatem humilientur, ac seipsos coram Domino annihilent. Altera est, ut illi omnes, qui testes sunt heroicarum actionum, & miraculorum eorumdem eos videntes communibus obnoxios infirmitatibus, agnoscant illos ejusdem esse naturæ, ac cæteros homines, & si quid mirum, & præter humanas vires ab illis fieri viderint, intelligant, non illis, sed Deo gloriam esse referendam. Tertia ut Deus in illis gratiæ suæ virtutem ostendat, qui per adeo infirma instrumenta tot mirabilia operatur, supplens virtute sua defectui virium eorum. Quarta, ut mundus admiretur horum hominum adeo generosorum patientiam, & puritatem, qua Deo serviunt, propter ipsum, non autem propter solatia, quibus ab illo cumulantur. Quinta, ut oculos aperiamus consideraturi coronas, quas illis in æternitate reservat, & gloriam, qua illos post sæculorum finem remunerabitur. Sexta, ut Sanctorum exempla nos consolentur, si paribus affligamur calamitatibus. Septima, ut cum tantorum virorum nobis proponuntur exempla, qui iisdem ac nos obnoxii sunt infirmitatibus, recordemur, si passionum ipsorum participes fuerimus, coronarum quoque, & meritorum consortes futuros. Octava, ut discamus veram hujus vitæ felicitatem in valetudine bona nequaquam contineri, uti neque in solatiis, & voluptatibus.

Quomodo nosmet in morbis gerere debeamus.

Cum omnes homines inter infirmitates, & languores, quibus eorum corpora conficiuntur, & absumuntur, hilari, lætoque animo esse nequeant, illos saltem patienter ferre debent divinæ voluntati submissi, & præstolantes donec ad sublimiorem perfectionis apicem possint attolli. Pro virili questus, & lacrymæ supprimendæ sunt; nosque cogitare debemus tamquam argillam in manu Dei, quam per fornacem traducit, ut illam purificet, & ex ea vasa in honorem, instrumentaque effinget, quæ æternorum consiliorum suorum perfectioni deserviant. Nobismet ob oculos statuere debemus plurimorum sanctorum exempla, qui inter gravissimos dolores, atque cruciatus invictam præ se tulere patientiam.

Generalis dispositio, qua morbos perpeti debemus.

Hæc ea est dispositio, qua esse debemus, ut morbos doloresque, uti christianos homines decet, perferamus. Hæc omnibus fidelibus convenit sine ullo ætatis, sexus, & conditionis discrimine. Illis persuasum esse debet, se hæc mala meritos fuisse, ac spiritu pœnitentiæ sese illis submittere debent; atque ea spectare tamquam media, quæ illis suppeditat Deus ad peccata sua redimenda, & justitiæ illius satisfaciendum. Constans est, infirmitates, & morbos, quibus modo affligimur, effectum esse peccati, & si originis nostræ innocentia nequaquam interiisset, nos semper iisdem immunes fuisse futuros. Docet Sanctus Augustinus futurum ut Dei justitia pati nequaquam posset, ut homo, qui ejusdem ferebat imaginem, hæc pateretur mala, nisi hic per scelus se ipsum de gradu dejecisset, atque in aliquam prius iniquitatem occidisset. Inde autem, necessaria illatione, sequitur, morbos respiciendos esse tamquam peccati pœnam, cum pœnitentiæ spiritu esse perferendos, atque profunda cum humilitate subeundos. Considerandos esse non solum tamquam satisfactionem, quam a nobis exigit Deus, verum etiam tamquam remedium, quod nobis offert, ut nos ab omnibus malis eripiat. Fatendum esse, omnipotentem illius dexteram nos per misericordiam punire, ut ad nos revertamur; dum morbo laboramus adhibendam esse eam lenitatem, docilitatem, & obedientiam, quæ pœnitentibus convenit, qui supernam Dei misericordiam flectere, & ab ipso perfectam reconciliationem obtinere contendunt.

Defectus in morbis vitandus.

Defectus in morbis vitandi hi sunt; 1. impatientia, murmur, quæ efficiunt, ut meriti occasio nobis fiat peccati materia. 2. Immoderata inquietudo, ac nimis urgens valetudinis recuperandæ desiderium, nam quamvis permittat Deus, ut quæratur, optetur, procuretur; hoc semper tamen fieri debet cum modo, ac submissione divinæ providentiæ mandatis. 3. Querela, iracundia, ac impetus in eos, qui nobis inserviunt.

Remedia contra murmur, aliosque defectus.

Remedia contra murmur, aliosque defectus, hæc sunt, 1. sese comparare cum omnibus, qui patiuntur, & cogitare, illos plus pati, quam nos, & ab illis Deum minus læsum fuisse, quam a nobis. 2. Dolores, & passiones nostras cum doloribus Dei innocentis, atque impeccabilis conferre. 3. Illas conferre cum inferni cruciatibus, quos meriti sumus. 4. Comparare illas cum beneficiis Dei, quibus toto cœlo superantur, & cum S. Job dicere: Si bona a Dei manu recipimus, mala quare non recipiamus? 5. Illas cum cœlesti felicitate comparare, & cum Apostolo dicere: non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum hoc, & leve nostræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. 6. Se ipsos confirmare spe auxilii, quod nobis in necessitatibus Deus pollicetur.

Fructus, & bona patientiæ in morbis.

Primum, quod ægris repræsentari oportet; ut aliquod illis præbeatur solatium in iis doloribus, in quibus sunt, ac in eo statu, in quo bonis operibus vacare non possunt, hoc est, patientiam videlicet infinita afferre bona, & quacumque affligemur infirmitate, per hanc virtutem omnia nos posse munera nostra obire. Insignes reportare possumus de salutis nostræ inimicis triumphos, magnos in perfectionis via progressus efficere, verbo, generalis, & efficax nobis suppetit ratio, qua adimplere valeamus quidquid ad Dei honorem, proximi utilitatem, ac spiritualem profectum nostrum pertinet.

Morbi sunt in ordine providentiæ erga electos.

Sapientissimæ Dei providentiæ effectus est, qui sciens quamplurimos in gravia scelera ruere, quia valetudine, viribusque sibi traditis abutuntur, vel prænoscens futurum ut si eorum valetudinem sartam tectam reservaverit, illos damnatum iri; molestas illis ægritudines immittit, ut ab hoc malo eos tueatur, atque ut per patientiam illi ingentem gratiarum numerum mereantur, re enim vera nihil morbis aptius est ad corpus domandum, coercendas cupiditates, ac prohibendum, ne appetitus rationi dominetur.

Nobis

Quæ Deo satisfactio præbetur ab iis, qui patienter morbos ferunt, Deo acceptior est, nobisque utilior, quam quæ eidem in purgatorio redditur.

Nobis solatio esse debet, atque ob id gratiæ immortales agendæ sunt, quod nobis Deus morbos tamquam purgatorii speciem quamdam adscribit; ubi levi damno justitiæ ipsius satisfacere possimus; cui in altera vita summo rigore ad novissimum usque quadrantem erit satisfaciendum. Præterquamquod anima in purgatorio nonnisi pro seipsa satisfacere potest, & nequit aliis passionum suarum fructum applicare; sed in hoc mundo qui aliquo afflictatur morbo, diuturna patientia adeo optimum sibi congerit satisfactionum thesaurum, ut non solum omnia debita solvat, verum plurima illi supersint, quibus pro aliis pluribus satisfaciat, & commune Ecclesiæ thesaurum augeat. Itaque si patienter violentum febris accessum pateris, atque ad purgatorii animam transferre vis satisfactionem, quam per patientiam acquiris; fieri potest, ut illius debitum ex asse persolvas, eam ex flammis eripias, illique cœli januam aperias, ubi jugiter Deum pro benefactore suo deprecetur.

Quosdam morbos immittit Deus, ut majorem gloriam recipiat.

Ad ægrotantium solatium operæ pretium est animadvertere ægritudines non semper esse criminum pœnas, easque a Deo sæpe immitti, ut gloria sua magis elucescat, atque ut Electorum suorum periculum faciat. Hoc Salvator ipse nos docuit, quia respondens Discipulis suis quærentibus, quia homo quidam, qui secus viam sedebat, cœcus esset: *Neque hic peccavit*, inquit ille, Joann. 9. *neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo*. De Lazari quoque morbo ait: Joann. 11. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*. Hinc est, ut quamvis justi non omnino sint ab omni crimine immunes, attamen sæpe eo modo afflicti videntur, quo nonnisi nequissimus aliquis peccator videretur affligendus.

Periculum est ne ex virtute in relaxationem lapsi fiat.

Veri servi Dei in morbis suis diligentissime cavere debent, ne infirmitas corporis spiritus relaxationem gignat, & ne anima infirmata naturalem requiem suam in sensuum solatio recipiat. Tunc constanter Deo adhærendum est, sanctorum more, quin naturali necessitati plus tribuatur, quam ratio, ac virtus permittant. Qui naturæ infirmitates & gratiæ indolem norunt, his mirum non videbitur, quod Sancti morbis suis mortificationem, si ferre eam valeant, adjiciunt, quia natura toto pondere suo ad solatium fertur: opus est, ut gratia illi pœnitentiæ exercitationem objiciat.

PARAGRAPHUS VI

Delecti ex Asceticis, & Concionatoribus recentioribus loci hujus Argumenti.

Dei providentia sese prodit in morbis, quibus homines angit.

QUis Cœlestis Patris providentiam non admirabitur in morbis, quibus justos angit, & peccatores; Quemadmodum plurimos illis, & paucos his, illis graves, his leves, aliis diuturnas, aliis breves, aliis in hac, aliis in alia corporis parte dolores immittit, semper tamen ad majus spirituale bonum Electorum suorum; ita ut ille morbus, qui, ut ita dicam, tibi in partem contigit, sit medium illud, quod pro salute, ac perfectione tua amabilis hæc elegit providentia. Cogita ergo, illum, a quo patientia tua hoc pacto exercetur, Deum esse infinite sapientem, mala tua interna licet, atque secreta videntem; eorum causas, ac remedia scientem; vires tuas, & eas, quas per gratiam suam tibi conferre potest, agnoscentem, cum demum, quem nihil latet; ita ut numquam periculum facturus sit virtutis tuæ, quin sciat, quomodo eadem usurus sit. Passiones tuas semper viribus tuis accommodat, & numquam tibi bonam valetudinem denegabit, cum illam, præ mala, tibi magis erit profutura. *Ludovicus a Ponte, in libro, cui titulus, Bona morborum, & afflictionum*.

Morborum calix, qui nobis præbet Deus, qui illius mensuram nobis necessariam cognoscit.

Novit Deus, cujus mensuræ sit calix, quem ægrotanti præparavit; & quidquid fiat; fieri nequit ut illius mensuræ quidquam vel addatur, vel detrahatur. Itaque calix vel magnus ille sit, vel exiguus, vel mero plenus, vel mixto, vel magis amarus, vel minus, hæc omnia ab eo proficiscuntur, qui ut cum Propheta loquar, *nobis potum dat in lacrymis in mensura*. Quomodo ergo tu, qui nihil aliud es, quam infirmitas, ac imbecillitas, cum te malum urget, dolori te tradis? An nescis nihil esse, ubi Deus diligentius numerum, pondus, mensuramque servet, quam in morbis? Si nimius tibi videtur dierum, & horarum numerus; si nimis grave pondus; si nimis magna mensura, cogita eum, qui regit omnia, Patrem, Medicumque tuum esse. Cogita, ipsum in iis omnibus, quæ facit, sibi tuum bonum proponere, unicum illius consilium esse medendi tibi, expiandi animam tuam, tibique ad æternam beatitudinem viam sternendi; si aurum, atque argentum perfecte munda non sunt, nisi per ignem fuerint traducta, & si ad aurificem spectat judicare quamdiu in fornace debeant permanere; quo potiori jure opus est, ut te Deus morbis probet, ac informare tamdiu relinquat, quamdiu tibi illic permanendum esse censuerit, ut inde auro, argentoque purior egrediaris? *Idem*.

Deus ad sanctitatẽ alios quidem per bonam, alios vero per malã valetudinem adducit.

Duæ sunt viæ prorsus diversæ, per quas consuevit Dominus electos suos ad eumdem finem, christianam videlicet perfectionem, adducere. Aliis quidem validum tribuit temperamentum, valetudinem nullis umquam laboribus atterendam, ut exterioribus operibus vacent, in quibus non minimam partem corpus habet, & aliis etiam, quæ licet spiritus magis propria sint, numquam tamen melius, neque facilius exercentur, quam cum corpus robustum est, ac bene valet. Alios vero e contra morbis, ac doloribus obruere velle videtur; sed in languentibus corporibus ita spiritum eorum confirmat, ut eos pares efficiat virtutibus maxime heroicis exercendis, quæ numquam sine patientia inveniuntur; nam uti Sanctus Jacobus cap. 1. ait, *patientia opus perfectum habet*. Itaque jure dici potest, pati quodammodo esse operari, & perfectum illum esse, qui actionem cum patientia conjungens æque & infirma, & bona valetudine in virtutibus crescit. *Idem cap. 1.*

Homines vulgo abutuntur valetudine quam illis tribuit Deus.

Bene utentes valetudine, quam a Deo recepimus, satis validi erimus, ut affectus nostros superemus, de dæmonibus triumphum referamus, ac vincamus vitia ipsis etiam exercitibus magis terribilia, & ut magnas res non hominibus minus utiles, quam Deo gloriosas exequamur. Sed animæ nostræ corruptio tanta est, ut sæpe ad Deum lacessendum ea abutamur valetudine, quam ille nobis concessit, ut eidem serviamus, & quia viribus nostris utamur ad virtutum acquisitionem, easdem impendamus ad vitia fovenda, impudicitiam vero præsertim, ac intemperantiam, quæ a S. Gregorio carnalia vitia dicuntur, quia regnant in carne, ac sensuum dumtaxat voluptatem inquirunt. *Idem*.

Morbi supplent mortificationibus, quas bene valentes exercere possunt.

Morbi ut plurimum in ægrotantibus eumdem effectum obtinent, ac jejunia aliæque corporis mortificationes in iis, qui bona valetudine utuntur; sed modo tutiori, perfectiorique. In illis enim propria voluntas, non magis quam vana gloria, nullam habet partem; & si carnem affligunt, multo magis spiritum mortificant. Quod si ex se voluntarii non sunt, fiunt tamen aliquo modo per gratiam, quæ id quod necessarium est, in meriti materiam convertit, & quæ Sanctos ita confirmat, ut non satis contenti malorum, quibus a Deo probantur, ultro illis plures alias mortificationes adjiciunt. *Idem*.

Præter lucrum, quod per patientiam in morbis refertur, licet ægri, lucrari possumus quidquid bonis lucraremur operibus, quæ a nobis bene valentibus efficerentur. Mementote legis, a Davide latæ, cum milites nescio qui exantlatis laboribus

fessi

fessi exercitum sequi non potuerunt citato agmine Amalecitas persequentem. Sapiens ille imperator præcipit, ut licet illi in via substitissent, eo quod illis vires deficerent, in prædæ partem vocarentur, æque ac illi, qui hostem fuissent persecuti, eumque occidione delessent. 1. Reg. 30. Non arbitratis meritum, neque mercedem sanctorum operum, quæ ab aliis fiunt, si vobis sincera voluntas est eadem faciendi, ac facultas tantummodo deest. Etenim ante Dei tribunal voluntas, & effectus æquam sortiuntur mercedem, cum agendi tantum impotentia nos ab agendo dispensat. Si ergo cum sano estis corpore xenodochia invisere, pauperibus inservire, prolixas preces fundere vobis in more est, & si affecto corpore eodem vos agi ardore sentitis, ut iisdem bonis operibus operam navetis, eorumdem meritum obtinetis, & huic recens accedit, humilis nempe in malis vestris patientiæ. Fovere potestis ardens desiderium in partem accedendi eorum omnium, quæ a justis bona fiunt, audiendi Missam cum iis, qui sacris intersunt mysteriis, pauperibus inserviendi cum inservientibus, ægros, captivosque cum invisentibus invisendi. *Idem c. 3.*

Morbos spectare debemus tamquam pœnas, easque cũ pœnitentiæ spiritu recipere.

Quamquam verum sit, Deum nonnullis morbos immittere hoc uno consilio, ut majorem ipse gloriam recipiat, eorumque virtutem periclitetur; attamen non deest nobis occasio credendi, nostros justas esse criminum nostrorum pœnas, cum eorum, quæ nobis explorata sunt, tum eorum, quæ latent, cum ignorare nequeamus in singulas horas a nobis Deum lædi. Idcirco ars præstantissima morbos patienter ferendi, est illos in spiritu pœnitentiæ subire. Hoc quodammodo mala nostra lenit, & ut ita dicam fascinat, quia hoc Spiritu Dei punitionem recipientes consolamur, spe futurum ut aliquando æterna requie perfruamur. *Idem.*

Morbi nos monent, ut mortem cogitemus.

Morbus nonnumquam Dei monitum est, ut mortem cogitemus, cujus in juventutis flore, virum æque valetudinis robore facile obliviscimur. Morbi sunt tamquam totidem mortis oppugnationes, quarum aliqua tandem expugnabimur. Hi sunt tamquam citationes, quibus ad supremum Judicem accersimur, nullusque morbus est, qui lethalis fieri non possit, & qui non compellere debeat, ut nosmet morti disponamus. *P. Nepveu, libro cui titulus: Modus sese preparandi ad mortem.*

Deus morbos permittit, ut resipiscamur.

Cogitas tibi magnum annorum superesse numerum, at permisit Deus, te morbo affligari, ut intelligas nihil incertius esse, quam vitæ diuturnitatem, eamque fortasse breviorem futuram. Inani tumes gloria, ac insana præsumptione te supra cæteros attollis; at ille morbis utitur, ut tuam conterat superbiam; gestit enim superborum capita humiliare. Vitæ hujus deliciis te ingurgitas, quin ullam serves mensuram; at ille tuis voluptatibus immiscet amaritudinem, male affectam tribuens valetudinem, sexcentasque infirmitates, quæ prohibent, ne te tuis abdas voluptatibus, quas tanta aviditate consectaris. *Pater a Ponte cap. 3. de bonis morborum.*

Criminum nostrorum cogitatio morbos nostros efficere debet leviores.

Cogita quantum Dei misericordia eas mitiget pœnas, quibus ejusdem justitia nostras punit iniquitates. Illas ita moderatur, ut supplicium numquam sit crimini par. Ne dixeris ergo solum cum bono latrone, *nos quidem digna factis recipimus*, sed potius dic, quod in Job c. 33. scriptum est; *Peccavi, & vere deliqui, &, ut eram dignus, non recepi.* Heu! si intelligeres quam pœnam mereatur, qui mortale peccatum committit, qui infinitam Majestatem lædit, qui Creatorem ac supremum suum benefactorem offendit, cui sexcentas ob causas inservire debet! Fatereris procul dubio, tibi licet perferres quidquid morborum, dolorumque perlatum fuit, ac perferetur umquam, id tamen nimis parum fore pro tui criminis satisfactione. Cur ergo quereris de iis, quæ levia suffers, quasi nil gravius mereteris? Ne spectes quantum pœnarum tibi injiciat Deus; sed quantum tibi remittat, atque tunc Deo gratias ages pro malis infinite duraturis, ac infinite magnis, a quibus te liberat, potiusquam conqueraris de brevissimis, atque levissimis, quibus te angit. *Idem.*

Morbi nobis loco purgatorii sunt in hac vita.

Cogitare debemus duo esse Purgatoria a Deo pro peccatorum nostrorum expiatione destinata; subterraneum alterum pro animabus corpore exutis, alterum super terram pro viventibus, quos Deus variis morborum generibus probat; & duo hæc purgatoria aliqua in re sibimet invicem præstare. Primum illud habet hoc boni, quod ibi periculum abest impatientiæ, vel criminis alicujus; at hoc habet male ut quamvis plurimum feratur, nullum acquiritur meritum, nullus seu gratiæ, seu gloriæ gradus comparatur; cæterum vero Dei amor, qui ibi numquam deest, semper in violento statu est, & anima nonnisi cum dolore videre potest, pœnas suas æque magnas, & inutiles esse. At vitæ hujus purgatorium prorsus est aliud: Re quidem vera impatientiæ hic sumus obnoxii, plurimisque patemus infirmitatibus, quæ vulgo ægrotantibus communes sunt, quamvis ad eas evitandas gratia non desit; at vicissim plurimam habemus facilitatem in sceleribus omnibus expiandis; patienter enim dolorem satis levem, brevemque ferentes magis divinæ satisfacimus justitiæ, quam per diuturnas, gravissimasque alterius vitæ passiones: at una febris nobis pro uno Purgatorii mense, vel anno potest computari. *Idem.*

Morborũ non leve solatium est cogitatio malorum, quæ damnati in altera vita patiuntur.

Memento, quod si damnatus in hunc mundum reverti posset, eique experto horribiles vitæ alterius cruciatus, non aliud perferendum esset, quam quod in acerbissimis patimur morbis, ut mox æterna felicitate perfrueretur, pro nihilo pœnas omnes haberet, Deoque gratias ageret, qui infernum ipsius in adeo mite purgatorium convertisset. Cur ergo de tuis infirmitatibus quereris? Cur illi gratias non agis, quod ex adeo terribilibus suppliciis liberaverit? Itaque cum iterato febrium ardore torqueberis, statue tibi ante oculos æternum ignem, cui esses non secus ac epulo nequam adjudicandus. Cum te febrilis accessus corripuerit, cogita flammas, quibus excruciabatur ille, qui non aliud quærebat solatium, quam aquæ guttam, quam obtinere non potuit. Cum molesta vigilia insomnes te coget ducere noctes, quæ nimis diuturnæ videbuntur, finge tibi æternas tenebras, quibus impii insepulti sunt citra spem ulterius lucem videndi; & noctes hybernæ breves tibi erunt. Cum pertæsum tibi fuerit cubilis tui licet molliter strati, infernum cogita, & credes tecum loqui Isaiam cum dicit: cap. 14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Torus tuus tabum erit, & lues, vermes erunt tibi pro culcitra, qui depascent viscera tua, qui ne unum quidem quietis momentum tibi relinquant. Alias similiter considera pœnas, quibus impii in inferno damnati sunt, & quæ nullam habent rationem cum illis, quas pateris, ut cum illis simul, ex collatæ, quibus affligaris, leves, dulcesque tibi videantur; atque ita lætaberis quod leviores perpessus gravioribus careas. Dominus enim pollicitus est, pro scelere eodem nequaquam duplici pœna torquendum esse peccatorem, ac se nequaquam puniturum æternis suppliciis, qui vitæ hujus infirmitates patienter pertulerit. *Idem.*

In morbis manifestũ habemus indicium, quod ossi non negligimur.

Sapiens hortatur, ne in morbis abjicias animum; neve credas, quia bona tibi deest valetudo, ideo minorem te existimationem mereri: Salvator enim tanto amore prosecutus est, tantoque in pretio infirmos habuit, ut non minus eorum, quam suis, malis se affectum ostenderit, eosque tamquam se ipsum haberi voluerit; juxta ea verba, quæ in novissimo judicio proferet: infirmus eram, neque dignati estis me invisere. Hoc in sensu illi dicere poterimus, o Salvator! si te tantum malorum

horum

hotum misereri, ut præcipias servis, amicisque tuis, ut me ægrotantem invisant, atque solentur, m quæso per te ipsum me visita, neque ab hoc lectulo, cui me confixisti, recede; si enim tu unus me deseris, omnes omnium hominum visitationes parum mihi afferent solatium; at quantumvis parum inde recipiam, satis, superque mihi erit si tu mecum fueris. *Idem*.

Veri Christiani in morbis constantia.

Inter acutissimos dolores attritum corpus, ac malorum, pharmacorumque vi in singula momenta ad interitum festinans passionibus suis innocuas etiam denegat querelas, quæ illis solarium aliquod afferre videntur. Hæc autem non est Philosophi constantia, & ostentatio potius, quam virtus; nihil fit in gratiam spectantium, omnia propter Deum fiunt. Hæc fidei vis est; hæc sanctorum patientia; hæc pœnitentiæ humiliatio, atque ita, o Deus sperantes in te, virtutem, ac fortitudinem mutant. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem*. Isaiæ 40. Hic ille Heros est, quem gratia format; hic Sapiens Christianus est. In suæ infirmitatis auxilium extremam Christiani vim, gratiam sanctæ unctionis vocat. Apage timores illos, pavidasque sollicitudines, quæ ægro fidei remedia nequaquam proponere videntur, nisi veluti malorum desperationem; & ne illi mortis horrorem cieant, non audent subsidia immortalitatis ostendere. Agni cruor per sacros hos rives defluens, quin terreat illam, spem illius immo efficit constantiorem. *P. Massillon in Oratione funebri Principis de Conty*.

Deus mala in gloriam suam nostras infirmitates convertere fit:

Si nollet Deus vobis bonam reddere valetudinem, rationem inveniret, qua vestras infirmitates in suam vestramque gloriam converteret, virtutem vestram præstantissimis donis remuneratus, & æque in mundi oculis constantiæ, & charitatis vestræ magnitudinem ostendens. Deo sane gloriosum est, infirmo, doloribusque confecto corpori animam conjungere voti sui compotem, quæ cum Apostolo a. ad Corinth. 12. dicere possit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo*. Non exigua est Salvatoris gloria in mundo habere viventes virtutum suarum imagines; homines generosos, qui ab illius manu morbos quasi beneficia recipiant, qui semper in seipsis getant passionis, mortisque illius characteres, ut pariter vita Jesu in illis appareat. *Pater a Ponte in libro superius memorato*.

Quomodo in morbis munera nostra possimus obire.

Ægrotus, licet multis affectus sit infirmitatibus, plurimum tamen in arcta perfectionis via potest proficere; etenim quamvis illi integrum non sit ea præstare, quæ bene valentes operantur; facit tamen ea, quæ Deus ab ipso postulat eo in statu, quo est. Justi meritum, & perfectio non in eo sita est, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 104. art. 3. ut agat, & patiatur: licet omnia bona sua pauperibus erogaret, & pro fide mortem oppeteret, sed ut agat, & patiatur animo placendi Deo, sanctamque illius voluntatem explendi. Hæc maxime essentialis est perfecti amoris nota, & in hac omnis felicitas nostra continetur. Cum ergo ex te non exigantur labores, qui hominis infirmi vires excedant, & quidquid ex te petitur, ad id redigatur, ut æquo, & patienti animo feras varia ægritudinis tuæ incommoda; progressus spiritualis tuus non in eo situs est, ut agas, & opereris, sed ut morbum tuum patiaris spiritu submissionis, ac te ipsum præbeas obedientem usque ad mortem in ea cruce, in qua Dei manus te retinet, & ex qua descendere nequis. Perfecta igitur obedientia perfectionem tuam debet constituere, at obedientia perfectior est in eo qui mala, quam qui bona utitur valetudine, qui enim utitur mala, servare debet patientiæ præceptum, quæ ex virtutibus omnibus procul dubio omnium est difficillima. *Idem*.

Patientiæ argumenta, quæ habemus in morbis, & quam necessaria sit hæc patientia.

Opus est, ut quin de divina conqueratur providentia æger cum doloribus corporis omnem patiatur & pharmacorum amaritudinem, pœnam fere intolerabilem decubitus multorum mensium, ubi vitæ hujus solatiis destitutus est; jugem alieni auxilii necessitatem, quo carere non potest, & quod sæpe, ubi opus, deest; ardentem sitim, omnium epularum fastidium, & quæ vulgo inde oritur, tetram mœstitiam. Ex altera parte vitam suam tueri debet; Deus hoc jubet; ideoque cibus sumendus illi est, ne moriatur, quamtumvis illum fastidiat, & horreat: Ad hæc medico obtemperandum est, & licet hæc obedientia præcepti non esset, est tamen consilii; semperque, ut Sapiens ait, perfectius est huic consilio adhærere: *Da locum Medico*. Eccli. 38. hoc est magis explicitis verbis, sollicitam Medico præsta obedientiam; ad ungem illius mandata serva, quamvis amarissima, & gravissimos dolores afferentia præcipiat: Quæ patientiæ materia! quod mœroris argumentum! *Idem*.

Æger a mortificationis exercitatione non dispensatur,

Rite animadvertendum est, ægrotantem, licet non teneatur eas exercere mortificationes, quæ cum infirmitatibus suis simul esse non possunt, eas tamen nequaquam omittere, vel prorsus interrumpere, cum patienter morbi sui dolores tolerat; sed hos in illas immutare mortificationes, quibus, cum bene valeret, exercebatur. Putandum igitur est diuturnam dietam locum obtinere Jejuniorum, quæ a sanis servantur, graves dolores, quibus oritur, pro ciliciis esse, flagellis, aliisque austeritatibus, quæ robustos tantum, incolumesque homines decent. Ita patienti, & æquo animo tolerans pœnas, quas evitare integrum nobis non est, easque libera acceptatione voluntarias efficiens egregie satisfactoria exercebit opera, quæ pro peccatorum expiatione pœnitentia requirit. *Idem*.

Patientia in morbis cum gravi dolore conjuncta est species Martyrii.

Patientia, cui Martyres coronas suas debent; pluribus Martyrum titulum promereri potest; etenim quemadmodum S. Chrysostomus hom. 5. ad Popul. inquit, non est mediocris virtutis effectus, quod homo doloribus oppressus, impatientia, ac blasphemia tentatus, ita se ipsum moderari noverit, ut nulla vox, nulla actio Christiano indigna nomine illi elabatur. Hoc faciat Martyres; per hoc Job Martyris nomen sibi comparavit, ideoque Scriptura illius patientiam, simul cum illa, quam Rex Martyrum exercuit, nobis in exemplar proponit. *Idem*.

De patientia, & impatientia in morbis.

Per patientiam animas nostras possidemus, Salvator ait; unde sequitur hominem in iis, quæ patitur, malis impatientem, sui comporem non esse; & ægrum qui sese mœrori tradit, & quem suæ tædet infirmitatis, fieri suæ passionis mancipium. At qui patienter morbum sustinet, quin animos abjiciat, vel turbetur; constans est, omnesque facultates suas tali in submissione cohibet, ut nonnisi ad illius imperium moveantur. O patientia, S. Augustinus exclamat, superas quidquid arduum, & difficile in hoc mundo est, non dimicans quidem, sed sustinens; non murmurans, sed Deo gratias agens, quidquid bene, vel male cesserit. Virtus hæc alium etiam producit effectum, qui ægrotantibus ingenti solatio est; quod videlicet eorum mulcet pœnas, & magis ferendas efficit: quemadmodum e contra mœror illas auget, & generatim cum S. Augustino dicere possumus, spiritus impatientes, ac nimis delicatos, quin malum suum minuant, illud exacerbare. Itaque infirmus, qui impatientia abripitur, & de rebus omnibus conqueritur, nonnisi miser esse potest, quandoquidem præterquamquod invitus patitur, alit in conscientia sua vermem, quo roditur; & habet cor veluti fluctuans, æstuosumque mare, semper agitatum, & numquam tranquillum.

De ægrotantium defectibus, & vitiis.

Quot videntur ægri, in quibus corporis infirmitates animæ communicantur, eamque in plurimas imperfectiones, & vitia compellunt? Malum

hoc

hoc inde fluit, quod deserunt pietatis exercitia, quibus sustinebantur, vel quod spiritus æque infirmus, ac corpus quærit, dumtaxat aliquod solatium. Ita paulatim pietate remissa, unica illorum cura est sensibus suis satisfacere, & si quid ex illis, quæ cupiunt deest, exclamant, ac furunt. Non aliud ex illis auditur, inquit Hugo de Sancto Victore l. 1. de claustro animæ c. 12. nisi querela, & murmur de morbi magnitudine, vel de medicamentorum incommodo, vel de male conditis obsoniis, vel de negligentia Medicorum. Quatuor hæc sunt ipsis assidua mœroris, inanium suspicionum, temerariorum judiciorum argumenta, quæ eorum inquietudinem augent. Accusant sibi inservientes modicæ charitatis, nulliusque solertiæ. Illorum errata amplificant, aliaque falsa comminiscuntur; denique quantumvis parum morbo urgeantur, gemunt, dolent; ac illum semper exaggerant. Sed ut vera dicam, hujusmodi infirmitates ostendunt spiritum esse corpore infirmiorem, atque ut aliqua impatientiæ prætexatur causa, illam modo in domesticos, qui sua diligenter non obeunt officia, modo in morbi sui dolores non ferendos rejiciunt. *Idem*.

De moderata valetudinis suæ cura habenda, deque submissione in morbis.

Non dico imprudenter morbis ultro occurrendum esse sine alia ratione, quam ægrotandi; hoc unum dico, imitandos esse Sanctos Martyres, qui ut Sanctus Athanasius animadvertit, tyrannorum, & carnificum sævitiam fallere quærebant, ubi res posceret; sed qui semel in manus eorum lapsi, alacri, lubentique animo sese Providentiæ mandatis subjiciebant, invictaque constantia gravissima quælibet tormenta subibant. Similiter opus est, ut rationabili utaris cura in valetudine, viribusque tuis tuendis; quas male sine causa prodigeres: sed si permittit Deus, ut in gravem aliquem, molestumque decidas morbum, gratias illi age, quod hanc patiendi occasionem tibi procuraverit: æquo animo perfer hanc speciem martyrii; beatum te puta, quod similis Regi Martyrum fias, sin minus pro illo sanguinem effundens, saltem ab illius manu afflictiones, ac morbos recipiens. *Idem Capite quinto*.

Tentationes, quibus ægrotantes petimur.

Primæ tentationes ex parte corporis, miseroque statu, in quo tunc invenitur, proveniunt; etenim juges dolores, prolixæ dietæ, ciborum fastidium, iterati febrium ardores, pervilegium, molesta deliria, necessitas sæpe pharmaca, & medicamenta sumendi, hæc omnia ad illud torquendum, destruendumque consociantur. At nondum satis: etenim spiritus simul sexcentis mœroribus perturbatur, tristitiaque mortali conficitur. Hinc impatiens æger murmurat, & jugiter de illis etiam conqueritur, qui illum aliquo solatio recreare contendunt. Ejus impatientia eo usque procedit, ut in Deum aliquando feratur; & quo magis vitam amat, eo magis illius amittendæ metus diabolicis tentationibus locum præbet. Non desunt, qui nullum recipientes solatium ex pharmacis, quæ medicorum ars illis ministrat, ad alia confugiunt, quæ divina lege prohibentur. Testis impius Ochozias, qui ad mortem ægrotans misit *Nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron quasi non esset Deus in Israel, a quo posset interrogare Sermonem*. 4. Reg. 1. ideoque de lectulo super quem ascendit, non descendit, sed mortuus est. *Idem*.

Exhortatio ad morbos patienter ferendos.

Si igitur æger es, & lectulo tamquam cruci confixus; si violentis doloribus excrucaris, cave, ne eorum fructum per impatientiam amittas, ne de cruce in infernum descendas; & leve supplicium in alterum toto cœlo gravius immutes. Hoc dæmon cupit, qui tuum quærit interitum, ut aliquando tuæ insultet calamitati, tuamque irrideat insaniam, quod mala adeo fluxa, leviaque patienter ferre ad criminum tuorum expiationem nolueris. Suffer igitur alacriter; morbos in meritorum occasiones tibi converte &c. *Idem, cap. 6*.

Sensus, quem fovere debent infirmi.

Te sequi, & imitari cupio, o Salvator! & mihi præstat crucifigi tecum, quam sine te omnibus sæculi deliciis inebriari. Tibi corpus, animam, cor, spiritumque meum offero; me totum tibi trado; idque unum posco, ut tecum crucem, doloresque tuos partiar. Ne mihi alios sensus, alias inesse cogitationes; & horrere eam crucem, quam mihi dabis, quantumvis illa gravis existat. Crux omni tempore frui pars Electorum tuorum: qui te præ cæteris dilexerunt, præ cæteris majora nacti sunt tormenta; quomodo ergo ego miser tibi placere, & ex servorum tuorum numero esse potero, si crucem fugero, vexillum nempe sub quo eos omnes, qui tui sunt, congregas? Hodierna igitur die cum te gravi onustum cruce videam fieri ducem, & caput meum, meque invitare; ut per viam multo minus arduam, impeditamque, præ illa, qua graderis; quomodo summa non ardeo cupiditate patiendi pro te? quomodo aliquid mihi nimis durum videri potest? Quomodo totum illud tempus, quo pro te non patior, amissum non reputo? Profecto caro mea nimis infirma sub cruce gemit, eamque abjicere conatur; sed spiritus patientiæ, quem mihi, Domine, passionibus tuis promeruisti, infirmitatem hanc, inconstantiam, odium hoc in amorem mutare non potest? Quandonam pro te ad illum redigar statum, ad quem pro me te redactum intueor? quandonam omnem felicitatem, atque solatium meum in hoc constituam, ut patiar pro te? *Liber cui titulus: Patientia Domini nostri tempore Passionis suæ*.

Quæ christiani ægrotantis esse debeat dispositio.

Opus est, ut fidelis ægrotans cum plenitudine cordis ea assequatur consilia, quæ de ipso Deus habet; & quomodo illum ægrotare jubet, ut dolor, quo propter morbum afficitur, illum exprimat, quem in cruce passus est Deus, atque ut purior, perfectior, & sanctior evadat, morbos, quibus premitur, cum submissione, immo etiam cum gratiarum actione recipere debet; Dolores, quibus affictatur, considerare debet tamquam remedia, quæ ad animæ salutem illi applicat Deus, & cum Propheta Ps. 115. dicere: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Abbas Trappensis tomo 2. De vita Monastica Officiis, cap. 22.*

Magnus Apostolus in infirmitatibus suis lætabatur, cogitans futurum ut illæ in se Jesu Christi virtutem producerent, atque servarent. Hinc inter justos auditur quædam querimonia orta ex zelotypia sancta, quam illis perfectionis amor inspirat. Qui bona utuntur valetudine, utentibus mala, invident ea merita, quæ ipsorum acquirat patientia, sibique non satis virtutis esse putant, ut per hæc pericula traducantur; & pudore suffusi, quod ipsis parcat Deus, sibimetipsis irascuntur, seipsos laboribus, ac pœnitentiis conficiunt sperantes se hoc pacto reparaturos, quod morbis obtinere non possunt. Altera ex parte ægrotantes bene valentibus invident magna opera, quæ pro Dei cultu, & Ecclesiæ bono operantur. Infirmitates suas tamquam divinitus sibi immissa supplicia reputant, & credunt, se illis torqueri, quia scit Deus, illos, si bene valerent, valetudine sua fore abusuros. Numquam de iis, quæ patiuntur, ulla auditur querela, & nihil eos magis vexat, quam sibi inservientium incommodum. Vellent posse jejunare, vigilare, generatim omnia religionis obire exercitia, quin cogerentur minus austeram præ aliis vitam ducere, & a communibus oneribus immunes esse. Verum hæc omnia in suam vertunt utilitatem; ea quippe in humilitatis, & patientiæ materiam convertunt, sibique persuadent, se propter Dei voluntatem in hoc esse statu, ac se nil melius efficere posse, quam divinæ providentiæ mandatis sese submittere. *P. a Ponte libro citato capit.* 1.

In morbis Salvatori offerre debemus passiones nostras, & cum passionibus ejus conjungere.

Quid efficere possum in grati animi testimonium pro amore, quem Mundi Salvator, erga me testatus est pro me patiens, nisi passiones meas cum passionibus ejus conjungere, ut utrarumque nexus illas eidem magis acceptas efficiat? Hoc in spiritu offero tibi, o Salvator, ardentem sitim, qua uror, cum illa, qua tu quoque urebaris, cum clamasti, *sitio*. Offero tibi amaritudinem, atque tædium, quo afficior, cum amaritudine, ac

tædio, quo tu affectus fuisti cum tibi vinum cum felle mixtum propinatum fuit. Offero extremam lassitudinem, ac tædium, quo in lectulo hoc misére conficior, una cum gravissimis doloribus, quos passus es in lectulo toto cœlo duriori, in cruce videlicet. Accipe, Domine, oblationem hanc, quam facio, ut animi mei gratitudinem testatam tibi faciam ob ea, quæ pro me permisisti. *Idem c.* 3.

Christianus ægrotans qualiter affectus esse debeat.

Christisnus vel acuto excruciatus dolore, qui nonnisi per crudelem, summisque cum doloribus conjunctam operationem finem invenire potest, vel diuturnæ infirmitatis pondere pressus, quin omnia simul humana remedia ullum ipsi afferre valeant remedium, Christianus, inquam, tunc seipsum cogitare debet in manu Dei tamquam adamas in manu egregii cujusdam opificis, qui sæpe malleorum iterat ictus, ut illius pulchritudinem, & pretium augeat. *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* Psalm. 33. Tunc omnes eorum pœnas mulcet, & altera manu illos solatur, dum illos plectit altera. Dicam amplius: cum simus membra ejusdem corporis, cujus caput est Jesus Christus quidquid patimur ipse patitur nobiscum. Ne miremur ergo post hæc, si videmus justos acutissimis torqueri doloribus semper constanti oris serenitate; quid enim majori eos afficere solatio potest, quam scire, se ab ipso Deo in hoc morbo mundari tamquam aurum in fornace, atque se inde nova coruscantes luce exituros? *Abbas de Monmorel in Sermone in Evangelium Dominica* 18. *post Pentecosten.*

Ratio cur Deus justis morbos immittat.

Ratio alia, propter quam Dominus Justos morbis affligit, hæc est, ut illos præservet, ne in scelus aliquod ruant. Talis est naturæ nostræ infirmitas, ut statim obliviscamur Dei, ex quo ille nobis non revocat in mentem humanitatem nostram; morbis, aliisque indigemus ærumnis, ne illum derelinquamus, tunc etiam, cum nos suis cumulat beneficiis. Debetis igitur, justi, Deo gratias agere, cum vos visitat; etenim si attentius inspexeritis, videbitis, tunc cum molesto aliquo vos affliait dolore, pietatem vestram, propter status tranquillitatem, securam, incœpisse vel tepidam, vel oscitantem fieri; tunc amorem proprium in vobis sensim convaluisse, ac si diutius pace ills gavisi fuissetis, fortasse vos in grave aliquod malum funesto lapsu fuisse casuros. Hæc igitur cogitatio vos impellat, sin minus ut morbos a Domino petatis, si ille consuerit bonam valetudinem vobis efficere posse; saltem, ut læto, hilarique animo illos excipere possitis, quos vobis immittit; quoniam illos putare debetis tamquam antidotum aliquod necessarium, ne cadatis. Dei mentem assequimini; & morborum agnoscentes utilitatem, illis utimini, ut procul recedatis ab iis malis, in quæ periculum est, ne decidatis. *Idem.*

Credere debemus, nos meritos fuisse hos morbos in pœnam.

Ut acutissimos, diutissimosque dolores pari patientia, ex submissione divinæ voluntati perferamus, nosmet respicere debemus tamquam reos non fluxis tantum, quas patimur, pœnis dignos, sed etiam æternis; quæ criminum nostrorum merces esse deberet. Nobis igitur persuasum esse debet, a Deo, cum morbis affligimur, nos puniri ex justitia, quia illos meriti sumus, & ex charitate, quia hoc in mundo nos percutit tamquam pater, ne tamquam judex nos percutiat in altero. Si hujusmodi sensus alte mentibus nostris hærerent impressi, tantum abesset, ut de malis, quæ patimur, ulla audiretur querela, quod immo multo majora pati vellemus: atque cum S. Augustino diceremus: hic ure Domine, hic seca, ut in æternum parcas. *Idem.*

Quilibet peccatis suis acceptos referre potest morbos suos, at de morbis pr[illegible] non ita sentiendum est.

Quemadmodum omnia vitæ hujus mala sunt effectus peccati, nemo est, qui peccatis suis acceptos referre nequeat morbos, quibus afflictatur: *Propterea quod sacrificaveritis Idolis*, Jeremias inquit, *& peccaveritis Domino, & non audieritis vocem Domini, & in lege, & in praceptis, & in testimoniis ejus non ambulaveritis; idcirco vobis evenerunt mala hac.* Jerem. 44. Sed cum minime liceat nobis de proximo judicium ferre, criminosa temeritas semper est affirmare, eos, quos diuturnis, acerbisque ægritudinibus confectos intuemur, ob peccata sua hoc pacto mulctari. Sed ut in doloribus sanctificemur, quin animos abjiciamus, fateri debemus, illos longe minores iis esse malis, quæ meriti sumus. Præsertim vero Domino agendæ sunt gratiæ, quod pro peccatorum nostrorum, quæ & numero, & magnitudine infinita sunt, excipere digetur eam pœnam, quam pati, vel secus in nostra voluntate nequaquam positum est. *Idem.*

Infelicitas ejus qui ægrotans impatientia corripitur.

Ullusne fuit umquam funestior status, ac potiori jure cum damnatorum suppliciis comparandus, quam status hominis crudelibus affecti doloribus, qui sibi in lethale virus convertit, quod præsens eidem esse deberet amuletum, qui impatientia corripitur propter malum, quod patitur, tamquam intolerabile, & cui locus credendi est, se ex lectulo suo non proditurum, nisi in æternas flammas projiciendum; unde fit, ut anima ejus non minus patiatur, quam corpus, quidquid ille conetur, ne maxime necessarias veritates intelligat. At si veram desperationis ejus inquiramus causam, illam inde profectam intelligemus, quod cum semper in sceleribus vitam traduxerit, morbus illum sub passionum jugo, ac tyrannide deprehendit, nactusque est cor ejus creatis rebus sexcentis, iisque variis nexibus vinctum, & conscientiam tot negotiis, quæ ad salutem acquirendam impedimento sunt, circumseptam, ut hæc ipsi veluti inextricabile cahos videatur. Cum vero ad hæc corporis dolore prematur, quo spiritus libertas eidem aufertur, de rebus omnibus desperat, quia de nulla potest cogitare. *Idem.*

Quomodo offerendi sint Deo morborum dolores.

Domine, quoniam morbi tantum nobis afferre possunt utilitatis, non laboramus, ut inde eripiamur; æquum est, ut corpus luat pœnas ejus criminis, cujus illud sæpe fuit causa princeps, atque potissima: Verum quoniam immolatio partis hujus animalis nostrummetipsorum jucunda tibi non potest accidere, nisi anima illius oblationem tibi voluntariam efficiat: fac, Domine, ut hoc vel illo morbo laborantes, intelligamus a manu tua illum proficisci; fac, ut plena cum submissione præceptis tuis illum recipiamus, ut cum eodem in terris bene, sanctèque usi fuerimus, ille nobis ad peccata expianda, & majorem in cœlo mercedem promerendam proficiat. *Idem.*

In morbis nosmet in Dei manibus statuere debemus.

Cogitate, vitæ vestræ mensuram esse constitutam, omnia illius momenta a Deo numerata esse, & si scriptum est, quod tota hominis cura, omnisque labor staturæ suæ ne cubitum quidem potest adjicere, illum posse multominus dies suos proferre ultra terminum sibi præstitutum, quia non placet Deo, vitam ejus ulterius protendi; remediis, quibus illum uti permisit, in horum momentorum incertitudine, atque ignorantia, non aliam vim, virtutemque inesse, nisi quam Deo illis conferre placuerit; eique in ipso etiam medicamentorum usu cum profunda, tranquillaque submissione voluntatem Dei complementum esse expectandum. Cogitate, nihil homine Christiano dignius esse, quam sese Deo tradere in morbis, seque ex hominum manibus eripere, ut unice in Deo vitæ momentum constituatur, ut unus ille de vita, ac morte nostra decernat. *Abbas Trappensis, tomo secundo de Vita monastica officiis, cap.* 22.

Magna bona, quæ amittit qui in morbis impatientia corripitur.

Quid amittit fidelis, qui morbo affectus impatientia corripitur? Primum amittit solatium, quod ipsius pœnas mulcere posset; secundo amittit meritum, quod præclaram illi comparare posset mercedem: Similes est populis, de quibus libro primo loquitur Regum historia. Dominus illos violentis æque, ac turpibus morbis afficiebat, quia Fœderis Arcam admodum irreverenter exceperant: maximis doloribus conficiebantur, doloribus

inquam,

inquam; qui eos licet tumidos, ac insolentes humiliabant; & quin agnoscerent Dominum hac pœna illos ad sacrilegii pœnitentiam invitantem, quin illi sua offerrent mala ad gratiam illius demerendam, cum impatientia, & indignatione dolores suos ferebant, unice laborantes, quomodo aliquod illis solatium invenirent. *P. la Pesse Sermone de jactura fidelis ægre patientis.*

Heu, auditores, quid de nobis esset in oculis Dei, si ut aliquam existimationis, & amoris ejusdem partem consequeremur, insignes, eximiæque actiones, quas homines admirantur, nobis essent faciendæ? Quotusquisque hanc vim habet, vel spiritum, vel occasionem? .... Sed o Deus! quantumvis contemptibiles simus, eas ferendo infirmitates, quibus nos affici jubes, coram te magni fieri possumus; ac tu nobis omnibus ad eas perferendas gratiam tuam elargiris. Optare quidem, auditores charissimi, Deum iis omnibus operibus glorificare, quæ pietas suadere potest: optare, convertere nationes barbaras, totum terrarum orbem sanctificare, omnibusque scientiæ, religionis, & zeli armis omnia sæculi vitia profligare: verum si imbecillitas, ac infirmitas vestra votorum affectum impediunt, in id unum attendite, ut dolores vestros lubenti, hilari, submissoque animo perferatis, & ita Deum æque glorificare poteritis, ac insignes sanctitate viri, qui præstantissima quæque operantur, & Domini existimationem, amoremque promereri. *Idem.*

Patientia tunc Deo magis accepta est majorisque meriti, quam virtutes aliæ.

In morbis, quibus affligimur, credendi locus est, Deum lubentius excipere christianæ patientiæ meritum, potiusquam ceterarum virtutum; quia ut plurimum non patet illa iis defectibus, qui virtutes reliquas in suspicionem adducunt. Illusio, & amor proprius non ita facile illam corrumpunt. Fidelis, qui violentum patitur dolorem, qui conqueratur, proculdubio ob vanitatem non patitur, qui cum submissione Domini flagella recipit, quam fluxam posset sibi proponere utilitatem illa recipiens? Qui delere conatur peccata sua eo dolore, quem patitur, hic profecto in infirmitate sua seipsum non quærit. Itaque jure affirmare possumus fieri nequaquam posse quo minus purum, ac integrum ejusdem meritum placeat Deo. Sacrificium, quod per patientiam offerimus, illi semper jucundum est, atque acceptum. *Idem.*

Satisfactio quæ Deo fit per patientiam in morbis, non est cũ Purgatorii, inferníque pœnis comparanda.

Deum peccatis vestris ad iracundiam provocaveratis; ille jam Purgatorii, & fortasse etiam inferni flammis vos adjudicaverat; & singulari beneficio, atque misericordia æternum vobis remittit ignem; Purgatorium etiam brevius efficit, atque satis sibi putat patientiam hanc vestram charitate animatam; atque debita vestra persolveris longe minori satisfactione, quam ea, quam ex vobis poposcisset, nisi patienter hujus morbi dolores pertulissetis. Conferte nunc ea quæ vobis perferenda fuissent cum iis, quæ fertis, & patientiæ vestræ meritum intelligetis. Purgatorium! infernus! cœlum! omnes vitæ hujus pœnæ quid sunt, ubi cum illis comparentur? Quidquid omnes simul homines pati possunt longissime abest dolore unius momenti, qui in voracibus illis flammis quas Dei ira succendit excruciat. Video te mœrore, te dolore confectum lectulo huic affixum. Eheu! si malum hoc ferre scires, vellesne a me tuam defleri calamitatem? Purgatorium extinguis, extinguis Infernum; & sortem tuam deflendam putas? Esto æger, gravissimis doloribus torquearis, potiusquam in terribiles abyssos suas, quo peccata tua præcipitem te dedissent. *Idem.*

Quam gloriam & mercedem præparet Deus illis, qui patienter ferunt suas infirmitates.

Si nostræ mercedis, gloriæque in cœlo mensura desumenda est ex magnitudine eorum, quæ passi fuerimus in terra; quam mercedem recipiet infirmus ille, qui plurimos ægrotavit annos, nullum recipiens solatium præter quædam a robustis hominibus officia in diuturna infirmitate sua, perpessus probra, & ingrati consanguinei negligentiam, fictorum amicorum oblivionem, quibus eodem tempore, quo inutilis, molestus quoque factus est; duritiam eorum, in quorum arbitrium se redactum vidit, ut agonem potius suum, quam vitam proferret; nihilominus semper patiens, suavis, & gratus, semper ad vivendum paratus, ut majora ferat, semperque suas deosculans catenas, quibus illum Deo placuit horribili lectulo alligare. Quod gloriæ pondus? quæ meritorum congeries? quæ in Cœlo merces? Inveniet illene satis significantia vocabula, ut gratias agat Salvatori suo, qui illud in passionis partem vocavit, ut mox in gloriæ quoque partem accerseret? *Idem in Sermone de extremo Judicio.*

Cum corpori nihil ferendum est, ac potest libere gustare delicias; anima voluptatibus occupata, quas cum illo patitur, dignitatem, ac nobilitatem suam amittit. E contra quis non experitur, animam prorsus aliter cogitare, cum corpus languens doloribus agitatur? Sua, ut ita dicam, recipit jura, & libertatem suam; objecta, quæ eidem veritatem abscondebant, evanuerunt; nubes, quæ prohibebant, ne cœlum suspiceret, dissipatæ sunt, & nisi prorsus mancipata fuerit brutali consuetudini terrena dumtaxat cogitandi, obtutus suos cœlo suffiget, cum Deo sese iterum conjungere quæret, ejusque cogitationes sanctæ erunt, ac spirituales. *Liber, qui inscribitur: Considerationes in varia Moralis, & Religionis argumenta.*

Morbi persuadent, in valetudine, ac viribus temperamenti non plurimum esse fidendum.

Cum molesto aliquo morbo affligimur, non dicitur nobis amplius generatim, valetudinem bonam esse fragile, nec plurimi faciendum; robustissima quælibet temperamenta levissimis casibus labefactari posse, & hoc thesauro semel amisso, nihil amplius in vita superesse. Donec perfecta frueris valetudine, viresque constant tibi, his considerationibus parum moveris, aliena experientia numquam te docet. Sed morbi diuturnitas te ipsum singulariter de hac veritate maxime persuadet. Tunc ad te Deus sermonem convertit, ut olim ad Davidem per os Nathan Prophetæ: *Tu es ille vir*. Hac te docet vitæ hujus delicias flocci esse faciendas, voluptatum omnium tibi gustum auferens; te semovens ab iis negotiis, quibus impar efficeris, jugiter de mundi hujus contemptu te erudit; de hominum consuetudine, atque cœtibus ejiciens, monet, non amplius te in viventium numero censeri. Habitualis infirmitas paulatim efficit, ut rebus omnibus errori assuescas; atque ut in singula momenta ex gravissimis doloribus, quibus agitaris, ex mortalibus languoribus, quibus conficeris, ex mundi oblivione tandem intelligas, pro te mundum ultra non esse, quantumvis aliis pulcherrimus, suavissimusque videatur: *Tiberge, in recessu die sexto.*

De morbis judicium ferentes ex iis, quæ videmus, dicere possumus illos esse inter gravissima hujus vitæ mala recensendos. Malum hoc totum affligit hominem; omnibus enim corporis nostri partibus sese communicat, omnes sensus, omniaque organa debilitat; omnibusque muneribus obeundis inutiles, ineptosque facit. Morbi nostras frangunt vires, eumque languorem, vitiumque defectum inducunt, qui in singula momenta mortem nobis minitatur: nos impares faciunt, qui vel nobismet aliquod solatium, subsidiumque feramus, nosque in hunc redigunt statum, ubi omnibus indigemus, iis etiam, quibus antea nos ipsi opem ferebamus. Frequentissime spiritum quoque nostrum atterunt, eique agendi vim, quam vulgo habet, auferunt: intellectui nostro caliginem quamdam offundunt, & in causa sunt, quod nihil solidum cogitare valeamus; tædium nobis inspirant rerum earum, quæ nobis placere consueverant; nos ad sexcenta inutilia inquirenda compellunt, ac denique efficiunt, ut præter morem timeamus mortem, cum in id unum incumbendum nobis esset, ut quam optime nosmet eidem præpararemus. *Liber cui titulus: Christianus in tribulationibus, & in adversis.*

Morbi sæpe sunt causa conversionis nequissimorum peccatorum.

Morbi sæpe causa sunt, quod habituati peccatores, homines improbi, qui oculos claudebant lumini, ac traditi videbantur in errorem depravati, corruptique sensus, ad se revertantur, ac serio præteritæ vitæ rationem secum reputent, sua damnent scelera, voluptates, & effusas in omni intemperantiæ genere libidines deserant, atque ex toto corde virtutem amplectantur. Hæc est pœnitentia, quam illis per misericordiam Deus imponit, ut illos expiet, eisque occasionem præbeat redimendi peccata sua, supremæque justitiæ satisfaciendi. Morbi virtutem ægrotantium perficiunt, eorum exercentes patientiam, efficiuntque, ut illi coram Deo recentia merita consequantur. *Idem*.

Nos a terrenis bonis divellunt.

Operosum esset omnes recensere utilitates, quas ex morbis percipere possumus. Divellunt homines a sensuum voluptatibus, a temporalibus bonis, ab ipsa vita, quæ illis dura, & amara videri incipit, & eodem tempore, quo illis terrenarum rerum fastidium creant, illos attollunt ad futuræ vitæ desideria, ubi ab omnibus miseriis, doloribusque erunt immunes, æternaque infelicitate, quam nulla res turbare, aut mutare poterit, perfruentur. Docet S. Ambrosius *l. de pœnit. c.* 12. morbis roborari, perficique animas nostras eodem tempore quo corpora nostra infirmantur, atque atteruntur; quia nostram concupiscentiam mortificant, atque frangunt affectus nostros, qui efficiebant, ut anima terrena tantum spectaret. Ita S. Paulus ait: cum infirmor, fortis sum; quamvis exterior homo deleatur in nobis, interior tamen singulis diebus instauratur. *Idem*.

Morbi a pluribus malis nos præservant.

Ut de morborum utilitate, ac felicitate nobis persuasum sit, Sancti Ecclesiæ doctores affirmant, per illos nos sæpe a pluribus præservari peccatis, in quæ fortasse laberemur, si fortes, robustique essemus, atque perfecta valetudine uteremur. Quot illi sunt, S. Augustinus *tract. 7. in Joann.* ait, qui in lectulo ægrotantes suam tuentur innocentiam, & qui in omne scelus ruerent, si viribus, ac valetudine bona fruerentur? Quot illi sunt, quibus bona nocuit valetudo? Quamplurimi juvenes sese in omne libidinum genus, atque in voluptates turpissimas præcipites darent, nisi corporalibus infirmitatibus detinerentur. Quamplurimæ fœminæ luxum, sæculique pompas consectarentur, nullumque vanitati suæ finem statuerent, nisi actu ægrotarent; & demum quamplurimi mortales affectibus suis quoquo modo explendis indulgerent, si vires suppeterent, & bona valetudo permitteret; sed morbi frænum ipsorum concupiscentiæ injiciunt, eosque, ut ita dicam, culpa vacare cogunt; saltem non sinunt, pravas voluntates suas exequi. Morbi igitur fidelibus utiles sunt, quoniam illos a pompis, & sæculi vanitatibus, a mundi voluptatibus, omnibusque sceleribus arcent, quoniam passionum eorumdem cursum cohibent, illos contra dæmonis tentationes corroborant, eorumque innocentiam tuentur. *Idem*.

S. Paulus scribens ad Romanos *c.* 12. ait illis: Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut illi offeratis corpora vestra tamquam hostiam viventem, sanctam, atque oculis ejus placentem. Hoc proculdubio fidelium omnium negotium est; opus est, ut indesinenter supremæ majestati corpora sua sacrificent per pœnitentiæ austeritates, omniumque Christianarum virtutum exercitationem; ut jugiter illi offerant membra, sensus, vitamque suam; illum supremum vitæ, mortisque arbitrum fateantur, eumque precentur, ut prout voluerit de iis omnibus, quæ ad ipsos pertinent, disponat. Dicere nihilominus possumus, infirmos præ cæteris magis hoc animo affectos esse debere, eosque ad id in singula momenta doloribus suis excitari; quia in singula momenta mortem sibi imminere perspiciunt; sentiunt vires suas in dies singulos infirmari; sexcentis patent casibus, qui illos efferre possunt; ac mors illis præ foribus semper adest. Si cupiunt igitur felici hoc uti statu, curare debent, ut infirma, & languens vita sua juge sit sacrificium. Offerre debent Deo corpora sua doloribus confecta, & febrium ardore consumpta; atque in lectulis suis mystica tamquam in ara Deo debent offerre, quidquid habent, quidquid agunt, quidquid patiuntur.

Resignationis sensus, quos habere debet christianus in morbis suis.

Hi sunt submissionis sensus, quos æger fovere debet. Domine, non sum amplius par communibus officiis obeundis, nequeo ultra servire tibi, neque tibi in pauperum, infirmorum, captivorumque persona opitulari. Nequeo proximo ferre opem, eaque illi officia præstare, quæ olim consueveram; nequeo jejunare, recitare preces, sanctos libros evolvere; nequeo aliquid pro nominis tui gloria, Ecclesiæque tuæ utilitate conari; quia viribus destitutus sum, & prope est, ut æternitatis aditus mihi referetur. Verum adhuc mihi reliquum est corpus; hoc tibi tota cordis plenitudine offero. Excipe sacrificium meum. Omnia morbi hujusmet symptomata tamquam totidem sacrificii mei circumstantias reputo: memet omnibus doloribus, quibus affligi me jubes, submitto tamquam gladio, qui victimam meam est immolaturus; meque beatum puto si hanc tu recipere fueris dignatus; atque si ad illam absumendam in corde meo ardentis charitatis ignem accenderis, sacrificium tibi non acceptum esse non potest. *Idem*.

Nobis persuasum esse debet dolores, morborumque nostrorum cruciatus per se nihil esse, & nullius meriti esse posse coram Deo, neque æternam nobis procurare gloriam, nisi infinito Dominici sanguinis pretio attollantur. Itaque conjungendi sunt cum Jesu Christi doloribus, atque Æterno Patri offerendi per ejus merita, simulque dicendum est. Scio, Domine, dolores meos dignos non esse, qui tibi offerantur, neque mereri, ut illos tuo digneris intuitu; verum me docet fides, illos magnos fieri, ac pretiosos, & quodammodo infinitos, ubi cum Jesu Christi doloribus consociantur, neque tunc a te posse ullo pacto repelli. *Idem*.

Monita, ac veritates ægris suggerenda.

Illis qui gravi aliquo morbo laborant, suggerendum est, debere illos cum plenitudine cordis divinis de se consiliis sese subjicere; & quemadmodum morbis affliguntur a Deo, ut dolor eorum exprimat cruciatus illos, quos pertulit Jesus Christus in cruce, utque huic se conformes ideoque perfectiores, sanctioresque præbeant; ita ingruentia mala ab ipsis, non cum submissione tantum, verum etiam cum gratiarum actione esse recipienda; & dolores, quibus torquentur, habendos tamquam remedia, quæ ad salutem animarum suarum illis applicat Deus. *In Vita Abbatis Trappensis*.

Quo in pretio valetudo habenda, & quænam ejus cura gerenda sit.

Valetudo bona bonum est numquam satis æstimandum, & cujus pretium tunc tandem agnoscitur, cum illa amissa est. Quemadmodum hoc bonum sine labore comparatur, & sine multa difficultate servatur, eique nulli invidi, nullique fures metuendi sunt, ita nulla ferme cura custoditur. Naturalium bonorum hoc maximum, & pretiosissimum, est, divitiis, honoribus, dignitatibus, & amplissimis quibuscumque muneribus præferendum, & eodem fere in pretio, ac ipsa vita habendum; si enim alterutrum emi posset, vel utrumque posset separari, nescio equidem, utrum potius esset eligendum. Hoc certum est, nullis parcendum sumptibus esse, ubi spes adsit valetudinis recuperandæ; etenim persuasum nobis est, hoc esse, non vivere, sed languere, omnique vitæ hujus jucunditate carere, vitam jugibus infirmitatibus implicitam trahere. Hæc tarda mors est eo crudelior, quo diuturnior, & dicere possumus, ubi sanitas absit, cætera quæcumque bona pro nihilo pendenda esse, quin illis frui minime licet, vel saltem, quia hoc solum, & unicum bonum est, quod vulgo Deus pauperibus elargiatur, ut illos cæteris æquet. Itaque improbari non potest valetudinis tuendæ cura, dummodo moderata sit, & in mollitiem, otiumque non migret. Verum cum hæc impenditur cura, ut melius munera nostra obire possimus, in quibus vires, ac sanitas

requi-

requiruntur, prudentia est, & sapientia ab omnibus Fidelibus habenda, & crimine excusari non potest, qui seipsum ultro in statum adduceret, ubi muneribus suis perfungi, suaque obire officia non posset. *P. Cordier in Familia Sancta tomo 3. c. 16. §. 3.*

Considerationes in morbis faciendæ.

Quod malum afferre potest homini ægrotanti, paulo serius vitæ suæ rationem animo reperere, ac sibimet ipsi dicere: ajunt, Deum in morbis potissimum loqui ac docere plurima, quæ cum integra sumus valetudine, non satis intelligimus; numquid ille hoc me morbo affixit, ut aliquid discerem, quod nondum satis declaravit, vel quod ego non satis, mea culpa, intellexi? Bone Deus! fac ergo ut agnoscam voluntatem tuam: loquere, Domine, quia audit servus tuus. Si exiguum hoc exercitium sæpe fiat, non potest insignem fructum non ferre. Alius quidem intelliget, velle Deum, ut ab hac periculosa sodalitate secedat; alius, ut pravum corrigat ingenium, iram, temeritatem. Hic agnoscet se jam pridem nimis libero commercio esse irritum, ubi periculum est, ne labatur; ille intelliget, se pravum contraxisse habitum pejerandi, obtrectandi, & æqua, ac iniqua de omnibus temere effutiendi. Videbunt alii, se non bene rexisse conscientiam suam, atque bona vitæ totius confessione indigere. O Deus! Quid de me fieret, si morbus hic me ad tumulum adduxisset? Hæ feriæ sunt considerationes habendæ. *Idem.*

Morborum, quibus homo obnoxius est, multitudo.

Morborum, quibus natura humanum corpus subjecit, multitudo numerari vix potest. Mundus refertus est medicorum libris, ubi malorum nomina, & remedia afferuntur. Illorum scientia in dies malorum novitate adolescit; & sæculum hoc miro morborum numero, quos retro ipsa ignorarunt sæcula, infectum est. Inter omnia remedia, quæ his omnibus morborum generibus præscribuntur, vix unum est, quod placeat; plura morbis ipsis acerbiora sunt, & ad tormentum aliquod evitandum, sæpe graviora tormenta subeunda sunt. Itaque cum non exiguam mortalium partem considero gementem, se indesinenter de malis, quæ patitur, conquerentem; cum video xenodochia, plateas, & nonnunquam etiam latiores vias ita oppletas miseris, ut horum multitudo numerum ægrotantium domi longe excedat; videri mihi videor evangelicam piscinam circumundique porticibus septam, ubi claudi, cæci, paralytici, aliique id genus aderant momentum illud expectantes, quo Angelus aquas agitaturus descenderet. At quam aquam a nobis petere possunt omnes isti ægri, quibus mundus repletus est? nisi eam, quam charitas, & miseratio ex oculis nostris ad tot malorum intuitum possunt elicere? Si enim quilibet homo noster est proximus, nonne singuli sibi repræsentare deberent innumeram hanc calamitosorum hominum multitudinem, humi jacentium, languentium, opemque flebili voce implorantium, atque cogitare, ab his omnibus se propius attingi, ac dispensari non posse quo minus pro illis preces effundant, nisi aliter illis opitulari potuerint. *Desumptum partim ex Granatensi, & partim ex Bellarmino in Opusculo de Gemitu Columbæ.*

Sancti morbos patienter, & hilariter pertulerunt.

Dignum Deo, Angelis, & hominibus spectaculum est videre Sanctos ægrotantes, & doloribus excruciatos. Quin ad adspectum, periculumque mortis expalleant, inflammari se sentiunt desiderio perfruendi summo bono, quod sperant, & quod ipsis præparatum est. Ad illud lætantes accedunt, in corde sexcentos eliciunt actus submissionis voluntatibus Dei, sexcentasque habere vellent vitas, quas immolarent in præteritorum scelerum expiationem, & gratiarum actionem, eo quod propter ipsorum amorem ille vitam suam effundere dignatus fuerit. Ardores febrium flammæ sunt charitatem eorum inflammantes absumendo corpora, quæ aggravant spiritum, eumque prohibent, ne sese attollat ad Deum: morborum incommoda, & medicamentorum subsidia æque molesta, ac ipsi morbi; lapilli sunt, quibus corona patientiæ illorum decoratur, illis occasionem tribuendo pulcherrimos virtutum actus eliciendi. *Auctor Anonymus.*

Heu! quot ægri sunt, qui potiori jure dici possunt dæmoni victimam offerre, quam Deo in iis doloribus, quibus anguntur! Ferunt eo modo, quo damnati, murmurantes, & in Deum, divinamque illius providentiam blasphemias evomentes; neque fluxis doloribus suis utuntur, nisi ut in caput suum detrahant æternos. Nequaquam in vestra positum est potestate, o miseri, in morbis vestris non pati; impatientia, mœrores, furoresque vestri, quin dolores imminuant, eos multo magis augebunt; at in vestra potestate positum est, Cœlum per patientiam mereri. Sufferte igitur propter Deum, namque ferre vobis necessitas est. Sufferte, ut crimina vestra expietis, ut dolores vestros voluptatum æternitas subsequatur. *Sermonum Specimen, pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam.*

Publici morbi, descriptio malorum, quæ tunc videntur.

Animo vobis fingite infelicia tempora, quibus astra nonnisi malignos influxus effundunt; quibus terra sicca est, & arida; quibus aer lethifer est, ac gestare videtur, morborum, divinæque iræ impressiones. Tempus funestum, ubi sine societate vivitur, sine spe fertur, ubi ea quæ charissima sunt ultro divelluntur, pater a filiis, vir ab uxore, & ubi viri boni, quantumvis ad misericordiam proni sint, sibi tantum suam charitatem reservant. Civitas illa adeo pulchra, adeo locuples, adeo frequens sub hoc gemebat flagello, quo ultra viginti mortalium millia absumpta sunt. Divites in remotis recessibus suæ studebant securitati; pauperes, qui ibi non permanere non poterant, vel fame absumebantur, vel terra huc exterminabatur, & Mediolanum jam non aliud erat, quam pro mortuis quidem cœmeterium, pro viventibus autem xenodochium. Quod vero magis adhuc miserum erat; pestis fulmine afflatis spiritualia deerant subsidia; mortis metus Pastores disperserat; nemo panem vitæ morientibus, atque ut ita dicam, duplici morte occumbentibus, audebat afferre. *Flechier in S. Caroli Panegyrico.*

Alii bene, alii vero male morbis utuntur.

Morbi in duplici mortalium genere considerari possunt in iis, qui parum, & in iis, qui multum virtutis habent. Primi illi fere nullum ex morbis fructum recipiunt, infirmam enim habentes animam ubi corpus dolore torquetur, facile in questus, & murmur erumpunt; impatientia abripiuntur, dolent, nimis sollicite curationem, & pharmaca inquirunt, opem, solatiumque aliquod optant, quod si desit jamjam spem omnem abjiciunt. Quod si quando proximam sibi mortem intuiti, atque judiciorum Dei metu perterriti novam vivendi rationem se suscepturos pollicentur; hæc Dei gratia est, quæ aliquibus tantum, nec passim confertur: & plerique e morbo recepti bonem vitæ, quam sibi fere præreptam viderant, servare contendunt. Ubi convaluerunt, vita frui volunt, ac illis voluptatibus, quæ in illa percipiuntur; & hoc illud est quod modicæ virtutis homines ex morbis suis hauriunt. Sed qui Deo prorsus devoti sunt, longe maximam inde utilitatem percipiunt. Anima corporis deliquium sentit, pluribus gratiæ effectibus impar. Mortalis se quodammodo a Deo semotum videt; fides dumtaxat nuda superest, & ad communem christianorum statum redactum se videt; nihilque intuetur, in quo confidere valeat, præterquam in Dei misericordia, & meritis Jesu Christi. Status hic mirum in modum prodest animæ expiandæ. Cum ex simili statu emergimus; inde cum spiritu humiliato, cum corde ab omni sui ipsius amore, omnibusque negotiis suis expedito egredimur; nihil quæritur præter Deum; nihilque præter mortem cupidius appetitur. *P. Surin tomo 2. Dialogorum spiritualium.*

Utilitas morborum, quorum curatio pendet a Deo.

Morbis utitur Deus ad nos puniendos, atque a peccatis nostris expiandos; dici quoque possunt remedia, quæ animabus nostris applicantur vel ad earum salutem tuendam, vel ad eam recuperandam, cum ita infelices fuere, ut illius jacturam subirent. Quemadmodum unus ille vitam, salutemque nobis impertit; ita ab illo utraque expectanda est. Curæ, & labores, quos ad id suscipimus, neque effectum, neque utilitatem habent, quam censemus, & sæpe remedia morbos augent, non curant. *Abbas Trappensis tomo 1. Dogmatum Christianorum.*

Quamquam liqueat, rebus in omnibus in Dei manu nosmet collocare oportere, eique tum pro tempore, cum pro æternitate omnem nostri curam relinquere; attamen tantum est satis virtutis, & constantiæ servare, ut superemus fastidia, mœroresque, quos mala valetudo gignere potest, cum ex illa numquam convalescimus, atque ut nosmet præservemus a multitudine, & nequitia tentationum, quæ a malis languoribusque separari non possunt, cum diutius nos torquent. *Idem.*

Morbi sunt occasiones satisfaciendi Deo pro peccatis.

Morbi, quos nobis immittit Deus, solæ non-numquam sunt occasiones, quas nobis offert, satisfaciendi pro peccatis, quæ patravimus, dum bona valetudine perfrueremur; & nisi in spiritu pœnitentiæ illos recipimus, nobis inutiles fiunt. Ad hæc illi totidem sunt fidei, & submissionis nostræ pericula, & nisi illos hoc intuitu recipiamus, labimur in quamdam rebellionis, atque infidelitatis speciem, quæ novæ sunt causæ reprobationis nostræ; cum e contra si hoc spiritu morbos receperimus, in ipsa peccatorum nostrorum pœna invenimus, unde illa expiare valeamus. *Ex moralibus Sermonibus Sermone hujus argumenti.*

In morbis agendum juxta Evangelii præcepta.

S. Augustini ævo fideles, qui febri laborabant, vel alios dolores ferebant, consueverant Evangelii librum sumere, eumque capitibus suis, vel parti afflictæ admovere. Consuetudinem hanc vehementer laudo, Pater hic ait; magis laudaturus, si Evangelium cordi vestro admoveretis. O quot quantaque ibi secreta inveniretis, ut ex morbis vestris fructum uberrimum percipere possetis! Inveniretis enim, exercendam esse patientiam, voluntati divinæ submissionem &c. *Idem.*

Morbus validior est ratio, qua utitur Deus ad peccatorem convertendum.

Ad peccatorem convertendum ante omnia opus est, flectere obstinationem voluntatis pertinaciter adhærentis creaturæ, cujus amore illecta est, & quam non amare non potest. Ad hoc Deus inspirationibus utitur, luminibus, sermonibus, monitis, minis, aliisque sexcentis, quæ fervens nostræ salutis zelus illi suggerit. Cum homo bona corporis valetudine fruitur, hæc omnia remedia non maximum obtinent effectum in spiritu ejus; mundus, caro, sensuum voluptates adeo vehementes illecebras habent, ut illas contemnere difficile sit; & quo magis urgetur, eo magis obnititur contra salutaria monita, quæ sibi præbentur. Sed morbus igneus est ensis omnia hæc vincula abscindens. Status infelix, in quo reperitur, manifestum est argumentum, & ratio practica, quæ illum per sensus evincit, & propria experientia terrenarum rerum omnium vanitatem ostendit. Palam videt, opes contra mortis tela clypeum inutilem esse, amicos suos nimis infirmos esse, ut de illius manu ipsum eripiant; ideoque facilius est, quod, cum morbo conficitur, animum suum a terrenis rebus evellat. *P. Novet in Meditationibus.*

Ægrotantes mortis atque æternitatis reminiscuntur.

Duo in bene valentibus omnes timoris Dei sensus suffocare consueverunt; diutioris vitæ spes, atque æternitatis oblivio. Dum valet peccator, mortis cogitatio procul abest, vel si quando hæc ad illum accedit, nullum efficere impetum potest, ille enim mortem remotissimam esse arbitratur. Hinc fit, ut Dei justitia, quæ illum ad hoc terribile momentum præstolatur, non magis moveat, quam si numquam redditurus esset rationem operum suorum; sed ubi se in lectulo jacentem, infirmum, languentem, viribus exhaustum, doloribusque confectum videt; tunc meminit se mortalem esse, atque prope imminentem sentiens terribilem transitum, quem nondum satis bene cognoverat, fieri non potest, quominus extremo corripiatur pavore, qui eum cogit omnes cogitationes ad illud transferre periculum, in quo est, ac salutis suæ securitati consulere. Hæc omnium brevissima via est, qua divina misericordia peccatores ad pœnitentiam adducit, eosque ad se trahit. Improbus ille decem ante hanc diem annos nequaquam pœnitentiam facere instituisset, nisi Deus periculosum illi morbum immisisset, qui illum perterruit, & ad officium revocavit. *Idem.*

Dei Filius morbis affligit corpus, ut spiritui medeatur.

Medici aliam corporis partem vulnerare consueverunt, ut aliam curent: brachii venam aperiunt, quod sanum est, ut capiti, quod ægrum est, afferant solatium; externis partibus ignem admovent, ut interioribus consulant; vulnus scindunt, ut claudant, atque ut S. Hieronymus inquit: *Artis medicorum est per dolorem reddere sanitatem.* Dei Filius, qui Medicus est animarum, in peccatoribus curandis eadem methodo insistit: carnem percutit, ut spiritui medeatur, & morbus, quæ via est ad corporis mortem, egregiam efficit dispositionem ad animæ vitam. *Idem.*

Morbi utilitas, & bona.

Docent Sancti Patres, morbum esse christianæ sapientiæ scholam, virtutis elementum, unde spiritus novam assumit virtutem, & validum gratiæ machinamentum, quod per naturæ infirmitates vires suas auget: *Cum infirmor, tunc potens sum*, ut ait S. Paulus 2. *ad Corinth.* 12. Cum infirmus sum, tunc fortis fio; & numquam magis viget spiritus meus, quam cum corpus morbis confectum est, ac infirmitatibus attritum. Ad hæc morbus est generalis vitiorum omnium clades per victoriam, quam gratia de omnibus animæ affectibus refert, & triumphus est animæ de omnibus appetitibus carnis. Tunc qui voluptatibus indulgebat, valetudinem potius, quam voluptates inquirit; avarus non alium habet thesaurum, non opes alias, quibus tenetur, præter sanitatem; ambitiosus se in cubili jacentem videns amittit prima vanitatis consilia, quibus supra nubes efferebatur; helluo sobrius fit, ut mortem effugiat; invidus invidiam suam ad unicum vitæ bonum contrahit, quam proferre conatur; ultionis cupidus inducias init cum furoribus suis; corporisque dolores mentis acrimoniam demulcent. Singulare igitur Dei beneficium est, corporis infirmitates nobis immittere, ut affectuum nostrorum impetum coerceat. *Idem.*

Ægri de Deo cogitant, cujus bene valentes obliviscuntur.

Donec homo bona fruitur valetudine, fidei veritates ut plurimum exigua habent lumina, quæ cor illius non admodum fovent; morbus vero illum excitat, eique præbet occasionem de æternitate cogitandi, ac melius vivendi consilium suggerit, ut quod timet, effugiat. Dum valet, mens illius terrenis negotiis ita implicita est, ut de orationibus ne cogitet quidem; & cum de orationibus sermonem habes apud sæculi hominem, non aliud habet, quod reddat, nisi quod mundi impedimenta nihil sibi temporis relinquunt, quo illis vacet. Sed cum corporis infirmitate torquetur, tamquam divinæ justitiæ captivus, naturaliter quodammodo ad Creatorem suum se convertit, opem flagitaturus, eique cum David *Psalm.* 6. dicturus: *Miserere mei, quoniam infirmus sum. Idem.*

Morbus superbissimum quemlibet humiliat.

In perfecta valetudine humilitatis praxis non ita facile discitur, præsertim vero cum honor adest, & opum affluentia; sed morbus status est humilitatis, qui magnos æque, ac parvos humiliat. Da mihi hominem potentissimum, locupletissimumque, cum ægrotat, fit omnium creaturarum mancipium, & veluti terræ vermis; licet dominus sit, famulo sese submittere debet; etenim sine illo se movere non potest; medicis debet obtemperare, dietas, molestaque pharmaca præscribentibus: temporum mutationibus patet; aeris impressionibus cedit; mortis præsentia, atque periculum quam

primum

primum sub illius potestate cadendi, efficiunt, ut ille tandem intelligat, se hac in re nihil præ mortalium omnium novissimo habere; se non aliud esse, quam pugillum pulveris, ut cæteri; & ingentes hos vanitatis gigantes, quos fortuna adeo attollit, fictitios habere pedes, ad minimum quemlibet ictum evertendos. *Idem*.

Deus passim corporis doloribus punit corporis voluptates.

Acutis fortasse, violentisque doloribus premeris? Eheu! nimium corporis voluptates amas; Deum deliciis læsisti, ille carnis doloribus te punit; ultioni suæ id impendit, quod tu sceleribus impendisti; per sensus peccasti, efficit, ut per sensus patiaris. At enim languores tui tua negotia, tuamque fortunam evertunt. Quid hæc sibi volunt verba? Nisi quod si bene valeres, æque ac alii mundi hujus vanitates deperires. Quos necteres dolos, si illuc corpus tuum gestare posses, quo ambitio tuum spiritum rapit? Quot scelera, si tibi vires essent, & bona valetudo? *Idem*.

Æquum est morbis luere pœnas scelerum, & pro Deo pati, qui pro nobis passus est.

Quid æquius est, quam cum submissione peccatorum nostrorum pœnas luere, velle, quod vult Deus, par pari referre, pœnas pro pœnis, dolores pro doloribus, cruciatus pro cruciatibus reddere, non quidem ut alii debitores, qui pecuniam suam persolventes omnibus debitis solvuntur; etenim quo plura pro Deo patimur, eo plura eidem debemus. Quæ consolatio posse aliquando, & sæpe etiam sine morte martyrum gloriæ, & coronæ participes fieri. Hoc non est amplius tempus persecutionum, fateor equidem, sed tempus est patiendi pro Deo; cum ille ipse morbi alicujus doloribus non affligit. Non est amplius cruentorum præliorum tempus; sed coronarum, atque ut illas mereamur, satis est, nos mala nostra patienter ferre, eaque cum submissione subire. Aliquone afflictaris morbo? patienter illum sustine, & meritorum Martyrum particeps fies. Jaces in lectulo enervis, infirmus, & expers? Deum lauda, ut olim sanctus Job, & ecce Martyr ut ille factus es ex S. Chrysostomi sententia, qui illum hoc nomine appellat. *Abbas de S. Martino in Quadragesimâ Sermone hujus argumenti*.

Inutiliter ægrotamus, nisi ex corporum infirmitate id recipiamus, unde spiritus infirmitati medeamur. Inutiliter alia etiam ad nos sanctificandos adminicula impenderentur, nisi hoc sanctificemur; si quid enim potest nos a mundo divellere, & spiritum a corporis servitute in libertatem vindicare, morbus sane est; ut enim Salvianus ait, animæ cuspidem acuit, & prout corporis viribus destituitur, spiritus vires augentur, atque instaurantur, ac dici potest sanus esse, qui non semper sanus, & aliquando æger est. *Idem*.

Magni essemus sancti, si bona valentes valetudine id essemus quod cum mala utimur futuros.

Optandum esset, ut in bona valetudine tales essemus, quales in mala sumus, & imposterum nos futuros pollicemur. Quid enim non recipimus, quod consilii non capimus, cum aliquod periculum imminet, vel aliquo morbo affligamur? Tunc, ut plurimum, pulcherrimos sensus fovemus; jugiter animum advertimus ad vitæ hujus miserias, ad mundi vanitatem, ad humanarum rerum caducitatem, ad humanæ mentis cæcitatem. De Deo tantum, de pœnitentia, deque Sacramentis nobis verba fieri cupimus. Nequissimus quoque vir bonus esse vult, ambitiosissimus, & avarissimus cœlestia dumtaxat vult cogitare. Omnia vult, omnia promittit: ingens præteritorum dolor, ingens pro facturo consilium; at statim ac periculum abiit, & valetudo redire incipit, pristini affectus & vitia paullatim in jura sua, in eosdem sensus, easdemque actiones redire videntur. *Idem*.

Hominum plerique sua abutuntur valetudine.

Quomodonam hominum plerique sua valetudine utuntur? Quot juvenes illam in omnibus ætatis suæ voluptatibus impendunt? *Coronemus nos rosis*, ultro citroque sibimet dicunt, donec tempus habemus. Quomodo utitur mulier, aut virgo mundana, quæ bonam valetudinem in vanitate, molli, ac delicata vita, in solatiis, & commerciis quibusdam, quæ nominare pudet, & quadam licentia, quam probare non audeo, solet impendere? Quomodo utitur litteratus vir, qui in legendis, vel conscribendis perniciosis voluminibus illam impendit, vel saltem in sua, vel aliena explenda curiositate? Quomodo utuntur omnes negotiosi homines, qui dies noctesque adlaborant, ut opes suas augeant, quin fere numquam, aut saltem perraro cogitent de æternitate? *Si sani sunt, sancti non erunt*, quidam Pater ait: *In vacuum laboravi, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi*. Isai. 40. Me miserum! Nequicquam ergo valetudinem meam amisi, vires meas exhausi, ac plurimos pro mundo labores sustinui, quin aliquid pro salute mea facerem? Sanitas hæc, quam benignus mihi concesserat Deus; vigor, corporis robur, validum temperamentum, felix hæc constitutio, ex qua maximos ad æternitatem, & ad beate vivendum fructus percipere poteram, hæc ergo omnia inutilia mihi fuerunt; hæc omnia avaritiæ tantum, & ambitioni, solatiis, ac mollis vitæ voluptatibus impensa sunt! Heu! accedite dolores, morbi, infirmitates, in me simul irruite, ut in me puniatis ejus valetudinis abusum, quæ in Dei cultu debebat impendi. *Idem*.

Deus nobis morbos immittit, ut a mundo divellat.

Donec voluptatibus deditus perfecta fruitur valetudine, cor suum a voluptatibus nequit avellere; sed Deus ut illum inde revellat, assiduum, molestumque morbum immittit, qui eum a mundi consuetudine sejungat, a negotiis amoveat, eique voluptatum auferat gustum. Tunc incipit agnoscere, vitæ hujus deliciis fidendum non esse. Tunc impatiens, mali sui pondere oppressus, exclamare incipit, ut olim Antiochus: Eheu! Quo mœroris redactus sum ego, qui rebus hujus mundi tantopere oblectabar, & qui tot deliciis fruebar: *In quos fluctus tristitiæ deveni, qui jucundus eram &c.* Machab. 6. *Sermo Manuscriptus*.

Quo difficilius est hoc in statu sese divinæ voluntati submittere, eo ardentior esse debet amor noster, ut nosmet eidem conformemus. At quid difficilius, amabo vos, quam sese divinæ Providentiæ mandatis submittere, cum gravis morbus jugiter nos lectulo affigit, omnem nobis cum mundo consuetudinem interdicit, & natura sub mali pondere opprimitur? Tunc procul dubio Deum amat, qui cum actione gratiarum sibi immissas recipit infirmitates: ad id enim opus est, ut homo non agat amplius ut homo, sed tamquam fidelis Dei patientis imago. Opus est, ut amor illius sit constans, heroicus, purus, ac integer. Ut verbo me expediam, hinc intelligitur, utrum suus erga Deum amor sit verus; ibi plurimi, qui se penitus Deo adhærere arbitrabantur, agnovere amorem suum languidum esse, infirmumque; sed cum alicujus amor. sensibilis hujus tribulationis igne mundatus est, tunc iste affirmare potest cum Apostolo, futurum ut nulla re a Jesu Christi charitate possit dimoveri. *Idem*.

Ex omnibus vitæ hujus malis morbi sunt magis sensibiles.

In morbis proprie cum S. Augustino Deo dicere possumus; *Ne elongeris a me, quoniam tribulatio proxima est*. Psalm. 70. Donec bona nostra nobis eripiuntur, S. hic Doctor ait; donec existimatio nostra injuriis, & contumeliis proscinditur; donec persequentium nos odia in eo immorantur, ut nos patrio solo exules, extorresque ejiciant; adhuc abest a nobis tribulatio: etenim facile est, fortunæ bona contemnere, hominum existimationem, famamque negligere, & in exilio solatium aliquod invenire. Cum autem morbus corpora nostra affligit, tribulatio proxima est; nos enim ubique sequitur, neque fieri potest, ut quæ intra nos fiunt, non sentiamus. Ita videmus, Dæmonem, postquam abstulisset Job filios, & bona, nondum putasse, illum satis afflixisse, nisi ulceribus corpus ejusdem dilaniasset, & gravissimis illud doloribus affecisset. *Liber, cui titulus: Considerationes in varia moralis, & Religionis argumenta*.

M O R S.

De Morte generatim; cogitatio mortis; certitudo mortis; incertitudo quo tempore, & in quo statu morituri simus; status ad quem morte redigimur &c.

M O N I T U M.



Rgumentum hoc adeo amplum est, atque tot, tamque varii de morte Sermones fieri possunt, ut ad unum titulum cum redigi nequeant ea, quæ hac de re dici possunt, haud abs re futurum consui duplici titulo de eodem loqui argumento, in quorum altero ea colligerem omnia, quæ ad mortem generatim pertinent, videlicet ejus necessitatem, incertitudinem temporis, quo ventura est, genus, rationem, metum, quem naturaliter concipere debemus, bona, quibus nos exuit, immutationem, quam parit in ideis, cogitationibus, negotiis, personisque nostris, & denique statum, ad quem redigit corpora nostra in sepulcro; in altero vero quidquid nota melioris auctores de bona, malaque morte dixerunt, de cogitatione, memoria, & oblivione mortis; de præparatione extremo huic fataliqne momento, ex quo beata, vel calamitosa pendet æternitas, afferenda.

Animadvertendum autem, quamvis priori hoc in titulo de morte generatim loquamur, videlicet de eo, quod omnibus hominibus accidere potest; attamen nos nequaquam Philosophorum more, ac theoretice tantum locuturos, sed uti concionatorem decet, non sine ethicis animadversionibus ad Christianos auditores erudiendos, & ædificandos idoneis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti structura.

1\. Oncionis hujus argumentum est ostendere, mortem nobis errorem auferre, & vitæ hujus illusiones, quæ tres potissimum sunt, corrigere. Prima est vita ipsa, quam numquam desituram putamus, chimæricam nobis fingentes æternitatem; sed mors docet serius, ocyus esse moriendum. Altera est de hujus vitæ bonis, quibus hæremus, & mors nos docet ea nihilum esse, & licet alicujus essent momenti, ea aliquando esse relinquenda. Tertia illusio nosmet ipsos respicit; aliquid nos esse arbitramur; quid vero simus, mors ipsa docet.

Harum illusionum prima ad ipsam pertinet vitam. Non possumus quidem nobismet persuadere, nos numquam morituros; fides, ratio, experientia palam contrarium evincunt, sed mortem arcemus quantum possumus; credimus nos hoc die, hac hebdomada, hoc anno non morituros, atque ita aliquam nobis fingimus speciem æternitatis. Sed mortis cogitatio dissipare debet hanc illusionem, errotemque: mors enim In singula momenta nos potest deprehendere; nihil incertius est hora, & genere mortis; exemplum plurimorum, quos inopina aggreditur mors, nos admonet, nobis quoque idem accidere posse; & demum ipsa nos veritas docet, quotidie paratos esse oportere, quia nescimus, quandonam dies Domini adveniet. Ostendere etiam possumus nemini minus sperandam esse vitæ diuturnitatem, quam illis, qui eam inter flagitia traducunt, & a mortis cogitatione magis abhorrent. Hinc autem plures, eæque egregiæ hauriri possunt illationes, exempli gratia; quo magis mortis cogitationem differemus, eo magis bene moriendo imparatos nos fore: nos totum vitæ spatium in jugi illusione traducturos, quæ nonnisi in ipsa morte dissipabitur; vitæ præsentis illecebras nobis ablaturas felicitatem, quam Deus in altera præparaverat; nosque oblitos mundum hunc sedem nostram non esse nequaquam de æterna in cœlis nobis comparanda cogitaturos.

Altera illusio illa est, quam hujus mundi bona gignunt. Et sane si mundum spectemus ex hac specie, quæ extrinsecus nitet, plures habet illecebras, quæ nos fallere quam maxime possunt: exterior hic fulgor, qui nos circumdat; potentia hæc, quæ efficit, ut totus mundus nostris voluntatibus cedat, honor qui nobis adhibetur, opes, quæ possidentur, voluptates, quibus perfruimur; hæc nos fascinant omnia, & ita seducunt, ut paucissimi illis se capi non sinant; sed ratio se præmuniendi contra generalem hanc illusionem, hæc est, lumina videlicet, ac veritates ex morte mutuari. Interroga ambitiosum illum, qui per fas, & nefas ad summum dignitatum apicem evasit, quid jam moriturus sentiat de his honoribus, ad quos per tot labores ascendit, deque amplissimo gradu, pro quo exercendo tot sese curis exercuit. Heu! Hæc omnia evanescunt, cum coram Deo prodeundum est. Quo habet in pretio divitias, quæ ipsum ex morte eripere nequeunt, & quibus in altera vita uti non potest? In morte agnoscere incipit cæcitatem suam, & errorem abjicere; adhuc nimis felix, nisi hæc illusio deteriores haberet effectus.

Tenia illusio est ipsius hominis in hac vita, cum sese metitus ex specie externa, fortunæ suæ nitore, genere, vel aliis, quibus emicat, qualitatibus, aliquid se esse arbitratur. Hæc autem illusio, vel potius calumnia, mortis cogitatione est dissipanda. Primo enim separabitur homo ab hoc luxu, hac pompa, rebusque omnibus, quibus circumseptus est, atque tunc se nudum, ac prorsus solum reperiet. Proh Deus! quæ mutatio! cum rebus omnibus spoliabitur, & ex iis, quæ possidebat, nihil illi reliquum erit, quam sudarium, sandapila, & quinque, vel sex terræ pedes. 2. Vita, motuque privabitur; oculos æterna obruet nox; claudetur os, non ultra aperiendum; lingua diserta adeo, ut cœtuum omnium esset deliciæ, obmutescet. 3. Corpus fiet pabulum vermium, & horroris spectaculum; quippe tabo diffluens adeo horridum erit, ut ne intueri quidem illud quisquam audeat. Ad hæc quid fiet de calliditate, ingenii celeritate, scientia, mente quibuslibet gravissimis negotiis pari, de acumine, reliquisque rebus, quæ eos hominis inflant, & facit, ut se supra cæteros positum putet! Si mortis cogitatio altius menti illius esset impressa, nonne aliter de seipso sentiret? &c.

In

II. In morte aliquid certum est, incertum aliquid, & aliquid certum simul, & incertum. Certum est, nos certissime morituros. Incertum quo loco, quo tempore, quo pacto simus morituri. Certum simul & incertum est, quo in statu nos mors ipsa reperiet. Ex tribus hisce veritatibus, quæ concionis partitionem efficient, eruere possumus salutares illationes, & documenta.

1. Moriemur; hoc certum est; nihil est, quod minus in dubium possit revocari. Patriarchæ, qui pluribus vixere sæculis, tandem fato functi sunt; Reges, ac potentissimi Imperatores postquam tot populis leges irrogarunt, legi huic paruerunt; homines robustissimi, optimeque valentes mortem evitare non valuerunt: nos ergo, ut illi, moriemur; verum quid hoc rei est, moriemur? Videlicet, corpus nostrum in tumulo condetur, vermibus absumetur, in pulverem redigetur; anima vero in ignotam migrabit regionem, & coram Deo judice apparebit &c. Quid istic animadvertere possumus? Impii, & flagitiosi homines hanc inde eliciunt illationem, quam refert Scriptura Sap. 2. *Venite, fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, &c.* Philosophi, & qui se spiritus fortes jactant, non aliud hinc inferunt, nisi constanti animo mortem esse subeundam, ac, si fieri potest, in posteritatis memoria vivendum. Christianus vero hinc debet arguere, quod sese bene moriendo præparare debet; quia deinde nullum afferri poterit remedium iis, qui eo temporis puncto acciderint, defectibus; in antecessum debet mori, a terrenis rebus divelli, & id facere, quod tunc se fecisse desideraſſet. 2. In morte vero incertum est, quo tempore, quo loco nobis moriendum: unde inferendum est, debere quemlibet se ipsum contra mortis insidias præmunire, quia re ipsa hominum plerique ejusdem insidiis deprehensi fuerunt. Sexcenti in vita casus accidunt; vitia & libidines nostræ subitas sæpe, præcocesque mortes gignunt; idque in criminum, ac negligentiæ nostræ pœnam Deus sæpe permittit. Oportet igitur semper esse paratos. 3. In morte demum certum simul, & incertum est, quod nescimus quonam in statu morituri erimus, & nihilominus liquido constat nos eo in statu æternum esse permansuros. Quam horribile est malo in statu ad plures concedere! Quam desiderabile bene mori? Nescimus, utrum perseverantiæ donum habituri simus, & scimus futurum, ut in nullam reditus spem intereamus, nisi illud fuerimus assecuti. Utamur ergo iis, quæ ad bene moriendum habemus, adminiculis.

III. Quemadmodum peccatum est causa mortis, ut Apostolus inquit, & hanc peccatores in justam scelerum pœnam promeruerunt, uti Sapiens docet; ita ex S. Augustini sententia, mors reciproce est remedium peccati, atque perturbationis, quam in omnibus humanis facultatibus peccatum peperit.

1. Intellectus hominis inordinatus est per errorem, falsamque bonorum mundi hujus ideam; quam auferre una potest mortis cogitatio, ostendens illi vanitatem, mobilitatem, & nihilum earum rerum omnium, quas plurimi in mundo facimus. 2. Voluntas inordinata est propter studium, quo licet invita, rapitur erga bona sensibilia; & una mors est, quæ cogitantes omnia hæc vi ejusdem esse abripienda, divellere possit ab eorum affectu; & prohibere, ne iis adhærescant, quæ serius, ocyus erunt necessario relinquenda. 3. Appetitus ejus longe adhuc inordinatior est propter imbecillitatem, qua resistit malo, & rebellionem contra rationem, quæ causa est, quod voluntas Creatorum objectorum illecebris decepta contra Dei mandata deficiat. Quis autem vehementius, qui tutius reprimere, & coercere potest violentos appetituum nostrorum motus, quam mors, & metus eorum, quæ mortem subsecutura sunt, quemadmodum S. Augustinus *lib. de Doctrina Christiana* testatur: *Timor de futura morte mentem necessario concutit, & quasi clavus, omnes motus superbiæ ligno crucis affigit.*

IV. Tota hominum vita, vel dicam melius, quidquid in vita nostra & ratione, & fide perfici potest ad tria referri mihi videtur, ad affectiones, deliberationes, actiones: videlicet in vitæ nostræ cursu affectiones nostras regendas esse, deliberationes capiendas, & officia adimplenda; quibus omnibus unicam mortis cogitationem sufficere contendo; hæc enim 1. præsentissimum remedium est ad affectuum nostrorum ignem extinguendum; 2. certissima regula est in deliberationibus ad tutissimum consilium amplectendum: 3. validissima ratio est ad sanctum fervorem actionibus nostris inspirandum. *Hoc est P. Bourdalove argumentum Sermone 1. Quadragesimæ de mortis cogitatione.*

V. De metu mortis.

1. Nihil terribilius est statu eorum, qui mortem metuunt ex quodam atheismi, & infidelitatis principio. 2. Nihil crudelius est statu eorum, qui mortem timent, quia suis voluptatibus adhærescunt. 3. Nihil a Christianismo alienum magis est, quam mortem timere, & non habere ordinatum ejus timorem. *Idem.*

VI. Tria in morte consideranda sunt. Mors inevitabilis est, incerta est; & ubi semel venerit, non licet amplius reverti, ut novam vitæ rationem instituamus. Ex triplici hoc principio tria sunt inferenda.

1. Sæpe inevitabilem esse mortem cogitemus, ac inde arguemus, quotidie eidem nosmet præparare oportere: hæc pars prima est. 2. Sæpe cogitemus horam mortis incertam, & inferemus, nos ubique, & semper paratos esse debere: hæc altera pars est. 3. Sæpe cogitemus, mortis exitum irreparabilem esse, & argumentabimur, nullam satis esse posse diligentiam, ut nos bene eidem præparemus: hæc tertia. *P. Gironst Sermone pro feria quarta Cinerum.*

VII. Tria potissimum sunt, propter quæ christiano viro mors est metuenda; quem tamen metum frequens mortis cogitatio aufert.

Primum est peccatum, quod ex Apostolo mortis stimulus est; videlicet, uti explicant nonnulli, cuspis, quæ nobis dolorem adfert, efficitque, ut justum peccati supplicium timeamus; sed mortis cogitatio efficiens, ut sincera pœnitentia peccatum deleamus, efficit, ut minus illam metuamus, ubi semel, ut ita dicam, illi arma fuerunt adempta.

Alterum est mundi amor, quo eidem hæremus. Sed mortis cogitatio vincula infringit, quibus obstringimur, efficitque, ut lubentes, ac ultro id faciemus, quod aliquando faciendum esset invitis.

Tertium est judicium Dei, ad quod post mortem accedendum est; verum illud cogitare possumus, quin rationes nostras in promptu habeamus, quin extremum illud momentum vereamur.

VIII. Duo magna sunt stuporis argumenta in ea ratione, qua sese gerunt christiani in iis, quæ ad mortem pertinent; & ex illis sermonis partitio effici potest.

1. Mortem timemus, & profecto justam habemus causam timendi eo modo viventes, quo plerique vivimus; attamen nihil movemus, ut nosmet contra ea, quibus mors adeo terribilis efficitur, præmuniamus. 2. Nescimus, & scire nequimus, quænam futura sit nostra mors, malane, an bona: quod quidem terribilis momenti est propter æternitatem, neque adnitimur, ut hanc mortem, quæ semel ventura est, virtutum, operumque bonorum exercitatione sanctam, beatamque faciamus.

IX. 1. Nulla vitæ momenta melius impenduntur, quam ea, quibus mortem cogitamus, propter bona, ac utilitates, quas nobis hæc adfert cogitatio cum pro hac, tum pro altera vita. 2. Nulli sunt magis fallaces, futiles, ineptique prætextus iis, qui prohibent, ne mortem cogitemus.

1. Moriendum est, hæc inevitabilis est necessitas. Insanum igitur est terrenis rebus nobiscum perituris adhærere, ac in illis felicitatem nostram statuere, quia nonnisi infelices aliquando, & in hac etiam fortasse vita nos efficere possunt. 2. Quamprimum mo-

moriendum est; & fortasse citius quam existimemus. Maturato igitur cogitandum, ut bene moriamur, & toto nisu contendendum, ut aliquid pro æternitate acquiramus, quia post vitam hanc nullum erit amplius tempus merendi, pœnitentiam agendi, & bona opera efficiendi.

XI. De Bonis, quæ nobis mortis memoria procurat.

1. Divellit nos a terrenarum rerum affectu, efficitque, ut quodammodo in antecessum moriamur, redigens nos in eum statum, in quo morientes futuri erimus. 2. Facit, ut cœlestia cogitemus bona, & ad æternam anhelemus beatitudinem, pro qua creati sumus. 3. Nos cogit in hac vita facere, quod fecisse vellemus, cum morti proximi erimus.

XII. De oblivione mortis, in qua plerique hominum vivunt.

1. Mortem non cogitare, signum manifestum est, quod flagitiose vivitur; patent argumenta ex Scripturis, ratione, & experientia deprompta: 2. Mortem non cogitare funestum est omen, sed validis conjecturis innixum, mortem adfore, antequam de illa fuerit cogitatum.

XIII. De eadem mortis oblivione.

1. Plerique hominum, etiam christianorum, non cogitant mortem, quia non intelligunt, quam terribilia ea sint, quæ illam sunt consecutura. 2. Plerique eorum, qui mortem cogitant, nequaquam, ut christianos decet, de eadem cogitant; sed alii quidem Philosophorum more, prætensa nescio qua spiritus fortitudine; alii more politicorum, ut suis consulant negotiis, & ne post mortem aliquid relinquant, quod ipsorum memoriæ objici possit propter familiæ suæ tumultum, atque discordiam.

XIV. De frequenti mortis cogitatione.

1. Frequens mortis cogitatio aliquid habet, quod omnem virtutis lenit amaritudinem. 2. Mortis cogitatio efficit, ut omnes pœnitentiæ austeritates amplectamur, omnesque christianæ vitæ labores. 3. Mortis cogitatio validissimas catenas peccati, omnesque noxios nexus infringit. *Ex specimine Sermonum pro Dominicis. Tomo 2.*

XV. Mors vitæ finis est, & principium æternitatis; ideoque secundum duos hosce terminos est consideranda.

Primo, secundum terminum in quo sumus, nos rebus omnibus exuit; ideo in antecessum illis integre, alacriterque nos exuere debemus, quia mora diu differre non potest.

Secundo, mors est initium æternitatis; atque cogitandum est, ab hoc momento totam pendere æternitatem; finalem perseverantiam huic momento adhærere, & denique post mortem hanc nullum esse amplius reditum ad vitam, ideoque nec ad pœnitentiam.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *Serm. 107. Recentium in tract. 43. in S. Joannem* docet mortem omnibus Christianis esse contemnendam.

Idem *lib. de vera Religione c. 7.* ostendit Deum mortis auctorem non esse, sed vitæ.

Idem *l. de Vanitate sæculi* describit divites, beatosque sæculi in sepulcro jacentes, inque pulverem redactos.

Idem duplicem edidit sermonem *de Consolatione mortuorum*, ubi causas adfert, propter quas in agnatorum morte consolari debeamus.

Idem *in Psalm. 30.* ostendit hominis vitam certo temporis spatio circumscriptam non posse esse diuturnam, quod ipsum argumentum tractat etiam in Psalm. 87. hunc explicans locum: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.*

Idem *in Ps. 53.* quærit quid prosint pompa, divitiæ, & luxus homini in sepulcro jacenti.

Idem *Serm. 21. de verbis Domini* ostendit quantum certa mors est, tantum incertam esse pro tempore, hora, modo.

Idem *Serm. 141. de Temp.* docet peccatum unicam esse mortis causam.

Idem *Serm. 21. Recentium* fusius agit de necessitate aliquando moriendi, licet omnes contra mortem præcautiones adhibeamus.

Idem *lib. 13. c. 4. de Civit. Dei* reddit rationem, cur morti sumus obnoxii, quæ peccati pœna est, postquam per Baptismum a peccato liberati sumus.

Idem *Epist. 45. ad Armant.* docet mortis metum esse naturalem, omnibusque hominibus communem.

Idem, vel Auctor sermonum *ad Fratres in Eremo*. Serm. 48. 62. & 66. de morte loquitur, & potissimum de eo, quod in morte ab omnibus creaturis generatim relinquimur.

S. Ambrosius librum edidit *de bono mortis*, ubi agit de bonis, quæ mors affert, & malis, quæ aufert.

Idem *l. 2. de vocat. Gent. c. 8. & lib. 3. Hexam. c. 7.* ostendit nemini jus esse de vitæ brevitate querendi, neque de immatura, ac præcipiti nonnullorum morte, post peccatum.

Idem *l. 2. de Cain, & Abel c. 12.* ex morte Abel occasionem sumit ostendendi vitam hanc sexcentis casibus, & periculis obnoxiam esse, & neminem ne uno quidem die certum esse.

Idem in funebri oratione in obitum Valeriani Imperatoris, ac in duabus, quas in Satyri fratris sui mortem conscripsit, plurima habet egregia de morte.

S. Gregorius *l. 24. moral.* loquitur de metu mortis, & quomodo sit metuenda.

Idem *lib. 4. Dialogorum cap. 46. & 47.* ostendit metum hunc pluribus esse salutarem.

S. Hieronymus *Epist. 21. ad Paulinum* docet vitæ brevitatem unam esse ex pœnis peccati.

Idem *Epistola ad Heliodorum* docet, quomodo in consanguineorum, & amicorum morte gerere nosmet debeamus; quod ipsum tradit *Epist. 25. ad Paulam*.

Idem in *Epistola ad Tyrasium* illum de filiæ morte consolatus præclaras habet sententias.

S. Chrysostomus *Homil. 61. in Joann.* eos vituperat, qui immodicis prosequuntur lacrymis mortuos; & qui nullam admittunt consolationem propter cognatorum, & amicorum jacturam, quasi post hanc non superesset altera vita. Quod argumentum latius tractat etiam *Homil. 22. in Acta, & homil. 4. in Epist. ad Hebr.*

Idem *Serm. 1. ex 25. variis* auditores suos ad sepulcra mortuorum invitat; ut ibi videant, quo post mortem humana redeat magnitudo.

Idem *Epist. 6. ad Theodorum Monachum* ostendit vitam hanc similem esse theatrorum scenis, ubi omnes postquam varias lusere personas, æquales sunt, & in morte non distinguuntur.

Sanctus Basilius in libro, cui titulus, *Admonitio ad filium Spiritualem*, docet non expectandum esse tempus senectutis, ut tunc de morte cogitetur; sed illam cogitationi semper præsentem esse debere.

Origenes *lib. 3. in Job* hæc explicans verba Job, c. 3. *Pereat dies in qua natus sum*, ostendit, quam præferenda sit mors vitæ propter miserias, quibus plena est, & pericula, quibus est obnoxia.

Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis. Asceticí, aliique.

Petrus Canisius, Gabriel Inchinus, Guillelmus Stanihurtus } *De quatuor novissimis.*

Drexellius in libro, cui titulus, *Prodromus mor-*

mortis, tractat de iis omnibus, quæ de morte dici possunt.

Dandinus in *Ethicis* amplum edidit tractatum de morte generatim.

Granatensis in Duce peccatorum cap. 7. loquitur de mortis necessitate, certitudine, incertitudine &c.

Idem in secundo tractatu de Oratione fusius verba facit de consideratione malorum vitæ hujus, deque eorum extremo, videlicet morte.

Idem tractatu eodem loquitur de fructibus, qui ex mortis meditatione possunt hauriri.

P. Antonius a S. Martino Carmelita, in altera parte ejus libri, qui inscribitur: *Conduite de la Grace*, agit de morte, quatenus peccati originalis pœna.

Liber, cui titulus *Essais de morale* volumine 4. de quatuor finibus hominum.

P. Nepveu in Christianis Considerationibus tomo 3. pag. 16. & 182. loquitur de morte generatim.

Idem tomo 1. loquitur de necessitate mortis pag. 153. de mortis cogitatione *pag.* 296. & de cogitationis hujus utilitate *pag.* 24.

Madame de Bellefont in operibus suis duos habet tractatus; alterum de mortis desiderio, alterum de metu mortis.

Infiniti propemodum alii sunt libri, qui hoc pertractarunt argumentum, quos recensere immensi operis esset.

Concionatores recentes.

Reina *Conc. 26. fer. 5. post Domin. 4. Quadrag.*

Mathias Faber *in Concionibus funebribus*, & *in Conc. de quatuor Domin. Advent.*

Molinier Sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.

P. Delingendes sex habet deinceps sermones de iis, quæ in morte, & post mortem accidunt.

P. Girouſt in prima Quadragesimæ Concione.

P. Texier Sermone primo Quadragasimæ.

Idem Sermone pro feria quinta hebdomadæ quartæ in quadragesima, & pro decimaquinta post Pentecosten Dominica.

Biroat Sermone pro die Cinerum.

De la Volpilliere, Fromentieres, Abbas de S. Martino Conciones habent hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis in locis communibus.

Mangorii monita.

Busæus in Panario, titulo mortis metus.

Drexellius in Prodromo Mortis.

Dandinus in Ethicis sacris.

Labatha } *Titulo Mors.*
Lohner }

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

PUlvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3.

En ego hodie ingredior viam universæ terræ. Josue 23.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Jobi 14.

Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Jobi 17.

Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. Jobi 21.

Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus. Jobi 17.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Jobi 14.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Jobi 1.

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psalm. 88.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Jobi 14.

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Eccle. 12.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. Eccle. 8.

Oblivioni tradita est memoria eorum. Ibid. c. 9.

Nemo est qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam. Eccle. 9.

Umbra transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri. Sap. 2.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. 2. Reg. c. 14.

Unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Sap. 7.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui. Psalm. 101.

A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Eccli. 25.

Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. Eccle. 9.

Cum morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes. Eccli. 10.

Est qui locupletatur parce agendo, & nescit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. Eccli. 11.

Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Isaiæ 14.

A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit. Machab. 2.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Matth. 25.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. Ad Rom. 5.

Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 1. ad Thessal. 5.

Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. 2. ad Timoth. 4.

Stipendia peccati mors. Ad Rom. 6.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Ad Hebr. 9.

Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei. 2. Petri 1.

Stimulus mortis peccatum est. 1. ad Corinth. c. 15.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit. Eccle. 7.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum..... Impii autem manibus & verbis accersierunt illam. Sap. 1.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Eccle. 11.

Memor esto quoniam mors non tardat. Eccli. 14.

Cum dixerint pax, & securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus. 1. ad Thessal. 5.

Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Eccle. 7.

Gens absque consilio est, & sine prudentia; utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deuteron. 32.

In omnibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Adæ peccatum causa mortis omnium hominum.

PRimus hominum, quem creaverat Deus, ut omnium caput esset & pater, pulcherrimum erat opus manuum Dei, omnibus virtutibus præditum, omnibusque pulcherrimis ornatum dotibus, quibus

bus omnibus numeris absolutissimum efficiebatur. Sed heu! homo iste adeo sapiens, sanctus, felix felicitatem suam agnoscere, & eadem, uti debebat, frui nescivit. Dæmon, qui nuper loco exciderat per superbiam, constituit illum in suæ calamitatis partem pertrahere; quod ut sibi e voto contingeret, opus esse intellexit illum in criminis societatem perducere. Ideo serpentis formam induens sese ad mulierem convertit eam sollicitaturus, ut vetito fructu vesceretur. Respondit illa, sibi quidem a Deo copiam factam fuisse reliquorum fructuum, qui in amœnissimo horto illo inveniebantur; at mortis pœna proposita sibi fuisse interdictum, ne fructum illum auderet attingere. Haud ita, seductor illi, haud ita; non moriemini; sed novit Deus; futurum statim ac ex eo comederitis fructu, ut oculi vestri aperiantur, ac Deo similes efficiamini. Non sensit mulier latentem sub speciosis hisce verbis dolum, & capta voluptate novæ amplitudinis, cum funestum gustasset pomum, ex eodem obtulit viro gustandum, qui ut uxori placeret, atque ut levissimum illud jugum obedientiæ, quam Domino, & Creatori debebat, excuteret, ex eodem comedit. Verum in hujus inobedientiæ pœnam statim ex Dei ipsius ore severissimam hanc audiit sententiam: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Exinde sensit ille effectus minarum Dei. Cum enim esset immortalis non ex conditione essentiæ suæ; sed ex peculiari Creatoris sui beneficio, mors in illum cœpit exercere suum jus, ac imperium; & S. Augustinus animadvertit, pomum, quod deglutivit, fuisse tamquam semen mortis, quod ille accepit, omnibusque posteris suis communicavit. Hac, sacer textus ait, mors ingressa est in mundum, tamquam pœna, & justum peccati supplicium.

Cum nullus hominum ab hac lege communi fuerit immunis, non morabor istic afferens eorum omnium exempla, quorum sancta, vel infelix mors in sacris Bibliis narratur; quod infiniti laboris esset, sed eos referam dumtaxat obitus, quibus aliquid inest singulare, ac pro aliis satis esse puto dicere, Scripturam, quæ tanta diligentia recensuit numerum annorum veterum Patriarcharum, qui plura vixere sæcula, semper post uniuscujusque vitæ finem addidisse, *& mortuus est*; ne quis illos mortis tela evitasse arbitraretur.

Quid acciderit S. Paulo concionanti. Nostis, quod in Actis Apostolorum scriptum est, S. Paulo Troade concionante, juvenem quemdam ex numero auditorum ejus de tertia contabulatione cecidisse; illuc enim ascenderat Apostolum auditurus, ad cujus conciones ingens populi multitudo confluebat. Mortuus hic adolescens ad Paulum defertur, qui casum miratus obticuit, ac sermoni finem imposuit, quin ultra adderet verbum. Mystici hujus silentii causam adfert D. Chrysostomus dicens, casum adeo funestum concionatoris locum obtinuisse. S. Pauli eloquentia talis erat profecto, ut Sanctus Augustinus inter ea quæ maxime optabat, concupisceret magnum hunc divini Evangelii præconem concionantem audire. Nihilominus Concionator hic per antonomasiam ad casus hujus adspectum conticuit, ratus hoc adolescentuli mortui spectaculum majorem in auditorum animis vim habiturum, quam totum eloquentiæ suæ divino animatæ spiritu robur. Adeo verum est, quod mortis adspectus admirabilem habet potestatem, ut obduratissima corda, mordicusque sæculi vanitatibus adhærentia commoveat.

Mens Ecclesiæ in cinerum cæremonia est, in nobis mortis memoriam revocare. Mortis sententia contra omnes homines lata per hæc verba expressa est: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; & ne illius nobis excidat memoria, Ecclesia quotannis in cinerum cæremonia illam nobis instaurat, quæ numquam ex mente nostra esset delenda: *Memento homo &c.* O Homo, quisquis es, publicæ venerationis objectum vitæ tuæ gloria, vel meritorum tuorum commendatione, memento, te pulverem esse, mox reversurum in pulverem. Hæc irrevocabilis est sententia, quam in te protulit Deus, qui immortali oris sui flatu limum, ex quo factus es, animavit: Mors cum peccato in mundum ingressa est: funesta iniquitatis successio, quam nascentes recipimus, tristem secum adfert mortis hæreditatem. Homo prævaricator! exul erit, & erro in hac terra morientium, quæ spinis consita ubicumque peccati tui tibi exhibet pœnam. Ibi miseram trahes vitam brevi paucorum annorum spatio circumscriptam, infinitis inimicis, & infirmitatibus septam: sudore vultus tui illam fovebis, & nutries. Singula momenta illius auferent partem, ac tandem ad sepulcrum, & universam terræ viam pervenies. Hoc fatum hominis est propter sententiam in ipsum latam, & cujus numquam debet oblivisci.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Vita brevis est, mors proxima. E*Go dixi; in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Isaiæ 38. Hoc est, juxta pulcherrimam S. Hieronymi paraphrasin: consideravi, mihi quam primum esse moriendum, ac exiguum temporis spatium vitæ meæ superesse: *Quæsivi residuum annorum meorum*. Vidi certo, atque in æternis Dei mei decretis constituto tempore nullam mihi amplius futuram cum hominibus consuetudinem, & omne cum illis commercium brevi esse infringendum: *Et non aspiciam hominem ultra*. Vidi terminum prope esse, vitamque meam sensim effluere, nullumque momentum esse, quod vitæ meæ particulam non auferat: *Generatio mea ablata est, & convoluta est a me*. Vidi prope esse, ut vitæ meæ stamen succidatur; *Præcisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me*; ac tandem post paucos dies mihi eundum esse ad sepulcrum, quod communis est omnium hominum terminus; sed hæc videnti quid consilii capiendum est: quisnam fructus ex hac cogitatione percipiendus?

Morti proximi intelligimus errorem fallacium idearum, quas viventes de mundi hujus bonis habuimus. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Ps. 145. Qui falli non vult de hujus mundi rebus judicium ferens, eas considerare, atque inspicere debet ea ex parte, ex qua illas jamjam moriturus, easque relicturus inspiciet. Tunc omnia cessant præjudicia, omnes fallaces ideæ spiritus dissipantur, omnesque imaginationes falso laborantes principio in tota falsitate sua apparent, ac nos fuisse deceptos ostendunt. Rationes, quæ validissimæ existimabantur, ineptæ videntur; & natura, unde illæ omnes vires mutuabantur, penitus profligata non valet ultra nobis imponere, ac seducere. Tunc de mendacio veritas triumphat, & qui ita infelices fuere, ut sibi os sinerent sublinini, errorem suum agnoscunt, suumque damnant infortunium, quod iniquitatis vias secuti, in illis fuerint delassati, ac dolore conficiuntur, quod interitum suum nacti fuerint ibi, ubi se voluptatem, & consolationem inventuros arbitrabantur.

Mortis cogitatio vitam nostram regere debet. *Mors in nobis operatur, vita in vobis*. 2. ad Corinth. c. 4. Hoc, ex S. Pauli sententia, bonos inter & malos discrimen est. Hi amore vitæ gubernantur; ideoque præsentia tantum, ac visibilia diligunt bona. Illi vero ducuntur mortis cogitatione, quæ mirifice bonorum operum mater fœcunda est: *Mors operatur in nobis, vita in vobis*, Hæc causa est, propter quam fideles jejuniis, aliisque pœnitentiæ austeritatibus corpora sua mortificant, nolentes in delicias eam versari carnem, quæ mox humi debet contabescere. Cogitatio hæc ambitionis conatus coercet, ostendens, frustra appeti honores, & nitescere velle in mundo, brevi in sepulcri tenebras inferendos &c. Ita mortis cogitatio semper vivida est, & operatur in bonis; e contra vero vita, scilicet vitæ diuturnæ cogitatio, & cupiditas illius, quoad fieri potest, producendæ, efficit, ut impii in sceleribus suis perseverent, suisque tantum cupiditatibus explendis vaccent,

Seculi prosperitas non viget diu, Mors fecius, ocyus omnia rapit.

Auferetur factio lascivientium. Amos cap. 6. O felices sæculi ! qui ob oculos populi adeo enitescitis, quamprimum fulguris instar evanescetis. Divites mundi ! quot adhuc felicitatis annos vobis promittitis ? Inanes, & ambitiosi conatus vestri, chimærica fortunæ, ac nobilitatis consilia multa experterent sæcula; & fortasse nos subsecutura diebus vestris finem imponet: *Hac nocte animam tuam repetent a te*. Luc. 12. Superba supellex, magnifica servorum turba, ædes immensæ quamprimum aliis dominis servietis; unicum arenæ granum ingentem hunc prosternere valet colossum: *Et quæ parasti cujus erunt* ? Dulcis profecto consolatio diviti reprobo, hæredibus suis reliquisse, unde commode, & in deliciis vivant, dum interim infernis ignibus torqueretur. *P. Croiset tomo secundo Asceticarum Considerationum*.

Cogitatio cinerum, in quos aliquando redigendi sumus, humiliare nos debet.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Genes. 3. Postquam corruptio redegerit corpora in pulverem, nihil nisi pugillus cinerum supererit. Quam mira mutatio ! Hic terminus est sublimium terræ potestatum, sub quibus totus terrarum orbis contremuit. Numquid omnia ad id erant susque, deque movenda, atque ut in adagio est, terra, cœlumque miscendum ? Numquid pro adeo levi re tot ciendæ erant procellæ ? Heu ! in summis illis terrarum dominis, quos reliqui omnes venerabantur, & admirabantur, non aliud erat præterquam hoc parum pulveris. Quid igitur est ille, qui ob egregias dotes suas gloriabatur ? Ecce pulvis illius capitis, quod adeo sublimia moliebatur consilia: ecce brachium illud, quo evertebatur, quidquid obvium fieret, vel voluntatibus ejus adversaretur. Eheu ! quam jure nosmet ipsos contemnere debemus, cum non aliud sumus, quam cinis ! Numquid jure superbia efferri possumus cogitantes Deum sub pedibus nostris terram posuisse, ut humilitatem, ac modestiam doceret ? Cum enim de terra educti fuerimus, quod elementorum omnium abjectissimum est, cum nosmet ultra conditionem nostram attollimus, universorum ordinem evertimus, ac in mundo confusionem remittimus.

Mortis cogitatio avellere nos debet a bonis, voluptatibus, & honoribus hujus mundi.

Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Luc. 12. O stulti mortales ! Hac ipsa fortasse nocte ex vobis anima vestra repetetur, & ingentia illa, quæ adepti estis bona, cui domino servient ? Ne mihi succenseatis, auditores, si hodierna die hoc ipsum vobis exprobro, quod videlicet tanto amore prosequamini corpus vestrum aliquando ornamentis omnibus, quibus nitet, exuendum, ac in deliciis carnem vestram habeatis quamplurimum pabulum vermium futuram. Cur tanta ambitione intumescitis, quandoquidem mox ita deprimendi estis, ut vix quinque, aut sex terræ pedes habeatis; atque tunc in sepulcro mundi totius horror eritis, & nausea ? Hac de causa S. Paulus Apostolus in mundo esse nos jubet, quasi ibi non essemus; quia non ita multo post ibi futuri non sumus, atque repetetur ex nobis anima, quæ est vitæ nostræ principium. *Hac nocte animam tuam repetent a te*. Itaque ea quæ possidemus bona, a nobis possidenda sunt, quasi non possiderentur; quia ex nobis repetetur anima, quæ una ex illis frui, eaque potest possidere.

Status, in quem mors redigit hominem potentem, divitem, & voluptatibus deditum.

Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Isaiæ 14. Nemo melius, & eloquentius locutus est de eo statu, ad quem redigitur homo, qui primum quidem in terris emicabat, & qui modo in tumulo sepultus, a vermibusque derosus tandem in pulverem redigitur. Primum cogitate locum, ubi corpus illius situm est: *Detracta est ad inferos superbia tua*. Ex illo honoris fastigio, ex illo dignitatis gradu, ubi eum omnes verebantur, ex throno, ubi sedebat, ex illo sublimi vertice, unde omnibus metum injiciebat, in foveam conjectus est, ubi quam primum fiet horroris objectum, cujus aspectum nobis tellus abscondit, quia nemo eum ferre potest. *Detracta est ad inferos superbia tua*. Itaque tu qui putabas terram indignam esse, quæ te sustineret; tu qui superbis vestibus induebaris, mollibusque in culcitris cubabas; tu qui quotidie aureis in curribus vehebaris, modo pedibus conculcaris; ubi nunc ille fastus, ea gloria, & pompa, propter quam te omnes admirabantur ? *Detracta est ad inferos superbia tua*. Secundo quinam est situs corporis in tumulo ? *Concidit cadaver tuum*; abjectum est, eversum, tamquam simulacrum, quod cecidit in terram, atque eo in loco stratum, unde egredi non potest, neque a se contumeliam propulsare: ubi etiam a nullo auxilium percipere potest sine motu, & sine actione: *Concidit cadaver tuum*. Eheu ! ubi illa vis est, illa majestas, pulchritudo, suavitas, quæ in se omnium oculos convertebat ? *Concidit cadaver tuum*. Quid post hæc dicendum superest ? *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Superbus ille homo, & hæc mulier mundana magnificis vestibus operiebantur: serica illorum indumenta acu picta erant, auroque micabant; nullum erat pretiosum vestium genus, quod non adhiberetur ad tegenda corpora in deliciis innutrita; hæc vero modo sunt cadavera vermibus cooperta, & circumdata, facta putredinis congeries, horridumque spectaculum, quod vobis exhibere animus refugit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Sed evangelici ministri sæpe dicere deberent populis, quod Lazari sorores Salvatori ad tumulum accedenti, ubi frater earum jam quatriduo ante conditus fuerat, & jam erat corruptus: *Veni, & Vide*. Oculos, sensusque vestros intendite, contemplamini hunc scopulum, in quem omnes mundi vanitates, honoresque alliduntur. Venite, & videte, quo in statu modo sit homo ille olim adeo potens, magnificus, voluptuosus. Adspectus vester hæc permeet marmora, superbaque monumenta, vanitatis, & superbiæ ejus reliquias: illum ne agnoscitis ? illum ab humillimo quovis mancipio, ac mortalium omnium novissimo distinguitis ? Venite & videte. Hæ sunt reliquiæ cadaveris mulieris illius, quæ adeo forma præstabat, quæ ab omnibus quærebatur, & amabatur, ac totius civitatis erat idolum: quonam abiit illa adorantium caterva ? &c.

Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7. Hæc memoria spiritui nostro præsens, ratio tua est innocentiæ tuendæ, & christiane vivendi. Heu ! Mortem cogita, neque eris ultra tui ipsius amore infamatus, qui omnium vitiorum tuorum origo est. Non eris amplius juris tui tenax adeo, non auctoritatis tuæ adeo acer assertor; non adeo lucri cupidus, & iracundus; non adeo cum aliis durus, ac tecum indulgens, & ubique adeo parum christianus. Mortem cogita, & jam lenis eris, modestus, verecundus, humilis, patiens. Nulla affectio est, quæ saluberrima cogitatione hac non infirmetur. Verum nonne ideo potius mortem non cogitas, eamque cogitare times, ne vitæ rationem mutare tenearis ? Dic adolescentulæ illi, quæ luxui, vanitati, & muliebri mundo tantummodo vacat, quæ gaudia tantum, ac mundi festivitates inquirit, dic, mortem cogitet: *Memorare novissima tua*. Viro illi negotioso magna naviganti maria; quorum terminos ambitio, & cupiditas invenire non possunt, dic, cogites pauperiem, & nuditatem, ad quam per mortem intra paucos dies est redigendus. Mundi principibus in fastu natis, inter delicias innutritis, interque nobilitatis ideas educatis, dic, illum cogitent diem, quo cum subditorum suorum novissimo sunt confundendi. Si homines isti aliquando mortem cogitarent, tantone ardore id quærerent, quod suas alit cupiditates ? itane vitæ huic adhærerent ? *Ex tomo secundo spiritualium Considerationum P. Croiset*. Mortis cogitatio potens est remedium contra peccata.

Memorare novissima tua &c. En altera ratio applicandi allatum Ecclesiastici locum. Magna quidem mortis cogitationi virtus inesse dicenda est, quandoquidem Creator illam statim in primi hominis mente imprimens, hac usus est contra peccatum. Statim ac mandatum infringes, morieris; neque ten-

tentator ipse hominem ad peccandum valuit pertrahere, nisi postquam hanc illi abstulit cogitationem: *Nequaquam moriemini*. Adam, donec cogitationem istam retinuit, caruit culpa; neque peccator factus est, nisi postquam illam abjecit; quod quidem ostendit, quanta in nobis mala mortis oblivio operetur, & quam admirabiles effectus illius memoria producat. Mortis oblivio signum est vitæ mollis, inertis, ac mundi hujus bonis hærentis.

Cogitandum est omnia fortunæ bona morientibus non profutura.

En morior, quid mihi proderunt primogenita? Genes. 25. Homo potens, dives, omnibusque naturæ, fortunæque bonis cumulatus, si cogitaret se brevi moriturum, nonne jure hæc infelicis Esau verba usurpare posset, sed alio in sensu? Ille enim fame pressus non aliud quærebat, nisi unde saturaretur: *En morior quid mihi proderunt primogenita?* Numquid tanta opus est cura pro iis bonis, quæ ex hoc mundo egredientes nobiscum ferre non possumus? Quandoquidem intra breve temporis intervallum moriendum est, quid mihi proderunt primogenita, honores, dignitates, atque omnia nobilitatis insignia, quæ genus ipsum mihi contulisse videtur? Quid proderunt opes, quæ mihi erunt relinquendæ? Quid in voluptuaria domo omnes vitæ delicias, & commoda conclusisse, cum illinc mox exire cogar? quid per tot labores, atque pericula ad hunc apicem pervenisse? *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Hæ sunt salutares considerationes, quas mortis cogitatio, & meditatio nobis suggererent.

Eorum, qui præcesserunt, exemplo docet nos quovis tempore, quavis ætate mori posse.

Defunctus adhuc loquitur: Ad Hebr. 11. dicebat S. Paulus Apostolus loquens de Abel; quomodo clamat adhuc, cum mortuus sit? Hoc modo. Hic primus fuit hominum, in quo mortis sententia contra omnem Adæ posteritatem lata, adimpleta est. Adolescens erat, robustæ valetudinis, integerrimæque vitæ, sibique integra promittere poterat sæcula. Fratris ejusdem invidia hæc omnia illi abstulit, ac momento illum orbavit omnibus naturæ bonis, quæ in ipso reperiebantur. Hic autem mortuorum princeps muta quidem lingua, sed quam omnes intelligere possunt, ait, vitæ suæ stamen in ipso dierum suorum initio, & cum id minus putabat, fuisse succisum. Nos vero, qui neque idem ac ille robur, neque eumdem ætatis florem, neque adeo perfectam valetudinem; nos qui neque illius virtutem, innocentiam, & merita habemus, quomodo vitæ diuturnitatem, pacatamque bonorum, quibus fruimur, possessionem sperabimus?

Noli metuere judicium mortis: Eccli. 41. hoc est, ne metuas, cum tibi mortis nuntium præbebitur, ac dicetur, Medicorum unanimem esse sententiam, te cito moriturum. Te eo in statu constitue, ubi hoc mortis nuntium tibi terrorem non afferat. Utinam tantum non esset difficultatis, quantum videmus, cum ægrotanti nuntium illud afferendum est, quod Isaias Propheta c. 38. audacter Ezechiæ Regi nuntiavit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. Consanguinei nolunt aliquando hoc ægroto nuntiari, ne terreatur; sed nequissimum hoc factum est, ac sæpe noxium saluti plurimorum, qui animam efflant, quin per tempus sese morti potuerint disponere: *Noli metuere judicium mortis*.

Quidquid in nobis est, monet esse moriendum.

Responsum mortis habuimus in nobismetipsis: 2. ad Cor. 1. Quid sibi velle Apostolus vobis videtur? Interpretes quidam significare putant, iis omnibus, quæ in nobis sunt, non secus ac iis, quæ circa nos sunt, admoneri nos esse morituros. Et sane si corpus nostrum, omniaque membra illud constituentia interrogamus, respondebunt, se diu durare non posse, admirabilem molem hanc aliquando in pulverem esse redigendam: temperamentum, corporis habitum, humores, quorum œconomia, & consensu vivimus, nobis mortis sententiam significare; neque enim consensio hæc semper est durare. Videmus, ac sentimus illos perturbari, & hoc mortis responsum vocatur; verum addamus, hoc illud etiam esse responsum a nobis iis rebus omnibus reddendum, quæ efficiunt, ut vitam diligamus. Dives sum; sed mori debeo: omnibus fruor voluptatibus, me metuunt omnes, & colunt: ea possideo omnia, quæ in hoc mundo beatum efficere possunt; sed his omnibus responderi potest, mihi esse moriendum. *In nobismetipsis responsum mortis habuimus*.

Fatui sumus qui colimus corpus in cinerem redigendum.

Artifex lignarius sumpsit lignum, medium ejus combussit igni, reliquum autem ejus Deum fecit, & sculptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud. Isaiæ 44. Hoc pacto Propheta idololatram irridet. Videte hominis hujus amentiam, qui ex eodem ligno partem quidem ollæ supponit ad pulmentum coquendum, vel ad se calefaciendum; alteram vero partem ejusdem naturæ, qua prior illa, dolat, ut sibi idolum, & numen efficiat, coram quo genua flectat, thus adoleat, & quod summa reverentia veneretur. Quæ insania id venerari, cujus pars in cinerem abiit? Nobismetipsis adeo justam exprobrationem applicemus. Nos sumus hæc ligna, quorum radix Adam est; major ramorum hujus arboris pars in cinerem redacta est, nihilque præter hanc superest partem; nonne insipiens est, qui reliquam partem adorat, & ex ea sibi idolum constituit? Hic suum corpus adorat; ille fluxam fragilemque formam colit. Eheu! cogita, cultus tui objectum quamprimum mortis exuvias futurum, & in cinerem esse redigendum: *Pars ejus cinis est, cor insipiens adoravit illum*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Quid in hac vita certum est nisi mori? Quocumque te verteris, incerta omnia, mors certa, natus es, certum est quia morieris. Augustinus.

Non est Deus mortis inventor, sed judex, quia mortis author peccatum est. Idem, lib. 1. quæst. veter. & nov. Testam. quæst. 34.

Mors non naturæ est conditio, sed pœna peccati. Idem, l. de Prædest. & Grat. c. 3.

Bene est quod timeas mortem; sed eam mortem debes timere, quam tibi ipse facis. Idem, Epist. ad Presb. Man.

Sive festines, sive tardes, omnis vita humana brevis est. Idem, Serm. 3. de verb. Apost.

Tunc maxime pungit timor mortis, quando nobis bene est; nam quando male est nobis, non timemus mortem. Idem, Serm. 245. de Temp.

Ex quo homo incipit vivere, jam potest & mori; possibilitatem mori, initium vitæ facit. Idem, de decem chordis, c. 2.

Quid est mors? derelictio corporis, depositio sarcinæ gravis, modo alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam. Idem, in Joannem.

Quidquid temporis viximus, de vivendi spatio demitur, & quotidie fit minus quod restat, ut nihil sit aliud tempus, quam cursus ad mortem. Idem, de Civ. l. 13. c. 10.

Nudi omnes nascimur, nudi morimur, nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius fœtent divitum corpora distenta luxuria. Ambrosius in Hexam.

Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majori oneratur sarcina peccatorum. Idem, de bono mortis.

Non habemus quod a morte timeamus, si nihil quod timendum sit, vita commisit. Idem, ibid.

Nihil tam decipit genus humanum, quam quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Idem, Epist. ad Cypr. Presb.

Tanto amplius mors timeri debet, quanto numquam prævideri valet. Gregorius, l. 12. Moral. cap. 19.

Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque mortis esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Idem, ibid.

In

In morte, tanto timor fit acrior, quanto retributio vicinior, & quanto vicinius judicium tangitur, tanto vehementius formidatur. Idem, l. 24. Moral.

Homo, qui si in Creatoris obedientia perstitisset, posset in aeternum vivere, propter inobedientiae culpam perculsus est mortalitate. Idem, in Psal. 5. Pœnit.

Dura mente abesse mors longe creditur etiam cum sentitur. Idem, l. 8. Moral.

Ejus est in mundo diu velle permanere, quem mundus oblectat, quem seculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenae voluptatis invitat. Cyprian. lib. de mort.

Puerilem timemus pavorem, mortem timentes, Chryf. Hom. 5. ad Pop. Antioch.

Quid tandem est mors? somnus consueto longior. Idem, ibid.

Nihil mors est ultra quam somnus, & peregrinatio, & transmigratio a deterioribus ad meliora. Idem, Hom. 45. in Genesim.

Vis scire causam cur mortem timeamus? non viximus cum diligentia, non habemus conscientiam puram; quod si esset, nihil mors terruisset. Idem, Homil. 5. ad Pop. Antioch.

Mori oportet, hoc stipulata est Dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur. Tertullian. in Apolog.

Morimur semper dum vivimus, & tunc tantum desinimus mori, cum desinimus vivere. Innocentius Papa, l. 1. de contemptu mundi.

Misera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum mors. Sanctus Anselmus, in Medit.

Volo te mortem, etsi non effugere, certe non timere: justus quippe mortem nisi non cavet, tamen non pavet. Bernard. Epist. 105.

Semper extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus praevidere. Gregor. Homil. 11. in Evang.

Dies ultimus senibus est in januis, juvenibus in insidiis. Abbas Guerricus, Serm. 3. de Adv.

Mors nihil aliud est quam carceris finis, & laboris consummatio, oneris gravissimi depositio, de domo ruinosa liberatio. Idinta l. 5. c. 8.

Quantis laboribus agitur, ut longiori tempore laboretur? & mors cum impendere coeperit, ideo cavetur ut diutius timeatur. August. Epist. 45.

Mors est portus, ad quem continuo navigamus. Idiot. l. 5. c. 8. de Contemplat.

Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate; forma moriendi causa nascendi est. Tertull. de carne Christi.

Omnino opus mortis horrendum divortium. Bernard. Serm. 26. in Cant.

Vides viventem, (hominem divitem, & superbum.) *Cogita morientem.* Augustinus in Psalmum 98.

Pulvis mortalium ultima spes. Greg. Nazianz. in carmin.

Mundus hic, & mortalis est, & morientium regio: priusquam anima separetur a corpore, saepe morimur; vita hominum per multas mortes expleri consuevit. Basilius, in Job. c. 4.

Horrere mortem, naturae est; vincere naturam animi fortitudine, gratiae est. Cyprianus Epistola 104.

Crede mihi, non habet concupiscentia locum, ubi mors timetur. Zeno Veronens. Homil. de Contin.

Incertum est quo te loco mors expectat: tu illam omni loco expecta. Seneca.

Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitae, & tunc quoque cum crescimus vita decrescit. Idem, Epist. 24.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiae fontibus hoc in argumento possit hauriri.

Quid est mors.

MOrs si natura spectetur, non aliud est, quam animae, & corporis separatio, quemadmodum animae & corporis unio vitam facit. Reliquae notiones, vel definitiones, quae de morte tradi possunt, non aliud sunt, quam ideae, quae concipiuntur, prout illa consideratur ratione ejus, quod in hac vita sumus, vel ejus, quod evadimus, ubi desinit vita. Ethnici, & Christiani hac in re idem sentiunt, neque differunt nisi in iis, quae mortem subsequuntur, ac in spiritus dispositione eorum, qui illam vel accedere sentiunt, vel obeunt. Mors igitur ita consideranda in duas species dividi potest. Altera naturalis dicitur, & haec ex intrinseco procedit principio; videlicet ex naturalis caloris extinctione, & ex humidi radicalis, quo alitur vita, defectu. Species altera mors violenta appellatur, ex principio externo profecta, quod differt pro varietate casuum, vel causarum vitam auferentium. Hoc fusius explicare necesse non est; satis enim per se patet, & quotidiana intelligitur experientia. In Christianae Religionis principiis mors, morbi, & infirmitates illam praecedentes, ac producentes sunt poena peccati primorum parentum; quod Apostolus docet, ubi ait mortem in mundum per peccatum ingressam. Hoc supponit primos parentes nostros a Deo creatos fuisse cum dono originalis justitiae, quod illos praeservasset a morte. Sed cum voluerint illi per peccatum fieri immortales, universa humana natura privata fuit hoc supernaturali dono, quo primi parentes fuerant insigniri, ideoque cecidit in inevitabilem moriendi necessitatem. Itaque mors homini naturalis est propter mixtionem humorum, ex quibus corpus illius coalescit; sed facta est illi in poenam, atque supplicium propter jacturam originalis justitiae, quae illum a morte erat praeservatura.

Catholica sententia est, & a nullo Theologorum in dubium accersita, quamvis mors sit poena peccati primorum patrum, eamque nos propriis, & personalibus criminibus praeverterimus, illam tamen esse posse non solum viris bonis occasionem meritorum, verum etiam satisfactionem (saltem ex parte) divinae justitiae pro nostris iniquitatibus per voluntariam ejusdem acceptationem, bonumque usum dolorum, quos patit; ad quem morientes hortari opus est; ita ut non de sola martyrum morte cum S. Augustino *l. 13. de Civit. cap. 4.* dici queat, per admirabilem Salvatoris gratiam peccati poenam virtutis instrumentum factum fuisse. Mors omnibus hominibus validissimum esset salutis pharmacum, & malorum eorumdem praesens remedium, si illinc nossent eas percipere utilitates, quas illis procurare vult Dei misericordia per hoc supplicium, quod in ipsos illius exercet justitia.

Cur Deus hominem morte damnaverit.

Haec sententia est, quam contra primum hominem tulit Deus, qui illum, omnemque ejus sobolem morte damnavit. Et profecto aequum erat, ut homo, quandoquidem peccaverat, mortem subiret: quae S. Bernardi sententia est: *Aequum erat, ut moreretur homo, si peccaret.* Et rationem hic Pater addit: quia corpus, & anima invicem separari non poterant, nisi per mortem, quemadmodum nonnisi per peccatum anima a Deo poterat separari: *Non potuit dividi a Deo, nisi peccando, & corpus ab anima, nisi moriendo.* At justum erat, ut anima postquam ultro a Deo recesserat, per corporis separationem puniretur; ideo oportebat, ut homo, ex quo peccare coeperat, morti fieret obnoxius: tanto magis, quia saepe, corpus animam nocentem facit, & meretur, ut ipsum puniat Deus efficiens, ut in primam originem revertatur.

Quam-

Cur Dei filius, qui nos liberavit a pœnis peccato debitis, a morte liberare noluerit.

Quamquam Dei Filius in terras descenderit, ut nos iis eximeret pœnis, quibus per peccatum eramus obnoxii, noluit tamen a lege mortis eximere, quæ earum prima est, nobisque immortalitatem primorum parentum prævaricatione amissam restituere. Theologi plures afferunt rationes, at præ cæteris hanc S. Augustinus *l. 13. de Civit. cap. 4.* videlicet ut salutem nostram educeret ex eo, quod fuit primi parentis supplicium, voluit, ut hæc peccati pœna fieret virtutis instrumentum, ac ad æternam beatitudinem transitus: *Sic per ineffabilem Dei misericordiam, & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit justi meritum supplicium peccatorum, ut mors, quam vita constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.*

Veterum Philosophorum error de mortis necessitate.

Omnium veterum Philosophorum fuit error, mortem unice spectare tamquam naturæ legem, non autem tamquam pœnam peccati, ut malorum omnium gravissimi severitatem inevitabili ejusdem necessitate quodammodo lenirent. *Lex est*, dicebat Seneca huc spectans, *non pœna perire*. Verum cum fidei luminibus illustrati non essent, error illorum venia dignus erat. Cum enim viderent terrena omnia propter essentiæ suæ conditionem pereuntia, videbatur illis homo ab hac generali lege immunis esse non posse. Verum docet fides, illum immortalem fuisse futurum, si eam, in qua creatus fuerat, originalem justitiam servasset. Ita homini quamvis juxta naturæ suæ principia moriendum sit, certum est tamen, si Deo fidelis permansisset, illum mortis tela experturum non fuisse, & quin per funestum hoc medium pertransiret, ab hac vita ad beatam immortalitatem fuisse transiturum. *Primus creatus est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis vero beneficio conditoris.* S. Augustinus, *l. 6. de Gen. ad lit.* 25. ait.

Sufficit esse filium Adæ, ut sit duræ huic obnoxius necessitati, quæ, uti dictum est, est pœna peccati. Ideo Dei filius, qui hanc sibi vindicarat provinciam satisfaciendi justitiæ divinæ pro peccatis hominum, quamvis natura sua esset immortalis, simul ac nostram assumpsit carnem, nostram quoque subiit mortalitatem, & reipsa mortem expertus est. Sanctissima illius genitrix, quamvis in conceptione ab omni peccati labe præservata in ipsa integerrima innocentia sua, hanc subiit pœnam sontium filiorum Adæ. Post magna hæc duo exempla insaniæ cumulus esset aliquam sibi polliceri immunitatem a lege adeo inviolabili, & generali.

Cur Baptismus qui delet peccatum non liberet a morte.

S. Augustinus huic respondet quæstioni, tantum abesse, quod Baptismus, vel mors Jesu Christi liberare debuisset a morte credentes in illum, ut immo hic Baptismus, & hæc mors recentem illos moriendi necessitatem imponant. Cum enim per hoc Sacramentum incorporentur Jesu Christo, coguntur gerere similitudinem mortis illius; & quoniam caput in gloriam ingressum non est nisi per mortem, & crucem, membra in partem gloriosæ immortalitatis, quam ipsum obtinuit, venire nequeunt; nisi per fidelem mortis ipsius imitationem; ut hic Doctor ait: *Sumus in morte illius baptizati, ut moriamur sicut ille.*

De finali perseverantia, quæ est mori in statu gratiæ.

Cum finalis perseverantia non aliud sit, quam bonæ, sanctæque mortis gratia, quam Deus suis electis concedit, illos ex hoc mundo auferens cum in gratiæ statu sunt; quod quidem beneficium non omnibus confert, & nemini, ne sanctissimis quidem hominibus, debet; en quid animos nobis facere debet inter mortis terrores, ac in metu, ne hanc deneget gratiam, quam ipsi mereri non possumus; videlicet juxta communes divinæ Providentiæ regulas sanctam vitam infelici morte excipi nequaquam posse. Hoc sacrosancta Tridentina Synodus tradit, quæ in re tanti momenti duo nos docet. 1. Ad quemcumque perfectionis gradum Justus, donec inter vivos degeret, ascenderit, non vult illum certum esse de sua in statu gratiæ usque ad mortem perseverantia, ut nosmet in humilitate, metu, nostrarumque virium diffidentia contineat. 2. Nos admonet, ut humilem habeamus in bonis operibus nostris confidentiam; unde inferendum est laboribus, curis, precibus, mortificationibus, vitæ denique sanctitate obtineri finalem gratiam, quæ non aliud est, quam gratia bene moriendi.

Quam horribile malum sit mors in peccato.

In peccato vivere, proculdubio terribile malum est; peccatum enim hominem divina gratia privat, Dei inimicum constituit, hujus in illum excitat odia, omnibus bonis supernaturalibus exuit, per quæ jus assecutus erat ad gloriam, ac tandem inferno dignum reddit. Sed in peccato suo mori alterum malum est longe gravius, ac terribilius: etenim præter omnia ea mala, quæ omnino a peccato nequeunt separari, seu in vita, seu in morte; qui hoc in statu moritur, videt penitus excidere, quidquid spei, bonique, seu veri, seu apparentis hac in vita superest peccatori.

Mortem spectare debemus nō ut Philosophi, sed ut Christiani.

Sunt, qui mortem cogitent more Philosophorum; illam considerant veluti generalem necessitatem, quam evitare non possunt, ac se illi paratos putant, cum eam sine tumultu pati decreverunt: at non quærunt, quid eventurum sit animæ suæ: sese tradunt desideriis cordis sui æque audacter, ac si nulla esset justitia, quæ hominum iniquitates puniret, & si quid in ipsis est, cum ipsis esset interiturum. Sed qui fidem habent, plus quoque luminis habent, & rationis; jure timent ne decidant in manus Dei, antequam illius justitiæ satisfecerint, & bonam mortem desiderant: *Moriatur anima mea morte justorum*. Hac de causa turbantur quotiescumque sese illis mors offert; timent peccata sua, ac illa per pœnitentiam expiare constituunt. E vita excedere cupiunt Sanctorum more, ac vitæ præsentis ærumnas sustinent, futurorum bonorum spe confirmari.

Mortis memoria esse debet assidua.

In dubium revocari non potest hæc Sapientis sententia; *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*; sed vehementer erraret, qui crederet omnem mortis recordationem effectum hunc gignere posse. Cum talis re ipsa est, qualem Deus desiderat, nihil sane adeo efficax, validumque est, quod nos a peccato præservet: quemadmodum nulla res magis a mundo nos divellere potest, quam cogitare, momento nullum pro nobis mundum ultra futurum. Sed mentis cogitatio, quæ evanescit antequam efformetur, non potest calidam in corde nostro efficere impressionem, & aliquid in actionibus nostris mutare. Ut ergo efficiat, ut fructus salutis feramus, ex mente nostra egredi nequaquam debet, sed semper ante oculos nostros versari, operumque nostrorum normam esse, ut tota vitæ nostræ ratio similis videatur illi hominis in agone positi, & jamjam morituri.

Mors licite, immo etiam sancte potest desiderari.

Fateor equidem a natura vitæ nobis insitum fuisse desiderium; sed propter hanc ipsam causam Theologi affirmant mortis desiderium esse legitimum; transitus enim est ad veram vitam, quod nomen illa, qua fruimur, nequaquam meretur. Si animæ nostræ in innocentia permansissent, vitæque nostræ in felicitate; hoc vivendi desiderium pro æquissimo objecto habuisset temporalem hanc vitam, eamque integram summa cum voluptate transegissemus; & quomodo hoc in statu numquam mori potuissemus, optassemus ex hac ad alteram vitam gradum facere, quin terribile hoc medium offenderemus. Verum cum in scelus lapsi fuerimus, ideoque omnibus impliciti calamitatibus, & bona, quæ per peccatum amisimus, nonnisi per mortem rursus acquirere valeamus; mortem, quæ in nostræ felicitatis possessionem nos adducat, optare neque error est, neque insania. E contra vero miseranda ægritudo est vitam adeo miseram cupere, & depetire. Præterquamquod quatenus christiani nosmetipsos cogitare debemus tamquam viatores, quorum habitatio hoc in mundo esse non potest, sed qui ad cœlum, veram patriam suam, summis votis contendunt. Mortem igitur optare possumus, & votum hoc indicium est sanctæ, perfectæque animæ,

nullo

nullo vinculo mundo huic adhærentis, atque cum Apostolo *ad Philip.* 1. solvi cupientis ex corporis hujus ergastulo, ut æternum cum Jesu Christo permaneant: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo:* quod cum nonnisi per mortem valeat obtineri, jure S. Cyprianus ait, Christianos a semetipsis dissentire, cum Deum rogant, ut ipsius regnum adveniat, simulque mortem formidant, quæ unica via est ad illud perveniendi, ejusque felicitate fruendi.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Nihil magis a peccato homines potest deterrere, quam mortis cogitatio.

NOn morimur, nisi quia peccavimus, & ne amplius peccaremus, sufficeret cogitare, moriendum esse. Hoc eadem nobis Scriptura Eccli. 7. testatur: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Et profecto quænam res magis efficere potest, ut homo ad cor revertatur; quænam facilius illi mundi hujus fastidium immittere, ejus coercere superbiam, salubremque judiciorum Dei illi terrorem potest incutere, quam mortis cogitatio? Ita Deus, qui videbat, quam utilis nobis erat futura cogitatio hæc, voluit, illam in mentibus nostris excitari, ac instaurari posse infinita objectorum, & actionum varietate, quæ cum indesinenter nobis ideam mortis offerant, non sinunt, nos illius oblivisci, nisi ultro, ac data opera oculos avertamus. Moriendum esse non solum nos monet frequens tot hominum obitus, qui in singula momenta fato concedunt, tot animantium mors, quibus in peccati pœnam hac in re fuimus æquati; tot, qui nobis incidunt morbi; jugis corporum nostrorum defectus, quem incessanter experimur; infiniti casus, qui identidem mortem nobis portendunt; verum plerisque etiam actionibus nostris admonemur, quibus cum propositus sit finis evitandi mortem, hujus imaginem assidue oculis nostris debent exhibere. *Ex libro cui titulus.* Essais de Morale, *tractatu primo de quatuor novissimis cap.* 1.

Homines mortem cogitare debent nō secus ac sontes eadem efficiendi.

Sontes in carcere detenti, ac judicum sententiam expectantes, ea qua ipsorum honor, bona, & vita pendent, admonendi profecto non sunt, ut illud, in quo versantur, periculum cogitent, quo pacto inde valeant emergere, qua ratione judicum gratiam captare; satis enim illos suus admonet status, & cogitatio ultro illuc fertur, quin ullo opus sit conatu, ut ad id animum advertant. Sed quanto impensius adverterent, si id se cogitantibus, negotiis suis, fortuoisque accessionem fieri posse crederent; nullamque potiorem esse judicum leniendorum, causæque suæ probandæ rationem, quam mente incessanter eum recogitare diem, quo sunt judicandi? Hæc imago est statu hominum; verum hæc vitæ eorum imago non est. Captivi sunt, velut sontes illi, de quibus loquimur; tota enim tellus generalis est carcer mortalium omnium, unde nonnisi per supplicium exitus patet. Mors illud est, quo illos universe divina justitia damnavit; & mors quælibet executio est sententiæ Dei, qui nos huic supplicio adjudicavit. Quidquid circa illos est, hujus rei eos monet; & nihilominus paucissimi id cogitant, & longe pauciores id cogitant serio. E contra vero mortalium plerique in hoc omnem curam, & industriam intendunt, ut procul arceant a mente sua hujusmodi objecta, & mortem minus, quam fieri potest, inspiciant, atque amoveant quidquid illam ad vivum exhibet; qua in re adeo felices eorum conatus existunt, ut omnes fere ad mortem perveniant, quin umquam de illa sedulo cogitaverint. *Ibidem.*

Omnes quibus aliquis christianitatis sensus est, mortis cogitatione commoventur.

Nemo est, qui sine tumultu illud audire valeat imperium, quo Isaias Propheta c. 38. Dei nomine Ezechiæ Regi præcepit, ut res suas ordinaret, seque morti disponeret: *Dispone domui tuæ* &c. Mortis imago, cum prope est, & certa, fortissimum quemlibet agitat: cumque nuntiatur alicui, cui breve admodum vitæ superest spatium, difficilius est in eo mortis moderari metum, quam illum ad mortem cogitandam impellere. In hujusmodi occasionibus quisque se agitat, urgetque, non solum ut domus suæ, verum etiam conscientiæ negotia disponat. Impii quoque commoventur, neque audent mortis periculum subire, quomodo vixerunt; tutiusque putant, eo meliori, quo possunt, modo actus Religionis obire, quos viventes neglexerant. *Ibidem cap.* 2.

Discrimen inter fortes sæculi, & ignavos christianos circa mortem.

Ut mortem metuas, satis est, aliquem videre morientem. Verum quodnam judicium de illis ferendum est, qui contemnunt eam, ac nullo ejusdem metu commoveri videntur? Magnum hic discrimen considerandum est: apud eos qui secundum mundum fortes sunt, mortis contemptus, atque oblivio fortitudinis, & constantiæ indicium est; sed apud Christianos, oblivio ista, & contemptus, quem plerique testantur, ut plurimum ignaviæ est illorum indicium. Mundi fortes occurrunt morti, illi insultant, eam provocant; singulari quippe sibi virtuti, gloriæque vertunt ejus periculo non moveri. Ideo ab animo suo procul amovent cogitationem mortis, & periculi, quod ipsis impendere videtur; eaque oblivio facit, ut sui curam non gerant, ut audacter periculosis occurrant occasionibus, ut in confertas telorum acies irruant, ut jussi quolibet advolent. Quædam gloriæ ebrietas menti eorum nubem offundit, efficitque, ut periculum minime agnoscant. Hoc autem in Christianis non accidit: oblivio mortis eorum ostendit ignaviam. Alii propter mollitiem mortem non audent cogitare; sola mortis umbra eos terret, solumque illius nomen imbelles animas sternit. Alii ea, quæ mortem subsecutura sunt, non considerantes nihil timent, quia quid de se futurum sit, minime cogitant: *Nihil timent, quia nihil vident,* quidam S. Pater ait: voluptatibus abditi, brutis similes facti sunt, atque hac in re mente, sensuque carentes. Et profecto si utrisque præsens hæc animo obversaretur cogitatio, næ illi quidem æternam metuerent calamitatem, quæ post mortem eos manet. *P. Gegon tractatu de præparatione ad mortem.*

Christiani, qui mortem non cogitant, sunt inexcusabiles.

Si mors malum esset, quod vel ignotum foret, vel raro, & quibusdam dumtaxat temporibus, aut personis accideret; si malum esset a nobis remotum, quod posset evitari, vel quod nullus molestus subsequeretur eventus, excusari possent, qui illud minime cogitarent: sed res se longe aliter habet. Mors adeo commune malum est, ut omnes sensus nostros afficiat; adeo frequens, ut quotidie nova oculis nostris incidant ejus spectacula; adeo nobis proximum, ut illius in nobismetipsis principia inveniamus; adeo inevitabile, ut nulla magnitudo, nulla potentia, dignitas nulla, opes nullæ illi resistere, ac illud valeant propulsare; adeo propter ea, quæ illud consequuntur, terribile, ut inde felix, vel infelix nostra æternitas pendeat. Hæc recogitare interest nostra, attamen in animum inducere non possumus, ut illi cogitationes nostras impendamus. *Idem.*

Sæpe apud christianos de morte loquendum est, ut ejusdem memores sint.

Ministri Domini populis sæpe dicere debent, quod dictum fuit Jesu Christo ad Lazari tumulum accedenti: *Veni, & vide.* Venire, & videte; videte oculos clausos, pallore atro suffusam faciem, hirtos, sparsosque crines, flaccidas, cavasque genas: neque hæc obiter vidisse sufficiat; inspicite hæc omnia tamquam statum, in quem eritis aliquando redigendi. Hoc spectaculum est, cujus vos quoque participes estis, vos quoque in hanc scenam estis prodituri. Venite, & videte. At enim animum appellere non potestis, ut id cogitetis, meque incusatis, quod minime parcam eorum mollitiei, a quibus audior, cum eorum oculis adeo tetrum spectaculum objiciam: ego autem respondeo, vos, ne adeo parum christianam mollitiem offendatis, negligere validissimam rationem, quam nobis suppeditavit Deus, saluti nostræ consulendi, eamque serio operandi. *Idem.*

Morientis descriptio; status corporis, & animo ejus.

Satis est oculos conjicere in eum, qui jamjam animam efflaturus est, ut liqueat quam terribile sit illud spectaculum. Manus, lacertique ejus præ imbecillitate corruunt; pectus oppressum sub pondere pituitæ, qua suffocatur, vix spiritum valet reciprocare; caput se sustinere non potest, labia spumant, caligant oculi; facies frigido sudore madet, mortalique pallore suffunditur: quidquid sensibus accidit, horrorem inspirat. Attamen quod extrinsecus videtur, levis imago est eorum, quæ reprobi peccatori anima intus incipit experiri. Videt illa inevitabilem ejus mortis necessitatem, quæ neque vi superari, neque lacrymia flecti, neque totius artis medicæ ope eludi potest. Illam appropinquantem videt, quemadmodum suns erigi videt patibulum, cui suffigendus est. Egressio ex hoc mundo horrorem illi ciet, transitus de tempore ad æternitatem dolore illum afficit, atque hæc omnia illum mortali replet formidine, quæ nullum admittere potest solarium, *Idem*.

Mortis oblivio efficit, ut terra hujus bonis adhæreamus.

Mortis oblivio homines cupidos efficit, inexaturabiles, hæreditatibus acquirendis intentos. De hoc sapiens quidam Ethnicus jampridem conquestus est: *Tamquam mortales vivimus, tamquam immortales concupiscimus*. Vivimus, ac timemus tamquam morituri, vel singulis momentis morte abripiendi; at desideramus, perinde ac immortales essemus: bona bonis accumulamus, domos domibus; hæreditates hæreditatibus, tamquam numquam moriendum nobis esset: quæ cæcitas! quæ oblivio! Nobismetipsis consentiamus, & banc auferamus contradictionem. Si tanto ardore vitæ bona congerimus, ne negligamus curam hujus vitæ tuendæ ea tantum bona colligentes, quæ illi esse possunt utilia; nosmet consideremus tamquam homines duobus digitis a sepulcro distantes, & ignorantes, ad quos hæreditates istæ transituræ sint, ac seipsos tamquam victimas morte quam primum immolandas considerantes. *Sermo manuscriptus*.

Volgo mors occupat incautos.

Nihil in morte magis metuendum est, quam ne incauti ab eadem occupemur; attamen nihil hoc vulgatius est. Ideo illam nobis exhibent Biblia vel tamquam furem noctu expilantem eos, qui in aurem stertunt utramque, vel tamquam dominum famulos reditus sui momenta celantem; vel tamquam escam, quam piscator tendit pisci deglutienti illam, qui fluminis vi se trahi magno cum impetu sentit; modo tamquam diluvium repente ingruens, & solidissimas ædes prosternens. Quorsum istuc? Ut admoneant, nos morte iri occupatum, nisi ad id animum adverterimus; inertem, otiosamque vitam sensim nos ad mortem adducere, vigilantiam ad id omnino esse necessariam, alioquin filium hominis venturum, ubi minus cogitabimus, nosque in negligentia nostra occupaturum; ac nos, qui illum non expectavimus, misere morituros. *Idem*.

In morte affectiones nostras tantum odimus, quantum in vita illis obtemperavimus. Mors, ut ita dicam, affectionum sepulcrum est, & mortis cogitatio earumdem medicina. Hæ nullas habent amplius vires cum spectantur solum veluti doloris, & pœnitentiæ origines. In morte non aliter considerantur, & nemo intelligere potest, quomodo aliter considerari potuerint. Restat ne in morte ullum chimæricarum idearum, quæ in vita habebantur, & assertæ felicitatis, quam mundus sectatoribus suis pollicebatur, vestium? Hæc sese provehendi, ac locupletandi immensa desideria in hac rerum omnium universali privatione perseverant? Restatne saltem suavis memoria earum rerum, quæ ambitioni nostræ velificatæ sunt, & cupiditati satisfecerunt? *P. Croiset tomo 2. spiritualium considerationum*.

Horribilis corporum nostrorum in sepulcro status post mortem.

Ingrediamur ipsi sepulcrum, & spectatores facti eorum, quæ ibi contingunt, illorum Jobi *c.* 17. verborum intelligentiam assequemur: *Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus*. Quinam sermo ad vivum repræsentare potest ea, quæ propriis oculis intuebimini? Statim ac corpus, quod adeo speciosum, validumque erat, in tumulo clauditur, miram gignit vermium, aliorumque insectorum copiam, quæ in hoc nata cadavere incipiunt iisdem carnibus ali, ex quibus prodierunt. Alia videretis oculos devorantia, alia ex naribus profluentia, alia per os deambulantia, alia per apertum pectus ultro citroque introeuntia, & egredientia. Interim ex capite crines decidunt, nares, labia, genæ in frustra dilabuntur; jam nihil est aliud, quam sterquilinium, cloaca, & horribilis tabi, putredinisque congeries. Vermes demum toto absumpto cadavere, se invicem fame acti conficiunt, absumunt: neque restat aliquid præter horridum sceletus, qui paulatim more laborantis ædificii labitur, donec tandem omnia abierint in pulverem. Hic finis est omnia formæ, omnium voluptatum, omnium hujus vitæ deliciarum. Corpus hoc adeo opipare innutritum, corpus hoc tanta cura exornatum, cui molles sternuntur culcitræ, quod tanta sollicitudine a frigore, & calore protegitur; ecce quonam aliquando corpus hoc redigetur. *P. de la Colombiere*.

Mors de rerum omnium vanitate nos persuadet.

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Fierine potest, ut nulla res vobis mortis memoriam revocet? Fierine potest, ne mortis memoria vos a terrenis rebus avellat? O Terræ principes, mundani divites! ecce quo magnitudo, & divitiæ vestræ brevi redigentur; ad simplex videlicet linteum, ad sex terræ pedes, ad terribilem corruptionem, ad celerem, æternamque oblivionem. Hoc omnibus majoribus, hoc omnibus prædecessoribus accidit vestris. Eorum plures fortasse iis in ædibus vixerunt, & mortui sunt, ubi vos habitatis, eodemque in cubili, ubi quotidie dormitis. Vos illos sequemini, aliique vos sexcenti sequentur. Intra paucos fortasse dies videbimini in sandapila compositi, ut qui vestrum intuebuntur cadaver, terrenarum rerum vanitatem meditentur, vestroque erudiantur exemplo hæc, quæ vos amastis, contemnere. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Idem*.

Deus terrorem Principibus incutit mortis illis minitatus.

Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum. Psalm. 75. Licet Deus non aliam in homines potestatem haberet, quam illis vitam auferendi, hac una re quantum summis, principibusque viris terrorem incuteret? Hoc ostendit experientia. Ezechias Rex erat dives, & potens. Deus ad illum mittit Isaiam Prophetam, a quo mors ipsi nuntiaretur. Quas effudit hic lacrymas, quæ suspiria? *Flevit Ezechias fletu magno*. Isai. 38. Rex Achab quamvis impius, scelestus, & idololatra, propheta eodem sibi mortem minitante, scidit vestimenta sua, & ad pœnitentiam confugit; & Sardanapalus Regum omnium voluptuosissimus, & effeminatissimus quomodo immutatus est Jona Ninive Metropolis Regni ejusdem eversionem portendente! *Auctor Anonymus*.

Homines mortem non cogitant nisi tamquam objectum remotum.

Quantumvis terribile sit objectum aliquod, hoc vulgo afficimur parum, ubi illud tamquam remotum spectamus; spiritus enim sese longo huic applicans intervallo, quo ab eo separamur, magis gaudet quia tandiu se hoc malo cariturum putat, quam mœreat timens malum, quod post hujus boni perfruitionem est subsecuturum. Ad hæc existimamus non defuturum tempus hæc mala cogitandi, cum prope aderunt, ac interim fruendum esse ea tranquillitate, quam tempus permittit. Hoc vero potissimum fit de morte. Nemo unus mori vellet, quominus antea sedulo mortem recogitasset; at omnes supponunt, se aliquando cogitaturos, cogitandique tempus non defuturum, ac interim fallaci hac freti spe de morte minime cogitant. Dæmon non dicit amplius hominibus, quod olim progenitoribus nostris, *nequaquam moriemini*; tentatio hæc nimis esset aperta, & neminem falleret; sed illis dicit, non tam cito moriemini. Longum adhuc vitæ superesse spatium

sua-

suadet, & ita omnes ferè mortales fallit. Invenit enim in hominum cordibus quamdam facilitatem, qua sibi inani hæc spe verba dari patiuntur, optantes diutius, atque pacatius sensibilibus rebus gaudere, quibus adhærescunt. *Essais de Morale.*

Homines terrenarum rerum amore capti, spem concipiunt, se nequaquam tam cito morituros, cum nullum habeant hoc sperandi locum. Quamvis quotidianis erudiantur exemplis eorum, quos mors occupat, vel considerare nolunt, hoc ipsum sibi contingere posse, vel falso, ac temere supponunt se ex horum miserorum numero non futuros, atque ita sibi nubem efformantes, qua prohibentur videre periculum, quod omnibus sibi momentis imminet, pergunt suas sequi affectiones, quin mortis periculo deterreantur ... Pericula hæc illi contemnunt, cum ea palam videant, sed e contra nihil intentatum relinquunt, ut eorum sibi auferant intuitum. Ut hac illusione liberemur, considerent serio, satis est, vitam non minus pro nobis, quam pro aliis incertam esse, & nos iisdem obnoxios esse periculis. *Ibidem c. 4.*

Aliud est mortem cogitare veluti remotam, & proximam.

Quam funestum est sese mortis doloribus circumseptum videre, ac repente oculos iis aperire objectis, a quibus semper fuerant avocati, & conscientiam suam sceleribus onustam invenire! Qui præ cæteris mortis meditationibus vacarunt, fatentur infinitum esse discrimen, illam vel eminus, comminusve intuearis. Fortissimus quisque commovetur, ubi hoc in statu reperitur. Quinam igitur erunt tumultus infelicis animæ, quæ cum toto vitæ suæ spatio iis rebus vacaverit, unde solatium, & oblectationem percipere poterat, repente videt mortem, & quæ hanc consequuntur; judicium videlicet, & infernum. *Ibidem c. 5.*

Dolor morientis, qui relinquere cogitur ea, quæ in vita dilexit.

Quisnam concipere potest animæ mundanæ statum, quam mors ab omnibus amorum, & voluptatum ipsius objectis avellit, & quæ nihil invenit, cui innitatur? Propensio illa, quam habet ad amandum, & fruendum eo, quod amat, sine ulla comparatione acrior fit, & ardentior; attamen quidquid amat ab ea dilabitur, æternamque fugam capessit, quin ulla spes reliqua sit illius iterum possidendi. Amittit omnia, & nihil invenit. Omnia abeunt, dissipantur, evanescunt. Ut aliqua hujus rei adstruatur idea, hoc unum dici potest; terribilem esse animæ lapsum propter subtractionem rerum earum, quibus innitebatur; infinitum esse vacuum propter annihilationem rerum omnium, quibus replebatur; miserrimam esse paupertatem propter integram omnium bonorum jacturam; horribilem solitudinem esse propter separationem a qualibet unione, & societate; terribilem esse desolationem propter consolationum omnium defectum; crudelem esse lanienam propter acerbissimam omnium affectuum suorum fracturam. *Ibidem cap. 7.*

Nunc eædem, quæ in morte cogitationes habendæ sunt.

Quis noster erit status cum una, vel duæ ad vivendum supererunt horæ, atque menti nostræ occurret, post duas horas nullum mihi supererit pœnitentiæ spatium, Divinæ misericordiæ janua mihi erit interclusa? Heu! cur eædem cogitationes in præsentiarum non eamdem in nobis impressionem efficiunt? Etenim nonne semper verum est, fortasse post unius horæ spatium, fortasse post annum, post biennium, & certe post aliquem annorum numerum vitæ nostræ tempus iri absolutum? Numquid hoc fortasse, & breve hoc temporis spatium, tantam in nobis habet differentiam? Discrimen inter finitas tantum magnitudines varium est; sed finitum ad infinitum idem est semper. Igitur momentum hoc semper cum eadem fortitudine respiciendum est, sive una distet hora, sive die uno, vel pluribus annis, eædemque habendæ sunt cogitationes, quas tunc temporis habebimus. *Idem c. 10.*

Non sufficit sterilis cogitatio, vel metus mortis.

Non sufficit nobis mortem dumtaxat cogitare, sterilemque timorem concipere, quem nullus subsequatur effectus: cogitemus, quidnam tunc fecisse cuperemus; quam vitæ rationem susciperemus, si iterum nobis esset reviviscendum; quænam pietatis exercitia nobis præscriberemus, si nobis optio relinqueretur iterum tempus insumendi; judicia, quæ tunc de transacta a nobis vita ferremus, & saltem de ea, quæ nobis superest, parte disponamus secundum ea consilia, quæ tunc iniremus. *Ibidem.*

Cum voluptate contemplare oportet rapidum hunc torrentem, qui in nihilum rapit ea omnia, quæ tempori obnoxia sunt: *Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit* .... omnia prætereunt, nihil temporale subsistit. Dicamus ergo, donec cum utilitate dicere licet, omnia abeunt, ne aliquando sine fructu dicamus, omnia abierunt. *Modo fructuose dicamus, transeunt; ne tunc dicamus infructuose, transierunt:* Augustin. in Psalm. 31. Dicamus iis omnibus, quæ nobis placent, nosque palpant in mundo, ut ea contemnamus. Dicamus iis, quæ dura, ac terribilia videntur, ne ea metuamus. Quidquid ab oculis nostris evanescit, omnes mutationes, quarum testes sumus, ætates omnes, per quas traducimur, omnes vitæ nostræ partes, quæ defluunt indesinenter, in nobis jugiter hanc memoriam instaurent, omnia desinere, ac nos quoque adeo procul a nostro fine abesse, ut pro nihilo sit nobis habendum breve illud intervallum, quo ab æternitate dividimur. *Ibidem.*

Mortis cogitatio affectus nostros extinguit.

Nihil aptius est ad fallaces ideas, quas cupiditas producit, ab animo amovendas, quam cogitatio mortis, & eorum quæ illam sunt subsecutura. Affectus omnes coram hoc objecto evanescere videntur, & per hoc quidquid in nobis est rationis, luminis, fortitudinis excitari. Apertius videntur quæ facienda sunt, ac tutius, purioribusque, & ab omni humana ratione expeditioribus intentionibus adimpletur. *Ibidem.*

Da mihi auspicatissimam felicissimorum hominum vitam iis omnibus præditam bonis, quæ ejusdem fulgorem, ornatum, ac delicias efficiunt; valetudine, viribus, prosperitate, potentia, opibus, voluptate, auctoritate, sceptris, coronis. Hæc proculdubio speciosa est, at similis fragili vitro, quod potest decidere, ac in singula momenta comminui. Quamquam omnes adhibeantur curæ ad hanc vitam tuendam; illa nihilominus ex se teritur ossa, & singulis diebus ad finem accedens diu permanere non potest. Hac de causa tenuis res est, omniaque ejus bona sunt contemnenda, ut quæ æterna sunt, tantummodo habeantur in pretio. *Maimbourg Sermone pro feria quinta post quartam Quadragesima Dominicam.*

Mors præsto est, ut singulis momentis vitam nobis eripiat.

Mors quæ nobis omnia vitæ eripit bona, semper est præsto, ut in singula momenta illa nobis eripiat, quin hoc momentum sciamus; etenim omni tempore, omni in loco, ac sexcentis modis emori possumus, quod constat ex illo, quem Salvator a mortuis suscitavit, & qui erat adhuc in flore primæ adolescentiæ. Nihilominus moritur in florentissimo hoc vitæ suæ statu, cum longissime ab obitu distare videtur. Sicarius iste per sexcentos irruere aditus potest; sagittarius hic semper arcum tendit jaculando paratus, quin ictu falli umquam possit; venator hic habet retia semper disposita ad aves capiendas; & fur iste semper est præsto, ut ne opinantibus quidem surripiat. Ita Spiritus sanctus in utroque testamento hanc exprimit veritatem; quam si rite intelligeremus, vitæ hujus bona, quæ singulis momentis amittere possumus, numquam essent in causa, quod vel unicum momentum eo in statu permaneremus, quo mors nobis esset molesta. Adde his illam suum vulnus inferre uno tantum momento pro tota æternitate. Semel possumus mori; quia in omnem morimur æternitatem; nullus est reditus ad mortem, quemadmodum in vitam nullus est; ideoque primæ mortis defectus altera inchoari nequaquam corrigi possunt. *Idem.*

Mors consideranda est, ut

Hominum plerique mortem considerant tamquam perspectivæ artis umbris delineatam, quæ

proxima, non enti ut remota.

efficiunt, ut quod proximum est, remotissimum videatur. Nullus est adeo capularis senex, qui annum saltem vitæ sibi superesse non credat. Sed nos ut errore liberet, Scriptura de vita nostra loquitur tamquam de torrente, nube, vapore, umbra, somno. Non solum incessanter ad mortem currimus; sed etiam verum est dicere, incipientes vivere incipere mori: primum corporalis nostræ vitæ momentum primum esse momentum mortis; vivere non aliud esse, quam assidue mori, & mortem vocari momentum extremum, quod simul, & vitæ, & morti finem imponit. Infiniti extra ordinem casus tempus præveniunt, & hoc momentorum accelerant; anni temporum intemperies, rabidus aer, corpus, quod lapsu suo nos conterit, incendium, quod absumit, aquæ exundatio, quæ ingruit, & nos deglutit. Mors omni nos expectat in loco, omnibus temporibus, ætatibus occupat. Anima igitur in manibus semper gerenda est, ut eam Creatori, quocumque tempore exquisiverit illam, reddamus. *Ex libro P. Crasset de Consolatione contra terrores mortis.*

Mors nobis frequentissime versatur ob oculos, & illius sæpissime obliviscimur.

Mortis cogitatio adeo salubris est, ut voluerit Deus vivam illius imaginem nobis per ipsam vitam exhiberi; ea, quæ videmus, quæ audimus, quæ nobis esse debent in cibum, mortis præsentiam nobis revocare, atque seria meditatione in statum adducere, fructus inde colligendi. Accidit tamen, quod inevitabilis hæc moriendi necessitas facillime traditur oblivioni. Quod adeo verum est, ut iidem justi ut plurimum ad id animum non advertant, quamvis humilis, ac vigilantis fidei non minimus effectus sit, hanc fovere cogitationem quantumvis utilissimam, & necessariam; quod procedit ex quadam amoris proprii reliquia, quem sanctissimus, & perfectissimus quisque omnino ex corde suo nequit avellere. Heu! mors, quæ in singula momenta nobis minitatur, quamprimum nos vel in beatorum, vel in reproborum numerum debet rejicere; a quibus extremis ea tantum re separamur, quæ rerum omnium fragilissima est, videlicet vita. Nihil hac veritate verius, nihil terribilius; quantumvis intrepidos, atque imperterritos nosmet simulemus; hic tamen humanæ carnis est finis; & frustra ab hoc termino faciem avertimus; tantum enim abest, quod illum non cogitantes effugiamus, ut in dies magis accedat? Sed tanta mortalium cæcitas est, ut terribilis mortis illorum hora, sit veluti somnium: & cum de hac illis habetur sermo, cum lethargicis, vel potius mortuis res esse videatur. Ad tam magnum tonitru, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. *Idem.*

Quænam stupiditas! Agitur de maximo salutis nostræ negotio; fatale momentum rem omnem decernere debet; momentum hoc incertum est, plerique eodem occupantur. Hoc Dei filius dicit, ac omnibus dicit, qui post nos usque ad extremum judicii diem venturi sunt: vigilate, orate, estote parati, mors nil tale cogitantibus irruet. Attamen nemo recogitat, nemo hoc timet periculum, ubi de rebus omnibus, deque æternitate res est. *Gens absque consilio, & prudentia: utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent*; Deut. 32. Igitur *vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Matth. 24. & 25. *P. Nouet in Secessu præparationis ad mortem.*

Plurimi in terris sunt, qui sæpe morientes, mortuosque vident, quin semetipsos considerent, & qui vivunt quasi certi essent se numquam morituros. In aliis vivam adspiciunt imaginem eorum, quæ sibi sunt eventura; neque inde pro se aliquid inferunt. Impiorum mors quantumvis terribilis metum illis non incutit; & mors justorum, quæ in oculis Dei est pretiosa, illos ad imitandum non allicit. Quotidie morbi, ægritudines, annorum numeros, cognatorum, amicorumque jactura nos admonet, imminere mortem, ac singulis momentis eadem occupati nos posse; sed peccatum, vel terrenarum rerum amor hominibus veræ rationis adimit usum. *Ex Asceticis tractatibus Presbyteri de Sancta Martha.*

Eludimus mortis cogitationē, cum casus aliquis illam nobis excitare potest.

Mirum! Non solum mortis memoriam non revocamus, sed illam infirmare, vel eludere adnitimur, cum invitis aliquod objectum illam nobis obtrudit. Consanguinei, vel amici mors dolore nos conficit; & quin ex adeo utili monito fructum capiamus, omnem illius vim retundere conamur, nosque metipsos confirmamus rari hujus mortis causam nobis procul abesse. Adolescens ille, qui semper inter gaudia, & voluptates versabatur, & cui plena, & robusta valetudo longam annorum seriem polliceri videbatur, triduo, ad summum quatriduo in ipso ætatis flore, vegetoque corporis habitu maligna rapitur febri. Casus, quod adeo præter omnium opinionem accidit, percellit, turbat, consternit eos omnes, quibus sors eadem potest contingere. Nihil amplius requireretur ad cordis conversionem; tristis hujus eventus recordatio, similis exitus timos quoslibet, licet lætissimos, festos dies perturbaret, ac triumpharet gratia, nisi amor proprius omnia hæc conversionis consilia suffocaret. Adolescens erat, bene valens, ac robustus; at quæritur curiosius, utrum aliqua in re intemperantius sese gesserit, utrum in loco, ubi aer contagiosus est, vixerit; utrum aliquod præsenserit malum, quod ab ipso fuerit neglectum; utrum in judicio de morbo ejusdem ferendo fuerit erratum. At cur omnes istæ habentur perquisitiones? aliqua videlicet inquisitur ratio, quæ nobis animos faciat; & quia hoc in casu nequaquam nos esse speramus, illico nobismet persuademus nihil esse, quod timeamus. Omnem abjicere studemus sollicitudinem; monitum adeo salutare, inanem vocamus terrorem; & mortis hujus memoria non alium habet effectum, nisi recentem præcautionem, ut diuturnam vitam nobis comparemus. *Idem.*

Nolumus mortem cogitare, & cur.

Mortis cogitationem timemus; timemus enim effectum, quem necessario salutaris hæc cogitatio producit. Si sæpe mortem cogitaremus, non adeo mundum diligeremus, non adeo in omnem licentiam effrænes essemus; & quamprimum ad mores reformandos animum adjiceremus; quod quidem animus refugit.... Profecto si in consiliis, cæptisque mortem cogitaremus, plurima effugeremus mala, & peccata. Affectiones cum mortis cogitatione diu foveri non posse videntur. Mundi hujus gloria, opes, honores, cum per mortis umbras respiciuntur, omnem suum nitorem amittunt. Statim plurimum deperit de voluptatum illecebra, & statim mundi hujus vanitates fastidimus. Fere numquam mortis imaginem intuemur; quin meliores evadamus. At nonne hoc ipsum timetur? nonne hæc causa est, propter quam mors non cogitatur? *Idem.*

Difficile est, ne dicam impossibile cum bene mori, qui mortem numquam cogitaverit.

Numquid facile est bene mori? Semel tantum mori possumus, & citius, quam arbitramur. Fierine potest ut sancte moriatur, qui numquam cogitaverit se moriturum? At fierine potest, ut nos morituros minime cogitemus, cum omnia mortis imaginem oculis nostris objiciant? Eorum qui ad plures abierunt, historia; fumosæ majorum imagines, omnia mortis memoriam instaurant? Quanta infelicitas illi est mori, qui fere numquam mortem cogitavit! *Idem.*

Mortem non cogitamus licet sexcenta objecta illius excitent recordationem.

Bona fide quæso, si ita certi essemus numquam nos morituros, uti certi sumus non semper esse victuros, aliane vivendi ratio institueretur? Numquid ampliora conaremur? numquid magis ambitiosa desideria conciperemus? impensius triste hoc contubernium diligeremus? minusne, quam fit, cogitaremus, ut in altera vita thesauros congeremus? Mirum! Mortis cogitatio, nobis invitis, nostra perturbat solatia indesinenter admonens, maximam in terra felicitatem fulguris instar evanescere. Nihil fere alicujus momenti aggredimur, ubi nihil occurrat, a quo de morte non

aduq-

admoneamur. Pauci contractus fiunt, ubi nulla mortis mentio habeatur: hoc sibi cavere dicitur; & quidquid conamur, oportet mortis cogitationem locum invenire in eo, quod maximum vitæ solatium existimatur. In nuptialibus tabulis hæc non prætermittitur clausula, in morte, post mortem, alteruter qui fuerit superstes &c. quasi nulla necti posse societas, quin de fatali die, quo obrumpenda est, cogitaretur. In mundo maxima vitæ felicitas est, si sors ad extremum usque vitæ spatium arriserit. At in altera vita quid fiet? *Idem*.

Mors finem imponit cuilibet felicitati.

Mors momento nitidissimæ cujuslibet fortunæ splendorem extinguit. Licet potentissimus esses Terrarum Monarcha, mortalium abjectissimo te mors exæquat. Non timeris amplius; tui minor adhuc habetur ratio; cadaver tuum omnes horrent; sortem tuam miserentur; aulici, domestici, subditi, omnes alteri parent Domino. Quot magni Principes in æterna oblivione sepulti! At sanctus es? Mors meritis recentem addit nitorem; licet minimus esses e plebe, licet in caligine, ac egestate dies tuos traduxisses, licet in xenodochio, vel in captivitate spiritum efflasses, populi, Magistratus, Principes, Reges, Imperatores ad Sancti pedes prosternuntur; omnesque Mundi dignitates coram pretiosis Sancti viri lipsanis evanescunt. Ita serius, ocyus virtus debito honore non fraudatur. *Idem*.

De mortis certitudine.

Certum est nos morituros. Palatia ædificemus, omnes vitæ voluptates gustemus, omnes terras nominis nostri gloria repleamus, omnia in morte desinunt. Sumus inter duos mondos; primum post terga relinquimus, alter nos agit ante se. Patres nostri mortui sunt, nos quoque ut illi moriemur. Numquid cum aliquo paciscitur mors? sinit se vinci adolescentum viribus, aut senum precibus flecti? Omnis ætas, omnes tempus moriendo idoneum est. Cogitatio hæc veros occupat Christianos; at ii, qui nomine tenus christiani sunt, id non considerant. Qui eos videret adeo longe sua desideria proferre, tantaque opum congerendarum inire consilia, nonne eos immortales esse putaret? Attamen exiguus hic dierum vitæ nostræ durationem componentium numerus sensim desuit; quodlibet momentum partem nostrum metipsorum avellit; ad præstitutum terminum pervenimus: omnis illecebra desinit, & quidquid nos fascinat, evanescit nobiscum. *Ex Morali Dictionario sermone primo de Morte*.

Mortis cogitationem quantum possumus, avertimus, ac nosmet ipsos decipere gaudemus.

Mirum! licet persuasum sit, aliquando nos morituros, amor proprius fatalem hanc habet artem a nobis extremum hoc amovendi momentum, vel illius cogitationem avertendi. Amor hic proprius prohibere non potest, quo minus credamus, vitam hanc desituram; sed adeo remotos illi terminos statuit, ut nonnisi post multorum annorum spatium sit cum morte commutanda. Facere non potest quin credamus, quo magis ætate provehimur, eo magis ad stadii hujus finem properare; verum admititur persuadere, adhuc vis e carceribus emissos nos esse ... Hinc fit, quod vivimus, perinde ac incerta mortis hora quodammodo dubiam mortem efficeret. Quin aliquam vitæ nostræ actionem efficiamus, quasi illius esset postrema, & hac peracta nobis esset moriendum, nostra dumtaxat sequimur studia, reliqua vero in futurum rejicimus, quod quantum fieri potest a cogitatione amovetur. *Idem*.

Contra divites, & nobiles suæ mortalitatis oblitos.

Judices terræ non semper in subselliis, ac Tribunalibus sedebitis; non semper videbitis eos, qui coram vobis lite agunt, anxie felicem, vel infelicem litis suæ exitum præstolantes. Adveniet dies, quo fastus hic, quo septi estis, vos deseret, non alias ædes habebitis, quam sepulcrum, non alia stipari eritis corona, quam vermibus, non aliam sedem invenietis, quam sex terræ pedes, cum interim immites divinæ justitiæ ministri vos indesinenter torquebunt, si vestra auctoritate abusi fueritis. Sæculi divites non semper affluentibus hisce deliciis perfruemini; quamprimum ex manibus vestris elabentur divitiæ. Ex universa hac magnificentia, quæ vos supra tot miseros evehit, unicum vobis supererit sudarium, quo cadaver obvolvatur, cum interim fortasse bona vestra ad ingratos hæredes migrabunt, qui vestri ne meminerint quidem. Politici hujus mundi in præsentibus adeo perspicaces, & adeo cæci in futuris, non cogitatis amarissimam, sed inutilem pœnitentiam, qua torquebimini, eo quod abusi fueritis ingenio vestro; quod sapiens consilium existimastis id, quod imperia confirmare poterat, vel evertere; quod non vidistis ea, quæ vobis proxima, interna, & domestica erant, ex quibus felix, vel infelix æternitas vestra pendebat. Fortunæ mancipia, qui turpi servitute in Principum clientelam confugitis, similes mihi videmini pueris in arena ædificantibus; quamprimum nutantia hæc vestræ vanitatis opera labi, everique videbitis. Martyres impuræ libidinis, qui sexcentis torquemini curis, ut alicui creaturæ placeatis, vestros labores, vestramque sollicitudinem irridenti, hoc idolum, quod insane colitis, ex se corruet, & confringetur; forma hæc, quam deperitis, suas amittet illecebras, & mors eam ita deformabit, ut oculi vestri spectaculum turpe sustinere non valeant .... Adolescentulæ, quæ in mundo nitescere incipitis, non eritis semper in cœtibus deliciæ; pulchritudo hæc deflorescet, & si, ut olim filiæ Jerusalem, elato nunc incediitis capite, ac templorum instar ornatæ, quamprimum eritis objecta non oblivionis tantum, verum etiam horroris iis, qui vobis blandiuntur, atque habent in pretio. *Idem*.

In morte rerum terrenarum agnoscitur vanitas.

Tunc inane illud phantasma, quo tot alii, & fortasse nos ipsi quoque decepti fuimus, evanescet. Antea quidem fallaci fulgore miseros fortasse fallebat, sed in morte propius illius turpitudo, ac fœditas deprehenditur, S. Eucherius inquit. Antea nos seducere adnitebatur eo nitore, qui aliquid reale videbatur habere: *Prius seducere vero cogitabat fulgore*, tunc vero ne poteris quidem nobis imponere fallaci voluptatum specie: *Jam non vales falsa ostentatione corrumpere*. Antea mundus hic nullum habebat solidum bonum, tunc vero, & fragilissimum quodvis illi deerit: *Solidi bonis carebat; etiam deficit caducis. Idem*.

Peccatoris in morte tumultus.

Pharao præ cæteris turbatus, ac perterritus maxime fuit, cum undequaque Erithræi maris fluctibus una cum exercitu involutum se vidit. Immensa illa aquarum copia, in quam sese temere implicuerat, illi summum terrorem incussit: voluisset retro sese recipere, sed mare viam intercluserat; voluisset litus arripere, & suæ saluti consulere, licet toto hæc sibi stetisset imperio; sed jacta erat alea, eique necessario fuit intereundum. Exemplum hoc ad vivum nobis exhibet, quomodo peccator in morte affectus sit. Molestæ quædam cogitationes, funestique casus per intervalla ipsius requiem turbabant; verum sexcentis solatiis tumultibus suis tranquillitatem studebat afferre. At in morte longe aliter accidit; Divinæ justitiæ fluctus irruunt in illum, eumque involvunt. Vellet pœnitentiam agere, sed pœnitentiæ aditus est interclusus. Vellet vitam sobriam, castam, in paupertate, & pœnitentia duxisse: sed cum illo inutilia hæc pereunt desideria. *Dictionarium Morale in Moralibus Considerationibus de morte*.

Mors humilitatem nos docet.

Undenam viri nobiles humilitatem melius percipere possent, quam ex mortis meditatione, cui natura nos omnes ex æquo subjecit? Æquo pulsare pede pauperum tabernas, regumque turres; eadem ingesta humo, & divitum nitorem, & pauperum squalorem contegere; istic eumdem tribuere finem & superborum prosperis, & humilium rebus adversis, neutrorumque aliquod vestigium relinquere; hoc nonne idem est ac in Principum virorum auriculam succlamare; vide quid facias; namque morieris; utere bene sorte tua, ne in te Deus suam justitiam exerceat: terra, quam

audacter calcas ; te obruet ; divitiæ , & paupertas pari gradu in nihilum currunt , time ne terrena hæc felicitas tua in æternum tibi cedat infortunium ... Mors neque honores , neque dignitates, neque opes, neque talenta veretur . Quænam humiliatio superbis hominibus , qui morientes sese æquatos vident abjectissimis , quos superbe, & non sine indignatione ferebant ? Hoc magnum est libramentum , quo prohibetur homo , ne ob talenta, & merita , quæ sibi adesse arbitratur, intumescat . Frustra aliquis magnis actionibus , eximiisque operibus nominis immortalitatem studet acquirere . Tempus omnia vorat ; nomina in marmore, & ære insculpta delet. Sed licet adhuc ejus fama diu vigeret , numquid magna mortuo consolatio est , a viventibus prædicari ? Quid prosunt homini magnifici tituli , & nomen apud posteros celebratum , cum interim cadaver quidem in tumulo computrescit , anima vero non aliam habet, quam dæmonum hæreditatem ? Attamen illi nihil post mortem superest , quam inanis hæc gloria , *Auctor Anonymus*.

Mors esse debere, ut cogitemus quod sumus , & quod erimus.

Quandoquidem mors adeo terribilis est , sæpe illam recogitare debemus, ut eadem tamquam præsentissimo contra peccatum antidoto utamur . Certum est , affectus coram hoc objecto non audere caput attollere , ipsumque excitare quidquid rationis , luminis , ac vis inest animæ , ut aliquod salutare inquirat remedium iis malis , quæ mortem subsequi possunt . Hic enim Dei effulget potentia , & infiniti hujus Entis metus incipit agnosci . Quemadmodum enim principis potestas numquam magis terribilis videtur , quam cum hominem ex populi fæce eductum , insignique aliqua dignitate decoratum , rursus in pristinam dejicit vilitatem simplici immutatione voluntatis : Dei potestatem numquam apertius intelligit homo , quam cum ab illo ex terræ sinu eductus , animaque rationali præditus , qua a cæteris creatis rebus distinguitur, illam audit sententiam: *Pulvis es, & in pulverem reverteris* . Daniel cinere usus est , ut ostenderet vanitatem numinum , quæ a Chaldæis adorabantur . Nostrorum sepulcrorum cinis palam ostendit vanitatem bonorum, quæ tamquam idola colimus, ac docet , alia in cœlo esse objecta , circa quæ amor noster debet versari . Si ambitiosus Princeps sæpe cogitaret , servum suum æque ac se vivere , ejusque cineres quam primum cum suis eodem in sepulcro esse permiscendos , neque ab illo distingui posse , nisi felici morte ; ille ne superbas adeo suæ potentiæ , ac nobilitatis ideas foveret ? *Idem*.

Vigilandum est , ne incautos nos occupet mors.

Nulla veritas est sæpius in Evangelio reperita , apertius indicata , validius probata , quam inexpectatus hic mortis adventus . Ut illum melius intelligamus , a Jesu Christo aliis , aliisque modis effertur. Hunc primum apertissimis explicat verbis, cum non ait solum mortem venturam , sed addit aliquid ulterius dicens ea venturam hora , qua minus existimabimus ; *Qua hora non putatis* , Luc. 12. *Qua nescitis hora* , Matth. 24. ita ut inopinatum mortis adventum quodammodo fidei articulum vocare possimus . Præterea veritatem hanc magis ob oculos ponit variis usus similitudinibus , dicens illam furis instar venturam omnem industriam suam in hoc collocantis , ut eos , quibus suffuraturus est , incautos decipiat ; atque non pleno die , cum homines vigilare , sibique cavere putat, sed concubia nocte advenientis , cum illos alto demersos somno in utramque aurem stertere existimat. *P. Bourdalove*.

Omnia in morte mutabuntur.

Si peccatorum conditio in terra exultantium semper esset duratura , nihil eadem esset utilius ; & si illa justorum, qui opprimuntur, nullum esset finem habitura , nihil esset calamitosius . Verum ubi cogitamus hæc omnia adeo brevi mansura , in morte generalem eventuram rerum omnium subversionem , quæ omnem universorum faciem immutabit; omnes hoscce magnificos , superbosque titulos , sub quorum nitore humana imbecillitas se contegere studet , locum cessuros titulo mortalium , quo delebuntur universi ; omnes hasce chimericas distinctiones , quas humana invexit superbia , ut alii aliis præfulgerent , ad sepulcra , epigraphes, & epitaphia redigi ; ex tot opibus, hæreditatibus , prædiis , nihil præter sex terræ pedes nobis mansurum ; ex omnibus hisce voluptatibus , solatiis , deliciis , nihil reliquum nobis futurum præter inutilem pœnitentiam ejus vitæ , quæ integra salutis nostræ operi erat impendenda , in nugis illis insumptæ : & ex iis , quæ fecerimus, nihil nobis profuturum , quam virtutem , quæ abjectissimum quemlibet ex ima plebe hominem supra illos collocat , qui in peccato ad plures abierint : cum inquam hæc cogitamus , mundus nihil videtur : illius bona , & mala nullo in discrimine habentur : tranquilla facie omnes vitæ hujus mutationes , inversionesque spectantur. Hæc omnia cum mortis cogitatione collata ineptiæ , nugæque pueriles videntur . *Specimina sermonum pro decima quinta post Pentecosten Dominica*.

De inevitabili mortis necessitate.

Quibuscumque utamur artibus ad mortis cogitationem semovendam , illa semper tamen accedit ; ejusque amoventes imaginem , fatale ejusdem momentum minime avertimus . Pernix momentorum series sibimet invicem succedentium indesinenter nos impellit ad tumulum ; humanarum rerum torrens defluit , & secum rapit obvium quodlibet . Itaque interest nostra sedulo nosmet ad inevitabilem hunc transitum præparare , atque inter nostra peccata , & mortem pœnitentiæ intervallum statuere , Quid sumus nisi congeries infelix qualitatum contrariarum ex ipsa nativitate ? Ita necesse est , ut contrariarum qualitatum pugnam subjecti destructio sequatur . Vivere non possumus , quin alimentis utamur , neque his uti , quin corpus mutetur ; quæ mutatio sensim mortem producit. Omnia vitæ nostræ momenta nihil aliud sunt , quam mors assidua ; singula eorum secum vitæ nostræ partem rapiunt non ultra rediturum . Expiramus eodem pacto , quo respiramus ; extremus flatus , quo nostra extinguitur vita , non differt ab illis , quibus alitur . Sentimus etiam virium nostrarum diminutionem , & ex subitis temperamenti nostri revolutionibus , tamquam mortis oppugnationibus , quæ efficiunt , ut illam in antecessum experiamur , facile conjectare possumus futurum , ut paulo gravior febris , ac magis intensus dolor ad sepulcrum nos adigant , cum ea , quæ patimur , mala aperte nobis vim faciunt . *Specimina sermonum pro Adventu*.

Avari divitis in morte relinquentis.

Siccine separas amara mors ? 1. Reg. cap. 15. Sine dolore non potest relinqui quod magni fit ; cumque omnia hujus mundi bona ab hoc homine maximi fiant , morte hæc illi auferente , gravissimis doloribus excruciatur . Fingite vobis hominem divitem, potentem, in lectulo positum , cui tandem post sexcentas ambages mortis grave nuntiatur periculum . Mihi videntur omnia tunc animo illius occurrere bona , honores , voluptates . Me miserum ! Relinquenda ergo est hæc persona, hæc dignitas, hæc domus , hæ divitiæ : *Siccine separas amara mors* ? Aliquis illum hortatur , ut ultimas tabulas scribat ? quonam ictu fulmineo percutitur! Amicissimus sibi , quem unum diligit , petit , ut sibi aliquid leget ? quo fremitu , quo tremore hoc profert verbum : *lego* . Quam grave hoc verbum est illi , qui opibus tantum congerendis vacabat ! *Lego* . Quam differt hic sermo ab eo , quo antea uti consueverat, dicens incessanter : *Affer* , *Affer* ! O te miserum! Invitus dicis : *lego* . Si rapere, & auferre posses , auferres ; hæc ideo relinquis , quia te mors adigit ; tu pluris ea facis , quam antea , & hic dolor tuus est , hæc pœnitentia. Quomodo autem hunc in mortem dolorem effugere valeatis , adeste. Flocci facite hæc terrena , plurimi vero cœlestia. Tunc haud ægre dicetis : *lego*. Haud gravare relinquitur , quod flocci penditur ; & libenter exiguum bonum relinquitur , cum longe majus potest

possi-de-

possideri: *Specimina sermonum pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Si mortem cogitamus, non credimus nos brevi morituros.

Moriendum est, omnes uno ore fatentur; sed quamprimum moriendum est, hoc nemo fateri vult; immo sibi oppositum vult persuadere, perinde ac mortem remotam esse existimans eamdem removeret. Profecto cum vita sit brevis, quæ quotidiana est hominum querela, mors remota esse non potest: attamen illam semper tamquam procul sepositam intuemur, quod efficit, ne tantam in animis nostris vim habeat. Adolescens in sua confidit adolescentia, ætate provectior in robore, & viribus; senex in valetudine optima; & singuli putant se rationes habere vivendi, eaque contra mortem subsidia, quæ in aliis desiderantur. O insanam hominum illusionem! O mentes cœcas! *Pater Nepveu, Tomo primo Christianarum Considerationum.*

In morte sententia immutatur.

In morte homo de rebus sanum ferre incipiet judicium: *O mors! bonum est judicium tuum.* Cum cogitabit tempus vitæ quantumvis diuturnæ, beatæque transiisse, ideoque sibi idem esse ac si numquam fuisset; cum lumina æternitatis, in quam momento ingressurus est, immensum illud aperientia discrimen inter ea, quæ æterna, & infinita sunt, & ea quæ temporalia, & finita, tandem illam eludent illecebram, qua hactenus ille fascinatus fuit; dissipatisque ex oculis ejus iis bonis, quibus fuerat deceptus, simul & horum nihilum, & ipsius dementiam ostendent eo quod temporalia bona æternis prætulerit; quinam illius sensus erunt cæcitatem suam intelligentis? At qui nunc sensus vestri sunt? *Idem Tomo 3.*

Omnes actiones hunc sibi praeponere debent finem, bonā videlicet mortem.

Quemadmodum omnes in circulo lineæ ad illud punctum collimant, quod centrum vocatur, ita actiones omnes, desideria, consilia hominis ad illud temporis punctum, ad illud fatale mortis momentum tendere opus est, a quo pendet æternitas. Nihil prætermittendum est, ut eo tempore in gratia, & Dei amicitia inveniamur; nam quamvis bonorum omnium, valetudinis, quietis, honoris jacturam fecissem, quamvis malis omnibus obrutus essem, si mortis momento Dei gratiam invenior possidere, quid mihi omnia illa officere possunt? Unicum hoc momentum omnia resarcit, omnia reparat detrimenta. Quamvis omnia possedissem bona, omnibus gavisus fuissem voluptatibus, & honoribus, quamvis mortalium omnium beatissimus fuissem; si eo temporis puncto peccati labe pollutus inveniar, quid mihi illa prosunt? Omnia perdidi; actum jam est de me in omnem æternitatem. Unicum hoc momentum omnia destruit. Nihil igitur hoc in mundo est quod agam, nisi ut momenti illius diligentissimam curam geram, ac illud tutum, certumque faciam: cæterum igitur oblivisci volo, ut in hoc unum omnes industriæ, & ætatis meæ nervos intendam. *Idem.*

Vigilandū est, ne incautos mors occupet.

Nulla veritas est, quam animis nostris impensius Salvator imprimere studuerit, quia quid inde consecuturum erat, intelligebat. Illam conceptis, explicitis, iteratisque verbis nobis aperuit; nec non comparationibus, parabolis, & exemplis iterum iterumque explanavit. Aliquidne ultra efficere poterat, ut vigilare, ac nobismetipsis sedulo cavere cogeret? Nos ideo terret, ut tutos faciat; minitatur se nos incautos occupaturum, ne occupemur; atque ut ea evitemus funesta mala, quæ satis intelligere non possumus, & quæ nobis imminet, si morte occupamur. Nostram videt cæcitatem, eamque miseratus nihil reliquum facit, ut nos illuminet. Væ nobis, si tot luminibus oculos claudimus. Nostrum videt soporem; & omnibus hisce minis nos excitare desiderat. *Idem.*

De mortis desiderio.

Natura necessarium nobis inspirat felicitatis desiderium. Fides docet, in cœlo tantum nos assecuturos perfectam hanc beatitudinem, possidentes Deum, eademque fruentes, qua ipse fruitur, felicitate, videlicet æterna, universali, infinita. Ratio persuadet, beatitudinem hanc nonnisi per mortem posse obtineri; & nihilominus quin illam ardenter optemus, tamquam malorum omnium maximum formidamus. Ad solum illius adspectum totis artubus contremiscimus; neque de ea sermonem audire possumus, quin trepidemus. Quænam in sensibus nostris contradictio! Quænam in votis oppositio! Ad supremum pervenire bonum contendimus, & viam, qua unice ad illud aditus patet, ingredi nolumus? Vel fidem, vel sententiam mutemus. Vel cesset felicitatis cupiditas, vel cesset mortis, quæ una beatos efficere potest, formido .... Possumusne mortem non expetere, qua & in eum statum, ubi Deum lædere nequimus, & in felicem ejusdem amandi necessitatem adducimur? *Idem Tom. 4.*

Mors nobis ostendit curas laboresque plurimorū mortaliū inutiles esse.

Si mors certa est, & inevitabilis, qualis re ipsa est; quonam, auditores, tot curæ, laboresque vestri tendunt? Cur tot prælia, lites, jurgia pro terræ puncto; quandoquidem aliquando moriendum est? Vetus quidam Sapiens olim mortales exprobrabat, quod ædificarent quasi numquam morituri. Heu! nonne hoc ipsum vos facitis? Semper cupientes, semper locupletantes, semper divitias divitiis aggerentes. Heu! tam pauca homini sufficiunt; vos autem insatiabiles estis; concupiscentia vestra nullis finibus continetur. Vestra conquiritis commoda; parum est: rerum omnium affluentia frui vultis; at nondum satis est: copiam amatis, nihilque famem hanc potest explere. Verum esto, si rebus istis semper essetis perfruituri: sed si aliquando moriendum est; si hæc omnia sunt relinquenda, nonne rediculum est ædificare, ubi permansuri non estis, bona congerere, quibus non estis usuri, quin cogitetis, qui de vobis sit in omnem æternitatem futurum? Quæ dementia velle ad modicum tempus beatos esse, quin illud quæratis, ne in æternum miseri sitis? *P. Delingendes in quodam ex sermonibus de Morte.*

Quid mors in corporibus facit.

Si umquam attentius considerastis eam, quam diuturna, ac brumalis hyems in hortis, agrisque gignit, vastitatem, quin ibi fructum, florem, foliumque relinquat; hoc ipsum præter propter in hominis corpore mors facit. Si vidistis urbem a victoribus igni, ferroque vastatam, eversa mœnia, ædes ab ipsis fundamentis convulsas; hic, illic laborantes parietes, ac mutorum ruinas, quin judicium inde ferre possit, quid olim fuerint; obstructas vias, impeditasque ruderum, cæmentorumque congerie, humum egestam, saxa hac illac projecta, tectaque cum fundamentis permista; hæc ferme est corporis imago, quod morte direptum, & consumptum est. Illud intrinsecus, & extrinsecus considerate; nulla est partium œconomia, nullus decor, non color, non actio, non motus: oculi non vident amplius, aures non audiunt; manus, pedes, lingua non moventur, non palpitat cor. Nullum est amplius discrimen inter corpus hoc, & simulactum, nisi quod illud oculi ferre non possunt, ac statim contabescens in cinerem, pulveremque redigitur. Ecce quo tendit universa hæc hominum superbia, omnis pompa, & nitor, quem tantopere admiramur. *Idem.*

Illico a nativitate incipimus mori.

Ex ipso temporis momento, quo vivere, mori etiam incipimus; statim enim ac effluxit momentum, quod in lucem nos edidit, hoc, cum non amplius futurum sit, jam in mortis jura concessit. Quamvis mors, & vita invicem adversentur, ita tamen arcte invicem conjuncta sunt, ut utriusque idem sit cursus; & ne uno quidem momento invicem valeant separari. Non secus ac arena, quæ in clepsydra extremo labitur, horam non constituit, sed horæ finem indigitat; ita extremum vitæ suspirium, in quo mortem reperimus, non efficit, ut hæc oriatur, sed illam cum ipsa vita duntaxat absolvit. Ad hæc si in otio vivere, vivere non est, & multo magis si in vitio vivere, mori

mori est; quisnam gloriari potest, se integrum in hoc mundo annum vivere, cujus partem in otio, alteram vero in scelere insumit; & quid tandem in morte a nobis pro Deo factum inveniemus? Multi pluribus annis in terra permanent; at non inde sequitur, illos diu vixisse, vetus quidam ait; & ut christiane loquamur, aliud est vivere, & aliud videre labi tempus homini concessum, ut salutem suam operetur, & mereatur æternitatem. *Cardinalis de Richelieu in perfectione Christiani.*

Ad quid præesse debeat mortis timor.

In morte magis formidanda non est illius subeundæ, sed prævertendæ, metuendæque necessitas. Quod illam præcedit, magis terribile est, quam quod illam comitatur, ejusque dolores minus periculosi sunt, quam metus. Et ratio constat. Hi enim metus, cum nimis violenti sunt, morientium rationem perturbant, constantiam prosternunt, prohibentque, ne sese præparent morti ea tranquillitate, quæ ad illam superandam est necessaria. Verum ea in occasione Christianismi spiritus, & bona conscientia quid agit? Morienti quamdam constantiam, animæque magnitudinem inspirat, a Philosophorum superbia, militumque furore abhorrentem; quæ efficit, ut duplici obtutu mortem intueatur, quorum altero omnes videt illius metuendæ rationes, altero vero illa considerat, quæ eamdam leniorem efficere possunt: *Hoc cogitet Christianus, ut totam mortis possit despicere, & calcare formidinem;* Sanctus Petrus Chrysologus inquit. Si mortem solam respexeritis, excitabit illa quidem in vobis tumultus saluti vestræ periculosos; sed Christianus ratione simul utatur, & fide, ut videat quas habeat sperandi causas, ut hoc pacto mortis vincat pavorem. *Biroat in Funebri quadam oratione.*

Quandoquidem corpora nostra in pulverem sunt redigenda inutile est illa in deliciis versari.

Hos sensus illi voverunt, qui vere conversi sunt; tandem enim, dicebant, cur indulgendum est corpori quod jam morte damnatum est? Postquam sonti capitis sententia annuntiata est, non est cur tempus teratur, eidem exquisitas epulas instruendo. Si quod temporis intervallum restat adhuc inter sententiæ pronuntiationem, ejusdemque executionem, necessarium illi dumtaxat suppeditatur, ne supplicii sui viribus cedat, atque ut alioquin tempus habeat, quo cogitet mortem. Quid autem est corpus nostrum? Sons est, in quem jam lata est mortis sententia, & qui a divina justitia damnatus est. Dilata quidem in tempus est hujus sententiæ executio, verum aliquando est exequenda. Non est ergo, cur in deliciis habeatur, & adeo delicate nutriatur: sufficit necessarium illi præbere, ut solum servetur, eique tempus relinquere quo de morte sua cogitet. *P. Bourdaloue, sermone pro feria quarta Cinerum.*

In mortis cogitatione quid metuendum sit.

Verum est homines præoccupari, ac decipi, cum perterrentur ideis derelictionis, necessitatis, solitudinis, destructionis, quæ mortis ideam concomitantur. At certum est tunc minime decipi, cum timent Judicium Dei, quod mortem subsequitur; quippe certum est, judicium hoc non nisi terribile esse posse conscientiæ, quæ sceleribus se onustam agnoscit; quis autem in hoc statu se non inveniat, dummodo oculos, vel obiter, in retro actam vitam conjiciat? Verum est, formidabile videri hoc momentum, a quo tota pendet æternitas; at in hoc etiam humanum cor sese variis illusionibus fallit. Putat mortis momentum esse æternæ vitæ pretium, & non videt non hoc momentum, sed totum vitæ spatium a Deo peti; momentum hoc per se nihil habere præ aliis, quod acceptius sit Deo; totamque rem in eo simpliciter verti, quod postremum est; ac tandem justitiam Dei non irritari hoc uno momento, sed toto temporis spatio, quod in impœnitentia traductum est. *Auctor Anonymus.*

De mortis oblivione.

Scio equidem neminem negare, sibi moriendum, verum nescio utrum aliquis serio se dicat moriturum. Nam quamvis duo isti termini arcto invicem vinculo connectantur, nemo illos conjungere vult; & si quis illos considerat, alterum ab altero sejungit; mortem considerat sine se; vel se sine morte considerat; ac refugit se ipsum cum mortis idea simul connectere. Nihil in mundo infrequentius, vel cordi nostro acerbius est, quam duarum harum idearum in nostra imaginatione conjunctio. *Idem.*

Quo loco, quo tempore, quo mortis genere nobis obeundum sit, ignoramus; at dubitare non possumus nos indesinenter ad vitæ nostræ finem accedere, & in dies magis fieri morti propiores. Attamen quin nostræ morti vacemus, nihil intentatum relinquimus, ut ejus imaginem procul arceamus: quin nosmet eidem præparemus, quemadmodum nullum illius statum tempus cognoscimus, ita conamur, ne vaga hæc mortis cogitatio nobis metum incutiat. Hinc accidit, Sapiens ait, quod *sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit;* Eccles. 9. hoc est sicuti pisces capiuntur, cum in aquis, & aves, cum in aere ludunt; ita homines morte occupari, cum id minus arbitrantur. Incessanter hæc cogitemus, Seneca de Brev. vitæ ait, ut ideam mortis familiarem habeamus, ne horribilis nobis videatur, cum repente sese nostris oculis offeret; sed præsertim totum vitæ nostræ tempus impendamus, ut mori discamus, *Tota vita discendum est mori. Abbas de Monmorel Homil. in Evangelium Quinquagesima.*

Variis artibus cogitationê a mortis propinquitate conantur avertere.

Frustra Mundi Salvator nos vigilare jubet, monens se fulguris instar venturum, cum minus id cogitabimus, atque veluti furem inexpectato accessurum. Frustra quotidie videmus amicos, consanguineos, finitimos in ipso adolescentiæ flore, vel in ipso ætatis robore raptos; aliquam semper nanciscimur rationem nosmet confirmandi, ac celeriter delendi impressionem, quam in nobis licet invitis mors hujusmodi facit. Ille, dicimus, valetudinarius erat; hic salutis suæ curam nullam gerebat; illi nullam in tempore allatam opem; hunc pharmacia importuna propinatis enecatum: quasi eadem pericula & nobis metuenda non essent. *Idem in Dominica decimaquinta post Pentecosten.*

De mortis oblivione.

Mortis oblivio, quam mortales testantur, incredibilis esset, nisi nos, qui eam cum dolore in aliis cognoscimus, aliis justam præberemus occasionem eamdem in nobismetipsis animadvertendi. Quomodonam fieri potest, ut adeo parum meminerimus ejus termini, ad quem currimus; ejus metæ, ad quam indesinenti motu advolamus; finis ejus stadii, quod ingressi sumus, ut illud conficeremus? Quænam esset nostra de illo sententia, qui iter suscipit, qui a suscepto itinere numquam desistit, qui a via non divertit, & nihilominus haud cogitat, quo vadit? Interim socii illius evanescunt, quia ante ipsum perveniunt; eos magnis subsequitur passibus, eorumque legit vestigia; & necesse est, ut ad eumdem finem feratur. Attamen licet semper moveatur, numquam de suo itinere, neque de itineris termino cogitat magis, quam nisi progrederetur ad eum perventurus. *Liber, cui titulus; Animadversiones in quædam Ethica, & Religionis argumenta.*

Si ad examen revocarentur causæ, rationes, circumstantiæ adeo insanæ oblivionis, mira profecto formidinis argumenta detegerentur. Hæc autem duobus verbis complecti posse mihi videntur. Mortis obliviscimur, quamvis mortales simus, quamvis anni nostri pernicissime defluant, quamvis super amicorum, & cognatorum tumulos lacrymas effundamus, quamvis quotidie oculis nostris spectaculum accidat cadaverum, quæ efferuntur; quamvis omnes infirmitates nostræ, qua virium imbecillitate, qua dolore nos moneant, brevi ad plures esse abeundum. Hoc indicio est, nos vivere perinde ac si vel partes, quibus consta-

constamus, semper essent victuræ, vel essent in æternum morituræ; quarum rerum utra in causa sit, ne vitæ brevitatem videamus, & mortem cogitemus; nonne æque miseri sumus? nonne deflenda nostra conditio est? Quo tendimus? Quisnam erit itineris exitus? *Idem*.

Quæcumque in hac vita facimus ad bene moriendum tendere debent.

Moritur homo: vixit, ut moreretur; bene vivendum illi fuit, ut bene moreretur. Moriens reliquit opera omnigenæ eruditionis referta, opimos agros, quos emit, ingentem auri vim, quam collegit. Si labores illius non fuere apparatus ad sanctam mortem, suo moritur periculo, & vitam insumpsit, quin propriæ saluti consuleret. Fatale æternæ sortis nostræ punctum mortis momentum est; quidquid sit, nemo, nisi nosmetipsi, illud beatum efficere potest. Pro aliis vitam insumere, ac nihil facere pro immutabili fato, quod nos in morte manet, & quod a vita nostra pendet, quid de illius vita, & morte cogitandum est, ubi illuc accesserit? *Nemo alii nascitur, moriturus sibi*; Tertullianus ait. *Idem*.

Æterna sors nostra pendet ab eo statu in quo erimus in mortis articulo.

Sors nostra pendebit ab eo, in quo tunc erimus statu; id quod fuimus, & quod hodie sumus, nihil de statu nostri æternitate constituet. Bene incipere possumus, bene prosequi; sed postea possumus a recta virtutis via aberrare, ac nequissimo fine vitam absolvere. Verum est igitur, quod si salvari cupimus, omnes cogitationes, sollicitudines, curæ, omniumque vitæ nostræ momentorum consilia extremum illud mortis momentum respicere debent. Scio equidem nullis nos meritis confidere posse, ut ab omni periculo credamur immunes, & quantum salus nostra speranda est, tantum interitum esse metuendum. Scio pretiosissimum perseverantiæ donum uni divinæ misericordiæ acceptum referendum esse; sed nobis licet, immo sperare jubemur. Res in eo vertitur, ut ita vitam instituamus, ut quamvis semper incerti, possimus tamen bonam nobismet mortem polliceri. *Idem*.

Quid considerandū in hoc, quod mors omnes nos pares facit.

Semper audimus, omnes per mortem æquari; sed hujus sententiæ spiritum assequi negligimus. Satis est animo concipere imaginem cadaverum, quæ præterpropter æque horrida sunt, propter tabum, atque putredinem, qua suffunduntur; carnium, quæ dissolvuntur in lutum; membrorum, quæ pristinam elegantiam, ac formam amittunt; cavitatum, quæ recedunt, & vermibus aliisque insectis aditum aperiunt; putoris non ferendi, donec tandem pulvis omnino similis cadavera hæc prorsus confundat. Hujusmodi imago ostendit quidem post mortem distinctionem illam, quæ inter vivos fuit, non amplius futuram. At necessarium ad nostram doctrinam foret, eam intelligere rationem, propter quam post obitum nostrum tanta æqualitas tantæ inæqualitati succedit. Rationem hanc illo axiomate possumus explicare, naturalia videlicet omnia in suum reverti principium. Pulvis fuimus, & redimus in pulverem. *Idem*.

Mors ex animo delet nomen ipsum, & memoriā virorum præstantissimorum.

Satis experientia nos docet, eodem cippo, quo demortui cadaver contegitur, nomen quoque, & memoriam ejusdem obrui. Quid modo superest de Victoribus, terrarumque domitoribus, quorum nomine olim universus orbis personuit? Quamvis præliis, ac victoriis nomen suum æternitati commendare studuerint, quamvis superbarum urbium, oppidorumque eversione gloriam sibi comparare contenderint, quamvis etiam magnifica sibi extrui jusserint mausolæa, quid reliquum superest? *Periit memoria eorum cum sonitu*. Memoria eorum cum funebri pompa evanuit; tempus solo æquavit superba monumenta, quæ extulerat vanitas; eos sub immanium ædificiorum pondere, ac ruinis obruit, nobisque & cinerum, & loci, ubi locati fuerant, abstulit cognitionem. *De la Volpilliere, sermone de S. Benedicto.*

Sapiens testatur, nomen peccatoris eamdem, ac illius corpus sortem habiturum; si hoc in cineres, illud quoque in fumum abiturum; si putredo corpus illius nostris abstulit oculis, nomen quoque ex memoria nostra per horrorem esse expungendum. Hac de causa S. Chrysostomus, postquam dixisset Alexandri corpus non inveniri amplius, addit, neque posse diem mortis ejus assignari. Adeo exiguam in Regis illius obitu jacturam passus est mundus, ut scire non laboraverit, quonam die e vivis excesserit. Victoriæ illius adeo exigui momenti habitæ sunt, ut propter illas nullum universalis lætitiæ signum editum fuerit; ita ut jure dixerit Sapiens futurum, ut impiorum gloria, & nomen cum eorum corporibus computrescat: *Nomen impiorum putrescit*. Psalm. 10. *Idem*.

Mors est pœna peccati &c.

Respicere non potestis hominem eo in statu, in quem mors ipsum redegit, quin statim peccatum illius vobis occurrat. Sepulcrum supponit scelus: *Stipendia peccati mors*. Ad Rom. 6. Ideoque mansio illa nonnisi turpis habenda est. Ad hæc sepulcrum considerandum est, veluti patibulum, ubi in nos lata sententia adimpletur; divina justitia ibi persequitur homines etiam post mortem eorum; neque satis est illi vitam eripuisse, nisi & in cineres redigat; *& in pulverem mortis deduxisti me*. Psalm. 21. Extremum denique sepulcri dedecus est, quod omnes ad paupertatem redigit. Reges nihilo ditiores ibi sunt, quam vilissima quævis mancipia, ac illuc ita nudi inferemur, ut nati sumus. *Idem*.

Mors docet omnia in hac vita transire, & nos quoque transituros.

Ingentia emite prædia, domos superbas ædificate, palatia excitate; at hæ domus, hæc palatia fortunæ potius, quam vestra sunt; vel ut eo modo loquar, qui magis Christianum hominem decet, vos horum bonorum æconomi estis dumtaxat. Ratio, S. Augustinus ait, quam consuevistis afferre, ut domum hanc vestram esse probetis, palam ostendit, obiter tantum vestram esse. Parentes mei, dicitis, & majores eam mihi reliquerunt; ad me testamenti jure pertinet. Novi, quid dicere velitis, S. Doctor respondet. Majores vestri per domum hanc transierunt, & vos quoque transibitis; ergo tamquam hospites istic versamini. *Unusquisque in domo sua est hospes*. Sepulcrum vero, utique sepulcrum vestrum est; domus ista ad vos pertinet, ibi usque ad sæculorum consummationem permanebitis, neque ultro vos inde umquam exibitis. *P. Texier, sermone primo Quadragesimæ*.

Mors nos docet quid simus, & nostram frangit superbiam.

Ad hoc infringendum idolum, atque hoc amoris proprii phantasma evertendum, nihil magis efficax est, quam mortis cogitatio. Ignoras, quid sis, sepulcrorum consule cineres, signa, & reliquias eorum, qui te præcesserunt. Erant illi idololatræ suorummet ipsorum, sicut tu es; in se ipsis confidebant, quæ res illos perdidit. Vide quid erant ex iis, quæ tibi reliquerunt, vestigiis; vide quid sunt, ac intelliges, quid hodie sis, & quid non multo post sis futurus. At opus non est aperire tumulos similium tibi. Tecum serio te ipsum recipe, ibique reperies oraculum, si tite illud consuleris, & cum S. Paulo 2. Cor. 1. dices: *In nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis*. Eheu! me ipsum audivi, ac interiori admoneor voce, me nihil aliud esse, quam parum cineris, pulverisque; quapropter in me nequaquam confidere debeo. *Idem*.

Bonorum in morte consolatio.

Omnia aliquid conferre debent ad bonorum extrema illa vitæ hora solatium. Qua consolatione, quo gaudio affici non debet tunc temporis ille, qui in pœnitentiæ exercitatione versatus est? Futuri prospectus nonne omnes status præsentis lenire debet dolores? Quidquid in Dei servitute grave, difficile, molestumque erat, abiit: jejunia, secessus, mortificationis exercitia, labores, austeritates, humiliationes, pœnitentiæ, omnia jam desiere; bonum, & malum æque transeunt. Quænam erit in hora mortis lætitia, quænam illud fecisse malum, quod fieri poterat; quod gaudium, illud fecisse bonum, quod erat faciendum, tunc vero præsertim cum animus advertitur ad eum dolorem, quo conficitur, qui illud minime operatus est?

Quan-

Quantumvis diuturna extiterit vita, inter natalem, extremumque mortis diem momentum duntaxat intercessisse videtur; fierine potest, ut tunc temporis non gaudeamus, eo quod vitæ sanctitate eos prævertetimus dolores, eamque desperationem, quibus peccatores in morte torquentur? Quid nunc mihi prodesset, moriens ait, ingentem auri vim collegisse, potentes amicos mihi conciliasse, primosque Reipublicæ honores possedisse? Quid omnibus voluptatibus me ingurgitasse, inter aulicos enituisse, mundi placitis adhæsisse? Nunc damno, totoque vitæ meæ spatio mundi consuetudines damnabo: quid mihi isthæc omnia prodessent, nisi salutem meam operatus fuissem? *P. Croiset tomo primo Recessuum.*

In morte excitantur sensus Religionis, fidei, & rationis, qui sopiti videbantur.

Quoad vivimus, animi ægritudinibus excæcamur, trahimur exemplis, fascinamur objectis, negotiorum impedimentis occupamur; ac videmur etiam præcipuarum fidei veritatum ignorantia oblectari; & fides ipsa fere extincta est inordinatæ vitæ flagitiis; at in morte ratio, religio, fides ipsa omnes suas vires acquirunt. Creditur, sed fide, quæ opprimit, & quæ similis est fidei dæmonum; fremitum quidem ciet, non pœnitentiam.... Non desunt aliquando qui sanctissimas pietatis exercitationes vertunt in ludibrium, qui infirmitatem, ac spiritus imbecillitatem vocant summam illam curam, qua pii homines minima etiam status sui diligentissime obeunt officia. Si verum est, quemadmodum illi testabantur, se jure hoc judicasse, atque ita egisse, tunc etiam idem ferant judicium. Cur non usque ad mortem suum derisorum, fortiumque spirituum sustinent characterem? Si verum est, jure illos hæc pietatis exercitia, ipsamque devotionem tamquam insanos scrupulos traduxisse, tunc in hoc illi sibi complaceant, & in extrema vitæ suæ hora hoc gloriæ sibi vertant. Si verum est, ipsos, sapienter commodam pietatis ideam, ac falsam sibi concinnasse conscientiam, qua tecti in fallaci securitate vixerunt, hoc ipsum in morte systema sequantur. Sed, o Deus! nonne hæc vera est timorum suorum causa? Nonne hoc illos ad desperationem adducit? *Idem.*

In morte terrenarum rerum agnoscitur vanitas.

In morte obices omnes evanescunt, nobisque integrum relinquunt de rebus sine ulla præoccupatione ferre judicium. Videbatur olim bonorum mundi hujus vanitas, at eadem non afficiebamur; immo neque intelligebatur quantum esset in terrenis voluptatibus inane. In morte hoc non videtur solum, verum etiam sentitur: sed concipi nequit, quin simul sentiatur eorum nausea, & duplex indigentia. Videmus solum nos decepos fuisse; sed quam acerbus dolor non posse eam reparare jacturam, quam per hunc errorem passi sumus? ... Mirum est, omnes unanimi ore fateri, in mortis articulo hanc esse mortalium desperationem, quod immortificatam duxerint vitam, quod mollem, ac deliciis affluentem vivendi rationem dilexerint, quod bonis operibus non vacaverint, quod demum vixerint, uti vivitur; & nihilominus post optimas hasce considerationes, de quibus omnibus persuasum est, neminem adlaborare, ut melius ad virtutem vitam suam, moresque componat. *Idem.*

Mortis cogitatio nos deberet convertere.

Mirum profecto est, adeo parum de morte cogitari; sed longe magis mirum est, de morte cogitantem non converti. Quot ita vivunt, quasi certo se nequaquam morituros, vel non morituros semel, existimarent? quasi nihil amissuri essent male morientes, vel quasi iterum essent reparaturi, quod semel amisissent? Sumusne ipsi ex hoc numero? Quis autem sensus erit nobis morti proximis, cum menti occurrent illa, quæ modo consideramus, nisi aliquem inde fructum percipimus? Quæ felicitas; quæ gratia! si morienti suorum flagitiorum adspectu perterrito, & jamjam animam efflaturo adhuc vitæ mensis permitteretur, quem in usum ille suam impendere valetudinem? Vos autem similem hodie felicitatem percipitis. *Idem.*

Mortis cogitatio non prohibet, quominus negotiis nostris, reique domesticæ invigilemus.

Bona fide quæso, si æque certi essemus nos numquam morituros, uti certi sumus non semper victuros esse, aliamne vitæ rationem sequeremur? Numquid ampliora vota conciperemus? Numquid magis tristes hoc domicilium diligeremus? Numquid minus, & infrequentius alteram vitam cogitaremus? At enim omnia igitur relinquenda sunt; viventes adhuc nosmet in Claustrorum sepulcrum inferre debemus, negotiorum, reique domesticæ abdicare curam, nihil umquam nisi mortem cogitaturi? Haud ita; insignis esset error, putare mortis cogitatione, quæ ubique bonum ordinem constituit, hunc ex vita civili auferri. Mortis cogitatio non cogit, ut eum, in quo nos Deus posuit, statum relinquamus, sed ut in eo tamquam morituri vivamus. Vivere licet inter rei familiaris negotia, diligenter omnibus proprii status officiis defungi, inter honores, opumque affluentiam, si ita fert conditio, versari; dummodo te cogites moriturum. *Idem Pater Croiset in Recessibus pro una singulorum mensium die.*

Quamvis certa sit mors, semper tamen tamquam remota consideratur.

Constat certam esse mortem, sed post diuturnum vitæ spatium adventuram quilibet putat; illam longius abesse arbitratur, ac se non nisi extrema confectum senecta decessurum existimat; quæ ubi accesserit ætas, non ideo tamen spes aufertur, quominus unus saltem, & hoc elapso alter similis vitæ annus supersit. Ne nobis fucum faciamus; res nostras in ordinem redigamus, quantumvis bona valetudine polleamus, unicus tamen a vita ad mortem gradus est. Satis est mortali corpore constare, ut jure quolibet momento timere debeamus. Quisnam ille vir sapiens est, qui unicum vitæ annum nobis cum suæ vitæ periculo audeat spondere? Attamen in hujus anni finem meam conversionem rejicio. *Idem.*

Præcipitem aliorum mortem intuiti nosmet confirmamus.

Præceps tot hominum mors, qui eadem ne cogitantes quidem occupati fuere, nos statim quidem percellit; at brevi nosmet confirmamus præcipitis hujus mortis causam inquirentes, & hanc in nobis nequaquam esse putantes. Homo hic, dicitur, caducæ valetudinis erat, nimia mentis applicatio vitæ finem acceleravit; in vini usu nimius fuit; similis illi impendebat casus: hoc est, in me non reperio, quod mortem illius peperisse puto; nihil igitur mihi metuendum est; cum e contra dicendum esset; homo iste similis mihi, meamque vitæ rationem imitari videbatur, ille hodie mortuus est, quisnam mihi promittere poterit, me cras non moriturum? Sed ubi hæc cogito, nescio, Domine, utrum magis sperare debeam, an metuere, & utrum eos miseratus, qui imprudenter adeo in hac vita confidunt, ego ipse futurus aliquando sim alienæ miserationis objectum. Ne id permiseris Domine: video, & sentio hujus rei indignitatem; & fortasse minus etiam quam alii prævideo. Quis dolor esset meus, quæ desperatio, & quid mihi expectandum est, si hæc animo reputans, & illud, in quo sum, agnoscens periculum, ea, quam mihi largiris, gratia non utor? Quamvis diu mihi adhuc vivendum esset, nolo amplius differre, quominus memet morti præparem, qua singulis momentis possum occupari. *Idem.*

Cogitatio incertam esse mortem, nos a vitæ hujus voluptatibus deberet avellere.

Nihil aptius est ad nos ab hujus vitæ voluptatibus, & cura fortunæ ejusdem amovendos, quam mortis incertitudo serio meditata. Certe scio, me moriturum; quælibet hora diei vitæ meæ esse potest extrema; robustissima quælibet valetudo sustinere non potest lapsum, apoplexiam, aliosve lethales casus sexcentos ... Egone ausim jurejurando affirmare, adhuc mensem vitæ superesse mihi? Homo capite damnatus irrevocabili sententia, nisi de sana mente dejectus ille sit, potestne exultare gaudio, ac de vita cogitare, donec singulis momentis carnificis securim cervicibus suis videt imminere? Numquid ipsi sapientiores sumus? Jam significata nobis fuit irrevocabilis mortis nostræ sententia: singulis momentis ad supplicium rapi possumus;

sumus: undenam ergo hic voluptatis furor proficiscitur: hæc lucri ardens cupiditas, quæ contra Dei jura efficit, ut omnia conscientiæ nostræ negligamus officia? Undenam hæc negotiorum multitudo, hæc cœli oblivio, hic mundi amor, hæc securitas, hæc insania? *Idem*.

Omnes industriæ, ætatisque nervos contendimus, ut opes congeramus, honores assequamur, in mundo fulgeamus; sed cuinam rei hæc omnia consilia innituntur? Heu! fortuna, ambitio, cœpta, consilia, conatus omnes huic innituntur vitæ. At numquid ignoramus vitam hanc nobis commodatam fuisse, ut illam redderemus qualibet hora? hoc est, nos in periculo versari, ut vitam qualibet hora amittamus? Eo autem momento, quo nobis aufertur, quonam abeunt spes eximiæ, cœpta hæc, atque consilia? *Idem*.

Mors quodlibet evertit.

Ducentis ante hoc tempus annis urbes civibus ita erant frequentes, ut hodie sunt. Quonam universus ille populus abiit? Ne unus quidem sæculi decimiquinti superest homo; immo ex tot hominibus nihil nisi pusillum pulveris terræ commixtum superest. In his ossibus carie exesis, in hoc pulvere aliquod ne magnitudinis, dignitatis, vel nobilitatis vestigium deprehenditis! O mortalium superbia! hæc nondum satis sunt, ut confundaris? Hæc utique satis sunt, ut errorem nostrum intelligamus. Reges, qui in hoc terrarum orbe regnatis, quorum felicitati tot populi aliquid conferre contendunt, moriemini: thronus vester non longe abest a tumulo; genus vestrum vos a reliquo populo secrevit; sed mors vos aliquando subditorum vestrorum minimo æquabit. Non intermissa felicitatum series, voluptatum deliciæ, honores infiniti, magnificentiæ, victoriæ, omnia vobiscum aliquando tumulabuntur! Nobiles moriemini; in sepulcris quærite quid hodie sit reliquum de majoribus vestris; intra centum annos nihil de vobis supererit. Tumuli epigraphes ideo titulos vestros servabit, ut posteri intelligant, vos non amplius esse, quod eratis in mundo, nihilque vestri reliquum esse nisi cineres multo minus pretiosos cippo, quo conteguntur. O quam optima schola mors est! quomodo sepulcri adspectus mentibus, cordibusque plurimorum ægrotantium mederetur, nisi quilibet inde pro virili oculos, animumque conaretur avertere? Licet mortalium omnium eruditissimus, ditissimus, felicissimus esses, morieris. Quadraginta, vel quinquaginta anni totus erunt fortunæ tuæ cursus; aliquot dierum febris, casus aliquis, lapis exiguus momento ingentem hunc colossum evertet. Vita mollis, & deliciis affluens; opulentia, nobilitas, omnia hæc in funeribus paulo splendidioribus, hæc vero funera in tumulo terminantur. *Idem*.

Scimus aliquando nobis esse moriendū neque animum ad bene vivendum advertimus.

Ex omnibus insanis erroribus, quibus humana mens est obnoxia, nullus est, qui cum hoc magnitudine certet. Quid? Scio, me moriturum, post mortem beatam, vel infelicem manere æternitatem, & totis viribus non contendo, ut post hujus vitæ exitum beatam mihi sortem acquiram? Certe scio me moriturum; & probabiliter non diuturnum vitæ spatium mihi superesse; & omnes curæ meæ in id intentæ sunt, ut opes congregem hæredibus meis, pro illis videlicet, qui mihi superstites futuri sunt, & qui sudorum meorum, & fortasse iniquitatum etiam, earumque rerum, quæ meam pepererint damnationem, fructu abutentur, ut vitam magis suavem, & voluptuosam traducant. Salutis meæ obliviscor, morti memet præparare negligo, ut successoribus meis, unde commode, & luxuriose vivant, relinquam. Scio me moriturum; nequeo sine fremitu considerare ea, quæ extremam hanc horam subsecutura sunt; scio, quam difficile sit bene mori, & aliud quodvis, quam bene moriendi rationem cogito. Video facti hujus insaniam, meamque animo reputans cæcitatem fremo ... Verum stat animo sententia, reliquo vitæ spatio uti, ut ex hoc tempore me ad bene moriendum disponam. *Idem*.

De mortis oblivione.

Mortem non cogitamus; quia tristis hæc nos terret cogitatio; verum si sola nos adeo terret cogitatio, quid de ipsa morte dicendum? Si hanc non cogitare, mortem minus certam, vel minus terribilem efficeret, oblivio sane non adeo irrationabilis esset; at ignorare ne possumus momentum, a quo æterna sors nostra pendet, constitutum esse, & mortem numquam magis formidabilem esse, quam cum de ea numquam cogitatum fuit? Quantumlibet mundi sectatores hanc cogitationem effugiant, eorum solatium, & otium non prohibet quominus singulis diebus ad terminum hunc fatalem accedant. Hæc omnium hominum via est, inquit Propheta; cuilibet per hanc pertranseundum est: omnes illi, quos non videmus amplius in mundo, hac transierunt, & quotidie plures transeunt. *Idem*.

Mortis cogitatio vitiorum omnium medicina.

Jure dici solet mortis cogitationem omnium inanium mundi gaudiorum esse remedium. Facile voluptates has, & solatia fastidimus; luxus, nitor, opes non amplius oculos perstringunt, ubi cogitamus intra aliquot dies nobis esse moriendum. Pallidus, macie consumptus, sine viribus eo in lectulo, unde in sepulcrum jamjam efferendus sum, quo oculo pretiosam intuear supellectilem brevi non amplius videndam? Licet magis, minusve in honore habeamur, magis, minusve opibus affluamus, tunc nugatoriis hisce vitæ solatiis parum afficimur; at si nihil fecimus, ut saluti nostræ consuleremus, si conscientia nobis plurima occulta exprobrat delicta, injustitias, infidelitates, numquid contenti emori possumus? Numquid Lætamur eo quod numquam de morte cogitare voluimus? Numquid illud cogitandi de eadem tempus est? Homines mundi, æquo in omnem voluptatem effusiores, imperfecti fideles numquid jure hactenus mortem tamquam somnium aliquod reputastis? At si id serio cogitatis, conscientiæ vestræ exprobrationes sustinere potestis? Cogitate simul ab iis vitiis recedere, quæ mortis cogitationem adeo amaram vobis efficiunt. *Idem*.

Quomodo sit de morte cogitandum.

Mortem cogitare, non est, illi cogitationes impendere, ut iis, quæ ad vitam hanc pertinent, negotiis consulemus, vel ad summum, ut quasdam illius circumstantias prævideamus, puta hæredum institutionem, domesticæ rei curam, sepulturæ locum, funebrem pompam, & similia, quæ saluti sunt inutilia. Mortem cogitare, est fortiter spiritui nostro bonæ, & malæ mortis imaginem imprimere, considerare duplicis hujus status discrimen, & utrumque ad vitæ regimen referre. Mortem cogitare, est Dei judicia animo reputare, ac rationes illas terribiles, quæ reddendæ erunt eidem, ad calculos revocare, quæ res nihilominus numquam consideratur. Satis profecto eas cogitamus, quæ hominibus reddendæ sunt, & plurimos videmus dies, noctesque rationariis insudantes, quod debent, & quod sibi debetur, supputantes; at quotusquisque serio cogitat, quid debeat Deo? Tertullianus de morte loquens hanc *ultimam omnium quæstionum* appellat. In vita enim plerumque plurimæ proponuntur quæstiones disceptandæ, plurima negotia obeunda, de fortunis locupletandis, de stabilienda domo, de affinitatibus jungendis, deque honoribus generi suo comparandis, de authoritate, & fama acquirenda laboratur; ut verbo me expediam, in vita de vita ipsa admodum solliciti homines sunt; sed mors omnium quæstionum est novissima. Huic tunc impenditur cogitatio, cum nullum est amplius tempus cogitandi, cum jamjam anima efflanda est, & cum sæpe inutilis est cogitatio. Exempla ipsa, quæ majorem vim habent, quam verba, hac in occasione effectu, & viribus carent, &c. *Idem*.

De præsentibus rebus judicandum, quomodo in morte judicabimus.

Cum aliquod sese oculis nostris exhibet objectum, vel nostram ferit imaginationem, & mentem, ut de illo sanum feramus judicium, non affectus nostri, nostraque utilitas spectanda est, sed serio considerandum quid judicaremus in morte,

quid

quid nos fecisse vellemus, cum ad supremi judicis tribunal erit prodeundum, & demum quid nos ipsi in omni æternitate probabimus. Quot conscientiæ casus luminis hujus beneficio optime solveremus! Quot inanes evanescerent subtilitates! quot illusiones cessarent! Beatos illos, qui ita sese mortis discipulos faciunt, qui lumine ejusdem utuntur cordis sui tenebras dissipaturi, & qui in tempore cogitant, quod cogitabunt in æternitate. *Essais de Morale*.

Mors una auferre nobis potest errorem circa hujus mundi vanitates.

Bona fide verum dicamus, si moriendum non esset, vel si nulla esset lex, qua omnes homines morti addicerentur, frustra contra vanitates inveheremur, nemo fidem nobis haberet: frustra prædicaremus, omnia hujus mundi bona esse vanitate referta, & quamvis id per singula discurrentes meridiana luce clarius ostenderemus; tamen existimarent homines, has inanes esse subtilitates, & ipsa vanitate vaniores, idque dici potius ad ingenii ostentationem putarent, quam ut illos ab eorum amore contenderemus avellere. Verum cum liquido pateat omnia ad mortem tendere, ne unum aliquid esse, quod non tendat ad interitum, & ea, quæ pulcherrima sunt, præ aliis pereundo esse magis obnoxia, & citius re ipsa perire, hoc aperit oculos, hoc vanitatem ostendit. Pulcherrimum sane discrimen hoc S. Chrysostomus animadvertit, reliquas omnes Christianas cogitationes nihil esse nisi ad summum vanitatis argumenta; mortem vero ipsam esse vanitatis hujus experientiam. *Pater Bourdalove in sermone quodam de Morte*.

Mortis cogitatio, plurimos impulit ad vitæ austeritatem amplectendam.

Nonne hæc mortis cogitatio sanctos omnes ad eam, qua nunc fruuntur, felicitatem adduxit? Nonne hæc illos impulit, ut austerissimam vitæ rationem amplecterentur? Nonne hæc illos in nemora, ac saltus, horrentesque solitudines recedere coegit? Nonne hæc illos ab hominum consuetudine secrevit, effecitque ut magis terribiles pœnitentiæ exercitationes alacriter amplecterentur? Verum est in illis plurimum laboris, ac sæpe contradictiones expertos fuisse, permittente Deo, ut se errare, & a recta via recessisse arbitrarentur; sed statim in mortis tabula ob oculos eorum explicabantur prædestinationis arcana, & simulac in mortis imaginem oculos conjiciebant, omnia evanescebant phantasmata, eorumque mentes confirmabantur. *Idem*.

Nostra vel infidelitas, vel stupiditas prohibet, ne de morte cogitemus.

Quamvis integra vivere deberemus sæcula, ut antiqui Patriarchæ, quamvis mortis nostræ tempus non adeo proximum esset, huc tandem aliquando perveniendum esset. Heu! Quid tunc nobis prodesset longa illa series annorum, nisi ad obligationes nostras augendas, ac rationem, quam reddere tenemur, eo difficiliorem, quo longiorem, impeditioremque efficiendam. Sed esse in mortis pervigilio, uti fortasse sumus, mortem propius attingere digito, ut ita dicam, & non affici, & salutis nostræ negotio non vacare de bona morte cogitantes, hoc non nisi vel ex infidelitate, vel stupiditate nostra potest proficisci. *Idem*.

Mortis cogitatio efficit, ut bene vivamus.

Nihil facilius funestam hanc infringere potest illecebram, quæ in mundo, ejusque amore nos detinet, quamvis vanitatem illius apertissime intelligamus: nihil facilius excitare nos potest ex lethali sopore, quo capti dies traducimus, eisque finem imponere possumus, quam mortis cogitatio, & memoria. Si quid librare potest hoc pondus, quo in scelus trahimur, nosque contra omnia objecta munire, quæ affectus nostros, vel cient, vel fovent, hoc proculdubio est meditatio funestorum mysteriorum, quod sub sepulcrali lapide adimplenda sunt. Itaque sicuti nulla potestas est, nulla vis, auctoritas, sapientia nulla, quæ contra mortem tueri nos valeat, ita nullum vitium est, nulla affectio, habitus nullus quantumvis inveteratus sit, quem mortis cogitatio radicitus non evellat, ac destruat. *Pater de la Colombiere sermone 49. de morte*.

Quemadmodum in humana justitia antequam morte plectatur aliquis perduellionis, aut læsæ majestatis reus, primum illius bona publicantur, & addicuntur fisco, ipseque exauctoratus de omni honoris gradu dejicitur, ita mors, quæ est pœna peccati, primum quidem hominem exuit omnibus divitiis, titulis, honoribus, quos possidebat in mundo, cumque abjectissimæ conditionis hominibus æquat. Triste, funestumque spectaculum est videre hominem domo sua ejectum, illuc non ultra reversurum, alio interim occupante opes, supellectilem, honores, & quidquid in terris possidebat. Mirum est, quod ex tot opibus ne obolum quidem, ex tot pretiosis indumentis, & magnifica supellectile ne scrutum quidem secum auferat; quod olim tot servorum caterva stipatus modo ad horridam redactus sit solitudinem, & ne unus quidem illi remaneat famulus, qui prope sepulcrum ejus assideat. *Idem*.

Mors ad nihilum redigit quidquid in mundo magni æstimatur.

Hic, o fideles, præsertim humanæ magnitudinis, ac potentiæ agnoscitur nihilum; statim enim ac nobilis vir extremum efflavit spiritum, illico iis rebus omnibus expoliatur, quas larga eidem fortuna contulerat, nullam amplius existimationem, & auctoritatem retinens; non amicos sibi conciliare, non sui metum injicere valens, non suis clientibus patrocinari, neque suos inimicos conterere. Neque hic subsistit mors; illum etiam omnibus naturæ dotibus exuit, ita ut si quid habet ingenii, scientiæ, meritorum, quibus inter homines aliquam sibi conciliare valeat nominis celebritatem, omnia isthæc morte auferuntur. Memoria, eloquentia, mens consiliorum fœcunda, spinosissimis expediendis negotiis idonea, ac totius reipublicæ regimini par, hæc omnia momento cum vita pereunt. Hoc momento amittit, quidquid naturalibus ejusdem qualitatibus studium, lectio, conversatio, experientia addiderant. Ecce fructus laborum pluribus annis exantlatorum redactus ad nihilum; spiritualia etiam talenta, veluti zelus, cordium permovendorum donum, misericordia erga pauperes, hæc omnia auferuntur, ac per mortem inutilia efficiuntur. *Idem*.

De mutatione quæ in homine fit mortis tempore.

Scisne quid sit mors? hoc apertissimum est, certissimumque nihili humani argumentum; reditus est hominis in triste illud nihilum, unde fuerat egressus; integra illius est destructio, idecque illud est, quod præ cæteris unum maxime debet perhorrescere. Destructio hæc incipit quidem in lectulo ipsius, & perficitur in tumulo; quis enim ignorat mutationem, quæ eo accidit momento, quo mortalium omnium formosissimus occidit? Caput demissum, pectorique inhærens, capilli adhuc sudore mortis madentes male compositi, tempora in arctum coacta, aures pendentes, cava lumina, & horride aperta, genæ labentes, atque ossibus quodammodo inhærentes, nares exacutæ, labia introrsum recedentia, lingua arida, facies pallore suffusa, corpus totum marmoris instar frigidum, & immobile. Spectaculum hoc adeo lugubre est, ut eum, qui præ cæteris hilaritate præstat, ausim provocare ad illud intuendum, quin aliquem tristitiæ sensum concipiat. Quicumque ad hoc accedunt cubile, recedunt pallentes, muti, cogitabundi, ubique secum animo deferentes tristem cadaveris hujus imaginem, nullum admittentes gaudium, atque solatium, nisi prius alia objecta illam omnino deleverint. *Idem*.

Qui mundum sequuntur, de morte non cogitant.

Qui mundum sequuntur, cogitationibus mortis sese accommodare non possunt, præsentibus enim dumtaxat occupati nihil in morte vident, nisi privationem bonorum, quæ diligunt, & supplicium, quod propter illorum amorem ipsius præparat Deus. Cum in futurum tempus nihil, quod ipsis placeat, prævideant, vitæ jactura malorum omnium maximum ipsis videtur; illius memoriam perhorrescunt, ejusque sibi abscondunt, quoad possunt, imaginem, quia hæc amaritudinem, doloremque illis affert, ita ut jure ipsis applicari queant hæc Spiritus sancti Eccl. 41. verba: *O mors quam amara*

est

est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! Quin eadem mortis cogitatio prohibeat, ne vir bonus cum creaturis iterum gratiam refarciat ; divortium , quod ille cum his fecit , reddit irreconciliabile , quia cœlestia quidem admovens, removens autem terrena , eorum quidem amorem , atque æstimationem , horum vero contemptum inspirat efficiens , ut veluti digito attingatur, & eorum , quæ immortalia sunt , pretium , & vanitas horum , quæ dilabuntur , Verbo , eorum aufert errorem , eumque in statum illos redigit, ubi vera a fallacibus dignoscere valeant bona, neque unius momenti fulgorem pro constanti , ac immutabili claritate recipiant . *Abbas Trappensis in explicatione Regulæ S. Benedicti*.

Stupor eorū qui morte occupantur.

Heu! quis hominis stupor est , cum post traductam inter voluptates vitam , nuntiatur illi , moriendum esse ? Quid hoc est, moriendum esse? Hoc nempe; amittenda esse, quæ diligebantur; rationem Deo esse reddendam eorum omnium , quæ dicta , facta, cogitataque fuerint; aliam ingrediendam esse viam, cui minime paratus est. Quot Sapientes inopinatum hoc mortis nuntium perculit ! Quot spiritus fortes ad hujus periculi adspectum totis artubus contremuerunt ! Quot principes mœrore repleti ad tristis , & inevitabilis hujus necessitatis adventum! quin de illis loquamur, quibus mors non permittit hos stupores, terroresque aliquando salubres, illos repente de medio voluptatum divellens, atque ad tribunal Dei sistens, cum id minime cogitabant . *P. Castillon in funebri oratione Domini de Rochefoucault*.

Mortis cogitatio ostendit hujus mūdi vanitatem.

Cogitatio hæc nobis ostendit, quam vanæ, inanesque sint sensuum voluptates . Heus tu juvenis procax , qui turpia alis commercia , & veluti numen colis hanc formam, quam deperis ; applica parum cineris oculis tuis , *& donec illam vides viventem , cogita morientem*. Nunc illa speciosa, ac suavis tibi videtur ; verum considera tabum illud, quod aliquando ex ejus corpore defluet: cogita putorem , quem perhorrescent quicumque illam intuebuntur; & certus sum , te de hac illud ipsum laturum esse judicium, quod olim ii, qui illecti specie Jezabel eam admirabantur , cum ejus corpus a canibus dilaniatum viderunt : *Hæccine illa Jezabel*? Hæccine mulier illa , quæ formæ , & pulchritudinis miraculum videbatur? Quid cranium hoc carie exesum ? illud caput est, quod omnes in admirationem rapiebat ? *Hæccine est illa Jezabel* ? *Fromentieres sermone in feria quarta Cinerum*.

Mortis cogitatione docemur quid sumus, & quid erimus.

Mortis cogitatio superbiæ nostræ motus infringit eousque, ut Regius nos admoneat Propheta , nos ideo superbia intumescere , quia de morte non cogitamus : *Non est respectus morti eorum , ideo tenuit eos superbia*. Quid enim sumus nisi cinis, & pulvis , elementorum ludibrium , vermium , insectorumque præda ; quid intra nos gerimus nisi putredinis, & corruptionis principia ? Heu ! cum triste illud oraculum nostris auribus accidit : *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, aliquidne ultra requiritur , ut humiliemur, & confundamur? *Idem*.

Post mortem ullum ne restat adhuc reges inter, subditosque discrimen , S. Augustinus ait ; & si utrorumque cineres videretis , tam perspicaci oculorum acie polleretis, ut dicere possetis: hi principes, illi sunt subditi? Ullane ambitio est, quæ in hunc illisa scopulum frangi non debeat ? ullane vanitas, ullum honoris desiderium , cujus vehemens impetus hac pulveris , mortisque cogitatione non infringatur ? Post hæc ullusne superest nobilibus viris superbiendi locus ? Si cogitarent, quid aliquando futuri sint , nonne faterentur injustum æque ac insanum esse immodicæ ambitionis suæ motibus indulgere? *Idem*.

Quomodo consanguineorum mors liceat deflere.

Non improbo quidem lacrymas, quæ in parentis, filii , & amici funere effunduntur , sed eorum excessum non probo. *Fili*, Sapiens ait, *in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare . . . . & consolare propter tristitiam* . Lacrymas quidem effundamus ; natura enim tanto confecta vulnere illas cohibere non potest. Defluant illæ ex oculis tamquam cruor cordis tanto dolore confossi ; sed fides illas quamprimum abstergat. Meminerimus fidelium mortem spectandam esse veluti somnum , ne contristemur *sicut & cæteri , qui spem non habent*, 1. Thessal. 4. Cur enim doletis ob mortem illius, de quo nequaquam actum esse arbitramini? Quod mortem dicitis, vita est. Ideoque qui ante nos discessit nequaquam plorandus esset, sed optandum, ut illum quamprimum subsequeremur. *Idem*.

Mortis cogitatio humanam reprimit superbiā.

Quilibet ambitionis , propriique amoris motum cohibiturus hodie secum hæc dicere incipiat : Ego qui genere meo tot aliis præsto ; eo , qui per dignitatem meam aliis impero , per mortem cæteris par ero , & cum aliis confundar ; ego, qui omnibus fortunæ boni affluo, omnibus vitæ deliciis, & voluptatibus perfruor , per mortem iis omnibus spoliabor , quæ possideo , & fortasse æternis flammis adjudicabor : ego qui adolescentiæ meæ illecebris, & formæ commendatione omnium in me amorem, & admirationem converto, per mortem ero oculorum horror , aliorumque sensuum supplicium . Ita mortis omnia æquaturæ cogitatio infringit superbiam, quæ alitur discrimine. *Idem*.

Mortis cogitatio avaritiæ remediū.

Addamus , mortis cogitationem præsentissimum esse avaritiæ remedium . Qui enim semper se moriturum cogitaret, & ex omnibus bonis nihil secum allaturum, quam sudarium, atque sandapilam, numquid tot laboribus torqueretur , ut redditus suos in immensum proferret ? Negaret ille sibi vitæ commoda , & nonnumquam etiam necessaria , ut thesaurum sibi in hoc mundo inutilem , & in altero damnationis suæ causam futurum ? Ut verbo me expediam , adeone aurum , argentumque , quibus uti nequit , & a quibus eo majori dolore avellendus erit , quo cupidius eadem possederit , adamaret ? Itaque ut avaritiæ omnia possidere cupienti medearis , cogitanda mors est , a qua omnia tapiuntur . Ad hæc nulla sunt verba , quæ ad vivum valeant repræsentare illius hominis desperationem, quem repente mors aufert , & qui arctissimis vinculis terræ alligatus est : *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis sui* ! Eccli. 41. *Idem*.

Quaratione mors possit optari.

Quamquam vitæ hujus finis optandus non sit, ut laborum finem inveniamus: res adversæ per se vim habent nos ab eadem evellendi, prohibendi ne amemus id, in quo nihil est, quod nobis placere possit; & omnes affectus nostros ad vera convertendi bona, quorum fruitio neque intermitti potest , neque turbari. Nefas est nolle vivere , ne patiaris; at fas est, ut exilio huic finem imponas , exiliique locum in patriæ tuæ beatissimam sedem immutes . Hæc omnibus temporibus fuit ambitio Sanctorum ; hæc nostra esse debet. *Auctor Recens*.

Pauci sunt , qui non morte occupentur.

Quin nimis exaggerare videar, affirmare possum , ex tot Christianis , qui in mundo vivunt, paucissimos esse, vel fere neminem, qui morte non occupetur: utque hoc vobis sit persuasum, considerate triplici tantum ratione homines mori. 1. Moriuntur ictu inopinato ac subita morte auferuntur ; in naufragio, vel domo, cujus ruinis premuntur ; vel subito lacessiti morbo, quo momento omnia vitæ principia extinguuntur ; quo in casu certum est illos morte occupari, ac sine ulla præparatione fato fungi. 2. Moriuntur minus præcipiti , sed celeri tamen fato; in letargicum decidunt somnum ; acerrima morbi vi perturbantur; rationis usum amittunt, & sui compotes ultra non sunt: qui hoc pacto moriuntur, nihilo melius quam priores sunt præparati. 3. Illi supersunt, qui lenta morte , quemadmodum hominum plerique decedunt . Sed experientia docemur, hos homines credere , aliquod vitæ spatium sibi superesse, ac fere semper præparationem suam differre, donec imminentis periculi admoneantur; quod tamen audet facere nemo, ne illos terrore concutiat; quo in statu quænam est præparatio? Hoc nonne occupari est? *Idem*.

Mors

Bona, quæ mortis cogitatio parit.

Mors ea complectitur bona, quæ meditari utilissimum est, ac dicere audeo, illam ipsam bonum esse, quod grati animi sensum meretur. Cur enim Deo gratiæ agendæ non sunt, quandoquidem illa nobis aditum reserat ad vitam æternam; per illam pergimus ad Deum, & ex vitæ hujus miseriis ad æternitatis gaudia evolamus? Ad Jesum Christum renuit ire, qui timet mortem, qua in æternum Jesu Christo conjungimur. Mors cor nostrum a terrenarum rerum amore divellit, & pauci invenirentur fideles, qui opes, honoresque non amarent, nisi eorum vanitatem mortis meditatio detegeret. Fluxis inhærerent bonis, nisi mors eorum, quæ æterna, & permanentia sunt, memoriam revocaret. Alios quoque producit effectus; si enim summa officii fide depositum fidei custodimus, si earum rerum evitamus adspectum, quæ cor nostrum a Deo possunt avellere, hoc mortis timori acceptum referendum est. Hæc non solum peccati odium inspirat, sed celeri conversione Christianum, qui in illud lapsum fuerat, attollit; in silentio suo loquitur, ac interiori voce peccatores hortatur, ut pœnitentiæ, lacrymarumque sinceritate gratiam implorent. Hæc denique fons est benedictionum, illam submisso, & generoso corde subeuntibus. Quamvis inevitabilis sit, humilis obedientia, cum qua illam recipimus, eam efficit voluntariam, ideoque gratiæ principium pro nobis. *Idem*.

Bona consilia, quæ mortis cogitatio suggerit.

In dimidio dierum meorum, in ipso ætatis flore, ac valetudinis robore, in ipso honorum, & amplitudinis meæ cumulo, ibo, ajebat Ezechias, usque ad ostium sepulcri. *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*. Isai. 38. Quæsivi numerum annorum, qui mihi ad vivendum superesse possunt, & quantumvis diuturnum mihi vitæ spatium polliceri valeam, breve semper inter me, ac mortem intuitus intervallum, dixi; dierum meorum stamen quamprimum succidetur; ex viventium numero exturbabor, tanquam pastoritium tegmen, quod ex loco in locum transfertur: vix vitæ meæ orsus incipiet, cum de mane usque ad vesperam secabitur. Dum hæc animo reputarem, oculos meos ad te, Deus, extuli; atque diuturno in cœlum suspectu illos attritos deficere intellexi. Libenter patior, responde pro me in die indignationis tuæ. Quid ego dicam cum fractis animæ meæ vinculis, hæc omnibus suis fœdata iniquitatibus terribilis præsentiæ tuæ objicietur? Ubi me abscondam, quo fugiam a facie tua? Heu! recogitabo annos vitæ meæ in amaritudine cordis mei. In antecessum ingrediar sepulcrum, ut per cordis mei humiliationem aliquod in die ultionis perfugium inveniam. Ita magnus Ezechias Rex loquebatur. *Idem*.

Utilitas cogitationis mortis.

Animam justam ærumnis afflictatam nullas res majori solatio post afficere; animam pœnitentem in exercitiis suis nulla res magis recreare; animam in sceleribus suis induratam nulla res potentius excutere, quam mortis cogitatio. Hæc præ cæteris præsentissima est medicina ad superbiæ vulnus curandum, animamque humilitate, quæ pœnitentiæ fundamentum est, replendam. Familiaritatem, ut ita dicam, ineamus cum mortis cogitatione, ut minus terribilis accidat, cum sese nobis obtulerit; humilique submissione acceptemus legem hanc humiliantem, veluti rationem, qua pœnitentiæ nostræ defectui supplere possimus. *Idem*.

Plerique mortalium patriæ suæ, quæ cœlum est, memoriam, & amorem amittentes, in eodem exilio sibi sedem figunt omnibus abutentes consolationibus, quas Dei bonitas ipsis reliquit, ut ejusdem exilii amaritudines quodammodo leniventur. His adhærescunt tanquam amissæ felicitatis, quam hactenus concupiscent, umbris; ibique immorantes, quam transeundum esset duntaxat; tot sedes, ac domicilia sibi extruunt, quot ibi delectationes, & voluptates inveniunt. *Tot in exilio mansiones facit homo, quot in eo delectationes invenit*, S. Bernardus ait: Ita cum mors accedit illos de creaturarum sinu, ubi requiescunt, avulsura, inde nonnisi summa vi divelluntur; cumque omnia abdicaverint jura, quibus cœlum expetere poterant, non alia re, quam dolore mundum relinquendi, moventur. *Abbas du Jarry in sermone de Assumptione, tomo 2. Panegyricarum Orationum.*

Homines sibi honorem servant contemnere mortem, quæ est superbiæ suæ pœna.

Homines ipsi sunt ministri sententiæ irrevocabilis in illos latæ, infinitas sibi, violentasque aperiunt vias, per quas e mundo egrediantur, quas nequaquam illis aperuit natura. Non contenti innumerabilis hujus multitudinis morborum, ac generum mortis, quorum præda sunt corpora sua; in seipsos ferrum, ignem, & venenum armarunt, & superbis elati in hoc gloriam suam constituerant, si mortem ipsam contemnerent sub iis speciebus magis horribilibus, sub quibus sese illis offert; ita ut imago mortis, quam Deus ob hominum oculos posuit tamquam superbiæ illorum remedium, inutilis sit contra superbiam hominis, qui adeo insolens est, ut eam provocet mortem, qua frangitur, atque prosternitur. Homo morte damnatus creatura est admodum deplorabilis; superbiens, licet se humilianti huic legi videat subjectum, objectum est miseratione, & risu dignissimum; sed cum ita cæcus sit, ut sublimiorem gloriæ suæ apicem in contemptu hujus moriendi necessitatis, qua abjectus, & contemptibilis fit, collocans, ut vera dicam, insanissimus existimandus est. *Abbas de Jarry, sermone pro feria quarta Cinerum.*

Mortis cogitatio superbissimos etiam humiliare debet.

Superbia qualibet non minus ridicula, quam noxia mihi videtur, ubi aliquando moriendum esse cogito. Ad quemcumque dignitatis gradum evehi possit nitens hic humanæ celsitudinis colossus, nonne in pulverem redigitur afflatus fulmine horum verborum, quæ Propheta quidam Regi morienti protulit; *morieris tu, & non vives*. 4. Reg. 20. Superbe mortalis, volatum velut aquila sume, sequere rapidum ambitionis tuæ cursum, in nubibus ipsis nidum tuum colloca, illinc etiam detrahet te mors! Cæca ambitio, quæ similis pelago omnibus affectionum, quas paris, flatibus tumenti, & æstuanti, fluctus usque ad sydera attollis, momento usque in abyssum descendes; postquam tot procellas, atque tempestates excitaveris, spumantes fluctus tui in arenam illam allidentur, in qua digitus Dei descripsit terminos dierum hominis nunquam prætergrediendos; & tantarum opum, ac magnitudinum huic scopulo illisarum fragmenta æternum erunt omnibus hominibus monumentum, quod superbiæ eorum insaniam testabitur. *Idem*.

Mors naturaliter considerata terribilis est.

O extrema separatio quam acerba, ac terribilis es! Quantumvis animo constanti, ac forti simus, intendat, opus est, natura, cum sentit sibi fatale hoc vulnus inferri, quo separentur duæ istæ partes, quas adeo arcte simul conjunxerat: *Siccine separas amara mors?* 1. Reg. 15. Exclamabat olim infelix ille Princeps jamjam crudeli, cruentaque manu immolandus. O mors siccine separas? O mors, quam amara est recordatio tua, Scriptura inquit, tunc etiam cum te adhuc remotam homo considerat, & cum amor proprius palam videri non sinit horrenda tela, quæ morientibus terrorem incutiunt! Heu! Quid autem, cum te accedentem prope, cum horribili apparatu intuetur? Ne nosmetipsos inani spe fallamus: objectum hoc in fortissimos etiam animos terrorem, ac tristitiam immittit. *Idem in sermone de Assumptione.*

SUPPLEMENTUM.

Mors, Mortis Cogitatio &c.

Mors timenda est & cupienda.

Mors, juxta S. Augustini animadversionem, duas habet facies prorsus dissimiles; alteram quidem terribilem, alteram vero optabilem. Terribilem quia esse potest æternæ infelicitatis principium; desiderabilem autem, quia secundum Dei mentem nos debet introducere in immortalitatis, & gloriæ possessionem. Igitur illa simul timenda nobis

est,

est, & amanda; videlicet illam vereri debemus metu quodam, cui mixtus sit amor; illam etiam amare debemus amore, qui sit cum timore conjunctus. Nec satis, idem laudatus Pater inquit; nam sicut Deus qui amandus simul, ac metuendus est, vult absolute loquendo, amari ab hominibus magis quam timeri; ita mors nobis amanda magis est, quam formidanda: & sicuti non tanto se a nobis honore coli, quanto vult, arbitraretur, si eum timeremus magis quam amemus; ita dici potest id nos nequaquam obtinere eam animi dispositionem, quæ perfecte Christiana est, si mortem magis metuimus, quam speremus, quia noster erga illam amor, & timor sequi debet mensuram amoris, timorisque nostri erga Deum. Mors igitur per fidei spiritum metuenda est, sed cum eodem fidei spiritu spectanda magis est, magisque cupienda. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Hujus veritatis exempla. Idem S. Paulus, qui testabatur tantum desiderium videndi corporis sui carcerem eversum, fatebatur tamen rem esse terribilem *incidere in manus Dei viventis*: & David ipse, qui enixis precibus Deum videre petebat, quærebat tamen perfugium aliquod, ut tutus esset ab illius iracundia. *Quo a facie tua fugiam?* Tamen licet inter hos varios amoris, timorisque affectus divisi viderentur, desiderium præstabat, & facere nequibant quo minus mortem cuperent cogitantes hanc unam esse viam, qua in Cœlum possent contendere. Hinc S. Hieronymus, qui fortasse præ reliquis Sanctis Dei judicia reformidavit, tamen unus ex illis fuit, qui maxime finem mortalis hujus vitæ concupiscerent. Mirum est videre, quomodo mortem poscebat, & quibus nominibus illam appellabat: *Veni, amica mea, soror mea sponsa*. Veni, dicebat morti, veni, te diligo tamquam amicam, tamquam sororem, tamquam sponsam meam. *Indica mihi quem diligit anima mea:* Deduc me ad unicum animæ meæ thesaurum; tu enim una mihi potes ostendere ubi quiescat: *Ostende mihi, ubi cubat Christus meus*. Circumundique tenebris involuta es, Pater idem sequebatur, sed hæ tenebræ mihi lumen æternum ostendent, & ideo te tantopere diligo. *Nigra es, sed formosa. Terribilis es apud Reges terræ*; sed mihi eo jucundior es, quominus mundo, & mundi hujus bona desidero. Ita S. Hieronymus. *Idem.*

Hebr. c. 10.

Ps. 138.

In hora mortis omnia bonis consolationi sunt. Quæ consolatio, quæ lætitia in mortis articulo percipienda non est ab illo, qui Christianam vitam in virtutis praxis, & pœnitentiæ exercitatione transegit? potestne vitæ futuræ cogitatio præsentis dolores non mulcere? Omnia, quæ molesta in Dei servitute videbantur, tandem finem invenere; jejunia, solitudines, mortificationes, labores, humiliationes, austeritates, pœnitentiæ, omnia desiere: bonum, ac malum æquo pede prætervolant. Quæ voluptas in hora mortis ea non fecisse mala, quæ fieri potuerant? Quæ lætitia ea fecisse bona, quæ nobis erant facienda? præsertim vero cogitantibus dolorem, quo conficerentur, si hæc minime facta fuissent, quantumvis diutius vita eadem fuissemus gavisi? quippe morituro momentum dumtaxat inter nativitatis, ac mortis diem intercessisse videtur. Potest ne quis tunc non summo affici gaudio vitæ suæ sanctitate prævertisse pœnitentiam illam, quæ in morte peccatores ad desperationem adducit? Quid nunc prodesse mihi, moriturus ait, nituisse, magnas opes congessisse, plures amicos mihi conciliasse, primos honores consecutum fuisse? Quid mihi prodesset omnibus voluptuariis cœtibus intervenisse, in aula cum laude versatum fuisse, mundi placitis adhæsisse? Si nunc, & semper in omnem ætatem hæc eadem placita damnabo; quid hæc omnia mihi essent profutura, nisi salutem meam operatus fuissem? Omnia bona, affectus omnes mortem meam ne ad breve quidem spatium differre possunt. Ecce me jam in æternum exulem ab omnibus societatibus; quam voluptatem modo mihi potest afferre præteritorum gaudiorum, omniumque mundi spectaculorum memoria? O quam sapiens fui, quod jampridem contempsi, quæ in æternum damnabo? Heu! vellem, nollem, nunc divellendus essem ab his voluptatibus; mihique violenter nexus hujusmodi essent infringendi. Quid vobis videtur? Suavene est, ac jucundum cogitare hos jamdudum a nobis fractos, præruptosque fuisse? *P. Croiset in anno Ecclesiastico.*

Justus non moritur. Justi dumtaxat non moriuntur. Dicere possumus etiam, illos non vivere, non enitescere, non regnare umquam majori cum gloria, quam postquam ex humanis decesserunt; nulla opus marmorum duritia, aut metallorum firmitate ad memoriam eorum servandam. Nullus mortalium est, qui illis hoc reverentiæ, existimationis, & venerationis tributum persolvat: Non genus, non dignitas, non conditio eorum consulitur; virtus sola commendat illos, eorumque memoriam perennat, licet adversa fortuna illis caliginem offuderit, licet obtrectatio, & calumnia illis tetræ loliginis succum adsperserit; licet habiti fuerint *tamquam peripsema hujus mundi*; licet in oblivione, & humilitate vixerint, tamen *Justi in perpetuum vivent*. Sanctorum obitus illis est præclari generis loco; mors illos in lucem, novumque fulgorem adducit. Ad aras attolluntur; memoria eorum est in benedictione, venerantur eos populi, Reges honorant, Regna illos sibi patronos deposcunt, & orbis universus laudes eorum concelebrat. *Idem.*

1. Cor. 4.

Sap. 5.

Mors ingenuam nobis corporis oculos claudit, aperit oculos mentis, & aufert errorem vanitatis mundi. Hic mortis dies, quem nobis plenum caligine fingimus, illuminabit spiritum eorum, quos suæ cupiditates excæcaverunt, & dissipabit omnes nubes, quibus hactenus veritas fuerat involuta, cessabunt credere, quod semper crediderant, & videre incipient, quod numquam viderant. Quod ab ipsis habebatur in pretio, contemnetur; quod admirati fuerant, illos confusione replebit; ita ut in mente eorum fiet quasi generalis perturbatio, quæ eos ipsos corripiet, & perterrebit. Chimæricus ille conceptus, quem de mundo, assertaque illius felicitate sibi effinxerant, repente delebitur, ac interibit: *Peribunt omnes cogitationes eorum*: Et sicuti cupiditates eorum non aliunde initium nactæ fuerunt, quam a cogitationibus, & tunc ipsæ etiam cogitationes, Teste Propheta, peribunt; ita etiam eorum peribunt cupiditates; videlicet non cupient ultra ditescere, & enitescere; quia *in illa die* barum rerum omnium nugacitatem, & si dicere fas est, insaniam intuebuntur. *P. le Bourdalove.*

Ejusdem argumenti. Mors, quam omnis homo vivens spectare debet tamquam inevitabile fatum, generatim, & sine ulla exceptione ex omnibus bonis, quæ possidet, ex omnibus voluptatibus, quibus fruitur, ex omnibus titulis, de quibus gloriatur, facit quamdam veluti vanitatis abyssum: *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens*. Mundanus homo non consentit, imo id affectat ignorare, verum est tamen, vitam illius non esse nisi umbram, & imaginem pertranseuntem: *Verumtamen in imagine pertransit homo*. Turbatur, & tamquam mundanus jugiter agitatur; sed incassum agitatur, *Sed & frustra conturbatur*, iis conatibus, quos mors in irritum abire faciet, iis negotiis, quæ mors confundet, ea spe, quam mors evertet. Fatigatur. seipsum exhaurit, ut opes congerat, atque thesaurizet, sed hæc illius infelicitas est, nescire cui thesaurizet, & qui ex laboribus suis fructum sint percepturi; filii ne, an alieni; utrum hæredes grati futuri sint, an ingrati; sapientes ne, an obliguritores: *Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. Idem.*

Mihi igitur hodierna die solis Ecclesiæ verbis utendum est: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Sententia hæc mihi illis est dirigenda, qui in hac animarum cupidarum corona versantur, illis suasurus, ne foveant amplius immensa, ac immodica desideria, quibus semper torquentur quidem, non autem replentur. Satis est, ut illos tantum invitem quomodo olim Judæi Salvatorem Mundi; cum oraverunt illum, ut ad Lazari tumulum accederet, eique dixerunt:

Veni,

Joan. 11. *Veni, & vide*. Venite avari, inexplebilis vos urit cupiditas, cujus ardorem nihil valet extinguere; quæ quia saturari non potest, in sexcenta urget vos crimina, vos miseriis pauperum indurat, & in altissimam salutis vestræ oblivionem vos conjicit. Considerate cadaver hoc: *Veni, & vide*. Hic multarum fortunatum homo erat, non secus ac vos; intra paucos annos locupletatus fuerat, uti vos; camdem, quam vos, habuit insaniam relinquendi opulentam domum, & filios omni bonorum genere instructos. Sed modo nihil ab hominum pauperrimo differt. *Idem*.

Nullus a morte immunis.

Omnes morimur, dicebat illa mulier, cujus prudentiam in secundo Regum libro Scriptura commendat; *& quasi aquæ, dilabimur in terram, quæ non revertuntur*. Et profecto labentibus aquis similes sumus. Quodcumque discrimen jactitent homines; omnes camdem habent originem; & origo hæc est parvula, eorumque anni fluctuum instar sese invicem trudunt, ac propellunt. Non cessant fluere, donec postquam fragorem aliquem ediderunt, simul omnes confluunt in abyssum, ubi non Principes, non Reges, neque superbæ aliæ secernuntur dignitates, quibus mortales distinguuntur: eodem pacto, quo fluvii adeo celebres, sine nomine, & gloria cum ignobilissimis fluminibus in Oceano permiscentur, *Bossuet Meldensis Episcopus.*

Mors justum consolari debet, quia illi pandit Cœli viam.

Cum Jacob Patriarcha extrema senectute confectus vidit Joseph filium suum gloria, & honore fulgentem, ac universæ Ægypto dominantem, docet Scriptura, illum summo correptum gaudio exclamasse! fili mi, *jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*. Heu quam suavis, S. Betoardus inquit, optimo huic parenti videbatur, quia paulisper videbat faciem dilecti filii sui! nos vero quibus mors procurare debet æternam felicitatem ipsum Deum contemplandi; nos, quibus illa Dei gloriam est revelatura; nos, quibus illa detectura est hoc beatitudinis objectum, quod non oculus vidit, & quod in hominis cor non ascendit, nos, quibus propter hanc spem dicendum esset, Domine, *jam lætus moriar, quia visurus sum faciem tuam*; quin hoc pacto loquamur, & cogitemus, ad solum mortis conceptum espavescimus, & fremimus ubicumque minimum periculum adest, vel mortem nobis intentat. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

S. Bernard.

Vigilantia omnis superabit insidias mortis.

Vigilandum est usque ad mortem, ne ab illa fallamur. Vigilate, Jesus Christus ait, nescitis enim quo die, qua hora Filius hominis venturus est. Qua in re, magnus S. Bernardus ait, nobis adoranda est Dei erga nos Providentia. Si sciremus quandonam moriendum sit nobis, fortasse securius in omne scelus rueremus; fortasse non eumdem sollicitudinis, & reverentiæ spiritum haberemus; sed cum ignoremus decretorium illum diem, quo vocandi sumus ad terribile Dei tribunal, omnium actionum nostrarum rationem reddituri, nosmet in statum adducimus recipiendi mortem quacumque hora ventura est, & per jugem hanc vigilantiam, quam exigit Jesus Christus nobismet cavemus contra dæmonis fraudes, ut certi simus rei illius, quæ est omnium incertissima. *Dictionarium Morale.*

Virtutes quarum exercendarum occasionem Mors nobis præbet.

Quarum virtutum exercendarum occasionem mors nobis non præbet! Ad mortis adspectum facimus Deo præclarissimum vitæ nostræ sacrificium, & quodammodo Martyres imitamur. Per liberam mortis acceptationem Deo perfectissimam præstamus obedientiam, quia procedit usque ad nostrum metipsorum excidium. Inter dolores mortis justitiæ Dei satisfacere incipimus, cum pœnitentiæ spiritu mortis nostræ sententiam excipientes, eique mortem ipsam offerentes non solum tamquam generalem, & communem, peccati protoparentum nostrorum, verum etiam tamquam peculiarem, ac personalem peccatorum nostrorum satisfactionem; consentientes ut ad reparandam nostræ cupiditatis avaritiam rebus omnibus exuamur; & ad reparandas impudicitias, & noxias voluptates in vermium pabulum convertamur. Per sanctam nostræ mortis cum Jesu Christi morte conjunctionem in partem accedimus gratiarum superfluentium quas in Cruce sua Salvator noster conclusit, tamquam in fonte inexhausto. Quis dicere potest quibus spiritualibus divitiis moriens aliquando se cumulatum sentit, vel quin mortis hora expectent, quis dicere potest, quibusnam secretis impressionibus penetretur Christianus, quibus internis motibus animetur, cum in antecessum ultimum vitæ diem præveniens fingit se in lectulo mortis suæ jacere, atque seipsum offert Deo tamquam victimam illi devotam, eique immolandam? *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Christianus non debet, adhærere vitæ suæ.

Quot Fideles, quibus Deus adeo magnificas promissiones facit pro futura vita, quibus apertæ sunt ad recentem vitam viæ; quot Christiani, quibus hic mundus respiciendus est tamquam locus exilii miseriæ, ac tentationis, animo deficiunt, ut sese avellant a nugis suæ peregrinationis, & ut ad immensa patriæ suæ bona contendant! Hæc est animæ infirmitas, quæ dedecorat fidem quam profitentur. Quid? Homines destinati ad fruendum cum Jesu Christo æterna felicitate, numquam movebuntur magnitudine eorum bonorum, quæ sibi præparata sunt; in rerum terrenarum amore sepulti fluxis fragilibusque vitæ hujus bonis inhærebunt? Quid? in extrema senectute, vel in morbo, in quo jam de vita hac actum sit, acceptare volent, quasi melioribus bonis deficientibus, Regnum Cœlorum; quoniam tunc sentient, ea omnia, quæ illos pelliciebant in terris jam ex manibus suis in æternum elabi? Itane igitur singulis diebus Deum parentem optimum oramus, ut adveniat Regnum illius, quod nihilominus formidamus, & quod in dies differri cupimus? *Fenelon Archiepiscopus Cameracensis in delectis Sermonibus.*

Non posse Consilium capere cogitandi de morte, levitas ac stultitia est.

Si mors esset specie mali, quod raro, vel statis dumtaxat temporibus, vel quibusdam tantum personis accidere, vel quod a nobis abesset, vel quod nobis evitare liceret, vel quod nihil aliud consequeretur; qui ad illam non adverterent animum, excusatione digni viderentur. Sed Mors malum est adeo cognitum, & certum, ut non fides tantum, sed ipsi etiam sensus dubitari prohibeant: malum frequens adeo, ut quotidie recentia nobis spectacula occurrant: malum adeo generatim expansum, ut nulla conditio, regio, ætas, persona sit immunis; malum adeo grave, & urgens, ut omnium bonorum, omnisque spei nostræ in hoc mundo, fundamentum labefactet, videlicet vitam; malum nobis adeo proximum, & nobis adhærens, ut illius principia in nobismetipsis, & in corporis nostri structura, variisque temperamenti nostri qualitatibus inveniantur; ita absolute inevitabile, ut quo diutius vivimus, eo magis illius accessionem sentiamus; malum tanti momenti propter ea, quæ illud consequuntur, ut nil minus post se trahat, quam felicitatis, vel infelicitatis æternitatem. Ferre non posse solam mali ob tot causas gravissimis cogitationem; consilium capere non posse de eo cogitandi ob unam hanc causam, quia cogitatio hæc molesta, atque amara est, nonne summa ignavia est, atque dementia?

De morte cogitandum est.

In praxi veri Christiani, mortem contemnere, hoc est nihil dissimulare eorum, quæ in ipsa morte sunt terribilia; est serio meditari, quid necessario eam comitetur, & subsequatur; est sibimetipsis singillatim applicare casus, quod aliis videmus contingere, & qui semper sub oculis nostris versantur; est omnes vitæ actiones ad hunc terminum revocare; est dare operam vitæ huic sapientiæ, quam in Hebræis Moyses cupiebat, dicens: *Utinam saperent, & intelligerent; & novissima providerent*. Eamus igitur, & animum vere christianum præ nobis feramus. Non equidem dico, eamus ante rogos, *Deut. 32. 29.*

atque

atque tormenta, & nosmet in ignes projiciamus; licamus, atque tyrannorum furorem increpemus: licet Christiani per gratiam ad martyrii coronam evocati satis roboris, atque fortitudinis habuerint, ut illam sequerentur, & fortitudinem hanc in corde suo nacti fuerint: Dico solum, morti occurramus sola cogitatione; mortem meditemur. Dico, quod Lazari sorores dicebant Filio Dei deducenies illum
Joan. 34. ad Fratris sui monumentum. *Veni, & vide*; sed attente, non autem leviter videte. *Pater de la Rue Ibidem.*

Necessitas, & utilitas cogitationis de morte.

Numquid latet, Dei gratia favente, in nobis esse efficere, ut mors nostra nobis solatio sit, atque in Dei oculis pretiosa? Magnum ad id adminiculum est, jugiter mortem cogitare: Meritone sperare possumus, nos sanctam obituros mortem, cum in vita de eadem cogitare dedignamur? Vera tentatio est horror, quo saluberrimam hanc cogitationem fastidimus. Væ illi, qui hac superatur. Saltem non ambigatur, utrum mortales simus, utrum sine stultitiæ nota mortis cogitationem liceat repellere. Certe si in omnibus deliberationibus, consiliis, mundique consuetudine mortem cogitaremus, non adeo crebro nobis esset pœnitendum. Mortis cogitatio timetur, timetur enim effectus, quod saluberrima cogitatio necessario producit. Si sæpe mortem cogitaremus, non essemus adeo mundi amatores, adeo hilares, adeo in omnem licentiam effusi. Si sæpe mortem cogitaremus, non adeo assidui essemus in ludis, adeo quæstus cupidi, adeo mundi vanitatum amantes; non videremur in choreis, non interessemus spectaculis, non in omnibus voluptuariis cœtibus versaremur, nobisque conventus quosdam, & quasdam necessitudines interdiceremus. Si sæpe mortem cogitaremus, solitudinis, & reformationis studium nobis placeret; quod vere nobis minime arridet, Mortis meditatio nos efficit sapientiores, & nondum meliores fieri volumus. Mortem cogitare, quin corrigamur, insania est; mortem non cogitare, ne corrigamur, impietas. Quæ calamitas? Num alia major videri potest, quam mori, quin umquam de morte cogitaverimus? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Virtus cogitationis mortis.

Magna quidem cogitationi mortis virtus inesse dicenda est, quandoquidem Deus illam statim insculpere voluit in hominis corde tamquam antidotum naturale adversis peccatum. Statim ac mihi
Gen. 2. non parueris, *morte morieris*, dicit illi Dominus; & quandoquidem tentator numquam persuadere homini potuit peccatum, nisi postquam eidem hanc
Gen. 3. abstulit cogitationem. *Nequaquam moriemini*. Homo fuit innocens, donec ista cogitatio præsens fuit menti illius; quam ubi ejecis, factus est nocens; perspicuum argumentum malorum, quæ parit mortis oblivio. Et profecto oblivio hæc signum est vitæ ignavæ, & omnino mundanæ; ignavæ quidem, quia tunc impar est obeundis Religionis, & virtutis officiis; mundanæ vero, quia terrenis bonis, & vitiis inhæret. Qui mortis memoriam perhorrescit, duobus hisce periculis sese objicit. *Pater de la Rue in Quadragesima.*

Crassa esset illusio nos credere immortales, cum oppositum nos doceat experientia.

Verum est, Dæmonem non amplius nobis dicere, ut olim parentibus nostris, nos nequaquam morituros: nimis enim apertum illius esset artificium, & exemplum illorum, posterorum suorum, omniumque ætatum experientia illud palam mendacii redarguerent. Sed conatur aliis persuadere, animam eorum cum corpore perituram, ne a suis flagitiis recedant, efficitque ut alii dierum suorum finem longe remotum arbitrentur, cum præ foribus adstat, ut in sua impœnitentia perseverent. Illusio eadem fere est, effectus vero certe sunt æque funesti. *Sermo quartus Accademiæ anni* 1711.

De mali divitis morte.

Si mali divitis mors nobis bona videtur, quia in bysso, & purpura moritur; intueamur quinam sit terminus illius, & malam fuisse judicabimus, quoniam illum traduxit ab hac molli vita, in locum tormentorum, ubi ardet, quin vel unicam obtinere possit aquæ guttam ad sitis ardorem mulcendum. Si ex altera parte mors pauperis Lazari videtur mala, quia canibus ulcera ejus lingentibus, mera obit inedia, quin velit aliquis ei panis offam præbere, longius inspiciamus, & illam bonam esse inveniemus; quia ex hac vita languoribus plena egressus, tamquam in triumphum ab Angelis in Abrahæ sinum perducitur. Quid prodest diviti marmoreum in terra tumulum habere, cum interea anima illius sit in Inferno sepulta? Quid officiunt pauperi vulnera, cum interea æterna requie perfruatur. Eligamus ex utroque hoc mortis genere, utrum malumus; videamus utrum bonum sit, utrum secus; mihi quidem mors pauperis longissime præstare videtur morti divitis. Discamus ergo bene vivere, ut bene moriamur. *Ex operibus Spiritualibus Blosii, & a Ponte.*

Nobis cogitandum est de ratione a nobis Deo reddenda.

Cum in mortis articulo versabimur jamjam coram Deo produturi multiplici peccatorum genere obruti, quis noster esse poterit sensus? Serio id meditemur; quo magis id cogitabimus, eo magis turbabimur, si vere salutis nostræ desiderium nos tangit. Quo in statu ego sum, singulis dicendum est, & nisi Deus misertus fuisset nostri, quid essem, quid mihi accidisset? Peccatorum meorum numerus superat numerum capillorum meorum. Quot cogitationes, quot verba, quot desideria, quot actiones criminosæ! quæ sordes absconditæ, quæ odia, & invidiæ secretæ! quæ apertæ inimicitiæ, & ultiones! quinam abusus gratiarum, quibus fueram cumulatus! *Elogia Sanctorum Tomo* 1.

Si qui essent non morituri miseratione ducerentur tot curarum, quibus nosmet affligimus.

Quænam est mortalium insania inhærere huic vitæ, adeo facile fugienti? Fingamus inter homines non deesse quosdam, qui peculiari privilegio morituri non sint. Quænam esset eorum admiratio videntium nos domibus extruendis, arboribus inserendis, thesauris congerendis intentos? Nobis relinquite, dicerent, hujusmodi curas, quæ immortales tantummodo decent. Aliqui tantum vobis supersunt vitæ dies, & fovetis consilia non nisi sæculorum spatio adimplenda? Has ipsi reprehensiones meremur. O nos insipientes! corpus nostrum quotidie atteritur, nobisque suum nuntiat interitum; nihilominus excæcatur homo, & sibi audet promittere immortalitatem. *P. Segneri in Meditationibus.*

Væ illis, qui de morte cogitant solum, cum imminet.

Si qui vires suas refecerunt, atque corda sua confirmarunt iis omnibus, per quæ natura, & gratia robur, ac generositatem possunt infundere; trepidant tamen, & contremiscunt, cum a levi quadam prælii imagine, ejusdemque meditatione in aciem descensuri sunt, quonam in statu vos eritis, imprudentes animæ, quæ nihil plus impenditis temporis in mortis deliberatione, quam quod in ejusdem infirmitis executione; vos, quæ videntes quod numquam antea vidistis, id cogitare debetis, quod numquam cogitavistis; vos, quæ in instanti, in individuo temporis puncto, ut loquitur Scriptura, videtis vosmet transferri sub fatalem hanc lineam, qua tempus ab æternitate secernitur, & Cœlum ab Inferno, æterna felicitas ab æterna infelicitate dispescitur; vos, quibus mors non aperit oculos ad humanas vanitates, atque divinas veritates dignoscendas, nisi eo temporis momento, quo vos rapit? Video corda hæc, video illa trepidantia, incerta, perturbata, dejecta, confusa. Inopinati status novitas illis stuporem injicit, futurorum metus terret, multitudo rerum sibi faciendarum deterret. Cum ea vixerint in securitate, quasi sibi non esset moriendum, cum eadem moriuntur ignavia, quasi numquam vivere scivissent. Sensus, quos habent de Deo, omnes extra locum suum sunt: illum misericordem crediderunt, cum justus credendus erat, ne illum offenderent; illum vero justum arbitrabantur, cum misericors erat credendus, ne desperarent. Et sicuti confidentia in misericordia Dei, quæ erat futura consolatio mortis eorum, efficit

crimen vitæ ipsorum; ita metus justitiæ quæ vitæ eorum sanctitatem parere debebat, causa est desperationis mortis eorumdem. *Marcarus Archiepiscopus Aginensis.*

Corpori necessaria nos admonent de vitæ fragilitate.

Mirum est, quod homines in vita sua tamquam in solida quapiam re possint confidere, cum ipsi adeo manifesta, & assidua habeant monita suæ instabilitatis. Non loquor de morte sibi similium, quos in singula momenta vident ex oculis suis evanescere, & qui totidem sunt voces, quibus monentur se esse mortales, & illis quoque brevi mortem esse obeundam. Non loquor de non communibus morbis, quæ sunt veluti flagella, ut excitentur a sopore suo, utque admoneantur de mortis cogitatione. Loquor de necessitate in qua sunt quotidie reficiendi cibo, potuque virium suarum defectum. Quid enim aptius est ad illis ostendendam infirmitatem suam, quam illos persuadere de hac jugi necessitate, de hac assidua corporum suorum eversione, quam reparare conantur contra impetum torrentis mundi, illos ad necem rapientis? Fames enim & sitis vere sunt mortales infirmitates, quarum causæ incurabiles sunt, & quarum nisi ad tempus aliquod inhibeatur effectus, omnem tandem superant medicinam. *Tractatus de hominis infirmitate.*

Sæpe de morte cogitandum est.

Quoniam sancta vita verum est sanctæ mortis obeundæ secretum, ne praxim aliam inquiratis. Ad hunc finem omnes actiones, consilia, desideriaque vestra referte, & in rebus omnibus, quas ingredimini, & quas facitis, semper hanc adeo necessariam cogitationem fovete; hoc mihi ad bene moriendum prodesse potest. Hoc animo non omnes solum Christiani hominis exercitationes, verum etiam omnes vitæ civilis actiones facite. Adversa, & ærumnæ dimidium amittunt amaritudinis suæ, cum cogitamus prodesse posse, ut ab amore terrenarum rerum divellamur, ac nosmet sanctæ morti præparemus. Prospera nos inebriant, saltem nobis stuporem immittunt, & sæpe vertiginem cieat. Tunc mortis præcipue cogitationem revocate; hæc semper antidotum præsens est. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Omnes temporali morte damnati sut.

Primum Dei hominem creantis consilium erat, ut non secus ac ipse immortalis esset, & nondum amori illius erga opus manuum suarum satisfactum fuisset, nisi illi adjecisset gloriosam immortalitatis prærogativam. Sed homo ingratus, & rebellis per inobedientiam suam coegit benefactorem suum, ut illum omnibus hisce gloriosis muneribus exueret; & mors facta est simul criminis ejusdem pœna: *In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* In hujus Sententiæ vi, *in omnes homines mors pertransiit.* Possumus ergo nobismet externam promittere servitutem, possumus animum a mortis cogitatione avocare; sed nobismet persuadere, nos nequaquam morituros, hoc minime possumus. *P. Segneri.*

Gen. 2. 17.

ad Rom. 5. 12.

Ut conscienda consulatur mors semper cogitanda est vel-l præsens.

Eccli. 14.

Nostra maxime interest animo semper maximum hoc Sapientis consilium volutare: *Memor esto, quoniam mors non tardat.* Memento mortem prope esse, & a te evitari non posse. Si quem morientem vidisti, cogita hoc ipsum tibi eventurum. Tunc in lectulo tuo cubabis mortali oppressus languore, qui ad extremum te vitæ spatium rediget. Senties paulatim te viribus destitui; felix nisi simul mente, & animo non destitueris; & si cor tuum, ac bona voluntas non deficiunt. Consanguinei, & amici plorabunt coram te, tibique ferre opem conabuntur; sed omnes eorum curæ, & auxilia, si preces adirras, omnia erunt inutilia. In manibus tuis collocabitur Crux, qua Salvator de tenebrarum Principe triumphavit, ut contra illius impetum armatus illius tentationes eludas. Tibi sæpe iterabuntur Sanctissima Jesu, & Mariæ nomina, & si etis adhuc tui compos quinam tui sensus erunt? Quid his in angustiis tibi dicendum erit, & faciendum? Quid velles tunc pro tempore illo pro Dei cultu, pro animæ tuæ salute fecisse? Modo fac illud, ne nimis sero te tantæ negligentiæ pœniteat. Nihil te consolari eo momento poterit, nisi bona vita anteacta, nisi pœnitentia a te facta, mortificatio, & bona opera a te exercita. Ubi animam efflaveris, cadaver tuum sternetur humi, linteo obvolvetur, in sandapila collocabitur, in tumulum inferetur, ac ingesta humo tegetur. Singuli mox repetent domum, & ipse solus permanebis. Nonne hoc est dignum seria animadversione argumentum? *Pater Novet in Meditationibus.*

Cogitandum est, quid de nobis post mortem fiet.

Ecce te in sepulcro; corpus tuum est pabulum vermium; sed quid erit de anima tua? Statim ac de corpore egressa erit, ante Judicis sui tribunal apparebit perterrefacta tam insueta, & celeri mutatione, & magno timore correpta; nescia respondere anteactæ vitæ crimina objicienti, ac trepidans in expectatione sententiæ terribilis vitæ, aut mortis, damnationis, aut salutis, quæ in eam erit proferenda. O vita! O mors! O æternitas! Mors misera, vita beata, æternitas sine fine. Intelligamus ergo vim momenti hujus, a quo pendet æternitas. Ecce nunc tempus gratiæ, & misericordiæ. Dies omnes, horæ omnes, momenta omnia vitæ nostræ, momenta sunt favoris, & indulgentiæ; ac in iis invenire possumus gratiam ad Filii Dei pedes procumbendo; sed post mortem nulla venia est, nulla gratia; nulla spes, nullum remedium. Cogitemus ergo nunc fatale momentum illud, quod sorti nostræ terminum in æternum positurum est. Vitæ sanctitate præoccupemus judicia Dei: nosmetipsos damnemus in tempore, si æternam damnationem nostram effugere cupimus. *Idem.*

Mors citius quam putamus, ingruit, eaque fere cum de ill. ne cog'tamus quidem.

Duæ sunt circumstantiæ in hoc mortis argumento, de quibus nemini dubitare licet, nisi de sanæ mentis usu dejectus fuerit. Prima est illam ut plurimum accidere citius, quam putatur; ubi enim invenies hominem, cui persuasum sit se quolibet momento mori posse. Quod nos fallit omnes, hoc est, quod eminus tantum prospicimus mortem, cogitamus illam adhuc venturam, & jam adest; namque in singula momenta vitæ nostræ particulam aufert. Sed quod non totam simul aufert, & ignoramus quota illius pars nobis supersit: inani luditur spe, nos non adeo morti proximos esse, quia non videmus illam. Circumstantia altera est; mortem fere semper tunc ingruere nil tale opinantibus; & nisi noctesque, diesque vigilaverimus, non posse nos adeo periculosas insidias evitare. Divina justitia, S. Ephrem ait, tibi terribiles mittet nuntios, qui te accessant ad se, & animam tuam longe aliud cogitantem, invadent; ut sistat se ad Tribunal ipsius, omnium actionum suarum rationem reddittura. Neque solum dicent illi, quod olim Abrahæ Deus: *Egredere de terra tua*, sed egredere de terra universa, egredere etiam de Religione, quæ domus est Patris tui Cœlestis. Omnia relinque, omnia desere, cognatos, amicos, voluptates, honores, & quidquid tibi est antiquius, ipsam etiam vitam, & vade in terram, quam tibi monstravero. Heu! Domine, quænam est hæc terra, quo mittes animam meam, postquam egressus ero de mundo? Numquid erit terra viventium, ut ibi in æternum cum Sanctis tuis laudes tuas concinam, & prædicem misericordias tuas? Numquid in terram mortuorum, in regionem tenebrarum, ubi nullus ordo, & sempiternus horror inhabitat? *P. Novet in Meditationibus.*

Gen. 12.

Quis esse debeat morientis Christiani sensus.

O Domine! quoniam præcepisti, ut moriar, humiliter acquiesco sententiæ judicii tui, & non renuo mortem, quam toties tot criminibus merita sum. Illam ex corde, & æquo animo accipio in spiritu pœnitentiæ; & consentio animam a corpore meo divelli, eo quod nimis inordinatis affectioni-

ctionibus suis paruit. Consentio corpus hoc ingesta humo tumulari, & conculcari in luxus, & superbiæ meæ pœnam; pabulum fieri vermibus, ac in putredinem redire, quia nimis illius commoda conquisivi; privari sensuum omnium usu, quibus abusum est, ut te læderet; privari omnibus terræ bonis, ut luat pœnas ejus dilectionis, qua ipse illud prosecutus sum, & qua eodem abusus sum; & me tandem in æterna oblivione relinqui, quia dum viverem tandiu oblitus sum tui. Unum a te simpliciter peto, ut morte Electorum moriar. Voca me quæso Domine, eo tempore, eoque in statu, in quo tibi magis placuero. O Salvator piissime amabilis? cum me circumdabunt dolores mortis, ne derelinquas me. Cum homines efferent me sepeliendum, ferant Angeli animam meam in Cœlum, & hoc animæ pateat, dum tristes illius exuviæ terræ mandabuntur. O Deus, illam in manus tuas commendo, quam pretioso Sanguine redemisti. O Dei mei Mater Sanctissima, fatali eo temporis momento intercede pro me. *Idem.*

Vulgo nobismet blandimur nos nequaquam a morte inopinato deprehensû iri; & plerumque deprehendimur.

Inde vosmet morti non præparatis, quia speratis semper id agendi spatium vobis non defuturum, & numquam vos inopinato iri deprehensum. Tamen Salvator asserit se tunc venturum, cum id minus cogitaveritis: Qua hora non putatis, *Filius hominis veniet*. Ne vosmetipsos decipiatis, rati Dominum aliter vobiscum acturum ac cum aliis se facturum minitatur? e contra vobis credendum est, si sapitis, ad vos potius singillatim, quam ad alios has pertinere minas, neque enim hæ magis metuendæ sunt, quam illis, qui eas ad se non putant referri. Cogitate igitur vobis singillatim hæc dici a Christo Jesu, vos ab illo judicandos esse, & ipsum eo temporis puncto venturum, quo illum minus expectabitis. Ubi de hac veritate fuerit vobis persuasum, curabitis, ut semper ad moriendum parati sitis, neque periculum erit, ut morte opprimamini. *P. Segneri in suis Meditationibus.*

Non vivitur male, nisi quia mors tamquam distans respicitur, & male vivitur quia hoc modo spectatur. *Matth.* 24.

Malis nostris medicina esset, nobismet persuadere, mortem ita nobis prope adesse, uti viri salutis nostræ zelo flagrantes nobis dicunt juxta sacrum Scripturæ textum hoc ipsum asserentem. Sed iis utimur argumentis, quibus servus iners, qui putabat Patrem familias non adeo cito reversurum, & qui moram hanc causatus, tranquille officium suum negligebat: *Moram facit Dominus venire.* Infidelis sponsa; Spiritus Sanctus ait, sperat sponsum diutius absuturum; & ideo sese libidini mancipat: *Non est vir in domo sua; abiit via longissima.* Dives, cujus meminit Evangelium, sibi multos vitæ annos superesse putat, ideoque se ipsum invitat, ut congestis opibus, laborumque suorum fructu perfruatur: *Anima habes bona posita in annos plurimos.* Perstitit olim in impietate, corruptione, & flagitiis suis humanum genus, quia homines noluerunt habere fidem proximi diluvii comminationibus. Pias Noe adhortationes traducebant in jocum, & omnes perierunt in aquis præter Sanctum hunc Patriarcham cum familia sua quæ Dei cultui fidelis permansit: *Non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes.* Quot Christiani hodierna die quoad mortis propinquitatem sunt increduli; donec illa ne opinantibus quidem ingruat, sibi persuadere non possunt, illam imminere; & hæc vera est causa omnium flagitiorum ipsorum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Prov. 7.

Luc. 12.

Matth. 24.

Perfecti Christiani mori cupiant, ut Jesu Christo jungatur.

Paratine sumus mori, ut cum Jesu Christo conjungamur? Sanctus Paulus, qui nobile hoc fovebat desiderium, volebat, Christianum repletum spe Religionis, gemere, & suspirare sub pondere mortalis corporis sui; & Sanctus Augustinus hanc explicans veritatem, dicit, vitæ sanctitatem, & mortis amorem duas esse qualitates, quæ invicem separari non possunt. Duo isti duplicis vitæ amores, inquit ille, in anima imperfecta pugnant inter se. Fluxæ vitæ hujus amor adeo vehemens est in imperfectis Christianis, ut illam cum voluptate possideant, & non nisi ægre illam amittant. Perfectio animarum fidelium Deo efficit e contra, ut illæ vitam hanc gravate sustineant, & mortem expectent tamquam verum bonum suum. Ceterum, pergit ille, non dicant imperfecti se longius vitæ spatium cupere, ut aliquid in virtute progrediantur, sincere loquantur, & fateantur, se cupere producere vitam, quia non hac præstant virtute, ut diligant mortem. Si in nostro ad æternitatem transitu Dei tantum judicia reformidamus, timor hic a Sancto Spiritu nobis injectus, moderatus esset, pacatus, & religiosus, amoris nostri perfectio erga Deum, ut S. Joannes ait, in hoc sita est ut in illo confidamus Judicii sui die, si illum tamquam patrem nostrum diligeremus, itane tamquam judicem vereremur, ut illius etiam horreremus intuitum? Haberemusne ignavum hunc metum, quo turbamur, quo prosternimur; inanes hos tumultus, quos in nobis experimur simulac Dominus pulsat ad ostium nostrum, & per morbos admonet mortem adventare? *Fenelon Archiepiscopus Cameracensis in delectis sermonibus.*

Deus nos celat mortis nostræ horam ut qualibet hora nobismetipsis invigilemus.

Cur putamus a Deo nos celari diem, & horam mortis nostræ? Ut nempe, Tertullianus ait, in assidua vigilantia versemur. Et sane si nobis liqueret tempus, aliæque mortis nostræ circumstantiæ, qua incuria, quo tepore bonum operaremur? Qua audacia, quo furore in omne nefas rueremus? Ubi bona fides esset, temperantia, castitas, justitia, pietas? Quomodo bona opera facere festinaremus, si diuturnæ vitæ essemus securi, nonne pœnitentiam in longissimum tempus differremus, si illam obtinendi aliquam certitudinem haberemus? Ita est; nos qui, licet de postrema hac hora incerti maxime essentialia nostri status officia negligimus: nos, qui in singula momenta tempus inter, atque æternitatem positi, inter Paradisum, atque Infernum, tot peccata committimus, & adeo pauca bona opera facimus. Immortales habeantur tibi gratiæ, o Deus misericordiarum, eo quod nobis extremam vitæ nostræ horam absconderis, ut inquieta terribilis hujus momenti expectatio nos in jugi vigilantia teneret, & ut ita dicam, cogeret, ut omnibus viribus salutem nostram operaremur. Modo quidem optima fruimur valetudine, sed non multo post a nobis animam nostram potes repetere: Num certi sumus diutius victuros, quam tot alii, qui robustiores, qui corporis habitu validiores, qui juniores quam nos repentina morte correpti fuere? *Dictionarium morale.*

Tempore utendum est in vita incogitando nos morituros.

Proficiamus ex hac Salvatoris admonitione: *Stulte; hac nocte animam tuam repetent a te.* Heu! tam crebro sumus spectatores fortunarum intercisarum, quæ cumulum jam assecutæ videbantur, & voluptates, constantesque honores pollicebantur. Mors in singulas horas aufert hos pseudo beatos sæculi, qui tunc tamquam ex profundo somno excitati nihil amplius inveniunt in manibus suis, & nimis sero cognoscunt se commentitiam felicitatem fuisse aucupatos. Hoc testatur Propheta verbis istis: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis. Pater Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Deplorandi sunt mundani quod mortis animum non advertunt.

Mundanus hic se beatum putat, & est mortalium omnium miserrimus: sperat saltem proximam felicitatem, & fallacem dumtaxat illius imaginem persequitur. Quomodo felix esse posset? Non cognoscit veram felicitatem, neque viam, quæ illuc adducit. Homo est semisopitus, qui chimæris atque phantasmatis pascitur, qui felicitatis speciem pro ipsa desumit felicitate, & qui tandem mortis momento experrectus nihil invenit in manibus suis. Quam terribilis hic somnus est, qui pro mundi sectatoribus tunc cessat, cum non est amplius tempus errorem sarciendi, & inquirendi vera bona, quæ contempserunt, ut consectarentur inanem bonorum speciem,

cium, quæ illos fallebat; & quæ omnes illorum vires exhausit. Ne permittas, Domine, ut uspiam in adeo terribilem somnum incidam; & si per summam infelicitatem in illum forte incidissem, ne expectes mortis articulum, ut excites me velut stultum illum, cui dixisti animam suam nocte eadem ab ipso repetitum iri. Nemo se falli sinat fallacibus hujus mundi bonis; nemo pro veritate speciem aucupetur; sed ut sim ex parvo eorum numero qui minime falluntur, opus est mihi Domine, ut & abs te potenter adjuver, & ut quantum in me est nullum prætermittam officium Christianæ vigilantiæ. *Idem ibidem*,

Peculiari Dei gratia opus est, ut de morte cogitemus.

Quomodo hactenus cæcus fui? Heu! vixi, quin de morte cogitarem, quasi mihi non fuisset moriendum, licet ex hoc momento mea pendeat æternitas? Quantum debeo tibi, Domine, quod eduxisti me ex hoc fatali sopore, & quod oculos aperuisti mihi in re tanti momenti! Agnosco hac in re apertissimum protectionis, & peculiaris Providentiæ in me tuæ argumentum. Nisi enim modo me tantam hanc docuisses veritatem, in illis numquam intelligendæ periculo versabar. Mihi mortem imminere vidissem, quin de illa umquam cogitassem. Ergo benedictus esto, Pater misericordiarum! quod me adeo singulari gratia prævenisti, ac immisisti mihi salutare desiderium memet præparandi ad mortem. Hac in re curam omnem impendere volo. Tribue quæso mihi, Domine, lumina, quæ necessaria sunt, ut agnoscam, utrum in me aliquod lateat peccatum, vel perniciosus affectus, qui efficere possit, ut meæ timeam saluti. *Christiane Considerationes.*

Quam longe differant morientis hominis sensus a sensibus viventis.

Heu quam distant morientis sensus, ab iis, quos in vita fovebat. Quam longe aliter judicatur de rebus, cum spectantur quatenus in mortis momento considerandæ. Cum me in extremo illo articulo considero, cum mihi prodeundum erit ante Deum totius vitæ meæ præteritæ rationem reddituro: quantulæ res mihi videbuntur omnes terræ hujus magnificentiæ, divitiæ, honores, voluptates. Hæccine ea sunt, quæ mundus mihi pollicetur, & quæ mihi potest largiri? Quæ cæcitas tanta sollicitudine, & cura conquirere, tantoque affectu possidere ea, quæ nobis invitis mors est ablatura? Quæ dementia famulari domino adeo inique famulos remuneranti! Heu! Domine, non alii famulari volo, nisi uni tibi. Tu Dominus eris cordis mei, quin aliquam illius sibi vindicet partem mundus, in quo mihi vivendum est; quin me honorum suorum fulgore perstringat, vel suis illecebris fallat.

In vita nobis faciendum sit, quæ hora mortis a nobis facta fuisse vellemus.

Cum jacebo in lectulo mortis meæ, me pœnitebit mundi placitis adhæsisse; memet ingurgitasse voluptatibus criminosis, quas ille proponit sectatoribus suis, propter humanas rationes non explevisse ea, quæ cœperam consilia, vel studio aliis placendi; contra conscientiæ meæ munera fuisse locutum. E contra vero gauderem, si Deo fideliter paruisset, si mihimetipsi vim fecissem ad incompositos affectionum mearum motus cohibendos, si palam virtutis partes suscepissem, si omnes exercuissem virtutes, quæ statum, ætatemque meam decent, si omnia bona, quibus par sum, operatus fuissem, si frequentassem Sacramenta, quemadmodum constitui, si denique vitæ regimen, quod ipse mihi præscripsi, observassem. Hæc præter, propter ea sunt, quæ in mortis hora me fecisse vellem; hæc tibi recipio, Domine, me facturum? Quemlibet diem traducere volo, quasi ille vitæ meæ futurus esset extremus; hoc enim reipsa contingere potest. Volo igitur inpostetum omnes actiones meas peragere, quasi hæ extremæ essent actiones vitæ meæ. *Ibidem*.

Nemo in terris certus esse potest unius momenti vitæ. Eccl. 9.

Ita est, mortis nostræ tempus omnino est nobis absconditum: *Nescit homo finem suum*. Nihil certos efficere nos potest unius momenti vitæ; e contra vero; quot res momento vitam nobis possunt eripere? Mors omnibus modis tollere nos valet; palam nos oppugnat, & clam struit insidias. Forsitan heu! nos illa assecuta est, eamque gerimus in sinu, quin ne intelligamus quidem. Fingite vobis Piscem in reti, aquis inatantem; captus est; nec agnoscit. Ludit, salit, ut alii, quibus nihil metuendum est. Attamen de illo actum est, & quis scit, utrum brevi actum erit de vobis? Forsitan jactum est rete, & reliquum est, ut trahatur in littus; vos autem id ne cogitatis quidem. Quæ calamitas. *Illaqueavi te, & capta est Babylon, & nesciebas*. Cur igitur non aperitis oculos, ut juge periculum in quo estis, videatis? Estote parati; quam citius generalem edite confessionem, qualem facere velletis, si statim vobis esset moriendum, *nescitis* enim quando tempus venturum sit. Mortis vestræ hora distatne adhuc? Hoc cupere, hoc sperare potestis, sed *nescitis*: Ipse Dei Filius vos nescire testatur, hoc enim *Omnibus dicit*. Numquid fallere potest? & illius testimonium nonne debet nobis sufficere? Ne confidatis ergo in adolescentia vestra, in vestra valetudine, in bono corporis habitu, in temperamento, in vigore spiritus, quo adhuc gaudetis; attamen nescitis an cras sitis morituri. Salvator *omnibus dicit*; quicumque tandem estis, ægri, bene valentes, juvenes, senes: Videte, vigilate, orate: nescitis enim quando tempus aderit. *P. Segneri in suis Meditationibus*. (Jerem. 50. 24.)

Quid faciendum homini gravi morbo laboranti.

Christianus debet offerre Deo expiatorium vitæ suæ sacrificium, eique dicere: Offero tibi vitam, quam dedisti mihi, o Deus; *Voluntarie sacrificabo tibi*. Me pœnitet eadem abusum fuisse; ac in criminis pœnam, libens eam mihi patior auferri; atque tibi acceptius fiat meum sacrificium, hoc adjicio sacrificio, quod obtulit olim tibi Filius tuus vitæ suæ pro sceleribus meis. Moriens in lectulo doloris mei, ubi jaceo, dicere audeo, quod ille tibi dixit in lectulo Crucis suæ. *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*. Spero, Domine, futurum ut in hac divina conjunctione, oblatio vitæ meæ, quam audeo tibi exhibere, sit tibi jucundior, quo arctius erit conjuncta cum illa Filii tui in Cruce, qui peccati imagine assumpta ut peccatum ipsum in nihilum redigeret, omnes delevit iniquitates nostras ut nos cum suprema Majestate sua reconciliaret. *Modus recitandi Orationem Dominicam*.

Quam periculosa sit mors.

Quam amara, & quam terribilis est extrema secessio! Quantacumque sit animi firmitas, & magnitudo, fremat oportet natura, ubi accedere intelligit fatale vulnus, quo dissociandæ sunt duæ partes illæ, quas ipsa adeo arctis vinculis simul conjunxit: *Siccine separas amara mors!* Exclamabat olim Rex ille miser, jamjam separandus manu, quæ necem illi afferebat. *Siccine separas amara mors!* O mors quam amara est memoria tua, tunc etiam, cum ea consideratur remotissima, cujus amor proprius nonnisi per transennam videre potest horribilia lineamenta, quæ terrent peccatores. Heu! quænam erit amaritudo tua cum temet ostendes eo cum apparatu, qui te semper concomitatur apud eos, qui maturato faciem tuam videre non consueverunt? Ne nobis blandiamur; hoc objectum terrorem, tristitiamque incutere potest in fortissimas animas: sed nonnisi gaudium, atque solatium immittit in animam justi, qui servans cor suum a sæculi corruptione ardet, cum Apostolo, cupiditate beati momenti illius, quod a sæculi corruptione, illum sejungens in omnem æternitatem cum Deo suo conjungere debet, & efficere, ut per infinita sæcula perfruatur ineffabilibus suavitatibus, quibus pascit dilectos suos in cœlo. *Abbas du Jarry, & Recens Auctor*. (1. Reg. 15. Eccli. 41.)

Justo nonnisi accepta esse potest. Psal. 121.

O mors, justus in decessu suo dicere potest, quam amabilis mihi videris, ex hoc loco conspecta! *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*. O quantam mihi adfert lætitiam nuntium, quod accidit auribus meis: *in Domum Domini ibimus*, ibimus illuc, ubi non læditur Deus.

Deus. O prætiosa mors! O mors desiderabilis! Exue me quam primum hoc peccati corpore, ut hunc exilii locum relinquens celeriter Dei mei visione fruar. Apage hinc metum servilem: imo nobis lætandum est, quia prope nos est Regnum Dei. Hoc momento nobis dicendum est: *adveniat regnum tuum;* adveniat Regnum, quod Filiis tuis ab ipsa mundi creatione præparasti: Regnum ubi nullus est dolor, nulla sollicitudo, & quo nulli curæ aditus patet. Regnum ubi omnes dæmonis insidiæ nihil officere possunt; Regnum, ubi profunda, æternaque regnat pax; ubi omnia abundant bona, ubi æquè fruemur in æternum duratura. *Ex modo recitandi Dominicam Orationem.*

Magna in hora mortis pericula, animarum timidarum, quæ dum viverent, Dei potius judicia, quam illius misericordias meditatæ sunt.

Quænam terroris, & fortasse etiam dejectionis argumenta timidis animabus, cum simul vident omnia vitæ suæ crimina, quorum singula ipsis ministraverit inexhaustam materiam pœnarum, atque scrupulorum; cum oculos suos conjiciunt in defectus, & infirmitates illas quas se commisisse putant, in omnia Sacramenta, quæ indigne se recepisse credunt, in omnes gratias, quibus se abusas fuisse extimescunt, in omissiones omnes, quarum se nocentes existimant, & quarum numerum, atque enormitatem dæmones illis exagerant. Qui illarum terror, cum prope considerant hæc Dei judicia, quæ eminus inspecta jam terribilia ipsis videbantur, & quæ certe sexcenties terribiliora videntur, cum prope est, & omnis rigor eorum subeatur, cum, ut ita dicam, digito attinguntur, cum prope est ut iisdem opprimamur? Docet nos experientia tunc maximis contentionibus, ac laboribus opus esse, ut confirmentur animæ licet sanctissimæ, & illæ ipsæ quæ in Dei misericordiis confidunt. Quid ergo de illis erit, quæ non nisi amaritudinis panem gustaverunt, & quæ fere cognoverunt Deum dumtaxat ex illius Judiciis, atque rigoribus! Quomodo non clamabunt illæ cum Judæis exanimatis: Iniquitates nostræ sunt super nos; Illæ opprimunt nos; in causa sunt, ut animo deficiamus. Numquid ulla superest nobis vivendi spes? *Author Recens.*

Navis naufragio proxima exemplum est hominis morientis.

Vidistisne umquam navim inter fluctus; & undas deprehensam, in singula momenta naufragium præstolantem? Cœlum illi minas intentat tonitruis, fulguribus, fulminibusque; qui ea vehuntur noctis horrore terrentur; venti, ac tempestates illis bellum indicunt. Cum malus frangitur, gubernaculum amittitur, discerpuntur lintea, tunc quantum fieri potest exoneratur, donec fatiscunt latera, & undequaque aquam excipiunt, & undique omnes Dei misericordiam implorant. Hoc triste quidem spectaculum est, sed imago est hominis in agone positi, cum Propheta clamantis; *Dolores mortis circumdederunt me.* Ratio autem est, quod Psalm. 17. sicuti intellectus, qui est instar Solis, & Cœli animæ, caligine involvitur, voluntate sine vi, & vigore permanente, imaginatio turbatur affectus, & præsertim metus, ac desperatio, tot veluti tempestates, ac vehementes venti agitant animam: corpus in omnibus partibus suis, sensibus, & facultatibus deficit. *Pater Poirè in Triplici Corona.*

Quam vituperabiles sunt morientes qui hæredibus suis animæ curam committunt.

Quamplurimi totam vitam suam transigunt in perpetua Dei, & salutis suæ oblivione. Nihil cogitant, nihilque contendunt, nisi ut magna pro filiis ac nepotibus suis conquirant bona; & cum imminet mors, tunc animæ suæ consulere incipiunt. Sed quia quidquid collegerunt, jam in hæredum suorum manus transiit, illis se etiam atque etiam commendant, ut sibi in altera vita ferant opem, jejuniis, precibus, sacrificiis, aliisque operibus piis. Hoc sane illi non didicerunt a Salvatore suo, animam suam non quidem consanguineis, & affinibus, verum Æterno Patri commendanti. Neque hoc docet Sanctus Petrus, ubi Fideles hortatur, ut animas suas commendent non filiis, atque Nepotibus, sed illi, qui creavit eos,

& fideliter omnia illorum opera bona remunerabitur. Neque ideo illos reprehendo qui præcipiunt, vel petunt, vel cupiunt, ut pro se fiant sacrificia, eleemosynæ ad animæ suæ requiem obtinendam erogentur. Sed quam improbandi sunt mortales, qui nimis in bona fide, & gratitudine semper dubia hæredum suorum confidunt? Nonne quotidiana hoc nos docet experientia filios, ubi recesserunt ab oculis eorum, a quibus vitam acceperunt, eorum statim oblivisci? Quam reprehendendi sunt, quod in tanti momenti negotio, quale salutis æternæ est, ita se ipsos negligunt, ut minime cogitent eleemosynis suis amicens sibi comparare, a quibus ex hoc mundo egressi, ut Salvator ait, in æterna recipiantur tabernacula? *Card. Bellarminus de septem verbis Domini in Cruce.*

Dum vivimus nobis cogitandū est, qualis sit futurus vitæ hujus exitus.

Jure Salvator nos admonet, ut vigilemus, nescimus enim, qua hora Filius hominis venturus sit. Ad hoc ipsum nos hortatur Sapiens, cum ait: Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Quis enim jam proditurus coram Judice peccati conscius illum audet lacessere, a quo juste damnari potest morte? Nos tamen, qui ad terribile momentum hoc festinamus, quo sumus judicandi, non veremur, nobis recentibus noxis promereri indignationem supremi Judicis tunc temporis, cum ut ita dicam, duobus gradibus ab illius tribunali distamus?... Quisnam inter manus lictoris, jamjam capite plectendus ridet adhuc, negotiatur, honores, ac divitias aucupatur? Nonne hoc intempestivum opus esset, atque importunum? Hoc tamen efficiunt mortalium, immo etiam Christianorum plerique. Omnes nocentes sumus, & morte digni; vita nostra sensim diffluit; spatium illius fortasse breve est. Quid cogitamus? quid quærimus? petitura bona congerere, honores vanos acquirere, & cupiditatibus indulgere, quasi dies nostri nullum essent finem habituri. Ita semper vigilantes pro nugis, dormitamus ubi agitur de maximo nostræ salutis negotio. *Idem in Opusculis.*

Talis est inter vitā mortemque nexus, ut quod corporibus nostris separandis inservit, ad dies etiam nostros abbreviandos inserviat.

Heu! nonne ab ipso nativitatis die incipimus mori? Hanc Adæ pœnam nonne luimus, statim ac ejusdem labem contrahimus. Quotidie, ut ita dicam, membratim morimur, & prout nos tuemur, perimus. Calor naturalis in singula momenta late depopulatur; & corpus nostrum quotidianis reparandum est alimentis, & pharmacis, quæ sensim nos infirment, prout nos reficiunt: quod nos componit, etiam nos destruit. Res eædem, sine quibus vivere non possumus, mortem nobis inferunt. Sanguis, qui vitæ sedes est, sæpissime est causa mortis. Quod nobis prodest, obest etiam, & aliquem nostrorum sensuum in languore, vel necessitate relinquit. *P. Gibien.*

Instans idem quo vivimus mortis est.

Hoc ipso vitæ momento, quod possidemus, vitæ ipsius finem videre possumus. Accipe sapientiores, eos, qui coronis redimiti sunt, vel quibus divitum, virtute præditorum, sanctorumque titulus tribuitur. Omnes istæ qualitates dumtaxat momento vigent, quo efficere possunt magnam hanc perfectionum extensionem, insignem hanc dignitatem, hanc majestatem, ad quam non ita facile patet aditus. Hæc omnia simul accidunt eo temporis articulo, quo mors illa potest opprimere: & licet maximus esses Terrarum Imperator, non teneres ultra locum, quem modo tenes. Itaque quidquid es cum eloquentia tua, opibus, scientia, aliisque prærogativis; hæc omnia continentur in unico momento, & momento hoc ipso desinere potes. *Idem.*

Pulchritudo, opes, perfectiones in instanti possunt interire.

Accede huc, adolescens, qui generis tui honore tumes, qui propter ingentes, quas possides divitias, elatus es, & gloriaris propter mundi hujus fallacis assentationes; nonne horum omnium finem in instanti videre potes? Tu vero juvenis, ac superba forma, quæ

toties te Solem terræ, & numen appellari audivisti; ubi consideras quidquid perfectionum tibi inest, apoplexiæ, vel alterius celeris, ac repentini morbi momento interire posse; ubi cogitas pulchritudinem hanc, quæ mortalium oculos perstringit, & tot animarum interitum parit, momento in pulverem redigi posse, & postquam fuisti mundi prodigium, te quovis momento in morbum incidere posse, quod te in horroris spectaculum convertat; atque ad id sufficere levem aliquem casum, qui tibi in singulas horas potest accidere, bona fide quæso; hoc nequit abs te confessionem hanc extorquere: opus est, ut creaturæ ipsæ quæ maxime eximiis excellunt perfectionibus omnino culpa vacuæ non sint, quandoquidem sunt adeo miseræ. *P. Gibieu*.

Incertitudo temporis, & loci mortis efficere debent, ut eam omnes reformident.

Omnibus persuasum est, moriendum esse; omnes dies veritatis hujus nobis & argumenta, & exempla suppeditant. Crebro videmus foveas in sepulcretis, epitaphia in Ecclesiis, luctus in familiis, funebres pompas in compitis; acciditque auribus nostris tristis æris campani sonitus, quo satis mortalitatis nostræ admonemur. Sed quænam nos maneat mors? Judex noster hoc nobis non aperit, sententia nostra hoc non constituit. Ignoramus utrum gloriosa futura sit; an turpis; lenta, an velox, violenta, an naturalis; quæ obscuritas docet eam omni ætate, omni tempore, & in omnibus locis nobis esse metuendam; Imperatores, ac Reges, qui omnes naturæ facultates fatigant, qui nullam otiari sinunt opificum artem, ut suis voluptatibus serviant: Divites hi, quos vulgus simplex observat, & colit, nudi ex hoc mundo exire debent, sicuti ingressi sunt, ac demum ingesta humo & non ferendis sordibus tegendi sunt tamquam belluarum cadavera. *Pater Gibieu*.

Dæmon nobis semotâ mortem ostendit, ut omnem nobis auferat diffidentiam.

Quoad extremum finem nostrum, operæ pretium reor animadvertete dæmonis astum, hac in re adolescentulos potissimum fallentis, quibus mortem ostendit tamquam longe semotam, cum prope est, & a Deo constituta: pictorum instar, qui uno penicilli ductu nobis exhibent objecta longe recedentia, ac remota. Ita sæpe dæmon nos fallit; nobisque subdolis coloribus exhibet perfectæ valetudinis bona, bene valentem adolescentiam, bonum vitæ regimen, & videns se non posse amplius universalem obtrudere immortalitatem, quam primis genitoribus nostris spoponderat: *nequaquam moriemini*, (*Gen. 3.*) adnititur tamen peculiarem quamdam nobis suadere immortalitatem in hoc, quod nullum statum cognoscimus numerum dierum vitæ nostræ, quo arbitramur terrenam sedem hanc a nobis esse relinquendam. Ita illusionibus suis dæmon contendit efficere, ut nullum sit vitæ nostræ momentum, quo dicamus; hoc temporis articulo vitam mutare decerno. *P. Gibieu*.

Sensus animæ Christianæ, quibus illa mortis sententiam debet excipere.

Anima Christiana debet ex morte proficere hac in re, quod hanc primogenitam peccati considerans, hinc arripit occasionem respiciendi peccatum, quod illius causa est, tanquam unicum objectum suæ abominationis, & odii. Æquo excipit animo hoc peccati supplicium, ut inde offerat Deo pro peccatis suis sacrificium, & hoc pacto pœnam sibi convertit in meritum. Ex hac ipsa mortis sententia in se lata ansam arripit Deo confitendi propria & peculiaria peccata, quibus sibi mortem promerita est, præter peccatum originale, dicens: Mors est vitæ privatio, non secus ac earum rerum omnium, quæ illam deliciis affluentem atque jucundam efficere possunt: Hanc excipio, Domine, in pœnam pravi usus, in quo vitam meam impendi, atque amoris, quo creata prosecutus sum. Mors rerum omnium maxime terribilis est: Illam excipio, Domine, & dolores omnes, qui illam comitari debent in pœnam tot deliitiarum, & voluptatum, quas mihi procuravi, tamquam mollis anima, & crucis inimica, qualis semper fui. Mors me debet ex hominum societate auferre, & brevi me in mundi totius oblivionem adducere! Quam justum es, Domine, ad castigandum fatuum hunc, perditumque amorem, quo nomen meum immortalitati consecrare contendo. Mors adducet me in statum corruptionis, ac fœtoris, quamobrem qui mihi propinquiores sunt me perhorrescent. Quam æquum est hoc, Domine; sed hoc quæso prosit ad expiandum pravum odorem vitæ adeo flagitiosæ, quam duxi, ac tot exemplorum pessimorum, quibus pluribus animabus meam contagionem afflavi. Fieri debeo larva nudis ossibus cohærens, & spectrum horribile: esto, talis fiam, Domine, ad puniendum inordinatum amorem, quo miseram vultus speciem excolui, quæ suffurata est Majestati tuæ corda mortalium. Nulla proculdubio inveniri potest eloquentia satis valida ad cor Dei permovendum, interiori hac acceptatione, qua homo justissimam mortis suæ sententiam admittit. *Pater Gibieu*.

Non est differendū ægros de mortis periculo commonefacere.

Quomodonam hominum plerique moriuntur, Auditores? Ipsi nostis. Eorum infirmitati videmur consulere, quæ timet, ne mors sibi ante tempus inferatur; qui metus efficit, ne quis hanc illi prænuntiare audeat; vel si quis tandem audet, expectare vult summa cautione circumstantias, & ut eam opperiatur, quæ sit propitia. Ægrotus, vel animam efflat, vel rationis usum amittit, vel si mentem habet adhuc satis liberam, sepulcri propinquitas eam perterrefacit. Turbatur, confunditur, & amittit meritum sacrificii vitæ suæ; quia vim non habet illius offerendi. *P. Senault Oratorii*.

Mors accidit inopinato.

Dixissetis, Fideles, putavissetisne futurum ut mors adeo celeriter vobis eriperet amicum, fratrem, consanguineum, uxorem? Bene, in speciem saltem, valebant; ad effætam senectutem minime pervenerant; nostis mortales aliquos minori valetudine, majorique ætate fruentes: sed mors neque ætatem respicit, neque valetudinem. Domini unius vocem audit, & ubi jubetur percutere, ministram se præbet fatalis sententiæ, quam ille contra universum humanum genus jam pridem protulit. *Abbas Cassagnes*.

Mors aliorum efficere debet ut de nostra conversione cogitemus.

Inopinata hæc mors nobis stuporem incussit; quam primum alia, & postmodum alia etiam incutient; & vita tota in hujusmodi terroribus impenditur, quin aliquis hoc sibimetipsi applicet, quin aliquis verum sese convertendi consilium ineat, quin tot proficiat monitis, quæ nobis mittuntur a Deo, ut saluti nostræ consulamus. *Misi in vos mortem in via Ægypti, & non rediistis ad me, dicit Dominus*. (*Amos 4.*) *Idem*.

Mortis cogitatio amara est beatis sæculi, & iis præsertim qui in divitiis nati sunt.

Quam amara est mortis cogitatio homini in pace bonis suis perfruenti, quem nulla adversa perturbant, cui omnia fluunt e sententia, & qui adhuc vitæ deliciis frui possunt! sed quam longe amarior est qui inter divitias, & dignitates orti traducunt dies suos in jugi perfruitione rerum earum, quas alii non sine laboribus comparant, & non sine impedimentis tuentur. Assuescunt mundum hunc adspicere tamquam fixum aliquid, & putant, illum numquam desiturum: Summa ea libertas, in qua vivunt, efficit, ut obliviscantur, sibi esse moriendum; & decepti ea luce, qua circumfulgent, præsto sunt, ut sibi promittant immortalitatem. Quomodo ergo in hoc statu nihili sui adspectum potest sustinere? Quomodo abjicere potest errorem, in quo tandiu vixit? Quam difficile est, quod mors, quæ erudire debet, non terreat, nec cieat motus desperationis, quin pœnitentiæ sensus infundat! *Abbas Favier*.

Utile est mortem cogitare.

Mortem cogita, atque innocentiam servabis. Mortem cogita, & non amplius amore tuimetipsius infatuaberis; & non eris amplius adeo tenax juris tui, adhuc sollicitus tuæ auctoritatis, adeo fervidus, & cupidus in negotiis tuis, adeo irrationabi-

nabilis in furoribus adeo durus in alios, adeo indulgens ipsi tibi, adeo parum Christianus ubique: Mortem cogita, & inde acquires lenitatem, verecundiam, modestiam, patientiam. Nulla cupiditas est, quam saluberrima hæc cogitatin non frangat. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Quàm terribilis sit mortis cogitatio homini qui semper vitam amavit,

Moriendum est! quæ sententia! jam lata est, neque potest revocari. Moriendum est. O verbum terribile homini, qui de morte non cogitavit umquam; qui toto vitæ suæ spatio mortis cogitationem perhorruit, cui hæc una cogitatio insigne supplicium visum est. Quam turbam, quam confusionem non pariunt in peccatoris anima stimuli crudeles, quos hæc ciet cogitatio? Tunc enim omnis illius pœna, omnisque sensus percipitur. Moriendum est, videlicet, relinquenda sunt bona sua, domus, honores, amici; extremumque vale omnibus vitæ voluptatibus dicendum est. Corani Deo prodeundum est, cique ratio reddenda desideriorum, cogitationum, actionum, ut judicemur. Quot relinquenda sunt? quot lacrymis eluenda? quot facienda! quot formidanda! & ad hæc omnia adimplenda breve superest momentum. Processus jam instructus est, quilibet in conscientia sua gestat factorum omnium argumenta. Deus irritatus jamjam judicaturus est, & de tot illatis sibi contumeliis pœnas experiturus. Peccatum ipsum, quod tot habebat illecebras, non est amplius quam monstrum in ipsum peccatorem insurgens. O mors quam funesta es, cum hominem aggrederis, qui vitam suam inter delicias transegit! Præteriti memoria terret, præsentis adspectus opprimit, futuri timor ad desperationem adducit. O mors! ô terribilis mors! si peccatori occurris, illi inferni suburbium videris. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 5.*

Fideli mors est cupienda.

Fideli nihil inveniens in exilio suo, quod illi satisfacere valeat, debet incessanter ad patriam suam omni studio contendere; debet mortem appetere, ut cum Dei Filio regnet. Hoc erat votum Apostoli Gentium, cum dicebat: *Cupio dissolvi, & esse*
Philipp. 1. *cum Christo*. Hic bonorum sensus esse debet; hoc æquissimum est fidelis hominis votum. Si illi persuasum est de justorum in Cœlo felicitate: cupiet proculdubio miseræ, & criminosæ vitæ hujus finem. Mortem respiciet veluti gratiam, quæ illum a miseria, & peccatn liberet, & quæ obstruens os abyssi illi Cœli januam aperiat. Hinc Sanctus Augustinus dicebat, illi, qui mortem metuebat, nihil fidei superesse, & non mereri qualitatem fidelis, quoniam nullo beatæ æternitatis desiderio flagrabat. Judicemus de fide nostra ex immenso vitæ desiderio, & mortis pavore. *P. Senault Oratorii in Panegyrico Sanctæ Magloriæ.*

Mors tria mortis genera surripit morientibus.
Lib. 13. de Civ. Dei.

Mors, uti Sancti Patres, præcipue vero Sanctus Augustinus animadvertit aliquid est ita molestum, ut verbis significari non possit; & alioquin ita inevitabilis est, ut quodcumque præcaveatur, nemo eadem esse possit immunis. Præter metum hunc non desunt inquietæ sollicitudines, quibus tentator utitur ad perturbandam mentem ægrotantis, cum prope est, ut mors tria auferat bonorum genera, quæ ille deperit, & quæ sine dolore non potest amittere. Primum filiis, proximis, uxori, amicis vale extremum dicendum est, sine spe illos ultra in hoc mundo videndi. Secundo relinquendæ sunt omnes divitiæ, domus, hæreditates, aurum, argentumque, solus laborum suorum fructus. Nuntium denique illi mittendum est dignitatibus, & honoribus, quos tanta cura adeptus est. Et cum illi necessario hæc omnia sint relinquenda: Spiritus nequam, qui non ignorat quinam illi dominetur affectus: hac utitur arte, ut cordi illius dominetur. Pugna gravis est, sed dæmoni hæc utilitas est, & cum ille sit nudus, & adversarius illius indumentis onustus, per quæ illum apprehendere potest facili negotio, ita non multo labore illum prosternit. Ita illi tetram immittit tristitiam, quæ nonnumquam illos ad blasphemias contra Deum evomendas impellit, atque dicendum illum omnino injustum esse, quandoquidem vitam aufert, quam illi conferre non debebat, si adeo brevi eamdem erat ablaturus. *Ex Operibus Asceticis Blosii, & a Ponte.*

Timor judiciorum Dei maxima est tentatio, quã moriens patitur,

Ex omnibus tentationibus, quibus homo in lectulo mortis suæ torquetur, eæ sunt periculosiores quæ ex justo pœnarum æternarum timore proficiscuntur. Cum enim dæmon videt peccatorem in extremis laborantem, illi ob oculos statuit omnia præteritæ vitæ flagitia, eorumque terribilem illi imaginem objicit. Ostendit illi negligentiam, qua cum Deo rediit in gratiam; illi divinæ justitiæ severitatem exagerat, districtamque rationem eidem a se teddendam. Ostendit eidem infernum apertum, & locum qui illi in omnia sæcula tenendus est. Conatur etiam, si fieri potest, turbare illius imaginationem terribilium rerum imaginibus; turba vero adeo procedit, ut sæpe putet se in corde suo res abominabiles ac Divinæ misericordiæ contumeliosas proferre. Verbo, nihil est, quod subdolus ac violentus inimicus prætermittat, ut morientem adigat ad desperationem, & adstruit illi fidem, antequam damnetur, nullam ipsi amplius sperandam esse salutem. Denique infelici huic animæ simul perferendæ sunt oppugnationes improborum spirituum, qui ad illius interitum conjurarunt, jactura terrenorum bonorum, quæ mors ablatura est, & morbus, quem immittit illi Deus tamquam scelerum pœnam. Melius comparari nequit, quam domui, in quam simul venti, torrentes, & imbres irruunt. Si domui huic non aliud substernitur fundamentum, quam arena, quæ figura est vitæ mollis, ignavæ, sensibusque deditæ, magnum subit corruendi periculum. At si stabili petræ innitatur, quæ constantis, solidæque virtutis est imago: vigebit semper, & non venti, non torrentes, non imbres illam poterunt labefactare. *Opera Ascetica Blosii, & a Ponte.*

Nobis gratiæ potius agendæ sunt Deo nos ad se evocanti, quam de hoc conquerendũ.
Eccli. 11.
Psalm. 67.

Vita, & mors sunt a Deo, Sapiens inquit. Domini est, inquit Psalmista, eos quos vult vel salvos facere a morte, vel enecare. Uni igitur misericordiæ debemus annos quibus viximus; & si modo nobis vitam ab ipso datam eripit, nullam nobis infert injuriam. De hoc nobis conquerendum non est, sed potius illi gratiæ agendæ sunt, quod in hanc usque horam servarit, & quod suum est, illi reddendum; quoniam hoc reposcit, & illi placet a nobis vitæ ejusdem voluntarium fieri sacrificium. Quid enim a ratione magis abnorme est, quam orare Deum, ut voluntas sua rebus in omnibus adimpleatur, quemadmodum facimus quotidie, & interea sanctæ huic voluntati obluctari, cum nos ad se ipsum appellat? Hoc sane est vivere, velut captivi, semper huic supremo Domino rebelles; quandoquidem cum ille vult nos ab hoc mundo divellere, ipsi nonnisi inviti assentimur. Quam mercedem credimus ab ipso illis tribui, qui ægre, & gravate illi parent; & ideo parent, quia vis iisdem infertur? *Ibidem.*

Quinam sint illi, quibus est causa trepidandi morte adventante.

Illi mortem reformident, qui per Baptismum, & Spiritus Sancti gratiam non regenerati nihil expectare possunt, nisi, ut infernis ignibus damnentur. Illi mortem reformident qui in Cruce, & Passione Domini non confidunt. Illi mortem reformident, qui post primam mortem, alteram subituri sunt, & qui ex hoc mundo egressi in æternum flammis torquendi sunt. Illi denique mortem reformident, quibus vitæ diuturnitas non prodest, nisi ut eorum augeantur supplicia, & districtiorem Deo reddant rationem, scelera sceleribus agglomerantes. Isti eam timeant; quia Judicis sententia conformis erit statui, in quo erunt extremo vitæ suæ momento. Nobis, quid metuendum est? Quotidie oramus Deum, ut nos in regnum cœleste nos vocet: cur ergo tantopere exilium nostrum, nostramque in terra captivitatem diligimus? Cur malumus

hic in terris servire Dæmoni, quam in cœlis cum Jesu Christo regnare? Quid est mors nisi transitus ad immortalitatem? Numquid licet nobis, qnin ex hac vita egrediamur, æternæ vitæ possessionem adire? Qui putant se io hoc mundo beatitudinem iovenire posse, hi cupiunt plurimorum sæculorum spario vitam producere: nos autem, qui cum simus Christiani oullum infestiorem habemus inimicum mundo; quomodonam illum possumus non odisse? Quomodonam oon magis, magisque jungimur Salvatori, qui vicit mundum suum, ac nostrum acerrimum hostem? *Ex iisdem*.

Cum mors evitari nequeat debemus nosmet divinæ voluntati subjicere.

Temporum Dominus ita singulis & vitæ diuturnitatem, & mortis momentum constituit, ut nullo modo fines, quos ipse præscripsit, liceat transilire. Si igitur moriendum est, quodnam moriendi tempus esse potest optatius illo, quod Deus ipse constituit? Quicumque regimen suum, ut debet, divinæ Providentiæ permittit, non aliud profecto malet, neque enim ullum hoc aptius cognoscet. Præterea sapiens debet, ubi fieri potest, necessitatem io meritum sibi convertere, & conari, ut non ægre, sed libenter ea subeat mala, quæ evitare oon potest. Hoc pacto mala ipsa eidem fiunt minus molesta, & inde maximas percipit utilitates. Quemadmodum igitur ex malis omnibus corporis teterrimum est mors; si hanc libenter subimus, magnum Deo sacrificium offerimus; atque inde plurimum gratiarum ad bene moriendum acquirimus. Voluntaria hac suimet ipsius oblatione non modica persolvitur pars eorum, quæ divinæ justitiæ debemus, & hæc species est Purgatorij, quæ efficit, ut illud alterius vitæ vel minus austerum sit, vel minus diuturnum. Mors denique bonos adducit eo, ubi Deum nequeant offendere. Eos in æternum tentationibus eripit, eisque vitæ hujus labores in æternam requiem convertit. Quam ob rem Sapiens affirmat, *meliorem esse mortis diem die nativitatis*. Et jure: nascimur enim, ut pugnemus, ut laboremus; ut moriamur; morimur autem, ut quiescamus, ut lætemur, ut in æternum vivamus. Justus noo moritur, nisi ut felix in æternum vivat, & mors ejus semper in conspectu Domioi gloriosa sine ulla comparatione melior est vita, quam amittit, quæ fluxa, & fragilis est, ac plurimis malis referta. *Ibidem*.

Eccli. 7.

Quodnam erit in hora mortis periculum eorum, qui mundo huic adhæserunt.

Quid eveniet, Domine, morienti, qui mundo huic adhæsit adeo, ot illum amittens adhuc eum diligat! Momento semet intueri omnibus rebus generice, & in æteroum nudatum sub perspicacissimis oculis, sub omnipotenti manu Judicis irreconciliabilis, & irritati, in profundo silentio, in quo Deus tantum auditur, quis intelligere posset quinam tunc sit Principum virorum, atque sectatorum mundi stupor; cum dicto citius gradum fecerunt ad statum adeo novum, atque terribile? Ad id cogitemus; amoveamus a nobis tristissimas hasce considerationes; huc tamen redibimus, & cum summo nostro detrimento, si huic inviti redibimus. Sepulcrum erit veluti scopulus horum omnium phantasmatum, quibus distinemur, & adeo valide terræ huic adnectimur. In scopulum hunc allisa confringentur, oculisque nostris nihil obversabitur, nisi hic Deus ultor, cui districtam reddituri sumus rationem eorum etiam operum præteritæ vitæ, quæ nos fallunt, & vix percipi valent; & felix, vel infelix æternitas quæ tunc erit inchoanda. Modo terram amamus, & quidquid pulchrum, ac jucundum nobis exhibet mundus, intra paucos annos, intra paucos dies, & celerius etiam fortasse ex his omnibus, quibus in præsentiarum mens nostra occupatur, ne unum quidem erit, quod non elabatur nobis, atque in omnem æternitatem oon fugiat a nobis. Omnem sensum amisisse, omnemque abjecisse Religionem dicendus est, qui adeo terribile futurum minime prævidet. Morienti omnia præterierunt, ipse etiam fatali hoc momento prræterit. *Pater la Pesse tomo 5.*

Descriptio cadaveris in cubili magnifico jacentis.

Quidnam quæso est corpus hoc, quod universam vanitatem nostram, & quodammodo spem omnem terrenam sustinet? Quid, inquam futurum est de corpore hoc in sepulcro? Quid nobis cogitandum est de fragili infirmitate nostra, cum aliquod cadaver intuemur? Vix persona hæc adeo nitens, jucunda, ab omnibus in honore habita, omnibusque numeris absoluta expiravit, cum nemo ad eam audet amplius accedere. Illam quam primum domo extrudere cogitatur; linteo tamquam intolerabile objectum contegitur. Statim ea mandantur, quæ sunt necessaria, ut viventes eo liberentur fœtore, quem exhalat, ac terrore, quem inspirat. Horribile hoc corpus oon multo post in terræ visceribus abscondetur, ne putidis exhalationibus suis tabo viventes inficiat. Reperiam ne verba satis significantia, ut vobis exhibeam corruptionem, qua jam incipit absumi? Cur timeam vos vobisinetipsis ostendere? Nulla mihi habenda ratio est vestræ vel mollitiei, vel superbiæ. Auferte funebre linteum, quo hæc horribilia tegitur imago; & hoc spectaculum nonnisi horrorem vobis immittet. Hæc non est amplius figura illa vividioribus animata coloribus, quæ terrestre numen aliquod videbatur. Hic terminus est admirabilis formæ illius, illius gloriæ, & deliciarum, in quibus supremam felicitatem nostram collocaveramus. *P. la Pesse. Tomo 5.*

Mortis oblivio in peccatore moriente primus est divinæ ultionis effectus.

Primum divinæ ultioni in peccatorem morientem telum est punire oblivionem mortis, in qua vixit. Si attente consideraverimus hoc Dei erga nos consilium; ejus justitia nulla in re terribilis ita videbitur, ut in Sententiã, quam contra homines protulit, eos morte condemnans. *Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum: terribili apud Reges terræ*. Damnatio hæc illum Regibus terræ terribilem efficit; sed ex hominibus cunctis mors videri debet maxime terribilis peccatori; quia mors hujus principium est miseræ æternitatis. Quamvis omnes haberet excogitabiles causas trepidandi ad mortis memoriam, ille sese omnibus dedit flagitiis; Dei legem contempsit; semper a se mortis cogitationem amovit, credere noluit futurum, ut aliquando caderet sub ultori gladio divinæ justitiæ. Ultio prima, quam sumpturus est Deus de hac mortis oblivione, hæc est, ut repente eadem morte opprimatur, cum qui illius oblitus est. Æquum est, ut malum spretum repente irruat in caput eorum, qui spreverunt illud, ejusque cogitationem procul avertere conati sunt. Peccator imprudens qui neglexit animum advertere ad momentum hoc terribile, & decretorium ex hac prima Dei ultione discet causas, propter quas illi mors erat timenda: *Ascendam ad terram absque muro*, dicit Deus per Prophetam, *veniam ad quiescentes, habitantesque secure*. Veniam ad peccatores qui se in tuto esse inter gravissima scelera opinantur. *P. la Pesse Tomo 1.*

Psal. 75.

Ezech. 38.

Mors nobis ostendit terrenarum rerum vanitatem.

Heu! Deus, quid sumus? & semper inanibus magnitudinis conceptibus pascimur! Quot nugæ inutiles! quot chimæræ! Mors una nobis nos tales ostendet, quales sumus. Quælibet alia tabula, nobis fucum facit, & fallit. Sed quam triste est, se tantum in fatali hac hora, & decretorio mortis momento, cognoscere? Ante aliquot dies, persona hæc valetudinis plena suavitatibus opulenti muneris, & oticotis fortunæ aura fruebatur; hilaris, læta in omnibus voluptuariis cœtibus emicabat; erat omnium mundanarum festivitatum anima, sexcentis inanibus cogitationibus referta, ut suæ satisfaceret ambitioni nihil inausum, iotentatumque relioquebat: & inopinatus eventus, febris primum quidem levis, mox autem violenta omnia illius evertit consilia, totum hunc nitorem extinguit, spem omnem abrumpit; & figura hæc adeo elegans, idolum hoc mundi brevi in horridum mutatur cadaver, non ferendum oculis illorum etiam, a quibus tamquam numen quoddam æstimabatur. *P. Croiset Tomo 2. suorum Recessuum.*

O Deus!

Sensus mundanæ mulieris in hora mortis. O Deus! Quam perspicue videtur in facie, oculisque morientis mulieris, nativa imago vanitatis vitæ hujus, & nihili omnium horum phantasmatum magnitudinis, & vanitatis, quibus mundi sectatores pascuntur! Quam pura in luce renidet novissimo vitæ hujus momento ridiculum nugarum nostrarum, & omnium dogmatum mundi hujus; sed funestissimum est id intelligere, cum dies occidit... Quonam abierunt illi voluptuarii cœtus! Heu! non amplius niteo; alia nescio quæ in locum meum suffecta est. Sereni dies præteriere; omnes sæculi deliciæ pro me extinctæ sunt. Cognati, amici, filii, ego nihil amplius sum vobis. Mortis horrores me premunt. Me deficere sentio. Morior. En igitur momentum æternæ salutis meæ decretorium. O terribilis status! O formidabilis fabulæ enodatio! *Idem ibidem.*

Licet nobis promissa sit immortalitas quo dolore vi- Non postrema inter causas, propter quas mors ab hominibus metuitur, est corporis sui destructio. Dicat licet Philosophia corpus esse carcerem animæ; anima hunc amat carcerem, eumque ita amat, ut quamvis ætas, & anni illum horribilem faciant, illa nonnisi ægre, & gravate illinc egreditur, & semper serius, quam potest. In carcere hoc anima captiva est, sed ipsa captivitas adeo ipsi arridet, ut nihil magis, quam ut libertate donetur, extimescit. In carcere hoc patitur anima, & nihilominus finem passionum suarum spectat, tamquam malorum omnium maximum. Cum hic carcer atteritur, illa hunc sarcit, cum hic vitium minitatur, illa hunc fulcit; cum tempus morbique hunc labefactant, illa pertinaciter hunc tuetur. Anima in hoc sese munit, & numquam inde libenter egreditur, donec in eo punctum invenit, ubi possit habitare. Sed quam injuste amoveamus a nobis separationis hujus cogitationem, id ipsi cognoscere possumus ex promissione immortalitatis, quam Dei filius se nobis largiturum recepit, si animam nostram perdere voluerimus, hoc est nosmet in hoc mundo mortificare, ut in altero perfectam acquiramus æternitatem. *Ex Sermonibus P. Aurelianensis Tomo 2.* tam hunc relinquemus.

MORS
BONA, ET MALA.

Præparatio ad mortem; Varii Justorum, & Peccatorum sensus in morte, &c.

MONITUM.



N superiori titulo jam monuimus, argumentum hoc tam late patere, ut unico nequaquam licuerit titulo complecti, quidquid in concione de Morte disseri potest. Quamobrem postquam illam generatim perpendimus, eaque collegimus, quæ notæ melioris auctores de illius incertitudine dixerunt, & cur nam plerique procul arceant mortis cogitationem, quamquam assidue ob oculos ejus hoc objectum versetur; hic peculiariter agimus de morte bona, de necessaria ad bene moriendum præparatione, de vigilantia, qua quilibet se ipsum præmunire debet, ne a morte occupetur.

Fatendum nihilominus est, si necesse fuit duos hosce titulos separare, difficile tamen esse illos ita sejungere, ut alterius aliqua pars in altero non inveniatur, vel saltem aliquam cum altero rationem non habeat; qualis est impressio, quam mortis cogitatio, vel facit, vel facere debet in animo illius, cui aliquis Religionis superest sensus. Verum ex ea ratione, qua istic de mortis cogitatione, atque memoria verba facimus, palam innotescet, hæc a nobis afferri, tamquam medium aliquod, ac præparationem ad mortem sancte obeundam, quod potissimum est hujus tituli argumentum.

Hoc unum addo, quod quemadmodum ut solide, & christiane loquamur de morte, sæpe a thesi ad hypothesim descendendum est, Concionatorem in duobus hisce titulis, quos secrevimus, ut argumento adeo late patenti cancellos constitueremus, inveniri posse, unde satis, superque quamlibet Concionis ideam in hoc argumentum valeat exornare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Synopsis.



I. E Justorum morte, quæ in Scripturis dicitur somnus. Inter justos, qui hanc vitam veluti transitum quemdam ad æternitatem respiciunt, & impios, qui ita vivunt quasi numquam essent morituri, hoc discriminis interest, quod illorum vita in Scripturis vigilia, & mors somnus vocatur; horum autem vita dicitur animæ somnus, quæ in corpore, tamquam in tumulo sepulta videtur, & in morte expergiscitur, nulla umquam in altera vita quiete perfruitura. Juxta hanc ideam, quam de Justorum morte nobis adstruit Spiritus Sanctus tertio Proverbiorum capite: *Si dormieris, non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus*; Sanctus Bernardus Epist. 105. justæ concionis graphidem, & divisionem aperit, cum ait, tria esse, quæ bonorum hominum mortem suavem, & jucundam efficiunt, per hæc verba, quæ non aliud sunt, quam superiorum Sapientis verborum explicatio: *Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem.* 1. Justi in morte omnium laborum finem. 2. æternæ salutis securitatem. 3. & gaudium inveniunt, quo ob status novitatem afficiuntur, ubi supremi boni possessione fruuntur. Hæc est concionis partitio.

Pars prima. In naturali somno primum quietis suavitas invenitur; quod primum est mortis justorum bonum: *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Apoc. 14. Labores isti sunt vitæ hujus calamitates, & miseriæ, pericula, & occasiones in æternum pereundi; quæ res Sanctorum

rum lacrymis eliciebat, & S. Paulum impellebat, ut exclamaret: *Quis me liberabis de corpore mortis hujus &c.* ad Rom. 7.

Pars altera. Alterum mortis justorum bonum est æternæ felicitatis securitas, cujus adeunt possessionem ipso mortis momento, & cujus solidam concipiunt spem, antequam etiam moriantur. Hac de causa nos admonet Sapiens, ne ob consanguineorum, amicorumque mortem tantopere affligamur, qui, uti bonos decet, moriuntur, quia mors eorum nonnisi perutilis eisdem accidere potest; atque Ethnicis relinquendum esse luctum, dolotemque ob amicorum jacturam, quia nulla spe beatioris vitæ fulciuntur.

Pars tertia. Mortem denique justorum suavem, atque jucundam efficit inexplicabile gaudium, quod oritur ex status novitate, ad quem immediate post obitum migrant. *Gaudium de novitate*, Sanctus Bernardus ait; quod Sapiens cap. 7. illis indigitat verbis: *Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Quin enim loquamur de felicitate, cujus tunc adeunt possessionem; tunc illi præteritam conditionem cum recenti maxime comparant statu; & quamvis cœli gaudia illis semper nova videantur; tamen primus earum gustus summa illos afficit lætitia, non secus ac primum magnæ alicujus felicitatis, quæ nobis obtigit, nuntium majori nos alacritate, & gaudio perfundit: *Mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.*

II. De mortis oblivione.

1. Gravissima stultitia est de morte non cogitare: etenim ad hanc oblivionem excusandam, opus esset 1. ut in morte nihil esset metuendum, nullumque in ea periculum esset subeundum: 2. ut hoc periculum ad nos nequaquam spectaret; & unde oriri possit tanta securitas, quæ nos æternæ objicit calamitati: 3. ut periculum hoc tantum non esset, vel non tantum nobis minitaretur interitum. Illud vero, quod maximam ostendit imprudentiam, atque stultitiam illius, qui de morte non cogitat, quasi omnino fuisset oblitus se aliquando moriturum esse, hoc est, quia manifestum periculum est, de morte non cogitantem a morte occupari; quia periculum hoc ad illum singulariter spectat; & demum quia periculum hoc maxime timendum est: agitur enim de animæ, æternæque salutis jactura.

2. Gravissima temeritas est velle bene mori, quin antea ad bene moriendum ulla præcesserit præparatio; hoc enim est spem suam in tribus rebus constituere, quæ in nostra potestate non sunt, & in quibus confidere non possumus. 1. In Dei misericordia, qui, ut minitatus est, fortasse tunc in interitu nostro ridebit, quemadmodum nos in vita illum neglximus. 2. In Domini Ministris, qui nobis tunc temporis aderunt, qui vel nos nequaquam paratos invenient, vel ingenii, & doctrinæ defectu nos disponere nescient ad fructum aliquem percipiendum ex modico, quod supererit, temporis intervallo, ut bene moriamur. 3. In propria voluntate; quomodo enim sperare possumus nobis sinceram tum fore voluntatem execrandi id, quod nobis toto vitæ spatio fuit in deliciis? &c.

III. 1. Frequentius est, quam vulgo existimetur, morte occupari; ideoque fidelis semper paratus esse debet, ne labatur in insidias inopinatæ mortis, cujus tempus, locus, & genus ignoratur. Ad has autem evitandas insidias, quas adeo molesti exitus subsequuntur, unica ratio est semper esse paratum. 2. Non adeo facile, neque commune, ut existimatur, est bene mori, cum toto vitæ spatio nosmet eidem præparare neglexerimus.

IV. De rationibus, quibus viventes adhuc nosmet præparare possumus ad mortem sancte, beateque obeundam.

1. Nunc faciendum est, quod in morte fortasse fieri non poterit defectu seu temporis, seu modi explendarum inevitabilium quarumdam obligationum, quas in illud usque tempus differre periculosissimum est, puta bona aliena restituere, labem alienæ illatam existimationi reparare, ac tandem aliis pluribus justitiæ muneribus satisfacere, quæ mors inopina, & præceps adimpleri nequaquam permitteret. 2. Nunc, & ultro faciendum est, quod necessario faciendum erit in morte, videlicet noxia vincula infringenda sunt, & pravi, si qui contracti fuerunt, habitus exuendi, peccati occasiones relinquendæ, cor a terrenis bonis avellendum; verbo, faciendum quidquid in morte a nobis factum fuisse cuperemus, & quod tunc facere, saltem adeo sincere, non liceret.

V. De duobus salutaribus effectibus, quos cogitatio mortis producit, quorum alter est efficere, ut christiano homine dignam vivamus vitam; alter vero, ut moralem habeamus sancte moriendi certitudinem. Quoad priorem effectum ajo, frequentem mortis cogitationem efficere, ut christiane vivamus: 1. quia terrenarum rerum detegens illusionem, illinc cor nostrum avellit, quod præcipuus est gradus perfectionis. 2. quia nobis persuadens, in singula momenta nos mori posse, efficit, ut conscientiæ nostræ consulamus, peccatum vitemus, & metuamus; opera bona exerceamus & in æternitatem merita congregemus. 3. quia nobis in mentem revocat ea, quæ mortem subsequuntur, videlicet judicium, in quo omnium actionum nostrarum rationes nobis erunt reddendæ; præmiorum, pœnarumque æternitatem, quæ quidem validissimæ rationes ad christianam vitam ducendam impellunt.

Quoad alterum effectum, quod nempe frequens mortis cogitatio moralem conferat sancte moriendi certitudinem: 1. Hæc sanctam nobis inspirat in divina misericordia confidentiam finalem obtinendi perseverantiam, quam Deus numquam illis negat, qui bene vixerunt, & in bonorum operum exercitatione ad mortem usque perseverarunt. 2. Facit, ut patienter vitæ nostræ finem præstolemur, & voluntaria mortis acceptatione, quamvis illa sit inevitabilis necessitatis, Deo sacrificium offeramus. 3. Facit quodammodo, ut in antecessum nostris moriamur affectibus, amori proprio, ac iis omnibus, quæ nobis dolorem possent afferre, vel efficere, ut in mortis articulo metueremus.

VI. 1. Frequens cogitatio, & seria mortis meditatio efficit, ut mortem hanc prævertamus bona, sanctaque vita, quæ effectus est prudentiæ vere christianæ. 2. Nos confirmat contra mortis terrores, atque insultus, postquam effecit, ut familiaritatem, ut ita dicam, cum hoc objecto, quod omnium maxime terribile est, inietimus. 3. Efficit ut illam non ægre, & gravate excipiamus, jam parati, ac præmuniti contra ea, quæ aliquem illius timorem nobis possent incutere.

VII. 1. Sæpe de morte cogitandum est, ut christiane vivamus. 2. Ardentibus, sollicitisque votis mors est expectanda, ut simus perfecti Christiani. 3. Cum alacritate, perfectaque submissione recipienda est, ut Sancti, & prædestinati moriamur.

VIII. De inexpectata morte, qua ne occupemur imparati, providendum est.

1. Nihil vulgatius est morte inexpectata, quia homines vulgo mori sese præparare negligunt. 2. Nihil terribilius, propter manifestum moriendi in peccato periculum. 3. Nullum æquius supplicium illis, qui sese morti disponere, ac de illa dum vivunt, cogitare contemnunt.

IX. De bonis, quæ nobis procurat mors, & quæ probant eam cupiendatu esse potius, quam metuendam; quod de bona morte intelligendum est. 1. Mors vitæ hujus miseriis, præsertim vero periculo, & occasionibus peccati nos liberat. 2. Transitus est ad vitam beatiorem, nobilioremque. 3. Nos adducit ad possessionem gloriæ, quæ meritis, bonisque actionibus nostris debita, & parata est.

X. 1. Justorum mors, quamvis subita, numquam inexpectata est, illi enim semper sunt præsto, ac

parati

parati eidem recipiendæ. 2. illis semper utilis, & optabilis, ac pretiosa est qualibet ætate, & quolibet mortis genere occidant.

XI. De Morte peccatorum, in qua tria ad peccatorem morientem torquendum conjurant.

1. Præteritum, desiderio bonorum, quæ possedit, & quæ invito relinquenda sunt. 2. Præsens vi malorum, quæ patitur, & quibus cedere debet. 3. Futurum, justo metu damnationis æternæ, quam meritus est, & cui se videt expositum. *Desumptum ex Quadrag. P. Girons.*

XII. 1. Mors est necessarium homini sacrificium, sed in Christiano voluntarium esse debet. 2. Sacrificium nimis severum est homini, sed Christiano esse debet suave, & optabile. 3. Sacrificium est homini turpe, sed Christiano esse debet gloriosum. *Ex Speciminibus sermonum pro Quadragesima tomo 2.*

XIII. Ut nosmet bene moriendo præparemus, tria sunt necessaria,

1. Tota vita vigilandum est, ut mortis evitemus insidias. 2. Jugis habenda est mortis exercitatio in mortificatione Christiana. 3. Actiones omnes dirigendæ sunt juxta ideam de morte conceptam. *Ex Dictionario Morali.*

XIV. 1. Moriendum est. Veri Christiani hoc meminerunt; ideoque maturato sese præparant morti, & hoc pacto vitam beato fine concludunt. 2. Mundani, ignavique Christiani mortem non cogitant, ejusque obliviscuntur; ideo fere semper morte occupantur, & mors eorum funesta, & infelix est. *Ibidem.*

XV. Cum mors sit vitæ finis, nec non æternitatis principium, juxta utrumque hunc terminum consideranda est. 1. Ratione termini, in quo sumus, necessario nos rebus omnibus exuit; ideoque ut huic nosmet disponamus, necesse est in antecessum, integre, & alacriter omnia relinquere, mors enim diu differre non potest. 2. Mors est æternitatis initium; ideoque bene concipere oportet, ex hoc momento beatam, vel infelicem pendere æternitatem; huic momento finalem adhærere perseverantiam; cumque semel tantum moriamur, non posse hominem umquam se satis ad bonam mortem præparare.

XVI. De Communi hominum cæcitate circa mortem.

1. Cum certi simus nos aliquando morituros, neque parum de morte sumus solliciti, ac si immortales essemus. 2. Cum noverimus quanti momenti sit bona, & sancta mors, neque ignoremus ea, quæ malam subsequuntur, adeo parum laboramus nosmet ad bene moriendum præparaturi, ac si nihil nobis esset metuendum.

XVII. 1. Nihil magis funestum est morte peccatorum, non solum propter æternam, quæ illam subsequitur, calamitatem, verum etiam propter terrores, animique tumultus, quia ea, quæ viventibus voluptatem attulerunt, ac in deliciis fuere, hæc eorum maximum erunt in morte tormentum. 2. Nihil magis optandum morte justorum cum propter æternam, quæ illos manet, beatitudinem, tum propter gaudia, & consolationes, quas maturato Deus illis impertit.

XVIII. 1. Ut naturalis mors, quam evitare non possumus, bona, sanctaque fiat, mori debemus mundo nosmet separantes corde, & affectu ab omnibus creaturis. 2. Ut ea evitemus mala, quæ pravam mortem subsequuntur, peccata vera pœnitentia expianda sunt. 3. Ut sanctæ mortis gratiam obtineamus, christianas virtutes exercere debemus, bonorumque operum thesaurum congregare.

XIX. De discrimine mortis justorum, & reproborum.

1. Impii in confusione, ac tumultu moriuntur, justi in pace, & securitate. 2. Impii moriuntur in metu, amaritudinibus, ac doloribus, justi in gaudio, & consolatione.

XX. Christiano mortem optandam esse.

1. Quia cum creatus sit, ut æterna beatitudine perfruatur, nonnisi post mortem summo hoc bono frui debet. 2. Quia cum in hac vita nihil illi magis pertimescendum sit, quam peccatum, nihil ardentius illi optandum est, quam esse extra peccandi periculum. 3. Quia cum hoc in mundo sit viator, optandum illi est, ut quam primum in patriam perveniat.

1. Mortis fugitur cogitatio, quia mors timetur; ego vero vobis ostendam frequenti mortis cogitatione hunc timorem auferri. 2. Nulla umquam nimia cogitatio esse potest, quia nulla umquam nimia esse potest ad bene moriendum diligentia, & nulla nimia sollicitudo, ad bene id faciendum, quod semel tantum faciendum est, *Pater Nepven tomo 1. Considerationum.* XXI.

1. Mortis cogitatio cogitationum omnium est utilissima, & saluberrima, quia aptissima ad affectus nostros infringendos, ac vitia coercenda. XXII.

2. Moriendi necessitas justis quidem omnium necessitatum est felicissima, illos enim ea hoc mortali carcere liberat, ut in æternæ beatitudinis possessionem adducat, *Ex auctore sermonum christianorum.*

1. Quam maxime refert bene mori, quia de rebus omnibus, & in omnem agitur æternitatem; & si male morimur, jactura universalis est, irreparabilis, æterna. 2. Difficile est bene mori; neque enim id quæritur, ut tui compos, & omnibus refectus Sacramentis moriaris, sed ut in Dei gratia moriaris; & si bene vixisti, adhuc periculum est, ne finalem perseverantiam, quæ mere gratuitum donum est, assequaris. 3. Malam mortem corrigere, vel reparare impossibile est. *Pater de la Colombiere in considerationibus.* XXIII.

Justorum in morte felicitas prorsus opposita est peccatorum eodem in momento infelicitati. XXIV.

1. Justi morientes relinquunt ea tantum, quæ contempsere viventes, opes videlicet &c. vel ea, quæ fugerunt, veluti sæculi voluptates: at hæc ea sunt, quorum desiderio peccatores magis in morte torquentur, & quæ gravissimum illis inferunt dolorem,

2. Justi in altera vita secum ferunt ea, quæ in hæc æstimatione sua digna censuerunt, videlicet bona opera, virtutes, & merita sua; impii vero, & peccatores ea tantum secum gerunt, quæ maxime relinquere mallent, hoc est pondus peccatorum suorum, debitamque illis pœnam. *Idem.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde elici copia potest ad proposita Concionum argumenta pertractanda.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *exposit. in Psalm. 48.* in hæc verba; *Simul insipiens, & stultus peribunt*, docet, opus esse, ut nos morti præparemus, & merita in alteram vitam congeramus.

Idem in libro, cui titulus: *Speculum peccatoris*, docet semper vigilandum esse, ne, cum mors venerit, imparatos inveniat.

Idem *de Adventu ad judicium* describit infelicem impii statum, ac mentis illius tumultum, cum morti proximus est.

Idem *Serm. 55. de Resurrectione Domini* loquitur de inutilibus curis plerorumque hominum cum morti sunt proximi, quin de bene moriendo solliciti sint.

Idem *l. 1. de Civit.* docet bono viro nullum genus mortis malum, vel metuendum esse; & *lib. 13. cap. 4.* rationem adfert, propter quam adhuc morti sumus obnoxii, postquam peccata aquis lustralibus expiata sunt.

S. Ambros. librum edidit *de Bono mortis*, ubi agit de bonis, quæ mors adfert, & malis, quibus nos liberat.

Idem *l. 2. de Vocat. gent. c. 8.* ostendit nemini jus esse post peccatum conquerendi de vitæ brevitate, vel immatura, & præcipiti nonnullorum morte.

morte. *Et lib. 3. Hexam. c. 7.* hoc ipsum pertractat argumentum.

S. Greg. *l. 7. Moral. c.* 14. ostendit peccatores, qui sibi diutinam vitam pollicentur, passim decipi, se morte occupari.

Idem *l. 4. Dialog. c. 46. & 47.* ostendit mortis metum plurimis esse salutarem.

S. Hieron. *Epist. ad Cyprian. Presb.* docet, nos paratos semper esse oportere, ne morte occupemur; at e contra homines a se procul mortis cogitationem amovere, ac se diutius victuros sperare.

In Eusebii Epistola ad Damasum Papam de Sancti Hieronymi obitu leguntur Sancti hujus Doctoris sensus, cum animam erat efflaturus.

Sanctus Chrysostomus *Homil. 5. in cap. 5. Epist. 1. ad Thessalon.* rationem reddit, quare Dei filius voluerit, mortis nostræ diem nobis esse inexploratum.

Idem, vel Auctor operis imperfecti in S. Matthæum hoc ipsum tractat argumentum.

Idem Sermone 3. in Epist. ad Philipp. & in hæc verba Epistolæ ad Thessalonicenses: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus*, varie hoc tractat argumentum.

Sanctus Basilius *Homil. 17. in Psalm.* 115. in hæc verba: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*, ostendit ob justorum mortem gaudendum esse potius, quam plorandum.

Idem in libro, cui titulus: *Admonitio ad filium Spiritualem*, docet, non expectandum esse tempus senectutis, ut nos morti præparemus, sed hanc semper animo nostro obversari debere.

Theodorus Studita inter catechisticos sermones plures habet, ubi de mortis memoria agit; primus, tertiusque supra vigesimum ostendunt, mortem seria pœnitentia esse prævertendam; 33. 88. & 170. circa idem argumentum versantur.

S. Bernardus in quodam sermone *ex variis* loquitur de terroribus, tentationibus, amarisque doloribus, quos in morte patitur, qui male vixit.

Idem *Serm. 1. de Annunciat.* ad calcem, ostendit mortem nostram coram Deo esse posse pretiosam.

S. Cyprianus *lib. de Mortal.* exprobrat hominem ægre, & gravate morientem.

Ascetici, aliique. Granatensis *l. 1*, de Peccatorum duce c. 23. tranquillam justorum mortem, & deplorabilem peccatorum finem describit.

Alvares de Paz *Tom. 3. de Materia Orat. Ment. Medit. 7.* agit de discrimine mortis Justorum, & peccatorum.

Recupitus libro, cui titulus *de Bona morte* agit de rationibus eam procurandi. Liber hic tres complectitur partes, vel tractatus. Primus agit de ea cura, qua viventibus adhuc adlaborandum est, ut per bona opera bonam mortem obtineamus. Alter docet quid ægrotantibus faciendum. Tertius quid faciendum proximis morti.

Bellarminus 5. Opusculorum tomo in unum congessisse videtur quidquid in hoc argumento dici potest.

P. Suffren p. 1. Anni Christiani c. 6. art. 2. loquitur de utilitate cogitationis mortis, ejusque ad bene vivendum necessitate.

P. *Saint Jure* lib. 3. de cognitione, & amore Domini nostri *cap. 24. & seq.* de bona morte, deque modo sese eidem præparandi agit.

P. Haineuve libro, qui inscribitur *Magna via, qua Mundum perdit*, ostendit quam funesta sit mors in peccato mortali.

Essais de Morale in tomo 4. de quatuor finibus hominis fusius de morte sermo est, & in tomo 11. tractatum invenies de præparatione ad mortem.

P. Guilleminot in libro, cui titulus, *Sapientia Christiana* cap. 24. in prima veritate ostendit nihil impiis funestius morte; & in secundo veritate ostendit beatam esse mortem, quam bona vita præcessit.

P. Croiset in Secessu, & secundo spiritualium Considerationum tomo agit de mortis cogitatione.

P. Noyet in sexto Meditationum volumine in Secessu quodam agit de præparatione ad mortem.

P. Crasset librum edidit, qui inscribitur: Consolatio contra terrores mortis.

P. Lallemant S. Genovefæ Religiosus tractatum edidit de Præparatione ad mortem.

De S. Martha Presbyter secundo operum tomo tractatum habet de consanguineorum morte cum plurimis animadversionibus.

Abbas Trappensis Tom. 1. de Monasticæ vitæ officiis cap. 13. ostendit mortis cogitationem Religioso utilem esse, & necessariam.

Idem Tom. 1. Collationum in festum Circumcisionis diem loquitur de præparatione ad mortem, & modis sese præparandi.

Idem variis in locis effatorum suorum loquitur de morte cum generaliter, tum particulariter.

P. Nepveu librum edidit de præparatione ad mortem, ac sese eidem præparandi ratione.

Idem in Considerationibus pro singulis anni diebus Tomo 2. ostendit discrimen inter justorum, & peccatorum mortem. Et tomo eodem, sed alibi, unice loquitur de morte peccatorum. In tomo 3. de mortis insidiis agit, & tom. 2. mortem non esse metuendam ostendit.

Liber Passionum Domini nostri versus finem plures suggerit modos bene moriendi.

Quicumque de Secessibus, vel meditationibus in Christianas veritates egerunt, de bona, malaque morte locuti sunt, & præterea infiniti propemodum alii Ascetici, quos referre inutile foret.

Reins *conc.* 26. fusius agit de bonis, quæ nobis mortis cogitatio procurat. Recentes Concionatores.

Idem *conc.* 27. egregias habet sententias de morte Justorum, de felicitate, quæ illam subsequitur; ac docet illis non esse timendam.

Mathias Faber *in Domin. 15. post Pent. conc. 5.* de arte bene moriendi verba facit.

P. Texier sermone pro feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam agit de mala morte Christiani, qui male vixit.

Idem in Adventu de impio infelici alterum habet sermonem de mala morte peccatorum.

Idem sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam simul de justorum, & peccatorum morte loquitur.

Maimbourg sermone pro feria secunda post secundam Quadragesimæ Domin. agit de morte in peccato.

Idem pro feria quinta post quartam Dominicam loquitur de mortis contemptu.

P. Bourdalove in veris sermonibus pro feria 4. Cinerum eloquenter agit de effectibus, quos in nobis parit mortis cogitatio.

P. De la Colombiere, *Tomo 3. ferm.* 50. agit de necessitate præparandi se ad mortem. Quod ipsum argumentum tractat in sermone pro die Defunctorum.

P. Massillon in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur, unum habet de bona morte.

Abbas de Monmorel Homiliam, & sermonem edidit de bona, & mala morte in Evangelium Dominicæ 15. post Pentecosten.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali tomo 4. sermonem habet de morte justorum.

Idem in Tomo eodem alium habet de infelici morte impiorum.

Idem in primo tomo Quadragesimæ agit de morte in peccato.

Idem sermone pro feria 6. post 4. Quadragesimæ Dominicam integrum habet sermonem de præparatione ad mortem.

Idem *tom. 4. Domin.* serm. pro 15. post Pentec. Dominica ostendit a vita pendere mortis nostræ qualitatem, & vicissim vitæ nostræ qualitatem a mortis cogitatione pendere.

In Mo-

In Morali Dictionario titulo de morte duo sunt sermones, in quorum altero ostenditur, moriendum, & bene moriendum esse; in altero vero agitur de morte justorum, & peccatorum. Ibi habetur etiam sermo de præparatione ad mortem.

In speciminibus sermonum pro Dominicis in 9. Dominic. post Pentecost. agitur de triplici inimicorum genere peccatorem morti proximum obsidentium,

In iisdem pro Quadragesima argum. 3. pro feria quarta Cinerum sermo est de præparatione ad mortem.

In iisdem sermone pro 15. post Pentec. Domin. sermo est de utilitate cogitationis mortis, & in altero argumento de iis agitur, quæ acerbam mortis imaginem lenire possunt.

In sermonibus Dominorum de la Volpilliere, Fromentiere, de S. Martino, aliorumque plurimorum optima quædam inveniuntur ad præparationem morti & de morte justorum, ac peccatorum spectantia.

Qui collectiones hujus argumenti ediderunt.

Granatensis in locis Communibus.
Busæus in Panario titulo *Mortis Metus*, & in libro *de Statibus* tit. *de Statu Morientium*.
Drexellius, *Prodromus mortis*.
Summa Prædicantium.
Labatha, titulo *Mors*,
Lohner, titulo *Mors*.
Culens, in thesauro Locorum Communium,

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Numer. 23.

Mors peccatorum pessima. Psalm. 33.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Psalm. 115.

Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini. Psalm. 126.

O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis! Eccli. 41.

Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sapient. 4.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Eccli. 1.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Jobi 14.

Memor esto quoniam mors non tardat. Eccli. 14.

Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Sapient. 4.

Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi; si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Eccli. 41.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes: & expectatio sollicitorum peribit. Proverb. 11.

Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum. Eccli. 14.

Dispone domui tuæ, quoniam morieris tu, & non vives. Isaiæ 38.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Eccli. 9.

Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Sapient. 4.

Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Sapient. 3.

Mortuus est Zambri in peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino. 3. Reg. cap. 16.

In fine hominis denudatio operum illius. Ecclesi. 11.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Ecclesi. 11.

Mortuus est (David) *in senectute bona, & plenus dierum, & gloria*. 1. Paralip. 29.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Psalm. 48.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Matth. 25.

Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Luc. 12.

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7.

Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. Apocal. 3.

Ego autem in interitu vestro ridebo; & subsannabo. Proverb. 1.

Beati mortui qui in Domino moriuntur. Apocal. 14.

Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Ibidem.

Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. 1. ad Thessal. 4.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ad Roman. 7.

Coarctor, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Ad Philipp. 1,

Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino ... Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum. 2. ad Corinth. 5.

Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Psalm. 141.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento deprompta.

Balthasar exemplum mortis funestæ.

Dicere possumus, plerosque peccatores in sceleribus suis mori, quemadmodum mortuus est Rex Balthasar, cujus funesta mors in Bibliis describitur. Rex iste magnifico excepit convivio aulæ suæ Satrapas. At quam putas hujus convivii causam extitisse? Num insignis aliqua de hostibus relata victoria? Num Provincia aliqua suo adjecta imperio? Num principis alicujus nativitas, an solemnitas pro Regis honore, atque prosperitate? Nil tale in causa fuit; quinimmo Balthasar in urbe hostium innumeris copiis obsidebatur; eoque dementiæ processerat, ut comessationibus, compotationibusque vacaret, cum jamjam in hostium manus esset venturus: *In tantam venerat Rex oblivionem sui, ut obsessus vacaret epulis*. Hieron. in cap. 5. Dan. Cum tot strenui duces, militesque cruorem, & vitam pro eodem tuendo profunderent, cum funesta, ac turpis illi mors immineret, ipse interim mensæ accumbebat inter pellices suas rationem in poculis, obscœnisque libidinibus immergens. Vix id credas: verum nihilominus est, plerosque peccatores in similibus circumstantiis morte occupari. Jam in lectulo ad mortem jacent, hoc quoque posito, quod funesto casu aliquo minime deprehendantur, qui illos in ipsis scortationibus, ganeisque deprehensos conficiat, quod non raro accidit: Jacent inquam in lectulo ad mortem, conscientiam onustam habentes longa criminum serie; mentem veritatis, & religionis etiam fortasse contemptu excæcatam; cor tranquillo voluptatum usu, vel impia præsumptione, quæ illis nefastiæ mortis horrorem abscondit, obduratum. Numquam animum appulerunt, ut ad bene moriendum se præpararent; mors eorum improvisa est, & credi potest non æque funesta, ac illa infelicissimi Balthasar? *P. la Pesse sermone de morte in peccato*.

Pœna Israelitarū in ipso in

Peccatorum plerique morte occupantur non secus ac Israelitæ murmuratores, ac rebelles, de

quibus

temperantia sua mortuorum.

quibus sermo est in libro Numerorum cap. 11. Insultaverant illi Deo, & Moysi, quia eam, quam cupiebant escam, non habebant. Hæc illis concessa fuit, eamque adhuc habebant in ore, cum ira Domini super illos desæviit. Ita quoque peccator cum sua brutali cupiditate in corde moritur; moritur adhuc gustans crudelem suæ iniquitatis mercedem, adhuc ebrius, vel non satis sui compos propter intemperantiam; adhuc exhalans fel odii sui, atque vindictæ: *Adhuc esca eorum erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus est in populum.* Psalm. 77. *Idem.*

Mors Sancti Patriarchæ Abrahæ.

Novissima cura Sancti Patriarchæ Abraham, antequam e vivis excederet, fuit, uti in Sacris Bibliis narratum est, prævertere jurgia, & lites, quæ inter filios suos poterant oboriri, & adhuc vivens omnia illis tanta sapientia partiri, ut alii filii, quos post Saræ decessum ex alia conjuge genuit, Isaaco litem intentare non possent, neque illi auferre ejus terræ particulam, quam Deus eidem promiserat. His rite dispositis in pace, & ut facet Textus inquit, plenus dierum in beata senectute quievit. Hæc ea sunt, quæ de incomparabili hoc viro inquit, cujus fides nullum habuit exemplum, & cujus gloria, uti Sapiens Eccli. 44. addit, nullam partem invenit: *Non est inventus similis illi in gloria*, Vixit tamquam inquilinus in terra, & quo magis a mundi hujus bonis animum avellebat, eo magis Deus illum opibus cumulabat, eique Spiritus Sanctus præclarum hoc perhibet testimonium, quod rebus in omnibus ne latum quidem, ut ajunt, unguem a Domini lege declinaverit. Quamobrem mors illius beata fuit, quemadmodum tota vita fuerat sancta.

Mors magni legis latoris Moysis.

Spiritus Sanctus inquit, Moysem *in Osculo Domini* obiisse, vel ut alia habet lectio, *super os Domini*. Deut. 34. Morienti parum optandus fuit ingressus in terram lacte, & melle manantem, quippe Deum habebat in corde, & alebatur spe regionis alterius, cujus nonnisi levissima erat imago terra Chanaan. Sed a semetipso quoque novissimis illis momentis divulsus, ut de suo tantum populo cogitaret, nullam pro se peculiariter Deo obtulit orationem, sed unice illum obtestatus est, ne tantam hominum copiam veluti gregem sine Pastore relinqueret. Ita ad extremum usque spiritum suum zelum præ se tulit, atque ostendit maximam servi Dei curam, zelumque pro salute proximi sui in ipsa morte fuisse, post se successorem relinquere, qui Dei spiritu actus perficeret opus illud, quod ipse Deo auctore inchoaverat.

Mors Josue.

Josue mors ostendit Deum, ex quo ab omnibus eam recepit operam, cui fuerant destinati, ex hoc mundo illos auferre, ut eorum fidelitatem, laboresque remuneretur. Cum enim Josue Chananæos idem superasset, eamque populo universo distribuisset, dicere poterat Deo, quod deinde Mundi Salvator jamjam mortem subiturus, *Consummatum* videlicet fuisse opus sibi imperatum. Itaque finem sibi imminere præsentiens Moysem prædecessorem suum imitatus omnes collegit vires suas, ut populo universo Dei legem legeret, illum ad ejus observantiam hortaretur, atque ad instaurandum cum Deo fœdus olim percussum impelleret. In hoc quoque fuit Jesu Christi figura, qui antequam moreretur, prolixam habuit apud Discipulos suos orationem, qua illos ad Dei servitutem animaret, atque ad suum testandum amorem diligenti legis observantia compelleret.

Mors senioris Tobiæ.

In Scripturis legimus Tobiam jam jam viribus deficientibus præsentientem medicum adhuc sibi ad vivendum superesse temporis spatium, accersivisse filium, nepotesque suos, eisque extremam suam voluntatem declarasse. Filii, inquit, proxima jam est mortis meæ hora, & quam primum sum rediturus ad Deum. Si hactenus parentem vestrum amastis, & coluistis, ne obliviscamini, quod postremo vobis dico: *Audite filii patrem vestrum: Servite Domino in veritate, & inquirite, ut faciatis, quæ placita sunt illi.* Tob. 14. Ac rebus in omnibus voluntatem illius adimplete. Hoc ipse toto vitæ suæ tempore fecerat; ideoque sancte mortuus est, ut sancte vixerat.

Timor mortis, quem habuit Ezechias.

Narrat Scriptura, Ezechiam licet optimum principem, religiosumque legum observatorem in fletus, & suspiria erupisse, quoniam Propheta Isaias cap. 38. Dei nomine dixerat illi: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu; & non vives.* Verum memento, hunc fuisse Regem potentem, qui quin prorsus nequam esset, & peccator, ingentes nihilominus in corona inveniebat illecebras. Heu! jamjam ipso emoriente, cor ejus illam experiebatur defectionem, quæ morientibus gravissimos, atque incomprehensibiles affert dolores, præsertim vero si tunc rapimur, cum adhuc terrenis rebus adhæremus, ac retinere cupimus objecta illa, quibus stipati sumus. Tunc enim in corde nostro fit tristis illa querimonia Regis alterius, qui minus sanctus erat, quam Ezechias: *Siccine separas amara mors?* 1. Reg. 15.

Dei filius nos sæpe admonuit ut paratI essemus.

In veteri testamento nulla reperimus exempla, quæ metuere, vel imitari possimus; sed eorum loco Dei filius sæpe nos admonet, ut parati simus in extremam hanc horam. Plures hujus argumenti proposuit parabolas, pluribusque usus est similitudinibus, atque comparationibus, ut nobis persuaderet, mortem ne cogitantes quidem nos esse occupaturam; ita ut voluisse videatur, mortem jugiter oculis, animoque nostro obversari. Tribus publicæ vitæ suæ annis sæpe de morte sua cum Apostolis loquebatur, & ipso Transfigurationis suæ die in vertice Thabor de eadem cum Moyse, & Helia verba facere auditus est. Admirabile ejus præparationis exemplum, quam adserre debemus nostræ, quæ numquam ex animo nobis excidere debet ne iis quidem diebus, quibus prosperis rebus utimur, atque gaudio præ cæteris afficimur.

Discrimen mortis, qua malus dives, & Lazarus sublati fuere.

In Sancti Lucæ Evangelio duplicem habemus descriptionem mortis prorsus oppositæ, sive illius modum, sive ejusdem effectus spectemus, alteram quidem mali divitis, alteram vero pauperis Lazari. Illa quidem gloriosa, hæc misera, & turpis fuit in oculis hominum, sed longe aliud fuit de utraque judicium Dei. Ille in magnifico, floribusque ornato cubili efflavit animam; hic incubans paleis expiravit. Ille inter cognatorum, servorum, atque libidinis, crapulæque sodalium brachia humanis decessit; hic vero nullum, qui assideret, habens nisi canes ulcera tabo fluentia lingentes. Ille nobilium, divitumque corona stipatus, hic ab omnibus contemptus, & derelictus. Ille in deliciarum affluentia vivebat, hic egestate, ærumnisque oppressus laborabat. Verum in morte rerum omnium facies immutatur. Dives ille moritur; & in inferno sepelitur; moritur quoque hic pauper, & in Abrahæ sinu requiescit.

Quorumdam Scripturæ locorum Applicationes.

V*Eni, & vide*. Joann. 11. Verba hæc, quæ dicta fuere Jesu Christo cum deduceretur ad sepulcrum, ubi Lazarus fuerat tumulatus, quem ille ab inferis erat excitaturus, dici possent Mundi sectatoribus affectionum suarum mancipiis: *Veni, & vide*. Vultisne discere quomodo contemnendum sit quidquid in mundo vos præ cæteris allicit? Venite, & videte quid contineatur in Principis illius, in hujus voluptuosi hominis tumulo. Mors ibi satis aperte vos edocet, sufficitque dicere vobis, venite, & videte. Aperite hoc sepulchrum, ac statim videbitis magnum illum virum, totamque illius magnitudinem, quam, dum viveret, admirabamini. Magnitudo ejus evanuit, ejusque corpus non aliud est, quam exesorum ossium cumulus. Venite, & videte. Auferte cippum, quo dives ille clauditur, & videte, quid illi superfit ex tot substantiis, atque opibus: quatuor, vel quinque terræ pedes illius pars est.

Venite,

Venite, & videte. Adolescentula, quam tantopere omnes admirantur, & quæ ipsa admiraris inanem illum fulgorem, quo septa es, in mortuorum schola erudire, & vide, quonam abierit forma illa, quam olim omnes suspiciebant, modo in deforme, ac turpe cadaver conversa. Eheu Fideles! Hoccine est vestræ æstimationis objectum? & magnum ducitis sacrificium ultro iis abrenunciare, quæ ex se tantum fragilia sunt?

Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. Ad Rom. 5. Divinæ bonitatis, atque misericordiæ effectus est, Sanctus inquit Augustinus, quod mors, quæ peccati effectus est, præsentissimum modo sit ejusdem remedium, & vitiorum nostrorum pœna validà nobis arma ministret, quibus virtutes nostras tueamur: *Per misericordiam Dei pœna vitiorum transit in arma virtutum.* Ita patres nostri, idem pergit Augustinus, mortui sunt, quia peccarunt; nos vero a peccatis abstinemus, quia morituri sumus. Sequamur ergo, Doctor idem concludit, sententiam hanc, & morte utamur, ut nosmet præservemus a crimine: *Utatur ergo homo pœna sua, & bene utatur malo suo, ut proficiat bono suo: Ipsi mortui sunt,* de primis parentibus loquitur, *quia peccaverunt: isti non peccant,* loquitur de aliis hominibus, *quia moriuntur.* Patres subiere mortem, supplicium videlicet, quod meriti sunt, quia peccarunt; filii vero per ipsam pœnam a peccato præservantur.

Mors, quæ peccati pœna est, nunc est medicina.

Non est respectus morti eorum, ideo tenuit eos superbia. Psalm. 72. Si sæpe mortem cogitaremus, humilitatis dumtaxat, atque annihilationis cogitationes conciperemus; pulvis sum, & revertar in pulverem. Eas nobis interdiceremus voluptates, quarum finem adeo funestum esse cognoscimus; abdicaremus vanitates, & pompas, quarum fragilitatem, & nihilum non ignoramus. Si mortem cogitaremus, Dei severa judicia metueremus, ac sub terribili manu illius totis artubus contremisceremus. Denique si mortem cogitaremus, ea faceremus, quæ sæculis omnibus veri fideles fecerunt, quæque faciebat Sanctus vir Job, cum in lacrymas effusus dicebat, cap. 14. *Expecto donec veniat immutatio mea.* Diceremus id, quod David pœnitens dicebat: Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Væ mihi, eo quod terminus, ad quem in patria mea pervenire debeo, longius abest, & quod in hac terra exilii mei diutius moror. Eadem, ac S. Paulus, sensa foveremus, cum testabatur *ad Philipp.* 1. se unum illud optare, ut videlicet ex carcere corporis hujus solveretur, & viveret cum Jesu Christ: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.*

Si sæpe de morte cogitaremus, aliter viveremus.

Mors operatur in nobis, vita in vobis. 2. Corinth. 4. Videtur S. Paulus hoc voluisse statuere discrimen inter veros fideles, & infideles, cum ait, *Mors operatur in nobis, vita in vobis:* hoc enim idem est ac si diceret; Vitam tantummodo cogitatis, & quidquid ad vitæ hujus voluptates non refertur, vobis non ferendum videtur. Sed ipsi prorsus oppositos sensus fovemus: *Mors* operatur in nobis; mortis cogitatio facit, ut ea faciamus, quæ facimus. Si nosmet mortificamus; si ab illis abstinemus oblectationibus, quibus vacatis, id accidit, quia nos morituros cogitamus. Mors, quæ ex se adeo sterilis est, nobis est motus, & actionis principium. Propter mortem hæc operamur; propter illam nihil nobis videtur difficile; scimus enim difficilibus rebus beatam mortem comparari. *Mors operatur in nobis, vita in vobis.*

Veri fideles in actionibus suis mortem, infideles vitam respiciunt.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Eccles. 11. Horum verborum sensus est, post mortem hominem in æternum in eodem statu seu gratiæ seu peccati permansurum esse, in quo animam efflaverit; ita ut in æternum minime possit mutari status, in quo morientes erimus deprehensi. Ita si quis moritur Dei inimicus, arbor, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Infelix arbor; numquid tandiu nutandum illi erat, ut tandem adeo male decideret? Verumne igitur est, illam tot annos terram occupasse, illius succo nutritam fuisse, tot frondes, fructusque tulisse, ut tandem igni æternum præberet alimentum? Heu! tam parum abfuit, quo minus in alteram partem caderet. Valide Spiritus Sancti flatu fuerat impulsa, frequenter in bonam partem inclinare visa fuerat; quomodo levis aura, vocula, vana cogitatio, inanis timor tam vehementibus prævaluit afflatibus? Sed frustra adeo funestum lapsum lacrymis prosequimur; nostra miseratio numquam illam attollet: *In quocumque loco ceciderit arbor, ibi erit. Ex Patre de la Colombiere.*

In eo permanemus gratiæ, vel peccati statu, in quo morimur.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job 21. Impii, & plerique mortales vitam suam in deliciis, & voluptatibus traducunt, & paulo post morte se occupatos vident: *In puncto.* In sublimiori suæ felicitatis puncto, in fastigio, in cumulo suarum fortunarum, & in tranquilla voluptatum perfruitione. *In puncto.* Hoc punctum eligit mors, & permittit Deus, ut tunc ex mundo auferantur rationem vitæ suæ reddituri, & sæpe etiam inferni flammis adjudicandi: *Et in puncto ad inferna descendunt.*

Quotidie morior. 2. ad Cor. c. 15. Opus est, fidelem cum Apostolo dicere posse, se mori quotidie, non solum quod mortis suæ tempus singulis diebus, singulisque momentis propius accedit; verum etiam quia in dies semper minus afficitur terrenis rebus, & cœlestia ardentius inquirit. Sentio me in dies minus adhærere nugis, minorique sollicitudine hæc terrena conquirere; sentio minori me desiderio teneri placendi mundo, memetipsum, & commoda mea a me minus amari, familiæque meæ progressum minus inquiri: *Quotidie morior.* Cor meum mihi videtur sensim a terrenis rebus avelli, & anima mea quodammodo paullatim a corpore separari; *Quotidie morior.*

Incipiendum est quotidie mori affectu, & animo, antequam prorsus ab eo separemur.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque Sententiæ hujus argumenti.

Latet ultimus dies, ut observetur omnis dies. August. de Disciplina Christi.

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. Idem, l. 1. de Civit.

Non potest male mori qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui male vixerit. Idem.

Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. Idem, Serm. 3. de SS. Innocent.

In quo statu quemcumque invenerit suus ultimus dies, in hoc eum comprehendet novissimus dies; quoniam qualis in isto die quisque moritur, talis de die illo judicabitur. Idem Epist. ad Hesach.

Deus diem mortis incertum salubriter constituit: diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. Idem, l. 50. Homil. Homil. 13.

Qui cupit dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur. Idem, in Joannem.

Justis mors est quietus portus, nocentibus naufragium putatur. Ambros. lib. de bono mortis.

Quidquid facis, respice finem, Hieronymus ad Heliodorum.

Non est dignus dici Christianus, qui in eo statu vult vivere, in quo nollet mori. Idem, Epist. ad Cyprian. Presbyt.

O quam magna cum fiducia moritur quem nullius rei affectus detinet in mundo! Idem.

Facile contemnit omnia, qui se cogitat moriturum. Idem, Epist. ad Paulin.

Disces bene mori, si didiceris bene vivere. August. de Discipl. Christ.

Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostrum,

nostrum, diemque mortis esse incognitum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur. Greg. l. 12. Moral. c. 19.

Quam præposterum est, quamque perversum, ut cum voluntatem Dei postulemus, quando evocat nos, & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperia timeamus. Cyprian. l. de Mort.

Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus, quis non ad meliora festinet? Idem, ibid.

Si laudari ante gubernator non potest, quam in portum navem deduxerit, quomodo laudabis hominem, priusquam in stationem mortis successerit? Idem, ibidem.

Fiat voluntarium quod futurum est necessarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere. Chrys. super Matth. c. 10.

Nihil mors est ultra quam somnus, & peregrinatio, & transmigratio a deterioribus ad meliora. Idem, Homil. 45. in Genes.

Piis mors ultra non est mors, sed nomen tantum habet mortis, imo & ipsum nomen sublatum est. Idem, super Matth. c. 10.

Mors non est malum, sed male mori pessimum. Idem, Homil. 36. super Matth.

Quis mortem temporalem metuat, cum vita æterna promittitur? Cassiodor. in Psalm. 118.

Expeditum morti genus. (*Ita Christianos vocat.*) Tertull. in Apologet.

Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Tertull. lib. de anima.

Somnus justis est mors, imo magis transitus ad vitam meliorem. Basilius de Barlaam Martyre.

Bona mors justis propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. Bernardus in Epist.

Pretiosa mors Sanctorum; pretiosa plane, tamquam finis laborum, tamquam victoriæ consummatio, tamquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. Idem, ibidem.

Mors peccatorum pessima, audi, unde pessima? mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. Idem, ibidem.

In omni opere suo dicat sibi ipsi, si moriturus modo esses, faceres istud? Bernard. in specul. Monial.

Manet impios horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu magni Dei. Idem, Serm. 28. de divers.

Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras est dies incerta, quid scis forsan crastinum habebis? De Imitat. Christi, l. 1. c. 23.

Quomodo vivere potes, ubi mori non audes? Bernardus, Epist. 105.

Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times? Hieronymus, in vita Sancti Hilarionis.

Hominem invitum mori miserrimum est. Anselmus, l. 1. c. 9.

Non dignus est in morte accipere solatium, qui se in vita non cogitavit moriturum. Cyprianus, Epist. ad Antonium.

Vivite bene, ne moriamini male. Augustinus, Serm. 24. de verb. Domini.

Sancti viri, quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quotidie morientes vivunt. Greg. l. Moral. cap. 14.

Quotidie diem exitus tui expecta, qua enim hora minime putas, veniet mandatum horribile, & væ tunc imparatis. S. Ephrem de Vita Spirit.

Quasi non moriturus, quasi evasurus mortem, sic de vita disponis. Chrysolog. Serm. 118.

Non subitanea morte moriuntur, qui se semper cogitaverunt morituros. Anselm. in Elucid.

Memoria mortis est quotidiana mors. Joannes Climacus Grad. 6.

Sanctorum mors, non est mors, sed vel ad Deum discessus, vel desiderii cumulus, vel vinculorum solutio, vel oneris excussio appellanda est. Greg. Nazianz. Orat. in laudem Cypr.

Quamvis sero de hac vita tollantur impii, subito & repente tolluntur, quia finem suum cogitando prævidere nesciunt; subitum est homini quod ante cogitare non potuit. Gregorius l. 24. Moral.

De centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, vix meretur a Deo habere indulgentiam unus; hoc teneo, hoc multiplici experientia didici. Sanctus Hieronymus moriens, ut refert Eusebius ad Damasum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi queat.

Nobis utile est mortis horam ignorare.

SEcundum communes Providentiæ leges nemo certus est, vel temporis mortis suæ, vel modi, quo de tempore ad æternitatem migraturus est; quamobrem parati semper esse debemus, ut quavis hora, quovis momento ad Judicis nostri tribunal accersiti prodeamus. Illud vero diligentissime considerandum est, post Sanctum Augustinum aliosque Patres, qui argumentum hoc pertractarunt, omnes asceticæ vitæ magistros docere, nobis perutilem esse ignorantiam fatalis ejus momenti, quo anima a corpore nostro separanda est. Quis enim non videt, si hominibus compertus esset vitæ suæ terminus, exploratæque omnes mortis circumstantiæ, quam negligenter, & oscitanter illos maxime essentialibus officiis suis perfuncturos? Nonne in extremum vitæ suæ spatium rejicerent bonum, quod illis singulis diebus esset faciendum? Deus autem secreti inviolabilis signo numerum dierum nostrorum signavit, ut salutaris hæc efficeret incertitudo, ut singulis momentis vigilantes, & parati adventum illius præstolaremur.

Mors aliis quidem suavis est, aliis terribilis.

Verum dicendum est: moriendi necessitas aliis quidem jucunda est, formidabilis aliis. Jucunda est justis, qui vitam suam in innocentia transegerunt, & qui paulatim semet a creatis rebus avellere inceperunt, quarum amor, & possessio ut plurimum mortem nobis formidabilem efficit. Terribilis est impiis, ac illis, qui mundo adhærescunt, quia sese illis offert instar altissimarum abyssorum, quæ terrent oculos, ac vertiginem cient. Hæc necessitas illis dura est, quibus vinculum aliquod est infringendum; quia nihil nisi cum violentia frangitur: at suavis est illis, qui omnes jam perfregere nexus; nihil enim est, quo in mundo retineantur. Qui viventes mortui sunt mundo, morientes ut ita dicam non moriuntur; mors illis est vitæ fons: sed illi, quos mors invenit adhuc viventes mundo, necessario mortem terribilem esse sentiunt, & mors pro illis est terribile supplicium.

Una Jesu Christi gratia, æternæque vitæ spes mortis metum avertere potest.

Cum Dei Filius nos admonuit, ne eos timeremus, qui corpus occidere possunt, præcepit etiam ut metueremus illum, qui corpori simul, animæque mortem potest inferre, & utrumque mittere in gehennam, hoc est infernis ignibus adjudicare. Supremus hic vitæ nostræ Dominus timori timore mederi voluit efficiens, ut æternam mortem timeremus ita, ut temporalis, ac perfunctoriæ mortis, quam homines vulgo tamquam rerum omnium maxime terribilem putant, nullum timorem haberemus. Quamobrem S. Augustinus hortatur, ut inanem, irrationabilemque metum in timorem saluti nostræ utilissimum immutemus. Inanis est metus hominum terrenarum rerum jacturam timentium, qui cum necessario ex hoc mundo egredi debeant, exire timent, & semper differre cupiunt, quod omnino prohibere non possunt. Timor hic est inutilis; sed inutiliter quoque Ethnici Philosophi illum ex mentibus nostris ejicere conati sunt, quia æque nobis est naturalis, ac amor vitæ, ejusque tuendæ cura. Sola Jesu Christi gratia nobis hunc metum potest auferre, & efficere, ut vitæ melioris spe mortem etiam desideremus.

Neque

Mors semper est metuenda.

Neque inficior, corporis quoque mortem rationabiliter timeri posse. Hæc separatio est duarum partium totum hominem constituentium; & quemadmodum natura nobis inspirat desiderium tuendi corpus, ita debet etiam necessario interitus ejusdem metum nobis injicere. Non soli fuerunt Ethnici, qui mortem terribilium terribile appellarint: Sancti, qui terrena despiciebant, atque ad cœlestia anhelabant, & illi etiam qui præ cæteris majus in corpus suum odium testati sunt dum viverent, in morte illud relinquere timuerunt. Si certi essemus in ipso mortis articulo in corde gerere posse fidem vivam, & operantem per charitatem, certi simul essemus sanctam mortem nobis futuram januam ad vitam; felicemque transitum ad æternam felicitatem, neque ullo modo mortem metueremus quantumvis terribilis videatur. Verum quænam certitudo est, in ipso mortis momento non defutura nobis hæc Dei dona, has gratiæ divitias, hæc salutis nostræ principia; verbo hæc pignora salutis æternæ? Et quamvis videamur veram fidem habere, per quam constanter Religionis nostræ principia credimus, possumus ne hoc ipsum de gratia sanctificante, ac de charitate affirmare? Cum igitur nemo scire possit, utrum gratiam habeat sanctificantem, bona mors semper manet in ancipiti, ideoque nobis metum potest incutere.

Hominum peccata mortem accelerant.

Constans est in Scripturis veritas, vitæ cursum peccatis imminui; & quemadmodum mors est pœna peccati primi parentis, peccata actualia illi accedentia, quod nobiscum ab ipsa gerimus nativitate, vulgo causam esse, propter quam dierum nostrorum stamen succidit Deus, ut ob eorum abusum in nos animadvertat. Uniuscujusque dies illi sunt, quos secundum naturæ cursum, ac naturale corporis temperamentum vivere potest: sed irruit mors, atque sæpe homines occupat, antequam eorum dimidium expleverint, quia illi scelerum suorum numero calcar addiderunt. Hoc in sensu David hanc profert veritatem Psalm. 54. *Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos*; & Apostolus 1. *Cor.* 15. testatur peccatum esse stimulum mortis, quo urgetur, ac gressum maturare cogitur, non secus ac stimulus efficit, ut lenta quælibet animantia gradum festinent: *Stimulus mortis peccatum*. Ita dicere possumus, peccatores ultra quam par est, vivere, cum postquam peccaverunt, vel unico tantum momento vitam protrahunt.

Deus per providentiam aliquando ex viventium numero exturbat eos, quos aliequin corruptum iri prænoscit.

Scio equidem in divinæ Providentiæ thesauris non deesse rationes, propter quas nonnullos in ipso ætatis flore ex viventium numero exturbat; sed hoc semper in eorum cedit utilitatem, qui immatura morte hoc pacto decedunt; uti de Justo scriptum est in libro Sapientiæ cap. 4. *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Quæ res magno esse debet solatio consanguineis, & amicis eorum, qui tenera ætate fato funguntur, quamquam semper vitæ integerrimæ, scelerisque puri extiterint. Neque enim illud affirmare ausim, eos omnes, qui in ipso juventutis robore, ac medio vitæ cursu moriuntur, in pœnam scelerum suorum sustolli; sed illud ajo, eos, qui male vivunt, ut plurimum præcoci, præcipitique morte mulctari.

Majori cura mors, quam mala mors evitatur.

Nemo diffitetur, quantumvis terribilis sit mors, illam tamen nullum Christiano metum allaturam, si ille certus esset, se christiane moriturum. Juxta sententiam hanc adeo communem, & veram palam constat, quod præcipuam non in eo curam collocare deberemus, ut mortem, sed ut malam mortem effugeremus; eo magis quod mors inevitabilis est, & quod in nostra situm est potestate bene mori. Attamen fatendum est hominum plerosque oppositum facere. Sibi diligentissime cavent, ut mortis spicula aludant, quasi nullum majus esset malum in vita, & mors tot curis evitari posset; cum interim negligant malam mortem evitare, quasi hæc nihilum esset, & omnes curæ nostræ futuræ essent inutiles; quod non minimum est humanæ cæcitatis, & modicæ fidei argumentum.

Mors scientia est, & philosophia.

Veteres Philosophiam suam mortis meditationem dixere; & S. Joannes Chrysostomus mortem ipsam Philosophiam vocat, significaturus quemadmodum Philosophi diligentius hujus scientiæ excutiunt principia, ut eas eliciant conclusiones, quæ quodammodo in his generalibus veritatibus continentur. Interest quoque sapientiæ hominis Christiani mortem considerare cum omnibus circumstantiis, quæ illam respiciunt, atque ex tumuli nostri, in quem a morte redigimur, adspectu ea omnia inferre, quæ mores nostros regere possunt, ut finem dierum nostrorum convertamus in egregium principium, ad cujus normam tota vitæ nostræ ratio instituatur. Verum maximi momenti illatio, quam ex hac consideratione eruere valeamus, hæc est, quod inde discamus in antecessum nobismetipsis, nostrisque pravis affectibus emori; quoniam reipsa aliquando nobis moriendum est; & efficiamus, ut physica, quæ nos manet, mors in nobis moralem producat mortem, affectuum scilicet nostrorum mortificationem.

Post mortem non datur conversioni locus.

Quantumvis pertinax, & de spe omni dejectus peccator sit, potest tamen, dum vivit, converti. Deus illum sollicitat, urget, cogit; potest igitur; Deus enim ad id cogere non potest, quod nequit expleri. At aliter sentiendum est de eo, qui in peccato mortuus est, ex quo animam efflavit, factum mutare, & ad Deum reverti non potest; quia funesto illo momento peccatum ejus est finalis impœnitentia, ex qua nullus reditus patet; quandoquidem agenda esset pœnitentia, cui si locus esset, illa jam non esset finalis impœnitentia. Qui moritur cum dono perseverantiæ, hoc nequit amittere; nam, ut S. Augustinus inquit, per donum hoc, quod proprium est prædestinatorum, usque in finem perseveravit; & fieri nequit, ut qui ita perseveravit, perseverantiam amittat; quo in casu jam non perseverasset: nulla igitur potestas hoc illi donum potest auferre. Hoc ipsum dicendum est de impœnitentia finali, quæ illi in reprobis est opposita. Qui ita infelix fuit, ut in statu peccati moreretur, resipiscere nequit; fieri etenim nequit, ut qui ita moritur, agat pœnitentiam. Hic finis, hic terminus est, post hunc nulla mutatio. Quemadmodum peccator, dum viveret, poterat, integrumque illi erat sese convertere per gratiam, quam illi Deus exhibebat; in peccato mortuus jam non potest, neque hoc illi amplius integrum est; quia nulla amplius est gratia: mors enim finis est omnium gratiarum, quæ ideo datæ sunt, ut mereamur, & merita nonnisi in vita congeri possunt.

Anima in morte videt errorē fallaciam idearum, quas de terrenis rebus conceperat.

Anima statim ac ex corporis ergastulo egressa agit per se, nulla illusione, nullo errore, nulla inani specie decipitur. De rebus judicat prout sunt; nullum detegit malum, ubi nihil præter bonum erat; nullum amplius esse bonum credit, ubi nihil erat nisi malum. De mundi hujus bonis judicat ex eo quod reipsa sunt, ideoque videt peccatum solum sine ulla boni specie, vel commixtione, quia nullum amplius objectum est, quod aliquam illi boni speciem tribuat, nec ullus error, qui in eodem bonum ullum comminiscatur. Hoc in statu, in quo peccatum non apparet nisi tamquam merum malum, sine boni mixtura, illi esse non potest nisi terribilis exectationis objectum; illud odit, detestatur, abhorret: sed frustra; non enim amplius est tempus.

Mors nostra vulgo talis est, qualis vita fuit, & altera est ad alteram dispositio.

Vita nostra jugis est ad mortem dispositio: & ut ita dicam, non vivimus, nisi ut moriamur. Quidquid facimus ad hunc terminum refertur, & omnia vitæ momenta, cujuscumque naturæ sint, totidem sunt mortis apparatus, & ad illam adducunt. Hinc sequitur; quod vita sancte instituta nos ad sanctam mortem disponit; vita vero peccatorum illis præparat mortem reproborum. Ita da mihi

hominem, cujus vita diuturnus fuerit criminum nexus, poterit ne ille tandem morte prædestinatorum obire? Hoc perrarum est, & sine quadam miraculi specie fere impossibile. Quorsum? quia nullas habet ad beatam hanc mortem dispositiones; immo multas etiam oppositas: dicendum igitur est, qui male vixerit, male moriturum.

Mala mors plurimis modis fieri potest.

Cum mala mors nihil sit aliud, quam mors in statu peccati mortalis, fides, ratio, & experientia docent, plurimis modis male aliquem mori posse. Primum cum in ipso peccati actu decedit, quod naturaliter contingere potest, cum actio, quæ crimen ipsum constituit, certissimum infert interitum, ut qui in singulari certamine occumbit: vel casu, cum qui blasphemias evomit, vel impuræ libidini satisfacit, tecti ruina contegitur; vel in pœnam, veluti cum Deus insigne præbiturus exemplum, in arena morte percutit illum, a quo lacessitur, quin pœnitentiæ spatium eidem relinquat. Modus alter, quo in peccato obire possimus, est, cum morte occupatur aliquis, non actu peccans, sed in peccati mortalis, quod per pœnitentiam non delevit, statu existens. Tertius denique modus, cum homo jamjam moriturus & conversionem cogitans, nec non confitendi gratiam obtinens, atque ad id omnes conatus exerens; tamen in peccato suo e vivis excedit, ob pœnitentiam illius aliqua ex parte essentiali deficientem.

Deus sibi ipsa punire potest morte, qui peccatũ commisit.

Quicumque Deum lædit, mortem meretur, quæ est pœna peccati, ex quo hominum parenti dictum fuit: Genes. 2. *In quocumque die comederis morte morieris*. Hic fons est divina damnatus sententia, & Deus illum eodem instanti morte afficere potest; quod si facit, justus est; sin autem, misericors. Cum illo autem, & justitiam, & misericordiam exercet, ubi vult, & quomodo vult; neque aliæ excogitandæ rationes sunt præter illius voluntatem, quæ una suprema ratio est: *Miserebor, cujus miserebor*. Ad Rom. 9. Hoc tibi contulit beneficium, vitam tuam producens postquam millies ipsum læsisti; quod tot aliis negavit, cum quibus sua usus est justitia; qua, cum quibus ipsi libitum est, utitur.

Justi, & veri Christiani cum voluptate moriuntur.

Hanc voluptatem Ethnici Philosophi ignorarunt; etenim ut eadem perfruaris, aliquid supra naturam requiritur, ad quod humana mens solis suis viribus pervenire non potest: ita ut mirum esse non debeat, si naturali tantum lumine illustrati, cui etiam sensuum, vitiorumque effusa erat caligo, docuerunt ex omnibus terribilibus mortem esse maxime terribilem. Hanc illi concipiebant tamquam meram privationem, corporisque ab anima separationem, quin sperarent futurum, ut utrumque simul in vitam æternam coiret. Qui ex eorum numero animæ immortalitatem asseruerunt, illius rudes tantum, crassasque ideas, incertasque habuere notiones. Non igitur mirum est, si tenebræ horrorem pepererunt; & si hæc duarum rerum adeo conjunctarum, quales sunt corpus, & anima, separatio illis visa est cum gravissimis doloribus, & immedicabili mœrore consociata. At quibus explorata sunt fidei dogmata, qui suum agnoscunt finem, ac illum vehementer exoptant, qui sciunt animam esse immortalem, & per corporis mortem Deo in æternum conjungi, corpus etiam resurrecturum, & simul cum anima beatum futurum, hi mortem respiciunt tamquam transitum de labore ad requiem, tamquam somnum, ex quo evigilaturi sunt, tamquam noctem, quam mane subsequitur, & cum Propheta *Psalm.* 32. dicunt: *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quia tu mecum es*. Deus fidei claritate me in horrentis hujus itineris umbra deducit; ideoque in mortis caligine incedo, quin ea mala extimescam, quæ natura ægris luminibus suis adeo terribilia existimavit.

Cur Sancti mortem nõ metuunt.

Sancti, quorum vita jugis est ad mortem præparatio, & quorum dies, ut melius dicam, totidem mortes sunt, extremæ diei obitum non timent, quia toties aliis diebus mortis periculum facere, Terræ huic non amplius fere adhærescunt; vehementi opus non est flatu, ut fructus isti excutiantur ea arbore; nulla opus est vi, ut evellantur, cultoris manus, ubi tempus est, sine ullo labore sequaces demetit, eorumque singulis dicit Deus: Prospexi lacrymas, quas in molesta mundi mansione effudisti; te votis damnavi, & animam tuam in pace, & jucunditate constituam. Quænam morientis hominis lætitia, qui mundum nequaquam patriam suam cogitat, & qui inter homines tamquam hospes versatur; quæ, inquam, lætitia videre propius accedere tempus, quo ad cœlum perveniat, ubi se visurum illos putat, cum quibus hac in vita illum consociaverat charitas, & qui ante ipsum a Deo in gloriæ possessionem fuerant evocati! Ita sane mundum minime cum dolore tamquam natale solum relinquit; sed illinc egreditur cum gaudio tamquam ex loco exilii sui, atque cum antiquis Prophetis dicit: *Vado ad populum meum*. Vitam suam traduxit in salutaris metus sollicitudine, operatus salutem suam cum tremore, & timore, uti Apostolorum Princeps suadet: sed nunc periculum fere jam abiit: remuneratur Deus timoris amaritudines suavitatibus confidentiæ. Denique anima hæc dicere potest cum Apostolo; fideliter dimicavi, & certus sum, Deum, utpote Patrem misericordiarum, justumque Judicem justitiæ coronam mihi retributurum.

Quid mortem terribilem faciat.

Verum est, mortem suapte natura malum esse, quia privatio est boni, quod vita est; verum fatendum est, quod in ea maxime timetur, non esse privationem hanc, quæ necessario contingere debet. In morte igitur potissimum timenda sunt ea, quæ illam consequuntur, & a quibus homo præservare se potuit, peccatum, quoad viveret, fugiens. Hæc, quæ non a morte quidem, sed a mala morte, inseparabilia sunt, mirum in modum sunt terribilia; eorumque sola cogitatio cordi nostro formidinem incutere debet.

Proximæ dispositiones ad bene moriendum afferendæ.

Quidquid diximus, dicemusque de cogitatione, & actuali memoria mortis, quæ jugiter ob oculos nostros versari debet, respicit remotam illam dispositionem, quam ad bene moriendum debemus afferre. Verum proximæ præparationes ad tres potissimum redigendæ videntur; quæ quantum tempus, & morbi genus permittit prætermittendæ non sunt: videlicet Sacramentorum receptio, divinis voluntatibus cum mortis acceptatione submissio, & actuales affectus, qui in extremo eliciendi sunt morbo; hoc tamen posito, quod mens adhuc vigeat, nec desint vires.

PARAGRAPHUS VI

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Mortis cogitatio viros bonos non angit.

NE putetis adspectum, & cogitationem mortis amaritudine hominis justi animum replere, eumque prosternere; verum scitote prorsus oppositos effectus inde gigni oportere. Hic est captivus, qui cum gaudio liberationis suæ diem præstolatur: reus est, qui cum voluptate tempus expectat, quo salutari littera se sperat absolvendum; nauta est, qui in navigationis suæ cursu solatio afficitur, quotiescumque illum recogitat diem, quo in portum navem est deducturus. Justi, qui Christianam vitam ducitis, mors illis tantum est dura, qui mundo adhærescunt, qui illius nugas, & voluptates consectantur. Quia horum bona præsentia sunt, cumque illis nihil expectandum sit in futurum, vulnus, quod vitam, universa illis rapit simul; ideoque nihil illis reliquum est quam dolor, atque tristitia. *Abbas Trappensis Collatione tertia pro Assumptionis die.*

Atheorum licentia illis mortis timorem auferre nõ potest.

Cum Athei toto vitæ suæ spatio contra omnia rationis lumina, omnes naturæ sensus, omnes existentiæ Dei, immortalitatis animæ, æternæque

felici-

felicitatis impressiones, quas in eorum spiritu, & corde insculpserat Deus, fuerint obluctati; cum semper unanimi reliquorum mortalium sententia, quæ naturæ vox est, damnati fuerint; hæc omnia sæpe in morte excitant religionis, timorisque sensus, quibus, ut olim Antiochus, agnoscere coguntur Deum, quem negarunt, religionem amplecti, quam contempserunt, petere misericordiam, quæ illis fortasse, ut impio Regi, negabitur: *Orabat scelestus ad Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*, Machab. 9. Et quamvis illi in impietate sua pertinaciter occallescerent, natura præ horrore fremeret secus oram abyssi, in qua omnia ad nihilum rediguntur, & in quam illos mors præcipites dejicit. *P. Crasset libro de Consolatione contra mortis terrores.*

Ad bene moriendũ necesse est mortem cogitare.

Mortem cogitare mortales refugiunt; at cur? Ambiguntne utrum sibi moriendum? Sancta mors opusne est adeo facile, ac nullo in discrimine habendum? adeo exigui momenti est, ut mereatur, ne eidem animum advertamus? A morte salus pendet æterna; pauci bene moriuntur; aliterne accidere potest adeo paucis de morte cogitantibus? Mortis cogitatio terret, voluptates, lætosque dies perturbat, ideoque pro virili removetur. Illi vero, qui de morte nolunt cogitare, ne adeo tristi terreantur objecto, numquid ignorant in nostra positum esse facultate, divina favente gratia, efficere, ut mors nobis accidat læta, & in Dei conspectu pretiosa. At quis talem sibi mortem polliceatur, quin de eadem umquam cogitaverit? *Idem.*

Dolores, quos in morte patimur, pœnitentiæ locum obtinere possunt.

Christifidelis morti proximus præclarum hunc ex doloribus ægritudinis suæ fructum percipere potest, quod illi locum obtinere possunt pœnitentiæ ad peccatorum ejus expiationem, atque satisfactionem pœnarum, quæ iisdem debentur. Docent enim Theologi afflictiones omnes, & mala seu publica, seu privata, quibus vel jubente, vel permittente Deo afficimur, huic rei inservire posse; licet enim in nobis nequaquam situm sit pati, vel secus; in nobis tamen situm est æquo, vel iniquo animo pati, ac ob honestam, laudabilemque causam illa acceptare, quæ quidem acceptatio, & submissio divinæ voluntati cum libera sit, atque voluntaria, efficit, ut eadem sint meritoria, & satisfactoria, donec actu opposito non retractentur. *Auctor Anonymus.*

Quam amara, & molesta sit mors illis, qui terrenis bonis adhærent.

Nihil est, inquit Spiritus sanctus, homini mundum diligenti acerbius, atque molestius, quam hæc cogitatio, sibi esse aliquando moriendum: *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Perpendite, amabo vos, horum verborum vim. Mortis cogitatio nequaquam amara esse dicitur bona terræ hujus possidenti, sed tantum in illis pacem invenienti, ac in iisdem veluti in substantia sua requiescenti: *Pacem habenti in substantiis suis.* Eccli. 41. Quod hoc in mundo possident cum amore divites, non dicitur tantum bonum, substantia vocatur ad ostendendum illud discrimen, quod illos inter, & justos intercedit: ita ut si isti mundi divitias considerent tamquam mera accidentia, quibus carere possunt, & quorum jactura levem dumtaxat in illis mutationem parit, illi, qui eas tamquam substantiam suam putant, credunt se illa amittere nequaquam posse, quin simul & essentiam, & vitam amittant. Qui cum ita rebus terrenis adhæreant, mirum esse non debet, si mors terrore illos, & amaritudine repleat. *Auctor Anonymus.*

Impii, Sanctus Augustinus *in Psalm.* 41. ait, flagitiis suis sibi mortem accelerant: *Male vivendo homines mortem invocant.* Et impii ipsi minus laborant, ut illius terrores imminuant, ut se contra æterna, quæ illam subsecutura sunt, mala præmuniant. Certi se morituros esse, in peccato vivunt; vivunt in peccato, certi (audeo dicere) quodammodo se in peccato morituros. O dilectissimi Auditores, finite vos eo terrore concuti, quem hoc verbum animæ vestræ debet incutere. Utique, qui male vivunt, ut plurimum male moriuntur, nam quocumque modo moriantur, imparati moriuntur. Ad bene moriendum, cum veri fidelis dispositionibus, atque in pœnitentiæ statu moriendum est. Hoccine autem fieri potest ab imparatis? Hoccine fortuito potest fieri? Hoccine uno fieri potest ictu, & momento? Semel morimur: igitur diligentissime præcavendum, ut bene moriamur, quod peccatores, & impii ne cogitant quidem. *Desumptum partim ex P. la Pesse tomo 1. & Sermone 1. de morte in peccato.*

Qui sibi nõ cavet, ut bene moriatur, in aperto versatur male moriendi periculo.

Cum aliquis necessarias neglexit præcautiones, ut sanctam mortem obiret, hoc mihi valido est argumento, illum juxta communes Providentiæ leges in peccato moriturum. Neque dicam cum S. Ambrosio, spem, quæ in incerto collocatur tempore, inanem, infirmamque esse; neque videri eum id velle, quod semper differt cum ejusdem numquam adimplendi periculo. Moris nostri non est æternis dilationibus negotium, quod cordi est, in periculum adducere; non admodum solliciti sumus, cum de eodem cogitandi tempus nequaquam defuturum speramus. Neque cum Tertulliano *de cultu fœmin.* dicam, eum qui temeraria assueverit confidentiæ, timere non posse, neque præcavere, ut effugiat periculum, & hoc gravius, & magis inevitabile hominis præsumptione fieri: *Qui præsumit, minus veretur: minus præcavet, plus periclitatur; timor fundamentum salutis est.* Quomodo enim uno oculi ictu videri possunt omnes ejus actionis circumstantiæ, quæ semper æque molesta fuit, æque periculosa, & quæ nos ne minimum quidem habuit umquam sollicitos? Neque cum S. Augustino dicam, malum, quod numquam prævisum fuit, semper majori cum celeritate irruere, nos opprimere, & perturbare... Sed Verbi divini oraculum, quod hac in re explicitum est, divina justitia, cujus quotidie tot exempla videmus, ipsaque experientia nostra persuadent, nisi insueta quædam divinæ misericordiæ gratia opem tulerit, illum, qui semper neglexit, ac distulit de morte cogitare, ac sese eidem disponere, prædestinatorum morte nequaquam moriturum. *Idem.*

Mors videri debet terribilis peccatori imparato.

Ex omnibus hominibus mors maxime imparato peccatori videri debet terribilis, quippe illius mors passim est infelicissimæ æternitatis principium. Quamquam plurimis de causis, ubi mortis memoria excitaretur, deberet infrendere; solatio metum expulit, Dei legem contempsit, neque dignatus quidem est cogitare se moriturum, & in judicis sui manus lapsurum. Prima ultio, quam ob hanc mortis oblivionem expetiturus est Deus, hæc erit, quod peccator, qui ejusdem oblitus est, morte occupetur. Hæc justissima pœna est, ut malum contemptum repente, & ubi minus timetur, irruat. Imprudens, qui illud neglexerat, sumptibus suis eas discit rationes, propter quas erat metuendum. *Idem.*

Qui mortis cogitare noluit, omnem experietur mortis reproborum amaritudinem.

Temeraria mortis oblivio, non solum inopina morte, verum etiam adspectu, sensuque omnium mortis malorum punienda est. Deus, inquit Augustinus *Hom.* 23. abscondit peccatori dies omnes, quibus vivere, & mori potest; ut exitus sui incertus, diebus omnibus attentus sit, eosque cum tremore diligenter observet: *Latet omnis dies, ut observentur omnes dies.* Peccator terribili extremæ diei suæ incertitudini obstruxit oculos, quonam æquiori supplicio animadvertere posset Deus in impium audacem, quam illum gustare cogens, ut ita dicam, omnes extremæ illius horæ terrores, quam tanti momenti non esse credidit, ut esset prævidenda? Opus est, ut se mori sentiat, & videat, secumque dicat: Bona congerere, meisque sensibus indulgere tantummodo studui; omnem mortis cogitationem suffocavi, ut majori cum tranquillitate meis opibus, & voluptatibus fruerer; futurum quærere nolui, ut præsens mihi

eſſet jucundius ; vixi tamquam non moriturus. At ecce morior ; nihilque mihi ſperandum in hoc mundo ſupereſt , nihilque in altero expectandum præter meorum ſcelerum pœnam . Audite , quibus verbis Job hanc ſententiam explicet c. 21. *Videbunt oculi ejus interfectionem ſuam , & de furore omnipotentis bibet* . Peccator ſe morientem videbit , & abſit verbo invidia , longis hauſtibus mortem potabit : lectulo ſuo inhærens , veluti patibulo ſons , totum intuebitur apparatum , omnia ſupplicii ſui inſtrumenta videbit : præteritas voluptates cum præſenti miſeria comparabit , ac ſentiens moriendi neceſſitatem , & ob oculos infernum habens , celerem optare mortem debebit , aliquod deſperationis ſuæ ſolatium inventurus. *Idem* .

Comparatio tumultus , ac terroris impiorum in morte , cum bonorum tranquillitate.

Quodnam diſcrimen , Auditores , inter ſuaves tranquillitatis , gaudiique ſenſus bonorum in morte , ac ſollicitudines , mortales terrores , ac deſperationem , quibus vexari extremum obire diem illi videntur , qui mundum , inaneſque illius voluptates amarunt ? Quæ cura adhibenda eſt , ut periculi , in quo ſunt , admoneantur ? Hoc vero adeo triſte nuncium in illo quantas excitat tempeſtates ! Quo in tumultu , ac mortali anxietate extrema illa vitæ momenta tranſiguntur ! Quam inutilis , & amara præteriti temporis pœnitentia ! Quam juſti metus ob futurum , quod illos manet , & urget , neque ullum relinquit ipſis ſpatium ad jacturam præteriti temporis reparandam ! E contra vero quæ felicitas bonorum ſine ullo tumultu extremum illum tranſitum præſtolantium , cujus memoria omnibus terrorem incutere conſuevit ? Quod privilegium , tutum eſſe , perfecta ſpiritus malacia frui , cor gaudio plenum habere eo tempore , quo omnes gemunt , ſuſpirant , contremiſcunt ; eo tempore , quo mundi hujus ſectatores plures dolores unico momento experiuntur , quam toto vitæ ſuæ ſpatio perceperint voluptates ? Eo , inquam tempore , omni carere metu , cura , diffidentia ; nonne tantum eſt boni , ut quodlibet auſterioris vitæ genus propter illud amplectendum non ſit ? Ullane adeo difficilis , adeoque ingenio noſtro oppoſita res eſt , quæ ad tantum hoc boni procurandum non ſit ſuſcipienda ? *P. de la Colombiere Sermone pro Commemoratione Defunctorum* .

Quid viris bonis mortem optabilem reddat.

Nihil cupidius optandum eſſet fideli , quam cita mors , qua cito ſuam aſſequitur felicitatem , citiuſque Deo fruitur . Quamquam diuturna vita iis omnibus careret periculis , de quibus ſupra locuti ſumus , nonne vitæ diuturnitas ingens eſt malum , quo prohibemur , ne cito in æternum deliciarum locum ingrediamur ? Hac de cauſa Propheta *Pſ.* 41. dicebat : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die , & nocte , dum dicitur mihi quotidie : ubi eſt Deus tuus ? Hæc recordatus ſum , & effudi in me animam meam* . Hæc cogitatio in ſanctis omnibus peperit vitæ præſentis faſtidium ; ubi ſecum reputabant , æternam felicitatem diuturno in terris incolatu magis , magiſque differri . Ita ſane , fideles , mors optabilis eſt , quia eſt immortalitatis noſtræ principium , noſque attollit ad Deum ; tantum abeſt , ut ſit pertimeſcenda . Timoris ſenſus , S. Cyprianus ait , iis repugnat , quæ quotidie in oratione Dominicali petimus ; Deum enim rogamus , ut quam primum adveniat mors , quæ nos in Cœlorum regnum inducat , cum dicimus : *Adveniat regnum tuum* : & nihilominus voto prorſus oppoſito diutius hic cupimus permanere . Oramus , ut Dei voluntas fiat , cumque evocamur a Deo , nonniſi ægre , & gravate obtemperamus ; ex hoc mundo ex neceſſitate potius , quam ex obedientia migramus : & gloriæ coronam ab eo recipere volumus , ad quem inviti proficiſcimur . Cur ergo in precibus , quas effundimus , Deum precamur , ut cœli regnum adveniat , ſi tantopere ſervitutem noſtram depetimus ? Cur enixius efflagitamus ex vitæ hujus ærumnis liberari , ſi malumus hic eſſe dæmonis mancipia , quam in Cœlis cum Jeſu Chriſto regnare ? *P. Delingendes Sermone primo de morte* .

Prætextus , qui prohibet , ne aliqui viri boni mortem exoptent .

At enim times non mortem , ſed adventum judicii Dei ; cumque tibi auferatur facultas lugendi ſcelera tua , illa nequis ultra pœnitentiæ lacrymis delere . Verum eſt , terribilia eſſe Domini judicia ; ſed ſunt etiam inevitabilia : quantumvis diuturna ſit vita tua , non ideo erit innocentior , & in oculis Dei magis accepta ; immo timendum eſt , ne peccata tua non ſecus ac dies tui multiplicentur . Numerus ſcelerum tuorum nequaquam annorum numero imminuetur ; ſed magnitudo charitatis , & dilectionis tuæ peccata cooperiet , nihilque eſt , quo amorem tuum Dei Filio magis teſtatum facere valeas , quam deſiderium , quod hoc peccati corpus deſtruatur ; quod hoc corpus , inquam , quod imperiis illius obnititur , quod illum afficit contumelia , quod toties contra ſanctiſſimas illius voluntates ſe attollit , exterminetur , redeat in pulverem , & in ſcelerum ipſius pœnam in cineres redigatur . *Abbas Trappenſis in vita Monaſtica officiis . Tom. 1. c. 15. de mortis Meditatione* .

Mortis cogitatio omnium ſenſibilium rerum affectionem extinguit in nobis .

Præcipuus effectus , quem in nobis mortis cogitatio producat , eſt omnino vacuum efficere cor , ibique delere quidquid amoris reliquum eſſe poteſt erga res ſenſibiles , & prohibere , ne recentem ullam affectionem concipiat . Jeſus Chriſtus hac uti voluit ratione , ut eorum confunderet inſaniam , qui terrenis bonis adhæreſcunt , dicens illi , prope eſſe , ut mors illis eripiat quidquid tanta cura congeſſerunt , eorumque ſollicitudines inutiles futuras : *Stulte , hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem paraſti , cujus erunt ?* Luc. 12. Homines ideo tanto ardore ſibi domos ædificant , ſubſtantias augent , honores , & opes inquirunt , quia ſibi voluptates , atque oblectamenta comparare contendunt . Spes iiſdem perfruendi cauſa eſt deſideriorum , & actionum ſuarum ; & ambigi nequit , quo minus a deſideriis , & actionibus ceſſent , ubi illis fuerit perſuaſum , labores omnes nihil ſibi eſſe profuturos . Ita qui mortis cogitationem jugem ſervaverit , omnia fluxa tamquam jam præterita intuebitur ; ſeipſum tamquam mortuum inter viventes cogitabit , vel potius tamquam inter mortuos viventem . *Idem* .

Alia memoriæ utilitas eſt , Cœli deſiderium nobis inſpirare .

Alia inſignis , quæ in mortis memoria , & cogitatione invenitur , utilitas hæc eſt , quod terrena removens admovet cœleſtia ; quod erga illa æneum nobis cor effingens , carneum erga iſta facit ; & prout in nobis mundi amorem evertit , efficit , ut ibi Jeſu Chriſti amor dominetur . Cauſa vero , propter quam cœleſtibus non afficimur bonis ; & beatitudo , quam Deus ſibi inſervientibus pollicetur , quamvis infinita ſit , nos adeo leviter movet , hæc eſt , quod illa tamquam longinqua conſiderantur , & quod intervallum , quo ab illis ſeparamur , ita ſpiritui noſtro eadem imminuit , ut in opinione noſtra nihil comparari poſſe videatur cum pœnis , quæ ad eam promerendam ſunt perferendæ . At mortis cogitatio omnia hæc aufert intervalla ; homo virtute præditus , qui illam in corde ſuo alte inſculptam gerit , jugiter habet ob oculos ſuos præſentem æternitatem . Quaſi unico ab eadem momento divideretur , aſſidue æternam felicitatem expectat . *Idem* .

De bonis generatim quæ mortis cogitatio producit .

Bona , atque ſubſidia , quæ viri boni ex mortis cogitatione , & recordatione percipiunt , tot , tantaque ſunt , ut parem illis ideam vobis adſtruere minime valeam . Cum enim dixero , hac cogitatione excitari fervorem , animarum inconſtantiam , & mobilitatem confirmari , mentis evagationem prohiberi , pœnitentiæ jucunditatem afferri , humiliationum , & contemptuum acerbitatem auferri , terrenarum curarum odium , diligentiſſimam vigilantiam , ardentem orationem produci ; pietatem inſpirari , atque foveri ; nihil a me vobis dictum erit , niſi quod a Sanctis viris accepimus . Beatos illos , qui haſce maximi momenti veritates nequaquam ex libris petere debent , ſed qui illas propria experientia didicerunt ! *Idem* .

Diffi-

Mortis cogitatio efficit ut Dei judicia timeamus.

Difficillimum esset mortis cogitationem fovere; & ob oculos non habere judicia Dei. Hæc sunt ita invicem nexa, ut in cogitationibus nostris separanda non sint. Mors nihil habet, quod illam propius subsequatur, quam judicium a Deo de nobis habendum. Mori, & judicari unum ferme, & idem est. Mortis cogitatio non esset utilis, nisi cum judicii cogitatione esset conjuncta. Liquet satis hanc plerorumque hominum esse sententiam; ipsos non mortem, sed quæ mortem subsequuntur, videlicet Dei judicia &c. reformidare. *Idem*.

Mirum est, quod homines ad eo parù de morte cogitant.

Hæc est cogitatio, cui indesinenter vacare a Jesu Christo jubemur, dicente: *Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam*. Profecto hic dies, & hæc hora adeo terribilis est, negotium vero de quo tunc agitur, tanti momenti, ut non satis mirari possimus, quod mortales non ambigentes de illius accessu, ad alia quælibet suam cogitationem circumferant. Si enim aliquem mones, domum illius fatiscentem laborare, & brevi casuram, ejusque ruinam quolibet momento contingere posse, pedem illinc statim efferet: cum vero sciat, circumundique sibi gravissima imminere mala, quorum istud ne levis quidem est umbra; cum probe teneat, nullum esse momentum, quo morte occupari non possit; nihilominus quin hæc ne cogitet quidem, tuto, ac tranquille vivit, quasi nihil sibi esset metuendum. Repentinæ neces, inopinati casus, quibus tot mortales ex viventium numero exturbantur, oculos quidem illorum afficiunt, animum vero non item. Eorum durities omnibus resistit, quorum securitatem si videres, illos ab Apostolo exceptos fuisse diceres, neque de illis fuisse locutum, cum ait ad Hebr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori. Idem*.

Cum justus seipsum excutit, nihil in se invenit, non solum, quod sibi placeat, verum etiam quod suum timorem non augeat. In anima sua videt originem malorum omnium, quæ re ipsa non patrat, sed quæ proculdubio patraret, nisi peculiari cura Deus illius tueretur integritatem. Detegit terribilem illam affectionum turbam, quæ gratiæ vinculis nexæ quidem, non autem evulsæ, totidem sunt veluti rugientes leænæ, quæ incessanter sanctissima ejusdem evertere conantur consilia. Sentit in sensibus suis peccati legem indesinenter legi rationis repugnantem; & inde magis dolet, quod non ita fideliter illis usquequaque resistit, ut non aliquid semper excidat, quod illius lacessat sanctitatem, cui displicere neque vult, neque debet. Ita veretur, ne multiplicatis infidelitatibus suis Dei fatigetur patientia, ejus misericordia arctetur, & ne tandem omnino negata sibi finalis perseverantiæ gratia omnino derelinquatur. *Idem*.

Magis afficimur cogitatione mortis, cù proxima est, quam cù remota.

Quamcumque, dum vivimus, meditationi mortis curam impendamus, verum est tamen, nos hoc objecto numquam affici magis, quam cum morte accedente admonemur, nihil nobis ultra sperandum esse, atque intra paucos dies, vel horas fortasse ad supremi Judicis tribunal esse prodeundum. Tunc homo præterito occupatus, cujus agnoscere incipit exitum; justi Dei timore perculsus, cujus præsentiam sustinere debet; perterritus ira Domini æquissimi, atque perspicacissimi, qui de rebus omnibus illi creditis rationem expetiturus est, perterrefactus vastis æternitatis, quam est ingressurus, ideis; in hoc rerum novarum ordine, in fatali hac circumstantia moriens circumundique incertos volvit oculos, & quærit perfugium, ubi tranquillitatem, & securitatem inveniat. Hæc sors est peccatoris, qui morte adventante terrores invenit, ubi justus suavissima solatia nanciscitur. *P. Massillon tomo 2. Quadragesima Sermone de beata morte justorum*.

Gaudium, & consolatio justi morientis.

O beatam justarum animarum in morte sortem, cujus spes jamjam perfecta immortalitate est coronanda! Inde oriuntur suaves illi justi morientis affectus. Quæ voces, quæ suspiria erga sanctam patriam! Quæ iterata gaudia, cum illuc sese ingredi sentit! Numquam existimassem, sanctus homo spiritum efflans exclamat, tantam moriendo percipi voluptatem. Hinc illa sanctorum impatientia, qua ex vitæ hujus ergastulo liberari peroptabant. David nihil impensius orabat Deum, nisi ut ante Dei sui faciem appareret: *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* Psalm. 41. De hoc nonnisi præ gaudio exultans verba facit Apostolus *Philipp.* 1. sancta ardet impatientia beati illius momenti, quo anima ex corporis liberata carcere ad Deum principium, finemque suum revertatur: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*. Hinc enixa primorum fidelium vota, qui incessanter mortem cupientes, & sancta salutis suæ fiducia repleti, illam suavem appellabant somnum, tutissimum portum, ac transitum ad vitam. Neque pati poterat Apostolus eos, qui ob cognatorum, amicorumque obitum mœrore conficiebantur, dicens, hoc esse infidelium post mortem nihil expectantium. *Idem*.

Mirum est, quod adeo parum de morte cogitetur, quamvis nemo dubitet, se aliquando moriturū.

Quamvis nihil naturæ durius videatur, quam moriendi necessitas, nihil tamen est, de quo minus sit ambigendum. Nemo hac in re seipsum inani decipit spe, atque tot sæculorum experientia, quibus omnes homines sine ulla exceptione, & privilegio mortui sunt, hoc omnibus ita persuadet, ut illi ipsi, si supra hominum sortem assurgere voluerunt, sibique veluti numinibus thura adoleri jusserunt, nequaquam ita dementes fuerint, ut se numquam morituros sibi pollicerentur. Quis autem non putaret, fideles, qui ea, quæ bonam, malamque mortem consequuntur, norunt, & se nosse profitentur, jugiter terribilibus hujusmodi objectis intentos esse? Et sane hæc Dei mens est illa nobis indesinenter ob oculos objicientis. Hoc nos ratio docet, quæ efficit, ut in rebus multo minoris momenti hoc ipsum faciamus: attamen hoc illud est, ad quod hominum plerique oscitantius animum advertunt: *Essais de morale, tractatu primo de 4. finibus*.

Homines plerumque morte occupantur.

Nihil morte communius, nihilque infrequentius quam eadem occupari. Plures repente opprimuntur ea morte, quæ proprie subita dicitur. Alii iis afflictantur morbis, qui rationis usum auferentes, quamvis non statim inferant necem, eumdem producunt effectum ac mortes subitæ, eo quod prohibent, ne sese morti disponant: *Subitum est homini, quod ante cogitare non potuit*, Sanctus Gregorius l. 15. Moral c. 2. Sed quin eos spectemus casus, qui minus vulgati sunt, quodam in sensu dicere possumus, omnes fere mortes subitas, ac inopinatas esse; paucæ enim sunt, quæ aliquantisper ante prævideri potuerint. Ædium lapsus vulgo prævideri potest; omnes enim illius partes introspiciuntur, neque desunt certæ viæ id cognoscendi, cum dubitatur. Sed humanum corpus moles est, cujus machinamenta latent, & quæ repente ruinam facere possunt, quin aliquis valeat præsentire. Hic longe a se putat mortem abesse, qui eam in sinu gerit; & ille teipsa hoc momento longius abest a morte, qui paulo post illi proximus futurus est. Ad corporis nostri machinam perturbandam fere nihil requiritur. *Idem*.

Mors est omnium privatio.

Ut intelligamus, quid sit mors, & quos effectus producat, satis est concipere, hanc esse fracturam omnium vinculorum, quibus anima creaturis hærebat; videlicet hanc generalem esse separationem omnium sensibilium objectorum, omnium voluptatum, quæ ibi inveniuntur, omnium humanarum affinitatum, & denique omnimodam rerum omnium, quæ in mundo amabantur, separationem. Qui moritur, non amittit id solum, quod divitiæ vocantur; amittit aerem, terram, sydera, reliquamque naturam; amittit

cognatos, affines, amicos; amittit omnes homines; amittit omne subsidium, & opem; atque generatim omnia suarum affectionum, & votorum objecta! *Ibidem*.

De morte cogitandi; ad hoc per intervalla ab Ecclesia excitamur.

Nequaquam fert animus terribilem hic mortis descriptionem afferre, neque universalem, & inevitabilem illius necessitatem probare; quis illam ignorat? & ab ipsis mundi incunabulis aliquisne ita insanus extitit, qui eam in dubium accerseret? Ubique exequias videmus; semper lugubrem nolarum sonitum audimus; in Templa, ubi majores nostri tumulati sunt, convenimus: inter tot, ac tam tristitia objecta mortis idea nobis in singulos gressus occurrit. Sed veritatem vobis ostendere cupio, quæ majoris mihi momenti, atque utilitatis videtur, conformem consilio, quod sibi proponit Ecclesia, nobis ob oculos statuens mortem adolescentis in ipso ætatis flore prærepti in hujus diei evangelio, vel in Cinerum ceremonia in ipso Quadragesimæ ingressu. Ecclesia divini spiritus lumine ducta, nihil antiquius habet ista cogitatione; ad hanc nos invitat, & urget, efficitque, ut inde salus nostra pendeat. Cur hoc; quandoquidem nihil frequentius, quam mortuos videre? Quia scit nihil vulgarius, & funestius nihil esse mortis oblivione. *P. Stephanus Chamillard*.

Mors neque cogitanda, neque recipienda est more philosophorum.

Verum est. Ethnicos fortitudinem in mortis, ac impendentium sibi periculorum contemptu constituisse, necnon philosophiam suam specioso nomine meditationem mortis vocasse. Sed fidelis mortem eodem pacto spectare non debet, neque ob easdem causas, ut illi, vitæ jacturam consolari. Aliquo enim in pretio habenda est inanis hæc existimatio, qua fruitur apud posteros, ipsi videlicet non defuisse fortitudinem, constantiam, firmitatem, & quamdam animæ Stoicæ magnitudinem? Inania phantasmata, quæ Ethnicos fefellerunt, & quibus nescio an in ipsa etiam Christiana religione plerique eorum, qui militiæ nomen dederunt, ac mortem ipsam tanta audacia provocant, iisdem suam debeant virtutem. Etenim frustra hunc stuporem simulas: si oppidum oppugnandum est, si exercitus in aciem est dispositus, & jamjam manus conserendæ sunt, prima, quæ tibi occurrat, est mortis cogitatio: homo vero christianus, homo alioquin prudens, alteramque credens vitam, ruet in apertum mortis periculum? Nisi sanctus sit, aut Stoicus, quomodo hoc facere possit non intelligo. *Idem*.

Effectus cogitationis mortis.

Si cogitaremus serio, mortem esse transitum a temporali vita ad æternam, certe eum in statum adduci conaremur, ubi in æternum essemus beati. Cur? Quia secundum cordis nostri dispositionem, vel vitam hanc tamquam pœnarum, vel tamquam gloriæ, & felicitatis æternitatem respiceremus. Numquid tamquam æternitatem pœnarum? Quot salutares timores; quot sanctæ præcautiones! Non solum mundi voluptatibus non afficeremur, sed omnia nobis periculosa viderentur, omnia suspecta nobis essent; numquam ne pedem quidem tuto proferre existimaremus: minima etiam desideria nostra diligenti examine excuteremus; de ipsis solatiis, quæ omni culpa vacare creduntur, diffideremus; omnes gressus nostros exploraremus; & ut verbo me expediam, singula vitæ nostræ momenta talia efficeremus, quale illud esse cuperemus, cum morti proximi erimus, ubi anima nostra hac tantum incertitudine laborabit, Numquid pœnarum æternitas pars erit mea? Oportet eo in statu fuisse eum, qui omnem illius terrorem velit exprimere. Immo nullus scio, utrum fieri posset, quod diutius vitam produceret homo, qui indesinenter serio hoc vellet meditari. Saltem testatur historia insignes sanctitatis viros hac meditatione ad extrema fuisse redactos, & nisi illos sustinuisset Deus, eorumque timores imminuisset, aliis lætioribus considerationibus, illos reipsa fuisse morituros. O beatum animæ statum, ubi fieri ferme non potest, ut sese aliquo scelere polluat. Tu ipse, o Deus, per os Ecclesiastici c. 7. id nobis promittis: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*; quibus S. Bernardus addit: *Nimirum quod hæc cogitatio maxime faciat timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat*. *Idem*.

Quid fiet si mors tamquam æternitas beata consideretur.

An tamquam beatæ æternitatis principium mortem considerabitis? Tunc quotiescumque vos mortales esse cogitabitis, cor vestrum supra mortalia, & sensibilia assurget, ardentibusque votis in illam evolabit gloriam, ad quam anhelabit. Quod inter æternæ illius, & terrenæ hujus vitæ bona discrimen! Ibi pura vobis videbuntur, sine mali immixtione, æterna; hic vero e contra in oculis vestris erunt veluti imperfecta, transitoria, crassa; vel melius dicam, inania, chimærica, apparentia; tunc tantum aberit, quod cor vestrum humi repere, ac perituris objectis noxie adhærescere patiamini, ut ægre, gravateque eam illis curam, quam necessario status viatoris efflagitat, impendatis. Ita naturale homini est felicitatis desiderium, ut hi properantis animæ impetus non percipi nequeant. Licet etiam non iisdem ageremini ardoribus, quibus Apostolus, ut in illa erumperetis verba: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*: ad Philip. 1. quamvis illum perfectionis apicem nondum essetis assecuti, ut nullum illic solatium inveniretis, nisi in spe, quod finis vester propius adsit; quamvis impatiens cupiditas unico, supremoque bono perfruendi nata non esset, cum regio Propheta de vitæ diuturnitate conqueremini: ii tamen impetus essent, qui nonnisi electas, primique ordinis animas decent. Saltem hoc honore vos dignos præstare ambiretis, nihilque negligeretis eorum, quæ vobis ad eumdem aditum possent aperire. *Idem*.

Mortuorum intuitus sæpe magnam efficit impressionem in illis, a quibus attentius considerantur.

Cum attentius consideratur homo, qui nuper efflavit animam, verum est, extinctos oculos, pallidam faciem, frigidum, & immobile cadaver, os deformatum, ubi videntur adhuc convulsionum reliquiæ, corpus a consanguineis, filiis unice dilectis, servis fidelibus, constantibus, sincerisque amicis derelictum, rebus omnibus expoliatum, unicoque linteo involutum: & si post aliquot dies e tumulo educatur, hunc vermium acervum, graveolentem hanc, horribilemque putredinem, carnem semesam, tabum, & luem vehementissimos quoslibet affectus extinguere posse. Nobilitas qualibet magis superba ibi humiliatur, pulchritudo quævis suis illecebris freta ibi se ipsam contemnit. Sexcenti conversi sunt oculos conjicientes in putrefacta cadavera vel eorum, qui in se mortalium omnium admirationem converterant, seu propter vim, atque potentiam, seu propter res præclare gestas, vel adolescentularum, quæ & forma, & amasiorum numero erant insignes. *Idem*.

Sensus confidentiæ in morte fovet, qui bene vixit.

Bono viro morienti quam jucunda accidet recordatio pietatis, qua vivens se exercuit, & meritorum, quæ sibi comparavit! Ecce me tandem ad stadii finem. Non agitur modo de humanis opibus, de augendis redditibus, de prædiis acquirendis, de statuenda domo. Hæc omnia pro me transierunt: sed hoc agitur, quod quamprimum coram Deo mihi prodeundum est, bonusque vitæ finis imponendus. Scio equidem me, Domine, peccatorem esse. Si mecum egeris secundum totam justitiæ tuæ severitatem, hei mihi! Quid in me reperies, quod me dignum eo præbeat auxilio, quod ex manu tua expecto, & quod petere audeo! Verum mihi videor, Domine, aliquo modo in misericordia tua sperare posse futurum, ut in extremo vitæ hujus articulo ab illa non deserar, quandoquidem neque me ipsum usque in præsens penitus deserui. Fateor equidem me non præstitisse quidquid opus erat, ut terribili huic, in quo sum, periculo me præpararem, verum exiguum illud, quod

præsti-

præstiti aliqua remuneratione haud carebit ; & hæc mihi maxima remuneratio est, ut in hoc mortis articulo omnipotentem protectionem tuam mihi largiaris. *Idem*.

Acceptatio mortis, & divinæ voluntati submissio. O Deus ! quandoquidem præcepisti , ut morerer , humiliter justitiæ tuæ sententiæ acquiesco , neque detrecto mortem , quam tot sceleribus meritus sum. Hanc æquo animo , & in pœnitentiæ spiritu accipio , & non abnuo , animam meam a corpore separari eo quod incompositis affectionibus suis obtemperaverit . Esto corpus hoc tumuletur , pedibúsque calcetur in mei luxus , atque superbiæ pœnam , vermium pabulum fiat , & quod omnis commoda sua adamaverit , computrescat . Esto privetur sensuum usu , quibus ad te lædendum abusus fui , bonis omnibus exuatur in pœnam amoris , quo illa deperii , & abusus , in quem eadem converti , ac tandem æternæ oblivioni tradatur , eo quod dum vixi , tamdiu oblitus sum tui . Hoc unum posco , *ut moriatur anima mea morte justorum*. Num. 23. *P. Nevet in recessu quodam de præparatione ad mortem*.

Semper parati esse debemus morti. Nullum in vita momentum est , quo parati esse non debeamus , ut Dei tribunal adeamus , si bene mori , salutemque nostram certam facere cupimus . Quare ? Quia nullum est vitæ nostræ momentum , quod nobis concessum non fuerit , ut nosmet morti præpararemus : quia nullum est momentum , quod plurimum æternitati nostræ conferre non possit ; quia nullum momentum est , quod extremum vitæ nostræ esse nequeat ; quia salutis nostræ negotium tanti momenti est , ut tota vita vix satis esse possit , ut rite illud procuremus ; quia denique sanctissimus quisque toto vitæ spatio in id animum intendit , sciens id , quod S. Augustinus inquit , Dei filium voluisse diem mortis nostræ latere , ut omnibus vitæ nostræ diebus de morte eadem essemus solliciti , neque enim vivimus , nisi ut bene mori discamus . Tempus non est defensionis argumenta inquirendi , cum Judex mortis sententiam laturus est ; tempus non est ad amuleta confugiendi , cum veneni vires cor ipsum infecerunt ; tempus non est arma præparandi , cum hostis in aciem descendit . *Idem*.

Verum est , Deum esse misericordem , & quod viribus suis homo præstare non valet , hoc Redemptoris gratiam , ubi illi placuerit , efficere posse . Verum quemadmodum divinæ interest bonitatis , in morte eos non derelinquere , qui fideliter , dum viverent , eidem inservierunt , opus quoque est , illius effulgere justitiam permittendo , ut qui illius obliti sunt , dum bene vivendi & tempus , & adminicula habebant , cum morituri sunt , sui ipsius obliviscantur , & salutis suæ negligant curam . Quam felix igitur , & sapiens est , qui modo se talem studet efficere , qualem in morte a Deo vellet inveniri ! *Idem*.

Actus confidentiæ in Deo prope mortem eliciendus. Eo momento , Deus meus , cum ad æternitatis januas adstabo , redactus ad necessitatem ex hoc mundo egrediendi , omniaque relinquendi , relinquendus ab omnibus ; eo momento , quo consanguinei , & amici nullum afferre possunt auxilium , undenam expectare potero malorum meorum solatium , & in quo spem meam collocare ? ad quem confugere ? nonne ad te , Domine , qui omnipotenti brachio tuo infirmum sustinere potes , lapsum relevare , ab hostibus in extremo eo certamine lacessitum tueri , & victorem coronare ? Ad te igitur confugio , quia mihi perfugium es , portus , spes , salus , omnia . Eja ergo anima mea hoc vitæ , quod superest , breve spatium in magni hujus Dei servitio impendamus &c. *Idem*.

Boni morientis tranquillitas. Quam longe inter se tunc temporis distant status peccatoris , & justi ! Quid enim in morte fidelis hic , verusque Christianus optare potest ? Quin re ipsa esset pauper , pauper erat corde . Ob oculos suos mundi figuram effulgere videbat , quin oculi perstringerentur . Omnia novit pericula , miserias omnes , omnem improbitatem , & corruptionem mundi hujus fallacis , & reprobi . Cum ergo inanis hic fulgor , cujus vanitas , & illusio illi comperta fuerat , & explorata , evanescit ; cum bona , quæ ex Apostoli consilio possidebat , quasi ea non possideret , ex manibus ejus elabuntur ; cum hæc fragilis caro , hoc mortale corpus , cujus inimicus fuit , non cultor , sub humanæ infirmitatis pondere , ac sub naturæ lege cedere incipit ; quidnam illum retinet ? quid moratur ? Fructus est jam maturus ; ultro ex arbore decidit , quippe illi non hærebat amplius , & sine vi , ubi primum arbor excutitur , cadit . Quænam consolatio , cum sibimetipsi ait : morior , e mundo egredior , hoc est fallacia relinquo bona , quæ contemnebam , & quæ reipsa Christiano contemnenda sunt . Donec ea possidebam , in illis requiem meam statuere non poteram , neque integrum erat mihi , in illis vanas voluptates inquirere . Quid ergo prodesset mihi , diutius id servare , quod amare prohibeor ? Morior ; nempe non gemam ultra in hac exilii regione , non ultra obnoxius ero inimicis , ærumnis , sollicitudinibus , laboribusque , qui omnino separari nequeunt ab ea vita , ubi quotidie aliquid perferendum est . Morior : videlicet , non versabor ultra in occasione te , Deus , lacessendi , nulla mihi amplius sustinenda erunt vel intra me , vel extra me prælia , prælia adeo frequentia , periculosa , gravia , importuna . Si animus non adeo perfecte a terrenis rebus semper divulsus est , semper tamen submissa voluntas est , omnes repellens sensus , quos natura divinis opponit imperiis , sanctas revocans ideas , in quibus enutrita fuit , sibi in virtutem convertens id , quod necessarium est , ac morte ipsa utens , ut contra mortem eamdem roboretur ; hoc est sine ullo dolore ea amittens bona , quæ prætereunt , ob hanc ipsam rationem , quia prætereunt . *P. Girouſt sermone de bona morte*.

Justus modo seipsum respicit veluti victimam , quam Deus immolat gloriæ suæ ; neque alia est ara , quam lectulus ipse , ubi sub percutientis manu se humiliat . Ibi victima offertur , ibi mactatur : ibi opus , ut gladio pectus transverberetur , igni absumantur , & holocaustum perficiatur . Hoc opus est , Deus : sacrificium hoc tibi debetur ; & eximium inde fructum percipio , si illud acceptare digneris . Modo seipsum considerat , veluti sontem , quem punit Deus , & quem divina expiat misericordia illum percutiens . Cum enim bonum hominem dicimus , auditores , non semper intelligendus est aliquis primæ magnitudinis Sanctus , a minimis etiam imperfectionibus expeditus , & qui coram Deo ita æs alienum dissolverit , ut divina justitia nihil habeat , quod ex illo reposcat . Ægrotus pœnitens seipsum condemnat , ac benedicit judici punienti , ut misereatur , & non parcenti , ut melius parcat . Modo in humili submissione supremam adorat Creatoris potentiam , qui illum efformavit , & qui ad libitum de opere suo disponit . Deus vult , Deus jubet ; tua , Domine , fiat voluntas , non mea . Modo Jesum Christum e cruce pendentem intuitus , sibimet animos facit , vel rubore suffunditur . Tu Domine , ante me , & multo magis , quam ego , passus es . In cruce morior , ut tu , o me beatum , si tecum in gloria regnavero . *Idem*.

Inania eorum in morte vota, qui male vixerunt. Cur nequit peccator primos ætatis suæ annos revocare ? Cur nequit iterum renasci , ac recentem sibi viam sternere ? Cur nequit repetere viam , a qua statim , ac tamdiu deerravit ? Cur nequit iterum stadium ingredi , ac iterato cursu prethum , quod sibi proposuerat , referre ? Heu inania desideria illum magis , magisque affligentia ! Inde enim internus oritur vermis , conscientiæ stimuli , amara probra , quibus seipsum redarguit , sententia , quam ipse in antecessum primus contra se profert : cum interim vir bonus , justo quidem noxarum suarum dolore tactus , sed vehementi animatus confidentia immutabili tranquillitate perfruitur , solidamque pacem in præteritorum bonorum operum recordatione nanciscitur . *Idem*.

Excellens sese ad mortem præparandi ratio est cogitare, quod post mortem ultra mereri non possumus.

Egregia est de morte cogitandi ratio, illam tamquam meritorum nostrorum finem spectare, credere hoc extremum esse ejus vitæ momentum, quæ nobis concessa fuit, ut ad cœli acquisitionem impenderetur, & momento hoc elapso, nihil fieri posse, quod æternitati conducat. Hac methodo passim utebatur S. Bernardus, atque in sui fervoris excessu hæc secum: securis jam ad arboris radices est; si ceciderit arbor, quanam ex parte ruet? Ubi jejunia mea, ubi austeritates, ubi orationes? Quandoquidem misericordia tua, Deus, expectando fatigata non est, mihique integrum finis reliquo hoc uti spatio, ullane re prohiberi possum, quominus illud tibi omnino devoveam? Tunc illius cor divino amore succensum nullum inveniebat obicem, nihil, nisi cruces, austeritates, & passiones cupiebat. Agricola, cum flavescunt segetes, tanta aviditate serenos messis dies non expectat: quælibet dies illi amplissima erat messis, quotidie insignem uberemque fructum referebat. Hæc una cogitatio, hodie mori possum, fovebat in illo hunc devotionis spiritum, qui eidem erat quodammodo particularis. *Idem*.

Dolor, quo mundo adhærescentes omnia relinquere tenentur.

Quinam fulmineus ictus homini mundo adhærescenti, cum vi morbi victus se coactum videt ad ea omnia deserenda, quæ votorum suorum erant objecta, & vitæ suæ delectamentum? Cogitate, quomodo perculsus fuerit Saul, cum pallentem Samuelis umbram de tumulo cum omni mortis apparatu egredientem, atque contra ipsum terribilem hanc sententiam proferentem vidit, & audiit: *Cras tu, & pueri tui mecum eritis*. Cras tibi in terræ sinum ingrediendum erit, unde me tua sacrilega eduxit audacia. Talis erit impii jamjam morituri stupor, & metus. Quis tunc pavor, ac terror? Quæ cordis laniena? Profecto vincula omnia, quibus impius mundo vinctus adhæret, vel necessaria sunt, & naturalia, vel libera, & criminosa. Utraque simul in morte fiunt doloris ejusdem argumentum. Naturalia quidem; non loquor solum de visibilis hujus mundi luce, a qua in æternum separandus est; non loquor solum de corpore, quod dissolvendum est; non loquor solum de sensibus, secundum quorum testimonium judicium ferre consueverat; loquor de vinculis naturalis, & rationabilis benevolentiæ erga consanguineos, filios, amicos. Quo dolore hos omnes, quos ardentissime amavit, relinquere cogitur? &c. *Sermo manuscriptus*.

Impii in morte peccatorum suorum cogitatione terrentur.

Nihil in morte impiis majorem incutere terrorem potest, quam idea tunc de sceleribus suis concipienda. Tunc temporis excitabit in illis Deus omnes stimulos, atque tumultus, quos illi, dum viverent, evitare conati sunt. Eorum judicia tunc erunt æquiora, atque saniora. Ita de illis S. Chrysostomus loquitur: *Pondus, & pondus*, ait ille, *mensura, & mensura*: pondus pro vitæ tempore, & pondus pro tempore mortis. Impuritas, dum flagitiosus homo ille viveret, morum quædam festivitas habebatur, nunc vastatrix flamma est, infernis flammis simillima: *Pondus, & pondus*. Aliena usurpare, in vita prudentia videtur, & peritia, at in morte latrocinium, atque rapina: *Mensura, & mensura*. Eleemosyna negata, in vita licita est omissio, in morte vero crudelitas, & homicidium: *Pondus, & pondus*. Detractio, in vita lusus, & licita recriminatio censetur, in morte vero durities, & injustitia: *Mensura, & mensura*. Et sane quam longe differt considerare peccatum hac obvolutum voluptatis illecebra, qua tegitur, & peccatum denudatum cum omni turpitudine ipsius. Hoc pacto impius in morte illud considerat. Olim Propheta *Psalm.* 17. dicebat: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me*. Antequam doloribus mortis conficerer, non audiebam iniquitatum mearum torrentem circumstrepentem; sed illius murmur me nunc turbat, ac terret. Frustra scitus Confessarius ideam hanc amovere conabitur prohibiturus, ne ruat in desperationem. Omnia, ipsa etiam Jesu Christi Sacramenta hanc illi ideam revocabunt. *Idem*.

Futuri cogitatio in morte illa turbat, qui male vixit, cum modicum fidei supererit adhuc.

Horribilis futuri cogitatio par est terrori incutiendo homini flagitioso jamjam morituro, dummodo modicum aliquid fidei in illo supersit. Etenim quid de ipsa fide sua illi metuendum non est? In imo corde agnoscit, & recitat peccata sua; sed in Dei corde remissionem non videt. Quod centies audiit, morientis pœnitentiam suspectam esse, sæpe vanam, & illusoriam, redit in mentem. Hoc actus terrore, quid ille sibi in futurum fingere non debet? Peccator sum; de hoc dubitare non licet; sumne pœnitens? Hoc nescio. Hoc in statu spiritus ægrotantis, infirmitate religionis præjudiciis accedente, se spectris circumdatum putat. Visi sunt, quibus fides extremis illis momentis pro carnifice fuit, non secus ac ille, qui exclamabat: *inducias usque mane, inducias usque mane*. Qui me invaditis, dæmones, spectra, quæ me obsideris, inducias saltem usque mane mihi concedite. Ego quidem non intelligo, quomodo qui de morte numquam cogitavit, & numquam sese eidem studuit præparare, impetum adeo gravem sustinere queat. Post etiam dubiam absolutionem tempore adeo periculoso receptam, quot funestæ repræsentationes vividam imaginationem perturbabunt, cum fides in mentem revocabit, quidquid maxime timendum religio eumdem docuerit! At enim salubres sunt hujusmodi cogitationes: ita sane, Christiani, donec bona utentes valetudine iisdem ad salutem possumus uti. Sed in morte, ubi de recidivis prohibendis res non erit, fides ipsa fides erit instrumentum supplicii iis, qui male vixerint, & numquam de morte cogitaverint. *Idem*.

Crudelis anxietas, qua in morte homo irreligiosus torquetur.

Impius, qui est irreligiosus, & exlex, in morte magis adhuc incertitudine sua torquetur, quam flagitiosus homo, cui aliquis superest sensus religionis. Et ratio constat; homo enim in illa, quæ ad religionem pertinent, æquo solutior contra rationem, ac fidem, hoc unum ad summum evincere potuit, ut dubitaret; adest Deus ultor, necne? Anima est immortalis, an secus? Religio christiana verane est, an falsa? Neque enim cum aliqua boni sensus specie dicere potest, sibi oppositum esse persuasum. Itaque, ut summum, redactus est ad hanc dubitationem, videlicet ad hanc incertitudinem, an ista sint, necne. Sed illi ex hac incertitudine quinam cruciatus sunt perferendi? Tandem fieri potest, ut vera sit Jesu Christi religio; at si ad meæ calamitatis cumulum hæc omnia vera inveniuntur; si futuram vitam ingredior, antequam illam crediderim; si ex hac vita pedem efferens in infernum dejicior, quam infelix futurus sum! quanam in re confidam? in religione mea? nulla mihi est: in naturali probitate? at vita mea non intermissa est series iniquitatum. Qui timores! at non ideo inter nos impii desunt, qui impietatem suam ad ultimum usque vitæ spiritum producant. In morte omnes dubitationis suæ dolores evitare cupiunt: neque defuere, qui ex impiis facti fuerint concionatores, dum animam efflarent. *Idem*.

Quam necessaria sit mortis cogitatio.

Mortis cogitatio est admodum necessaria; nos enim inducit ad facienda ea, quæ morientes a nobis certissime facta fuisse vellemus, ea, quæ necessario morientibus erunt facienda, ea, quæ forsasse a morientibus fieri, vel saltem bene fieri non poterunt, ea, quæ morientes nonnisi difficile faciunt, & ea, quæ tunc nonnisi inviti faciunt. Salutaris est hæc cogitatio, ac certissime nos ad bene vivendum adducit, videntes, nihil morientibus æque molestum esse, quam pravum usum vitæ anteactæ. Hac de causa tot videntur, qui morti proximi se fuisse vellent pauperes, vel religiosos; credunt enim hoc in statu de morte fuisse cogitaturos, & hac cogitatione actos saluti suæ fuisse vacaturos. Profecto non ferendus dolor

est,

est, videre a se temporis numquam rediturì jacturam factam fuisse. Ut dolorem hunc effugiatis, sæpe mortem cogitate; singulos dies ita transigite, quemadmodum morientes illos transegisse velletis. Ridicula eorum est excusatio, qui de morte cogitare nolunt, quia hac cogitatione tristitia afficimur: quod idem est ferme, ac si animum intendere minime velles ad paupertatem, morbum, calamitates, quæ imminent, propulsandas; quia hæc gravissima sunt vitæ mala. *P. de la Colombiere in Christianis considerationibus.*

Mirum est, quod homines adeo parum sint de morte solliciti.

Parum est, quod christiani frequentibus, quos audiunt, de morte sermonibus non moveantur; multo magis mirum est, quod ipso mortis adspectu minime afficiantur. Vident quotidie imaginem ejus, quod intra paucos dies futuri sunt, in fratrum morientium facie; cubant in linteis, quibus obvoluti, tumulandi sunt; dormiunt in cubilibus, in quibus animam sunt acturi. Quotidie in templum veniunt, quo sunt aliquando efferendi; terram calcant, in qua putrefacere debent, in pulverem mox redigendi: audiunt æris campani sonitum, quo mors illorum erit nuntianda; & nihilominus, o cæcas hominum mentes! rident, lætantur, solatiis indulgent. Numquid parum est peccare, & Deum eumdem lacessere, qui vitam eorum in manibus tenet? O Deus! quam admirabilis est sapientia tua; quod hominem duræ huic, & immutabili mortis necessitati subjeceris! In quæ flagitia non rueremus, nisi hoc fræno cohiberemur? quo nos affectiones nostræ non raperent? *Idem.*

Mortis cogitatio superbissimum quemque humiliare debet.

Homo superbe, ostenta, quoad tibi placuerit, dignitates tuas, titulos, magnifica nomina; nonne vides hæc omnia unico mortalis nomine deleri, quod nullum eorum vestigium, nisi in sepulcrali lapide, & inscriptionibus, linquet, quæ id, quod fuisti, enarrantes, apertius, te non esse amplius, nuntiabunt. Omnia honoris insignia, quæ post mortem te sequentur, aliena erunt, atque extra te; sed conditionis tuæ cum calamitosissimo quovis æqualitas erit in cineribus tuis, ac putredo tua, tuæque deplorabiles reliquiæ sub magnificis hisce mausoleis, quibus contegentur, nihil habebunt, in quo ab aliorum hominum cineribus differant. Ambitio tua hæc cogitanti nonne æque ridicula, ac nocens videtur? Ad quemcumque elationis gradum attolli possit fulgidum hoc humanæ magnitudinis simulacrum, ad fulmineum horum verborum, quæ Propheta Regi morienti nuntiavit, ictum in pulverem non redigitur? *Morieris tu, & non vives.* 4. Reg. 20. Superbe mortalis, assume pennas aquilæ, sequere rapidum tuæ ambitionis impetum, nidum tuum in nubibus statue; te illinc mors detrahet. Cæca ambitio, quæ veluti mare omnium affectuum, quos cies, flatibus intumescens, fluctus tuos in cœlum usque attollis, momento in intimam abyssi decides: post tot procellas, tempestatesque excitas spumantes undæ contra illud arenæ granum allisæ conterentur, ubi Dei digitus descripsit terminos dierum hominis, quos illæ numquam pertransibunt; & fragmenta tot dignitatum, ac potestatum, quæ in hunc delatæ scopulum scissæ sunt, æternum erunt mortalibus omnibus documentum, qui inde ambitionis suæ insaniam cognoscent. *Abbas du Jarry sermone de Cinerum cæremonia.*

Mortis cogitatio efficere debet, ut de Deo, & æternitate cogitemus.

Cum dierum meorum dimidium explevero; cum viribus, ac ætate valebo, in ipso ridentis juventutis flore, in ipso honorum meorum cumulo; ibo, ajebat Rex Ezechias, usque ad ostium sepulcri: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Isai. 38. Quæsivi numerum annorum, qui mihi ad vivendum supersunt, & quantumvis diuturnum mihi vitæ spatium pollicear, breve tamen videns intervallum inter me, & mortem, dixi: Stamen annorum meorum brevi succidetur; exturbabor de viventium numero, quemadmodum tabernaculum pastorum, quod de loco in locum transfertur. Vix incipiet vitæ meæ orsus, cum illius subtegmen de mane ad vesperam abscindetur. Hæc cogitans oculos sursum ad te, Deus meus, extuli; sed attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Quid dicam, cum fractis vinculis, quibus anima mea retinebatur, cum omnibus iniquitatibus suis ante tribunal tuum statuetur? Ubi me abscondam, quo fugiam a facie iræ tuæ? Heu! Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; in antecessum ingrediar squalidam sepulcri caliginem, ut per humiliationem spiritus mei aliquod mihi in ultionis diem perfugium inveniam. *Idem.*

Mortis cogitatione nihil aptius hominem humiliare potest, & ad pœnitentiam adducere.

Nihil aptius est ad animæ doloribus confectæ solatium afferendum, nihil magis idoneum ad animam pœnitentem in execrationibus suis confirmandam, nihil validius ad animam in flagitiis suis obduratam excutiendam, quam mortis cogitatio; quæ præsertim præsentissimum est antidotum ad ambitionis vulnus sanandum, & replendam animam illa humilitate, quæ pœnitentiæ principium est. Familiaritatem, ut ita dicam, cum mortis cogitatione ineamus, ut nobis minus terribilis accidat, cum advenerit; cum humili submissione acceptemus humiliantem hanc legem, tanquam medium, quo pœnitentiæ nostræ defectui supplere possimus. Deus vitæ nostræ spatium producit, ut conversioni tempus tribuat; nos vero in recentibus delictis perpetrandis impendimus spatium illud, quod ad perpetrata scelera expianda nobis conceditur; tantum abest, quod debita dissolvamus, ut recentibus quotidie obruamur, & indesinenter aliqua semper accessio fiat huic iniquitatis thesauro, quem in diem ultionis cumulamus. *Idem.*

In morte nostros agnoscimus errores, & abjicimus præjudicia.

O quot falsa præjudicia extremis vitæ momentis evanescunt! Quam parum austera, parum difficilis tunc virtus videtur! quam tristis, crucibusque repleta, quacumque ex parte spectetur, vita improborum apparet! Sed quam durum est, tunc tandem suum errorem agnoscere, cum resipiscendi ultra tempus non est, & cum inutili labore error abjicitur! Quam amara est inutilis suæ improbitatis confessio! Quam molestum est, tunc agnoscere peccata sua, cum nulla superest eorum corrigendorum via! *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis:* Sap. 5. Hoc nequitiæ stadium percurrentes defatigati sumus, omnes exhaustæ sunt vires nostræ, & cursus adeo molestus, & gravis nos tandem ad æternum supplicium perduxit! *Ambulavimus vias difficiles.* Saltem nihil nobis perferendum fuisset, ut in interitum rueremus! Sed heu! viam sepibus, stipibusque præpeditam ingressi sumus, & iter difficillimum elegimus: *Viam autem Domini ignoravimus.* O Deus! quam paucioribus curis, angoribusque afflicti fuissemus, si minus aspernati virtutem eorum, qui nobis sapientiores fuerunt, eorum secuti fuissemus exempla: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Eorum modestiam, & verecundiam cachinnis excipiebamus, despiciebamus illos, & superbe in cœtus nostros aditum illis prohibebamus. O cæcas hominum mentes! O nostram insaniam! *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Homines illi, qui adeo contemptibiles nobis videbantur, illustres sunt virtutis sanctorum heredes; & ecce jam in numero filiorum Dei adscripti sunt. *P. Croiset in spiritualibus Considerationibus.*

De præparatione ad mortẽ.

Vigilantiam, & curam suse ad mortem præparandi certissimam, & necessariam esse ad beatam mortem obtinendam viam, affirmare non dubito; Ut de hac veritate nobis persuasum sit, satis est oculos in Evangelium vel fortuito conjicere: nulla enim fere pagina est, ubi communis hic divinæ providentiæ ordo nequeat deprehendi. Vigilate, Salvator hominum inquit, nescitis enim, qua hora Dominus venturus sit. Vigilate, alibi

ait,

ait, quia diem, & horam mortis vestræ ignoratis. His positis, hæc mecum colligite: si præparatio ad mortem res momenti esset exigui, vel modicæ utilitatis, si Christiani parati, vel imparati, vulgo beatam mortem obirent: cur mundi Salvator adeo frequenter, & enixe eamdem incudem tunderet, ut videlicet extremæ huic horæ numquam essemus imparati? Profecto inferendum est, si etiam atque etiam hanc nobis commendat vigilantiam, si indesinenter suadet, ut nosmet morti præparemus, hoc inde factum, quia æterna felicitas nostra, vel infelicitas potissimum ab hac pendet sollicitudine; & illo bene moriendi gratiam huic adnectit vigilantiæ, ideoque hæc certissimum indicium est, eos, qui sese præparaverint, beatam mortem assecuturos. *Pater Gegou libro, cui titulus: Præparatio ad mortem.*

Sapientû mundi hac in re negligentia.

Hac autem in re illud præ cæteris mirum videtur, quod sæculi sapientes negligentiam hanc in temporalibus negotiis agendis, transigendisque nequaquam præseferant. Nihil enim, licet levissimi illud momenti habeatur, aggrediuntur, quominus consulte, & rite peragant omnia: attamen illi ipsi haud dubie se morituros esse; mortis horam incertam, & ex hac hora beatam, vel miseram pendere æternitatem scientes, nihil tamen minus, quam bonam mortem concupiscunt; nihil minus, quam malam mortem metuunt. Audiunt illi vocem filii Dei incessanter monentis, ut se præparent, semperque parati ipsius adventum expectent; & nihilominus neque minis, neque monitis commoventur. Vah! si hominum prudentia, & sapientia consistit in eligendis mediis, quibus facile optatum finem consequantur, quo nomine hæc agendi ratio erit appellanda? Mors nonne vitæ finis est? *Idem.*

De mortis metu.

Mortis metus apertum indicium est, quod minime ducitur vita homine christiano digna, neque ambulatur in arcta via, quam nos docet Evangelium. Et profecto naturale est, sancti Patres inquiunt, cupere quamprimum ex illo statu egredi, qui violentus æque, & periculosus est. Miles cupidissime desiderat prælii finem videre, & partæ victoriæ fructu perfrui. Viator indesinenter periculosi, difficilisque itineris terminum expetit. Quid autem veri christiani via est? Via sane est arcta, & impedita, ubi jugibus patet laboribus, atque periculis; prælium est, domesticumque bellum, in quo patitur, sibique vim infert assiduam, denique crux est, & sine relaxatione martyrium. *Tota vita christiani, si secundum Evangelium vivat, crux est, & martyrium. Idem.*

Si charitas, ut S. Joannes ait, timorem expellit; si amicitia perquirit unionem, & ægre fert objecti sui absentiam; numquid amare Deum est, non teneri desiderio videndi illum, metuere, ut aliquando perfecte cum eo conjungamur? Sed nonne illum odisse est, amare mundum infestissimum illius inimicum, ac timere exitum ex hac vita, ubi in jugi eum lædendi periculo versamur? Hac in re Patres eloquentiam suam ostentarunt. Si creditis, inquit S. Cyprianus, in cœlis esse Deum, & Deum hunc esse Patrem vestrum; si creditis cœlum esse hæreditatem vestram, vel patrem hunc vobis præparasse regnum omni bonorum, deliciarumque genere affluentissimum; si promissioni illius omnis spes vestra debet inniti, cur non sancta flagratis cupiditate patrem adeo amabilem videndi? Quomodo assiduis gemitibus, atque suspiriis non testamini vestrum desiderium, quo impatienter in gloriosæ hujus hæreditatis possessionem accedere præstolamini? Quare ex hac vita egressuri præ timore totis artubus contremiscitis? quare nihil intentatum relinquitis, ut diutius vitæ spatium proferatis? quare vi hinc estis divellendi, quemadmodum trahitur servus nequam ad pedes Domini, cujus faciem, vultumque subire detrectat? Num secreta aliqua magicæ artis vi captivitatem vestram illi præsertis coronæ, quæ vobis in cœlo præparata est? Quotidie petitis a Deo regni ejusdem adventum, adventum videlicet diei illius, qui mortali huic vitæ finem imponat; & nihilominus simul metuitis, ut hoc regnum adveniat. *Idem.*

Christianis minus quam Ethnicis mors est metuenda.

Ubi egregias intueor ideas, quas Ethnici philosophi nobis de morte reliquerunt, fateri cogor, nullam eorum eloquentiæ partem inveniri. Dixerunt, ridiculum esse mortem metuere, cum videamus quot jam mortui sunt, quot etiam quotidie moriantur, & quot ad mundi usque finem morituri sint. Dixerunt, totidem esse mortis momenta, quot vitæ, & quot menses, hebdomadæ, & anni elapsi sunt, totidem esse privationes rerum, quæ fuerunt, & amplius non sunt. Modo mortem hanc considerarunt, tamquam exitum de carcere, & amissæ libertatis reparationem; modo tamquam militiæ finem; modo veluti universale malorum omnium remedium. De his diserte adeo locuti sunt, si S. Augustino *l. 4. de Civit.* habemus fidem, ut plurimi sibimet mortem consciscere non metuerent, ut in antecessum eas sibi procurarent utilitates, quas se relaturos opinabantur. Hic in miseris erat furoris excessus; sed majorem habebant, quam opus esset, animi præsentiam circa mortis metum, quæ in nobis plus æquo deficit. Religio nostra, quæ sancta est, ac cœlesti lumine afflata, validas nobis suggerit rationes, non solum ne timeamus mortem, verum etiam ut illam amemus. Ostendit quippe non deesse unctionem quamdam, quæ illius temperat amaritudinem ea suavitate, qua Dominus illam adspergit: ostendit enim ea, quæ maximum nobis afferre debent solatium. *P. Bourdalove sermone de morte.*

Mortui adspectus salutare est documentum.

Si sola mortis cogitatio satis est potens, ut nos in officio contineat, quem hodie fructum adferret illam intuentibus in eo viro, qui plures adhuc sibi polliceri poterat annos juxta communem naturæ curriculum? Mihi videtur inde oriri debere effectus non longe dissimilis ab eo, qui olim accidit in S. Chrysostomi persona, cum Theodosius Imperator illius jam defuncti corpus Constantinopolim jussit afferri, ubi depositum fuit in Templo, inque eadem Cathedra, ex qua vivens concionem habere consueverat. Sæpius Sanctus Antistes apud populum disertissimos sermones habuerat, nullum tamen eloquentiorem hoc, quem ea die tacitus peroravit: numquam frequentior adstiterat auditorum corona; numquam ille tot, & tam uberes lacrymas elicuerat. Ita si umquam mortis imago ullam peperit in animis vestris impressionem; id hodierna potissimum die contingere debet, cum Evangelium vobis ob oculos adolescentis mortem constituat. Silentium illius longe eloquentius est verbis meis; os illud mutum, oculi clausi, pallida facies, corpus squalidum, & sine motu, facundius apud vos de mortis necessitate, deque bene moriendi utilitate verba facit. *Idem.*

Discendû est bene mori.

Nulla nimia esse potest diligentia bene mori studentibus: huic arti toto vitæ spatio opera est impendenda: *Tota vita discendum est mori.* Quamvis reliquas omnes callerem, hanc vero nescirem, quid ad me? numquid hæc unica est, quæ impune possit ignorari? Numquam satis discere possumus, quomodo id bene fiat, quod semel tantum faciendum est, & cujus magni sunt exitus; quod cum semel male factum fuerit, nulla reditus spes est, ac malum in æternum perseverat. Nullum hac in arte experimentum est; si erras, error est irreparabilis. Unus tantum gradus est a tempore ad æternitatem; si pes labatur, in præceps ruis, numquam illinc evasurus; hoc est, decidis in æternitatem infinite miserrimam. O lapsum! Reparari quidem non potest; sed præverti potest, si illi crebro animum & cogitationem impendas. Quamvis ea, quæ ad malum hoc evitandum, diligentia requiritur, esset difficillima, haud

haud hæsitanter esset suspicienda : unita vero, vel saltem præcipua est mortem sæpe cogitare. Si mortem sæpe cogitando mortem evitares, nonne assiduam in illa cogitationem defigeres? Illam vero cogitans malam mortem, miserrimamque evitas æternitatem, quæ illam subsequitur; & de illa numquam vis cogitare! Nihil ergo magis metuendum est, quam mala mors. *P. Nepveu tomo primo Christianarum considerationum.*

De mortis necessitate.

Moriendum est; hæc veritas est, de qua non licet ambigere: hæc sententia est a divina justitia prolata, a qua non licet provocare. Lex est, cujus nulla est exceptio: Reges simul cum populis involvit, cumque illi toti terrarum orbi leges irrogaverint, & ipsi quoque huic pareant necesse est; nullum habent hac in re privilegium, nullam dispensationem. Adulatio, quæ ex Regibus Deos voluit efficere, illos immortales efficere non potuit. Tunc etiam cum sublimi insident solio circumundique gloria, ac triumphis septi, ac super omnium hominum capita elati, non secus ac novissimus quilibet e plebe damnati sunt, atque ut Apostolus loquitur, in seipsis suæ damnationis gestant sententiam. Audiunt, licet inviti, secretam vocem, quæ ad superbiam illorum infringendam ait: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Attamen cum certi simus nos morituros, vivimus, quasi immortales essemus. Si æque certi essemus, nos numquam extremum obituros diem, ac certi sumus illum aliquando obituros, aliamne vivendi rationem sequeremur? Numquid minus de morte cogitaremus? *Idem.*

Justorum in mortis articulo consolatio.

Si voluptatum, ac bonorum vitæ hujus intuitus nullum adfert viris bonis dolorem, cum morientes hæc omnia tenentur relinquere; si immo illis lætitiam parit, quia eorum vanitatem & agnoverunt, & contempserunt; memoria eorum, quæ pro Jesu Christo passi sunt, memoria vitæ pœnitentis, ac latentis, vitæ, quæ non aliud fuit quam bonorum operum, ac piorum exercitiorum series, quo gaudio hæc illos afficiet memoria! Fatendum est, christiani Auditores, sanctam, mortificatamque vitam in hominum mentibus varias impressiones efficere, prout varie ab illis consideratur. Si illa spectetur, cum incipit, magnum aliquid, horridumque videtur triginta, vel quadraginta solitudinis, atque austeritatis anni, triginta, vel quadraginta anni præliorum contra desideria, omnesque naturæ affectiones. Quotusquisque hoc intuitus animum non despondet? Verum si hæc eadem vita eo consideretur momento, quo desinit, in ipso mortis articulo, quam suavis videtur! quam optabilis! quam constans! *P. de la Colombiere Sermone pro commemoratione mortuorum.*

Si æger post diuturnum morbum convalescens lætatur; si servus post plurimorum annorum captivitatem compedes suos infringi cum voluptate intuetur; si nauta post exantlatas tempestates præ gaudio exultat portum, patriamque eminus videns; si natura universa reviviscere videtur, cum primum nascentis auroræ jubar cœlum inaurare, serenamque diem promittere incipit: quis umquam dicendo assequi poterit animæ sanctæ lætitiam, cum videt finem imponi vitæ adeo tristi, & molestæ, totque circumseptæ periculis, jamjam bonis, honoribus, voluptatibus in omnem æternitatem cumulanda? *Consummatum est*, illa tunc dicere potest: jam ad stadii finem perveni, cursus quidem longus, & difficilis fuit; magni exerendi mihi fuere conatus, plures obices superandi, gravissima certamina sustinenda; sed Deo gratiæ immortales habeantur post multos labores, sudoresque *consummatum est*: laborum tempus abiit numquam rediturum, nulli amplius erunt morbi, nulla adversa, nullæ cruces, pœnitentia nulla. Nulla nobis erunt coercenda desideria; nullæ affectiones subigendæ; jam adsto ad fontem omnium voluptatum, & deliciarum, jam integra libertate perfruiturus sum; jam hisce oculis visurus sum, quidquid hactenus credidi cum labore; jam possessurus sum quod cum anxietate speravi; jam in æternum amandus, amaturusque sum, quin ultra vel Dei iram, vel levitatem meam extimescam. Neque putes ullam in his sensibus præsumptionem adesse: scio, donec vitæ spiritus superest, sanctissimum quemque perire posse, non secus ac nequissimus quilibet potest immutari; sed si hoc absolute contingere potest, scio quoque hoc rarissimum esse, & moraliter impossibile. *Idem.*

In morte omnium terrenarum rerum errorem, & vanitatem cognoscimus.

Rex Propheta se throno insidentem intuitus, atque circumundique septum omnibus objectis, quorum vanitas affectiones omnes excitare consuevit, a Deo gratiam petebat, qua adjutus eam dissiparet illecebram, qua cor suum seducebatur; quæ gratia non aliud erat, quam mortis memoria: *Notum fac mihi Domine finem meum.* Ps. 38. Cum persuasum esset illi extremi illius momenti cogitationem frænum esse satis validum ad periculosissimarum affectionum impetum compescendum, fatalem hanc horam nosse cupiebat, ut illam jugiter meditaretur: *Et numerum dierum meorum, quis est?* Scio, Domine, mihi moriendum: scio numeratos esse vitæ meæ dies: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Hæc cogitatio nihilum meum mihi detegit: *Substantia mea tamquam nihilum ante te*; omniumque rerum creatarum vanitatem ostendit: *Universa vanitas omnis homo vivens*; ac docet ea omnia, quibus mentes, & corda nostra occupantur, non aliud esse quam umbram, chimæram, phantasma: *Verumtamen in imagine pertransit homo.* Essais de Sermons *pro Quadragesima tomo 1.*

Præparatio ad mortem numquam, ut aliis, in rebus omnibus, est inutilis.

Ex inevitabili mortis necessitate arguere debemus, indeclinabilem nosmet eidem præparandi necessitatem. Præparationes omnes, quæ ad alia quælibet negotia fiunt, esse possunt inutiles; ea enim deficere possunt negotia; sed cum mors certa sit, præparatio ad eamdem numquam suo carebit effectu. Quadam in familia secreta habebantur consilia, ut virginem summa cum dignitate, ac utilitate traderent nuptui, ac negotium illud evanuit; inutilis apparatus. Ad honorem aliquem totis viribus contendebas; jam sexcenta inietas consilia, ut ad optatum finem pervenires; casus aliquis te de spe deturbavit; inutiles curæ, & apparatus. At in mortis negotio hæc locum non habent; te illi dispone, & omnia fluent e sententia. Novum, & insinuatum non est, quod in mundo pro rebus omnibus securitas inquiratur; hæc vero pro morte negligenda est? De prædio, domo, gradu aliquo conducendis agitur? Bone Deus, quænam sollicitudines, quæ præcautiones! pro mortis negotio nulla erit securitas, nulla præcautio? *Ibidem.*

Justis mors non est metuenda.

Si justus omnem felicitatem suam in mundo collocasset, si transitoriam, & perituram fortunam fuisset aucupatus, si omnia illius consilia intra angustos hujus vitæ cancellos fuissent circumscripta, non immerito mortem metueret, quæ omnes illius labores everteret, ac spes falleret; sed cum semper propter æternitatem sese laboribus exercuerit, cum non aliam habeat cupiditatem, quam locum sibi inter Sanctos acquirendi, neque ad aliam anhelet felicitatem, quam quæ sanctam, & christianam mortem subsequitur, quomodonam illud timere potest vadum, ultra quod ea omnia videt, quæ cupit, & sperat? Ullusne viator dolet, ubi itineris sui terminum cominus adspicit? Ullusne agricola non lætatur, cum messis tempus accedit? Ullusne captivus timet, cum compedes suos videt infringi? Scio equidem fracturam hanc non sine vi fieri; at vis hæc comparari ne potest cum dulcedine libertatis, qua excipitur? Haud ita fideles; totis artubus contremiscant peccatores ad solam mortis cogitationem; omnia procul semoveant, quæ illius imaginem possunt ipsis repræsentare: perhorrescant intuiri tabo fluentia cadavera, quæ illud exhibent, quod & ipsi aliquando futuri sunt; reformident crudelem hanc sepa-

ratio-

rationem, quæ illos violenter avellet ab iis creaturis, quibus tenaci vinculo adhærescunt: hoc jure faciunt; quia ultra mortem nihil illis sperandum est. Hic omnium voluptatum, opum, dignitatum, nobilitatis, atque potentiæ terminus est; brutorum instar vixerunt, nec aliam, quam brutorum felicitatem habebunt. Sed justi tranquille Domini promissionibus acquiescent, spes suas excitabunt per ea, quæ aliorum desperationem efficient. Non verebuntur de hac in aliam vitam migrare, ibi enim sedem suam constituerunt, atque ut illic certam sibi compararent mansionem, adlaborarunt. Apparentem hanc sui ipsorum destructionem non timebunt; sciunt enim integram non futuram; sed meliorem sui partem in æternum cœli gaudiis perfruituram. Hinc fit, ut justi non solum mortis cogitatione non perturbentur, sed illam sine metu adventantem excipiant. *Ibidem tomo* 2.

Fallitur, qui tranquillam sperat mortem, improbam vitam ducens.

Suavem, tranquillamque sibi mortem polliceri, ubi ea omnia fiant, quæ eamdem crudelem, & non ferendam efficiunt, singulis horis recentem suggerere escam cupiditati, quæ indesinenter esset mortificanda, roborare singulis diebus hæc infelicia vincula, quæ incessanter essent infirmanda, ut aliquando sensim infringerentur, & credere se tranquille moriturum, ac sine iis terroribus, convulsionibus, & laniatis, quæ ut plurimum in mortem peccatorum videntur; hoc sane est seipsum misere fallere. Heu! S. Gregorius inquit, omnia moriuntur in nobis, & extra nos, exceptis affectionibus nostris. Abeunt amici, existimatio perit, opes absumuntur, valetudo imminuitur, corpus atteritur: domus hæc lutea, ubi Deus animam nostram collocavit, fatiscens undequaque ruinam portendit; nec de sede mutanda cogitamus. Cupiditas eo magis confirmatur, quo magis infirmantur cætera, & moriuntur. *Specimina Panegyricorum pro Assumptione.*

De Mundi hujus rebus illud judicium ferendum est, quod in morte fertur.

Vera prudentia est vitam suam regere secundum judicium illud, quod de rebus fit a morientibus. Ubi hæc veritas simul intellecta, & ponderata fuerit, admirabiles gignere potest in animabus mutationes. Dissolvit omnia vincula, quibus cor in captivitate detinetur; expellit errores omnes, quibus mens seducitur; omnis cura in eo collocatur, ut solidum in æternitate bonum comparetur; fluxa hæc omnia contemnuntur; unice Deus inquiritur, & nonnisi ut Deo obtemperetur, curæ impenduntur. Cum de re aliqua aggredienda agitur, de hac judicium fertur ex eo sensu, qui de eadem in morte nobis occurret; atque ut nunc secundum æternitatis lumen spectatur. Si nihilominus affectiones nostræ nos rapiunt versus ea bona, quibus sensus illiciuntur, iisque superari nos patimur, fatendum est, nullam esse insaniam cum nostra conferendam; etenim negotium illud, quo alterum gravius, majusque fingi non potest, nullam in animo nostro habet potestatem. *P. Surin, tomo* 2. *Dialogorum Spiritualium.*

Si ita nobis persuasum esset, uti deberet, mundum hunc exilii nostri esse locum, & corpora nostra carceres esse, mortis momentum tamquam solatii tempus respiceretur, cum una illa exilio & captivitati nostræ finem valeat imponere. Sed e contra æternitatem in tempore invenire cupimus, ac permanentem obtinere perfruitionem earum rerum, quarum simplex tantum usus conceditur. Cognoscenda est hominum miseria, deflendaque; atque toto pectore incumbendum, ne in miserorum numero recenseamur. *Abbas Trappensis tomo primo de christianis rudimentis.*

Deus sæpe suas gratias negat morientibus, qui viventes illas contempserunt.

Deus contemptus, neglectusque recedit, cumque in extremis vitæ momentis versamur, nequicquam ad illum confugimus; & sæpe nullam habet precum, lacrymarumque nostrarum rationem. Tempus suum habet ira, quemadmodum & misericordia suum; cumque delassatus fuerit Deus loquendo, æternum servat silentium. Sapientis non est hujusmodi eventum consuetudini committere, & torrentem sequi, non secus ac majori ex parte mortales. *Idem tomo* 2.

De repentinis mortibus.

Mortes præcipites, atque repentinæ sæpe hominibus magno sunt documento. Docent autem nullo habendum in pretio, quod momento nobis eripi potest; vitam videlicet, omniaque illius bona quæcumque, & quantacumque illa sint. Hujusmodi casibus percellimur, cum illos cominus intuemur; at nisi illis animum adjungamus, eorum impressiones quam celerrime delentur. *Idem.*

Nobis morientibus omnia occurrunt peccata, ac gravissimum terrorem incutiunt.

Peccator, dum vivit, de suis criminibus non cogitat, illa jam obliterata esse putat; sed jamjam morituro hæc sese ultro repræsentant: *In depositum memoriæ tota remanet sentina voluptatum*, Sanctus Bernardus inquit. Quamquam sceleribus suis animum non adjiciat, memoria ejus nomenclaturam habet omnium voluptatum, sordium, fœnorum, rapinarum, abominationum, quas ille, dum viveret, perpetravit. Peccator cum procumbit ad Confessarii pedes pro pœnitentiæ tribunali sedentis, quærit peccata sua, sed hæc tunc ab illo fugiunt: cujus rei causam si quæris, Sanctus Petrus Chrysologus docebit, mirum esse non debere, si peccator ægre detegat peccata sua, cum pœnitentiam peragere studet, ea quippe ad cædem inquirit: *Interfectrix peccatorum pœnitentia*. Pœnitentia gladius est, lethale vulnus peccatis infligens: sed cum pœnitentia peracta non fuit, & peccator in mortis agone versatur, peccata vicissim illum inquirunt ad interitum, & quamvis ille hæc evitare conetur, crudelem eorum occursum nequit effugere. Hi duo status sunt longe diversi, quos in Scripturis deprehendere possumus, præsertim vero in Antiochi historia. Nullibi legimus, illum dum vita, ac bona valetudine frueretur, umquam recordatum fuisse suorum criminum, licet princeps esset nequissimus. Gravissima ille commisit scelera, aris ipsis non pepercit, & quin Dei majestatem vereretur, sacrilegiis sanctissimum illius Templum fœdavit. Attamen quoad vixit numquam ad hæc scelera appulit animum, de hoc saltem Sacer Textus non loquitur. At ubi mortem propius imminere conspexit, turbatus est, rubore suffusus, & horribilem confessus calamitatem, in quam erat jamjam redigendus: *In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ.* 1. Machabæor. 26. Expallescit, & pertimescit: *Nunc vero reminiscor malorum*. Nil mirum; quandoquidem ejus scelera, impietates, & sacrilegia oculis ejus occurrunt. Hæc est eorum imago, quæ peccatori in peccato morienti evenient. Peccata sua, quæ pro nihilo habebat, & quibus ne animum quidem serio advertebat, sese offerent menti illius, eique horribilem terrorem injicient. *Specimina Sermonum pro nona post Pentecosten Dominica.*

In morte id cogitamus, quod fuimus.

Extremo illo vitæ momento, cum ad infinitam æternitatem transitus faciendus est, tunc homines cogitantes, quid fuerint paucis illis diebus, quibus vixerunt in terra, ne reminiscuntur quidem; & si quando subit recordatio ejus, quod fuerunt, ideo subit, ut majori cum amaritudine sentiant, & quod sunt futuri, & quod jam sunt. Potens eram, latissimos possidebam agros, amplissimos adeptus eram honores, insignes redditus auxeram, locupletissimis beneficiis cumulatus eram: *& solum mihi superest sepulcrum*. Job 17. Omnia amissa sunt, nec mihi aliquid reliquum est præter tumulum. Magnificæ domus, superba palatia, ubi collegeram quidquid exquisitissimum ars potuit conferre, quidquid ex exoticis regionibus potuit afferri; ædes voluptuariæ, ubi lætissime dies traducebam; ornatissima supellex, perfectissime exornata cubilia, frequens familia, equi, bigæ, quadrigæ, ob quæ tanto habebat in pretio; hæc omnia jam non sunt mea, & ad hæredes meos transierunt, nihilque mihi restat adhuc, quam atrum, horridumque sepulcrum. Quam

aptæ

aptæ ad effectus coercendos sunt hujusmodi cogitationes! Beati, qui mortis articulum non præstolantur tunc valido hoc usuri remedio! In morte nulla est cogitatio, quæ dolorem non afferat. Præterita lacrymas eliciunt, præsentia tumultum cient, futura horribiles terrores incutiunt. Pœnitet eorum, quæ fuimus, sed vulgo sterilis est pœnitentia. Doloribus torquemur, eo quod non cogitavimus id, quod eramus futuri; sed dolores inutiles sunt. Gravissimo angore premitur, eo quod frequenti consideratione, & castigatiori vivendi ratione nequaquam prævertimus deplorabilem statum, in quo sumus; sed nimis sera est hæc follicitudo. *P. Croiset tomo 2. spiritualium Considerationum.*

Omnia hujus mundi bona post mortem sunt inutilia.

Quid prodest homini dum viveret pluribus perfunctum fuisse dignitatibus, atque toga, sagoque clarum fuisse? mors illum cum abjectissimo quovis mortalium confundit. Quid prodest mundanæ mulieri, quæ modo efflavit animam, mundus muliebris ingenti pretio comparatus? Illius superbia, fastus, ambitio, mollities cum illa desierunt; ejusque hæreditas modo putredo est, & vermes: *Cum morietur homo, hæreditabit vermes.* Eccli. 10. Quid prodest potenti Monarchæ non modicæ orbis terrarum parti imperitasse, hostium terrorem fuisse, &, uti loquitur Propheta, quoddam in terris numen extitisse? Si magnus hic princeps, qui modo humanis decessit, non est sanctus, quæ tandem illius sors est? & quid proderunt illi in inferno omnes mundi honores, & amplitudines? Quam triste est aliis præbere hujusmodi considerationum argumenta, & numquam illis vacasse! *Idem.*

Ut aliquis se morti bene disponat debet a creatis rebus separari.

Cum mors qua damnati sumus non sit simplex corporum obitus, sed omnium etiam creatarum rerum privatio, quandoquidem per scelus meriti sumus, earumdem jacturam pati, & in æternum ab illis separari, vera præparatio ad mortem in hoc posita esse debet, ut ab illis, quantum possumus, separemur, & privationes, quas Deus nobis immittit, acceptemus tamquam partes mortis illius generalis, cui adjudicati sumus ea sententia, quam contra nos divina tulit justitia. Si ergo providentiæ jussu contingit, ut aliquibus privemur rebus, amicis, humanis solatiis, præsidiis, affinitatibus, hæc omnia recipienda sunt tamquam mortis hujus principia; immo necessariæ etiam separationes voluntaria rerum omnium inutilium, & minime necessarium separationibus sunt prævertendæ. Quod consilium si animo nostro hæreat infixum, non deerunt singulis momentis occasionem mortem hanc exercendi. *Ex speciminibus Ethicis tom. 10. tract. de præparat. ad mortem.*

Mortem nostram cum morte Jesu Christi Deo offerre debemus.

Quodlibet tempus idoneum est ad exercendam ultionem cum Jesu Christo moriente; illud vero accepius, quo Domini mortem annunciare jubemur; videlicet sanctum Missæ sacrificium. In illo offerre debemus Deo corpus Jesu Christi nobis mortui, & immolati in cruce; sed cum morte ipsius & nostra simul est offerenda, orando Deum, ut utramque recipiat, & nos in terribili eo transitu confirmet. Ita commemoratio mortis Jesu Christi nostræ etiam complecti debet commemorationem. Cum autem hujus locus, ac tempus lateant, & Deo uni explorata sint; hæc illi offerenda sunt, qualia ipse cognoscit; præsentique devotione supplendum impotentiæ, in qua tunc erimus huic obeundo muneri minime pares. In singulis igitur sacris adoranda est, & acceptanda mortis nostræ sententia cum omnibus illis circumstantiis, quæ Domino placuerint. *Ibidem.*

Sensus Christiani morientis, & oratio ab illo effundenda.

Sentio equidem me non procul abesse ab hora extrema, qua prodeundum erit coram Jesu Christo ad sententiam recipiendam, quæ de mea æternitate dijudicet. Hei mihi! quantum æternus mihi metuendus est interitus, postquam toties infernum meritus sum? Verumtamen, Deus, in tua misericordia confido, atque tuis meritis, o Salvator, tuæque ineffabili bonitati spes omnis innititur. Te obsecro, ne finas mortem tuam mihi inutilem esse, sed adeo præsens mihi remedium præsta, ut te diligam, atque in cœlo æternis te laudibus prosequar. Interim animam meam sanctifica, reple cor meum amore tui; & concede, ut animam in manibus tuis ponam, amoris erga te, & contritionis propter peccata mea actum eliciens. *Auctor recens.*

Animæ stupor ex hac vita egredientis, & in mortis articulo.

Quo stupore percellitur anima ex hac vita egrediens, cum videt earum rerum, quibus vacavit, inutilitatem, & inevitabilem unius illius, quam neglexit, necessitatem? Post se in mundo reliquit, quidquid ibi possidebat, & quidquid erga ipsam aliquo amoris sensu affectum erat, consanguineos, amicos. Reliquit bona, palatia, honores, existimationem, hæreditates; & ea in regione, quam ingreditur, nihil invenit nisi miserrimam paupertatem, nullum opus bonum, nullum meritum ante se: cognoscit, sed nimis sero, indigna suis curis fuisse illa omnia, quibus suos labores, & affectus impendit. Sola, stupens eo quod omnia sibi elapsa sunt, eo quod hæc mundi figura, quam depinxibat, præteriit, vacuis manibus sistitur ante Judicem secundum opera ejus de illius æternitate dijudicaturum. Quo dolore conficitur? Qua angitur desperatione, quod adeo parum fuerit de sua salute sollicita? O Deus! Quot cogitationes occurrunt homini eo momento, quo ante oculos suos videt immensum hoc æternitatis stadium aperiri, sibique vel consummatam, & nulla mensura, ac nullis terminis circumscriptam felicitatem, vel infelicitatem infinitam offerri! Quomodo, & quo oculo respicit omnes humanos eventus, afflictiones, jacturas, vicesque fortunæ? Quid judicat de iis, quæ magna vocabantur negotia, vita felix, opimæ substantiæ, solatia, voluptates? Numquid desiderio tenetur earum occasionum, quas sibi elabi passa est dignitatum acquirendarum, & opum congerendarum? Quænam illius sententia est de iis, quæ in terra nos alliciunt, & fascinant? Verum quid cogitat de vitæ alterius felicitate, & infelicitate; & quid nos ipsi de eadem extremo vitæ momento cogitabimus? *P. Croiset in spiritualibus Considerationibus.*

Mortis cogitatio eos, qui bene vixerunt, non terret.

Mors ipsa, cujus sola cogitatio homines voluptatibus deditos terret eo usque, ut rationem illorum perturbet: mors hæc, cujus adventus adeo terribiles gignit tumultus; mors hæc, ad cujus adspectum omnis amplitudo, fastus, & humana felicitas evanescunt, mirum in modum animam justi recreat. Mortis hujus turbatio tantum abest, quod illam perturbet, ut immo potius eam confirmet, soletur, atque inter acerbissimos dolores recenti illam voluptate perfundat. Qui mundum sectatur, nullum invenit solatium, nullam voluptatem, quæ mortis, atque æternitatis cogitatione non perturbetur: nullus felix in mundo ad solam recordationem, ac imaginem terribilium judiciorum Dei non expallescit, atque cor suum repente amaritudine oppletum non sentit. Viro bono hæc eadem imago salutarem quidem metum, at simul magnam in Dei misericordia confidentiam inspirat, & novam lætitiæ causam præbet illi cogitatio æternitatis: immo hac ipsa utitur cogitatione ad sedandum sexcentos exiguos dolores, & curas quasdam sensibus, amorique proprio injucundas. Verum si mortis cogitatio tantopere mundanos terret, quid tandem mors ipsa? Et si hæc eadem cogitatio tanta afficit lætitia bonos; quid tandem cum præ foribus aderunt æternæ remunerationis? Quis dicendo assequi potest, quam jucundum, & suave sit sanctis, tunc ea secum reputare, quæ fecerunt, & quæ necessario sibi erant facienda, cogitatio se divinæ ope misericordiæ nequaquam illud perpetrasse malum, quod patrare poterant, & quod si patrassent, jam de se actum esse cognoscerent? *Idem.*

Cum

Cum diuturna, & violenta ægritudo postquam sanguinem vitiaverit, humores omnes, totamque corporis œconomiam perturbaverit, sæculi hujus amatoribus ostendet opus esse, eorum animam separari, ac brevi prodire ad supremi mortalium omnium Judicis tribunal extremam æterni fati sui sententiam audituram, dic, quæso, quantum præcipient solatium eo quod ingentem opum vim collegerint, congesserintque thesauros, quod pinguia possederint prædia, superbas domos vel emerint, vel ædificaverint, quod pretiosa stragula, ac supellectilem sibi comparaverint, quod in republica primis perfuncti dignitatibus fuerint, quod in mundo magnam nominis famam fuerint adepti, illustres sibi amicos adsciverint, omni voluptatum genere gavisi fuerint, florentem familiam reliquerint, ac tandem ita felices extiterint, ut penes ipsos fuisse fortunæ visum fuerit arbitrium? Heu! nullum ipsis afferre potest solatium harum rerum omnium cogitatio, quarum nihil reliquum aliquid est, quam vana imago, ac tristis memoria. Quin immo e contra divitiarum, dignitatumque suarum cogitatio tunc temporis, cum sese iisdem brevi cărituros videbunt, non alium in eis pariet effectum, nisi inutilia desideria, dolorum augmentum, horroremque scelerum, quæ propter horum bonorum acquisitionem, ac fruitionem commiserint. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Cæcitas peccatoris in morte. Reor mortis peccatorum diem in Scripturis diem tempestatis, & nebulæ vocari, ad innuendum deplorabilem statum, in quo extremis vitæ momentis illi versantur. Et sane quid ille sibi vult tumultus, & illa agitatio, ubi ambigere non licet, quominus tunc terribilis sæviat procella, quemadmodum a S. Isidoro Pelusiota vocatur: *Magna tunc sane tempestas mentis*. Quid est hæc funesta cæcitas, in quam patitur Deus miseros illos decidere, nisi densa nebula, quæ prohibet, ne videant, & cogitent supremum Judicem, qui jamjam extremam in illos est laturus sententiam? Nonne atra illa nebula est, quæ prohibens, ne suam, uti deberent, infelicitatem cogitent, perniciosissimam eisdem stupiditatem inducit, in qua illos passim animam efflare videmus? Quamobrem S. Augustinus ait, Deum nullum umquam justitiæ suæ insignius exemplum præbere, quam cum peccatorem puniturus permittit, ut ille moriturus sui ipsius obliviscatur: *Ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei. Idem.*

De præparatione ad mortem. Cogitarene possumus terribilem illam diem, a qua nostra pendere debet æternitas, ac nobismet persuadere, necessum non esse eligere tempus, antequam dies illa adveniat, quo omnibus sæcularibus curis expediti, & omnibus negotiis, quæ vitam nostram partiuntur, vacui in id unum omnes industriæ nervos contendamus, ut apte nosmet huic morti præparemus? Nullam securitatem, & requiem inveniri, nisi huic tantum vacemus operi, quod unum Jesus Christus necessarium appellat? E contra imprudentiæ, & cæcitatis esse angi, ac turbari plurimorum rerum cura, ut assolet; & præsumptionis esse, atque insaniæ majori cum sollicitudine non præstolari terribilem hunc diem, quo audituri sumus, quisnam in omnem æternitatem futurus sit status noster, quam illum, quo visuri sumus exitum alicujus negotii, ubi de exiguo aliquo honore, vel de levi agitur utilitate! Nullus dubio locus est, totam Christiani vitam jugem esse debere mortis præparationem: tunc nihilominus, cum valetudo, vel senectus efficit, ut perpendentes exiguum illud, quod superesse potest, vitæ spatium, in nobis responsum mortis habeamus, ut Apostoli verbis utar; sanæ mentis est rerum omnium curam abjicere, ac unice illis supputandis rationibus vacare, quas brevi supremo Judici sumus reddituri. *Idem.*

Quid fit, dum viventes adhuc mortis cogitatione occupamur? Prævertimus extremum diem; extremum momentum, lumina perspicacia, quæ tunc habentur; & quin expectemus donec catastrophe, atque enodatio rerum hujus mundi invitis explicet hoc vanitatis mysterium, illud ipsi sanctis considerationibus explicamus. *P. Croiset tomo 2. Considerationum.*

Mortis cogitatio præsens est contra affectiones remedium. Mortis cogitatio præsens est contra omnes animi morbos medicina. Nulla affectio diu resistere potest huic objecto, si rite spectetur. Solus tumuli adspectus illam infirmat; nihilque melius, quam cineres illic inventi, illius ignem extinguit. Numquid affectuum nostrorum impetus cohibendus est? Num eorum detegenda vanitas est, insatiabilitas, sævitia? Hoc mortis præstat cogitatio. Omnis ambitio, cupiditas omnis suas vires amittit, statim ac honores, & locupletissimæ substantiæ in mortis lectulo considerantur. Ibi adeo eminentes dignitates, ibi adeo fulgidi honores, ibi omnes divitiæ suum nitorem amittunt: immo earum inane, illusio, & error detegitur. Dicere possumus mortis cogitationem præter propter in affectionibus nostris illum ipsum præstare, quod ipsa mors: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Psalm. 145. Extremo illo momento evanescent omnia ambitiosa consilia, omnes ideæ, spes omnes, illud fortunæ systema adeo bene conceptum, dispositumque, cœpta omnia tanta arte, ac studio parata, audaces conatus: *in illa die peribunt*. Omnia abeunt, omnia delentur, omnia, quæ placent, extrema die illa extinguuntur. Dum vivimus, nulla affectio non angit, non fascinat, non allicit, non recentem felicitatem promittit. Mors omne tollit fascinum. Die illa vincula non expectant donec solvantur, ipsa ultro infringuntur: idea hæc chimericæ felicitatis, qua nos pascunt affectus, tunc in indignationem contra propriam insaniam convertitur: *Idem tomo 2. Spiritualium Considerationum.*

Bonum, quod mortis cogitatio parit. Cum nobismet mortis tabulam proponimus, statim omnia creata consideramus eadem ex parte, ex qua mors eadem nobis consideranda proponet. Illa apprehendimus, de illis judicamus, non secus ac tunc temporis fiet; illa inepta, fallacia, contemptibilia esse cognoscimus; nosmet exprobramus, quod adhæserimus illis, cæcitatem nostram deflemus, quemadmodum eamdem extrema vitæ hora deflebimus. In hac mentis, & cordis christiana affectione passio defervescit, concupiscentia non est adeo vivida, neque adeo inexplebilis cupiditas; mundi hujus dignitates, peritura bona, fœdæ voluptates, omnia languent, obtusam, exilemque illecebram habent, fatuumque saporem, ex quo illa per mortis umbram inspicimus. Hic ille fructus est, quem salutaris ista cogitatio producit. *Idem.*

Tormentum, ac timor, quibus qui male vixit, in morte excruciatur. O Deus! quos sensos habere debet homo in agone positus; hoc est, homo, qui dolore, tristitia, desperatione, sine ullo solatio, sine spe, sine præsidio circumseptum se videt! Quidquid oculis ejus occurrit, quidquid auribus ejus accidit, illius metum, doloremque auget. Quonam animi angore illud reputat, & malum, quod fecit, & bonum, quod minime fecit, cum illud facere posset? Eo in statu quidquid olim de judicio Dei, de inferno, deque æternitate auditum fuit, animum subit, eumque terribili ratione percellit. Mirum est, quam persuasum sit de iis omnibus, quæ vitæ nostræ objectum constituunt, huic homini, ubi paulo ante de rebus omnibus ambigebat; atque maxime terribiles veritates in jocum, ludibriumque vertebat. Quis terror, atque tumultus ubi solum cogitet judicium, infernum, atque æternitatem? Attamen inter hanc tristissimarum cogitationum confusionem, inter hos tumultus, moralesque terrores animam efflat. Statim ac id timeri cœptum est, eidem suggeruntur argumenta confidentiæ in misericordia Dei, adeo arden-

ardenter peccatorum conversionem cupientis ; sed nequicquam : irrita sunt quæcumque auxilia, repente ille omnium sensuum suorum usum amittit, ac internis conscientiæ furiis, crudelibusque pœnitentiæ simul, ac desperationis sensibus traditus moritur, eodemque momento secum omnia gaudia, & spes omnes moriuntur. Momento illo omnia inania conversionis, ac pœnitentiæ consilia evanescunt ; tempus eo momento desinit, ac terribilis illi æternitas incipit. Hinc finis est hominis illius, qui male vixit ; hoc etiam fine mihi moriendum erit, nisi ea hoc momento meliorem vivendi formam incœpero. Numquid melior esset animæ meæ status ? Numquid alios sensus haberem, magisque hilares cogitationes foverem, si modo mihi esset decedendum ? Numquid me confirmare possem contra mortis terrores ego, qui mortem non cogito, quin totis artubus contremiscam ? Numquid mea mihi conscientia mortem pollicetur tranquilliorem ? *Idem in recessibus*.

Fides, & veritates Christianæ, quæ, dum peccator viveret, quodammodo e rant extinctæ, illo moriente revivi scunt.

Dum vivimus, affectionibus excæcamur, exemplo trahimur, objectis allicimur, negotiorum impedimentis occupamur, & videmur etiam cum oblectatione maximarum fidei veritatum fugere cognitionem, & fides ipsa ferme extincta est vitæ in omnem libidinem effusissimæ flagitiis. In morte vero ratio, religio, ipsaque fides omnes vires suas resumit : creditur, sed ea fide, quæ dæmonum imitatur fidem, propter quam fremunt illi quidem, sed non convertuntur. Mirum est, quod fateantur omnes, peccatores in morte desperatione excruciari, quod mundanam duxerint vitam, mollem, inter delicias, & voluptates, quod pauca bona opera fuerint operati, quod, ut assolet, vixerint, & nihilominus post has considerationes, quarum veritas probata est, ne minimum quidem adlaboretur, ut institutæ vitæ ratio corrigatur. Et nos ipsi, qui hæc modo consideramus, deinceps vitam christiano minus indignam vivemus?.....Dum vivimus, parum illud soliditatis, quod in mundi hujus bonis invenitur, nos minime movet ; immo ne intelligimus quidem terrenarum voluptatum inane ; in morte non videmus solum, verum etiam sentimus, sed concipere nequimus, quomodo citius non senserimus hoc vacuum, & duplicem hanc egestatem. Palam videmus nos deceptos fuisse : sed quam gravis dolor est, non esse amplius eo in statu, ubi mederi possimus jacturæ, quam per errorem nostrum passi sumus ? *Idem*.

Tristis status illius, qui recens mortuus est.

Funestum quidem spectaculum est, sed aptissimum ad immittendam in nos voluptatum, vitæque hujus bonorum nauseam, ille, qui nuper animam efflavit. Vix ille extremum edidit suspirium, cum omnes conticescunt. Licet ille omni pulcherrimarum qualitatum genere fuisset ornatus, nunc horrorem tantum inspirat. Post lugubres aliquot preces, quibus illi parentatur, omnibusque erga illum officiis finis imponitur, corpus illud tegitur, omnesque recedunt. Quo abiit pulchritudo, hilaritas, robustus corporis habitus ? Quo magna illa cœpta, ac opulentæ substantiæ ? Quid illi prosunt pretiosa aulæa ? Quam illi operam præstare potest innumera servorum caterva ? Ecce igitur quis sit rerum omnium finis : verum anima ubi est ? quid futurum est de corpore hoc, vel dicam melius, cadavere, quod ita jam putet, ut ferri non possit ? Heu ! licet hoc olim corpus fuisset mulieris formosissimæ, & cujus speciem omnes admirabantur, jam ultra videri non potest ; cito domo expellendum est : vir, filii, amici, consanguinei, famuli, omnes adnituntur, ut quamprimum efferatur : illi ipsi, qui eam majori benevolentia, & amore prosequebantur, præ cæteris impensius lugubre spectaculum jubent auferri. Clauditur cadaver sandapila, ingesta humo tumulatur ; quod vero in tumulo biduo post accidit, potest ne citra horrorem considerari ? Jam sepultum est ; id unum restat, ut ejusdem spolia diripiantur. Statim oblivioni traditur, pro nihilo habetur, quemadmodum re ipsa inter homines nihil est. *Idem*.

Quid considerandū cum mortuum cadaver efferri videtur.

Tunc vere, ac perfecte videtur, quam parum solidum sit, quidquid desinit, & de quo confusæ tantum habebantur ideæ. Homine expirante, omnia cum eodem expirare videmus ; gloria ipsum destituit, solumque ad Dei tribunal sistit, secum tantummodo deferentem quidquid benefecit, vel male, ut in omnem æternitatem meritam referat vel remunerationem, vel pœnam : tunc liquet, nullam ipsi post mortem spem superesse, ejusque fortunas, vel infortunia esse æterna ; verbo, arborem, ubi ceciderit, ibi in æternum esse. Omnia labuntur, quilibet sibimet dicere debet, mirabili pernicitate ; *Transvolantibus momentis cuncta rapiuntur*, uti loquitur Sanctus Augustinus. Dei æternitas accedit, & pauca illa, quæ nobis ad vivendum momenta supersunt, præsto sunt, ut in terribilem illam infinitatem evanescant. Momentum, quod abesse non potest, novam nobis detegere regionem, terramque novam, atque tunc ea, quæ in hac vita majori habuimus in pretio, tamquam vapor, & fumus videbuntur. *Maupeou in vita Abbatis Trappensis lib. 1.*

Miser status in quē mors omnia redigit.

Nihil nos movere, & confundere magis potest, quam miser ille status, in quo est, quidquid imperio mortis obnoxium est. Ibi videmus humanæ mortis mysterium re ipsa magnum esse, ac terribile. Omnem amplitudinem, pulchritudinemque ibi ad nihilum redactas cernimus, ibi florentissimæ ætatis finem videmus, ibi omnes prosperitates, omniaque mundi gaudia deleta intuemur ; omnesque seu animi, seu corporis dotes, quæ magis enituerant, ibi annihilatas spectamus. Quidquid maxime horridum fingi potest, in corpore successit iis, quæ ibi venustissima erant, & perfectissima. Per mortis potentiam visa est sæculi potentia, quæ latissime dominabatur, & maxime terribilis auctoritas evanescere ; existimatio, quam sævissima tyrannis, ac violentissima usurpatio brevi tempore adipisci potuerant, visa est interire ; omnis superbia, fastus, omnis denique inanis labor ambitionis, & cupiditatis humanæ prostratus est, quin aliquid præter ruinas superesset. Quam beati essemus, si horrida hæc objecta, quæ sæpe oculis nostris se offerunt, majorem in animis nostris impressionem efficerent. *Ex S. Ephrem, in vita eadem*.

Sensus hominis, qui male vixit, cum morti proximus est.

Quinam in mortis articulo sunt sensus hominis, qui male vixit, cum Sacerdos, antequam prorsus recedat, crucifixum eidem ob oculos ponens, dicit illi ; cum jam omnia remedia illi sint nullius utilitatis, cumque extrema in hora omnes eum deserant creaturæ, Jesum Christum imposterum esse debere unicam illius consolationem, atque perfugium. Ad unum Jesum Christum cruci affixum debes confugere, in vulneribus illius quærere debes contra mortis terrores solatium. Accipe ergo, frater, objectum hoc, unde plurimum haurias consolationis, illud in manibus tuis tibi relinquo. Divinum objectum, omnium suavitatum fontem illi, qui dum viveret, sese eidem conformare studuit, & qui illud ad mortem usque dilexit ; at triste objectum illi, qui voluptatem tantum amavit, qui in deliciarum affluentia vixit, qui æternitatem non cogitavit ; & qui tunc tandem ad illud advertit animum, cum tempus deficere, sibique nullum tempus superesse cognoscit. Hic finis est omnium gaudiorum, solatiorum, hilaritatum hujus mundi ; huc rediguntur omnes falsæ ideæ, omnia inania fortunarum, honorum, voluptatum consilia. Ecce quo extrema illa hora redigatur improbus. Qui Jesum Christum non amavit, qui salutem suam neglexit, qui mollem, & voluptuariam vitam duxit, ullumne solatium recipit, cum moriens crucifixum manibus tenet ? *P. Croiset, tomo primo recessuum pro singulis mensibus anni*.

Consi-

Preces, quæ pro agonizantibus effunduntur.

Consideremus sensus earum orationum, quæ pro agonizantibus effunduntur: *Proficiscere anima Christiana de hoc mundo*, Sacerdos exclamat. Hei mihi! quam parum jucundum est extremum hoc vale! quam durum illi, qui mundum amavit; qui fortasse nihil præter mundum amavit; qui nihil pro cœlesti gloria assequenda operatus est! *Proficiscere*. Igitur jam actum est; jam jam omnino abeundum est; quocumque vinculo alligetur, quæcumque adsit difficultas, nihil relinqui vellet; sed rebus omnibus moriendum est. *Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua in Sancta Sion*. Quanta charitate plenum est hujusmodi votum! Sed quid cogitare potest peccator moriens, cum ipsum non fallit, nullam esse rationem, propter quam sibi tantum boni expetatur audiens vocem conscientiæ oppositum sibi portendentis? *Miserere, Domine, gemitum, miserere lacrymarum ejus*; pergit Sacerdos; verum nisi alius dolor, quam quod iis se spoliatum videt, quæ ipsi erant charissima, hæc eidem extorquet suspiria; si dolet, eo quod non potest amplius peccare; vel si mortis duntaxat, inferique adspectus verus est fons lacrymarum ejus, numquid Deus vocem istam exaudiet? *Idem*.

Actus doloris, contritionis, & summissionis faciendi a morientibus, vel illis suggerendi.

Ecce me, Domine, corde simul, & corpore ante terribilem majestatem tuam prostratum! Ecce me dolore confectum propter innumera peccata mea, ac justam severitatem tuam, quæ præsto est, ut me in æternum forsitan puniat. Quo fugiam miser, nisi ad te, qui supremus es Dominus meus, Creator, & Judex, sed simul etiam Salvator, atque Redemptor? Non desunt homines, qui cum alios homines affecerint contumelia, morti proximi communes amicos ad veniam petendam mittunt, eisque suum amorem testandum, quin ab illis aliud expectent, nisi ut impetrata pace moriantur. Sed cum ego jam jam spiritum efflaturus sim, quanto magis teneor spatium, quod mihi superest, in id impendere, ut a te veniam deposcam, tibique dicam, si vixi, quin cognoscerem te, mori saltem ex toto corde diligentem? Agnosco in amaritudine cordis hujus magnitudinem, multitudinemque innumerabilem peccatorum omnium, quæ commisi contra te; fateor me sæpe sanctam legem tuam perfregisse, sæpius sacramentis tuis abusum fuisse, atque ingratum erga te semper extitisse. Nulla creatura est, quæ potiori jure sit a conspectu tuo rejicienda: fateor me pluries meritum fuisse omnia tormenta, quibus damnati apud inferos excruciantur, & si plures essent inferni, omnes mihi deberi non nego. Ita est, Deus, æquus viventium, & mortuorum Judex, non minus tibi debeo, quam si de infernis ignibus me eduxisses, atque pluries corpus, animamque meam de manibus dæmonum eripuisses. Cupio, ut, postquam e vivis excessero, pii homines pro me te laudibus celebrent, tibique benedicant pro gratiis omnibus, quibus me cumulasti, & quibus ingratum animum rependi. Hoc amoris, & reverentiæ sensu tibi corpus, animamque meam in tempus, atque æternitatem tribuo. Sed obsecro te per illum pretiosum sanguinem, quem in cruce pro me effudisti; obtestor per tot ora, quot in sacratissimo corpore tuo sunt vulnera, ne ingrediaris in judicium cum servo tuo, sed judices me secundum multitudinem misericordiæ tuæ; & non peccatorum meorum clamores, sed sanguinis tui vocem exaudias. Applica mihi unicam sanguinis tui guttam, unicam oculorum tuorum lacrymulam, unicum suspirium, & salvabitur anima mea. *Liber cui titulus; Vera orationis idea parte 2. cap. 20.*

Post mortem nulla erit mutatio.

Ubi ceciderit arbor, ibi erit, si in occidentalem plagam lapsa fuerit, ibi permanebit: unico ante id tempus momento gratiam obtinere potuisset, sed noluit; momento serius id vult, sed minime potest: unicum momentum in illius voluntate, ac mente maxime admirabilem mutationum omnium peperit: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Psalm. 145. Tunc loco antiquatum idearum prorsus recentes assumuntur. Quænam mutatio? Paulo ante peccator iste in lectulo stratus Confessarii monita aspernabatur, religionis contemnebat officia, mortem negligebat, sibique plurimum superesse temporis arbitrabatur, ac imperterritus erat. Moritur, brevique unius suspirii intervallo omnes illius subvertuntur ideæ, seipsum confundit, ac turbat; pudore suffusus, & contremiscens videt id, quod numquam videre voluerat; salutis necessitatem, christianæ religionis officia, rerum humanarum vanitatem, ac horribilem calamitatem, quod numquam egerit pœnitentiam. Antea jocabatur, comessabatur, moliebatur magna, hilaresque societates nectebat: atque intra unius suspirii intervallum, Deus ferre diutius non valens bona sua ab illo dari pessum, ei dicit: *Redde rationem villicationis tuæ. P. De la Rue, Sermone pro feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Sæpe hæc vobis excidit confessio, quod minime velletis morte occupari eo in statu, ubi estis, eaque in vitæ ratione, quam estis ingressi: agnoscitis ergo totiorem viam ea, quam modo calcatis? Cur ergo non statim alteram illam ingredimini, ne morte occupemini? Pro terrenis negotiis tot vadimonia, sponsionesque requiritis: cur in iis, quæ ad salutem vestram pertinent, diligentia pari nequaquam utimini? Quin ergo vosmetipsos contra mortis terrores obstupefacere, fallacemque tranquillitatem vobis comparare studeatis, contendite potius, ut semper præsto sitis morti huic recipiendæ, ac sine tanta formidine prodeundo ad terribile Domini judicium vitam homine christiano magis dignam viventes. *Idem Sermone pro Dominica Passionis.*

Dolor hominis in morte.

Si sola mortis cogitatio adeo amara est homini inter delicias viventi, omnibusque vitæ commodis perfruenti; quem dolorem illi mors ipsa non afferet? quam amaritudinem, desperationem, tumultum? Cum illum divellet a bonis, & solatiis ejus; cum ipse vocem audiet dicentem: *Succidite arborem*, quæ adeo profundas radices jecerat: *Excutite folia ejus, dispergite fructum ejus*? Daniel. 4. Quam amaritudinem, quem dolorem, quam rabiem! cum videbit se amore vitæ, mortis propinquitate, infelicissimæ æternitatis metu laniatum; cum videbit se ab omnibus relinqui, se ab omnibus deseri, a filiis, a famulis, sibique omnia dicere extremum vale. *Sermo Manuscriptus.*

Boni in morte relinquunt, quod in vita sine amore possederunt.

Viri boni, qui terrena possident bona, quin possideantur ab illis, ea non ægre, neque gravate relinquunt; æque libenter eadem Deo jubente relinquunt, ac ab eodem acceperant. Impii vero: *non sic impii, non sic*. Quemadmodum receperunt bona, atque divitias per avaritiam, atque improbitatem, magna opus est vi, ut ea, quæ tanto cum amore possederunt, relinquant. *Divitias, quas devoravit, evomet*, inquit Scriptura Job. 20. Divites crudeles, cum morti proximi eritis opes has male partas relinquetis, ipsumque sanguinem evometis; sed sanguis hic vester non est, sed orphani, & viduæ: *Et de ventre ejus extrahet eas Deus*. Heu! quænam vis in hujusmodi separatione; cum furta, & rapinæ illius quodammodo in substantiam ejus transierint. *Joly*.

Quid impii in morte relinquant, & quid secum auferant.

Cum hominem videtis, cui blanda arridet fortuna, ne vobis incesserit admiratio, eo quod impius prospero rerum cursu lætetur: *Vides viventem, cogita morientem*. Videtis quomodo vivit, eique invidetis; sed inspicite quomodo moriatur, & illius vos miserescet: *Quid hic habeat, attendis, quid secum tollat, attende*. Quid autem moriens secum aufert? *Quoniam cum interierit, non sumet omnia*, Regius inquit Propheta Psalm. 48. *Neque descendet cum eo gloria ejus*. Nihil secum afferet eorum, quæ possidebat,

& glo-

& gloria, quam sibi comparaverat, illum non subsequetur; sed in sepulcrali permanebit cippo mendax epitaphium: *laborant in titulum sepulcri*. Hoc illi colligunt ex tot laboribus, quibus anguntur; hoc fortasse fidem adstruet illos in terris felices fuisse; non ultra. Omnia hæc ingentia bona, quæ dives adeptus est, & quæ eidem beati nomen pepererunt, transeunt nescio ad quem, & licet ea sibi vellet auferre, hæredes illi adversarentur. Hujus vitæ mortales, ubi moriuntur, nihil secum eorum adferunt, quæ illos beatos faciunt; sed ea tantum, quæ eosdem in æternum efficere debent infelices. Hæc infelicitas est, quam S. Augustinus satis deflere non potest, cum ait: *Ipsa est infelicitas hominum, propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipsi peccata sua secum portant. Sermo Manuscriptus.*

De mortis sanctitate judicari non potest juxta indicia, quæ a moriente præbentur.

Centies Antiochi exemplum mihi terrorem attulit audienti quorumdam mortem, cujus circumstantiæ, ac signa promittere videbantur eorum, de quibus narrabantur, salutem. Numquam hujusmodi narrationes meis auribus accidunt, quin cogitationi subeant illa Sancti Augustini verba: *O si intus videres; quæ mors tibi videtur bona, pessima est*. O homo, qui Dei nescis arcana, si hujus pœnitentis cor tibi esset exploratum, videres utique eam mortem, quæ tibi sancta visa est, infelicem, funestamque fuisse. At enim summa pietate petiit, recepitque Sacramenta. Hæc quidem speciosa facies est, non diffiteor: sed *si intus videres*, videres utique id, quod latuit, prorsus differre ab iis, quæ vidisti..... Hic homo erat, cui cum vel ambigua, vel nulla esset fides, voluit existimationi suæ coram hominibus consulere, & qui hac mente quamdam pietatis speciem præsetulit, ut populo fucum faceret, ne impiorum, atque reproborum morte raptus videretur. *P. Aurelianensis sermone de Confessione.*

Peccatoris in morte metus, atque tumultus.

Seu peccator præteritum spectet, seu futurum consideret, ubique doloris, ac desperationis argumenta nanciscitur. Si præteritum respicit, videt voluptates sævissimis suppliciis sæviores; si futurum, videt cruciatus, qui sibi nimis jam præsentes esse videntur. Præteritum illum ad desperationem adducit, quia ibi cernit bona, quæ nimium deperiit, & quæ retinere non potest. Futurum desperationi suæ cumulum addit, quia illi ob oculos ponit mala, quæ numquam satis timuit, & quæ evitare non potest. Verbo, videt felicitatem, quæ nonnisi in illius memoria subsistit, & infelicitatem, quæ nondum nonnisi in sola imaginatione posita est; sed quæ duæ sunt illius inferni causæ, quem patitur in antecessum... Quemadmodum mortis cogitatio peccatoribus in eorum voluptatibus accidit permolesta; voluptatum cogitatio permolesta morientibus est. Vel enim eorum jucunditatem considerant, & illas adeo cito relinquere nollent; vel earum vanitatem agnoscunt, easque citius vellent reliquisse. *P. de la Colombiere.*

Patrata crimina impium morientē perterrebunt.

Peccator moriens omnes vitæ suæ maculas videbit, ac sicubi memoria, quæ tunc nimis fidelis erit, deficiet, dæmones omnia singillatim revocabunt. Deus ipse illius conscientiam aperiet, atque uno obtutu plagas omnes illi videndas objiciet. O Deus! quam labem! quam teterrimam sentinam! Quisnam illius mephitim ferre poterit, quin animam efflare cogatur? Quot flagitia, quæ numquam præviderat, quot in uno peccato peccata, quot etiam in ipsis bonis operibus crimina? In tam ferme innumera cogitationum, verborum, & actionum caterva, quæ omnia ad unum Deum erant referenda, vix unum invenitur, quod contra Deum minime fuerit... Tunc alii sensus assumuntur; tunc Deum, ac seipsum agnoscere mortalis incipit, & duplex hoc lumen tantum deformitatis in minimis etiam criminibus detegit, ut nullus dubitem, quominus levissimum peccatum hac in luce inspectum peccatorem ad desperationem impellat. *Idem.*

O si redivivum pœnitentiæ tempus mereri posset! Hanc in rem S. Petrus Damiani exclamat, *quam duræ conversationis iter arriperet*. Si antequam ad terribile illud tribunal adduceretur, tempus illi permitteretur per mortificationem sua expiandi flagitia, quonam ardore difficillimas exercitationes arriperet... Præclara pœnitentiæ vota! generosos, sed inutiles sensus! inanem, ferumque fervorem! cur non citius accessisti, scelestum hunc impœnitentem in alterum Augustinum mutasses? Sed actum jam est; nonnisi illius augere dolorem vales, ejusque desperationem acerbiorem efficere. *Idem.*

Infelicis æternitatis cogitatio quam terribilis peccatori morienti.

Æternitas, terribilis æternitas illa, a qua peccator uno dumtaxat momento distat, licet infinita sit, ac immensa, tota jam in illius mente collecta est, eumque pondere suo incipit obruere. Concipite, si fieri potest, motus, tumultus, & agitationem animæ jamjam in ardentem carcerem projiciendæ, ex qua scit se numquam evasuram; quæ sentit se tanta vi, cui resistere nequit, impelli in horrentem abyssum, unde nemo reddit unquam; verbo, uno tantum distare gradu ab ea voragine, ubi omnia congregata sunt mala, & ubi mala omnia æterna sunt. *Idem.*

Non miror, si mortales ægre id cogitent, quod summo cum dolore ipsis erit perferendum; sed satis mirari non possum, quod cum minime lateat illos indeclinabilis necessitas omnia relinquendi, cumque gravissimam prævideant pœnam, quam ea in separatione patientur, quin sensim enodent ea vincula, quæ tunc tanta cum violentia omnia simul erunt infringenda, conentur illa arctius concludere, novosque in dies singulos nexus adstringere; perinde ac quo magis mundo adhærescunt, sperent se mortis vim facilius elusuros, quæ quidem omnia a nobis, atque nosmetipsos ab omnibus creatis rebus divellere debet. *Idem.*

Sæpe de morte loquimur, & raro de illa cogitamus.

Nihil in hominum ore frequentius mortis nomine, sed nihil ab eorum mente, & cogitatione remotius. In ore Principum, nobilium, divitum, pauperum ipsis maximæ hilaritatis temporibus, veluti in connubiis versatur; tunc enim de morte verba fieri maxime audiunt. In nuptiali enim contractu partium contrahentium mors exprimitur, & in mortis casu expliciti statuuntur articuli. Nondum in lucem editi filii sunt, immo nec geniti, cum jam de illorum morte loquitur, substitutiones fiunt; decernitur, ut qui secundo loco nasciturus est, si primogenitus decesserit, primogeniti jura obtineat; ut tertius secundo succedat, si utrumque illum mors rapuerit. Verum id satis? Nondum. Plerique hominum donec vivunt sepulcrum sibi constituunt, ac funebris pompæ apparatum præcipiunt, & nihilominus cogitatio mortis adeo rara est, atque infirma in eorum mente, uti nomen in ipsorum ore frequens est. Putant mori non aliud esse, quam ex vivis excedere, ac extremo flatu animæ suæ in cœlum aditum esse reserandum. *Abbas de S. Martino in Quadragesima.*

Status hominis postquam male vixit morientis.

In morte impius cupit quidquid sibi omnino impossibile est, puta, non vixisse, ut vixit, mortis suæ tempus differre; mortem accelerare, ut iis, quibus excruciatur, doloribus liberetur; velletque non mori, ut eos, qui ipsum manent, effugiat. Finge tibi hominem, cujus domus ardet, hostibus circumsepta. Tunc homo id amat, quod oderat; odit, quod amabat; præsertim vero odit amores, & odia sua, & tanto magis dolet, quantum amore dignum intelligit illud, quod oderat, facile cognoscit, quod illi videbatur impossibile, neque concipere potest, quomodo adeo exigui obices illum deterruerint. *Idem.*

Mundi sectatores de morte sermonem audire nolunt, ut illius memoriam eviant.

Novi equidem eos, qui mundum sectantur, nequaquam pati verba fieri de morte. Perituris mundi hujus bonis possessi, potiusquam possidentes illa, & alioquin sibi diffidentes, ac judicium, in quo sibi Deo rationes reddendæ erunt, reformidantes, quantum in ipsis est ex animo, & extremi illius momenti, quo rebus omnibus expoliandi erunt, & transitus terribilis, cujus terminus futurus est irrevocabile judicium, atque felix, vel infelix æternitas,

memotiam everunt. Sed, o fideles, si mortis cogitationem perhorrescitis, numquid mihi pro virili adnitendum non est, ut eamdem vobis in mentem revocem, cum sciam, quantum motum vestrorum reformationi cogitatio ista valeat conferre? Alioquin quid dissimulare, quid tacere prodesset? Si deleta mortis memoria, ictum illius possetis effugere, atque communem legem evadere, qua omnes morte damnamur; oblivio illa, in qua ultro versamini, fortasse minus esset damnanda. Sed heu! vel cogitemus, vel minime cogitemus, æquo gradu mors fertur; singulis diebus accedit: nos occupat, ac tollit, quin ulla hominum ope contra illam defendi, & adversus ejus tela protegi valeamus. *P. Gironst, sermone pro feria quarta Cinerum.*

Insignis prudentiæ est, sese morti disponere potiusquã vitam proferre.

Nonne nobismet dicere debemus; moriturus sum; hac de re ambigere nefas est; quantumvis bene valeam, quantumvis ad salutem tuendam omnia adminicula impendam, in dies me invito vires meæ infirmantur, & quo diutius vivam, in dies magis infirmabuntur; annorum pondus, vel morbi vis valetudinem meam imminuent, & ego tandem moriar. Quin igitur illud quæram, quomodo vitam proferam, cujus certa jactura est; nonne satius esset hos eosdem dies impendere, ne in eum statum adducat, ubi illorum desiderio conficiar, cum eorum stamen fuerit succissum? Timeo mortem; transitus hic me terret, quotiescumque illum cogito; attamen huc deveniendum est, & certe deveniam. Nonne igitur prudentiæ interest me ipsum contra timorem hunc confirmare, quo tunc magis conficiar, cum mortem imminentem intuebor, nisi antea, ut oportebat, eamdem prævidero? Statim ac mors me ex viventium numero expunxerit; eodem momento, terribili momento eodem contra me, vel pro me sententia feretur; prædestinatio, vel reprobatio mea consummabitur; hoc illud est, quod nullo pacto est evitandum. Quid ergo nunc mihi faciendum est aliud, quam totus vitæ meæ cursus sanctificandus, ut mors quoque sit sancta? Memoria hæc numquam ex animo mihi deberet excidere; ubi si alte esset insculpta, eamdem ne vitæ rationem ab ineunte ætate susceptam prosequerer, an prorsus oppositam mihi statim amplectendam putarem? *Idem.*

Nulli rei minus, quã morti nosmet præparamus.

Nihil ferme præter mortem, & ea, quæ eamdem subsequuntur, est, cui nosmet oscitantius præparemus. Reliquis rebus omnibus quam diligentissime nosmetipsos disponimus. Aliquis rei militaris consilium amplectitur; hic tamen in aciem non descendit, nisi maturato longis, difficilibusque exercitationibus seipsum formaverit. Alius rempublicam optat capessere; hic tamen antea adlaborat, ut quibusdam studiis operam navet, quæ maxime in rem fuerint opportuna. Hic domesticis negotiis agendis admittendus est; ab ipsa pueritia œconomicis institutis imbuitur. Ille ad Ecclesiæ honores est promovendus; sæpe humanis etiam rationibus quædam pietatis species eidem immittitur, quæ omnium in se oculos convertat. Sed necessaria ad bene moriendum quærere adminicula, iisque uti, serio illa expendere, ad id mundi tumultus effugere, sese colligere, bona opera exercere, hæc est curarum omnium postrema; & nihilominus eæ curæ, quibus cæteris rebus nosmet præparare contendimus, sæpe inutiles sunt; cum hæc sancta præparatio ad mortem semper suum effectum obtineat. *Idem.*

Quamvis sciam, prope esse, ut me occupet mors; quamvis exploratum mihi, compertumque sit, illam singulis momentis propius accedere, rideo tamen, atque hoc in statu positus, quæro solatia, perinde ac numquam ad supplicii mei locum essem perventurus. Quid umquam feci, ut me ad hunc transitum præpararem, qui sanctissimo cuique tantum terrorem attulit, & firmissimas Ecclesiæ columnas concussit? Numquid precibus, eleemosynis, atque austeritatibus meis commeatum eam in regionem præmisi, ubi, nihil, nisi quod præmisero, inveniam? Heu! in id unum incubui, ut mobili in arena mihi nutantem mansionem extruerem, quæ quamprimum vitium factura est, quin alteram in æternitatem mansuram ædificarem: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Eccli. 12. Venio ad te Deus, sincera criminum meorum actus pœnitentia; agnosco, te dies meos produxisse, ut mihi præberes tempus, quo morti me præpararem; ideoque polliceor tibi, recipioque me illud, quod superest, vitæ spatium in adeo sanctum usum transmissurum. Hoc maximum, unicumque mihi erit negotium. *P. Paulus Segneri libro de vera Sapientia.*

Semper parati esse debemus morti.

Id esse debemus, quod de primis fidelibus Tertullianus inquit, *Expeditum morti genus*, homines videlicet morti semper dispositos, cogitationem hanc mente foventes, eamque gerentes in corde, mortem servitutis suæ finem, & libertatis initium putantes. Populus hic ab aliis differt, quia vitam contemnit, neque beatiorem se putat, quam cum illam amissurus est: quod alios angit, hunc solatur, & divini homines isti scientes se per Baptismum a sæculo separatos esse, id unum optant, ut videlicet morte in æternum ab eo separentur. Qui mortem timent, ignorant adhuc prima christianæ religionis rudimenta, S. Cyprianus ait; & infirmitas hæc in illis tantum inveniri potest; qui mundanæ vitæ deliciis impediti sunt, & quos sæculum fallacis, dolosæque voluptatis illecebris fascinat. *Abbas Trappensis.*

Sæpe de morte cogitandum est.

Quid post hæc mihi a vobis, Auditores, expectandum est? Cogitate de vestra agi æternitate, quandoquidem reliquis in rebus summa est a vobis diligentia, cur præcipuum hoc negotium negligendum existimatis? Sexcentis impediti curis vestri, animæ, atque æternitatis obliviscimini: *Soli te negas tibi*. Tot ferventibus Christianis mortis cogitatio semper animo obversatur, vobis autem numquam. Moriemini tamen, non secus ac illi, & fortasse citius etiam, quam illi. Quis enim vobis diuturnitem vitam spopondit? Quot hanc sperantes decepti fuere? Verum quodnam temporis spatium vobismetipsis promittitis? Numquid adeo facile est bene mori? Heu! totum vitæ vix sufficit spatium, ut bene mori discatis. Cæterum semel tantum moriemini, & error vester hac in re irreparabilis erit. *Maimbourg in Quadragesima.*

Mortis cogitatio ambitionẽ nostram, omnesque animi affectiones coercet.

Nihilne est, quod vel omnino extinguere, vel saltem ambitionis nostræ motus valeat moderari, quam cogitare, omnia ambitiosissima animi nostri consilia in sepulcrum allidi deoique debere, ac morte concludi? Omnes illos Principes, terrarumque domitores, quibus totus terrarum orbis nimis videbatur angustus, cum ingentibus cœptis intra breve tumuli spatium contineri? Nihil ex illis superesse nisi parum pulveris, cinerisque, & exiguum aliquod monumentum cum tenui fortasse laude aliqua conjunctum, quod minime separat æterna opprobria, quibus inferno in ambitionis pœnam damnati sunt? Ullane res magis coercere potest vanitatem mulieris ob vultus formam superbientis, quam cogitare corpus illud, quod sibi in idolum constituit, aliquando vermium fore pabulum, objectumque horroris omnibus, qui coluerunt illud, & fortasse ignium æternorum prædam, nisi immoderatum hunc corporis sui amorem cohibeat, ac per pœnitentiam vitæ suæ labes expiare contendat? Aliquidne facilius mederi potest avaritiæ, immodicæque terrenorum bonorum cupiditati, quam cogitare, mortem illa nobis quamprimum eo majori vi ablaturam, quo magis ea dilexerimus; & ex iis omnibus nihil nobis reliquum futurum, quam linteum, quo tumulandi obvolvamur? Aliquidne aptius infringere potest furentis libidinis, qua tot mortales fœdissimas voluptates depereunt, impetum, quam cogitare, se brevi morte divellendos esse ex miseræ illius pellicis sinu, quam iniquissime Deo pretulerunt? *P. Dozenne libro, cui titulus: Mundus a seipso damnatus.*

Nulla

Malæ mortis defectus corrigi nequaquam possunt.

Nulla est experientia; unde hoc nobis percipere liceat; hic non accidit, ut in aliis artibus assolet, ubi sensim, ac per gradus ab imperfectione ad id, quod minus imperfectum est, ascenditur, donec tandem per plurimos errores ad perfectionis apicem perveniatur. Ad hæc error unus fatalis esse non potest illi, qui artis perfectionem assecutus est, neque una jactura funesta illis est, quibus in re aliqua maximi momenti, ubi vitæ hujus negotium aliquod agitur, sors non arriserit. Si Oratori insigni actio quædam male cessit, altera seipso digna actione existimationis jacturam potest resarcire. Si quis exercitus imperator adverso marte pugnavit; hac ipsa etiam ætate plures vidimus, qui victi de victoribus suis secundo prælio victoriam reportarunt. Si Mercator dives navis jacturam in mari passus est, non ideo spem abjicit, quominus brevi acceptum reparet detrimentum navi altera, quæ brevi secundis acta flatibus portum subibit. Sed in morte nullus est reditus, nulla experientia, nullum tyrocinium, nullus correctioni locus. Qui semel errat, in æternum erravit: jam actum est. Cum enim mors sit vitæ finis, ac in perpetuum mutatio; ita initium est æternitatis, hoc est status illius, qui non mutatur, quippe qui certus est, decretusque terminus. *Idem*.

In mortis momento quid accidat.

Momento hoc omnia vitæ bona pereunt; omnia vitæ mala cessant; affectus omnes immutantur, omnia evanescunt consilia; spes omnes evertuntur; pulchritudines omnes delentur; omnes voluptates abeunt; omnes divitiæ aufugiunt, omnes desinunt dignitates, omnia, vel bona, vel mala opera revocantur, hominum fortuna in æternum, vel bona, vel mala statuitur, cœlum, & infernus clauduntur, vel aperiuntur, Dei possessio acquiritur, vel amittitur, tota bonorum, vel malorum occurrit æternitas vitæ nostræ, vel præmium, vel pœna futura. *Idem*.

Bonæ mortis utilitas.

Bene morientes repente infinitis miseriis, ærumnis, doloribus, morbis, sexcentisque aliis molestis casibus liberamur, qui ab hac vita corruptibili procul esse non possunt, & qui totum vitæ spatium, ut proprie loquamur, jugem, diuturnamque mortem efficiunt, quemadmodum illam S. Gregorius hom. 37. in Evang. appellat: *Ipse quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis?* Nonne magna felicitas est, nihil inde sibi timendum esse, atque eum nactos esse statum, ubi certi sumus, nos nihil amplius esse passuros? Secundo loco, ita sancta morte morientes in eam vitam transimus, quæ bonorum omnium affert fruitionem, atque possessionem, ideoque perfectam felicitatem secundum illa Apocalypsios cap. 14. verba: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Quare? *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis*. Quia in omnem æternitatem nacti sunt requiem, pacem, & jucunditatem post labores, tumultus, & curas, quæ ab hac misera, calamitosaque vita sejungi non possunt: *Lucrum est ad meliora transiisse; non igitur te mortis nomen offendat, sed boni transitus bona delectent*, inquit S. Ambrosius. Ne igitur mortis nomen, quod vane terribile est, reformides; sed infinita gloriosæ, quæ subsequitur, vitæ bona tuum amorem inflamment, ac tuum cor, tuaque excitent desideria. *Idem*.

Nihil magis efficit ut nosmet colligamus, quam mortis cogitatio.

Nihil majori vi nos ad frugem revocat, quam mortis cogitatio. Mortui viventibus efficacius nos ad virtutis exercitationem hortantur; ideoque fortasse de Abel S. Paulus verba faciens ait, illum post mortem adhuc loqui, proculdubio nos admonentem, ut vitæ brevitatem consideremus, & dicentem, minus cogitate, quod estis, quam quod eritis. Deus, qui videbat, quantum nobis afferre poterat ista cogitatio utilitatis, voluit, illam posse omnibus fere, quæ sese nobis offerunt, objectis instaurari.... Mors ut ita dicam, responsum est omnibus sceleribus nostris: *In nobismetipsis responsum mortis habuimus*. 2. Cor. 1. Hic scopulus est, in quem superbia, omnesque humanæ affectiones alliduntur.... Quis excitare poterit impium ex letargico somno, in quo pravis habitibus suis consepultus jacet, inquit Job? Quis illum educere poterit ex abysso, in quam infelicissime se præcipitem dedit, quin Dei judicia illum deterrerent? Quis audebit ejus iniquitatem redarguere? *Quis arguet coram eo viam ejus? ipse ad sepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit*. Job 21. Deducatur in sepulcretum, ubi tumulati sunt mortui; neque aliquid ultra requiritur, ut cor, & mens illius moveatur. *Auctor sermonum christianorum, sermone de morte*.

De crucifixo, qui morientibus offertur.

Quam suave objectum est Dei in cruce morientis imago iis, qui secundum hoc divinum exemplar vitam suam composuerunt! Quantam in divino hoc objecto confidentiam in extrema vitæ hora nanciscitur, qui vitam duxit crucifixam. Sed illi, qui pœnitentiam perhorrescit, cui christiana vita jugum est grave, & mortificatio supplicium, jucundumne objectum erit Crucifixus? Tradetur quidem morienti Crucifixi Domini imago; at nonne ad exprobrandam mollem, ac justo solutiorem vitam illius, atque contemptum, quo gratias ejus neglexit, nec non modicum fructum, quem ex ejusdem morte percepit? Sub vitæ nostræ finem nobis offeretur Jesus propter amorem nostrum expirans; quod quidem res solatii plena est, quæ nobis animos addere potest contra mortis terrores supremique judicis severitatem; sed nobis in cruce moriens offeretur, hoc est, nobis dicens tot linguis, quot habet vulnera, ea quæ pro nobis operatus, & passus est, & quæ nos propter amorem illius facere debeamus. Heu, Salvator mi! nunc mihi cum fructu ea dic, quæ tunc sine ullo fructu vulnera tua erunt mihi exprobratura. Omnia in te huic affixo cruci loquuntur; sed omnia meam mihi sævitiam, ingratique animi vitium exprobrant. *P. Croiset tomo primo spiritualis Secessus pro die una cujuslibet mensis, in meditationibus pro mense Majo*.

Quanti momenti sit bona mors.

Quamvis plurimum intersit bene vivere; multo tamen magis interest bene mori; quia bona mors vitæ bonæ meritum coronat, & hæc nihil prodest nisi illam bona mors subsequatur, ex qua mea pendet æternitas: *Momentum, ex quo pendet æternitas*. Illud mihi felix est? jam certus sum me æterna beatitudine perfruiturum. Infelix! jam de me actum est in nullam reditus spem. Verum si hoc fatale momentum in se continet beatam, vel infelicissimam æternitatem, si mors, quæ momento illo mihi accidit, de status mei æternitate decernit, si exiguo illo spatio omnia pro me statuentur, & consummabuntur, possumne citra gravissimam insaniam vivere in quadam specie tranquillitatis, quin terribile, incertumque istud momentum reformidem? possumne minime cogitare, quomodo transigetur, & quo pacto recipiendum sit, cum advenerit? *Sermo Manuscriptus*.

Verus christianus mortē timere non debet.

Illi mortem metuant, qui cum Christiani non sint, vel viventes quasi non essent, infernis ignibus damnandi sunt; illi mortem metuant, qui in cruce, & morte Salvatoris minime confidunt; illi mortem metuant, qui a prima ad alteram mortem gradum facere debent, & qui ex hac vita egressi, in altera æternis flammis comburendi sunt; illi denique mortem metuant, qui vitæ suæ diuturnitate utuntur, ut suas augeant pœnas scelera multiplicantes; illam metuant, quia Judicis sententia conformis erit stami, in quo extremo vitæ suæ momento mors illos reperiet. Nobis autem, qui Dei legem servamus, qui Evangelicis præceptis obtemperamus, quid est metuendum? Quotidie oramus Deum, ut nos in cœleste suum regnum accersat; cur igitur tantum diligimus exilium nostrum, nostramque in terris captivitatem? Quid est mors, nisi transitus ad immortalitatem? Possumusne, quin ex hac vita egrediamur, æternam vitam possidere? Qui putant in hoc mundo beatitudinem suam invenire se posse, vitæ diuturnitatem exoptent;

nos vero, qui tum christiani sumus, nullum graviorem habemus inimicum mundo, quomodo illum possimus non odisse? *P. Ludovicus a Ponte, tractatu de Afflictionum utilitate cap. 6.*

Mortis oblivio mala mortis causa.

Plerique cogitare nolunt sibi moriendum esse, & oblivionem hanc pessimæ mortis infelicitatem illis parituram. Ut bene moriamur, moriendum est cum veri christiani dispositionibus, & in statu pœnitentiæ. Hoc autem sortuito ne contingit? Hoc repente fit? Semel tantum mori possumus; ergo omnes industriæ nervi contendendi sunt, ut bene moriamur. Ad effectum hunc consequendum, sæpe, serio, valideque animi nostri cogitationes sunt impendendæ; plerique vero superficialiter tantum, & raro id cogitant, morte igitur occupabuntur. *Idem.*

Actus spei in morte.

Ne permittas, Domine, me adeo ingrati animi vitio laborare, ut de tua diffidere ausim bonitate. Quamquam peccatorum meorum adspectus horrorem incutiat; quamquam metum, & diffidentiam dæmones omnes mihi immittere satagant, sperabo in misericordia tua, Domine! & volo, non os solum, & cor suspiriis suis, verum etiam ossium quoque medullam, venarumque meatum sanguinem incessanter tibi dicere: Domine, tu unica es spes mea, ac refugium meum; in te spero, non confundar in æternum. Quamvis inter mortis umbras incederem, quamvis infernus ad interitum meum conjuraret, non timebo, quoniam eos protegis, qui sperant in te. *P. Gegon de preparatione ad mortem.*

Insana illatio, quam ex mortis cogitatione, eliciunt impii.

Jure quidem magnus Augustinus ardebat ira in eos voluptuosos, qui apud Isaiam Prophetam dicebant: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Quam insanum argumentandi genus? Sanctus Pater exclamat: Lætemur, quia cras moriemur; nonne dicere debebatis, o miseri, ploremus, fletibus rigemus ora, pœnitentiam agamus, quia cras sumus morituri? Cum vos audii hæc dicentes, comedamus, & bibamus; commotum est cor meum, & voluptatum idea me paulisper affecit: sed ubi addidistis; cras enim moriemus; hei mihi! gelidus mihi sanguis per artus cucurrit, & contabuit cor meum. In lacrymas, & suspiria effusus sum, & quin hæc verba me allicerent, atque tentarent, vos me terruistis, atque compulistis, ut ad mortis adeo imminentis adspectum serio agerem pœnitentiam: *Terruisti me, non seduxisti. Essais de sermons, pro 14. post Pentecosten Dominica.*

Lætitia sensus eorum, qui sancte vixerunt, morte adveniente.

Quid erit, fideles animæ, hora illa novissima, quæ vos educet ex lutea domo, ubi veluti in tumulo, sepultæ estis, ut in gloriæ sedem adducat; quæ vos de paupertatis, & mortificationum sinu divellet, ut super honoris thronum extollat, atque omnium voluptatum pelago immergat. Speciosa mors hæc vincula infringet, quæ vos corpori alligant vestro, ut libere in cœlum advolare possitis. O mors quam amabilis es, quandoquidem adeo felices efficis divisiones! O suavis separatio, quandoquidem adeo jucunda te unio subsequitur! Tu votorum meorum summa es, & meorum timorum argumentum: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Ad Philipp. 1. Non miror equidem, si visi fuerint sæpe sancti viri in eorum amplexus, & oscula ruere, a quibus mors sibi nuntiabatur; & si morientes auditi sunt ea verba Psal. 145. concinere: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Sæpe cogitandum est, utrum mori vellemus eo in statu, in quo sumus.

Si eo, quo loquor, quo operor, & fortasse etiam, quo Creatorem meum lædo, momento mortis sententia contra mortale genus lata in me adimpleretur; quid de me fieret, quodnam fatum meum esset? Fas ne, post ea monita, quæ Deus mihi tribuit, exempla, quæ mihi ostendit, bonos sensus, quos mihi inspirat, tempus, quod mihi permittit, minas, quas mihi intentat, altissimo sopota obrutum conscientiæ meæ minime consulere? Si modo in mortis articulo positus essem, vellem ne ita vixisse, ut vivo, eas patrasse iniquitates, quas patro, eas fovere simultates, & odia, quæ foveo? Hæ illæ sunt impressiones, quas in animis nostris mortis efficit incertitudo. *Ex moralibus sermonibus, sermone de morte.*

Mors omnia mutat, & post mortem nihil mutatur.

Mors mutat omnia, & nihil post mortem mutatur. Ea, quæ magis immutabilia videntur, melius constituta fortuna, corpus optime valens, perfectior oris pulchritudo, mens sententiæ suæ maxime tenax, omnia mutantur in morte. Ea vero, quæ facillime nutant, veluti voluntas nostra, quæ in singula momenta recentia capere potest consilia, & de peccato ad gratiam transire, voluntas Dei, quæ unica peccatoris lacrymula, & suspiriolo flecti se patitur, bona, quæ suapte natura fluxa sunt, sibique invicem succedunt, hæc omnia post mortem nequaquam mutantur. *P. de la Colombiere.*

Justorum in morte solatia.

Ambigi ne potest, quo majores, magisque assiduæ fuerint austeritates, quo perfectior fuerit solitudo, & sensuum, affectionumque mortificatio absolutior, eo absolutiorem, perfectioremque futuram justorum in morte consolationem, atque lætitiam? Ingens hic annorum numerus ex tot diebus compositorum; dies isti, quorum singula momenta in quæstu posita fuere, & quæ per jugem pietatis exercitationem pretiosa fuerunt facta: hæc omnia subeunt mentem hominis justi tamquam locupletissimus thesaurus, & immensa divitiarum, quas est adeptus, congeries in alteram vitam necessario transmittenda, ac satis magna ad ornatissimum ibi regnum comparandum, ubi est in omnem æternitatem regnaturus... Momento illo secum ineffabili cum voluptate reputans insignes illas promissiones, quas veris famulis suis Dominus tribuit, anima sancta in toto vitæ suæ curriculo virtutes illas deprehendit, quibus cumulatissima præmia fuerunt promissa. Ibi eam videt humilitatem, quæ exaltanda est, illum terrenarum rerum contemptum, ad quem cœlorum pertinet regnum, puritatem, cui Dei debetur intuitus, lacrymas, quæ in æternam consolationem vertendæ sunt, abnegationes, quibus centuplum promissum fuit, & omnia illa misericordiæ opera, quibus ab ipsa mundi origine Paradisus fuit præparatus. Quæ consolatio, ubi gloriam sibi tanta titulorum varietate debitam considerat? *Idem.*

Quam terribile sit mortis momentum.

Quodnam illud momentum est! Momentum per se formidabile, quo omnia, quæ in mundo sunt, moriuntur homini; & homo iis omnibus moritur, quæ sunt super terram! Momentum terribile, quo anima, licet intime corpori inhæreat, vi tandem post plurima prælia revellitur; quo homo rebus omnibus expoliatus, a rebus omnibus separatus spectantium oculis nihil relinquit præter horridam, turpemque speciem, extinctos oculos, os mutum, inertes manus, pedes immobiles, faciem exanguem, corpusque omnino deformatum, jamjamque putrescens. Miserum momentum, quo dives omnes amittit thesauros, & quo omnis ejus hæreditas ad pulverem sepulchri redigitur! quo potentissimus cum miserrimo, monarcha cum subdito, nobilis cum plebejo, dominus cum servo, doctus cum indocto æquandi sunt, simulque confundendi. Momentum millies adhuc terribilius propter ea, quæ consequuntur, quæ indeclinabilia sunt, atque æterna. Momentum decretorium, quo elapso neque impio ulla est speranda misericordia, neque justo ulla merita comparanda: momentum, quo Dei Justitia suum recipit jus, & quo desinit tempus misericordiæ. Momentum denique, cujus sola cogitatio effecit, ut in solio Reges, in tribunali Judices contremiscerent; cujus æquissimi terrores religiosis cœnobia, & saltus eremitis replerunt... Vos autem quid cogitatis de hoc momento, auditores? quonam in statu tunc esse vultis? quid vobis consilii capiendum, ut sit vobis propitium? Illud sane, quod capit justus, dum vivit: non enim abhorret a fide, eum, qui bene vixerit, tunc in gratiæ statu inveniri, & in finali perseverantia ex humanis decedere. *Idem.*

At

Desiderium bene moriendi, cui bene vivendi ratio addenda est.

At vos omnes hæc dicere puto: *Moriatur anima mea morte justorum*. Hoc olim pseudopropheta Balaam dicebat: moriamur, quemadmodum justi moriuntur; at vivamus, ut vivunt impii; quæ duo, vita videlicet nefaria, & mors sancta, simul esse non possunt. O si mori possem ut illi, & illæ, quos novi, & qui in Domini pace quieverunt! Verum hoc in vestra positum est voluntate, quia in vestra voluntate positum est eorum imitari virtutes, eorumque bona opera exercere. Hoc utique consilium hodierna die capere quocumque labore statutum mihi sit; cum in statum memet adducere volo, ubi in morte nullam crudelium agitationum, graviumque timorum lanienam experiar. Ad id maturato excutienda mihi est conscientia mea, & pondere peccatorum, quo obruitur, exoneranda. Ad id per pœnitentiam, vitæque mutationem prævertendi mihi sunt acerbissimi stimuli, qui peccatorem morientem adigunt ad desperationem: infringenda mihi sunt secreta vincula, & occultæ consuetudines, quæ tunc me perturbarent, relinquendæ: in lucem afferendæ sunt dubitationes, & evellendi scrupuli, qui ad extremum usque spiritum me sequi possent. *Idem*.

Pauci serio de morte cogitant.

Ubi eos inveniemus, qui serio mortem cogitent, & qui semper parati sint extremo illo momento, quo de æterna felicitate, vel infelicitate sua est decernendum? Numquid homo e sæculo? Heu! sexcentis negotiis impeditus minime cogitat, quomodo saluti suæ consulat, & sese ad bene moriendum disponat, quæ unica ad eam perveniendi via est. Dignare, Domine, fallacem conscientiæ illius securitatem turbare, & efficere, ut intelligat, quantum sit malum in finali impœnitentia animam efflare. Numquid mulier hujus mundi? Heu! suis nugis, tricisque impedita, mortis linguam non intelligit, sese totam luxui, & mollitiei tradens de morte ne cogitat quidem, satis esse putans quædam simulatæ, externæque duntaxat pietatis exercitia consectare: non cogitat sibi mortis horam imminere, & fortasse nocte hac se morituram. Ostende illi, Domine, status ejus infelicitatem. Numquid juvenis ille in flore ætatis suæ fallacibus sæculi voluptatibus abditus, ubique id quærens, quod suam libidinem expleat? Numquid ille mortem sibi adventare cogitat? Heu! illam longius abesse putat; atque ab animo semovet omnem exitus vitæ suæ cogitationem, quam æternam efficere studet, ut diutius peccet. Nisi cor illius tetigeris, Domine, ille in æternum peribit. *Idem*.

Dei filius præcipit, ut vigilemus, & parati simus.

Vigilate, Mundi Salvator ait, *quia nescitis diem, neque horam*. Quia nullum momentum est, quod esse nequeat extremum vitæ vestræ, ideo nullum momentum est, quo vigilare non debeatis; ne morte occupemini; & hæc sufficit mortis vestræ incertitudo, ut oculus vester numquam in re tanti momenti, adeoque necessaria claudatur. *Vigilate*, hoc est, operamini, & agite; vigilantia enim esset inutilis, si sine operibus, & actionibus esset. *Abbas Trappensis; Collatione pro die Circumcisionis*.

Mors prævertenda est, neque expectandum, donec illa omnibus nos exuat bonis.

O quam sapientes sunt, qui ultro abjiciunt, vel saltem cor suum divellunt ab iis, quæ morientibus essent relinquenda! Quæ insania est præstolari, donec morbus extremus, quem fortasse in visceribus gerimus, nobis fluxa, quæ possidemus, eripiat bona, cum inevitabilem omnia relinquendi necessitatem nobis in ingens meritum possimus convertere? Mihi credite, fideles animæ; auferamus crudeli huic morti nobis nocendi occasionem, Deo offerentes quidquid illa prædam suam putat. Maturato opus est, si illam prævertere studemus; illa enim forsitan jam extulit brachium, ut nobis lethale vulnus infligat. O beatam mortem, quam ante mortem ipsam amore ducti subimus! Quam parum terribilis, quin immo quam jucunda mors est illis, qui sese omnibus iis rebus expediunt, quæ eamdem adeo terribilem mortalibus præbent! Hæc non est amplius terribile monstrum, non crudelis tyrannus; sed phantasma, quod vertimus in ludibrium. Sine terrore de ea cogitamus; provocamus illam; ubi longe abest, illam optamus; cum non longe distat, sine timore conspicimus; cum adest, cum hilaritate recipimus, utpote quæ, tantum abest, quod nos expoliatura sit, ut immo sit cum fœnore redditura, quæcumque propter Deum dereliquimus. *Idem*.

Quanti referat bene mori.

Quamquam plurimum intersit bene vivere; verum est tamen, longe magis interesse bene mori; vita enim sanctissima peracta nihil profutura est, nisi bona morte excipiatur. Quo magis pro cœlesti gloria adlaboravimus, quo sanctior vita nostra fuit, eo magis interest nostra, eamdem sancto fine concludere, ut laborum, & sanctitatis nostræ fructus recipiamus. Nisi post diutinam pœnitentiam, post longam bonorum operum seriem, christianum finem vitæ imposuerimus, de nobis actum esset in omnem æternitatem. Mors, quam Scriptura furi comparavit, omnes gratiarum thesauros expilaret, quos congessimus, veluti miseri mercatores, qui longum, & periculosum pelago iter emensi in portu naufragium faciunt, & in conspectu patriæ plurimorum laborum fructus amittunt... In morte pro me de rebus omnibus agitur; si ut christianum decet, morior, jam possessionem adeo numquam desituræ felicitatis, sin secus, in nullam spem reditus perii. Ab extrema illa hora, ab novissima actione initi; ab illa mea pendet æternitas. *Idem*.

Bene mori non ita facile est, ut creditur.

Quid quæso vobis videtur, christiani Auditores, hoc sibi velle, bene mori? Putatisne hoc esse animam efflare, post vitæ totius confessionem peractam, omniaque Sacramenta recepta? Nisi aliud hoc est; nihil sane istic admodum occurrit difficile. Sed quot Christiani infernis cremabuntur ignibus, quibus horum nihil defuerit? Quid! mori in cinere, & cilicio, inter crucifixi brachia, frequenti sacerdotum, ac religiosorum corona stipante? Hoc sane mori est eo modo, qui non levem salutis spem tribuat; hæc magna sunt bonæ mortis indicia: verum cum his omnibus aliquis male potest mori. Bene mori, o fideles, est sine peccato, & sine ullo peccati affectu mori; est animam Deo reddere, postquam omnia vitæ crimina per pœnitentiam deleta sunt, divinæque justitiæ satisfactum est, postquam ex corde divulsus est omnis mundi amor, & manet alta mente repositum, sexcentas potius subire mortes, quam unica lethali noxa centum annos vitæ redimere. Hoc est spiritum efflare plenum constanti fide, invicta spe, & eo amore erga Deum, qui alium quemlibet amorem superet, eaque erga proximum charitate, quæ benevolentiam, qua nosmetipsos complectimur, æquet. *Idem*.

Mors probo viro molesta esse non potest.

Duæ res omnino mentem hominis occupant, qui extremam vitæ horam adventare cognoscit. Cum ille tunc positus sit tempus inter, atque æternitatem, omnes illius cogitationes inter tempus, quod desiturum est, atque æternitatem, quæ est inceptura, dividuntur. Oculos conjicit, alterum quidem in id, quod fuit, alterum vero in id, quod futurum est; & secundum ea, quæ vel in præterito videt, vel prævidet in futuro, afficitur dolore, vel gaudio. Hoc posito, ajo, mortem, quantumvis terribilis sit, viro probo molestam esse non posse, neque illi vel minimum timorem afferre; quamcumque enim in partem circumferat oculos, seu in ea, quæ præterierunt, seu in ea, quæ futura sunt, nihil invenit triste, nihil, quod solatium afferre non possit. Si enim præteritum respicit, nullam habet mortis metuendæ causam; si futurum considerat, causam etiam habet illius exoptandæ. Impiis e contra, & flagitiosis omnia metuenda sunt, seu præteritum spectent, seu obtutum in ea, quæ sunt futura, conjiciant. *Idem*.

Justus, qui toto vitæ suæ spatio se morti disposuit, mortis amaritudinem non experietur.

Justorum animæ in manu Dei sunt &c. Sap. 3. Anima justi, qui sancte vitam traduxit, in manu Dei est; si erraverit, si ceciderit, si quando lapsus fuerit, rectitudinis, & probitatis fundum habet, qui per gratiam excitante illum ex erroribus eripit, lapsum attollit, & rursus in virtutis viam jubet reverti. *Non tanget illos tormentum mortis*. Sap. 3. Tormentum hoc sunt tumultus, terrores, horroresque, quibus obruitur anima a corpore brevi sejungenda; anima, inquam, quæ sui status officia veluti crucem, & vim quamdam respexit. Tumultus isti, terrores, horroresque illam agitant, tur-

bant, opprimunt, ubi videt infinitam peccatorum, actionum, verborum, cogitationumque multitudinem, quæ memoriæ ejus occurrunt, & quorum tu numquam oblitus es, supreme viventium, & mortuorum Judex, cujus justitia eos omnes, qui meriti fuerint, persequetur. Hoc mortis tormentum hominem justum non tanget. Cum enim omnes vitæ suæ actiones secundum sui status officia mensus fuerit; tota vita illius non aliud fuit, quam perenne obedientiæ sacrificium; & mors non aliud erit, quam hujus sacrificii consummatio. Fidelis hujus famuli oculus erat in manibus Domini sui, ut illuc statim se conferret, quo illius vocabatur imperiis. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum*. Psal. 122. Hoc eodem oculo in lectulo doloris sui considerabit ea, quæ ab ipso hic idem Dominus expetit, & statim ac mundum relinquere jubebitur, summa cum alacritate, quæ impetum cohibere non poterit, æternitatis vias ingredietur. In hoc adeo terribili prævaricatoribus judicio intelliget omnes misericordiæ dispositiones, quas fidelis Dominus, cui ipse fideliter famulatus est, erga ipsum servaverit, curam, qua illum in lubrico nutantem sustinuit, incomprehensibilem bonitatem, qua ex malis, in quæ permisit, ut laberetur, eduxit, ea, quæ ejusdem felicitati conferrent, nitorem coronæ, quam præparavit illis, qui secundum ipsius imperia legitime decertaverint. *Ex Auctore recenti*.

SUPPLEMENTUM.

In re summi momenti quanta potest cura debet impendi.

Quanti momenti negotium est, ubi omnia sunt infinita? Judex infinite justus; ratio reddenda de re infinite æstimabili; pœna infinitæ severitatis? Si adeo sollicite bona hujus mundi consectamur, & levissima quævis mala perhorrescimus, quid nobis faciendum est ad bonum supremum tuendum, evitandumque gravissimum malorum omnium, quo in omnem æternitatem sumus privandi. Quot curis affligimur propter eas res, quæ propter earum inconstantiam nos derelinquent, & quas ipsi amittemus inviti, atque nolentes, & quæ, ubi tueri voluerimus, nobis erunt impedimento ad nos perdendos? Quid igitur faciendum non esset pro bonis æternis, pro bonis divinis, pro bono, quod ipse Deus est? Ostenditur mihi in cælo corona gloriæ, & ignis flammarumque fornax in inferno, atque inter hæc extrema duo positus, periculum hoc negligo, & fluxis rebus immoror; adeo parum afficior alterius quidem desiderio, alterius autem timore. Nonne vere dici potest, ille rationis, bonique sensus usum abjecisse, qui hæc nullo habet in discrimine? *P. Novet in Meditat.*

Quid nobis faciendum ut possimus recte morti præparemur.

Christianus intelligens ea omnia, quæ sibi metuenda, sperandaque sunt, nequaquam intra vitæ hujus cancellos contineri, quotidie debet dicere Deo; *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam, quid desit mihi*. O Deus, altius imprime in corde meo memoriam finis mei, ut huic me præparem, & videam, quid mihi desit. Profecto si hæc ipsi cogitaremus; quid mihi ad bene moriendum deest? Si hodie ex hac vita mihi migrandum esset; alius quidem inveniret, deesse sibi bonam, integramque confessionem, quam fortasse numquam hactenus fecit: videret alius sibi deesse restitutionem proximo faciendam vel famæ, vel boni per fœnora acquisiti, videret alienorum bonorum retentionem, fraudem, ac dolos, vel honoris per calumniam erepti: restitutiones sine quibus nulla salus speranda est. Videret alius deesse sibi quasdam dimittere injurias, quas passus fuit, & cum inimico in gratiam redire. Cognosceret alius sibi deesse, a proxima peccati occasione recedere, quam domi servat, abdicare se beneficio, quod per simoniam possidet, reparare omissionem, vel commissionem lethalem in vocatione sua, vel officio. Cognosceret alius sibi deesse, vehementes iræ suæ impetus compescere, moderari ambitionem suam, luxum abradere, & avaritiæ, atque concupiscentiæ suæ frænum injicere. Perfectissimus quisque inveniet sibi deesse bona opera, eleemosynas, orationes, diligentiam in cultu Dei. *Notum fac mihi finem meum ut sciam quid desit mihi. P. Gibieu*.

Cum mors possit nos in singula momenta deprehendere, illam semper parati esse debemus.

Nullum est in vita momentum, quo parati non simus, ut coram Deo prodeamus, si salutem nostram certam facere volumus. Quorsum hoc? quia nullum est vitæ nostræ momentum, quod nobis datum non sit, ut nosmet morti præparemus: quia nullum est temporis momentum, quod multum conferre nequeat ad æternitatem; quia nullum momentum est, quod esse nequeat extremum vitæ nostræ: quia nostræ salutis negotium tanti momenti est, ut vita nostra salutis diuturna minime sit, ut illud serio procuremus; quia denique sancti omnes vitæ suæ cogitationes in id intenderunt, cum certi essent; ut eorum quidam ait, Deum nobis mortis nostræ diem abscondere, ut de ea singulis diebus, donec vita fruimur cogitemus; quia non vivimus, nisi ut bene mori discamus, atque ubi vocabimur, cum S. Job dicere possimus: *Vocabis me, & ego respondebo tibi. P. Novet*. *S. August.* *Job 13.*

Ut cum Domino moriamur, in gratia nobis vivendum est.

Qui in Domino moriuntur, illi vulgo sunt, qui in illius gratia vivunt; etenim juxta consuetum rerum ordinem quilibet eo in statu moritur, in quo vixit. Qui vivit in peccato, moritur in peccato; qui in Domino vivit, in Domino moritur. Instar portenti haberetur, si justi perverterentur in morte; cur portentum non erit, si peccatores in morte converterentur? Vide quonam in statu vivere velis: in eodem te in morte reperies. Si ambitiosus vixeris, ambitiosus morieris; si vixeris voluptuosus, morieris voluptuosus: *In peccato vestro moriemini*. In Domino mori est mori propter amorem illius, veluti Martyres, vel saltem mori in illius amore tamquam Sanctos homines, postquam in vita ardentissima charitate conflagrarunt. Hi vere sunt, qui in Domino moriuntur, non solum quia moriuntur in gratia, non secus ac justi omnes; sed quia moriuntur semet omnino Divinæ voluntati permittentes. Moriuntur, ut ita dicam, inter manus Dei, in sinu, in corde, in suavissimis ejus amplexibus. O beatam mortem, ita mori in osculo Domini! Qui se salutis nostræ mancipant inimico, tamquam fideles ipsius inimici, hi morientes incident in manus illius. Verba, quibus S. Joannes utitur, satis ostendunt, ipsum non loqui generatim de morte omnium justorum, sed peculiariter, de Sanctorum morte; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur!* Hic de duplici mortuorum genere fiunt verba, quorum alterum ex altero consequitur. Tamen in sensu proprio mortui non moriuntur, cum viventes dumtaxat moriantur. Verba igitur Apocalypsios peculiariter intelligenda sunt de Sanctis, qui jam sibi mortui, ut omnino vivant Jesu Christo, mox moriuntur in Domino. Nonnisi qui jam mortui sunt, in sanctis amplexibus tuis, Domine, moriuntur; qui in antecessum sese divulserunt ab iis, quæ mors illis erat ereptura, qui objectis omnibus sensibilibus, ac sibimetipsis jam erant mortui. Magno quidem labore stat hæc prima veri Christiani mors; sed satis amplam invenit mercedem in ea suavitate, qua perfruitur, qui in Domino moritur, & in requie, ad quam statim migrat post vitæ hujus ærumnas. *P. Segneri in suis Meditationibus*.

Conandum est ut bene moriamur, hinc enim pendet æterna felicitas, vel infelicitas.

A bona vel mala morte pendet salus, vel damnatio animarum; cum bona mors numquam careat dono perseverantiæ, cui corona adnexa est, & cum mala mors numquam sit sine impœnitentia, quam semper æterna pœna subsequitur. Hinc sequitur palam, felicitatem, vel infelicitatem a bona, vel mala morte pendere. Adde his, malum, quod malam parit mortem omni vacuum esse medicina, quia semel tantum possumus mori. Ita maxime refert illis adstare, quos in extremo versari periculo scimus, ut illi conscientiæ rebusque suis consulentes irreparabile excidium evitent. *Ex Asceticis Operibus Blosii, & a Ponte*.

Verus Christianus mortem respicit, quasi hæc naturam mutasset, & quasi consecrata, atque Deificata fuisset in morte Jesu Christi, in qua amisit, quod nobis terrorem incutiebat, ut inde acciperet quidquid in eadem jucundum est, nobisque solatium potest

test

test afferre. Etenim modo hæc nostræ felicitatis origo, hæc est omnium bonorum fidelium votum, qui præsto sunt, ut Tertullianus ait, morti obeundæ, ut Deo vitam suam pro vita ejusdem rependant. Lætantur, quod sunt mortales, & crederent aliquid suæ gloriæ, atque felicitati defuturum, si postquam Jesus Christus mortuus est, sine morte illis ascendendum esset in Cœlum. *Idem*.

Quam utile sit Christiano posse omnibus vitæ suæ diebus corpus suum velut hostiam viventem offerre.

Magna utilitas, quam in corporis nostri mortalitate nanciscimur est, quod ex fragili, mortalique corpore possumus efficere hostiam bene merentem, ac viventem, quæ toto vitæ nostræ spatio perseveret per incruentum martyrium vel continentiæ, vel Religionis, vel aliarum austeritatum, & mortificationum. Nam sicuti duplex est Sacrificiorum genus in Ecclesia, alterum quidem Redemptionis, videlicet Crucis, alterum Religionis, videlicet Altaris, & utrumque ejusdem Jesu Christi sacrificium est; alterum est cruentum, omnes enim videbant effusionem sanguinis sui super Calvarium; alterum incruentum est, quia licet idem sanguis ibi fuerit effusus in remissionem peccatorum nostrorum, semper invisibilis est ad fidem nostram exercendam: ita in Christianismo duo sunt genera martyriorum, per quæ Fidelis tradit vitam suam in fidelitatis, amorisque sui erga Deum argumentum, & utraque unum sunt. Alterum cruentum, quod quatenus tale respicit, & imitatur Crucis sacrificium, quo palam Jesu Christo Sanguinem, pro sanguine, corpus pro corpore, vitam pro vita rependimus. Alterum incruentum, quod imitatur Sacrificium Altaris eo quod offerimus quotidie juge sacrificium vitæ, & corporis nostri sub speciebus (absit invidia verbo) exercitationum mortificationis, & pœnitentiæ, quæ paulatim nos absumunt, & efficiunt, ut sancte amittamus vitam nostram in servitute Dei per mortem, quæ oculos fallit, & quæ, eo quod minime patitur hanc violentiam, quæ videtur in effusione sanguinis Martyrum, non minus habet secretos dolores, languoresque diutinæ durationis. Possemusne ita corporis nostri commoda sacrificare, & vitam nostram atterere, atque absolvere in cultu, & amore Jesu Christi, nisi mortales essemus? *P. Gibien*.

Si sequimus magna nostri Salvatoris facta imitari, faltē possumus illi sacrificare sexcentas curas quibus distinemur.

Mundi Salvator maximum operum suorum morte adventante operatus est: ita ipsi numquam magis heroica, & Dei oculis & corde digniora efficiemus nisi per præsentiam, aut cogitationem mortis, quam singulis diebus habere debemus. Hoc præstabit, ut amor in ordine gratiæ id operetur, quod mors in statu naturæ. Tunc necessario omnia nobis erunt relinquenda; terminum hunc præveniemus, quotidie mortem votis omnibus prævenientes, relinquentes singulis diebus omnia generosa voluntate, & nosmet divellentes ab aliquibus exiguis vitiis, quæ sunt affectiones quædam terrenarum rerum, & obeuntes plurimas parvulas mortes, videlicet privationes modo quidem unius voluptatis, & modo alterius. Numquam cubitum ibimus, nisi eo in statu, in quo esse debet homo, qui absque eo quod seipsum fallat, credere potest hunc postremum esse posse vitæ suæ diem. Disponemus omnes confessiones nostras ea contritione ac spiritu, quo in extremo morbo illas faceremus. *Idem*.

Sensus habendus a Fideli in lectulo mortis.

Hoc esse debet magnum solatii argumentum morienti, & validum subsidium in statu deplorabili, ad quem mortis timor illum redigit, scire Deum ita ad majorem nostram utilitatem id præcepisse; Etenim non sine summa charitatis erga nos providentia, & ut melius nos sibi conjungeret, voluit nos obnoxios esse morti, cum non alia suppetat via, qua pergamus ad ipsum propter peccata nostra, quæ illi invictum obicem statuunt. Per hoc etiam attollit ad se nostram spem, atque confidentiam in paterna ipsius bonitate; Omnia me destituunt, dicere potest Christianus in hora mortis; pater, mater, fratres, sorores, consanguinei, amici: Exuor omnibus, hæreditatibus, quas possideo, officiis, dignitate, ipsa etiam vita, Laboro in umbra mortis, ac me solum reperio ab omnibus derelictus: Verum est. Sed confide anima mea, neque temere dejicias. Deus Pater noster est; poteritne deesse nobis, eo in statu, in quo mox futuri sumus? Terra non est patria nostra, neque locus hæreditatis nostræ: itaque non tædere decet nos eam derelinquere; e contra libenter a nobis relinquenda est, ut cœli viam ingrediamur, ubi omne bonum nostrum invenimus. O beata habitatio, sedes æterna filiorum Dei! Quid nobis perferendum non esset, ut tui possidendi felicitatem consequeremur; & frueremur civium tuorum societate? Patior, Domine, sed quod patior est nihilum, ubi conferatur cum eo, quod spero. Necesse moriendum est, ut videaris. Heu! libentissime morior æternum adorabili adspectu tuo perfruiturus: *Eja! morior, ut videam te. Ex modo recitandi Orationem Dominicam*.

Qui non utitur mediis bene moriendi cum potest, non meretur hanc gratiam cum vult.

Ne sis adeo imprudens, ut temere omnibus flagitiis te tradas, ne tempore moriaris non tuo. Non est tempus incipiendi, cum finiendum est. Non assignavit tibi Deus tempus mortis, ut agas pœnitentiam; hoc sibi reservavit ad te judicandum. Veniet ubi minus cogitaveris; & si nactus fuerit lampadem tuam extinctam, sine igne, & oleo; fidem tuam mortuam, animam tuam gratia exutam, cor tuum sine charitate, vitam tuam sine bonis operibus; putasne illum præstolaturum donec rebus tuis consulueris? Credisne tibi fore tempus consulendi! Qui negligit salutis suæ adminicula cum potest, in manifesto versatur misere moriendi periculo. Frustra fatuæ virgines sapientibus dixere, date nobis de oleo vestro: opera bona sunt personalia. Optimum est ad Sanctos confugere, & preces bonorum; sed hoc satis non est. Charitatis oleum non datur gratis, emendum est. Exercenda est pœnitentia; peccata ploranda sunt, eleemosynis sunt redimenda; vitii fuga, mortificatio, vita bona sunt sancti hujus olei pretium. Et post hæc, si Deus sanctum suum amorem nobis impertit, credamus hanc meram esse gratiam, magnamque misericordiam. Qui suam conversionem rejicit in tempus mortis, confidit in bono, quod suum non est, & per negligentiam suam meretur ut propriæ infelicitati tradatur. *P. Novet in Medit.*

Contra mortis insidias vigilandū est.

Quilibet Fidelis sibi debet invigilare, ne non paratus inveniatur, cum Dominus venerit. Hæc autem dies illum opprimet, quin illi præbeat spatium sese præparandi, nisi paratus inventus fuerit die novissimo vitæ suæ. Num satis nobis persuasum est de hac veritate? Identidem nobismetipsis dicamus: Cras opprimar, fortasse, quemadmodum tot alii oppressi fuerunt. Mors citius ingruet opinione mea: illa prævertenda est, & contra illius insidias vigilandum est. Hoc dicitur: sed reipsa, nemo est, qui non speret adhuc annum absolvere, qui fere inceptus est. Hoc nos efficit inertes, & oscitantes. Quæ stultitia! agitur de maximo salutis negotio; de hoc fatale momentum decernere debet; momentum hoc incertum est, plerique falluntur. Dei Filius id omnibus dicit: Vigilate, orate, estote parati; mors inopinato vos opprimet: attamen nemo de hoc laborat, nemo periculum metuit. Et dici nequit, Christianos populum esse sine consilio, & prudentia. Heu! Utinam saperent, & intelligerent, ut manifesta diei illius mala præverterent, quæ vitæ eorum finem est impositura. Vigilemus ergo, si sapimus; vigilemus; nescimus enim qua hora Dominus venturus sit. *P. Novet*.

Comparatio peccatoris saluti suæ non prospicientis cum navi.

Mors, quæ lucrum est inæstimabile vigilantibus, naufragium est deplorabile, & irreparabile detrimentum peccatoribus, qui dormitantes opprimi se sinunt, quin de salute sua cogitent. *Morietur in tempestate anima eorum*. Illis id accidet, quod navibus in mare fluctuantibus. Navis felici cursu defertur, rectum sequitur tramitem, ventis afflantibus progreditur, cum repente incidit in scopulum, qui non videbatur; adversus perflat aquilo; rupes summam aquæ superficiem non excedens, efficiunt, ut tanta hac in securitate subsidat. Hoc ipsum accidit in jactura vitæ suæ, quam faciunt peccatores. Alii subita morte rapiuntur, quin morbo fuerint tentati; alii naufragium patiuntur in corpore attrito, diutinisque infirmitatibus effœto; sed quid interest an navis sit integra necne, dummodo anima feliciter portum attingat. Qui bona vehebatur rate,

corpore viribus pleno, longum se iter absoluturum putabat; qui navi attrita ferebatur, & corpore infirmo, cum plurimos duxisset annos, sperabat saltem se illum absoluturum, quem incœperat; sed uterque pariter decepti sunt; & sicuti procella, quæ navem frangit, efficit, ut cum illo omnes pereant opes, quas vehit: ita mors, quæ illos adoritur, efficit, ut cum vita jacturam faciant bonorum omnium cœlestium. O peccatores! Si peccatum non timetis, saltem mortem timete, quæ efficiet, ut peccatorum pœnam luatis. *Idem*.

Sensus quem habere debet moriturus.

Maxime refert ægrotantis, qui se infirmitatibus confectum videt, prorsus, & ex corde in Dei voluntate confidere, suam abdicare, in submissionis spiritu ad Salvatoris exemplum dicendo: *Non mea sed tua voluntas fiat*. Si vis Domine me vivere; non dissentio, & lætor, quia voluntas tua mea est, & mea numquam adversabitur tuæ. Offerre debet Salvatori quidquid est, & quidquid habet, quod facere potest præter propter his verbis. Corpus meum, anima, vita mea, omnia tua sunt Domine! Hæc tibi ex corde offero, quoniam hæc expetis; & licet etiam me non cogeres, ut hæc tua tibi redderem, nihilo secius ea tibi offerrem, & ex iis voluntarium facerem sacrificium, solo tibi placendi desiderio. In manus tuas Domine commendo spiritum meum quoniam tuus est. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, ut faciam quidquid tibi placebit, me facere, & pati. Sentio, te pulsare ad ostium cordis mei; ingredere; de omnibus dispone. Ecce me paratum ut de hac in alteram vitam migrem, quoniam evocas me. Offero tibi Deus, admirabilem Salvatoris mei obedientiam, in imperfectionis obedientiæ meæ supplementum. *Ex Asceticis Operibus Blosii, & a Ponte*.

Psal. 56.

Quam distamus hac ætate a nobili mortis contemptu, quo patres nostri olim eam provocabant! Quotusquisque hodierna die morte adventante non trepidat? Dicam amplius. Quotusquisque est cui amicus audeat nuntiare mortem? Quot curæ adhibendæ sunt; quot apparatus disponendi; quot lenimenta afferenda? Primoribus tantum labiis sensus promitur; nemo de periculo audet commonefacere, quin monitum condiat spe quadam iterum reparandæ valetudinis. Et hoc etiam admodum sero fit, ne terror incutiatur homini, quem scimus mortem reformidare! Plerumque illum morte falli sinimus; & ne inferamus illis expectatæ, & præparatæ mortis molestiam, illum objicimus malo mortis subitæ, ac inopinatæ. Reparari nequit vetus robur, quod primis fidelibus præbebat Religio in mortem? Utique, una suppetit ars illius reparandi. Peccatum pater est mortis: *Peccatum generat mortem*. Ideoque ubi regnat peccatum, ibi quoque regnandi jus habet mors, velut filius in hæreditate, quam illi parentes sui reliquerunt. Ita etiam ubi peccatum nullum jus habet, mors nullam habet, ac nullam potestatem. Ne igitur mors nobis timenda sit, conemur sartam tectam Dei gratiam tueri; atque tunc non magis reformidabimus mortem, quam Sanctus ille Anachoreta, qui dicebat, *Nihil in me reperies*. *Sermones, & Christiana documenta P. Aurelianensis Tom. 2.*

Quænam esse possit nobis ratio non timendi mortem.

Jacobi 1.

Sancta vita verum est secretum sancte moriendi.

Ars vera sancte moriendi est sanctam vitam ducere. Frustra confidimus in spiritualibus subsidiis morbi novissimi præter temporis incertitudinem, status importunitatem, circumstantiarum repugnantiam, confessiones festinatæ, superficiales, & etiam coactæ plerumque veræ minime fuerunt. Aliquod requiritur intervallum inter conversionem, & mortem. Postquam vita traducta fuit in summa morum sanctimonia, & in ipsa innocentia, adhuc in morte Dei judicia timentur, nec deest causa timendi; quomodo bidui conversio post vitam in scelere traductam certum facere potest morientem? Aliud requiritur confidentiæ argumentum probatius, & gravius. Deus misericors est, esto; sed in hac infinita misericordia confidunt etiam, qui majori fulgent Sanctitate, & nihilominus contremiscunt. Fateamur vitam nonnisi puram, pœnitentem, in mortificationis exercitationibus & in virtutibus Christianis traductam, vitam legi conformem, & ab Evangelicis placitis non alienam, posse veram confidentiam parere. Fateamur sanctam vitam veram esse artem sanctæ mortis obeundæ. *P. Croiset in Spiritualibus Exercitiis*.

Quamvis a se essenobis videatur mors, semper est proxima.

Quod discrimen modo invenimus inter duos homines, qui vixerunt alter quidem ante annos centum, alter vero annos viginti ante priorem; sed uterque jam mortui sunt: eorum separatio quæ apparuit in tempore, modo nulla videtur, & sane nonnisi brevis erat separatio. Qui quotidie moriuntur, celeriter sequuntur eos, qui jam mortui sunt. Qui peregre profectutus est, non debet se credere multum abesse ab illo, qui nuntius tertius discessit. Vita veluti torrens elabitur. Præteritum non aliud est, quam somnium: præsens eo momento, quo illud tenere putamus, aufugit, & in abyssum præteriti defluit. Futurum non erit alterius naturæ, æque rapide pertransibit. Dies, menses, anni, sese propellunt non secus ac fluctus in torrente. Adhuc aliquot momenta, paulisper adhuc, dico ego, & omnia finem invenient. *Fenellon Cameracensis Archiepiscopus in Asceticis*.

Mors Justorum transitus est ad æternam felicitatem.

Cum mors pro Justis non aliud sit, quam transitus ab exilio ad æternam felicitatem: quin illis sit doloris causa, hoc lætantur non secus ac populus Dei, ubi videt tempus captivitatis suæ jamjam desiturum. Salvator tunc eos consolatur suavi spe proximæ eorum liberationis. Tantum abest, ut cor ipsorum amaritudine repleatur, quod exultant gaudio videntes infringi catenas, quibus huic corpori mortis adnectebantur. Hic sensus est Prophetæ id palam testantis his verbis: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione*. *P. Segneri in Meditat. Tomo 3.*

Hoc tandem impii fatebuntur conoscentes. Sap. 3.

Hinc melius intelligimus peccatorum insaniam, in eo judicio, quod ferunt de morte justorum, quos illi oculorum suorum testimonio credentes in nihilum redactos putant: *Visi sunt oculis insipientium mori*. Justi enim in sinu pacis quiescunt, ubi insaniam eorum de seipsis conceptam irrident. *Illi autem sunt in pace*: pace integra, & perfecta, pace permanente, ac in æternum duratura; quoniam illic omnino securi sunt ab omnibus malis, pace, cujus totum illorum cor plenum est propter summum illud bonum, cujus possessione lætantur. Cupimusne gustare pacem hanc, qua in præsentiarum Beati fruuntur? Eorum secuti exemplum nosmet totos Domino offeramus. Per juges hasce oblationes, quas illi faciemus, fiet anima nostra victima acceptabilis in oculis illius. Hanc in manibus suis recipiet ipso mortis nostræ momento, eamque inducet in pacis æternæ tabernacula. Fatebuntur tunc impii, sed frustra judiciorum suorum falsitatem, fatebuntur inviti, & ad damnationem suam animarum immortalitatem. *Idem ibidem*.

Terram hilariter debemus relinquere spe futurorum bonorum.

Si quis nondum satis mundum se putat, ut coram Deo appareat: ratio se dignum præbendi est, sese morti subjicere, illam ex animo acceptare, ac eidem sese præparare. Ita ab eo pendet sanctorum mortem obire. Verum si dolet ob jacturam, quam facit moriens, bonorum hujus mundi, omnem habet sese consolandi spem ob beatitudinem alterius vitæ, ubi nancisceretur opes, delicias, honores, dignitates, verbo infinita bona, & infinite majora illis, quæ tenetur relinquere; bona non temporalia, sed æterna, quæ saturant sine satietate, quæ gaudium afferunt sine tædio, quæ nullis sunt malis permixta, & quorum nullum timetur detrimentum. Non igitur aliquis desiderio teneri potest bonorum fragilium, quæ mors illis avellit, a quibus arctissime amantur: sed nobis cogitandum est, cum illa libenter relinquimus, nos liberari

sexcen-

fceleratis peccati occasionibus, aliisque pluribus malis, quorum illa causa sunt, & quæ in dies semper augerentur, si diutius nobis esset vivendum. Hac de causa vult Deus, affectu ea a nobis deseri, eorumque jacturam æquo animo sustineri; persuasum quippe nobis esse debet, post vitam hanc adeo ærumnosam, ac miseriis refertam adeundam nobis esse infinitorum bonorum possessionem, quam mors numquam nobis poterit auferre. *Ex operibus Asceticis Blosii, & a Ponte.*

Timor procul ejiciendus est & constanti animo prodeundum ad judiciũ Dei.

Si timor judicii, quod subiturus est moriens, districtæque rationis, quam illic omnium operum suorum redditurus est, præ cæteris illi negotium facessit; sciat, ad animi tranquillitatem comparandam nil melius a se fieri posse, quam libenter, hilariterque mortem excipere. Ne fugiamus Judicem nostrum. Ne imitemur Adam; qui nequicquam Dei oculos fallere conatus est; neque Cain qui credidit se illum celare posse peccatum suum. Eamus potius, & occurramus illi, quandoquidem nos vocat. Nosmet ad id omni præparemus industria, quoniam ita jubet, & pro certo habeamus misericordiam numquam deserere eos, qui cum humilitate sese Divinæ Justitiæ sententiis subjiciunt. Fateor equidem difficile esse quod homo qui Mundum amore prosecutus est, facile ab illo secedat, cum non cogitet ab illo recedere, nisi cum in lethalem incidit infirmitatem: sed si sapit, initio morbi sui, & ex corde sincero omnibus abrenuntiabit mundi negotiis, omnibusque cogitationibus, quæ de illo sibi occurrere poterunt, incipens saltem ex eo tempore integra submissione sese subjicere divinæ voluntati, atque tunc melius sperare poterit futurum ut Deus, qui misereri gaudet, illi subsidium afferat in ea secessione, quæ naturæ admodum terribilis est. *Ibidem.*

Quam terribilis horroris objecta se se offerunt peccatori in hora decessus sui.

Mors in peccato transitus est a vita molli, & criminosa; & fortasse a momentanea voluptate ad æterna supplicia. Hæc est causa, quæ terribiles parit terrores, quibus adveniente morte peccator corripitur. Adspectus æternitatis, quam brevi ingressurus est; inflexibilis Judicis severitas, coram quo solus est perditurus, abusus temporis, & gratiarum, quas illis concesserat Deus; ratio terribilis ab eo reddenda, conscientiæ stimuli; omnia hæc illum opprimunt ita ut in antecessum Inferni tormenta experiatur, in quæ videt se jam jam projiciendum. Quidquid Ecclesiæ ministri adnituntur, ut illum ad hunc transitum de tempore ad æternitatem disponant, & Sacramenta, ad quæ recipienda hunc hortantur, statuunt illi ante oculos abusum sacrilegum, quem hactenus fecit, & quem adhuc facturus est; quia non ille peccatum relinquit, sed ille a peccato relinquitur. Ecce imaginem peccatoris morientis.

S. Bernard.

Ingenti horrore concutitur ac variis cogitationum æstibus agitatur: cum urgente solutione carnis, & subductis e medio omnibus: se & terminum illum considerat, qui appropinquat. Christianæ considerationes.

Quam nobis sit festinandum ad mortẽ in peccato evitandã.

Mors in peccato quam terribilis est! Mori inimicum Dei, odibilem Deo, maledictum a Deo; debere in hoc statu positum prodire coram Judice inexorabili ad audiendam irrevocabilem suæ damnationis sententiam; ac deinde projici in fornaces æternas succensas flatu Divinæ Justitiæ ad peccatores in æternum torquendos; o quam deplorabilis est status iste, anima mea! idne agnoscis? Numquid tibi deest metuendi causa, ut tibi hoc accidat malum postquam toties læsisti Deum; postquam toties cecidisti in eadem flagitia, quæ ad pœnitentiæ tribunal fueras detestatus? Quid nobis faciendum est ad tantum hoc malum evitandum? Cur diutius cunctamur? Num expectare volumus, donec advenerit decretorium illud nostræ æternitatis momentum? Totis artubus contremisco, Deus, ubi miserrimam hanc mortem cogito. Quodcumque faciam animæ meæ consulturus terrore corripior animum advertens ad scelera mea. Nam heu! nescio utrum justitia tua meis defessa infidelitatibus me facta sit mearum ultionum exemplum, ac timor meus tanto magis rationi consonus videtur mihi, quanto magis cognosco gratias, quibus me prævenisti, & patientiam, qua me ad hanc usque diem in meis erroribus tolerasti. Num fortasse latet in corde meo ulla vel nocens, vel periculosa affectio, quam me nunc celat cupiditas mea, & quam mihi deteget mortis adspectus, sed nimis sero? Si dum maxime vigent affectiones meæ, morte opprimar, illæ tunc me ita occupabunt, & mihi auferant tempus, & cogitationem meditandi ad mortem præparandi, non relinquentes mihi spiritua libertatem, neque cordis liberationem, quæ necessaria est ad faciendum quidquid in adeo fatali occasione faciendum est. Da mihi Domine gratias, quarum egeo ad eas illico infringendas. Quam beati illi sunt, qui justorum morte moriuntur. Hoc unicum est votorum meorum objectum: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Considerationes Christianæ.*

Num. 23.

Insignis dementia est post vitam male actam bonam mortem sperare.

Quæ insania est sperare, hominem, qui dum vixit, non alio idiomate loqui didicit, quam patrio, morientem loqui alio sermone. Mundanus, licentior æquo, irreligiosus toto vitæ tempore fuisti; & te Christianum speras moriturum? Numquid hoc minus est miraculum, quam ea loqui lingua, quam numquam intelligere potuisti? Si quando accidit, ut insignis peccator bene moriatur, hæc nonne miraculi species est? Illi ipsi qui flagitiosam vitam ducunt, aliudne sentiunt? Quæ consolatio non nisi per miraculum salvari posse; sed potius quam fatalis incertitudo. Peccatores debentne magis in hujusmodi miraculis salutis suæ spem collocare, quam ægri, quorum salus comploratа est in miraculosis curationibus ad valetudinem suam reparandam? Cum mors sit veluti echo vitæ, huic ut plurimum respondet, & hanc imitatur; & si inveniuntur peccatores aliqui sane numerabiles, utpote pauci, qui vitam pravam beato fine concluserint; mortalium omnium stultissimus sit oportet, qui post vitam in sceleribus transactam sperat, se tandem felicitatem in gratia moriendi consecuturum. Omni sensu vacuus sit, oportet, qui in hac incertitudine confidit: & omnes peccatores maximam habent metuendi causam, ut hæc spes nullis suffulta rationibus gravioris damnationis sit causa. *P. Croiset Tomo 5.*

Quinam erunt sensus peccatoris perditi in hora mortis.

In morte tua, peccator, cum dies tuos in flagitiis absolveris, hæc Prophetæ verba implebuntur. *Peccator videbit, & irascetur.* Videbit tunc luminibus fidei, & rationis illustratus, luminibus, quæ dum optima valetudine fruebatur, extinxit. Sed quid videbit? Videbit corpus suum dissolvi, infame criminum suorum instrumentum. Videbit evanescere objecta, quæ cupiditates suas palparunt; videbit ab oculis evanescere jucundas illas societates, quas inter excelluit. Videbit in æternum suorum negotiorum stamen infringi. Videbit Divinæ justitiæ tela impressa in carne hac, quæ omnes illius curas occupavit. *Et irascetur* in quem? In se ipsum, quia corpus suum animæ suæ prætulit. Contra Deum, qui efficit, ut sentiat pondus brachii ipsius: Contra Mundum, contra homines illos, qui sibi erant charissimi, & a quibus in urgentissimis egestatibus derelinquitur. Videbit tunc virtutis illecebras, & contemptus illius a se factus illum indignatione, & furore replebit. Videbit vitæ fragilitatem, & brevitatem, & anni, quos sibi spoponderat illi ipsius imprudentiam, insaniamque exprobrabunt. Videbit turpitudinem, horroresque qui nitentem formam subsequuntur, & maledicet vanitati, & luxui, quæ illi surripuerunt tempus bonorum operum praxi destinatum. Hi erunt sensus vestri, o peccatores impœnitentes, donec justus patienter dolores suos sustinebit, & post dierum suorum finem diebus suis perfruetur. *Pater la Pesse. Tomo 1.*

Quinam sensus erunt justi morientis.

Perpendamus paulisper tranquillitatem, & quietem

tem hominis justi in hora decessus sui. Quemadmodum semper spectavit requiem æternam, quæ diebus suis finem erat impositura: ineffabili suffunditur gaudio accedere videns beatum hoc tempus, quo in Sanctorum Tabernacula est introiturus. Cum sancto viro Job inquit: *Expecto donec veniat immutatio mea*. Impatienter expecto felicem hanc mutationem gloriæ cum exilio adeo molesto vitæ hujus infelicis tot periculis, turbisque repletæ. Cum ille omnes singulosque vitæ suæ actiones ita direxerit juxta Dei beneplacitum, ut hac in re minime adsit, quod sibi reprehendat; profundissima pace perfruitur in statu, qui cæteris tristissimus est. Filii, Parentes, amici, magistratus honores, quin vestri jactura justo morienti facessat negotium, e contra illi ineffabilem parit oblectationem. Quemadmodum ille nequaquam spem suam constituerat in nugis, quas mundani depereunt; cumque alioquin illi persuasum esset has aliquando finem habituras; in antecessum gustat voluptates illas in æternæ durationis delicias commutandi. Heu! Deus meus, dicit justus lætitia affectus, eo quod sibi tellus hæc commutanda est; adhuc modicum, & ecce me deliciarum æternitatem adeptum. *Auctor recens*.

Verbis exprimi nequit profunda pax, qua perfruitur bonus in mortis suæ articulo. In iis omnibus, quæ sibi tristitiæ causa futura esse viderentur, solatium nanciscitur; & ipse cor suum confirmari sentit per ea, quæ illum magis magisque viderentur perterritura. Antiqui sapientes male locuti

Aristoteles.

sunt, cum dixerunt, *mortem omnium terribilium esse terribilissimum*. Hic moriens illos de mendacio redarguit; qui nil videt terribile in fatali hoc transitu, qui illis adeo terribilis visus est. Anima ejus mirifica gaudet tranquillitate; & hæc abyssus, in quam incidere videt prope infinitum animarum numerum, non terret illum jam viæ suæ securum, sed fideli duce fretus, quo magis fini fit propior, eo magis animos sumit. O momentum! o mors adeo tot aliis funesta! Nihil in vobis est, quod fidelem hunc valeat deterrere, & horrores, quos tot mundi sectatoribus adfertis nihil habent, quod boni viri tranquillitatem valeat perturbare. Quin illi dolorem afferatis, ineffabile solatium affertis sperantibus se propediem infinitis deliciis perfruituros. At enim abiit in regionem alienam, ignotamque; sed viva fides, quæ semper facta illius animavit, facem ei præfert; spes, qua semper in Deo confidit, præbet illi vires ad has superandas angustias, & amor, quo semper opera bona prosecutus est, talem ipsi confidentiam gignet, ut libere gaudium faciet e tristi hoc habitaculo ad gloriam in æternum duraturam. *Recens Auctor*.

Mors in peccato maxima est peccatoris calamitas.

Calamitas maxima, quæ homini pravo contingere possit, est in peccato mori. Quod enim majus malum esse potest, quam mutuum peccatoris in Deum, & Dei in peccatoris odium, in omnem æternitatem duraturum? Mors hæc illum inducit in æternum Dei odium activum simul, ac passivum: activum quidem, quia peccator respicit Deum tamquam Judicem inflexibilem sine ulla misericordia sævientem, & tamquam irreconciliabilem hostem, horribilem ultionem de sceleribus suis reposcentem. Odium vero passivum, quia anima illius abominabili peccati labe polluta est; quod unicum est objectum odii, & iræ Dei, & quod non potest amplius delere. Quodnam majus malum, quam in æternum esse maledictum a Deo, eumque incessanter desperato furore maledicere! Talis nihilominus est status funestus hominis in suo peccato morientis. Maledictus est a Deo, qui repellit eum, qui numquam fovebit erga ipsum aliquem bonitatis sensum, neque ut ei ullum conferat bonum, neque ut tormentis illius finem imponat. Ipse vero vicissim indesinenter maledicet Deum, & insultas in illum evomet blasphemias, quoniam incessanter experietur severitatem justitiæ ipsius, neque aliquid ab ejus clementia sperabit. *P. Novet in Meditationibus*.

Judicium ferri nequit, nisi ex iis,

Quam deplorabilius malum, quam omnia bona sua amittere, quin possit umquam eorum reparari jactura, & omnia quæ fingi possunt tolerare mala, quin possint umquam evitari. Talis est status eorum, qui in peccato moriuntur. Mori est

quæ mortem illius subsequuntur.

omnia naturæ bona perdere; peccare est amittere omnia gratiæ bona; sed in peccato mori, est irreparabilem subire jacturam omnium naturæ, gratiæ, gloriæque bonorum. Mori; maximum est corporis malum: peccare maximum est animæ malum: sed in peccato mori, hoc maximum est corporis, & animæ malum, quod omni pharmaco in omnem æternitatem carebit. Hoc præbuit locum S. Augustino dicendi ad ferendum judicium de bona, vel mala hominis morte, non esse spectandum, quid illi mortem inferat, sed quonam in statu moriatur: *Quære non unde, sed qualis exeat, qui moritur*. Mors enim Justi, qui in Dei gratia est; semper est beatissima; quia transitus est ad vitam æternam, & mors peccatoris in peccato deprehensi semper est miserrima, quia transitus est ad mortem æternam. Tumulus Justi sinus est Dei; tumulus vero peccatoris infernus: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*. En quid mortem illius funestam efficiat: *non enim malam facit mortem, nisi quod sequitur mortem*, uti egregie S. Augustinus animadvertit. Mortem justi æterna consequitur merces; ideoque felicissima est: mortem peccatoris, damnatio æterna consequitur, ideo est miserrima. *Mors Peccatorum pessima; sequitur enim æterna damnatio*, S. Jo: Chrysostomus inquit.

in Psal. 48.

Luc. 16.

Lib. 1. de Civit. Dei, c. 11.

Homil. 5. ad Popul.

Mors peccatorum proprie est omnium simul tribulationum congeries.

Suavis imber numquam opportunius illabitur, quam cum Sol tellure suis urentibus radiis adusta illam redigit in pulverem, ac ineptam fructibus ferendis effecit; tunc enim hæc pluvia mulcet calorem illius, eamque tam uberem efficit, quam ante erat arida. Figura hac utitur Sapiens, ut intelligamus quantum opportune Dei misericordia tempore tribulationis depluat, potissimum vero in hora mortis. Verum si Deus servorum suorum miseretur fatali eo momento, qualis est spes impiorum? quoniam mors eorum non una tantum tribulatio est, sed omnium simul tribulationum congeries; congeries, quæ fortissimo, & audacissimo cuilibet potest terrorem injicere. Ibi proculdubio, quidquid terribile est invenitur in hoc transitu extremo. Hac in re, S. Gregorius ait, Deum, ut hominibus ostendat non deesse æternum malum ex malis omnibus, quæ fingi possunt, conflatum, & quod manet impios post mortem; levem illis obtulit adumbrationem in extrema tribulatione, quæ mors est; ubi omnes vitæ hujus tribulationes congregantur. Et sane si mors ex Philosophorum sententia, terribilium omnium est terribillimum; quantum credimus illam terribilem futuram impio, qui numquam animum adjungere voluit ad sese convertendum; & quantum atheo, qui sibi gloriæ vertit nullam agnoscere divinitatem, nisi propriam imaginationem. *P. Pairè, & Recens quidam*.

In quo mors bona consistat.

Jure optimo Regius Propheta de morte Justorum verba faciens ait, illam in oculis Domini esse pretiosam. Profecto Justi in morte sua insignia decem nanciscuntur privilegia, quæ satis æstimari non possunt. Illum ingrediuntur statum, ubi nullum patrare possunt lethale, aut veniale crimen, & ubi relapsus in vitium timendus non est. Nesciunt ultra quid sit vel carnis rebellio, vel cupiditatum conjuratio, nec flagitiosorum hominum consuetudo: non illi amplius obesse possunt inimici. Non sunt ulterius obnoxii tentationibus; de inferorum potestatibus triumphant, & dæmon victus in æternum nullam amplius in ipsos vim potest exercere. Taliter in gratia confirmati sunt, omnibusque virtutibus, ut ne minimum quidem eorum gradum possint amittere. Moriuntur cum dono finalis perseverantiæ, cui adnexa est corona ea, quæ nonnisi Electis communicatur. Tandem omni damnationis metu liberantur: salus eorum, quæ hactenus fuerat anceps, in æternum certa est; & quidquid illorum adlatrent adversarii per decretoriam sententiam Cœlum

illis

illis adjudicatur. *Ex Asceticis operibus Blosii, & a Ponte.*

Quam falsa sit spes peccatoris credentis se in mortis articulo posse converti.

Præter infinitum criminum numerum, qui a Divina Justitia puniendus erit, in peccatore moriente, puniendæ etiam erunt spes insanæ, quibus semper adversatus ille est Dei verbis, blanditiis, minis, atque judiciis. intelligite quæso, quænam hactenus fuerit morientis hujus præsumptio. Quo magis cunctabatur sese convertere, minor illi erat locus sperandi suam conversionem, & ille semper magis, magisque semet conversurum confidebat. Quo magis lædebat Deum bona fruens valetudine, debebat quoque minus de misericordia ejusdem diffidere; & nihilo secius plures gratias, easque magis singulares præstolabatur. Tota vita illius transacta est peccando, & sperando; qui tamen duo sunt motus, quos ratio simul esse non posse demonstrat. Pravus habitus ad virtutis praxim minime adducit; injuria non meretur beneficium. Homo hic dum viveret Dei judicia sibi in ludibrium convertit: æquum est, ut Deus vicissim irrisorem irrideat. Peccator hic nequicquam sperat se finalem gratiam esse consequuturum, quam nulla creatura propriis viribus mereri non potest. Tempus est, ut de apertissimo hoste Deus sumat ultionem. *Pater la Pesse Tomo 1.*

Qui vitam in peccatis transegit hic non nisi in peccato mori potest. Judic. 4.

Putatis, non defuturum tempus vobis, Peccatores, qui semper in voluptuosæ vitæ flagitiis versamini: audetis vobismet gloriam promittere sperantes gratiam efficacem, quæ vos in ictu oculi convertat: sed moriemini ut Sisara infelix in impietatis vestræ sopore: *Soporem morti consocians, defecit, & mortuus est.* Mortuus est sopore captus, & nullum fuit mortem inter, ac somnum intervallum. In morte vestra tales eritis, quales in vita fuistis. Hoc tempore non admodum laborastis, ut tempore adeo accepto proficeretis: dormitabatis, lethargici eratis in iis, quæ vobis post erant eventura. Verbo, in peccato vixistis, in peccato moriemini. *Pater la Pesse Tomo 2.*

Quam fidenter homo justus ex hac egreditur vita.

Quam suavem consolationem, quos lætitiæ sensus non parit victoriæ ex lite magni momenti relatæ nuntium! Quam illud revocationis in patriam a tristi, diuturnoque exilio? Quam denique illud victoriæ omnibus numeris absolutæ, quæ certam nobis fecit coronam. Hæc omnia inveniuntur atque sentiuntur in morte Justorum, & longe his omnibus ampliora. Hoc triste exilium est finem faciens infinitorum malorum, quæ denique cessant. Hæc est vicissitudo procellarum, motuum, ac periculorum, quæ definit; beatitudo mera, plena, quæ incipit; fons sollicitudinum, dolorum, ægritudinum, qui in æternum exhauritur. Animæ justorum in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis. Dei irritati conspectus proprie mortem adeo horribilem efficit; hic unus illam suavem potest efficere. Semper voti sui cumpos moritur, qui moritur sanctus. Qui vitam non diligit, hanc sine timore, ac dolore relinquit: & qui cogitat se ideo mori, ut in æternum vivat; moritur etiam cum voluptate. Numquid timeri admodum potest incidere in Dei manus, qui a nobis amatur? Qui illum amat, certus est, se ab eodem amari. Non ad nos duntaxat nutriendos Dei Filius nobis reliquit corpus, Sanguinemque suum, sed ut nobis vitam conferret; quæ vitæ æternitas semper in ipso mortis articulo ducit initium. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Sap. 3.

Ut moriamur morte Sanctorum, vivamus oportet, ut illi vixerunt.

Quod solatium non adfert justo morienti præteriti recordatio! qua lætitia ex præsenti non afficitur? Quo gaudio anima illius non cumulatur per spem beatæ æternitatis, maximia Dei misericordiis suffultam! Mors Justorum est quædam veluti æternæ felicitatis prælibatio. Et profecto suorum peccatorum adspectus potest quidem esse æquissimum timoris argumentum, sed intuitus Crucifixi mirum in modum animam mundam lætificat; & Ecclesiæ preces, Sanctorum subsidia, præsertim vero Reginæ Sanctorum auxilium; ipsa Salvatoris præsentia: hæc omnia novissimo vitæ momento Justis inspirant quamdam in Deo confidentiam, quam non tentatio, non tumultus, non ipse naturalis horror mortis labefactare possunt. Igitur ad obtinendam in decessus nostri hora Justorum securitatem, satis non sit eorum egregie facta perlegere, illorum laudare sanctimoniam, illos in pretio habere, & venerari: quantum in nobis est eorum imitemur exempla, ut a Deo gratias impetremus, quas illi in fatali, & decretorio instanti sunt consecuti. *Idem ibidem.*

Vita impia & flagitiosa, peccatorem adducit ad mortem.

Licet esses ex numero impiorum illorum, qui sibi persuadere conantur post mortem nihil consequi, & illam sibi esse extremam rerum omnium lineam; quod tranquillitatis principium in crasso hoc errore invenires? Cum hic error nequeat locum invenire nisi in mentibus inordinato præsentium, & carnalium bonorum amore corruptis; quam amara illis est ægritudo se evitare non posse integram eorum jacturam, & ne unius quidem momenti spatio illam differre? Licet ea quæ mortem consecutura sunt, nihil illis dubium, aut terribile offerrent, nonne horribilia pro illis necessitas est, videre, se invitos, & reluctantes divelli ab iis omnibus, quæ ardentissime concupierunt? Nihilum earum rerum omnium, quæ sese illorum oculis objiciunt, estne objectum par mortificandæ concupiscentiæ, quæ illos semper in omni libidinum genere exercuit? Cumque dum viverent non satis habuerint imperii in rationem suam, ut aliquot diebus perferrent absentiam, vel privationem earum rerum, quæ magis sensus illorum palpabant; possuntne sine horrore æternam illarum privationem prospicere? Igitur in morte impius nil habet nisi dolorem, ac desperationem licet nihil crederet. At videturne vobis facile nihil credere? Præsertim vero sub vitæ finem, & in ipso hinc migrandi momento? Affirmare se nihil affici; conari ne quid credas, hoc per levitatem, inanemque gloriam jactare, nihil æque facile est, atque commune præsertim in scelerum omnium ætate, qua solis duntaxat cupiditatibus aures præbentur. Sed cum vos in hac ætate mors deprehendit, vel extra ætatem hac vos in insidiis præstolatur, cumque periculum excitans vestram curam, & vigilantiam efficit ut oculorum vestrorum acies permeet fallaces hasce nubes, quas vestræ cupiditates attollunt; tunc illi qui strenuissimi habentur, ubi agatur de impietate, nonne ad id rediguntur, ut fateantur, intrepidum animum suum non aliud fuisse, quam larvam, & cum timorem dissimulaverint, se tamen licet nolentes, invitosque credidisse. Credunt igitur cum etiam credere non videntur, & capite in cervicali posito multo melius credent. Licet etiam non crederent fide satis stabili, ac certa; saltem dubitarent majori cum animi anxietate; quia necessitas tunc secum de propriis sensibus aliquid decidendi, longe præsentior erit, & magis magisque sentietur. At videre sese jam morientem, & ambigere de eo, quod eventurum est; ad vitæ finem accedere & ignorare utrum hic finis futurus sit initium alterius vitæ recentis: hærere inter duplicem hanc, molestamque necessitatem; vel non esse amplius, vel in æternum esse miserrimum, hic status est, ubi, si quid luminis superest, rationi suæ valeat nubem offundere, & evitare invictum dolorem, qui ex tali ratione est subsecuturus? Igitur peccatori in fide nutanti nulla est in morte consolatio. *Pater de la Rue in Quadragesima.*

Abiit misericordia; nunc enitescere debet justitia; tempus advenit; non agitur de gratiis; olim erat proficiendum iisdem. Sto judicio, quod vos ipsi de vobis ferretis, cum adventante vestri decessus tempore, implorabitis opem Dei toties a vobis contempti, toties per contemptum a vobis rejecti. Si hodie flocci ducitis Dei gratias eo-

usque

usque, ut ne animum quidem advertatis ad illas, usque eo, ut timeatis, ne eas recipiatis, & illis proficiatis; audebitisne eo funesto tempore vobismet polliceri postremam hanc gratiam, quæ vos in Cœlum debet introducere, quæ debet vobis gloriæ sedem aperire? Ne decipiamur in eo, quod afferta hæc æquitas naturalis suadet: Contemptus gratiarum, quas hodierna die recipimus, nequit æquiore pœna puniri, quam subtractione gratiarum, quas in lectulo mortis cupergmus. *Pater la Pesse, Tomo 3.*

Egregia comparatio morientis, cum naufragium faciente.

Quid totus hic mundus est si cum moriente comparetur? Hic nullam amplius in eo partem habet; omnia illi præterita sunt. Mors eum privat rerum omnium possessione, usu, & spe. Hic tot prædiorum Dominus, tot honorum, tot supellectilium, tot famulorum; extremum efflans spiritum quid possidet? Jamjam extremum de iis omnibus disposuit, quorum dum viveret, erat possessor; quid adhuc illi restat, quo possit expoliari? De hoc jure dicere possumus, quod Sanctus Bernardus dicebat de illis, qui mundi hujus bona depereunt, quos ille comparat facienti naufragium, qui obvium quodlibet arripit, & numquam id tenet, quod eum valeat a morte salvare; putrescentis ligni fragmentum, innatans aquis, vel radicem aliquam a limo divulsam, aut herbas, quæ ad nihilum prosunt, nisi ad augendum, vel festinandum ejus interitum. *Nimirum videas eos tenentes tenere . . . quod primum occurreris manibus: licet tale sit, quod omnino prodesse non possit . . .*

Serm. 1. de Adventu Domini.

Mirum non est eos qui intenti tantummodo sunt ad creaturarum possessionem gustandam impudenter arbitrari nihil post mortem esse sibi vel metuendum, vel sperandum. Ideo solliciti tantum sunt ut ex terrenis rebus eas omnes utilitates percipiant, quas in illis reperire potest anima voluptuosa, & mortalis. Nos vero, quibus fides facem præferre debet fatali nostri decessus articulo, & quos illa post obitum adducere debet ad æternam beatorum, vel miserorum sedem, caveamus, ne labamur in horum calamitosorum hominum sensus, qui intra angustos vitæ hujus cancellos suas circumscribunt voluptates. Meminerimus quæso, domos nostras aliquando dominum esse mutaturas, pretiosa hæc peristromata, indumenta hæc holoserica auro intexta, hanc servorum familiam quamprimum in aliorum possessionem cessura; nos intra aliquot annos ad summum, & fortasse etiam intra paucos dies, nihil ultra possessuros. Mors ictu uno auferet nobis objecta nostri cordis, mentis, affectionum, & sensuum. His ergo utamur quasi non utentes; videlicet ne illis animo adhæreamus. Utamur more prætereuntium qui non admodum ea curant, quæ sibi sunt relinquenda, neque illis utamur, nisi ad gloriam æternam per ea promerendam. *Pater la Pesse. Tomo 5.*

In hora mortis omnibus terrenis speciebus accidit quod objectis, quæ admodum ab oculis recedentia sinuentur.

Cum in mortis lectulo jacemus, terrena hæc omnia intuemur tamquam a nobis procul distantia ita ut paulatim oculos nostros effugiant; veluti in picta tabula ubi objecta recedentia sensim minuuntur, donec non amplius videntur. In remotiori regionis alicujus parte videmus nescio quas imagunculas, quas oculorum acies vix, & ne vix quidem dignoscit; arbores, rivi, rupes, homines, omnia ibi confusa videntur; sunt quædam levissimi coloris species, quæ paulatim fallit oculos usquequo nihil amplius distinguatur. Hoc ipsum præter propter accidit, Dei quidam servus dicebat, extremis humanæ vitæ momentis; prout mortalis hujus corporis accedit dissolutio; Terrena hæc pro nobis suam amittunt magnitudinem, pulchritudinemque; donec anima ista, morte illam urgente, atque trudente, omnium simul rerum æternam facit jacturam. Nulla tunc amplius adest spes aliquid videndi; omnia infinito distant intervallo. Omnia hæc objecta non multo pridem adeo blandientia, facta sunt non solum exigua in oculis nostris; sed re ipsa merum nihilum; & illæ etiam personæ, quas tamquam mundi hujus quædam veluti numina respeximus; nobis pereuntibus mortalem cient pœnitentiam, eo quod ausi sumus ea tandiu comparare cum summo bono, quod tunc sese nostris oculis ostendit. Nimis felices si post hæc liceret nobis sperare fore ut illud possideamus. *Pater la Pesse.*

Appendix de Particulari Judicio metuendo post mortem.

In morte eorum qui Deum dereliquerunt, nil superest, nisi Judicem habere Jesum Christum.

HOmines illi, qui omnino Deum dereliquerunt, renuunt pro mediatore habere Jesum Christum, neque illis aliud restat, nisi ut eumdem Judicem habeant. Jam hoc judicium reformidant; sed non tantum, uti deberent; essent enim timore correpti, & quadam veluti glacie propter terrorem adstricti. Eorum timor illos etiam subinde inter vana gaudia perturbat, ideoque Judicii expectatio hodierna etiam die illis terribilis est, sed morte adveniente iisdem fiet terribilior. Ubinam erunt illo formidabili momento, quo ipsis nuntiabitur prodeundum esse ad Tribunal Domini, ad Tribunal Dei, quem ipsi dereliquerunt? Homo gravis alicujus criminis conscius ad Judicis sui conspectum contremiscit tunc etiam, cum sperat se judicio iri absolutum; sed quænam est trepidatio sontis, qui scelus suum neque celare, neque excusare aliquo modo potest, atque omnino tacere debet? Hic erit status eorum, qui Deum reliquerint, cum proxime Particulare Judicium expectabunt. *Idem.*

O deplorabilem statum, in quo Jesus Christus non potest fere videri, nisi tamquam inexorabilis Judex, & post fluxa, & inania mundi gaudia æternas intueri flammas, quæ ulcisci debent contemptum, quo Christianus Deum suum fuerit prosecutus. *Pater Segneri.*

Deus rationem exiget occasionum salutis quas nobis præbuit.

Occasiones, quas nobis obtulit Deus progrediendi in virtute, totidem sunt gratiæ, quarum a nobis rationem exquiret. Hæ sunt totidem messes uberes, quas nos metere jubebat, & quas a nobis comparari volebat, ut nosmet sustineremus eo tempore, quo permissurus erat, ut probaremur. Exempli causa, morbi, & passiones sunt tempus messis patientiæ; contemptus, & repulsæ sunt tempus messis humilitatis; jacturæ, quibus nos percutit Deus sunt tempus messis paupertatis. Qui bene utitur his temporibus messis Sapiens est Scriptura teste; *Qui congregat in messe, Filius Sapiens est.* Cur? quia sibi comparat gratias, quæ sibi alio tempore sunt necessariæ; *Qui autem stertit æstate, Filius Confusionis.* Quo in numero ipsi erimus? Et quem usum dicere possumus a nobis factum fuisse tot messium, quas nobis obtulit Deus? *Ex Speciminibus Ethicis.*

Prov. 10.

Quam pere horrescere debeant peccatores Judicium particulare, quod sapientiores adeo reformidant.

Perfectissimi, ac sapientissimi præ ceteris maxime particulare Judicium reformidant; quia melius cognoscunt Deum. Norunt oculos Dei perspicacissimos esse oculis hominum, ac sæpe ab his levia existimari facinora, quæ ab illo censentur gravissima propter eminentem puritatem, sanctitatem, & perfectionem status sui. Dicunt illi cum Sancto Paulo, nihil mihi conscius sum, sed non ideo justificatus sum, Judex quippe meus Deus est; & mihi non deest ratio timendi, ut in me districte Judicium exerceat. Si cœli macula non carent coram illo, quid timendum mihi est, cum ipse sim terræ pulvis, & cinis? Si ille scrutatur Jerusalem in lucernis, quid non deprehendet in anima, quæ est confusione, ex sceleribus plena? Me ne securum faciat modicum illud boni, quod facio! Judicabit ille justitias, condemnabit actiones, quas ego bonas, & dignas laude putabam; suscitabit ille delicta, quo-

rum

rum ipse oblitus fuissem, vel neglexissem, & inveniam ea in ipsius libro descriptas. *Meditationes P. Noves, Tomo 7.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Qui præ cæteris virtute præstant, majorem habent erga Deum suum charitatem, ideoque etiam majorem doloris sensum propter suam ingratitudinem, & infidelitatem. Majori etiam flagrant cupiditate illum aliquando possidendi, & benedicendi in cœlo, ideoque magis timent ut in æternum tanta hac felicitate priventur. Cæterum Dei judicia sunt interminabiles abyssi, & nemo est super terram adeo virtute præditus, & sanctus qui scire valeat utrum amore, an odio sit dignus: cum igitur illi præ cæteris mirificas hasce veritates scrutentur, & melius momentum earum intelligant, timor illorum eo major est, quo magis de illis persuasum est ipsis, & quo sæpius illas meditantur. Dicere possumus ipsos etiam cognoscere posse fragilitatem suam, & cordis eorum nequitiam, quia sibimet, interiorique parti magis invigilant; & sicuti majori dolore afficiuntur peccatorum quæ ab ipsis olim commissa fuerunt, magis de se ipsis diffidunt, magisque timent, ut in eadem imposterum relabantur. *Ibidem.*

Nil proderit in morte honoribus functos in terra fuisse. Unum necessarium est, ad salutem propriam adlaborasse.

Omnia nos deserent in mortis articulo, consanguinei, amici, domestici, quin ab aliquo opem accipere valeamus. Hac in re nihil differt inter Reges, & novissimos e plebe; nisi quod hi Principes assueti vitam ducere in aula frequenti, ubi singuli adlaborant, ut in ipsis etiam vitiis, & criminibus eos palpent, præ cæteris etiam eos perceller horribilis solitudo, in qua tunc erunt; quin ullum præteritæ magnitudinis extet vestigium. Non quæretur tunc ex vobis, utrum fortunæ vestræ adlaboraveritis, utrum magnia magistratuum honoribus præluxeritis; qua in re tamen unice tantum hominum plerique, & vos etiam fortasse incumbitis: sed quomodo vos salutis vestræ negotio vacaveritis, & usi fueritis gratiis, quas recepistis, quas ulterius vos consecuturos sperare minime poteritis; quoniam misericordiæ tempus jam præterierit, & tunc advenerit justitiæ tempus, & justitiæ magis severæ, atque districtæ. *Christianæ considerationes.*

Si tunc ratio reddenda erit simplicis cogitationis, quid timendum erit peccatoribus.

Quam terribilia sunt, Deus, judicia tua; & quam formidabile incidere in manus Judicis adeo perspicacis, potentis, & inflexibilis! Heu! Si vix justi salvabuntur, quid accidet mihi, vita cujus tot sceleribus plena est! Ad quem tunc confugiam, quandoquidem loco harum bonitatum tuarum, quarum modo effectus experior, non inveniam amplius in te nisi Judicis inexorabilis severitatem? Si mihi reddenda est ratio inutilis etiam verbi: quid erit propter nefarios sermones, quos habui, & audivi? Quid propter tot noxia desideria, quæ concepi? Quid propter tot facta, ad quorum solam recordationem totis artubus contremisco, ubi cogito districtam severitatem, qua in me judicaturus es? Quomodonam audebo apparere coram te, quem toties

Psalm. 142.

læsi? *Non intres in judicium cum servo tuo*; vel saltem cum evocabis me ad justitiæ tuæ tribunal ne judices me in ira tua; væ enim sanctissimæ cuilibet animæ, si ad rectissimam judicii trutinam singula volueris excutere: *Domine ne in furore tuo arguas me.* Obliviscere omnium peccatorum meorum, & delicta adolescentiæ meæ ne memineris. Concede, ut per sinceram pœnitentiam deleam omnia scelera mea, antequam jubear coram te prodire in judicium. *Ibidem.*

Psalm. 6.

Criminum confessio & elevatio mentis in Deum.

Fateor equidem mereri me, ut secundum omnem justitiæ tuæ severitatem judicer, Deus, postquam tandiu abusus sum tuis miserationibus; sed tu ipse pollicitus es, quacumque hora peccator vera ductus pœnitentia ad te fuerit conversus, te criminum illius oblitturum esse; fretus fidelitate promissionum tuarum, spero fore ut mihi negaturus non sis gratiam, quam suffusus rubore facie, & corde contrito abs te peto. Altius incide in anima mea timorem judiciorum tuorum, ut sint familiare mearum cogitationum objectum. Hoc perculsus metu numquam recedam a via mandatorum tuorum, a qua toties recessi, ut in perditionis via latius percurrerem. Diligentissime evitare volo quidquid tibi hactenus potuit displicere. Quamvis stet mihi vitæ genus immutare: tamen non audeo mihi promittere me id consilii, quod cœpi executurum, nisi me gratia tua sustinueris. Non potui sine auxilio tuo in illam mentem, in qua sum, accedere; multo minus illam exequi potero. Hæ sanctæ affectiones sunt opus tuum Domine; perfice quod incæpisti, & fac me talem esse, qualis esse vellem cum mihi coram te Judice erit prodeundum. *Christiana considerationes.*

Quod nobis in morte debeat afferre terrorem, non corporis mors, sed animæ.

Non hujus corporis horror nos debet perterrefacere: ne horrida illius lineamenta scrutemur, Sanctus Augustinus ait; cogitemus de anima miseri illius, qui obiit, quam dæmones præcipitem trudunt in ardentes fornaces: *Vides foris jacentem in lecto; numquid vides intus raptum ad gehennam?* Quod in hoc spectaculo tibi majorem afferre debet tristitiam, est, quod hæc anima a dæmonibus abrepta jam immersa est in gehennam. Anima est hominis qui in annos singulos protrahebat conversionem suam; anima est hominis tranquille possidentis prædia, quæ per nefas abstulerat. Anima est hominis, qui mercenarii simplicitate, vel necessitate abutebatur, ut inde quæstum referret. Anima est hominis, in usu Sacramentorum conscientiam suam fallere satagentis. Anima est hominis, cujus studium erat omnes conscientiæ suæ stimulos jugulandi, obliviscendi omnium æternarum veritatum, vel pro familia sua lucrandi bona, vel a se turbas omnes in sceleribus suis removendi, si homo est libidini, & crapulæ deditus. Anima est mundanæ mulieris, quæ omnem industriam curamque suam impendebat in novis ornatuum formis excogitandis, ut suæ satisfaceret ambitioni, & in cætibus placeret. Evanuerunt ab oculis hominum, eodem pacto quo justi, sed mors hæc eo terribilior fuit in oculis Dei, quia est æterna. *Pater la Pesse Tomo 1.*

Omnes homines proprie tot œconomi sunt qui Deo rationem reddituri sunt bonorum, quæ illis in horum manibus posuit.

Quis nescit, nobis omnibus Deo rationem esse reddendam: nosque illius esse villicos, & œconomos? Omnia, quæ possidemus bona sunt illius; nos ipsi ad illum pertinemus, & aliquando eidem rationem reddituri sumus non externorum duntaxat bonorum, quæ nostro permisit arbitrio, prædii, magnique redditus, verum etiam temporis, valetudinis, talentorum, facultatum tum corporis, tum animæ, denique eorum quæ habemus, & sumus. Hæc omnia sunt bona, ex quibus fructus capere debemus, & quorum nobis illi districta ratio reddenda est, si nolumus ab eodem haberi velut infideles villici Evangelico illi similes, de quo loquitur Filius Dei: *& hic diffamatus est apud illum.* Quotusquisque ea nobis non accusabitur coram Deo ea dissipasse bona, quæ ab eodem sibi credita fuerant, & illis abusus fuisse? Auctor vero ipsa erit conscientia nostra. In hora mortis, ipso particularis judicii nostri momento, singulis hæc ratio erit reddenda: Mundani rationem reddite, quomodonam usi fueritis valetudine, tempore, vestrisque talentis. Terræ divites rationem reddite magnorum bonorum, insignium dignitatum, hujus auctoritatis, & magnificentiæ vestræ. Ecclesiastici magnorum horum redditūum, patrimonii pauperum, quorum œconomi duntaxat eratis, talentorum, quæ in quæstu a vobis erant collocanda. Religiosi rationem reddite bonorum omnium temporalium, atque spiritualium, quæ ex divina largitate accepistis in statu vestro. Singuli igitur villici sumus, singulisque aliquando ratio erit reddenda eorum, quæ accepimus. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 5.*

Stupor animæ, quæ se inveniet omnibus rebus in morte denudatam.

Serio cogitemus, simulac anima nostra a corpore divelletur, oblatum iri ante Divinæ Justitiæ Tribunal illic totius vitæ rationem redditūram. Se ipsam inveniet generatim rebus omnibus nudatam, solam cum Deo solo, quem habebit Judicem simul, & adversarium; sed Judicem terribilem, Judicem infinite

nire perspicacem, cui nihil celari potest; Judicem inexorabilem, quem nihil flectere potest; Judicem Omnipotentem, cui nihil potest resistere; Judicem læsum, contemptum, contumeliis affectum, Judicem, cujus misericordia in furorem mutata est; Judicem denique, qui tamquam Deus ultionem reposcet. Deo huic Judici anima peccatorum suorum pondere oppressa, quorum perspicuam distinctamque habet cognitionem, respondere debet in examine, quo non aliud fingi potest terribilius. Ad examen ibi revocabuntur omnes cogitationes nostræ, omnia desideria, verba omnia, & omnes actiones, usus tot gratiarum, sanctarumque inspirationum, ac bonorum motuum; bonum a nobis factum, malum, ad quod faciendum alios induximus sive pravis sermonibus, sive consiliis, sive exemplis. Post severum hoc examen proferet Deus decretoriam sententiam de æternitate nostra seu misera, seu beata; quæ statim, eodemque in loco, ubi moriemur, adimplebitur. *Liber, cui titulus: Considerationes Christianæ.*

Cum reus momentaneo teste. Si Reus sceleris accusatus, atque convictus tantopere hominum justitiam reformidat, quamvis ad summum agatur de aliquot horis supplicii; heu! quanto magis nobis est pertimescendum Judicium Dei, qui nos ad tormentorum æternitatem damnare potest? Job magnum illud heroicæ patientiæ exemplum non poterat umquam sine horrore hoc terribile judicium cogitare, in ipso mortis tempore subeundum; eo usque ut pro sanctissimis quoque actionibus trepidaret, sciens rem sibi esse cum Judice, qui nihil impune abire permittit. *Verebar omnia opera mea; sciens, quod non parceres delinquenti.* (Job 9.) Quomodo ergo quietum ducere spiritum possumus, cum nobis sit persuasum, nullum esse momentum, quo mori non possimus, & ideo quo non possimus ante Dei Tribunal appellari? Qua cura igitur nobis invigilandum est nobismetipsis, omnibusque cœptis nostris ad evitanda ea, quæ efficere possent, ut hoc judicium reformidaremus? Si ita miseri sumus, ut in peccata nos trahi sinamus; fortasse eo temporis puncto, quo crimen aliquod perpetrabimus ante Deum adducemur. Quisnam tunc nobis horror incesset; quis stupor nobis erit, cum nosmet solos coram Deo solo videbimus? *Considerationes Christianæ.*

(Margin: hujus supplicio terretur, quomodo pœnas æternas sustinent.)



MORTIFICATIO.

CORPORIS MORTIFICATIO; AUSTERITAS. Vita Pœnitens, &c.

MONITUM.



UM austeritates, & pœnæ, quibus corpus affligitur, varias ob causas exerceri possunt, varia quoque sacri verbi ministris dicendi argumenta suppeditant pro variis rationibus, quibus illa possunt considerari. Si enim austeritates, & mortificationes istæ ad satisfaciendum justitiæ divinæ exercentur pro criminibus, quæ patrata fuerunt, hoc pœnitentiam respicit, & de illis suo loco loquemur; si externa alii violentia patimur, vel necessitate quadam, quam evitare non possumus, tunc cum submissione sese illis subjicere, & æquo, alacrique animo ferre, virtus est patientiæ, de qua sub Tribulationum *titulo verba faciemus. Sin autem pœnæ hujusmodi voluntariæ sunt, & ultro ad reprimendas carnis defectiones, & prohibendum, ne illa nos in vitium trahat, illas eligimus; hæc austeritas dicitur, & mortificatio, & hoc in sensu a nobis istic accipitur, quin illa attingamus, quæ alibi a nobis de pœnitentia, atque tribulationibus dicentur.*

Notandum est tantum, austeritates hoc in sensu usurpatas aliis etiam nominibus appellari. Vulgo corporis, & carnis mortificationes dicuntur; aliquando figuratis exprimuntur vocabulis, & spiritualis circumcisio, vel rerum sensibus acceptarum voluntaria privatio vocantur; hæc enim re ipsa mortificationis est pars, in eo posita, ut ab illis abstineas voluptatibus, quæ non solum sunt noxiæ, sed quæ crimine vacant, & licita sunt, atque sustineas, vel potius tibi irroges voluntarias pœnas eam ob causam, quam superius attigimus; denique vocatur etiam pœnitens vita, dicimusque, hoc esse crucem suam gestare, carnem suam crucifigere, aliisque similibus utimur vocibus, quibus indiscriminatim utemur, prout apud eos inveniuntur Auctores, ex quibus ista collegimus; quin tamen varias persequamur corporis mortificandi rationes, puta jejunium, temperantiam, cilicia, vigilias, aliasque id genus macerationes.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia sermonum hujus argumenti systemata.

I Orpus nostrum a S. Paulo corpus peccati vocatur; qui addit illud esse destruendum non quidem re ipsa vitam illi auferendo, quod magnum esset crimen, sed quamdam mortis speciem eidem inferendo per eam virtutem, quæ carnis, sensuumque mortificatio appellatur, & quæ peccatum tantummodo destruit, illi vitii materiam subtrahendo, affligendo, vel extenuando corpus, quod causa est, subjectum, atque instrumentum plerumque flagitiorum. In morali hac destructione exterior mortificatio consistit, cujus finis semper esse debet interior affectuum, amorisque proprii mortificatio, ne concupiscentia, quam Sanctus Paulus peccati nomine designat, regnet in nobis.

In duabus hujus concionis partibus ostendere possumus, primum mortalibus omnibus destruendum esse corpus hoc peccati gladio mortificationis, uti sancti Patres loquuntur, & cuinam rei hæc obligatio innitatur; secundo, quænam hæc esse debeat mortificatio, & quas conditiones Evangelium, & religio Christiana requirat, ut Deo sit accepta.

Punctum primum. Obligatio austeram, mortificatamque vitam ducendi desumitur, 1. ex præcepto, quod explicitum est in Evangelio, & Sancti Pauli Epistolis: quod non solum intelligendum est de iis rebus, quæ prohibitæ sunt, & criminosæ; verum etiam de illis, quæ licitæ sunt, & innoxiæ, saltem sæpissime, ne ab his ad illas sensim fiat gradus. Quod etiam de præcepto est, nisi observari mandata queant, quin simul observemus, quod extra hoc periculum est tantum consilii; ubi latissimus morali disciplinæ campus aperitur. 2. Obligatio hæc ex necessitate desumitur, qua quisque sibi vim facere, ac se ipsum superare tenetur, ut salutem suam operetur; nec operosum est ostendere, hoc non solum de affectuum victoria, verum etiam de carnis, sensuumque omnium mortificatione esse intelligendum, 3. Quia Christiani omnes quasdam exercere virtutes, quædam compescere vitia, quibusdam officiis defungi tenentur; quod sine corporis, sensuumque mortificatione fieri nequit; illinc enim præcipui obices proficiscuntur.

Punctum alterum. Conditiones, quas mortificatio, corporeæque austeritates habere debent, ut peccati corpus destruatur, desumuntur ex varietate vitiorum, in quæ per sensus labimur. Quamobrem. 1. Mortificatio esse debet universalis, ac ad omnes se extendere sensus, qui totidem ostia sunt, qua peccatum in animam potest introire. Non igitur satis est se ipsum uno in sensu mortificare, erga unum objectum, exempli gratia in visu, ne videamus ea, quæ concupiscere nefas est; verum etiam in rebus omnibus, quæ nos ad peccandum possunt impellere. 2. Jugis esse debet, affectus enim subinde renascuntur, & numquam omnino delentur; concupiscentia numquam prorsus extinguitur, & corpus, atque caro numquam hac in vita ita spiritui subjecta sunt, ut omnino sint ab iis defectionibus immunia: *semper mortificationem in corpore nostro circumferentes*. 2. Cor. 4. 3. Attamen austeritatem, & mortificationem, quæ per impositas sibi pœnas, & rigores exercetur, modus regat, & sapientis confessarii prudentia moderetur; illa enim congrua esse debet ætati, viribus, temperamento, statui, muneribus, potissimum vero præteritis flagitiis, austera, & pœnitenti vita expiandis.

II Cum Sanctus Paulus fideles hortetur, ut corpora sua offerant Deo hostiam viventem; ostendere possumus, per austeritatem, & mortificationem, quam in corpore nostro exercemus, fieri sacrificium, in quo tres illæ adsunt conditiones, quæ in Eucharistico inveniuntur sacrificio, quo filius Dei corpus suum obtulit Patri.

1. Sacrificium hoc voluntarium est. Ultro has exercemus austeritates affligentes corpus nostrum, eique subtrahentes eas voluptates, atque solatia, quæ nobis, saltem in omne tempus, interdicta non sunt. 2. Sacrificium est perpetuum, hoc unum cum Eucharistico discrimen habens, quod alterum quidem usque in finem sæculorum, alterum ad vitæ usque finem permanere debet; eodem enim semper indigemus. 3. Sacrificium visibile; hæc una est ex conditionibus in Christianæ religionis sacrificio requisitis; cum enim visibilis sit Ecclesia, & sine sacrificio esse non possit, necesse erat, ut non interna tantum offerret sacrificia, sed aliquod etiam esset visibile, & passim offerretur, non secus ac Eucharisticum. Hoc ipsum de quovis Christiano singillatim dicendum est, qui non intrinsecus tantum debet esse Christianus, sed publice fidem suam debet profiteri, offerens Deo corpus suum hostiam viventem per mortificationem, quæ illum Christianum esse extrinsecus debet ostendere.

Eidem insistentes similitudini sacrificii, quod de III
corporibus nostris Sanctus Paulus nos facere suadet: concionis divisionem desumere possumus ex tribus verbis ejusdem Apostoli ad Rom. 12. *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*

1. Hostia hæc vivens esse debeat ad differentiam aliorum sacrificiorum, ubi victima semel tantum moriebatur; sed corporum nostrorum hostia, quæ Deo per mortificationem offertur, sæpe mactanda est: vita manet, & mors vitiosis tantum affectionibus infertur. Ostendenda est sacrificii hujus iterandi necessitas, & quomodo hoc singulis momentis fieri possit. 2. *Hostiam Sanctam*. Ostendendum est, per mortificationem hostiam hanc sanctam fieri, hoc est, ab iis omnibus, quæ terrena, & prophana sunt, separatam: corpora nostra per eam supra naturam suam elevari, ac fieri quodammodo spiritualia, omnibus expedita sensibus, & spiritui in sanctissimis quibuslibet actionibus inservientia. 3. *Deo placentem*. Sacrificium hoc Deo mirifice gratum, & acceptum est; fit enim ex ea nostrum parte, quæ vulgo magis amatur. Hoc autem sanctissimus quisque facere consuevit, &c.

Vel ostendendum est, austeram, pœnitentem, IV.
mortificatamque vitam esse novæ legis sacrificium legis antiquæ sacris subrogatum, illisque longe præstantius, & aptius. 1. ad divinam Majestatem colendam, eique deferendum honorem, ita ut cum Salvatore dicere valeamus: *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*, ad Hebr. 10. Deo nostras sacrificamus voluptates, oblectamenta, solatia &c. 2. ad illius iram per hoc propitiationis sacrificium leniendam; & ex scripturis liquet, sceleratissimum quemque ad sibi impendentia Divinæ Justitiæ flagella evitanda, sese cilicio, ac cinere cooperire consuevisse. 3. ad aliquam gratiam, vel beneficium obtinendum, quemadmodum Sancti omnes consueverunt.

Ostendi potest, corporum sensuumque mortifi- V.
catio necessaria.

1. Ad eludendas exteriores objectorum, quæ nos ad peccandum sollicitant, illecebras: 2. ad propriam concupiscentiam, quæ in malum nos trahit, compescendam: 3. ad vitam Christianam

eo in statu, in quem à Deo vocati fuimus, ducendam.

VI. Tria omnino sunt necessaria, ut salvemur, atque in prædestinatorum numero recenseamur. Evitare peccatum, quod sola est æternæ damnationis causa: fideliter observare legem; alioquin enim nulla speranda est remuneratio: & tandem nosmet Dei filio similes præbere: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, ad Rom. 8. At sine corporis, sensuumque mortificatione 1. evitari non potest peccatum, in quod ipsum naturæ nostræ pondus rapit, & omnia fere creata pertrahunt. 2. servari nequeunt ea Christianæ legis præcepta, quæ affectionibus nostris adversantur, 3. haberi denique nequit perfecta similitudo cum filio Dei, cui prototypo nosmet conformare debemus.

VII. Primum, Christianus nominis hujus dignitati respondere non potest, nisi sese mortificationis exercitationibus dediderit; quoniam cum Christianam religionem amplexus est, hanc ille sibi necessitatem imposuit per baptismum pompas, voluptates vitæ hujus, & sæcularia abnegans desideria. Quomodo vero hoc præstare poterit sine mortificatione, quæ non aliud est, quam actualis exercitatio hujus abnegationis iis in occasionibus, quæ in singula fere occurrunt momenta?

Secundo, neque potest particularia sui status, in quo Divina illum constituit providentia, obire munera, eaque cum Christiani hominis officiis conciliare, si ferme jugis absit mortificatio.

VIII. Mortificatio necessaria est, 1. peccatoribus, qui agunt pœnitentiam, propter scandalum, quod præbuere, & malum, quod pravis exemplis peperere. 2. nec minus justis, ut innocentiam tueantur, & peccatum effugiant.

IX. Primum, mortificationis austeritas probat in nobis esse Jesum Christum, efficitque, ut vita nostra viva sit vitæ ejusdem imago, ut Apostolus 2. Cor. 4. inquit: *Mortificationem Christi in corpore vestro circumferentes, ut & vita Christi manifestetur in corporibus nostris*. Hac Deum glorificamus, eumque aliis tradimus cognoscendum: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Doctrinæ illius testimonium perhibemus &c.

Secundo efficit quoque, ut Dei filius nos pro veris fidelibus, pro discipulis suis, pro iis agnoscat, qui cum ipso crucem ejus deferunt, ut illum sequantur, & in electorum, & prædestinatorum ejus numero recenseantur, &c.

X. 1. Lex Evangelica, quam sumus amplexi, nos ad id adigit, ut voluptates fugiamus, vitamque duram, pœnitentem, & mortificatam agamus. 2. Dei filius, qui prototypus est, quem sequi, & imitari debemus, hujus nobis præbuit exemplum in omnibus vitæ suæ partibus, & sine hac nos ipsi placere nequaquam posse declaravit: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis*, ad Galat. 5. 3. Cœlum, quod petimus, hoc uno tantum pretio comparatur: *Regnum cælorum vim patitur*. Matthæi 11.

XI. 1. Per sensuum, corporisque mortificationem Christianus ostendit, se perfectam de se ipso referre victoriam; quia victoria hæc ad omnes animæ facultates, ad omnia desideria, & affectiones extenditur. 2. Hæc eadem mortificatio necessaria illatione illum victorem etiam constituit inimicorum omnium salutis suæ, qui illum superare non possunt, & quanam ex parte eumdem oppugnare debeant, nesciunt; quoniam ille omnes eorum conatus irritos efficit, & eludit.

XII. 1. Corporis mortificatio exercenda est, quia cum, ut corpori, atque corporis cupiditatibus satisfaceremus, peccaverimus; æquum est, ut justitiæ serviat, quod servivit iniquitati, ut loquitur Sanctus Paulus. 2. quia passim peccamus, ut sensuum ministerio, & ut corporis egestatibus provideamus, 3. quia semper in peccandi periculo versamur, & animæ nostræ salutem in discrimen adducendi pro corporis nostri commodo, & utilitate.

In illa Sancti Matthæi verba: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Cum sanctis Patribus, atque interpretibus hoc posito, quod hoc in loco anima pro corpore usurpata sit; pro concionis argumento, ac divisione desumi potest. 1. incompositum amorem, quo prosequimur corpus, verum esse odium, quo animam persequimur. 2. sanctum vero odium, quo corpus persequimur, verum esse amorem, quo animam primum, mox etiam & corpus prosequimur. XIII.

1. Homo nullum habet magis infestum salutis, æternæque beatitudinis suæ inimicum, quam corpus, cum illud mortificatio non domat, sed alunt deliciæ, & vitæ hujus voluptates. 2. sed vicissim cum jugi mortificatione spiritui paret, Christianus nullum præsentius habet subsidium ad virtutem, sanctitatem, atque æternam beatitudinem acquirendam. XIV.

1. Dei filius explicite mortificationem nobis præcepit imperans, ut nosmet ipsos odio haberemus, & crucem ferremus, neque aliud intelligit per illam abnegationem nostrummet ipsorum, quam nobis imponit. 2. Ejus perfectissimum nobis præbuit exemplum, quo omnis aufertur prætextus, & excusatio nostræ mollitiei, & ignaviæ. 3. Ipse illius nobis esse debet remuneratio, quæ res excitare nos debet, ut hac in vita aliquid corporibus nostris perferendum infligamus, ut hæc æternam in altera gloriam acquirant. XV.

Vita, quæ inter solatia sine mortificatione transigitur, vita Christiana non est, & in qua salutem nostram operari possimus. XVI.

1. Quia non est conformis Evangelio, quod illius norma est, & quod prorsus oppositum docet: 2. neque vitæ filii Dei, cujus fidelis imago esse debet vita Christiani. 3. neque hæc illa via est, quam Dei Filius nobis ostendit, ut in cœlum, qui finis noster est, perveniremus. *Hæc partitio desumpta est ex Auctore sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone* 18. *Adventus, de vita molli*.

Spiritus immortificationis, & mollitiei, qui in plerisque Christianis invenitur, tres habet obices ad salutem. XVII.

Primus est fuga, & odium cujuslibet generis pœnarum, ita ut illos cum S. Paulo ad Philipp. 3. vocare possimus, *Inimicos crucis Christi*.

Alter est amor earum rerum omnium, quas Deus reprobavit, hoc est gaudiorum, & voluptatum Mundi.

Tertius est animus omnia pro mundo efficiendi, patiendique, cum interim pro Deo nihil vel facere velit, vel pati. *Biroat*.

Mortificationem exercere debemus. 1. quia sumus Christiani; Christianismi enim gratia ad id nos impellit; hoc in baptismo recepimus, hoc professi sumus: *in hoc vocati estis*, S. Petrus Apostolus inquit: & omnia religionis hujus officia ex nobis mortificationem exigunt, sine qua adimpleri non possunt. 2. Illam exercere debemus, quia sumus peccatores, & fuimus; unde sequitur, nos peccata nostra expiare non posse nisi per pœnitentiam, quæ numquam caret mortificatione, & quemadmodum contraria contrariis curantur; quoniam per sensus, ac licentiam illis traditam peccavimus, ita per eorumdem sensuum mortificationem peccata expiare debemus. 3. Illam exercere debemus, quia dura, & difficilia munera nobis sunt adimplenda eo in statu, eaque in conditione, in qua nos Providentia constituit. *P. Nepveu tractatu* 8. *de Spiritu Christianismi*. XVIII.

1. Vivere secundum carnem, hoc est secundum incompositos appetitus, idem est ac mortem animæ inferre, illi gratiæ vitam auferendo. Hoc XIX.

San-

Sanctus Paulus testatur : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Obvia sunt argumenta, & in evangelicis dogmatibus communia. 2. E contra vero carnem austeritatibus mortificare, eique quamdam mortis speciem infligere per mortificationem, idem est, ac animæ vitam servare, & tueri per gratiam, quam obtinemus, & hac ratione servamus.

XX. 1. Mortificatio semper est necessaria, quemcumque vitæ statum amplexi fuerimus.

2. Multo magis necessaria est, ut religiosi status munera obeamus.

XXI. Mortificationis necessitas innititur : 1. necessitati expiandarum reliquiarum eorum peccatorum, quæ commisimus, licet veniam consecuti fuerimus: 2. necessitati convellendarum reliquiarum habituum pravorum, propter quas peccata revivisscere possent.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum systemata exornanda.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *l. de Agone Christiano* docet, carnis, sensuumque mortificationem viam esse vincendi tentationes dæmonis, & inferni pœnas evitandi.

Idem *l. de salutaribus documentis tom.* 3. ostendit vim, & potestatem carnis adversus spiritum, nisi illa mortificatione dometur.

Idem *l.* 3. *contra Julianum* hæc explicans S. Pauli verba ad Galatas ; *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, docet quanam in re, & quomodo caro sit mortificanda.

Idem in Pf. 75. hæc explicans verba : *Factus est in pace locus ejus*, docet in quo bellum consistat nobismetipsis inferendum.

Idem *l. de Continentia* longo sermone probat carnem spiritui submittendam.

Idem *Conc.* 25. *in Ps.* 118. hæc explicans verba; *Confige timore tuo carnes meas*, ostendit, quinam carnem suam crucifigant, & quomodo sit crucifigenda.

Idem *Serm.* 6. *de Verbis Apost.* docet, illos, qui carnem suam non crucifigunt, Deo placere non posse.

Idem *serm.* 77. *de tempore* hæc Psalmi 62. verba interpretatus: *in terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi*, loquitur de carnis, sensuumque mortificatione: *serm.* 45. *de tempore*; *tractatu* 51. *in Joannem*; *sermone* 10. *ad fratres in Eremo*, aliisque passim in locis, quos referre nimis esset operosum.

S. Hieronymus *Epist.* 2. scripta ad Heliodorum contra mollitiem eorum invehitur, quibus animus non est sequendi Jesum Christum, & austeram, mortificatamque vitam ducendi.

Idem in epistola ad Eustochium *de Custodia Virginitatis* ostendit carnis mortificandæ, spirituique subjiciendæ necessitatem, quod aliis terminis repetit *Epistola ad filias Gruntii*.

Idem l. 8. in cap. 25. Ezechielis docet, quantum intersit corpus spiritui subjicere.

Idem hæc explicans verba cap. 6. ad Galatas : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini*, ostendit hæc ab eo tantum dici posse, qui mortificationem exercet.

Idem in hæc alia S. Pauli verba : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt*, docet, corpora nostra, cum sint Jesu Christi membra, a nobis per mortificationem esse crucifigenda, ut capiti conformentur.

S. Gregorius Magnus l. 3. in cap. 6. primi libri Regum loquitur de mortificationis necessitate.

Idem lib. 9. moralium in 10. cap. Job cap. 40. docet, per mortificationem corpus non destruendum esse, sed domandum, & spiritui subjiciendum.

Idem l. 24. Moralium hæc explicans verba : *Deficiet omnis caro simul*, ostendit corporis mortificandi necessitatem.

Tertullianus in libro de pœnitentia plurima habet hujus argumenti.

Origenes homil. 3. in Leviticum docet utilitates, quas ex corporis mortificatione recipimus.

Idem homil. 1. in Psalm. 37. hæc explicans verba : *non est sanitas in carne mea*, docet, quam necessaria sit carnis mortificatio.

Idem in hæc Apostoli verba, *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, docet carnis mortificandæ necessitatem.

S. Basilius *Homil.* 6. *in Psalm.* 29. ostendit, quam periculosum, indignumque sit corporis mollitiem perquirere.

Idem fusius hoc persequitur argumentum Hom. 24. *ex variis*.

S. Chrysostomus pluribus in locis verba fecit de utilitate, ac necessitate mortificationis corporis, & sensuum, præsertim vero *in Homil.* 25. *Operis imperfecti super Matth.* Præterquamquod ad mortificationem referri possunt ea, quæ eit de pœnitentia, & quæ e nobis suo loco afferentur.

S. Bernardus sermone 6. de Adventu docet qualis esse debeat mortificatio Christiani, & quænam illius erit remuneratio.

Idem sermone 19. in Psalmum, *Qui habitat in adjutorio Altissimi* de illis loquitur, qui in id unum incumbunt, ut corporis sui delicias, & commoda inquirant.

Addi possunt Sancti Patres, qui de pœnitentia egerunt, & quos de hac virtute loquentes proferemus.

Cassianus, *Collect.* 24. *Instit. Spirit.*

Thomas e Kempis *Tomo* 2. *p.* 2. *Opusc.* 8. Ascetici.

Dionysius Carthusianus.

Bartholomæus de Martyribus *in Comp. p.* 1.

Henricus Harphius *de Theol. mystic. l.* 2.

Sanchez de Regno Dei, l. 5. c. 2.

Hieronymus Platus *c.* 15. 1. *part. de bono statu relig.*

Idem parte 2. cap. 12. hanc martyrii speciem esse docet.

Rodriguez part. 2. tract. 2. amplum habet de mortificatione tractatum, ubi hoc exhaurit argumentum.

Jacobus Alvarez tom. 2. l. 2. de hac re integrum edidit librum.

Arie in tractatibus Asceticis *tract.* 3.

Drexellius in Rosis Marianis *part.* 2. *c.* 10.

Pinelli *de perfect. l.* 3. *c.* 7.

Ludovicus Granatensis in Duce Peccatorum.

P. *Saintjure* l. 3. de Domini nostri cognitione, & amore c. 10. sect. 7.

S. Franciscus Salesius, introductione ad vitam devotam c. 23.

Rossignolius *de discipl. Christ. perfect. l.* 2. *c.* 9. *& sequentibus.*

Eusebius Nierembergius *l.* 3. *doctrin. Ascet. c.* 2. *&* 3.

P. Nepveu l. de Spiritu Christianismi tractet. 8. argumentum hoc sex capitibus persequitur.

Pater Surin tomo 1. Dialogorum Asceticorum cap. 3.

Paucos libros ad vitæ rationem instituendam spectantes invenies, qui hoc prætermittant argumentum. Inter cæteros eminet Abbas Trappensis tomo 2. de vitæ Monasticæ officiis.

Reina serm. 20. Quadragesimæ ostendit, quomodo corpus nostrum offerri possit acceptabile Deo Concionatores. sacrificium.

Biroat sermon. 11. Adventus ostendit mundi mollitiem ab Incarnatione, quæ est mortificationis mysterium, damnatam.

Idem de mortificatione agit in puncto secundo primi sermonis in Quadragesima, & puncto 3.

fermonis de Meditatione ferla quinta post quintam Quadtagefimæ Dominicam.

Auctor fermonam in omnia Ethicæ chriftianæ argumenta ferm. 18. Adventus loquitur de vita molli, & de fenfuum mortificationis neceffitate.

Idem tomo primo Myfteriorum fermone de Circumcifione, oftendit quemadmodum Dei filius Salvatoris hominum titulum in Circumcifione tantum fumpfit, ita nobis nullam fperandam effe falutem fine mortificatione, quæ illa eft Circumcifio, quam modo exigit a Chriftianis:

Idem tomo primo Dominicalis fermone pro quarta Adventus Dominica loquitur de pœnitentia, quæ auftera effe debet; quod mortificationi applicari poteft; quemadmodum plerique de pœnitentia fermones loquuntur de aufteritate, qua vetus pœnitens corpus fuum debet excipere.

Qui collectanea ediderunt.

Bufæus in *Panario. V. Immortificatio*.

Labatha *V. Mortificatio*.

Alii fub pœnitentiæ nomine collegerunt, quidquid ad hoc etiam pertinet argumentum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic Argumento.

QUi non accipit crucem fuam, & fequitur me, non eft me dignus. Matth. 10.

Qui invenit animam fuam, perdet illam; & qui perdiderit animam fuam propter me, inveniet eam. Idem, ibidem.

A diebus Joannis Baptiftæ ufque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ibid. cap. 11.

Qui voluerit animam fuam falvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam fuam propter me, inveniet eam. Ibid. c. 16.

Si quis vult poft me venire, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam, & fequatur me. Idem, ibidem.

Si quis vult me fequi, deneget femetipfum, & tollat crucem fuam, & fequatur me. Marci 8.

Qui voluerit animam fuam falvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam fuam propter me, & evangelium, falvam faciet eam. Idem, ibidem.

Si quis vult poft me venire, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam quotidie, & fequatur me. Luc. 9.

Qui non odit animam fuam, non poteft meus effe difcipulus. Idem, c. 14.

Qui amat animam fuam, perdet eam, & qui odit animam fuam in hoc mundo, in vitam æternam cuftodit eam. Joann. 12.

Si oculus tuus dexter fcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. 5.

Væ vobis, qui faturati eftis; væ vobis, qui ridetis nunc. Luc. 6.

Intrate per anguftam portam: quia lata, & fpatiofa via eft, quæ ducit ad perditionem. Matth. 7.

Quam angufta porta, & arcta via eft, quæ ducit ad vitam: & pauci funt, qui inveniunt eam! Idem, ibidem.

Hoc fcientes, quia vetus homo nofter fimul crucifixus eft, ut deftruatur corpus peccati, & ultra non ferviamus peccato. Ad Rom. 6.

Debitores fumus non carni, ut fecundum carnem vivamus. Si enim fecundum carnem vixeritis, moriemini: fi autem fpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Ibid. c. 8.

Nihil nunc damnationis eft iis, qui funt in Chrifto Jefu, qui non fecundum carnem ambulant. Ibidem.

Qui fecundum carnem funt, quæ carnis funt, fapiunt: qui vero fecundum fpiritum funt, quæ funt fpiritus, fentiunt. Ibidem.

Non regnet peccatum in veftro mortali corpore, ut obediatis concupifcentiis ejus. Ibidem, cap. 6.

Caftigo corpus meum, & in fervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipfe reprobus efficiar. 1. Ad Corinth. 9.

Semper mortificationem Jefu in corpore noftro circumferentes, ut & vita Jefu manifeftetur in corporibus noftris. 2. ad Corint. 4.

Chrifto confixus fum cruci. Ad Galat. 2.

Qui funt Chrifti, carnem fuam crucifixerunt cum vitiis, & concupifcentiis. Ibidem, c. 8.

Spiritu ambulate; & defideria carnis non perficietis. Ibidem.

Mihi mundus crucifixus eft, & ego mundo. Ibidem, cap. 6.

Ego ftigmata Domini Jefu in corpore meo porto. Ibidem.

Obfecro vos per mifericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veftra hoftiam viventem, fanctam, Deo placentem. Ad Roman. 12.

Carnis curam ne feceritis in defideriis. Ibid. cap. 13.

Multi ambulant, quos fæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chrifti: quorum finis interitus, & gloria in confufione ipforum. Ad Philipp. 3.

Adimpleo ea, quæ defunt paffionum Chrifti, in carne mea. Ad Coloff. 1.

Fidelis fermo: nam fi commortui fumus, & convivemus; fi fuftinebimus, & conregnabimus. 2. Ad Timoth. 2.

Mortificate membra veftra, quæ funt fuper terram. Ad Coloff. 3.

Chariffimi, obfecro vos tamquam advenas, & peregrinos abftinere vos a carnalibus defideriis, quæ militant adverfus animam. 1. Petri 2.

Propter te mortificamur tota die. Pfalm. 43.

Poft concupifcentias tuas non eas. Eccli. 18.

Exempla ex veteri, novoque teftamento defumpta.

PRimum mortificationis exemplum, quod in lege veteri occurrit, illud eft S. Patriarchæ Abraham, quem Sancti Patres nobis tamquam perfectum chriftianæ mortificationis exemplar proponunt; & facrificium illud, quo immolaturus erat Deo, quo nihil ipfi in terris erat jucundius, illud nobis repræfentat, quod indefinenter offerre tenemur carnis, fenfuumque noftrorum, qui noftram partem conftituunt. Audi quomodo S. Bafilius Seleucienfis loquatur de Sancti hujus Patriarchæ conftantia, cum filium fuum Ifaac erat immolaturus. Perveniunt uterque, ait ille, ad verticem montis Sacerdos fimul, & victima. Ara parata eft; filius manibus poft terga revinctis fuper eamdem collocatur, quin ne hifcere quidem audeat. Terribile fpectaculum! amor erga unigenitum, & amor erga Deum in patris corde decertant, uter polleat magis: Abraham vero, qui litis hujus conftitutus eft Judex, gladium arripit dextra, in gratiam amoris Dei fententiam pronunciat, eique victoriam adjudicat, & facrificium, quo unigenitum Ifaac Deo offerre paratus eft, hujus rei argumentum eft, æternumque erit monumentum. Quod autem Abraham femel, hoc nos toto vitæ tempore facere debemus. Imperium, quo ille filium fuum facrificare fuit juffus, Chriftianis omnibus irrogatum eft, ut jugulent in feipfis veterem hominem, & deftruant corpus peccati, quod eft concupifcentia carnis, concupifcentia oculorum, & fuperbia vitæ. Quamobrem veri fideles, qui ex illuftri hoc exemplo didicerunt, nullam fieri jacturam, cum nobifmetipfis, omnibufque rebus creatis morimur, nefciunt, quid fit miferatio cum agitur de carne, & affectionibus, quas fibi victimas depofcit Deus immolandas. Ipfi facerdotes funt fimul, & victimæ non femel, fed quotidie, fingulifque momentis; & perenni hoc facrificio Creatori, fupre-

Exemplum S. Patriarchæ Abraham.

supremoque Domino cum deferunt honorem, quem maxime cupit; videlicet per hanc mortificationem, quæ sibi evangelica lege præcipitur.

Exemplū David. Insignis est mortificatio David propter regiam illius dignitatem, ac propter actionem prorsus singularem, quam toto exercitu inspectante operatus est. Jam jam Philistinorum castra expugnaturus erat; sed cum labore defessus, pulvere conspersus, siti laborans testatus fuisset desiderium gustandi aquam de cisterna Bethleem, quamvis inde hauriri nullo modo posse videretur hostibus viam illam obsidentibus; statim tres strenui milites, qui illius exceperant vota, ab exercitu dilapsi, ac per hostium copias non sine ingenti vitæ periculo prætergressi galeam optata repleram aqua attulerunt. Verum Princeps pudore suffusus, quod modicum illud solatium tam pretiosorum capitum periculo fuisset comparatum, aquam gustare detrectavit, eamque, ut sacer Textus ait, libavit Domino in terram effundens: *Num sanguinem hominum istorum, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23.

Alterum David e xemplum. Idem Sanctus Rex satis exprimit austeritatem illam, qua in corpus suum desæviebat, non oblitus noxiarum voluptatum, quas contra Dei legem sibi permiserat, & peccatorum, pro quibus divinæ justitiæ sibi satisfaciendum esse credebat. Hæc ipsius verba sunt Psalm. 34. *Ego autem induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, anticipaverunt vigilias oculi mei*. Stratum suum lacrymis rigabat, cinerem miscebat cum pane, quo vescebatur. Ubinam hodie similes videntur in nequissimis peccatoribus austeritates?

Austeritates, quæ in vet. lege exercebantur. Satis est in Scripturis intueri genus vitæ, quod veteres prophetæ ducebant, atque Nazaræorum abstinentiam, ut liqueat in christiana religione vix pares fuisse. Similiter cum insignes aliqui peccatores Dei iram lenire voluerunt, memorat Scriptura, jejunia, cinerem, & cilicia ea fuisse instrumenta, quibus utebantur ad corpora maceranda, & hujusmodi pœnas ut plurimum fuisse sinceræ pœnitentiæ argumentum. Hoc præstiterunt Manasses, & alii, qui non meliorem noverant viam ad evitanda supplicia, quæ ipsis impendebant, nisi illa voluntaria austeritate prævenerent. Hoc quoque facere consueverant, qui insignem aliquam gratiam obtinere, vel funestam calamitatem declinare cupiebant; vel magnum aliquod facinus pro populi salute aggrediebantur, uti Judith, & Esther fecisse innotescit.

Exemplū Salvatoris mundi. Dei filius, qui Christianis tot tradidit mortificationis regulas, atque præcepta, illius quoque reliquit exempla quolibet in vitæ suæ statu, qualibet in occasione, & circa quodvis objectum: quod enim ad voluptatum fugam pertinet, in eo jugis fuit, atque universalis. Evangelium, ex quo illum plorasse intelligimus, non ait, illum risisse uspiam, nullum sumpsisse solatium, immo neque ullam ab omni licet suspicionis umbra abhorrentem animi recreationem sibi permisisse, ut spiritum, corpusve suum aliquando reficeret. Secundo quod ad sensuum, & carnis mortificationem spectat, quamvis illius caro esset purissima, ac perfecte spiritui subjecta, ideoque nullus eidem excidere poterit motus, qui coercendus esset; nihilominus durissima, & assidua austeritate seipsum mortificare non destitit; cum enim vitam suam in earum etiam rerum inopia, quæ ne pauperrimis quidem desunt, traduxisset; quibus cum doloribus eidem finem imposuerit compertum, atque exploratum est.

S. Jo: Baptistæ exemplum. Præcursoris Domini, magni Joannis Baptistæ vita hominibus adhuc austerior visa est; eaque illi Judææ totius universalem existimationem, & Sancti viri famam conciliavit, quæ requirebatur, ut Messiæ illud perhiberet testimonium, quod ab omni suspicione vacaret. Ita, ut Salvatori vias præpararet, hominibus prædicans pœnitentiam, quanam severitate hanc ipse exercuit, licet in matris utero sanctificatus nulla mortali labe umquam integritatem suam minuisset? Hoc solum patet, ipsum annos triginta in deserto vixisse, quin alium haberet recessum, quam specum, quin alios socios haberet, quam feras: nuda tellus ei erat cubile, & cœlum protectio, cameli corium durum, hispidumque illius erat indumentum, atque victum mel agreste, & quod inculta, & deserta terra ferre potest, præbebat: ita ut hac vitæ austeritate, ab omni mollitie abhorrente, mortales disposuerit ad recipiendum evangelium, atque Salvatori occasionem præbuerit dicendi, per ipsum novam legem cœptam fuisse, & regnum cœlorum, vi tantum rapi, hoc est labore, & mortificatione.

Apostolorum exemplum. Quod ad Apostolos attinet, satis est audire D. Paulum suos enarrantem labores, itinera, persecutiones, & quidquid passus est, ut suum obiret ministerium: & liquido innotescet, apostolicam vivendi rationem, quam ipse, aliique Apostoli secuti sunt, vitam fuisse, ut ipse ait, crucifixam, ab omni mollitie, & voluptate remotissimam: *In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate*. 1. Cor. 11. Igitur mortificatio quodammodo fuit gloriosi hujus muneris character; ad illud enim suscipiendum, utiliterque obeundum, oportet, quod fecerunt Apostoli, rebus omnibus sese expoliare, omnem affectionem relinquere, & penitus mundo mori, ut omnia suscipere, omnia pati, omnibusque periculis nosmet objicere valeamus: quod S. Paulus suo, aliorumque Apostolorum, & evangelii præconum nomine paucis verbis expressit: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis:* ad Roman 8. Juxta hoc exemplar sese conformarunt primi fideles, qui hoc pacto gestarunt, & glorificarunt Jesum Christum in corpore suo, quemadmodum Apostolus loquitur.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum.

Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato: ad Rom. 6. Verba hæc nullum magis aptum sensum admittunt, quam si de corporis, sensuumque mortificatione explicentur: neque enim sufficit mori peccato per dolorem ejusdem, & sacramentum, quo deletum fuit: quia, quemadmodum Apostolus loquitur, cum vetus homo noster crucifixus fuerit, ut corpus peccati destruatur, non debemus amplius imposterum servire peccato. Hinc S. Augustinus infert, tempus crucis, & mortificationis carnis illud esse, quo in nobismetipsis conamur destruere corpus peccati, & excidere hominem exteriorem; qui proprie totus est hujus vitæ cursus. *Ex Homiliis moralibus, homilia pro die Paschatis.*

Qui non odit animam suam &c. Luc. 14. Hæc verba quod nemo unus ignorat, de sensuum, & carnis mortificatione intelliguntur. In quæ S. Augustinus ait; hoc pacto agere, non esse propriam odisse carnem, sed illam amare, non malum, sed bonum eidem afferre; quia hoc est propriam illius corruptionem auferre, hoc est propria vitia corrigere, vulneribus suis mederi, eamque in naturalem ordinem, in quo esse debet, redigere. In statu innocentiæ opus non fuisset subigere carnem, quia spiritui obtemperasset; at non ita in statu naturæ corruptæ, in quo jugis esse debet mortificatio, quia jugis est concupiscentiæ defectio, & hæc mortificatio proprius est christianæ gratiæ effectus. *Ex eodem loco desumptum.*

Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. 9. Ars, & natura docent, arborem eo altius attolli, quo magis illius rami secantur, qui succum, ac vim ejus inutiliter dividunt. Hoc ipsum spiritui accidit, qui eo magis in cœlum attollitur, quo magis mortificantur sensus in terram eum detrahentes: si enim corpus, quod corrumpitur, aggravat ani-

animam secundum Sapientiæ effatum, nonne sequitur, animam eo magis attolli, quo magis a corpore expedimi? Si externos sensus bene dirigamus, S. Gregorius ait, internos motus, qui animam attollunt ad Deum, & efficiunt, ut Deus regnet in anima, regere possumus. *P. Dozenne in morali Jesu Christi*.

Nisi granum frumenti cadens in terram &c. Joann. 12. Jesus Christus est granum frumenti decidens in terram, ut ibi mortuum plurimos per mortem afferat fructus; verbum etenim divinum cecidit, ut ita dicam, in corpus terrestre, & mortale; corpus hoc mortale post illius obitum cecidit in sepulcrum; & hic homo Deus, qui cum gloria resurrexit, singulis momentis adhuc in terram corporum nostrorum decidit, ibi quodammodo moriturus. Hæc omnia mortis genera sanctæ vitæ in nobis fructum producunt; sed ut & ipsi cooperemur, ac illum producamus, necesse est, ut moriamur hunc sensuum vitam destruentes; quemadmodum frumenti granum novam recipere nequit formam, nisi priorem amiserit. *Idem*.

Quotidie morior: 1. ad Cor. 15. Christiani hominis epigraphes hæc esse debet S. Pauli: *Quotidie morior*, quotidie adlaboro, ut mihi moriar. Nemo est, qui hoc modo mori non possit sese aliquo pacto mortificans; nostræ valetudinis infirmitas, ætatis incommodum, temperamenti gracilitas nequaquam nos dispensant, quominus nostram reprimamus curiositatem, facetum aliquod verbum retineamus, sollicite, ac festinanter commoda nostra, atque delicias quæramus. Ita dicere possumus: *Quotidie morior*; nec solum quotidie, sed momentis omnibus assiduæ mortificationis exercitatione. Mortificatio per virtutem in nobis, id facere debet, quod mors per necessitatem. Mors nobis aufert usum sensuum nostrorum, bonorum possessionem, consanguineorum, amicorumque commercium; sed mortificatio ultro regit hunc usum, hanc possessionem, hoc commercium: ita ut hæc omnia christianam vitam in sanctæ mortis tyrocinium convertant. Immo hac voluntaria jugis mortificationis austeritate morti auferre possumus quidquid in illa magis funestum est, atque terribile. *Idem*.

Gladius ex utraque parte acutus. Apoc. 1. Mortificatio christiana gladius anceps vocari potest: 1. quia in spiritum æque, & in corpus, in affectiones, & in sensus exercetur: 2. in corpus vero peculiariter duplici exercetur modo, altero quidem negativo, illi periculosas interdicendo voluptates, altero autem positivo, voluntarias austeritates illi imponendo: 3. quia gladius hic pertingit usque ad substantiæ nostræ medullas, ut animam a corpore, ipsamque a seipsa sejungat: *Gladius ex utraque parte acutus*, *Biroat in Adventu de Mundi damnatione Sermone undecimo*.

Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, 1. Petri 2. S. Petrus per hæc verba innuit, Dei filium sacrificium suum quodammodo in omnes fideles extendisse, ut omnes essent, ut ipse, Sacerdotes simul, & victimæ. Et S. Paulus eodem in sensu addit, corpora nostra esse debere has victimas; *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*: ad Rom. 12. Quædam in his verbis oppositio deprehendi videtur; si enim victima debet mori, quomodo vivere potest? Sed Apostolus per hæc innuere vult discrimen inter vetera sacrificia, & ea, quæ in Christiana offerimus religione. In primis illis sacrificiis semper Sacerdos distinguebatur a victima, sed in christiana mortificatione idem, & victima simul est, & sacerdos quia ipse se offert, & immolat. Præterea victima, quæ in veteribus cæremoniis immolabatur, unam dumtaxat vitam habebat; ideoque non poterat simul illam & retinere, & amittere; sed Christianus servat naturalem vitam suam, mortem vero vitiis tantum, pravisque habitibus infert. *Hostiam viventem*. *Idem*.

Qui odit animam suam &c. Joann. 12. Animadvertite, quod Salvator non iram, sed odium exigit in corpus nostrum; ira enim quidam impetus est pertransiens, & numquam æquali agens vi; sed odium diu viget, constans est, & habituale. Non sufficit ergo irasci contra corpus nostrum, ac illud aliquando impetu quodam devotionis mortificare; sed constans, & generosum nobis esse debet consilium quibuslibet in occasionibus mortificationem hanc exercendi. *Idem*.

Pepercit Saul, & populus Agag. 1. Reg. 15. Plerique fidelium imitantur crimen Saul, qui a Deo jussus Amalecitas occidione delere, omniaque in ore gladii vastare, pepercit regi Agag, eumque vita frui, passus est. Volumus aliquo modo christianæ religionis officiis defungi, mortificamus id, quod minus interest, sed illi, quod caput est, parcimus; præsertim vero miseremur eorum, quæ ad carnem pertinent, tunc etiam cum nos illiciunt, ut perdant. A corpore incipiendum est, quod in rege Agag nobis exhibetur, qui in Bibliis *pinguissimus*, *& tremens* appellatur. *Ibidem*.

In Salomonis Templo duæ erant aræ, altera quidem extrinsecus, ubi victimæ jugulabantur, intus alia, & in sanctuario, ubi thura, & thymiamata adolebantur; concinna figura duplicis sacrificii, quod christiani Deo debent offerre. Nos sumus Domini Templa, quemadmodum testatur Apostolus; in interiori templi hujus parte, quæ spiritus est, precum nostrarum illi sacrificium debemus offerre, quas Scriptura quidem thus, atque thymiama nuncupat; in exteriori vero templi hujus parte, videlicet in corpore, oportet alterum Deo per sensuum mortificationem sacrificium offerre.

Isaias Propheta caput 44. Idololatram irridet, qui ex eodem ligno partem arripit ad alendum ignem, alteram vero ad idolum fingendum, quod veluti Deum ornat, & colit. At nonne hoc ipsum hodierna die plerique fidelium efficiunt? Anima, & corpus unum sunt totum, & unus homo. Hujus partem, quæ magis objecta, contemptibilis est, in idolum convertunt, quod veluti Deum venerantur: *Quorum Deus venter est*, ad Philipp. 3. Alteram vero partem igni tradunt æterno comburendam, quia nullam ejusdem curam gerunt.

In primo Judicum libro legimus, Deum Gedeoni insignem concessisse victoriam contra innumerabilem Madianitarum exercitum. Hic Dominici exercitus Imperator Dei jussu trecentos tantum ex omni numero delegit milites, quibus pro armis fictiles tradidit testas, in quibus lampades accensæ latebant, ut iis fractis ex mutua militum collisione, ignis, & lumen noctu appareret, terroremque injiceret hostibus. Hæc figura est illius prælii, quod contra infinitum hostium numerum, contra mundum, spiritusque tenebrarum nobis est deprælianduм. Gedeon ita recenti hoc stratagemate Madianitas perterruit, & illos tali confusione in fugam conjecit, ut sese mutuis vulneribus confoderent. Dicamus, hoc eodem stratagemate plures sanctos viros utiliter usos fuisse. Confregerunt, ut ita dicam, suum corpus, vas istud fictile insigni mortificatione, fractisque vasis, effulsit divinæ charitatis flamma, qua erant accensi; ita ut virtutum ipsorum nitor, & exemplorum lumen confuderit, penitusque deleverit hostes salutis eorum, mundum videlicet, carnem, & dæmonem, qui in eorum interitum conjuraverant.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

JUre ea fortitudo vocatur, quando unusquisque ipsum vincit, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur. Ambros. l. 1. Offic. c. 47.

Ca-

Caro, *id est corpus*, *sic crucifigitur*, *si desideria ejus coerceantur*. Idem.

Quod sævitiam æstimans, *gratia est*; *quia caro duris nutritur*, *& blanditiis enervatur*. Tertull. l. de Pœnit.

Voluptatem vicisse voluptas est maxima, *nec ulla major est victoria*, *quam ea quæ a voluptatibus refertur*. S. Cyprianus.

Habent sancti Viri hoc proprium, *ut quo semper ab illicitis longe sint*, *a se plerumque etiam licita abscindant*. Greg. l. 4. Dialog.

Cogitandum summopere est, *ut qui se illicita meminit commisisse*, *a quibusdam etiam licitis studeat abstinere*. Idem in Evang.

Non vis a Deo castigari nec in hac, *nec in altera vita? sis judex tui ipsius*, *rationes a te exige*, *te reprehende*, *& corrige*. Chrysost. in 1. ad Corinth.

Paulus castigabat corpus, *non ob solam castitatem*; *sed ut corporis castigatione erudiretur animus*, *& magis posset de virtutibus cogitare*. Hieronymus in Epist. ad Celantiam.

Justorum fortitudo est carnem vincere, *propriis voluntatibus contraire*, *delectationem vitæ præsentis extinguere*; *hujusmodi aspera pro æternis præmiis amare*. Greg. l. 7. Moral. c. 9.

Necesse est ut artem continentiæ sic teneas, *quatenus non carnem*, *sed carnis vitia occidas*. Idem, l. 30. Moral. c. 28.

Hunc hostem (*nempe corpus*) *habemus perpetuum*, *& fœderis nescium*. Chrysostom. Homil. 60. in Genesim.

Castiga corpus tuum, *& diabolum vincas*; *hoc enim modo Paulus adversus illum docuit esse pugnandum*. August. in 1. ad Corinth. c. 9.

Excrucio me, *ut ille* (*nempe Deus*) *parcat*; *do de me pœnas*, *ut ille subveniat*, *ut placeat oculis ejus*; *nam*, *& victima excruciatur*, *ut in aram imponatur*. Idem, de utilit. jejunii.

Omne opus leve fieri solet, *cum ejus præmium cogitatur*, *& spes præmii solatium est laboris*. Idem, Epist. 143.

Si repugnante corpore, *quod volumus facere non possumus*, *infirmandum carne est*, *ut optata faciamus*. Salvian. Epist. ad Cethur. sororem.

Christus non ex parte, *sed integer est crucifixus*, *ut nos ex toto moriamur peccato*. S. Anselm.

Hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, *quod & hostia dicitur vivens*, *quia vivis virtutibus*, *& est a vitiis occisum*. Idem, in Epist. ad Romanos.

Genus martyrii est, *spiritu facta carnis mortificare*; *illo nimirum quo membra cæduntur ferro*, *horrore quidem mitius*, *sed diuturnitate molestius*. Bernard. Serm. 30. in Cantic.

Docendus est homo sic habere corpus suum sicut ægrotum, *cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda*, *utilia etiam nolenti injungenda*. Idem, Epist. ad Fratres de Monte Dei.

Sic amet anima carnem, *ut non in carnem transiisse videatur*. Idem, Serm. 19. in Psalm.

Quid mirabilius, *aut quod martyrium gravius est*, *quam inter epulas esurire?* Idem, Serm. de omnibus Sanctis.

Ista charitas, *nempe parcere corpori*, *destruit charitatem*; *talis misericordia crudelitate plena est*, *quia videlicet ita corpori servitur*, *ut anima jugulatur*. Idem, Apolog. ad Guill. Abbat.

Quæ enim charitas est carnem diligere, *& spem negligere? qualis misericordiam ancillam reficere*, *& dominam interficere? nemo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam*. Idem, ibidem.

Noli o corpus! noli præripere tempora, *omnia tempus habent*; *patere at nunc anima pro se laboret*, *magis autem collabora ei*, *quoniam si compateris*, *& conregnabis*. Idem, Serm. 6. de Adventu.

Simus nos crudeles, *non parcendo*, *scilicet corpori*, *& vos plane parcendo crudeliores*. Idem, Serm. 10. in Psalm. Qui habitat.

Homo Dei, *ne trepides exterere hominem illum qui de terra est*, *qui te deprimit usque ad terram*, *& conatur deprimere usque ad inferos*. Idem, Epist. ad Fugerium sancti Dionysii Abbatem.

Quanto magis corpus oneratur, *tanto amplius animus exoneratur*. Idem, in Sent.

Quod periculosius est, *hostem nostrum*, (*corpus*) *ipsi cogimur sustentare*, *perimere eum non licet*. Idem.

Servorum Dei proprium est non solum carnales sensus per disciplinam restringere, *sed etiam per mortificationem extinguere*. Richardus a sancto Victore super Genes.

Si vis perfectam habere Philosophiam, *omnibus abstineas*, *omnia sustineas*. Lib. 3. de Imitatione Christi c. 25.

Quanto caro per afflictionem magis atteritur, *tanto spiritus amplius roboratur*. Idem, lib. 2. c. 12.

Si temetipsum perfecte viceris, *cætera facilius subjugabis*; *perfecta victoria est de semetipso triumphare*. Idem, l. 3. c. 53.

Tantum proficies, *quantum tibi ipsi vim intuleris*. Idem, c. 25.

Tantum virtuti adjicies, *quantum voluptati detraxeris*. Senec. Epist. 113.

Accendamur ad pœnitentias, *fratres*, *ut durissimum possimus evadere judicium Dei viventis*. Sanct. Bernard, in Sermone de Sancto Joanne Baptista.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc Argumentum referri possit.

MOrtificatio, si generatim spectetur, libera est, ac voluntaria animæ a voluptuosa vita separatio; abnegatio est illicitarum voluptatum, & sæpissime earum etiam, quæ, quamvis liceant, nihilominus ad vitium aliquod aditum possunt aperire. Corporis, vel carnis mortificatio magis peculiariter consistit in voluntaria sensibilium voluptatum privatione, sive prohibitæ sint, sive secus, & in austeritate, quæ in corpus exercetur, illi eas infligendo pœnas, quas ipsi nobis imponimus, ut placeamus Deo, vel ut a peccato nosmet arceamus. *Mortificationis definitio.*

Austeritas vitæ, quam ad hunc finem consectamur, seu nobis ea interdicentes solatia, quibus Indulgere, seu illa abnegantes commoda, quibus frui possemus, variis nominibus in Scripturis, & a Sanctis Patribus appellatur. 1. Vulgo dicitur *Mortificatio*; non enim est integra, & perfecta mors animæ iis omnibus, quæ mundana sunt, & voluptuosa; sed certamen est, & conatus, quem exercimus, ut iis moriamur, videlicet, ut ab iis omnino separemur: 2. Vocatur *abnegatio sui ipsius*, juxta illud Salvatoris Matth. 10. verbum: *Abneget semetipsum*; efficit enim, ut immoderatam corporis nostri curam relinquamus. 3. *Circumcisionis* etiam nomen illi tribuitur; ita enim a S. Paulo nuncupatur. 4. Dicitur etiam odium sui ipsius juxta illa Jesu Christi Joan. 12. verba, quibus hæc nobis austeritas imperatur: *Qui non odit animam suam*, *non potest meus esse discipulus*. 5. Vocatur etiam vis, quam sibi quisque infert, juxta illud Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur*, *& violenti rapiunt illud*. 6. Denique Crux appellatur: *Qui non accipit crucem suam*, *& sequitur me*, *non est me dignus*. Matth. 29. Nonnumquam etiam mors dicitur, quia mortis est species; prohibet enim, ne secundum naturæ nostra studia operemur. *Varia nomina, quibus hæc austeritas appellatur.*

Sensuum voluptates prima sunt mortificationis objecta; illas enim tollere, moderari, ac regere studet secundum cujuslibet statum, & perfe- *Quodnam sit mortificationis objectum.*

ctionem. Secundo studet naturæ nostræ impetus coercere, sensibusque invigilare, ad omnia eorum vitia coercenda, & denique carnem ad eam submissionem, quam spiritui debet, redigere; illi frænum injicere, ubi rebellat, atque captivam tenere, ubi vult dominari. Quibus addi etiam potest illius finem esse nosmet iis subjicere laboribus, qui nostræ conditioni, statui, muneri adhærescunt, & iis omnibus, quæ necessaria sunt, ut rite nostris perfungamur officiis. Nos cogit, ut ultro nosmet submittamus iis crucibus, quæ ea creaturarum injustitia procedunt, quales sunt persecutiones, calumniæ, contumeliæ, & ut sine querela eas patiamur, quæ a divina justitia proficiscuntur, quæ creatis utitur rebus, ut nostri periculum faciat, & puniat, exempli gratia, anni temporum injurias, morbos, vel diuturnitate molestos, vel doloribus graves &c.

Mortificatio exterior ad interiorem acquirendam prodesse debet.

Hoc autem in argumento illud præ cæteris animadvertendum, sciendumque est, exteriorem mortificationem non aliud esse, quam viam quamdam ad interiorem acquirendam, quæ in affectionum mortificatione consistit, quæ res proprie sanctitatem constituit; tandem enim corporeæ austeritates, nisi eo tendant, ac sint cum spiritus mortificatione conjunctæ; neque magnum habent meritum, neque magnam utilitatem; quin immo gravissimis patent illusionibus, quarum periculosissima est arbitrari, omnem sanctitatem, & perfectionem in hoc esse positam, quamquis hæc via tantum sint, qua ad sanctitatem aditus pateat, vel ad summum, leve tantum sit sanctitatis indicium, quod esse potest æquivocum. Hinc Theologi mystici, asceticæque vitæ magistri docent: 1. exercendam quidem esse corporis mortificationem, sed tamquam medium aliquod ad perfectionem, spiritus videlicet, acquirendam: 2. æstimandam in exercentibus illam; nos vero, si eamdem exerceamus, non ideo sanctiores, perfectioresque a nobis esse ducendos; 3. neque pertinacites esse exercendam, ita ut illam nulla ratione adacti relinquamus, vel intermittamus, cum nullam nobis necessitatem imponat; accidere enim potest, ut obedientia, charitas, urbanitas aliquando jubeant, agendi rationem mutari.

Quid faciendum illis, qui magnas mortificationes nequeunt exercere.

Qui austeram vitam ducere nequis, non ideo spem debet amittere ad sanctitatis perfectionem perveniendi, dummodo ejus infirmitas in mollitiem non migret; verum Deo gratias agere debet ob eam facultatem, quam aliis elargitus est, sequendi Jesum Christum in duræ, & pœnitentis vitæ ratione; ac seipsum tanto hoc favore indignum existimans sese coram eodem humiliet, ea faciens, quæ illius vires patiuntur. Non omnibus datum est æquo gradu, eademque ratione ad Deum se conferre. Unusquisque id spectare debet, ad quod vocatus est, & in aliis revereri, quod supra vires, & facultatem suam esse cognoscit.

Cur vita nostra in mundo jugis esse debeat mortificatio.

Mortificatio necessaria est ad gratiæ vitam in nobis servandam; ad id enim prohibendum est, ne peccatum reviviscat, quod liquido patet. Quid autem efficit, ut reviviscat peccatum? vita carnis, & sensuum; hæc illa vita est, quam vult Deus, ut manibus nostris nobismet auferamus, & quam unusquisque sibi potest auferre, quin sibi mortem consciscat. Tota evangelica doctrina huc tantum spectat, ut in nobis occidamus vitam carnalem, quæ efficit, ut animæ Deo moriantur, ut destruamus corpus peccati, ut in nobis concupiscentiam extinguamus, vel coerceamus. Hæc cædes in nobis, mors hæc voluntaria, quæ nostris aufert animalibus omnes voluptuariæ vitæ sensus, animam ad eminentem dignitatem attollit, videlicet illam perfectam Jesu Christi imaginem efficis. Verum cum concupiscentia, quæ radix est peccati, semper in corruptæ naturæ substantia vivat, nequaquam corporeis afflictationibus eam conamur extinguere; quippe semper reviviscere; & simul affectiones omnes, quas mortuas existimamus, renascuntur. Possumus quidem inire consilium mundo, & nobismetipsis moriendi, hoc ita perficere nequimus, ut in vita, & actionibus nostris aliquid veteris fermenti nequaquam permaneat. Quid ergo faciendum? Semper decertandum est, & totis viribus adnitendum, ut eradicetur per mortificationem hæc sensibilium bonorum cupiditas.

De modo in corporis mortificationibus servando.

Non admodum facile est justum rebus in omnibus servare temperamentum, in iis vero præsertim, quæ ad corporis curam pertinent. Voluptas sensim sub necessitatis colore obrepit, & amor proprius ad id varias gerit personas, modo medici pro valetudine, modo directoris pro conscientia. Nobismet igitur fidendum non est, sed eorum adhibendum consilium, qui conscientiam nostram moderantur. Illud vero maneat alta mente repostum; iis, qui perfecte Deo volunt adhærere, ac omnino sese illius devovere servitio, corporum quidem minimam, animarum verum maximam curam esse gerendam. Neque ideo putandum est in iis, quæ ad corpus attinent, nullam esse discretionem adhibendam, ne, cum carnem castigare vis, tuæ valetudini officias, & corpus nequeat amplius opem ferre animæ, ut suo serviat Creatori. Æquum est, in teipsum severissime animadvertere, ne in Dei viventis manus incidas; verum ne quid nimis fiat, quod majus aliquod bonum prohibeat. Præterquamquod immodica severitate virtutis jugum efficiendum non est adeo grave, ut animabus infirmis illius excutiendi libido suboriatur.

Ordo in exterioribus mortificationibus servandus.

In mortificationis exercitatione ordo servandus est; & hic ordo est, ut incipiamus nosmet in iis rebus superare, quæ extrinsecus accidunt ex nimia eorum severitate, quibus subditi sumus, & qui imperiosius in nos sua auctoritate abutuntur. Inde gradus faciendus est ad ea; quæ sunt necessaria, videlicet ad observantiam earum rerum, quas præstare tenemur, & quas divinæ, & ecclesiasticæ leges nobis præscribunt, vel quas illi jubent, quibus imperandi jus est, quamvis illas exequi non sine aliquo naturæ detrimento valeamus. Deinde ad ea, quæ nobis permissa sunt, gradus faciendus, atque ad virtutis hujus incitamentum ab illis abstinendum est. Denique nobismetipsis pœnas, & corporales austeritates statui, viribusque nostris pares imponere debemus, puta jejunia, cilicia &c.

Carnis mortificationes necessariæ sunt ad tentationes vincendas.

Satis crebro accidit, ut mortificationes carnis, austeritates, & jejunia omnino sint ad tentationes superandas, earumque vim infringendam, necessaria; sive necessitas hæc ex corpore nostro procedat, cujus vires imminuendæ sunt, ut minus nocere, minusque ad peccandum valeant sollicitare; sive ex parte Dei, a quo gratiæ nobis obtinendæ sunt, ut de hostibus nostris referamus triumphum, quod vulgo obtinere non possumus, nisi precibus nostris voluntariæ hujusmodi mortificationes accesserint.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Mundani corporis mortificationem perhorrescunt.

Mundi amatores adeo delicato sunt ingenio, adeo sensuum voluptatibus dedito, adeoque a minimis etiam christianæ religionis austeritatibus alieno, ut ne nomen quidem earum pati possint. Eas respiciunt tamquam mortis umbram vitæ voluptatibus funestam. Se se illis opponunt; & nisi eas de medio tollere valent, in eos saltem irascuntur, atque succensent, qui ipsos iisdem subjicere velint...... Hæc autem mundanorum mollities consistit in habituali quadam dispositione, propter quam nequeunt, hoc est, nolunt aliquid, vel pro Deo, vel pro animarum suarum salute pati, sive hoc proficiscatur

ex

Æx inordinato amore carnis suæ, cujus passim idololatræ sunt, sive inde oriatur, quia spiritualibus rebus, vel fidei objectis minime afficiuntur, sive etiam ex falsis mundi placitis, quibus mordicus adhærescunt, proveniat; sed quæcumque sit causa, omnia prætextuum genera inquirunt, ut se ab iis dispensent officiis, quæ a Christiana professione separari non possunt. *Biroat sermone undecimo Adventus, de Mundi damnatione.*

Dispositio, in qua fidelis quilibet esse debet, mortificationis exercendæ.

Christiani statim generosam concipere debent mentem, & in corde suo quamdam habitualem efformare dispositionem assumendi, ac perferendi omnes sensuum mortificationes, quæ necessariæ essent ad obeunda omnia Christianæ religionis munera, tot linguis, quot habent, vel animæ facultates, vel corporis sensus Salvatori dicentes, quod olim S. Petrus: *Tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*. Luc. 22. Adeundi ne sunt tenebricosi carceres, ut miseris, qui ibi io compedibus gemunt, solatium, vel xenodochia, ut ægrotantibus subsidium aliquod afferatur? tristium horum locorum squalor, & hominum miserrimorum adspectus, quos natura tantopere perhorrescit, me non prohibebunt; animi mei ipsam superabo repugnantiam, etiam si illis potum, & escam præbere oporteret: *Tecum paratus sum* &c. Hæc spiritus præparatio est veluti sacrificium iotenius Deo acceptissimum, & per se meritorium, licet etiam opere non perficiatur; & alioquin necessaria est, ut nos disponat ad praxim mortificationum, cum sese obtulerint occasiones. *Idem.*

Christiani mortificatio jugis esse debet.

Inter legis antiquæ, & Christianæ religionis sacrificia hoc intercedit discrimen, quod in prioribus illis cæremoniis victima semel tantum mori poterat, atque cum immolabatur, & vitam, & doloris sensum simul amittebat: & ita una tantum mors tantum consummabat sacrificium. Verum in Christiani mortificatione aliter accidit; cum enim hæc moralis tantummodo sit mors, & naturalem non auferat vitam, sed pravas dumtaxat actiones auferat, quin illa evellat principia, unde oriuntur, dici potest homo quodammodo sui ipsius esse superstes, ut spiritualis mortis hujus dolores sentiat, & ut pluries moriatur. Hinc sequitur, quod sacrificii hujus perfectio consistit in harum austeritatum continuatione, & in multiplicis, iterateque mortis serie, quæ totam Christiani vitam comitari debet, ut Jesu Christo dicere possit, quod dicebat Apostolus ad Roman. 8. *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis. Idem.*

Mortificatio, martyrio potest comparari.

Ultimus Christianæ fortitudinis conatus est ferre martyrium: at sæpe ad martyrem efficiendum unum dumtaxat horæ quadrans sufficit, ac tormenta, quæ generositatis illius objecta fuerunt, omnia intra modicum hoc temporis spatium congregata fuerunt. Sed cum martyrium, & sacrificium hominis Christiani in omnem illius vitam quodammodo effusum sit, peculiari opus est constantia, quæ, ut ita dicam, totam austeritatum extensionem amplectatur, ita ut neque earum diuturnitate fatigetur, neque earum multitudine deterreatur. *Idem.*

Quomodo unusquisque seipsum excitare debet ad ea perferenda, quæ in Christianismo ardua sint.

Ne Christiana mortificatio nos terreat, illud nobis adhibendum consilium est, quod Tertullianus præbebat martyribus, ut eos contra mortis metum confirmaret: *Colloquatur spiritus cum carne de communi salute*. Christiani spiritus cum propria carne disceptet, duplicique lingua loquatur, altera quidem, qua illi neget, quod illa cupit, altera vero ut illi persuadeat, quod illa minime vult. Caro sollicitat spiritum, ut suis consentiat tentationibus, sibique hanc voluptatem, & oblectationem permittat: *Colloquatur spiritus*: Spiritus se nolle respondeat, & ne prætergrediatur, prohibeat. Austeritas aliqua exercenda est: vellet quidem caro se ab hac severa necessitate dispensare: *Colloquatur spiritus cum carne*: Spiritus imperanti voce carni præcipiat, ut has perferat mortificationes tamquam communi saluti, & utriusque felicitati necessarias. *Idem.*

Difficultates, quæ mortificationes exercentur.

Mortificationis exercitatio difficilis est, quia sensibus austera est, & corruptæ naturæ affectus lacessit. Amor, quo brutalem hanc nostri partem complectimur, illius suscipit causam contra religionis officia, efficitque ut metuamus crudelem virtutem, quæ, tamquam hostis, sit procul arcenda. Nos vero adeo fallax, & iniquum judicium ferimus, quia hæc mortificationis severitas potissimum in duplici austeritatum genere consistit; quarum altera austeritas est privationis, quæ a sensibus amovet illegitimas voluptates, & sæpe etiam legitimas, cum earum afficiuntur illecebra; altera austeritas est positiva, quæ eosdem sensus affligit ad prævertenda, vel inhibenda flagitia, quæ eædem voluptates parere possent. *Idem in Quadragesima sermone secundo pro die Cinerum.*

Cum corpus fuerit particeps peccati, pœnas luere debet illius per mortificationem.

Cum corpus sit particeps, & minister scelerum, quæ cor meditatur, opus est, ut particeps quoque supplicii fiat per mortificationem, & austeritatem, quæ flagitiis ejusdem congrua esse debet. Attamen vos ipsi ad examen revocate, o fideles, quid in vita vestra austerius, aut mortificatius, quam antea inveniatur. Hæc omnia commoda, atque deliciæ tanta sollicitudine ab amore proprio conquisitæ, omnes illæ exceptiones, quæ in criminosorum affectuum fractura reservantur, superflui ornatus, quos quilibet sibi permittit, consuetudines, quæ tunc solum culpa vacare videntur, ubi cum præteritis flagitiis comparantur, secretæ obmurmurationes contra severitatem legis, qua nobis prohibentur ea, quæ adhuc concupiscimus, affectiones, eo magis periculosæ, quo magis auferunt Deo cor, quod ille petit ex nobis. Quid! summa sollicitudine sibi contra tempestatum rigores præcavere! Ob levissima incommoda jejunia ab Ecclesia præscripta infringere! Brutalem, apertamque libidinem in magis delicatam, industriamque voluptatem convertere! Denique omnem vitæ reformationem ad exteriorem officiorum praxim redigere nullo pœnitentiæ, vel mortificationis spiritu animatam, hæc ea sunt, quæ conciliari nequeunt cum virtute, quæ & peccatum, & quidquid peccato accedit, odit, & execratur: *Specimina Sermonum in Dominicas, quarta Adventus Dominica.*

Mortificationis actus a fidelibus exercendi, quos Scriptura non docet.

Somno cum modo indulgere, & sobrie vesci, modestis vestibus uti, ac temperanter sese recreare, inutilibus colloquiis nequaquam dissipare mentem, spectaculorum vanitatem fugere, periculosa evitare solatia, ovium circumstantiæ linguæ, oculis, sensibusque apponere, carnem jejuniis, precibusque spiritum macerare, in domum luctus frequentius, quam convivii se conferre, dolorosa Dominicæ passionis mysteria meditari, Jesum Christum in membris ejus iovisere, consolari, eique opem afferre, hæc, o fideles, idea est internæ circumcisionis, quæ in lege gratiæ non minus est necessaria, quam in lege Moysis exterior fuerit circumcisio. Omnes evangelii paginæ repletæ sunt rationibus veritatem hanc comprobantibus. Mundi Salvator affirmat, eum, qui crucem suam non gestaverit, ipsius non esse discipulum. Apostolus ait, viduam in deliciis viventem mortuam esse; docet membra nostra, quæ sunt super terram, esse mortificanda, ipse corpus suum severe castigat, & redigit io servitutem, & declarat omnibus Jesu Christi discipulis, carnem suam cum concupiscentiis esse crucifigendam. *Idem Sermone pro die Circumcisionis.*

De Christianismi circumcisione.

Quid est Christianismi circumcisio; & quid se circumcidere? Est seipsum armare gladio sanctæ severitatis evangelicæ, ad præstandum nonnumquam per sensibiles austeritates in carne, & semper per invisibiles impressiones in anima id, quod in quadam corporis parte gladius circumcisionis operabatur. Se circumcidere, Sanctus Augustinus ait,

ait, est incompositos carnis motus domare, indesinenter contra seipsum decertare, cupiditati sensim id subtrahere, quod in ipsa magis vividum est, & acre; divortii spiritum inter se, & sensus statuere, & imitari Josephum, qui, ut nefarias impudicæ mulieris artes eluderet, secum cor suum abstulit, eique pallium reliquit. Se circumcidere, S. Prosper ait, est bonorum hujus mundi perfruitionem ab usu, affectum a possessione separare; seorsim vitæ hujus bona, & cor suum sejungere, quin illa mutuo adhærescant; vivere instar viatoris, vel potius mortui, semper inter honores humilem esse, inter gaudia mortificatum, inter solatia moderatum, pœnitentem inter voluptates, pauperem, rebusque omnibus egentem inter divitias. Se circumcidere, secundum S. Pauli doctrinam est, esse in mundo, & mundi spiritum non habere; rebelle corpus in servitutem redigere, & in peccatrici carne Salvatoris stigmata circumferre: est, secundum ipsius Jesu Christi dogma, crucem suam bajulare, & ea omnia, quæ possidentur, relinquere, ut discipulis illius adnumerari possimus. *Idem in speciminibus pro Adventu, Sermone de Circumcisione.*

Mortificatio, & austeritas Christiana species est martyrii.

Martyrium fidei adhæret; cum enim omnis Christianus esse debeat testis veritatis, debet quoque simul martyr esse religionis; saltem ex animi sui dispositione, nisi re ipsa cruciatuum, & suppliciorum passione fit martyr. Quamobrem Tertullianus ait, eos, qui Jesu Christi fidem amplectebantur, sibimetipsis simul imposuisse necessitatem subeundi martyrii, ut illam propugnarent. Non deest, S. Augustinus ait, martyrium, quod fit sine sanguinis effusione: *Martyrium est sine sanguine.* Martyrium hoc consistit in constanti, certoque animo sui sanguinis effundendi, si res posceret, potiusquam religionis nostræ honorem lædendi, & evangelicas leges violandi: *Sub hujus pacti conditione in ecclesiam ingredimur.* Sed altera non deest species martyrii, S. Augustinus ait, concupiscentiæ videlicet, & affectionum mortificatio: *Libidinem frangere, iram mitigare pars martyrii est.* At hoccine animo estis, fideles, ut mortem potius obire velitis, quam hanc vobis licentiam permittere, quam impuræ cogitationi consensum præbere? &c. *Ibidem tomo eodem, Sermone de fide.*

Nomen, & qualitas Christiani mortificationis necessitatem nobis imponunt.

Omnia nomina, quæ ab evangelio christianis deferuntur, satis ostendunt, illis in jugi sensuum mortificatione esse vivendum. Christianus modo appellatur crucifixus, modo homo mortuus, & modo viator; sed quocumque in statu consideretur, patet, illi christianam mortificationem esse quam maxime necessariam. Primum ex his nominibus parumper consideremus. Homo crucifixus a terra sublatus est; oculos habet, at nihil videt eorum, quæ alios perstringunt; manus habet, sed immobiles; cor habet, sed sensibus carens, mortuus homo externam dumtaxat hominis habet speciem, at neque spiritum habet, neque cor. Admirabilis veri Christiani figura; a terra sublatus est, sensus illius sensu carent, nulla re afficiuntur, nulla moventur &c. *Idem prima Quadragesima Dominica.*

Exterior mortificatio semper interiori debet esse conjuncta.

Omnes externæ mortificationes irritæ sunt, nisi interior accesserit mortificatio. Frustra corpus jejunio affligatur, nisi spiritus quoque humilitate subigatur. Christiana virtus alteri opposita esse non potest; severitas charitati nequit adversari: ita vitæ probitas, quæ me replet acrimonia adversus proximum meum, procedit ex interiori improbitate, propter quam omne illius meritum amitto, ac me dignum præbeo eadem exprobratione, qua Jesus Christus olim Scribas, & Pharisæos increpabat, qui externas legis cæremonias summa officii fide servabant, cum interim omnem legis spiritum prorsus negligerent; cum enim charitas sit plenitudo legis, omnia religionis exercitia, omnes vitæ austeritates in nobis majorem inflammare debent charitatem. *Idem Sermone pro decima septima post Pentecosten Dominica.*

Quid sit mortificatio Christiana.

Christiana mortificatio est mors illa spiritualis, quæ nostras disponit animas, ut ad gratiam reviviscant; hæc efficit, ut sensibus, affectionibus, & mundo moriamur, ac in eum statum adducit, ubi gloriosam vitam iterum incipere valeamus. Neque putandum est, S. Chrysostomus inquit, per martyrium unice nos mortem Jesu Christo jucundam, acceptamque subire posse. Alter adest ignis, per quem Deo tamquam victimam nos offerre possumus; ignis, exempli gratia, voluntariæ paupertatis, ignis ærumnarum tum earum, quæ a Deo immittuntur, tum earum, quibus propter Dei amorem nosmet ultro subjicimus. Et profecto posse in deliciis, comessationibus, & luxui versari, & pro hac molli, & voluptuosa via eligere vitam austeram, difficilem, & mortificatam, nonne hoc est offerre Deo verum holocaustum? Mortificate igitur, & crucifigite corpus vestrum, & hujus generis martyrii coronam recipietis. *Idem tomo quarto, Sermone pro Dominica Paschatis.*

Mortificatio est species mortis.

Spiritualiter mori est abrenunciare mundo, & ab eo sin minus corpore, animo saltem recedere; omnium visibilium, terrenarumque rerum affectum exuere; denique spiritualiter id esse, quod mortui reipsa sunt, hoc est, non affici ulla re, quæ in terris est, & nullam inordinatam habere affectionem. Christianismi Philosophia, S. Chrysostomus inquit, in eo posita est, ut mundum tamquam nobis mortuum spectemus, & nos ipsos tamquam huic eidem mundo mortuos consideremus. Hujus rei nobis in seipso exemplum præbuit Apostolus ostendens, se non solum rebus terrenis non magis affici, quam viventes homines mortuis afficiantur corporibus; verum etiam non magis quam mortua corpora aliis mortuis corporibus afficiuntur. Hæc est S. Joannis Chrysostomi sententia. *Idem.*

Insignis sanctitate viri austeritates & mortificationes.

Mirum esse non debet, si cum jejunium quovis tempore adeo mirabiles effectus pepererit, felices obtinuerit effectus in sancto hoc viro, qui cum eidem ab infantia assuevisset, in eodem usque ad mortem se exercuit. Huic adjecit vigilias, cilicia, severissimas austeritates; sciebat, christianam mortificationem non solum patratorum scelerum esse remedium, sed præsentissimum etiam antidotum ad ea præcavenda, quæ possent patrari; eum, qui se mortificat, non expiare tantum illa, quibus nos humana fragilitas subjicit, verum etiam infirmare imperium concupiscentiæ, quod in nobis ad mortem usque roboratur. Cæterum bonus hic Pastor Jesum Christum prototypum suum imitabatur, cum licet sanctus, & innocens Deo suas offerebat austeritates, ut populi sui scelera expiaret, quemadmodum Jesus Christus eadem sanctitas, & innocentia, ut mundum salvaret, sese in crucem obtulit Patri. *Idem in specimine Panegyricorum, Panegyrico S. Nicolai.*

In quo & quomodo exercenda sit mortificatio.

Ut sciamus, quanam in re christianam mortificationem exercere possimus, sciendum est, in mundo alias esse res, quibus uti hominibus fas est; alias, quibus uti nefas; alias, quas ipsi inquirimus, & quæ nobis bona videntur; alias, quas fugimus, & quas in malorum numero recensemus. Fidelis autem, primum observare debet, quænam sint hujus mundi res, quarum usus sibi interdictus est, ut ab illis prorsus abhorreat; secundo, animum suum ab iis etiam rebus debet avellere, quibus uti potest, & quas retinere piaculum non est; tertio seipsum præparare ad recipienda de manu Domini omnia mala, quibus illi placuerit vitam perturbare, quin ulla umquam audiatur querela de iis casibus, quæ studiis ipsius maxime adversantur: Sed præterea seipsum mortificare debet in rebus plurimis, quarum usus permissus est, corpus suum voluntariis affligens austeritatibus, ut duram, austeramque vitam, quam Jesus

Chri-

Christus dixit, imitetur. *Lambert in anno evangelico tomo 6.*

De mortis spatium imminuendi per austeritates.

Quamquam veteres solitarii, atque alii plurimi sanctitate præstantes viri hunc non habuerint animum mortis sibi procurandæ iis austeritatibus, quas exercuerunt; hæ tamen mortis momenta accelerabant; neque dubio locus esse posse, quo minus hac in re corporum suorum puritatem, animarumque sanctitatem vitæ diuturnitati prætulerint. Incomparabiles viri illi, qui ex Jesu Christo didicerant, animam suam odio habendam esse, ut illius incolumitati studerent, sciebant, se non posse melius uti ea, quam a Deo receperant, vita, quam si illius jacturam facerent pro gloria ejusdem per pœnitentiæ, atque austeritatis martyrium, ut sese in æternum mortis necessitati subtraherent. Si qui arbitrantur, salva conscientia corporis sui valetudinem infirmari non posse, & vitæ suæ dies imminuere, serio animum adverterent ad tot, tamque varias conditiones, quæ huic eidem malo sunt obnoxiæ, & quas nihilominus nemo sanus damnaverit, facile de sententia decederent. *Abbas Trappensis libro de monastice vitæ officiis.*

Si tuta conscientia mundi negotia obire possumus, quorum munera, officia, & exercitia fere certa necessitate ad mortem adducunt; quo potiori jure licebit Christianis, qui Jesu Christi crucem ferre tenentur, voluntarias austeritates amplecti, ut passiones illius in se repræsentent, ut mortem ejus venerentur, ut carnem subigant, corpus subjiciant, sensus, & affectiones coerceant, ut per hæc sanctitatis exercitia digniores se præbeant illo, cujus servituti unice devoti sunt. Nonne esset gravissima injustitia imprudentiæ, indiscretionis, ac temeritatis nomine redarguere id, quod effectus est discretionis, fide, pietate, ac religione plenissimæ? *Idem.*

Quotusquisque mortificationem exerceat.

Austera, & pœnitens vita martyrium est, & sacrificium, quod omnes charitati debemus, quæ vult, ut nosmet præbeamus Jesu Christo conformes, qui est vir dolorum. Dicamus aliquid amplius: hæc species est martyrii, quod justitiæ illius pro criminum nostrorum expiatione debemus. Sed quotusquisque nunc his satisfacit muneribus, & debitum hoc in christiana religione dissolvit, ubi tam pauci videntur pœnitentes, & mortificati, & ubi illi præ cæteris virtute præditi habentur, qui non se magis mortificant, sed qui se minus, quam cæteri, palpant! Fatendum enim est mundi, & mundi christiani vitam nihil esse aliud, quam vitam mollem, & voluptuariam, ubi omnes corporibus suis omnia procurant commoda, & magnifice habitare, commessari, alea, spectaculis jucundis, visitationibus, ne quid pejus dicam, tempus terere contendunt. Hæc vita innocens habetur, & dummodo quædam voluptatum scandala amoveantur, cætera fas esse ducuntur; ac integrum esse existimatur, sensibus ea omnia, quæ cupiunt conferre. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermone de S. Francisco Paulano.*

Mortificatio efficit, ut innocua etiam moderemur solatia.

Christiana mortificatio non obligat solum, ut eas voluptates, quæ prorsus criminosæ sunt, necnon solatia, quæ cum periculo conjuncta sunt, cujus generis sunt spectacula, choreæ, mundanæ conversationes, procul amoveamus; verum etiam illa moderemur, quæ vel nimis magna sunt, vel nimis frequentia; quamvis enim omni culpa vacare videantur, jam minime vacant, cum modum excedunt, & vulgo in hominis corde producunt quamdam mollitiei, & ignaviæ affectionem, quæ præterquamquod christianæ religionis spiritui opposita est, animæ vim obtundit, atque constantiam ita profligat, ut illa minime valeat peccato, omnibusque salutis suæ inimicis resistere. Denique mortificatio nonnumquam cogit, ut nobismetipsis maxime innocuarum, legitimarumque voluptatum usum interdicamus, ad expiandam, ut Sanctus Gregorius inquit, fallacem licentiam, quam nobismet vindicavimus, nobis permittendi maxime noxia, & criminosa oblectamenta. *Pater Nepveu in spiritu christianismi tractatu octavo capite primo.*

Mortificatio virtus est, quam præ cæteris nobis commendat evangelium.

Dicere possumus in evangelio a Jesu Christo nullam virtutem impensius commendari, quam mortificationem. Non modica evangelii pars in eo vertitur, ut mortificationis necessitatem intelligamus, & nulla ibi doctrina sæpius iteratur, & vehementius exprimitur. Ibi de cruce tantum, de morte, de abnegatione, de sui ipsius odio, de vi sibi inferenda, de arcta via, quam necessario ingredi debemus, est sermo &c. . . Sed ex variis rationibus, quibus Jesus Christus illam commendat, nulla mihi vehementior videtur, quam illa, qua nobis declarat, post S. Joannis Baptistæ prædicationem, hoc est postquam evangelica doctrina annuntiata fuit, regnum cœlorum vi tantum rapi, & ab illis expugnari solum, qui eamdem inferunt sibi . . . Quid enim innuere vult Jesus Christus hac sibi vim inferendi necessitate, nisi naturalium studiorum nostrorum motus nobis esse coercendos? Cum enim ex nostra corruptione proveniant, omnia fere inordinata sunt, quod vim, hoc est jugem requirit mortificationem. *Idem.*

Mortificatio magnam habet cum martyrio similitudinem.

In Sanctorum martyrum honorem canit Ecclesia, illos brevissima morte vitam æternum beatam sibi comparasse: *Mortis sacræ compendio, vitam beatam possident*. Sed hic honor, & hæc corona pro extraordinariis dumtaxat animabus est. Ut ad eamdem felicitatem perveniamr, mortificatio est mors diuturnior, per quam Christianis transeundum est. Quantumvis tamen diuturna illa sit, brevissima est, inquit Apostolus, si cum ea, quæ subsequitur, felicitate comparetur: *Momentaneum, & leve*. O Domine mors me tibi in cœlo conjungere debet, & per mortificationem tibi, quantum fieri potest, conjungi debeo in hac vita. *Pater Dozenne libro de morali Jesu Christi.*

Quantum noceat spiritui palpare corpus.

Corpus omnibus patet elementorum injuriis, innumeris infirmitatibus, ex quibus detrimentum aliquod & anima non recipere nequit; verum nihil animæ nocet magis, quam corporis commoda, & jure dicere possumus, carnis incommoda ex infirmitate spiritus oriri. Qui leoni blanditur, illum docilem, ac mitem facit; sed qui blanditur corpori, illud magis crudele & ferox efficit. Non licet tamen huic hosti mortem inferre, sed illum infirmare, eique arma per mortificationem oportet auferre. Spiritus vires eo magis crescunt, quo magis vires carnis imminuuntur. *Idem.*

Nisi diligenter attendamus, cum nimium conamur efficere, nimis parum facimus, hoc est cum plurimum corporis mortificationi deferimus, in spiritus mortificatione deficimus; atque hoc pacto in eum labimur defectum, quem Propheta olim Judæorum populo exprobrabat: *Respexistis ad amplius, & factum est minus*. Aggæi 1. Quot inveniuntur mortales in mundo, qui ubi de honore agitur, facile succensent, & in iras erumpunt, cum interim in corpus suum immitem exerceant severitatem? Nihil, ex S. Bernardi sententia, immortificatius est hac immortificatione, quæ in omnibus hisce immodicis austeritatibus credit, se jure aliis in rebus remitti posse, & quin appetitum rationali voluntati, humanam voluntatem divinæ subjiciat, oppositum faciat. *Idem.*

Christianæ mortificationis præstantia.

Peculiaris mortificationis, quæ jugis est perfectorum fidelium exercitatio, præstantia in ea consistit, quod habet cum martyrio similitudinem, & utraque simul cum Jesu Christi morte, ac passione. Quid est esse martyrem, nisi testimonium perhibere veritati fidei, & religionis Jesu Christi proprii sanguinis effusione. Verum est, in hac Ecclesiæ pace nos martyres esse non posse hoc modo; postquam Tyrannorum, ac Imperatorum persecutiones desævière, fideles præclaram hanc amisere occasionem reddendi Jesu Christo eamdem vitam, quam ab eo receperunt. Non deest tamen aliud mortis genus, reipsa minus crudele, sed quod

ingen-

ingentia est meriti coram Deo, quam nobismetipsis propriis manibus consciscere possumus, ut S. Ambrosius *l. 2. de Cain c. 4.* inquit, in nobis carnis desideria, & affectiones occidendo. Hoc modo sine lictore in ipso pacis sinu possumus mori: & si martyres naturalem amisere vitam, ut Jesu Christo ardentis charitatis suæ argumenta præberent, nos illi amoris magnitudinem testari possumus pro eodem carnis, sensuumque vitam amittentes. Hoc omnibus fidelibus faciendum est per mortificationem, quæ efficit, ut incompositis appetitibus nostris moriamur. *Moralis christiana in Pater, l. 8. sect. 3. art. 4.*

Quanam felicitas sit mori voluptuariæ vitæ per mortificationē.

O nos beati si ita mori possemus, & vitæ nostræ ratione innocuam hanc cædem exprimere! Quod enim Sanctus Patriarcha Abraham semel tantum præstitit, hoc nobis toto vitæ nostræ tempore faciendum est, Illud ipsum imperium, quo unigenitum sacrificare fuit jussus, illis omnibus irrogatum est, qui Deo integram polliciti sunt fidelitatem; videlicet Christianis omnibus imperatum est, ut amorem proprium, & suam immolent cupiditatem. Mors hæc voluntaria, quæ aufert animæ omnes vitæ carnalis sensus, Dei filios extollit ad magnitudinis gradum adeo sublimem, ut ipsius Jesu Christi vita vivant; ita ut cum Apostolo dicere possint: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ita postquam didicerunt insignibus exemplis, nullam fieri jacturam ab iis, qui secundum carnem vivere cessant, & sciunt quod huic mori, est vivere Deo, alacriter sacrificant corpus, & affectus suos, quos sibi victimas deposcit Deus, & jugi sacrificio Creatori, Dominoque suo eum exhibent cultum, qui illi debetur. *Idem.*

Gratia nobis tradita ad mortificationem exercendam.

Gratia, quæ nobis modo data est, ut nostros superemus affectus, & in Dei servitute fortes permaneamus, nequaquam illi similis est, quam Deus Adæ fuerat elargitus, quæ quidem in horto voluptatis concessa fuit, ubi nulla affectuum sentiebatur rebellio, sed e contra ubi corporis partes, animæque facultates rationi parebant. Sed gratiam habemus christianæ religionis, prorsus generosam, non alienam a principiis ortus sui, & quæ cum originem in Dei sanguine, & Crucis contradictionibus nacta fuerit, nobis data est, ut sustineamus, & superemus difficultates, quas Dæmon salutis, & perfectionis nostræ consiliis opponit, ut de sinu nostro affectiones revellamus, & perseveremus in hac mortis exercitatione usque ad novissimum vitæ nostræ suspirium. Hoc proculdubio arduum est opus, ad quod non mediocris generositas Christiana requiritur. *Ex Anonymo Auctore.*

Deus in nobis destruere vult veterem hominem per mortificationem.

Deus in anima se gerit, velut Rex in Regno ditioni suæ nuper adjecto, ubi ad necem conquirit eos omnes, qui novæ dominationi resistunt. Princeps hic quocumque horrorem, & vastitatem ferre videtur: sed ut mox pace fruatur, atque delicias suas in otio, & tranquillitate post ejectos, vel deletos hostes inveniat. Deus hoc ipsum facit, cum in animam ingredi vult, ibi regnum suum constituturus: sanguinem tantum crucesque, & pœnitentiæ, ac mortificationis cogitationes inspirat, sed ut ibi suas leges constituat, & pacifice dominetur. *Christianus interior libro primo.*

Audio sanctos, insignesque pietate, & doctrina viros dicere, orationem apud ipsos suspicione nequaquam vacare, cum minime conjuncta est cum irreconciliabili sui ipsius odio. Nos vero, qui tantum abest, quod adeo sanctis exercitationibus vacemus, ut in actionibus nostris, quæ magis christianæ sunt, nostræ satisfacimus curiositati, ita vani erimus, ut nobismet persuadeamus futurum; ut Deus se nobis communicet, suisque nos cumulet beneficiis, quin mortificationem exerceamus? Bipalmaris error, & qui in eorum tantum mentes incidere potest, qui asceticam vitam ne a primo quidem limine salutaverint. Donec misera hac involuti sumus carne, si nobismetipsis invigilaremus, neque in servitute cohiberemus hanc nostram partem animalem, illa cor nostrum traheret, caliginem offunderet puris luminibus, quæ nobis bonum ostendunt, nostram voluntatem, quæ hoc ipsum bonum alacriter debet amplecti, infirmaret, atque enervem efficeret. *P. Stephanus Chamillard.*

Oratio sine mortificatione suspicione nō caret.

Quamquam Deus vos ad religionem minime vocaverit, & secreto suæ Providentiæ consilio voluerit, vos in mundo permanere, non inde sequitur, vos illi vitæ generi destinatos esse, ubi dies tota jugis sit nugarum series non intermissa, ubi honorem tantummodo consectemini, & vestræ studeatis utilitati; ubi ignoretis, quid sit crux, austeritas, abnegatio, & mors sibimetipsi. Nihil doctrinæ, & evangelio, quod unica est morum nostrorum norma, magis adversatur. Vos autem nihilominus quid agitis? Statim ac in mundo remanere decrevistis, illico infertis, vitæ vestræ genus longe a claustrali vita abhorrere, & commodam esse posse, deliciis affluentem, ac talem, qualis vulgo in omnibus sæculi hujus fidelibus cernitur; quasi cœnobitarum dumtaxat, & nonnullarum piarum animarum esset austeritatem, & mortificationem exercere, cœlum cum labore adipisci, & salus nullis esset sumptibus comparanda, *Idem Sermone pro die omnium Sanctorum.*

Mortificatio in omnibus statibus, & conditionibus requiritur.

Ex ipsis Ecclesiæ incunabulis hæc percrebuit sententia, in christiana religione vitam crucis, & mortificationis esse vivendam. Et profecto quam austeram, solitariam, crucifixamque vitam fideles primi duxerunt? Nulla voluptas, nulla humana oblectamenta; sed jejunia, preces, austeritates, corporis macerationes. Decursu vero temporum cum ferventes Christiani intuiti sunt, labi christianismum, ac pristinum nitorem amittere, in Ægypti, Thebaidisque deserta sese receperunt, abrenunciarunt sæculo, intra cœnobia sese receperunt, ideoque mortificationis necessitatem intellexerunt. Hodie vero putatis, Christianos homines sine mortificatione non defecturos? *Idem.*

Omnibus semper persuasum fuit in christiana religione opus esse mortificatione.

Tota nunc temporis Ecclesia in luctu est, & pœnitentia; ego vero, qui ex filiis ejus unum esse glorior, doloris illius expers sim? Nullum sit inter me, Ethnicumque discrimen, & vivam ut illi, qui neque in Jesum Christum, neque in pretiosam illius mortem credunt? Passus est Jesus Christus innocuam carnem suam dilaniari, ut meæ rebellionem comprimeret; ego vero non desinam, rebellem carnem istam palpare, oleumque addere camino huic infernali, quo absumor; cum interim Salvator suum effundat sanguinem ad flammas illius extinguendas? Ego scandali argumentum ero fratribus, atque domesticis meis ea vivendi licentia, qua abutor? Quid nonne, & mihi vertetur crimini, si ea morum relaxatio, quæ hodierna die inter fideles satis magna est, multo magis augeatur? *P. de la Colombiere tom. 4. Serm. de jejunio.*

Exempli filii Dei nos ad mortificationem debet animare.

Si nos Jesus Christus invitat, ut nostram ferentes crucem illum sequamur, nosmetipsos abnegemus, nobisque vim inferamus, nonne hac de re, immo etiam in rebus longe difficillimis heroica præbuit virtutis exempla? Si nos invitat, ut crucem bajulantem illum sequamur; numquid cruces, quas nobis imponit, suæ pondus exæquant? Si præcipit, ut nosmetipsos abnegemus, videlicet ut incompositas affectiones nostras abigamus; numquid nimium aliquid exigit petens, ut noxia superaturi desideria nobismetipsis vim inferamus, ipso interim affectibus suis licet sanctissimis, æquissimisque ad sanguinis usque sudorem reluctante? Ullane aderit nobis umquam occasio similem exercendi patientiam illi, quam toto passionis suæ tempore exercuit? *P. Nepven in libro, cui titulus, Spiritus Christianismi, tractatu de mortificatione.*

Prima nos mortifi-

Ex Baptismate nostro validum desumimus argumentum ad ostendendam necessitatem, qua nosmet-

ipsos,

eam sibi obligatio ex baptismate nostro desumitur.

ipsos ; quatenus Christiani , mortificare debemus : Baptismus enim , docente Apostolo , est repræsentatio mortis , & sepulturæ Jesu Christi , qui ex illo usque tempore coegit nos nobismet , affectionibus nostris , omnibusque carnis cupiditatibus emori . Ita hoc vitæ Sacramentum , secundum Pauli sententiam , est Sacramentum mortis , & simul quodammodo incunabula , & sepulcrum nobis est ; nobis enim conferens vitam , & gratiam , quæ Christianos nos facit , nos obligat , ut omnibus voluptuariæ vitæ , corruptæque naturæ motibus moriamur . *Idem*.

Quatenus peccatores mortificare nosmet ipsos debemus.

Mortificationi vacare debemus quatenus peccatores ; si enim peccatores sumus , toto pectore incumbere debemus , ut divinæ satisfaciamus justitiæ , & misericordiam mereamur scelera nostra expiantes . Verum quomodonam peccata nostra possumus expiare nisi per pœnitentiam ? Quid est peccator , Tertullianus interrogat , nisi *homo pœnitentiæ natus* ? At potestne agere pœnitentiam , quin seipsum mortificet ? Puniendi , & mortificandi sunt affectus illi , qui nos in crimen impellunt ; affligendi sensus , qui , cum deertaverint , nos sæpe in scelus præcipites dederunt ; castiganda est caro , quæ rebellavit , & quæ rebellione sua cor nostrum trahens sæpe effecit , ut in delicta proruetemus . *Idem*.

Christiani qualitas ex nobis mortificationem requirit.

Postquam Jesus Christus mortificationem instituit , & initium ducere voluit ex virginalis carnis suæ mortificatione , illam in corporibus nostris circumferre debemus , quæ non aliud sunt , quam corpora peccati , ac impuritatis . Hoc pacto perficiendum a nobis est , quod deerat passioni Domini nostri ; vel ut melius loquar , quod voluit Deus , ut in passione sua nobis tamquam pars perficienda relinqueretur ; quod nonnisi per corporum nostrorum mortificationem poterat fieri . Quemadmodum enim illa instrumenta fuere peccati , instrumenta quoque pœnitentiæ , & mortificationis esse debent , idque eo magis , quod S. Paulus corpus nostrum , non simpliciter corpus , sed *corpus peccati* nuncupat . Oportet ergo mortificationem esse in corpore nostro ; & quicumque aliter operatur , hic neque mortificatus , neque pœnitens est . *In Sermonibus editis sub nomine P. Bourdaloue Sermone pro feria quarta Cinerum.*

Nulla esse potest sine mortificatione pœnitentia.

Inordinatus nostrorum corporum amor a necessario ad commodum , a commodo ad superfluum , a superfluo ad jucundum , a jucundo transit ad noxium ; quod quotidiana experientia docemur . Mortificatio vero christiana quid præstat ? Superfluum damnat , jucundum recusat , commodum renuit , immo id etiam quod maxime innocuum est , & quod maxime necessarium videtur , sibi interdicit . Quorsum autem ? quia pœnitenti vitæ nihil his rebus magis oppositum est . Mortificatio omnes , minutas licet , respuit delicias . Quorsum ? Quia nulla re magis a Deo divellimur ; ideoque nos ab illis prorsus conatur sejungere , quia corpori naturale est , omnia commoda inquirere . *Idem*.

Per mortificationem a licitis abstinendum , ne ad illicita deveniamus.

De mortificatione præclarum nobis documentum præbet S. Gregorius . Ait autem , homini , qui in manu habet potestatem , ut eadem prudenter utatur , hoc est ne legitimos fines excedat , nonnumquam abstinendum esse ab iis , quæ habet in potestate ; quemadmodum enim licitum , ac illicitum exiguis finibus discriminantur , & plerumque termini inter utrumque dubii sunt , & ancipites , accidit , ut cum ea omnia facere velimus , quæ licent , periculum subeamus ea , quæ minime licent , efficiendi . *Solus in illicitis non cadit , qui se aliquando , & licitis caute restringit* . Ita nisi aliquando ab iis abstineamus , quæ licita sunt , libera , & voluntaria mortificatione , periculum adest , ut quam primum ad ea , quæ omnino prohibita sunt , gradum faciamus : *Ex Anonymo Auctore*.

De religiosorum

Persuasum esse debet , religiosum crucibus , & passionibus destinatum esse , ac statum ejus ab omnibus sanctis consideratum fuisse veluti quoddam martyrium propter magnitudinem mortificationis , & abnegationis , quas continet ; si hæc in lucem afferatur , & consideretur tamquam fidelis imago , & imitatio vitæ Jesu Christi . Crux proprie loquendo semper fuit pars cœnobitarum , & quamvis ille hanc imposuerit illis omnibus , qui felicitatem , & gloriam ex nomine illius nuncupandi obtinuerunt , peculiari tamen privilegio facta est portio eorum , qui inter claustra sese receperunt , cum plerique illorum , qui inter mundi negotia versantur , eam abdicaverint . Quamquam vero , de antiquorum ordinum severitate non modicum remissum fuerit ; attamen in eorum plerisque insignes adhuc supersunt austeritates , rigorosa abstinentia , exacta jejunia , dura cubilia , longæ vigiliæ , graves , difficilesque labores , inflexibile silentium , separatio ab omni mundi commercio , jugis Dei præsentia , in omnibus actionibus vigilantia , solers in vitæ finem attentio , omnium denique solatiorum privatio , uno verbo dicam , perpetua crucifixio ; ita ut religiosus nullam in terris oblectationem repetire queat , nisi in seipso , suæque conscientiæ testimonio . *Abbas Trappensis in explicatione regulæ Sancti Benedicti.*

austeritate , & mortificatione.

Quam parum Jesu Christo hac in re conformes sint homines.

Ne minima quidem re nosmet privare possumus propter Deum , qui toto vitæ suæ tempore sancta , divinaque gloria sua se privavit , ut pro nobis pateretur , ut pro nobis venatum , & cordis sui cruorem effunderet ? Ubinam ergo sumus ? quo christianæ religionis sensus evaserunt ? Ullane res est , quam ægre debeamus relinquere pro Deo , qui pro nobis omnia reliquit ? nonne alacri , promptoque animo sacrificare deberemus dignitates , opes , existimationem , ad honorem filii Dei , qui supra triginta annorum spatio corpus , sensusque suos propter salutem nostram divinis consolationibus fraudavit ? *Fromentiere Sermone de Transfiguratione.*

Sine Cruce & mortificatione Christiani esse non possumus.

Secundum S. Augustini sententiam , nondum Christiani esse incœpistis , si ignoratis , neminem esse posse Jesu Christi discipulum , quin crucem suam gestet post ipsum ; neque ad Jesum Christum pertinere , nisi carnem , affectiones , & inordinata desideria sua crucifixerit ; ut aliquis fidelis sit nostri Salvatoris imago , debere juxta Apostoli verba , in corpore suo mortis ejusdem imaginem secum ferre . Sciendum vobis est , S. Leo inquit , membra vestra ab ipso Baptismi vestri tempore facta esse membra Dei Crucifixi , eaque non posse capiti suo conformari , si hac in vita a mortificatione abhorruerint : *Caro regenerati , fit caro crucifixi* . *Idem*.

In quo consistat mortificatio , & mors spiritualis.

Spiritualiter mori est mundum abdicare , ab eo secedere , sin minus corpore , saltem animo ; omnem visibilium , terrenarumque rerum affectum adjicere ; denique spiritualiter id esse , quod mortui reipsa sunt ; hoc est , nulla re affici earum , quæ in terris sunt , & nulla inordinata affectione turbari . Christianismi Philosophia , S. Chrysostomus inquit , in hoc posita est , ut mundum tamquam nobis mortuum , nos vero tamquam mortuos mundo consideremus ; quod ipsum in persona sua ostendit Apostolus . *Idem Sermone pro die Paschatis.*

Mala , quæ ex mortificationis defectu procedunt.

S. Paulus , qui erat vas electionis , corpus suum castigabit , ne forte reprobaretur : *Castigo corpus meum , & in servitutem redigo , ne reprobus efficiar* . 1. ad Cor. 9. Vos autem , fideles , quibus nulla est prædestinationis nota , vos , qui non solum carnem vestram non castigatis , sed in deliciis habetis , illam opipare nutritis ; magnifice induitis , nihilque pati potestis , quod incommodet illi , quid vobis expectandum est , nisi quod contra rationem rebellet , gratiæ imperium excutiat , omne licentiæ genus sibi arroget , vosque in omnem libidinem trahat , & vobis tot conflet mala , quot eidem procuratis bona , ac in æternitate vobis tot congreget supplicia , quot illi delicias comparastis ;

Quan-

Quantum in deliciis fuit; tantum date illi tormentum. Apoc. 18. *De la Volpilliere Sermone de Resistentia tentationi*.

Mortificatio non pro religiosis tantus est, sed pro fidelibus omnibus.

Mortificatio, austeritas, pœnitentia, numquid in mundo minus necessariæ sunt, quam in religione? In mundo bonne e contra plures superandæ sunt tentationes, plura evitanda pericula, plura crimina expianda? Ne vosmetipsos decipiatis rati, eo quod in sæculo religionis indumentum ferre, & instituta servare nequaquam tenemini, ideo vos a religione immunes esse, & spiritum religionis omnino a vobis alienum esse debere. Præcepta non tam procul distant a consiliis, quantum putatis; immo affirmare ausim præcepta ad evangelicam normam a vobis observari non posse, quin in consiliis etiam aliquantulum exerceamini. *Fromentiere Panegyrico S. Bernardi*.

Praxis mortificationis.

Quanam in re circumcisio, & mortificatio ista consistit? In hoc, ut per spiritum opera carnis mortificemus, ut a quibusdam societatibus recedamus, quarum necessitudinem periculosam esse experientia docti intelligimus, ut interius mundi pompis abrenunciemus, ut a proximis peccandi occasionibus abhorreamus, ut pœnitentem vitam ducamus iis satisfacturi criminibus, quæ patravimus, ut paulatim affectiones nostras infirmemus, iis denegantes ea, quibus ali, foverique possent, ut nulla umquam carpamus solatia quocumque tempore, & ob quamcumque rationem; ut nonnumquam virtutis ergo iis abstineamus, quæ per se esse possunt innocua. *Ex Sermonibus moralibus*.

Optime post Paulum Apostolum Sanctus Augustinus dixit, corpus nostrum esse templum Spiritus sancti, sed templum, quod ædificatur. In ædificando illo requiritur labor, & donec ædificatur ingemiscimus. Umquamne animadvertistis, Auditores, cum magnum aliquod extruitur ædificium, omnia gemere? Gemunt marmora, secantur, cœlo, ferraque cæduntur, artifices sub laboris pondere gemunt; ipsa etiam cæmentariorum gemunt instrumenta, omniaque fumantia videtis: ipse etiam ædificii redemptor hac illac discurrit, ut opus suum dirigat. Æterna salus magnum est ædificium, omniaque ad illud explendum gemere debent. Spiritus sanctus, qui operis hujus conductor est, nonne secundum Scripturæ verba, & ipse gemit? Opifices, qui Concionatores sunt, atque Pastores ob laboris magnitudinem gemunt. Sed Sancti, qui ædificii hujus lapides sunt, atque cæmenta, longe aliter gemunt, cæduntur, secantur, in frusta persecutionibus comminuuntur, vel severæ mortificationis spiritu hæc omnia illi in seipsis perficiunt: *Tunsionibus, & pressuris expoliti lapides. Desumptum ex manuscripto Sermone.*

Mortificationem perhorrescere non debemus.

Si discipuli sumus filii Dei, nos minime terrent austeritates angustæ hujus viæ, quæ sensibus adeo videtur difficilis; hæc enim vita dura quidem, & ardua est, S. Augustinus inquit, sed sola est fine periculo. Hic evangelicus ensis spiritum a carne sejungens, hæc suimetipsius abnegatio, hæc severitatis christianæ lex, quam Salvator attulit in mundum, lex est gratiæ, & misericordiæ. *P. Rapin libro de perfectione christiana*.

Spiritus Jesu Christi spiritus est mortificationis.

Dicere ne possumus, vel unam spiritus Jesu Christi scintillam, vel minimam sensuum ejusdem habere particulam, donec austeritates, & passiones, quas tantopere amavit, oderimus, atque detrectabimus? Eorum plerique, qui se devotos esse profitentur, religioni sibi minime vertunt nullam sensibus suis oblectationem negantes, ubi crimine vacent: putant satis esse timere aliquantulum Deum, & salutem suam velle operari. Sed spiritualium virorum est ea etiam solatia respuere, quæ sunt magis innoxia, quia hæc Jesu Christi paulatim nobis auferunt spiritum, vitamque nostram vitæ illius palam opponunt; quæ tota in crucibus, privationibus, ac passionibus fuit. Quis pudor videre membra delicata sub capite spinis coronato? *Ex libro cui titulus: Exercitia Christiani interioris*.

Quomodo sciam, utrum Jesu Christi spiritum habeam, an in omnibus actionibus meis mero naturæ spiritu agam, cum corpus, & anima omnium oblectationum genere perfruantur, cumque in hoc vitæ genere natura ipsa summam voluptatem percipiat? Verum cum mortificatus sum, exagitatus, & pœne laboribus obrutus, atque statum hunc amo, quia ibi Jesu Christi imitationem reperio, equidem scio, huc usque pervenire non posse naturam, sed me confirmari, & muniri gratia naturalis infirmitatis meæ defectui supplente. *Idem*.

Mortificatio magis admirabilis est in viris principibus.

Austeritas, & mortificatio in hominibus semper sunt admirabiles; sed fatendum est peculiarem nitorem, ac meritum illis accedere, cum in magno aliquo viro, & in principum persona inveniuntur, ubi eas dupliciter supernaturales esse, jure dicere possumus. Hæ profecto virtutes in seipsis supernaturales sunt, excedunt quippe naturam, & nonnisi gratiæ afflatu efformantur; sunt etiam supernaturales propter eorum conditionem, in quibus effulgent. Ut Princeps fortis sit, liberalis, magnificus, prudens, opus non est, ut supra suam se conditionem attollat, vel ut suis affectionibus pugnet, sed eas sequatur, satis est; hæ quippe virtutes quodammodo fortunæ illius sunt naturales. Sed pietas, pœnitentia, mortificatio, & austeritas vitæ in principibus sunt prorsus supernaturales; quas ut exerceant, sui oblivisci debent, sese supra suam conditionem attollere, illam oppugnare, ac de illa victoriam referre. *Biroat, in Oratione funebri Domini de Longueville*.

S. Pauli sententia de mortificatione.

Docet Apostolus, eos, qui Domini sunt, carnem suam cum illo crucifixisse mortificationem circa se, super se, & in se deferentes. Illam deferunt circum se, odio habentes objecta, quibus septi sunt, & quæ sibi adhærent; super se, corpora austeritate mortificantes; in se, affectionibus suis jugiter vim inferentes. Non loquor apud sæculi filios, qui non sunt Jesu Christi crucifixi, quia voluptates tantum inquirunt, omnia exagitantes elementa, omnemque fus deque vertentes naturam, ut gustui suo satisfaciant, ut delicias suas sibi comparent, ut variis sese oblectamentis reficiant. Hi non didicerunt ex Tertulliano, Christiani vitam esse debere martyrii tyrocinium. *P. Nouet tomo 2. Meditationum*.

Excusatio ex molli natura desumpta.

At enim mollis es, affluentiæ, ac deliciis assuetus; vitæ hujus commodis carere non vales, tantum abest, ut corpus tuum possis mortificare: verum si te mortificare non potes, quomodo salvare te poteris? Cum ægrotabis, præter morbi dolores, qui aliquando sunt acerbissimi, arctum, molestumque jejunium servabis; medicus enim hoc tibi præcipiet; amarissima hauries pharmaca, membraque tua altius incidi, secarique patieris. Numquid qui æger est magis viribus abundat, quam qui bona valetudine gaudet? an potius tantum de corporis valetudine laboras nihil de animæ salute sollicitus? *P. de la Colombiere tomo 2*.

Christiana vita esse nequit, quæ mortificata non est.

Profitetur S. Paulus, se rerum omnium jacturam nihil morari, & quidquid in mundo locupletissimum est a se flocci fieri, dummodo Jesum Christum lucrifacere valeat: *Omnia arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, ad Philipp. 9. Hodie vero prorsus opposito sensu speramus nos illum lucraturos mollem, & immortificatam vitam ducendo; & ut verbo me expediam, in perniciosо hoc errore vivimus, posse videlicet Christianos nos esse vitæ hujus suavitatibus perfruentes, desideriis nostris satisfacientes, honores, opesque conquirentes, atque cupiditati indulgere studentes. Putamus nos esse posse Christanos, quin ad eam cordis abnegationem veniamus, quam Jesus Christus, patresque omnes vocationis nostræ sanctitati omnino necessariam esse censuerunt. Hæc enim chimericæ devotionis ars est: christianismi gloriam appetimus, at illius laborem, crucemque refugimus, illum nobis honori vertimus, ut conscientiæ aculeos obtundamus, at jugum illius tamquam nimis gra-

grave, & non ferendum detrectamus. *P. Bourdalove in Sermonibus*,

Difficultas, & labor, quem experimur corpus mortificantes.

Carnis nostræ artes ejusdem importunitati non cedunt, blandus est inimicus, cujus vis, & astus æque sunt noxii. Quomodo vis, S. Joannes Climachus inquit, me vinculia meum corpus obstringere, si mihi elabitur, antequam illud in vincula conjicere valeam; vel me persequi illud, si mibi redit in gratiam, antequam bellum eidem indicere valeam? Quomodo vis, me odisse illud, quod a me natura jubet amari; vel sine ulla miseratione damnare sontem, qui me ad misericordiam flecteret, antequam in illum judicium ferre valerem? Ego in omne tempus illi devinctus sum, quomodo vis me ab eodem separari? Cum illo resurrecturus sum, & vis me illi mortem consciscere? Per se corruptibile est, & jubes per industriam a me fieri incorruptibile. In illo adeo oppositas qualitates invenio, ut quanam ex parte illud oppugnare debeam ignorem. Ille mihi, & favet, & bellum infert, mihi fert opem, & me lacessit, mihi auxiliatur, & struit insidias. Si bene secum ago, contra me rebellat; si illud ad officium per mortificationem redigere studen, vires amittit; si quid illi remitto, insolescit; si nimis affligo, mihimetipsi minatur interitum. Quodnam prodigium in hac mei corporis, animæque miatione invenitur? Quinam fieri potest, ut ego simul, & amicus meus sim, & inimicus? *P. Nouet, vita Jesu Christi in Sanctis*,

Mortificatio, & austeritas, non difficilis illi qui diligit Deum.

Amanti Deum, ac propter illatas eidem injurias vere, & ex animo dolenti nihil difficile. Ideo veteres illi solitarii tanto ardore amplectebantur jejunia, vigilias, labores, cæteraque pœnitentis vitæ exercitia; ideo rebus omnibus valedicebant, quantum in mortali carne fieri poterat, sibique eum voluptate ea negabant, quæ vitæ tuendæ necessaria charitas minus inflammata putasset. Quod si semet immolandi, ac destruendi cupiditate succensi aliqua sibi permittebant, inde hoc oriebatur, quia illis carere non poterant, quin Dei obluctarentur imperio. Nihilominus quantumvis magnæ illorum essent austeritates, incomparabiles illi sanctitate viri numquam vois compotes erant; adeo validas in cruce inveniebant illecebras, & desiderium, quo eidem hærere studebant, adeo erat vehemens, ut pro nibilo habentes quidquid austeritatis exercebant, tamquam mollem laxioremque vivendi rationem damnabant eam, quæ ab aliis tamquam immodica pœnitentia damnabatur. *Abbas Trappensis tomo 2. de officiis monasticis*.

Quid sanctos illos folitarios ad mortificationem excitaret.

Conceptus, quem summi illi viri habebant de majestate Dei, qui ab ipsis læsus fuerat, efficiebat, ut nulla in se adeo levia agnoscerent crimina, quæ gravissimis non expianda suppliciis arbitrarentur. Quod si oculos in mundum conjiciebant, hæc adeo generalis vastitas, hoc malorum, scelerumque diluvium charitatem eorum inflammabat, excitabat zelum, nihilque adeo austerum, durumque erat, dummodo vires non viderentur excedere, quod divini illi homines non amplecterentur, ut coram Deo aliquod mundi iniquitatibus æquipondium afferrent, & justos, terribilesque iræ ejusdem effectus averterent. *Idem*.

Mortificatio inter delicias.

Magnus hic princeps cordis sui, actionumque suarum dominus, cum in affluentia, & locupletissimæ aulæ deliciis suis satisfacere posset cupiditatibus, iis circumseptus hominibus, quibus placendi cupiditas simul, ac utilitas omnes suggerit artes, agnovit se consummatissima virtute indigere, ut se a sæculi contagione præservaret. Serias omnes excogitavit rationes, quibus spiritum quidem confirmare posset, carnem vero infirmare; & antequam prodiret in publicum, secum tacitus cogitabat &c. *P. Cheminais in Panegyrico S. Ludovici*.

Mortificatio non consilii tantum est, sed præcepti.

Sibimet mori non simplex consilium est in Morali christiana, explicitum præceptum est. S. Paulus religiososne alloquebatur, cum dicebat, baptismum hominibus applicantem Jesu Christi mortem illis necessitatem indicere cum eodem moriendi? cum dicebat, Jesum Christum ideo cruci affixum fuisse, ut nos crucifigeret mundo, & illis, qui illius se discipulos esse gloriabantur, carnem cum desideriis suis esse crucifigendam? *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, ad Galat. 5. Qui Christianum dicit, hominem dicit mortuum, mundo crucifixum, & cui vicissim mundus crucifixus est; neque vel unus est, qui imitari non debeat qualitatem, quam S. Gregorius Nazianzenus pœnitentibus ævi sui conferebat; cum illos martyres viventes, & semimortuos vocabat, quia deficientibus tortoribus, ipsi contra semetipsos arma tenentur distringere, & manu propria diebus singulis aliquam sui ipsius partem delere. *Fromentiere, in Panegyrico S. Benedicti*.

Cur nosmet mortificare debeamus.

Gratia, quæ Christianos nos facit, in nobis hostem invenit, qui ideo ab illa puniendus est; verum id fierine potest sine mortificatione? Ægrotantem reperit, illi idcirco pharmacum propinare debet, ideoque esse debet amara. Nanciscitur in illo effrænem concupiscentiam, corruptam voluntatem, violentas affectiones, carnem rebellem, hoc est totidem mortales morbos, quibus ut medeatur, concupiscentia cohibenda est, affectiones domandæ, regenda voluntas, caro crucifigenda; quæ sine mortificatione fieri posse qui sanus dixerit? Eam qui amplecti detrectat, nonne suam amat infirmitatem? *P. Nepveu tomo primo Considerationum*.

Cum mortificatio pro omnibus sit idem præceptum est.

Si animam suam odisse, hoc est incompositos sensuum motus per mortificationem reprimere, esset consilii; cur Dei filius minitaretur animæ jacturam, hoc est damnationem æternam illis, qui hac in re proprium amorem consulerent? Nulla, ut inquit evangelium, in Cœlum ducit via, nisi quæ arcta est: nonne igitur inevitabilis est necessitatis illam ingredi, ut ad cœlestem perveniamus felicitatem? Verum ut omnem dubitandi ansam auferamus; evangelium nonne explicite memorat, Jesum Christum, cum de sui ipsius abnegatione, & cruce gestanda loqueretur, cum omnibus fuisse locutum: *Dicebat autem ad omnes*: Luc. 9. Nulla igitur dignitas, conditio, officium, ætas, sexus dispensat, ne nosmet mortificemus, quemadmodum nulla, ne Jesum Christum sequamur. *Idem tomo 4*.

Nimia, quam sensibus nostris concedimus, licentia.

Idem parum adeo in Dei, & veritatum ejus cognitione proficimus, quod nimium licentiæ sensibus nostris tribuimus. Per hos spiritus noster sese effundit extrinsecus, atque, ut ita dicam, a semetipso dividitur. Per illos tot transeunt imagines, atque phantasmata, quibus corrumpimur, vel saltem, quibus fallimur, & prohibemur ne animum ad illa advertamus, quæ nostram attentionem requirunt. Hoc adeo verum est, inquit Apostolus, ut animal homo, quid Deus sit, non intelligat. *Flechier, Panegyrico S. Bernardi*.

Quemadmodum Dei filius ratus est, suum erga nos amorem se melius ostendere nequaquam posse, quam pro nobis patiendo, ac moriendo; ita non alia experit mutuæ charitatis argumenta, quam vitam patientem, atque mortificatam. Cur autem tanta severitas? Hæc ratio est, quia cor, quod vere amat, vicissim verum amorem efflagitat, non autem fictum, & simulatum: at nihil nostri erga Deum amoris veritatem magis probat, quam cordis inter labores, curasque constantia. *De la Volpilliere Serm. de Adversitate*.

Mortificatio inter delicias præstantior est.

Sancti Dei, qui in ipsa affluentia, deliciisque crucem invenire, ac gestare didicerunt, veræ mortificationis præbent exempla. Quærere labores, dum evitari possunt, fugere voluptates, quæ sese nobis offerunt, evocare, ut ita dicam, pœnam cum recedit a nobis, hoc illud est, quod in christiana mortificatione maximum, perfectissimum, atque pretiosissimum est; tunc enim duplici fulget victoria,

ria, altera quidem de iis, quæ illam corrumpere, altera vero de iis, quæ ipsam concutere possunt. *Liber, cui titulus: Considerationes in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Cælum vi tantum, & mortificatione comparatur.

Dei filius testatur post S. Joannis Baptistæ prædicationem, videlicet postquam evangelica doctrina annuntiata fuit, Regnum cœlorum vi tantum acquiri. Hoc in sensu dicit, vitæ portam angustam esse, & paucos per illam ingredi; ideoque nos hortatur, ut omni nisu per illam intrare contendamus. Quid porro aliud innuit Jesus Christus per hanc crucis deferendæ, sui ipsius abnegandi, arctam ingrediendi viam, vim sibi inferendi necessitatem; nisi necessitatem mortificationis exercendæ, hoc est propriæ voluntatis abnegandæ, naturalium studiorum motus instingendi; quia cum ex corrupta emanent origine, fere semper inordinata sunt; & jugiter actiones nostras impugnandi, eas vero præsertim, quæ magis vividæ, & perniciosæ sunt, quia ut plurimum nos in malum impellunt. *P. Nepveu in libro, cui titulus: Spiritus Christianismi.*

Quicumque in statu simus, peccatores æque ac innocentes mortificatione indigemus.

Christiani in duplex statuum genus distingui possunt, quorum alii adhuc in statu innocentiæ permanent, quam ab ipso lustrali haustam fonte integram servaverunt; quod perrarum est, & qui numerabiles sane sunt, utpote pauci; alii vero eam per peccatum, & sæpe etiam per vitam omnibus peccatorum sordibus coinquinatam amiserunt. Illi profecto egent antidoto, ne in culpam decidant, neque vel objectorum illecebris, vel corruptæ naturæ studiis, vel exemplorum torrente trahantur. Iis vero, qui ceciderunt, præterea valido opus est auxilio, non ut resurgant solum, verum etiam ut divinæ satisfaciant justitiæ, & præterita expient facinora. Hoc autem antidotum prioribus est mortificatio, & potens hoc auxilium posterioribus est pœnitentia; quarum neutra nequit subsistere sine rigoribus vitæ austeræ, quæ omnes oderit delicias, quas fideles tantopere consectantur. Esto quidem ex priorum numero, nunquam Deum lethali læseris noxa, receptamque per baptismum innocentiam caste, integreque servaveris: nonne ultro fateberis, difficillimum esse hoc in statu persistere sine gravissimis sollicitudinibus, & contentionibus? At tot inter pericula, & scrupulos, tot inter inimicos, & laqueos putare se nulli obnoxium crimini fore, non solum nullam mortificationem exercendo, verum etiam omnes sibi permittendo voluptates, quæ palam invisum criminis characterem minime deferunt; hoc nonne est inimicis suis arma suppeditare, & in eorum insidias ruere: quandoquidem sine mortificatione, hoc est, sine fuga objectorum, & earum rerum omnium, quæ sensibus nostris blandiuntur, illæ evitari non possunt? Sin autem plerosque homines inspiciamus, qui baptismatis innocentiam non servarunt quidem, verum etiam omni scelerum labe fœdarunt; cum dubitandum non sit, illos sine vera, sinceraque pœnitentia salutem suam operari non posse; non video, quomodo agere possint pœnitentiam, hoc est sua flagitia relinquere, ac Deo toties per summum nefas læso facere satis, sine mortificatione, quæ a pœnitentia separari non potest. Etenim postquam affectionibus suis nihil negatum voluerunt, postquam pravos contraxerunt habitus, postquam dæmoni absolutum in se permiserunt imperium, quomodo in animum inducunt, se sine mortificatione posse easdem affectiones reprimere, eosdem habitus exuere; hanc dæmonis captivitatem excutere, amare ea, quæ oderunt, & ea, quæ amaverunt, odisse? Hoc profecto non potest. *Ex manuscripto Sermone.*

Quando exercenda sit mortificatio.

Ex S. Pauli sententia mortificatione utendum est omnibus in locis, omnibus temporibus, omnibusque in circumstantiis, ubi periculum est, ut Deo fidem non servemus: *Semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes.* 2. Corinth. 4. Quid? nonne satis est illam in corde gestari? Haud ita; sed circum nos, & in corpore nostro est deferenda: *circumferentes*. Hac uti opus est contra quælibet objecta; hæc nos circumdet, sequatur, comitetur, & protegat, oportet, veluti clypeus, quo circumundique, & contra omnes hostium impetus tegimur: nam undique patemus inimicorum telis; nec alia ratione ea possumus propulsare. *Idem.*

Corpus nostrum, & vetus homo infensissimus nobis est inimicus, quem punire debemus.

Visne rationem, propter quam castigare corpus nostrum, & per sensuum mortificationem veterem hominem destruere tenemus? Nonne satis magna ratio est scire, illud esse nobis infensissimum hostem? Consideratio ejus mali quod nobis infert, ac inferre non cessat, nos ad vindictam minime exacuit? Hic non est inimicus, cui vel blandiendum sit, vel parcendum. Nulla habenda nobis est ratio cum eo, qui saluti nostræ insidiatur, nisi ut illum prævertamus, atque in nobismetipsis, veterem hominem occidamus. Qui me sequitur, Dei filius vero discipulo suo inquit, me sequatur usque ad Crucem, ut ibi morti tradat veterem hominem, hoc est, concupiscentiam, & prava desideria, quæ in nobis excitat caro. Homo peccator adhuc vivit in nobis per amorem proprium, quem nobis tamquam proprium spiritum reliquit. Ipse etiam Salvator mortuus est, ut illum in persona sua, vel melius dicam, in nostra interficeret; ipse enim coram Deo nostra erat figura, non secus ac fidejussor noster erat in cruce. Oportet ergo, ut perficiamus in nobis sacrificium justitiæ, religioni, & charitati Dei: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*, ad Coloss. 1. *P. Camaret tomo 2. libri, cui titulus: Purus, perfectusque Christianismus.*

In hoc destructo corpore destruendus est amor proprius: videtur hæc quidem non esse pœna gravissima, quæ illi subeunda est; verum hac præ cæteris maxime afficitur. Opus est ergo in hoc peccati corpore, in carne hac peccatrice, spiritus Jesu Christi, gratiæ illius, nostræque salutis inimica, opus est, amorem proprium crucifigere: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, ad Galat. 5. At enim, quanam in re crucifigendus est, quæritis? Ajo, in sensibus omnibus generatim, efficiendo, ut patiatur, non solum per privationem sensibilium omnium voluptatum, verum etiam per earum rerum, quæ illi contraria sunt, applicationem. Quædam optioni relinquuntur nostræ; quædam vero pendent a Deo, qui manum suam admovere dignatur: *Mortificat, & vivificat.* 1. Reg. 2. Quam excellens est ad amorem proprium enecandum hujus generis mortificatio! *Idem.*

Amoris proprii mortificatio.

Quemadmodum in usu mortificationum contraria contrariis opponenda sunt, ita amori proprio odium sui ipsius opponere oportet: *Abneget semetipsum.* Matth. 16. Heu quid! infelix hic amor proprius ultro mundi, dæmonisque cruces subibit; eas libenter, nec sine jactantia gestabit; hæ illi graves minime videbuntur, idque pro turpi lucro, pro sordido quæstu, pro afferti honoris causa; vos autem gravare Jesu Christi crucem subibitis? Vos illius murmur, iniquamque audieris querelam, ejusque vos miserescet, mollique indulgentia ducti leve crucis onus abjicietis, amorique proprio parcendum censebitis? Quid! vobis lubet potius, ut in mundi, quam in Salvatoris cruce vester proprius amor moriatur? Mori in cruce mundi, non est meritorum crucis Dominicæ participem fieri; e contra est, in se Jesu Christi odium, & indignationem convertere, & eam abdicare felicitatem, quæ seu voluntariis, seu a Deo immissis passionibus comparatur. Sed in Salvatoris cruce mori, ibique proprium amorem crucifigere, hoc est in gloriæ Domini partem accedere. Hæc loquendi ratio mysteria non caret, sed qui vero Dei, & Salvatoris amore flagrant, eam satis norunt. *Desumptum partim ex eodem Auctore.*

Molles prælio non sunt vitæ suæ, si necesse foret, pro Deo tradendæ.

Quid dicendum de mundanorum mollitie longe abhorrentium ab hac christianismi generositate, qua tenentur pro fide, ac religione tuenda, si res ferret,

ferret, sanguinem vitamque profundere? Quomodo enim generosum hoc inire possunt consilium cordibus mollibus, & effœminatis, quibus vel minimæ mortificationis umbræ metum incutiunt; quæ sexcentos prætextus inquirunt, ut se pœnitentiæ severitatibus subtrahant; quæ ad id temperamenti, vel sexus gracilitatem, aut generis nobilitatem prætexunt? Opus est, ut carnem suam mortificent, ubi sese illi offert occasio peccati alicujus, exempli gratia, vel expiandi, vel prævertendi. Quid expectari ab iis fidelibus potest, quorum temperamentum adeo delicatum est, ut studiis suis ne minimam quidem vim valeant inferre; quorum corpora ita sunt deliciis assueta, ita a doloribus perferendis abhorrentia, ut pro Jesu Christi gloria, animarumque suarum salute nihil pati queant? Cum fides eorum, Tertullianus ait, effœminata deliciis sit, quomodo delicatum corpus martyrium valeat sustinere? *Birœat in Adventu.*

Corporis mortificatio parit affectionũ mortificationem.

Sancti affectionum suarum malaciam, & tranquillitatem obtinebant tanta mortificationis austeritate, ut magis mirum esset, quod viverent, quam quod affectuum suorum tumultum non experirentur. Cum corporibus suis veluti cum inimicis se gerebant; alebant illa tantum, ne morerentur; minimas etiam carnis rebelliones gravissimis coercebant suppliciis: aquam ipsam, quam bibebant, non sine querela ministrabant; neque aliud stratum habebant, quam vel nudam tellurem, vel tabulam. Nisi omnes easdem exercuerunt austeritates, verum est tamen, omnes jejunasse, vigilasse, bellum sensibus suis indixisse, omnesque S. Pauli exemplum secutos jugiter in corporibus suis Jesu Christi mortificationem gestasse. Talis erat felix illa *Apathia* veterum Patrum, & talis esse deberet eorum tranquillitas, qui vivunt spiritui. Pax simul, & bellum; pax cum Deo, & conscientia, bellum adversus carnem. Quicumque se ad eum pervenisse putant statum, quo a corporum suorum mortificatione dispensantur, suam agendi rationem comparent cum ea, quam illis opponimus; & spero futurum, ut gravissimam, in qua sunt, illusionem confiteantur: *Liber, qui inscribitur: Vera orationis idea, parte altera capite 3.*

Qui eminentis sanctitate perstant, majoribus sese exercent austeritatibus.

Sanctissimus quisque fere semper austeritatibus eget; cum enim altissimum habeat de santitate Dei conceptum, immiti severitate in se persequitur minimam quamlibet noxam, in quam ex fragilitate labitur. Innocentet suum corpus odit, illud austeris obruit pœnis, quippe spectat illud velut inimicum, qui ipsum a Deo potest separare. Cum etiam interiori aliquo sensus testimonio confidit futurum, ut sibi sua crimina dimittantur, per charitatem in se mundi scelera assumit, eaque ad Jesu Christi imitationem expiare contendit. Invidet martyribus, qui pro confessione nominis Jesu Christi male habiti fuerunt, crucifixi, ambusti, cæsi; neque præclaram martyrii occasionem, quæ sibi ultro non offertur, nactus vitam ipsam odit exemplo illius insignis sanctitate Virginis, quæ sæpe in illa erumpebat verba: *Aut pati Domine, aut mori. Idem.*

Sancta Theresa.

At enim non omnes adeo mortificatam vitam ducere tenentur; verum quæro, numquid non omnes sibi vim facere teneantur, ut saluti suæ consulant? Numquid Cœlum aliis quidem pluris, aliis vero minoris stet comparandum? Numquid vobis aliud evangelium, aliæque leges servandæ sint, quam illis, qui ante vos salutem suam operati sunt? Heu! quandoquidem alia est via magis facilis, & commoda, o pii fidelis, qui modo eo perfruimini regno, quod per vim estis adepti pretio vestrarum mortificationum, secessus, austeritatis; cur nobis ostendistis iter adeo arduum, præruptumque, naturæ molestum, ac nostræ fragilitati deterrendæ aptissimum, si commodiori, faciliori, ac infirmitatibus nostris aptiori via ad salutem potest perveniri? Cur nobis ad imitandum adeo difficilia reliquistis exempla, quandoquidem faciliora, & mitiora eumdem nacta fuissent eventum? O Deus! quam insipientes sunt homines, qui in discrimen suam salutem adducunt, quia ab aliis adducitur, & qui se damnant, quia alii damnantur. *P. Massilon de exiguo electorum numero.*

Ut agnoscatis, quam essentialis sit christianismo spiritus mortificationis, sufficit mea quidem sententia ea vobis proponere imaginem, quam S. Paulus, qui adeo perfecte Ethicam christianam callebat, veri fidelis nobis reliquit. Magnus hic Apostolus docet, lustrales Baptismi fontes quamdam esse imaginem sepulcri Jesu Christi; si Salvator jam mortuus in sepulcrum illatus est, nos quoque ad baptismum deferimur, ut ibi moriamur: non secus ac Salvatoris passio illi vitam abstulit, ut aliam eidem tribueret, eumque ex ea vita, quæ perfunctoria est, ac pluribus obnoxia incommodis, ad gloriosam, æternamque transtulit vitam, ita baptismum nobis adimere vitam, ut aliam conferat longe præstantiorem; adimit quippe vitam animalem, & mundi voluptatibus deditam, ut vitam spiritualem, humilem, mortificatam, & christianam largiatur. Ideo Tertullianus ajebat, fideles ad baptismum adduci consuevisse, tamquam ad mortificationis scholam, ubi discerent, quomodo & mundo, & voluptatibus omnibus morerentur: *Ad baptismum tamquam ad mortis tyrocinium deferimur.* Ita nasci Christianum, est mori mundo, & voluptatibus. Tota Christiani vita perpetua mors est; Jesu Christi sepulcrum illius esse debet domicilium, & corpus illud laniatum esse debet exemplar, secundum quod corpus suum debet redigere. Denique admonet, omnes illud jus, quod ad Salvatoris habet hæreditatem, proficisci ex ea parte, quam in passione ejusdem habebit. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, ad Rom. 8. *Sermo Manuscriptus.*

S. Paulus Apostolus, qui nihil exaggerat, ait inter ipsos etiam Christianos non deesse, qui inimici sunt crucis Christi, &c. *Nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Christi, &c.* At quinam, amabo vos, hi sunt, nisi qui vitæ hujus bona, & voluptates tantummodo inquirunt; quandoquidem crux ista non est cum vita deliciis affluenti, sed plena austeritatis, laboris, & mortificationis, conjuncta? Igitur statuendum est, illos esse crucis Jesu Christi inimicos, qui ea diligunt, quæ sunt cruci Jesu Christi opposita. Quantumvis te fidelem esse jactites, ac fronti adorabile hoc imprimas signum, semper verum erit Sancti Pauli verbum: Qui non habet spiritum Jesu Christi, ad illum non pertinet, & nisi pertinet ad illum, inimicus est crucis illius. Qui se Jesu Christi esse dicit, crucem suam post illum ferre debet: quicumque delicias consectantur, oppositi sunt Jesu Christo, illius sunt inimici; & quin seipsos crucifigant, iterum Salvatorem secum crucifigunt. *Liber cui titulus:* Instructions Chretiennes &c. *in vigesimam tertiam post Pentecosten Dominicam.*

Qui mortificationem fugiunt inimici sunt crucis Jesu Christi.

Immortificati lacrymis prosequendi sunt, non secus ac illos Sanctus Paulus deplorat: & quo minus illi seipsos deplorant, eo magis sunt deplorandi. Nos alios sane, ac illi, habemus oculos. Nihil legi Christi Jesu adeo oppositum est, quam mundo, voluptatibus, ac vitæ ipsi inhærere. Crux est juge veri Christiani objectum; cum a nullo crucifigitur, crucifigit seipsum, ac seipsum affligit, cum a nemine affligitur. Crux semper fuit veluti anima christianismi, & ejus adspectus cum virtute ejusdem conjunctus in iis, qui veri illius extitere discipuli, deliciarum vitæ hujus amorem evertit. *Idem.*

Immortificatorum status deplorandus.

Cum nascimur, omnes sumus peccatores, & dies, quæ nobis lucem ostendit, efficit, ut in oculis Dei videamur veluti nocentes, & infelicia iræ, & ultionis ejus objecta: ita ut quamvis omnia vitæ nostræ momenta impenderemus tantæ huic deflendæ calamitati, divinæ justitiæ satisfacturi, tunc

Mortificatio necessaria est, ne in scelus ruamus.

nihil

nihil præter ea, quæ debemus, a nobis præstitum credere deberemus. Sed profunda hæc vulnera, quæ nobis peccatum inflixit, quamvis Jesu Christi sanguine curata fuisse videantur, nobis tamen adhuc funesta sunt, eorum cicatrices adhuc manant cruore, fontes semper patentes sunt corruptionis, atque peccati; & nisi Deus omnipotenti manu sua eorum cursum inhibeat, nobis in singula momenta afferre possunt interitum. Prudentia igitur prorsus divina generosos hos sensus inspirat, non solum nobis omni nisu contendendum esse, omnesque corporis, animæque vires esse intendendas, ut hæc pericula evitemus; verum etiam, cum, ex S. Augustini sententia, in naturæ nostræ corruptione adeo vehementes in malum impulsus, & naturalia studia habeamus, in antecessum quodammodo offerendas esse satisfactiones, & sacrificia pro peccatis omnibus, in quæ procul dubio laberemur, si nostris tantum viribus a Deo traderemur. Ita quænam Deo sacrificia debent mortalium justissimi pro iis peccatis, quæ committere poterant, & quæ ex mera Dei misericordia non commiserunt? *Abbas Verjus in Sermone habito cum Monialis quædam Religionis veste indueretur.*

Quo usque Sanctorum christiana mortificatio processerit.

Ab ipsa Ecclesiæ institutione non defuerunt animæ magnæ, quæ christianæ vitæ perfectionem longius protulerunt, se christianorum nomine indignos censuerunt, quantum fieri potuit, severissima instituta amplexi sunt, & Dei crucifixi terribilissima exempla secuti. In horrentia secesserunt deserta, procul a mundo exules, postquam ex cordibus suis mundum ejecerant. Ultro subierunt martyrium nihilominus grave, & multo diuturnius, quam quod a persecutoribus, & carnificibus passi fuissent. Insignia portenta sunt in Ecclesiæ fastis intueri voluntaria eorum pœnitentium martyria, qui primis Christianæ reipublicæ sæculis floruerunt, incredibilia jejunia, austeritates, quæ a mortalibus non ferendæ videntur, mortificationes, & pœne dixerim, crudelitates incomprehensibiles in seipsos frequentissima fuerunt eorum exercitia; atque cum hac angelica innocentia, omniumque virtutum exercitatione assidua pro suis criminibus suspiria effundebant, coram Deo se prosternebant tamquam indignos misericordia, atque profitebantur, se non satis testari posse terrorem, quem judiciorum Dei severitas ipsis incutiebat. *Idem.*

Frustra sæculi divites a christiana mortificatione dispensare contendunt.

Numquid potentia, fortuna, divitiæ à christianæ religionis mortificationibus dispensant? Serio aliquis ne cogitare potest in divitum, & nobilium gratiam exceptionem hanc statuisse Deum, qui palam profitetur saluti eorum omnia esse metuenda? Divitiarum acquisitio injustitiarum est occasio, divitiarum possessio fons est superbiæ, divitiarum usus semen est vitiorum in moribus, ac vitæ flagitiosæ principium. In mundi prosperitate omnia tentatio, omnia periculum sunt. Auctoritas crimini personam appingit, magnificentia illud allicit, assentatio illud palpat, affluentia nutrit; & in hac vluptatum regione sperari potest jugis pœnitentiæ, & mortificationis exercitatio? Secundum evangelii spiritum Christianus quo ditior est, eo debet esse mortificatior, hoc est, quo magis opibus, deliciisque diffluit, eo magis vitæ hujus commoda, & oblectamenta sibi interdicere debet. Pauperi tot sacrificia facienda non sunt; dives esse non potest alia conditione Jesu Christi discipulus: hæc morum disciplina pluribusne placet? Sed ideo ne, quia minus placet, minus est Jesu Christi disciplina? Omnia hæc abnegationis, mortificationis, crucifixionis effata ita ne sunt ad salutem necessaria, ut pro pauperibus tantum sint, qui omnibus hisce superfluis bonis carent? Divites vero, ad quos hæc oracula pertinent, putantne hunc fidei articulum esse, cum interim nullos cupiditatibus suis cancellos constituant; cum numquam satis cupediarum, & deliciarum in suis conviviis inveniant, numquam satis vel magnificentiæ in supellectili, vel fastus in servorum caterva, vel sumptus in luxu? Diceres mollitiem, sumptum, otium, crapulam eo magis crescere debere, quo crescunt opes; saltem verum est, illis non aliam esse mensuram, vel normam. *P. Croiset tomo secundo Spiritualium Considerationum.*

Mortificatio rebus in omnibus potest exerceri.

Dei filius satis mortificationis necessitatem nobis ostendit, cum ait Matth. 10. *Non veni mittere pacem, sed gladium, veni separare &c.* Quod non intelligendum est tantum de criminibus, & vitiis, quæ per se inferunt mortem; sed de omnibus nugis, vanitatibus, solatiis, deliciis, studiisque hujus mundi, quæ animas nostras fallunt, captivant, subjiciunt, atque efficiunt, ut Dei detrectantes imperium creaturis adhæreant. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in S. Matthæum.*

Sine corporis mortificatione nemo spiritualis perfectusque, esse potest.

Difficile est vere spiritualem fieri, & ad christianam perfectionem contendere, nisi amas pœnitentiam, atque mortificationem. Hic amor in omnibus fere sanctis invenitur; quod indicium est, illum a Dei spiritu proficisci. Ne unum quidem fortasse sanctum invenies, quæ sibi crudelis non fuerit: & ratio constat, quia spiritus sanctitatis generosus est, atque sublimis, hominem a vita molli removens, eumque supra naturalem ipsius mollitiem attollens. Porro cum innocentia, & puritas nonnisi per viam spiritus possint acquiri, & spiritus, atque corpus contrarias habeant affectiones, ut spiritus dominetur, opus est bellum corpori indicat, atque illud subjiciat. Itaque anima generosa, quæ sincere Deo adhærere vult, redigere debet corpus suum ad quodlibet austeritatis genus perferendum, quod tamen prudentiæ fines non excedat, quod valetudini non officiat, & quod non infirmet vires, quæ necessariæ sunt, ut serviat Deo secundum illius status officia, ad quem est evocatus. *P. Surin in Dialogis spiritualibus cap. 3.*

Bona, quibus se privat, qui corporeas fugit mortificationes.

Corporis pœna inexhaustus est fons gratiarum, ut spiritus attollatur ad Deum, ut hujus amore inflammetur, ut in Dei necessitudine crescat. At sæpe homo omnibus his bonis se privat; quia nimis breves cancellos corporalium austeritatum exercitationi constituit. Vix credi potest quantum placeat Deo videre carnem spiritui submissam, atque parentem. Fortitudo, quam hac in re ostendimus, ex manibus ejus veluti vi facta avellit, quidquid ab eo nititur obtinere, & severitas, quam in nosmet exercemus præter remunerationem in beata vita expectandam, in hac quoque vita cœlestes consolationes meretur uberrime. Sancta Theresia scribit, insignem sanctitate virum, qui corpori suo assiduum bellum indixerat, post mortem sibi magna fulgentem in gloria apparuisse, atque dixisse: *Felix pœnitentia, quæ mihi tantam promeruit gloriam. Idem.*

Animæ sanctæ libenter mortificationem amplectuntur.

Sanctæ animæ, & Dei amore succensæ in pœnitentia veluti in suo vivunt elemento. Illam sibi in partem elegerunt, eique constanter adhærent, tamquam unice necessariæ ad amorem Dei, fervoremque tuendum. Hic satis frequens abusus est iis, qui asceticam ducunt vitam, nimis cito mortificationis exercitationem abrumpere. Verum est, Deum non semper, neque ab omni personarum genere illam exquirere, sed Deo acceptior esset, qui majorem sibi vim vellet inferre. *Idem.*

Deus nobis mortificationes immittit ut nostri periculum faciat.

Scit Deus nobis mortificationes immittere, ut nostri periculum faciat, ubi necessariæ sunt, quin sæpe opus sit, ut aliunde illas accersere debeamus. Quæ inde procedunt toto cœlo magis utiles sunt, quam quæ eliguntur a nobis; ubique enim amor proprius invenitur. Itaque non errandi via est iis uti occasionibus, quas nobis obtrudit Providentia, & pro certo habere, tunc potissimum cum a nobis Deus læsus fuit, nihil utilius accidere posse, quam si ille nobis præbeat locum justitiæ suæ satisfaciendi, & præterita flagitia rebus adversis, nostræque oppositis voluntati expiandi. *Abbas Trappensis tomo 1. Effatorum Christianorum.*

SUP-

SUPPLEMENTUM.

Duo sunt mortificationis genera; interior altera, altera exterior; prior necessaria est & certum pietatis indicium, posterior non est adeo necessaria & una cum hypocrisi invenitur.

Duo sunt mortificationum genera, altera exterior est in corporis maceratione dumtaxat posita; altera interior, quæ proprie est spiritus, & cordis mortificatio. Illa libidinem domat, hæc animi cupiditates. Utraque necessaria est ad perfectionem, imo etiam ad salutem obtinendam. Jejunia, vigiliæ, cilicia, aliæque id genus corporis mortificationes valida sunt adjumenta, ut vere spirituales evadamus. Verum est sanctitatem nequaquam consistere in exterioribus pœnis, & has simul cum hypocrisi posse inveniri; at non ita sentiendum est de interiori mortificatione, quæ semper est pietatis indicium; & quæ multo magis necessaria est quam, ut aliquis se ab illa jure possit dispensare. Hanc vim jugiter nobismet facere debemus ad regnum Cœlorum acquirendum. Non omnes jejunare possunt, non omnes in se ciliciis sævire, sed nemo est, qui nequeat mortificare sua desideria, suum ingenium, suas cupiditates, suam naturam, suas affectiones. Frustra nobismet blandimur, quasi a nobis Jesus Christus diligeretur, nisi nobismet mortificandis operam damus. Constans, & generosa nobis amplectenda est mortificatio, si cupimus infirmare, & destruere amorem hunc proprium, quo cupiditates omnes aluntur. Tandem consilium capiendum est crucis deferendæ; nostra salus, vitæ securitas, illi adnexa est, inquit auctor de Imitatione Jesu Christi. Frustra extra Crucem quæritur salus animæ, & iter gloriæ. Sumite igitur Crucem, sequimini Dei Filium, & certissime vitam æternam consequemini. *Pater Croiset in Asceticis Exercitiis.*

Sibi vim facere opus est ob cœlum acquirendum.

Cœlum vi rapitur: Abrenuntiare mortificationi, & pœnitentiæ idem est ac abrenuntiare Cœlo. Abrenunciandum est mundo, & voluptatibus ejus; Crux illius est ferenda, affectus vincendi sunt, cupiditatibus est resistendum, amor proprius subigendus est; inimici diligendi sunt, nosque metipsos odio habere, & persequi oportet. Hoc rectum est iter Evangelicum; hoc iter illud est spinis consitum, quod in Cœlum adducit, & per quod incedendum est, si illuc cupimus pervenire. Alia quælibet via, alia quævis semita aberrat. Hanc sequimur? an prorsus oppositam tenemus? Sed quinam illius terminus futurus est? Necessario per hanc viam incedendum est. Sumus peccatores, pœnitentia nobis agenda est. Sumus Christiani, Deus nobis imitandus est. Creati sumus Cœlo, quocumque pretio illuc nobis est perveniendum. Nonne rationes istæ ad alios pertinere videntur, ad nos autem nequaquam? Saltem verum est hodierna die ita agi, ita cogitari, quasi magnæ hujusmodi veritates nimiam redolerent antiquitatem, & jam essent antiquatæ. Hæc pœnitentia, quam nemo mortalium evitare potest: hæc pœnitentia, quam ne justi quidem possunt effugere, numquid hodie virtus est Christianis omnibus familiarissima? *Idem.*

Necessitas, & praxis mortificationis interioris.

Interioris mortificationis exercitatio quoddam est pœnitentiæ genus, a quo nemini fas est secum dispensare. Hæc sanctis omnibus communis fuit, & cognita illis, qui verum habent perfectionis obtinendæ desiderium. Satis est sese spiritui Dei attentos præbere; Dei amor in hac re adeo pollet industria, ut, sese mortificandi artes, & adminicula, quæ primo statim incursu crassioribus etiam inspirat hominibus, superent sapientiorum ingenium, & in hoc genere tamquam parva miracula videantur. Nihil est, quod illis non ministret occasionem obsistendi cupiditatibus suis, nullum est tempus, locusque nullus, qui illis aptus non videatur ad sese mortificandos, quin unquam ne latum quidem unguem a vero, bonoque sensu recedant. Exempli gratia, satis est, eos habere magnam loquendi, aut videndi pruriginem, ut sibi silentium indicant, & oculos obstruant. Desiderium res novas audiendi, vel sciendi, quæ fiunt, quæque vulgo narrantur; desiderium personam videndi, narrandi factum, cognoscendi negotii alicujus eventum; verbo, omnis sollicita festinatio argumentum est mortificationis, quæ eo magis meritoria est, quo frequentior, & quod illius Deus unus testis deesse potest. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Frequentes mortificationis exercendæ occasiones.

Nihil uberius est, quam frequentes interioris mortificationis occasiones. Enarratio aliqua mirum in modum instruet. Verbum opportune prolatum, urbanus jocus, infusio quodam satyrico sale condita in virorum corona laudem mereri potest, sed præclari etiam sacrificii materia potest esse. Nulla fere est hora diei, quæ non sese nobis offerat mortificationis argumentum. Sedenti, vel stanti numquam deerit locus, vel corporis situs parum commodus, quin id extrinsecus pateat. Si serio intentus occupationi, interpellatus centies, centies summa cum suavitate, & urbanitate responderis, perinde ac si nulli rei vacares, non exiguum mortificationis meritum hauris. Pravum illius, cum quo versaris ingenium, domestici alicujus vitia, hominis, de quo optime est meritus, ingratitudo possunt viri virtute præditi multum exercere patientiam. Denique incommoda propria loci, temporis, & personarum, quæ perferuntur eo modo, quasi ne cognoscerentur quidem, exiguæ sunt sese mortificandi occasiones; sed in exiguis hisce occasionibus exigua non est; magni est meriti; & dicere possumus majores gratias levium hujusmodi mortificationum fructum esse. Non levis est mortificatio, nulla in re a communitatis officiis se dispensare, sese in singulis communi vitæ conformem præbere, quin ulla habeatur ratio affectuum, munerum, ætatis. Hic fons est uberrimus gratiarum omnium, atque, ut ita dicam, sanctitatis. *Idem.*

Juxta Sanctorum exempla nosmet mortificare debemus Cœlum lucraturi.

De hoc, lectissimi auditores, cogitamusne? Joannes Baptista in matris sinu Sanctificatus secedit in desertum, ubi locustis, & agresti melle pascitur. Paulus usque ad tertium cœlum raptus castigat corpus suum, & in servitutem redigit; & generatim omnes qui sunt Jesu Christi, carnem suam crucifigunt cum concupiscentiis; si Sancti ita in viridi faciunt, quid in arido facient peccatores? Meminerimus nos in peccato natos esse, nos terræ adhærescere, nos cum simus fratres Jesu Christi per adoptionem, quotidie illius fieri inimicos per improbitatem; & si ad literam non jubemur ad adeo sublimem perfectionis gradum contendere, saltem non putemus nos per vitæ hujus delicias, & suavitatem obtinere posse regnum, quod non nisi vi capitur, & expugnatur. *Abbas Anselmus.*

Monita quædam ad austeritatem, & mortificationem pertinentia.

Quod pertinet ad austeritates, habenda ratio est singulorum ætati, illecebris, necessitatibus, temperamento. Sæpe simplex mortificatio, quæ in jugi fidelitate, in providentiæ crucibus sita est, excedit magnas auctoritates, quæ vitam magis singularem efficiunt, & tentant, ut tibi complaceas. Quicumque nihil in Dei ordine tenuit, nihilque extra hunc ordinem requirit, nulli finem imponit diei, quin particeps fuerit Crucis Dominicæ. Non deest in crucibus necessaria providentia non secus ac in iis, quæ pertinent ad victum: Hic panis est quotidianus; hunc numquam deesse nobis patitur Deus; nonnumquam etiam hæc purissima est ferventibus animabus mortificatio, non mortificare semetipsum more suo, sed sinere, se ab aliis mortificari secundum Dei voluntatem. Cum fideles non sumus iis in mortificationibus, quas nobis immittit providentia, metuendum est, ut illudamur illis etiam, quas per fervorem conquirimus. Fervor hic sæpe fallax est; & operæ pretium est, incipere periculum faciendo hujus fidelitatis, quæ in quotidianis crucibus, & quas providentia disponit, adhibetur. Cum aliquis æque paratus est requirendis austeritatibus, & non requirendis, licet vel sinere, ut se ipsum mortificet,

vel eum cohibere, vel etiam excitare, prout opus illi est, ut sibi caveas; verum semper habita ratione corporis, & spiritus ejus; dixi spiritus, quia spiritus aliquando gustat pacem suavem, & quoddam in virtute gaudium, quod perturbare non prodest agendi ratione, quæ duriuscula sit, & asperior. Gaudium hoc in libertate relinquendum est; coactio, & vis non ingrediuntur in regnum Cœlorum, ubi non nisi pax est, amor, & lætitia. *De Fenelon Cameracensis Archiepiscopus in Asceticis.*

Sanctorum studium fuit corpus suum tamquam domesticum habere supplicium.

Sancti semper maxima pollent industria in corporibus suis affligendis, & efficiunt, ut recentibus pœnis tedimant exiguum illud solatium, quod illi concedunt. Cum non alia ipsis mens sit, quam sensim illud atterendi, id faciendi modos excogitant, ne sui fiat illius carnifices facti. In singula momenta cupiunt mortem, quin hanc sibi audeant procurare; & si liceret ipsis vitam efficere breviorem pœnitentiæ rigoribus, in longe majores, quam S. Paulus, querelas erumperent, qui dolebat videns se corruptibili carne circumdatum, quam optasset in frusta dilabi, ut animæ suæ viam faceret, qua illa de carcere egrederetur. Hoc semper fuit Sanctorum desiderium; nihil illis minus ferendum erat, quam corpus suum. Hoc tamquam perniciosissimum hostem habebant, & infidelem famulum, in quem inclementer sæviebant. Ipsum catenis, ferreisque zonis obruebant; jugi labore fatigabant; humi sterni jubebant, modico pane, & aqua reficiebant, quæ etiam mereri debebat dici totius abstinentia, & itinerum longinquitate, quæ de industria suscipiebant, sæpe etiam inter vepres, ac spinas, ut magis magisque domesticus hic inimicus vapularet. *Recens Auctor.*

Sciebant enim hunc malorum omnium esse fontem.

Sancti oderunt corpus suum, quia omnium malorum suorum fontem. Sciunt nequiora flagitia ex hac parte corrupta proficisci, & animam, nisi carne præpediretur, ab omni scelere immunem futuram. Si corpori suo parum alimoniæ tribuunt, breviorem illi etiam requiem permittunt. Eorum vigiliæ æque admirabiles sunt, ac jejunia; cumque hæc duo in pœnitente separari nequeant, æque in omnibus Sanctis sunt admirationi. Somnum respiciebant tamquam mortis imaginem, & veluti servitutem in qua anima vincta est, omnesque illius facultates ineptæ ad conandum aliquid, quod in Dei gloriam, vel proximi cedat utilitatem. Assuefaciebant corpus hoc ad molestam hanc necessitatem vincendam, vel si per indulgentiam quæ naturæ denegari non potest, aliquod quietis momentum carpebant, id tanta præcautione usi præstabant, ut eorum ratio nequaquam densis noctis tenebris involveretur, donec corpus reficiebatur a laboribus, quibus interdiu fuerat occupatus. *Idem.*

Nosmet morti præparare debemus jugi mortificatione, quæ est mors præcox.

Mortificatio, proprie loquendo mors est voluntaria, mors est hominis viventis, mors ante mortem. Ideoque mortificatio vestra in antecessum efficere debet in anima vestra, quod mors aliquando per necessitatem efficiet in corpore vestro. Mors vobis eripiet sensuum omnium usum; facite, ut illi in antecessum moriantur, auferendo quidquid Deo potest displicere in verbis vestris, in obtutibus, in usu sensibilium omnium voluptatum. Mors omnia vobis terræ bona surripiet; eorum affectum abjicite, eorum jactura vobis dolorem non cieat; ne illorum possessione oblectemini. Qui libenter terrenis abstinent, haud ægre vita cedunt; qui vero illorum immodico tenentur desiderio, horribilem patiuntur vim, cum mors eadem avellit. Separabit vos mors a vestris consanguineis, & necessariis, qui vos ad sepulchrum usque deducent; sed ubi vos extulerint; non amplius vestri recordabuntur. Quamprimum ergo abjicite omnem carnalem benevolentiam erga vestros cognatos, eamque in amorem mere spiritualem convertite. Ita fidenter expectare poteritis momentum illud fatale separationis vestræ a mundo, quæ tantum cient horrorem illis omnibus, qui in flagitiis suam vitam traducunt. *P. Nevet in Meditationibus.*

Mortificatio proprie loquendo est nostrimetipsorum sacrificium.

Sacrificium actus est Religionis, quo creatura fatetur supremum Dominium, quod Deus habet in illam, & absolutam potestatem, quam habet eamdem in nihilum redigendi, non secus ac in victimam, quæ eidem immolatur. In lege veteri sacrificia erant exteriora, & crassa: in lege nova sunt interiora, & spiritualia. Deus nobis conferre volens medium offerendi illi juge, perfectumque sacrificium in quolibet nostrum duas posuit infestas facultates, & ut ita dicam duos homines contrarios in homine; hominem peccati, & hominem gratiæ, hominem secundum carnem, & hominem secundum spiritum, hominem egressum ex massa corrupta primi Adæ, & hominem desumptum ex fonte purificato Jesu Christi, ut alter per alterum immolaretur, ut homo quodammodo subsisteret se ipsum destruendo, & ut ex duabus hisce facultatibus altera fieret sacrificii materia; altera vero actus ejusdem produceret. Hinc mundi Salvator dicit in Evangelio, se non venisse ad afferendam pacem, sed gladium; ut nostrum quilibet se ipsum immolare posset ferro mortificationis, & in partem accedere magni hujus sacrificii, quod Dei Filius obtulit Patri suo in Cruce, ubi postquam mortificavit hominem peccati, toto vitæ suæ patientis, laboribusque cumulatissimæ spatio, fecit, ut in Cruce expiraret, & sibimetipsi, ut ita dicam, obstrinxit. *Abbas du Jarry.*

Amor proprius qui efficit, ut cupiamus illa omnia, quæ nobis prohibet Deus, oppositum est mortificationi.

Amor proprius est pars hæreditatis, quam primi Parentes nobis legarunt; animi affectio est, qua impellimur ad ea amanda, quæ a nobis amari Deus vetat; pondus est, quod cor nostrum ad terrena, & corruptibilia trahit. Vinculum est, quod nostras affectiones creaturis adnectit; morbus est, qui ciet in nobis extremam famem, & sitim vanitatum, ac pomparum mundi, efficitque, ut eas magna cum voluptate gustemus. Hoc illud est, quod a S. Paulo vocatur catena peccati, quæ jugem alit in nobis rebellionem adversus spiritum; hæc juxta eumdem Apostolum est peccati lex, quæ semper est opposita legi Dei, & quæ dæmonis servos nos facit, si illi obedierimus. Per ignorantiam peccamus nosmetipsos decipientes, & sumentes malum pro bono; per concupiscentiam peccamus, & magis, magisque animam nostram corrumpimus. Quis autem satis concipere potest quænam mala ignorantia, & cupiditas in mente, & corde peccatoris efficiant; altera quippe menti affert cæcitatem, altera vero cor ipsum corrumpit. Quid hæ duæ malæ radices producere possunt nisi fructus mortis? Qui vero hujusmodi fructus gustare potest, quin veneno inficiatur. Sed tunc sensuum mortificatio ubi est? *De Sancta Martha in Tomo primo tractatuum Asceticorum. Capite secundo.*

Amoris proprii artes.

Occurrunt immortificati homines in iis etiam mortificationis præceptis, quæ tradunt aliis, cum interim sua tantum commoda perquirant. Difficile est conjicere, quo usque procedat amoris proprii versutia in devoto imperfecto, qui hominis virtute prædiri famam sustinere vult. Quod studium ad ea callide removenda, quæ in statu suo accidunt permolesta! Quæ ars, ut in omnibus propriam suam perficiat voluptatem! Quæ calliditas, ut fines suos consequatur. Quæ curæ dissimulatæ, quæ vix sentiuntur, ut omnia sua commoda obtineat! Abundantia, & deliciæ in ipsa etiam paupertate inveniuntur. Singula versute pertractans mysteriis suis semper sibi reverentiam conciliat: & quod mirum magis est, jugiter causas prætexit, ad ipsos etiam defectus commendandos. *P. Croiset. In spiritualibus Considerationibus.*

Quid sit amor proprius, & propria utilitas nostra.

Amor proprius est affectio quædam, qua inordinate levia etiam commoda nostra perquirimus, quin ullam Dei rationem habeamus. Quo in sensu desumptus Amor proprius non idem est, ac magna illa radix omnium malorum nostrorum, qua nobismetipsis inhæremus, & quæ amori quem Deo debemus adversatur. Sed hic idem amor quibusdam particularibus objectis applicitus nos efficit nostris commodis intentos, & osores mortificationis in rebus minimis, quæ ad communem vitæ

usum

usum pertinent. Occurrunt aliquando mortales quidam adeo suorum commodorum amatores, ut quantumvis parum attingas quod ad ipsos pertinet, in iras exardent: statim illorum ægritudo excitatur; adeo sunt occupati semetipsis, quasi nihil in mundo illis esset antiquius, quam commoda sua. *Pater Surin Tomo 1. Dialogorum Asceticorum.*

Vita secundum carnis desideria triplici morte punitur.

Vivere secundum carnem est, nil aliud cordi habere, quam corpori suo blandiri, illud palpare, & inordinatis ejusdem cupiditatibus obsequi. Mala autem, quæ ita viventibus minitatur Deus, sunt mors animæ, mors corporis, & mors æterna. Anima hominis carnalis primum morte percutitur, & hoc primum mortis genus omnino, & secundum omnes circumstantias inseparabilis est a gravi peccato, quod patiamus. Corporis mortem mors animæ sequitur non secus ac effectus causam. Sententia hujus prolata fuit contra primum hominem; quam nisi statim in arena voluit Deus adimpleri, hæc mera fuit gratia, sicuti, alia gratia est, cum Deus peccatorem peccato suo superstitem patitur. Quemadmodum peccatum generatio est mortis nostræ causa, quocumque tempore accidat; ita hominum impudicorum turpia crimina, est præcipitis mortis eorum causa. Corruptio non solum est in anima eorum; corpus quoque suam habet, qua atteritur, conficitur, & brevi ad tumuli putredinem redigitur. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Celeri huic morti Christiani voluptatibus, flagitiisque omnibus dediti succedit damnatio, quæ est mors æterna. Omnia hæc mala ab Ecclesiastico nobis protenduntur: qui se tradiderit impudicitiæ, corrumpetur. Ecce mors animæ, quæ homini carnali intentatur. Habebit pro hæreditate putredinem, & vermes: ecce mors præceps, in quam suæ illum pertrahunt iniquitates. Anima illius expungetur de numero viventium: Ecce illius damnatio, quæ est mors æterna. Licet tria hæc mortis genera successive tantum acciderent, nonne illis trepidandi esset causa? Sed heu! Quot peccatores eodem tempore eodemque in loco libidinum suarum amiserunt vitam animæ, vitam corporis, & vitam æternam? Utinam finis eorum sit vobis lectio salutaris! *P. Segneri.*

Rom. 8.

Mortificatio desideriorum carnis triplici vita reparatur.

Qui per spiritum mortificat opera carnis, triplici vita vivet. Primum quidem vita temporali. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Secundo Christianus mortificatus vivet vita gratiæ; sensuum enim mortificatio nobis obtinet gratiam, eamque tuetur. Vivet tertio Christianus mortificatus, vita gloriæ. Hanc mortificatis Jesus Christus spopondit, eisque gustandas præbet vitæ hujus delitias iis consolationibus, quas omnes sæculi voluptates exæquare non possunt. Quantæ igitur utilitatis est carnem mortificare? hoc est vere seipsum amare. Rei hujus applicatio facilis est, si times mortificare carnem tuam, illi mortem infers, neque temporalem tantum, sed etiam æternam; e contra vero si carnem tuam mortificaveris, æterna vita vives. Num adeo eris insipiens, adeo tibi inimicus, ut mortem tuam vitæ anteponas? *Idem.*

Eccli. 37.

S. Paulus postquam tot labores pro Deo sustinuit, timet, ut reprobus fiat nisi corpus suum castigaverit.

Hæc S. Pauli verba terrorem nobis incutere debent. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Timet Apostolus, ut reprobetur, si carnem suam negligat castigare; ubi S. Augustinus exclamat: *Quid faciet Agnus, ubi aries timet, & tremit?* Numquid certus es, tuam in sensibus mortificandis negligentiam minime futuram causam tuæ reprobationis? Levissima de re hac dubitatio, te inquietum debet efficere, si enim de re maximi momenti agitur, de rebus omnibus agitur tibi. *Ne forte reprobus efficiar.* Heu! Quid tibi prodest, si mundum universum lucreris; animæ vero tuæ detrimentum pariaris? Num putas, eo quod plures animas institutis, præceptisque tuis in Cœlum induxisti; Infernum ex hinc non posse fieri æternam habitationem tuam? Si hoc esset, S. Paulus nequaquam dixisset, se postquam aliis viam salutis ostenderit, timere adhuc, ut forte reprobus efficiatur. Quis magno hoc Gentium Apostolo plures convertit animas? Tamen non ideo credebat salutem suam adhuc in tuto versari. Minimum in re tanti momenti periculum nonne timorem, ac horrorem nobis debet injicere. *Super hoc expavit cor meum, & emotum est de loco suo.* Sed ecce aliquid longe terribilius. Apostolus damnari timet, post tot labores pro Jesu Christo exantlatos, post tot mortificationes, quibus suum corpus afflixit; tu vero putas certam fore salutem tuam, licet omnes vitæ hujus delicias, & comoda tibi procures. Mollities ergo melius in te subjecit carnem spiritui, quam tolerantia in Apostolo fuerit operata. Melius intellige, quæ dixerit S. Paulus ad eorum confusionem, qui se tutos a peccati insidiis arbitrantur: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Quod apertius indicium, perfectos ipsos obnoxios esse rebellionibus carnis, & rebelliones has usque ad obitum pati, ideoque sine jugi mortificatione hominem licet sanctissimum sibimet polliceri non posse se curriculum suum absoluturum esse, & feliciter de vitæ hujus certaminibus evasurum? *Sic igitur curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar. P. Segneri in Meditationibus.*

1. Cor. 9.

Matth. 16.

Job 37.

Non satis est vitia sua crucifigere, caro etiam illorum fons est crucifigenda.

Qui sunt Christi, Paulus ait, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Ubi attende, non solum dici, Qui sunt Christi vitia sua crucifixerunt, sed *crucifixerunt carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis.* Namque ad morbum aliquem curandum, illius fons est adeundus, & caro est radix omnium animæ nostræ malorum. Sed ut perfecte animæ nostræ morbis medeamur; caro necessario castiganda est, & in servitutem redigenda: *castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, dicebat Magnus Apostolus. Quæ tua in hac re consuetudo est, quomodo corpus tuum castigas? Jejunasne? Vigilas? Quas austeritates exerces? Si quin carnem tuam domes, & in servitutem redigas, illam palpas, eique blandiris, næ tu Jesu Christi non es: *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis; & concupiscentiis.*

Galat. 5.

1. Cor. 9.

Galat. 5.

Non satis est carnem crucifigere nisi vitia quoque illius crucifigas.

Satis non est carnem suam crucifigere, nisi vitia quoque illius crucifigantur: *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis &c.* Videlicet interior mortificatio exteriori accedat oportet. Et sane hæc exercenda non est, nisi quatenus ad illam refertur, & parum prodesset castigare, & subigere corpus, si spiritus adhuc mancipatus esset inconditis motibus cordis. S. Paulus hic duo nos docet in nobis esse evertenda interiori mortificatione, videlicet pravos habitus, & affectiones nostras. *Cum vitiis, & concupiscentiis.* Pravos habitus, inquam; nam quantumlibet nosmetipsos mortificare conemur, semper in aliquod actuale peccatum ruemus; quod vero spectat ad habitus peccati, si strenue, ac incessanter pugnaverimus, tandem illos evertemus. Affectus autem nostros, numquam omnino destruemus; sed eorum saltem imperium destruimus; & si minus facere possumus, ut in cruce moriantur, in nostra potestate est illos cruci affixos tenere, quod facere debemus, si volumus esse Jesu Christi. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Idem.*

Quid nomine mortificationis carnis Apostolus intelligat.

Non dicit Apostolus: *Si vixeritis secundum spiritum*; sed *si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Vivere enim potest aliquis secundum carnem, & hoc passim usuvenit; sed nemo mortalium vivit omnino secundum spiritum; vita hæc tota spiritalis in Cœlo tantum invenitur, ubi caro penitus subjecta spiritui efficit, ut primi rebellionis motus, ne sentiantur quidem. Ideo S. Paulus commendat, ut resistamus carnis insultibus, ut illius desideria coerceamus, et mortificemus impetum, jugi oppositione injustis illius sollicitationibus; ut verbo uno expediam, ut eam captivemus sub spiritus impe-

imperio, statim ac audet se attollere. Apostolus non eam carnis exigit mortificationem, quæ in austeritatibus & corporis maceratione sita est; non omnes æque pares sunt his adhibendis, quamquam ad carnem humiliandam, ac spiritui subigendam maxime idoneis. Sed communis mortificatio, a qua nemo Christianorum secum potest dispensare, est mortificatio operum carnis, quemadmodum hactenus dictum est: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. P. Segneri Medicationibus.*

Vita perfecta imo etiā communis Christianorum vita nequit sine mortificatione subsistere.

Ecce triplex est vitæ genus; unum omnino spirituale proprium dumtaxat Angelorum, qui in cœlo sunt; alterum omnino carnale belluarum commune, & quod homo debet perhorrescere; tertium, denique quod medium esse debet inter utrumque, & quod pendet ab hac mortificatione, quam S. Paulus fidelibus omnibus præscribit. Hæc mortificatio omnibus imperata, sufficit quidem ad vitam Christianam ducendam; sed beatus, qui ad perfectorum mortificationem adspirat, ut in terris ducat vitam, quantum fieri potest spiritualem. Conemur cum eodem Apostolo: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferre, ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Idem.*

2. Cor. 4. 10.

Vita immortificata tendit ad mortē æternam.

Mors corporis, mors animæ, mors æterna; ecce quo tendit vita sensuum funesta; ecce quo me deducunt desideria carnis, si illis obsequor; num aliquid est terribilius, & formidabilius triplici hac morte? Igitur adeo jucunda, & suavis est hæc via, quæ me ad tot mortes adducit, ut voluptas, qua ibi fruor, mihi præferenda sit horribili termino, ad quem deducit? Igitur via hæc mortificationis sensuum adeo insuavis est, ut potiusquam hanc sequar, mihi abrenuntiandum sit triplici vitæ, quæ præclara est merces illius. Mundus viam crucis, & mortificationis monstrum aliquod esse putat; in hoc oritur quia ejusdem finem minime considerat. Sed in eadem via fallitur, illius severitatem dumtaxat inspicit, & nescit suavitatem, quam ibi effundit gratia. Si mihi satis animi non deest, ut sequar perfectos in via austeritatum, saltem ero in numero eorum, qui veri Christiani sunt, qui sibi legem irrogant nihil carni suæ permittendi æque, & honesta solatia, & omnem illi vim faciendi, quæ ad illam spiritui subjiciendam requiritur. *Idem.*

Difficile est in hoc mundo suæ saluti prospicere, nisi jugem nobismet vim inferamus.

Profecto facilene est in mundo vivere inter magna fortunæ bona, & in perfruitione voluptatum etiam legitimarum? Vivere inter occasiones sentiendi incessanter, quidquid illecebrarum, ac suavitatis in mundo invenitur, iisque mentem, ac imaginationem repletam habere quin cor se deliniri patiatur, & quin iis adhærescat; nisi sibimetipsi juge bellum indicat, nisi semper invigilet cordi suo, nisi sibi extremam vim faciat, & assidue sese in sensuum mortificatione exerceat? Necessaria igitur est Christianis omnibus hæc mortificatio, perferendum igitur est, sibique vis inferenda, ut ingrediamur in Cœlum. Necessaria igitur est viventibus in mundo, non secus ac illis qui a mundo recesserunt; nisi forte putas requiri vallum eo infirmius, quo torrentis impetus est vehementior; & eo minus caute incedendum esse, ubi magis præceps est via; & minus valetudini suæ prospiciendum esse, qui sunt infirmiores, & quotidie versantur in discrimine in periculosos morbos incidendi. *Pater Vaubert.*

Mortificatio semper est necessaria ad superandā naturæ propensionem qua trahimur in malum.

Concupiscentia ille est inordinatus appetitus, qui post peccatum permansit in homine. Cum domestico hoc orti inimico illum possumus quidem cum gratiæ subsidio infirmare, illum autem omnino destruere non possumus. Oportet ergo ut ad illum oppugnandum arma semper districta habeamus. Nobis semper cavendum est ab illius versutia, contra ejus insidias noctesque diesque nobis invigilandum est. Hoc pondus est, quod trahit, Syren, quæ allicit, hæc peccati radix est. Modus autem propensionem hanc cohibendi, illecebris his resistendi, & prohibendi, ne virulenta hæc germinet radix, Apostolus ait, est ambulare secundum Dei spiritum; est vivere secundum legem Evangelii, est omnes affectus suos mortificare, qui vocari possunt filii concupiscentiæ: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Ita utroque hoc vicissim bellum sibi inferente, inter duos hosce inimicos nulla esse potest pax, induciæ nullæ. Sola igitur ratio obicem aliquem statuendi vastitati, quam nobis portendunt, est mortificationem amplecti, ut inter tot turbas aliqua possimus frui tranquillitate. *Pater Croiset. In Asceticis Exercitationibus, Tomo 5.*

Omni tempore omnique in statu mortificatio necessaria est.

Quo magis virtute crescimus, eo attentius vigilare debemus, tunc enim inimicus noster majori cum pertinacia lacessit. Si quis me sequi vult, tollat *quotidie* crucem suam, inquit Lucas Evangelista. Adeo verum est nullum esse tempus vitæ, quo Christianæ mortificationi abrenuntiare possimus, quin salutem manifesto periculo objiciamus. Ita licet ad altissimum perfectionis gradum pervenissemus, si orationis, jejuniique exercitium negligatur, certissimum est fatalem mortalemque lapsum imminere. Timete igitur Dominum vos, qui illius Sancti estis. Vobis res est cum inimico semper vigilante; & si obdormiscitis fieri non potest, ut minime vincamini. *Abbas de Montmorel Homilia de Circumcisione.*

Luc. 9.

Vita immortificata non aliam sequitur ducem nisi affectus suos, non aliam regulam nisi libidinem suam.

Consideremus vitam mollem, atque immortificatam vitam esse ignavam, effœminatam, negligentem, voluptuosam, & quæ vulgo vita voluptatibus dedita nuncupatur; hæccine potest esse Christiana? Hæc tamen vita est pendens a sensibus, qui nullum habent ducem nisi cupiditates; nullamque normam nisi libidinem. Vita, quam amor proprius alit, & quæ vicissim alit amorem proprium, cujus exercitium est otium, cujus omnes dies vacui sunt; hinc conjiciamus quinam illius futurus sit exitus. Anima per inertiam & negligentiam suam in Dei cultu mollis effecta, immenso infidelitatum, ac relapsuum numero infirmata, non habet amplius nisi languidam fidem, & semiextinctam, nulla amplius re afficitur, quam sua voluptate. Communium pietatis officiorum pertæsa, omniumque fere exercitationum Religionis affecta fastidio non nisi urbanitatis causa sese illis accommodat. Domini jugum illi videtur amarum, & lex ejus onus non ferendum. Nihil illi sapit præter mundi hujus placita, & mundanæ festivitates illius excitant alacritatem, ipsaque non movetur, nisi ut sibi voluptates procuret; præterea in misera languet inertia, & in lethargico sopore conquiescit. *Pater Croiset Tomo 1. Exercitationum Asceticarum.*

Christiani omnes se inspicere debent tamquam confixos cruci cum Jesu Christo.

Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Veri Jesu Christi discipuli, tantum abest quod carnis desideria sequantur, & carnis opera faciant, ut imo illam assidua mortificatione crucifigant. Vulgatissimum eorum studium est affectuum impetus coercere, mortificare sensus, & concupiscentiæ motus præsocare. Voluptatis amor vitius animæ est. Vita mollis non fuit unquam vita Christiana. Nullus est Christianus, qui dicere non debeat: *Christo confixus sum Cruci. Pater Croiset ibidem. Tomo 5.*

Galat. 2.

Christianus immortificatus nullo salutis suę desiderio affici potest.

Christianus crucis & mortificationis inimicus, cum non habet conceptum, qui habendus esset, divinarum perfectionum, vitia, defectusque suos, ac miseriam suam non potest cognoscere. Hic crucis horror & odium nobis persuadere potest, ipsum fere nescire, quid sint Evangelii veritates, & Christianæ Religionis. Odit suas tribulationes, illas perhorrescit, illas fugit: nil prætermittit eorum quæ illi suavem, tranquillamque vitam possunt procurare. Hoc in statu positus ille cognoscere, tribulationes illam esse pecuniam, qua Cœlum comparatur; & hoc nemini nisi hoc pretio

venum-

venumdari? Hoc tamen est ex certissimis Evangelii institutis. Hoc ille intelligit? Si intelligeret, næ ille quidem per mortificationem, sanctamque austeritatem suæ saluti prospiceret, neque illum tribulationes hujusmodi deterrerent. Neque enim fidei consonum est quod aliquis de industria se ipsum perdendi ineat consilium. Filius, S. Augustinus ait, qui patris sui hæres esse non potest, nisi semet subjiciens illius castigationibus, & monitis, numquam contra parentem irritatum rebellat, sed consolatur inter flagella spe suffultus mercedis illius, quam in Patris testamento putat se recepturum: *Noli attendere quam pœnam habeas in flagello: sed quem locum in Testamento*. Verus fidelis, Christianus, ut talis habeatur debet non solum æqui, bonique facere cruces, quas illi Deus immittit, tamquam Pater optimus, qui illi præbet modum Regnum suum in hæreditatem habendi; verum tenetur etiam ducere vitam mortificatam, & crucifixam si vult aliquando possessionem adire illius hæreditatis, quam Salvator illi per Crucem, & Passionem suam comparavit. *Pater la Pesse. Tomo 4.*

D. August. in Ps. 102.

Nemo salvus esse potest quin ad exemplum Jesu Christi vitam ducat mortificatam.

Ullane veritas esse potest solidius probata, quam necessitas, qua omnes urgemur, ut in partem accedamus Passionum Salvatoris, si in partem gloriæ ipsius accedere cupimus? Audiamus ipsum Dei Filium loquentem! Ubique profitetur eos esse beatos, qui patiuntur, & qui a persecutoribus suis exagitantur. Cum igitur tanta cura a nobis tribulationes omnes nitimur amovere; cum evitamus quidquid nobis negotium facessere potest, nostram evitamus beatitatem. Cur, putatis, Salvatorem nostrum tot, tantaque fuisse passum? Cur illa vitam adeo laboribus plenam duxit? Cur pro benefactis tot maledicta retulit? Cur patienter tot audiit blasphemias, quas illius miraculis Judæi reponebant? Cur habitus fuit tamquam seductor, & mortalium omnium nequissimus? Cur se in eorum manus conjecit, quos sibi implacabiles noverat inimicos, & qui ipsum persecuti fuerunt, quin aliquam illi requiem permitterent? Num voluit ille regulam sequi, quam nnus ipse decurreret? Voluitne patiens nobis patiendi immunitatem conferre? Docet Sanctus Petrus, Salvatorem tanta passum fuisse, ut nobis suum daret exemplum, ut & ipsi vestigia illius sequeremur, atque ut vitam duceremus mortificatam. Quam in nobis obtinuit vim exemplum illius? Quæ nobis cura est vitam nostram ad divinum hunc prototypum componendi? Ipse humiliari voluit, contemptus fuit, conviciis affectus; mortificationes, & cruces amavit, vitamque duxit austerissimam. Crux sævissima illi nequaquam visa est nimis gravis: miscere simul voluit passiones crudelissimas, ignominias contumeliosissimas, injurias teterrimas, atque atrocissimas. Hinc compositus fuit Calix, quem ille ad fæces usque, ut ita dicam, voluit exhaurire. Juxta hoc exemplar ad examen vocemus desideria nostra, propensiones, affectus, totam denique vitæ nostræ rationem. Quid in vita nostra reperiemus, quod sit authographo illi conforme? Salvator hic in terris tres, & triginta exegit annos inter cruciatus, nos vero fugimus austeritates; nos, quantum in nobis est, labores, vel minimos evitamus; mortificatio nobis non sapit, cura quævis licet minus molesta nos deterret. Quanam igitur in re sita est securitas, & tranquillitas nostra, quam tantopere celebramus? Ullusne crassior fingi potest error, quam sibi persuadere, posse nos saluti nostræ prospicere, quin sequamur exemplum Jesu Christi, eamdemque viam decurramus? *Lambert in Anno suo Evangelico. Tomo 6.*

Dei Filius non vitam duxit adeo mortificatam, ut nobis daret exemplum vitam sua similem ducendi.

Omnis Christianus tenetur Jesum Christum sequi ideoque mortificationem exercere.

Insignis est error credere suimetipsius abrenuntiationem, sensuum mortificationem, cæterasque austeritates pœnitentiæ ad Religiosum statum pertinere, ubi ad perfectionem contendendum est. Non discipulis tantum, verum etiam omnibus qui erant in Mundo, Salvator hæc dixit: *si quis vult venire post me tollat quotidie crucem suam, & sequatur me*. Non pauca mortalium multitudo apud Jesum convenerat varias ob causas, hi ut tantum illum audirent, illi, ut admirarentur, alii ut a languoribus suis curationem obtinerent. Sed non ideo tamen proprie loquendo non sequebantur Jesum Christum, sed illi tantummodo qui accedebant ut illi adhærerent, eumque sequebantur. Itaque non dicit, *si quis vult venire ad me*; dicit, *si quis vult venire post me*; quia essentia Christiani in hoc sita est, ut sequatur Legislatorem suum, ducem, & caput suum ab eodem se omnino dirigi permittens. *P. Segneri Meditationibus.*

Ferenda est crux, & sequendus Jesus Christus, ut illum imitemur non aliam ob causam.

Contenditis sequi Jesum Christum, sed quare? Num propter temporalia bona, quæ inde vos percepturos esse speratis? Sequi illum oportet, quia meretur; sequi propter ipsum, non autem ob fragilem quæstum; alioquin vos in famulorum suorum albo recensere dedignabitur. Ego quidem, Domine, te sequi nequeo, nisi & ipse bajulem crucem meam. Hoc nomen crucis naturam avertit, eique horrorem ejicit; sed memoria repeto, quæ pro me passus es, & hæc memoria efficiet, ut imposterum omnia sustineam mala, quæ statui meo adnectere voluisti. Non enim alienam crucem ferre debeo, sed meam. Quotidie illam ferre debeo, & quantumvis illa sit gravis, opem ferente gratia tua, eam cum alacritate propter amorem tuum gestare conabor. Sed nisi mihimetipsi abrenuncio, invitus, & ingratiis illam traham. Ut igitur illam bajulem, & quotidie bajulem, ut debeo, mihimet quotidie abrenuntiabo; quotidie, in singulas horas in me ipsum pugnabo, me ipsum, ut ita dicam, Christiana mortificatione destruam. *P. Segneri in Meditationibus.*

Christiana vita stadium est, & prælium.

Vita Christiana est veluti non intermissus in stadio cursus; in quo meta est perfectio, ad quam Deus nostrum singulos quemlibet secundum statum suum vocat. Hoc in prælio nostri inimici sunt inordinatæ cupiditates nostræ, quæ cursum retardare possunt, & inhibere. *Inimici hominis domestici ejus*. Strenue igitur ad utrumque vosmet disponite cursum, & prælium; & ad id audite, quid vos doceat Apostolus, ne fortuito quidquam agatis in hac re, sed ut vobis proponatis scopum, ubi quiescatis, & inimicos, qui statim vobis sunt subjiciendi. Hoc est currere in incertum, velle ad terminum vestrum pervenire, qui perfectio est; quin vobis proponatis acquisitionem virtutum unius post aliam, & ante cæteras illam prius, quæ præ reliquis vobis est magis necessaria, aerem verberare, ut ita dicam, est, sperate vos generatim de omnibus cupiditatibus vestris victoriam esse relaturos, quin singillatim illi opugnandæ operam detis, quæ dominatur in vobis. Numquid hanc normam hactenus estis secuti? Considerastisne quænam illa sit virtus, qua præcipue indigetis, ut ad illam potissimum acquirendam contendatis? Nostisne affectionem illam, quæ dominatur in vobis, ut ad illam impugnandam vosmet præparetis? Neque hoc satis est? docendi estis, quænam sit aptissima ratio cursus vestri instituendi, & feliciter pugnandi. *Sic curro, sic pugno*, inquit Apostolus. Nisi secuti fueritis, secundum S. Pauli exemplum, methodum illam, quæ vos maxime decet, cursus, & prælia vobismet benevertere non poterunt. Hæc cupiditas, quæ in me dominatur, quæ reliquas movet, & quæ primum est omnium actionum mearum principium, illa est, cui ante cæteras bellum mihi est inferendum. Donec huic parco, & forte in infirmiores inimicos digladior, aerem verbero. *P. Segneri.* 1. Cor. 9.

Mortificatio æque necessaria est, ac oratio.

Neminem latet Orationem maximæ necessitatis esse in Christianismo, & hanc illam esse, a qua voluit Deus spem omnem & gloriam in Cœlo pendere; at aliquem fortasse latet, mortificationem, quæ est aptissima ad orationem præparatio, unum esse ex præcipuis nostris officiis. Animadvertit

Sanctus Gregorius duas Jerosolymæ in Templo aras fuisse; alteram quidem holocaustorum; alteram vero thymiamatum, Holocaustorum altare positum erat in vestibulo Templi; illud vero thymiamatum e conspectu Sancti Sanctorum, ut intelligeremus, Sanctus hic Pontifex ait, cor nostrum nequaquam Deo iri conjunctum, nisi quatenus ipsi corpus nostrum immolabimus; ut Sanctuarii adeundi jus acquiramus, primum faciendas esse expiationes, atque ut adoleamus thymiama fervore orationum nostrarum, nobis jugulandas esse tamquam victimas cupiditates, quæ carnem nostram ad rebellandum impellunt. Ita omnium fidelium vocatio, non secus ac illorum qui præsunt ipsis est carnem suam crucifigere, & longis haustibus cum Jesu Christo bibere ex torrente lacrymarum ejus ut cum illo in gaudiorum suorum æternitatem ingrediamur, Cur autem Jesu Christi crux in cordibus, & carne nostra non imprimatur non secus ac in Religiosarum domuum fronte celatur? Nihil prohibet quominus de nobis dici faciamus, quod de Christianis omnibus dicebat Sanctus Augustinus, vitam nostram non aliud esse quam crucem, & juge martyrium, *Auctor Recens*.

Lex Jesu Christi lex est mortificationis.

Necessitas exterioris hominis crucifigendi unum ex illis placitis est, quæ Mundus non capit. Caro, & sanguis aciem veluti constituunt, ut quidem Apostolus inquit, cum concupiscentiis, & immortificatis cupiditatibus, ad pugnandum contra ea omnia, quæ ad eorum excidium conjurant, & intelligere nequeunt, quod sensuum mors spiritus vitam producat. Numquid ergo Christi fideles inter Jesu Christi passiones concepti, & in cruce geniti, majorem habebunt horrorem ab iis, quæ eos possunt a sensibilibus objectis avellere, quam Ethnici ipsi, homines illi sensibus suis dediti, & obnoxii cupiditatibus sæculi? Tota Filii Dei morum disciplina percurratur; homines qui jam cæci sunt corde, cæci quoque mente fiant, ut, si fieri possit, doctrinæ illius omnino cœlesti aliquod afferant lenimentum, semper ad hanc redibunt veritatem numquam in dubium revocandam; legem videlicet Evangelicam legem esse mortificationis; Jesum Christum austerum esse magistrum non nisi humiliationes, crucesque docentem; & in Christi castra transire, esse idem, ac assumere necessitatem moriendi carni, ut vivas spiritu, sibimet abrenunties, ac incessanter tuis concupiscentiis obluctetis. *Auctor Recens*.

Fideles ut æternam vitam mereantur, ducunt in terris vitam morientem per mortificationes.

Veri fideles, licet non secus ac homines reliqui pateant iisdem ærumnis, & pœnis vitæ hujus; si non habent, quod patiantur, ipsi sibi quæritant afflictiones, doloresque per sensuum suorum mortificationem; per pugnam, quam inferunt carni suæ, per jugem resistentiam inordinatis naturæ corruptæ desideriis. Lacrymis eluunt, quod peccant; suas lugent infirmitates, contremiscunt intuiti pericula, quibus patent. In exilio suo suspirant ob ardens æternæ felicitatis ad quam evocantur desiderium. Mortificatio igitur, pœnæ, tribulationes sunt pars justorum in terris, quid dico? Hoc omnia volentibus accidunt & ipsis de incolatus sui diuturnitate querentibus, mundus oblectatur, & gaudet, Sed heu quam alia eorum sors est! Illi ad vitam æternam, hi autem ad æternam mortem feruntur, *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 6.*

Ad sequendum Dei Filium sui abnegatio non est id quod solum requiritur; sed sensuum mortificatio.

Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Jesus Christus ferre debet super humeros suos Crucem, in qua moriturus est, & hac in re vult, ut quicumque volunt illius esse discipuli, imitentur ipsum, Hoc autem fit patienter ferendo, & submisse acceptando omnes vitæ pœnas, & afflictiones, sustinendo persecutiones propter justitiam, & vitam suam offerendo pro Jesu Christo, ac turpissima quælibet, si opus est sufferendo supplicia, quale erat Crux apud Judæos. Christum sequi est Doctrinam ejus recipere, legem ejus observare, ejusque exemplum imitari. Ut enim quis sit ejus discipulus, non solum debet Jesum Christum omnibus præferre, paratum esse ad jacturam faciendam eorum omnium, quæ possidentur propter amorem Dei, verum etiam sensus suos mortificare, austeritatem exercere, affectibus suis imperitare; quæ omnia sunt de præcepto; Quicumque enim hæc minime facit, omnino salvari non potest. *Le Tourneux in Anno suo Christiano, Tomo 6.*

Quamvis mortificatio exigat austeritatem hoc tamen non est jugum non ferendum.

Christiana mortificatio attenta est regendis solatiis, ubi culpa vacant, iisque evertendis, cum sunt nocentia. Quemadmodum verum illius officium est opponere hominem pœnitentem, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifigit, homini sensuum voluptatibus dedito, qui illam palpat, eamque idolum sibi constituit; numquam majori pollemus industria, quam cum lenimenta quædam, vel prætextus excogitamus ex ipsa natura, & essentialibus hujus officii qualitatibus, timentes, ut amittamus, quemadmodum Tertullianus ait, suavitatem aliquam vitæ mollis, quam ducimus, & de voluptatum perfruitione deturbemur. Scire igitur oportet requisitas ad Christianam mortificationem qualitates, ne hac in re decipiamur. Hæc igitur necessario esse debet austera; eamque aliter intueri, videlicet tamquam mortificationem suavem, indulgentem, nihil voluptatis adimentem vitæ molli, & inerti; hoc est vehementer errare. Verum licet exigat a peccatore austeritatem, non eo procedit, ut nobis etiam imponat (quod mundi sectatores devitant) onera non ferenda; e contra vero in iis tantum consistit, quæ cum ultro acceptata fuerint ab eodem Salvatore, nos minime deterrere debent propter vim, quam nobis ipsis facere debemus, ut illi nosmet subjiciamus. *Sermones morales de Mysteriis Domini nostri. Tomi 6.*



MUN-

M U N D U S.

Vanitas, Inconstantia, fragilitas rerum hujus mundi, illius gaudia, voluptates &c.

M O N I T U M.



Ihil frequentius est, sæpiusque repetitum, sermonibus, scriptis, dissertationibus, concionibusque, quam hoc de mundi vanitate, de fragilitate, brevique bonorum, gaudiorum, pomparum ejus &c. duratione argumentum. Hoc Ethnici quoque suos opplevere libros; & sæpe qui hæc ardentius concupiscunt, atque depereunt, de iis majori cum contemptu loquuntur; verum illud maxime miserum est, quod iis licet per baptismum abrenuntiavimus, attamen nihil est, cui impensius adhæreamus. Hac de causa argumentum hoc minime prætermittendum censui, quamvis commune sit; existimavique, Auctorum, qui illud pertractarunt, multitudinem obesse non debere, quominus colligerem quidquid inveni magis accommodatum ad mundi contemptum, terrenarumque rerum fugam, odiumque ciendum.

Cum de hoc argumento in omnibus fere concionibus accidat sermo, cumque alibi locuti simus de ambitione, dignitate, spectaculis, vita molli, ac divitiarum amore; hoc in loco generatim dumtaxat de vanitate rerum terrenarum, de contemptu a Christianis omnibus habendo, de falsitate, & fragilitate bonorum ejus loquemur; quæ quidem cor hominis replere, eique veram voluptatem præbere non possunt.

Fatendum est tamen, cum latius hoc pateat argumentum, nonnumquam ad peculiaria per inductionem esse descendendum, atque ostendendum, quanta sit, exempli gratia, divitiarum vanitas, quam parvi facienda hominum existimatio, principum gratia, honor, qui illi adhibetur, ut aperte sentiatur amaritudo, quæ vita hujus voluptatibus admixta est, & gravis dolor, qui illas subsequitur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. X omnibus mundi hujus bonis illud, quod procul dubio pretiosissimum est, & quod ardentius persequimur, quæsiturque accuratius tuemur, gloria est; quia hoc non solum præfertur cæteris, verum etiam pro hoc cætera in discrimen vocantur, eorumque jacturam flocci pendimus, dummodo illud servemus. Ideo ostendendo vanitatem boni hujus, & quo in pretio habenda sit a Christiano viro gloria, quæ in mundo potest acquiri, ostendimus simul cæterorum vanitatem bonorum, quæ, ex sapientum virorum sententia, nullo modo possunt cum hoc comparari. Hoc autem in animo est hac concione præstare; ubi ostendimus, 1. Mundi gloriam in principio suo odiosam esse: 2. in natura sua vanam, futilem, & chimæricam: 3. fluxam, brevique duraturam.

1. Mundi gloria in principio suo odiosa est; hanc enim in mundo casus, aut gratia, vel scelus deferunt. Causas quidem; quod efficit, ut sæculi principes contemnantur, & tot querelis, atque murmurationibus locum præbet. Cur, dicitis, ille vir, quem, me loquente, taciti designatis, repentino volatu supra me in sublime fertur? Cur illum fulgentem video, me interim in pulvere prorepente? Numquid illius virtus, ac meritum est dignitatis ejus principium? Ego novi ingenii illius mediocritatem, ac improbitatem spiritus. Fortuna ludibunda illum extulit; casus favorabilis eum in hoc gradu constituit; affinitas fortuita cum iis, qui plurimum pollent, illum evexit; sæpe turpis servitus illis impensa viris, quos populo fortuna secrevit, subitæ magnitudinis origo est: casus denique commune est gloriæ hujus mundi principium. 2. Scelus etiam alterum principium est humanæ elationis. Immensum hoc magnitudinis incrementum sæpe usurpationi debetur: nonnumquam per turpissima ministeria, fœdasque assentationes via ad principes viros sternitur; sæpe etiam ideo in publico aliquis honore excipitur, quia abominabilis est coram Deo. 3. Ut plurimum vero gratia meriti locum obtinet; Principis, Regisque gratiam aliquis obtinet, illum sibi patronum, præsidiumque nanciscitur; & tamquam Princeps colitur ille, quem princeps sua familiaritate dignatur. Quid contemptibilius, quam hoc elationis principium, quod casui, & sæpe etiam sceleri innititur.

Secundo, mundi gloria, si illius natura spectetur, vana est: quid enim magis ineptum, atque chimæricum? Etenim mundi æstimatio, in qua proprie mundana gloria consistit, non aliud est, quam favorabilis rumor, qui de nobis percrebescit; cognitio est, qua mundus scire vult, quid valeamus, & quid scimus. Hæc est humani cordis fascinatio, hoc idolum est, cui sacrificant universi, quos mundus seducit, & qui tamquam supra vulgus positi existimantur. Ostendendum est, quam vana sit hæc gloria, quæ in hominum existimatione, judicioque consistit. 1. Hæc enim tota in alieno est, nihilque re ipsa in nobis constituit; nos nequaquam magis virtute præditos efficit, nec alios ab illis, qui sumus. 2. Ab illis nobis defertur, a quibus minime cognoscimur, & qui scire nequeunt, utrum illam mereamur; qui ex externa dumtaxat judicant specie, & qui interiores cordis sinus nequaquam inspiciunt; qui ideo nesciunt, quanam in re vera merita sint posita. Hæc igitur gloria inanis est, & chimærica. 3. Plerumque injusta est; qua enim justitia homines hanc gloriam distribuunt? Quot virtutes obscuræ, neglectæque in caligine squalent? Quot vera merita derelicta, & sine ratione ulla posthabita? Quot usurpatores gloriæ, quæ ad ipsos minime pertinet? Quot mali judices indignis eam tribuunt laudem quam minime meriti sunt? *Mendaces filii hominum in stateris.* Psalm. 6.

Tertio, mundi gloria fluxa est, ac brevi duratura; quod efficit, ut in Scripturis omnia bona, ac terrenæ prosperitates exhibeantur veluti somnium, juxta eam animadversionem, quæ ex hujus tractatus decursu videbitur, necnon veluti fumus, qui sese attollit, & evanescit. Hujus gloriæ mobilitas nihilo obscurior est, quam ejus diuturnitas; omnium enim sæculorum experientia nos docuit sexcentos viros postquam gloria cumulati fuerunt,

lapsos esse in contemptum, opprobrium, & confusionem; & quemadmodum gloria pendet ab hominum imaginatione, quæ inconstans, ac mutabilis est, hæc oihilo constantior est illa: immo usuvenit, quod confusio, quæ honorem, ac dignitatem subsequitur, major sit, doloremque afferat graviorem. Ex his omnibus inferendom est, quod si gloriæ cupidi sumos, solidam, veram, æternamque gloriam quærere debemus &c. *Excerptum ex manuscripto sermone P. Francisci Catrou.*

II. 1. Mundum contemnere debemus non Philosophorum more propter illius fragilitatem, inconstantiam, ac vile pretium eorum bonorum, quæ pollicetur, & quæ date sæpe non potest; sed more Christianorum, qui toto cœlo positi sunt supra ea omnia, quæ in mundo sunt, atque ad æterna, ac solida bona contendunt. 2. Terrena hæc relinquere debemus non propter tædium, aut indignationem, & quamdam ultionis speciem, ut illi qui a mundo recedunt, quia se derelictos videot, sed quia illa horrere debemus propter ea, quæ in lustrali fonte promisimus. 3. Mundo mori debemus, & uti Inquitur Sanctus Paulus, eidem crucifigi: hoc est non affici illius gaudiis, voluptatibus, cæterisque rebus, quæ cor humanum seducere consueverunt; idque noo Stoica stupiditate, sed integra cordis, & affectus abnegatione, quæ perfectio est, ad quam adniti debet Christianus.

III. 1. Hujus mundi bona in se parva res sunt, eaque imperfecte tantummodo possidemus. 2. Hæc nec meliores nos, neque perfectiores efficioot. 3. Nos corrumpunt, quia illis adhærescimus, eaque io pravum usum convertimus.

IV. Ut in mundo cum aliqua salutis securitate vivamus. 1. Fidendum non est mundi illecebris, approbationi, qua excipimur, & honoribus, quibus cumulamur. 2. Contemnenda sunt illius judicia, exprobrationes, irrisiones, secundum Evangelii præcepta vitam ducendo. 3. Confectandæ non sunt ougæ, solatia, ac inanes mundi deliciæ.

V. Sanctus Augustinus libro *de moribus Ecclesiæ cap.* 2. ait, tria requiri, ut humano cordi plena detur voluptas.

1. Ut bonum, in quo gaudium, felicitatemque nostram inquirimus, sit verum bonum, qui non majorem speciem habeat, quam rem; quod in mundi bonis desideratur. 2. Ut amemus hoc bonum, ut sentiamus quid voluptatis afferat illius perfruitio; sed hujus mundi bona brevi nauseam, fastidiumque creant. 3. Ut illud perfecto modo possideamus; at mundi hujus bonorum unicum habemus prospectum.

VI. 1. Terrenarum rerum amor status est perditionis. 2. Quænam sint hujus amoris signa: videlicet illas impensius perquirere, earumque possessionem præferre curæ salutis suæ, & ob eorum jacturam æquo gravius dolere.

VII. 1. Hujus mundi bona nimis parva sunt, nec explere possunt cor adeo vastum, quale cor hominis est. 2. Hominis cor nimis magnum est, neque re adeo modica repleri potest. 3. Hujusmodi bonorum perfruitio nobis nimis est imperfecta, neque veram, solidamque conferre potest voluptatem.

VIII. Concionis partitio, atque divisio institui potest juxta hæc verba Job *cap.* 20. *Gaudium hypocritæ adinstar puncti*. Gaudium videlicet hypocritæ, nempe hominis, qui de hoc mundo contentus videtur, simile est puncto, quod secundum notionem nobis traditam, nullam habet dimensionem.

1. Gaudium mundi mere superficiale est sine profunditate: ad cor usque non penetrat. 2. Nullam habet extensionem; nequit replere cor humanum. 3. Nullam habet longitudinem: momento prætervolat: semper breve est, licet cum vita ipsa, quæ æternitati comparata punctum est, permaneret.

1. Mundum videre non possumus, quin illum amemus; nos seducit, nos allicit, nos trahit, cor denique nostrum fascinat, quod vix se ipsum tuetur, & nisi peculiaris cœli favor adsit, se tueri non potest. 2. Illum amare non possumus, quin eum sequamur, hoc est quin mores nostros moribus illius conformemus, qoio vereamur, ne illi displiceamus, eum lædamus, ideoque mundani evadamus. 3. Illum sequi non possumus, quin damnemur; hæc enim lata via est, quæ ducit ad mortem. IX.

Concionis etiam partitio desumi potest ex hoc loco Ecclesiastis juxta græcam versionem; *Inveni in eis, scilicet mundi bonis, tria hæc, vanitatem, afflictionem, consummationem*.

1. Vanitas bonorum mundi: quæ omnia mendacium sunt, illusio, species inanis. 2. Afflictio, quam parit horum boorum possessio, pro ea voluptate, & gaudio, quod se quisque in illis inventurum sperat. 3. Consummatio, hoc est finis, & brevis duratio, quæ efficit, ut in singula momenta jacturam eorum vereamur.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus August. *in Appendic. tom.* 9. agit de mundi contemptu, & in sermone 31. *de tempore*, quamvis dubium sit, utrum ille hujus sit auctor. Sancti Patres.

Idem *lib. de Agone Christiano* ostendit inquetum eorum animum, qui terrena hæc concupiscunt.

Idem in verba Psalmi 75. ostendit, quam vana sint hæc terrena comparatione illius, qui dormiens sibi ea possidere videtur, & postquam evigilaverit, se pauperem esse cognoscit.

Idem in Epistola ad Licentium ostendit illi vanitatem, brevemque rerum hujus mundi durationem.

Sanctus Cyprianus in Epistola ad Donatum pulcherrimos habet hujus argumenti sensus.

S. Hieronymus *Epist.* 34. *quæ & ad Julianum* loquitur de terrenarum rerum usu faciando.

Idem in Psalmum 75. hominis vitam comparat illi, qui per somniom sibi videtur diviriis affluere, convivari, voluptatibus omnibus perfrui, atque experrectus se nihil habere nanciscitur.

Sanctus Ambrosius, *lib. de bono mortis cap.* 5. docet, quam facile sit terrenis rebus adhærescere, & quodnam periculum adsit in bonorum hujus mundi possessione.

Idem *lib.* 3. *Epist. Epist.* 10. *ad Simplicianum*, ostendit, solum Sapientem divitem esse, felicem, contentum.

Idem *lib. de Nabut. cap.* 6. docet, terrenis rebus humanum cor repleri non posse.

Sanctus Gregorius *lib.* 2. *Dialog. cap.* 35. loquens de S. Benedicti visione, cui Deus unico lucis radio totum mundum ostendit, docet eum, qui superno illustratus est lumine, agnoscere quam exilia sint hæc creata, eaque flocci pendere.

Idem *lib.* 17. *moral.* dicit, plerosque mortales terrena hæc tantum cogitare, quæ fluxa sunt, ac brevi peritura.

Idem *lib.* 18. *moral.* docet, ab eo, qui mundum amat, eique adhæret, Deum vere amari non posse.

Idem *l.* 31. *moral.* ostendit, quo dolore conficiantur, qui ea amittunt, quæ cum gaudio possident.

Idem *lib.* 20. *moral.* prolixe docet, eos, qui fluxa hujus vitæ inquirunt gaudia, veris, quæ a Deo sunt, gaudiis privari.

Idem *Homil.* 3. *in Evangel.* salutare hoc fidelibus monitum præbet, quod si mundo penitus abrenuntiare oon possunt, saltem illius bona possideant, quin ab eis possideantur.

Idem *lib.* 5. *moral.* ostendit, quinam mundo sint mortui, & ab eo vere cor habeant avulsum.

Idem

Idem *hom.* 4. *in Evang.* vehementer hortatur fideles, ut terrena ista contemnant; & *hom.* 1. in eadem Evangelia ad imitandum proponit Sanctorum, qui nos præcesserunt, exempla.

Sanctus Basilius in hæc Regii Prophetæ verba: *Divitiæ si affluant nolite cor apponere*, describit bonorum terræ mobilitatem, quæ de manu in manum transeunt, & possessores, dominosque mutant.

Idem homiliam edidit, quæ est 23. *ex variis*, quæ inscribitur: Terrenis rebus adhærendum non esse.

Idem de eodem argumento loquitur etiam fusius homilia 24.

Idem *hom.* 35. *in Genesim* contemptum divitiarum, aliorumque mundi bonorum suadet.

Sanctus Chrysostomus *hom.* 39. & 43. *ad popul. Antioch.* docet, egregiam esse coercendæ superbiæ rationem, mundi vanitatem cogitare.

Idem *hom.* 24. *in Matth.* ostendit plerorumque mortalium vitam ludum esse puerilem, nugis enim, & crepundiis oblectantur.

Idem *hom. in c.* 14. *ejusdem S. Matth.* ostendit, mundi bona talia esse, ut amorem nostrum non mereantur.

Idem *hom. in c.* 21. loquitur de fallacium vitæ hujus voluptatum amore.

Idem in cap. 3. ostendit Christiano omnia hujus mundi bona contemnenda esse, tamquam ipso minime digna.

Idem *hom.* 14. *in Epist. ad Rom.* ostendit, quomodo terrenis rebus nos Dæmon decipiat, atque hortatur, ne nobis illud patiamur.

Idem *hom.* 38. *in* 1. *ad Corinth.* docet, neminem umquam hujus mundi bonis esse contentum.

Idem in eadem Epistola ostendit, primorum fidelium felicitatem, qui terrena hæc despiciebant.

Idem *hom.* 1. *in Epist. ad Timoth.* de terrenarum rerum contemptu disserit; & homil. 12. ait, ea, quæ votorum nostrorum in mundo objecta sunt, bonorum nomen nequaquam mereri.

Idem *serm. de Providentia* docet nos ad alia, non ad terrena bona factos fuisse.

S. Prosper *in sentent.* eloquenter loquitur de earum rerum vanitate, quæ plurimi fiunt in mundo, honoribus, opibus, voluptatibus.

Sancti Eucherii Epistola ad Valerianum.

Sancti Isidori Hispalensis Libellus de contemptu mundi.

Clemens Alexandrinus *Orat. ad Gentes* docet, in mundo omnia esse fragilia, & veluti aleam, ubi victoria ab uno ad alterum migrat.

Sanctus Bernardus *lib.* 2. *de Considerat.* quærit post mortem, quid prosint opes, honores, voluptates?

Idem *lib.* 4. ostendit quam indignum Christiano viro sit terrenis rebus inhærere.

Idem *Serm.* 4. *Adventus* ostendit quomodo illas contemnere debeamus, nullius enim sunt pretii, & ab hominum pendent imaginatione.

Idem *Epist. ad Sophiam* illi ad vivum describit terrenarum rerum fragilitatem, ac vitæ brevitatem.

S. Anselmus *l.* 1. *Epistol. Epist.* 8. ostendit nos a mundo contemni, & illudi, cumque vicissim esse contemnendum.

Innocentius Papa III. libros edidit de mundi contemptu.

S. Laurentius Justinianus *lib. de Discipl. Monast.* loquitur de mundi vanitate.

Hugo de S. Victore in hæc Salomonis verba, *Vanitas vanitatum*, plurima habet egregia ad hoc argumentum spectantia.

S. Bernardus *tom.* 3. *tract. de mundi amore.*

S. Bonaventura *tomo* 3. *Opusc.*

Dionysius Carthusianus in speculo.

Joannes Gerson.

Ascetici, aliique. Hieronymus Platus lib. 2. cap. 1. in toto hoc capite agit de terrenarum rerum humilitate, & indignitate.

Dandinus *in Ethicis sacris lib.* 37. *de prosp. & adversis* pluribus capitibus hoc argumentum prosequitur.

Didacus Stella, *De contemptu mundi.*

Sanchez *De regno Dei, lib.* 5. *cap.* 3.

Franciscus Petrarcha *tomo* 1. *Dialog.*

Liber, qui inscribitur, *Sapientia Christiana* a P. Guilleminot editus, prolixius hoc tractat argumentum, atque singillatim enumerat ea, quæ a nobis nauci facienda sunt.

Liber, qui inscribitur, *Les Entretiens du Sage* a P. Sebastiano Sylvanectensi Capuccino editus cap. 13. 14. 15. 16. loquitur de contemptu rerum hujus mundi, opum, honorum, & voluptatum.

P. Poiré in libro, cui titulus *Sanctorum scientia*, tractatu 3. parte 1. cap. 3. docet, Deum unum in pretio habendum, reliqua esse vanitatem.

Liber qui inscribitur, *le Chretien du temps* a P. Bonal conscriptus part. 3. cap. 5. loquitur de vanitate, & mobilitate rerum terrenarum, deque perfecta spiritus abnegatione, quæ in Christiano requiritur.

P. Croiset tom. 1. Considerationum Christianarum fusius agit de mundo, ejusque contemptu.

Pean in spiritualibus alloquiis parte 3. discursu 10. de mundi agit contemptu.

P. Nepveu in Christianis Considerationibus pro singulis anni diebus tom. 1. pro die 27. Martii, & tom. 4. pro die 10. Octobris loquitur de mundi contemptu, & odio.

Reina *Conc.* 1. *Quadragesimæ.*

Concionatores Nuperi. P. Delingendes sermone pro quarta Quadragesimæ Dominica de honorum fuga verba facit &c.

P. Grizel in Adventu, cui titulus *Baltazar*, sermone ultimo versus finem latius loquitur de mundi vanitate, a quo in vitæ suæ ratione animum prorsus avulsum testari debet fidelis.

Joly, propositione pro secunda Quadragesimæ Dominica, ubi de hujus vitæ voluptatibus verba facit.

Sarrazin tomo primo Adventus, sermone de Jesu Christo Legislatore loquitur de suiipsius abnegatione, & morte huic mundo.

Specimen sermonum pro Quadragesima, Dominica prima, circa opum, voluptatum, & honorum vanitatem versatur.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in argumentis particularibus, tomo 3. sermone 1. parte secunda, & in secunda Quadragesimæ Dominica.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 1. Regum cap. 12.

Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Psalm. 38.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus; quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Psalm. 48.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat. Psalm. 36.

Velut somnium surgentium, Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Psalm. 72.

Ne zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Psal. 36.

Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Psal. 75.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccles. 1.

Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. Ibidem.

Cum

Cum me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Ibidem, c. 2.

Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur. Sap. 5.

Tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur. Ibidem.

Tamquam fumus, qui a vento diffusus est. Ibidem.

Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio. Eccli. 9.

Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum. Isaiæ 40.

Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Ibidem.

Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Ibidem.

Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem. Mich. 2.

Tempus breve est, reliquum est ut qui utantur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi. 1. ad Corinth. 7.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ad Galat. 6.

Mundus transit, & concupiscentia ejus. 1. Jo. 2.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Ibidem.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Ibidem.

Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Salomonis exemplū nos docet, omnibus hujus mūdi bonis nos expleri non posse.

SPiritus Sanctus Salomonem exhibet nobis tamquam funestum exemplum, ex quo palam innotescit, cor nostrum universis mundi hujus bonis repleri non posse, neque veram inde voluptatem percipere. Incœpi, ipse fatetur, superbissimas domos ædificans, immensosque congerens thesauros; hoc magnum aliquid erat, verum non ideo eram beatus. Ædes istæ, hi thesauri vota mea non explebant. Quamprimum horum bonorum cogitationem abjeci, ut alio spem meam transferrem. *Verti me ad aliud*. Ecclef. 9. Eos mihi honores deferri jussi, propter quos primus terrarum Princeps habebar: terra omnis me venerabatur: verum voti compos non eram; aliaque tentanda via fuit, ut fierem beatus: *Verti me ad aliud*. Quidquid speciosi, jucundique cœlum effecit, præda fuit votorum meorum, non ideo tamen acquievi; iterum ad aliud objectum confugiendum fuit: *Verti me ad aliud*. Denique omnes terræ voluptates expertus non aliud præstiti, nisi quod irritavi mea desideria, quin ne unum quidem explerem. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*. Ecclef. 2.

Exemplū Aman hoc ipsum ostendit.

Aman uno tantum gradu, ut sacra refert Historia, a Regni solio aberat; non domum tantum, sed & palatium habet, ejusque palatium secundam aulam constituit. Regni Principes illi obsequuntur, ejusque ambiunt patrocinium. Rex illum dignatur invisere, Regina illum excipit convivio. Si prodit, omnes coram illo genuflectunt; nonnisi aulicorum caterva stipatus incedit; Regni felicitas, vel infortunium ab ipso uno pendere videtur. Voti compos esse deberet, non est tamen: dolor, quo angitur, eo quod unus tantum homo eumdem ipsi detrectat honorem, qui certatim ab aliis deferebatur, eum urit, cogitque, ut amicis suis animi vulnus aperiat: *Nihil me habere puto*. Esther 5. Vobis quidem beatus videor, & omnia possideo, mihi vero videor infelix, & nihil possidere. Unus Mardochæus meum gaudium perturbat; ille causa est, quod nihili pendam omnia bona, quorum possessio me felicem nequit efficere.

Loth, & Israelitarum exemplo ostendi: bonos etiam viros aliquo semper mundi amore teneri.

In iis etiam, qui sincere mundum oderunt, nonnihil semper est, quod illos ne sentientes quidem detineat. Populus Israel invitus in Ægypto, quæ mundi figura est, morabatur. In molestissimo erat statu, Pharaonis tyrannide oppressus; attamen servitutem quodammodo amabat suam, neque inde umquam fuisset elapsus, nisi eum vi, ut ita dicam, Deus inde eduxisset. Loth a Sodomorum sceleribus procul aberat, atque dolore conficiebatur, eo quod in populo adeo nefario vivebat, animusque ejus tot vulneribus confossus erat, quot ille scelera intuebatur. Attamen inde egrediendi consilium inire non poterat; oportuitque vim ipsi ab Angelis fieri, ut iis eriperetur flammis, quibus infelix civitas erat conflagratura. Adeo verum est, sanctissimum quemque, & qui præ cæteris mundum oderunt, illi adhærere posse aliqua ex parte, quam minime norunt. Itaque fatendum est, non deesse vel in anima nostra vinculum quoddam, quo mundo alligetur, neque in mundo gluten, quo ibi detineamur, nisi Deus gratia sua inde vel expediat, vel præservet.

Vanitas, & inconstantia bonorū hujus mūdi exhibita in arbore, quam Nabuchodonosor in somnis vidit.

Nabuchodonosor Danieli explicans somnium, aut visionem, quam in somnis habuit, & quæ terrorem eidem incussit, videbam, inquit illi, in medio terræ arborem, cujus immodica proceritas erat. In Cœlum usque attollebatur, ramique illius ad extrema terræ protendebantur. Folia, fructusque ejus erant admirabilia; omnia ibi pabulum reperiebant, bestiæ agri sub umbra ejus cubabant, & volucres in ramis ejus. At Angelus quidam ex illis, qui semper vigilant Dei imperium facturi, descendit repente, elataque voce clamavit: Succidite arborem; prosternite ramos ejus, folia, fructusque dispergite, bestiæ procul, avesque diffugiant. Hoc autem somnium, quod jure mysticum appellari potest, quia magnam denotat veritatem, Daniel ita est interpretatus: Rex, inquit illi, quin vel assentaretur, vel dissimularet, Rex tu hæc arbor es; mira illius magnitudo tuam magnificentiam, roburque tuum significat. Imperii tui gloria sese in extremas usque terrarum oras effudit, ac satis vides, quænam intercedat similitudo inter id, quod es, & quod adspexisti. Vellem facere, quin tibi reliqua aperirem, jussa enim, quæ contra arborem ferri audiisti, imperium succidendi illam, ramosque, frondes, & fructus dispergendi, Dei sententiam in te latam portendunt. Tu non multo post hisce magnitudinis, imperiique signis, imperioque spoliaberis. Profecto illud fuit supremi cœli, terrarumque Domini imperium in superbo rege adimpletum; verum fuit etiam figura vanitatis honorum, aliorumque mundi bonorum, quæ non fortunæ imperio, uti loquuntur Ethnici, sed supremi Domini subjecta sunt voluntati, quæ prout placuerit, illa distribuit, & quæ sæpe iisdem potentissimos reges exuit, ut reliquos mortales doceat, illis non adhærere, vel ob illa non intumescere, ut olim Nabuchodonosor.

Terrenæ prosperitates in somnis tantum repræsentantur.

Notatu dignum est, quod in Scripturis futuræ hominum elationes in somnis fere repræsentantur. Ita in somnis vidit Joseph sublimem illam magnitudinis gradum, quo deinde evectus fuit: *Audite somnium meum*. Gen. 37. Ita per somnium septem fertilitatis annos prævidit. Reginæ Esther exaltatio, necnon Gedeonis victoria eodem modo prævisæ fuerunt. In somnis omnia terrarum Imperia Nabuchodonosori, ac Danieli monstrata fuerunt; aliaque id genus plura nonnisi in somnis visa fuere, quia, ut S. Ambrosius *lib. de Joseph. cap. 6.* loquitur, quidquid magnum, ac speciosum in mundo est, somnium tantum est, non autem veritas. Sed hæc veritas nulla re exprimi potest melius, quam quod cum Deus Nabuchodonosori omnia ostendit imperia, præter somnium, usus est etiam idoli figura, quod ex Apostoli 1. *ad Cor.* 8. sententia nihil est: *Nihil est idolum in mundo*;

& in

& in Isaia mendacium vocatur, & omnium mendaciorum maximum, quia veritatum omnium maximam negat. Certum est igitur in honoribus, omnibusque mundi bonis, quæ ardentius homines ioquirunt, & persequuntur, nihil esse nisi vanitatem.

Brevis duratio gloriæ, honorumque omnium mundi. In Sancti Lucæ Evangelio legimus, *cap.* 4. Dæmonem, cum Dei filium super montis cacumen transtulisset, illi omnia mundi regna ostendisse, atque ob oculos ejus posuisse omnem fulgorem, magnificentiam, & gloriam, quam in se continent: *Ostendit omnia regna terræ*, & Evangelista addit, *in momento*; in ictu oculi, & per modum transeuntis, quod uno accidit momento. Verbum hoc tam mysterio plenum est, quam vi, uti Sanctus Ambrosius animadvertit; etenim per hoc momentum non innuere solum voluit, spectaculum hoc uno tantum durasse momento, & fulguris instar evanuisse; sed id quod in mundo Salvator vidit, & in quod oculorum aciem circumtulit, transire, evanescere, dissipari, eadem pernicitate, qua tempus fluit, & quod uno tantum momento subsistit. Sancti Doctoris verba prætermittenda non sunt: *Bene in momento temporis temporalia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducæ potestatis fragilitas exprimitur; in momento enim cuncta ista prætereunt & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi possit esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?*

Jesus Christus exemplis melius quam verbis mundi contemptum nos docuit. Mirum est, quod Dei filius, cui gloria, honor, & quidquid magnum in mundo est, omni jure debebatur, tantum eorum testatus fuerit contemptum. Non quæro, ait ille, gloriam meam, eam oihili facio, ubi cum gloria Patris mei comparatur. Si gloria Jesu Christi quatenus hominis pro nihilo habenda est, quid erit homioum gloria? Ille qui mortis suæ ignominiam adeo manifestam voluit efficere, qui nativitatis suæ miracula intra stabuli paupertatem, noctisque tenebras abdidit; in officinæ squalore triginta annos zelum suum, & admirabilia talenta celavit, deinde vero a Patre in publicum prodire jussus, pro discipulis sudes elegit homines sine meritis, sine nomine, & impares, qui alios ad magistrum socios attraherent. In paupertate vitam duxit; cum a populo Rex inaugurandus erat, aufugit; in magnis urbibus brevi permansit; raro cum nobilibus, semper cum pauperibus conversatus est. Eos evitavit plausus, quos sua merebantur miracula; in morte opprobriis cumulari voluit. Fingine potest major mundi contemptus?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Mundum amare est amare mendacium, & vanitatem. F*ilii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psalm. 4. Omnes mundi felicitates belle hoc *mendacii* nomine designantur: dicunt se hominibus, a quibus possidentur, beatitudinem conferre, sed mentiuntur; felicitas enim illius mendax est, & dolosa. Anima christiana ideone facta es, ut inania persequaris phantasmata, quæ eo elabuntur momento, quo te illa apprehendere posse putas? In futili hac occupatione eam impendere vitam debes, cujus momenta singula Dei servitio essent devovenda? Itane ea amamus omnia, quæ deberemus odiisse, & unum illud, quod amabile est, non amamus? Has ipsas affectiones, quibus nugas deperimus, Deus ex nobis petere non erubescit; neque has illi negare nos pudet. Mundum amantes, S. Augustinus ait, numquam possidebimus illum, eumque possidentes non possidebimus Deum. At si vere diligimus Deum, illum possidebimus, eumque possidentes omnia possidebimus cum illo; ille enim eminenter omnia complectitur. Donec mundi amor nos occupabit, jugibus sfflictabimur curis, misera erimus affectionum nostrarum ludibria, ambulantesq; ut Propheta inquit, cæcorum instar in circuitu consiliorum sibimet indesinenter succedentium, donec mors vanitatem nobis ostendet; semper errantes, & vagi inter tumultum, & mundi impedimenta, in hac vita nosmet spe chimericæ pacis pascentes, quam nihilominus numquam inveniemus, nisi sincere nosmet Deo devoventes.

De terrenarum rerum brevi duratione. *Vidi impium superexaltatum: & transivi, & ecce non erat.* Psalm. 36. Nemo unus non videt, omnia hujus mundi bona diuturna non esse. Omnia momento prætereunt, & vix aliqua felicitatis species affulget, cum statim evanescit, quapropter loquit Propheta: *Vidi impium superexaltatum*: vidi quemdam ex his viris, qui in mundo beati putantur ad præstantissimum fortunæ gradum evectum, sed vix alio oculos converteram, cum omnem illius beatitudinem evanescere prospexi: *Transivi, & ecce non erat.* Universus hic mundus, qui adeo nos fascinat, ex Jacobo Apostolo, non aliud est, quam vapor nonnumquam consurgens, inanemque fulgorem emittens; sed momento dissipatur, nihilque ex illo nisi modicum fumi in aere superest: *Quæ est vita nostra? Vapor ad modicum parens.* Jacob. 4.

Terrena hæc flumini prælabenti comparantur. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.* Psalm. 65. Audite quæso magnum Augustinum hæc verba explicantem. Regius Propheta hoc in loco memorare vult insignia illa miracula, quæ contigerunt, cum Israelitæ de Ægypto fugientes deserta ingrediebantur. Nobis in mentem revocare vult, quomodo divisum fuit mare, & sub pedibus eorum solidæ factæ sunt aquæ: at Sanctus Augustinus istic triumphat, suosque sensus extollens ait, aquas fluentes esse terrena bona, quæ transeunt; quidquid speciosum, magnificumque in mundo enitescit, fluvium esse violento, rapidoque cursu prætetlabentem eodem tempore, quo sese nobis offert: *Flumen est omnis mortalitas sæculi.* Viderene vultis hujus fluvii cursum in rebus mortalibus? *Vide flumen, alia veniunt, & transeunt alia. Omnis iste ordo rerum labentium flumen est.* Quidquid in mundo est, flumen est; qui hodie regnat, nonne oblivionem inducit iis omnibus, qui ante illum regnarunt? Sed quid verus efficit Christianus, qui mundum oculis gratiæ respiciens nihil ubique, nisi flumina reperit? Sese in hos fluvios minime projicit, se trahi non sinit mundi voluptatibus, sicco pede hæc flumina, hos torrentes traducit; hoc est, mundum, omniaque ejus bona conculcat: *Qui convertit mare in aridam.*

Perfecti Christiani non solum mundo nō hærent, sed illi mortui sunt. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ad Coloss. 3. Christiani omnes animum a terrenis rebus avulsum habere debent: at perfecti Christiani mundo mortui esse debent: *Mortui estis*, dicebat Apostolus ad Colossenses, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quamquam a terrenis bonis, & honoribus alieni simus, aliquando tamen iisdem afficimur; quamquam in illis non quæratur voluptas, invenitur ibi tamen, ac percipitur: sed mortuus nulla re affici potest, licet magnifici eidem extruantur obelisci, superba ædificentur mausolea, omnia ejus laudibus personent, nihil horum sentit, nihilo afficitur. Hæc imago hominis est, qui mundo est mortuus. Felix mors, quæ efficit, ut anima vivat Deo! Heu! Fervor ille, quo honorem, & utilitatem nostram prosequimur, satis ostendit, quam procul ab hac felici morte distemus.

Verus fidelis mūdum respicere debet tamquam præteritum sibi. *Tempus breve est, reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* 1. ad Corinth. 7. Christianus, qui scit, quid sibi velit esse Christianum, scit etiam inevitabili necessitate se teneri, ut cor suum ab hoc mundo divellat. Mundum, omnemque illius gloriam, voluptates, fortunasque umbram putat prætereuntem. Longius etiam procedit, & audeo dicere, mundum in corde suo tamquam præteritum respicit. Sensum hunc mihi Cassianus suppeditat, qui ait, tres esse hominum species, qui lon-

& totum mundum deridebis. Idem, Serm. 15. ex nuper editis.

Omnia senescunt, & omnia intereunt, ergo cum oriuntur & tendunt ut sint, eo magis festinant ut non sint. Idem, l. 4. Confess.

Effunduntur peccatores in ea quæ videntur & temporalia sunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Idem, ibidem, l. 9. c. 4.

Flumen est omnis mortalitas sæculi. Idem, in Psalm. 65.

Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit. Idem, in Psalm. 122.

Modo fructuose dicamus, transeunt, ne tunc dicamus infructuose, transierunt. Idem, in Psalmum 32.

Nonne domus tua hæc pulvis est & ruina? nonne hæc omnia fabula? nonne sæculi thesaurus vanitas est? nonne tu ipse es cinis? Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 8.

Caduca hæc omnia cum damno sine lucro, illud solum est lucrum, ubi fructus perpetuus, ubi æterna merces quietis. Idem, Epist. 44. ad Constant.

Lætitia sæculi temporalis est, perpetua autem lætitia ejus, qui gaudet in Domino. Idem, in Psalm. 47.

Non vis relinquere mundum, relinquet te mundus. August. Serm. 245.

Vilescat mundus, ametur a quo factus est mundus. Idem, Serm. 30. de Pentec.

Omnia imaginaria in hoc sæculo, & nihil veri. Tertull. de corona.

Fugiendus mundus, quia malos suos amatores remunerat. Isidor. Hisp. Coll. 2.

Ecce jam in seipso mundus aruit, & adhuc in nostris cordibus floret; ubique amaritudine replemur, & tamen cæca mente ejus amaritudines amamus: fugientem sequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quia labentem tenemus. Greg. in Homil.

Despiciendus a nobis hic mundus foret etiamsi blandiretur, & rebus prosperis demulceret animum: at postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, quid nobis aliud, quam ne diligatur clamat? Idem, in Dialog.

Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur quo decurrentibus implicatur. Idem, in Moral.

Si consideremus quæ & quanta sint quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Idem, in regist.

Hujus mundi veraciter ille mala sentit, qui ejus bonis inhiat, nec alia bona appetit. Idem, lib. 6. Moral.

Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Idem, l. 22. Moral. c. 2.

Diu cum nostris rebus durare non possumus, quia aut nos illa moriendo deserimus, aut illa nos viventes quasi deserunt pereundo. Idem, lib. 18. Mor. cap. 10.

Tanto nos necesse est instanter æterna quærere, quanto a nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Idem, l. 3. Dialog. c. 28.

Sola Dei gloria stat, solique stant & permanent, qui cum illo, & in illo gloriantur. Tertull. l. de Pœnit. c. 11.

Discite in hoc mundo supra mundum esse. Ambr. lib. de Virgin.

Difficile, imo impossibile est ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut deliciis transeat ad delicias, & in utroque sæculo primus sit. Hieron. in Epist.

Nulla res longa mortalium est, omnisque felicitas sæculi, dum tenetur, amittitur. Idem, ibidem.

Nihil appetere, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. Cyprianus Epistol. ad Donat.

Quam magna felicitas est implicantis mundi laqueis solvi. Idem, ibid.

Mundus transibit, tu cum eo qui non stas cades, transibis, & rues. Cyprian. de jejun. & tentat. Christi, c. 6.

Hæc est humana vita puerorum ludus in arena. Greg. Nyssenus.

Nonne hæc omnia pulvis? nonne omnia favilla? nonne in paucis versibus laudum vita memoria est? Sanctus Prosper in Sent.

Contemne divitias, & eris locuples; contemne gloriam, & eris gloriosus; contemne remissionem & quietem, & tunc eam recipies. Chrysost. Serm. 25. in Epist. ad Hebr.

Ad imaginem Dei facta est anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest, Bernardus, in Sermon. Ecce nos reliquimus omnia.

Dic mihi ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit nisi cinis & vermes. Idem, in Medit.

Prædia, palatia, immensa supellex, insulæque dignitatum, adde & sapientiam mundi, de mundo sunt hæc, & mundus quod suum est diligit, sed quousque? non solum enim non semper, verum ne diu quidem. Idem, in Epist.

Non prius satiabuntur corda hominum auro, quam auro corpora satiantur. Idem, Serm. de Convers. ad Clericos.

Magnus est cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Idem, l. 2. de Considerat.

Quæ requies in gloria tua, si qua tamen est? præterit jucunditas non reditura, & manet anxietas non relictura. Idem, Epist. ad Sophon.

Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. Bernardus, Epist. 103.

Mundus clamat, ego deficiam; caro clamat, ego inficiam; diabolus clamat, ego decipiam. Christus vero clamat, ego reficiam: Et tamen superba mens, magis sequi vult deficientem quam reficientem. Idem, in Epist.

Fluxa est divitiarum natura, torrente citius prælabitur habentes, alios alio modo apta mutare dominos. Basil. in Psal. 61.

Omnia mentiuntur & decipiunt in hoc sæculo. Chrysost. in Psal. 4.

Summa aviditate amplectuntur umbras, & sequuntur umbras; hæc enim quæ iis videntur sæculi bona, e manibus eorum tanquam ventus & umbra fugiunt, & elabuntur. Idem, Homil. Quod nemo læditur nisi a seipso.

Mundana felicitas multis amaritudinibus respersa est. Innocent. Papa lib. 1. de Contemptu mundi.

Cum mundus tibi fallaciter ridet, tu veraciter irride eum. Anselmus, l. 1. Epist. Epist. 8.

Mundus nihil habet stabile, neque fixum, sed sola oculorum deceptio est, & prius quam appareat avolat. Chrysost. hom. 21. in Genesim.

Nihil re magnum, quod tempore parvum est. Eucher. Epist. ad Valent.

Fallax suavitas in temporalibus bonis, infructuosus labor, vana spes, perpetuus timor, & periculosa inest jucunditas. Laurent. Justinian. de ligno vitæ, c. 3.

Nihil est in rebus humanis præter umbram, auramque levissimam sine mora transvolantem. Philo Judæus de Deo.

Quasi per amœna prata ad carcerem tendit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Idem, ibid.

Quæ excelsa videntur prærupta sunt. Seneca de Tranquill. animi, c. 10.

Omne quod fortuito evenit instabile est, quo altius surrexit, vergit pronius in occasum. Idem, de brevit. vitæ.

Nihil perpetuum, pauca diuturna sunt, quidquid cœpit, & desinit. Idem.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi possit.

Quid sit amor mundi, UT intelligamus quid sit amor mundi, qui peccatorum omnium fons est, & damnationis hominum causa, supponendum est, Mundum eo in sensu, quo istic accipitur, non aliud esse quam perfruitionem bonorum, voluptatum, honorum, omniumque vitæ deliciarum, quas nobis exhibet mundus, & quæ nostram excitant concupiscentiam; vel si mavis, est inclinatio, vel studium, quod ex ipsa nativitate contrahimus erga inferiora, ac temporalia, & quo rapimur, ut in bonorum hujusmodi possessione nobismet satisfaciamus. Ita loquitur Sanctus Joannes, Epist. 1. cap. 2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Hæc concupiscentia, cum illam sequimur, eique obtemperamus, mundi amor vocatur; quia in mundo ea continentur omnia, quæ extra Deum amare possumus, & quæ ab illius amore nos divellunt, cum in terrenis his bonis tamquam in nostro fine acquiescimus, qua in re proprie consistit peccatum, quemadmodum docet Theologia. Itaque mundi amor, mundi hujus bonis adhæsio, immoderata terrenarum rerum perquisitio, nomina sunt idem significantia; atque unum hoc intelligimus, cum loquimur de necessitate fugiendi, contemnendi mundum, & abrenuntiandi pompis objectisque omnibus, quæ nos prævertere, & in scelera impellere possunt.

Quomodo intelligendum est præceptũ de mundo non amando. Merito Sanctus Joannes prohibet, mundum amare; incompositus enim amor illius simul esse non potest cum charitate, quæ nos Deo conjungit; sed cum Sancto Augustino *lib. 3. contr. Julian. c. 10.* notandum est, non dicere illum, cavete, ne hoc mundo utamini; qui enim eodem utitur, quin illum amet, utitur eo, quasi non uteretur; non enim pro se utitur illo, sed pro alio, quem spectat, & amat. Ita Sanctus Paulus *ad Cor. 7.* eodem animatus spiritu fidelibus etiam atque etiam commendat, ut hoc utantur mundo, quasi non uterentur. Ut verbo me expediam, omnes legantur Scripturæ, liquebit hunc ab ipsis canonem statui, ne quid terreni, & perfunctorii ametur, neque aliquid per se amabile, & desiderabile existimetur, sed omnibus ad vitæ nostræ officia, & necessitates utamur, hoc est cum modo, non autem cum amantis affectu. Sin autem creatum aliquid amatur, in Deo & propter solum Deum amandum est; ita enim non amatur creata, sed in creatis diligitur Deus. Sed mundum deperire, in illo cor suum collocare, illum Deo præferre, in illo tamquam in fine requiescere, illum tamquam suæ felicitatis objectum respicere, hoc peccatum est, & in hoc hominis corruptio consistit.

Ratio, propter quam crimen est terrena amare. Ratio princeps, quam Theologia præbeat ejus sceleris, quod in immoderato terrenarum rerum amore invenitur, ex ipso naturæ ordine desumpta est constituto per legem æternam, qui est ipse Deus, unde præstantissima illa evangelica præcepta emanarunt: nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: nolite conformari huic sæculo, & similia. Hæc enim est rationalis animæ conditio, ut proprius illius locus immediate inferior sit Deo, corporeisque rebus omnibus superior. Subdita esse debet Deo tamquam Creatori suo, a quo essentiam habuit, & a quo felicitatem expectare debet, ac perfectionem; sed corporea quæcumque respicienda illi sunt, tamquam sibi inferiora, & ad id unum facta, ut ipsius inserviant necessitatibus. Hic autem ordo turbari, prævertique non potest, nisi incondita hominis voluntate, quæ hujus vitæ bonis inhærens ea, quæ media sunt, in finem immutat.

Quid de hujus mundi bonis sentiendũ nobis sit. Christianæ veritates, & Evangelii præcepta nimis exaggeranda non sunt; idcirco quemadmodum externa mundi bona, ac res terrenæ, quibus hac in vita carere non possumus, licet infinite minores sint interioribus animæ bonis, gratia vero præsertim; attamen, si rite intelligantur, dona sunt Dei, eorum usum sublimioribus destinatis finibus, qua in re maxima fiunt beneficia. Fides, atque religio eo errore depulso, fugatisque ex mente communibus illusionibus, quæ per eorum occasionem oriuntur, illa nobis sub hoc intuitu proponit, atque eo in usu, in quem ad virtutem impenduntur; & hoc pacto in illis reperimus non quidem laqueos, qui nos impediant, sed adminicula, quorum ope ad verum bonum perveniamus: ita proprie loquendo in illis non quærimus ea, quæ suapte natura humilia sunt, ac nullo in discrimine posita, sed fructum, quem inde virtus percipere potest, vel qui ex illis potest educi. Hac ratione fatemur, omnia, quæ a Deo sunt, magno in pretio esse habenda, vel in se, vel quia ad eximios, præstantesque fines referuntur. Itaque neque pluris facienda sunt æquo, eadem spiritualibus, æternisque bonis præferendo, quod mundi asseclæ faciunt, neque ita contemnendo, ut eorum possessio, vel per legitimas artes perquisitio, damnetur.

Temporalia hujus mundi bona, opes, honores, voluptates vera bona non sunt. Moralis disciplina nos docet, bonum, quod non perficit, neque meliorem facit possidentem, non esse magno habendum in pretio, neque a nobis diligendum. Quapropter Philosophi juxta sententiam Aristotelis ea tantum bona vocant, quæ essentiæ nostræ complementum sunt. Sed omnia temporalia bona, in natura sua tantum accepta citra usum virtutis, possidentem neque perfectiorem, neque meliorem faciunt; igitur perperam ab hominibus tamquam magna bona æstimantur. Ut homini veram communicarent perfectionem, opus esset primum, ut hæc bona suapte natura eam perfectionem haberent, qua essentiæ nostræ perfectio vinceretur: etenim, ut Sanctus Augustinus ait, homo fieri melior nequit, nisi per id, quod ipso sit melius: secundo ut eorum possessio solida, & permanens esset; quod enim imperfecte solum possidetur, conferre nequit perfectioni illius, in quo minime permanet. Hæ autem duæ conditiones ad veri boni effectum absolute necessariæ ex Ethnicorum philosophorum sententia, quibus solo lumine rationis explorata hæc veritas fuit, nequaquam in temporalibus, ac perfunctoriis hujus mundi bonis inveniuntur.

Ratio possidendi hujus mundi bona, non sinit nos esse contentos. Quamvis etiam mundi hujus bonis aliqua inesset præstantia, quæ naturæ nostræ dignitatem superaret, eorum possidendorum modus minime posset nos beatos, & contentos efficere; facile enim, ac brevi possunt amitti. Injusti usurpatoris vis opes nobis potest auferre, amarus dolor omnia gaudia in tristitiam potest convertere, calumnia labem nomini potest offundere, sexcenti inopinati casus nos bonis spoliare possunt, quin has calamitates prohibere valeamus; & mors denique eas nos deserere cogit. Dicine igitur potest, ea quæ adeo parum certa homini sunt, eum meliorem, vel beatum efficere posse; an de illo judicium ferre, eumque æstimare ex iis rebus debemus, quas necessario debet amittere?

Alia argumentatio, quæ probat hujus mundi bona esse falsa bona. Quemadmodum bonum generatim oppositum est malo, ita quælibet boni species particulari mali speciei esse debet opposita; quod tenebras non dissipat, lumen non est; ea corporis affectio, quæ morbum non expellit, bona valetudo non est. Hoc ipsum cæteris accidit bonis, quæ in speciem talia videntur, & commentitia sunt. Ita si opes exempli gratia non evertunt malum, cui ab hominibus opponuntur, & quæ esurientis cordis est ægritudo, per se bona non sunt, neque illud, quod ipsis defertur, nomen merentur: quod singillatim dici potest de bonis cæteris, quæ mortales depereunt, & quæ minime prohibent, ne possidens illa cor habeat inane; etenim licet illa possideat, habeat ea desideria, quibus satisfacere ne-

nequeunt, & quæ quotidie sine ullo fine crescunt. Nonne igitur frustra sani fiunt, & adeo ardenter quæruntur hæc bona, quæ non solum eam non habent excellentiam, quam in vero bono sapientes requirunt, sed quæ ne respondent quidem concepui, quem mundani sibi insanis cogitationibus adstruunt? Si ex natura sua haberent id, quod falso illis mortales attribuunt, qui plura possiderent, minoribus curis, ac desideriis urgerentur; experientia tamen ostendit, horum bonorum copiam ipsis idem esse, quod igni vehementius incenso ligna in eumdem conjecta, quæ illius flammas augent, eumque ardentiorem efficiunt.

Quid sit voluptas, & in quo consistat.

Sanctus Thomas 1. *part. q. 46. art. 3. ad 3. &* *q. 41. art. 3. ad 3.* voluptatis naturam, atque essentiam declaraturus ait, requiem esse appetitivæ potentiæ in præsentia ejus boni, quod illius explet desideria. Ut autem hæc requies detur, & hæc expleantur desideria, opus est, ut bonum, quo explenda sunt, conforme sit naturæ illud possidentis, & aliquam habeat cum essentiæ ejusdem præstantia rationem. Sin autem ex D. Thoma quæris quodnam hoc bonum sit, respondebit non illud esse, quod sensus palpat, sed quod aliquod habet fœdus, & conformitatem cum ratione; ideoque si homo verum invenire vult gaudium, quod illi perfectam, veramque pariat voluptatem; bonum illi quærendum est nequaquam pertinens ad sensus; & ne aliquod vacuum relinquat spatium in anima, cujus captus nullos habet limites, bonum hoc esse oportet infinitum.

Homines abutuntur naturali propensione erga voluptatē.

Propensio, quam erga voluptatem habemus, intra rationis omnem illius inordinatum affectum prohibentis terminos considerata, tantum abest, quod mala sit, ut sit etiam homini necessaria, tamquam instinctus a Deo insitus, ut ad veri boni perquisitionem suaviter feratur. Qui hanc affectionem redargueret, auctorem naturæ damnaret; ipse enim illam nobis altius impressit; verum hoc malum est, quod homo, quin voluptatem, omniumque votorum suorum complementum quærat in Deo, qui fons est bonorum omnium, & quin suum cor, & mentem attollat super ea omnia, quæ alicui mutationi sunt obnoxia, atque ita se in eo statu constituat, ubi curæ omnis sit expers, sese demittit ad sensibilium bonorum perquisitionem, totumque spiritum occupat in iis, quæ pro corporum necessitatibus, & pereuntis vitæ conservatione destinata sunt.

Quam brevis durationis sint sensus voluptates.

Quælibet voluptas, Philosophus *lib. 10. Ethic. cap. 16.* inquit de corporeis verba faciens, durat solum quamdiu est alicujus mali remedium; statim ac facultati alicui satisfactum est, id, quod ei jucundum erat, eidem onerosum fit, eamque fatigat. Dapes insipidæ sunt, & stomacho graves, ubi fames expleta est, & calor incommodus est, postquam expulsum fuit frigus. Hoc ipsum de omnibus dicendum est voluptatibus, quæ seipsas evertunt, & quæ sæpe principium, subjectumque suum, corpus videlicet, sensusque infirmant, ac perdunt. Adde his egregiam *Marsilii Ficin in comment. super lib. Plat. de Republ.* animadversionem, omnem videlicet excessum e vestigio in oppositum converti, quod liquet per omnes incompositas mortalium affectiones discurrentibus. Nimia licentia, quam nostræ libertati tribuimus, hanc rationis subtrahentes imperio, principium est turpissimæ, indignissimæque servitutis, qualis vitiorum servitus est. Temeritas in infirmitatem degenerat; excessus, ubi de incontinentia sermo est, migrat in tormentum; avaritia, & nimia terrenorum bonorum cupiditas eum, quem possidet, indigentiorem efficit, magisque famelicum.

Cur mundi bona vana dicantur.

Præsupponendum est, quod S. Bernardus docet, vanum vocari posse, quod vacuum est; cum vero illud alio appellamus nomine, tunc nomen ex inani specie desumit, at virtute, aut effectiva caret natura, quæ nomini ejus respondet: vanum est id, quod vacuum esse dicitur, quod nomen quidem habet, rem vero ipsam non habet. Hic est terrenarum rerum defectus, bona, honores, dignitates vocantur; nomina speciosa, bona commentitia, quæ fulgida videntur; sed si vacuum ingredi possumus, cum rebus vacuis vana dumtaxat nomina habebimus. Hæc vera bona non sunt; in inani tantum specie consistunt; sexcenis mixta sunt malis; tota magnitudinis eorum pompa, totumque pretium in hominum imaginatione consistunt: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccles. 1.

Ut perfecte terrenarum rerum amorem abdicemus, amori proprio abrenunciare debemus.

Principium, & veritas est in dubium nequaquam vocanda, nos non amare, nihilque ex iis, quæ in mundo sunt, amare nos posse, nisi eo, quod nosmetipsos amamus. Sin autem nihil nisi propter nosmetipsos amamus, hinc sequitur, quod amori proprio abrenunciantes, omnium etiam rerum amori abrenunciamus. Itaque omnium asceticæ vitæ magistrorum non minimum principium hoc est, ad hoc ut terrenis rebus omnibus moriamur, uti loquitur S. Paulus, nobismetipsis esse moriendum, atque uno ictu omnes infelicis hujus concupiscentiæ in omni fructuum iniquitatis genere adeo fecundæ rami obtruncentur, radicem primum esse convellendam, quæ est amor proprius. Ablata causa omnes evanescent effectus, non mundum, neque mundi bona amabimus, cum non amabimus amplius id, quod nos ad eorum amorem excitavit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Hujus mundi bona nos beatos nequeunt efficere.

Mortalibus satis persuasum est, se opibus, honoribus, voluptatibus beatos fieri non posse. Fallacia bona possunt obiter quidem illos detinere, at explere non possunt; quapropter cor semper inquietum indesinenter de objecto in objectum transvolat. Omnia illi quidem generatim bona mundi conquirunt, ut singula postmodum rejiciant; millies in eadem recurrunt objecta, & millies eorum tædio afficiuntur. Vita eorum non aliud est, quam ambitus desideriorum, tædiorumque, votorum, & nausearum. Vespere contemnitur, quod mane desiderabatur; quod nunc placet, mox nequaquam placebit. Quo magis aliquod objectum requirunt, eo magis illud fugiunt, & cor in jugi hoc votorum, ac repulsarum æstu perpetuo mœrore conficitur, neque aliud sperare potest solatium, quam miseram sæpe mutandi voluptatem. Solatium triste, sese præsenti fastidio liberari non posse nisi per aliud, quod priori succedit! *Specimina sermonum pro Quadragesima, sermone pro Dominica prima.*

Dei spiritus miram mortalium reputans insaniam, qua vera relinquentes bona, quæ ipsos vere beatos possent efficere, falsa bona depereunt, per Prophetam *Psalm. 4.* ita illos alloquitur: *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quod egregie explicat Sanctus Augustinus *in Psalm. 4.* dicens: cur bonorum omnium abjectissima, & postrema consectamini, tamquam optima essent, ac prima? *Ut quid tamquam prima, extrema sectamini, quod est vanitas, & mendacium?* Vultis esse beatos per ea bona, quæ sine ulla comparatione sunt vobis deteriora. Animam habetis æternum, non secus ac Deum, victuram, eamque felicem efficere vultis transeuntibus bonis, & velut umbra evanescentibus: animam habetis, quæ vos Angelis pares facit, eamque beatam studetis efficere illam ad brutorum conditionem dejicientes per hæc falsa bona, quæ quæritis, & quæ vobis sunt cum ipsis jumentis communia. Cur vos beatos arbitramini bonorum omnium novissima possidentes? *Liber cui titulus: Christiana rudimenta pro 22. post Pentecosten Dominica.*

Pauci sunt christiani,

Non loquor in hoc loco de tot pravis Christifideli-

qui aliquo modo terrenis rebus non hærent.

fidelibus, qui hoc nomen gerunt, ut illi dedecus afferant; qui tantum abest, quod gemant ob eam necessitatem, qua terrenis his bonis carere non possumus, ut non aliam norint voluptatem! quam illis frui; & qui intra se omnem alterius vitæ spem haud ægre abjicerent, dummodo in hac semper possent permanere. De illis autem loquor, qui vero æternæ vitæ flagrant desiderio, & qui ad eamdem pervenira conantur. Etenim quotusquisque hujusmodi bona vere fastidit, ea fugit., quantum in ipso est, vel dolet, cum se iisdem videat obnoxium? Non ideo tamen contendo, nos affici nequaquam debere iis rebus, quæ sensus nostros alliciunt, & dolorem potius, quam gaudium percipere ex iis, quæ aliis afferunt voluptatem. Hæc singularis, & perrara gratia est, quam paucissimis Deus elargitur. Illud vero affirmo, ad hoc, ut vere Christiani simus, nos aliquo dolore affici debere ex voluptate, quam in necessario bonorum terræ hujus usu percipimus, cum intelligimus cor nostrum illis adhærescere, atque non ex simplici necessitate illa conquirere; sed ex quadam propensione, quæ necessitatem hanc nobis jucundissimam facit, & quæ sæpe etiam ultra necessitatem nos rapit. *Ibidem*.

Considerationes faciendæ super mundi hujus voluptates, & gaudia.

Quid tandem mundus hic est, ut illum adeo insane depereamus? Memoria vestra altius omnia, quæ experti fuistis, gaudia repetite; recordamini simul curarum, quæ illa vel præcesserunt; vel subsecutæ sunt, amaritudinum secretarum, quæ illis virus adspergere non cessarunt, circumstantiarumque molestarum, quæ omnem earum suavitatem turbarunt: mementote modici temporis, quo permanserunt, laborum, quibus steterunt, stimulorum, quos vobis pepererunt, tædiorum, quæ post se reliquerunt. Hæc omnia comparate cum hac voluptatis umbra, quæ adeo celeriter elapsa est, & vis debitis, mundum cum omnibus illecebris suis ne unum quidem cordis vestri suspirium mereri. Itaque quotiescumque sese vobis offeret mundus cum fulgore hoc, qui fascinat, & quo ad nos perstringendos utitur, cum objecta his omnibus decorata illecebris animos vestros sollicitabunt, ut eos sibi honores, qui uni debentur Deo, deferatis; cum magnificarum pomparum intuitus, ubi vitium triumphum agere, & ubi vanitas omnia Evangelii præcepta conculcare videtur: cum hæc omnia, Sanctus Chrysostomus ait, in cordibus vestris cupiditatem hanc excitabunt, quæ semper, ubi esca admovetur, flammam protinus corripit, recordamini, Sanctus hic Doctor ait, pacti, quod cum Deo percussistis: sum Christianus, in Baptismo abrenunciavi mundo, & pompis ejus, nulla mihi salus speranda est, nisi promissi fidem præsto. *Specimina Panegyricorum. Panegyrico pro die Sancti Joannis Evangelistæ*.

Qui mundi voluptates amat Deum ex toto corde amare non potest, quia cor ejus divisum est.

Gloriarine potestis, vos unice, ac sine ulla divisione diligere Deum, vos qui voluptates concupiscitis, & misere sensibus vestris satisfacere quæritis: vos, quos mundi illecebræ fascinant, & qui eidem placere gloriamini? Verum enim vero vos audire mihi videor dicentes, quamquam vos mundus alliciat, vos tamen Deo cordis vestri partem integram, inviolatamque servare. Heu! quid dicitis? Deus totum cordis vestri amorem sine ulla divisione reposcit: hunccine illi citra summum nefas negare potestis? Verum potestisne in mundo aliquid invenire amore vestro dignum præter Deum? Potestisne amare divitias, quin experiamini spinas, quas secum gerunt? Potestisne bona vestra possidere sine affectione, illa tueri sine cura, illa amittere sine mœrore? Contemnite ergo mundum hunc, dum præterit, S. Augustinus ait, & ne expectetis, donec illius contemnendi tempus cum eadem transierit. *Ibidem*.

Terrenorũ bonorum cupiditas insatiabilis est, ac semper ulteriora desiderat.

Humanum cor explerine potest umquam terrenorum possessione bonorum? Haud ita sane. Nova semper parturit desideria, neque dicit umquam satis: semper inquietum, semper sollicitum, semper avidum, semper objectis, quibus allicitur; apertum, quin in ullo quiescat. Sese continere novit? vel potius nonne semper accidit, ut inter ipsam affluentiam credens ea, quæ habet, sibi jus conferre ad ulteriora quærenda, numquam dicere cesset: *Affer*, *Affer*. Date, afferte, congerite, accumulate mihi bona, honores, voluptates. Cor cæcum! infatuatum cor humanum, quo hac inexplebili cupiditate contendis? Putas te beatum futurum? quære igitur veram beatitudinem, verum bonum persequere. Is est humani cordis character, ut nihil nisi Deus illi satisfacere, illud valeat explere. *Sermo Manuscriptus*.

Quam difficile est humanum cor explere! Statim ac sibi affectiones patitur imperitare, ea omnia cupiens, quibus afficitur, iis se mancipans rebus omnibus, quibus desideria sua possunt expleri; sequens pernicissimum suæ cupiditatis cursum, numquam dicentis satis; sua illectum aviditate, quæ desideria sua ab uno ad alterum polum extendit, hydropico simile, cujus sitis semper augetur, prout bibendo illam revelare conatur. Experientia, quæ ea omnibus rationibus una maxime sensibus patet, & quæ efficit, ut digitis quodammodo rem attingamus, nonne palam necessariam hanc docet veritatem? Hic homo cupidus exempli gratia aliterne affectum deprumit suum, quam per hoc verbum, *affer*, *affer*? Aliterne loquitur libidinosus de voluptatibus suis? Ambitiosus de iis honoribus loquens, quos appetit, nonne hoc ipsum dicit? si cupido dicis, divitiis affluis; nequaquam, ille respondet: licet locuples videar, nihil fere possideo; & si ea specto, quæ cupio, me vere pauperem puto. Libidinoso die cordi, ipsum esse debere sua sorte contentum, vitam illius esse veluti circuitum voluptatum, quarum una ideo cessare videtur, ut alteri locum faciat. Falleris, subdit; peto, & quæro longe majora. Quid autem homo suæ ambitionis mancipium? audies illum; inter honores, præstantissimasque dignitates altius evehi contendo. *Idem*.

Ut sis in hoc mundo felix, hujus mundi bona tibi optanda nõ sunt.

Alterius vitæ felicitas est votorum omnium complementum; felicitas vero vitæ hujus est omnium desideriorum annihilatio. Ut in hoc mundo beati simus, nihil ea hoc mundo nobis optandum est. Crescunt desideria, prout id obtinemus, quod desideravimus, possessio eorum, quæ concupivimus, fovet desideria, non animam esplent. Anima, exempli gratia, hoc singillarim bonum desiderat; etenim sensibus, fallacibusque opinionibus hominum decepta sibi persuadet futurum, ut bonum illud sibi satisfaciat; at videns hanc aquæ guttam esse in abysso, ad alia festinat objecta, quæ sensus illi eshibent tamquam bona eidem explendæ satis accommoda. Si hac in vita omnium votorum summam consequeremur, numquam alteram cogitaremus; ideoque Deus, a quo diligimur, rem aliter disponit... Quidam in lectulo ardenti febri laborat, quæ immodicam illi sitim parit. Sitis dupliei ratione potest extingui, vel ægro potum præbendo frigidæ tanta in copia, quæ eam prorsus tollat, vel auferendo febrim, sitis ejusdem causam; ablata enim causa cessat effectus. Si ægrotanti optio daretur, quis ambigit, quo minus mallet febrim expelli, quam calicem frigidæ sibi dari? Etenim quamvis post frigidam immodice haustam fieri possit, ut sitis reveletur; si remaneat febris, non multo post iterum sitis redibit. *P. de la Colombiere in christianis considerationibus*.

Desideriũ bonorum hujus mundi eorum possessione augetur.

Prima hominis terrena cupientis pœna desiderium est, labor, humilitas, ad quam se demittit, ut sibi satisfaciat; obex desiderio suo, incrementum desiderii per obicem ipsum: quodcumque petis te felicem efficere non potest, potest autem infelicem. Illud vero constans est, quod res concupita desiderium non explet, sed auget. Primum quidem communis res aliqua optabatur, cujus facilis erat acquisitio; sed ubi illam obtinuisti, producit desiderium eorum, quæ rariora sunt, pretiosiora, &

ad ac-

ad acquirendum difficiliora. Remedium non aufert malum, sed auget. *Idem.*

Vera felicitas in hoc mundo non invenitur.

Numquid in hoc mundo ad veram pervenimus felicitatem, quam omnes homines naturaliter desiderant? Mundi voluptates, quæ satietatem afferunt, honores, gloria, & divitiæ, quæ numquam explent, omnia fallacia bona, quorum alia fastidium, alia famem cient, quæ cuncta tamquam fumus evanescunt, & quorum usus semper infinitorum malorum mixtione, ac terribili imagine mortis, in qua tandem deficiunt, turbatur, possuntne hanc felicitatem producere?...... Unicum desiderium omnes affectus excitat, & fieri nequit, quominus omnium ferocium belluarum harum tyrannidem subeatis, si uni tantum vosmet deditis voluptati. Quamobrem S. Paulus dixit: *Radix malorum cupiditas. Idem.*

Fallaces promissiones mundi, qui nos fallit, & decipit.

Ex mille mortalibus, quos mundus in favoris sui spem adducit, vix unus, & ne vix quidem illum assequitur. Ubique videntur homines decepti, qui se ipsos angunt, atque toto conantur pectore, alii quidem ut opes, alii vero ut honores consequantur; hi ut provinciam aliquam obtineant, illi ut aliqua voluptate perfruantur; interim vero quot laboribus exercentur universi? quot adeunt pericula? quot injurias, ac repulsas tolerant? quot vigilias, curas, mœrores requiem eorum perturbantes, atque ipsorum valetudini detrimentum afferentes? quot hominum consilia mors fregit? quot nunc etiam, cum ambitionis suæ fructu propediem se perfruituros sperabant, momento in extremum contemptum ceciderunt? *P. Aurelianensis sermone de Tentationibus.*

Summi etiam viri, & qui beatiores videntur, suas habent curas, atque dolores.

Nequicquam mundus ostentat quidquid magnificentius in felicissimis fortunis, in opulentissimis domibus, & in amplissimis affinitatibus nitet; ubi per otium isthæc omnia ad examen vocentur, liquebit præclaris hisce speciebus longe plurimas miserias celari. Quin etiam privatæ familiæ interiora scrutemur, ubi vir, conjux, filii, famuli juges mœrores, irasque cient, proximorum importunitas initorum consiliorum incertus exitus, cura progrediendi, metusque de gradu acquisito decidendi, nonne necessario magnas fortunas, magnasque dignitates sequuntur? *Ex moralibus sermonibus.*

De omni mundi felicitate generatim dici potest, nihil in ea pulchrum esse præter speciem, atque figuram; *Figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. Sed verum est, Salvatorem de divitiis loquentem, quod aliis etiam mundi bonis applicari potest, abusus, & fallaciæ vocabulum adhibere: *Fallacia divitiarum.* Semper enim promittunt, quod dare non possunt, ac res longe aliter, quam sunt, nobis ostendunt. Verum enim vero tandem omnis eorum fallacia deprehenditur; quod tamen nimis sero accidit &c. *ibidem.*

Vitæ hujus felicitas inanis est.

Omnia in hoc mundo fallacia sunt, nihil ibi præter speciem. Fallax magnitudo, quæ non aliud est, quam umbra, quæ dissipatur, quæ viros principes ob suam elationem superbos, in affluentia pauperes, & inter omnia prospera miseros efficit. Fallaces honores, qui plurimas gignunt pœnitentias, qui nos quidem palpant, sed simul etiam seducunt, qui falsum nitorem habent, & nihil solidum; honores, qui tamquam præeminentiæ putantur, quibus debetur reverentia, & qui pro rerum veritate, non aliud sunt, quam speciosæ servitutes. Bona fallacia, quæ nonnisi multis laboribus, & curis acquiruntur, quæ cum anxietate, ac metu servantur, & nonnisi summis cum doloribus amittuntur. Fallax sapientia, quæ omnes industriæ suæ curas exerit, quæ dolis nectendis tantummodo vacat, & quæ sæpe lumine deficit, ut seipsam cognoscere nequeat. Fallaces amici, qui nos ad tempus diligunt, sed qui nos decipiunt, cum de nobis bene merentur, quia sæpe fiunt affectionum nostrarum instrumenta. Amici, quos utilitas retinet, quos prosper quidem fortunæ cursus tuetur, adversus autem avertit. Fallax potentia, quæ sæpe miseros, vel nocentes facit. Denique, ut verbo me expediam, hoc in mundo omnia sunt falsa: *Omnia imaginaria in hoc sæculo, & nihil veri.* Tertullianus ait. *Auctor Anonymus.*

Mundo nihil fere primigeniæ pulchritudinis superest, neque debet amplius nos allicere.

Hactenus de inextricabilibus sæculi insidiantis illecebris, de honoribus, opibusque sermocinatus sum, tamquam si jucundus blandimentis suis mundus vigeret. Quicquid est, illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita, jam obsolevit, omnisque fucatus splendor intercidit. Vix jam hoc habet mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Priori seducere veros fideles non poterat fulgore; minus igitur sui veteris splendoris reliquiis eosdem corrumpere valet. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus speciosa ornant, aut in posterum mansura confirmant. Nisi nosmetipsi decipimus, pene mundus decipere nos non potest. *Desumptum ex Epistola S. Eucherii ad Valerianum.*

Nihil sunt, & vanitas honorum mundi videtur in pulvere, qui unus post principum mortem superest.

Turbo, quo rapimur, nobiscum trahit quoque mundi bona, magnificum hoc nihilum, superbasque vanitates, quas prætereuntes videmus, eas non amplius visuri; atque tumulum versus agit nobilitatem, & magnificentiam, sceptra, & coronas. Tempus, quod paulatim nos atterit, quod destruit, absumitque ea, quæ magis durabilia videntur, est velut ingens flammarum fluvius, in quo tamquam in placato, tranquilloque mari navigamus in abiegna cymba, quam ignis ubicumque permeat, & quæ quam primum est in cinerem redigenda. Omnia prætereunt, vel jam præterierunt, quomodo vero possimus, ex nobismetipsis esse felices, quandoquidem nequimus subsistere? Smici superbi, qui non diutius permansistis, quam vanitatis vestræ somnia: imbecilles terræ vermes, qui nunc in nihilum vestrum rediistis; terra olim tanta superbia animata; cinis, & pulvis, dummodo tempus tristia hæc vobis nomina reliquerit, desinite saltem in sepulcris vestris superbire; dicite quanam in vestrum parte quærere debeamus præstantiam, & beatitudinem vestram, de qua tantopere gloriabimini. *Auctor Anonymus.*

Mundum amamus quamvis mundus nos odit.

Adhuc autem mundum amatis, qui vos fugit, persequitur, afficit injuria: licet infensus ille sit vobis, vos tamen eum magis quam antea diligitis. Querebamini olim, ipsum vobis esse impedimento; modo vero talis non videtur amplius; crudelis est, immitis, ac primus omnium eum punit amorem, quo illum prosequimini. Quid illa mulier agit in mundo? quid expectat? quæ chimerica eam retinet spes? Cur salutem suam non cogitat? Non aliud illi consilii capiendum superest, quam ut recessum cogitet. Ita mundus loquitur. Vos tamen ad insaniam usque illius amore capti estis; & veluti ille, qui omni amissa spe aquis submergitur, adhuc tamen naufragii vestri reliquias servare conamini. Dedecet esse velle in mundo eo in statu, in quo vos mundus repellit; nonnisi fabula ejus esse potestis. *Abbas de Marroc sermone de Tribulationibus.*

De mundi contemptu.

Satis est mundum cognoscere, ut illum contemnas. Mundus in judiciis suis adeo cæcus est, in existimatione, muneribusque adeo injustus, ut nullam meritorum, nullam virtutis habeat rationem, ac sæpe eximiam habet apud illum commendationem, ut ejusdem donis cumuletur, qui iisdem est indignissimus. Infidelis est in promissionibus, in consiliis inconstans, mobilis in amicitia: hæc maximis comparatur impensis, cum labore servatur, & facile amittitur. Nos allicit, ut fallat, blanditur, ut perdat. Maximam in nobis spem fovet, ut superficialia tantum conferat bona, quæ cor, cujus infinitus est captus, replere non possunt; vana, quæ rationali spiritui satisfacere nequeunt; materialia, & crassa, quæ nullam cum spirituali anima habent congruentiam; fluxa, & perfunctoria, & quæ ideo immortalis animæ felicitatem nequeunt efficere. Hæc mundus quidem promittit, at plerumque non tribuit. *Pater Nepveu tomo 4. Christianarum Considerationum.*

Parum est mundum contemnere nisi animus ab eo divellatur.

Non satis est mundum contemnere, animus est ab illo avellendus: quot enim videmur mundum nullo in pretio habere, qui tamen eidem inhærent? Præstantissime de mundi contemptu disserunt, attamen illum diligunt: quotidie de illius perfidia queruntur, hoc tamen non prohibet, quominus illi habeant fidem; & postquam in eum probra, & maledicta evomuerunt, illum tamen sibi idolum faciunt, eumque adorant. Cæcum te esse, opus est, ut mundum æstimes; sed tibimet ipsi te contradicere opus est, ut illum contemnas, & nihilominus mordicus ita inhæreas illi, ac si in eo votorum tuorum summam invenires. Ratione se carere probat, qui mundum æstimat; sed se fide carere ostendit, qui eidem adhæret, ubi per Baptismum pompis, & vanitatibus illius renunciaverit. *Idem*.

Mundi existimatio, & fama negligenda.

Initium ducamus ex eo, quod inter mundi bona primum obtinet locum, hoc est ex honore, fama, existimatione, & laudibus hominum; quid vanius? quid fallacius? Quod spectat ad honores, ad quemcumque dignitatis gradum evectus fuerit mortalis, umquamne sua sorte contentus est? Ea non curans, quæ infra ipsum posita sunt, illa tantum suspicit, quæ supra. Magis dolet vel unum supra se elatum conspiciens, quam gaudeat plurimos post se relinquens. Ad hæc importuna illa cogitatio per intervalla felicissimo cuique licet invito obstrepens: *hæc quamdiu*? Quamdiu honores isti permanebunt? terribile est fortunæ, quæ beatissima videtur, virus, quod efficit, ut magis afficiatur dolore ex metu aliquando hæc amittendi, quam gaudio ex voluptate iis perfruendi...... Sin autem intus, & in cute spectemus, quid sit fama, existimatio, & hominum laudes, quid vanius, quid ineptius? Si me aliquis æstimat, alius me contemnit; quisnam mortalium omnium encomia consecutus est? Et licet me in pretio haberet multitudo, multitudo quid est nisi congeries rudium, cæcorumque hominum, qui affectu ducuntur, qui inconstantes sunt, qui me hodie plurimi, cras faciunt teruntii? At esto, constans, sinceraque sit eorum æstimatio, numquid meliorem me facit? numquid beatiorem? Non alienum, sed meum me felicem reddit judicium, & si me mea damnat conscientia cæteris probantibus, quid mihi horum approbatio proderit? Verum licet ego ipse mei contentus essem, existimaremque omnes omnium laudes mereri, si me improbat Deus, si me damnat, quid hæc omnia proderunt mihi? Reipsa non sum, nisi quod sum in judicio Dei, ac plerumque satis est nimium sollicite humanas laudes inquirere, ut nos contemptu dignos præbeamus. Dicamus igitur cum Apostolo 1. ad Corinth. 4. *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Idem in libro, cui titulus, Spiritus Christianismi.*

De mundi voluptatibus.

Voluptates, vel assiduæ sunt, vel breves; si primum, jam non sunt amplius fere voluptates: illis assuescimus, eas fastidimus, illis fatigamur, & maxima quæque voluptas, ubi diuturna est, fit supplicium. Suavissimus quilibet musicarum fidium sonus, jucundissima conversatio, gratissimumque spectaculum nobis essent non ferenda, si totam obtinerent diem. Nemo voluptates gustat minus, quam qui semper in voluptatibus est. Pone hominem in locupletissima domo, in loco deliciis omnibus affluenti; post mensem ibi exactum plurimum jam de illius loci pretio deperit; vel nullam ibi amplius invenit voluptatem, vel nulla amplius afficitur. Sin autem breves sunt voluptates, merenturne, ut ob illas tot laboribus exerceamur? pro fluxis, periturisque voluptatibus, æquumne est, ut, quod sæpe accidit, tota perfectissimæ beatitudinis æternitas in discrimen adducatur? *Idem*.

Ut justam concipiamus ideam bonorum hujus mundi, hæc in ipso mortis momento sunt consideranda.

Assuescere debemus omnibus vitæ hujus bonis, quæ oculos nostros perstringunt, & fascinant, tamquam in ipso mortis momento positi inspiciendis. Maxima quævis bona, cum hoc pacto intuebimur, exilia nobis videbuntur, vel potius penitus evanescent, & maximæ voluptatum illecebræ, ubi eas æternitatis lumine spectabimus, omnem exuent suavitatem. Adnitamur ergo, ut sæpe in vita eos induamus sensus, quos in hora mortis habebimus; homo vivens amat mundum; moriens vero illum contemnit. Quisnam sanius de rebus judicium fert, homone vivens, an moriens? *Idem*.

Hæc fictilis, & lutea domus, ubi nos Deus inhabitare voluit, fatiscens ubicumque ruinam minatur; singulis horis mortis impetum experimur, unde illam in dies propius accedere cognoscimus. Attamen fugientem mundum persequimur; eumque labentem retinere contendimus, innitimur cadenti, ac nos sua opprimit ruina. Anima Christiana usquequo aures obstrues amantissimi Dei tui sollicitationibus; qui te quærit, tibique bona æterna promittit? *Auctor Anonymus*.

Mundani vitæ hujus voluptates deperennt.

Videre mihi videor mundanos in via iniquitatis defessos, & fatigatos earum satietate voluptatum, ubi nullum amplius gustum inveniunt, ac præ tædio in ipso voluptatum fonte moriuntur: videre, inquam, mihi videor in pueris illis repræsentatos, qui a Jeremia describuntur inter matrum ulnas animam exhalantes, & ex arentibus earum papillis pro lacte propter cibi carentiam deficiente, corrupti sanguinis reliquias sugentes. Hac de causa homines sæculi adeo validam inveniunt illecebram in suavi, jugique aulæ agitatione, in æstuosa mundi vita, quæ illos ipsis, importunisque eorum cogitationibus auferens, non sinit eos aliquid videre, præter externum status sui nitorem, veramque illis abscondit pauperiem, atque miseriam, in qua inter tantam rerum affluentiam laborant. Illos ex hoc centro ejicite, educite illos ex hoc tumultu, in mortalem decidunt languorem, nihilque ultra invenientes, quod ipsos extrinsecus agitet, occupetque, fiunt necessario propriæ cupiditatis præda, qua absumuntur, ubi nullum inveniunt externum, cui adhæreant, objectum. *Idem*.

Naturale felicitatis desiderium bonorum hujus mundi perfruitione expleri non potest.

Primus animæ, quam Deus illustrat, motus est felicitatis desiderium. Dei spiritus efficit, ut homo sentiat se creatum propter finem essentiæ suæ nobilitate dignum: cumque nihil in universo terrarum orbe reperiat, quod desideriorum ejus magnitudinem valeat replere, sibi quærendum esse objectum, quod iis omnibus præstet, quæ in rerum creatarum ordine reperiuntur. Inexplebilis hæc potentia, qua agitur, ut semper aliquid cupiat præter illa, quæ possidet, in illo inutilis esse non potest: neque enim illam a natura potest accepisse, quin in eadem reipsa bonum insit, cujus præsentia vasto illius captui par hunc valeat explere. Propensio hæc adeo naturalis, & acris, qua in ipso etiam peccato quærit felicitatem, quamvis per illud ab hac longius recedat, terminum habere debet realem, & effectivum, qui illi respondeat; & cor illius semper erit in violento, & inquieto statu, donec extra centrum erit, vel extra viam, quæ illuc ipsum potest adducere. Speranda igitur felicitas non est in bonorum hujus mundi possessione, licet iis omnibus, quæ maxima, magnifica, jucundissima sunt, perfruemur. *Idem*.

Quam brevis, & vana sit mundi lætitia.

Mundanorum lætitia perniciosissima est, nihilque durabile habet præter pœnitentiam, quam illis relinquit: lætitia est, quæ in lacrymas desinit; lætitia superficialis est, quæ cor ipsum non tangit, vel quæ vastam illius extensionem non replet. Peccatoris necessitates illius affluentiam usquequaque superabunt. Esuriunt divites, inquit Propheta, refertæ sunt domus eorum, ac cor vacuum est: *Divites eguerunt, & esurierunt*. Voluptuosus inter voluptates voluptatum desiderio conficitur: ambitiosus in ipso honorum centro sollicitus est, ac se ipsum torquet; insignis ille terrarum domitor luget, quod virtus sua intra terrarum cancellos nimis ingenio suo angustos contineatur, & alii desperantes se in mundo invenire non posse, unde inexplebili aviditati suæ faciant satis, naturam vel impoten-

tentiæ, vel crudelitatis insimulant. Quam igitur incomprehensibile ænigma homo est? Cur adeo humiles sensus in corde adeo magno? Cur hujus mundi bona non replent eorum desideria, vel cur eorum desideria mundi bonis occupantur? Numquid mentita sibi est æterna Sapientia? Num vel terræ bona, vel humanum cor illi explorata non sunt? Vel potius, o Deus; nonne hæc est tui amoris præcautio? Ne sine te homo sit felix, mundum facis impotentem; hominique ostendens, illi mundum satia esse non posse, eum e gis, ut tandem aliquando fateatur sibi necessarium esse Deum, ut voti sui compos, beatusque efficiatur. *Ex sermone Gallica Academiæ oblato.*

Mundi hujus voluptates non solum terminis continentur, sed etiam molestis casibus perturbantur.

Vitæ hujus voluptates breves sunt, & per se angustissimis finibus continentur. Ad hoc satis est, quod plerumque a nostra affectione dependeant, affectio vero ex phantasia, quæ singulis momentis immutatur, imaginatio nostra illis tribuit quidquid habent suavitatis, eademque rursus illas infirmat, & omnem illis sufert delectationem. Persona eadem, quæ ad idololatriam usque amata fuit, post aliquod tempus nullo in discrimine habetur, & sæpe etiam in horroris objectum convertitur; cujus rei frequentissima sunt in terris exempla. Neque alia afferri potest ratio, quam voluptatum exilitas, quarum brevi afficimur tædio, & quæ magis, magisque infirmantur. Quemadmodum vulgo sapienti viro indignæ sunt, animam coinquinant, illam in propriis ipsius oculis contemptibilem reddunt, eam secreta confusione suffundunt; & anima hæc, ut ita dicam, naturaliter christiana, hanc sibi exprobrat confusionem iis stimulis, quos impii non semper tam facile retundere valent. Adde his, voluptates non solum in se brevibus circumscriptas esse limitibus, molestis sæpe etiam casibus perturbantur; dilutæ sunt felle sexcentarum inevitabilium amaritudinum, quæ subinde gravissimis, iisque diuturnis doloribus perfunctoriam aliquot momentorum dulcedinem satis rependunt. Præterquam quod zelotypiæ, suspiciones, diffidentiæ, metus, affectusque alii, qui individui sunt magnarum oblectationum socii, esse nequeunt nisi importuni voluptuosæ vitæ inimici. *P. Mandait tractatu de Religione contra Atheos.*

Terrenarum rerum vanitas.

Mundus, & quidquid ibi accidit, vanitas est, error, tenebræ, ignorantia; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl. 1. Illud vero animadvertendum est, quod sub hac voluptatum specie latet quædam miseriarum catena pro illis, qui ibi suam quærunt felicitatem. Hinc Sapiens suum orditur sermonem statim exclamans, omnia vana esse, ipsamque vanitatem. Deinde omnes hasce vanitates sedulo enumerat, describit, exaggerat, ac abusum, in quem ab impiis vertuntur, ob oculos objicit, ut earum magnitudinem, & periculum melius intelligamus; earumque singulis remedium adfert salutaria monita adjiciens. *Idem.*

De mundo, & ejus illecebris, quarum errorem exuere difficile est.

Mundum agnoscere, & amare unum, & idem est Juventuti, illum nonnisi ex externa specie cognoscenti. Mundus illi nonnisi hilari, ridentique facie se offert, eique delicias, thura, & blanditias exhibet. Verum temporis decursu illius deteguntur mendacia, eumque proditorem, ingratumque esse innotescit. Sed lenta hæc experientia adolescentes fatigat; iis fidem habent, quæ sensibus eorum accidunt, quæque sensibus accidunt, illis dicunt, ipsos pro mundo, pro ipsis mundum esse. Animæ hunc sensum, perniciosam hanc cognitionem auferre, illos ab hac fascinatione nugacitatis præservare, cujus tristes effectus Salomon deplorabat, gratia est juventuti æque rara, ac necessaria. *Pater de la Rue, sermone habito cum Religionis habitus deferretur.*

De terrenarum rerum instabilitate.

Regius Propheta Psal. 1. Justum nobis exhibet *tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quid efficeret arbos hæc, si sensu esset prædita? videret hujus fluminis fluctus sese mutuo impellentes, atque alios post alios abeuntes; videret etiam frondes suas decidentes in aquas a quibus abripiuntur; at ipsane arbos fluctus eosdem sequeretur? Eoa transire sineret, atque semper eodem in loco permanens sua in cœlum brachia protenderet. Hæc justi hominis imago est; in mundo tamquam secus fluminis oram positus est, quandoquidem S. Bernardus res terrenas exhibet nobis veluti fluvios semper labentes. Vir hic præterlabentia flumina intuetur, videt vitæ suæ dies, qui folia sua sunt, cum tempore, a quo trahuntur, prætereuntia. Verum illene his bonis se trahi sinit, & dies, qui transierunt, desiderat? Non ita sane, semper in eodem est statu, divinæque subditus providentiæ, sua vota, suasque cogitationes æternitatem versus intendit. Hoc nobis faciendum est. *P. Massillon, sermone de beatitudine.*

Mundi lætitia superficialis est.

Mundi lætitia superficialis est; delet frontis rugas, & faciei serenitatem inducit; sed numquam cordis imam penetrat partem. Mundanus est felix, cum sui compos non est, vel cum affectionum suarum emotione turbatur; sed cum ratio redit, vel cum libertatis suæ possessionem iterum acquirit; statim se ad cor mundanus revertitur, & se ipsum excutit serio, stimulos invenit, vel saltem mœroris, dolorisque causas, quibus conficitur. Quot mortales post exactos in libidinibus annos confessi sunt, se non potuisse retundere stimulos conscientiæ ipsos torquentis? Non desunt, qui tranquilli videntur, verum quis novit, utrum cor illos mentiatur, ac utrum interiori liberati sint verme, qui frequentissime impios depascit? Denique mundi lætitia pura non est; fons est, cui carceris custos inter ipsius carceris fines aliquam permittit libertatem, eique solatia quædam concedit; sed re ipsa suos secum compedes trahit; ac in singula momenta metuit, ne judex, vel carnifex præ foribus adstet. Potestne cum hoc terrore contentus esse? lætitia, quæ gustatur, nonne molestissimis effectibus, qui peccatum consequi possunt, corrumpitur? *Auctor Anonymus.*

Non est vera in mundo lætitia.

Supremus rerum Dominus unicum æternæ felicitatis objectum non vult, vel uno momento nos sine ipso tranquillos esse posse, atque beatos. Creata omnia, quibus abutimur, ut nostris satisfaciamus affectibus, in supplicii nostri instrumenta convertit: omnia consilia nostra magis jucunda, spes omnes magis suaves sunt phantasmata, & inania spectacula, quæ imaginatio effingit, ut doloribus nostris afferat solatium. Omnes istæ voluptates, honores, bona, dignitates, quæ nostram explecturæ videbantur cupiditatem, nostram augent miseriam, nostraque irritant desideria. Deus ultionem sumpturus de injusta mundanorum prælatione permittit, ut quidquid videtur diuturnam illis afferre posse tranquillitatem, eos miseros, & inquietos efficiat. Frustra inanem felicitatem in fortunis, vel honoribus collocamus; hæc sunt nostra supplicia: frustra contendimus in voluptatibus nostram statuere beatitudinem; ea enim, quæ nobis suavissima accidit, & perjucunda, parum distat a fastidio; nullaque lætitia est, quæ in mœrorem non convertatur. Ita voluisti, o Deus, omnem animam flagitiis deditam, & iniquam sui ipsius esse supplicium. Nemo in mundo beatus est, aliquis fortasse beatum se putat; seu heu! si curarum, laborum, dolorumque ejus mysterium possetis agnoscere, sub eo cortice, ubi nihil videtur, venenum, & corruptionem intueremini. Videretis patrem non contentum filio; virum a conjuge dissentientem, amicum amico struentem insidias. Videretis sub speciosis tegumentis pacta violata, proditas amicitias, sanctissima fœdera fracta, arctissima vincula odio, perfidiaque soluta, & fortunas maxime nitentes omnem jucunditatem amittere iis sollicitudinibus, quas secum gerunt, honestissimos locos suam dulcedinem, ac utilitatem perdere propter dolorem, quod ad ulteriora aditus sit interclusus, atque spectatissimos titulos, præstantissimasque dignitates non aliud nisi calamitosissima facere mancipia. *Sermo manuscriptus.*

Bona hujus mundi natura sua fluxa sunt, & peritura.

Bona hæc, quibus abrenunciamus, peritura sunt, & fugitiva, ac serius, & ocyus relinquenda; sed quorum separatio nonnisi tristis, & acerba illis accidere potest, a quibus divelluntur; hic est falsacium hujus mundi bonorum character. Et sane vos ipsos, o mortales, consulite, quot curis, sollicitudinibus, angoribus, timoribusque fluxa hæc bonorum objiciat possessio eos, qui iisdem fruuntur? Illorum amittendorum metui, dum possidentur, adhuc, amissorum dolori, ubi illis exuimur, & desperationi quam primum fortasse in turpissimam egestatem decidendi, certitudini eos ad summum in morte relinquendi. Quænam doloris, mœrorisque causa animæ terrenis voluptatibus additæ videre instantem diem illum, quo jacturam subitura est rerum omnium, quas præ cæteris habet in pretio? *Sermo manuscriptus.*

Hujus mundi bona vanitas sunt, & mendaciũ.

Propheta nos admonet, ne vanitatem diligamus & ne quæramus mendacium: *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Non satis esse putat dicere, honores, opes, & voluptates mundi esse mendacea, sed ipsum esse ait mendacium: *Quæritis mendacium*. Et profecto divitiæ dicunt se beatos efficere illos, a quibus possidentur, sed mentiuntur, quoniam divites sæpe in summa bonorum affluentia sunt pauperes, seu propter immodicos sumptus, seu propter avaras curas, seu propter inexplebilem aviditatem, propter quam ea cupientes, quæ minime habent, flocci faciunt, quæ habent. Honores inquiunt, se eorum esse felicitatem, qui ad dignitates evecti sunt, sed mentiuntur; etenim sub purpura, & laticlavo latent spinæ: & onus est honos, qui sustinet rempublicam. Voluptates quoque se eorum felicitatem esse profitentur, qui sese illis ingurgitant; sed mentiuntur, omnis eorum speciosa dulcedo fere semper in amaritudinem vertitur. Hæ ut plurimum sunt acerbissimorum dolorum in vita origines, & blandæ affectiones, quæ nos in ipso ortu seducunt, plerumque in crudeles, violentasque, turpes, & brutis dignas migrant cupiditates, quæ mancipia sua miserrima, & indignissima efficiunt. Mundi autem spiritus totus hisce honoribus, voluptatibus, divitiis, quæ nihil nisi mendacia sunt, occupatur. *Essais de sermons pro die Pentecostes.*

Hujus vitæ bona beatos non faciũt.

Quæ cæcitas est tamquam beatitudinem respicere possessionem, ac perfruitionem rerum creatarum, opum copiam, humanarum dignitatum nitorem, honores magnos, gravia negotia, pompam, mundi existimationem, & quidquid hominum sensus, & vanitatem palpat? Heu! beatus ille est, qui venena deglutit, quibus viscera mox sunt disrumpenda? beatus, qui sese rotæ alligat, ubi crudele est subiturus supplicium? Quid in anima producere possunt tot cupiditatis objecta, tot vincula, arctique nexus? Cum mors adveniet nos ab hujusmodi objectis separatura, quam terribiles tunc erunt dolores? Amatur hoc humanarum consolationum stratum, ubi infirmitas nostra requiescit; mundus non impune amatur; amor mundi necessario fit supplicium, quia mundus nobis effugit necessario, & fieri nequit, ut non affligamur, ubi iis caremus, quæ amamus. *Essais de morale, Tractatu primo de quatuor finibus cap.* 8.

Nihil hoc in mundo replere potest cor hominis.

Si homo a Deo semel recessit, jam non aliud est quam infirmitas, miseria, error, cæcitas, inanis voluptas, quæ sese oculis ejus offerat, illum illicit, & fascinat: sed ubi eadem gavisus est, ejus tædio afficitur, atque intra se ipsum agnoscit vacuum, quod nulla re potest repleri. Ita de objecto fertur in objectum, ac ignarus, in quo potius hæreat, de tenebris incedit in tenebras, ac de abysso in alterum abyssum ruit: videlicet lapsus sibimet succedunt, vitiosi habitus confirmantur, & perdita hæc via magis, magisque ducit in interitum, & damnationem æternam. Illud vero infelicitati cumulum addit, quod miser est sua sorte contentus. Non solum nullos exerit conatus, ut oppositam ingrediatur viam, sed ne primam quidem habet cogitationem plorandi, gemendi, manusque in cœlum tollendi; conscientia illius cum iniquitate consuevit, neque hanc odit amplius. Sensus illius victoriam referre soliti rationis lumina extinxerunt eo usque, ut ille in sceleribus suis volutetur tanta securitate, quanta si nihil illi esset metuendum. Hæc illa cæcitas est, quam bonorum vitæ hujus perfruitio parit, cum illa diligimus, cum illis inhæremus, cum illa persequimur, quin in illis eam inveniamus umquam voluptatem, quam quærimus. *P. Stephanus Chamilard sermone manuscripto de Samaritana.*

Salomonis exemplum omnes deterrere debet qui in hujus vitæ bonis suã felicitatem constituũt.

Ut error iis auferatur, qui felicitatem in vitæ hujus bonis vel quærunt, vel constituunt, satis mihi videtur futurum unum dumtaxat exemplum illis considerandum proponere. Salomon unus est, quem legimus gustare potuisse, immo gustasse, quidquid vitæ hujus suavitatem potest efficere. Alii Principes, licet in terris felicissimi, annos suos in gaudiorum, pœnarumque successione duxerunt; bella, negotia, seditiones, defectiones, eorum gloriæ, potentiæ, opulentiæ obstrepuerunt, privati, qui tranquilliore usi sunt fortuna, per intervalla adversis etiam jactati sunt. Quidquid de reliquis sit, Salomon unus menti nostræ repræsentat ideam hominis, cui nihil defuit, ut vitam duceret voluptuosam; verum propter hoc ipsum Salomon moriens majorem nobis reliquit locum de salute, quam reprobatione sua dubitandi. *Liber cui titulus: Animadversiones in omnia religionis, Ethicæque argumenta.*

Terrenarũ rerum inconstantia.

Navis leve in aquis relinquit vestigium, quod non multo post fluctus coeuntes delent. Aquæ motus diuturnum non patitur vestigium; ulciscitur, ut ita dicam, inconstantia sua modicum illud resistentiæ, qua contra ea corpora, quibus premitur, obluctatur. Sæculi fluctus findite, ut, honores, & opes adipiscamini; cedet unda ambitioni, & avaritiæ vestræ, cymbaque vestra, si bene regatur, rectum sequetur iter. Interim pertransitis, & mare post transitum vestrum statim fere suos fluctus confundit. Honores, ac divitiæ vestræ aliis etiam viatoribus eamdem navigationem obeuntibus hoc ipsum, quod vobis, præstabunt. Ita omnia labuntur, & hæc terrena in jugi vicissitudine transeunt. *Idem.*

Qui sublimiori gaudet fortunam est præ aliis contentus.

Videntur quidem in mundo mortales florenti fortuna gaudentes, & majora etiam meritis suis præmia consecuti; verum ideone contenti sunt? Esto, bonis, honoribusque diffluant, ita ut mundus omnia illis contulisse videatur, ut ad completam prosperitatem illos proveheret; verum cor eorum quietum est? Ultrane desiderant aliquid? Putantne se beatos, & in hac beatitudinis specie, re ipsa suam felicitatem inveniunt? Haud ita; e contra, Sanctus Chrysostomus ait, in hujusmodi statuum generibus infrequentius, vel potius minus facile invenitur. Quis autem dicendo recensere valet numerum eorum, qui eo pervenerunt, ut magis essent miseri, magisque suam infelicitatem sentirent? Mundus tamen nullis pepercerat sumptibus, ut eorum ambitionem expleret, eosque suis favoribus cumularet. Verum simul favoribus suis mundus amaritudinis semina adsperserat, quæ ab illis separari non poterant, & quæ non multo post doloris fructus erant editura. Mundus illos potentes, ac divites præstans, omnia illis contulerat, quæ suæ erat opis; sed illis tribuere non poterat satietatem, & pacem cordis, sine qua neque potentia, neque opulentia prohibere poterant, quominus status eorum esset infelix. Quantumvis beati viderentur, quot ipsis deerant, ut essent? At enim sibi tantum succensere debebant, miseri quippe erant, quia satiari non poterant. Ego vero respondeo, cur autem licet tot referti bonis satiari non poterant? Nisi quod, Sanctus Chrysostomus addit, explorata, constans, æternaque veritas est, mundi bonis, quantumvis affluant, cor humanum expleri non posse.

P. Gi-

P. Girouſt tomo primo Adventus, ſermone de præmio Sanctorum.

Terrenarū rerum mobilitas.

Omnia hujus mundi bona ſuapte natura adeo fragilia ſunt, ut nihil illa tueri poſſit, nobiſque contra eorum inconſtantiam ſpondere. Pulchritudo perit, honores evaneſcunt, amicitia extinguitur, fortuna ruit, valetudo ſexcentis obnoxia eſt caſibus, qui illam, vel corrumpunt, vel auferunt, voluptates faſtidium creant, totuſque mundus non aliud eſt, quam figura, quæ præterit. Aman idem, qui vitam amittit in eodem patibulo, quod ipſe paraverat Mardochæo, inſigne exemplum eſt ejus pretii, in quo mundi hujus honores, principum gratia, poteſtas, atque auctoritas in populo habendi ſint. *Abbas de Monmorel ſermone pro 4. Dominica poſt Epiphaniam.*

Deus S. Benedicto omnium creatarum rerum nihilum oſtendit.

Noſtis, Auditores, quid Sancto Benedicto in ipſo orationis fervore contigerit? Supra ſe raptus fuit; cœlum apertum eſt, deque noctis ſinu quædam inſolitæ lucis ſpecies effulſit, additaque fidei viſione mundus in ſolari radio collectus, Deo permittente, ſeſe illius oculis obtulit, eique humanarum rerum nihilum, & deformitatem detexit. Seu Deus pro illo cœlum, terramque coarctaſſet, ſeu illius cor, ac mentem latiorem effeciſſet, Sanctus Gregorius ait, vidit omnes terræ hujus revolutiones, ac vices, creaturas, licet invitas, vanitati inſervire coactas, totumque mundum humanis ſubjectum cupiditatibus. Cœleſtis hujus luminis ope vidit, magnos illos honores, quos ipſi opinione tantum extollimus, decreſcere; immenſa illa ſpatia, quæ ambitio in hominum imaginatione dilatat, arctari; prætereuntis mundi hujus figuram evaneſcere, & diſſipari hanc ſimulationem, ac univerſalem ſæculi hypocriſim; ubi vitium tamquam virtus honoratur, & virtus tamquam vitium contemptu digna videtur, & ubi falſæ fugiuntur miſeriæ, falſæque appetuntur felicitates. Vidit acervum ineptorum deſideriorum, odiorum injuſtorum, inconditarum affectionum: vidit noſtrarum voluptatum inſaniam, negotiorum inutilitatem, fortunarum fragilitatem, votorum vanitatem, atque bonorum omnium exilitatem. Heu! quam parvus illi viſus eſt mundus! Num mirum, ſi illum contempſerit, & ſi æternum cum eodem fecerit divortium? *Felchier Panegyrico S. Benedicti.*

Æſtimatio, & amor bonorum hujus vitæ cœleſtium amorem & deſiderium auferunt.

Undenam alterius vitæ bona tantum contemnimus? Inde ſane, o fideles, quia bona fragilia, fallaces voluptates, atque ut Scripturæ verbis utar: *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Hæc nos excæcantia de mente, animoque noſtro delent verorum bonorum pulchritudinem, eiſque offundunt caliginem. Ideo iis vacamus tantum, quæ noſtris ſenſibus accidunt, ea ſolum habemus in pretio, quæ videmus, cum interim ea, quæ videmus, non aliud ſint, quam vanitas, afflictio ſpiritus, & miſeria; ubi cum iis, quæ minime videmus, comparentur. Hæc tamen ea cæcitas eſt fere univerſalis, quæ in mundo graſſatur. *Joly, tomo ſecundo Propoſitione pro ſecunda Quadrageſimæ Dominica.*

Rationes, quæ efficere debent, ut mundū oderimus, & contemnamus.

Non loquor hoc in loco, auditores, de ſexcentis rationibus, propter quas hunc mundum vel odiſſe debemus, vel contemnere, deſumptis videlicet ex nihilo, inanique rerum mundanarum, quæ humanum cor occupare quidem poſſunt, teplere non poſſunt, ex difficultatibus, quæ ſuperandæ ſunt, de obſtaculis, quæ ſunt infringenda, ut eo perveniamus; de contemptibus, qui ferendi, de vigiliis, inſomnibuſque noctibus, quæ ducendæ, de periculis, quæ præcavenda, de affectionibus, quæ licet ſibi oppoſitæ ſimul tamen conciliandæ ſunt. Quis labor, ut aliquod bonum aſſequamur! Quot curæ, ut illud augeamus, atque tueamur! quot competitores, & invidi eludendi! Quot ſuperandi inimici! Quot diſſimulandæ injuriæ! Quot proditiones, & ingratitudines tolerandæ! Poſt hæc amari ne poteſt mundus, cui tantum ineſt amari? Contemni non poteſt hæc terra, ubi adeo pauca bona quidem ſunt, mala vero tot, ac tanta? *Idem.*

Quamvis Ethnici Philoſophi mundi hujus bona ſe contemnere profeſſi ſint, ii erant decepti.

Philoſophi quidam operam navarunt, ut bonorum hujus mundi vanitatem, ac fragilitatem oſtenderent; verum non admodum e voto hoc illis ceſſit; generales enim mundi ſententias aliis ejuſdem mundi ſententiis, licet parum ſapientibus oppugnabant. Divitias oderant; ſed odium hoc non aliud erat, quam ſecreta quædam contra fortunam indignatio, cui eloquenter obtrectabant, ut ſe ipſos ulciſcerentur. Fugiebant honores, ſed hæc fuga non aliud erat, quam occulta per ambages via tutius ad gloriam perveniendi. Voluptates generatim adſpernabantur, ſed ut privatim iiſdem tranquillius perfruerentur; eorum cor, & lingua minime conſentiebant, & quamvis in academicis ſermonibus de ſpiritualibus tantum voluptatibus verba facerent, ſatis ex hiſtoria intelligimus, ipſos ne turpiſſimas quidem abhorruiſſe, Chriſtiana opus erat diſciplina, quæ mortalium errorem auferret, atque vitæ hujus bonorum falſitatem, ac vanitatem oſtendens illis æternorum bonorum amorem inſpiraret. *Specimen ſermonum pro feria tertia poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

Vitæ hujus bona adverſus vitæ ejuſdē mala nos tueri non poſſunt.

Vitæ hujus bona, ſi quæ tamen hoc nomine nuncupanda ſunt, nos nequaquam aliis malis tuentur, quibus maxime affligimur. Nihil facilius externa mundi hujus ſpecie. Videmus quidem aliquando hominum divitias, & gloriam; at mœrorem, quo eorum conficitur animus, non videmus. Hic palam ridet, qui clam plorat; ille in cœtu hilaris gaudet, qui in penetralibus ſuis dolori ſe mancipat. Cogitavi, Sapiens ait Eccl. 2. riſum non aliud eſſe quam errorem, & fraudem, & aperienti cor ſuum gaudio dixi, cur ita decipi te ſinis? . . . . . Magni viri magnis obnoxii ſunt afflictionibus, & aurea corona, quæ ſub aliorum oculis nitet, immenſi ponderis eſt illam gerenti. O corona! exclamabat olim quidam Monarcha, qui tuum pondus agnoſceret, humi inventam ne tolleret quidem! Et ſane quod hominum deceptorum oculis corona videtur, gladius eſt acutus regum capiti imminens, & uno tantum crine ſuſpenſus. Illi ipſi ſunt ſtatua illa, quam in ſomnis vidit Nabuchodonoſor aureum caput, luteoſque pedes habentem, & quam lapillus, hoc eſt levis adverſitas in pulverem eſt redactura. Quam jure ergo Regum omnium Sapientiſſimus dicebat ſub Sole nihil eſſe niſi vanitatem, & ſpiritus afflictionem? *Liber cui titulus: Conſolatio contra terrores mortis cap.* 23.

Bonorum hujus vitæ fragilitas.

Permittit Deus mundum injuſtum eſſe erga illos, a quibus amatur, ut deſinant ei tandem adhærere. Juventus, pulchritudo, ſanitas ætate atteruntur, ac tempore pereunt: ſuaviores deſignunt amicitiæ, & amici, qui longius abſunt a ſuſpicione, fere numquam tuti ſunt, Divitiæ per fragilitatem ſuam nobis elabuntur, vel hominum violentia auferuntur; voluptatibus ſemper comes accedit metus eas in ſingula momenta amittendi; honores viciſſitudinibus, ac populi perturbationibus ſunt obnoxii; omnia abripiuntur prætereuntium momentorum decurſu. Ad tantam hanc nobis tradendam veritatem Spiritus Sanctus comparationibus utitur, figuris, atque hiſtoriis. Nunc ea, quæ a mundo exhibentur, ſimilia eſſe ait aureo ſimulacro ſuper luteos pedes ſtanti; modo magnificæ navi, quæ in modicum arenæ cumulum alliſa pendet, vel quæ itineris ſui nullum in mari veſtigium relinquit. *Actiones chriſtianæ tomo* 3.

Omnium bonorum inconſtantia.

Nihil in hiſtoria magis celebre, quam Beliſarii memoria invenitur, Mortales omnes ejus admirantes virtutem illum viderunt, urbes, & oppida expugnantem, Regna, & Provincias Cæſaris imperio ſubjicientem; verum mortales omnes tanti viri calamitatem dolentes viderunt illum oculis captum, obolumque petentem ex illis ipſis, quos ſuis armis ſubegerat. Triſte exemplum fragilitatis bonorum hujus mundi, & mobilitatis fortunæ, quæ quanta ſit, jugi experientia docemur . . . .

Populus, qui de rebus ex externa tantum earum specie judicat, vix adeo apertam intelligit veritatem; sæpe sibimet inquit hos, illosque felices esse; videt illorum voluptates, pœnas non videt, in iis hæret, quæ oculis accidunt, at non videt, quæ cor illorum confodiunt. Si capiti vestro immineret ensis uno tantum crine suspensus, & jugi motu agitatus ad lapsum, numquid tranquille in aurem utramque sterteretis, cum voluptate exquisitissimis dapibus vesceremini, metu omni vacui essetis? Principum terræ conscientiam testor: numquid eorum conditio felicior est? Omnem fatigant naturam, ut deliciis ipsorum inserviat, sed inter convivia suspirant; in magnificis cubilibus sternuntur, sed non nisi teterrimis somniis agitantur; purpura induuntur, sed beatiores essent, si pannosis centonibus operirentur. Quid ipsi concupiscimus? quid tot laboribus, ac pœnis contendimus? ex se mutuo quærebant Aulici illi duo, de quibus in confessionibus suis loquitur Sanctus Augustinus. Quid quærimus? Quem nobis in dignitatibus nostris finem proposuimus? Omnis spes nostra aliquidne amplius petere potest præter Principis gratiam? In hoc etiam quid certum est, & non pluribus obnoxium periculis? Ad hæc ubi voti damnabimur, solidane erit felicitas nostra? Diuturna erit? nobiscum in sepulchrum descendet? Nos comitabitur in illis infirmitatibus, quæ hominibus accidunt crebro?..... Funesta experientia, non secus ac Salomon voluptatum suavitatem percepimus; quandonam experientia felici agnoscemus vanitatem? Cum illo dicere possumus; nihil sensibus meis negavi eorum, quæ petierunt; verum quandonam cum eodem dicemus; inveni omnia esse vanitatem, fragilitatem, & afflictionem spiritus sub Sole. *Ibidem*.

Sensuum voluptates ejusdem sunt naturæ objectorum, a quibus producuntur.

Quod sensibili innititur objecto, omnes illius mutationes subire debet. Ita cum sensuum nostrorum objecta sint mutationi obnoxia, & corruptibilia, opus est etiam, ut voluptas, quam percipit homo, ejusdem naturæ sit, ac particeps horum objectorum, eorumque inconstantiam, ac fragilitatem experiatur. Hoc egregie Sanctus Augustinus *sermone 22. de verbis Domini* explicat, cum voluptuosos ita alloquitur: ubi sunt vestræ deliciæ, propter quas a virtutis via recessistis? Non quæro, ubi erunt, vel quid illis acciderit, ubi hæc vita transierit, & corpus, quod earum subjectum est, in cineres, tabumque fuerit redactum: sed ubi nunc sunt, quandoquidem nulla temporis particula est, quæ non fugiat fere antequam sit; nam ex omnibus diei præsentis horis, ne unam quidem possumus retinere. Nonne hinc patet, nihil eorum, quæ diligitis, nullam certam habere existentiam? Ita Sanctus Augustinus ostendit inconstantiam voluptatum, brevemque earum existentiam, propter fugam temporis, quod earum continet durationem, earumque cursum terminis circumscribit. *Liber, cui titulus: Sapientia Christiana capite 11.*

Brevis duratio bonorum hujus vitæ efficere debet, ut illa contemnamus.

Nil est magnum, quod tempore parvum est, Sanctus Eucherius inquit in Epistola ad Valerianum. Quæ diu non durant, magni momenti nobis videri non debent, eorumque fragilitas efficere debet, ut ea contemnamus; ecce bonorum mundi vanitatem. Similis est vapori, qui in aerem tollitur, quem Sol momento dissipat, & fere in nihilum redigit. Omnia hujus terræ bona modicum fulgoris habent, momento prætereunt. Verum est, rerum brevitatem a nobis ignorari, donec in manibus nostris versantur; sed expectate paulisper, & videbitis, quænam sit earum diuturnitas. Amor, quo illas deperimus, nobis persuadet futurum, ut illis semper perfruamur; ita non videmus quamdiu earum fulgor sit permansurus, & quam brevis sit nostra oblectatio. Sed morti proximi intelligemus, omnia fortunæ bona esse fragilia, tunc videbimus honores, & gaudia æque ac nos transitura: unde hæc duo inferenda sunt; unum, non contemnenda esse a nobis bona, quæ brevi peribunt; alterum affectu modo abrenunciandum iis esse bonis, quæ reipsa erunt aliquando relinquenda. *Biroat sermone pro die Cinerum.*

Felix status, ad quem pervenimus terrenorum bonorum contemptu.

Cum perfecte animum nostrum a terrenis rebus avellimus, similes sumus duobus Sanctis viris, de quibus Scriptura loquitur, Eliæ, & Enoch ex hac terra ablatis, huc iterum redituris, ut Antichristo adversentur. Cum duo illi viri mortui non sint, ita in mundo sunt, ac si non essent, ibique vivunt, quasi non viverent; quia omnes temporum vices, ac perturbationes illos non tangunt, nihil eorum pacem turbat, vel turbare potest, & hæc terræ bona nec cogitant, nec amant. Hoc pacto pro nobis mundus transiisse debet, ac transierit, si illum transire sinamus, si omnes illius mutationes nos minime afficiant, si illius opes, & voluptates nullo nobis sint in discrimine, & si omnibus illecebris ejus non moveamur. Non credidit Apostolus, statum hunc esse impossibilem; præcipit enim, ut Christiani oculos habeant, ut hæc terrena videant, eisque permittit, ut videant, non quæ temporalia sunt, & oculis accidunt, sed quæ æterna, & oculis non videntur: *Contemplantibus nobis, non quæ videntur, sed quæ non videntur.* 2. ad Corinth. 4. Quomodo enim oculos non habebimus, ne visibilia videamus, quin mundus nobis nihilum sit? *Serraein tomo 1. Adventus sermone de abnegatione sui.*

Ut ab his terrenis rebus avellamur, earumque tædio afficiamur, superanda esset illecebra, qua trahimur, atque considerandum nihil illis inesse amore nostro dignum .... Terra, Terra! in singula momenta clamandum nobis esset; cuncta bona, quæ tribuis, honores, & voluptates nonne terrena sunt, & fragilia? Numquid æternum sunt permansura? Si nunc morior, aliquidne horum mecum afferam? Sperarene possum, me illis ad mortem usque perfruiturum? Mihine polliceri possum, nullis adversis, nullis calamitatibus interruptum iri, meliori vitæ meæ spatio, hanc possessionem? Corpus meum, quod illis frui potest, nonne ipsum quoque peribit? Bona igitur tua, pompæ tuæ, voluptates tuæ tecum pereant. Tu vero, anima mea, quia tu una non peribis, creata, ut possideas Deum, qui in æternum te beatam effecturus est, bona quære numquam peritura. *Ex Christianis sermonibus tomo 1.*

Scriptura pueros vocat qui hujus mundi bona quærunt, & amant.

Scriptura pueris comparat eos omnes, qui sæculi amore capti ab hominibus sapientes habentur, ab illis videlicet, qui æque ac ipsi sunt insipientes. *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* Prov. 1. Profecto quomodo pueri non aliam in mundo felicitatem esse arbitrantur præter eam, quam in puerilibus ludis, inanibusque nugis inveniunt, ac se miseros fore putant, si illæ sibi auferantur: ita qui diligunt mundum, credunt, nihil nisi miseriam, mœrorem, fastidiumque illis superesse, qui bonis, voluptatibus, sæculique solatiis orbantur. Dicendum est tamen has hominum, non secus ac illas puerorum cogitationes illusione, & vanitate refertas esse, quoniam omnino oppositæ sunt cogitationibus Dei, qui eadem veritas est. *Liber qui inscribitur: Christiana rudimenta in Epistolam Dominicæ tertiæ Adventus.*

Infernus amor mundi & voluptatum illius.

Nonnumquam nostratum nos tædet voluptatum; neque nobis placent eæ rationes, quibus nobiscum utitur mundus, fastidimus eas creaturas, quibus diu sumus abusi, fatigamur in via iniquitatis, atque inter hæc tædia, & hæc fastidia ægre cor nostrum sustinemus; hoc impedimento nobis est, ne pene vellemus ea sacrificare objecta, quæ tantam nobis nauseam creant. Sed quamquam mundi hujus nobis pertæsum sit, ab eo tamen numquam omnino avellimus animum. Respicimus mœrorem ejus exilii, cui nosmet addicere opus est, sentimus pondus jugi, quod nobis ferendum est, agnoscimus difficultatem virtutum, quæ sunt nobis exercendæ, & requirimus hujus mundi, qui contemnendus

est,

est, jucunditatem. Hæc origo est humanorum tædiorum, quæ adeo frequenter deterrent homines, quibus aliquid religionis est reliquum. Sed alii, qui sunt vilia mundi mancipia, nequaquam sentiunt se prorsus ineffabilibus carere bonis, quæ Dominus præparat servis suis. Non æstimanur jactura, quæ subitur, æternarum voluptatum; non norunt beatitudinem vitæ justorum inhærentem; non respiciunt finem, qui illos manet; neque attendunt, quod ita prætereunti inhærentes mundo non adlaborant cælum adepturi, neque salutem suam operantur. *Sermo manuscriptus.*

Mœror animæ in morte, quod voluptuosam vitam duxerit, & sensuum voluptates quæsiverit.

Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. Heu! quam caro mihi stat pretio unius momenti voluptas, Jonathas dicebat! Funesta dulcedo, quam festinanter gustavi, morte ipsa mihi luenda est. Pertransiens guttam mellis delibavi, *& ecce morior.* 1. Regum 14. Quæ voluptas inanior, quæ dulcedo magis vacua ea, quam in profanis spectaculis, in ludis, in nimium liberis colloquiis, mundanisque cœtibus gustavi! Quænam amaritudo omnibus his gaudiis erat admixta? Numquid in illis aderat unde bonus spiritus aleretur, & cor christianum repleretur? Mœrores, vel dissimulati, vel leniti, nugæ, gaudium inane. *Gustavi paululum mellis.* Heu! nihil minus gustare poteram; *& ecce morior*, & hoc unum æternam mihi eripit felicitatem, meique est interitus causa. Moriens hæc omnia sentit, hæc omnia dicit, & in his doloris, & desperationis sensibus animam efflat. *P. Croiset tomo secundo Recessuum pro singulis mensibus.*

Omnis Christianus esse debet a mundo divisus, & quomodo.

Vos inter, & mundum separationem statuere debetis; si in mundo estis, mundi esse non debetis; conditionis vestræ status in mundo vos retinet, & status vestræ conditionis vos a mundo secernere debet. Nobiles estis, divites; filios habetis, quos instituatis; hæ rationes vos cogunt, ut in mundo permaneatis, dignitati, gloriæque familiæ vestræ consulturi. Sed alia vobis nobilitas adest, quod videlicet estis Christiani, quæ cogitatio efficere debet, ut mundo abrenuncietis; ita enim intelligenda est ea, qua tenemur, obligatio, ne infringamus fœdus coram cœlo, terraque ad lustrales aquas percussum. Promissionem hanc per Confirmationis Sacramentum confirmastis, attamen quoties ejusdem estis obliti? etenim nonne est illam oblivioni penitus tradidisse, vitam prorsus mundanam ducere, ac ita mordicus mundo adhærere? *Biroat Sermone tertio, pro tertia Quadragesimæ Dominica.*

In hujus mundi bonis nihil nisi afflictio spiritus invenitur.

Salomon nihil sensibus negavit eorum, quæ illis placere poterant: honorum, voluptatum, bonorumque satur in medio vitæ deliciis omnibus affluentis fateri cogitur, se in terris nihil nisi vanitatem, & afflictionem spiritus invenisse, & quidquid in mundo magis nitet, & allicit, esse illusionem: *Vanitas, & afflictio spiritus, & omnia vanitas.* Eccl. 1. Et sane quid aliud hoc in exilio inveniri potest? Mundus magnus pollicetur opes, honoresque; at ex quo factus est bonorum omnium dispensator? Omnes, qui partes ipsius sectantur, ingentibus obligat sumptibus, & quinam fructus, quæ merces? Pax, & vitæ suavitas umquamne pars peccatorum fuere? Mundus voluptates promittit, at numquamne mœrores, doloresque impertit? Ullane in mundo voluptas extitit, non felle diluta; & quisnam plures gustavit, quem mox non pœnituerit? Mundus spondet honores; verum eorumne dominus est? quis honore se affici expectet, ubi omnia competitoribus, invidisque sunt plena? Meritum numquam fere ubi agnoscitur, & minus adhuc mercedem nanciscitur. Mundus opes pollicetur, sed illi, cui post plurimas curas, sudoresque fortuna contigerit, ut thesauros congerat. Bona acquirere multis laboribus constat; quod vero tot laboribus estis adepti, mundus vobis contulisse dicendus est? Sed homini in mundo opibus diffluenti, quot pericula? Tandem vero in his assertis bonis, quæ propter fragilitatem labuntur, ullane statui potest confidentia? Honores, voluptates, divitiæ, omnia fugiunt, omnia extinguuntur, omnia cum ultimo vitæ statu evanescunt. *P. Croiset tomo secundo Recessuum.*

O cæcitatem! o mortalium dementiam! pati, se imaginariæ felicitatis, quam omnes sibi proponunt mundi sectatores, & quam nemo unus invenire potuit, illecebra falli. Gaudium, voluptas, affluentia, felicitas, speciosa sunt nomina, quibus utitur mundus, ut suos cultores decipiat, verum quid aliud sunt, quam vacua nomina, quæ sapienti viro imponere nequeunt? Quænam magis chimærica felicitas, quam mundanorum, qui æternum acribus agitati sunt stimulis, tot dominorum, quot illi sunt, quorum habere rationem tenentur, mancipia, semper magis famelici, quia umbras dumtaxat consectantur, & vento pascuntur? Quæ umquam servitus gravior, & miserior? ubinam ergo felicitas tantopere ostentata? ubi illa suavia bona, propter quæ mundani superbiunt, ac statui suo servorum Dei præferunt statum? *Idem.*

Mundus vix non amari potest, licet illius vanitas, inconstantia & perfidia, agnoscatur.

Mundus quiddam habet, quod allicit; nemo potest diffiteri. Vanus est, perfidus, deceptor: eos prodit, quibus blanditur, eos jugulat, quos amplectitur; fluxus est, præterit, labitur, mutatur, evanescit, peritura dumtaxat habet bona, umbras, phantasmata felicitatis, quæ nos capiunt, & fallunt, atque in vera desinunt mala: hæc omnia nimis vera sunt, Auditores, nemo diffitetur; verum cum relinquendus est, in corde nostro secreta latet cum eodem conspiratio, quæ nequit infringi; de illo, quantum placuerit, obloqui licet, sed huc tandem redeundum est, odium omne, quod in illum accensum erat, extinguitur, excidit. Nescio quænam illecebra rationem perturbet; amatur eodem tempore, quo spernitur: si non placet, oculos perstringit; detinet, si minime satisfacit; si favoribus suis non remunteratur, promissionibus allicit. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, ait Sapiens cap. 4. Nescio, quænam sit hæc vis imperiosa, quam in humanum cor habet, sed magna profecto est; etenim post tot sæcula, ex quo Sapientes quidem rationis, Christiani vero fidei luminibus nituntur, mundus semper cultores videt catervatim coram se genuflectere. *P. Cheminais sermone de Religiosa professione.*

Quinam vocentur servi mundi.

Mundus plenus est quadam servorum specie, qui eo sunt calamitosiores, quo se liberiores putant. Hic sibi plaudit, quia prospera utitur fortuna, ac altius progrediendi spem fovere posse sibi videtur. Sed quam sibi vim debet inferre! suis semper invigilare debet negotiis: aliis ad humilitatem usque complacere; omnes pati curas, mœroresque, quos dubiæ fortunæ ut plurimum gignunt, apertos inimicorum impetus sustinere, secretas invidentium proditiones, improbas æqualium zelotypias, aculeatas inferiorum irrisiones, crebrosas dominorum libidines; cum interim eorum consiliis inopinatis revolutionibus, & secretis perturbentur non sine divinæ providentiæ consilio, quod ipsi fatum, vel fortunam appellant, & quo in æternum ab iis, quos sibi proposuerant, finibus arcentur. *Flechier, sermone habito cum Religionis habitus virgini cuidam traderetur.*

Sancti Patres, atque ipsi etiam Ethnici Philosophi numquam satis se loqui posse putant, cum de intolerabilibus vinculis, & catenis, quæ in sublimiorum fortunarum possessione, atque perfruitione inveniuntur, verba faciunt. Ubique veras deplorant miserias, labores, & amaritudines sub insignium, fulgidarumque dignitatum luce latentes. Integros implevere libros, & enumeratio ab illis instituta horrorem incutere posset illis, quos mundi amor fascinat; sed illis adhibeamus fidem, qui quod dicunt, experti sunt, & de iis, quibus torquentur, malis queruntur. Ambulavimus, inquiunt, per vias difficiles, saxis, & tribulis asperas, atque fatigati sumus in via iniquitatis.

Verum nonne quotidie ex iis, quorum fortunam cum admiratione, invidiaque suscipimus, quosdam videmus sub magnitudinis suæ pondere gementes? *Abbas Verjus Panegyrico Profess. Religiosa.*

De mundi nihilo.

Tu, Domine, mundum hunc ex nihilo eduxisti manu tua omnipotenti, & ne naturalis pulchritudo, qua illum decorasti, fallacem in cordibus nostris efficeret impressionem, nos docere voluisti, quam indigna esset existimatione nostra, per assiduas vices, quibus eam tua providentia subjecit ostendens eam nihilo inniti, nihilumque esse per se, quoniam eodem fere momento, quo nascitur, interit. Profecto, Domine, quid est mundus; hic mundus cujus amore capimur, & detinemur; nisi flos, qui statim arescit, fructus, qui ubi ad maturitatem pervenit, excidit, arenæ pugillus, quam ventus rapit, imaginis in speculo repræsentatio, parum fumi, juxta Spiritus Sancti locutiones? His comparationibus ostendere nobis voluit Deus, mundum reapse non pravum aliquid esse, sed nihil, eas mutuatus ex iis, quæ in rerum natura minus solida inveniuntur. Sed quamvis mundi species, & quidquid nos allicit, quamvis voluptates, bona, honores, & fulgor ejus aliquid solidum esset, hoc tamen nihilum nobis esse deberet, quia diu illis frui minime possumus, & necessario nobis sunt relinquenda. Hæc omnia nihil nobis sunt, facti enim sumus pro aliqua re majori, & magis permanente. *Auctor Anonymus.*

Mala, quibus vitæ hujus bona excipiuntur.

In Scripturis egregiam habemus figuram malorum, quibus vitæ hujus bona excipiuntur in Jonathæ persona, qui quod parum mellis gustavit, mortis periculum subiit: *Gustans gustavi paululum mellis; & ecce morior.* Hoc experiemini, mortales, nisi jam estis experti, & quam primum fatebimini, mundum non offerre mel, hoc est, delicias suas non exhibere, nisi ut mortem infligat, neque amplecti, nisi ut jugulet; & fatale momentum aderit, quo, & vos ipsi vicissim clamare debebitis: *gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior. Specimina sermonum pro Dominicis, Dominica Palmarum.*

Mundi hujus bona, & voluptates contemnenda sunt propter earũ brevitatẽ.

Merito dilectus Discipulus in Epistola prima cap. 2. egregia hæc habet verba: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*, hoc est voluptates, opes, honores, omniaque peruntia sæculi bona, quæ mundani ita deperëunt, ut se ipsos perdant. Verum ut illa contemnantur, satis est brevem eorum durationem considerare. Heu! quam fluxa eorum fruitio est! Primum enim esse nequit ipsa vita diuturnior. Quid autem hæc vita nostra est? vapor, qui ad breve tempus apparet, ac statim dissipatur: cum autem semel nobis clausi fuerint oculi, illos rursus aperire nequibimus, ut iterum videamus bona, quæ dereliquerimus, iterumque eorum suavitatem gustemus: atque si illis fidem adhibere volumus, qui hoc experti sunt, fatebuntur, omnia bona, quibus, dum viverent, gavisi sunt, velut umbram pertransiisse. Secundo si hujus mundi bona brevia sunt ratione vitæ, quæ celeriter præterit, longe breviora sunt ratione æternitatis semper manentis. Si enim mille anni coram Deo, illos æterna essentiæ suæ mensura metiente, sunt tamquam dies hesterna, quæ præteriit, quid dicendum est de bono, quod paucis tantum manet diebus? nonne jure momentum vocari potest? Pro momento vero æternitatem, pro nihilo amittere Deum, nonne mira est insania? nonne cæcus sit ille oportet, qui rebus perituris inhæret, supremumque bonum, cujus duratio infinita est, aspernatur? *P. Novet in Homine orationis, recessu primo.*

Mundi bona contemnenda sunt, quia nullius sunt pretii.

Quam inania sunt mundi hujus bona! Deus illa inimicis suis maxime infensis elargitur. Videte eos, qui majores possident opes, honores, dignitates, voluptates. Hi plerumque sunt insignes peccatores, & majori ex parte reprobi. Videte ergo quanti hæc faciat Deus. Quam inania sunt mundi hujus bona! Terra universa cœlo comparata punctum est, & nihilominus ad puncti hujus particulam obtinendam, dies noctesque laboribus exercentur homines, cruenta inferuntur prælia, fœdissimæque cædes peraguntur. Quam inania sunt, iterum dico, mundi hujus bona! nomen, quod gerunt, non merentur. Bonum dicitur, quod bonos facit, quod fallacia bona facere nequeunt. Divitiæ divites faciunt, dignitates magnos, fama potentes; sed neque opes, neque honores, neque existimatio sæculi facit meliores; sæpe etiam ex bonis malos, ex malis efficit deteriores. *Idem.*

Mundus contemnendus est.

Quid est hic mundus, qui ad insaniam usque diligitur, qui nimium timetur, cui infinitis curis servitur, cujus ad scrupulum usque diligentissima cura habetur? Hic mundus, de quo omnes queruntur, qui in omnes injustus est, qui nullam habet meritorum rationem, qui miseris mundum replet, & nullis satisfacit, qui nullum habet famulum, nisi mancipium? Hic mundus, cujus sensus tot leges sunt, sæpe etiam recto sensui contrariæ; ac semper Evangelicis institutis abnormes? Si mundus est phantasma in imaginatione tantum subsistens, nonne insipientes sumus, qui ex alienis cogitationibus adeo incommodum nobis effingimus dominum, & qui ex propriis ideis formidabile idolum nobis imponimus? Si mundus hic aliquid reale est, quo jure leges adeo duras irrogat nobis? a quo hanc auctoritatem accepit? quo fato illius servi sumus? Profecto cum ab omni cupiditate vacui ratiocinamur, ac nullo præjudicio occupati, cum propius inspicimus, quid sit iste mundus, contra nosmetipsos indignamur, quod tamdiu illum in honore habuimus, ac tamdiu ejusdem fuimus ludibrium. Hic mundus, qui tantum habet imperium in hominum mentes, & corda, proprie loquendo non alios habet sectatores, quam tumultuosam hominum varii characteris, variique ingenii turbam, quibus cum Jesu Christi dogmata minime arrideant, non aliud spectant, quam suas utilitates, non aliam sequuntur normam, nisi suas cupiditates, non aliud votorum habent objectum, quam vitæ hujus bona, honores, & voluptates. *Pater Croiset in spiritualibus considerationibus cap. 1.*

Quid sit hic mundus, & ex quo hominum genere constet.

Mundus magnum theatrum est, ubi homines sibi ultro citroque fabulam exhibent. Hic ridiculam agit scenam, qui putat, se omnibus esse admirationi; & qui alios miseratione dignos putant, sæpe magis contemptibiles sunt, atque contempti. Ibi libere regnat juvenum insanorum congeries, ac mulierum, quarum existimatio saltem nutat. Hæc corruptorum spirituum congregatio absolute judicat, & pro libidine, vel damnat, vel probat; atqui hi censores sunt formidabiles, qui a sapientibus etiam metuuntur; hi imaginarii sunt domini, quibus boni etiam displicere verentur. Hic ille magnus mundus est, qui fortunæ mortalium, si illi fides habetur, humanæ felicitatis arbitrium sibi vendicat. Hic mores mutat, regit officia, sumptibus fines statuit, atque omnia sua probat auctoritate. Ratio sæpe illius libidini, religio vero ejus cupiditatibus cedit. Durus in levibus, immitis in ea, quam exigit, servitute, quidquid fit pro nihilo habet, licet omnia illi devoveantur. At quis inde fructus percipitur? Quoties postquam multum adlaboraveris, nullam tibi habet gratiam? Annos integros illi servies, te ipsum torquebis, patieris, quin ille ne intelligat quidem: & licet tibi e voto contingat, ut illi placeas, quænam tibi cedit utilitas? *Idem.*

Mundi voluptates nihil habent solidum nobisque satisfacere nequeunt.

Voluptas est lætitiæ sensus, quem in anima excitat præsentia boni, quod ab eadem habetur pro bono. Hæc autem voluptas tunc solida est, cum ex bono, cui soliditas inest, proficiscitur. Bonum fallax facere non potest lætitiam veram; illius illecebræ mora evanescunt, illusiones ejus dissipantur; cum voluptas præterit, tunc mens, animusque sentiunt inane earum rerum, quæ solidæ non sunt. Cupiditas frustra ea repræsentat bona, quæ non aliud habent,

quam

quam speciem; serius, ocyus tarin detegit per ipsas nebulas nihilum earum, & anima amaritudinem duntaxat invenit, ubi cupiditas tantam illi pollicebatur voluptatem. Hinc oriuntur turbæ, & mœrores illi præter voluntatem, quos omnia minus dissimulata mundi gaudia lenire non possunt, inde adversa, & invisibiles cruces, quæ hominibus, quorum ingenium alacre, lætumque est, tristitiam offundunt, & quæ efficiunt, ut mundi sectatorum felicitas jure chimæra dicatur .... Quemadmodum Deus unus cor nostrum replere potest, ita ille unus votis nostris potest satisfacere; aliud quodvis objectum sollicitat, fatigat, ac necessario nauseam adfert conscientiæ, Deus unus animam replere potest, illius sedare metus, sollicitudines, ac turbas, quæ in ipsa oriuntur. Qualibet alia re adimplere coner infinitum cordis mei vacuum, Sanctus Augustinus ait, nihil invenio, quod illam æquare voluptatem possit, qua Deo serviens perfundor. *Idem*.

Mala illa, ferenda, qui mundum sequuntur. Quænam sunt mala, quæ mundi sectatores ferre coguntur? Heu! omnia concurrere videntur ad eorum miseriam, quin illis conqueri liceat. Assiduæ, gravesque curæ, quæ ab eorum conditione separari non possunt; ambitio, zelotypia, cupiditas, quæ inexhausti sunt fontes dolorum, sollicitæ vitæ tumultus, nutantis fortunæ motus, mobile, variumque eorum ingenium, quorum diligenter habenda ratio est, & quorum plerisque placendum est, sexcenti acerbi casus, qui imminent, & qui nullo pacto præverti possunt, temporis infelicitas, quæ nequit evitari, gradus, qui quocumque pretio sustinendus est, competitorum multitudo, invidentium improbitas, cor semper agitatum, spiritus inquietus, impedita conscientia. Heu! nequaquam tot malis opus est, ut homo infelix fiat; quæ tamen omnia simul conjuncta in conditione eorum, qui sæculo serviunt, inveniuntur. *Idem*.

Multi prosperitatum, honorumque vanitas. Mundanæ dignitates, quam parum solidæ estis! magnificæ fortunæ, quam fallacem fulgorem effunditis! Sæculi divites, quam non invidenda vestra conditio est, ut Christianum decet, cogitanti, ac ratiocinanti! Fulgor, qui sæpe eminus tantum nitet; ingens rumor cordis tranquillitati parum aptus; vana felicitatis idea in alieno duntaxat conceptu existens; inutiles sumptus; solatia arte parata, fœcunda mœrorum, & amaritudinem causa. Conditio vestra divites, & nobiles mundi aliosne redditus habet? *P. Croiset, tomo 2. Asceticarum considerationum.*

Mortales non ita felices vulgo sunt, ut credantur. Mortalium mundo inservientium conditio satisne beata videtur? Illine se ipsos beatiores, melioremque partem sortitos putant? Mundus utraque manu sectatoribus suis bona elargitur? status hic plurimum præbet suavitatis? ibi magna tranquillitate homines perfruuntur? saltem ullane ibi sat bene certa spes invenitur? Externa hæc species adeo ridens, quæ omnes homines allicit, neminemne fefellit? Viæ istæ adeo stratæ, ac florentes molestosne terminos habent? dies omnes ibi sereni sunt, & tranquilli? Scire hujus rei veritatem non est difficile. Quamplurimi certa nuntiare possunt. Ex tot mortalibus, qui mundum sequuntur, num aliquem cœpti pœnituit? Heu! pauci immo sunt, qui de statu suo non querantur; pauci, quos optionis suæ non pœniteat; nemo, qui non fateatur, nullam in vita conditionem esse, ubi minus solidæ voluptates gustentur, ubi plures perferendi sint dolores, ubi salus in apertius periculum adducatur. Omnibus affectionibus suis, quas mundus fovere non cessat, homo traditus quos inter tumultus dies suos traducit! Ambitio sine termino, cupiditas sine frœno, zelotypia, dissimulatio, odium, iracundia. Quæ conditio, quod munus, quis gradus in mundo tutus est a procellis, quas malæ cient cupiditates, & a scopulis, in quos splendidissimæ fortunæ singulis diebus impingunt? *Idem*.

Totus mundus plenus est laqueis, omnia nos tentant, & in damnationis periculum adducunt. Quidquid in mundo est nos tentat, omnia innocentiæ struunt insidias, aer ipse, quem spiramus, contagione non caret. Virus per aures, oculosque ingreditur; pauca objecta non sunt præstigia venefica. Hic humanus respectus vetat bene operari, illic malum exemplum nos in vitium sollicitat. Facilene est prava repellere desideria, ubi quodcumque nova semper excitat? Iis, qui mundum sequuntur, usitatumne est inter has pravas cupiditates morum integritatem tueri? Publica hæc via, de qua loquitur Evangelium, ubi mysticum gratiæ semen illico vel teritur pedibus, vel ab avibus rapitur; aliudne significat, quam mortalium statum, ubi negotiorum impedimenta, curarum multitudo, affectuum vigor saluberrimas suffocant inspirationes? Verum quis melius, quam mundi asseclæ, status sui difficultates, ac miserias novit? Quanam eloquentia dolorum suorum causas enarrant! qua emphasi pericula exaggerant, tristesque casus deplorant! Quæ unquam descriptiones magis ad vivum expressæ, quam illæ; quibus ea referunt, quæ sibi ferenda sunt, ac metuenda! *Idem*.

Gaudiorum, & voluptatum mundi vanitas. *Vanitas vanitatum*, inquit Ecclesiastes. Quidquid sensibus nostris blanditur, quidquid nostram fovet ambitionem, vanitas est. Rex fui, subjicit ille, & Regum nemo magnificentia me vicit, nemo perfectiori gavisus est prosperitate. Voluptates, opes, servorum cohortes, palatia, quidquid esse potuit meorum desideriorum objectum, plurimum contulit, ut voti compos evaderem: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*. Eccl. 2. Ullusne fuit beatior? ullane extitit fulgidior fortuna? Verum ipsum audiamus: *Vidi in omnibus vanitatem*, exclamat, *& afflictionem animi*. Intellexi in mundo nihil esse, nisi vanitatem, & afflictionem spiritus: nobilitas, dignitas, opes, magna nomina, *omnia vanitas*. *Idem*.

Nonnunquam de insatiabilitate desideriorum auditur querela; sed potius audienda esset de fragilitate bonorum, quæ desiderantur, & nos explere non valent: ager, munus, officium nimis angusta fortuna est, neque satisfacere potest cordi ad objectum longe præstantius facto. Ego unus, Sapiens ait, plures collegi thesauros, quam omnes simul Reges: tranquille iis rebus omnibus gavisus sum, quæ voluptatem possunt adferre: ea omnia gustavi, quæ placent, & hæc omnia non profuere, nisi ut intelligerem, præstantissimam quamlibet in terris fortunam inanem esse fulgorem, & quidquid præ cæteris in mundo nitet, nihil esse, nisi vanitatem, & spiritus afflictionem: *Et gaudio dixi, quid frustra deciperis? Idem*.

Mors alto vita somno similis. Mundo inservientium vita proprie vita vocari non potest, sed potius somnus morti simillimus. Illam sub hac imagine Regius Propheta Psalm. 75. nobis exhibet cum ait: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis*. Nostis, per somnum omnes animæ facultates, non secus ac corporis, esse quodammodo alligatas, atque suspensas, & solam imaginationem sua secum phantasmata, imaginesque versare. Hæc nos ad dignitates attollit, thesauros aperit, conviviis præsentes efficit, sexcentis replet deliciis, sed ubi expergiscimur, omnes istæ illusiones evanescunt, nosque invenimus æque abjectos, & miseros, æque esurientes, ac tristes, ac antequam oculos somno clauderemus. Hæc est mortalium hujus mundi figura. Ratio, quæ jugiter attolli deberet ad cœlestium, æternarumque rerum contemplationem, alto quodammodo sepulta somno jacet; ita ut animalis, absit verbo invidia, anima sola vigilet. Hoc efficit, ut inanibus tantum occupentur desideriis, inutilibus se ipsos fatigent perquisitionibus, ac tandem omnem requiem, & felicitatem suam in incerta fallacium voluptatum, inaniumque vitæ hujus bonorum perfruitione constituant. *Liber, qui inscribitur: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Nihil

Imagines, & exempla funestæ pacis mortalium in voluptatibus ſolo.

Nihil, mea quidem ſententia, magis terribilem adſtruere poteſt ideam ſtatus, in quo inter noxias voluptates mundi ſectatores verſantur, quam quod nobis proponit Scriptura Lazarum in ſepulcro quatriduanum deſcribens. Docent Patres hujus hominis mortem, ac tumulum, ubi inter vermes, tabumque dormiebat, imaginem eſſe pernicioſi illius ſomni, quo peccator obrutus eſt, & figuram funeſtæ quietis, qua inter ſua crimina gaudet. Alteram æque admirabilem in Siſaræ perſona figuram deprehendimus. Noſti, infelicem hunc virum, quem graviſſimus fugæ labor exhauſerat, ſumma cum voluptate epotaſſe lac a Jaele ſibi propinatum, gravatumque ſomno, ac ſuper terram proſtratum in utramque aurem obdormiiſſe. Sed quanto hoc illi lac, ſomnuſque pretio ſteterunt! generoſa etenim virago altiſſimi ſoporis illius tempus nacta caput ingenti clavo transfoſſum affixit humi, in qua tranquille adeo quieſcebat. Peccatum, inquit Scriptura, eſt tamquam dulce lac, quod impii bibunt, & quo avidiſſime replentur. Sed lac iſtud venenatum eſt, vaporeſque habet adeo malignos, ut illud pene guſtaſſe ſufficiat, ut in pernicioſum illum ſoporem, de quo modo locuti ſumus, fiat lapſus. Humi dormiunt, cum in fallacium voluptatum perfruitione quieſcunt, ibique clavo quodammodo confixi ſunt, cum conſuetudo adeo fortiter alligat, ut cum nulla re inde valeant ſeparari, ex lethargico hoc morbo in æternam mortem deſcendant. Cum vix ſopore capti ſunt, haud ægre fortaſſe poſſunt excitari, ſed cum ſomno veluti inſepulti ſunt, certum eſt, illos inde excitari non poſſe, niſi potenti ea voce, quæ olim e ſepulcro Lazarum evocavit. *Idem*.

Hujus mundi bona homines felices facere nequeunt.

Fruſtra ſæculi mortales ſperant, ſe in hujus mundi bonis veram felicitatem inventuros. Aquiſitio, conſervatio, augmentum divitiarum nonne ut plurimum violentiæ, & injuſtitiæ effecta ſunt? Aliquidne eorum poſſeſſione incertius eſt, & inconſtantius? nonne hic funeſtus eſt fons malorum omnium, quæ in terris accidere conſpicimus? Honor eſtne precium virtutis? Hujus quidem veluti umbra eſt, Vetus quidam ait; at hæc umbra ſemperne ſequitur corpus? Meritorum magnitudo ſemperne eſt dignitatis menſura? Honor, ut verbo me expediam, certa nota eſt, & glorioſus character, quo viri probi ab improbis ſecernantur? Aliquidne ibi indignius eſt nobilitate, ac magnitudine animæ noſtræ, quam corporearum amor voluptatum? Earum perquiſitionem nonne ſemper inquieta ſollicitudo, ac jugis mœror ſubſequitur? Earum complementum nonne in dedecus, nauſeamque decidit, & jactura illarum nonne dolore excipitur, & triſtitia? De felicitatis eſſentia eſt, a nullo pendere, æternam eſſe, interiorem, tranquillam, incorruptibilem. At ſi mortales fatentur, ne unam quidem ex his qualitatibus in bonis, honoribus, & voluptatibus inveniri, quomodo ibi ſuam ſperant felicitatem inventuros? *Idem*.

Terrenarum rerum mutationes nos ad immutabilis æterni vitæ cogitationem debent traducere.

Maximæ quælibet fortunæ, & quæ præ cæteris fulgent, ſæpe ſubitis, celerrimiſque mutationibus ſunt obnoxiæ. Si hæc veritas licet maxime conſtans parum nota eſt, hoc præjudiciis acceptum referendum eſt. In vanitate, & mundi amore naſcimur, in hoc adoleſcimus, innutrimur, roboramur; in eodem ſine conſcientiæ ſtimulis vivimus, neque errorem intelligimus noſtrum, niſi cum malum conſummatum eſt, & cum nulla medicinæ ratio, vel tempus ſupereſt .... Profecto ſe ipſum fallit, ſimulque in deplorabili cæcitate vivit, qui aliquo ſe in pretio oſtendit habere ea, quæ ſtatim ac apparent, evaneſcunt, eaque contemnit, quæ numquam ſunt interitura. Æternitas ſola hominis ſcientis unam eſſe tota eſſe deberet occupatio, quomodo vero curas ſuas impendere iis poteſt, quæ cum illa nullam habent rationem, & quæ ad eamdem nos adducere nequeunt? .... Mundus præterit, accedit æternitas; atque in quæſtu ponere debemus ea omnia, quæ ad æternam felicitatem acquirendam nobis Deus præbet, adminicula, ne ita miſeri ſimus, ut vacuis manibus ſterileſque inveniamur, cum uberem ille a nobis meſſem repoſcet. *Abbas Trappenſis, tomo primo Chriſtianorum dogmatum*.

In mundo conſtanti pace gaudere non poſſumus.

Cum mundus plenus ſit moleſtiis, acerbiſque caſibus, fieri nequit, ut ibi pacis, & conſtantis quietis momentum inveniamus, niſi inde egrediamur, niſi ad Deum noſmet attollamus, niſi illum cordis noſtri ſenſus in altero mundo inquiramus. Hoc malum eſt, quod illi, quibus hoc perſuaſum eſt, animum appellere nequeunt, ut ſibi vim faciant, ut ſeſe terrenis curis, & cogitationibus expediant, quamvis ſciant, & quotidiana erudiantur experientia, eas ſibi præbere non poſſe, quod ipſi maxime cupiunt. Hæc quædam faſcini ſpecies eſt, quam infringere non valent, quæ toto vitæ eorum ſpatio viget, & cui non niſi cum dolore finem imponunt, eo quod tempus, affectiones, perſonaſque ſuas illi impenderint rei, quæ ne minimum quidem curarum ſuarum momentum merebatur. *Idem*.

In mundo nihil niſi dolor, & calamitas eſt, nulla vera voluptas.

Ullane ſolida voluptas inveniri poteſt in mundo inter tot infortunia, quæ gaudia, conſilia, ſpeſque noſtras perturbant? Quot ibi inevitanda pericula, morbi cum graviſſimo dolore conjuncti, jacturæ moleſtæ, acerbæ curæ, incommoda officia, & occaſiones afflictionem afferentes? Ipſa harum rerum enumeratio tædium afferret, quid autem illas pati? Statim ac aliquo expediti ſumus negotio, altero impedimur, hujus finis initium recentis eſt, cumque poſt multos exantlatos labores aliquam adepti ſumus requiem, hæc tranquillitas eſt, quæ ubi affulſerit, ſtatim evaneſcit. Tandem enim qui perfectam hoc in mundo pacem ſibi pollicetur, vehementer errat. Rex me ſua gratia dignatur, dicebat olim ſuperbus ille Aulicus Aſſuero Regi gratioſus; novis quotidie me cumulat beneficiis, primum in imperio gradum teneo; attamen tanta in rerum omnium affluentia, nihil poſſeſſorum mihi videor, donec Mardochæum Judææ gentis hominem præ foribus regiæ domus ſedentem videbo: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto &c.* Eſth. 2. Hac in figura omnes mundi ſectatores exhibentur, docemurque in rebus maxime proſperis, non deeſſe aliquam ſecreti mœroris cauſam, quæ virus admiſcet eorum ſuavitati, & quæ hujus aufert perfruitionem. Quod ſi perfecta, & ſine ulla doloris mixtura, felicitas inveniretur, humanus ſpiritus adeo anguſtis finibus circumſcriptus eſt, ut eadem frui minime poſſet. Nos docet experientia, ubi veris ille caret curis, fictas ſibi comminiſcitur, atque inſanis prævifionibus, importuniſque timoribus ſæpe ſe miſerum facit, cum eſſe deberet feliciſſimus. Ne ſperemus igitur, nos impoſterum magis contentos fore, quam hactenus fuimus. *Specimina ſermonum pro quarta poſt Epiphaniam Dominica*.

M U N D U S.

Mundi flagitia; mundi placita; pericula pereundi in mundo; amor mundi.

M O N I T U M.


ON fert animus, hoc in loco ea solum flagitia referre, quæ in mundo grassantur, & scelera, quæ committuntur, sed ostendere eo modo, quo mortales mundi sectatores vitam traducunt, saluti suæ consuli nequaquam posse, quoniam leges, & placita, secundum quæ suos mores componunt, legibus, præceptisque Evangelicis prorsus adversantur. In variis descriptionibus vitiorum mundi, quæ in hac collectione afferentur, damnabitur vita duplicis hominum generis, quorum alii sese vitiis abdiderunt, & in aperta licentia versantur, alii modum aliquem servant, a gravioribus quidem vitiis, effusiorique abstinent libidine, & qui hac moderationis aura defensi honesti viri habentur in mundo, cujus placita, moresque sequuntur, ambitiosi, amore proprio animati, ad levissimam quamlibet injuriam in iras erumpentes, atque idololatra nominis sui, cui cetera sacrificant. Hæc duplex est mortalium species, quibus mundanorum nomen tribuitur, quorum inevitabile damnationis periculum, nisi resipuerint, ostendendum est.

Argumentum hoc nimis late patere videbitur, si de singulis vitiis, placitisque seorsim instituatur sermo; ideoque summa capita attingenda sunt, quæ in triplici continentur concupiscentia, de qua loquitur S. Joannes. Sed evitari non potest, quominus oratio ad alia dilabatur argumenta, quæ cum hoc nexum habent, qualia sunt pravarum sodalitatum fuga, proxima occasio peccati, vita mollis, aliaque plura particularia flagitia, de quibus hoc in opere sermo fuit. Verum quin illa consulenda sint, hoc in titulo satis superque copia suppeditabimus, unde plures institui possint conciones.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopsis.

I. 
Ostquam constitutum, explicatumque fuerit, quid sit mundus, quem fugere, & odisse, cum quo nullam societatem, ac necessitudinem inire, tenemur; esse videlicet eorum consuetudinem, qui in vitiis volutantur, & secundum sæculi placita Evangelicis, divinisque legibus opposita vitam traducunt; pro argumento, & partitione concionis hæ duæ desumi possunt propositiones. Prima est, nihil in mundo existere, quod Christianum in salutis discrimen minime adducat, nisi corde saltem, affectu, moribus, vita ab eodem abhorreat. Altera est, nihil esse in Christiano, quo non teneatur mundum fugere, & odisse, si velit saluti propriæ consulere.

Quod ad priorem spectat propositionem, tres afferri possunt rationes, quibus probatur, nihil in corrupto hoc mundo inveniri, quod nos corrumpere nequeat: 1. pravum exemplum, quod instar torrentis est, cui pauci resistunt, & qui fortissimum, ac robustissimum quemlibet secum trahere potest. Exemplum vitia, & scelera ob oculos ponens illa efficaciter persuadet, sensimque, & sine sensu inspirat in animum, ita ut vix, & ne vix quidem possint evitari. 2. Propter nefarias, perniciosasque sententias, juxta quas mundi sectatores suam vitæ rationem accommodant. Quænam illæ sint, ubi de fortunæ bonis, honoribus, & voluptatibus agitur, & ad quas cæteræ referuntur, nemo unus ignorat. Quomodo autem in mundo, ac inter mundi amatores vivere possumus, quin illius leges, mores, & consuetudines sequamur? Sed cum hæ leges divinis adversentur, & hæ sententiæ Evangelicis opponantur institutis, quomodo cum salutis nostræ ratione conciliari possunt? 3. Propter sermones, judicia, censuras, irrisiones, quibus excipiuntur a mundi sectatoribus illi, qui diversam sequuntur sententiam, quod jure vocari potest virtutis persecutio, efficitque, ne plurimi hanc profiteantur; quam si quis amplectatur, difficile est, ne acerrimis, assiduisque labefactetur insultibus, quos mala inferunt exempla, perniciosæ opiniones, & aculeatæ irrisiones, nisi a mundo secedat, & hoc pacto suæ saluti prospiciat.

Pars altera. Nihil esse in homine Christiano, quo non cogatur a mundo secedere, hoc est mundum fugere, & odisse. 1. Si spectetur, quid est, & quid in se habet quatenus homo, infirmitas, & inconstantia, affectionum vis, quæ ad objectorum, quæ sunt in mundo, inflammantur intuitum; velut ille, qui exempli gratia in ambitionem pronus est, poteritne in pulvere repere, quin omnes industriæ nervos intendat, ut se attollat, & in turba enitescat? Si in avaritiam proclivis est, nonne omnem navabit operam, ut opes acquirat; cumque solus divitiarum amor culpa non vacet, nonne semper in damnationis statu versabitur, si in id unum incubuerit, ut quacumque via locupletetur? Cum vero homines incredibili trahantur vi ad sensuum voluptates, quo pacto necessariam ibi servare poterunt mediocritatem, atque ab illicitis abstinere in mundo, ac tot inter occasiones, & objecta permanentes? Quomodo poterunt tot evitare laqueos, qui nobis ubique struuntur, & quibus mundus repletus est? *Mundus totus in maligno positus est.* 1. Joann. 5. Sin autem hominem spectes, quatenus Christianum, & id, quod per gratiam est, multo magis corruptum hunc mundum fugere, & horrere tenetur. 1. Quia hoc pollicitus est solemni professione in Baptismo eam amplexus religionem, quæ illum cogit vitam instituere vitæ mundanorum prorsus oppositam. Verum potestne eorum præstare fidem, quæ coram cœlo, terraque spopondit, quin secedat a mundo, hoc est a pompis, & operibus mundi, quibus, cum Christianus fieret, abrenunciavit? 2. Quia quatenus Christianus tenetur sequi Salvatoris exemplum, qui prototypus est, cui sese debet conformare, ut in prædestinatorum numero recenseatur: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui:* ad Rom. 8. Verum Dei Filius ideo venit in mundum, ut illius placita everteret, quod verbo simul præstitit, & exemplo. Christianus igitur, qui illum sequitur, cumque imitari profitetur, mundum respicere debet, tamquam sibi infensissimum hostem, ejusque leges tamquam legibus Domini, Deique sui prorsus oppositas. 3. Christia-

ſtiani nomen; quod gerit, religio, cujus leges, præcepta, & cæremonias ſervare palam profitetur, nihil habent, quod ſpiritui mundi non adverſetur, & quod placita illius non evertat, quia humilitatem expoſcunt, mortificationem, ſui ipſius abnegationem &c.

II. Qui mundum, mundique ſenſus ſequuntur, & ad eos vitam componunt ſuam, apertiſſimum habent reprobationis characterem.

1. De ſua ſalute non cogitant vitæ hujus curis diſtenti, & in id unum incumbentes quomodo omnibus voluptatibus perfruantur: 2. quam plurima committunt ſcelera, ſuis indulgentes affectibus, atque perſtringentes leges Dei, ut ſecundum mundi leges, & placita vivant: 3. nullam agunt pœnitentiam, cujus ipſum nomen ignorant, nullamque Chriſtianam virtutem exercent, ut æternam felicitatem mereantur.

III. Concio in duas haſce partes dividi poteſt.

Altera complectetur juſtas fugiendi, odioque perſequendi mundi cauſas: 1. quia non poſſumus illi accepi eſſe, ac ſimul Jeſu Chriſto placere, ſicuti teſtatur Apoſtolus; ideoque Eccleſia antequam in filiorum ſuorum numerum nos recipiat, exigit, ut mundo, omnibuſque pompis ejus abrenunciemus: duo hi domini oppoſitos habent ſenſus, & imperant contraria: 2. quia mundus infenſiſſimus eſt ſalutis noſtræ inimicus, quemadmodum apertus eſt hoſtis Dei: 3. quia leges, & placita ejus ea ſunt via lata, quæ ad æternam damnationem adducit.

Altera tradet modos, quibus uti poterimus, ut ab affectu mundi divellamur, qui ſunt, 1. cogitare, quis futurus ſit finis gaudiorum, voluptatum, honorum, omniumque hujus mundi bonorum; quæ aliquando erunt relinquenda, & quæ diuturna eſſe non poſſunt: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Joann. 21. 2. evitare, ac perhorreſcere ſectatorum mundi ſocietatem, ne eorum vitiis ſœdemur, & ne in eorum ſententias abeamus; Sapiens enim dicit: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur*. Prov. 13. 3. mundi ſenſus contemnere, ac in actionibus, cœptiſque omnibus fidei lumina, æternaſque leges ſequi.

IV. Cum in mundo duo ſint mortalium genera, quæ illius placita, legeſque ſequuntur, cavendum eſt, ne aliorum quidem vitia ſequamur, aliorum vero ſpecie virtutis decipiamur. 1. Primi illi mortales ſunt affectionibus ſuis mancipati, qui apertam morum licentiam profitentur, cum quibus quomodo noſmet gerere debeamus, non latet: 2. alii honeſti dicuntur, atque nonnullas morales virtutes exercent, omnemque religionis ſpeciem præſeferunt, ſed humana tantum ratione operantur &c.

V. De oppoſitione, quæ inter Spiritum Dei, & Spiritum mundi invenitur, in ea Evangelii verba, *Spiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere*. Joann. 14.

1. Spiritus Dei ſpiritus eſt veritatis, ſe enim nobis communicans nos de cœleſtibus, æterniſque veritatibus erudit; ſed ſpiritus mundi ſpiritus eſt erroris nos fallacibus ſententiis decipiens, quæ noſtræ damnationis eſt cauſa. 2. Spiritus Sanctus eſt ſpiritus puritatis; cum enim in nobis eſt, extinguit, quidquid voluptuoſum, & carnale ibi eſt; ideoque in ignis forma, cujus proprium eſt purgare, deſcendit in Apoſtolos: ſed mundi ſpiritus, nos ad ſenſuum voluptates impellit, & ad ea omnia, quæ corpori blandiuntur, & libidinem cient. 3. Spiritus Sanctus eſt ſpiritus charitatis; proprium illius eſt eſſe amorem ſubſtantialem, qui, ſtatim ac illum accepimus, efficit, ut Deum diligamus, & pro Dei gloria omnia faciamus, & perferamus; ſed mundi ſpiritus nobis proprium inſpirat amorem, ea quærit, quæ ſua ſunt, commoda, voluptates, & excitat odium proximi, cum noſtris conſiliis, & cogitationibus adverſatur.

VI. De oppoſitione, quæ mundum inter, & legem Dei invenitur. Si mundum ſpectemus, & modum, quo ibi vivitur, tres ibi apertiſſimas divinæ legi oppoſitiones inveniemus.

1. Lex Evangelii nobis confert libertatem filiorum Dei; e contra vero lex mundi ſectatores ejus ſervos facit affectionum ſuarum, eoſque turpiſſimæ ſubjicit ſervituti. 2. Lex Evangelica lex eſt manſuetudinis, quam ſequitur gaudium, quod Spiritus Sanctus in corde producit; at mundi lex promittentis, & permittentis voluptatum omnium perfruitionem lex eſt auſtera, & moleſta crudeliſſimos dolores excitans. 3. Lex Evangelica ſancta eſt, nobiſque morum puritatem, & vitæ Sanctitatem præſcribit; ſed lex mundi vitium probat, licentiam, omniaque ſcelerum genera ſuadet. Ita libertas Evangelicæ legis oppoſita ſervituti legis mundi; ſuavitas legis Evangelicæ oppoſita auſteritati legis mundi; ſanctitas legis Evangelicæ oppoſita impuritati legis mundi efficere poſſunt tres partes concionis.

1. Mundum fugere debemus, quia in ſe ipſo, in ſententiis ſuis, in actionibus, conſiliis, conatibus corruptus eſt: 2. quia amatoribus ſuis corruptionem communicat. *Deſumptum ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis tom. 2. ſermone pro decima poſt Pentecoſten Dominica.* VII.

1. Omnes Chriſtiani communi lege tenentur a mundo eſſe diviſi; quia omnes per Baptiſmum Dei cultui ſeſe devoverunt; quia in ea religione ſunt, quæ mundo bellum indicit, eaque in profeſſione, qua mundo emori jubentur &c. 2. quinam ſit hic mundus, cui fideles omnes abrenunciare coguntur: 3. ratio hujus muneris obeundi, ac vincendi mundum, niſi re ipſa poſſit relinqui. VIII.

1. Difficile eſt in mundo vivere, ibique non præverti propter mala exempla, quæ ibi videntur, propter peccandi pericula, quibus ibi ſemper ſumus obnoxii, propter frequentes delinquendi occaſiones, quas evitare difficile eſt. 2. Difficile eſt ibi converti, ac inſervire Deo, niſi a mundo ſeparemur, omniaque infringamus vincula, quibus eidem alligamur. *Pater de la Colombiere tom. 3. ſermone 57.* IX.

Salutis noſtræ pericula in mundo ad tria potiſſimum capita referuntur, quæ in tribus hiſce D. Auguſtini verbis continentur, quæ ſermonis partitionem efficere poſſunt. *Mundus exemplo inficit, errore decipit, precepto deficit*. X.

1. Mundus corrumpit exemplo pravo, quod ob oculos ponit, & quod magnam in animo efficit impreſſionem. 2. Seducit errore, fallacibuſque opinionibus, quas nobis ſenſim inſpirat. 3. Leges nobis præſcribit oppoſitas legibus Dei, atque nos ad Evangelicas infringendas impellit, quæ legibus ipſius ſunt contrariæ.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Auguſtinus *de agone Chriſtiano* docet, Chriſtiano mundum eſſe vincendum, & quomodo. Sancti Patres.

Idem in Pſalm. 141. docet per mundum, quem Jeſus Chriſtus damnat, intelligendos impios, qui in mundo vivunt, & mundi legibus parent.

Idem in hæc Pſalmi 85. verba, *Eripuiſti animam meam ex inferno*, ait, duplicem eſſe impiorum infernum, quorum alter hic mundus eſt, ubi in affectuum ſuorum perturbatione, ac ſub eorum tyrannide vivunt, alter vero poſt vitam hanc.

Idem in hæc verba Pſalmi 113. *In exitu Iſrael de Ægypto*, oſtendit Ægyptum eſſe mundi corrupti imaginem, unde egrediendum eſt, ne ſub graviſſimæ ſervitutis jugo, ut olim Iſraelitæ, vivamus.

Idem hoc ipſum oſtendit explicans hæc verba Pſalmi 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*.

Idem, vel Auctor sermonum *ad Fratres in Eremo* docet mundum per iofamem Sodomam repræsentari; eos, qui illum perfecte relinquunt, similes esse Loth, eos vero, qui ægre eum deserunt, post terga respicientes, similes uxori sancti illius viri, quæ fuit in statuam salis conversa.

Sanctus Hieronymus *lib. 2. in cap. 7. Mich.* docet paucissimos esse in terris justos, & quanta sit sæculi corruptio.

Idem *in Expositione Epist. Pauli ad Galat.* in ea verba: *Qui eripuit nos de præsenti sæculo nequam*, quærit, cur præsens sæculum dicatur nequam, ac vocari ait propter scelera, quæ committuntur, & vitia, quæ ibi grassantur.

Idem *Epist. 1. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ*, describit salutis pericula, quæ in mundo sunt, ducta similitudine, ex procelloso, & scopuloso mari, ubi qui navigant, semper in pereundi periculo versantur.

Idem *Epistola 23. quæ est Paulæ, & Eustochii ad Marcellam*, ostendit, mundum esse civitatem confusionis, ubi vitium regnat, eamque relinquendam exemplo Abrahæ, cui præcepit Deus, ut terram, quam habitabat, desereret.

Sanctus Ambrosius *libr. de fuga sæculi capit. 1.* ostendit, quam difficile sit in mundo permanere, ejusque mores non sequi, quod ipsum argumentum, & capite quinto prosequitur.

Sanctus Cyprianus *Epist. ad Donatum* mundi vitia ad vivum describit.

Sanctus Eucherius *Epist. ad Valerianum* de eodem argumento eloquentissime disserit.

S. Basilius *Homil. 15. ex Variis in Psalm. 61.* docet mortales vitiis virtutum nomina tribuere, & sub boni prætextu malum committere.

Origenes *Homil. 3. in cap. 4. Exod. cap. 5.* ait, perversum hunc, corruptumque mundum relinquendum esse, si Deo fideliter servire velis.

Idem *homil. 7. in cap. 6. Josue*, docet fidelibus nihil esse debere commune cum sæculi amatoribus, neque in Ecclesiam mundi consuetudines esse invehendas.

Idem *Homil. 2. in cap. 51. Jerem.* in hæc verba: *Calix aureus Babylon, in manu Dei inebrians omnem terram*, ostendit mundanos omnibus affectibus esse inebriatos, quæ res efficit, ut terra universa peccatis redundet.

Sanctus Chrysostomus *homil. 12. in Epist. 1. ad Corinth.* docet, mundi asseclas virtutes in vitia mutare, & vitia in virtutes, aliis aliorum nomina tribuentes.

Idem *Homil. 7. in cap. 1. Joann.* in ea verba, *& mundus eum non cognovit*, ostendit, quid mundi nomine vocandum sit, homines videlicet mundo inhærentes, & mordicus illius placita sectantes.

Sanctus Bernardus *serm. 9. de Conf. Domini* in mundum invehitur, ejusque amatores, quos maledictos a Deo vocat.

Idem in declamationibus docet, quinam mundi amicus dicendus sit.

Idem *serm. 3. de Circumcisione* ait, parum tutum, & difficile esse converti, & agere pœnitentiam in hoc mundo, ubi omnia ad peccandum impellunt.

Idem *serm. 10. in Psalmum Qui habitat*, ostendit quoniam in periculo jugiter versentur, qui vivunt in mundo.

Dionysius Carthusianus in *Speculo* de sæculi amatoribus loquitur.

Afficit, allique. Granatensis in Peccatorum duce lib. 1. cap. 28. prolixum, egregiumque habet tractatum in eos, qui propter amorem mundi in via virtutis incedere nolunt, ubi loquitur de periculis, quæ in mundo inveniuntur, de mundi cæcitate, ac tenebris, deque peccatorum, quæ ibi patrantur, multitudine.

Hieronymus Platus *de bono status Religiosi* lib. 1. cap. 5. de mundi periculis, & laqueis loquitur.

Cardinalis Bellarminus *opusc. de Gemitu Columbæ* lib. 2. cap. 7. fons lacrymarum. Mundi sectatorum vitia.

P. Haineuve libro, qui inscribitur: Magna via, quæ mundum perdit, part. 1. ubi loquitur de usitatiori mundi vita, & ostendit, quid sit iste mundus ab Evangelio damnatus.

Cambolas in libro, cui titulus, Christianæ vitæ exemplar cap. 6. ubi fusius ostendit, Christianum abrenunciare debere mundo, & ab illius sensu abhorrere.

P. Camaret tom. 2. Perfecti Christianismi, obstaculo 9. fusius hoc tractat argumentum, de placitis mundi.

P. Sebastianus Sylvanectensis in libro, qui inscribitur, *Entretiens du Sage* cap. 13. loquitur de mundi contemptu.

Moralis Christiana *in Pater* lib. 3. sect. 4. art. 1. docet, quid sit mundus, quidque mundana, quæ ibi ducitur, vita.

Pean tom. 3. spiritualium Dialogorum, Dialogo 10. de mundi contemptu, ubi satis suse de malis, quæ ibi committuntur, sermo est.

P. Croiset tom. 1. Considerationum Christianarum prolixe de mundo, falsisque ejus opinionibus loquitur.

P. Texier *tom. 1. Quadragesima*. Sermo pro feria 2. post Dominicam 2. totus est contra mundi amorem. Concionatores augeri.

Idem *tom. 1. Domin.* Dominica 4. post Pascha in Evangelium: *Cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato &c.* ostendit mala, quæ committuntur in mundo, & quænam sit oppositio mundum inter, & Jesum Christum.

P. de la Colombiere tom. 3. serm. 57. de mundi fuga.

Idem in Christianis considerationibus unam habet de mundo, & periculis, in quibus ibi salus æterna versatur.

In specimine sermonum pro Dominicis, tom. 2. pro 20. post Pentecosten Dominica de hoc sermo est argumento.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tom. 1. serm. 1. loquitur de mundi fuga, & separatione.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

V*Idens Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.* Genes. 6.

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam; omnis quippe caro corruperat viam suam super terram. Ibidem.

Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Genes. 6.

Dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Jobi 21.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Psalm. 34.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 52.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ibidem.

Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Ibidem.

Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. Proverb. 14.

Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Eccl. 8.

Unusquisque in viam suam declinavit. Isaiæ 53.

Non

Non est veritas; & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Osee 4.

Væ mundo a scandalis. Matth. 18.

Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Matth. 24.

Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joannes 3.

Mundus me odit, quia testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. Joann. 7.

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret; quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Joann. 15.

Non pro mundo rogo. Joann. 17.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Joann. 15.

Confidite, ego vici mundum. Joann. 16.

Pater juste, mundus te non cognovit. Joann. 17.

Regnum meum non est de hoc mundo. Joann. 18.

Nunc judicium est mundi. Joann. 12.

Princeps hujus mundi ejicietur foras. Ibid.

Nolite conformari huic sæculo. Ad Roman. 12.

Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. 1. ad Corinth. 2.

Sancti de hoc mundo judicabunt. 1. ad Corinthios 6.

Secundum elementa mundi. Ad Coloss. 2.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus. Ad Philipp. 3.

In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi; voluptatum amatores magis quam Dei. 2. ad Timoth. 3.

Immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Jacobi 1.

Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Jacobi 4.

Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Ibidem.

Juxta proprias concupiscentias ambulantes. 2. Petri 3.

Secundum desideria sua ambulantes. In Epist. Judæ.

Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. Joann. 2.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Ibidem.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. 5.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 1. Joann. 4.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento desumpta.

Primi hominis peccatu causa est, & origo omniū vitiorum mundi.

PRæsupponendum semper est, funestam vitiorum omnium, quæ in mundo grassantur, causam proficisci tamquam ex origine a rebellione primi hominis contra mandata Dei; inde enim orta est affectionum perturbatio, appetituum a ratione defectio, & infelix concupiscentia, quæ non aliud est, quam naturalis inclinatio, qua erga sensibilia rapimur bona, & propter quam crebro Creatori creaturam præferimus. Omnia porro hujus vitæ bona in se ipsis innocua sunt; totidem quippe sunt munera, & beneficia divinæ largitatis; malum vero non nisi ex inconditio affectu, & amore, quo homines illa depereunt, & qui efficit, ut ab illis leges divinæ infringantur. Hæc est causa scelerum omnium, quæ umquam patrata fuere, & ad sæculorum finem patrabuntur, atque eadem mundum laqueis replevit; omnia enim, quæ ibi videmus, bona totidem objecta sunt, quæ cor nostrum avertunt ab ea fide, quam debemus Deo, totidemque externæ causæ, quæ interiorem fovent rebellionem, atque concupiscentiam excitant; & inflammant, quæ efficit, ut ea omnia scelera committantur, quæ terram inundant, uti inquit Propheta.

Quantum corruptus esset mundus ante diluvium.

In ipsis terrarum primordiis pauci adeo secundum leges, ac rationis lumen vixerunt, ut excepto Abel, & Henoch, paucisque aliis, qui vitæ integri, scelerisque puri extiterunt, Sacra Scriptura Genes. 6. testetur, reliquum genus humanum fœdissime corruptum fuisse; *omnis caro corruperat viam suam.* Hæc res Deum impulit, ut ea tangeretur pœnitentia, de qua loquitur Scriptura, quod hominem fecisset; eaque illum coegit expiare mundum ab universali labe, qua infectus erat, celeberrimo illo aquarum cataclysmo, qui omnem terræ faciem inundavit, omnesque mortales, qui tunc vivebant, extinxit. Noe unus justus erat cum parva domo sua, quæ octo conflata erat personis, quæ fœdissimam illam cladem evasere, reliquis omnibus aquarum copia præfocatis.

Exemplum Abrahæ Dei jussu patriam deserentis, docet a corrupto mundo secedendū.

Abraham, qui dives erat, atque multæ auctoritatis in patria, haud hæsitanter illam deseruit, ut in aliam regionem concederet sibi ignotam, & tamquam exilium habendam. Adeo gravis imperii non alia adferri potest causa, nisi quod regio, ubi permanebat, idolorum cultoribus erat plena, ideoque illius erga Deum pietatem, innocuosque mores prævertere poterat. Felix hujus itineris exitus, & benedictiones, quibus deinceps Deus Sanctum hunc Patriarcham cumulavit, palam ostendunt, mundi fugam, ne vitiis, quæ ibi grassantur, coinquinemur, fontem esse, & principium earum benedictionum, quibus eos prosequitur Deus, qui hoc pacto ostendunt, se velle illi fideles esse, & deinceps agnoscunt, non postremam Dei gratiam hanc esse, quod ipsis generosam immiserit mentem relinquendi animo saltem, & affectu eorum societatem, a quibus in eamdem abrepti fuissent calamitatem, si eorum mores, ac sententias secuti fuissent.

Mundi corruptio tēpore legis scriptæ.

Lex scripta a Moyse usque ad Salvatoris adventum non aliud præstitit, nisi quod concupiscentiam irritavit; non quod lex mala esset, vel, quod malum est, imperaret; illud enim apertius, quam lex naturæ vetabat; sed quod depravata natura erat quodammodo excitata interdictis, & minis ad faciendum, quod prorsus erat oppositum. Hoc enim non postremum est ex malis effectibus corruptionis, odisse, quod imperatum est, & in vetitum niti, illum eo impensius quærendo, quo apertius, ac severius prohibitum est. Ita videmus legem illam vix latam fuisse, cum tot ferme prævaricatores extitere, quot erant illi, quibus primum fuit irrogata; donec in hujus prævaricationis pœnam ex sexcentis hominum millibus, & ultra, qui de Ægypto fuerant egressi, vix duo ingressi fuerint terram, quæ omnibus fuerat promissa. Postquam vero constituti sunt in opima illa mundi parte, ubi Deum suum impensius colere debebant, a quo præ cæteris gentibus electi fuerant, ut essent populus ejus, & ut fidelius propter beneficia, quibus fuerant cumulati, illi inservirent; non magis ei paruerunt, quam barbari, atque Ethnici, qui verum Deum ignorabant. Satis est Judicum, Regumque historias percurrere, ut vitæ eorum innotescant flagitia, ac sexcenta inveniantur exempla corruptionis morum, quæ hic enumerare immensi esset laboris.

Difficile est converti, & bene vivere in mundo adeo corrupto.

Eruditus quidam Interpres quærit, cur Dei populus tamdiu in Ægypto permanserit, quin vero Deo sacrificium offerret? & respondet, hanc fuisse causam, quod animantia, quibus illi pro victimis utebantur, ipsi erant Dii Ægyptiorum, qui passi nequaquam fuissent, illa cuipiam immolari; ideoque discedendum erat ab idololatrarum eorum adspectu, ut Domino cultum tamdiu intermissum iterum instaurarent. Peccator, qui in mundo converti, vel Deo fideliter inservire cogitat, in circumstantiis prope similibus esse dici potest. Ut

cum

cum Deo redeat in gratiam, ut frugi, piamque vitam ducat, Deo sacrificare debet, quidquid mundus habet in pretio, amat, & colit, debet abrenunciare voluptatibus ejus, sermonibus, moribus, consuetudinibus, atque palam virtutis contra vitium partes suscipere. Sed velle toto inspectante mundo hanc vivendi rationem inire, ab illo discrepare moribus in medio illius, hoc est nimis vehementem infirmæ virtuti persecutionem conflare. Mundus relinquendus est, alioquin periculum saltem subitur in priori sententia perseverandi.

Quid inferendum ex Noe & Loth exēplis, qui a seculi corruptione præservati fuere.

Dicis, Sanctum virum Loth in flagitiosissima urbe viventem se ab omni labe perseverasse, atque in officio permansisse; verum attende, exemplum hoc nequaquam suffragari eorum negligentiæ, qui mundi vitam sequuntur; immo e contra illis terrorem debere incutere. Verum quidem est, Loth restitisse Sodomitarum exemplo, quї admirabilis fuit fidelitatis ejus effectus; at nonne hoc funestissimum est humanæ corruptionis argumentum, in tota civitate unum tantum ita fortem, & felicem fuisse, ut illi resisteret? Animos etiam facit exemplum Noe, cujus virtus in generali enituit corruptione, in quam ævo illius ciciderat mundus; sed potius metuendum est, cum ex omnibus hominibus unus ille se ab omni labe purum servaverit.

In ipso etiam Christianismo non deest mundus fugiendus.

Quamquam verum sit, post Salvatoris adventum mundi faciem mutatam fuisse, & mundum cum placitis ejus Evangelica lege fuisse damnatum: tamen in ipso quoque Christianismo mundus invenitur, qui fugiendus est juxta exemplum primorum fidelium, omniumque Sanctorum, qui sæculis omnibus vixerunt; & nisi re ipsa ab eo separari possumus, quod Cœnobitæ faciunt, saltem moribus, vitæque ratione separari debemus.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

M*Undus totus in maligno positus est*. 1. Joann. 5. Hoc est, nequitia, & improbitate repletus est. Nihil ergo imperare, vel docere potest, quod injustum, & malum non sit; fons enim non alias emittere, quam quas continet, potest aquas. Et sane cum mundi placita opposita sint Jesu Christi præceptis, ille nihil præcipit, quod Dei mandatis non adversetur. Damnat Deus immoderatum divitiarum amorem, hunc mundus probat; Deus humilitatem jubet, mundus superbiam; Deus inimicorum amorem, & oblivionem imperat injuriarum, mundus odium, & ultionem præcipit; Deus pœnitentiam præscribit, ab illa mundus dispensat; Deus ab illicitis abstineri vult voluptatibus, & mundus eas licere contendit. Nihil magis contrarium duobus hisce dominis, ideoque Dei filius inquit, regnum suum non esse de hoc mundo.

Salutis pericula, quæ in mundo sunt.

Pluet super peccatores laqueos, Psalm. 10. Propheta inquit, Deum effecturum, ut super peccatores laquei, & retia pluant, ad exprimendam periculorum multitudinem, quæ in mundo est, propter quam æterna salus in discrimen vocatur. Profecto quot laqueos in terra videbat ille, qui eos pluviæ comparat de cœlo ingruenti? Explicite *super peccatores* ait, quia isti parum attendentes cordis sui, sensuumque motus, minimum curantes evitare peccati occasiones, sibi nequaquam caventes, ne in periculum incidant, assidue inter insidias sibi positas incedentes nequeunt non plurima subire pericula. Propter hanc ergo periculorum multitudinem Propheta ait futurum, ut pluant super peccatores laquei; laquei in adolescentia, & senio, laquei in divitiis, & paupertate, laquei in honore, & dedecore, laquei in solitudine, & societate, laquei in prosperis, & in adversis, laquei denique in omnibus sensibus, oculis, auribus, lingua, toto denique corpore; quamobrem tantus est laqueorum numerus, ut exclamet Jeremias 2. 48. laqueis totum terrarum orbem esse refertum.

Cur diabolus dicatur mundi princeps.

Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Joann. 14. Quæritur, cur diabolus mundi princeps vocetur; cum hunc Deus creaverit, & potentia sua ex nihilo eduxerit, eumque sapientia, ac providentia sua dirigat? Sed facilis patet responsio, si cum Sancto Augustino supponamus, per hunc mundum illos intelligi, qui mundum amant, qui illi inhærent, eumque veluti felicitatis suæ centrum respiciunt. Dæmon autem merito princeps hujus mundi vocatur, quia hoc illius regnum est; in corde improborum Dei, hominumque hostis imperitat, eosque veluti Deus gubernat, quandoquidem ab Apostolo *Deus sæculi* dicitur. Hic eos movet, & agit, quo vult, suggestionibus suis, quemadmodum per spiritum gratiæ suæ efficit Deus, ut justi operentur. Verbo, Sanctus Joannes ait, totus mundus, hoc est, impii sunt sub infamis hujus tyranni dominatu, qui eadem de causa princeps etiam tenebrarum appellatur: hoc est peccatorum, qui ex Divo Augustino lib. 1. de nat. & grat. cap. 12. tenebrarum nomine vocantur, quia in ipsis extinctum est lumen gratiæ, & quia ambulantes in tenebris non aliud facere possunt, quam opera tenebrarum. Ad hoc illos sollicitat dæmon ipsorum dominus, & magister, qui eos vinctos tenet tamquam misera mancipia affectuum catenis, qui eos trahit, & de scelere in scelus proturbat.

Cavendū, ne mundi sensibus decipiamur.

Videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, &c. Baruch. 6. Maximum, quod in mundo inveniatur periculum hoc est, corrumpendi spiritum fallacibus ejusdem opinionibus, quæ prorsus oppositæ sunt salutis nostræ principiis; per quas cum semel depravatum fuerit judicium, fieri non potest, quominus vita, & actiones penitus depraventur: *Videbitis in Babylonia*, ajebat ille ad Judæos scribens, qui erant captivi, *Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari ostentantes metum gentibus; videte ergo, ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis: Visa itaque turba de retro, & ab ante adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari, Domine*. Hoc ipsum illis dico, qui in mundi commercium ingressuri sunt. Videbitis in mundo homines adorantes idola, videlicet voluptates, opes, vanitates, videbitis ibi vitium in honore habitum, contemptam virtutem; audietis sententias huic corruptioni, quam Dæmon invexit, conformes; cavete, ne multitudinis exemplo corrumpamini, atque ad hunc effectum sæpe meditamini vera Christianæ religionis instituta, æternas veritates, quas mundus cognoscere non vult, & quæ numquam mutabuntur: eas fortiter mentibus vestris imprimite, ut contra exemplum, & nefaria mundi placita ad illas confugiatis.

Mūdus Babyloni collatus, de qua sermo in Apocalypsi.

In fronte ejus nomen scriptum: mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Apocal. 17. Mundus illa est Babylon, quam Sanctus Joannes in Apocalypsi vidit bestiæ insidentem, plenam nominibus blasphemiarum, manuque gerentem aureum vas plenum abominationum, ac impuritatum fornicationis suæ, quæ nihilominus in fronte hoc scriptum habebat nomen, *Mysterium*. Quid hoc! Quomodo mysterium, & blasphemia conveniunt? Mysterium est res sacra, blasphemia vero res impia. Hoc significat in mundo omnia mysteriis esse plena: omnia ibi cum simulatione fiunt, & fœdissima quoque vitia fronte virtutis colorem gerunt. Hæreticus, exempligratia, pravæ doctrinæ suæ virus conatur effundere, hæc blasphemia est, sed impium consilium sub veterum Patrum, Scripturarumque doctrina celat: hoc est mysterium &c.

Mundi leges legibus Jesu Christi oppositæ.

Quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 2. ad Corinth. 6. Cum tanta sit inter Jesum Christum, & mundum, veritatem, & mendacium, virtutem, & vitium, Deum, & dæmonem oppositio,

sitio, liquido patet, nos mundo adhærere non posse, quin Jesum Christum relinquamus, quæ enim ratio esse potest Salvatorem inter, & Belial, fidelem, & infidelem? Hæc tamen simul in mundo plurimi conciliare contendunt putantes, se mundi mores sequi posse, & nihilominus veros esse Christianos. Profecto nonne mirum est, cum Evangelium prædicantes invehimur contra odium, dissidia, inimicitias, atque docemus necessitatem diligendi inimicos, & injurias dimittendi, adhuc nobis obtrudi? Ita est: verum nisi acceptas injurias persequerer, si parcerem inimico, quinam esset mundi sensus, quid ille diceret? Cum vestium, mensæque luxum damnamus, dicunt hanc consuetudinem, hunc morem esse mundi &c.

Exiguus bonorum qui in mundo sunt numerus, & multitudo scelerum, quæ ibi patrantur.

Deus de cœlo prospexit, ut videat, si est intelligens, ac requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 52. Quis credere posset hanc veritatem, nisi illius auctor esset Deus per Prophetam suum, in tanta mortalium multitudine in toto degentium mundo, ne unum quidem inveniri, qui faciat bonum? Proculdubio hoc ad litteram intelligendum non est; sed hinc percipere debemus, si qui justi viri in mundo inveniuntur, adeo raros esse, & numerabiles, utpote paucos, ut vix unus possit deprehendi. Illud vero magis mirum est, quod post allata verba idem Propheta horribilem habet descriptionem abominationum, quæ committuntur in mundo, qui fere impiis hominibus constat.

Omnis Christianus mundum vincere tenetur & in quo.

Omne, quod natum est ex Deo, vincit Mundum. 1. Joann. cap. 5. Non satis est fugere mundum, eumdem vincere opus est. Omnes filii Dei, hoc est omnes veri Christiani de mundo victoriam debent referre; hæc enim victoria, Sanctus Bernardus ait, filiationis nostræ argumentum est: *Testimonium cœlestis generationis victoria mundi.* Mundum vincere debemus trium exercitatione virtutum, quæ contrariæ sunt tribus vitiis, quæ mundo quodammodo sunt essentialia. Primum est impietas in Deum; mundus enim fautores suos adducit in oblivionem Dei, atque negligentiam in iis, quæ pertinent ad religionem. Vitium secundum est injustitia, & crudelitas in proximum; quod vincendum est eo spiritu charitatis, qui essentialis est Christiani character, & quo jubemur proximum tamquam nosmet ipsos diligere. Tertium denique est inordinatus sui corporis amor; quandoquidem juxta D. Pauli sententiam vivere non possumus secundum carnis affectiones, quin spiritui Christianissimi moriamur.

Mundum amare non possumus quin pereamus.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Joann. 2. Illi solum, qui mundum oderunt, aliqua cum securitate in mundo permanere possunt. Nunquam propter eam illecebram, & oblectationem, quam ibi reperimus, illic permanemus, quin omnibus obnoxii malis simus, quæ ille nobis potest inferre; atque verissimum est, illum veneno inficere, ac lethale vulnus infligere illis, qui ita infirmi sunt, ut ejus amore capiantur. In mundo infiniti sunt scopuli, & syrtes, quæ illius navigationem fere semper periculosam efficiunt, & propterea Sancti, qui rerum veritatem intelligebant, dixere, eos, qui inde aufugiunt, tamquam ex naufragio liberati.

Mundi cum mare comparatio.

Ecce motus factus est in mari. Matth. 8. Mare naturale est mundi symbolum; & vita hominis super terram non aliud est, quam in procelloso mari navigatio. Sive spectetur, quod intra hominem fit, seu quod illum undique circumdat, videbitur perfecta periculosi maris imago, ubi in singula momenta naufragium metuendum est. Monstra, quæ in mari sunt, abyssi, & scopuli, quos celat, rapiditas, jugisque fluctuum ejus agitatio, ad unguem nobis exhibent humani cordis vitia, affectus, perpetuamque inconstantiam. Piratæ, quibus obsidentur maria, procellæ, quas cœlum ciet, nonne totidem figuræ sunt plurimorum inimicorum, qui hominis excidium expetunt; & malorum, quæ merito irritatum cœlum in illos immittit?

Quid est mundus, & quid hoc nomine intelligendum.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Joann. 5. Quinam est hic mundus, qui totus corruptus, ac perversus est, & quem Jesus Christus toties in Evangelio sua maledictione percussit? Hic mundus, Sanctus Augustinus ait, est congregatio omnium, qui inordinate diligunt mundum, & qui per cæcum amorem, quo illi adhærent, in mundum quodammodo sunt transformati: *Amatores mundi, qui amando mundum, dicti sunt mundus.* Hic mundus illud omne est, quod in cordibus nostris locum tenet, quem Deus unus ibi debet occupare; non enim deest subtilis, delicatusque mundus pro iis etiam, qui pietatem colunt, quemadmodum crassior mundus est pro sæculi sectatoribus. Horum mundus est servorum numerus, ædium magnificentia, supellectilium pretium, Principum gratia, fulgor dignitatum, plausus populorum, voluptatis illecebræ, illusiones honorum. Illorum vero imperceptibilis sui ipsius perquisitio, in devotione parum sedula diligentia, divinarum rerum fastidium, simultas cum proximo, singularis vivendi ratio, in officiis suis obeundis remissio, amor proprius, qui sese rebus omnibus immiscet, tenax proprii sensus amor, spiritus singularitatis. Hic mundus est; videlicet, hæc ratio, qua mundi sectatores operantur.

Signa ex quibus cognosci potest, utrum mundus ametur.

At enim quomodo agnoscam, utrum diligam mundum? Hoc nihil facilius: exempli gratia, tu, qui in mediocri conditione vivis, nonne sæpe concupiscis bona, quæ minime possides? Quærisne quomodo emergere, & ditescere valeas? Repulsas conditionis tuæ mediocritati inhærentes æquone animo fers? Ob ea quæ tibi prospere accidunt, immoderatane te efferri lætitia sinis? Pateris, pomparum sæculi externa specie tuos oculos capi? Paratusne es, ut acceptionem divitis cum pauperis detrimento facias? Secrete contemnis eos omnes, qui obscuro in loco sunt, atque ignobiles? Ambitionem, & cupiditatem tuam illis inspiras, qui accedunt ad te? In ministerii prorsus spiritualis exercitatione humanas rationes admisces? Si hoc est, dic, te diligere mundum, hoc subtile venenum amoris sæculi omnem massam corrumpere, totumque vitæ tuæ corpus inficere . . . Attamen quid frequentius, & vulgatius, quam hujus characteris fideles? Homines duplices, & inconstantes, ut Sapiens ait, pietatem omnem in hoc statuentes, ut a gravioribus flagitiis abstineant, & sine ullis conscientiæ stimulis sibi permittentes ea, quæ mundi consuetudine, urbanoque vivendi genere probantur; clam insatiabili honorum, & divitiarum cupiditate flagrantes, penitusque mundi amore succensi? *Idem.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

NOmine mundi intelliguntur, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi. Augustin. Tract. 107. in Joannem.

Homines mali mundus vocantur, inde acceperunt nomen: ex eo quod amant. Idem, Serm. 28. de temp.

Non pro mundo rogo, id est, pro eis qui vivunt secundum concupiscentiam mundi. Idem.

Vis non esse inimicus Dei? noli esse amicus mundi. Idem, in Psalm. 91.

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus; magis cavendus cum se allicit diligi, quam cum admonet, exigitque contemni. Idem, Epist. ad Dioscorum.

Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? Hieronymus in Epist.

Latam

Latam viam non quarimus, nec inventione opus est, sponte se offert, est errantium via. Idem, in cap. 7. Matth.

Fuge sæculi mare, & naufragium non timebis; in mari ferventibus ventis, etsi non omnium naufragium, omnium tamen periculum est. Ambrof. lib. 4. in cap. 4. Lucæ.

Quis inter tot passiones hujus sæculi, inter tantas illius illecebras, tutum & intemeratum servare potest vestigium? Idem, lib. de fuga fæculi cap. 1.

Qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, fugiat hunc mundum, terras relinquat. Idem, ibidem.

Via perditionis spatiosa, quia intra regulam disciplina non inclusa. Chrysostomus.

Mari juste comparatur hic mundus, quia fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur. Cassiodorus, in Pfalm. 44.

Plena omnia periculis, plena laqueis; incitant cupiditates, insidiantur illecebra, blandiuntur lucra, damna deterrent. Sactus Leo, Serm. 5. Quadragefimæ.

Insidia sunt in divitiarum amplitudine, insidia in paupertatis angustiis, illa elevant ad superbiam, ha incitant ad querelam. Idem, Serm. 11. Quadragefimæ.

Mundus est ubi malitia plurimum, ubi sapientia modicum, ubi omnia viscosa, omnia lubrica sunt, omnia operta tenebris, & obsessa laqueis; ubi periclitantur anima, ubi omnia vanitas, & afflictio spiritus. Bernardus, in Serm.

Flagrant ubique delicta, & passim multiplici genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Cyprianus, Epist. ad Donatum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in Argumento valeat hauriri.

Quid sit mundus eo in sensu, in quo hic accipimus.

PEr hoc mundi nomen cum Sancto Augustino illi omnes intelligendi sunt, qui res hujus mundi amant, qui mores mundi sequuntur, qui illius placita tuentur, qui falsa illius bona inquirunt, qui spiritu illius vivunt. Ideo ut justa mundi hujus definitio tradatur, contra quem Salvator tot ejaculatur maledictiones, dicendum est, esse societatem impiorum, qui vitam ducunt legibus, & Evangelicis institutis prorsus oppositam. Ubi animadvertendum est hoc etiam in sensu mundum bifariam intelligi posse. 1. Pro inordinato opum, honorum, & voluptatum amore, quæ tres concupiscentiæ omne illud componunt, quod mundus nequam vocatur. 2. Mundus accipitur pro fallacibus, erroneisque illius opinionibus, dolosisque principiis falsæ hujus sæculi sapientiæ, quam Sanctus Jacobus terrenam appellat, quia terræ bona respicit; animalem, quia tota vacat inquirendis voluptatibus, quæ nobis sunt cum brutis animantibus communes; diabolicam, qui sequitur superbiam, & vanitatem diaboli propriam.

Mundum omnis Christianus fugere tenetur.

Cum omnes Christiani abrenuntiaverunt pompis, & vanitatibus mundi per baptisma, & alioquin minime jubeantur a Deo omne hominum commercium deserere, ut in solitudines se recipiant, inferendum est, in ipso etiam Christianismo quemdam esse mundum fugiendum: neque enim vana promissio est, quæ fit in baptismo, sed ad aliquid obligat. Hic autem mundus a nobis fugiendus nonne sunt sodalitates, cœtusque illi, ubi vanitas dominatur, ubi omnes placere quærunt, ubi omnes illum componentes voluptatibus indulgent, ubi nulla ferme capitur voluptas, quæ culpa vacet, ubi denique de iis omnibus gloriantur, quorum pudendum esse docet natura?

Esse de hoc, de quo loquimur mundo est esse de numero reproborum.

Liquet esse de hoc mundo, qualem modo delineavimus, idem esse, ac in numero reproborum esse, atque illum amare, ac se Dei inimicum profiteri unum esse, & idem, quandoquidem non obscure locutus est Deus: *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Jacobi 4. Verum quæritur, utrum liceat cum illo inire familiaritatem, versari cum illis, qui eum componunt, eorum cœtibus interesse, quin propria innocentia, ac salus in discrimen adducatur. Ut huic respondeatur quæstioni, dicendum non est, eos omnes, qui in mundo sunt, voluptuosos, lascivos, maledicos, impios esse; verum dicere possumus, eos omnes, qui hisce vitiis mancipati sunt, esse de hoc mundo. Hoc posito, quin illud quæratur, utrum aliquid ibi metuendum sit saluti, quærendum potius esset, utrum ulla sit credendi ratio, aliquem ibi ullo modo salvari posse, cum assidua ibi sint pereundi pericula, proximæque peccati occasiones.

Omnes homines generatim tenentur mundo abrenunciare, & illum odisse.

Pro certo tenendum est, quod ipse Dei filius nos docuit, omnes generatim debere sese a mundo separare, mundi spiritum relinquere, Deum ita diligere, ut præsto sint, ut illi quidquid habent bonorum, cognatorum, amicorumque sacrificent, quasi hæc nullo in discrimine essent habenda, vel potius etiam odio essent digna. Hoc autem non ad religiosos tantum spectat, qui re ipsa mundum reliquerunt, ut sese penitus Dei cultui devoverent, sed ad omnem mortalium conditionem: quod nihilominus, ut de præcepto sit, semper intelligendum est de cordis, & affectionis, non autem semper de effectus abrenuntiatione, quæ dumtaxat consilii est.

Quinam sunt, qui mundi spiritu operantur.

Mundi spiritu agentes illi sunt, qui concupiscentiæ suæ tantum motus sequuntur, quæ quidem omnino opposita est spiritui, & legi Salvatoris. Dei filius, exempli gratia, imperat humilitatem; mundus e contra superbiam diligit. Dei filius præcipit paupertatem; mundus vero magnificentiam, luxum amat, atque in superflua impendit, quidquid necessario pauperum victui debetur. Dei filius nobis commendat mortificationem, & pœnitentiæ exercitia; mundus vero sensuum voluptates inquirunt, ludunt, ridentque, quasi tota Christiana religio, quæ illi æternam minitatur pœnam, fabula esset, & nullus vel Infernus esset, vel Paradisus. Mundi spiritus hic potissimum est. Hæc amare est mundum amare; & amare mundum est fieri Dei inimicum.

Quid sit concupiscentia, quæ regnat in mundo.

Concupiscentia, de qua toties incidit sermo, in principio suo considerata non aliud est, quam humani cordis per peccatum depravatio; sin autem in objecto spectetur, sunt terrena omnia, in quæ per hanc naturæ pravitatem ferimur. Hæc tentatio mundi vocatur, vel sæculi corruptio, quæ non aliud est, quam amor mundi, rerumque temporalium, cujus generis sunt honores, opes, ac sensuum voluptates. Vita vero mundana in hoc posita est, quod his rebus omnibus frui velis, & ea corde tuo ejicias amorem Dei, ut illa ames, & in iis gaudium, & felicitatem invenias, necnon tuam requiem constituas. In hoc autem consistit vitium, peccatum, injustitia, iniquitas, & id, quod proprie omnium mundi malorum est causa.

Mundi amor idololatriæ species est.

Ex inordinato hoc amore mundi, & ex hac sæculi corruptione profecta est impietas, & idololatria. Carnales enim homines creata depereuntes, deinceps, (juxta illud S. Augustini effatum, id videlicet coli, quod amatur) illis eum præbuere cultum, qui vero Deo tantum debetur. Et ne de infidelium idololatria loquamur, quæ crassa erat, atque aperta, quis ambigit, quominus eorum ex fidelibus, quos S. Augustinus mundi amatores appellat, vita vera sit idololatria, sed magis exquisita. Terrena enim, quæ illi sibi tamquam affectionum suarum objecta proponunt, totidem idola sunt, ac falsa numina, quæ cum Dei contemptu ipsi colunt, creaturæ potius, ut inquit Apostolus ad Ephes. 5. quam Creatori servire gaudentes. Hoc in sensu Apostolus *ad Philip.* 3. avaritiam

idolorum servitutem appellat, & ait, helluones, suoque abdomini natos ventrem habere pro Deo: *quorum Deus venter est*. Quamobrem Sanctus Chrysostomus *homil. in Epist. ad Rom.* inquit, Ethnici idololatriam minimum differre ab idololatria Christiani hominis, nisi quod altera hæc priori est longe nocentior.

Cur Dei filius noluerit orare pro mundo, & cur illum jam damnaverit.

Corruptus hic mundus, cujus placita Evangelicis legibus sunt adeo opposita, ille est mundus infelix, pro quo Jesus Christus non orat, quemadmodum ipse testatur; quasi diceret, se ita illum excommunicasse, ut nolit eum participem fieri meritorum suorum, ac de eodem ita actum esse, ac si pro illo nullus esset Redemptor. Non necesse est hic repetere, pro mundo illos intelligi, qui frequentiorem illius partem efficiunt, qui mundi leges constituunt, naturæ corruptæ legibus adhærentes. Hi sunt exsortes orationum, & meritorum Salvatoris, tamquam hic non venisset, ut illos salvos faceret, & qui ideo damnati sunt, donec in mundo sunt. Verum quid? Nonne Jesus Christus pro illis etiam est mortuus? Nonne Christiani sunt? Nonne quotidie gratias recipiunt, quas nonnisi per hujus Salvatoris merita recipere possunt? Esto: sed quamvis omnia pro illis etiam operatus fuerit Jesus Christus, hæc ad eorum salutem minime prosunt, donec in mundo sunt; quia hoc in statu non considerantur aliter, quam in statu peccati, & veluti inimici Dei.

Non, ullus est saluti nostræ magis periculosus inimicus, quã mundus.

Hæc apertissima veritas est, nullum esse saluti nostræ magis periculosum inimicum, quam mundum; hic Dei, & Jesu Christi inimicus est; & omnes simul dæmones non eadem facilitate, qua mundus, nos ea Jesu Christi corde divellent. Mundi igitur sapientia consideranda est tamquam pseudo Evangelium, videlicet tamquam doctrina Sapientiæ Christianæ, & doctrinæ salutis opposita. Hinc inferendum est, nos esse non posse de mundo, quin Jesu Christo profitenti se de hoc mundo non esse abrenunciemus: *Ego non sum de hoc mundo*. Joan. 8. Præsertim vero cordibus nostris alte infigenda est terribilis hæc Salvatoris sententia: *Vos estis de hoc mundo: ideo dixi vobis, quia in peccatis vestris moriemini*. Joan. 8.

Pauci in mundo servant innocentiã.

Possumus in mundo esse, quin illius voluptates, & fortunas amemus; sed solus aer ita periculosus est, ut animæ, quæ magis sunt innocentes, sanctæ, fortesque ægre se ab illius impressionibus tueantur, & longe pauciores sunt, quam vulgo credantur, illi, qui hanc servent integritatem, quam Deus ea vero Christiano requirit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Flagitiorum mundi descriptio ex S. Cypriano desumpta.

SAnctus Cyprianus disponere volens Donatum necessarium suum ad mundi contemptum supponit, quod cum in montis cacumen una cum ipso evasisset, inde illi omnia ostenderet maria, terras omnes, foros, compita, ac tribunalia, & hæc omnia sexcentis peccatorum, & iniquitatum generibus redundantia, ut postquam ille propriis spectasset oculis mala gravissima, quæ in mundo fiunt, intelligeret, quantum odisse deberet illum, & quam multas agere teneretur Deo gratias, quod ipsum illinc eduxisset. Factum hoc imitamini; eumdem hunc montem conscendite, oculos circum agite, videte plateas, trivia, emporia, locos commercii, & negotiationis; ibique tot videbitis mendacia, calumnias, dolos, perjuria, furta, invidias, assentationes, potissimum vero tantam Dei oblivionem, propriæque salutis negligentiam, ut ingentem hanc rerum omnium subversionem satis mirari non possitis. Videbitis plerosque mortalium affectionum suarum vim sequi, quin vel officii sui, vel rationis leges considerent; similesque Ethnicis nullam Dei cognitionem habentibus putare, nihil ultra vitam, & mortem inveniri. Videbitis innocuos male habitos, sontes absolutos, bonos contemptos, improbos vero in pretio, & honore habitos. Videbitis pauperes, & humiles conculcatos, & gratiam virtuti præstantem. Videbitis venum ire justitiam, contemni veritatem, exulare pudorem, ac in omnia statuum genera invehi flagitia. Videbitis homines hominum via figuram habentes maximi momenti munera obire. Videbitis tandem argentum in mundo plures cultores habere, quam ipsum Deum; videbitis pietasque divinas, humanasque leges avaritia corrumpi, ac variis in locis nihil nisi umbram, & nomen justitiæ superesse. *Granatensis in duce peccatorum cap.* 28. §. 5.

Alia mundi descriptio.

Quinam ergo est hic reprobus mundus, quem odisse statim ac per gratiam estis regenerati, & quem toto vitæ cursu horrere debetis? Ut illum vobis exhibeam, satis est dicere, illum ipsum esse, quem diligitis. Mundus procellosum est mare, in quo desideriorum suorum auram sequens magna fertur peccatorum multitudo, quorum omnis cura, & labor est vitæ hujus bona inquirere, & evitare mala, quorum conatus eo tendunt, ut sibi in arena solium constituant; quorum spes non alium finem habet, quam fluxorum hujus vitæ bonorum perfruitionem; qui non aliam quærunt felicitatem, quam fallacem lætitiam, & voluptates, quibus fatigantur. Mundus monstrosa est congregatio partium, quæ se invicem laniant, quæ se contemnunt, sibique invident, sine charitate, sine probitate, sine bona fide. Mundus est regnum temporale, ubi Jesus Christus non agnoscitur, de quo se non esse, pro quo se non orare ipse profitetur. Mundus acervus est impiorum, flagitiosorum, qui Evangelicas veritates credere detrectant, quia suis non adversantur affectionibus, qui Salvatoris institutis contradicunt, qui illius mysteria contemnunt, qui ejus ignorant præcepta, & Sacramenta profanant. Denique mundus, ut omnia verbo complectar, est magnus numerus, qui usus illius sequitur; ille mundus, quem in baptismo detestati incœpistis, & quem vos indesinenter damnaturos, & oppugnaturos jurastis. Mundus est crucis, & Evangelii Jesu Christi inimicus, quem odisse debetis, atque salutis vestræ negotio semper postponere. *P. Massillon, sermone de exiguo electorum numero*.

Ubi est mundus cui abrenunciare debemus.

Deus nemini necessitatem indixit mundum relinquendi, ut religiosam vitam amplectatur; negari tamen non potest, mundum esse in ipso mundo, cui omnes fideles abrenunciare tenentur. Inter nos est mundus a Deo reprobatus, & maledictus; mundus, cujus Dæmon dominus, & princeps est; mundus, pro quo Salvator suas preces non obtulit Patri; mundus denique, quem semper Jesus Christus contempsit, & a quo semper contemptus fuit. Sed ubinam inveniemus hunc impium, & calamitosum mundum? quinam sunt loci, ubi mortales illum componentes congregantur? Ex vobis hoc quæro, qui illum tamquam idolum adoratis. Non aliud dicere possunt, nisi hunc ibi esse, ubi vanitas, superbia, mollities, incontinentia, impietas; ibi est, ubi Evangelii mandata negligunt, & ubi homines gloriæ sibi vertunt viam prorsus oppositam sequi. Vestrum est videre, ubi hæc omnia flagitia inveniuntur: sed ubicumque inveniantur, certum est, quod esse de hoc mundo, & non esse ea prædestinatorum numero unum est, atque idem. *Pater de la Colombiere in Considerationibus*.

Alia flagitiorum hujus mundi descriptio.

Opus non est, nos sublimem illum montem conscendere, super quem S. Cyprianus ducere cupiebat Donatum amicum suum, ut illi horribilem ostenderet mundi faciem omnibus, quæ fingi possunt, criminibus inquinatam: *Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur*. Ibi videtis insontes oppressos, absolutos sontes, bonos contemptos,

ma-

malos in honore habitos, pauperes, humilesque conculcatos, justitiam plus offerenti prostantem, veritatem fuco illitam, scelera, & flagitia in omnibus statibus, plerasque divinarum, humanarumque rerum perversas. Deus cujus oculorum acies toto cœlo nostra major est, per Prophetas nos docet, se in mundi hujus Babylone nihil nisi avaros, superbos, detractores, impudicos, fures, homicidas videre; verbo, ut ait *Oseas cap.* 4. sanguinem sanguine tangi; *Sanguis sanguinem tetigit*, hoc est, peccata peccatis agglomerari, quemadmodum aquæ guttas, ut fluvios efficiant; atque magno hoc iniquitatis, & maledictionis torrente universam terræ faciem inundari: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*. Quid videtur in mundo, nisi Dei, æternitatis, sacrarumque rerum omnium altissima oblivio, crassa propriæ salutis incuria, jugisque in vanitate, ac scelere occupatio? Quid videtur in mundo, nisi insatiabilis avaritia, rabida possidendi fames, quæ efficit, ut nulla non adulteretur conscientia, nulla non infringatur Dei lex, nulla non violetur justitia, nullus non prodatur amicus, nullus non derelinquatur, & pecuniæ posthabeatur affinia? Quid in mundo videtur, nisi teterrimæ detractiones, atroces calumniæ, meditatæ contumeliæ? Mundi sectatorum os est sepulcrum semper patens, ut integrarum familiarum devoret existimationem: *Sepulcrum patens est guttur eorum*. Psalm. 5. Quid tandem in mundo videtur, nisi adeo effrænata impudicitia, ut adulteria pro fortunatis eventibus habeantur? Impudicitia adeo cæca, ut neque fœdissimis morbis, neque familiæ excidio, neque honoris jactura, neque conscientiæ stimulis, neque inferni metu valeat deterreri. Neque hanc oratoriam exaggerationem putetis; hæc probatio est, & explicatio horum S. Joannis 1. *Ep.* 5. verborum: *Mundus totus in maligno positus est*. Totus hic execrabilis mundus constitutus est, hoc est, absorptus in nequitia, & peccato: *P. Taxier, sermone pro feria secunda post secundam Quadragesimæ Dominicam*.

Inter mundi, & Dei sequelam nihil medium.

Sunt in mundo impii omni vitiorum generi dediti, qui gloriantur se esse de mundo; sunt & alii, qui honesti vocantur, quibus tantus non est animus, ut sedulo sequantur Evangelium, & qui mundi placita cum Jesu Christi mandatis conciliare conantur. His illa Jesu Christi annuncio verba: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum*. Joann. 8. Vos de mundo estis, ego non item; vos estis de terra, ego autem de cœlo. Vestra vos ergo fallit opinio, o fideles, cum medium inter hæc duo adeo contraria vultis invenire. Medium hoc commentitium, & nullum est: *Tolle de medio, quid medium admittes?* ait S. Bernardus: Detestare commodam hanc viam, quæ Dæmonis est adinventum, ut te perdat, quia Dei maledictiones constat in illos, qui sequuntur eam. *Væ duplici corde*. Eccli. 2. Væ illi, qui cum unum a Deo, illud totum petente, cor acceperit, hoc partiri vult, ac partem mundo, alteramque partem Deo vult præbere. *Væ ingredienti duabus viis*. Væ illi, qui simul per duas vias adeo sibi oppositas ingredi cupit. *Idem in sermone quarta Dominica post Pascha*.

In mundo nullæ sunt viæ, quæ adducant ad Deum.

Quomodo fieri posse videtur, quod per mundi vias ad Deum pergamus, cum in illis, ut S. Bernardus ait, plurimum nequitiæ sit, & parum sapientiæ, cum ibi omnia plena sint laqueis ad perdendos mortales, cum omnia ibi lubrica sint, tenebris cooperta, retibus circumsepta, cum ibi animæ in perenni naufragii periculo versentur; omnia vanitas sint, & afflictio spiritus, omniaque in tanta, & adeo manifesta corruptione, ut S. Augustinus admiretur, nos falli a mundo posse, cum hic omnes amiserit illecebras, quibus ad nos fallendos poterat uti: *Mundus iste jam amisit speciem seductionis*. Atque ut huic descriptioni aliam præbeamus lucem, dicamus, mundum vastum esse Oceanum, in quo inveniri non potest ulla semita, quæ adducat ad Deum. Sapiens dicebat tria sibi difficilia esse ad intelligendum, vestigium aquilæ in aere, serpentis in terra, & navis in mari. Sed quam difficilius est, in procelloso mundi hujus pelago invenire viam, quæ directe ducat ad Deum? Errores, & mendacia, vitia, & affectiones ibi assiduas excitant tempestates, quibus omnes teguntur viæ; & si qua forte invenitur, similis est angustis semitis, quæ nonnumquam videntur in arena, quæ in litore maris est, quam æstus delet, ita ut ne ullum quidem vestigium relinquat, & quas sequi nemo potest, quin sese periculo objiciat in abyssum proruendi. *Sermones Christiani pro quarta Dominica post Pascha*.

Moraliter impossibile est in mundo salvari.

Illud vero mundanorum societatem magis efficit deplorabilem, quia mundus illos in hac vita facit infelices, ut in altera eos in æternum miseros reddat. Hoc enim ipsius Jesu Christi oraculum est, pro fide a Christiano quovis habendum, moraliter impossibile esse in mundo salutem suam operari. Ut salvemur, crucem feramus oportet; quonam vero modo hoc munere defungi possumus in Christianismo, ubi Crux non minus insaniæ objectum est, quam olim Ethnicis fuerit? Ut salvemur, nosmetipsos abnegemus oportet; quonam vero modo hoc fieri potest in mundo, ubi quilibet sibi satisfacere quærit, ubi voluptates non intermittuntur, nisi quoad defessæ vires reparentur? Ut salvemur, humiles simus oportet; quomodo vero esse in mundo possumus, ubi non alius Deus est, quam superbia, & ambitio? Ut salvemur, opes necessario sunt deserendæ, sin minus re, saltem animo, & corde; quomodo vero in mundo possunt deseri, ubi omnes industriæ vires impenduntur, ut terræ bona acquirantur? Verbo; quomodo Jesum Christum imitari possumus in mundo, cum hic illius sit infensissimus hostis, eique rebus in omnibus adversetur. *Specimina sermonum pro Dominicis, prima Quadragesimæ Dominica*.

Mundus a Jesu Christo reprobatus quisnam sit.

Certum est inter ipsos etiam Christianos mundum esse, qui Christianismi est inimicus, & quem reprobat Jesus Christus. Hic ille mundus est, qui Deum ignorat, ut S. Joannes ait, & Dei filium odit; quemadmodum ipse filius Dei queritur: *Mundus me priorem vobis odio habuit*. Joan. 15. Hic mundus, licet in speciem Christianus videatur, Dæmonem habet principem, & caput: ex reprobis constat, & eum precum suarum participem mundi Salvator esse recusat. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*. Joan. 17. Hic ille mundus, quem ipse vicit Salvator, & sua cruce confudit; quem S. Paulus respiciebat tamquam scelestum supplicio damnatum, affectumque propter scelera ipsius, contra quem sancti omnes bellum intulerunt, & qui sanctos omnes persecutus est. *Luce* igitur meridiana clarius patet, quod esse de hoc mundo, & de reproborum numero esse, illum amare, & se Dei inimicum profiteri, unum & idem est: *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Jacob. 4. *Pater de la Colombiere, sermone 57. de mundi fuga*.

Salvari possumus viventes in mundo, qualis hodie est.

Vultis ne libere dicam quod sentio? mea sententia est, fortasse non esse absolute impossibile, ut aliquis in mundo innocuam vitam traducat, verum ad id plurimis opus esset curis. Oporteret adeo jugi vigilantia uti, tot, & tam gravia sustinere prælia, ut in austerissima vitæ ratione instituenda multo leviori labore opus sit. Ita est, Auditores, nulla est tam horrida solitudo, nullus labor seu corporis, seu mentis, quem libentius non subirem, quam cogeret in mundo vivere eo modo, quo scio, & quo ibi vivendum esse cognosco, ne in interitum ruerem. Si in mundo tuti sumus, ubi quæso salus nostra potest periclitari? In ipsis quoque cœnobiis metuendum est, unde omnes exulant occasiones, & ubi sexcentis protegimur vallis contra dæmonis artes; & nos eo in loco tutos existimabimus, cujus omnes aditus patent, & ubi infinitæ numero sunt peccandi occasiones? Proh

Deus, dubitatur adhuc, utrum difficile sit innocuam ducere vitam ibi, ubi videmus, omnes difficultates, quæ opponi possunt vitæ integritati, omnes palam esse congregatas.

Crimina in mundo regnant.

Crimina, quibus homines sunt obnoxii, ita in mundo regnant, tantamque ibi tyrannidem exercent, ut nemo illa audeat impugnare, unusquisque illa probet, revereatur, immo etiam commendet. Quin appareant tamquam vitia, quæ corrumpunt homines, & damnant, nihil nisi nobilitatem habent. Eadem libertate, & securitate patrantur, ac si nihil dedecoris haberent, immo in illis invenitur, unde mortales glorientur. Isti peccatores sunt, qui iniquitatem sicut aquam bibunt, ut loquitur Scriptura; sed eam aureis bibunt cymbiis, & tanta cum jucunditate, ac voluptate, ut ne sentiant quidem venenum, quod ibi continetur; cumque hoc eorum improbitatem nequiorem efficiat, hæc in omnes eorum actiones effunditur, atque in eorum usque præcordia mortem infert. *De Sancta Martha, tractatu de necessitate fugiendi mundum.*

Crimina quibus mundus subjicit sectatores suos.

Verum est, eos, qui in mundo sunt, nequaquam adigi, ut explicite Jesum abnegent, & idolis adoleant thura; se ratio vivendi, & placita, quæ ibi vulgo regnant, cogunt illos, abnegare Crucem Jesu Christi vita voluptatum, fastusque teterrissima, crucifigere hunc ingenti peccatorum numero, & ejus sanguinem indignis confessionibus, & communionibus conculcare. Hæc eosdem cogunt animam suam ambitioni, assentationi, terrenisque utilitatibus immolare; ac illos ita potentibus personis, ex quarum nutu omnis illorum pendet fortuna, subjiciunt, ut multo magis his, quam Jesu Christo pareant, illos adorent, eisque placere, ac morem gerere, quam divinæ majestati malint obtemperare. Sufficit autem, non esse hoc pacto idololatram, ut mundi amatores te contemnant, vel persequantur. *Idem.*

Mundus est præcipuus nostræ salutis inimicus.

Mundus est maxime terribilis nostræ salutis inimicus, ex eo quippe alii præcipuas vires mutuantur. Mundi nitens forma dæmoni fallaces ministrat illecebras, quibus animas seducit, atque corrumpit; mundus carni validissima suppeditat arma, quibus utitur, ut spiritui bellum inferat fatalibus voluptatum illecebris, quas objecta omni arte compta, omnique nitore fulgentia exhibent nobis; denique hic mundus fovet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, quæ tria sunt funesta germina cupiditatis, quæ malorum omnium est radix. Ita mundi Salvator Apostolos suos, eosque omnes, qui Christianæ militiæ nomen erant daturi, confirmaturus nihil aptius dicere poterat, quam certiores illos faciens, se jam victoriam retulisse de hoc mundo, ad quem oppugnandum illos mittebat: *Confidite, ego vici mundum. Idem.*

Invectiva contra hujus mundi flagitia.

Loquimur de hoc mundo, pro quo Salvator se nequaquam orare in Evangelio testatur, de infelici hac impiorum ex omnibus statibus congregatione, qui suis indulgent affectibus, & misera sunt sententiarum hujus sæculi mancipia; *Non pro mundo rogo*. Joan. 17. Corruptum hunc mundum respiciebat Propheta, cum dicebat: fugite Babylonem, ubi vitia triumphant, ubi virtutes contemnuntur, ubi peccatum, & licentia grassantur, ubi non alia numina agnoscuntur, quam voluptas, honor, & opes. Contra generalem hanc sæculi corruptionem accensa est ira Dei, qui cum indignatione populorum omnium impietatem intuetur: *Indignatio Domini super omnes gentes, & furor super omnem malitiam eorum*. Isaia 4. Divites sunt in sua cupiditate insatiabiles, cum paribus superbi, cum inferioribus duri, cum pauperibus crudeles. Hoc ævi sui divitibus Salvianus olim dicebat. Verum illud magis adhuc miserum est, quod pauperes nihilominus vitiosi sunt; ob status sui miseriam viderentur Evangelicis regulis subjiciendi esse; attamen, si S. Ambrosio credimus, in plerisque pauperibus invenitur egestas sine humilitate; tribulationes sine patientia, calamitas sine ulla erga divinam providentiam submissione. Ubinam sunt magis honestæ professiones, ac status magis regulares, qui corruptionis hujus signa non gerant? At si mundus est in conditionibus, placitisque suis corruptus, in affectionibus suis est longe corruptior &c. *In specimine sermonum pro Dominicis Tomo 2. pro Dominica 20. post Pentecosten.*

De gradibus per quos in mundo mortales damnantur, deque vitiis, quæ ibi grassantur.

Ex vobis quæro, fideles, quid est mundus? Si vobis dicerem, illum esse scandali regnum, licentiæ gymnasium, libidinum, vitiorumque sentinam, miseriarum abyssum, nihil nimis me dicere existimaretis. Verum mundus his coloribus pingi non solet. Quid ergo, fideles, est mundus, si judicium ferre places juxta magis acceptas, mitioresque ideas? Mundum voco otiosorum hominum cœtum, qui inertiæ, & mollitiei abditi vitam producere quærunt, & nihil præterea; & cujus maximum negotium est, nullo implicari negotio. Mundum voco catervam insipientium, quorum non alia est occupatio, quam videre, & videri, qui cor suum molliunt per ea, quæ maxime perniciosa sunt, qui de insanis affectionibus suis gloriantur specioso fidelitatis, & constantiæ nomine appellantes obstinatissimam in flagitiis pertinaciam. Mundum voco sectam voluptuosorum hominum, quibus alea, comessationes, sodalitates, omnis denique voluptas, cujuscumque generis ea sit, supremi boni locum obtinet; qui nova excogitant solatia, eaque opportune variare discunt, ut jucunde alia aliis subrogent, eaque facile mutent, ubi prima tædium pepererint. Mundum voco ambitiosorum hominum multitudinem, qui quocumque pretio emergere volunt, huic nobilitatis chimæræ omnia sacrificantes bona sua, conscientiam, amicos; hominum, quos unicus contemptus prosternit, aliena gloria torquet, & in quorum corde aliquod semper odium est, in ore autem contumelia; quorum furens cupiditas magis, magisque inflammatur, prout e voto res cedunt, & numquam extinguitur, licet omnia illi adversa contingant. Mundum denique voco Juvenum catervam, qui aliud quodlibet efficiunt, præterquam munus suum, qui in otio, & nonnumquam in scelere illud traducunt tempus, ex quo illorum quies, vel infelicitas in reliquum vitæ spatium pendet. Hoc ego mundum voco. *Auctor Anonymus.*

Hominum plerique mundi mores sequuntur.

Fons magis communis errorum, falsarumque opinionum, quæ in mundo vigent, hic est, quod homines, cum se cognoscere incipiunt, viam magis tritam sequuntur, & probant, vel damnant, quod a frequentiori numero probatur, vel damnatur. Tunc oculos conjiciunt in omne vitæ suæ spatium, sibique proponunt honorum, fortunarum, quietis, & voluptatum systemata; consilia ineunt satisfaciendi sensibus suis, indulgendi affectionibus, placendi potestatibus sæculi, & credunt, se legitimam hujus vitæ excusationem afferre, cum dicunt, statum, quo impliciti sunt[1], virtuti aptum non esse, & vivendum esse, ut alii vivunt. Hinc tepiditas oritur in amore divino, tædium pietatis, oblivio Dei, ac plurima alia vitia, quibus vita repleta est. *P. Alleaume tomo primo passionum Domini.*

Mundus nec novit Deum, nec illi servit.

Mundus neque Deum novit, neque illi servit. Occupationes, negotia, munera, quæ ibi habentur, non pauciora salutis nostræ impedimenta objiciunt, quam ea sint præsidia, quæ ad eamdem operandam vita tribuat solitaria. Illi ipsi, qui magis frugi vivunt, sæpe æque, ac illi qui nullam regulam servant, iisdem periculis patent; etenim quemadmodum fere impossibile est, quod se ipsos ex aliorum flagitiis, & criminibus judicent, In aliorum operibus inveniunt, quomodo facta sua probent; & accidit ferme, ut sine ullis conscientiæ stimulis satis sibi esse putent vitam, quæ nihil habet, propter quod a Deo existimetur Christiano homine digna, & talis, qualis esse deberet ad æter-

æternam beatitudinem promerendam. *Abbas Trapponsis tomo primo Christianorum Dogmatum.*

Status, & munera in mundo fugienda.

Illi omnes evitandi sunt status, quos Deus respicere non dignatur. Hujus generis est vita mollis, & deliciis affluens, vita solatiis, & voluptatibus dedita, magna negotia, magni honores, magnæ opes, quidquid mentem, & cor replet, & suapte natura, atque impressionibus suis magnas habet illecebras, & quamdam hominibus injicit necessitatem, quam superare difficillimum est. Attamen tantum abest, quod in mundo aliquis eam superare contendat, ut felices, beatique existimentur, qui oppositum faciunt, qui in voluptatibus vivunt, qui fortunas suas student provehere, qui ad magnos honores perveniunt, qui negotiis obruti sunt, qui tempus non habent, quo se ipsos cogitent, & demum qui præsenti vitæ fortioribus nexibus, gravioribusque catenis adhærent. Hæc sunt vota, hi conatus mortalium, & qui extra hos status inveniuntur, miseri, humiles, abjecti, indignique putantur. *Essais de morale Tome 5.*

Mundi fuga.

Nolite conformari huic sæculo, Sanctus Paulus inquit. Præceptum hoc, quod in Romanorum persona omnibus tradit Christianis, omnium vitæ Christianæ difficillimum est. Non præcipit, ut mundum relinquamus, sed ne illi nosmet conformemus; videlicet ne amemus, quod mundus amat, neque faciamus, quod facit. Ad id resistendum est vi exempli, & consuetudinis, & contra mundi torrentem obtinendum est. Vis autem consuetudinis magna est, & fere numquam in irritum cedit, quippe per omnes sensus ingreditur, & numquam intermittitur. Mundus, quin studia, vel placita mutaret, Christiani nomen accepit, atque ad illa etiam contendit præmia, quæ religio promittit. Ita in Christiana religione plurimi nunc inveniuntur, qui, quin putent se improbos esse, omnibus mundi studiis indulgent, honores, opes, voluptates sectantur, præsentium amore capiuntur, & futura non cogitant. Si quibusdam crassioribus delictis abstineut, aliis plura sibi fas esse putant, quibus vitii nomen adimunt, & horrorem. At longe difficilius est hujusmodi vitiis reluctari, quæ tamquam pietati opposita non habentur, quam illis, qui eidem palam adversantur. Christiani, ut hisce novissimis resistant, vires conjungunt, mutuisque firmantur auxiliis; sed occultiora delicta major eorumdem fidelium numerus excipitur, & amplectitur. *Idem.*

Vita plerumque mortalium in mundo.

Quonam pacto plerique Christiani vivunt in mundo? Religionis obire officia per consuetudinem, vel per hypocrisim; amare, & odisse, quodcumque libuerit; quocumque sumptu locupletari, & crescere; affectibus suis indulgere; sensibus ea omnia, quæ postulant, elargiri; non cogitare utrum aliquid fas sit, an nefas coram Deo; sed unice utrum sibi placeat, & prosit: hæc est imago vitæ plerorumque fidelium, hi mores miseræ multitudinis, quæ in via perditionis incedit. *Pater Bourdaloue.*

Mundi, & opinionum ejus corruptio.

Nihil magis necessarium hac sæculi separatione; sæculi inquam, ubi mores corrupti sunt per relaxationem, divinæ veritates obscuratæ per errorem, virtutes infirmatæ per prava exempla, vitia per licentiam probata, flagitia per publicam auctoritatem roborata; sæculi inquam, ubi nihil nisi perfidia, & simulatio est: ubi peccatum per sexcentos aditus irrepit; ubi affectus sexcentis inflammantur objectis; ubi in singula momenta sollicitamur, ut lædamus Deum, ut officiorum nostrorum maxime essentialium obliviscamur, quia nemo fere invenitur, vel satis fidelis, vel generosus satis, ut eadem adimpleat. Sancti omnes ad horum periculorum adspectum contremuerunt, & salutis suæ desiderio commoti crediderunt, satius esse a mundo recedere, quam ibi vitam ducere, ubi innocentia undique oppugnatur, ubi virtus rara est, & æternitas ambigua. *Flechier, in Panegyrico S. Antonii.*

Mundi vanitates, & scelera.

Mundus hic subdolus, & fallax, quem tantopere deperitis, umquamne amorem vestrum promeritus est? Mundus hic, ubi super integerrimum quemque dominatur cupiditas, & ubi universe exulat charitas: mundus hic, ubi omnia susque deque confusa sunt, virtus spreta, vitium in honore habitum: mundus hic, qui ideo seducit animas, sibique sectatores acquirit, quia novit veram celare miseriam sub fictæ felicitatis specie: mundus hic in judiciis suis mendax, infidelis in promissionibus, in omni ratione damnabilis: hic denique mundus, cujus torrens pernicissime fertur, quodcumque fiat, ut retineatur; ubi omnia prætervolantium momentorum celeritate rapiuntur, quorum ne minimum quidem superest vestigium. Hoc nihilominus idolum est, quod vobis tamdiu dominatum est, & cui adeo arctis vinculis vincti adhæretis. *Idem in Sancta Maria Magdalena Panegyrico.*

Quam rara sit in mundo innocentia.

Ubi primum nostra utimur libertate, tunc statim noxias eligimus voluptates; statim affectuum nostrorum vi rapimur, & ratio nostra nonnisi cum innocentiæ detrimento crescit. Terra universa infecta est corruptione inhabitantium illam; nullibi videtur amplius, Propheta inquit, veritas, & charitas; ibi non regnat amplius misericordia, & Dei scientia ignoratur. Omnes vallum perfregerunt, quod in corde suo innocentiam protegebat; blasphemia, mendacium, injustitia, adulterium, homicidium, perfidia, & nequissima quælibet scelera universam terram inundarunt, Propheta ait. Sanguis sanguinem tetigit; pater filio scandalum præbet; frater fratri insidias struit; vir ab uxore secedit. Jam non alia in terris sunt vincula, quam avaritia, affectio, ingenium, libido. Scelus in Principibus colitur, virtus, & pietas simplicium, ac popelli pars est: odia æterna sunt, & inimicus nullibi loco fratris habetur. Hinc iræ mutuæ: integerrima licet virtus conviciis proscinditur; litibus, odiis, & contumeliis certatur. Consanguineorum, & amicorum cœtus non aliud sunt, quam publicæ censuræ morum fratris tui; ludi facti sunt vel turpia negotia, vel furentes affectus, quorum funesta voluptas sæpissime familiarum, & fere semper animarum parit excidium. Convivia, innocua illa societatis vincula jam facta sunt intemperantiæ, & libidinis fores; voluptates, spectacula, cœtus jam publica sunt gymnasia libidinum; sæculum voluptatis lyceum est, ubi ediscitur ars infelix turpium amorum, qui puram animam coinquinat, & quos patres nostri ævo suo minime noverant; Urbs est Ninive peccatrix, ubi unusquisque vivit juxta desideria sua: Aula vitiorum omnium est centrum: ager horrida est solitudo, ubi homines ferarum instar sese invicem mordent, & laniant; ubi omnes alii in alios vicissim odio, invidia, zelotypia armantur. Quid plura? nihil nisi confusio, ac perturbatio videtur. *P. Massillon sermone de parvo numero electorum.*

Fascinatio quædam est hic amor mundi, qui iis, qui eodem fuerit affecti, tantam rerum ad salutem pertinentium nauseam, tantam in divinis rebus incuriam, tantamque in pietate ignaviam immittit, ut in animo nihil fidei superesse videatur; adeo extincti sunt omnes sensus pietatis per vanitatem, lusum, fastum, delicias, otium, in quo modo vivimus. *Auctor Anonymus.*

De amore mundi.

Si affectiones licet periculosissimæ satis fortes non sunt, ut cor humanum corrumpant, mundi placita illis suppetias ferunt, & prorsus opposita luminibus veritatis mendacii tenebras effundunt in mentem eorum, qui sequuntur illas. Si Jesus Christus præcipit, ut proximus diligatur, illa hunc suis cupiditatibus sacrificare contendunt; si Jesus Christus imperat, ut inimicis parcatur, illa ultionem suadent; si Jesus Christus damnat opes a uti periculosas, illa has tamquam necessarias respiciunt: si Jesus Christus humilitatem commendat, illa superbiæ sensus inspirant. Ita spiritu mundi acti contrarii evadimus spiritui Dei, &

sine ulla attentione sequuntur eas opiniones, quæ veræ esse non possunt, quia appositæ sunt institutis Christi Jesu, qui est ipsa veritas. Si etiam inter imbecilles servos, generosus aliquis invenitur Christianus ita fortis, ut sua vincula infringat, mundus, qui pati non potest virtutes eas, quas non exercet, nihil prætermittit, ut se ulciscatur, & obtrectatio omnia jacula depromit, & (dicamne auditores, quod rubore suffundat timidos inertesque fideles?) metus dicteriorum ipsius sæpe conversionem peccatorum retardat; qui sese devovere non audent Deo, ne displiceant hominibus. *Ex sermone de Caritate, qui Patri de la Rue acceptus refertur.*

Gaudium mundi, & improbi.

Mundi gaudium perniciossimum est, nihilque durabile habet præter eam, quam relinquit, pœnitentiam. Gaudium est perfidum, quod in lacrymas desinit; gaudium superficiale, quod non penetrat cor, & vastam illius extensionem non replet. Peccatoris necessitates semper illius affluentiam superabunt. Divites esuriunt, inquit Propheta, domus eorum plenæ sunt, sed cor vacuum. *Divites eguerunt, & esurierunt*. Psalm. 33. Voluptuosus inter voluptates adhuc desideriis conficitur. Ambitiosus in ipso honorum centro inquietus est, ac sollicitus. Terrarum domitor queritur virtutem suam coercitam videns inter terminos terræ votis suis nimium angustæ, & homines spem abjicientes in mundo pro ipsis exhausto invenire se posse, unde inexplebili cupiditati suæ satisfaciant, naturam vel impotentiæ, vel crudelitatis insimulant. *Auctor Anonymus.*

Mundus magnas habet pro adolescentibus illecebras.

Mundum agnoscere, & amare idem est juventuti; hæc nonnisi ex pulchra ejus specie illum cognoscit; ille huic nonnisi ridenti facie se offert; neque aliud pro hac habet nisi illecebras, assentationes, & thura; temporis beneficio tandem mendacia deteguntur; & ille proditor, ingratusque esse deprehenditur. Sed lenta hæc experientia adolescentum superat mentem; iis hærent, quæ sentiunt; & quidquid sentiunt, dicit illis, ipsos pro mundo, pro ipsis esse mundum. Animæ auferre hunc sensum, hanc perniciosam cognitionem, illam præservare ab hac fascinatione nugacitatis, cujus tristes effectus Salomon *Sap.* 4. deplorabat: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, gratia est æque rara, ac adolescentibus necessaria. *Pater de la Rue in sermone habito, dum virgo quadam sacro religionis habitu indueretur.*

Inordinatus mundi amor.

Quoties mundum amavimus, & adhæsimus illi? Mundum, quem colimus, & in veri Dei contemptum tamquam idolum adoramus; mundum, cujus sequimur mores, cujus placitis fidimus, cujus probra metuimus, cujus judicia veremur, cujus laudes plurimi facimus, cujus corruptio, & labes nos inficit, & cui demum contra Apostoli præceptum rebus in omnibus conformamur: *Nolite conformari huic sæculo*. Ad Rom. 12. *Pater Bourdalove.*

Pericula salutis in mundo.

Ubique hoc in mundo salus nostra periculum nanciscitur. Periculum in ortu, qui supponit sumptus, & privilegia, quæ Jesus Christus illi numquam applicuit; periculum in educatione, quæ approbat mores, usus, discrimina, quæ ab Evangelio damnantur; periculum in negotiis, ac publicis obeundis officiis, ubi salus semper cum fortunis decertat, & ubi indesinenter conscientiam inter, & fortunam optio habenda est; periculum in exemplis, ubi vitium exuit quidquid horroris habet in numero eorum, qui præbent illud; periculum in commercio, ubi sese immiscet avaritia, & ubi possidendi cupiditas sæpe bonam fidem prodit; periculum in spectaculis, in cœtibus, ubi quilibet aliis placere gestit, & ubi ignis concupiscentiæ amore, qui vel immittitur, vel hauritur, inflammatur; periculum in labore, ubi corpus recreatione carere non valens iis utitur, quæ legibus interdicuntur; periculum in quiete, & otio, ubi mollities infirmat carnem labori damnatam; periculum in opibus, ubi vitæ commodæ acuunt cupiditates; periculum in paupertate, ubi egestas ad impatientiam provocat pauperem, eumque contra sapientem manum, a qua affectus fuit, irritat; periculum in probitate, ubi, ex quo mundus de nobis contentus est, arbitramur Dominum quoque contentum esse, & ubi, quia nihil eorum habemus, quæ a mundo damnantur, omnem habere credimus virtutem, quam postulat Religio. *Sermo manuscriptus.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Quid igitur est hic mundus, ubi vivimus? Regio est tenebrarum, ubi inscii in laqueos impingimus; lata via est scopulis, rupibusque præpedita, sedes inconstantiæ, & calliditatis, locus discordiæ, & dissensionis, terra ingrata, & maledicto obnoxia, ubi Jesus Christus, & Religio illius ignoratur, ubi inveniuntur inimici; qui illam impugnant, & constantissima ejusdem ignorant instituta; theatrum, ubi fabulæ tantum venditantur, ubi numquam plures extiterunt regulæ, admonitiones, salutis adminicula, ubi numquam de suggestu majori vi, ac lumine Ethicæ Christianæ præcepta tradita fuerunt; & nihilominus ubinam fructus est, qui inde percipitur? Numquid Ecclesiasticarum legum observantia? Immo nullum præceptum est, cui aliquis vel lenimenti, vel dispensationis prætextus non afferatur. Pœnitentia habetur tamquam solitudinum, & cœnobiorum portio. Oratio, illud unicum necessitatum nostratum levamen sanctis relinquitur animabus, quæ per tempus possunt impensius sese in preces effundere. Vita sumptuosa, mundana, & voluptuosa toties in sanctis Bibliis anathemate percussa non spectatur amplius, nisi tamquam lex necessaria, quam ordo, gradus, conditio, genus indicunt. Ipsa etiam vera pietas nomen suum amisit, neque cognoscitur ultra. *Idem.*

Mundi spiritus ubique regnat.

Mundus totus repletus est spiritu mendacii, qui ubique dominari videtur. In negotiis mundi spiritus consulitur, ejusque decisionibus adhæretur. Hic societates nectit, & fovet, hic privatorum regit utilitatem, probat usus, consuetudines confirmat; hic denique de rebus omnibus disceptat. Non vivitur nisi secundum illum, non agitur nisi per spiritum mundi, atque hic spiritus Dei sedem occupasse dici potest: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Sap. 1. Quia hic Spiritus mundi spiritus erroris est, corruptionis, hypocrisis, mendacii; hinc æque fatali, ac necessaria illatione sequitur, omnibus hominibus alte illius dogmata impressa esse, & insculpta. Hinc oritur, quod in mundo nihil non falsum est, falsæ prosperitates, falsæ promissiones, falsæ voluptates, falsi honores, falsa virtus, falsa sapientia, falsa probitas, falsæ necessitudines; &, quod Christiano viro indignissimum est, & religioni Jesu Christi magis oppositum, falsa pœnitentia, falsus pro nobis zelus, falsa erga proximum charitas. *P. Bourdalove.*

Corrupta mundi idea.

Idea, quæ passim de hoc mundo concipitur, hæc est, quod tamquam perditorum hominum societas, quos voluptas quidem conjungit, & scelus occupat, repræsentatur. Sedes erroris, & injustitiæ, ubi inevitabiles laquei sunt, & lapsus communes. Regio tetra lue infecta, ubi mortales vicissim tabem contrahunt, & efflant, spiritum reciprocantes. Procellosum mare, ubi fragiles naves sibimet ultro citroque pro scopulis sunt, & invicem allisæ communi naufragio conteruntur. Mundus injustus, qui Cœlestem Patrem non novit: mundus reprobus, in quem omnia labuntur terribilia maledicta, quibus illum Jesus Christus percitus ira percussit. Liquet autem, mundum, ubi hoc in sensu accipiatur, & spectetur veluti tenebrarum imperium, nimis oppositum esse spiritui veritatis, ita ut impia illius placita cum Sanctissimis Evangelii præceptis nullo modo valeant consociari. Caveamus, ne ea infirmare conemur anathemata, quæ adeo juste protulit Jesus Christus,

& ne

& ne cultum Baal cum Dei Israel cultu commiscere audeamus: *Bossuet Meldensis Episcopus, sermone de Historia universali.*

Quam difficile sit in mundo salvari.

Quantumvis tuam salutem operari cupias, difficile est tueri innocentiam in mundo, & fidem, quæ debetur Deo, in ea regione, ubi pestifer respiratur aer, ubi omnia objecta in crimen alliciunt, ubi non alia engnosci videntur numina, quam opes, honores, & voluptates, ubi vanitas, mendacium, omniaque vitia contagione quadam communicantur. Neque ideo dixerim, salvari neminem posse, nisi mundum reliquerit, conditioni suæ abrenunciaverit, omniaque perfregerit vincula officiorum, auctoritatis, & obedientiæ, per quæ invicem jungimur. Sed hoc ajo, infinite difficile esse, ibi Christianam vitam traducere, Deoque fidelem esse. *In collectione orationum oblatarum Academiæ Gallicæ anno* 1703.

Spiritus dissipatio evitari nõ potest in mundo.

Quomodo terrenis vacare negotiis, & quotidie mundi commercio interesse possumus, quin evagemur spiritu, quin corrumpamur? Quomodo incessanter resistere impressionibus tot objectorum, quæ catervatim se offerunt, quæ circumundique nos obsident, & quæ jugiter contendunt per sensus in animam ingredi? Quomodo non hallucinari, neque commoveri, cum propius divitiarum fulgorem, honorum fastum, illecebras, & magnificentiam figuræ hujus mundi, quæ indesinenter nostris affulget oculis, nos suis promissionibus allicis, suis blanditiis detinet, ac sexcentis jucundis phantasmatis fallis? Quomodo non trahi exempli, & consuetudinis torrente? Semper conniti contra mundi usus, & sensus, qui cordis nostri cupiditatibus maxime favent? Semper sensibilibus abstinere bonis, eaque sine ulla exceptione postponere futuris voluptatibus, quas religio promittit, sed quarum ideam nullam sensus adstruunt, quas spiritus nonnisi fidei luminibus eminus prævidet, quæ semper obscura, licet certa, imperfecte dumtaxat nostras dissipant tenebras. *Idem.*

Damnabile mundi scientia.

Non deest quædam mundi scientia, quæ ars vocari potest obliviscendi Dei, a Sancto Gregorio in libris Moralium descripta; scientia, quæ docet vitiorum, & affectionum nostrarum turpitudinem velare quibusdam placitis, & usibus inter corruptos mundi sectatores receptis, atque probatis. Per funestam hanc scientiam ulcisci possumus, quin crudelitatis notam subeamus; prava fovere commercia, quin male audiamus, dummodo aliquot serventur prudentiæ, & fidelitatis leges, quas mundus constituit. Licet aliena absumere bona, dummodo mundi consuetudinem sequamur, cum in statum nosmet redigentes, ubi solvendo non simus. Licet optimum quemque amicum decipere, dummodo callida, sed hodierna die in mundo vulgatissima arte perfidæ fidei aliqua prudentiæ, & politicæ larva inducatur. Hæc improba est mundi scientia. *P. Aurelianensis.*

Quid intelligendũ sit pro homine mũdi.

Quid sibi vult peccator, cum se hominem mundi vocat, neque se teneri dicit eam ducere vitam, quam religiosorum propriam appellat, nisi quod ipse vivit in mundo reprobo, & habitat terram, quæ devorat habitatores suos, quod mala sibi sors obtigit eo loco nascendi, quo a sole justitiæ procul arcetur, & qui salutem illius fere impossibilem efficit? O præclaram excusationem! De mundo te esse dicis, cum loqueris de conversione, de vita, quæ magis Christianum hominem deceat; sed ob eamdem causam Domini vocibus præbere te debes attentiorem. Si in deserto, vel inter claustra degeres, majora quidem, quam in mundo, salutis haberes adminicula, & minoribus indigeres auxiliis: nunc vero excusas orationum tuarum infrequentiam, quod es in mundo. *P. Massillon.*

Mundi cruces, & mala.

Quid est hic mundus, cujus fallacia bona tanto calore consectamur, & cujus vias adeo festinanter decurrimus? jugis agitatio, ubi nihil nos beatos efficere potest, ubi paupertas odiosa est, divitiæ molestæ; ubi omnia periculis plena sunt, ubi universa mortem annuntiant; ubi requies funesta, voluptates incommodæ, crapula onerosa; curæ assiduæ, catenæ indissolubiles; ubi qui tranquilli sunt, se infelices existimant, ubi tumultus, & pœna suavissima sont vitæ momenta, ubi omnia sunt labor, & afflictio spiritus, ut Sapiens ait; ubi omnia agitantur, turbantur, confunduntur. Profecto qui videret homines adeo alacres, promptos, & fluxis rebus intentos, diceret, illos de bonis æternis esse sollicitos, neque facile posset intelligere, tot curas, laboresque pro bonis, quorum inane pretium est, esse susceptas. *Idem sermone de salutis cura.*

Mundi sectatores sæpe de mundo queruntur.

Omne mortalium genus de mundo queritur; hic nec bonis parcit, nec malis; ubique suas infidelitates, & crudelitates effundit. Boni quidem illius norunt illusiones, neque stuporem illis injiciunt labores ibi ferendi; sed nemo est, ne improbus quidem, & impius, quibus aliquibus in occasionibus mundus intolerabilis non videatur. Tristis, & frequens perfidiæ illius experientia oculos illis aperire deberet, ut virtutis illecebris caperentur; mundus enim ideo tot miseros facit, quia paucos vere Christianos complectitur. *Liber, cui titulus: Animadversiones in varia Ethica, & religionis argumenta.*

Mundani suam vitæ rationem secuti salvari non possunt.

Mundanis objiciuntur individuæ Christianæ vitæ difficultates; Evangelii dogmata corruptæ naturæ studiis terribilia; mala, quæ necessario sequuntur affectionem illam, cui labor incommodus non est; vis, qua fidelis quilibet cœlum sibi reserare tenetur; duræ abnegationes, quæ unicam viam sanctitatis efficiunt; pericula, in quæ quivis sentit conjici innocentiam suam mollis vitæ inertia, & tranquillitate; horribilis aversio, quam gaudia, atque spectacula contra officia maxime essentialia inspirant; altissima ignorantia, & sui ipsius, & rerum æternarum, in quam voluptuosa vita nos agit; funesta peccatorum experientia, quæ patrantur, si solatiis tantum, & oblectamentis opera impenditur. Nihil ulterius requiritur, ut ex mundanorum mentibus error auferatur, utque illis persuadeatur, ipsos numquam salvos fore, nisi susceptam vitæ rationem reliquerint. *Idem.*

Vanitas, & luxus mundanorum saluti perniciosi.

Mundi sectatores enitescere cupiunt: sine immodico luxu numquam ex turba emergerent. Inutiles efficiunt sumptus Christianæ modestiæ contrarios, & fortunam eorum parum decentes. Videntur eorum vestes, supellex, servorum caterva: desiderium illis æquandi excitat vanitatem eorum, qui vel pares sunt, vel etiam longe deterioris conditionis. Isti, ne in tristi langueant obscuritate, ingentibus absumuntur sumptibus, filios suos spoliant, familiam perdunt, evertunt creditores, meditantur iniquitates &c. *Idem.*

In aula mundi spiritus magis, & majori cum periculo regnat.

Deum obtestor, & obsecro, ut vobis satis fortem spiritum, satisque potentem conferat gratiam ut vosmet tueri possitis contra sæculi improbitatem, quod, ut S. Joannes ait, in malo immersum est, & contra Aulæ corruptelam, quæ centrum est, ubi, quidquid in sæculo nequitiæ est, simul collectum invenitur, & ubi mundi spiritus imperium suum constituisse videtur. Major autem, magisque perniciosa nequitia, quæ ibi inveniatur, ea est, quod sub honestatis, & elegantiæ specie, qua spiritus perficitur, celat, quidquid perniciosissimum est in mundo a Jesu Christo reprobato, videlicet illecebram quamdam, quæ fascinat corda, ita ut sæculi præsentis, honorum, & voluptatum ejus amore capiantur. Illecebra, quæ suave illud virus est, quod Babylon in aureo calice illis, quos seducit, propinat; illecobra, quæ in aulæ commercio fere evitari non potest. *Ex tomo 1. Epistolarum Patris Surin.*

Mundus fugiendus est, ne in eo corrumpamur.

Ignorari non potest, tantam esse mundi contagionem, ut fugiendus sit, non secus ac domus tetra lue infecta. Bonos mores, ut Sanctus Paulus ait, colloquia prava corrumpunt. Consuetudo, & exemplum maximam habent in animis vim; oculi per-

persuadent cor: discimus malum, cum ab aliis fieri videmus, & visio hæc animam ingreditur, adeoque suavi simul, ac vehementi ratione illuc fertur, ut pravus fiat habitus, & in naturam quodammodo migret, antequam etiam sentiatur; atque tunc, quod a Deo tamquam vitium damnatur, nominis hujus exuit horrorem. Vocatur res permissa, nulloque in discrimine posita, quia magnæ fit ex plurimorum exemplis auctoritatis accessio. *Liber, cui titulus; Christiana Rudimenta in Evangelium Dominicæ tertiæ Adventus.*

In mundi vix nihil nisi labor, & dolor invenitur.

Mundi viæ pulchræ sunt, ac ridentes; alliciunt, & plura promittunt; sed re ipsa, ubi primi lapsi sunt dies, pravæ tantum semitæ reperiuntur. Si ulla fastidia sunt, hæc non hominum frugi sunt, sed eorum, qui voluptatibus sunt dediti: ex quo affectus nullis frænis coercetur, nullam potest requiem sperare. Numquid hoc recens didicimus? Non ita quidem; hoc enim audivimus ex iis, qui præterierunt: *Ambulavimus vias difficiles*. Sap. 5. Omnes vitiorum viæ præpeditæ sunt; viæ, quæ ducunt in interitum, spinis sunt consitæ; nemo flagitiosus est, qui sit liber; sexcentis dolores, mærores, ac pœnitentiæ decrrantis animæ lapsus subsequuntur. Tibi curæ est, o Deus, ubique effundere amaritudinem, ut ad te redire cogamur. Si alibi veram inveniremus requiem, suavitatem perfectam, nemo ab hac via vellet recedere; sed falsa gaudia felle adspergis, ut adeo infelicis status pertæsi oculos erroribus nostris aperiamus, & fateamur in extremam ruere calamitatem, qui recedit a te: *Ecce qui elongant se a te, peribunt*. Psalm. 72. *P. Croiset tomo secundo Recessuum.*

Salutis periculum in mundo.

Cur putamus, sanctos omnes adeo perhorrescere communem sæculi vitam, & hasce vias, quæ mortalium plerisque adeo rectæ videntur, & in præceps, atque in interitum ducunt, nisi quod ea cognovere pericula, quæ in mundo sunt, qui ubique plenus est insidiis, quæ nobis struuntur? *Mundus totus in maligno positus est*. 1. Joan. 5. Alii nobis mundum hunc repræsentarunt tamquam terribilem tempestatem, ubi venti adeo vehementes sunt, fluctus adeo violenti, scopulique frequentes, ut nisi peculiari protectione Deus nobis adstiterit, difficillimum sit evitare naufragium. Alii vero illum sibi proposuerunt tamquam saltum aliquem latronibus, ferisque refertum, viatorum cæde famosum, & plerisque illac iter agentibus funestum. Illius imago exhibita fuit S. Antonio, quemadmodum S. Athanasius testatur, veluti immensa planities laqueis referta, ex quibus sese expedire nequaquam posse aliquis videbatur. Sanctus vero Chrysostomus nonne ubique ait, mundi contagionem ita periculosam esse, corruptionem ita generalem, necessitates in sexcenta labendi crimina adeo frequentes, & fere inevitabiles, ut cita tantummodo fuga nos ex tot periculis eripere posse videatur. *Abbas Verjus, in Panegyrico religiosæ professionis.*

De mundanis cœtibus.

Mirantur adeo parum Christianæ virtutis hodierna die in mundo inveniri, & ubique tantum esse luxum, & generalem morum corruptionem; sed quid aliud percipi potest in schola vanitatis, & voluptatum, cui adeo frequens intersunt? Illic mundi spiritus innutritur, ac invenit, quomodo ultionem deposcat eorum omnium, quæ dici poterunt, ut eidem fides abrogaretur. Ibi regnat luxus, qui quotidie magis fit contagiosus; ibi voluptates, quæ omnibus placent mortalibus; vita mollis, quam probat exemplum, & mundi aura, quæ imponit. Ibi regnant mundi placita Jesu Christi præceptis prorsus opposita. Ibi affectiones omnes sensim illabuntur in cor, & illud corrumpunt. Quænam autem virtus tot laquei, periculisque resistat? *Pater Croiset in Spiritualibus Considerationibus.*

Mirum est, quod Christiani mundi placita laudent, & plaudant sequentibus illa.

Si quæ virgo fallaci specie, quæ fascinat, & blanda spe, qua mundus eos, qui sibi serviunt, abunde pascit, decepta latam perditionis ingreditur viam, ac sese mancipat servituti illius, qui ex omnibus dominis nequissimus est, non est, qui bisceре audeat: & dummodo in aliqua excellat ex mundanis qualitatibus, quæ Christiano spiritui sunt oppositæ, omnes eam laudibus celebrant. Patentes præ cæteris ardentius illius fovent affectum, & quanticumque sumptus effundendi sint, ut ejus luxui provideatur, nemo est in familia, qui ægre ferat impensas. In choreis, & saltationibus præ cæteris emicat; quilibet illi plaudit, cum interim præclara virtus cachinnis excipitur. In mundo refulges; hoc est mundi fastum, lucemque sectaris; jam doctus es, virtute præditus, meritis onustus. Sed si modestiæ, & verecundiæ species priorem hilaritatem, & vanitatem excipiat, jam spiritu cares, jam pravo es ingenio, jam rudis, & impolitus haberis. Si Ethnici ita loquerentur, errarent profecto, verum secundum sua principia loquerentur; sed cum Christiani fidei luminibus illustrati, in Jesu Christi schola eruditi, religionis suæ principiis imbuti, & necessario sensus, moresque suos Evangelicis præceptis conformare jussi ita loquuntur, & vitam ducunt a fide prorsus abnormem, hoc iniquitatis mysterium est, in quo spiritu deficit. *P. Croiset in Spiritualibus Considerationibus.*

Salutis nostræ, periculum in mundo.

Si mundus, ut Scriptura loquitur, mare est, videnturne illi, qui ibi permanent, qui noctu, & interdiu contra fluctuum ejus furorem sibi consulere debent, quibus assidue vigilandum est, ut detegant scopulos, ut procellas prævertant, ut semper impetum inimicorum suorum propulsent, quorum numerus nequaquam minor est undarum numero, videntur inquam vel unicum quietis sperare posse monumentum? Verum est, nonnullos esse, quorum sors ita deplorabilis non est, ut assidue contra fluctus pelagi decertare teneantur; sed cum in navibus sint, numquid illis metuendæ non sunt tempestates, atque prædones timendi? nonne in singula momenta possunt aliorum infelicitatis tristе, funestumque subire periculum? Verum licet his omnibus obnoxii malis non essent, nonne satis magnum incommodum est indesinenter navis motu concuti, & agitari? *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

In mundo quilibet decipere quærit.

Mundus plenus est fallacibus præjudiciis; illusio popularis est morbus. Pauci sunt, qui depravatum non habeant gustum, ubi de moribus agitur; fortuna, fanatica illa assertæ felicitatis idea omnia desideria nostra accendit, omnem mentem occupat, omnesque curas absorbet, valetudinem, ac vitam terit. Nullum vocatur amplius negotium, nisi quod nostræ servit utilitati; nihil serium, inevitabile, necessarium est, nisi quod aliquam habet affinitatem, vel rationem cum hac imaginaria felicitate. Essentialia officia, Christiana præcepta, ipsa denique religio hodierna die huic cedunt idolo. Quilibet decipitur; nullus error ad insaniam propius accedit, quam adeo universalis morum nequitia, & abusus, qui præscripsit, ut pravum exemplum, quod adeo commune est, probet, atque confirmet hanc vivendi rationem, quæ adeo est abnormis, & exlex. *Pater Croiset tomo 2. Considerationum.*

Felicitas eorum, quos Deus ex mundi agitationibus abstulit.

Felix ille est, qui incessanter divinam cogitat bonitatem, quæ ipsum ex mundi procellis eripuit, ac in tuto collocavit, dum cætera ingenti confusione, & perturbatione agitantur. Hoc beneficium est, cui pares gratiæ haberi non possunt; & quidquid conetur, ut tantæ felicitatis fructum percipiat, fere semper tantum abest, quod, uti opus est, eadem utatur, ut metuendum sit, ne Deus tamquam teterrimum ingrati animi vitium damnet, quod homines in vita sua tamquam veram respiciunt fidelitatem: *Abbas Trappensis, tomo 1. Dogmatum Christianorum.*

Laquei, & salutis pericula, quæ in mundo sunt.

Infinitus fere objectorum numerus, quo mundi sectatores circumundique septi sunt, indesinenter eorum fidelitati laqueos tendit. Tanto tamque jugi studio erga creata feruntur, ut minimis eorum illecebris se capi sinant, quasi viribus expertes essent,

essent, ac se tueri non possent. Si ambitionis oppugnationem eludunt, avaritiæ vi non resistunt; si voluptates contemnunt, gloriæ, laudisque cupiditate trahuntur; & sæpe inertia eos sternit, qui affectionum magis violentarum, vividarumque impetum sustinuerunt. Beati illi, quos eduxit manu sua Deus de hoc mundo, ubi tot ferme ejusdem servituti obices invenimus, quot homines, & negotia .... Præstaret, ut quidam Sanctus vir ait, cum feris vivere, quam cum hominibus; inter illas enim plus ferme sinceritatis, justitiæ, & charitatis invenitur. *Idem.*

Non alia suppetit mundi corruptionem evadendi ratio, quam fuga.

Mundus in omnibus placitis, affectibusque suis corruptus est: *Mundus totus in maligno positus est.* Ipsa etiam crimina ibi probantur; damnatæ licentiæ ibi tamquam ludi, & solatia ducuntur; tunc etiam cum tentatione vincimur, nosmet excusamus, factumque defendimus, dummodo in nostra modus fuerit servatus. Hinc sæpe ad aras accedimus corde corruptis cupiditatibus, affectibusque æstuante. Post hæc mirumne est, si tantopere mundi fuga nobis commendetur? Eheu! *Fuge mundum, si vis esse mundus.* Una fuga seductorem hunc superat tyrannum; si periculum subibis, in eodem peribis. Conscientiæ stimuli, salutares afflatus, timor judiciorum Dei nihil te continere poterit stantem in lubrico affectuum, quos objectorum præsentia, sibique satisfaciendi facilitas irritat: si picem hanc tetigeris, eadem fœdaberis. ***Specimina sermonum pro 20. post Pentecosten Dominica.***

Nihil esse cavendum, ut contra mundi impressionem nosmet tueamur.

Nihil vulgatius est, quam de sæculi corruptione loquentes audire. Mundus licet injustus, hac in re justa loquitur; atque cæci illius amatores illi sunt, qui impensius illum diligentes, eum magis odisse videntur. Attamen de mundi corruptione sæpe conquerentes, numquam nobismet ab eadem cavemus; tabidumque hunc aerem iisdem in locis respiramus, ubi magis corruptus est eorum confluentia, qui infecti sunt, & non veremur funesta contagionis ipsius effecta experiri. Numquam recordamur verbi Sapientis: *superbo qui communicaverit, induet superbiam.* Eccli. 13. Hinc Sanctus Paulus hortatur Thessalonicenses, ne ullam ineant necessitudinem cum illis, qui vitam Evangelio oppositam vivunt. Et idem Apostolus scribens ad Corinthios vetat etiam, ne manducent cum illis, qui avaritia, incontinentia, aliove crimine fuerint corrupti. *Ibidem.*

Undenam enascantur mala, quæ in mundo sunt.

Undenam mundi placita, moresque proficiscuntur, nisi ex ratione cæca, & Evangelio opposita, atque ex traditione profana? Fidelis Deo esse non potest, qui mundo placere studet, & semper hærens inter opposita duorum contrariorum dominorum præcepta ad necessitatem redigitur alterutrum prodendi, ut sese alteri accommodet. Mundani in jugi, violentaque agitatione sunt, quam parit tumultus affectuum in corde regnantium; ideoque, Sanctus Ambrosius ait, mundus mari comparatur, cujus fluctus venti agitati pariunt tempestates. Quemadmodum autem navis agitata fluctibus, qui invicem colliduntur, in primo, quem offenderit, infringitur scopulo; ita mundanorum anima vi ingenti acta ab incompositis motibus, quibus sese illi tradunt, ubi prima peccati occurrit occasio, perit, ac miserum patitur naufragium. Hoc autem in tumultu quomodonam pax servari posse videtur? quomodo videri potest via, quæ in horribili hac Babylona ingredienda est; & audiri interior gratiæ vox inter affectionum perturbationem? Salutares omnes impressiones, quas cœli motus relinquunt in anima, nonne scandalis, quibus mundus plenus est, statim delentur? *Ibidem.*

Sæculi corruptio non aliam in justorum, perfectorumque mente impressionem facit, quam tristitiam; & charitas, qua proximum diligunt, efficit, ut videntes Dei leges per summum nefas infringi contabescant: *Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psal. 118. Sed his clam fratrum suorum errorem deplorantibus, longe plurimi pravis se trahi patiuntur exemplis; etenim se ipsos intuiti circumdatos hominibus, vel voluptati sese ingurgitantibus, vel avaritia corruptis, vel opes depereuntibus, vel ambitione excæcatis, sese torrente rapi permittunt. Hinc fit, quod ubi optima quælibet ingenia corruptam mundi auram afflarunt, eadem statim inficiuntur. Frustra illis, cum tenelli adhuc ad virtutem formantur, probitatis principia infunduntur; cum enim in mundo nihil inveniant nisi impietatem, licentiam, proditiones, dolos, calumnias, iniquitates, impudicitias; leves illæ virtutis impressiones aliis succedentibus quam primum delentur. Mirum igitur esse non debet, si celeriter earum obliviscantur institutionum, quas neminem sequi vident; si alacriter arripiant prætextum sequendi corruptas vias, vel studia cœcæ juventutis, quibus trahuntur. *Ibidem in Dominicali, sermone pro secunda Adventus Dominica.*

Nostis, fideles, misera quidem experientia docti, quam difficile sit salutem suam operari in mundo, ubi omnia ad interitum nostrum conjurant, & ubi exemplo criminum, semper oculis nostris præsentium, animæ, quæ illa maxime horrebant, sensim iisdem patrandis assuescunt. Cogitatio hæc primis religionis christianæ sæculis deserta Anachoretis replevit; quorum numerus crevit præsertim, cum vis persecutionum sævire desinens effecit, ut Christiani pacem metuerent innocentiæ suæ magis funestam, quam omnes carnificum cædes. Veriti, ne commercio sæculi, ubi abundat iniquitas, suus fervor tepesceret, in solitudinem confugerunt. *Ex libro, qui inscribitur:* Essais pour la Dominicale, *prima Quadragesimæ Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

Mundus virtutem habens in pretio, sed illam non sequens, non vetat quominus illam sequamur.

MUndus secundum conceptum, quem ipsi nobis proponimus: hic Mundus, cui nos adhærere permittit Religio vinculis Charitatis, urbanæque vitæ cœtus est mortalium, quorum plerique amore suimet ipsorum repleti sunt, & qui nonnumquam inde gemunt. Vitii mancipia, & virtutis admiratores negligentes pietatem, & omnia urbanitatis officia sedulo obeuntes, in quibus non deest fragilitas, & elegantia. Si in iis deficiunt, quæ debentur Deo, credunt saltem se satis superque adimplere ea, quæ hominibus debent. Æquo etiam patiuntur animo, si illos nequaquam imitemini, & majori cum animi grati significatione, quam fructu ea admittunt consilia, quæ illis ad vitæ reformationem suppeditatis. Quid talis Mundus agit, ut nobis integrum sit rationabiles, & Christianos esse vel secus? Mundus hic nequam est; sed permittit, nos tales non esse; & nobis nostras condonat virtutes, tunc etiam cum ipsi vitia sua non condonamus. Nihil prohibet, quo minus nostro vivendi genere pietatem colamus, quantum ipse illam habet in pretio, & illi suas relinquamus infirmitates, ut inde ea tantum mutuemur, quæ sunt perfecta. *Ex quinto Accademiæ Sermone anni 1703.*

Cum Deus civilis inter homines societatis sit auctor, consequitur, ut in mundo quoque salvari possimus.

Cum Deus ipse fuerit qui civilem hanc constaverit societatem, quæ in mundo regnat, hic ille, qui eam in eodem congregat loco, qui illam mutuo necessitatum, auxiliorumque nexu conjungit; qui easdem illi proponunt utilitates ad illam fovendam, easdemque regulas ad illam regendam: cogitare posset ne aliquis opus illius, qui antonomastice ipsa sanctitas est, inevitabilem esse peccati occasionem? Quod rationi locus non esset, ubi suprema, æternaque ratio præest, & quod hic Deus qui nobis non temeranda præscripsit officia, minime suppeditaverit, unde illis satis facere non possemus? *Ibidem.*

Quid intelligatur nomine hominis honesti in Mundi sensu.

Honestus appellatur vir, qui mundi consuetudinem intelligit, & qui indulgentia quadam seu naturali, seu adfectata libenter gratificatur hominibus, qui contentiones evitat, qui ineptias dissimulat,

mulat, ac timet errores qui aliquem offendere possunt. Si sensus hujusmodi aperto quodam, & festivo oris habitu conjunguntur, & officiis, quæ cum urbanitate, & honestate quadam conjuncta sunt; hic vere, perfecteque vir honestus habetur. Ut verum dicam, qui diligentius ista perpendunt, honestati majorem, æquioremque tribuunt extensionem. Eam quippe definiunt interiorem urbanitatem, quæ verbo, gestu, actione sese super exteriorem partem effundit. Hæc autem comitas esse debet in anima, alioquin inanis tantum esset species, & illusio; extrinsecus etiam prodire debet, respicit enim personas, cum quibus nobis est res. Nemo sua obire potest munera, sine his duabus qualitatibus: videlicet si deest in sensibus ejus rectitudo, & vis in vitæ ratione, alioquin in gravissimos errores incidet; & nisi secundum solida principia agatur, & nisi propriæ concupiscentiæ, & affectionibus bellum inferatur, nemo vir honestus potest haberi; quia ille unus qui virtutibus præditus est, jure potest honestus appellari. *P. la Pesse Tomo* 2.

Spiritus Mundi oppositus est Spiritui; ß Jesu Christi.

Jesus Christus nullum habet infensiorem inimicum, quam mundi spiritum; & dicere possumus Tyrannum hunc victoriis suis, & sectatorum numero superbientem, locum occupasse eorum, qui potentissimi erant Christianæ Religionis inimici. Persecutio, quam hodierna die ciet adversus Ecclesiam, illa videtur crudelior, qua olim usi sunt Diocletiani. Spiritus iste seductor, ut ultionem repetat anathematum, quæ Dei Filius contra fautores ejus protulit, nihil inausum, atque intentatum relinquit; ut Jesu Christi doctrinæ, ejusque institutis abroget Fidem. Reprobatus hic spiritus ubique gentium bonos persequitur, augustissima Religionis mysteria in jocum traducit, nitidissimas veritates contemnit, omnesque adhibet artes, ut in ipso Christianismi umbilico, Jesu Christi spiritum extinguat. Hic spiritus efficit, ut nos tædeat asceticarum omnium exercitationum, tanta, heu! felicitate laborat, ut super ruina præceptorum Ecclesiasticorum ædificet placita sua, quæ modo imperiosius in universo mundo dominantur. Hic ille est, qui fere proscripsit spiritum modestiæ, verecundiæ, simplicitatis, probitatis, quæ in ipsa civili societate sunt admodum necessariæ. Quisnam effecit, ut rectitudo, & bona fides evanescerent; quis apud Optimates, ac Divites placitá Religionis redegit in nihilum? Hic mundi spiritus, qui sese effundens, atque communicans, delevit, deformavitque omnem terræ faciem, quam Deus adeo sancte, atque feliciter renovaverat. *P. Croiset in suis Meditationibus.*

Mundi Spiritus ubique regnat.

Universa hodierna die mundi spiritu repleta sunt; affirmare licet, spiritum hunc miserum esse veluti dominantem spiritum, a quo omnia reguntur. Et sane nonne Mundi spiritus in negotiis consulitur, in conversationibus dominatur, nectit affinitates, & societates; usus, & consuetudines regit? Secundum mundi spiritum judicamus, secundum mundi spiritum loquimur; secundum mundi spiritum operamur. Cuperemus etiam, ut ita dicam, servire Deo secundum mundi spiritum, & Religionem nostram spiritui mundi accommodare; & quoniam hic mundi spiritus est spiritus mendacii, spiritus erroris, spiritus calumniæ, laxitatis, & hypocrisis; hinc fit, quod in mundo nihil est non falsum, & in speciem tantummodo factum; falsæ voluptates, falsi honores, falsa gaudia, falsi amici, falsæ prosperitates, falsæ promissiones, falsæ laudes. Hoc autem in iis, quæ sunt exteriora. Falsæ virtutes, falsa prudentia, falsa moderatio, falsa probitas, falsa devotio, falsa humilitas, falsus zelus, falsa charitas, falsæ conversiones, falsæ pœnitentiæ. Hinc mundi sectatores, hoc spiritu pleni non aliud habere videntur studium, quam aliis imponendi, & sibi quoque fucum faciendi. Mundus theatrum est, inquit Apostolus, ubi omnia in figura contingunt. Bone Deus! Quandonam Christiani oculos aperient ut videant improbitatem spiritus trahentis in abyssum, cujus nulla sunt littora, ima pars nulla, tot miseros homines? *Idem.*

Vita servitus sectatorum Mundi.

Sæculi vita tumultuosa est, parum christiana; sollicitudinibus plena, quam crebra, & crudelis subsequitur pœnitentia. Mundi sectatores illius nobis florentissimam exhibere adnitantur imaginem; verbis tantum speciosis, & fallacibus utantur, nitentes dumtaxat colores adhibeant; eorum dissimulatio, & ars naturam status ne latum quidem unguem mutant. Sub his omnibus fucatis personis, sub hac externa facie florente, sub omnibus hisce ridentibus speciebus, sæculi vita non cessat duram esse servitutem; hæc regio est, ubi cruces, & gemitus inveniuntur. Qui præ cæteris veritati huic maxime obsistunt, quam invicte probat experientia, eum magis quam alii sentiunt; & dum nescio quam libertatis speciem adfectant; donec omnes suas jactitant voluptates, donec chimæricam suam felicitatem ostentant; intus in corde fatentur, nullam umquam extitisse conditionem magis captivam, molestam, & calamitosam. Quæ crux, o Deus, illa, qua in mundo vivitur, infelicior! Ibi alii perferendi sunt, aliorum habenda ratio est, ab aliis pendendum. Non ignorantur molimina competitoris, mala voluntas latentis inimici; versutiæ, ac improbæ invidentis artes: omnia tamen dissimulanda sunt, omnia deglutienda, quin ne minimum quidem diffidentiæ signum elabatur. Sibimet quisque cavere debet, tunc etiam cum sibi adfectatissimæ, & mendacissimæ præbentur amicitiæ significationes, nil aliud habentis quam conquisita verba officiosæ urbanitatis; vera enim, & sincera amicitia numquam in via sæculi reperitur. Omnia ibi ad cupiditatum nostrarum arbitrium fiunt: illæ tyrannice regnant, earumque tyrannidi servili more plauditur. Fuitne unquam angustia magis universalis, servitus magis dura, vita ægritudinum, & molestiarum magis plena? Quinam dies serenus fulget vitæ hujus tempore! Quinam dies sine turbis, sine procellis, sine molestiis casibus! *P. Croiset, in Exercit. Asceticis.*

Mundi sectatores vitam ducunt asperiorem, quam Religiosi.

Vita sancta respicitur, tamquam truculentum vitæ genus; putant, cœnobium horrentem esse carcerem; vitam Religiosam meram servitutem esse! Mundi sectatores mense uno majorem sibimet vim debent inferre, plures perpeti labores debent, & minori libertate fruuntur, quam toto vitæ suæ curriculo austerissimus quilibet Religiosus passus fuerit. Ipsæ etiam eorum voluptates non carent amaritudine. Ullane eorum oblectatio fingi potest strepitu, & tumultu vacua? Ullane suavis, & tranquilla? Quinam voluptuarius cœtus, quinam ludus, quodnam convivium, quæ mundi hujus festivitates, quas non aliquis mœror excipiat? Sumptus non sola est jactura, quæ fit. Invidia, obtrectatio, ingrati animi vitium, & sexcentæ amaritudines eorum sunt fructus. Domine, quænam sors infelicior forte eorum, qui alteri cuipiam domino potius, quam tibi famulantur! *Idem.*

Mundus cum Mari comparari potest.

Mors est imago Mundi, & vanitatis rerum humanarum. Hæ malaciæ, & hæ procellæ sibi in singulas horas succedentes; hi fluctus, qui incessanter sese propellunt, atque collidunt; venti secundi, & adversi; navigationes prosperæ, & naufragia, quæ sæpe in ipso etiam portus aditu fiunt: hæc omnia nonne sunt fidelis tabula eorum, quæ in hac vita contingunt? Ullumne mare mundo hoc mobilius invenitur? Ullumne magis periculosum? Quocumque me vertam nonnisi scopulos video eo periculosiores, quo magis latent. Ventus, qui maxime propitius videtur, nonnumquam est infestissimus; & si credimus cuidam Sancto Patri, qui mundum spectabat secundum hanc, quam cum mari similitudinem habet, ipsa etiam illius malacia est pertimiscenda. Ne credas mari, ait ille, ne te in tuto esse putes, licet mare tranquillum sit, & pacatius, quam stagni alicujus aqua; mentes

enim

enim sub æquali hac superficie delitescunt, licet zephiri suavis aura perflet: inimicus, periculum
Hieron. ad Heliodor. intus est: *Tranquillitas ista tempestas est. Auctor Anonymus.*

Mundum relinquere non magnum est sacrificium. Bipalmaris est error, arbitrari, multum sacrificari Deo; cum pro hoc mundus relinquitur; hoccine est abrenuntiare perniciosæ illusioni; abrenuntiare veris malis sub boni specie latentibus? Numquid magnum amittitur præsidium cum projicitur calamus diffusus qui non solum incumbentes non sustineret, verum etiam manum perforaret, si eidem inniti cuperemus? Quid igitur relinquitur cum relinquitur mundus? id quod ab eo relinquitur qui ex somnu anxietate pleno expergiscitur. Quidquid videtur, attrectatur, numeratur, metitur temporis lapsu, umbra duntaxat est Entis veri; vix esse incipit, cum esse desinit. Nihil Deo sacrificat, qui naturam omnem illi sacrificat; hoc est illi nihilum, vanitatem; ipsumque uffert mendacium. *Fenelon Cameracensis Archiepiscopus in delectis Sermonibus.*

Filii hominum, quam vobis stat placere mundo
Mundi sectatorum vita dura. ejusque minimas gratias emendicare? Quasnam ærumnas, turbas, abjectiones, ac sordes ferre debetis ad ea perventuri, quæ honorum titulo appellare non pudet? Quam violentus est eorum status, qui illuc vel pervenire admituntur, vel jam pervenerunt! Quam vera paupertas in tanta specie affluentiæ! Omnia produnt cor nostrum, ipsa etiam spes, qua pasci videtur. Desideria ibi veneno inficiuntur, efferantur, & fiunt inexplebilia; miseri sumus non solum propter mala nostra, verum etiam propter aliena bona. Non afficimur amplius iis, quæ possidemus; nil sentimus nisi id, quo caremus. Experientia vanitatis eorum, quæ habemus, non minuit furorem acquirendi ea, quæ scimus æque esse vana, & inepta ad felicitatem nobis comparandam. Cupiditates non possunt amplius frangi, neque cohiberi. Earumdem experimur tyrannidem, ejusque jugum extutere detrectamus. *Idem.*

Non in deserto, ubi omnia pacata, & tran-
Mala quæ in Mundo videntur. quilla sunt, calami vento agitati inveniuntur; sed ut plurimum secus flumina Babylonis, in aulæ mundique tumultu. Hic diversa avarorum, ambitiosorumque mortalium negotia jugiter producunt varia inconstantiæ, & inæqualitatis objecta. Hic videntur tot impii, & in unmeris licentiam effusi, quietis impotes, suis affectionibus agitati, tanquam mare agitatum. Hic plurima inveniuntur
Jud. 3. errantia sydera, ut loquitur S. Judas, de falso lumine, in falsum lumen euntia, quibus æterna obscuritas præparata est. Hic magno in numero videntur immunda animalia, de quibus loquitur Sanctus Petrus, incessanter ad vomitum suum redeun-
2. Petr. 2. 22. tia; vel quæ postquam sordes suas deterserunt, iterum in turpissimorum criminum limum sese demergunt. *Abbas Anselmus de S. Joanne Baptista.*

Inter eos omnes, qui sæculi vitam vivunt, ne
Inutilitas eorum omnium quæ fiunt pro Mundo. unus quidem est, qui dicere nequeat, & qui reipsa quotidie non dicat: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Hæc tabula est vitæ eorum, qui
Luc. 5. sæculo inhærent. Quam obscura nox vita illorum est: tota in tenebris transigitur; quarum causa est defectus fidei; & meditationis veritatum æternarum; impedimentum, atque tumultus negotiorum, quæ spiritui obtendunt caliginem; ardor cupiditatum, quæ non solum Religionis sensus, verum etiam rationis lumina infirmant; denique cæcus rerum sensibilium, voluptatum, & eorum omnium amor, quibus sensus nostri alliciuntur. Hinc illud procedit fastidium eorum omnium, quæ ad Religionem pertinent, hinc cæcitas, quæ communis est plerisque eorum, qui vitam ducunt adeo parum Christianam: *Non est, qui cogitet corde.*
Jerem. 12. Misereamur illorum, qui dies suos traducunt in tenebris adeo densis, & gratias agamus misericordiæ Dei, quæ nos illinc eripuit. Tenebræ hujusmodi non sunt tranquillæ. Laboratur, valetudo, & vita atteritur, sibimet omnes vim faciunt, laborantes, & hæc omnia, ut fructus nullus referatur: *Nihil cepimus.* Nihil pro Cœlo, & æterni- *Luc. 5.*
tate: nam quid nobis prosunt labores isti pro mundo, & per mundi spiritum suscepti? Quid alteri vitæ prosunt? Quid æternæ anxietates, invidiæ, ægritudines, sola duti, ingratique hominis merces? Quid dolores, ac pœnitentiæ vulgatissimi fructus vitæ sæcularis? *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Ne contra Mundum declamare aggrediamur,
eodem semper gradu fertur. Torrens est, quem *Quomodonam mundi corruptio sit evitanda.*
inhibere in nostra potestate situm non est; sed caveamus, ne eodem rapiamur. Conemur nosmet illius corruptione præservare, & multo magis a corruptione cordis nostri, de hac enim, non de aliena rationem Deo sumus reddituri. In nobis situm est, audeo dicere, nosmet in gratia confirmare, atque in statum adducere non ulterius peccandi. Quomodonam istud? Invigilemus omnibus afflatibus Spiritus Sancti, qui sexcentis in occasionibus suadet nobis, ut Evangelica exerceamus consilia, abnegationem voluntatum nostrarum, humilitatem, patientiam, moderationem, lenitatem. Error est sibi persuadere de Evangelicis consiliis non esse laborandum, nisi cum jam perventum est ad præceptorum observantiam; ego vero affirmare ausim, consiliorum negligentiam efficere, ut vix, & ne vix quidem præcepta observari valeant saltem plerisque Fidelibus; idque, quia in vita accidunt casus ita validi, urgentes, & periculosi, ubi nosmet in gratia tueri non possumus, nisi jugi austerissimarum virtutum exercitatione muniamur. *Pater Cheminais in Sermone Pentecostes.*

Esto quidem reperiantur in Mundo amici qui-
busdam qualitatibus præditi, quæ aliorum amorem *Pauci sunt in mundo, quibus plura non sint vitia, quam perfectiones.*
sibi concilient; verum quot malis permistæ sunt qualitatibus, quæ bonarum merita superant? Præstat aliquis a natura magno donatus ingenio, cui ab eadem cor negatum est. Natura quidem optima est; sed passim aliqua cupiditate oppugnatur, qua etiam corrumpitur. Qui habet, unde mundo placeat exterioribus suis illecebris, multo plura habet, quæ displicent mundo morum suorum superbia, & mobilitate ingenii morosi. Amicus tuus sæpe cupidus est; amicus fidelis, ubi se nullo in discrimine haberi suspicatur, statim se læsum dolet. Qui suavis est, sæpe infirmitate quadam laborat, quæ in stuporem degenerat. Qui solidum habet spiritum, ut plurimum morum elegantia caret. Qui festivos habet mores, & hilare ingenium, plerumque imprudentiæ crimine laborat. Caracter gravis, & serius numquam simul invenitur cum lepido, ac nitenti. Perraro in una eademque persona invenitur felix conjunctio veræ dexteritatis cum summi prudentia, omnigenæ eruditionis cum profunda humilitate; consummatæ prudentiæ cum summa integritate; ferventis zeli, sine acrimonia, sine festinatione; severæ virtutis cum moribus suavibus, blandis, affabilibus. Ita videmus in mundo nil perfectum inveniri. *Auctor Recens.*

Pleraque inertia, quæ in mundo videntur, spe-
cie tenus talia sunt. Nihil suavius, venustius, *In mundo pauca sunt vera merita.*
majoribusque illecebris commendatius hac muliere, tunc cum eminus prospiciebatur; cum non ita frequens erat cum eadem consuetudo; omnia tunc nitescere in ejus spiritu videbantur, omnia in moribus illius jucunda erant; & officiosa; omnia in corde plena erant illiciis; sed ubi propius inspicitur, inanes hæ eximiarum qualitatum species evanescunt. Paulo frequentior consuetudo statim detegit vitia, & veras imperfectiones sub præclara hac specie, sub hac fallaci inanium meritorum persona latentia, quibus plaudebamus in ea, quæ electione nostra digna fuerat reperta. Quid ergo videmus in sæculo, nisi mundum scenicum, mundum fallentem, mundum theatricum; qui exteriori specie nobis fucum facit, efficitque ut magnum

in

in illo meritum esse arbitremur, quo intus, & in cute inspectum, non aliud est, quam omnigenæ corruptionis congeries. *Auctor Recens.*

Mundi vanitas colligi potest ex nihilo antiquitatum Romanorum.

Ubi nunc est Roma illa vetus, eximium illud magnificentiæ totius Mundi theatrum? Hæc civitas patria omnium Mundi populorum; qui vidit triumphali suo currui quodammodo revinctas Europam, Asiam, & Africam: quas sub alis victricium aquilarum suarum adeo procul sua fulmina pertulit; cujus si quæ tellus umquam non paruisset Imperio, tamquam ignota habebatur? Superba hæc Roma postquam ruina crevit plurimorum regnorum, spoliis eorum locupletata, hodierna die ubi est? Aliquot amphitheatrorum ruinæ; quæ postquam semel fuerunt spectaculum mirabilium, quæ ibi olim repræsentabantur, nunc nidum præbent noctuis, vespertilionibus cæterisque nocturnis volucribus. Olim inter septa sua innumerabilem populum complectebantur; hodie vero illac nemo transit, qui videns illa ad horrentem solitudinem redacta non extimescat. Verum etiam quo abiit ingens ille numerus Principum, qui immenso huic dominabantur imperio? Cæsares illi, qui quocumque nominis sui terrorem effundebant, efficiebantque ut Mundus universus sub auctoritatis suæ pondere contremisceret! Heu! pugillum cineris in urna clausum totum est illud, quod superest ex tanta nominis celebritate, totaque potentia olim adeo formidabili; & si quæ præterea superest eorum famæ recordatio; hanc semper concomitatur miseratio quod tantus hic fulgor adeo gravi miseria fuerit exceptus. *P. Bartoli.*

Quo magis mundi sectator patitur, eo magis illius pœna augetur; secus autem Dei oppositum accidit.

Quam lacrymis digna est mundani hominis sors! Ille sexcentis se exercet laboribus, ut se beatiorem faciat; & labores ipsi illum amovent a beatitate. Hydropicus, qui bibit incessanter, & quin sitim relevet, eamdem irritat, & auget. Mundi sectator fugit jugum legis, quam ignorat, & quæ sibi non ferenda videtur; onerat se jugo peccati, quod illum premit, quod vires ejus exhaurit, eo quod illum tandem præcipitem in malorum omnium abyssum detrudit. Insipiens, quantum fieri potest, sibimetipsi abscondis mala sua: sed quin se ipsum excæcet, atque in malo suo obstupescat, cur non audit tenera verba, quæ illi dicit Salvator: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Domine temet ad illum reficiendum exhibes; potesne dubitare de potentia tua; dubitaresne potest de oblationum tuarum severitate? Jugum legis tuæ potestne æque durum esse, ac ille, a quo defertur? Vidit ne aliquem servorum tuorum pœnitere eo quod jugum illud subierit? Proficiamus quæso, o fideles, bonitatibus Dei, qui nostris tangitur malis tunc etiam, cum alteri Domino famulamur. Ubi primum ad illum accesserimus, sentiemus omnes sollicitudines nostras dissipari, vires nostras refici, pacem, gaudium, spem cordibus nostris dominari. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Dei Filius per abnegationem quam imperat nobis, vult æternitatē tempori præferri. Luc. 14.

Jesus Christus edixit, neminem esse posse discipulum suum, nisi abrenuntiaverit iis rebus omnibus, quas possidet: *Si quis non renuntiaverit omnibus, quæ possidet; non potest meus esse discipulus.* Cum ille constituit legem hanc naturæ adeo contrariam; hæc præcautio fuit, quam ipsius erga nos amor illi suasit, ut prohiberet, ne nos deciperemur falsa hujus mundi bona pro veris desumentes. Vult nos vitam nostram propter illum amittere; quia vita hæc perfunctoria est; vult omnia bona, quorum illa fundamentum est, esse periculosa, & peritura; & eum, qui illam perdiderit in tempore, eamdem inveniat in æternitate. Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me: inveniet eam.* Faciamus ergo, mirum in modum Sanctus Hilarius concludit, ut mors nostra prosit ad salvandam animam nostram; & interitus vitæ nostræ certum nobis sit pretium immortalitatis. Hoc lucrum, & quæstus est, quem Sancti retulerunt: illi, ut ita dicam, tempore redemerunt æternitatem, Deo sacrificaverunt omnia illius dona, & alia tota cœlo pretiosiora promeriti sunt. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Inutilitas laboris servorum sæculi.

Mundi sectator laborat, sed laborans seipsum onerat pondere, quo premitur. Quinam sunt homines, qui fatigantur, sine alio pœnarum suarum fructu, quam novo pondere quod illis ferendum est? Hi omnes sunt mundi amatores. Suam quærunt felicitatem in sæculi gaudiis, divitiis, voluptatibus; sed eam quantumcumque contendant ibi numquam invenient; quippe eam quærunt, ubi esse non potest. Terræ hujus bona aquæ maris similia sunt, quæ tantum abest ut sitim extinguat, ut immo eamdem irritet: *Omnis, qui bibet ex aqua hac, sitiet iterum.* Joan. 4. Quo plura carnalis homo turpibus affectionibus suis permittit, eo plura illæ postulant; quibus ut satisfiat novæ semper excogitandæ sunt voluptates; quoniam insipidæ fiunt, eodem fere momento quo degustantur. Quo majorem nactus est gloriam ambitiosus, eo semper recentem vult sibi comparare; quo plures congessit avarus opes, eo uberiores possidere contendit. Non exquisitæ carnalis hominis deliciæ; non ambitiosæ superbi curæ, non avari sudores illos umquam replebunt, ac beatos efficient. Laboratis ergo sæculi amatores, & in vanum laboratis: sed præterea ex laboribus vestris refertis novum pondus, quod vehementius vos premit: hoc autem pondus, inquit Propheta, sunt vestræ iniquitates. *Iniquitates sicut onus grave.* Psal. 37. Peccatum quippe est tamquam enormis sarcina, quæ vos opprimit, & in præceps deturbat. Peccatum affligit animam, illi novum addit pondus turbis, stimulisque conscientiæ. *Anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum.* Psal. 142. Peccatum opprimit animam, huic adimens vires ad bene agendum; illam prosternit, efficitque, ut actiones ejus inutiles fiant, omnibusque meritis destituantur. *Devoratum est robur, & facti sunt quasi mulieres.* Jerem. 50. Præcipitium in quod peccatum nos pertrahit, infernus est: *Gravabit eum iniquitas sua; & corruet, & non aspiciet, ut resurgat.* Isaia 24. Si bona hujus sæculi quæritis; si mundi hujus honores vos allicit, si divitiarum estis cupidi, confitemini, vos hactenus frustra laborasse, procul adhuc abesse a vera felicitate; immensum peccatorum pondus solum esse fructum, quem ex laboribus vestris percepistis; verbo, motus omnes, quibus vomer hactenus exercuistis, omnesque labores, conatusque vestros, irritos, inanesque fuisse. *P. Segneri in Meditationibus.*

Mundus persequitur bonos.

Admirabilis æque ac terribilis æternæ Sapientiæ ordo est, ut qui virtutem diligunt, & pie vivere volunt persecutionem patiantur a mundo. Adeo invicta est inter justitiam, & iniquitatem oppositio. Exempla ab ipsius mundi origine incœperunt; omnibus deinceps sæculis permanserunt, & ad eorum usque finem non deerunt. Abel occisus fuit a Fratre, quia justus erat. Chaldæi persecuti sunt domum Abrahæ; quia, Sanctus Augustinus inquit, ibi verus Deus adorabatur. Jacob fugam debuit capessere. Joseph a fratribus venditus fuit; & David Saulem habuit persecutorem. Prophetæ *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt;* quas vero persecutiones Apostoli, primique fideles a Judæis experti non sunt? *Abbas Anselmus.*

Genes. 4. Genes. 11. Genes. 18. Genes. 37. 1. Reg. 16.

Mundi stultitia. Eccli. 26.

Mundus capularis est senex, & insipiens, quem Deus detestatur, *Odivit ...... senem insensatum.* Post tot sæcula hæc hominum insanientium congeries, mundus hic cæcus, qui reprobatur ab Evangelio, sese insanis cupiditatibus tradit. Frustra Jesus Christus de cœlo descendit, ut illum ab antiquis erroribus liberaret; indocilis incarnatæ Sapientiæ præceptis semper est idem. Crucis amor semper eidem videtur insania; venia injuriarum ignavia; humilitas turpitudo; fides servitus indigna; christiana spes illusio. Mundus dupliciter miset, quia cum sit insipiens, sapientem se putat?

Quæ-

Quænam vero probabilitatis est species, ut ex tali hoc morbo convalescat? *P. Segneri in Meditationibus.*

Quid faciendum illis, quos tantum suum etinet in sæculo, ne huic adhæreant. Idem, 12.

Si nobis integrum amplius non est a mundo recedere, quid nobis faciendum est? Invigilandum summa est diligentia, ne placita illius sequamur, ne in illius sensum abeamus, ne actiones illius imitemur, ne denique illi conformemur: *Nolite conformari huic sæculo*. Hoc quidem factu difficillimum est, fateor; tamen faciendum est; alioquin damnabimur. Illius enim sensus habere, iisdem placitis insistere, eamdem rationem sequi, quam Mundus, hoc est illius esse amicum, ideoque inimicum Dei. Nobis igitur Mundus fugiendus est, non videndus, neque cum illo tractandum, nisi quatenus necessitas poscit. Consuescere debemus illum spectando ex iis locis, qui scelere, ac periculo vacui non sunt; sæpe in solitudine meditari debemus illius inconstantiam, infidelitatem, vanitatem honorum, cum illis versari, qui mundo non adhærent, & frequentare locos, ubi homines illum contemnere profitentur. Hoc pacto, sensim, & sine sensu mundo quidem moriemur, Deo autem soli vivemus. *Idem.*

Mundus a nobis contemnendus est ad exemplum Reginæ Esther.

Hæredes Jesu Christi mundi hujus bonis utimini, quemadmodum illis Regina Esther uti consueverat. Gratia Principis potentissimi potita, ab Aula ejusdem, cujus erat gloria, & deliciæ, in honore habita; ab ipsa natura omnibus mentis corporisque egregiis dotibus ornata, quæ mortalium omnium oculos in illam convertebant, per statum suum omnibus aulæ festivitatibus, spectaculisque interesse

Esther 14.

coacta; *Tu scis necessitatem meam*, dicebat Deo; *& quod numquam lætata sit ancilla tua, ex qua huc translata sum, nisi in te, Domine, Deus Abraham*. Nosti me, postquam jussu tuo in superbas has ædes introducta sum, numquam passam fuisse, ut me perstringeret nitor fortunæ illius, quæ tot mortales occæcat. Nosti me inter honores, & voluptates, bonis, atque thesauris locupletatam nullam oblectationem gustasse, nisi ubi cogitarem me frui gratia tua. O Deus Patrum nostrorum testis es sensuum secretissimorum cordis mei utrum hoc permiserim umquam, ut inani lætitia gauderem, quæ summos terræ principes adducit ad altissimam ebrietatem, mortalemque tui oblivionem? Utrum alias delibavi delicias, præter illam, qua me videns tua gratia fruentem degustavi? Immota omnibus profanis objectis, in memet unum te quæsivi, & beatior, quod inveni te, quam si solium nacta essem; intus perfusa sum gaudio puro, quod nulla ægritudine permixtum est: gaudio pacato, quod non perturbant ulli invidentes statui meo; gaudio diuturno, quod cum publica festivitate non transit; gaudio constanti, quod nullam admittit amaram pœnitentiam; gaudio solido, quod omnem replet cordis mei latitudinem; gaudio sancto, quod tantum abest, quod me nocentem efficiat, sicut sæculi voluptates, ut me etiam coram te magis, magisque sanctificet. Nosti Deus, an coacta fuerim in luxu, & fulgore vitam traducere, unum semper honorem serviendi tibi omnibus hujus terræ dignitatibus prætulerim. *P. Cheminais in Sermone de Conceptione.*

Manifesta pericula in mundo pereundi. Quam improbandi sunt illi qui sese illis objiciunt, quin eos fugiant.

Nequeo facere, quominus lacrymis prosequar vitium plurimorum fidelium, qui non ignorant imbecillitatem suam, & sibimet nolunt invigilare. Non loquor de illis periculis, quæ præter voluntatem accidunt, quæ humanæ inhærent conditioni, & quæ præverti vix, & ne vix quidem possunt. Equidem scio, ubicumque homo est, hinc in semetipso invenire pericula, quæ quidem vincere potest, sed non potest fugere: scio Apostolum, Sanctosque conquestos fuisse, quod in semetipsis invenirent periculosissimum suæ salutis inimicum. *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Neque loquor de periculis, quæ ab omnibus vitæ statibus separari non possunt, quæ evitare velle chimericum est consilium, numquam adimplendum: illud vero me terret; videlicet intueri homines quibus tot sunt impugnandi inimici, tot occasiones, & pericula evitanda, homines, qui suam sentiunt infirmitatem, quibus de eadem persuasum est misera experientia, quin semet tueantur a periculis, quibus inviti licet sunt obnoxii, addere alia voluntaria, quæritare occasiones amittendi gratias, quasi intus, & extra non haberent satis causa trepidandi; & quod magis mirum est, videre non tantum mundi sectatores nullo in discrimine habentes salutem suam, verum etiam regulares, qui non ideo vellent vel minimam suarum oblectationum sacrificare. Videntur sese sexcentis immiscere negotiis, quæ nulla adacti conditionis suæ causa suscipiunt, sed in quæ vano, & inquieto spiritu ut plurimum conjiciuntur. Videntur teneras fovere necessitudines, commercia, quæ culpa vacare creduntur, quia ibi nihil deprehenditur, quod pudorem dedeceat, ubi tamen difficillimum est inter officiis cancellos sese continere. Videntur sese festivis, liberisque cœtibus immiscere, unde exulat Charitas, ubi versuta regnat obtrectatio, ubi omnes omnia scire volunt & omnia dicendi sibi vindicant facultatem. Verbo, videntur omnibus interesse voluptuariis societatibus, quin choreæ, & comœdiæ ipsæ excipiantur. *P. Cheminais, Sermone de Conceptione.*

Anima quæ gratia Dei movetur, omnes cum mundo nexus debet abrumpere.

Si vere illecti estis suavitatibus gratiæ, quam vobis afferre oblectationem potest Mundus, a quo vosmet alienare non vultis? Cum etiam spondere possetis de cordis vestri fragilitate, vobisque polliceri futurum ut mundus minime vos fallat tot in occasionibus, & periculis, quibus humana imbecillitas resistere nequaquam posset; quid in hoc mundo est, quod vestram æstimationem mereatur, ac prælationem? Quibus rebus immoramini, nisi nugis inutilibus, quæ, ut serius, cum vobis destitutæ sunt, & quæ in altera vita vos non subsequentur? Quid ibi auditis, nisi improbos sermones, & placita vestro sensui erga bonum adversantis, vel illum imminuentia? Feliciores nexus, quos illic habetis, mera sunt urbanitatis officia, quæ vobis negotium facessunt, & vos fatigant. Cœtus, quibus interestis, sunt scenæ, quæ quidem placent, sed placendo vos fascinant, atque vobis illudunt. Ex his autem voluptatibus, societatibus, honoribus, divitiis cedit vobis nisi timor æternus? Quid ibi commune est, cum Jesu Christi, quem diligitis, institutis? Quidnam prodest homini sese salvare cupienti, sese infinitis objicere periculis, quæ pertrahunt in interitum? Virtutem suspicitis, & in mundo versamini, ubi omnia hujus amorem vobis suadent. Si antiquos præteritæ vitæ vestræ errores defletis, alia vobis vitæ ratio est amplectenda, quæ totos occupet dies, qui vobis ad vivendum supersunt. *Sermo Patri Massillon adscriptus.*

Spiritus avaritiæ aut ambitionis qui plerumque consiliorum nostrorum est animus, ut plurimum evanescit. Judicum 20.

Narrat Scriptura infelix Israelitarum facinus contra Tribum Benjamin susceptum; cui non aliud prætexebant, nisi aliquot questus, & privatas noxas juxta mundi consuetudinem. Cum pluries ad arma concursum fuisset, manusque consertæ, variante fortuna, tandem victoriæ signum non aliud fuit, quam fumi columna: *Cum committerent prælium filii Israel, quasi columna fumi de civitate consurgit*. Hoc verum est symbolum nostrorum trophæorum in mundo: vilis utilitas, inanis oblectationum sæculi perquisitio, vapor sese attollit in aerem nostrorum consiliorum, & desideriorum mobilium; intumescit quidem, nobisque videtur, tamquam fulgens ædificium, sed statim conatuum nostrorum inconstantia efficit, ut dissipetur; & nil aliud in fictis hisce elationibus pariat, quam fumum. *P. Segneri.*

Ambitio, & superbia sectatorum mundi, nullum numquam habent limitem.

Superbia, ambitio, vanitas constituunt characterem spiritus mundi. Mediocris fortuna numquam mundi sectatoribus arrisit. Omnes exerendi conatus sunt, ut ex pulvere emergamus, & super æquales attollamur. Numquam fas est, esse voti compotes,

potes, donec aliam intuemur sedem illi superiorem, quam tenemus. Superbia prima qualitas est, & ambitio primum rudimentum, quod recipimus, in schola, & famulatu superbi hujus Domini, & magistri. Divitiæ sunt idolum universale, cui mundani omnes nuncupant vota. Voluptatis amor est velut anima omnium desideriorum ipsorum. Mollities, intemperantia, impudicitia non solum in mundi servitute probantur; immo hæc unica est merces servitutis. Simplicitas, bona fides, rectitudo, inde exulant, & mortificationem virtutem adeo necessariam, adeoque in Christianismo commendatam mundi asseclæ perhorrescunt. Luxus, ornatus, vanitas, sunt insignia famulorum, vel ut melius dicam, captivorum mundi. Tyranno huic oblectantur requiem, vigilias, sanitatem suam sacrificare, conciliare cum his omnibus qualitatibus Dei simul, & mundi famulatum. Quæ impietas? Quæ stultitia! arbitrari se utrique simul esse placiturum! Quærite quascumque vobis placuerit artes, numquam vobis cedet e sententia ut utrumque consocieris. *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tom. 5.*

Quas gratias Deo agere debent illi quos a mundo segregavit.

Animæ Sanctæ, ac religiosæ beatas semet existimare debent, quia Deus illis immiserit odium mundi, quo actæ omnia penitus reliquerunt, atque relinquunt omnem, quam cum illo habere possunt necessitudinem, nisi forte inevitabilis necessitas aliqua in oppositum urgeat; difficillimum quippe est odisse illum permanendo cum illo. Neque discrim hoc omnino fieri non posse; quandoquidem tot insignes sanctitate viri hoc fecerunt in mundo versantes, & Deus electos suos habet ubique, & aliquos salvos facit inter magna pericula, sæculique improbitatem: Sed fatendum est in hoc gratiæ Omnipotentiam elucescere, & hodierna die saluti suæ in mundi commercio prospicere rem esse periculosæ plenam aleæ, & eo periculosioris, quo facilior existimatur. *Christiana Instructio pro decima quarta post Pentecosten Dominica.*

Esse mundi servum idem est ac esse dæmonis mancipium.

Sanctus Augustinus explicans verba hæc Filii Dei, *Venit enim princeps mundi hujus*; dicit dæmonem, qui hic a Salvatore Mundi Princeps vocatur, procul dubio non esse Principem cœli, & terræ; quæ vulgo mundi nomine significantur, quandoquidem Deus illa creavit, & regit. Sed Princeps est, ait ille, amatorum mundi, qui in Scripturis Mundus vocantur; eodem sensu, quo in communi nostri sermonis usu mundum vocamus eos, qui de mundi bonis dumtaxat solliciti sunt, & qui ex mundi spiritu vivunt. *Mundi dixit*, laudatus Doctor ait, *amatorum mundi*. Itaque secundum verbum Filii Dei, a quodam ex præcipuis Ecclesiæ Doctoribus explanatum, idem ac unum est Dæmonis servum esse, & esse mundi amatorem. Quod si mens perhorrescit cogitans, quod homo Salvatoris sanguine redemptus fiat dæmonis mancipium: quanto magis horrere debemus amorem Mundi, quo huic servituti subjicimur? *Ibid.*

Quid proprie sit mundum diligere.

Quid est mundum amare? Hoc ab ipso Dei Filio audiamus per os Prophetarum loquente. Nolite amare mundum, neque illa, quæ in mundo sunt; bona, honores, voluptates; amare hæc, suam in his affectionem collocare, hoc est diligere mundum, ac sese Mundi hujus Principi subjicere. Non pauci tamen seipsos fallunt. Quamvis de Deo ne cogitent quidem, audacter dicunt, se non diligere mundum. E contra vero se illum odisse profitentur, sexcentas in eo se reperire offensionis causas, se ibi plurimis esse obnoxios ærumnis, laboribus, pœnis, sive in honore, sive in bonis suis, sive propter alienos, sive propter domesticos. Itaque necessarium non est, vobis satisfacere mundum ad hoc, ut sitis mundi amatores; satis est, si illum sequamini, & illius impotentiam perferatis, quin tamen admodum solliciti sitis, ut inde vosmet liberetis. Nam hinc etiam cognosci potest, affectum, quo illum persequimini esse ardentiorem, neque extingui, licet ille vobiscum agat contumeliosius. Servi estis, sed tales esse vultis; Vobis nonnumquam illius catenas deferre placet; illas amatis, atque iniquo ferretis animo, si illæ vobis adimerentur. *Ibidem.*

Nequicquam gloriamur servire Deo si huic exteriorem dumtaxat speciem tribuimus.

Hac in re mortalium plerique falluntur rati se mundum amando iis, quæ debent Deo satisfacere posse, extrinsecus illis aliqua Religionis officia præstando. Non cogitant Salvatorem nequaquam dicere de mancipiis Principis mundi hujus, hos illum odio habituros, sed contemptui dumtaxat. Quinam vero major contemptus fingi potest non Regis tantum, sed Dei, quam illis opposita facere, quæ ab illo imperantur? Jubemur mundum odisse, & mundum tantum diligimus. Jubemur fugere voluptates, terræ hujus bonis non adhærescere, dignitates, & sæculi honores non ambire; sed nihil præter ista sequimur: quomodonam apertius ostendere possumus nos non esse de hoc mundo, & ex numero cultorum illius, quam contemnendo quidquid ille plurimi facit, & plurimi faciendo quidquid ille contemnit?... Videmus homines qui omnem extrinsecus Religionis speciem tuentur; qui Deo externum oris habitum tribuunt; cor vero, ac spiritum mundi plenum habent. Ad veritatem hanc probandam aliqua ingruat occasio, ubi de levi fortuna, & exigua aliqua dignitate agatur: Deo præferimus mundum. Statim relinquimus Deum, ut spiritum mundi sequamur. Neque hæc de impiis dico; de illis dico, qui vitam non abnormem ducere videntur, & qui nihilo secius reipsa mundo penitus sese devoverunt. Non pauci etiam in mundo sunt, qui se Deo famulari profitentur, quos tamen ille tamquam suos numquam excipiet. Non desunt, qui rati se assertorum meritorum suorum mercedem assecuturos sperantes, condemnationis suæ, quam minime expectabant, sententiam recipient. *Idem.*

Mundi fuga. Interitum vult qui non vult a mundo recedere.

Nosmet in mundum injicimus sine metu, quamvis illius pericula ignoramus. Hoc est furentem imitari, in penitiorem sylvæ partem accedentem, ubi se a sicariis in insidiis positis scit expectari. Salus nostra æque periclitatur, ac insipientis illius vita; interitus noster æque certus est, ac mora ejusdem. Neque enim mundus ardenter conquiritur, ut a nobis fit, quin deinceps illi adhæreatur. Hic autem constans mundi affectus, apertissimus est reprobationis caracter; quæ tunc fit æque certa, ac illa mundi ipsius, qui diligitur, & in quem Dei Filius sua maledicta contorquet. Neque putes mundum pro nobis delicias tantum habere; dolores veri ibi sæpius, quam gaudia, sentiuntur. Sed Mundi amator assuetus his dolorum, & voluptatum vicibus, aliis quidem deglutiendis, aliis vero delibandis, prioribus per posteriores curandis, quantum fieri potest, videt vincula sua, quibus nititur in singulas horas confirmari. Non cogitat amplius de sua calamitate, inquit Propheta, *quasi columba seducta, non habens cor*. *P. Segneri in Meditat. Tomo 3.* *Osee 7.*

Quid nobis faciendum ut in ipso mundo salvemur.

Quomodonam in tanta hanc mundi corruptionn saluti nostræ consulere possumus? Non aliter, quam Jeremiæ Prophetæ monitis obsequendo. *Estote quasi columba nidificans*. Quamprimum vobis solitudinem quærite instar columbæ aufugientis, & in rupibus sedem suam ædificantis. Recedite a mundi sectatorum consuetudine; neque enim a mundo secedetis, nisi procul ab illis discesseritis. Tandem aliquando infringenda sunt hæc vincula strenuo quidem nisu, verumtamen necessario. Eo in situ, in quo sumus non alia nobis restat ad salutem via, quam initam eum mundo necessitudinem penitus infringere. Post anathemata, quæ contra mundum protulit Deus, possumusne ignorare pericula, in quibus salus nostra versatur? ea vero cognoscere possumus, quin consilium capiamus a mundo fugiendi? Frustra mundus sub oculis nostris omnes illecebras suas explicat; fallacia dumtaxat nobis bona promittit; virulentas voluptates objicit; blanditur solum ut fallat illos, a quibus auditur. Quodcumque de nobis cogitet,

vel

vel dicat mundus ; palam nostram vivendi ratione illorum placita, sensusque damnamus. Hi tandem non aliud sunt nisi manus insipientium ; adeone est difficile eorum judicia, & irrisiones contemnere ? Si ad montium cacumina pervenire non licet, ut oculos mortalium fugiamus, nosmet mundo in mundo ipso abscondamus. Vigilantia, lectura, oratio, boni mores, loci, ubi nobis vivendum est, iniquitatem compensent. *Idem ibidem*.

Quam modica res sit hic mundus secundum Spiritus Sancti verba.

Mundum hunc ex nihilo eduxisti Domine omnipotenti dextera tua, & ne naturales eæ formæ, quibus illum decorasti, nimis validam in cordibus nostris impressionem efficerent, nobis ostendere voluisti quanti a nobis essent faciendæ, jugibus eorum vicissitudinibus, quibus illas tua Providentia subjecit, nos edocens, illas nihilo inniti, & per se nihilum esse, quandoquidem dies eadem illas & nasci videt, & interire. Et profecto quid est mundus, quem tanto amore prosequimur ? nisi flos, qui statim flaccescit, ac in pulverem redigitur, nisi fructus, qui ubi ad maturitatem venit, dilabitur, nisi arenæ granum, quod vento exsufflatur ; nisi imaginis repræsentatio in speculo ; nisi parum fumi, quemadmodum loquitur Spiritus Sanctus ? His comparationibus Deus nobis significare voluit, non mundum tantum esse parvam, sed illum in se vere nihilum esse, illum in sacris litteris comparans iis ; quæ in rerum natura minus sunt solida, & maxime tenuia. Sed licet id quod mundi pulchritudinem constituit, & amorem allicit nostrum, bona, honores, voluptates in se aliquid essent reale : hoc nobis nihilum esse deberent ; quia diu illis frui minime possumus, & quantumcumque ea diligamus, sunt necessario a nobis relinquenda. Hæc omnia nobis nihilum esse debent ; quoniam ad aliquid facti sumus, majus, sublimius, diutius permanens, diutiusque duraturum. *Auctor Anonymus*.

Choreæ, saltationes ac mundi cœtus non vacant periculo propter scandala quæ ibi frequentia sunt.

Mundi vanitas sese manifestat in spectaculis, choreis, saltationibus, & ibi majori cum pompa enitescit. Neque ideo dixerim hæc omnia per se mala esse, ne christianis veritatibus vim faciam ; sec cum Sancti Patres acriter invecti sunt contra hæc mundi flagitia, saltem nobis credendum est illa esse periculo proxima, & sæpe etiam perniciosa, quippe sunt juges occasiones peccandi ; præsertim vero choreæ, quibus nobiles intersunt mulieres, non satis bene tectæ, quæ scandali causa est numquam satis improbanda. In saltationibus vero, quibus homines e plebe gaudent, recinuntur cantiones quædam æquivocis, ancipitibusque verbis refertissimæ ; quæ pravis cogitationibus aditum præbent. Videntur ibi sexus utriusque personæ eam sibi vindicare licentiam, quam pudor vetat ; quæ etiam causa fuit, ut a pluribus Conciliis interdicerentur ; & causa etiam esse deberet, ut Christiani omnes cane pejus, & angue omnes hujusmodi cœtus perhorrescerent saluti ita noxios, ut quam paucissimi inde efferant pedem æque mundi, ac illum intulerant. *Boudon. Le Chretièn Inconnu*.

In sublimioribus etiam conditionibus humiliationis causas nanciscimur.

Quæ magnæ in mundo fortunæ appellantur, magna sunt nomina parum aliquid significantia. Prædium aliquod coemptum ; jura quædam prælationis acquisita ; tituli antiqui in recentem familiam translati ; Magistratus honos ; aliqua militiæ præfectura, pinguis hæreditas, quæ nos ex pulvere nostræ conditionis educit ; ingenium præstans, ac industrium ; summorum virorum gratia ; Principis favor, hæc omnia conferunt quoddam decus, quod blanditur, quod nitet, quod perstringit ; sed hoc ad summum est, fucus veluti quidam in fictili. Licet magnus esses genere, non ideo tamen minus es homo, ideoque imbecillus, infimus, mortalis, & tota humana hæc magnitudo, quæ mortalium idolum est, desinit tandem in cineris pugillum. Nasci possumus in solio ; sed nullus est Monarcha, qui de solio in sepulcri putredinem non labatur. Qualibet licet præstantissima dignitas, quævis licet eximia nobilitas ab infirmitatibus immunis non est. Affectus numquam fortiores sunt, quam in prosperitate, & affluentia. Morbi, & mors numquam Principibus viris pepercere. Auctoritas melius constituta, & potestas latius extensa numquam ab adversis, & ærumnis incolumes fuere. Omnia nobis humiliationis sunt causa, ipsa etiam magnitudo. Ipsum per nostrum, imaginatio, spiritus nostri tyranni sunt, aliis deficientibus. Avarus pauper est inter thesauros suos. Ambitiosus umquamne est sua dignitate contentus ? Dominatio habet altum, & imum ; & regnum suos tribulos, & cruces. Nulla in terris abit dies sine aliqua nube. Tranquillitas non est naturalis vitæ hujus fructus. Hinc in omni sexu, omni ætate, omnique conditione nanciscimur anxietates, sollicitudines, curas, infirmitates, ægritudines, quibus humiliamur. Hæc indelebilia sunt argumenta, ac propria effecta nihili nostri. *P. Croiset in Asceticis Exercitat. Tomo 5.*

Mera illusio est mundi spiritum cum Evangelio conciliare.

Quæramus quocumque nobis placuerit remedia ; iisque utamur rationibus quæ possunt excogitari ; Mundi spiritus extinguit spiritum Evangelii. Mundo famulari volumus ? Deus nos extrudit a suo famulatu. Mundo placere volumus ; necessario displicemus Deo. Chimera, insignisque stultitia est, velle spiritui aliquid, & aliquid carni deferre. Vivere christiane sed in mollitie, atque deliciis ; Cœlestia comparare bona, sed terrenis inhærere ; placere Deo, quin hominibus displiceas ? ut verbo me expediam in hoc rerum temperamento confidere ; hoc est viam sequi, quam neque Jesus Christus, neque ejus Discipuli secuti sunt, æque & ab arcta, & a lata via semotam ; hoc est Jerusalem inter & Babylonem, novam condere civitatem. Ita tamen qui moderatiores habentur utraque hæc extrema consociare conantur. *Idem*.

Christianus non debet servire mundo. Jacobi 6.

Audite Jesum Christum clamantem : *duobus dominis servire non potestis, Deo, & Mundo*: Audite unum ex Apostolis adjicientem : *Adulteri nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei* ? Nil inter utrumque medium est, & nulla spes est aliquid medium inveniendi. Est deficere a Deo, & amori ejusdem abrenuntiare, diligere inimicum illius. Verum si Mundo renuntietur, numquid ideo iis omnibus, quæ Mundus largitur, abrenuntiandum est ? Audite alium etiam Apostolum, S. Joannem : *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo*. Quidquid mundus dat æque vanum, corruptum, virulentum est, ac ille. Sed quid ? Oporteine ut Christiani vivant in hac abrenuntiatione ? Vosmetipsos audite saltem, si non auditis Apostolos. Quid ipsi polliciti estis in Baptismo ingressuri non in alicujus ordinis Regularis perfectionem, sed in simplicem Christianismum, & in spem salutis ? Abrenuntiastis Satanæ, & pompis illius. Quænam vero sint illius pompæ attendite. Numquid Satanas alias habet a sæculi pompis. Pompæ igitur sæculi, quas ut culpa vacuas credamus, tentamur, ex sententia vestra sunt pompæ Satanæ, quas vos abominaturos esse recepistis. Promissio hæc adeo solemnis, quæ vos in fidelium societatem invexit, aliudne erit, quam comœdia, aut sacrilega irrisio ? Igitur mundi abnegatio, & vanitatum ejus detestatio singulis Christi fidelibus est necessaria. Qui mundum relinquit his quid adjicit ? Recedit ab inimico, oculos avertit, ne videat ea, quæ abhorret, cum hoc manus conserens fatigatur, quod cum illo neque pacem, neque inducias facere potest. *Fenelon Cameracensis Archiepiscopus in delectis sermonibus*.

Mundus beatos nequit efficere.

Quamplurimi in mundo videntur, qui creata bona consectantur, qui semetipsos diutina annorum serie torquent, ut congerant opes, ut consequantur dignitatem, quæ ipsorum palpat ambitionem, ut satisfaciat brutali cupiditati novas semper voluptates sitienti. Hos si interrogaveritis quænam sint ipsorum consilia, reddent, sibi non aliud esse, quam semet beatos efficiendi. Verum futuri ne beati sunt, licet ea possiderent omnia, quæ

tanto

tanto ardore desiderant. Hactenus nemo repertus est, qui creato inhærens objecto dicere fuerit ausus, se contentum esse, nihil sibi esse cupiendum; se tranquille frui fructu laborum suorum, sed illos sexcentis sollicitudinibus agitatos videris, de desideriis in desideria fluctuantes, nihil eorum, quæ cupiunt, obtinentes, nisi spiritui eorum statim recentia occurrant consilia ad eos excruciandos. Ecce quonam redigantur fortunæ quæ præ cæteris conquiruntur, & ecce constans argumentum, quo probatur, eum, qui creaturæ adhæserit semper sibimet blanditurum; hunc semper desiderio teneri felicitatis consequendæ, sed hanc numquam esse consecuturum. *Lambert*.

Ut vere simus Christiani, debemus terga vertere multitudini.

Quoniam malorum Christianorum numerus tantus est, nonne rubore debemus suffundi quia illum augemus mundi hujus amore? Nonne terga vertere debemus multitudini, si vivere volumus, ut decet Christianos? Mundi hujus placita hodiernis die præpollent Evangelicis institutis. Tot inventa recentium indumentorum, elegantiæ, comitatis; tot versutiæ in mundi negotiis regendis; tot voluptatum genera, quæ probat consuetudo; omnia hæc urbanitatis officia, & pleræque leges, quæ fiunt, ut homines sese accommodent mundo, avertunt omnino fideles ab obedientia, quam debent Deo. Nequaquam; non possumus hoc in loco dissimulare veritatem, quin prodamus nostrum ministerium. Unquamne Dei mandata recogitamus; unquamne ad illius gloriam laboramus, cum observare contendimus usus in mundo receptos? Qui etiam vera honestate conciliari possunt, & cum christianis officiis congruere, non sunt damnandi: sed leges, quas passim sibi præscribunt, & observant homines in mundo, non tendunt alio, nisi ad spiritum dissipandum, ad exsiccandam omnem pietatem, ad inspirandam superbiam, vel effæminatam mollitiem. Omitto ea, quæ palam sunt criminosa; neque enim fert animus ea modo in lucem proferre; castæ enim aures ea pati non possent, & id mihi meum vetat ministerium. Fatendum est tamen summo cum dedecore nostro, mundi hujus, inimici Dei spiritum imperiosius regnare in cordibus omnium fere mortalium, & omnibus modis, & hoc prætextu urbanitatis, & elegantiæ mundi Princeps pertrahit animas in vincula sua, easque surripit Salvatori. Fateor equidem non deesse viros solida virtute præditos in omnibus vitæ statibus, & conditionibus; & ubique Sanctos inveniri, non inficior; sed inter eos, qui vulgo fideles nuncupantur, illi non explent majorem numerum; sed multitudo, ac turba sese accommodat, &, ut ita dicam, subjicit generali corruptioni hujus sæculi. Oportet igitur mundo abrenuntiare, oportet odisse mundum, non autem personas, quæ illum componunt: sed placita, quæ sequitur, si volumus vere esse Christiani; ac vera præditi virtute; alioquin enim si mundi legem secuti fuerimus, cum illo peribimus. *P. la Pesse Tomo* 4.

Urbane vitæ officia [illegible]

Sæculi amatores perfecte norunt quid mundum deceat, & callent officia mutua quæ variæ imponunt relationes, quibus alii cum aliis junguntur; quod autem pertinet ad Dei cultum ignorant, vel ignorare videntur inevitabiles obligationes, propter quas hoc vel illud faciendum est. Verum nonne Christiani nomine, quo nuncupamur, abuteretur ille, qui omnia hæc mundi placita sequeretur, & Jesum Christum imitari desineret? Possumusne mollem, ac deliciis affluentem vitam ducere, & pro legislatore, ac Magistro Deum patientem habere? Possumusne profiteri Evangelium adeo oppositum pravis studiis nostris, atque cupiditatibus, & majorem diei partem in Ethnicis deliciis traducere? Hoc est non præstare fidem, quam obligavimus in baptismo, & fidem nostram abnegare. At enim inquiet fortasse, oportet esse sine honestate, reverentia, gratitudine, ut renuamus nosmet moribus, & voluntatibus Regis nostri nosmet conformare. At Deus non vetat officia, quæ in vita civili nobis sunt obeunda, dummodo non sint Evangelio contraria. Immo e contra Dei voluntas est, ut ea omnia exerceamus officia, quæ a nobis statut noster, & nostra conditio requirit. Attamen nobis separare non licet necessitatem eas exercendi virtutes, quas nos Salvator noster edocuit, & quæ ipse etiam exercuit, ab alia, qualis est omnia vitæ civilis officia obire. Licerene potest mundi sectatoribus oblivisci, quemadmodum Filius Dei auctor est, legis a nobis observandæ, ita esse quoque exemplar obedientiæ, qua lex eadem nobis est adimplenda? *Pater la Pesse Tomo quarto*.

Illa i possunt cum lege Evangelica.

Servi Dei sibi expectare debent totum odia mundi, & sectatorum ejus.

Mundus est Jesu Christi inimicus, & persecutor Sanctorum. Ille Martyrum sanguinem fudit, ille veneficiis suis terram universam corrupit. Hæc est Babylo, mater omnium abominationum, & omnium Dei servorum interfectrix. Difficile est vivere inter mundi amatores, quin hi te vel corrumpant, vel persequantur. Vitam ferre nequeunt, quæ damnet suam; Vivendum est, ut illi vivunt, si illorum amicus esse velis; omnesque tibi expectandi sunt effectus odii, si aliter vivis, ac illi. Quia vero illi, quibus mundus placet, vel qui placere volunt mundo, eique displicere abnuunt, majori sunt in numero quam qui illius & blanditiis, & minis resistunt; idcirco Scriptura nobis exhibet Babylonem tamquam meretricem ex aureo calice propinantem virus plerisque mortalibus, & universam fere terram corrumpentem. Illa igitur opponitur regno Dei, quia vult adorari, amari, coli pro illo; quia jugiter conatur servos ejus allicere ad se, & mortem infert illis, qui secum commisceri detrectant. Sed illa peribit aliquando, & præceps in infernum ruet, cum Jesus Christus improbis omnibus dicet: Abite maledicti in ignem æternum. Tunc Deus positis jam sub pedibus suis inimicis regnabit; denique tunc mundus hic Dei inimicus cum omnibus cultoribus suis in æternam desperationem submergentur, in nullam reditus spem, sine præsidio, sine modo aliquo redeundi ad perfruitionem horum bonorum, in quibus summa suam felicitatem constituerant. *Pater le Tourneux in Anno Christiano Tomo sexto*.



OBE-

OBEDIENTIA.

Obedientia cum religiosa, tum ea, quam inferior quilibet, & subditus superioribus, Magistratibus, omnique legitimæ debet potestati, cui Deus illum subjecit.

MONITUM.



ON agimus hoc in loco de obedientia, quam homo debet Deo, & quam violat quotiescumque leges, & aliquod illius peculiariter præceptum infringit: sed de obedientia illa, quæ debetur hominibus, quos Deus aliis proposuit, & quibus suam communicavit auctoritatem, quales sunt Principes, Magistratus, & Superiores omnes, quibus jus est imperandi, atque obedientiam exigendi. Cum autem diversa hæc auctoritas sit, ac variis superioritatis titulis innitatur, ita differt obedientia seu ratione earum rerum, quæ imperantur, seu ratione potestatis, atque auctoritatis illius, qui præcipit, seu denique ratione status, & conditionis eorum, qui obtemperant. Hic de obedientia generatim loquimur, quamquam fieri nequeat quominus aliquando ad hypothesin descendamus.

Nihil tamen de illa dicemus, quam servi dominis, filiique parentibus debent; de hoc enim seorsim in titulis ad hanc rem pertinentibus locuti sumus: uti neque de obedientia, quam divinis legibus debemus, sed tantum humanis; sin autem de religiosa obedientia fusius sermonem habebimus, hoc inde factum est, quod vix alibi de eadem differendi locum inveniri posse arbitramur, & quod vix distincte conciones haberi possunt de aliis obedientiæ speciebus.

Cum S. Paulus Apostolus, sæpe virtutem hanc primis fidelibus commendaverit, eamque necessariam censuerit ad ordinem, unionem, charitatem, ac societatem servandam, ambigi nequit, quominus argumentum hoc magni sit momenti, & summæ necessitatis ad evitandas querimonias, obmurmurationes, defensiones subditorum, inferiorumque contra eas potestates, quas Deus pro Regnorum, familiarumque regimine statuit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. 

UM christiana obedientia virtus sit, per quam Deo, locumque ipsius obtinentibus obtemperamus, tria ibi considerare possumus, quæ ad illam alacriter, fideliter, ac sedulo, quantum fieri poterit, adimplendam impellere debent. 1. Illius necessitatem, quæ talis est, ut nemo dispensari queat: 2. illius præstantiam, & meritum, quod tantum est, ut ex omnibus virtutibus hæc una Deo sit acceptissima, & sine qua reliquæ omnes nullius sint meriti, & illi placere non possint: 3. utilitatem, quam inde pro salute nostra recipimus. Hæc est concionis partitio in hoc argumento.

Primum; quod attinet ad obedientiæ necessitatem in homine Christiano; error est gravissimus arbitrari, virtutem hanc inter claustra dumtaxat esse amandandam. Hæc generalis est virtus omnium statuum, & conditionum; cum enim nemo sit, qui superiorem, aliqua in re saltem non habeat; nemo est, qui obedire non debeat. Reges ipsi, & principes, qui unice a Deo pendent in ditionis suæ regimine, divinis, & ecclesiasticis legibus, quatenus Christiani, subditi sunt; aliquem agnoscunt superiorem pro suæ conscientiæ regimine, & ne quid, vel contra justitiam, vel contra imperii sui bonum peccent, Consiliatiorum, ministrorumque suorum monita auscultant. Dicere sufficiat, nullam esse dignitatem, tribunal, potestatem, quæ minime norit superiorem aliquam potestatem, cui prætereа debet obtemperare. Subordinationem hanc divina constituit Providentia in mundi hujus regimine, qui alioquin vigere, ac subsistere nequaquam posset. In hoc autem tota res vertitur, quod ut hæc politica obedientiam in christianam virtutem migret, opus est, quocumque in statu sis, 1. in eo, cui pares, considerare personam Dei ipsius, cui secundum Apostoli oraculum hæc præstatur obedientia; omnis enim potestas est a Deo: 2. obtemperare propter Deum, quia ille vult, & jubet, ideoque ex corde parere propter amorem, quo illum prosequeris: 3. obedite, quasi Deo ipsi obedites, & Jesus Christus per se immediate imperaret; tunc enim docendi minime essemus, quo pacto obsequendum esset; etenim summa cum reverentia, affectione, alacritate obediremus, nihilque esset, quod animo magno non aggrederemur &c.

Secundo. Quod spectat ad obedientiæ meritum, atque præstantiam, ostendendum est, si omnia opera bona, omnesque virtutes, quæ exercentur, in Scripturis sacrificii nomine nuncupantur, obedientiam acceptissimum esse sacrificium, quod offerri possit Deo: 1. quia per hoc sacrificium offerimus illi, quidquid nobis optimum, & charissimum est, nostram voluntatem, & libertatem: quamobrem Deus ipse per Samuelem Prophetam ait 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum*. Sacrificium itaque primus est, & maximus Religionis actus, quo Deum rerum omnium auctorem agnoscimus; & præstantissima quoque sacrificia, si contra obedientiam fiant, sunt abominabilia, eaque a se veluti idololatriæ speciem considerari Deus ipse testatur. Denique aliis sacrificiis Deo bona, voluptates, vel ad summum corpus nostrum sacrificamus: sed per obedientiam, animam nostram, cor nostrum, nosque metipsos devovemus ... 2. Hoc sacrificium est Deo acceptum, quia difficillimum est; homo enim nulli rei magis adhæresceit, quam propriæ voluntati ... Hoc autem est seipsum abnegare. Fides quidem jucundum est Deo sacrificium, quia per illam mortalis suum intellectum, omniaque rationis suæ lumina sacrificat. Voluntas vero in homine numquid nobilitate minor est intellectu; & illius sacrificium, quo per obedientiam offertur, minus ergo eidem erit acceptum? Hoc sacrificium est integerrimum, & absolutissimum; non solum quod homo sine exceptione se divinæ offert majestati; verum etiam quod cætera continet sacrificia, omnes alias virtutes exercens, & earum etiam meritum obtinens, quæ, ut obedientiæ satisfiat, non exercentur. Addi insuper potest, omnes virtutes nostras, omnes bonas actiones, omniaque opera bona, a Deo non recipi, nisi quatenus conjuncta sunt cum obedientia, & secundum præscriptum ordinem facta sunt.

Tertio, Quod spectat ad eas utilitates, quas ex obedientia percipere possumus, quocumque in statu simus, ad tres præcipuas redigi possunt rationes salutis, quæ semper ob oculos nostros debet obversari. 1. Obedientia via tutior est, quæ nos illuc adducat. Non falli, neque errare possumus obedientes illi, quem nobis ducem præfecit Deus, dummodo nihil contra Dei legem præcipiat. 2. Hæc rectior, & brevior est via, & ea, quam ipse Deus indigitavit. 3. Facilior quoque est, ac suavior, quæ nos sexcentis eximit curis, & nihil magnum a nobis efflagitat.

II. Quidquid hoc in argumento ad morum disciplinam cum utilitate referri potest, ad duas redigitur veritates, quæ concionis hujus partitionem possunt efficere.

Prior est, eos, qui legitimam in nos habent auctoritatem, erga nos Dei locum obtinere, ideoque illis obtemperandum in iis omnibus, quæ contra Dei legem non sunt.

Posterior, quæ ex priori illa consequitur, est, parendum esse imperiis eorum, qui præsunt, veluti oraculis, per quæ Deus nobis suam aperit voluntatem.

III. 1. Obedientia est prima virtus, quam Deus ab homine in statu innocentiæ periit, ut ea servaret bona, quibus a Creatore fuerat cumulatus, utque eam gloriam, cui destinatus erat, mereretur: ideoque hæc virtus necessaria est, ut quodammodo impeccabiles evadamus. 2. Hæc ipsa prima virtus est, quam Jesus Christus a Christiano exigit, ut innocentiam recipiat, ut Christianismi gratiam obtineat, utque vitam Christiano dignam traducat. 3. Hæc præterea prima res est, vel saltem maxime essentialis, quæ ex illis exquiritur, qui in ecclesiastico, vel regulari statu sese Deo peculiarius devovent.

IV. *Sermo de obedientia bifariam dividi potest: ubi prior pars eam ostendat utilitatem, quam quocumque in statu simus, ea obedientia percipere possumus: posterior vero explicet obedientiæ qualitates, & conditiones.*

Pro parte priori, tria obedientiæ inhærent bona; unde colligitur, quam necessarium sit Christiano in sedula virtutis hujus exercitatione versari. 1. Primum bonum est, quod ille Jesu Christi statum ingreditur, ejusque exemplum imitatur. 2. Quod plurima evitat pericula, quibus toto vitæ spatio sumus obnoxii. 3. Quod omnes actiones obedientis, illæ etiam, quæ minoris momenti videntur, sanctæ, Deoque acceptæ esse possunt.

Pro parte altera, obedientia tres habere debet conditiones, vel qualitates. 1. Prompta esse debet; donec enim parere differs, cor tuum est rebelle, & non obtemperans, cum debes, peccas contra obedientiam. 2. Esse debet integra; quibusdam enim in rebus obtemperare, in aliis vero non item, hoc est suam, non alienam sequi voluntatem, obedire non est. 3. Ex corde esse debet; non enim hominibus solum obtemperandum, sed Deo, quem cor minime latet. *Lambert Sermone decimo octavo de vita Ecclesiastica.*

V. De duobus his incomparabilibus bonis loqui possumus, quæ in obedientia inveniuntur, & quæ efficiunt, ut Christianus quilibet præferre debeat statum, & conditionem, in qua virturem hanc exercere tenetur alteri cuicumque qui hominibus amplior, digniorque videtur.

1. Quia certus est se facere voluntatem Dei, quod alioquin cognoscere nequit, cum sui arbiter est, & prout sibi libitum fuerit, operatur. 2. Quia perfectius Dei filium imitatur, qui christianæ vitæ esse debet exemplar.

VI. 1. In parte priori ad examen redigi potest, cuinam rei innitatur jus imperandi, quod est pœnes quemlibet superiorem, & potestas, quam in omnes sibi subditos habet, & postquam demonstratum fuerit jus illud divinæ inniti voluntati, providentiæ, publicæ utilitati, quæ in qualibet societate caput, & superiorem requirit, 2. considerandum est, quomodo, quibus in circumstantiis, & quanam in re sit obediendum. *Pater Texier in Dominicali.*

Cum omnia peccata, quæ homines in vita committunt, ex duplici fonte, videlicet ex mentis incuria, & cordis corruptione proveniant, obedientia iis medetur malis, quæ ex duabus hisce causis oriuntur. VII.

1. Quia pro norma menti ipsam divini Spiritus sapientiam tradit, quæ efficit, ut qui hominibus tamquam Deo ipsi obediunt, errare non possint, quamquam, qui imperant, ob humanas rationes operentur, & non semper recta intentione regantur. 2. Quia divinam nobis voluntatem pro nostræ regula tribuit; quod efficit, ut semper divinam voluntatem faciamus, ideoque nihil aggrediamur, quod Deo displicere, eumque lædere valeat.

Ubi agitata hæc fuerit quæstio, utrum Christiano viro quocumque in statu, seu in mundo, sive in ecclesia, utilius sit præesse, an subesse, imperare, an imperata facere, ostendi potest. VIII.

1. Saluti esse utilius sub obedientia degere, cujus rei obvia, & validissima sunt argumenta. 2. Jucundius esse pro curarum, sollicitudinum, & negotiorum multitudine, quæ in regimine invenitur. 3. Gloriosius coram Deo &c.

Quæ sequuntur argumenta ad regularem pertinent obedientiam, inter quæ hoc sese primum offert. IX.

1. Extensio religiosæ obedientiæ, quæ in hoc posita est, ut toto vitæ spatio, rebusque in omnibus obtemperetur; magnæ illæ sint, vel parvæ, faciles, vel difficiles, dummodo divinæ legi non adversentur: ut cum omnibus animæ facultatibus obtemperetur; mente, perfecta submissione censendo ea, quæ præcipiuntur, magis, & ad obedientis utilitatem, & ad Dei gloriam conducere; voluntate, per illius abnegationem, quæ fit superioris voluntatem sequendo; corde tandem, omnia alacriter, totoque nisu adimplendo. 2. Quo intuitu, & qua de causa obediendum sit. Obediendum quippe est veluti Jesu Christo; Deus in superioris persona considerandus est: obediendum, quomodo Jesus Christus obediebat; ac sibi persuadendum nihil fieri posse acceptius Deo. 3. Obedientiæ hujus utilitas, & bona: religiosum efficit impeccabilem, donec ob causam hanc operabitur; Deum cogit, ut infinita elargiatur bona; qui enim obedit, nulla secum utitur exceptione, & hoc pacto infinita merita acquirit.

1. Securitas, quæ adest in religiosa obedientia pro salute acquirenda, & perfectione, quam status iste requirit, obtinenda. 2. Meritum, ac sanctitatis thesaurus, qui hac ratione acquiritur. X.

Vir obediens loquetur victorias. Prov. 21. XI.

1. Triumphat de dæmone, illius artes, vires, & tentationes eludit, perfectamque victoriam reportat. 2. Vincit mundum, per obedientiam ea exercens præcepta, quæ mundo penitus adversantur. 3. Vincit seipsum, amorem proprium, omnesque affectiones.

Religiosi perfectio in obedientia consistit. XII.

1. Efficit, ut jugiter Dei voluntatem adimpleat; ideoque Deo jucundus non esse nequit. 2. Eum similem facit Dei filio, qui omnem vitam suam in obedientiæ exercitatione traduxit. 3. Hoc pacto fit servus fidelis, & seipsum perfecte, integreque consecrat Deo.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita argumenta pertractanda.

Sanctus Augustinus in Psalm. 70. loquitur de præcepto, quod Deus Adæ irrogavit, & rationem adfert, cur Deus ab hoc adeo subjectam petit obedientiam. Sancti Patres.

Idem

Idem in Psalmum 118. hæc explicans verba: *A mandatis tuis intellexi*, docet obedientiam esse ad sapientiam acquirendam viam.

Idem *de bono conjugali c.* 23. obedientiam aliis virtutibus præfert, & docet, minus bonum per obedientiam factum præstantius esse majori bono ex propria voluntate suscepto.

Idem in *expositione tituli Ps.* 70. docet Superioribus obediendum non esse in iis, quæ sunt contra Deum.

Idem l. 1. de peccatorum meritis, *c.* 21. *lib.* 8. *de Genes. ad lit. c.* 6. *l.* 1. *contra adversarium legis*, *l.* 4. *de Civit. c.* 12. *lib. de natura boni*, rationem adfert, cur Deus primo interdixerit homini, ne præscripto fructu vesceretur; videlicet, ut hic obedientiam exerceret, atque per hoc gloriam mereretur.

Idem, vel Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo serm. 7. & 61. ea persequitur bona, quæ ex obedientia proficiscuntur: & serm. 54. sermo est de pœnis, quas exercuit Deus in eos, qui obedientiam detrectarunt.

S. Ambrosius *l.* 1. *de Abraham c.* 9. loquens de Eleazaro servo Abrahæ salutare tradit documentum illis, qui obedire tenentur.

Idem *l.* 9. *in Evang. Lucæ c.* 1. ostendit eorum pericula, qui obedientiam detrectare volunt, & bona, quæ eadem gignit obedientia.

S. Hieronymus in hæc Jeremiæ Prophetæ verba: *Audite vocem meam, & facite omnia, quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum*, ostendit obedientiam unicam esse Deo placendi viam.

Idem *Epistol.* 4. ostendit sine docilitate, atque obedientia, nullam artem, aut scientiam percipi posse.

Idem *in Regul. Monach.* docet quo pacto, & quibusdam interioribus sensibus superioribus obtemperandum sit.

S. Gregorius *l.* 32. *Moral.* detegit dæmonis artes prohibentis, ne obediamus.

Idem *l.* 25. *Moral.* prolixo sermone ostendit obedientiæ bona, & meritum.

Idem *l.* 2. *in Reg. c.* 4. Samuelis laudans obedientiam, de obedientiæ conditionibus differit.

Idem *l.* 4. *in Reg.* ostendit omnes actiones nostras per obedientiam extolli.

Idem *l.* 6. *in primum Reg.* fusius docet, obedientiam sacrificiis esse præferendam, eamque præ cæteris actionibus majus meritum habere.

Idem *l.* 5. *in Reg.* ostendit defectus, qui contra obedientiam patrantur.

Idem *l.* 2. *in Reg.* docet in obedientia esse perseverandum.

Idem *l.* 35. *Moral.* ostendit quando, quomodo, & in quo sit obtemperandum.

S. Chrisostomus *homil.* 1. *de Davide, & Saule* docet Principibus, licet sua abutentibus potestate, obediendum esse.

Idem, *homil.* 2. *in Epist.* 1. *ad Timoth.* ostendit obligationem, qua omnes homines superioribus suis obedire tenentur.

Idem *hom.* 34. *in Epist. ad Hebræos* ostendit tumultum, & confusionem, quæ sine obedientia, & subordinatione grassaretur in Mundo.

S. Basilius *in Constit. Monast. c.* 23. docet, obedientiam in Bibliis omni hominum generi etiam, atque etiam commendari, & cujus momenti illa sit.

S. Gregorius Nazianzenus *in orat. ad Cives Nazianzenos* docet, quibus, & quibus in occasionibus obtemperare debeamus. Loquitur etiam de obedientia, *in Apolog. cur in Pontum fugerit, & Nazianz. redierit.*

Cassianus *collat.* 10. *lib.* 4. *instit.* plurima habet magni momenti, magnæque utilitatis de obedientia.

S. Dorotheus integrum habet sermonem de obedientia, ubi inter cætera ostendit nullum facilius decipi, quam qui seipsum regere vult.

S. Bernard. *serm. de virt. Obedient.* de obedientiæ gradibus, & conditionibus loquitur.

Idem *de præcepto, & dispensatione* ostendit defectum plerorumque obedientium.

S. Bernardinus sermonem habet de virtute obedientiæ. Ascetici, aliique.

Dionysius Carthusianus *in Dialogo fidei.*

Rusbrochius *de præcipuis virtutibus* c. 3.

Theophilus Bernardinus de perseverantia *lib.* 11. *& l.* 1. *c.* 12.

Bernardinus Rossignolius *de Discipl. Christian. perfect. l.* 4. *c.* 12.

Franciscus Arias, *de imitat. Christi tom.* 2. *tract.* 3.

Jacobus Alvares *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 3.

Alphonsus Rodrigues *part.* 3. *tract.* 5. fusius de religiosa obedientia verba facit.

A Ponte in Duce *tom.* 3. *cap.* 12. *& seqq.*

Lucas Pinelli *l.* 2. *de perfect. a capit.* 20. *usque ad finem.*

Eusebius Nierembergius *l.* 5. *doctrin. Ascet. c.* 47. *& seqq.*

Nicolaus Lancicius, *tom.* 1. *opusc.* 2. *cap.* 28. *& opusc.* 5. *c.* 2.

Epistola S. Ignatii de virtute obedientiæ, ubi quidquid ad hanc virtutem pertinet, perspicue, æque ac solide pertractatum est.

Drexellius *in Rosis Marianis part.* 2. *c.* 13.

Sanchez *de Regno Dei*, *l.* 5. *c.* 5.

Raynerius de Pisis *in Pantheologia.*

Hieronymus Platus *de bono statu Religiosi.*

Dandinus *in Ethicis sacris l.* 4. pluribus capitibus agit de iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

P. Poiré libro, cui titulus, de scientia sanctorum tract. 2. part. 2. cap. 11.

P. *Saint Jure* in libro, cui titulus, Homo religiosus, fuse de religiosa loquitur obedientia.

Idem in libro de cognitione, & amore Domini nostri *lib.* 3. *c.* 10. *sect.* 19.

Pater *Du Sault* tomo operum secundo, colloquio quinto, de religiosorum agit obedientia.

Auctor Ethicæ Christianæ *in Pater l.* 5. *sect.* 1. *art.* 5. loquitur de obedientia omnium fidelium propria.

P. Dozenne in libro, cui titulus, Moralis *Jesu Christi*, articulum habet de obedientia.

P. De Argentano Cappucinus in Theologicis collationibus de Magnalibus *Jesu* loquitur de admirabili ejus obedientia, in collatione undecima, art. 2.

P. Guilleminot in Sapientia Christiana capite 8. docet, a nobis Deum considerandum esse in illis, qui in nos habent auctoritatem.

P. Nepveu in libro, qui inscribitur, Spiritus Christianismi, tractatu tertio.

Idem tomo tertio considerationum.

P. De la Colombiere in Meditationibus de Passione, Meditatione quinta loquitur de propriæ voluntatis abnegatione.

Liber, cui titulus, *Conduite du Sage*, tomo 1. docet, quomodo sapiens cum superioribus sese gerere debeat.

Liber, qui inscribitur, *la Guerre aux vices*, prælio 18. contra inobedientiam.

Sancta Theresia passim in operibus suis de virtute obedientiæ verba facit.

Similiter etiam P. Guillorè, potissimum vero in illusionibus. Concionatores.

Lambert tomo 2. Sermonum Ecclesiasticorum, ubi loquitur de Jesu Christi, & Christianorum obedientia.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta, in Dominicali, tomo tertio, sermone pro 22. post Pentecosten Dominica loquitur de inferiorum erga superiores officiis.

Idem tomo 4. argumentorum particularium sermonem habet de religiosa obedientia.

In tomo quodam exhortationum Monasticarum a Mo-

a Monacho Benedictino compositio, non deest exhortatio ad obedientiam,

Abbas Trappensis in Collatione pro tertia Dominica post Pascha, item pro 10. 15. 20. post Pentecost. Dominica. Pro tertia Dominica Adventus agit de voto obedientiæ, deque virtutis hujus conditionibus, & qualitatibus.

Busæus *in Viridario*)
Idem *in Panario*) Titulo *Inobedientia*.
Labatha *in Thesauro*)

Granatensis in locis Communibus.)
Peraldus in summa virtutum, & vitiorum.) Titulo *Obedientia*.
Summa Prædicantium.)
Berchorius.)

PARAGRAPHUS III,

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

F*Acies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum.* Deuter. 17.

Audivit murmur vestrum contra Dominum; nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Exod. 16.

Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? 1. Reg. 15.

Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Ibid.

Quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Ibid.

Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos, 1. Reg. cap. 8.

Imposuisti homines super capita nostra. Psalm. 65.

Vir obediens loquetur victorias. Prov. 21.

Mens justi meditatur obedientiam. Prov. 15.

Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti. Eccles. 5,

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Matth. 23.

Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Luc. 10.

Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, Joann. 14.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo. Ad Rom. 13.

Qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, Ibidem.

Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit, Ibid.

Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per unius obeditionem justi constituentur multi. Ad Rom. 5.

Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, Ad Ephes. 6.

Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Ad Coloss. 3.

Omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem. Ad Hebr. 2.

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, &c. Ad Philipp. 2.

Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse. Ad Titum 3.

Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Ad Hebr. 13.

Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, Act. 5.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis; quia sic est voluntas Dei, ut obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. 1. Petri 2.

Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, Ibidem,

Exempla ex Veteri Novoque Testamento desumpta.

Præceptū, quod irrogavit Deus Adæ, fructum, quod hujus inobedientia peperit.

OBedientia sola fuit lex, quam Deus primo irrogavit homini, in sui imperii signum, ita ut ab illius obedientia mortalium omnium gloria, & felicitas penderet. Si Adam paruisset Deo, Deus quidem glorificatus, nos autem felices fuissemus; sed cum ex illius exciderimus gratia propter Adæ rebellionem, ad summam devenissemus infelicitatem, quia Deo honorem debitum deferre non potuissemus, nisi Deus nostram naturam assumens factus fuisset usque ad mortem obediens. Hanc autem S. Augustinus lib. 6. sup. Gen. ad litt. rationem adfert ejus interdicti, quo prohibuit Deus, ne Adam ex quodam præscripto fructu comederet; quia videlicet cum homo creatus fuerit, ut serviat Deo, aliquid erat vetandum, ut hic agnosceret submissionem suam, quam alioquin non ita facile intellexisset: & voluit Deus, idem ait, obedientiam, quæ actus erat, quo homo illum confiteri debebat, a quo creatus fuerat, simul esse viam, qua cœli gloriam tamquam mercedem sibi promereretur.

Abrahæ, & Isaaci obedientia.

Verum obedientiæ exemplar nobis Abraham, & Isaac reliquerunt. Videre alterius quidem generosam alacritatem, qui semper paratus est ad obediendum; alterius vero humilem, perfectamque submissionem severissimis etiam imperiis, quin vel minimum quid repugnet, vel reluctetur. Patrem video arrepto igne, districtoque ferro egredientem; filium pone sequentem video, & utrumque in montis verticem ascendentem. Pater ibi aram extruit; omniaque parata sunt. Filius spectaculo hoc in admirationem raptus, Patrem interrogat, quid vis facere? Ecce aram, ecce ignem, ecce rogum; victima vero ubi est? Tu es, Abraham respondit, super pyram te extende, ac te morti dispone. Non resistit Isaac; imperata facit: Abraham jam ensem attollit, & sacrificium jam perfectum fuisset, nisi Angelus prohibuisset, ne perficeretur,

Obedientia Abrahæ ad primū Dei nutum patriam terram relinquentis.

Antequam Abrahæ obedientia gravissimo illo, de quo locuti sumus, tentata fuisset periculo, Deus illam jam fuerat expertus alio imperio, minus quidem duro, sed quod illum summo dolore non afficere non poterat. Homo, qui in patria terra dives erat, ac multa pollebat auctoritate, solum vertere jubetur, ac in ignotam regionem concedere, quæ nonnisi velut exilii locus erat habenda. Qui pacifice suis fruebatur substantiis, longi itineris laborem suscipere cogitur, quin exitum exploratum habeat. Qui omni bonorum genere affluebat, repente ad veram paupertatem redigitur, eique remotæ dumtaxat opes, quarum species tantum, ac spes proponebatur, promittuntur. Immo neque palam indicitur locus, quo migrandum est; sed jubetur solum exire domo, omniaque relinquere, ac cæterum in Deo confidere, & ab hoc uno futuri exitum præstolari. Quisnam huic imperio parere posset, Sanctus Augustinus interrogat, nisi vivam haberet fidem, & ad omnia esset paratus? Attamen sanctus hic vir non hæret; imperio non respondet, nisi statim in arena illud perficiens, non laborat,

quid

quid de ipso; subitaque hac fuga sæculi sapientes dicturi sint. Hoc jure inter præcipua, & maxima obedientiæ, quæ in Bibliis legimus, exempla adnumerandum est.

Obedientia Samuelis.

Via, per quam vult Deus nos ad ipsum accedere, est obedientia iis adhibita, quos ipse constituit, ut erga nos suas vices, locumque tenerent, facti ab eo in hunc finem luminum ejus depositarii, ejus gratiarum dispensatores. Veritatis hujus insigne nobis argumentum S. Gregorius l. 2. in lib. 1. Reg. c. 3. ostendit in adolescentuli Samuelis exemplo, qui nocte dormiens in templo cum pluries a Deo vocaretur, toties se contulit ad summum sacerdotem Heli, cui famulabatur. *Quia ergo quoties vocatur puer*, sanctus hic Pontifex inquit, *toties adire ad magistrum sinitur, quid est aliud, nisi quia ipsa divinitus inspirata subjectorum desideria majorum judicio submittuntur? Opus namque subjecti divinitus inspiratum, tunc Deo gratum esse cognoscitur, si majoris imperio, aut promissione peragatur*. Quod vero istic nobis potissimum animadvertendum occurrit, est Samuelis in obtemperando celeritas. Ne subit quidem in mentem Samueli, in templo alium esse quempiam præter summum Pontificem, a quo possit accersiri, attamen & bis, & usque ter consurgit, ut ejus voluntatem agnoscat. Ecce quonam spiritu superioribus nostris parere debeamus; spiritu semper æque parato ad ea capessenda, quæ a nobis illos exigere arbitramur.

Deus Saulis inobedientiam damnat, & punit.

Deus vult, hominem ita fideliter obedientiæ virtutem exercere, ut damnaturus sit illum, qui contra hanc virtutem audeat peccare fallacem hanc præseferens causam adhibendi eos honores, quos ipse minime expeteret. Non deest insigne in Scriptura exemplum, quo hujus principii veritas comprobatur. Jubetur Saul a Domino per Samuelem Prophetam Amalecitis bellum inferre, eosque ad unum internecione delere, quin ex illorum spoliis, manubiisque aliquid retineret. Saul devictis hostibus parcit Agag Regi eorum, &, quidquid in gregibus optimum erat, reservat, speciosam sane causam huic inobedientiæ prætexens. Armenta hæc reservantur Deo immolanda; sacrificium, quod execrabitur Dominus. Istæne illæ sunt victimæ, quas Deus jubet sibi mactari? Obedientiæ sacrificium, cordium, & voluntatum nostrarum victimas ille deposcit. Verum animadvertite, Scripturam explicite innuere, inobedientiam speciem esse sacrilegii, & magiæ, & in illa omnem idololatriæ nequitiam reperiri. Scelus, quod impulit Deum, ut Saulem repelleret, eique sceptrum, ac diadema eo pacto, quo omnes norunt, auferret.

Judæorum obedientia, cum exterior tantum esset, a Deo fuit repudiata.

Gravissimum probrum, de quo Deus populum suum redarguerit, illud est, quod cultui ejus in specie tantum hærebat, & obedientia erat duntaxat exterior; quod illi in litterarum apice immorabantur, spiritus vero nullam in ipsis partem habebat, videlicet quod inviti, & ex necessitate, non autem ex animo, & voluntate Deo famulabantur. Itaque tota eorum vita, quin placeret, illum magis magisque irritabat, & quin illi sacrificiis suis Dei misericordiam consequerentur, ejusdem in se iram inflammabant; neque fieri poterat ut Deus amaret eos, qui ipsum amare detrectabant: *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me*. Isai. 29. Hæc eorum omnium conditio est, qui in religioso statu satis esse putant exteriorem adhibere obedientiam, neque actionibus animum adjiciunt. Horum opera tantum abest quod placeant Deo, ut illum magis irritent; qui erga ipsos sese præbere non potest, nisi qualem se præbuit populo suo, cum palam edixit, se eorum oblationes flocci facere, utpote indigna, quæ sibi offerantur.

Murmuratio contra superiores Deum ipsum lædit.

Cum Filii Israel in desertum Sin pervenerunt, timor, ne fame interirent, causa fuit, propter quam illos pœnituit, quod egressi essent de Ægypto, ideoque contra Moysem, & Aaronem, qui Dei jussu illos inde eduxerant, murmurarunt; tunc, Scriptura Exodi 16. inquit, Moyses, & Aaron dixerunt Israelitis, *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*. Cum vero Israelitæ iidem Samuelem repelerunt, Regem sibi deposcentes. *Non te*, dixit Dominus Samueli, *abjecerunt sed me, ne regnem super eos*. 1. Reg. 8. Et sane inaudita supplicia, quibus Deus sæpe persecutus est subditorum noxas, & murmura contra superiores eorum, satis aperte ostendunt, illum non mediocrem sibi injuriam afferri censere, atque tamquam causam suam dijudicandam suscipere. Quæ enim gravissima pœna excepit murmur illud Core, Dathan, & Abiron contra Moysem, & Aaron, quos exprobrabant, perinde si nimiam in populi regimine auctoritatem sibi vindicarent? Hiscere visa est sub pedibus eorum terra, eosque viventes adhuc deglutire, cum interim demissus cœlo ignis ducentos, & quinquaginta mortales absumpsit, qui in eorum partes concesserant. Ubi S. Thomas 2. 2. quæst. 93. art. 2. animadvertit, Deum majori cum severitate eos percussisse, qui in capita sua insurrexerant, quam qui ipsum directe vitulo aureo thus adolentes offenderant.

Alia obedientiæ, & inobedientiæ veteris testamenti exempla.

Nec desunt alia in veteri testamento fidelis, celerisque obedientiæ exempla, quæ in concione locum possunt nancisci. Id genus sunt illud Israelitarum in deserto ignis, nebulæque columnam, ducem suum sequentium. Illud quoque Naaman Syri, qui servorum suorum consiliis auscultans, id perfecit, quod sibi a Propheta imperatum fuerat, & a lepra convaluit &c. Inveniuntur quoque alia pœnarum in eos, qui parere detrectarunt, exempla; veluti eas, quibus uxor Loth, & Propheta Jonas, aliique, quos referre longum esset, percussi fuerunt.

Exemplum Salvatoris, qui per obedientiam mundum redemit.

In novo testamento primum, ac præstantissimum obedientiæ exemplar est Dei ipsius filius. Nonne mirum erat, videre in fabri officina laborantem, & obtemperantem homini, qui pater illius putabatur, Mundi Salvatorem, a cujus nutu universa pendet creatura? Mirum sane, Incarnatum Verbum, quod ut ipse inquit, venerat unice vacaturum iis, quæ Patris sui erant, hoc est, magnum redemptionis nostræ opus absoluturum, atque salutis æternæ doctrinam, evangelicamque legem hominibus annuntiaturum, tamdiu matri suæ, sanctoque Joseph subditum fuisse. Quid autem faciebat Jesus toto hoc temporis spatio, quo latenter vivebat? *Erat subditus illis*. Luc. 2. Illis parebat, atque in hoc submissionis, & obedientiæ statu morabatur, quia hoc illi Pater præceperat. Ut inde egrederetur, atque sese in lucem daret, novo opus erat imperio. Attamen erat Messias, & Salvator mundi, atque sese cognoscendum præbere debebat, & miraculorum operatione, & prædicatione evangelii; hoc verum est; sed nihil nisi jussus per obedientiam facere volebat. Itaque sicuti per unius hominis inobedientiam mundus perierat, per alterius submissionem, atque obedientiam reparatus fuit. Mors ejus fuit obedientiæ ipsius consummatio, sed tota illius vita jugis fuit exercitatio. Neque solum cœlesti patri obtemperavit, homines suis prædicationibus erudiens, atque pro illis moriens; sed triginta annorum spatio subditus fuit, atque obediit matri suæ, sanctoque Joseph, qui apud eumdem erant veluti Patris imagines, & mox hominibus etiam, ac tandem ipsis carnificibus paruit.

S. Pauli exemplum.

Si homines secretam nossent virtutem in obedientia latentem, invenissent breviorem, tutioremque viam, ut quam primum ad summum sanctitatis apicem pervenirent. Videbatur Saulus fidelium persecutor Damascum proficiscens, ignem, flammasque oculis evomens, cujus hoc erat consilium, omnes videlicet Christianos delendi, ac si fieri posset, totum humanæ redemptionis opus evertendi. Jam ad summum impietatis cumulum pervenerat. Deus elata voce illum alloquitur, & potenti

gratia intrinsecus movet, ut se illi traderet cognoscendum; cumque illum in terra prostrasset, eique terrorem incussisset, ex imo illius corde hæc elicit verba: *Domine quid me vis facere?* Statim ac integram illi præstare decrevit, perfectamque obedientiam, repente mutatur; fit vas electionis, ad tertium usque cœlum rapitur, omnes evangelii veritates docetur; zelo succenditur, ac tandem magnus fit per antonomasiam Apostolus. Quas ille diuturnas jejuniorum, mortificationum, orationumque exercitationes attulerat, ut huc usque ascenderet? Sed breviorem ingressus est viam, cum secutus est fidelem divinis imperiis obedientiam, a qua numquam deinceps recessit.

Exemplū submissionis Cornelii Centurionis. In libro auctorum legimus Cornelium Centurionem ab Angelo ad se misso audivisse preces suas exauditas esse, & eleemosynas, atque bona opera Deo accepta fuisse. Ab eodem etiam admonitus fuit, ut S. Petrum accerseret, a quo baptizaretur, & quid sibi faciendum esset intelligeret: Potuisset ille quidem ex Angelo eodem erudiri de iis omnibus, quæ a se credenda erant, atque exercenda: sed voluit Deus illum christianam incipere vitam ab obedientia, & submissione erga hunc Apostolum, qui eidem futurus erat in salutis via dux, & magister.

Donec superior nihil contra Dei legem præcipit, quamvis ejus actiones, & vita cum verbis minime consentiant, illi neganda non est obedientia; & præcepta, quæ hac in re nobis Dei filius reliquit, adeo explicita sunt, ut nequeant ignorari. Vult obedientiam præstari Legis Doctoribus, & Pharisæis, quorum totam vitæ rationem condemnat.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Studendū est, ut omnia fiant per obedientiam. NOn possum ego a meipso facere quidquam: sicut audio, judico &c. Joann. 5. neque enim voluntatem meam facere quæro. Hoc autem Dei filius, perfectum illud exemplar obedientiæ de seipso dicebat, rationem, ut ita dicam, omnium actionum suarum reddens Judæis, qui eas probare non poterant: nihil ex me, & propria voluntate facio; omnia enim facio, ut exequar mandata illius, qui misit me, & qui singillatim præcepit mihi, quidquid mihi in mundo esset faciendum. Ecce quid verus obediens respondere debeat illis omnibus, qui exquirere possent rationem actionum, muneris, & negotiorum suorum: sequor motum mihi impressum: facio voluntatem illius, qui me huic applicat operi, & qui Dei verbis mihi præcipit, ut istud peragam. Hæc Salvatoris responsio, quæ nostra quoque deberet esse, continet non solum ministerium, & voluntatem, verum etiam spiritum, & judicium, ut Deo amplissimum, perfectissimumque offeramus sacrificium. Nihil possum a meipso facere; judicium, & voluntas mea rebus in omnibus sequuntur judicium, & voluntatem illius, quem præfecit ipse Deus, ut mihi imperaret; & in hoc obedio, uti Salvator ipse, qui mihi tamquam obedientiæ exemplar propositus est ad imitandum. Hoc pacto agere neque mercenarii est, neque servi, S. Bernardus ait; non enim timor, neque spes, sed una Dei vox hominis sensus gubernat; sed hoc est imitari Dei filium, quemadmodum ipse Spiritus sanctus testatur: *Et eris tu velut filius Altissimi obediens.* Eccli. 4.

Cogitatio hæc, nos obedire Deo, vires nobis debet tribuere, & efficere, ut omnia ex animi sententia eventura speremus. *Ecce ego mitto vos.* Luc. 10. S. Chrysostomus in hæc Jesu Christi ad discipulos verba ait, Dei filium significasse, licet illi infirmi essent, eorumque hostes potentes, & gravissima essent pericula, non debere tamen animos despondere, quandoquidem ibunt ab ipso missi. Ego, inquit, mitto vos; quasi diceret; quoniam mitto vos, sciam, equidem omnes superare difficultates. Et sane hæc fuit discipulorum tot inter labores consolatio; & hæc nostra quoque esse debet in iis, quæ per obedientiam facienda proponimus; certum est enim, nos, cum superiori obtemperamus, a Deo mitti, & Deum nobis imperare: *Ecce ego mitto vos.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Ps. 4. Dormiam, pacatosque ducam somnos, certus me a Domino duci, nihilque mihi defuturum. Et sane qua pace, & animi tranquillitate gaudet, qui Deum respicit in persona imperantis, quocumque tandem in statu versetur? Si illi persuasum est, Deo curæ esse ejus vitæ rationem, nonne dicere potest cum Propheta: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam?* In Dei manibus sum; certus sum nihil eventurum, nisi quod Dominus voluerit; neque coram Deo mihi crimini vertendum esse id, quod male cesserit, dummodo per obedientiam illud fuerim aggressus; mihique rationem dumtaxat reddendam, eo quod non satis fideliter adimpleta a me fuerint Dei mandata, quæ mihi Deus per Superiorem irrogaverit. Pax, & requies conscientiæ qua fruitur, qui obedit.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Psalm. 38. Omnia argumenta, omniaque cessant judicia cogitantibus, Deum hoc velle, & per superioris organum hoc præcipere; nihil contra reponendum est. Quam prompta, & perfecta nostra fieret obedientia, si omnia hoc animo reciperemus! quanam cura nostram illius voluntati conformem conaremur efficere! Quæ esset mentis nostræ submissio! Nulla esset difficultas, quam hæc non sterneret consideratio: numquam obniteremur contra legitimæ potestatis imperia, & cum Sancto Rege divinis mandatis tanta animi æquitate subjecto, diceremus; *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Tu locutus es, tu, quid velis, significasti, me jussa capessere opus est. Modus quo obtemperandum est.

Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Joann. 7. Hoc Dei filius respondit consanguineis suis urgentibus, ut ipse quoque secum Jerosolymam ad magnam quamdam festivitatem concederet. Quodnam hoc tempus erat, in hæc verba quærunt interpretes: & nullus dubitandi locus est, quominus esset tempus illi a Patre præscriptum. Quippe hoc responso nos erudire volebat, hoc interesse discrimen inter eos, qui sese proprio regunt sensu, & eos, qui obediunt, & alteri subsunt, quem Deus illis præfecit. Illi id faciunt, quod volunt, & omni tempore possunt operari; qui e contra sub obedientia degunt, nihil ex seipsis faciunt; & expectant imperia, & momenta, quibus agere jubeantur. Tempus, quod Dei filius omnibus actionibus suis destinabat illud erat, quod ipsi destinaverat Pater.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

U*Na obedientia plus valet quam omnes virtutes.* Augustinus, tract. 11. de Obedient. & Humil.

Sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit pœnam. Idem, Serm. 34. de verbis Domini.

Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium custosque virtutum. Idem, l. 14. de Civitat. Dei.

Quid iniquius quam velle sibi obtemperari a minoribus, & nolle obtemperare majoribus? Idem de opere Monach. c. 31.

Obedientia est in hominibus & in omni rationali creatura omnis justitiæ origo atque perfectio. Idem in Psalm. 72.

Hæc est pœna inobedientiæ homini reddita in semetipso, ut vicissim non obediatur nec a semetipso. Idem, contra Adversar. Legis, c. 14.

Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit judicare quisquis perfecte didicit obedire. Gregorius, lib. 2. in 1. Reg. c. 2.

Obe-

Obedientia sola virtus est quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Idem, l. 35. Moral.

Melior est obedientia quam victimæ; obedientia jure victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Idem, ibidem.

Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eandem potestatem homini dedit. Idem, l. 22. Moral. c. 17.

Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subjungimur, superbos spiritus superamus. Idem, in lib. 4. Reg. c. 4.

Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Idem, ibidem.

Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est; non timore pœnæ, sed amore justitiæ, Idem, l. 12. Moral.

Ubi obedientia regnat, nulla abesse virtus potest. Idem, in catena Sancti Thomæ.

Ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. Idem, in 1. Reg. cap. 3.

Tantum virtuti adjicies, quantum propriæ voluntati detraxeris. Hieronymus, in Epist.

Præpositum timeas ut dominum, diligas ut parentem. Idem, Epist. 4.

Ne de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, & implere quæ justa sunt, dicente Moyse, Audi Israel, & tace. Idem, in Epistol. ad Rustic.

Subditi est obedire, non judicare. Idem.

In obedientia summa virtutum clausa est. Idem, Regul. Monast. c. 6.

O summa libertas! qua obtenta vix possit homo peccare. Idem, ibid.

Verus obediens non attendit quale præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur. Bernardus de præcept. & dispens.

Extorta seu coacta licentia, licentia non est, sed violentia. Idem, in Epist.

Perfecta obedientia est in obediente indiscreta, hoc est non discernere quid vel quale præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter fiat quod amajore præcipitur. Idem de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei.

Discernere Superioris est, subditorum est obedire. Idem, de tribus Ordinibus Ecclesiasticis.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum tradit. Idem, Epist. 57.

Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis. Idem, de præcept. & dispens.

Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. Idem, ibidem.

Non est dubium quin ampliorem gratiam mereatur qui paratum se exhibet ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum. Idem, in Sermonibus.

Parum est subjectum esse Deo, nisi sit & omni humanæ creaturæ propter Deum. Idem, Serm. 21. in Cantic.

Imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta Superiorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem, & male suspicari de omni præcepto cujus causa latuerit, nec unquam obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit: delicata satis, imo nimis molesta est hujusmodi obedientia. Idem, de Præcept. & dispens.

Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Idem, ibidem.

Ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus. Idem, ibidem.

Longe præstantius est voluptatibus propriis abrenuntiare quam rebus. S. Prosper, l. 2. de Vita contempl.

Obedientia est spontanea mors, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. S. Climac. Grad. 4.

Obedientia sepulchrum est voluntatis. Idem, ibidem.

Extremam Christus præstitit obedientiam, propterea accepit supremum honorem. Chrysost. Homil. 7. in Epist. ad Philipp.

Obedientia mortis securitatem parit, & obedientibus licet esse imperfectos. Theodorus Studita.

Non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur. S. Leo, in apparitione Domini.

Bonus obediens verbum non expectat, ubi de voluntate Superioris constiterit. Sanctus Bonaventura, in speculo, c. 4.

Illum ego optimum obedientiæ gradum duxerim; cum eo animo opus recipitur, quo injungitur; adeoque ex voluntate jubentis intentio pendet exequentis. Idem, ibidem.

O quale quantumque sacrificium, suam voluntatem omnino postponere, & totum se ad alienum arbitrium exponere, nihil sibi de seipso reservare, Richardus a S. Vict. de sacrif. David.

Est sine sanguine fuso martyr, qui late portat obedientiæ jugum. Simon Cassius, l. 4. c. 1.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hoc in argumento peti possit.

Obedientiæ definitio.

OBedientia, ex D. Thoma q. 104. *art.* 2. moralis est virtus, quæ hominem paratum efficit ad Superioris voluntatem exequendam, ejusque imperata facienda. Et S. Bonaventura inquit, hoc esse voluntarium, & rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Hæc non abludunt; sed prior definitio magis est regularis. Virtus est; pars enim est justitiæ, quæ efficit, ut singulis, quæ sua sunt, tribuamus, & eo tendit, ut inferioris voluntatem cum voluntate superioris conformet, qui ordo est a Domino constitutus. Virtus est moralis, speciale habens objectum, per quod distinguitur, seu tacitum, seu explicitum superioris imperium. Virtus est mere moralis, cum eam tantum quærit honestatem, quæ in submissione invenitur, quæ legitimæ auctoritati tribuitur; sed cum sese attollit ad Dei voluntatem inspiciendam in eorum voluntate, qui Dei locum obtinent, vel cum obedientia præstatur propter Deum hoc volentem, & imperantem, fit virtus supernaturalis, atque ita excellens, ut idem S. Thomas doceat, hanc virtutum omnium post Theologales esse maximam: & quidam Theologi contendant etiam, hanc ne minimum quidem a charitate differre, cum agimus mente placendi Deo per submissionem nostræ voluntaris voluntati ejusdem, eique offerendi voluntatis nostræ sacrificium; hic quippe charitatis effectus est, cujus est Deum pro amoris nostri objecto habere; & quemadmodum voluntas Dei idem est ac ipse Deus, quod pertinet ad hujus voluntatis amorem, parum interest, utrum illa per se, an in hominis illius, cui nos obtemperare Deus jubet, voluntate agnoscatur.

Inferiores superioribus obedire tenentur.

Inferiores, ut inquit Apostolus, superioribus suis parere tenentur. Hinc fit ut homo alteri obedire cogatur: etenim quemadmodum in rebus naturalibus inferiores superiorum virtute moventur, opus est, ut in rebus humanis inferiores a superioribus regantur imperio, horumque motibus, ac impressionibus obsequantur non secus ac res naturales, & inferiores earum, a quibus moventur, virtuti parent. Quemadmodum autem in rebus naturalibus, quæ præstantissima est, regit inferiores, ita in humanis ratio superiorum imperio movere debet inferiorum rationem; cumque Scriptura dicat, Deum reliquisse hominem in manu consilii sui, non ideo tamen dicendum est illi

permisisse, ut ea, quæcumque vellet, faceret; sed intelligendum est, hominem ea, quæ operatur, non ex naturali necessitate, sed per electionem, propriumque consilium operari; quod in illa etiam obedientia invenitur, quam ille suis superioribus adhibet.

Ut Christiano modo operemur non sufficit mere moralis obedientia superioribus.

Licet in iis, a quibus regimur, id tantum consideraremus, quod in ipsis sola motum cognoscit disciplina, videlicet jus nobis imperandi, ac in nobis submissionem inveniendi, æquum esset illis obtemperare, in quibus legitima adest auctoritas; & obedientia, quæ hanc ob causam adhibetur, una ex virtutibus est, quæ sub justitia continentur. Sed altius spectare possumus, & eos omnes, qui in nos habent auctoritatem, tamquam Dei vicarios intueri; atque hoc pacto obedientiæ nostræ objectum erit Deus, eaque erit species quædam cultus, quem supremæ majestati offeremus. Divina voluntas, quam in superiorum nostrorum voluntate inspicere debemus, prima erit actionum nostrarum norma, atque nostrorum superiorum voluntas erit veluti propior, cui obedientia nostra conformare se debeat.

Unde procedat auctoritas, quam superiores in subditos exercent.

Omnis potestas, & auctoritas, quam homo in alios obtinet, a Deo est; quæ veritas in dubium revocari non potest, postquam confirmata fuit oraculo Apostoli, explicitis verbis dicentis: ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi a Deo*. Dominus igitur auctor est legitimi hujus ordinis, qui inferiores superioribus subjicit, sine quo nihil nisi confusio esset in rebus publicis, in civitatibus, ac societatibus universis. Hac auctoritate, & potestate adeo solide constituta, Apostoli illatio necessaria est, & manifesta; eum videlicet, qui huic auctoritati resistit, Domino resistere. Hæc autem propositio ex allato deducta principio attentius est consideranda, nihil enim ad homines in officio, ac submissione, quam superioribus debent, continendos est aptius.

Quinam illi sint, quibus Deus suam communicavit auctoritatem.

Quamquam omnis potestas, atque auctoritas, quam obtinet homo in alios, a Deo emanaverit; animadvertendum est tamen, a Deo iis tantum communicari, qui aliqua præfulgent dignitate, & aliquam in alios obtinent superioritatem. Etenim hac de causa peculiari modo illius imagines, & vicesgerentes sunt; & qui homini obtemperat, majestatis, & auctoritatis divinæ characterem agnoscit. Ad hæc persuasum esse debet in ea communicatione, qua Deus aliis suæ potestatis partem concessit, quamvis in prima legitimæ potestatis institutione, qualis ea est, qua Principes, Magistratus, & Duces fruuntur ad quamlibet societatem regendam electi, persuasum inquam esse debet, etiamsi cum divina hominum etiam voluntas consenserit, ut simul cum illa, & ab illa dependenter hanc instituerent, auctoritatem, & jus istud producerent; attamen propter auctoritatis, & juris hujus durationem factum esse, ut non alia causa actualiter illius principium habendum sit præterquam Dei voluntas. Itaque jus, quod principes facit, non pendet amplius a causis secundis, quæ in prima imperiorum institutione consensere; unde sequitur, ut qui hac insigniti sunt auctoritate, semper habeant jus imperandi, subditique obedire teneantur illis, quos Deus nasci voluit, ut juris ejusdem successionem acquirerent, vel quibus illius possessio collata fuit.

Obedientia differt pro varietate eorum, quibus jus est imperandi.

Constat, tot esse obedientiæ genera, quot eorum sunt, quibus jus est, atque auctoritas imperandi; alia enim est obedientia, quæ debetur potestatibus, quas Apostolus supremas vocat, quales sunt Principes, primique magistratus, sublimes dignitates, sive ecclesiasticæ illæ sint, sive sæculares; alia, quam filii parentibus debent; alia, quam dominis servi, uxores viris, discipuli magistris, & religiosi denique superioribus suis. Verum cum postrema hæc speciem prorsus diversam constituat, de hac deinceps fusius loquemur. Quod ad alias attinet, quæ differunt pro diversitate juris, quod supponunt, Theologi docent juxta S. Pauli oraculum, obedientiam, quousque superioris extenditur jurisdictio, obligationem esse sub pœna peccati gravioris, leviorisque pro rei, quæ imperatur, magnitudine. At si qui præcipit, potestatis, & jurisdictionis suæ cancellos prætergrediatur, vel aliquid præcipiat, quod palam divinæ legi adversetur; liquet, priori in casu subditum non teneri; in altero vero debere etiam detrectare obedientiam.

Obtemperantis conditio melior est, quam imperantis.

Inferior obtemperans præ superiore imperante hanc habet utilitatem, quod in via virtutis aberrare non potest: non solum enim superioris imprudentia non prohibet; quominus sapientiæ sit obedire; sed etiam superior nequam, ac vitiosus subditum sanctiorem potest efficere. De obedientia idem est, ac de Ecclesiæ Sacramentis, quorum effectus neque ex spiritu, neque ex probitate pendent administrantis. Ita ne iis auscultes, quæ nonnumquam tibi subeunt in mentem, posse te aliquid efficere sanctius, atque perfectius præ iis, quæ tibi præcipiuntur, atque imperantur. Dæmonis hæc est ars dubia pro certis proponentis, non ut tibi conferat, quod nequicquam speras, sed ut tibi auferat, quæ utiliter possides.

De obedientia in rebus parvis.

Hoc omnium asceticæ vitæ magistrorum effatum est, obtemperantem, licet in minimis, Deo semper esse acceptissimum, quia est in ordine, quem Deus constituit. Et profecto maxima adhæret benedictio fideli in rebus exiguis obedientiæ. In his multo plus humilitatis, meritique invenitur, & videmus eum, qui summo studio, & cura in rebus parvis obtemperat, speciali providentia ad majora promoveri, & permittere Deum, ut ad ea, quæ majoris momenti sunt, & difficiliora evocetur.

Per obedientiam, quæ superiori adhibetur, adimpletur voluntas Dei.

Ex omnibus cognitionibus, quas optare possumus, prima proculdubio, & maxime necessaria est Dei cognoscere voluntatem, & quid a nobis exigat, ut tuto, & sine errore in vitæ hujus via incedere valeamus: qua in re vera consistit Sapientia, quæ toto cœlo omnibus scientiarum acuminibus præstat: at hominibus facile non est determinate scire id, quod ab ipsis toto vitæ spatio fieri vult Deus; & pauci oculos habent adeo puros, ut bene eam agnoscant viam, quam ipsis cœleste lumen indigitat. Qui autem eo in statu vivunt, cujus norma est earum rerum determinatio, quam Deus petit ab iis, qui habent superiores, quibus tamquam Deo ipsi obedire debent, omni carent dubitatione: certi enim sunt, se a Dei voluntate non aberrare, dummodo minime aberrent ab illa, quæ illis omnino sensibilis est, videlicet obedientia. Huic tantum adhæreant principio opus est, ac seipsos in hac vera fide confirment, se videlicet ea, quæ jubentur, efficientes Dei voluntatem adimplere, & non extremam religiosi status utilitatem hanc esse, quod certi sint, se Dei voluntatem adimplere in actionibus omnibus a regulis, vel superioribus imperatis.

Quid sit votum obedientiæ a Religiosis nuncupatum.

Obedientiæ votum, quod omnes nuncupant religiosi, promissio est Deo facta iis obediendi mortalibus, qui ab eodem præficientur, in iis omnibus, quæcumque imperaverint, dummodo mala non sint, neque a suscepto vivendi instituto remota. Promissio est; ergo promissi fides præstanda est; qua in re differt a bono proposito, quod licet stabile, ac determinatum sit, omnino tamen, & absolute non obligat. Præterea promissio est facta Deo obediendi hominibus: unde sequitur, votum Deo nuncupari; votum quippe actus est religionis, quæ ad Dei cultum tamquam ad objectum refertur. Sed quamquam votum hoc Deo fiat, voti obligatio tamen est hominibus obtemperandi, quos Deus ipse in locum suum constituerit. Hoc autem obedientiæ votum juxta Divi Thomæ, omniumque Theologorum sententiam præstantissimum est ex tribus votis status religiosi; hoc enim votum Deo aliquid amplius offert, quam paupertatis, & continentiæ vota, quorum alterum hoc corpus dumtaxat, illud vero externa offert bona: sed obedientiæ votum propriam offert voluntatem, quæ aliquid est amplius, ac

pluris

pluris faciendum; præterquamquod continentia, & paupertas in obedientia continentur, quatenus, ut alia plura, imperantur. Adde his, ex D. Thomæ, sanctique Bonaventuræ sententia obedientiæ votum præ cæteris religioni esse magis essentiale, & illud, quod proprie religiosum in vitæ religiosæ statu constituit. Etenim licet paupertas, & castitas ultro servarentur, & utraque voverentur; non ideo tamen qui hæc faceret, religiosus esset, neque in perfecto religiosæ vitæ statu, nisi obedientiam quoque voveret: ita ut, S. Bonaventura inquit, tota religiosi perfectio in hoc posita sit, quod integre suam abneget voluntatem, rebus in omnibus secuturus alienam.

In difficilibus præsertim effulget obedientia.

In difficilibus rebus potissimum, uti Sancti Patres animadvertunt, veræ obedientiæ merita elucent. Cum nobis imperantur placentia, studiisque nostris conformia, satis innotescere nequit quonam spiritu pareamus; illuc enim fortasse propriæ inclinationis motu potius, quam vera divinæ voluntati submissione ferimus. Ubi autem difficilia nobis imperantur, & ea, quibus repugnat animus, & nihilominus hæc avide amplectimur, dubitandum non est de causa, qua ad agendum impellimur; tunc enim certi sumus, a nobis non nosmetipsos, neque voluntatem nostram, sed unum Deum, & complementum voluntatis ejusdem in nobis inquiri.

Duplex obedientiæ genus alterum imperfectum, alterum vero perfectum.

Duplex est obedientiæ genus, alterum quod commune est, atque imperfectum, alterum vero perfectum, quod obedientiæ vim, & virtutem ostendit. Obedientia imperfecta est illa, quæ non solum ægre, & gravate id exequitur, quod imperatur, & ratiocinatur de iis, quæ præcipiuntur, verum etiam quæ semper in alterutram partem magis inclinat, neque in omnibus a nutu pendet, extrinsecus quidem obediens, intus vero reluctans; quamobrem ne nomen quidem obedientiæ meretur. Perfecta obedientia cæca est; quod nomen eidem tribuitur; & in hac cæcitate illius sapientia, & perfectio consistunt. Obedit, quin ratiocinetur, semperque nullo habet in discrimine, quæcumque sibi imperantur. Immo neque iis, quæ sibi præscribuntur contenta, judicium, & voluntatem suam judicio, & voluntati subjicit superioris, hoc semper supponens, quod jure præcipiat, quodcumque præcipit. Hoc pacto omnes complectitur hujus virtutis gradus, in quo Sancti illius perfectionem constituunt.

Obedientiæ merita, & bona.

Hujus virtutis meritum in hoc positum est, quod meliora efficit, quæ bona sunt, & bona, quæ neutra: ita ut, quæ per se nihil sunt, coram Deo meritoria fiant, cum hanc ob causam fiunt: & illa, quæ bona sunt, & sancta, cum per obedientiam fiunt propter votum, sublimiorem perfectionis gradum acquirunt præ illo, quem habent ex se, quia pertinent ad religionis virtutem, quæ mortalium virtutum est præstantissima.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Obedientiæ necessitas generatim, ut pace perfruamur.

Obedientia, quam homo præstat Deo, unica, & vera causa est tranquillitatis ejusdem. Subordinatio inter creaturas instituta ordinem illum constituit, qui certam nobis facit requiem. Mundus civilis æque ac naturalis ideo pace gaudet, quia mutua connexio alia aliis membra submittit. Sed omnis submissio ad Deum est referenda opificem, supremumque universorum legislatorem. Servus obedire debet hero suo, filius patri, uxor viro: hoc ita præcepit Deus. Perturbatio necessario sequitur, ubi lex ista frangitur, non tam quia homini, quam Deo obedire detrectat, qui alteri quidem imperandi contulit potestatem, alteri vero obediendi necessitatem imposuit. Per mutuum hoc imperii, & obedientiæ commercium omnibus significavit hominibus, quam debeant inter se submissionem servare, & quam grave malum eorum rebellioni, atque defectioni succederet. *Liber, cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

Dei Filius mundum reparare voluit per obedientiam; quoniam per inobedientiam perierat.

Quoniam humani generis clades, atque corruptio ex inobedientia processerat, ut natura sanaretur humana, atque hæc repararetur calamitas, contrario opus fuit remedio, videlicet obedientia. Hac de causa Dei filius nequaquam satis esse arbitratus est, in persona sua, totaque vitæ ratione perfectum nobis tradere exemplar obedientiæ, quæ Christianis omnibus est necessaria; verum etiam nos docuit, quomodo virtutem hanc exercere deberemus; & ab eodem discimus, tunc nos tandem veri, perfectique fidelis vitam vivere, cum, ut S. Petrus in 1. Ep. c. 2. ait, vivimus tamquam filii obedientiæ. Ita nulla virtus est, quam divinus ille magister nobis magis, magisque commendaverit, quam obedientiam. Joannis 4. ait: *Meus est cibus, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*; & Joann. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Qui fideliter hoc sequuntur exemplar, & hunc Jesu Christi spiritum, veri sunt filii Dei, & fratres Jesu Christi. Hoc ille testatur Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est* (quod tunc fit, cum ad unguem obtemperatur illis, qui ab eo auctoritatem, & potestatem imperandi receperunt) *ipse meus frater, & soror, & mater est*. Itaque hæc obedientia nobis acquirit omne jus societatis, affinitatis, & consanguinitatis cum Jesu Christo. *Idem*.

In superioribus quibus obtemperamus Jesu Christi persona spectanda est.

Difficile non erit obedientiam exercere, si in superioribus, quicumque illi sint, consideraverimus non homines e vulgo, sed Jesu Christi vicarios, atque interpretes voluntatum ejus. Mihi, Salvator ait, obtemperat, qui suis obtemperat superioribus; qui vero illorum contemnit imperia, hic mea contemnit. Hinc sequitur, quod neque propter naturæ dotes, genus, fortunamque præstanda est obedientia: videmus enim, Dei filium misero, rudi, ignaroque usum fuisse Piscatore, ut totam gubernaret Ecclesiam. Immo neque virtus eorum, sed sola qualitas ministrorum Altissimi causa esse debet nostræ obedientiæ. Scribæ, & Pharisæi, Salvator ait, successerunt Moysi, & non secus ac iste populum suum rexerunt, & Judæos erudierunt; at non ideo tamen integri vitæ sunt, scelerisque puri. Attamen facite, quæcumque dixerint vobis, at opera eorum nolite imitari, eos vobis non veluti exemplaria, sed veluti legis dispensatores propono. Altera vero ex parte in homine Deum respicientes caveamus, ne in alterum labamur extremum, atque superiores nostros tamquam Deos habeamus. In hunc defectum impingunt, qui obedientes illis placere student, illisque morem gerere, quin Deo sibi in illis cogitent esse parendum. Hoc pacto Dei voluntatem, quæ ipsis superioris voce retegitur, perficientes homini tantum obediunt, atque ita omnem laborum suorum fructum amittunt. Huic malo occurrere voluit S. Paulus per hæc verba ad Eph. 6. Optimis referta præceptis: *Servi obedite dominis carnalibus* &c. *Auctor Recens*.

In Mundo necessaria est subordinatio.

Mirum esse non debet, si Patres tot elogiis obedientiam certent extollere; ubique enim est necessaria; visibilis enim hic mundus per eam viget subordinationem, quam Deus inter creaturas illum componentes constituit. Imperia, respublicas, corpora omnia ordo conservat; ordo vero nonnisi per obedientiam servatur. Quamobrem hac in re divinam admirari debemus providentiam, quæ eam constituit varietatem, atque subordinationem, quæ inter homines fulget propter varias conditiones, in quibus eos collocavit; vehementer enim erraremus, si putaremus varietatem hanc, quæ homines adeo inæquales facit, aliosque superiores, inferiores alios constituit, casus, fortunæque esse effectum. Neque minus deciperemur, si ignaviam tantum, & imbecillitatem aliorum, aliorum vero ambitionem, ac vim effice-

efficere crederemus, ut in quolibet statu personæ inveniantur, quæ imperent, & quæ imperata faciant. Sapientia Dei semper hunc ordinem in omnibus constituit societatibus, atque utitur variis hominum studiis, ut varias ditionis suæ partes constituat; ac sæpe singulis opinionem relinquens vocationis ejus, quam amplectuntur ex eorum consiliis suam haurit gloriam, eaque in suos vertit fines, quod videlicet homines mutuis firmentur auxiliis, & ubique subordinatio inveniatur. *Auctor Anonymus.*

Obediendum potestatibus, quia a Deo sunt.

Sedulo cavete, Apostolus omnibus fidelibus inquit, ne eas lædatis potestates, quas præfecit Deus iis regundis imperiis, quorum summa auctoritas penes illas esse jussit; illis enim qui resistit, resistit Deo. Qui illatum imperiis obnititur, Dei reluctatur imperio, & divinæ majestatis reus est, qui superioribus divinam in terris majestatem repræsentantibus reverentiam, & obedientiam detrectat. Sed cum subditi se in officio continere sciunt, atque superioribus eos adhibent honores, eamque observantiam, quam tenentur, tunc florent imperia, tunc urbes, & regna profunda pace fruuntur, ac Deus ubique colitur, quia ordo ab illo institutus, diligentissime observatur..... Neque dicas, omnes liberos nasci, & homini nullum esse jus alios sibi subjiciendi, quorum natura in nulla re inferior est alterius naturæ; scimus enim nobiscum ex ipso matris utero essentialem afferre submissionem, quæ nos divinitatis subditos efficit, omnibusque illius subdit imperiis, & quandoquidem ex illius imperio, legibusque nobis præsunt, qui regere, ac imperare debent, rebelles essemus, si vellemus excutere jugum, quod gestare tenemur. *P. Haineuve in prima parte de ordine sermone* 14.

In superioribus non spectandæ sunt personæ, & eorum qualitates, sed auctoritas quam obtinent.

Licet etiam, S. Augustinus ait, principes, aliique superiores obliviscerentur, quid erga nos sint, non ideo tamen nos oblivisci debemus, quid erga illos simus; & quamvis aliquando excedere possint nimis dura imperando, non ideo tamen minus obedientiam illis præstare tenemur; etenim auctoritas eorum non virtuti ipsorum innititur, sed potestati personæ Dei, quam gerunt, quæ cum labi nequeat, illos in jure ipsorum confirmat, & nos in fidelitate, atque obedientia inconcussos debet continere. Itaque hoc est non contra principem, & superiores, sed contra illum, qui ad hanc dignitatem evexit, vel qui eos in hoc statu constituit, & cujus nomine imperant, rebellare; hoc est in cœlum ipsum arma capere, de ipso Deo conqueri, & obmurmurare; hic enim permisit, ut qui imperat, aliis dominaretur. Ita nihil est, propter quod reverentiam, & submissionem detrectare debeamus; & quoniam persuasum nobis esse debet, terrenas potestates a cœlesti, cujus regimen nonnisi æquum esse potest, auctoritatem suam mutuari, justitiam adoremus illius, quamquam in iis, qui imperant nobis, injustitias permitteret. *Idem.*

Quam necessaria in mundo, & in societatibus omnibus sit obedientia.

Obedientiam si auferas, quid est mundus? Quid hac virtute magis necessarium ad ordinem hunc, regulamque tuendam? Hoc ipsa probat experientia. Ubi deest obedientia, ibi adest confusio, illuc vitium irrepit; inde exulat pax. Totum, quod conjunctum non est, laborat, & imminentem evitare nequit interitum: e contra vero ubi servatur obedientia, ibi omnes ædificantur. Qui perfectum hunc intuetur consensum, videre sibi videtur beatos illos spiritus, qui perfecte inter se invicem conjuncti sunt. Si quid stabile in terris esse potest, hoc sane illud est, quod ordinem servat, ac bene sibi cohæret, quod tunc solum accidere potest cum obedientia fideliter observatur. *Lambert in Sermonibus de vita Eccles. tom. 2. Serm.* 18.

Obligatio non subditi, & inferiores omnes obedire tenentur.

S. Petrus Apostolus obedientiam commendans nihil prætermittit. Si ullus esse deberet locus, quo ab obedientia nosmet dispensare possemus, proculdubio tunc esset, cum superiores sua auctoritate abutuntur. Verum hæccine legitima est rebellionis causa? licetne tunc jugum excutere, & detrectare obedientiam? Id si facis, te damnat D. Petrus, qui explicite tunc quoque obtemperandum esse pronuntiat: *Non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Pet. 2. Quot in mundo insipientes sibimet plaudunt? Lætitiæ eorum fundamentum illud est, quod ab omni jugo expediti sunt, atque vitæ suæ habent arbitrium. Quot sunt, quibus omnis dominatio non ferenda est, & qui nihil aliud nisi libertatem inquirunt? Hi filii sunt prodigi, qui patris imperium ultra pati non possunt, suæ felicitatis inimici, quia omnis regulæ osores de seipsis penitus disponere cupiunt. Vis ergo tuimetipsius dominus esse, & magister? Heu te miserum! dominum, ac magistrum ineptiorem, fallacioremque invenire non potes. *Idem.*

Infelicitas eorum, qui suam voluntatem sequuntur, & qui nemini obedire volunt.

Judicate de extrema illius calamitate, qui seipsum juxta propriam voluntatem vult regere, atque sui ipsius arbitrium habere. Cum Deus in homines irritatus, in ira sua illos punire vult; non extremum supplicium, quo utitur, est, illos sibimet relinquere, ac eos in desideria cordis ejus tradere: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Psalm. 80. Quomodo animadvertit Deus in infideles populos, cum cæce turpissimas suas affectiones secuti, nequissimis sceleribus illum ad iracundiam provocarunt? *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum:* ad Rom. 1. Atqui præsto est, ut imperata faciat, hac percuti pœna non metuit; cumque decreverit voluntatem suam minime sequi, timere non potest, ut Deus in pœnam ipsum propriæ tradat voluntati. Igitur quam utile est obtemperare, quandoquidem hæc obedientia ab hac supplicii severitate tuetur, quo, donec vivimus, nihil nobis magis formidandum potest accidere. *Idem.*

Utilius est subesse, quam præesse.

Obedientiæ effectus cogitantes facere ne possumus, quominus pronunciemus, longe utilius esse imperata facere, quam imperare? Et sane nihil magis metuendum est, quam superior locus, ubi quis auctoritate præfulgens sedet. Sapientes illum fugerunt, atque tamquam onus grave considerarunt. Heu! quid illis potissimum terrorem injecit? Hoc sane, quod noverant quam difficile, & periculosæ plenum opus sit aleæ imperare. Velle dominari, eosque gradus appetere, quibus super alios evehimur, hoc est esse sui ipsius inimicum. Nonne satis superque de nobis rationem reddituri sumus, ut de aliis etiam eam reddere contendamus? An dubitatis, utrum iis, qui præsunt, ratio reddenda sit de illis omnibus, qui ipsorum subjecti sunt auctoritati? Hæc sane causa est, propter quam S. Jacobus c. 3. suadet, ne prima cupiamus subsellia. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis. Idem.*

Illis, qui ad primos evecti sunt gradus, semper est metuendum. Dignitatem suam considerare debent non tamquam aliquid speciosum, & utile, se veluti onus gravissimum. Sincere, & ex animo præsto esse debent obediendo. Si integrum esset illis optionem facere, haud hæsitanter status hic illis relinquendus esset, atque auctoritas omnis abjicienda, ut eam amplecterentur conditionem, in qua obeditur, & non instat grave illud onus alios regendi. Sed qui obediunt conditionis suæ felicitatem agnoscant, & hinc magis magisque ad munera sua rite obeunda excitentur. Multo tutiores sunt præ aliis, ideoque etiam feliciores. *Idem.*

Fallax prætextus quo homines se ab obedientia dispensant.

Cum mens humana plena sit voluntatibus, alii quidem in hac, alii in oppositis versabuntur sententiis. Alius enim dicet; parere non possum; mea quippe abutuntur facilitate, & quod ex me quæritur, me nimis indignum est. Alius vero e contra queretur se obtemperare non posse; opprimitur enim, sibique ea imperari dicet, quæ suas vires excedunt. Affectiones æque noxiæ, ex quibus cordis rebellio deprehenditur. Qui humilis est corde, & a providentia eo in statu positus est, ubi obedire tenetur, adeo perniciosas removet cogitationes. Sed hic verus est obedientis hominis situs. Nihil ad examen revocat; sufficit illi, quod sibi imperetur, &

obe-

obediendi locus præbeatur; illum minimis etiam rebus ex animo vides intentum; in difficilioribus vero, majorisque momenti vides illum omnes ætatis, industriæque nervos contendere, ut quemlibet obicem infringat, quin deterreatur. *Idem*.

Obedientia esse debet integra.

Obedientia non prompta dumtaxat, verum etiam integra esse debet: qui enim quibusdam in rebus obedit, in aliis vero non item, ex mera libidine obedit, sed caret spiritu obedientiæ, & reipsa non obedit. Sanctus Jacobus c. 2. inquit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*....Quicumque igitur quibusnam in rebus obedire non abnuit, in aliis vero secus, rebellis est, & Deus illum considerat velut hominem semper obedientiam detrectantem. Improbus character est, obedientiam in iis rebus negare, quas infra nos esse putamus. Verus obediens, ille videlicet, qui respicit Deum in iis, quibus obtemperat, sedulus semper est, & in omnibus; at qui tunc tantum obtemperat, cum ea, quæ imperata sunt, ipsi placent, renuit vero, cum displicent, non Deo, nec propter Deum, sed amori proprio, suoque obedit affectui. *Idem*.

Ex corde obediendum est.

Eo in loco manete, in quo vos Deus ipse constituit, & ex animo obedite, non obliti vos obedire Deo hominibus obedientes. Hic proprie character est veræ obedientiæ, Ex corde emanare debet, exterior quippe actio non aliud est, quam species externa, & superficies. Deus petit cor, & hoc generale principium est rerum omnium, quas præcipit. Jubet eleemosynas erogari? hoc ex corde fieri jubet, & ait, *Hilarem datorem diligit Deus* 2. Cor. 9. Exigit opera, externosque cultus, submissionis nostræ argumenta? docet, nisi hæc opera ex animo fuerint profecta, fore ut nos cum hypocritis repellat, qui labiis illum honorant, dum cor eorum longe est ab illo. Matth. 5. Deo igitur displicent, qui propter metum obediunt, quorum cor plenum est diffidentiæ, querimoniæ, obmurmurationis &c. Obeditis quidem, sed ægre, & gravate; donec extrinsecus ea facitis, quæ jubemini, intrinsecus rebellatis; nonnumquam etiam in vosmetipsos satis imperii non habetis, ut sensus vestros dissimuletis, & iis responsionibus, quæ vestram ostendunt indocilitatem, eos contristatis, quibus Deus ipse in vos contulit auctoritatem. Quid inde vobis continget? obedietis; omnem obedientiæ laborem percipietis; sed fine fructu obedietis. At si vosmet superare nitemini, atque cordis vestri repugnantiam domare certabitis; Deus sacrificium vestrum accipiet. Inviti vero obedientes semper eritis in loco servorum, quia murmuratis, & ex metu dumtaxat operamini. *Idem*.

Obedientia meritum, atque praestantia.

Obedientia virtus est universalis, virtutes omnes vel complectitur, vel supponit. Hæc, S. Gregorio teste, cæteras virtutes in anima nostra constituit, eas tuetur, & perficit; quæ virtutes esse desinunt, nisi ab illa tegantur, & migrant in vitia, si adversentur eidem. Hoc, ut verbo me expediam, acceptissimum est, quod offerri Deo possit, sacrificium; quia difficillimum est, & quia mortalis per obedientiam sacrificat, quidquid optimum, & charissimum habet, videlicet libertatem. Ita ipsa etiam Scriptura testatur, meliorem esse obedientiam, quam sacrificium; namque, ut S. Gregorius ait, per sacrificia animantium caro, per obedientiam ipsa voluntas immolatur. Ipsa etiam sacrificia contra obedientiæ ordinem obita fiunt execrabilia, ac Deus ipse profitetur inobedientiam a se tamquam idololatriæ speciem haberi. *P. Nepven tom. 3. Consideration. Christian.*

Obedientia quantumvis cæca videatur, semper est perspicacissima. Nonnumquam humanæ rationi contraria videtur, sed tunc etiam est æquissima; etenim pro regula supremam sequitur rationem, Dei videlicet voluntatem. Id, quod superioribus peccati causa est, cum per animi libidinem imperant, mihi causa est meritorum; etenim per charitatem obedio. Quam beata est sors obedientis! Certus se a Deo semper gubernari, numquid ne male regatur, potest metuere? Inquietus ne esse potest; & ulla torqueri cura præter hanc, satisfaciendi videlicet imperanti? *Idem*.

Exemplū obedientiæ, quod Salvator hominibus reliquit.

Quemadmodum obedientiæ praxis homini difficilis videbatur libertatem suam impensius amanti, Dei hominis exemplo fuit opus; ut facilis fieret, De illo a duodenni ætate ad trigesimum usque annum nihil nobis sacra refert historia, nisi quod obediebat: *Et erat subditus illis*. Ad hoc omnes rediguntur actiones, omnes virtutes, omnia abditæ vitæ Dei nostri miracula: *Subditus erat*; at cuinam? non Patri suo tantum, sed Mariæ, & Joseph, qui toto cœlo eidem inferiores erant. O portentum divinitatis! O præclarum exemplum! At quibus in rebus obediens erat? In abjectissimis simul, ac laboriosissimis, in minimissimis domus ministeriis, quin aliquid eorum, quæ sibi præcipiebantur, omitteret: perfecte Patris sui voluntatem in illa Mariæ, & Josephi respiciens, & his tamquam Patri suo obsequens. Itane filii, servi, subditi, itane obeditis, ita ne facitis imperata? Hæc murmura, difficultates, querimoniæ, hæc ignavia, negligentia, humani respectus, hæc obedientia, vel necessitatis, vel meræ politicæ satis ostendunt, quam longe abestis a perfecta Salvatoris obedientia, qui palam profitetur, se non venisse, ut suam licet sanctam, sed unice Patris sui voluntatem perficeret; & qui postquam in jugi obedientiæ praxi vitam traduxit, voluit etiam per obedientiam mortem oppetere, optans vitam potius, ut S. Bernardus ait, quam obedientiam amittere. *Idem*.

Quam accepta Deo sit obedientia.

Nihil est, quod Deo umquam gratius acciderit obedientia. Quantumvis acceptum esset illi victimarum sacrificium, palam profitetur, se malle obedientiam: cujus rei, mea quidem sententia, ratio est, quod ex omnibus virtutibus obedientia illa est, quæ hominem totum immolat, atque sacrificat. Cum continentia servatur, corpus quidem offertur, non abnuo; at nihil ultra; cum eleemosyna erogatur, bonorum quidem pars offertur; verum illic subsistitur; & eleemosyna hæc licet ex iis facta bonis, quæ extra nos sunt, Deo nihilominus est jucundissima, quemadmodum palam ipse testatur; sed qui obedit, seipsum omnino sacrificat; qui obedientiam exercet, omnes simul virtutes exercet, quia virtutes omnes a nostra pendent voluntate. Nobis igitur abnegantibus, quidquid sumus, & quidquid volumus, voluntas nostra in eo tota continetur, qui nobis imperat, ac nos regit. *Auctor Anonymus*.

Omnes Christiani hominis actiones esse debent actiones obedientiæ.

Numquam satis tritum illud reperere possumus axioma, in christiana vita actionem nullam vel esse, vel esse posse sanctam, & meriti alicujus, nisi ea sit alicui justæ legi obedientia. Ita quocumque in statu sit Christianus, seu superior, seu subditus, seu magnus, seu humilis semper in obedientiæ statu versatur. Si subditus, & inferior non obedire non potest, superior quoque imperare non potest, nisi obtemperans illi, a quo accepit imperium: ita ut ex quo actio aliqua obedientia non est, jam extra regulam rationis sit, quæ nullius hominis rationem relinquit sine superiori voluntate, qua gubernetur, ut ex omnibus cogitationibus æque ac affectionibus suis actiones obedientiæ perficiat. Sine hac submissione homo nonnisi superbiæ spiritu agit esse volens Dominus, & ut ita dicam Deus sui ipsius. *Sarazin tom. 2. Adventus Sermon. de Jesu Christi legislatore, deque perfecta obedientia.*

Deo obedit obediens hominibus.

Deo obedire est legitimis obedire superioribus, & e contra Deo negare obedientiam, hanc superioribus detrectare. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, dixit olim Samueli Prophetæ: 1. Reg. 8. *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, dicebat Moyses Israelitis Exod. 16. Gloriosus quidem est a Deo immediate imperata reci-

recipere; sed utilius fortasse est illa per hominem internuntium haurire; majoris enim meriti est, sese Deo simul, & hominibus propter Dei amorem submittere. At vos non terrent spiritus sancti verba dicentis, per inobedientiam quamdam idololatriæ speciem committi: Cum Israelitarum dux abfuit paulisper, infelix ille populus vitulum sibi ex auro conflavit, hunc adoraturus, & qui a superiosis regimine recedit, propriæ sententiæ fit idololatra. Si vis certe Dei sententiam assequi, interpres illius tibi consulendus est: *Populus venit ad me quærens sententiam Dei*. Exod. 18. *P. Dozenne in morali Jesu Christi*.

In errore labi nequit qui sequitur obedientiam.

Vera dicit sapientia, posse quemlibet alios majori cum securitate conscientiæ regere, quam ille se ipsum valeat gubernare; & nihil errori minus obnoxium esse, quam obedientiam; nihilque e contra magis periculosum, quam propriis luminibus adhærere. Principes ipsi, qui ad imperandum nati sunt, alicui obtemperare tenentur, suasque cogitationes sapientibus boni alicujus subditi consiliis submittere. Qui cæco ducem, medicum ægro, navique nautam aufert, hæc omnia in discrimen adducit; at qui seipsum obedientiæ subsidio privat, longe majus periculum subit. *Idem*,

In iis, quæ contra Deum sunt, nõ est obediendum.

Numquam obediendum est, ut malum fiat, videlicet, ut id fiat, quod palam divinæ legi adversatur, id si a superioribus facere jubeamur: sed bonum, quod vellemus, faciendum non est, si ab illis prohibeamur. Si superioribus malum imperantibus obediremus, cæcus tunc duceretur a cæco, & Deo obedientiam negaremus, ut homini pareremus. Apostoli coram Synagogæ principibus generose affirmarunt, ac probaverunt, oppositum efficiendum esse; & anathemate percutiendus esset Angelus, qui aliud prædicaret evangelium. Deus, inquit Scriptura, impiis accensebit eos, qui inanes prætexendo obligationes se excusant. Verum enim vero si rebellio est obedire, ut malum facias, non obedientia: & si Dei mandata infringere est, malum imperanti obedire; aliter sentiendum est de inferiore, qui ab eo abstinet bono, quod a superiore facere prohibetur: tunc enim ideo bonum opus relinquitur, ut melius fiat; & qui hoc pacto a bono abstinet opere, duplicem meretur mercedem; acquirit enim obedientiæ meritum, quin illud boni operis sibi propositi amittat. *Idem*.

De obediendi necessitate.

Non desunt virtutes, quarum praxis nitet; nec desunt aliæ obscuriores, & quæ sine ullo oitore exercentur, qualis est obedientia, quæ signum est submissionis, cujus homo inimicus est, & quæ repugnat libertati, cujus est amator. Dicere nihilominus possumus, nihil magis necessarium esse, nihilque vulgarius, quam hæc inferioris ad superiorem relatio. Alii obediunt præ metu, ideoque servorum instar; alii propter spem, ideoque instar politicorum; alii propter virtutem, ideoque instar fidelium. Verum est, permittere sæpe Deum, ut infirmi, ignari, vel furentes imperent aliis. Quod si natura magnam esse ostendit, præposteramque perturbationem, quod tales aliis præficiantur, respondebimus, malum adhuc majus esse, cum ratio, ira, aliisque affectionibus superatur, eum obedire malumus tamquam jumenta, quam veluti homines; cum placet potius nosmet politicorum more, quam fidelium submittere. Quamobrem si pro nobis malum est de nobismetipsis non amplius disponere, multo magis metuendum nobis est, ne avaritia de corde, & vis de spiritu nostro disponat: quid enim proderit bruta docere animantia, ut homini obediant, & simul rationem nostram brutorum affectionibus submittere? *Liber*, *qui inscribitur*: La Conduite du Sage, *Tomo* 2.

Quam aversatur saluti inobedientia, & propria voluntas.

Nihil est saluti magis oppositum, & quod Christianum divina gratia magis indignum efficiat, quam velle sui ipsius ductorem esse, & secundum suum spiritum vivere; in hoc enim superbiæ spiritus consistit, quem tamquam gloriæ suæ ruinam, omniumque malorum originem Deus odit, & execratur. Hic autem spiritus potissimum oritur ex propriæ sapientiæ existimatione, cum homo se satis fortem existimat, ac parem semetipsum regundo, quin alieno indigeat auxilio, atque fallaci hac ductus persuasione sibi regulas, ac placita divinis prorsus opposita effingit. Ad hanc igitur insolentem humani spiritus vanitatem infringendam, & mundanam hanc sapientiam, quæ divinæ ordinem conatur evertere, confundendam, Dei filius in Incarnatione sua, reliquoque vitæ suæ spatio perfectissimæ obedientiæ proponere nobis voluit exemplum. *Moralis Christiana in Pater*, *libr.* 5. *section.* 1. *art.* 5.

Deus submissionem ubique esse voluit.

Primum, quod ab iis, qui christianam religionem profitentur, expetat Deus, fides est, quæ, ut vera dicam, non aliud est quam propriæ mentis captivitas propria abnegantis lumina, ut cæce eas credat veritates, quas comprehendere nequit, veluti certissimas, atque ab omni dubitatione remotas propter solam revelationem, quàm Dei nomine illi aperuit Ecclesia; quod Sanctus Paulus appellat mentes omnes in servitutem redigere, ut eas Jesu Christi obedientiæ submittat. Hac eadem de causa ille in ecclesia sua quamdam constituit Hierarchiam, videlicet Pastorum subordinationem, quorum alios aliis parere vult, imperans, ut homines nonnisi legitimorum superiorum intercessione recipiant eam potestatem, & lumina, quæ illis sunt necessaria. Ita Deus præcipuos mortales, reges etiam, & principes, nec non eruditissimos rexit philosophos cum illos ad fidem pertrahere, & omnipotenti gratia sua convertere voluit. Illos per obedientiam humiliavit; fregit in illis eam spiritus vim, de qua gloriabantur, & superbam illam contrivit sapientiam, qua intumescebant, atque in oculis suis adeo attollebantur, ut tamquam pueri sese submitterent superiorum ecclesiasticorum regimini, quibus, non secus ac alii, obedientiam debent adhibere.

De religiosa obedientia.

Ambigi nequit, quominus illi, qui ut felicitatem obtineant rebus in omnibus divinam sequendi voluntatem, voverunt obedientiam se illis adhibituros, qui palam Dei locum tenent, hac in re aliis præstent; quia non solum norunt, quid ab ipsis expectet Deus in iis, quæ maxime momenti sunt; verum etiam jugiter sciunt, quid velit Deus in singulis actionibus eorum: atque ut perfectissimam ducant vitam, satis est, si quod faciunt, hac mente faciant obediendi Deo, illud ab ipsis fieri jubenti. Tintinnabulum, quod statis temporibus pulsatur, vox est cœlestis, quæ illis edicit, quid placeat Deo, & quid tunc temporis fieri velit: & licet palam illis appareret Angelus, a quo, quid facto opus esset, edocerentur, non ideo tamen æque certi essent, ut hoc modo sunt, qui nulli obnoxius est illusioni. Nonne hæc aptissima via est facile ad altissimum virtutis gradum perveniendi? *P. Guilleminote in Sapientia Christ. cap.* 8. *vers.* 2.

Quomodo imitari possis religiosorum obedientiam.

Obedientiæ meritum cogitantes nobismetipsis dicamus: quam cæcus sum, qui tantum amo libertatem & qui obedientiæ jugum adeo grave esse puto; qui omnem infringere conor servitutem! Quam nequam est, nulli sese submittere velle, nulla in re velle cogi, ac indesinenter in murmur erumpere, ubi aliquid fuerit imperatum! Millies beati religiosi, quorum vita jugis est hujus virtutis exercitatio! Quanta felicitas est dicere posse, ne unum quidem ex libidine gressum proferri, cum omnia vel a regula, vel superioribus singillatim præscripta sint! Sed cur alii, quantum fieri potest, eos non imitabuntur? Quantum mereretur uxor, quæ obedientiæ spiritu viri sui voluntatibus sese submitteret, atque in iis etiam rebus, quæ nullo in discrimine habentur, omnia ad illius nutum faceret; & in iis quoque, quæ bona sunt, nihil contra ejusdem imperium aggrederetur, quandoquidem illi a Deo subdita fuit! Filius, qui parentibus morem

rem gereret, famulus, qui Domino, dominæque, & omnia mortalium genera directori in iis, quæ ad conscientiam pertinent, obsequerentur! Hoc si desit, nulla virtus perfecta est, nulla perseverantia in virtute licet mediocri, illusiones, tumultus, sollicitudines sine fine; cum interim qui subditus est, non solum malum non facit, sed bonum, imo tale bonum, ut nihil melius fieri queat. *P. de la Colombiere tom. 4. Medit. 5. de Passione Domini.*

Superioribus obediendum est in spiritu amoris, & charitatis.

Hoc obedientiæ genus, de quo modo locuti sumus, illud est, quod toties nobis tamquam charitatis effectum Scriptura commendat. Non enim est, uti S. Bonaventura animadvertit, coacta obedientia, qualis servorum est, lucrum dumtaxat spectantium: obedientia libera est, & filialis, ut illa, de qua loquitur Ecclesiasticus cap. 3. ubi ait: *Filii Sapientiæ, ecclesia justorum, & natio illorum obedientia & dilectio.* Quamobrem interest primum considerare, Deum, cum sit omnium dominorum primus, a nobis quoque ante cætera, & super cætera diligendum esse, prout amoris præceptum, quod reliquis omnibus præmittere voluit, nos cogit. Ex hoc autem amore oritur illa, quo complecti debemus superiores nostros, & eos omnes, quos elegit Deus, ut ipsius vices gerendo nos regerent . . . Ubi cum S. Ambrosio *l. de offic. c. 7. & 8.* animadvertendum est, licet superiori nihil prætermittendum sit, ut inferiorum sibi benevolentiam conciliet, & hæc optima sit ratio obsequii promerendi; inferioribus tamen semper durum licet, morosumque superiorem esse diligendum ea tantum de causa, quia Dei locum tenet. *P. a Ponte in Duce Spir. tom. 2. caput 9. §. 4.*

Ut obediamus quemadmodum oportet, amandum est, quod nobis imperatur.

Quicumque obedit, uti opus est, amat id, quod sibi imperatur, illudque amplectitur, tamquam viam sibi ad salutem, perfectionemque propositam. Idcirco hoc modo amandæ sunt nobis omnes proprii status, munerisque regulæ, & generatim omnia superiorum nostrorum edicta; ideoque ex nobis quærendæ sunt causæ, quibus ad eorum amorem possumus impelli. Ea, quæ nobis imperari possunt, duplici sunt in discrimine; alia quidem nobis placent, quia vel commoda nobis accidunt, vel decora: in his nullis indigemus rationibus, quibus ad eorum amorem excitemur; obedientia enim non magnis conatibus indiget, Sanctus Gregorius ait, ubi nihil molestum offendit, & si obedientes id quærimus, quod nobis jucundum est, hæc vera obedientia non est, vel imperfectæ obedientiæ species est, in qua non mediocris pars est propriæ voluntatis: sed in iis, quæ sunt propriæ voluntati studiis opposita, obedientia studia hæc debet superare. *Idem.*

De vera obedientia idem est, ac de fide;

Ita Asceticæ vitæ magistri de obedientia loquuntur, quæ hac in re similis est fidei, quæ humanis rationibus minime innititur, sed unice verbo Dei, propter quod credimus. Et sane qui obedire novit, uti religiosum, immo uti christianum decet, humanas rationes non quærit, sed solam Dei spectat voluntatem, cujus interpretes sunt superiores; si enim in hisce humanis rationibus subsisteret, politicam tantum, non autem christianam haberet obedientiam, & si hujusmodi considerationes in illo non essent, obedientia illius non alio suffulta fundamento corrueret. Ubi vero semel animum ad perfectam obedientiam induxit, coram Deo inquirere potest rationes, quibus agatur ad celerius, alacriusque adimplendam Domini voluntatem, & eorum imperia, quibus jus est præcipiendi: tunc enim rationes hujusmodi obedientiæ meritum non imminuunt, non secus ac in fide, cum fidelibus rationes aliquæ proponuntur, non ut præcipuum fidei argumentum, sed ut minori cum repugnantia obscurissimas credant veritates a Deo in Scripturis revelatas. *Idem tomo 2. c. 13. §. 2.*

De cæca obedientia.

Perfecta hæc, de qua loquimur, obedientia, cæca appellatur; etenim ad obediendum non alios habet oculos, quam Dei, & ministrorum illius: ideoque Dei unius est videre, utrum quod præcipit, bonum, atque utile sit. Christianus, & religiosus, qui ad perfectionem adspirat, judicium suum obedientiæ submittere debet, sine ullo examine Dei mandata capessere, adimplere quæcumque ab illius ministris imperantur, ubi nihil jubent, quod palam sit malum, & in his omnibus nihil sibi præter eamdem obedientiam proponere. Præterea cæca ista obedientia nequaquam considerat qualitates, perfectiones, talenta, virtutes illius, qui præcipit, in hoc unum tantum intuetur, quod videlicet superior est, cui Deus suam credidit auctoritatem, & quem ille in locum suum constituit, ut ab eo regeremur. Cum enim a Deo hoc in munere fuerit constitutus, quod semper præsupponendum est, in persona ejus Deus semper respiciendus est, & credendus per hunc regere, & imperare: & primus esse auctor rerum omnium, quæ jubemur, quin aliquid ultra quæramus, quin cogitemus, utrum qui nomine illius imperat, doctus sit, an indoctus, mitis an severus, probus, an nequam. *Idem ex parte.*

Obedientia reliquas omnes virtutes complectitur.

Supponendum est perfectam hanc humanæ voluntatis submissionem, & hanc hominibus, qui illius nomine nobis imperant, obedientiam non tantum esse peculiarem aliquam virtutem, quantum plurium virtutum congeriem, quæ simul omnes consentiunt, ut fideliter, quidquid Dominus imperaverit, expleant. Fides, spes, charitas, humilitas, pietas, aliæque plures in perfectum hunc obedientiæ actum concurrunt; cumque rebus in omnibus obediendo præsto simus, fortitudo, temperantia, liberalitas cum illis conjunguntur in iis, quæ præcipiuntur, adimplendis, ita ut Sanctus Gregorius citra hyperbolem dicere potuerit, obedientiæ proprium esse omnes secum virtutes attrahere, easque in anima tueri; sufficit enim constans propositum concepisse faciendi, quidquid Domino placuerit, ut statim omnium virtutum exercitationi vacemus. *Idem.*

Vivere in statu obedientiæ est vivere secundum Deum.

Haud hæsitanter asserere possumus, quod vivere in statu obedientiæ idem est ac vivere secundum Deum; hoc enim est facere voluntatem Dei: qui nihil præterea a nobis exigere potest, nisi ut ea, quæ jubet, quæque sibi placent, efficiamus. Præcipua hujus veritatis ratio desumitur ex Apostoli verbis ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* At Dei spiritu ducitur, qui nihil ex seipso, & propria facit voluntate; sed illum in omnibus consulit per eos, qui præsunt, & quos audire debemus. Ita enim S. Augustinus in Ps. 118. illa interpretatur; non qui ex proprio spiritu operantur, sed qui Dei spiritu reguntur, hi sunt filii Dei. Stoici, quorum hæc præcipua erat sententia, sapientem seipsum regere debere, vivere poterant quisque secundum spiritum suum; sed veri Christiani, qui pertinent ad Deum, rebus in omnibus Dei, ac spiritus ejusdem motum sequuntur; cujus discriminis hæc ratio est, quod philosophorum illorum spiritus erat superbia, & vanagloria; spiritus vero Christianorum humilitas est, cujus proprius character est submissio, & obedientia. *Moralis in* Pater *lib. 5. sect. 1. art. 5.*

Obedientiæ status magnum est religiosis solatium.

Magnæ consolationis argumentum est illis potissimum, quorum vita status est obedientiæ, quales religiosi sunt, quorum actiones omnes fere determinatæ sunt vel a regula, quæ est veluti inanimatus superior, vel ab eo, qui auctoritatem in illos obtinet, & est veluti regula vivens. Deus reipsa peculiarem clargitur protectionem obedientibus, qui eo in loco sunt, in quo Deus ipsos constituit; & S. Joannes Climacus merito inquit, obedientiam tutam esse navigationem, ac iter, quod a dormientibus, & sine periculo absolvitur; sufficit enim sese credere nautæ ad gubernaculum sedenti; tunc enim certissime pervenitur in portum. Hæc etiam extremo judicii die pro hominibus, qui sese Dei servitio devoverunt, respondebit, eritque

que eorum apud supremum judicem justificatio, *Idem*.

Perfectæ obedientiæ bona.

Quam prudens est cæcæ obedientiæ simplicitas, Sanctus Bernardus exclamat, quandoquidem per cæcitatem suam nos semper ad beatum finem adducit! Prudentia magna quidem est virtus, sed difficile comparanda, & obedientia prudentia est æque tuta, & facilis. Apud nos infinitæ locum habet sapientiæ, quæ tunc nobis sua lumina impertit, cum nos illi nostra sacrificamus. Sed ut sapiens religiosus evadat, abneget, ut ita dicam, opus est sapientiam, & omnis illius prudentia sit nullum habere earum rerum, quæ sibi imperantur, discrimen. Ita obedientia mors est voluntaria, vita ab omni curiositate vacua, tutaque ab omni periculo securitas. Perfectus obediens, qui simul, & mortuus, & vivens potest appellari, tunc solum dolet cum aliqua in occasione facit, quod vult; adeo metuit grave hoc propriæ voluntatis pondus. *Pater Dozenne jam memoratus*.

Superior debet pro virili obedientiæ jugum imminuere.

Superior quantum in ipso est debet adniti, ut inferioribus suis obedientiam reddat suaviorem; pietate studens in illos attrahere gratias Dei, cujus locum tenet; exemplo, illis in rebus omnibus præeundo non secus ac bonus Pastor, cui Jesus Christus comparatur; communi charitate, ab omnibus privatis necessitudinibus aliena: charitas enim confidentiam inspirat, quam peculiares evertunt necessitudines: æquali vivendi ratione, omni affectu vacua, aliorum imbecillitates, defectusque quatenus prudentia permittit, perferendo, vel cum corrigere opus est constantiæ lenitatem miscendo, *Idem*.

Religiosæ obedientiæ natura, & perfectio.

Religiosa obedientia, obedientia est perfectionis, quæ efficit, ut nosmet voto etiam adstrigamus obediendi propter amorem Dei illis, quibus naturaliter nullam debemus submissionem, ex sola cupiditate offerendi in sacrificium Deo, quidquid nobis in mundo antiquius est; nostram videlicet voluntatem, & libertatem, nosmet addicentes voluntati eorum, qui apud nos Dei obtinent locum. Hæc proprie religiosa est obedientia, quæ peculiari nomine obedientiæ virtus vocatur. Habet illa tres gradus, quorum primus, & minus perfectus in eo positus est, ut quæ superior præceperit, omnia ad unguem integerrime perficiantur, quin aliquid prætermittatur, quod non excludit voluntatis renitentiam, & obtemperandi difficultatem. Gradus alter in eo consistit, quod propria voluntas perfecte submittatur superioris voluntati, ita ut propriis abnegatis cupiditatibus, non alia nisi superioris voluntas habeatur. Tertius denique in hoc positus est, quod proprium judicium, & lumina judicio, & luminibus superioris submittantur, quin inquirantur rationes & causæ, quibus superior ad aliquid imperandum potuit adduci. *P. Nepveu in spirit. Christian. tract.* 3. *c.* 1.

Semper certi sumus nos bene facere obediendo, cum nihil præcipitur contra Deum.

Potest superior sine ratione nonnumquam mihi imperare; sed ratio postulat, ut illi semper obediam. Quamvis parum æquus sit imperans mihi, ego semper æquissimus sum obtemperans illi. Obedientia quantumvis cæca videatur, semper est perspicax, nonnumquam humanæ rationi videtur opposita, sed tunc æquissima est, quia pro norma supremam habet rationem, Dei videlicet voluntatem. Quod superioris peccatum efficit, cum aliqua animi ægritudine motus imperat, meum constituit meritum, quia charitas me ad obediendum impellit. Quam beata sors est obedientis! semper certus se a Deo regi; metuere ne potest, ne bene regatur? *Idem in Christ. Considerat. tom.* 3.

Obedientia esse debet prompta.

Promptitudo proculdubio certissimus est, ac maxime manifestus hominis perfecte obedientis character. Et sane quid aliud existimari posset de hac animi celeritate ad omnia superioris mandata capessenda, & quidquid ille imperaverit, alacriter adimplendum? Nonne hoc apertissimum est veræ obedientiæ argumentum? Quemadmodum enim tarditas in obedientia restis est, ægre, & gravate illam adhiberi, & externam dumtaxat obedientiæ speciem adesse, nonne e contra fatendum est celeritatem illius veluti animam esse? Ita vulgo sentiunt omnes; & hoc pacto ostendimus, nullam nobis esse voluntatem, atque hac celeri alacritate, qua currimus, quocumque nos vocaverit obedientia, probamus, nos ab omnibus rebus esse prorsus avulsos; & quin aurem adhibeamus iis rebus, quæ nos morari possent, id unum quærere quomodo munere nostro perfungamur. *P. Guillorè tractatu de illusionibus*.

Perfectius obedit, qui natura ipsa repugnante obedit.

Ambigi nequit, quominus qui imperata faciunt, quantumvis interius aliquam experiantur repugnantiam, veri sint obedientes; cum enim de obedientia res est, aliquid ne fieri potest generosius, & quod illius veritatem apertius ostendat, quam hoc pacto obedire? Tunc liquet ex mero virtutis hujus amore fieri, ut præceptis pareamus. Num aliud certius afferri potest argumentum puritatis obedientiæ, perfectæque integritatis, quam si talis de seipso victoria reportetur? Nonne hoc est cæcam submissionem ostendere? Hæc ipsa, quam experimur, repugnantia nonne esse debet tamquam regula, & lex, quæ nos ad alacrius obediendum impellat; quandoquidem hac ratione sacrificium nostrum perfectius efficimus, & victoriam, quam de nobismet reportamus, reddimus insigniorem. Non defuerunt Sancti, qui secreta hac usi sunt repugnantia, ut certius Dei voluntatem cognoscerent, considerantes in opere suscepto nil propriæ voluntatis adesse. *Idem*.

Obedire non est superiori voluntatem ad suam assu, vel alia qualibet ratione inclinare.

Non desunt, qui se obedire glorientur, qui palam contra legitimam auctoritatem minime insurgunt; sed qui nihil intentatum relinquunt, ut sibi imperetur, quod cupiunt, vel ab iis, quæ minime cupiunt, dispensentur. Sexcentas nectunt ambages, ut ad finem sibi propositum perveniant; ipsi videri nolunt, quasi de ipsis, negotiisque ipsorum non ageretur: amicorum opera utuntur; potentes habent patronos; efficiunt, ut casus incidant, propter quos id, quod petunt, obtineant, plurimas expediunt artes, ut votorum summam consequantur, quæ omnia si minime suffecerint, ab importunis etiam precibus, & obsecrationibus non abstinent &c. *Idem*.

Cum alacritate obediendũ est.

Laudabile quoque est, alacri, hilarique animo imperata facere, quin ullus dolor vel præseferatur, vel sentiatur; hæc enim alacritas indicio est, id amari, quod præcipitur, atque toto animi affectu adimpleri; quæ sane mentis affectio testatur, & superiorem, & quæcumque ab eodem proveniunt adamari. Approbant, quidquid sibi præcipitur; nullas nectunt moras, vel difficultates; & quod in obedientia maximi fit, omnia æque facientes ex animo, se perfecte indifferentes esse testantur; ita ut cum hæc hilaritas manifestum sit submissionis eorum, & amoris, quo obedientiam diligunt, argumentum, nihil ultra ab illis exigi quear. *Idem*.

Obedientia obedientem a damnationis periculo liberat.

Non modicum est obedientiæ bonum cogitare, per illam obedientes liberari ab omni damnationis periculo, atque salutis suæ quamdam certitudinem consequi. Etenim præterquamquod hoc illi bonum accidit, eo quod Dei voluntatem adimplet; si in iis efficiendis, quæ a superiore imperantur, aliquod lateret peccatum, hoc vitio superiori vertendum esset, non obtemperanti, qui apud Deum absolvetur, a quo tamquam legitima, & æqua illius excusatio admittetur... Adde quod Sapiens Prov. 21. obedienti promittit, illum in præliis semper victorem futurum, & triumphos loquuturum. Victor erit; Deus enim illum suis proteget armis, illum brachio suo sustinebit, peculiari modo proteget, eique potenter auxiliabitur, ita ut neque dæmones, neque alii quilibet inimici, cujuscumque generis sint, cum lacessentes eidem officere valeant.

Deus in eos, qui non obediunt severe animadvertit.

Inobedientia crimen est, quod Deus numquam impune passus est, uti in Scripturis videmus, ac

dicere

dicere possumus, illum hodierna quoque die in rebelles, & eos, qui legitimum detrectant imperium, eadem exercere supplicia, eademque maledicta, quibus primum rebellem, primumque inobedientem percussit: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi*. Gen. 3. Quia mihi non paruisti, propter scelus tuum terra maledicto erit obnoxia, tibi in pœnam tribulos, spinosque feret, & nonnisi in labore, & sudore vultus tui vesceris pane tuo. Maledictum hoc quotidie contra rebelles, & inobedientes adimpletur, quorum Deus consiliis maledicit, vias omnes tribulis serit faciens, ut conscientiam jugiter stimulis perturbatam habeant, ac assiduis curis, ac tædiis conficiantur &c. *Idem*.

Superiori tamquam ipsi Jesu Christo obediendum est.

Ut perfecte obedias, assidue ob oculos illum habere debes, propter cujus amorem obedis. Rei hujus efficacia ex sequenti suppositione cognosci potest. Finge tibi, ipsum Jesum Christum tibi apparentem imperare, ut hoc, vel illud facias; qua alacritate, qua celeritate, qua submissione illi obedires? Oborieturne tibi cogitatio judicandi de iis, quæ tibi præciperet? Dubitaresne, utrum hoc justum esset, an secus? Nonne cæce omnia perficeres hac una adductus ratione, quæ omnem rationem superat, imperat mihi Deus, ideoque nunc nihil æquius, nihil fieri a me potest utilius? Proculdubio te beatum putares, quod opera tua Deus uti vellet, & quo difficilius, & laboriosius id esset, quod tibi præciperetur, eo majori te gratia, & beneficio cumulatum existimares. Hoc autem Sancti, immo ipse Jesus Christus nos docet: *Qui vos audit, me audit*. Luc. 10. Ego impero, mihi obtemperas. Et sane quid interest, utrum ille per se sibi suam voluntatem aperiat, an ad illam tibi tradendam hominum, aut Angelorum utatur ministerio? Ille semper imperat; neque enim expectandum est, donec ipse aliter loquatur, neque petendum, ut ille ipse nobis suam ostensurus voluntatem descendat. Semel de cœlo in terram descendit, ubi opus fuit, ut illam nobis exploratam, compertamque faceret; sed tempus illud præteriit, nunc vult, superiores ejusdem interpretes esse. *Rodriguez tract. 5. cap. 11*,

Quam prompta, ac perfecta nostra esset obedientia, si omnia hac mente reciperemus! Eodem temporis momento, quo superioris vox auribus nostris accideret, omnia relinqueremus perinde ac Jesu Christi voce accersiti; ac magnum nos patrare scelus arbitraremur, vel si momento obedire cunctaremur. Quanam cura nostram voluntati illius conformaremus? Quo obsequio, qua animi submissione imperata reciperemus! Ullane esset difficultas, quam hæc non sterneret cogitatio?...... Modici vero fervoris, quam in obedientiæ exercitatione homines præseferunt; immo etiam renitentiæ, qua Dei voluntati resistitur, cum resistitur voluntati superioris, causa hæc est, quod non consideratur persona Dei in persona imperantis, & quod ideo obediunt, ut vel superiori morem gerant, vel ut evitent exprobrationem, quam inobedientia mereretur, vel quia imperium nostræ arridet voluntati, vel denique ob aliam id genus rationem: quod efficit ut externi actus obedientiæ non sint actus obedientiæ religiosæ, aut christianæ, sed tantum ad summum mundanæ, atque politicæ. *Idem*.

Quidquid est contra obedientiam superiori debitam, est inobedientia facta Deo.

Hæc veritas est diligentissime consideranda, & quæ altius animo nostro inhærere debet, quod sicuti cum obedimus superiori, obedimus Deo, qui illum repræsentat, & cujus locum tenet, ita cum lædimus obsequium, & obedientiam, quam superiori debemus, lædimus quoque obsequium, & obedientiam, quam Deo ipsi debemus. Ratio in utroque par; ideoque cum mundi Salvator dixisset: *Qui vos audit, me audit*, statim addidit: *Qui vos spernit, me spernit*. Luc. 10. Quod ipsum S. Paulus in epistola ad Romanos animadvertit, ubi postquam dixit, homines subditos esse debere potestatibus superioribus, quia omnis potestas a Deo est, hanc elicit illationem: quicumque potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Scriptura plena est auctoritatibus, locisque veritatem hanc comprobantibus. *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, dixerunt Moyses, & Aaron ad filios Israel Exod. 16. *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, dixit Dominus Samueli 1. Reg. 8. Nihil ergo esse credendum est resistere hominibus, quos vobis præfecit Deus, ut ab iis regeremini? Nonne magnum facinus est, Deo resistere, cum vobis persuasum esse debeat, a vobis illi injuriam inferri? Heu! supplicia, quibus sæpe in hujus generis peccata animadvertit, satis ostendunt, ipsum quam maxime ea affici contumelia, qua illi afficiuntur, quos in suum locum constituit, atque eamdem sibi quodammodo illatam existimare. *Idem*.

Magnum in morte solatium erit, paruisse.

Quam præclara illius vita est, qui semper in obedientiæ exercitatione vixit! quam dives est, pretiosa, sancta, atque hilaris! Quot benedictionibus repletur anima, quæ ita consuevit! Quinam erit vitæ adeo sanctæ fructus? Profecto facile erit illi morituro rationem reddere; ubi enim interrogabitur, quid hoc, vel illo die fecerit; non aliud reddet, quam, feci Domine, quod voluisti; quia parui; atque ita omnibus vitæ meæ diebus non magnis quidem meipsum exercui austeritatibus, sed tuam voluntatem adimplevi. Hæc mea consolatio est, hæc spei meæ causa. *Sermo Manuscriptus*.

Quid faciat religiosus vovens obedientiam.

Religiosus votum obedientiæ observans evertit, ac destruit licentiam hanc, hunc amorem dominationis, hanc propriam voluntatem, quæ amatur, & cujus subjectio magis quam mors ipsa timetur per hanc abnegationem, ac obedientiam nullis finibus circumscriptam, cui illum obstringit religio. Verbo: quemadmodum tota illius vita non aliud est quam series, & nexus actionum imperatarum, cumque obedientia dominetur, & regnet in omnibus vitæ ejusdem circumstantiis, dicere possumus, neminem esse, cui melius hæc quadrent verba Sapientis: Prov. 21. *Vir obediens loquetur victorias*. Perfectus obediens assiduos refert triumphos, quia hac ratione sua vitia, suasque affectiones evertens, aufert Dæmoni arma, quibus mundi sectatores oppugnare consuevit, reprimit potentiam hostis humani, ac irritos facit quoscumque conatus, quos exercere posset nobis nociturus. *Abbas Trappensis Collat. pro 3. Advent. Domin.*

Infelicitas religiosi, qui propriam non abnegavit voluntatem.

Religiosus, qui suam retinet voluntatem, pati non potest eos, qui in ipsum habent auctoritatem; qui illius vivendi rationem inspiciunt. Difficultates in singulos gestus oriuntur; nihil unquam præcipitur, quod illi placeat, vel illum deceat; indesinenter per tribulos, dumosque graditur, semper queritur, & murmurat: pax ab eo fugit, gravi exercetur bello, quod nullum invenit finem, neque secum magis, quam cum aliis consentit, & hoc pacto omnem secessus sui fructum amittit, & cupiditates illi æque inter claustra ac olim in mundo, dominantur. Ex hoc autem malo evenit, quod religiosus, qui perfectam vovit obedientiam, votum quod vovit contemnens, omnemque promissionum suarum recordationem abjiciens se in eum statum adducit, ubi Deus nonnisi cum indignatione illum videt. Recedit ille a Deo: Deus recedit ab illo. Dæmon, qui hanc videt infidelitatem, & hoc divortium, infelicem hanc aggreditur animam, circumundique illi statuit laqueos: & hæc, Deo præsidium, quo illa se indignam præbuit, negante, decidit in foveam, quam fecit. *Idem Collat. pro Quinquages. Domin.*

Ad quid obliget obedientiæ votum in statu religioso.

Obedientiam vovere est sese obligare ad id, quod in religiosa vita maximum est, maximique momenti, difficillimum, sanctissimumque. Ad id inquam, quod maximum est, in hoc enim perfectio

tota,

tota consistit; & quidquid illa continet, in virtutis hujus exercitatione comprehenditur, & palam constat, obedientism ita religiosæ vitæ essentialem esse, ut religiosum esse, & perfectum esse obedientem, sit unum, & idem. Nihil in illa majoris momenti est; etenim sine obedientia actinnes nmnes, exercitationes, studia, officia, ex judicio Dei, nullum habent meritum, nullamque virtutem. Nihil est difficilius; quia obedientia nihil aliud quærit, quam integram abnegationem, perfectam a seipso divisionem, mortem, ac veram proprii spiritus destructionem; quod quidem difficillimum est, & quod homo suapte natura superbus, ac seipso tumidus vix pati potest. Nihil denique est sanctius, quippe omnes hæ præcedentes dispositiones consummatam sanctitatem vel suppoount, vel continent. *Idem Collat. pro 4. post Pentec. Domin.*

Perfecta obedientia rara est in domibus etiam religiosis.

Sed ubinam invenitur hæc perfecta obedientia, obedientia hæc cum simplicitate, suavitate, alactitate, hilaritate, affectu, amore, obsequio, & existimatione conjuncts erga eos, qui præsunt, & imperant; Nonne passim prorsus oppositum videtur? Murmurationes, suspiciones, mœrores, temeraria judicia, sollicitudo, invidia, diffidentia de iis, qui habent auctoritatem, & infinita hujus generis mala, quæ pulchritudinem domus Dei dedecorant, & efficiunt, ut externis actionibus soliditas, virtus, & meritum desint, quod mali magnitudinem auget, cum pravæ privatorum affectiones sæpe secretæ sint, malo curando ne animus quidem advertitur, neglectisque vulneribus augetur corruptio, ac tandem illuc evadit, ut medicinam pati non possit. *Idem collat. 2. pro 10. post Pentec. Dom.*

Primi hominis inobedientia.

Certum est, ex Patrum sententia, omne primæ felicitatis in homine bonum ab illius erga Deum submissiooe pependisse. Sanctitas illius tantum perstitit, quantum obedientia; ac tunc tandem peccator factus fuit, cum abusus libertate, quam illi tradidit Deus, Illum in consilii sui manu collocans, ut inquit Scriptura, propriam voluntatem divinæ substituit. Cum anima contra Deum rebellavit, corpus ab anima defecit, & duæ istæ partes, ex quibus coalescebat, factæ sunt duo irreconciliabiles, ac domestici hostes, qui præliis suis illum vexarunt, omnemque illius progeniem vexabunt. *Auctor Anonym.*

Religiosus certus est se facere quidquid vult Deus, cum ea facit, quæ illis placent, qui eidem præsunt. Sed ubi id unum efficere vult, quod ipsi arridet; cum dolo, blanditiis, querimonia, aut alia qualibet arte, Cassianus ait, cogitur superior, id tantum jubere, quod in votis est, numquid potest aliquis putare, se ea tantum facere, quæ Domino placent? Verum est, homines sese confinnsre specie quadam submissionis, quæ vaga est, & commentitia, in hoc posita, ut cognoscant, quod si jure suo superiores utentes nos in necessitatem adducerent efficiendi oppositum ejus, quod volumus, hoc facere teneremur; & generali hac idea sese protegentes ea tantum faciunt, quæ volunt. Suavis quidem consolatio est religioso viro eo in munere, in quo Deus illum expetit, humanis decedere. At cum sumus, ut ita dicam, fortunæ nostræ opifices, cum hoc munus, & hæc dignitas effectus est curatum, & sollicitationum nostrarum, vel fructus electionis nostræ, numquid morientes hac dulci consolatione perfundimur? *Croiset in Spirit. Considerat.*

Quam opposita sint obedientiæ judicia, & murmurationes, quæ de superioribus fiunt.

Statim ac prudentia carnis prudentiæ spiritus succedit, obedientia jugum non ferendum videtur. Illico efformantur judicia judiciis superioris imperantis opposita, & si in illis virtus, ac zelus invenitur, attamen non deesse plurimum imprudentiæ existimatur. Obedientiam, quam petit, nimis cæcam esse; illum imperiosius sua abuti auctoritate; zelum, quo agitur, secundum scientiam non esse; illum a subditis ea petere, quæ præter eorum officia sunt; illius solertiam, proprie loquendo, meram esse libidinem, merumque pravi ejusdem ingenii effectum; quæ ab ipso benevolæ redargutiones vocantur, veras esse contumelias, verosque furores, fidei consonum non esse, tot præstantissimos viros, qui non secus ac ille superioris dignitate præfulgent, in tenebris, ac cæcitate versari, ipsum unum, ut ita dicam, bonos oculos habere, & uni ipsi illucescere. Penes te judicium sit de hujusmodi considerationum effectu, atque utrum cum talibus sensibus servari queat obedientia. *Ex libro, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presb.*

Interior obediendo errare non potest, licet Superior parum æqua jubeat.

Si evangelicos sensus assequamur, facile cognoscemus incompatabilia obedientis vitæ bona, & execrabimur vitam inobedientem, qua hujusmodi bonis privamur; contemnemus sermones, quos humana profert superbia, bonum videlicet esse libertatem suam tueri, nec sese alienæ libidini subjicere. Libidinem pro libidine; multo melius præstat alienæ subditum esse, quam suæ; aliena quippe nobis minime nocebit, & ratum est, si minime prosit; cessat quippe talis esse in inferioribus, qui per obedientiam sequuntur illam, quamvis in superioribus talis existat. Sæpe in superiore libido est temere inferioribus imperare, quæ neutra sunt; at libido non est in inferiore, sese superioris voluntati submittere in iis, quæ neque bona, nec mala sunt, & quæ temere imperata fuisse videri possunt. Obedientia æquam facit executionem mandatorum, quæ non æqua vocari possunt; immo ab hac incommoda, & periculosa perquisitione, utrum æquum sit imperium, necne, dispensat, quæ res nos in periculum adduceret, ut de superioribus judicaremus, eosque sæpe contemneremus. Scire satis est, ea, quæ imperantur, contra Deum non esse, quod primo statim occurrit intuitu; at scire, utrum opportunum sit, an importunum imperium, utrum aliquid melius posset imperari, hæ periculosæ, & inutiles sunt disquisitiones, a quibus nos obedientia dispensat. *Desumptum ex Speciminibus Ethicis tom. 10.*

Qui obedientia reguntur, tutum lumen sequuntur.

Christiani sunt filii lucis, ambulare debent in lumine; sed obedientia nobis lumen semper præsens ministrat. Qui seipsum regit, cognoscere debet non solum, utrum actiones suæ bonæ sint, an malæ, verum etiam utrum eæ sint, quas ab ipso expetit Deus, & utrum fictis coloribus ad illas impellat cupiditas. Sed qui sibi proposuit in quavis actione sequi, quidquid ipsi a superiore fuerit præscriptum, repente hoc nanciscitur lumen, quo regendus est. Ad id non indiget nisi ipsa obedientiæ regula, quæ præfert judicium alterius, qui ab omni cupiditate vacuus est, proprio judicio, quod numquam suspicione vacuum existimandum est, & mavult sui ipsius regendi curam alteri tradere, quam teneri propriis luminibus dignoscere, quid deceat, quid non, & quid ab ipso exigat Deus. Regulæ hujusmodi simul, & prudentiæ, & boni sensus regulæ sunt, lucem præferentes illi, qui obedientiæ viam ingreditur. Ita via hæc via est luminis, via splendore veritatis illustrata, & de qua dici potest, quod de via justorum Sapiens Prov. 4. ait. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. Ibidem.*

Periculum eorum, qui seipsos regere volunt, & obedientiam detrectant.

Quod Sapiens addit, terrorem incutere potest iis omnibus, qui seipsos regunt; videtur enim eorum vitam prorsus oppositis qualitatibus indigitare: *Via impiorum tenebrosa*, ait ille Prov. 4. *nesciunt, ubi corruant*. Hæc verba nonne ad amussim illis quadrant, qui seipsos proprio lumine ducunt, & qui propriam voluntatem sequuntur? etenim pro luminibus rationis, & fidei, non alium ducem sequuntur, quam libidinem, cupiditates, & affectiones suas, quæ veræ sunt tenebræ. Ita verum est dicere, illos nescire ubi corruant; quia ne lapsus quidem suos cognoscentes nesciunt, utrum ceciderint, & minus adhuc, utrum lapsus suus sit periculosus. Sæpe quod illis nihil videtur, eos in præceps trahit. Hic nonnumquam lapsus est, ex quo consurgere non poterunt; sæpe vulnus est, quod mortem illis inferet, ideoque nesciunt ubi corruant. *Idem.*

Huma-

In obedientia ducem invenimus, qui nos tuto in viam salutis adducet.

Humana vita fallacibus repleta est semitis, quæ nos ab itinere deflectunt, ac in periculosos errores alliciunt; & cupiditas, quæ semper viget in nobis, infidelis est consiliarius, quo jugiter sollicitamur, ut eas ingrediamur vias, quas nobis suaves, & jucundas repræsentat. Quid igitur saluti esse potest utilius, quam fidelem invenire ducem, qui manu veluti nos ducat, efficiatque, ut in multiplici viarum numero illam eligamus, quæ nobis maxime convenit? Quid e contra insipientius esse potest, quam illius hominis sermo, qui nos nimiæ redargueret simplicitatis, eo quod hæc acceptamus subsidia, & manu duci patimur, nosque tradimus fideli huic duci, quæ ex tot periculosis erroribus eripit. *Ibidem*.

Obedientia inexhaustus est fons meritorũ coram Deo.

Non semper eo in statu sumus, ubi Deo offerre valeamus corporis mortificationes; & si indiscretis mortificationibus membra nostra affligere contendimus, earum fontem exhaurimus, vires atterendo, & valetudini officiendo. Liberalitas, quæ nos impulit, ut offerremus Deo bona, quæ nobis elargitus est, & amicos nobis conciliaremus mammona iniquitatis, suos limites habet, & ipsa exercitatione exhauritur: sed obedientia nullis est finibus circumscripta, inexhaustus est fons benedictionum; semper parata messis, quæ numquam deficere potest. Qui non obedit agendo, obedit non agendo, cum ad id imbecillitate redigitur. Qui obedire nequit iis, quæ a nobis homines cupiunt, obedit Deo, qui non vult, tunc nos illis obedire; Deo enim obedire debemus hominibus obedientes; & par utrobique meritum est, & volente Deo hominibus obedire, & non obedire ipso nolente. *Ibidem*.

Offerendo voluntatẽ Deo per obedientiam inexhaustus illi thesaurus offertur.

Qui grati animi sensus erga Deum fovent, sæpe secreto dolore conficiuntur, eo quod non habent, quod offerant illi; at si vere spirituales sunt, obedientia illis inexhaustos thesauros ostendet. Quantumvis pauperes sint, suam semper habent voluntatem, eamque Deo offerre possunt abnegantes illam. Hoc donum est, quod Deus pluris facit, quam terrena omnia, cum hominis voluntas longissime sensibilibus quibuscumque rebus sit anteferenda. Thesaurus iste, qui numquam pauperibus deficit, in Deo æquum nanciscitur judicem, qui justum illius novit pretium. Nemo ergo de sua erga Deum conqueratur inopia, sed de seipso queratur, eo quod ditescere nolit suam Deo per obedientiam tribuens voluntatem. *Ibidem*.

Qui obedientiam exercet, præcipuas, ac præstantissimas virtutes simul exercet. Justitiam primum, cum enim homo per voluntatis suæ amorem perierit, æquum est, ut voluntatem suam abnegando reparet noxam. Pravus nostræ libertatis usus nostram peperit lapsum, atque infelicitatem; æquum est igitur, ut consurgamus abdicantes, libertatem illam, qua sumus abusi. Homines necessitate quadam coguntur sese ad quamdam redigere captivitatem; seipsos mancipaverunt peccato, suis cupiditatibus inservientes, & ex hac servitute emergere nequeunt, quin se mancipent Deo, vel per se, vel per homines imperanti. Verum cum non semper adeo facile sit Domini viam dignoscere, admirabile nactus est secretum necessariæ hujus servitutis exercendæ, qui facit, ut hominis imperium fiat imperium Dei, quod obedientiæ via præstat. *Ibidem*.

Qui obedientiam exercet humilitatem simul & mortificationem exercet.

Exercet humilitatem, quin obediens se subjicit, & homini imperanti, & Deo imperanti per hominem. Proprias fatetur tenebras, & se cæcum esse confitens evitat peccatum confidentiæ in luminibus suis. Sinere se ab aliis duci, cæcitatis effectus est; sed non alia potior suppetit ratio evitandi, ne in hoc malum ruat, quam illud hoc modo prævertendo. Mortificationem exercet; præcipuum enim objectum, cui adhæreat homo, est ipsius propria voluntas. Ita qui ab illa per obedientiam se ipsum avellit, exercet mortificationem omnium maxime spiritualem, intimamque, ac ex corde suo magis profundas atque latentes amoris proprii fibras conatur evellere. *Ibidem*.

Qui se ab obedientia duci sinit, veram possidet sapientiam.

Sapientia, qua docemur, quomodo qualibet in actione nosmet gerere debeamus, perrarum donum est, quod immediate paucis communicat Deus; quia illis esset quodammodo periculosum: cum enim contineat lumen, quo nobis ostenditur, quid quavis in occasione faciendum sit, anima, quæ eodem aucta est, hoc intelligit; idque intelligens, periculum est ne intumescat, atque superbiens per præsumptionem in veram decidat dementiam. Deus igitur homines vulgo ab hoc periculo servaturus, hoc sapientiæ donum paucis communicat, a quibus alios illud mutuari vult, sese illorum regimini subjicientes. Ita reipsa possident, quidquid in sapientia reale est, bonam videlicet vivendi rationem. Quid igitur interest, veram ne sapientiam in te habeas, an in alio, dummodo æque bene te regat? Tutius immo est illam in alio tantum possidere, quin humilius, & citra superbiendi periculum possidetur. *Ibidem*.

Raro superior non habet plus luminis, quam nos, ut nos ipsos dirigat; minus enim habet affectionum, & vacuus est, quod ad nos attinet, amore proprio, quo excæcamur, & quia humilis submissio, qua illius mandata recipimus, passim reparat, quidquid in superiore deficere potuit. In plurimis peccare possumus submissionis defectu, sed perraro ob nimiam submissionem peccamus. Obedientia itaque sapientia est omnium captui accommodata; semper enim obediendi adest occasio, dummodo hoc ex animo cupias. Qui superiorem non habet, directorem habere potest, qui directore caret, invenire potest amicum, & sincera sequendi consilium alienum cupiditas fere semper in aliis gignit nobis consilium præbendi voluntatem. *Ibidem*.

Suave, & jucundum est in obedientia vivere.

Quidam proprium præferunt consilium superioris imperio, fallaci ducti cogitatione, dum videlicet esse alienæ obnoxium esse voluntati. Verum si in actionibus ea nobis mens esset, quæ Christiano esse debet, si timeretur, quod ibi timendum est, profecto liqueret, nihil in terris suavius esse vita obedientiæ, & submissionis. Quemadmodum singuli vitæ gressus ad æternitatem referuntur, timere debemus, ne pedem proferentes labamur, nullumque solidum inveniamus fulcrum, itaut in errorem decidamus virtutem sequi arbitrantes. Hoc autem nobis metuendum est, cum propriis luminibus ducimur; secus vero cum aliena sequimur. Tunc enim semper solido innitimur lumini, si sententiam jam satis probatam sequamur, in iis videlicet, quæ per se mala non sunt, utilius esse superioris voluntatem sequi, quam propriam. *Ibidem*.

Melius est per obedientiam se aliqua per se bona, & legitima abstinere, quam propriam sequi voluntatem; id enim efficientes, quod optamus, illud unum assequi bonum possumus, quod nobis proposuimus, sed ab eo, quod cupimus bono abstinentes, quin superior id negat, cooperamur generali illius, in qua sumus, societatis bono; certum est enim eam societatem, in qua quisque facit, quod vult, sensim in plurima labi mala, ibique omnia paullatim susque, deque misceri singulis pro libidine agentibus. *Ibidem*.

Dei filius propriam voluntatem melius proscribere non potuit, quam constituendo obediendi necessitatem; quod & præceptis præstitit, & exemplis de utilitatibus, & bonis, quæ in eo continentur, locutus. Ut verbo me expediam, obedientiæ sacrificium omnium optimum est: *melior est obedientia, quam sacrificium*. Discriminis hujus ratio, ex S. Gregorii sententia, hæc est, quod per obedientiæ sacrificium nosmetipsos, propriamque offerimus carnem, in aliis vero sacrificiis victimarum solum caro immolatur . . . . . Ratio autem, quam Salvator adfert, ut nos ad nostræ voluntatis odium adducat, utque nos ex omnibus eruat malis, in quæ decidunt, qui ita infelices sunt, qui ei-

dem inserviunt, hæc est, quod qui scit voluntatem domini sui, eamque non adimpleverit, severe punietur. Et profecto voluntas, quæ cœca est, & quæ per se cognitione, & lumine caret, nobis vias ostendit præruptas, atque in præceps desinentes; hoc est, qui illam sequitur ducem, sese suis tradit affectibus, suisque trahi sinit cupiditatibus. Vivit suæ subditus concupiscentiæ, suæque libidini, & quantumcumque admitatur, ut sibi infelicem, in quo est, statum abscondat, semper conscientiæ stimulis secretisque ejusdem exprobrationibus discruciatur. *Abbas Trappensis in moral. consid. in S. Lucæ Evangel.*

Deus regimen eorum assumit, qui per obedientiæ votum a Superioribus se regi sinunt.

Deus ipse profitetur se eorum curam habiturum, qui propter ipsius amorem propriam voluntatem abnegaverint. Huic promissioni innixa anima generosa se ipsam jure privat naturali, quod habet semet regendi, nautam imitata gubernaculum in mare projicientem. Hoc per obedientiæ votum præstat religiosus; munerum suorum, vitæque suæ curam illis relinquit, qui Dei locum tenent, quin cogitet, quid de se illi facturi sint, qui sollicitum se præbeat, quin inflectere audeat superioris imperia; non oblitus sibi jus esse ademptum manus iterum gubernaculo admovendi. Hi sensus ab ingredientibus religionem passim foventur; at non semper retinentur. Fervor sensim tepescit; pauci sunt, quibus non suboriatur cupiditas exiguum aliquem motum naviculæ suæ afferendi, ut ad eum portum appellat, quo propria studia perflant; pauci, videlicet, sunt, qui nullam non adhibeant industriam procuraturi, ut a superioribus eo mittantur, quo ire cupiunt, & ei muneri, quod in votis habent, applicentur. Hoc est vitæ suæ regimen iterum assumere, iterumque gubernaculo manum admovere. *Pater Surin in Dial. Ascet. tom. 1. lib. 3. cap. 6.*

SUPPLEMENTUM.

Obedientia, quam debemus terræ principibus referenda est ad Deum.

Obedientia nostra semper tendit in Deum tunc etiam cum nos hominibus subjicit; his enim obtemperamus, quia jubemur a Deo, & hoc Dei mandatum causa potissima est in obedientia, quam illis præstamus. Obedio Regibus, quorum subditus sum: & si servus essem, domino obedirem, quia ita vult Deus. Igitur vere Deo obedio; voluntas Dei meam regit voluntatem; ego vero ab hominum voluntate minime pendeo, tunc etiam cum diligentissime illorum imperata facio; nam simul ac Dei voluntas mihi significat, se nolle, ut in re quapiam illis obediam, nullum amplius in me vel subditum, vel servum invenient. *Ex tractatu de magnanimitate Patris Segneri.*

Voluntati nostram facere normam actionum nostrarum, est illi tribuere quod Deo tantum convenit, & iis qui locum tenent illius. *1. Reg. 15.*

Docet Scriptura, quod obedientiam detrectare est quoddam veluti crimen idololatriæ: *Quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.* Ut melius id intelligamus, mementote, secundum Sanctorum librorum phrasim, hominis cupiditatem esse idolum ipsius; homo enim omnia ad peculiarem affectum suum reducit. Voluptuosus de suis tantum voluptatibus cogitat; avarus de thesauro suo tantum sollicitus est, & subditus inobediens suam tantum voluntatem vult sequi. Hoc cuique suum Deus est, vel potius idolum. Esse nostrorum officiorum regulam attributum est, Deo uni conveniens; nisi illud alteri cuipiam communicet, quod facit cum illis, qui illius vices gerentes nobis moderantur. Ita Jesus Christus de omnibus Superioribus inquit: *Qui vos audit, me audit.* (*Luc. 10.*) Cum ergo Superiori hanc negamus qualitatem, ut nempe sint regula actionum nostrarum, ut hanc nostræ tribuamus voluntati, nonne illos imitamur cultores idolorum, *qui appellaverunt Deos opera manuum hominum*? (*Sap. 14.*) Deteriores etiam his insipientibus, qui Dei nomen lapidi tribuunt, vel ligno, eamdem Dei auctoritatem nostræ voluntati deferimus, hanc tamquam vitæ nostræ normam constituentes. Superior noster accepit a Deo potestatem imperandi nobis, ut esset canon actionum nostrarum; ideo illi detrectare obedientiam est idem, ac illam negare Deo; & Deo hanc negare est nobis in Deum propriam voluntatem erigere, quod species est idololatriæ. Si grave est divinationis scelus, idololatria multo gravius est. Magnum proculdubio peccatum est proprium judicium judicio Superioris objicere: tunc enim certum pro incerto rejicimus. Sed voluntati Superioris non acquiescere, culpa enormis est; est enim velle voluntati nostræ submittere voluntatem hominis Dei vices gerentis. Hoc pacto inferior semet supra suum Superiorem constituit. Quæ rerum perturbatio voluntas nostra non est, nisi idolum inane. Si hoc adoramus, in illo dæmonem adoramus, qui nonnisi ad interitum potest adducere. *A voluntate tua avertere.* (*Eccli. 18.*) Conculca pedibus tuis hoc idolum, & in Superiore, quem tibi Dominus præposuit, primam actionum tuarum normam agnosce. *Idem.*

Generatim Obedientiæ nomine intelligitur illa Obedientia, quæ ad omnes pertinet Fideles, non illa simpliciter, quæ earum propria est animarum, quæ Evangelica amplectuntur consilia. Obedientia hæc est perfecta submissio legi Dei, vel iis omnibus, quæ jubet vel per se, vel per ministros suos. Ut autem hæc perfecta sit, tria requiruntur, 1. Bona fide ea quæ sibi facienda, vel non facienda sunt edoceri; alioquin hæc esset obedientia vitilitigatrix; vel stupida; 2. Obire generatim, & sine restrictione omnia officia sua: alioquin esset conditionalis, & coarctata obedientia. 3. Sese Deo tamquam Filium Patri submittere: alioquin servilis esset obedientia. Omni igitur cura, meditanda, & consulenda est Dei lex, ut cognoscas quid tibi faciendum sit, & hæc rationabilis, & sincera obedientia appellatur. Temet subjicere debes iis omnibus generatim, quæ hac lege imperantur, & hæc absoluta, atque integra dicitur Obedientia. Denique hæc omnia munera obeunda sunt in spiritu Charitatis, & amoris Dei; & hæc filialis obedientia nuncupatur. *Ex tertia parte Moralium sermonum.*

Tres necessarii caracteres ut obedientia sit perfecta.

In Obedientia, quam Deo, ejusque vices gerentibus debemus, tres caracteres requiruntur, si ad virtutis hujus perfectionem contendimus. Debemus enim semper 1. in pretio habere, laudare, approbare, quæcumque a Superioribus imperantur, lumina nostra luminibus eorum subjicere, & cæce arbitrari ea, quæ nobis præcipiuntur scita esse, & cum ratione conjuncta; 2. Intus ad voluntatem nostram componere, amare mandatum, quod irrogant nobis, illudque tamquam aptissimum, optimumque considerare. 3. Exequi celeriter cum simplicitate, hilaritate, perseverantia quidquid nobis imperatum fuit, licet naturæ molestum, ac difficile. Quantumvis solers, & litteralis fuerit exterior obedientia, nullius tamen erit pretii coram Deo, nisi conjuncta fuerit cum interioribus reverentiæ, & amoris sensibus. Rite, exempli causa; fungimini eo munere, quod vobis creditum est; sed reipsa nonnisi impatientes estis oneris hujus. Mens vestra contra Superioris voluntatem insurgit, cor vestrum murmurat; hinc, Sanctus Bernardus ait, obedientia jam nulla est; exterior obedientia vestra hypocrisis est, & nocens simulatio. Rei hujus diligens ratio habenda est; ne culpa vestra jacturam faciatis fructuum tot laborum vestrorum. *Moralis Novi Testamenti P. Neuville Tomo primo.*

Pax, & tranquillitas spiritus hominis vere obedientis.

Qui obedit, debet esse in tranquillitate perfecta. Nihil illi negotium facessat oportet, nullaque

que turba agitetur. Est in Dei ordine. Quod facit, parum videtur, sed parum non est; meritum enim illius obedienda commendat. Obedit licet ratiocinetur; quodcumque conetur nil melius facere potest quam Deo obtemperare. Multo melius fieri debet obediendo quod parvi momenti videtur coram hominibus, quam semet subtrahere obedientiæ, ut propria voluntate, ac motu mentem applices iis, quæ superioris ordinis creduntur, & multo majoris momenti existimantur. Hic dicit, sibi non esse tempus orandi; alter queritur, quod sibi non liceat exercere austeritates, quibus propensus est. Optimum est diu orationi vacare; optimum castigare corpus suum, & per mortificationem illud in servitutem redigere; sed melius est obedire, & se se juxta Dei Ordinem continere. Quod facis abjectissimum est, atque nihil hoc domi abjectius, & contemptibilius occurrit. Sed es in loco tuo, & id facis, quod tibi mandatum est. Sta ubi es, & habeto veluti tentationes, cogitationes omnes quibus turbaris. Attende ad munus tuum, eo in statu es, ubi Deo magis places quam si humiliter prostratus in Templo ad aras procumberes. *Sermo de Vita Ecclesiastica Lambert, Tomo secundo.*

Deus damnat etiã actiones, quæ sanctiores videntur, contra illius mandatum susceptas.

Vult Deus hominem esse ita fidelem obedientiæ, ut damnaturus esset illum, qui contra hanc virtutem peccaret sub inani prætextu deferendi eidem honores, quos nequaquam requirit. Habemus in Scripturis celeberrimum exemplum ad hujus principii veritatem probandam. Saul jubetur bellum Amalecitis inferre, eosque occidione delere, quin cuipiam parceret, & quin vel minimum quid ad Amalecitas pertinens reservaret. Saul parcit Agag Regi Amalecitarum. Populus sibi reservat ea quæ optime erant ex gregibus. Nullus umquam fuit prætextus speciosior illo, qui adhibitus fuit ad inobedientiam hanc fuco liniendam. Hi servantur greges Deo immolandi; sacrificium, quod detestabitur Deus. Hæccine sunt holocausta, quæ Deus sibi jubet immolari? Obedientiæ sacrificium, cordium, & voluntatum nostrarum obsequium; istæ sunt victimæ, quas postulat Deus. Sed attendite ad sequenda Scripturæ verba, & meditamini quo pacto loquatur de inobedientia in eadem hypothesi, quam ad examen vocamus. Scriptura palam ait, crimen hoc esse speciem magiæ, & omnem idololatriæ nequitiam in hac obedientia inveniri. Hoc facile intelligetis, ubi consideraveritis, hunc hominem sibi tantum obedire velle; & cupiditatem propriamque voluntatem suam sibi in idolum convertere. *Idem, ibidem.*

Obedire est facere, quod jubet superior, & quia jubet.

Obedientiæ meritum, non omnino in eo situm est, ut exequamur id, quod jubet Superior, sed ut exequamur propterea quod jubet. Utilitas, honor, decorum, metus efficiunt quotidie, ut ea faciamus, quæ jubet. At hæccine virtus est? Nequaquam. Perfecta Obedientia postulat etiam nostræ voluntatis cum voluntate Superioris conformitatem, ita ut velimus, quod vult, & ideo velimus, quia vult. Quæ causa est propter quam secundum Scripturarum phrasim nolle obedire, non est generatim nolle exequi mandatum Prophetæ,
1. Reg. 15. sed huic nolle acquiescere. *Quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Igitur obedientia est acquietio nostræ voluntatis voluntati Superioris, & illa perfecta est, cum voluntas nostra in superioris voluntate, tamquam in centro suo requiescit. Sed voluntas non ita facile huc usque semet submittit si adhuc proprium judicium nostrum audimus. Ita ut bene obediamus primum nobismet persuadere debemus, superiorem jure præcipere, quæ præcipit. Si e contra nobismet persuadere conamur, ipsum hoc injuria facere: statim erramus, & nosmet non obedien-

di periculo objicimur. Licet quidem ostendere superiori difficultates, quas patitur mandatorum ejus executio; sed si postquam has significavimus, quod quidem summa cum humilitate faciendum est, ei contradicimus, si cum illo disputamus, ut eumdem in nostram sententiam pertrahamus, hoc sane est, nolle obedire. Vestrum est diligenti indagine quærere, quomodo hac in re vosmet geratis. In omnibus statibus peccatur; & noxæ frequentiores, gravioresque sunt opinione. *P. Segneri in Meditat.*

Credere melius esse, voluntate superioris recedere, hæc species est divinationis.

Proprium judicium judicio Superioris opponere juxta Spiritus Sancti locutionem est *species divinationis*. Hoc est imitari hominem divinare volentem. Divinitus jussus fuerat Saul omnem Amalecitarum regionem igni, ferroque vastare; sed ille contra vetitum pinguioribus victimis parcit, ratus Sacrificium Domino gratius futurum;
& hac ipsa de causa, quia contra Prophetæ cujusdam imperium Dei consilia fuerat interpretatus, Samuel Sauli dixit: divinationis species est nolle obedire. Vos estis rei sceleris ejusdem, cujus infelix hic Princeps: vos quoque, ut ille, Cœli consilia libidini vestræ accommodatis, quotiescumque proprium judicium vestrum eorum judicio, qui hic Dei vices gerunt, non accommodatis. At ignoratisne eos, qui Domino adversantur, in confusione futuros? Quinam mihi, Domine, pacis sons, atque tranquillitatis, certum esse posse a me fieri voluntatem tuam in terra, cum facio voluntatem eorum, quos mihi præfecisti, ut mihi moderarentur! *P. Segneri in Meditationibus.* 1. Reg. 15. Isaie 45.

Obedientia est inter præstantissimas virtutes.

Videmus in Jesu Christo viventem virtutum omnium imaginem, præsertim vero obedientiæ. Hoc ille de se testatur, ut intelligamus quousque processerit fidelitas illius in virtutis hujus praxi, cum ille de Cœlo descenderit non ad faciendam voluntatem suam, sed illius, a quo missus fuit: & cum alioquin non quæsiverit ille facere voluntatem suam, sed illam Patris sui, qui misit illum; dicens cibum suum esse facere illius voluntatem, a quo missus fuit. Apostolus testimonium nobis daturus perfectæ obedientiæ Salvatoris Mundi, dicit illum factum fuisse obedientem usque ad mortem; ex quibus verbis videtis, Dei Filium venientem in terras, numquam sibi proposuisse, ut suam faceret voluntatem, sed ut in omnibus Patris sui voluntatem impleret. Denique quousque processit hæc Salvatoris obedientia? Usque ad mortem. Igitur assidua fuit ejus obedientia; perfecta fuit, & in omnibus. Quibus casibus turbari posset, quibus deterreri ille, qui paratus est ad obediendum usque ad mortem? *Lambert.*

Ita illi particulari quædam inhæret benedictio.

Insignis adnexa est benedictio obedientiæ fideli in minimis præsertim; magna quippe opus est humilitate, ut nosmet dimittamus ad obediendum in iis, quæ nullius fere momenti esse videntur, ideoque in eo plus est meritorum. Quid nobis quærendum est, nisi placere Deo, nosque illius beneplacito subjicere? Dubitare num possumus, utrum illi placeamus, cum videt nos propter illius amorem ex toto corde nostro ad ea ferri exercitia, quæ nos humilians, atque proprium amorem nostrum mortificant? Relinquamus ergo Mundum in erroribus suis, inanibus cogitationibus suis pascatur. Solidum bonum quæramus: id unum sollicitos nos teneat, videlicet ut Deo placeamus; cætera vero tamquam nihilum, & fumum reputemus. Postquam in rebus minimis usi fuerint opera nostra, permittet fortasse Providentia, ut nil tale quærentes attollamur, & ad majora promoveamur. Sed nunc caveamus ne in alterum extremum incidamus. Ne simus ex eorum numero, qui queruntur, qui murmurant, qui minoribus difficultatibus deterrentur. Servemus semper eumdem spiritum do-

cilitatis, & eumdem ardotem obedientiæ. Principium nostrum sit, delectati obedientia, quoniam persuasum nobis esse debet obedientiam virtutem esse Christiano utilissimam. *Idem.*

Gloriosû est homini exercere obedientiam. *Prov. 22.*

Homo nihil efficere potest majus, & se dignius, quam seipsum vincere. Obedientia vero inter virtutes cæteras efficit, ut de nobis gloriosam victoriam referamus: *Vir obediens loquetur victorias*. Valor, & fortitudo, quibus adversario præstamus sunt nobis cum brutis communia: non ergo de illis admodum gloriandum est; sed gloria vere solida est vincere semetipsum obediendo, quia per hoc ostenditur cor nostrum, & imperium quod habemus io ipsum. Homo, qui submittere nescit voluntatem suam obedientiæ servus est, cui suæ dominantur cupiditates, quibus ipse dominari deberet. Licet ergo obedientia non alias haberet illecebras, quam gloriæ de suimet ipsius victoria relatæ, hæc una ratio nos deberet impellere ad hilariter, celeriterque obediendum. Cæterum ut obedientiæ gloriam, meritumque habeamus non satis est per ignavum timorem, vilemque utilitatem obtemperare: propter rationem, ac officium obtemperandum est. Talis est hominis Christiani Obedientia, & ad illum præcipue ea pertinent verba: *Vir obediens loquetur victorias. P. Segneri in Meditationibus.*

Vir Obediens facile victoriã referet de carne, mũdo, & dæmone.

Si sapienti dicere satis est, quod qui in obedientiæ virtute perfectus est, *loquetur victorias*, non putes ideo unam tantum ab illo victoriam relatum iri; sed aliæ ejusdem victoriæ referuntur ad illam, quæ eidem subjicit propriam voluntatem, tamquam cæterarum difficillimam. Nam quicumque est ita suæ voluntatis Dominus, ut eam in omnibus accommodet voluntati Superioris sui, non invenit amplius occasiones pugnandi, unde non redit victor. Non caro, non mundus, non dæmon illi amplius sunt terribiles inimici. Vir obediens non cedet rebellionibus carnis: Quomodo enim vinceretur ab hoc mancipio; quandoquidem novit vincere suam voluntatem, quæ carni eidem imperitat, & quæ maxime difficilis est quæ redigatur? Cæterum Sancti testantur remunerari Deum perfectam submissionem Superiorum imperiis plenissima potestate super carnis desideria. Qui vult pattem inferiorem sibi submitti, semet superiori suo submittat, Sanctus Augustinus inquit. *Pater Segneri in Meditationibus.*

S. August. in Psal. 43.

Ejusdem argumenti.

Donec primus hominum parens Deo paruit, ipsos etiam primos cupiditatis motus ignoravit; e contra vero ubi parere noluit, vehementes ejusdem impetus expertus est; quod indocili usuvenit inferiori, Sanctus Augustinus addit. Non obedis Superiori tuo, vapulabis a servo, videlicet cupiditate tuà: & juxta Apostoli phrasim: sentietur a vobis non tamquam periculum, quo Deus insignes etiam sanctitate viros probat, sed tamquam pœna particularis vestræ inobedientiæ debita, tamquam fons tentationum, quibus ægre resistere poteritis. Homini obedienti nihil metuendum est ex parte Mundi, quia inde illi nihil sperandum est. Quid enim præ cæteris in mundo quæritur? Aliis eminere, a nemine pendere. Sed cum nobis legem irrogamus iis obediendi, qui Dei vicem gerunt in terris, nulla habita ratione vitiorum, aut talentorum eorumdem, sed unice *propter Deum*, quemadmodum præcepit Sanctus Petrus; non tangimur ultra desiderio aliis præstandi, quod præcipuum objectum est ambitionis humanæ. Homini obedienti nihil est metuendum ex parte dæmonis: Cum aliis virtutibus pugnamus contra dæmones, Sanctus Gregorius ait, sed cum obedientia, cum voluntate perfectæ submissa superioribus nostris certi sumus nos de illis victoriam esse relaturos. Itaque in Asceticia hoc certum est principium, cum quis proprium sequitur judicium, sexcentis

1. Petr. 2.

Gregor. in 1. Reg. 10.

illusionibus esse obnoxium; cum vero qui sequitur sui Superioris consilium tutum esse ab insidiis Spiritus tenebrarum. *Verbum custodiens Filius extra perditionem erit. Idem ibidem.*

Per obedientiam de vitiis omnibus triomphemus.

Quoniam victoria, quam de nobismet per obedientiam referimus, efficit, ut de reliquis triumphemus; in vita spiritali nobismet potissimum proponamus de propria voluntate nostra referre victoriam. Hinc omnes pendent eventus nostri; in hoc omnes nisus nostros impendamus. *Non pugnabitis contra minorem, & majorem quempiam*, dicebat Rex Syriæ delectis Militibus suis, *nisi contra Regem Israel solum*. Unius Achab captivitas, vel mors, nobis omnimodam cladem exercitus ejus pollicentur. Quam parum cognita est hæc hominis Christiani gloria, qui se ipsum vincere novit, ut voluntatem suam sub obedientiæ jugo submitteret! Hæc quidem ex omnibus gloriæ speciebus illa est, quæ homini maximo stat pretio. Sed quam utilis etiam est hæc victoria, quam Christianus de semetipso refert per obedientiam! quam requiem, suavitatem, securitatem illi procurat! Maxime formidabiles inimici tales esse cessant Illi. *Pater Segneri in Meditationibus.*

De Obedientiæ felicitate.

Per obedientiam quodammodo iterum acquiro jus illud, quo Primi Parentis mei culpa spoliatus fueram; prout voluntatem meam voluntati hominis subjicio, sentio per divinæ Misericordiæ Spiritum in me desideria carnis infirmari. Non audet ultra servus in me rebellare, cum ipsa etiam domina obedit. In hoc meam gloriam constituens, ut obtemperem propter Deum homini vicem illius gerenti, contemno insanam ambitionem filiorum sæculi, qui in eo gloriam suam collocant, si aliis dominentur; & nihil superest Mundo, in quo me tenet. Fideliter secutus motum, quem mihi infert obedientia, spiritum tenebrarum non reformido; hic me seducere non potest. Viam, quam mihi Superior ostendit, sequi me oportet; quidquid illi mihi faciendum imperat, illud est, quod a me fieri Deus vult. Plena hæc victoria hominis obedientis, nonnisi opus tuum est, Domine; quandonam gloriari potero, me illam a te obtinuisse, & tibi gratias agam? Quandonam optime callens artem vincendi per obedientiam, hanc utiliter edocere potero? ita est, Domine; certus sum, me tua facturum imperata, & acceptum fore in oculis tuis, memet subjiciendo regimini eorum, quibus me subjecisti, cum nihil legi tuæ contrarium præcipiunt. Cœcus ergo, & nocens essem, si crederem licere mihi sequi alia lumina; hoc quippe esset alios præter te Deos consulere. Ad unum ta pertinet, Deus, normam esse actionum mearum, sive per te, sive per illos, quos mihi perfecisti, ut me deducerent. Quomodo ergo ausim, sola mea lumina, sì tamque voluntatem meam in ducem accipere? Hoc sane esset mihi eum honorem vindicare, qui tuus est; hoc esset ex voluntate mea idolum mihi confingere, a quo tantum penderem: quod scelus! Hodie dico tibi, Domine, in eorum omnium persona, quos supra me constituisti: Domine quid vis me facere! Non aliam deinceps habere volo voluntatem, nisi tuam, ideoque & illorum. Falli fortasse possent præcipientes id, quod in se minus esset bonum; sed illis obediens id facio, quod mihi est optimum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Perfecta Filii Dei obedientia nostræ esse debet exemplum.

Rerum omnium perfecta abdicatio in qua vult vivere Dei Filius in hoc Mundo est proprie principium, fundamentum, & exemplar perfectæ obedientiæ, sine qua nemo potest excellere in hac virtute, quæ appellari potest virtus Filii Dei. Etenim quomodonam homo propriæ inhærens voluntati, ac proprio judicio, alienæ se se submittat voluntati, & regimini? Angeli, qui semper parati sunt ad Dei mandata facienda, quemadmo-

modum Propheta animadvertit; non obediunt illi tanta cum alacritate nisi quia intime cum illo conjuncti sunt, & eumdem spiritum habent: Easdem habent propensiones, eamdemque voluntatem. Quod vero obedientiam mirum in modum commendat, est intima conjunctio illius a nobis cum Salvatoris ejusdem voluntate facienda! Hoc totum constituit pretium illius obedientiæ quam præstamus personis illis, quibus nos natura, vel fortuna subjecit; ad imitationem illius quam Salvator præstitit Patri, reddens se subditum Matri Sanctissimæ, & Sancto Joseph, quemadmodum Evangelistæ testantur. *Cardinalis Bellarminus de septem verbis Domini in Cruce.*

Obedientia semper est cum merito conjuncta.

Nonne insigne bonum est posse in singulos dies tecentia merita acquirere? Qui vero nihil facit per propriam voluntatem, sed in rebus omnibus paret superiori, offert in singula momenta novum sacrificium acceptius Deo præ illis, in quibus olim victimæ jugulabantur. Causam adfert Sanctus Gregorius. Per victimas, ait ille, aliena caro immolatur; sed per obedientiam sua voluntas sacrificatur. Quod vero adhuc admirabilius est, si superior aliquid præcipiens peccaret, inferior non ideo minus mereretur, mandatis obtemperans; dummodo nihil illi præciperetur, quod palam esset malum. Jeremias Propheta dicit, *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit*, videlicet vera interiori pace fruetur; cum enim absolute propriæ voluntati sacrificaverit, ut divinæ adhæreat superiori obediens liber est ab omni ambitione; nihil sibi proponit, nihil vult, nihil requirit præter Deum. Ita dici potest Religiosum in frequentissima Communitate solitarium esse; quia unam tantum habens, eademque cum Superiore voluntatem, quodammodo una tantum persona sunt. Et quilibet haberi potest tamquam solitarius, habens, ut ita dicam, unum cor, & animam unam. *Cardinalis Bellarminus de septem verbis Christi in Cruce.*

Thren. 3.

Perfecta obedientia innititur humilitati, & amori contemptus.

Ad Hebr. 5.

Si Dei Filius didicit obedientiam, quod Sanctus Paulus testatur: ideo didicit, ut eam nos doceret, simulque ostenderet perfectam obedientiam in humilitate, & mortificatione esse fundatam. Qui enim obedit superiori suo in rebus, quæ sibi arrident, & enitescunt, relinquit dubitandi occasionem, utrum virtutis causa, an alia quapiam ratione operetur: sed qui celeriter, & alacriter obedit in abjectissimis, difficillimisque ministeriis, ostendit se esse ex Discipulis Salvatoris, & se ab illo verum obedientiæ spiritum accepisse. Sanctus Gregorius eximie explicat discrimen illud, quod inter veram, fictamque obedientiam intercedit. Sicuti evocamur, ait ille, nonnumquam ad officia suavia, & speciosa, nonnumquam ad aspera, & humiliantia: nobismet persuadere debemus obedientiam aliquando nullius esse meriti, cum se se illi commiscet propria voluntas, & licet propriæ voluntatis omnino sit expers, meritum tamen non semper tantum esse existimandum. Cum, exempli gratia, cogitur aliquis honorem suscipere, qui illum in terris insignem effecturus est: si hic non aliud sibi proponit, quam elationem, ac dignitatem; si propriam dumtaxat respicit gloriam, hic non habet obedientiæ virtutem; quia ille qui in honorificis muneribus suis nil aliud quærit, quam ambitioni suæ satisfacere, hic proprie obediens non est. Quod si e contra se redactum videt in statum, in quo sibi invito ferendæ sint humiliationes, & opprobria: in hoc non sunt multa merita, nisi humiliter, & ex corde sese illis subjiciat, quia in mundo nulla est vera obedientia, ubi non est verus amor contemptus. *Cardinalis Bellarminus de septem verbis Domini in Cruce.*

Lib. 35. Moralium.

Vera obedientia

Ut perfecta sit obedientia hilariter amplectatur oportet, quod humillimum est; & ægre, quod est sublime, ut in humiliatione, quo magis subjecta est Dei voluntati, eo majorem laudem mereatur, & in elatione, quo majorem sentit repugnantiam honori, qui sibi defertur a Deo, eo magis se sinceram ostendat. Quod de hac virtute diximus mirum in modum ex iis liquet, quæ olim illustres duo Servi Dei operati sunt. Moysi pascenti pecora soceri sui in deserto, apparuit Angelus in rubo ardenti, eique præcepit, ut susciperet regimen populi Israël, quem Deus de Ægypti servitute subducere moliebatur. Sanctus hic vir de se humillime sentiens, seque oblato munere indignum existimans gravi terrore percitus trepidavit. Domine, audias me quæso. Numquam hac præditus fui loquendi facilitate; & ex quo tu ipse alloqui dignatus es, tardioris, impeditiorisque linguæ sum, quam antea. Dominum deprecatur, ut alteri cuipiam hanc credat provinciam; se balbutire dicit, ut ab honore populi regendi se subtrahat. Sanctus Paulus cœlitus jussus fuerat se se Jerosolymam conferre, quemadmodum in Epistola ad Galatas de se ipse testatur. Secus viam obviam fit illi Agabus Propheta, qui Apostoli zonam arripiens, eaque pedes suos vinciens portendit ei, futurum ut ita Jerosolymis vinciretur. Statim Sanctus Paulus respondit se paratum esse non solum ut se vinciri, sed etiam necari permitteret propter Nomen Jesu Christi. Ex duorum horum insignium ductorum populi Dei exemplo videmus, si perfectæ obedientiæ præmium obtinere cupimus, nobis non esse recipienda majora munera nisi quia cogimur; minima vero ex animo, & alacri voluntate esse accipienda. *Cardinalis Bellarminus. De septem verbis Domini in Cruce.*

nonnisi minima amat officia; majora vero ægre suscipit.

Obedientia licet non adeo enitescat, ut virtutes cæteræ, non ideo tamen minus habet meriti quam aliæ; nam præterquam quod earum mater, & altrix est, atque earum vitam, quam ipsa illi procuravit, tuetur; videtur esse virtus generalis, reliquas continens; ob quas possidendas satis est obedientiam acquirere. Cum quodvis peccatum sit rebellio contra Deum, quælibet virtus est divinæ voluntati submissio. Quamobrem Sanctus Gregorius dixit Obedientiam secum inferre virtutes omnes in animam, easque ibi tueri, donec ipsa quoque in eadem commorabatur: Illam habere meritum fidei; & quicumque illius jacturam faceret infidelitatis redargutum iri, licet adhuc in speciem fidelis esse videretur. Hoc ipso privilegio fruitur super virtutes reliquas, quod universale sacrificium est, quo homo totus Deo immolatur. *In Panegyrico Sancti Mauri Patris Senault ex Oratorio Tomo primo.*

Obedientia cæteras virtutes superat, sine illa cæteræ acquiri non possunt.

Homines miseri non sunt, nisi quod nequeunt omnibus vitæ suæ casibus moderari, quod plura eveniunt in Mundo, quæ eorum voluntatem lacessunt, & requiem perturbant. Sed verus obediens expers est hujus turbæ; cum voluntas illius cum Dei voluntate conjuncta sit, quæ rerum omnium est regula, nihil illum affligit: omnes vitæ suæ casus accidunt juxta ipsius desideria, & jactare potest, reliqua sibi obtemperare, quia obtemperant Deo. Quod Totila igni ferroque depopuletur Italiam, quod terrorem inferat late in Provincias, quod Monti Cassino minitetur furorem armorum suorum, quod Sancti Benedicti Discipulis terrorem incutiat carceris, vel exilii, Sanctus Maurus tranquillus est inter procellas, & sciens hæc omnia evenire non posse nisi permittente Deo, neque timebit, neque trepidabit, cum acciderint. *Idem.*

Submissio quam homines habere debent voluntati Dei.

Error insignis est arbitrari potentiam nostram a nostra libertate pendere, & nos numquam ma-

Hominis potestas sita est in illius obedientia.

gis esse nostrummet compotes, quam cum facimus, quidquid nobis arridet. Vera hominis potestas in ipsius obedientia sita est, & ille semper inveniet submissionem in statu suo, & in persona, in affectibus suis, & in creaturis cum subditus erit Deo: & si dicit Scriptura hæc omnia esse possibilia credenti, nos potiori jure dicere possumus omnia esse possibilia obedienti; quapropter perfectus noster obediens nullam inveniebat in sensibus suis rebellionem, neque defectionem in affectibus, utrisque obtemperantibus spiritui, quia spiritus obediebat Deo; & poterat affirmare, se auctoritatem suam obedientiæ suæ meritis tantum debere. Sanctus Isidorus animadvertit carnis nostræ defectionem justam esse pœnam inobedientiæ nostræ, & alteram hominis partem ab altera defecisse tunc tandem, cum Superior ab eo exciderat cultu, quem suo creatori debebat; & idem addit, nos auctoritatem hanc reparare non posse nisi per submissionem; creata omnia nobis obtemperatura, si ipsi obtemperaverimus illi, qui illa nostro subjecit imperio, & carnem spiritui, & cupiditatem rationi nequaquam subditam fore, nisi ratio & Spiritus Deo fuerint subjecti. *Idem*.

Magna est Dei punitio, hominem tradere ipsius voluntati.

Homo, Sanctus Augustinus ait, sibimetipsi per superbiam complacuerat. Dei justitia ut in illum animadvertat pœna, quæ congruat criminis enormitati, illum ipsimet tradit. Hæc igitur terribilis est punitio, hæc igitur severa est Domini ultio, voluntati derelinqui. Qui paratus est ad obediendum non timet, ut hac pœna plectatur. Cum decreverit ille, suæ non hærere voluntati, nullus timendi locus est, Deum ad illum puniendum propriæ ejusdem voluntati relinquere. Quantæ igitur utilitatis est obedire, quia obedientia tuetur hominem a rigoroso hoc supplicii genere, quo nihil nobis terribilius accidere potest, dum hac vita vivimus. Salutares hosce effectus, obedientiæ considerantes cohibere nos possumus, quin clamemus, toto cœlo utilius esse subesse, quam præesse? Obediens, quam felix est vestra conditio? Illius felicitatem agnoscite; neque contendite ex vestro egredi statu; Domino gratias agite, qui vos in eo collocavit, & intelligite, quantum vos ideo debeatis illi. Nihil magis timendum est, quam superiores loci, in quibus auctoritate ornatus quis sedet. Edocemini Sanctorum exemplo. Illi delituerunt, fugerunt, & dignitates esse onus grave arbitrati sunt. Quid ergo potissimum extimuerunt? Hoc nempe, quod noverant valde periculosum esse imperare, & præesse. Vos imperare vultis, & quod Sanctos deterruit, vobis timorem non ciet. *Ex Sermonibus de Vita Ecclesiastica Lambert. Tomo 2.*

Nihil a Dei voluntate abnorme esse potest rectum.

Regius Propheta Deum rogabat; ut spiritum rectum innovaret in visceribus suis; ut autem spiritus rectus sit, sese conformare debet voluntati Dei tamquam primæ regulæ directionis. Creaverat Deus hominem rectum, Sacer Textus ait; sed illo recedente a Creatoris sui voluntate, spiritus illius amisit suam rectitudinem, curvatus est erga concupiscentias, & inclinatus est in considerationem, & perquisitionem amoris proprii in iis omnibus, quæ facienda proponit, & quæ facit. Si vult ergo illum dirigere, omnes voluntates suas divinæ voluntati submittere debet, ab illa semper nutum præstolari, illiusque mandata capessere, Dei quippe voluntas est sceptrum directionis, secum deferens oculum. Hæc cum prævisione deducit, præcipit cum consideratione, & regit sine perturbatione. Cum igitur intellectus Dei sit regula, & norma, ut ita dicam, totius veritatis, quin in re quapiam errare possit; voluntas etiam illius est regula omnis bonitatis cum rectitudine adeo inflexibili, ut nequeat umquam ne in levissimum quidem malum inducere; & sicut nihil inveniri possit ejus intellectui conforme, quod abhorreat a veritate; ita nihil esse possit voluntatis ejusdem objectum, quod rectum non sit. *P. Antonius de S. Antonio a Porta.*

Christianus debet seipsum in omnibus conformare divinæ voluntati.

Christianus vitam suam ita debet instituere, ut a Dei voluntate nequaquam discordet. Hæc illius mens esse debet, ut rebus in omnibus nil velit nisi perfectum divinæ hujus voluntatis complementum, & Dei beneplacitum; satis beatus si pervenire valeat ad ejus status sanctitatem, in quo erat Propheta, de quo dixit Deus: *Inveni virum secundum cor meum*, qui faciet omnes voluntates meas. Huc adspirat homo vere Christianus; ut Dei voluntas in se adimpleatur in omni ea perfectione, quæ maxima valeat excogitari; non solum in superiori animæ suæ parte, omnibusque facultatibus ejus, verum etiam in parte inferiori. Fiat, o Deus, voluntas tua in nobis, qui sumus super terram, quemadmodum fit in Cœlo, ubi es. In Cœlo minime offenderis, gratiam nobis concede, ut ne in terra quidem te offendamus. Rebus in omnibus obedientia tibi præstatur in Cœlis; fac, ut eadem cura tibi famulemur in terris. Summa dilectione in Cœlo amaris, fac, ut similiter te diligamus in terra. Sanctus amor tuus imperiose regnet in omnibus animæ nostræ facultatibus, in memoria, in omnibus sensibus nostris, in voluntate nostra, in nostro intellectu. Sit ille unicum principium omnium actionum, desideriorum, affectuumque nostrorum. *Modus recitandi Orationem Dominicam & Recens Auctor.*

1. Reg. & Psal. 88.

Præcipuum officium nostrum est facere voluntatē Dei, quomodo Sancti efficiūt in Cœlo.

Efficere debemus ita, ut Dei voluntas semper perfecte adimpleatur in nobis, & per nos super terram, & ita adimpleatur, ut adimpletur in Cœlo, ubi semper modo constanti, immutabili impletur, quin quidquam interpolare, suspendere, differre, aut facere possit, vel uno momento negligatur illius complementum; ubi semper illi præbetur suprema prælatio, quin aliquid comparetur cum illa; ubi universa in omnibus illi obtemperant, quin ulla detur exceptio, reservatio, restrictio. Concede nobis, Domine, gratias, quæ sunt necessariæ, sine quibus non possumus unquam adimplere voluntatem tuam; hæc enim unica ratio est tibi placendi, sine qua in periculo versaremur, ut in æternum ab aditu in æternum Regnum tuum prohiberemur. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Hac in re sequi debemus peculiare S. Pauli exemplum.

Nemo Fidelis est, qui Sancti Pauli exemplo dicere non debeat Deo: *Domine, quid me vis facere?* Neque satis est hoc dicere initio conversionis suæ; deinceps in vita sæpius repetenda est hæc interrogatio: voluntas enim propria, quæ in nobis mortua non est, conatur semper suum resumere imperium, ac inde eliminare regnum voluntatis divinæ. Optanda semper est divinæ voluntatis cognitio; hanc enim ignorantia nostra in singula momenta nos celat. Optandum semper est eam sequi, quia concupiscentia nostra non cessat quin minus illam a nobis amoveat, ut ad illud, quod ipsa diligit, bonum nos impellat. Sed ne hoc desiderium, & hæc oratio, qua cognoscere quærimus Dei voluntatem, ut sequamur illam, non sit sterilis, & in simplici consistat imagine, sine effectu; prodest serio meditati, quid sit sequi voluntatem Dei, & quomodo in omnibus vitæ casibus hoc munus Christianæ vitæ sit exercendum. Ad id autem scire opus est, quid sit hæc Dei voluntas, quam volumus sequi. *Ex speciminibus Ethicis.*

Nosmet offerre debemus ad ea facienda quæ Deus vult sine exceptione.

Sanctus Paulus generatim petit a Deo, ut sibi suam voluntatem aperiat. Petitioni huic nulla adhæret exceptio. Nihil excipitur. Offertur Deo cor ad omnia illius imperia exequenda paratum. Ubi docemur, cum a Deo petimus, ut voluntatem suam nobis reddat perspectam, sincerum habendum esse desiderium eam totam agnoscendi; & nullam esse debere in cordibus nostris exceptionem,

tem; qua optemus illam aliqua in re non cognoscere, ne credamus teneri eam adimplere. Hoc enim unum est ex maximis, & frequentissimis hominum vitiis, nolle exploratam habere Dei voluntatem, tunc etiam cum ferventius illius cognitionem a Deo videntur exquirere. Nobis omnibus fere quædam sunt vitia, quibus parcere volumus, & quæ Deo ipsi abscondere nitimur; licet nequicquam, æque ac nobis. Hinc Sanctus Paulus non cupit solum, ut Dei veritatem Colossenses agnoscant, sed ut *impleantur agnitione voluntatis ejus*. Videlicet ut nullæ sint in eorum mentibus, cordibusque secretæ latebræ quo divinum hoc lumen non pertineat, & ut semper sint clausæ voluntariis affectibus, qui prohibent, ne Deus illas repleat suo lumine, & gratia. *Ibidem*.

ad Coloss. 1.

Primum pietatis officium est Dei voluntatem agnoscere.

Nullum magis naturale pietatis esse videtur officium, quam sese offerre Deo, ut olim Sanctus Paulus ad illius voluntatem quotidie adimplendam; petere ab illo gratiam illius cognoscendi, prævidere actiones nostras; illis moderari secundum lumina, quæ nobis præbet Deus, & hunc rogare, ut nobis vim tribuat adimplendi quidquid ipsum velle cognoverimus. Neque enim satis esse debet generatim a Deo petere, ut nos de officiis nostris illuminet; sed consulendus est etiam de singulis actionibus nostris, idque non solum de exteriori actionum nostrarum specie, sed de interioribus affectionibus, & spiritu, quo faciendæ sunt, ut per diei decursum conemur illa adimplere spiritu eodem, semper parati ad illius voluntatem rebus in omnibus sequendam. *Ibidem*.

Amor divinæ voluntatis efficere debet, ut omnem amoris proprii regulam fugiamus.

Si divinæ voluntatis amor efficit ut in iis, quæ neutra sunt, ordinem, & æqualitatem præferamus perturbationi, & inæqualitati: hoc idem desiderium rebus in omnibus sequendi voluntatem Dei, abrumpit omnem affectum praxeos eorum exercitiorum quibus consuevimus, & gignit in nobis flexibilitatem ad illa mutanda, ubi velit Deus; quia pro scopo nihil habentes nisi obedire Deo, æque contenti esse debemus, cum æque, invenimus media obedientiæ hujus exercendæ. Quamobrem quamcumque nobis in iis rebus, quæ in nulla sunt differentia, normam præscripserimus, parati esse debemus ad eam relinquendam iis in occasionibus, in quibus Deus significat se aliquid a nobis velle. Per hanc flexibilitatem homines, qui studium amant, non cessant accurate colloquiis indulgere, quæ non diligant, ubi id postulet Charitas, amittunt aliquo pacto tempus suum, cum vult Deus illos hoc amittere; haud ægre relinquunt opera sua, cum vult Deus hæc ab illis relinqui; nulla certa sibi figunt consilia, ac semper sese tenent in manu Dei iis rebus vacaturi, quas sibi acceptiores esse Deus illis significaverit, *Ibidem*.

Qui superiore carent non ita facile Dei voluntatem cognoscunt.

Cum Dei voluntas nonnumquam summa cum difficultate exploretur, ac sæpe propria voluntas nostra in divinæ locum subrogetur; Sancti hanc invexere subjectionem superiori ut in rebus omnibus, quæ neutræ sunt facilius, statueremus, efficiendo Dei voluntatem nobis magis manifestam; quia certum est, velle Deum, eos, qui religiosam vitam amplexi sunt, in his obediant Superioribus suis, cum e contra, qui nullos habent Superiores, difficilius illius vocem dignoscant. *Ibidem*.

Dei voluntas nostram constituit felicitatem in terra, sicut Beatorum in Cœlo.

Divinæ voluntatis intuitus veram Fidelium in terra pietatem constituit, constituetque æternam Beatorum felicitatem in Cœlo. In hac consistit torrens ille deliciarum, quo inebriabuntur. Summa enim eorum voluptas erit, non habere aliquid amplius in se, quod Divinæ voluntati adversetur, & huic esse perfecte subjectos. Eorum gloria erit, quod hæc Divina voluntas semper in illis adimpleatur; & hoc pacto charitas eorum omnino pura erit; quia non referent Deum ad se, sed se referent ad Deum, & nonnisi Deum in se ipsis amabunt. Quapropter Sanctus Augustinus exprimens statum Sanctorum in Cœlo, inquit, illos sese jugiter annihilaturos coram Deo, præferentes illius beneplacitum sibimetipsis æterna charitate. *Ibidem*.

Quomodo nosmet debeamus conformare voluntati Dei. *Daniel. 3.*

In omnibus molestis eventibus, in omnibus ærumnis, publicisque calamitatibus, ecce præter propter quomodo cogitandum sit, & loquendum: *Omnia quæ fecisti nobis, Domine: in vero judicio fecisti*. Gratiæ tibi agantur, Domine, propter ea, quæ nobis incidunt adversa. Quantumvis severum sit supplicium, peccata nostra longe gravius merentur, semperque mitius animadvertes in nos, quam scelera nostra requirant. Ipsi auctores sumus procellæ, propter quam lacrymamur; ipsi manu tua, ut ita dicam, ponimus flagella, propter quæ tot lacrymarum imbres effundimus. Morbi populares, mortes inopinæ, miseræ inopiæ, bonorum jacturæ, afflictiones, paupertates, amaritudines: ex proprio fundo exurgunt vapores maligni, ex quibus hæc tela conflantur. Sed in nostra humiliatione tuam gloriam possumus invenire: *Sed da gloriam nomini tuo. Pater Croiset in Asceticis Exercitat. Tomo 5.*

Elementa nos docent sequi in omnibus Dei voluntatem.

Homo compescere debet propriæ voluntatis motus, & intueri, quid agat mare, veluti exemplum infinitæ illius obedientiæ, quam debet Deo. Si aquæ omnes super terræ faciem fluentes influunt in mare, quæ hujus Elementi sedes est; hinc intelligere debemus omnes cogitationes nostras in Deum tendere debere, qui fons est omnis intelligentiæ; & cogitationes, quæ ab hoc aberrant scopo, quantumvis solidæ videantur; similes esse fluctibus illis, quos mare recedens relinquit in littore, & quos ventus, & sol momento dispergunt. Si primum mobile rapit quotidie sub oculis nostris ab ortu in occasum omnes cœlestes orbes; hoc fit, ut intelligamus primam voluntatem secum rapere debere omnes hominum voluntates, & minimam, quæ ab illa recedit, parere inversionem admirabiliorem in Ordine Spirituum, quam pareret lapsus syderis alicujus in ordine rerum materialium. *Septimus Sermo Accademiæ anni 1675.*

Christianus non aliam habere debet actionum suarum normam quam Dei voluntatem.

Quæ causa est, ut Christianus homo respiciat alios homines tamquam totidem semetipsos, mali eorum misereatur, illorum infirmitates sustineat, noxas excuset; pro illis omnem habeat lenitatem ac indulgentiam, quam alios erga se habere desiderat? Est Dei voluntas, est hoc Filii Dei mandatum: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Hæc eadem voluntas efficit, ut non renuat probare etiam cum suæ vitæ periculo, integerrimæ amicitiæ veritatem, & neque dissimulationem, neque invidiam, neque avaritiam cognoscat. Hac eadem divina actus voluntate amicis suis generosa præstat officia; prosperis eorum casibus lætatur, dolet adversis, in eorum funere fundit lacrymas, quarum pietas novit Deo felicissimum sacrificium offerre. Ita se gerit Christianus, qui pro omnium actionum suarum objecto puram habet Dei voluntatem. *Septimus Sermo Accademiæ anni 1675. & Recens quidem.*

Ut nostræ intentiones rectæ, & puræ sint, divinæ voluntati sunt conformandæ.

Integra conformitas humanæ voluntatis cum divina, vel potius subrogatio divinæ in locum humanæ veram facit cordis unionem cum Deo; simulque perfectionem vitæ nostræ in hoc mundo. Ne quæramus alibi puritatem dignam nomine Christiano, quod gerimus: cor purum, & intentio recta tuto distingui non possunt, nisi per obedientiam voluntati Dei, & per fidelem mandatorum Dei executionem. Dei voluntas est origo moralis rectitudinis nostrarum cogitationum, desideriorum, actionum. Hæc unica est regula, & innocentiæ cordis nostri, & justitiæ operum nostrorum. Hæc ubicumque invenitur, naturam boni constituit. Antiquior est ipsa virtute, quam etiam in omnes ho-

minum actiones introducit. Denique Deus proprie non vult res, quia justæ sunt; sed justæ sunt, quia illas vult Deus. De cordis nostri dispositione judicemus ex submissione, quam habet æternæ huic legi, quæ omnibus judiciis præest, & sola de vera integritate dijudicat. Cupimus ne scire, utrum consilia nostra sint pura, & intentiones nostræ sint rectæ? Videamus utrum Dei voluntas inveniatur in illis, utrum Spiritu ejusdem animentur: & certi simus nostram cum divina voluntate conformitatem tunc ad altissimum suæ perfectionis apicem evasuram, cum dicere poterimus una cum Sancto Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Sermo tertius Accademiæ anni 1677.*

Adimplere in omnibus Dei voluntatē vera dici potest vocatio.

Ut Deo placeamus, opus est, velle omnia in eodem ordine, quo illa vult Deus; quia voluntas illius esse debet nostræ regula, quemadmodum fuit principium omnium bonorum. Hinc vir justus numquam metietur conditionem suam ex sua pietate; sed reget semper suam pietatem ex ea conditione, ad quam illum appellat Deus, eamque præcipue constituet in omnibus status sui officiis adimplendis: non autem in tanta pietatis ostentatione, exterioris speciei reformatione, de aliorum laxitate querela, sed in charitate, integritate, bona fide, mortificatione, humili de semetipso sensu; non in honoris proprii perquisitione, non in sævitia erga alienas ærumnas, neque in omnibus vitæ suæ commodis perquirendis. Hæc puncta sunt capitalia, & veluti veræ devotionis fundamentum. Quinam igitur error in inquirenda extra statum suum vera devotione? Nonne hoc est proprios sequi motus, & voluntatem, non Dei? Conditiones diversæ sunt, sed omnium officiorum obeundorum obligatio semper est eadem. *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tomo 5.*

Humilis sive in difficultatibus sive in pulvere positus æque ordinē Providentiæ veneratur.

Homo Christianus perfecte divinæ voluntati submissus bonum ducit, quidquid ab illa procedit: Seu Auctor suus effingat vas in honorem, seu in contumeliam, semper æque putat sese illius potentiæ debere quidquid est. Si videt seipsum in primo ordine, meminit semper corruptionis illius, ex qua desumptus fuit. Quin ideo evanescat, gloriam omnem, qua nitet, ad auctorem gloriæ ipsius refert; in prima sede positus status sui contentus est, positus in novissima, non audet hiscere contra opificem, a quo in adeo abjectum usum fuit destinatus. Conditio sua semper ipsi videtur superior indignitati suæ, & toto cœlo præstantior nihilo, unde prodiit. Nihil requiem Christiani hujus viæ perturbare potest. Si aliqua in eo videtur sollicitudo, ut ad conditionem non adeo abjectam perveniat; hoc non ambitio est, non animi ægritudo, non libido; non agit umquam nisi in nomine Domini, a quo eum in locum evocari videtur. Nonnisi secundum Dei beneplacitum status variandi consilium capit. Videtne ille conatus suos in irritum cedere? Æquæ tranquillus est, ac si omnia illi e sententia contigisset. Quippe illi persuasum est Deum ipsum, a quo constitutus fuit eo in ordine, in quo est, velle ipsum in eodem permanere ob eas causas, quæ illi nonnisi utiles esse possunt; semet sine murmure submittit Providentiæ imperio semper in id intentus, quod ipsi esse potest utilius. Immo seipsum cœcum fuisse credit, qui voluerit de loco decedere. Æternam colit Sapientiam eo in situ, quem cum illa beatitudini suæ aptiorem existimat. *Sermo quartus Accademiæ anni 1711.*

Homo qui ex omnibus creaturis deberet præ cæteris sequi voluntatem Dei, tam minus sequitur.

Omnia creata anima carentia faciunt, quod illas facere placet Deo; creaturæ sensu præditæ eas sequuntur impressiones, quas dedit illis Deus in naturam; sed homo creatus, ut illis utatur ad majorem Creatoris gloriam, utque illis imperitet, non solum cupiditatibus suis imperare non potest, sed ne potest quidem consilium capere sequendi voluntatem Dei, suaque inobedientia ex eo, quod erat, videlicet imago Dei, illum vanitatis imaginem constituit. Debebat esse ornamentum terræ, & pervenire ad gloriam Dei, & factus est opprobrium mundi per abusum omnium creaturarum, nec non inimicus Creatoris sui, huic repugnando usu ejusdem rationis, & voluntatis, quæ illi concessæ fuerant, ut illum cognosceret, & amaret. *Ex Sermone quinto Accademiæ anni 1675.*

In omnibus actionibus nostris hoc spectare debemus unice videlicet ut Dei voluntatem sequamur.

Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in terra. In Cœlo Dei voluntas adimpletur in omnibus tanta cum diligentia, & alacritate, ut nulla umquam intercedat mora, tanta lætitia, ut hæc summa sit obedientium beatitudo, tanta constantia, & immutabilitate, ut numquam cessaturi sint, quominus illam in omnem æternitatem adimpleant. Debemus omnes hac in re beatos imitari, & summa cum celeritate, ac fervore Dei in omnibus exequi voluntatem. Nobis persuasum esse debet, nostram supremam in hac vita felicitatem esse, sancta Dei mandata observare, sicuti observantur in Cœlo; *Sicut in Cœlo;* sicut in Cœlo semper præsens habetur sancta illius voluntas, quæ numquam oblivioni datur, & quæ semper fiet in omnem æternitatem; ita supremum nostrum in hoc mundo officium est in omnibus sequi divina præcepta, quemadmodum in Cœlo adimplentur. Dicere debemus cum Propheta: *Domine in æternum non obliviscar justificationes tuas.* Unicum erit mihi negotium illas in omnibus servare, & nihil habere cordi, nisi efficere, ut observentur ab illis, qui erunt in potestate mea. *Auctor Recens.* *Psal. 118.*

Desiderium hominis christiani exequendi in omnibus voluntatem Dei.

Fiat, Domine, *voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra.* Usque ad terræ centrum humiliati, opprobriis onusti, oppressi malis, miseriis, infirmitatibus, & morbis, vel ad cœlum usque sublati inter omnia prosperitatis, & humanæ magnitudinis bona; demum quocumque in statu esse possimus, debemus semper esse submissi divinæ huic voluntati; omnibusque in rebus hoc esse debet unicum consilium nostrum divinam hanc voluntatem implendi, & cupiendi, ut in universa terra ab omnibus adimpleatur. Si tua fert voluntas, Domine, dicendum est nobis, humilitatem, & humiliationis amorem nobis concede. Si tua Providentia fuit constitutum, ut paupertatis miserias, morbi incommoditates, omnia vitæ præsentis mala patiamur, tribue nobis vim necessariam ad illa sustinenda, & adimplenda in iis omnibus, quæ tibi placita fuerint. *Ex modo recitandi Orationem Dominicam.*

Adhortatio ad Dei voluntatem efficiendam.

Unice per submissionem meam, Domine, mereri possum eam, quam mihi destinas hæreditatem. Præcipe ergo quidquid tibi placet, fidelis servi obedientiæ adjiciam filii gratissimi amorem, & reverentiam. Agnosco, Domine, quanta sit hæc mea petitio, si voluntas tua in me fieri non potest; nequaquam paratus sim ad capessenda mandata tua, & omnibus Providentiæ tuæ consiliis acquiescendum. Sed quocumque tibi placeat mihi, vel de me præcipere, numquam cessabo dicere: *Fiat voluntas tua.* Quid æquius, quam mandatis tuis obedire, o Deus? Servus obedit hero suo, Subditus Principi, filius Patri. Has omnes qualitates complecteris & quasi nondum satis essent ad obedientiam meam promerendam, vis ut in ipsa obedientia meam utilitatem nanciscar. Sed quot me adigunt causæ, ut memet subjiciam tuæ Providentiæ consiliis? Memet illi non tradere, hoc est de tua Sapientia, tuoque amore diffidere; est me ipsum sexcentis sollicitudinibus torquere. Tanta est, Domine, bonitas tua, ut meam tranquillitatem inveniam, ubi divinæ tuæ voluntati acquiesco. Fiat igitur, Domine, divina hæc voluntas tua hic in terra, quemadmodum in Cœlo adimpletur. Omnes homines in terris, sicuti in Cœlis Angeli adjiciant diligentissimæ obedientiæ voluptatem tibi obediendi, neque alia foveant desideria, quam tua. *Pater Segneri in suis Meditationibus.*

Mun-

Salvator in ipso suæ conceptionis instanti cœpit exequi Patris sui voluntatem.

Mundi Salvator Patri suo obedientiam præstare cœpit ex ipso suæ Conceptionis articulo, & sine ulla intermissione ad mortem usque perseveravit. Ubi enim anima illius creata fuit, & corpori conjuncta usum habuit suæ libertatis; repleta fuit gratia, & sapientia, & ex eo articulo obedientiam exercuit eo modo, quo Propheta per hæc verba testatur (*Psalm. 39.*): *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui &c.* Quæ significant primam virtutem, quam illi attribuunt Prophetæ, & quam in scriptis suis præcipue commendant, esse obedientiam. Quare, addit Propheta, decrevi, o Deus, in omnibus facere voluntatem tuam: Sanctam legem tuam ita diligo, ut ne umquam illius oblivio me capiat, & ut illam diligentissime observem, illam insculpserim in corde, imo etiam in medio cordis mei. Hic ipse ardens amor obedientiæ elicuit aliquando ex illius ore verba hæc (*Joann. 4.*): *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Nam sicuti corpus sine cibo nequit subsistere, & hic non semel tantum, vel bis in vita sumitur, sed quotidie, & sumitur cum voluptate; ita Salvatori nihil sapit, nisi exequi quod Pater suus illi præcipiebat (*Joann. 6.*). Hæc dies, noctesque tota erat illius occupatio; hæ illius erant deliciæ. Ita, ajebat ille (*Joann. 1.*), de cœlo non venerat, ut suam faceret voluntatem, sed illius, a quo missus fuerat; & alibi dicebat etiam, se nequaquam relictum esse solum ab eo, a quo missus fuerat, quia semper faciebat ea, quæ illi placerent. Cum ergo obedientia sit omnium sacrificiorum præstantissimum, ut nos docet Spiritus Sanctus (*1. Reg.*), dicere possumus, omnes actiones Filii Dei esse tamquam totidem sacrificia suave olentia, & Patri ejus gratissima. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis.*

Diversitas occupationum Salvatoris ostendit nobis obediendum esse Deo in omnibus rebus.

Obedientia Filii Dei non solum erat jugis, & constans; erat etiam universalis, & infinita in omni genere actionum, ministeriorum, ac munerum; & generatim in iis quibuscumque rebus Pater ab illo poterat desiderare. Hinc fit, ut tanta in vita illius varietas deprehendatur. Modo secedebat in desertum inter feras non manducans, neque bibens; & fortasse nil quietis carpens. Modo cum hominibus versabatur, manducans, & bibens ut illi. Diu visus est in fabri lignarii taberna silentium servare, & obscuram vitam ducere. Denique auditus est prædicare in Synagogis, & in publicis plateis populum erudire, & sexcenta patrare miracula. Aliquando tamquam Dominus, & cum auctoritate agens, ejiciebat de Templo, qui illud in negotiationis domum convertebant; aliquando metum, & infirmitatem fugiens, atque in latebras sese conjiciens, præseferebat. Hæ omnes tam variæ agendi rationes perfectam propriæ voluntatis abnegationem, integerrimamque voluntati Patris sui obedientiam referebant. *Idem.*

Tota sanctitas, & perfectio Christiana sita est in Dei voluntate facienda.

Nemo putet, ut sanctus sit, illi faciendum esse quidquam, quod naturæ ordinem superet. Fallitur, qui hoc sentit. Faciendum est quod vult Deus, cum vult, & quomodo vult, ut quis Sanctus fiat. Omnes servi sumus Patris familias; sed ideo illi servimus, ut faciamus quidquid illi placuerit. Quis diu domi suæ famulum retineret, suam tantum, non herilem voluntatem facere volentem? Industrius licet, fidelis, prudens hic esset, ejiceretur; quæritur enim docilis servus, & obediens. Quidquid illa operatur injussu, vel contra domini imperium, pro nihilo reputatur; hinc igitur argue omnem illius meritum, virtutemque consistere in Dei voluntate facienda. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Certissimum signum constantis amoris erga Deum est illius voluntati acquiescere in tribulationibus.

Conformitas cum Dei voluntate certissimum indicium est ad cognoscendum, utrum illi fideliter eum reddamus amorem, quem illi debemus. Sed quam facile est in hac re falli? Plures sibi persuadent, a se Deum vere diligi; donec contenti sunt Divina erga se ipsos providentia; & donec videtur ille obsequi eorum votis, ac desideriis. Sed quantum facile tunc est voluntati ejus sese accommodare, tantum amor, quo illum prosequimur, est anceps. Tentationis, adversitatis, infirmitatum tempore Deus veros amicos suos agnoscit; tunc enim difficile est naturæ silentium indicere, & efficere, ut obedienti, & æquo animo recipiat adversa. Ita quotidie petimus, ut in nobis hæc fiat voluntas Dei, qua nos probare vult per tribulationes. Quæ enim Dei voluntas est, nisi ut sanctificemur? At ad sanctitatem acquirendam non alia via est, quam tribulationum. *P. Segneri in Meditationibus.*

In mundo nullam pacem solidam invenire possumus, nisi divinæ voluntati acquiescamus.

Interest nostra sequi sine ulla exceptione Divinæ providentiæ dispositionem, quoniam requies nostra pendet ab hac obedientia. Donec prava perturbatione conabimini Domini, vel superiorum vestrorum voluntati vim facere, ut eam studiis desideriisque vestris accommodetis, non aliud vos manet vivendi genus, nisi in anxietatibus, turbis, & ægritudinibus; sed si e contra vestram cum Dei, & eorum qui vobis præsunt voluntate permutaveritis, si omnia consilia vestra consiliis eorum fuerint conformia, si id unum volueritis quod illi volunt, quam primum imperturbabili suavitate, atque pace fruemini. Veritatem hanc Sanctus vir Job belle his verbis expressit (*Job 22.*): *Acquiescere igitur ei, & habeto pacem. Idem.*

Jesus Christus invenit illum suum in adimplenda Patris sui voluntate.

Opus quod Jesu Christo impositum fuerat a Patre, non est aliud, quam hominum salus: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem* (*Joann. 17.*). Media quæ illi erant præscripta ut tantum hoc opus exequeretur, labores suos, itinera, prædicationem, mortem denique suam in Cruce ipse Patris sui voluntatem appellat (*Psalm. 39.*): *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Alacriter exequi Dei mandata sive in adimplendo opere, quod nobis præscripsit, sive in electione mediorum, quæ illi connotavit, hic est cibus Jesu Christi (*Joann. 4.*): *Cibus meus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Utrum corpus mortale, quo circumdatus erat, egeret crassiori alimento, ipse nobis declarat verum cibum suum omnino spiritualem esse, & ignotum mortalibus (*Ibidem.*): *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Felix anima, quæ ubi assecuta est omnem vim horum verborum Domini, in se reversa novit inde naturalem elicere conclusionem, ut vitam suam dirigat. Jesus Christus maximo perfunditur gaudio in facienda rebus in omnibus Patris sui voluntate, qui sibi adeo gravia imposuit officia, & Christianum non pudet ignaviæ suæ in Dei mandatis, quæ facillima sunt observandis? *P. Segneri in Meditationibus.*

Adimplere Dei voluntatem nutrit, fortificat, perficit animam fidelem.

Submissio voluntati Dei animæ fideli idem est quod cibus corpori. Primum enim sicuti cibus alit, & servat vitam corporis; ita obedientia legi Dei alit, & servat animam justi in gratiæ vita, cum hoc discrimine, quod omnes curæ nostræ prohibere non possunt interitum corporis nostri, cum e contra divinæ voluntati obedientia vitam æternam animæ nostræ procurat (*Joann. 6.*): *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Secundo alimenta non solum conferunt ad corporis conservationem, sed illud confirmant, eique novas vires adjiciunt. Ita spiritualis esca, quæ est exacta officiorum nostrorum observantia reddit animam alacriorem in viis mandatorum, cum hoc discrimine, quod epularum excessus corpus opprimit, illudque reddit onerosius, *in multis escis erit infirmitas* (*Eccli. 37.*); anima per assiduam legis praxim semper fit ad eamdem exequendam paratior. Denique alimenta prætetquamquod sustinent, roborantque corpus, efficiunt etiam ut crescat, donec naturalem suam adeptus fuerit magnitudinem: ita anima in singulos dies novam aliquam perfectionem acquirit; sed cum corpus aliquando ad consistentiæ perveniat statum, anima assidue in viis Sanctitatis progreditur: *Sanctus sanctificetur adhuc* (*Apoc. 22.*). *Idem ibidem.*

Fiat

Submissio divinæ voluntati cõsistit in obedientia mandatorũ illius, & conformatione dispositionibus providentiæ. 1. Thess. 4. 3.

Fiat voluntas tua. Hæc petitio in compendium complectitur quidquid hominis sanctitatem constituit. Humilitas enim, patientia, suavitas, charitas, sensuum mortificatio, castitas, omnes Christianæ virtutes in paucis his verbis continentur. Ita licet a Patre Cœlesti unum duntaxat petere videamur, vere ab illo petimus infinita. Profecto voluntas ejus est, ut omnes exerceamus virtutes, quemadmodum illas Sancti exercuerunt. *Hæc est voluntas Dei; sanctificatio vestra.* Cum modo omnem intelligatis horum verborum latitudinem, ac vim; *Fiat voluntas tua*; hæc jugiter in ore vestro versentur. Supplere poterunt sexcentis aliis orationibus, quarum iteratio vobis aliquando difficilis est, & fere semper molesta. Gratias agamus Jesu Christo, cujus infinita sapientia omnes petitiones nostras ita paucis verbis complexus est, ut nostrum quilibet haud ægre, & in singula momenta possit simul omnes Patri Cœlesti exhibere. *Fiat voluntas tua. P. Segneri Meditationibus.*

Cur Dei voluntas non semper fiat.

Dei voluntas per quam ille nobis sua manifestat mandata, in illo signi tantum voluntas est, ac desiderii: neque enim semper adimpletur, eique nos sæpissime ad interitum nostrum resistimus: Dei voluntas per quam decrevit disponere de nobis hoc modo potius, quam alio, in ipso est voluntas beneplaciti, absoluta voluntas, quæ semper adimpletur, quin aliquis illi adversetur. Omnes voluntates meæ implebuntur. Proprie loquendo priori ex his voluntatibus obtemperamus; alteri vero nosmet conformamus. Illa quidem est materia obedientiæ nostræ legi divinæ; hæc est materia nostræ conformitatis iis omnibus, quæ de nobis facere velit Deus. Hanc autem obedientiam, perfectamque conformitatem a Deo petimus, cum dicimus: *Fiat voluntas tua.* Ullane oratio hac præstantior, sublimiorque invenitur? *Fiat voluntas tua.* Æquum est, ut omnia divinæ voluntati permittamus, quæcumque nobis in vita possunt contingere; & hoc pacto majorem Deo gloriam deferemus. Integrum hoc de nobismetipsis arbitrium, quod permittimus illi, satis declarat, quanta sit nostra in illo, in amore, potestate, bonitate, providentia, sapientiaque illius confidentia. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Quam majorem hac gloriam a filiis suis Pater Cœlestis recipere potest? *Idem.*

Conformitas voluntati Dei virtus est maxime generalis, & meritoria.

Conformitas voluntati Dei virtus est maxime generalis pro omnibus vitæ hujus muneribus, & conditionibus: maxime universalis pro personis omnibus; maxime necessaria propter meritum, maxime frugifera propter Dei gloriam, maxime generalis pro omnibus vitæ hujus muneribus; reliquæ enim virtutes habent munera sua separata. Potest aliquis celeberrimus esse Evangelii præco, quin politicorum laude floreat. Potest quis optimus esse pœnitentiæ minister, quin habeat virtutes, quæ decent Magistratum; nullum vero vitæ hujus munus est, ubi divinæ legi conformitas non requiratur: maxime universalis est pro personis omnibus; summi, & imi, Principes, & subditi; divites, & pauperes, omnes in omnibus simet voluntati Divinæ debent conformare. Maxime necessaria est propter meritum; quia sine hac nullum est meritum verum, & cum hac omnia fiunt meritoria. Ubertima est ad Dei gloriam; Deus enim omnem gloriam suam in hoc statuit, ut voluntas sua in omnibus rebus ab omnibus creaturis suis adimpleatur. *Auctor recens.*

Scientia præstantissima est scire adimplere Dei voluntatem.

Qui didicit facere voluntatem Dei, scit, quidquid Christianus scire potest. Superat scientia Philosophos, ac Doctores præstantissimos. Omnibus licet scientiis ornatus sis, si nescis Dei voluntatem adimplere, nihil scis. Disce, hanc cognoscere, & uno hoc scito, jam scis omnia. Perfectio non est in jejunio, in oratione, in corporis castigatione: Omnia quidem hæc sancta sunt, ubi fiant secundum ordinem Dei, & secundum illius voluntatem; aliter sancta non sunt. Ita proprie loquendo, omnis Christiani perfectio est fideliter sequi imperium Dei. Qui orat eo tempore; quo aliquid aliud sibi faciendum est, sancte non operatur, quia hoc est contra Dei voluntatem. Qui facit opera, quæ nullius esse momenti videntur, sed illa facit secundum ordinem Dei, plus meretur illo, qui insignia aggreditur opera consulens potius ingenium, affectusque suos, quam Dei voluntatem. Si ergo ad sublimem perfectionis gradum contendere volumus, abjiciamus omnino voluntatem amoremque proprium, interioremque oblectationem, qua fit, ut rebus in omnibus ea, quæ nobis sapiunt, amplectamur. Dei voluntatem omnino, semperque sequamur. Voluntatem beneplaciti illius pro unico nostræ adhæsionis argumento teneamus, atque tunc certe erimus in via perfectionum. *Lambert in Tomo 7. Anni Evangelici.*

Excellens ratio ad perfectionis apicem ascendendi, cum Divinæ voluntati subjecti sumus.

Quicumque ardenti flagrat desiderio progrediendi in via spiritus, ac se retardari videt præsentis vitæ necessitatibus mortalis corporis sui pondere; non aliam tutiorem habet viam, quam omnino sese divinæ voluntati subjicere, & quidquid expetit Deus, adimplere cum constanti spiritus æqualitate, acquiescendo imperiis ejusdem, sese generose tradendo divinæ illius providentiæ, nullo in discrimine habendo vitam, & mortem, atque terrena hæc omnia contemnendo. Si enim post hæc fidelis extiterit, Deoque placuerit ejus opera uti ad majorem nominis sui gloriam, dicto citius, reparabit, quidquid pluribus annis corpori illius detrimenti infirmitas tulerit. Incredibile est quam brevi progrediatur anima per viam hanc illis inhospitam animabus, quæ carni adhærent. Una ex primis virtutibus, quam electæ huic animæ largitur Deus, est prudentia, quæ illam supernaturali quodam lumine illustrat, cujus ope distincte videt, quidquid ipsi evitandum sit; idque longe perfectius quam sol, ad cujus lucem omnia sensibilia videntur. Rerum multitudo, quas anima divino hoc lumine illustrata intus agnoscit, major est quam quidquid in corporeæ naturæ extensione continetur. Ita anima hæc adeo perfecte divinæ voluntati subjecta per ignotos cæteris gradus ascendit ad intimam unionem cum Deo; ita ut videat universum hunc mundum tamquam in valle profunda positum; & nullam habere videatur partem cum objectis, quæ sensibus nostris percipiuntur. *Auctor recens.*

Dei voluntas est animæ Christianæ fortitudo.

Animæ forti satis est scire, se videri a Deo, se esse in ordine suo, se illius voluntatem exequi. Hæc sancta voluntas panis est, quo nutritur, sustinetur, roboratur, eidemque omnia est. Hoc Dei Filius docere nos voluit, cum de se ipso dicebat: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Beati qui hoc pane vescuntur, & quibus hic in deliciis est; hic enim panis nequit unquam illis deesse. Omnia creata illos deserant; miseriis, & morbis vexentur, onerentur probris, & contumeliis ab hominibus, ubique semper vident Dei voluntatem; sibique persuadent hanc justitiæ, & misericordiæ plenissimam esse; & hoc illis est satis superque. *Ex speciminibus Ethicis.*

Submissio Sanctorum in Cœlo, voluntatibus Dei esse debet nostræ submissionis exemplar. Psal. 102.

Quomodonam Dei mandata in Cœlo adimplentur? Angeli, nuntii Dei semper præsto sunt, ut hac illac ad minimum divinæ voluntatis nutum pervolent: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.* Cœlestes hi spiritus obediunt alacriter, obediunt ad unguem; nec satis, obediunt mere, ut obediant, quemadmodum explicat eruditus interpres. Quænam in Angelis, beatisque omnibus consonnitas! Quæ conformitas mentis, & cordis cum Dei beneplacito! Faciunt quidquid Dominus vult; & semper sunt præsto, ut quod Deus vult, & ipsi velint, & tamquam optimum factu credant. Hæc sunt exemplaria secundum quæ nosmet componere debemus. Obedimus interdum celeriter, & diligenter; sed propria utilitas nostra sæpe sese huic immiscet obedientiæ: Hoccine est obedire eo modo quo Angeli obediunt?

Nosmet

Nosmet aliquando voluntati divinæ conformamus; at sæpe vellemus, Deum aliud ab eo velle, quod vult: hoccine est sese divinæ conformare voluntati, quod faciunt omnes in Cœlo beati? Quod Deus vult, ita volunt, ut si optio illis permitteretur, utrum Deus voluntatem mutaret, nec ne; nullum in re hac desiderium haberent. Voluntas eorum adeo in Domini voluntatem transiit, ut non sit amplius nisi una. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* *P. Segneri in Meditationibus.*

1. Cor. 6. 17.

Beati omnes in Cœlo æque Dei faciunt voluntatê.

Quæcumque sit inter beatos inæqualitas ratione diversi gradus gloriæ, omnia tamen inter ipsos æqualia sunt per conformitatem cum Dei beneplacito. Tamquam filii, qui infinita charitate parentem suum complectuntur, non aliam ab eo hæreditatis partem requirunt præter eam, quam ante omnia sæcula destinavit illis; illi pares non sunt, qui ne tale quidem desiderium concipiant. Hæc modo nos non intelligimus; hic enim in terris natura prævalet gratiæ. Non potest cupere Deus, se aliud voluisse ab unoquoque Beatorum, quam quod voluit ab initio; & ita Beatis omnibus unum dumtaxat constituentibus spiritum cum Deo, nemo eorum aliud optare potest, quam quod voluit Deus. In hoc igitur quodammodo totus vertitur cardo Cœlestis Beatitatis: *Fiat voluntas tua.* Quemadmodum infernus talis esse cessaret, si inde eliminari posset propria voluntas: ita Paradisus talis esse cessaret, si illuc propriæ voluntati aditus pateret. Pax tranquilla, quæ Cœlum facit beatum, ibi non regnaret, si alia voluntas præter Dei voluntatem ibi reperiretur. Cur ergo cor nostrum, quod hic in terris nostram requiem ac Paradisum facere posset, efficit nostrum supplicium, atque infernum? Quia propria voluntas dominatur in nobis. *P. Segneri in Meditationibus.*

OCCASIO.

FUGA OCCASIONUM PECCATI, OCCASIO PROXIMA, ET REMOTA.

MONITUM.



E occasionum peccati fuga sermo incidit pluribus aliis in argumentis, cum quibus hoc non rationem habet solum, verum etiam quorum partem constituit. Tale argumentum est tentationum, quandoquidem potissima earum evitandarum ratio est fugere occasionem; & tutissima earum, saltem majori ex parte, superandarum via est, quam celerius fieri potest, recedere ab illis objectis, quæ easdem solent excitare. Id genus est etiam recidiva in scelus; hæc enim non efficax tantum, verum omnino necessaria via est, ne iterum in pristina ruamus scelera, nosmet eorum occasioni nequaquam objicere. Hoc ipsum dici potest de perseverantia in gratia, de pravarum sodalitatum frequentia, de fuga spectaculorum, de periculosis solatiis, pluribusque id genus argumentis, de quibus vel locuti sumus, vel propriis locis loquemur. Quamobrem in proximarum occasionum enumeratione illi consuli poterunt, hoc enim in loco agimus tantum de occasione peccati generatim; quin ad aliquam peculiariter descendamus.

In hac collectione invenietur periculum, cui sese objicit, qui has occasiones inquirit; vel qui ab illis non recedit, cum in illas non quæsitas labitur: rationes, propter quas eas fugere, & ab illis recedere cogimur: ficti prætextus, qui afferuntur ad probandam assertam necessitatem in illis versandi, & vincula, quæ non sinunt nos illinc evadere. Videbuntur conquisitarum occasionum exitus funesti, & usitati; reperietur denique, quidquid pertinet ad hoc argumentum, quatenus sejunctum ab aliis, cum quibus nexum habet, seorsim possit pertractari.

Cavendum est solum, ne nimis proferatur hoc argumentum generales afferendo decisiones, vel in omnibus proximam occasionem censendo eam, quæ in aliquibus remota solum est. Sed omnes hortandi sunt, ut sibi caveant, summaque utantur diligentia, ne quæ remota occasio est, proxima fiat.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopsis.

I. 

Ccasio alia peccatum est, alia ad peccatum adducit; quæ duo rite distinguenda sunt. Altera quidem omnino fugienda est; contra alteram quam maxima utendum est vigilantia. Hoc duplici in parte concionis ostendi potest.

1. Occasio, quæ peccatum est, videlicet ubi peccatum committit, qui sese objicit illi, licet etiam non committeret peccatum illud, cui sese exponit in illam occasionem incurrens, ea est, quæ proxima dicitur, ac talis censenda est, non quod nos in peccatum pertrahere valeat, sed propter nostram experientiam, qua docti scimus, quotiescumque in illa versamur, eaque sese nobis offert, nos in scelus ruere. 1. Alea, choreæ, hilares nimium sodalitates, quibus nostra conscientia exprobrante scimus numquam nos adfuisse, quin vulnus aliquod reciperemus. 2. Propter nostram infirmitatem, affectiones, studia, ibi periculum esse videmus; ætas, ingeniumque nostrum facile patent iis impressionibus, quas objecta illa in nobis efficere possunt. 3. Hæ debent esse occasiones illæ, quibus nosmet ultro objicimus, quas data opera inquirimus, non quas nobis fors objicit, & in quas incidimus, quin illas prævidere potuerimus: quia tunc peccatum esse non possunt, ubi voluntariæ non sunt. Itaque ut occasio sit proxima; utque eidem se objicere culpa sit; illa debet esse periculosa ultro quæsita, atque in ea ultro persistendum est, ex quo ejus deprehensum fuerit periculum.

Hac in re tres metuendæ sunt illusiones. Prima; credimus illam ultro nequaquam a nobis inquiri, & nihilominus voluntaria est; quia cum iis consuescimus, quibus nosmet credere non deberemus; ea obimus loca, ubi scimus non defutura objecta, quæ nos ad peccandum allicient; non ignoramus sodalitates, quibus utimur, ex hominibus frugi nequaquam esse compositas, futurumque ut sen-

ut sensim in mores eorum transeamus. Illusio altera: putamus occasiones has periculo vacare, cum minime vacent. Societates illæ, ubi non deest, quidquid in mundo nitet, quidquid sensus palpare potest, quidquid affectum inflammare, vel sopitum iterum excitare valet &c. Tertia, putamus illas nobis periculosas non fore, quia nosmetipsos non cognoscimus, neque nosmet colligimus; quo ex loco potissimum metuendum est, & occasio fit proxima. Quid! in voluptates proni estis, & proximas non esse occasiones censebitis recessus, ubi solus cum sola colloquatur, familiares personarum sexus diversi consuetudines, necessitudines, hilaritates? Quid! auri amore capti proximam nequaquam esse occasionem putabitis officium illud quæstuosum, ubi publicæ pecuniæ vobis erunt exigendæ? Vos, qui ad iracundiam faciles estis, & ultionis cupidi cum contentiosis habere commercia &c.

Pars altera. Altera occasio est, quæ peccatum quidem non est, sed nihilominus est occasio peccati: semper enim aliqua est saltem remota offensionis, quæ contra Deum committitur, causa, & abstrahendo sint ne illæ proximæ, an remotæ occasiones, voluntariæ, an secus, satis est periculosas esse, ut ab illis recedere teneamur, ubi earum periculum intelligimus. Exempli gratia munus illud aggrederis, quod tibi sæpe occasionem præbet irascendi, vel religionis tuæ officia non persolvendi. Occasio hæc neque conquisita, neque proxima est; est tamen periculosa, ac satis, ut eam fugere, atque recedere tenearis ab officio, societate, domo, ubi frequentes habes Deum lædendi, modo hac, modo illa ratione occasiones: ideo nihil tibi prætermittendum est, ut ex hac occasione egrediaris. 1. Quod magis adhuc necessarium esset, si hæc occasio, in quam inscius incidisti, esset proxima; tunc enim, licet in illam incidens non peccasses, permanens in eadem peccares. At enim hinc inferendum esset, omnibus hominum generibus mundum esse relinquendum, ac solitariam vitam ducendam. Hoc quidem tutissimum esset; sed hanc a nobis perfectionem non exigit Deus; nisi tamen aliter saluti tuæ consulere vales; & hæc tantum via est, qua peccatum evitare possis, hæc necessario tibi esset ingredienda. 2. Saltem in remotis hujusmodi occasionibus vigilantia, ac diligentia utendum est contra pericula, quibus tua te objicit conditio, evitandæ tibi sunt lites, contentiones, fugienda pericula, quibus te tuus objicit sexus, licentia &c. Cujuscumque conditionis vel professionis existas, pericula evitare debes, quæ ipse tua doctus experientia cognosces, & nisi tibi statum mutare licet, ac necessitas in eo te permanere cogit, contra has occasiones tibi quam diligentissime præcavendum est. 3. Denique si nequis evitare pericula, & occasiones, quia insolubilibus vinculis adstringeris, fidem tuam Deo testari debes, & hujusmodi occasiones spectare tamquam patientiæ tuæ pericula, quæ facit Deus &c.

II. Cum duplex sit occasionis genus, & altera remota sit, altera proxima, ita duplicem statuo propositionem. Prior est; remota occasio, cum voluntaria est, quantum fieri potest, est evitanda. Posterior, quam primum ex proxima occasione egrediendum est, quamvis non ultro in illam incidimus.

1. Ipsa etiam occasio remota evitanda est, cum necessario in eadem versari debeamus propter conditionem status, in quo Deus nasci nos voluit, & in quo nos providentia constituit; alioquin peribimus. In ordine providentiæ Deus nobis suum spopondit auxilium in iis periculis, quæ ipsi nequaquam quæsivimus, non autem in illis, quibus nosmetipsos objecimus. Sæpe gratias obtinemus ad id, ut evitemus occasionem. Deus fidem suam præstet, quandoquidem pollicitus est se nobis auxilium allaturum in periculis, quæ sese nobis obtulerint, vel in quæ ipse nos adduxerit; promissi fidem solvet; verum cum spoponderit etiam se nos derelicturum, cum temere nosmet periculis objiciemus, hac quoque in re solvet fidem: utrumque enim portendit: *Fidelis Deus &c.* 2. De occasione proxima singillatim. Postquam explicitum fuerit, quid sit, dicendum est, eam omnino esse deserendam, & ne id faciamus, sola rei impossibilitate excusari nos posse. Quod si dixeris, nequaquam licere statum, ubi es, deserere; tunc ajo, hac impossibilitate rei naturam mutari, atque illius superandæ gratiam te assecuturum, dummodo ad id omnes nervos intendas. Sin autem potes necessitudinem cum hac vel illa infringere, & ex occasione emergere, tunc teneris. Hic explicanda sunt Salvatoris verba: *Si oculus tuus scandalizat te, si pes, si manus &c.* Matth. 5. & Marc. 9. Hæc varia sunt occasionum genera; aliæ circa nos sunt, alias ipsi inquirimus, alias nos ipsi nobis facimus.

III. Qui peccati occasionem quærit, passim peccat. Veritatis hujus probationes ex tribus rebus desumo.

1. Ex infirmitate occasionem quærentis: ideo prohibuit Deus occasionem peccati, non secus ac ipsum peccatum, & vult in oratione dominicali ab ipso petamus, ne permittat, ut nosmet tentationi objiciamus.

2. Ex vi, quam in nos habent inimici nostri. Cum nosmet objicimus occasioni, jam prævalent nobis; & nos jam semivicti sumus affectu illo, propter quem nosmet objicimus.

3. Ex justitia Dei deserentis eum, qui occasionem inquirit. *Ex speciminibus sermonum pro Quadragesima tomo 3.*

IV. Christiana vigilantia necessaria est ad periculosas occasiones seu proximas, seu remotas evitandas, & ne ultro nosmet illis exponamus. 2. Vis, & fortitudo requiritur, ut inde egrediamur, cum illas nil tale opinantes offendimus. Quæ si vigilantia, & fortitudo defuerint, peribimus, hoc est certissime peccabimus.

V. 1. Deus numquam præsidium suum aufert nobis in iis occasionibus, & peccandi periculis, quæ illius providentia disponente, vel ipso jubente, subibimus; hoc ille palam pollicitus est: *Fidelis Deus, qui non patietur tentari vos supra id quod potestis.* 2. Deus certissime nosmet ipsis, viribusque nostris nos tradet in iis occasionibus, quas ipsi quæsiverimus, vel in quas nosmet temere conjecerimus.

VI. 1. Occasio peccati semper est periculosa, tunc etiam cum illam neque prævidimus, neque quæsivimus, sed multo magis, cum nosmet eidem objicimus & periculi magnitudinem, & nostram scientes infirmitatem; atque sese ita illi objicere, noxa est. 2. Nullus nos cogit prætextus, ut ultro occasiones quæramus, & nulla nosmet dispensare potest excusatio, ne inde egrediamur, statim ac & periculum agnoscamus, & egredi licet.

VII. 1. Magna præsumptio est, sese ultro peccati occasionibus exponere: meremur a Deo nosmet nobis derelinqui, ut propria experientia docti nosmet agnoscamus, neque alias adeo simus temerarii. 2. Extrema imprudentia est velle permanere in occasione, ubi illius periculum agnovimus, in quod per negligentiam offendimus; hoc enim est suum amare periculum.

VIII. 1. Sese ultro peccati occasionibus objicere, indicio est peccari velle, peccatum in odio non haberi; Dei timorem abiisse, conscientiæ stimulos suffocatos esse. 2. In peccati occasione permanere, cum relinqui potest, est in cæcitatem decidere, malum, in quo sumus, & illud, cui nos objicimus, æternum pereundi ignorare.

IX. Homines fragiles sunt, equidem scio: labendi in peccatum pericula præsentia sunt; non desunt effusi in toto mundo, in statibus, & conditionibus omnibus laquei; hoc mihi satis, superque liquet. Hinc plures inferunt, se in criminibus suis

esse

esse excusabiles : quæ conclusio , vel excusatio legitima non est : quamvis enim periculis obnoxius, & fragilis es, validissimum habes contra tuam fragilitatem remedium , quo periculum evitare possis, fugam videlicet occasionum.

1. Justus es? fuge occasionem, & semper fortis eris . 2. Peccator es? fuge occasionem , tuaque cessabit infirmitas. Justi, cavete, ne vestras atteratis vires occasiones quærendo : Peccatores , cavete , ne vestram augeatis infirmitatem occasionibus vosmet objiciendo . Si in gratiæ statu estis ; occasio vos inde deturbabit : hæc prima pars est ; sin autem in statu peccati ; prohibebit occasio, ne inde consurgatis, hæc pars altera, & concionis partitio.

X. Tres varias occasionum species deprehendo. Quædam remotæ sunt , sed inevitabiles, & necessariæ. Quædam proximæ , sed liberæ , & voluntariæ . Quædam mere inopinatæ , & fortuitæ , in quibus nosmet reperimus fortuito , & quin ad id animum adverterimus . Primæ sunt tentationes , quas in qualibet conditione evitare non possumus ; invisibiles laquei , quos ubique diabolus posuit , ut nos in peccatum pertraheret . Voluntariæ occasiones illæ sunt , quas ipsi inquirimus , & quibus libere , & consulto nosmet scientes , & volentes objicimus , quamvis propria docti experientia earum periculum agnoverimus. Postremæ tandem illæ sunt, quæ sese nobis fortuito offerunt, & quibus ipsi nihil causæ præbuimus. Quid ergo triplici hac in occasione Christiano faciendum est:

1. Primis , quæ suo adhærent statui , quamvis procul videatur a Dei lædendi periculo, fidere non debet . 2. Secundas, quæ sunt proximæ, & voluntariæ , & a quibus sæpe lethalia recepit vulnera , omnino relinquere debet, quin ulla ratio , vel necessitatis, vel utilitatis illum impellat , ut ibi permaneat, vel eo revertatur . 3. Postremis opponere debet jugem solertiam, & vigilantiam.

XI. 1. Peccati occasiones quærere est inimicis suis maximas vires præbere. 2. Se ipsum infirmare , viresque suas mirum in modum minuere . 3. Se ipsum fraudare auxilio , quod a Deo poterat expectari . *Ex Dictionario morali*.

XII. 1. Occasiones peccati conquirere , vel in illis morari, ubi earum periculum deprehensum fuit, est injuriam facere providentiæ: 2. Dei misericordiam recusare , & abjicere , eique insultare: 3. justitiam ejus provocare. *Idem*.

XIII. Duæ validæ rationes, Sanctus Thomas ait , nos cogunt , ut incessanter peccati occasionem fugiamus.

Prima est , quia satis virium non habemus , ut resistamus illecebris peccati , quas nobis offert occasio.

Altera est , quia licet vires , atque constantiam nostram aliquando fuissemus experti , nequaquam certi esse possumus nos semper æque fortes futuros, ut minime superemur; nimis enim funesta docti experientia didicimus, nos in occasione semper infirmos esse. *Ex Speciminibus sermonum*.

XIV. Duo principia concurrere debent in victoria, quam de peccato reportamus , atque in nostra sanctificatione ; Dei videlicet gratia , & nos ipsi . Opus est , ut Deus nobis opituletur, utque nosmet ipsos tueamur ; at , si ultro nosmet occasionibus objecimus.

1. Deus nobis tenuet auxilium : 2. nosmetipsi nos tueri non poterimus , ideoque certissime superabimur. *Biroat sermone pro feria tertia post quintam Quadragesimæ Dominicam*.

XV. 1. Ut vera , sinceraque conversio fiat , omnino relinquenda est occasio peccati , alioquin pœnitentia nostra fallax est , & illusoria . 2. Ut gratia serveiur , & in ea perseveretur , vera , & efficax ratio est a peccati occasione recedere.

XVI. 1. Quicumque ultro sese objicit occasioni peccati , nullum a Deo expectare potest subsidium ; illius enim monita , minasque aspernatus, auxilio ejusdem se præbet indignum . 2. Temerarius , qui hoc pacto in occasionem se conjicit , omnia a semetipso debet metuere , quia numquam infirmior fit , quam in hujusmodi occasionibus. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali, sermone pro Dominica Quadragesimæ*.

Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. 1. Dico primum, hæc Salvatoris verba explicitum continere præceptum ab omni peccati occasione recedendi . 2. Nobis ostendunt quousque procedere debeat vis, quam nobismet debemus inferre , cum agitur de fugiendis funestis occasionibus , quæ nos ad peccatum impellunt . 3. Explicant fortes , validasque rationes, propter quas Dei Filius salutarem legem hanc irrogavit. *Lambert, homil. in diem festum Sancti Michaelis*. XVII.

1. Justus in occasionibus fit peccator , nisi quam primum inde egrediatur . 2. Peccator impœnitens fit , & in peccato obstinatus , nisi occasionem relinquat. 3. Qui inde emergere detrectat, invictum statuit obicem saluti, ac pœnitentiæ. XVIII.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus in tractatu de fuga sæculi de fugiendis occasionibus verba facit.

Sanctus Hieronymus contra Vigilantium, atque in plurimis Epistolis ostendit , quam malum sit , sese tentationibus, & peccandi periculo objicere.

Sanctus Chrysostomus in Psalm. 50. occasionem arripit exhortandi ad evitandas occasiones, quæ ad peccatum impellere possunt.

Sanctus Paulinus *Epist. 1. ad Serum* ostendit periculum peccandi in occasionibus, præsertim vero in pravis societatibus.

Sanctus Cyprianus in Epistola ad Donatum enarrat pericula , & occasiones pereundi, quæ in mundo sunt.

Sanctus Eucherius hoc ipsum ostendit in Epistola ad Valerianum.

Sanctus Basilius in homilia, ubi ostendit, Deum non esse auctorem peccati , & in pluribus regulis suadet fugam occasionum peccati.

S. Chrysostomus *homil. 15. ad popul. Antioch.* docet, quam caute in mundo vivendum sit propter occasiones lædendi Deum, quæ passim occurrunt.

Ascetici.

Granatensis, libro secundo memorialis, cap. 1.

P. *Saintjure* lib. 3. de cognitione , & amore Domini Nostri, cap. 9. sect. 2.

P. Chahu in libro , cui titulus : *Secretum prædestinationis*, de bene , maleque valentium agit pœnitentia art. 2. sect. 2.

Hieronymus Platus *lib. 1. de bono status religiosi cap. 3.*

Baldesanus *in stimulis virtutum cap. 11.*

Pædagogus Christianus cap. 8.

P. Gezou libro, qui inscribitur, usus Sacramenti pœnitentiæ cap. 5. §. 3.

P. Nepveu in Christianis considerationibus tomo 1. pro die 3. Februarii , tom. 2. pro 13. Maji . Tomo 3. pro 12. Augustini. Tomo 4. pro 15. Novembris.

Concionatores recentes.

Quicumque de tentationibus egere , de recidiva in scelus , de malarum societatum fuga , de recessu , & solitudine, locuti quoque sunt de fuga occasionum peccati , tamquam de argumento , propositioni suæ cohærente, ejusque sæpe partem constituente. Qui autem fusius de illa verba facere , hi ferme sunt.

Biroat sermone pro feria tertia post quintam Quadragesimæ Dominicam.

P. Girouft in Adventu tomo 2.

P. Massillon in Quadragesima tom. 2. sermone pro feria quinta hebdomadæ tertiæ.

La

La Font tom. 2. continuationis sermonum Ecclesiasticorum pro tertia Quadragesimæ Dominica.

Dictionarium morale duos habet hujus argumenti sermones, & plures considerationes.

Specimina sermonum pro Quadragesima tomo 3. sermone pro feria 3. majoris Hebdomadæ.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, in Dominicali, sermone pro Dominica Quadragesimæ.

Reina conc. 40. num. 29. & seqq.

P. Aurelianensis tom. 1. in sermone de tentatione plurima habet hujus argumenti.

Ludovicus Granatensis in locis communibus.

Labatha plures habet hujus argumenti propositiones.

Spanner; Polyanthea sacra, titulo *Occasio*;

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

SEnsus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genesis 8.

Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum., Num. 16.

Per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Josue, cap. 22.

Averto oculos meos ne videant vanitatem. Psalmus 118.

Viam iniquitatis amove a me, Ibidem.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Jobi 31.

Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Deuteron. 7.

Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri. 1. Reg. cap. 7.

Non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias. Judith. cap. 6.

Qui amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3.

Quasi a facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Ibidem, cap. 21.

Discede ab iniquo, & deficient mala abs te. Eccl. 7.

Scito quod in medio laqueorum ingrederis. Ibidem, cap. 9.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Isaiæ 32.

Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Jerem. 4.

Fugite, salvate animas vestras. Ibid. cap. 48.

Fugite de medio Babylonis. Ibidem, cap. 31.

Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat. Ezechiel. 20.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te ... & si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Matth. 5.

Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Ibidem, cap. 18. & Marc. 9.

Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? 2. ad Corinth. cap. 6.

Mundus totus in maligno positus est. 1. Jo. c. 3.

Exite de illa (Babylone) populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis. Apocal. 18.

Salvabuntur qui fugerint, & erunt in montibus quasi columbæ convallium, omnes trepidi. Ezechiel. 7.

Qui cavet laqueos, securus erit. Proverb. 11.

Exempla ex utroque testamento deprompta.

Exempla Evæ in Paradiso Terrestri.

PRima mulierum Eva justa erat, atque in statu innocentiæ, sed curiosa; quæ communis est mulierum tentatio. Non ita pridem cum Adam viro suo esse cœperat, attamen eum relinquit, ac sola in hortum deambulatura secedit. Occurrit illi serpens, ipsa gradum sistit, & cum illo colloquitur. Quantumvis hic turpis, horridusque sit, illum tamen audit, & tandem etiam ei credit, atque quia occasionem quæsiverat, vel in illa libenter remorata fuerat, ab eadem victa ex vetito comedit fructu, atque Adæ attulit comedendum. Si Eva, quantumvis callidissimus esset serpens, fugam corripuisset, næ illa quidem ex hac tentatione evasisset; sed cum serpente subsistit, cum illo sermonem miscet, illi respondet. Statim quidem serpens illi proponit quæstionem de præcepto Domini: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Genes. 3. Mulieris mens huic vacavit quæstioni, illam attentius consideravit, & mox in vetitum fructum oculos conjecit. Fructus quidem bonus visus est, & pulcher, occasio prævaluit, & sensus, atque cor illius superavit. Inde manus illico ad arborem prolata fuit, pomumque decerpsit: *Et tulit de fructu illius*. Genes. 3. Decerptumque comedit. At non satis fuit, Evam huc usque processisse; sed, quemadmodum serpens illi peccati occasio fuit, ipsa quoque fit occasio peccati viro suo, offerens illi de fructu, ex quo ipsa comederat.

Exemplū Loth de Sodomorū flammis erepti.

In Genesi legimus, Deum, cum educere vellet Loth de incendio, quo Sodoma erat conflagratura, ad eum duos misisse Angelos, a quibus præsenti periculo liberaretur. At quid fecerunt Angeli? Potuissent illi quidem flammas a domo Loth arcere, eamque tueri avertentes ignem mirabili divinæ potestatis effectu, quemadmodum in Babylonica fornace a tribus pueris flammas propulsarunt. Verum cum illud esset extraordinarium, & miraculosum auxilium, aliter fecerunt, Loth ipsum ex occasione eripuerunt, quin illum ibi præservare contenderent, cum illinc egredi coegerunt. Ecce quemnam ordinem cum omnibus hominibus tueri velit Deus; nos de peccati occasione eripi vult, nobisque ad id gratias elargitur, quæ sunt veluti Angeli nos ex hoc periculo educentes. Si huic ordini resistimus, si nosmet in affectuum nostrorum ignem conjicimus, non meremur, ut nobis opituletur in periculo, quia ipsi pereundi occasionem conquirimus.

Lapsus Davidis ob quod occasionem minime fugit.

David quidem occasionem minime quæsiverat, attamen periculosum objectum, quod illi ne cogitanti quidem occurrit, cum quo nullum habebat nexum, & quod admodum aberat, evertit hominem adeo sanctum, & secundum cor Dei efformatum. Quid ergo non metuendum adolescentibus, quorum vividissimæ affectiones sunt, virtus infirmissima; qui cor habent vel tenerum, vel corruptum, sensus acerrimos, atque effrænes, si conquisiverint objecta per se quidem maximi periculi plena, majoris vero propter nexum, quem cum illis habent? quid ab his expectandum, nisi funestissimi lapsus?

Exempla, & infelicitas Salomonis.

Sapientissimum quoque, ac illuminatissimum mortalium omnium Salomonem occasio perdidit. Si Salomon a se alienigenas semovisset mulieres, quæ illum seduxerunt, ipse nequaquam proruisset in scelera adeo fœda, suoque charactere indigna; saltem quam primum resipiscens rediisse ad Deum; sed quia obstinato animo eas secum retinere voluit, in quam malorum abyssum præceps ruit? Postquam sui ipsius oblitus est, oblitus est quoque Dei patrum suorum, atque tot idolis, quot sibi offerebantur, thus adolevit. At jam res in publicum versa est scandalum, sepositaque persona, superbum extrui jubet ædificium, ac illud idolo consecrat. Triste, & imbecillitatis regis hujus, & vis occasionis monumentum. Regem idololatram fecit;

fecit: heu! qum fecit etiam regem ad obitum usque impoenitentem?

Consideratio super Samsonis historia.

Samsonis historiam nemo non novit, at pauci considerant peculiarem modum, quo Spiritus Sanctus illam nobis enarrat. Samson turpi actus amore, atque iis fretus viribus, quibus a Deo fuerat auctus, Dalilam convenit in regione Philisthinorum inimicorum suorum; figura Christiani irruentis in laqueos, quos illi diabolus tendit, & occasionem quærentis. Ille funibus recens tortis, Sacer ait textus, constringitur, sed prima vice eos in pulverem redigit tamquam stupam ambustam, inde sese facile expedit; gratia in ipso adhuc fortis est. Eodem iterum redit, iterumque funes infringit velut filum, ex quo tela contexitur, attendite; hæc vincula quamvis imbecilla jam illum circumdare incipiunt. Pergit; ejusque crines clavo alligantur, ipso vero crines cum clavo, quo alligabantur, revellit. Quo magis crescit præsumptio, eo magis crescunt difficultates, verum tandem deficit, aperit cor suum, atque vim suam in crinibus esse fatetur, & viribus suis nimium fretus, omne robur amittit. Frustra ille jactitat: *Excutiam me, sicut ante feci*, neque cogitat, nullam amplius pro se validam esse gratiam, atque pro se exhaustum esse fontem misericordiarum, quas Deus illi se concessurum decreverat.

Tobiæ exemplum docet, occasiones fugiendas esse, & quomodo.

Nullum pulchrius vobis proponere possum exemplum, quam Sancti viri Tobiæ. Quid vir iste faciebat? quid ab ineunte ætate consummata sapientia eidem inspirabat? Attendite, atque juxta hoc exemplar vosmet componite. Donec cæteri pergebant aureis vitulis sacrilegas victimas immolaturi, quin multitudinis consuetudinem sequeretur, sese recipiebat, & omnem sibi cum idolorum cultoribus interdicebat commercium: *Hic solus fugiebat consortia omnium*: Tob. 1. Neque jam iners in secessu otiabatur: *sed pergebat in Jerusalem ad Templum Domini*: ibique ante aram prostratus adorabat Deum, atque arctius adhærendo quærebat Domino suo legem ipsius ad mortem usque servaturus: *Et adorabat Dominum Deum Israel*. Talis est salutaris præcautio, qua utendum est nobis, ut eas evitemus occasiones, in quibus amittimus morum integritatem, & quæ nos infinitis propemodum sceleribus objiciunt.

Cum reædificatum fuit templum Nehemiæ; atque Esdræ ævo, nihil diligentius præcavendum esse existimatum fuit, quam ut filii Israel ab alienigenis separarentur, ne populus Dei in idololatriam laberetur, utque auferretur illi omnis occasio sese in Ethnicorum cœtu corrumpendi, in eorum mores, & sacra abeundo: neque enim putabatur aliter prohiberi posse, ne in idolorum cultum deciderent, ex quo tanto labore, & difficultate fuerant erepti. Itaque ad innocentiam tuendam hoc primum requiritur, ut a flagitiosis hominibus abhorreamus, atque procul recedamus a locis, societatibus, ac solatiis, ubi Deum lædi scimus, & ubi eumdem lædendi adest occasio.

Quid fecerit Rex Ezechias, ut a Judæo populo occasionem idololatriæ tollendi ablaturus.

Quarto regum libro capite duodevigesimo narratur, Regis Ezechiæ jussu confractum fuisse æneum serpentem, quem mirabili consilio Moyses conflaverat, ut Dei populum a serpentum morsibus curaret. Bonus hic princeps videns, non satis esse populo illum intueri, tamquam insignis beneficii, quod patres ipsorum perceperant, monumentum, sed eo usque rem processisse, ut veluti numini simulacro illi cultus adhiberetur, ut hanc scandali occasionem auferret, confregit serpentem, quem Judæi in idolum converterant, utque omnes auferret occasiones, propter quas in similem ruerent idololatriam, religiosissimus princeps edixit, ut solo æquarentur delubra, & aræ, ubi olim idolis litatum fuerat; imperavitque, ut in torrentem Cedron conjiceretur, quidquid in sacrilegi hujus cultus ministerium adhibitum fuerat, ne quid superesset, quod tantæ abominationi occasionem vel remotissimam posset præbere.

S. Petri lapsus ex quod occasioni se objecit.

Deplorabilis Sancti Petri lapsus validum est argumentum, quod nemo temere occasioni se debet objicere. Quis umquam videbatur fidelius adhæsurus Domino, quam magnus hic Apostolus? Quomodo pollicitus est, se numquam ab eo recessurum? Immo poterat etiam confidere in oratione, quam Dei filius effuderat, ut ille in fide inconcussus maneret: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Luc. 22. Nonne videtur nulla metuendi causa illi fuisse? Attamen quod temere se objecit occasioni, quin suam consuleret imbecillitatem, turpiter negavit magistrum suum, cum imprudenter sese inimicis illius immiscuisset, eumque fecit lapsum, ex quo fideles omnes intelligere debent, quam parum confidere debeant in consiliis suis, & quantum vereri, ne gratiam objiciant iis certaminibus, in quibus Deus illam se nequaquam servaturum spopondit.

Diversus exitus præsumptionis S. Petri, & veræ confidentiæ Pauli in eadem occasione.

Ecce duo exempla memorabilia, ex quibus intelligere possumus, quodnam intersit discrimen inter eas occasiones, quibus vel Dei jussu, vel propria objicimur temeritate. Alterum quidem Sancti Petri est, Sancti Pauli alterum. Uterque in eadem urbe Jerosolyma, eademque in occasione. Utrique prodeundum est coram judice, ut magistri sui causam tueantur. Opus est, ut uterque vel palam negent Jesum Christum, vel palam eum confiteantur: uterque ad id æque constanti videtur animo. Petrus quidem Domino, pridie quam hic pateretur, dixit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Matth. 26. Paulus similiter dixit Act. 21. *Ego alligari, & mori paratus sum*: Conformes hi sensus, & verba sunt, sed longe alius est exitus. Labitur Petrus, Paulus vero in confessione constans persistit. Unde hoc? Quia ille de se ipso præsumit, & contra Dei monitum occasionem inquirit. At hic ad præsidis tribunal accedit ductus a Spiritu Sancto: *Alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem*. Act. 20.

Applicationes quarumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Quam primum fugiendum est ex iis locis ubi est occasio peccandi.

F*Ugite de medio Babylonis*. Jerem. 15. Babylon in Scripturis exhibetur veluti civitas abominationis, ubi semper adest occasio per civium ejus commercia sese corrumpendi. Hinc præcipit Propheta, ut quamprimum inde fugiamus: *Fugite*, exclamat, *de medio Babylonis, salvet unusquisque animam suam*. Neque enim existimandum est, ut ille dicebat, permanere vos posse inter corruptionem, quin corrumpamini. Vultisne igitur generalem hanc labem evitare? *fugite*; ne permaneatis in adeo periculosa occasione. Non agitur hoc in loco de recessu, quem præmeditari debeatis, ut per tempus illum exequamini, statim, & quam primum fugiendum est, ut periculum, quo circumdati estis, effugiatis; hoc enim generale axioma est, ad evitandum scelus occasio fugienda est.

Occasio, ducit ad culpam.

Viam iniquitatis amove a me. *Psalm*. 118. David propria edoctus experientia, quam periculosa sit occasio peccati, Dominum orat, ut ab ipso viam iniquitatis amoveat. Cur non ait, amove me Deus a peccato; sed potius amove a me viam, quæ ducit ad peccatum? Quia occasio peccati quodammodo magis metuenda est, quam ipsum peccatum, eo quod peccatum secretum habet horrorem, qui animam bene natam repellit; sed peccati occasio nihil habet, quod non alliciat, atque blandiatur.

Comparatio occasionis peccati cum serpentis adspectu.

Quasi a facie colubri fuge peccatum. Eccl. 21. Spiritus Sanctus mystica hac locutione non solum nobis inspirare vult gravissimum peccati horrorem, verum etiam aversionem ab iis rebus, quæ nos ad peccatum possunt impellere, & generalem ab omnibus occasionibus, quæ in illud nos pertrahere valent, fugam. Animadvertite enim, non dicere, peccatum fugiendum esse veluti morsum, aut virus serpentis; sed veluti occursum, & adspectum illius.

illius, quæ proprie occasio est. Vel potius dicamus, Sapientem ad quosdam alludere serpentes, qui basilisci vocantur, qui solo intuitu mortem afferunt, & quos vidisse, vel a quibus visum fuisse satis est, ut præsentissimo veneno eneceris?

Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione. Genes. 19. Hoc diligentissime exequi debent, in quibus sincerum est desiderium inserviendi Deo, vel sese in recenti vita, quam ingressi sunt confirmandi. Ne putes satis esse, flagitiosam, quam vivebas, vitam reliquisse; caput non est amplius illuc vertendum, ut fecit uxor Loth, neque oculi conjiciendi, neque cogitationes in pristinas iniquitates iterum traducendæ. Parum est, emersisse e luto, ubi tandiu volutatus es; fugiendæ quoque sunt occasiones, quæ te illuc iterum immergere possent. Diligenter evita, fuge, quidquid efficere potest, ut in vitii servitutem relaberis. Fuge ludum hunc, in quo soles tot imprecationes, & blasphemias evomere. Ultra redeundum non est in illam domum, & societatem, ubi toties, tamque funestis lapsibus fragilitatem, ac imbecillitatem tuam es expertus: alioquin affectus tuus, qui vix sopitus est, non omnino extinctus, quamprimum exardescet, quemadmodum lampas non prorsus extincta accenditur, quantumvis parum igni admoveatur,

Donec peccati occasio prorsus relicta nō est, aliquis vere conversus dici non potest,

Surge velociter. Act. 12. Squalebat in carcere Petrus, & Angelus Domini invisens illum dormientem, latusque ejus percutiens illum excitat, & ait: *Surge velociter*. Arripe pallium tuum, & sequere me. Sanctus Petrus illum subsequitur, ac uterque perveniunt ad tertiam portam, quæ uti priores duæ ultro aperta est illis prætereuntibus. Interim Sanctus Petrus hoc somnium esse putabat; *Existimabat se somnium videre*. Sed ubi tandem vidit, se in media esse urbe, ac tres, vel quatuor vias processisse: agnosco nunc, exclamavit, me a Domino de manu Herodis ereptum. Nulla, o fideles, perfectæ conversionis inveniri possunt meliora argumenta, Gratia effundit lumen suum in cordibus vestris, atque ex intimo animæ sinu clamat: *Surge velociter*: confringe vincula, egredere ocyus de peccati hujus servitute. Audis vocem ejus, ac eadem moveris; felicia quidem hæc sunt principia; verum adhuc time, ne hæc sit illusio. Cum autem omnes a te occasiones semoveris; tunc dicere poteris, immutatum esse cor tuum, ac te libertatem adeptum fuisse,

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

IN occasione peccandi apprehende fugam, si vis invenire victoriam. Augustinus, Serm. 250. de temp.

Non tibi verecundum sit fugere, si palmam desideres obtinere. Ibidem.

Lubrica spes illa, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Idem.

Sanctus Petrus præsumendo ignorabat, & negando didicit quales vires haberet. Idem.

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est ubi frequentia est voluptatum. Idem, de singul. Cleric.

Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire aut vincere? Hieronymus, Epist. 47.

In periculo qui non vult fugere, vult perire. Augustin. in Psalm.

Nemo tutus, periculo proximus. Cyprianus, Epist. 62. de Virginibus.

Maxima providentia compendia, quod victoria fiat per fugam & timorem. Idem.

Ita spiritualis fortitudo nobis collata est, non ut præcipites, sed ut pavidos tueatur. Idem.

Graviora quoque delicta pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis. Tertull. de Idol. cap. 11.

Juxta serpentem positus non eris diu illæsus. Isidorus, lib. 2. Soliloquiorum.

Perfecte renunciat vitio, qui occasionem evitat in perpetrando peccato. Idem, lib. 2. sent. cap. 32.

Plena omnia periculis, plena laqueis; incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra. Sanctus Leo, Serm. 5. in Quadrages.

Vera compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Bernardus, in die Paschæ.

Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, charitas in hoc mundo. Idem, in quodam Sermone.

Juxta præcipitia vadens, quamvis non decidat, tremit, & sæpenumero ab ipso subversus timore decidit. Ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, cum timore vivit, & in ipsa labitur sæpius. Chrysost. Homil. 13. ad Popul. Antioch.

Quantum possumus, a lubrico recedamus: in sicco quoque parum firmiter stamus. Senec. Epistola 117.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum depromi possit.

Quid sit occasio peccati generatim.

PEccati occasio vocatur quidquid peccatum gignere potest, sive quia per se ad illud impellat, & propria nequitia vulgo in ipsum trahat eos, a quibus inquiritur, sive quia propter conditionem, professionem, pravamque mortalium dispositionem justa sit eredendi causa, illos propter infirmitatem, & affectionem suam in peccatum esse lapsuros.

Varia genera occasionū peccati.

Animadvertendum est, tria esse occasionum peccati genera; aliæ sunt remotæ, sed inevitabiles; & necessariæ; aliæ sunt proximæ, sed liberæ, & voluntariæ; aliæ mere fortuitæ, ac inopinatæ, in quas homines fortuito, & ne cogitantes quidem incidunt. Primæ illæ sunt tentationes, quæ quacumque in conditione evitari non possunt; invisibiles sunt laquei, quos dæmon ubique sevit, & abdidit, ut nos in peccatum pertraheret. Voluntariæ occasiones illæ sunt, quas nos inquirimus, in quas nosmetipsos conjicimus, quibus consulto nosmet impendimus; in quibus scientes, & volentes immoramur, quamvis sæpe propria docti fuerimus experientia, quam fatales sint nostræ integritati. Postremæ tandem illæ sunt, quæ forte accidunt inopinato occursu, & quæ omnino fortuitæ dicendæ sunt.

Explicatio occasionis, quæ voluntaria, & involuntaria sunt.

Occasio peccati, ut sit peccatum, esse debet voluntaria, non enim desunt involuntariæ occasiones. Involuntariæ dicuntur illæ, quas fors nostrudit, quas prævidere non possumus, neque avertere, antequam sese nobis obtulerint. Talis illa fuit, quæ castæ Susannæ contigit. Voluntaria occasio dicitur illa, in quam ipsi ultro ferimur, quam ipsi quærimus palam eam cognoscentes, & in qua ex mera voluntate immoramur. Hujus generis fuit Sancti Petri occasio, cui, licet a Dei filio monitus, se objecit, & propter quam lapsus est.

Occasio, ut peccatum sit, non voluntaria tantum esse debet, sed etiam proxima.

Satis sine ulla explicatione patet, peccati occasionem non esse peccatum, ubi involuntaria sit, quia non est libera, & nullum est sine libertate peccatum. Ad hæc notandum est, occasionem proximam esse debere, ac sese illi objicere, vel libere in ea permanere opus esse, ut sit vere peccatum; hoc enim esset nimis severam efficere Christianam morum disciplinam & Ecclesiasticis decisionibus reluctari, asserere, omnem licet remotam occasionem esse peccatum; & si illis sese exponere simpliciter peccatum esset, de mundo, urbanaque vita egrediendum esset, ne peccaremus: *Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*. 1. ad Cor. 5.

Proxi-

Proxima igitur occasio peccatum est, cum libere quærimus, videlicet illa, quæ adeo fortiter in peccati periculum adducit, ut sæpe labamur; sive proficiscatur ex qualitate objecti, quod occasionem facit, seu ex peculiari affectione illius, qui se huic objicit occasioni. Hinc sequitur unum, & idem objectum esse posse erga aliquem occasionem proximam, quæ ita non erit erga alium, in quod hoc idem objectum minorem habebit vim. Sed verba illa notanda sunt, *ut sæpe labamur*; vehementer enim errat, qui putat occasionem aliquam proximam non esse vocandam, nisi toties lapsus fueris, quoties in eadem versatus es. Ut hoc nomine appelletur, satis est, in ea sæpe cecidisse.

Occasio bifariam est causa peccati.

Occasio bifariam nos in peccatum præcipites agit, tentatione videlicet, & subtractione: tentatione quidem ex parte nostra; subtractione vero ex parte Dei. Tentatione ex parte nostra, quia numquam violentius, atque periculosius tentamur, & ad peccatum impellimur, quam in tentatione. Subtractione ex parte Dei, nihil enim magis cogit Deum, ut efficaces gratias nobis impertiat, quam cum nos ultro in occasione videt permanentes.

Deus universalis justitiæ, quemadmodum Sanctus Thomas illam appellat, specie quadam promisit se hominibus necessarium suppeditaturum esse concursum in natura, & auxilium, quo indigent in statu gratiæ, ut in eo perseverent; sed obligatio hæc in ordine seu naturæ, seu gratiæ nequaquam se extendit ad periculosas occasiones, quibus illi se objiciunt sine necessitate, & ex quibus citra miraculum emergere nequeunt. Tentare Deum est in ordine naturali extraordinaria expectare subsidia, neglectis communibus, quæ habemus præ manibus. Hoc ipsum de supernaturali dicendum est providentia, quam habet Deus in ordine gratiæ. Verum est, illum spopondisse adfuturum se justis, ubi periculosa aliqua, & inopinata occasione fuerint occupati; sed peculiare hoc Dei auxilium nequaquam extenditur ad proximas peccati occasiones, quas ipsi aucupamur, & in quas nosmet conjicimus, vel in quibus libenter immoramur, quin immo e contra se nos in periculo derelicturos minitatur.

Accidit plerumque, quod Deus suas reneat gratias in occasionibus, quas ipsi quæsivimus.

Hinc sequitur, quod consuevit Deus victrices denegare gratias in occasionibus, in quas superba temeritas adducit, vel in quibus efficit, ut immoremur: Deus enim infinite sapiens, & æquus suas gratias distribuens, nequaquam eas fortuito largitur, neque illas nostro ingenio, ac libidini accommodat; sed eas in numero, pondere, & mensura impertit. Si Deus nos mittit, & vocat, tuto ambulabimus, tunc enim ipso suum nobis auxilium impertiente, nihil est, quod superare nequeamus, & omnia nobis aliquid conferunt, ut roboremur. At si temere nosmetipsos occasionibus objecerimus, ne expectemus, a Deo protegi, & confirmari; permittet ille, ut in insignes lapsus ruamus, quibus pudore coram Deo, & hominibus suffundamur.

Sæpe necadamus, non aliam habemus gratiam præter eã, quã Deus nobis ad occasionẽ evitandam impertit.

In gratiarum suarum distributione hunc passim ordinem servat Deus, ut videlicet gratiam nobis conferat ad occasionum pericula evitanda; sin autem citra noxam in illis versemur, peculiarem nobis alteram elargitur, ne vincamur. Altera hæc autem peculiaris gratia tunc nobis conceditur solum, cum priori fideles fuimus; ita ut si hac abusi fuerimus, frustra speremus alteram, quæ nobis negabitur. Hoc tamen non prohibet, quominus verum sit, Deum nequissimis etiam peccatoribus numquam eam negare gratiam, quæ satis est, ut peccatis abstineant, utque validissimis, quibus aguntur tentationibus, resistant. Etenim, quin de fortibus, & peculiaribus gratiis loquamur, sciendum est, sufficientem gratiam non semper esse proximam, uti loquuntur Theologi; verum sæpius esse remotam, qualis illa est, quæ nobis ad evitandas occasiones tribuitur, quam si rejicimus, Deus nequaquam nobis conferet alteram, cujus vi resistamus peccato, in quod ea nos fere occasio.

Ad quid per fidelitatẽ suam Deus teneatur.

Eadem fidelitate, qua tenetur Deus nobis opem ferre iis in occasionibus, quas non quæsivimus, tenetur quoque nos derelinquere in illis, in quas nos temere, audacterque conjecimus. Ratio est, quia in prioribus illis tentatio non proficiscitur a nobis, sed a dæmone, qui nos perdere conatur, quia sumus imagines Dei, & ad hunc pertinemus; ideoque cum ipsius honor tunc agatur, nos tueri, nobisque suppetias ferre cogitur. Sed cum homo ipse occasiones inquirit, seque ipsum in tentationem conjicit, tunc non tentatur a dæmone, sed a se ipso tentatur; atque tunc non tenetur amplius illi Deus ferre subsidium; de illius gloria non agitur, qui sinit, ut ille singulari certamine cum dæmone in aciem descendat, cui est viribus impar. Immo videtur Deus propter gloriæ suæ zelum cogi, ut hominem deserat sese occasioni objicientem. Hic enim tunc vel suis fidit viribus, vel diffidit; si primum, audax est, ad divinæ interest gloriæ efficere, ut suam sentiat infirmitatem; sin alterum, & prævidet se lapsurum, jam lapsus est; quippe jam peccatum est proximæ occasioni sese committere; & si alterum in ipsa occasione peccatum facit, hoc illius tantummodo temeritati vertendum est.

Peccat qui sese objicit occasioni peccandi, licet non decidat in peccatum.

Theologiæ totius sententia est, eum, qui sese objicit occasioni lædendi Deum, quamvis non labatur in peccatum, quod in illa invenitur, illud jam in antecessum patrasse; & reum esse in causa, quamvis in effectu sit innocens; quia acceptavit periculum interitus sui, quin sperare posset suppetias, quibus suffultus tentationis impetum propulsaret.

PARAGRAPHUS IV.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Periculũ eorum, qui occasiones inquirunt.

NOn loquor de periculis, quæ ab omnibus vitæ statibus separari non possunt, quæ omnia evitare velle, chimericum est, & fieri non potest. Illud vero me terret, quod homines, qui suam sentiunt infirmitatem, qui tot habent hostes, cum quibus confligant, tot pericula, quæ evitent, quin sibi diligentissime caveant adversus ea, quibus, licet inviti, obnoxii sunt, alia ultro accersant, & sesa perdendi occasiones inquirant, perinde ac intus, ac extra non satis multas haberent causas metuendi, ac trepidandi. Illud autem majorem in me ciet admirationem, quod non mundani solum parum de sua salute solliciti, homine alioquin frugi ob id ne minima quidem voluptate semet vellent fraudare. Videntur illi sexcentis immisceri negotiis, quibus conditione sua minimum implicantur, & quibus vano, & inquieto plerumque acti spiritu irretiuntur. Videntur teneras colera necessitudines, alere commercia, quæ culpa vacare credunt; nihil enim ibi deprehenditur pudori contrarium, ubi tamen sese intra officii cancellos continere difficillimum est. Interesse videntur societatibus nimium liberis, hilaribusque; unde exulat charitas; ubi callida regnat detractio, ubi omnia quisque scire vult, omniaque effutiendi sibi vindicat facultatem. Paucis; omnibus solatiis vacare videntur, ne choreis quidem, comicisque spectaculis exceptis. Hujus viæ homines se tutos credunt; cumque quæsivera, utrum his indulgere oblectationibus lethalis sit noxa, absolutam volunt responsionem &c. *P. Cheminais, sermone de Conceptione Beatæ Virginis.*

Temeritas eorum qui videre nolunt periculum eorum, qui theatra frequentant.

Tu, qui cordis tui corruptionem agnoscis, & qui, conscientia teste, adeo male eam propugnas causam, quam belle coram mundo tueris; quomodo illi te objicis periculo, quod ignorare non potes? At enim ea ætate, eoque charactere is, ut nullum periculum subeas. Quis hoc tibi spopondit? Funestum nonne momentum male extinctum igne excitare in te potest? Nihil in iis omnibus,

ſpectaculis prætermittitur, quod humanum allicere valeat affectum, ſenſus magis teneros, atque amoris pleniſſimos animat quidquid habet muſica ſuavitatis, ac ſpiritus; omnis impenditur ars ad eam perturbationem excitandam, quam ſedare nulla potis eſt ars; atque ita in temetipſo confidis, ut putes, te nihil periclitari. Quot provectiori ætate, majori ſapientia lethale ibi hauſerunt virus, quod illos perdidit? *Idem*.

Lapſus David eo quod non receſſerit ab occaſione.

David ille princeps juxta cor Dei in ædibus ſuis deambulabat, cum eminus Berſabeam proſpexit. Verum ſi mulier hæc ab eo procul aberat, Sanctus Auguſtinus ait, illi prope aderat libido: *Mulier longe, libido prope*. Heus, Princeps, recede; niſi oculos avertis, periiſti. Non audit; non utitur ille hac neceſſaria præcautione, & qui propheta erat, factus eſt adulter, & carnifex. Quæ veſtra ſententia eſt, Auditores? Numquid vos ſanctiores eſtis hoc rege, qui cœlo adeo charus erat, an minus ab infirmitate veſtra vobis eſt metuendum? Voſmet ipſos conjicitis in periculoſam occaſionem: abite, neque puteris futurum, ut vos Deus ſequatur, atque gratiæ ſuæ auxilio vos illinc inſontes eripiat. Non enim hoc ille vobis pollicitus eſt, neque hoc ipſi aſſequemini. *Pater Girouſt in Adventu tomo 2. ſermone de fuga occaſionum*.

Qui ultro in peccati occaſione verſatur, viribus ſuis, divinæque gratiæ confidere nequit.

Te alloquor, Virgo; quæ imprudenter neceſſitudinem alis, ſatis quidem initio crimine vacuam, ſed nimis, heu nimis exitu funeſtam! Nihil vides, quod pudorem lædat, credo equidem, hactenus talem eſſe, qualis tibi videtur. Attamen hanc quantocius infringendam eſſe dico; quod niſi ſatis eſt, Dei nomine etiam jubeo. Alioquin certa eſſe non potes de verecundia tua, quia certa eſſe non potes de gratia Dei. Utique ſi hæ frequentes adeo viſitationes, ac ſpecioſis ſympathiæ, & amicitiæ nominibus coloratæ diutius conſueverint; ſi conſilium meum negligens perrexeris adhuc videre hunc adoleſcentem, quantumvis in ſpeciem pudicum, & bene moratum; non multo poſt aderit tempus, quo ſe ipſam prodet virtus tua, & miſere corruet. Hoc adeo frequenti comprobatum eſt experientia, ut citra metum affirmare poſſimus id certiſſime eventurum. *Idem*.

Præſumptio eſt ſperare futurum ut prohibeat Deus, ne in iis occaſionibus, quas ipſi quærimus, labamur.

Quo jure a Deo petere potes, ut miracula operetur, tibi in acceſſitis occaſionibus auxilium laturus? Frequens adire velles domos illas voluptatum, ludorumque, ac a Deo peculiari patrocinio ita purum ſervari, ne labe, quæ ibi graſſatur, inficereris, & a mollitie, ac licentia, quæ ibi regnant, abhorreres. Temere incedere velles ſecus lubricam abyſſi oram, & a Deo peculiari providentia dirigi, ac circum te cuſtodes poni Angelos, qui lapſum tuum prohiberent. Velles temetipſum, ac ſine ulla neceſſitate inter procellas projicere, ac a Deo ſedari fluctus, tranquillitatem ventis indici, vel tibi tendi manum, ut per ſcopulos, ac tempeſtates in portum adduceretis. Velles temere, ac pro libidine, quæ dominatur in te, rebus omnibus immiſceri, omnibus implicari negotiis, indeſinenter ob oculos blanda, & ad corrumpendum aptiſſima objecta geſtare, inceſſanter ſermones vel impios, vel maledicos, vel obſcœnos audire, ac a Deo cor tuum mundari, atque confirmare, ne vel minimam inde labem reciperes: hoc eſt, velles, in gratiarum ſuarum diſtributione prorſus recentes Deum regulas ſequi, non affici contumelia, quam illi affers adeo male ſervans theſaurum, quem tibi commiſit; velles, ipſum maxime mirabilius prodigiis pro te brachii ſui totum robur impendere, atque apertius loquar, criminum tuorum ſe auctorem, fautoremque profiteri. *Idem*.

Quid ſit ſe objicere occaſioni.

Quid eſt ſeſe occaſioni objicere? Eſt, ſalutis noſtræ inimico miniſtrare tela, quibus fortius adverſum nos bellum gerat, ac vincat. Eſt unanimi, conflatoque conſenſu cum eodem ad noſtrum contendere interitum. Quibus ille rebus utitur, ut nos miſere perdat? Affectibus noſtri. Quid autem affectus hos jam per ſe ſatis vividos magis inflammat? objecta ſenſibilia, quæ ſeſe nobis offerunt cum omnibus illecebris ſuis, atque lenociniis. Id autem quod vel nos admovet hiſce periculoſis objectis, vel hæc admovet nobis cum omnibus eorum illecebris, quæ ad corrumpendos animos potiſſimum valent, occaſio eſt. Cœtus videlicet illi, ubi tanto luxu, ac faſtu omnes pompas ſuas mundus oſtentat. Delicioſa convivia, quæ guſtum palpant, & ad intemperantiam invitant. Profana ſpectacula, ubi nihil prætermiſſum eſt, quod oculos, aures, ſenſuſque omnes alliciat. Colloquia, liberæ converſationes, quæ in animis impudiciſſimas imagines excitant, & graviſſima cordibus vulnera infligunt. Viſitationes eorum præſertim, in quos noſtra inclinant ſtudia, quos amamus, & a quibus amamur. Fabuloſæ hiſtoriæ amatoriis eventibus refertæ, quæ attente leguntur, & quibus cor ipſum repletur. Societates, & negotiorum commercia, ubi celeris? præſentiſque lucri ſpes excitat cupiditatem. Illic ignis accenditur, appetitus irritatur, corrupta natura expergiſcitur; illic, ut me verbo expediam, infernus, & peccatum late omnia devaſtant. Ibi enim tot inter oppugnationes, undique petitus, intus, & extra laceſſitus nihil habens pro te, contra te omnia, atque in omnes, quæ tibi ſtruuntur, incidens laqueos, quomodo periculum propulſabis? *Idem*.

At enim labimur, quia fragiles ſumus, & quia nimis vehementes ſunt affectus, quos vix, & ne vix quidem compeſcere valemus. At, nonne hoc ipſum veſtram damnationem confirmat? Si enim vos ipſi intelligitis, ſi fatemini veſtram infirmitatem, acrem in vobis eſſe inclinationem in malum, omnia, quæ veſtris accidunt oculis, ſenſus veſtros afficere, vos cupiditatibus veſtris reluctari, atque illis dominari non poſſe: cur ergo ipſis vires veſtras minuetis? Cur parum illud, quod ſupereſt, virium extinguitis? Cur faveris ſtudiis, quæ vos in peccatum trahunt, cur novas illis alimenta præbetis? Cur ſenſibus habenas laxatis? Cur ſinitis, illos elabi, ac deerrare, quin eos ſub jugo coerceatis, iiſque frænum, quo cohibeantur, immittatis? Nonne jure maximo damnandi eſtis, cum voſmetipſos in malum adeo pronos eſſe ſentientes, magis adhuc fovetis vitioſa illa ſtudia, quæ dominantur in vobis, novamque miniſtratis eſcam igni, qui vos abſumit? *Idem*.

Inutilis eſt excuſatio, dicere, non tam propter occaſionem quam propter infirmitatem peccari.

Ad pravum hunc habitum, qui vos in peccatum trahit, infringendum recedendum eſt a lubrico, ubi eſtis; relinquenda eſt occaſio, ac ſine mora inde emergendum eſt: *ſurge velociter*, quemadmodum Sancto Petro Angelus inquit. Procraſtinandum non eſt; quo magis nectetur mora, eo magis a Deo vos amovebit occaſio: *ſurge velociter*. Veſtra ſalus agitur; pro ſalute nulla vis eſt, quam vobiſmetipſis inferre non debeatis, licet ea, quæ vobis chariſſima ſunt, impendenda eſſent, licet rerum omnium perferenda eſſet jactura. Quidquid hoc ſit, ex quo vobis factum eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ſtatim vobis eſſe debet execrationis objectum. At enim hæc neceſſitudo jampridem coaluit; licet millies arctioribus vinculis eſſet conſtricta, infringenda eſt. At enim inde mea pendet fortuna; licet de re millies graviori ageretur, relinquenda eſt. At enim nulla mihi in omne vitæ meæ ſpatium erit amplius voluptas: licet nulla eſſet futura, licet inter abditiſſimi receſſus caliginem recedere, & viventes adhuc voſmet ipſos ſepelire cogeremini, ubi de ſalute veſtra res eſt, nihil eſt prætermittendum. *Idem*.

Ut peccatum vere relinquatur occaſio relinquenda eſt.

Sæpe nobiſmet perſuademus neceſſariam ſe occaſionem, cum mere voluntaria eſt.

Sibi perſuadere neceſſariam eſſe occaſionem, cum ſit mere voluntaria, illuſio eſt. Quid enim vulgatius in mundo eſt, quam ſeſe excuſare aſſertas neceſſitates cauſando, quæ tales non ſunt, niſi quia mundus eas pro talibus nobis obtrudit, & quia amor proprius efficit, ut tales nobis videantur?

Eo in

Eo in statu, gradu, conditione sum, inquiunt, ubi facere nequeo, quin videam, & videar, ultro, citroque visitationes reciprocem: qua enim in re tempus traducere possem? Eo in munere, ac officio sum!, ubi necessario hujusmodi negotia mihi sunt transigenda, quamvis difficilia sint, & conscientiæ meæ puritati periculosa. Esto quidem: in mundi lucem vosmet proferre opus est, aliquod solatium capere; & facere non potestis, quominus in aliorum cœtu, & societate versemini; verum nullæne in his rebus servandæ sunt regulæ, nullus modus habendus? Si genus, conditio, status vester quibusdam prorsus honestis, meræque urbanitatis visitationibus vos implicat; quæ necessitas est, ut hoc urbanitatis prætextu omnium societatum esse, omniumque visitationum genus obire velitis; ut domi vestræ omnia mortalium genera, omnium ætatum, omniumque sexuum excipiatis, ut omnibus voluptatum cætibus, spectaculis, ludisque omnibus, atque deambulationibus interesse gaudeatis; ut in id maxime incumbatis, ut præ cæteris emiceatis; ut in omni occasione prodeatis, & hujusmodi nugas præcipuum vitæ vestræ negotium constituatis? Quæ necessitas est, ex pluribus societatibus eam præferre, quæ licentior est, ac in omnem libidinem effusior, quæ vestram vanitatem, amorem proprium, ac mollitiem palpat: atque ex omnibus oblectamentis ea semper eligere, quæ vobis exhibent objecta gratiora, & periculosiora, quibus oculi vestri capiuntur, & cor vestrum vulneratur? Quæ necessitas, semper cum illis versari, qui vobis placent, & quibus placere desideratis? Quæ necessitas attrahere, ac ferre societatem, audire impura flagitiosorum quorumdam colloquia, qui inertes sunt, quibus nullum negotium est, & qui vobis labem suam possunt adspergere? *Ex sermonibus P. Massilon sermone hujus argumenti.*

Remota passim creditur occasio, quæ proxima.

Si quis vobis exhibere vult periculum, in quo estis, & malum, in quod hæ proximæ occasiones vos præcipites agunt; hæc esse dicitis vana terriculamenta, quibus Confessarii, vel Concionatores vobis formidinem student injicere. Quid? Occasionem proximam non censetis visitationes parentum vigilantiæ clanculum surreptas, clandestinos occursus utriusque partis consensu constitutos, in quibus affectus sese magis promit, ac nullis coercetur habenis, ubi virtus nimis infirma nullo propugnaculo, clypeove protecta hosti patet? Proximam non dicitis occasionem familiares, liberasque conversationes, ubi callide furtiva ineuntur consilia, ubi cor ore eloquentius sexcentis se explicat modis, omnibusque sensibus utitur, ut suos affectus significet? Proximam non putatis occasionem mutua chirographa, quibus fovetur amor, & cor sese libere prodit? Proximam non arbitramini occasionem secreta illa, quæ habetis commercia, neque criminosam ducitis occasionem sub eodem tecto velle affectionum vestrarum alere objectum? Næ vehementer erratis: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus*. 2. ad Cor. 6. Separatio, divortium; integra separatio, promptum divortium: hoc vobis imperat Dominus: relinquite nefarium illud objectum, ab illo recedite, illud a vobis procul amovete; alioquin Dei legem infringitis, ac reprobationem vestram consummatis. *Idem*.

Nobis persuademus id, quod pro aliis proxima occasio est, non esse pro nobis.

Illusio quoque est, occasionem non esse pro omnibus proximam, & periculum nobis non imminere, sicuti aliis quamplurimis, tunc etiam cum pro nobis sit gravius. Huic non aliud respondere volo, quam quod tibi responderetur, si diceres: quædam alimenta his, & illis, quos novi, nocua sunt, cur & mihi non sunt? Diceres, temperamenta esse diversa; quod uni obest, alteri prodesse. Hoc ipsum tibi respondeo: ita de peccati occasione judicandum est; si alteri peccatum non est, pro te est; animæ enim tuæ affectiones ab illius affectionibus discrepant; tu natus es cum hoc ingenio, studio, habitu, quem ille non habet, & qui tibi periculosum id facit, quo ille ne afficitur quidem. Ne reputes ergo quid huic, vel illi, sed quid tibi sint profani hujus sæculi cœtus, in quibus summa cura depromitur, quidquid magis nitet in ornatibus, quidqud magis magnificum est in vestibus, quidquid magis exquisitum est in corporis cultu, & ubi omnia, quæ circumstant, te animant, ac tentant. Cogita, quid sint naturæ adeo teneræ, qualis tua est, amatoriæ fabulæ, quas avide legis, & quæ mentem sexcentis obscœnis imaginibus replent, quæ unico verbo locum præbent sexcentis impuriis cogitationibus. quæ unico facto callidius instituto omnem tibi delineant artem, in qua fortasse satis, superque versatus es, & quam numquam satis oblivisci potes. Hæc omnia nonne tibi sunt proxima occasio? *Idem*.

Numquam ad peccandum paratiores sumus, quã in occasione.

Numquam majori eum periculo ad peccandum præsto sumus, quam in occasione; tunc objectum magis, ac propius afficit sensus. Nulla re magis irritatur affectus, quam objecti præsentia, quia unus tantum superest gradus, ut expleatur; cumque unus tantum reliquus gradus est, jam nullum fere dubium est, quominus fiat, tunc vero præsertim, cum naturalis ad id nos proclivitas trahit. Igitur si huic proclivitati, ac naturali studio accesserit occasio, non diu hærebit aqua, & quamprimum crudelem hunc proferes gradum, qui cum voluptate ducit in interitum. *Idem*.

Ad omnẽ occasionẽ fugiendam necesse est a mundo recedere.

At enim si omnis occasio fugienda est, omne igitur tibi cum mundo commercium est interdicendum, atque cum nemine versandum est. O te beatum, si tanti animam tuam penderes, ut hoc pretio pacem illius redimeres, atque omnia vincula inutilia æque, ac periculosa infringeres! Secedendum igitur est, addis, in solitudinem, ac ita vivendum, ac si solus essem in mundo. O te beatum, ac millies beatum, si egregium hoc inires consilium, ac illud constanter expleres! Hoc si faceres, id tantum faceres, quod tot generosi fideles præstiterunt, qui æque, ac tu, salutem suam operari debebant, & qui non aliam, ac tu, inire viam tenebantur. Horrida desertorum imago, vastarum solitudinum cæca silentia, durissimæ solitariæ vitæ austeritates, illos non deterruerunt, neque remoratæ sunt, ex quo illas tamquam portum spectarunt, tutumque perfugium, ubi conscientiæ suæ integritati consulerent. Dicamne? Maluerunt inter feras in cavis rupibus vivere, quam inter homines in mundo versari, ex quo considerarunt fieri posse, ut corruptorum mortalium consuetudo illos Dei sui privaret adspectu ..... Verum non ita; non quæritur, ut omnia abdices, ut fortunas, honores, uxorem, filios, agros, domosque relinquas, sed tantum ut prudentius, & cautius vivas; non ut egrediaris ex mundo, ut conetis agnoscere, quidquid in eo malum est, ne illius contagione fœderis; ut periculosas occasiones evites, quæ tibi sunt vel peccata, vel causæ peccati. *Idem*.

Ad præveniendas tentationes fugiẽdæ sunt occasiones.

Similis es, Sanctus Chrysostomus inquit, ligno arido, & sulphurato, ac te ipsum in flammas, prunasque conjicis? Nostri, te adeo facile mundi contagione corrumpi, ac semper in eodem versaris? Oblitus ne es illud Spiritus Sancti verbum; *Qui amat periculum, peribit in illo?* Eccl. 3. Verbum, quod unum satis est, ut omnia spectacula, omnesque profani cœtus damnentur; quoniam in his omnibus non occultum adest periculum, & omnium Theologorum sententia statutum est peccare, qui sese objicit peccandi periculo. Fuge igitur quascumque occasiones, præsertim vero si ulla tibi est periculosa societas, aut visitatio. Fuge fatalem hunc scopulum; quamvis persona esset tibi ocellis tuis charior, si tibi scandali occasio est, statim est deserenda. Tentationes præveniendæ sunt fuga objectorum, quæ illas nobis ciere possunt, & occasionum, in quibus labendi periculum adest. Hoc illud saluberrimum concilium est, quod nobis suggerunt Sancti. *Essais de Sermons pour la Do-*

Dominicale; Tomo primo Sermone pro prima Quadragesima Dominica.

Omnino relinquendæ sunt occasiones, quæ nos a Dei cultu avertunt; & ad peccandum impellunt.

Si quæ tibi chara sunt, fuerint lapsus occasio, teque a viis Domini averterint, omnino ab illis separari debes, quantumvis acerba hæc futura sit separatio. Esto quidem, tibi jucundissima sit hujus amici societas; esto, non mediocrem fortunam speres, postquam diu illa in domo famulatus fueris? esto, hoc officium, & munus necessarium tibi sit ad familiæ tuæ victum; esto, non aliunde tibi suppetat, unde vivas, præterquam ex hoc beneficio; si nihilominus hæc omnia adeo jucunda, utilia, ac necessaria tibi peccati fuerint occasio, atque saluti tuæ obicem statuerint, quocumque pretio tibi sunt relinquenda. Utique; relinquenda tibi ea provincia est, ubi inscitia tua, vel nimia brevi locupletandi sollicitudo in causa sunt, quod tot injustitias committis; relinquendum hoc beneficium est, cui cura animarum adhæret, ubi per ignorantiam jugiter in periculo versaris gravissima pattandi mala; relinquenda illa domus est, quantumvis te opibus cumulaturum herus polliceatur. Pondera paulisper, Sanctus Chrysostomus inquit, quibus verbis utatur Dominus, ut efficacius inevitabilem hujus rei necessitatem ostendat. Non præcipit solum, ut claudamus oculum, ut manicis manus, pedicisque pedes constringamus; vult hanc amputari manum, abscindi pedem, oculum erui, ut innuat nullum prætermittendum esse laborem, nullum non exercendum esse conatum, ut omnino peccati occasionem fugiamus. *La Fonte, Sermone pro tertia Quadragesima Domica.*

Se divino indignum præbet auxilio, qui occasioni temere se objicit.

Ex quo temere temet occasionibus implicas, ac imprudenter periculum provocas, te ipsum Dei ope, & præsidio indignum præbes, & frustra illius imploras auxilium; hujusmodi enim irridet vota, ac preces renuit. Contemnis gratias, quas tibi offert Deus, & quæ te sollicitant, ne amplius ad suspectum accedas locum, ubi toties lapsus es; & post primam hanc gratiam per summum nefas contemptam putas ipsum tibi elargiturum alteram, quo in periculis invictus, & contra inimicorum tela invulnerabilis fias, exigisque, ut te servaturum miraculum operetur? Disce, Sanctus Cyprianus ait, Deum in gratiarum suarum distributione nequaquam nostram sequi libidinem; ordinem quippe constituit, a quo non recedit. Quem vero putas hunc ordinem esse, quem Deus in gratiarum suarum dispensatione tuetur? Prima, quam Deus elargitur, gratia est horror cujuslibet occasionis peccati, & aversio ob omnibus periculis, quæ nos objiciunt peccando. Si fidelem te huic gratiæ præstiteris, si, uti opus est, hac usus fueris, impertiet ille tibi recentes gratias, quarum præsidio invictus evadas. Hic ordo est, quem Deus sua sapientia constituit: attamen quid illi faciunt, qui ultro sese occasionibus objiciunt? Ordinem huoc evertunt, ut alterum prorsus oppositum statuant. Vellent sibi licere iisdem interesse occasionibus, quas toties adeo funestas sibi experti sunt, at Deum ibi quoque vellent adesse ipsos ab interitu vendicaturum. Sed hic abusus est, insania, illusio, ac frustra id sperant; Deus enim numquam hujusmodi auxilium promisit. *Idem.*

Inanes excusationes, quæ afferuntur, ne evitentur occasio.

Mirum! Ubi Confessarius te cogere vult; ut occasionem evites, centum falsas rationes affers, centumque excusationes prætexis, ne id facere tenearis. Si hac egrediar domo, inquis, quo ibo? Quid de me erit? Si hoc mihi officium, professio, magistratus, beneficium relinquendum est, quomodo victum mihi comparabo? ubi nanciscar, unde alam familiam meam? Heu! cur non tunc in Divina providentia confidis? Cur non opem illius præstolaris? Hujusmodi in occasione se tibi non defuturum promisit Deus. Utique; si ante cætera fueris adnisus, ut omnes amoveas obices, qui vetant, ne cum illo redeas in gratiam, spopondit ille, se temporalibus quoque negotiis, ac necessitatibus tuis consulturum: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Undenam ergo hæc oritur rerum inversio, ut ibi metuas, ubi sperandum est, ibi speres, ubi metuendum? Cur metum pro spe, spemque pro metu collocas? Cur temet in periculum projiciens expectas præsidium & opem, quam tibi numquam recepit? Cur metuis propter illius amorem hoc munus, hanc professionem relinquens, qua eumdem lædere cogeris, quasi victui tuo necessaria defutura sint, post adeo solemnes, probatasque promissiones, quibus te ab ipso nequaquam derelictum iri spopondit? Non quæro, ubi fides tua, ubi confidentia sit, quæ in Dei promissionibus est habenda; sed ubi ratio est, ubi bonus sensus sperantis auxilium Dei in proximis legis ejusdem infringendæ occasionibus? *Idem.*

Occasionum fuga Christianæ prudentiæ effectus est.

De præliis, quæ propter Deum geruntur, idem sentiendum non est; ac de illis, quæ inter homines fiunt. In his fugere pudor est, ac victoriam amittit, qui locum cedit inimico. Sed in bellis Domini, & in spiritualibus præliis, fuga cum honore conjuncta est, & sæpe maxima vincendi ars est, scire vitiorum occasiones evitare: *Magna compendia providentiæ*, Sanctus Cyprianus ait, *ut aliquando virtus, & victoria fiat per timorem.* Providentiæ compendium est, voluisse, ut metus, qui omnium affectionum nostrarum est infirmissima, virtutis minister esset, & causa triumphi; Non sumus satis fortes, ut inimicos vincamus, sed illos vincimus, quia sumus infirmi. Fuga infirmitatis nostræ effectus est, sed per compendium Providentiæ, quæ brevius, ac facilius arripit iter, nos servatura; hæc fuga quantumvis videatur infirma, est ad vincendum omnipotens. Saltem verum est dicere, prudentiæ opus esse, nosse evitare pericula; sapientum instar nautarum, qui scite navem detorquent ab occursu scopulorum, quos rostro frangere nequeunt, & in quos impingere non possunt, quin misere faciant naufragium. *Biroat Sermone hujus argumenti pro Feria tertia post quintam Quadragesima Dominicam.*

Imprudentia eorum qui temere se objiciunt occasionibus peccati.

Sanctus Isidorus Pelusiota comparat temerarios, qui occasionibus se objiciunt, homini, qui rapidum traducturus fluvium lintre uti nollet, sed nando illum vellet transvadare, atque post nuncupata Deo vota pro incolumitate sese audacter in aquam projiceret. Imprudens, huic diceres, & audaxas, quis te prohibet, quo minus eo, quod habes, utaris subsidio? Phaselum habes, quo tutus fluvium transmittas, cur non uteris illo? Putasne, Deum miracula operari, & elementi hujus cursum cohibere velle, ut libidini, ac temeritati tuæ faveat? Contemnis hoc subsidium, quod tibi suppetit, ut occasionem tentandi Deum nanciscaris; te in periculo deseret, & transitus tuus æque funestus erit, ac criminosus. Talis est plerorumque fidelium imprudentia, sese in periculosas occasiones conjicere volunt, ac putant futurum, ut a Deo miraculis eripiantur. Vota etiam, & preces effundunt, ut illius opem implorent; at nonne in precibus suis ridiculi sunt? Gratiam petunt, ut resistant; & hanc illis Deus elargitur eos admonens, ne se occasionibus implicent. *Idem.*

Occasionem non evitare signum est peccati horrorem evanuisse.

Quandonam Christianus amittere incipit primum horrorem peccati, quem conceperat? Cum ultro se conjicit in peccandi occasionem, atque consulto iisdem sese periculis objicit, in quibus alias ceciderat. Cum illa iterum obire incipit, jam non habet amplius aversionem illam, quam in sua pœnitentia conceperat; non afficitur amplius iis stimulis, quibus antea urebatur; non fovet amplius constans illud resistendi consilium, ac ita periculo paulatim consuescit. Pollicetur quidem, sa peccatum illud perpetrare nolle, sed non vult ab ea societate recedere, in quibus peccati ejusdem occasionem inveniet. Ubi primum suam sensit infelicitatem, in pœnitentiæ Sacramento illius causas execratus est, ac illum perhorruit locum, qui ipsum nocentem fecit, & ad aras provolutus juravit, se

non

non amplius domum illam ingressurum, in quam paucis post diebus ingreditur non sine ingentibus quidem conscientiæ stimulis, animoque Deum non lædendi; non multo post illuc redit minori cum horrore, ac tandem ibi sine ullo dolore versatur. Nonne hoc indicium est, illum omnem peccati metum, horroremque abjecisse, & omen, illum quam primum relapsurum? *Idem*.

Hominis fortitudo, ut peccato resistat, duabus in rebus consistit, primum in horrore peccati, quem concepit; mox in constantia consiliorum, quæ illius iniit voluntas. Qui vero sese occasionibus implicat, fortitudinem istam amittit, ac resistentiæ huic minime par est: 1. quia ratio illius peccati ideæ sese accommodat, & conceptum horrorem abjicit: 2. quia voluntas ejus jam semivicta est, & omnia illius consilia dissipantur. Horror peccati, quem mentes nostræ naturaliter habent, nos coercet, & prohibet, ne peccemus; sed occasio hunc aufert horrorem, vel saltem prohibet, ne prodeat, illum tegit, & dissimulat. Injustitia hæc, illa impuritas nescio quid horribile vobis videbantur, occasio vobis ideam invertit, & quod metum afferebat, nunc vos allicit, & fascinat. De peccato non idem est, ac de aliis quibuscumque rebus: occasio, & experientia illius ignorantiam inducunt: ut peccatum bene cognoscatur, non opus est illud omnino cognoscere .... Ad hæc funesta docemur experientia consilia ipsa, quæ magis firma sunt, ubi sese obtulerit occasio, evanescere. Quis umquam fortior, firmiorque fuit Sancto Petro? Nonne consilium inierat pro Jesu Christo moriendi? Sed quam infirmus in occasione fuit? *Specimina Sermonum pro feria tertia post Passionis Dominicam*.

Semper de propria infirmitate diffidendum est, & occasio fugienda.

Numquam satis de propria diffidere possumus infirmitate, & nisi extraordinaria adsit revelatio, nemo sperare potest futurum, ut sibi Deus peculiariter in periculo auxilietur, & minus adhuc auxilietur, si, quin a periculo recedat, illud prævertit, & quin fugiat, occasionem illam inquirit. Ut nos Deus humiliet, & nostram puniat temeritatem, fieri potest, ut satis esse putans communem ac sufficientem nobis tribuisse gratiam, nosmet nostræ tradat infirmitati, cum imprudenter nosmet periculo objecimus; sed multo magis fidei consonum est, hoc ipsum facturum, immo opem suam ablaturum a nobis, quin auxilium ferat, cum ipsi periculum provocabimus, ac temere nosmet in occasionem conjiciemus. Hujusmodi ergo pericula vitanda sunt, ac fugiendum, quidquid in illa nos potest adducere, ac pavidi potius esse debemus, quam audaces, atque superbi. *Auctor Anonymus*.

Præsumptio, & in propriis viribus confidentia causa est, propter quam labimur in occasionibus.

Sæpe credimus futurum, ut criminis horror nos intra virtutis cancellos contineat; in bonorum desideriorum nostrorum fide quiescimus, non secus ac imprudens nauta, qui in pelagi tranquillitate dormitat. Vas fragile exponitur, quasi nihil illud conterere posset: quasi in bono æque facile factum esset, atque consilium; quasi ad salutem assequendam sufficeret perire nolle; occasionibus ideo implicamur, quia in illis stare nos posse confidimus. Et sane non ideo sæpe cadimus, quia infirmi sumus, immo sæpius, quia nos fortes arbitramur. Præsumptio plures parit lapsus, quam infirmitas: apud sapientes periculum cognitum periculum est evitatum, & infirmitas, quæ sentitur, facile sustinetur. *In Sermonibus Academiæ Gallicæ oblatis anno* 1701.

In occasione semper sumus infirmi.

Nimis funesta didicimus experientia, in occasione semper infirmos nos esse. Hæc nostros affectus perturbat, excæcat mentem, cupiditatem ciet, fovet, inflammat; intrinsecus, atque extrinsecus nos urget hostis: quomodo tueri nos possumus? quomodo non superari? Peculiaribus opus esset gratiis, quæ animam nutantem sustinent, lapsamque attollunt. Verum hiscene temerariis concedet Deus has gratias, & hæc peculiaria subsidia? E.

contra etiam minitatur, se illos infirmitati eorum traditurum: *Qui amat periculum peribit in illo*. *In specimine sermonum pro prima Quadragesima Dominica*.

Occasio efficit ut peccati, quod reliquimus, affectio reviviscat.

Occasio roborat naturale illud studium, quo proni in peccatum sumus; iterum ob oculos nostros ea statuit objecta, a quibus solum recesseramus, quia cœli afflatum secuti nobis vim feceramus. Eorum nec cogitatio quidem nobis oboriretur, si ab occasione procul essemus; absentia quippe præsentissimum est inordinati amoris, quo personas quasdam deperimus, remedium. Paulatim obliviscimur earum rerum, quas non videmus, & amare cessamus ea, quorum obliti sumus. Ita amor neque præsentia, neque objecti recordatione nutritus infirmatur, languet, ac tandem extinguitur; præsertim vero si cor alteri cuipiam vacet objecto, quo occupatur. Sed præsentia objecti, quod occasio rursus nostris oculis objicit, facile flammas male sopitas excitat, & accendit; hæ tanto reviviscunt imperio, quanto ardore: præsentia eamdem objecto restituit auctoritatem, quam illi abstulerat absentia, & recipit dominationem in cor vis prorsus opposita illi, per quam de illius possessione fuerat dejectum. Aberas a peccato, horrebas, quidquid Deo poterat displicere, & quamcumque proclivitatem in scelus concupiscentia servaret, gratia superabat, ac te contra naturæ studia regebat. At simulac quæsivisti occasionem, horror de peccato conceptus evanescit, & objecta, quibus vim omnem abstulerat longinquitas, majorem, quam antea, in te impressionem efficiunt. *P. Heliodorus Parisiensis Sermone de conversatione*.

De prætextibus qui efficiunt, ut in proxima peccati occasione immoremur.

Necessitatem causaberis? Non inficior, aliquam illius haberi posse rationem; verum memento animæ tuæ salutem cuilibet temporali utilitati esse præferendam, ac posito quod Christiani hominis officia digne obire non possis in domo male morata, præstat inde quamprimum egredi, quam ibi perire. Decorum, & urbanitatem prætexes? Verum est, Christiani, & honesti hominis officia nequaquam opponi; at non minus verum est, has urbanitates, atque assentatiunculas longius sæpe, quam existimantur, procedere; eoque in casu tuum est, has fugere occasiones, ne tua virtus labatur. Quam metuendum est, ne ab officio ad mollem indulgentiam, ab indulgentia ad suspectam familiaritatem, a familiaritate ad necessitudinem, & inde ad aliquid fortasse gravius descensus fiat! Numquid charitas, & miseratio eos excusabunt, qui occasionibus innocentiæ suæ perniciosis se implicant? Nullus dubitandi locus esse potest; quo minus sensus animæ, quæ charitate, ac alienæ calamitatis miseratione afficitur, Deo accidant per jucundi; verum quia nescit, primum Christiani hominis officium esse sui ipsius misereri, si Deo velit placere? Quis nescit, non extremam inter dæmonis tentationes esse, hominibus magnas proponere virtutes, ut illos in magna scelera detrahat? Fuge ergo peccati occasiones, neque temet illis umquam objeceris quamcumque excusationem prætexens, ubi proxima sit occasio: ita enim semper intelligendum est: hæc lex est, quam irrogat Deus, aliterque facere velle, fatale præsagium est lapsus proximi, & inevitabilis. *Ex morali dictionario, Sermone prima hujus argumenti*.

Qui conversi sunt, sibi cavere debent, ne in occasionem in eadem iterum relabendi incurrant.

Tu, qui ut Jonas adhuc mades aqua naufragii, in quo sine peculiaris Dei gratia periisses, tu qui nuper ex sepulcro, in quo claudebaris, eductus es, uti Lazarus, tu, qui ut Loth manus omnipotentis auxilio egressus es Sodoma, fuge, fuge, ac in montem te recipe .... Omnia tibi metum lapsus fatalis immittere debent: infirmitas tua, & inconstantia, exempla, & lapsus summorum virorum, mala, quæ post se tradit imprudens, & iniqua præsumptio .... Quantumvis conversus, & justificatus sis, semper nutans, & inconstans es, & ad quemcumque perfectionis gradum

anima evaserit, si se temere periculo objiciat, nullum inveniet tutum suæ innocentiæ perfugium, ac illam virtus in periculo, quod aucupata fuerit, destituet. Titiones adhuc fumantes ignem cineri insepultum accendent, ac terribilia producent incendia. Sudaria, quibus involutum fuerit corpus, adhuc mortem redolebunt: radices adhuc virentes, quamvis arboris truncus succisus fuerit, atque exaruerit, emittent germina, quæ iniquitatis fructus producent. Mundus hic, qui antea periculosus adeo habebatur, faciem mutabit, atque minus iniqua de eodem adstruetur idea; occasiones, quæ timebantur, non eosdem ferent terrores; miraberis etiam, quod religioni tibi olim verteris ea, quæ tunc nullius momenti existimabuntur, ac tandem in præceps rues, quin ne animum quidem advertas. *Idem.*

Quam difficile sit in occasione peccandi, non peccare.

Perdifficile est; esurienti, mensamque dapibus sibi placentibus refertam videnti manum non admovere; non secus ac febre laboranti potum, qui sibi offertur, non propinare, quamvis ille sciat sibi nociturum. Rarum est, aleæ amicum, atque eum ingredientem locum, ubi luditur, ludo abstinere, quamvis experientia doctus intelligat, se quotiescumque ludit, irasci, atque ubi pecuniam amittit, juramenta, atque blasphemias evomere. Rarum est, iracundum hominem coram inimico iram temperare, ac juvenem suam coercere libinem, ubi cum speciosis, hilaribusque puellis, remotis arbitris, solus versatur. Tanta est infirmitas nostra, cum nosmet in peccati occasionem conjicimus. Oculi illis, quæ vident, aures illis, quæ audiunt, manus illis alliciuntur, quæ tangunt. Quomodo fieri potest, ut tunc nobismet vim inferamus, virtutemque nostram tueamur? *Idem.*

Cum Vigilantius cideret Sancti Hieronymi timiditatem, qui Innocentiam suam satis tutam minime ratus in civitatibus, in desertum concesserat, ita Sanctus respondit. Timeo, quod tu minime times; timeo, ne inimicus, quem obvium inveniam, ad iracundiam me provocet; timeo, ne alterius sexus persona, quam videbo, & cum qua colloquar, cor meum emolliat; tu rides timorem meum; ego vero tuam lacrymis prosequor confidentiam. At enim hoc non est præliari, sed fugere. Sta tu quidem, quoad tibi libuerit in acie, propulsa eos, qui te lacessent, ut postquam victoriam retuleris, coroneris; ego vero fateor infirmitatem meam; nolo spe pugnare victoriæ, ne aliquando perdam victoriam. Fugiens ea tela evito, quæ in me possunt contorqueri; stanti aut vincendum est, aut cadendum. Sed quænam me cogit necessitas, ut id relinquam, quod certum est, ac illi me implicem, quod incertum? *Idem.*

Qui vim non habet fugiendi peccati occasionem, quomodo in ipsa occasione peccato resistet.

Quis satis virium non habuit, ut resisteret naturali studio, quo in peccati occasionem trahebatur, quomodo in peccati occasione positus resistet studio illi, quo trahitur in peccatum, accedentibus omnibus voluptatem illecebris, quæ illud concomitantur. Si in ora præcipitii stare non potuit, cum nulla re impellebatur, quomodo stare poterit in lubrico, illum objecti præsentia attrahente, suaque impellente cupiditate? Fugiamus ergo peccati occasionem, si peccatum fugere volumus. Ne vim addamus hostibus nosmet in occasiones conjiciendo; illi jam satis fortes sunt. Commissis capitibus singulari prælio semper fuimus victi; quid tandem cum illis suppetiæ objectorum accesserint? Ne præbeamus illis arma contra nos. Sanctissimus quisque licet fortis, ac strenuus esset, nonnisi in fuga salutem se invenire posse arbitratus est. Metus, ac diligentia tota fuit eorum fortitudo. *P. Nepven, tomo secundo Christianarum considerationem die decima tertia Maji.*

Deus nos tuetur in occasionibus, quibus nos ille implicuit, & deserit vero in iis, quas ipsi quæsivimus.

Deus proculdubio vobis aderit in periculosissimis occasionibus, quibus illius providentia vos implicuit; at vos in illis deseret, quibus vestra vos objecit temeritas. Samson de hostibus suis victoriam retulit, licet gravissimâ obierit pericula; Dei quippe ducebatur imperio: sed libido, sed effœnis amor in iisdem illum perdit. Samson non est amplius idem; miser est, ac ignavus opprobrium populi sui, & inimicorum ludibrium. Quare in magnis tentationibus fortis, nonnumquam in levioribus cecidisti? Nonne quia primæ illæ a Deo, posteriores vero ab affectione tua proficiscebantur? Illas quidem providentia permiserat, aliis vero tua te implicuit temeritas. *Idem, tomo tertio pro duodecima die Augusti.*

Difficultas, qua proxima occasio relinquitur, non est legitima excusatio, propter quam ab ea relinquenda desistamus.

Non diffiteor equidem, occasionis remotionem aliquando perdifficilem esse, non enim facile est, id relinquere, quod ardenter amatur. Verum si nulla difficultas adesset, quomodonam verum esset, regnum cœlorum sine vi non acquiri, & eos tantum, qui sibi vim inferunt, sapere posse, se illud assecuturos? Quomodo verum esset, quod proximam amovere occasionem idem sit, ac sibi manum amputare, vel oculum eruere; quibus locutionibus utitur Filius Dei, ut intelligamus ea omnia, quæ sunt occasio peccati, quocumque pretio esse avellenda. Profecto si de gravi ageretur utilitate, de jactura, vel quæstu non mediocri, vel de turpi commercio infringendo, ne homines quidem hac in re non hærerent; quod palam ostendit, omnes has difficultates, assertasque Impossibilitates non aliud esse, quam prætextus, & effectus affectionis eorum, qua adhærent peccato. *Pater Gegon in libro, cui titulus: Usus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Illud mirum est, quod cum nosmet adeo infirmos, ac pronos in malum agnoscamus, quin lubricos, & periculosos infirmitati nostræ locos evitemus, illos e contra sectamur, eisque nosmet quotidie objicimus; quod non fugimus sedulo mundum impium, atque corruptum, cujus flagitia corripimus, & commercium amamus; quod adeo frequenter periculosis cœtibus immiscemur, ubi colloquia nullius essent saporis, nisi obtrectationis sale condirentur, & ubi langueret societas, nisi animaretur affectibus; quod sine ulla ad licentiam propensione cum iis consuescimus, qui in omnem licentiam sunt effusiores, apud quos humani respectus vitiosos efficiunt eos ipsos, qui vitium perhorrescunt; quod, quin id religioni vertamur, adsistitur speculis concinnatis ad sensus movendos, quos natura ipsa, & concupiscentia satis superque vividos faciunt; quod vacatur perniciosorum lectioni librorum, ubi fabulosi amores veros excitant; quod eæ contrahuntur necessitudines, quas sexuum disparitas sæpe in malas libidines vertit; quod vita mollis amatur, cujus solum otium, tentatio, & inutilitas peccatum est; quod ea optantur negotia, ubi nemo mundas habet manus, & ubi cor statim corrumpitur .... Hæc mira sunt in vita Christiani suam agnoscentis fragilitatem, suamque infirmitatem experti. *Pater Aurelianensis, Tomo primo, Sermone de Tentatione.*

Respondetur dicentibus, se in occasionibus non moveri, ac sibi nullū videre periculum.

Inquies fortasse, in plerisque occasionibus, contra quas concionatores, & confessarii invehuntur, nullum te periculum agnoscere; non enim desunt, qui hæc effutiant. Ita loquentibus S. Chrysostomus respondebat, ut sibi persuaderent, quod dicebant, primum illis probandum fuisse, se ex alio effictos limo, aliterque ab aliis efformatos; carnem suam non desumptam ex communi hominum massa originem ex Adam trahentium, a quo cum vita concupiscentiam quoque, & affectiones haurimus. Et sane, si hoc non est, affirmare audeo, vel hæc omnia mala fide proferri, vel hoc esse extremæ corruptionis indicium, vel dæmonis artem eo magis periculosam, quo magis occultam. Sæpe hæc mala fide proferuntur eorum, qui hæc dicunt, conscientiam testor; cumque dies revelationis advenerit, Deus veritatis nobis retegens penitiores cordis eorum sinus, ostendet, illos vel nobis, vel sibimetipsis imponere, ubi suam dissimulantes in-

firmi-

firmitatem persuadere volunt, se in occasionibus minimum affici. Ajo, si sinceri sunt, & ex corde loquuntur hunc esse corruptionis illorum effectum; indicium esse, quod in illis peccatum, tamquam altera natura inolevit, argumentum esse, quod cordibus eorum diabolus dominatur, quia illuc ipsis ne sentientibus quidem ingreditur. Quantumvis parum ipsos puderet peccati, quantumvis parum adhuc timerent Deum, & salutem suam desiderarent, fieri non posset, ut eorum cogitationem, ac memoriam falleret ingens actionum saltem interiorum numerus, quibus suam fœdant conscientiam, vel periculosis imaginibus, vel obscœnis cupiditatibus, vel sensibus impuris. *Idem*.

Prælium, quod excitatur in nobis cum relinquenda sunt objecta, quæ chara sunt, ut occasiones effugiamus.

Non desunt objecta nobis jucunda, & quæ mobilitare quadam fere semper fugere simul, & illis resistere, eaque servare volumus. Ea partim fugimus; conscientia quippe efficit, ut occursus quosdam virtuti nimis periculosos evitemus, partim illis resistimus; quemadmodum enim difficile est cupiditati id semper fugere, quo attrahitur, nonnumquam illis resistat oportet; sed partim quoque servamus illa, semper enim ibi reservamus aliquod, quod evertere piget. Hoc præsertim accidit in periculosis necessitudinibus, quas exacta virtus non confitetur. Ubi primum provocatur affectus, conscientia excitatur, Dei timor expergiscitur, gratia ignem conatur extinguere, cujus initia magnum portendunt incendium. Confessarius, qui facere non potest, quominus aliquid subodoretur, hortatur, ut Dei fides servetur, ac ob oculos ponit scopulos, in quos hujusmodi principia solent impingere. Anima tot locis munita assentitur illa quidem, ut procul amoveat, quidquid crimen appellari potest: ipsa etiam pro gloria sua, si quid hac in re eidem providendum est, vult quædam amputare colloquia, quasdam nimias assiduitates, quasdam curas, quæ majus aliquid, quam meram significant amicitiam. Verum sibi tandem reservat aliquid, quo alere possit affectum, quem nequit extinguere, adspectum, memoriam, alloquium. Objecta hæc vult intueri, de illis crebro cogitare, cum illis consuescere, putans, eidem virtuti, a qua intra hos cancellos continetur, non defuturam vim intra eosdem semper coercendi. *Idem*.

Plerumque confidimus in occasione nihil nos præter jus, & fas ausuros.

Equidem scio, vulgo dici, in occasionibus nihil præter jus, & fas audebo; longius non procedam. Illic te moraturum dicis, neque longius processurum? Anima infidelis; nonne hoc est longius processisse? cogita, quot modis objectum hoc in mentem tuam ingrediatur; considera, quo te solus ejusdem redigat adspectus: tecum tepura desideria, quæ in tuo corde parit, & quæ ipse non retractas; aurem adhibe rumoribus, qui circumferuntur, quamvis tot præcautionibus utaris; nonne hoc est, dicam iterum, longius processisse? Verum libenter exquirerem, qua spe fulta promittas te longius non processuram? Duo tantum habes valla, quæ tuæ objicias cupiditati, cum eidem satisfaciendi se tibi offerat occasio, honorem videlicet, atque conscientiam; at vereor, ne utrumque in occasione exiguo tibi sit adjumento. Honor, novi equidem, potens est vallum, sed cum eo usque processisti, intelligis, vallum hoc jam superatum fuisse; quandoquidem vulgus loquitur ..... Quid igitur in lubrico continebit illum, quem mala cupiditas urget? Conscientia? Plurimis, cum honor obicem non statuit, conscientia medioeri est impedimento. At quomodo sperari potest futurum, ut conscientia prohibeat, ne de peccato in scelus transeas, quandoquidem non prohibuit, ne de innocentia in peccatum transires? *Idem*.

At enim nonne dogma certum est, in omni occasione, ac tentatione resistendi, vincendique gratiam nobis concedi? Quoniam nemini deest gratia, semper habetur, cumque semper habeatur, licet, si lubet, uti. Vera dicis; verum adde quibusdam in tentationum generibus, gratiam, per

quam illæ vincuntur, eam esse; quæ facit, ut earum occasiones fugiantur. Fuge, aut victus es. Numquam nos Deus derelinquit, nisi prius relinquatur a nobis, sed illum relinquere incipit, qui occasioni illum lædendi, eique displicendi se objicit. *Idem*.

Occasio affectus excitat, atque confirmat.

Cor nostrum est veluti arx a dæmone oppugnata: sed arx, quam non tantum vi expugnare, quantum dolo, vel secretis conjurationibus capere potest. Hæ autem conjurationes affectus nostri sunt, quos conatur hostis sibi vel aliqua utilitatis spe, vel voluptatis illecebra, vel honoris nitore conciliare. Sed id genus objecta nullam vim habent, cum absunt, & occasio illa præsentia facit, ac simul potentia, & apta ad plurimam in sensibus, affectionibusque nostris impressionem efficiendam; affectiones commotæ rationem seducunt, voluntatem trahunt, quæ sese hosti, ac sæpe ejusdem se tradit imperio. *P. Neveu*.

Insignis temeritas est, sese objicere occasioni peccandi.

Unus satis fuit obtutus, ut una ex Ecclesiæ columnis corrueret, & nos imperfectas, fragilesque virtutes voluntariis peccati occasionibus objicere audebimus? audebimus quantumvis infirmi nosmet exponere periculo spectaculorum sæculi, profanis repræsentationibus, ac effeminatis musicæ concentibus? Audebimus nosmet immiscere huic sæculo, quod modo non aliud est, quam libidinis, corruptionis, & adulationis commercium, ubi non timetur amplius improbis æquivocis pudorem lædere, neque obscœnis jocis mentem polluere, dummodo palam non lædantur aures, & sensuum turpitudo quodam honesto verborum involucro contegatur? Audebimus familiaritatem inire cum eo sexu, quid id unum quærit, quomodo artis, naturæque suæ lenociniis viros implicet, & qui modestia magis adhuc, quam ornatibus placet? *Flechier Sermone Sancti Benedicti*.

Quanti referat evitare occasionem.

Quam maxime interest vitare ejus mali primordia, quod funestos exitus habet; summa cura minimas etiam ejusdem species prævertere, ac ante cætera quasdam fugere conversationes, ubi cor sese nimis effundit, mens dissipatur, accenditur concupiscentia; & quamvis tunc nullum sentiatur periculum, attamen non multo post pessimi sentiuntur effectus. Ubi enim prima se obtulerit occasio, natura, quæ quodammodo per liberam hanc, hilaremque conversationem malo præparata est, facilius succumbet. Ita propter occasionem non evitatam paulatim fit lapsus in malorum abyssum, unde non sine gravi difficultate fit emergendum, cum nihil infrequentius sit, quam ex hujusmodi erroribus in viam virtutis reverti, ac infringere habitus, in quibus plurimum annorum intervallo misere quispiam consenuit. *Idem Sermone de Sancta Magdalena*.

Falso dicitur quibusdam nihil esse metuendum in periculosissimis occasionibus.

Falso dicis quibusdam viris in pietate confirmatis, nihil esse timendum iis in occasionibus, quarum timorem ciere conamur, quales sunt hilares conversationes, solatia, ubi non desunt objecta sensibus nostris chariora: qui enim veram colunt pietatem, numquam sibi fidunt, & sanctorum exempla sequuntur, qui semper infirmitatis suæ metum salutarem habuere. Hac de causa, quantum fieri potest, ab occasionibus recedunt, contremiscunt ubi audiunt funestum lapsum illorum, qui magis fortes videbantur veluti columnæ in domo Dei, sed qui, eo quod in occasione permanserunt, vel quia temere sese illi objecerunt, misere periere. Quis umquam dixisset, Sanctum Regem David ob oculi conjectum in adulterium, & mox in homicidium lapsurum fuisse? Nonne in eo, quod cœperat, stabili consilio dixerat: *Non movebor in æternum*? Psalm. 29. Attamen quid acciderit, nostis. Quis dixisset tot hominibus piis futurum fuisse, ut honesta quidem, sed nimis tenera amicitia, Christiana quidem charitas, sed cui aliquid humani admixtum erat, tandem in amorem prorsus carnalem converteretur? Dixissent illi, quod hodie plurimi

dicunt, nihil sibi metuendum: colloquia sua culpa vacare; amicitiam suam spiritualem esse, non mere humanam; attamen quam funestum exituum adeo speciosa habuerint principia, non latet. Numquid opus est proferre exempla? Utinam sanguineis lacrymis ad majorem Ecclesiæ gloriam, cui inde non tenuis labes offusa fuit, ex historia possem illa obliterare; sed pia hæc mater hoc rubore suffundi non timuit, dummodo prosit filiorum suorum documento, qui ex illius malis etiam proficiant. *Autor Anonymus.*

In hac vita satis multa sunt pericula, & peccandi occasiones quin illas aucupemur.

Qui occasioni ultro se objicit, vel putat futurum ut facile resistat tentationi, quæ sibi occurret, vel secus; si se ita fortem censet, hæc temeritas est, in quam Deus gratiarum suarum subtractione animadvertit; sin autem, Deum igitur consulto lacessit; apertis oculi se conjicit in scelus. Nonne igitur meretur, ut affectione sua, demonique eum divina tradat justitia, eumque toto iræ suæ pondere obruat? *Heu!* Numquid satis multæ nobis occasiones non sunt pereundi, quod alias inquirimus? Quantumvis nobismet ipsis diligentissime invigilemus, arduum adhuc erit quam maxime scrimen effugere. Miseri sumus, qui illud contemnimus. Quascumque virtutes exerceamus, quacumque in solitudine vivamus, semper nobis adest causa de salute nostra trepidandi; & omni sensu carentes non contremiscimus, ubi ea omnia, quæ circa nos sunt, in æternam calamitatem nos possunt propellere: *Specimina Sermonum pro Adventu.*

Considerationes clerico malum in quod nos impegit occasio.

Si nunc plurimis id exprobrarem, quod olim Deus Adæ: *Adam ubi es?* Quo pervenistis? Cur hoc fecistis? Occasio, responderent, nos impulit; mulier, quæ tot habet illecebras, obtulit mihi de vetito fructu, & comedi: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sed quem in statum redacti estis, vos, quos hactenus propter virtutem, ac probitatem omnes admirabantur? Vos ipsi Ministri Domini, aris inserviendis dediti, ac sacerrimo charactere insigniti, quem in statum redacti estis, quo usque processistis? In quæ sacrilegia, profanationes, iniquitates irruistis? *Ubi es?* Me fefellit, ac traxit occasio; hæc obtulit mihi hanc, & illam, in quam meus jam inclinabat affectus, & cor facile eidem adhæsit; substiti paulisper, & perii. Quo pervenisti mulier hactenus adeo verecunda, atque, o virgo, olim adeo pudica, vitæque integerrima, ac irreprehensibilis! Quomodo repente ab adeo speciosis initiis aberrasti, & anteactæ vitæ fructum amisisti? Quomodo adeo facile cecidisti? Heu! in occasione nemo sui compos est amplius. *P. Massillon Tomo tertio Sermone hujus argumenti.*

Hic locus esset, ubi totum Evangelici zeli robur deberem impendere contra tot Christianos, qui tantum abest, quod recessu, mortificatione, & oratione periculum omne præveniant, ut temere sese omnibus objiciant occasionibus intereundi. Pactum inivi cum oculis meis, inquit Job, ne ullum uspiam intuerentur objectum, quod cordis mei lædere valeat puritatem: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Job 31. Vos estis, Sanctus Chrysostomus inquit, tamquam aridum lignum, & sulphuratum, atque vosmet in flammas, prunasque ardentes conjicitis? Nostis vos adeo facile mundi contagione corrumpi, et ubinam quotidie versamini? Numquid estis obliti terribile illud Spiritus Sancti verbum: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccli. 3. Verbum, quod sufficit, ut omnia spectacula, omnesque profani cœtus damnentur; quia palam in his rebus omnibus periculum non deest; & definitum jam est, eum peccare, qui peccato se objicit. Fugite ergo omnes has occasiones, præsertim vero si qua vobis periculosa est visitatio, atque societas, ab hoc fatali scopulo recedite. *Specimen sermonum pro Dominicis, primo Quadragesimæ Dominica.*

Mirum humanæ infirmitatis in occasionibus exemplū.

Numquam, fideles, hanc mecum tacitè reputo veritatem, quam sancti omnes nos docent, quominus recorder admirabilis lapsus cujusdam servi Dei, de quo in Ecclesiastica historia sermo est. Hic Martyr erat, qui in persecutione quadam contra fidem excitata pro Jesu Christi nomine ferrum, ignemque passus fuerat. Carnifices illum in carcerem iterum conjecerant, cum ut per tempus vulnerum suorum dolorem sentiret, tum ut periculum facerent, utrum cruciatuum diuturnitas illius constantiam molliret. O funestum tot gloriosarum passionum exitum! quænam sanctitas resistere potest, dum se in nimis magna videt securitate! Permittit, ut alterius sexus persona suis vulneribus medicam inferat manum. Hæc primum quidem reverentiæ, & pietatis ergo ea præstabat officia, quæ charitas suadebat; sed quamprimum hi pietatis, & miserationis sensus in lenocinia, & familiaritatem migrarunt, ac tandem, dicamne? Martyr vulneribus confossus, adhuc sanguine suo purpuratus infami fragilitate omnes palmas corrupit. Et ubi? Si hoc inter choreas, & pocula accidisset, nullus miraret; hæ quippe sunt escæ voluptatum; si in pravorum hominum cœtu, non valde stupescerem; sed eo in loco, ubi nequissimus quisque peccator convertitur, & ubi impius quilibet salutem suam operari cogitat, Sanctus Martyr, Christianæ Religionis lumen, propter occasionem non evitatam misere perit. *Sermo manuscriptus.*

Dolor, quod nosmet peccandi occasioni objicimus, ac propositum nosmet imposterum nō objiciendi.

Secreto mihi objicis, Domine, quod ut Sanctus Petrus, temeritatis excessu me in periculum conjecerim, licet id mihi prohibueris, licet minas intentaveris, licet infirmitatis meæ sensum in me ciere contenderis; ego vero mihi blanditus, semper credere volo, hæc colloquia, has occasiones, quæ sæpe mihi funestæ extiterunt, mihi non obfuturas: immotus in periculosis conversationibus, ubi grassatur corruptio, detractio, licentia, & impietas, & credam me inter has flammas ultro projectum minime conflagraturum? O Domine, Sancti Petri secutus exemplum, quocumque pretio, fugiam periculosum eorum commercium, cum quibus perii, mali occasiones evitaturus, atque in libertatem animæ jacturam, ac innocentiæ labem deploraturus. *Bossuet Meldensis Episcopus.*

Voluptatis amor efficit, ut nosmet peccandi occasionibus objiciamus.

Quin loquar de obscœnis infamibusque voluptatibus, quas sola honestatis ratione Ethnici quoque perhorruerunt: quin loquar de profanis spectaculis, ubi affectuum imago, qui ad vivum sedulo exhibentur, sæpe verissimos, ac flagitiosissimos in corde eorum, qui illic oblectantur, producit affectus: quin loquar de vitiis, quæ vulgo profanarum conversationum voluptatibus adhærent, ubi minimum, quod fiat, malum est jactura temporis, quod in eos sermones impenditur, qui secretam pudicitiæ gigunt inimicitiam; quin loquar de voluptate, quæ perquiritur, atque gustatur in colloquiis, vel potius in quibusdam nimium liberis familiaritatibus, quas vulgo licere putant, & quas Christiana morum disciplina magis adhuc criminosas arbitratur, quam simplices concupiscentiæ intuitus, qui passim damnantur; his rebus omnibus vacare, metuere non est, ne nosmet occasioni, ideoque intercursui periculo objiciamus. *P. Champigny, sermone de spirituali cæcitate.*

Opus est odisse non solum peccatum, sed quidquid fuit peccati causa, & occasio.

Peccatum odisse, est odisse, & abominari, quidquid illius causa fuit, imo citra horrorem cogitari nequeat; est in se causæ effectum ulcisci. Duplici hoc sensu carere; imagine, & recordatione sceleris oblectari, amare, & adhuc perquirere occasionem, quæ efficit, ut committeretur, non est illius ultionem persequi; neque generoso consilio causam ejus evertere, omnesque illius patrandi occasiones evitare; immo est, peccatum suum non odisse, illud non detestari, ideoque non habere contritionem, & pœnitentiam, quæ dolor est, qui nonnisi ex hoc odio potest oriri. Si numquam

per

per quemdam locum pertransiisses, quin vita periclitateris, locum hunc nonnisi cum horrore intueteris; numquam sine metu, ac tremore, ac nonnisi gravissima compulsus necessitate te objiceres. At hoc objectum, hoc solatium, commercium hoc, hæc societas, hæc domus in causa fuere, ut toties innocentiam, & vitæ gratiam amitteres, & illa non perhorrescis? Immo hæc cum voluptates cogitas, ardenter requiris? Numquam vere peccatum tuum detestatus es, neque detestaris. *P. Gegau in libro, qui inscribitur: Usus Sacramenti Pœnitentiæ cap. 1. §. 1.*

Aliæ exteriores sunt occasiones, interiores aliæ, quæ in nobis sunt.

Inter peccati occasiones enumeratur, quidquid nos ad peccandum quodam necessitatis genere impellit; ideoque duplex occasionis esse genus dici potest, alterum interius, & in nobis, exterius alterum, & extra nos. Ibi concupiscentia est, affectus, depravata natura, cum qua nascimur, & deinde habitus pravi, qui contrahuntur, prout peccatur, & alicui inordinato affectui obeditur. Exterior autem occasio non aliud est, quam tentatio ab aliis profecta creaturis, exterioribusque objectis, quæ sese sensibus offerunt nostris. Opus est ergo, ut fidelis, cui nihil est prætermittendum, ut peccatum effugiat, adjiciat animum, ut quantum fieri potest, duplex hoc occasionum genus amoveat; videlicet ut suis moderetur affectibus, inordinatos, violentosque appetitus subigat, & præsertim pravos deleat habitus; quoniam hi totidem sunt veluti domestici inimici, qui non sine quadam specie necessitatis in scelus nos trahunt, simul omnia fugiat objecta, quæ sunt causæ externæ, & occasiones peccati. *Idem.*

Quomodonam ita temerarius es, ut tutum te putes integros traducens dies in societatibus, cœtibusque mortalium diversi sexus, qui sese oblectare tantum inquirunt, cum sanctitas ipsa melius roborata contremiscat; licet sibimet diligentissime caveat in solitudine, locisque desertis? S. Hieronymus, ac tot alii Sancti conquerebantur, quod periculosorum objectorum phantasmata, quæ alias in ipsorum oculis fuerant depicta, in speluncis quoque, & in austerissima pœnitentiæ exercitatione illos aggrederentur, eosque in periculum labendi adduxissent, nisi jugis judiciorum Domini recordatio illos sustinuisset; tu vero fragilissima quidem virtute, validissimis autem affectionibus, pronaque ad voluptates natura te satis fortem putas, ut te objicias periculo æque gravi, ac manifesto, cujus generis sunt, frequentes, liberæ, hilaresque cum mundi sectatoribus conversationes? Quæ temeritas! Quæ cæcitas, quæ præsumptio! *Auctor Anonymus.*

Occasiones non satis diligenter evitatæ peccato aditum præbent.

Manifesta veritas est, excepto originali peccato, nos ex mera voluntate peccare, & quantumvis gravis tentatio sit, & quemcumque in nobis producat effectum, nequaquam superari, nisi assenserimus. At non satis diligenter consideramus, voluntatem pluribus modis in peccatum allici tunc etiam, cum resistit iis, quæ in tentatione nequiora videntur. Hoc accidit quotiescumque oscitantes, vel propriis viribus freti peccati occasionem minime fugimus, sinimusque mentem nostram quibusdam objectis occupari, quæ pravis cogitationibus, aut cupiditatibus aditum præbere possunt. Tunc etiam cum adeo parum nobismet invigilamus, ut imaginatio nostra, sensusque nobis licet invitis, perniciosa impressiones recipiant, credimusne culpa vacare dicentes, nos nequaquam hos funestos effectus prævidisse? Putamusne vitio nobis non verti mala, quæ inimicus contra intentionem nostram in corde nostro operatur, ubi per negligentiam, & facinus illi aditum aperuerimus? Nonne e contra malum amare est, id amare, quod illud producit? *De Sancta Martha Tomo primo Asceticorum Tractatuum, tractatu de peccatis venialibus cap. 8.*

Illi, quibus superest adhuc aliquis timor Dei, gravia quidem committere nollent peccata; at sibi religioni minime vertunt versari in otio, inertia, mollitie, crapula, quamvis hujusmodi vitæ ratio in scelus trahat. Inter sunt societatibus, quarum unicum negotium otium est, ac solatium; in illis immorantur, atque periculosis colloquiis immiscentur. Quemadmodum oculis, auribus, & linguæ plurimum libertatis permittunt, iis sese objiciunt tentationibus, quæ inde oboriuntur. Denique medios in ignem sese conjicere non verentur, & si urantur, quamumvis se uri nolle profiteantur, quis erit ita audax, ut illos crimine absolvat? *Idem.*

Numquam illud vivendi genus amplectendum est quod nos in occasionem adducit peccandi.

Certum est, quod cum potissimum, ac maxime inevitabile munus sit, servire Deo, nobis non licet ullum vivendi genus amplecti, quod nos ita mundo implicite, ut sit proxima occasio peccati; & ex hac regula conjici potest, Deum numquam nos ad eas professiones, ac artes vocare, quæ legibus prohibentur, vel quæ iis non objiciunt tentationibus, quæ vires nostras exsuperant; uti neque velle, ut vitam in otio, pompas inter, ac delicias, & in illis traducamus exercitationibus, quæ vel suapte natura sunt malæ, vel quæ propter nos malæ sunt, quia infirmitas nostra ibi peccati occasionem nanciscitur, vel quia non sinunt nobis tempus necessarium, quo serio ad præcipua officia nostra animum advertamus. *Idem Tomo 2. Tractatu de obligatione fugiendi Mundum.*

Opus est, eos, qui se vident occasioni, vel periculoso statui implicitos, aperire oculos, ut videant mala, quibus septi sunt, suam sentiant infelicitatem, acerbisque lacrymis eam prosequantur. Coram Deo excutiant, oportet, quomodo Babylonem hanc fuerint ingressi; utrum tempestas illos illuc projecerit, an consulto processerint: quænam affectiones ipsos impulerint, & quid ibi sint; nullus enim dubito, si hæc omnia fidei luminibus consideraverint, & qualia sunt inspexerint, quominus in arena consilium capiant egrediendi e loco, vel munere, ubi salus eorum periclitatur. *Idem.*

Lætæ, hilaresque societates, quæ peraguntur, sunt proximæ peccati occasiones.

In his lætis societatibus, liberisque colloquiis, quæ miscentur inter diversi sexus personas, quis dubitare potest, quominus quidquid sensus allicit, sit laqueus virtuti? Quis enim adeo delicatus pudor, quæ adeo austera innocentia mundi contagioni exposita inter blandas tot objectorum illecebras, pariens venenatorum telorum grandini potest citra miraculum non vulnerari? Quo autem jure expectari potest miraculum ab eo, qui ultro sese tantum in discrimen adducit? Illi, qui majori virtute pollent, & qui, ut ita dicam, in durioribus pœnitentiæ laboribus callum duxerunt, atque post tot prælia victorias de hoste reportare consueverunt, se tanto periculo objicere non audentes certissimam cladem metuentes. Virtus autem nascens, vel dicam melius, homines sine virtute, plerique ab hostibus, quos inquirunt, sæpe debellati in his cœtibus, atque societatibus citra periculum versabuntur? *P. Croiset in spiritualibus Considerationibus.*

Choreæ, saltationes, comœdiæ plerumque sunt occasiones, ubi homines peccandi occasionibus objiciunt.

Quid? Objectum nimis mundanum fortuito inspectum, verbum nimis procax inconsulto emissum, lectio parum modesta sine mentis improbitate instituta, in periculum adducunt melius roboratam virtutem, & plerumque causæ sunt reprobationis: & quidquid cupiditas magis acre, & venenatum habet, quidquid ars tentandi magis corruptum, & aptius concinnatum invenire potest, congeries eorum omnium, quæ fallere possunt, & in errorem inducere, non erit proxima occasio peccati, neque manifestum periculum illis, quorum plerique in inerti mollitie innutriti sunt? Bona fide; nonne facilius credi potest, posse aliquem in rapidum sese projicere torrentem, quin aquarum violento flumine rapiatur, vel in magno succenso igne immorari, quin flammis uratur. Innumeri fideles in desertum secesserunt, longe plures adhuc inter claustra secedunt, evitaturi laqueos, & pericula, quibus in mundi commercio objiciebantur. Vix remotissima solitudo a cupiditate protegere potest: ubique ten-

tator

dirunt, nihil sibi metuendum; colloquiis sua cul pa vacare; amicitiam suam spiritualem esse, non mere humanam; attamen quam funestum exitum adeo speciosa habuerint principia, non latet. Numquid opus est proferre exempla? Utinam sanguinea lacrymis ad majorem Ecclesiæ gloriam, cui inde non semel labes offusa fuit, ex historia possem illa oblitterare; sed pia hæc mater hoc rubore suffundi non renuit, dummodo prosit filiorum suorum documento, qui ex illius malis etiam proficiant. *Autor Anonymus.*

In hac vita dacis multa sunt pericula, & peccandi occasiones quia illas aucupamur.

1. Qui occasioni ultro se objicit, vel putat futurum ut facile resistat tentationi, quæ sibi occurret, vel secus; si se ita fortem censet, hæc temeritas est, in quam Deus gratiarum suarum subtractione animadvertit; sin autem, Deum igitur consulto lacessit; apertis oculi se conjicit in scelus. Nonne igitur meretur, ut affectione sue, dæmonique eum divina tradat justitia, cumque toto iræ suæ pondere obruat? Heu! Numquid satis multæ nobis occasiones non sunt peccandi, quod alias inquirimus? Quantumvis nobismet ipsis diligentissime invigilemus, arduum adhuc erit quam maxime crimen effugere. Miseri sumus, qui illud consectamur. Quascumque virtutes exerceamus, quacumque in solitudine vivamus, semper nobis adest causa de salute nostra trepidandi; & omni sensu carentes non contremiscimus, ubi ea omnia, quæ circa nos sunt, in æternam calamitatem nos possunt propellere: *Specimina Sermonum pro Adventu.*

Considerationes circa malum in quod nos impellit occasio.

Si nunc plurimis id exprobrarem, quod olim Deus Adæ: *Adam ubi es?* Quo pervenistis? Cur hoc fecistis? Occasio, responderent, nos impulit; mulier, quæ tot habet illecebras, obtulit mihi de vetito fructu, & comedi: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Sed quem in statum redacti estis, vos, quos hactenus propter virtutem, ac probitatem omnes admirabantur? Vos ipsi Ministri Domini, aris inserviendis dediti, ac sacerrimo charactere insigniti, quem in statum redacti estis, quo usque processistis? In quæ sacrilegia, profanationes, iniquitates irruistis? *Ubi es?* Me fefellit, ac traxit occasio; hæc obtulit mihi hunc, & illam, in quam meus jam inclinabat affectus, & cor facile eidem adhæsit; substiti paulisper, & perii. Quo pervenisti mulier hactenus adeo verecunda, tuque, ô virgo, olim adeo pudica, vitæque integerrima, ac irreprehensibilis! Quomodo repente ab adeo speciosis initiis aberrasti, & anteactæ vitæ fructum amisisti? Quomodo adeo facile cecidisti? Heu! in occasione nemo sui compos est amplius. *P. Massillon Tomo tertio Sermone hujus argumenti.*

Hic locus esset, ubi totum Evangelici zeli robur deberem impendere contra tot Christianos, qui tantum abest, quod recessu, mortificatione, & oratione periculum omne præveniant, ut temere sese omnibus objiciant occasionibus intereundi. Pactum inivi cum oculis meis, inquit Job, ne ullum uspiam intuerentur objectum, quod cordis mei lædere valeat puritatem: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Job 31. Vos estis, Sanctus Chrysostomus inquit, tamquam aridum lignum, & sulphuratum, atque vosmet in flammas, prunasque ardentes conjicietis? Nostis vos autem facile mundi contagione corrumpi, at ubinam quotidia versamini? Numquid estis obliti terribile illud Spiritus Sancti verbum: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccli. 3. Verbum, quod sufficit, ut omnia spectacula, omnesque profani cœtus damnentur; quia palam in his rebus omnibus periculum non deest; & definitum jam est, cum peccare, qui peccato se objicit. Fugite ergo omnes has occasiones, præsertim vero si qua vobis periculosa est visitatio, atque societas, ab hoc fatali scopulo recedite. *Specimen sermonum pro Dominicis, prima Quadragesima Dominica.*

Mirum humanæ infirmitatis in occasionibus exemplū.

Numquam, fideles, hanc mecum tacite reputo veritatem, quam sancti omnes nos docent, quominus recorder admirabilis lapsus cujusdam servi Dei, de quo in Ecclesiastica historia sermo est. Hic Martyr erat, qui in persecutione quadam contra fidem excitata pro Jesu Christi nomine ferrum, ignemque passus fuerat. Carnifices illum in carcerem tetrum conjecerant, cum ut per tempus vulnerum suorum dolorem sentiret, tum ut periculum facerent, utrum cruciatuum diuturnitas illius constantiam molliret. O funestum tot gloriosarum passionum exitum! quænam sanctitas resistere potest, dum se in nimis magna videt securitate! Permittit, ut alterius sexus persona suis vulneribus medicam inferat manum. Hæc primum quidem reverentiæ, & pietatis ergo ea præstabat officia, quæ charitas suadebat; sed quamprimum hi pietatis, & miserationis sensus in lenocinia, & familiaritatem migrarunt, ac tandem, dicamne? Martyr vulneribus confossus, adhuc sanguine suo purpuratus infami fragilitate omnes palmas corrupit. Et ubi? Si hoc inter choreas, & pocula accidisset, nullus miraret; hæ quippe sunt escæ voluptatum; si in pravorum hominum cœtu, non valde stupescerem; sed eo in loco, ubi nequissimus quisque peccator convertitur, & ubi impius quilibet salutem suam operari cogitat, Sanctus Martyr, Christianæ Religionis lumen, propter occasionem non evitatam misere perit. *Sermo manuscriptus.*

Dolor, quod nosmet peccandi occasioni objicimus, ac propositum nosmet imposterum nō objiciendi.

Secreto mihi objicis, Domine, quod ut Sanctus Petrus, temeritatis excessu me in periculum conjecerim, licet id mihi prohibueris, licet minas intentaveris, licet infirmitatis meæ sensum in me ciere contenderis; ego vero mihi blanditus, semper credere volo, hæc colloquia, has occasiones, quæ sæpe mihi funestæ extiterunt, mihi non obfuturas; immotor in periculosis conversationibus, ubi grassatur corruptio, detractio, licentia, & impietas, & credam me inter has flammas ultro projectum minime conflagraturum? O Domine, Sancti Petri secutus exemplum, quocumque pretio, fugiam periculosum eorum commercium, cum quibus perii, mali occasiones evitaturus, atque in libertatem animæ jacturam, ac innocentiæ labem deploraturus. *Bossuet Meldensis Episcopus.*

Voluptatū amor efficit, ut nosmet peccandi occasionibus objiciamus.

Quin loquar de obscœnis infamibusque voluptatibus, quas sola honestatis ratione Ethnici quoque perhorruerunt: quin loquar de profanis spectaculis, ubi affectuum imago, qui ad vivum sedulo exhibentur, sæpe verissimos, ac flagitiosissimos in corde eorum, qui illis oblectantur, producit affectus: quin loquar de vitiis, quæ vulgo profanarum conversationum voluptatibus adhærent, ubi minimum, quod fiat, malum est jactura temporis; quod in eos sermones impenditur, qui secretam pudicitiæ gignunt inimicitiam; quin loquar de voluptate, quæ perquiritur, atque gustatur in colloquiis, vel potius in quibusdam nimium liberis familiaritatibus, quas vulgo licere putant, & quas Christiana morum disciplina magis adhuc criminosas arbitratur, quam simplices concupiscentiæ intuitus, qui passim damnantur; his rebus omnibus vacare, metuere non est, ne nosmet occasioni, ideoque intereundi periculo objiciamus. *P. Champigny, sermone de spirituali cæcitate.*

Opus est odisse non solum peccatum, sed quidquid fuit peccati causa, & occasio.

Peccatum odisse, est odisse, & abominari, quidquid illius causa fuit, sinus citra horrorem cogitari nequeat; est in se causæ effectum ulcisci: Duplici hoc sensu carere, imagine, & recordatione sceleris oblectari, amare, & adhuc perquirere occasionem, quæ efficit, ut committeretur, non est illius ultionem persequi, neque generoso consilio causam ejus evertere, omnesque illius patrandi occasiones evitare; immo est, peccatum suum non odisse, illud non detestari, ideoque non habere contritionem, & pœnitentiam, quæ dolor est, qui nonnisi ex hoc odio potest oriri. Si numquam

per

per quemdam locum pertransiisses, quin vita periclitateris, locum hunc nonnisi cum horrore intuereris; numquam sine metu, ac tremore, ac nonnisi gravissima compulsus necessitate te objiceres. At hoc objectum, hoc solatium, commercium hoc, hæc societas, hæc domus in causa fuere, ut toties innocentiam, & vitæ gratiam amitteres, & illa non perhorrescis? Immo hæc cum voluptates cogitas, ardenter requiris? Numquam vere peccatum tuum detestatus es, neque detestaris. *P. Gegnu in libro, qui inscribitur: Usus Sacramenti Pœnitentiæ cap. 1. §. 1.*

Aliæ exteriores sunt occasiones, interiores aliæ, quæ in nobis sunt.

Inter peccati occasiones enumeratur, quidquid nos ad peccandum quodam necessitatis genere impellit: ideoque duplex occasionis esse genus dici potest, alterum interius, & in nobis, exterius alterum, & extra nos. Ibi concupiscentia est, affectus, depravata natura, cum qua nascimur, & deinde habitus pravi, qui contrahuntur, prout peccatur, & alicui inordinato affectui obeditur. Exterior autem occasio non aliud est, quam tentatio ab aliis profecta creaturis, exterioribusque objectis, quæ sese sensibus offerunt nostris. Opus est ergo, ut fidelis, cui nihil est prætermittendum, ut peccatum effugiat, adjiciat animum, ut quantum fieri potest, duplex hoc occasionum genus amoveat; videlicet ut suis moderetur affectibus, inordinatos, violentosque appetitus subigat, & præsertim pravos deleat habitus; quoniam hi totidem sunt veluti domestici inimici, qui non sine quadam specie necessitatis in scelus nos trahunt, simul omnia fugiat objecta, quæ sunt causæ externæ, & occasiones peccati. *Idem.*

Quomodonam ita temerarius es, ut tutum te putes integros traducens dies in societatibus, cœtibusque mortalium diversi sexus, qui sese oblectare tantum inquirunt, cum sanctitas ipsa melius roborata contremiscat; licet sibimet diligentissime caveat in solitudine, locisque desertis? S. Hieronymus, ac tot alii Sancti conquerebantur, quod periculosorum objectorum phantasmata, quæ alias in ipsorum oculis fuerant depicta, in speluncis quoque, & in austerissima pœnitentiæ exercitatione illos aggrederentur, eosque in periculum labendi adduxissent, nisi jugis judiciorum Domini recordatio illos sustinuisset; tu vero fragilissima quidem virtute, validissimis autem affectionibus, pronaque ad voluptates natura te satis fortem putas, ut te objicias periculo æque gravi, ac manifesto, cujus generis sunt, frequentes, liberæ, hilaresque cum mundi sectatoribus conversationes? Quæ temeritas! Quæ cæcitas, quæ præsumptio! *Auctor Anonymus.*

Occasiones non satis diligenter evitatæ peccato aditum præbent.

Manifesta veritas est, excepto originali peccato, nos ex mera voluntate peccare, & quantumvis gravis tentatio sit, & quemcumque in nobis producat effectum, nequaquam superari, nisi assenserimus. At non satis diligenter consideramus, voluntatem pluribus modis in peccatum allici tunc etiam, cum resistit iis, quæ in tentatione nequiora videntur. Hoc accidit quotiescumque oscitantes, vel propriis viribus freti peccati occasionem minime fugimus; sinimusque mentem nostram quibusdam objectis occupari, quæ pravis cogitationibus, aut cupiditatibus aditum præbere possunt. Tunc etiam cum adeo parum nobismet invigilamus, ut imaginatio nostra, sensusque nobis licet invitis, perniciosa impressiones recipiant, credimusne culpa vacare dicentes, nos nequaquam hos funestos effectus prævidisse? Putamusne vitio nobis non verti mala, quæ inimicus contra intentionem nostram in corde nostro operatur, ubi per negligentiam, & facinus illi aditum aperuerimus? Nonne e contra malum amare est, id amare, quod illud producit? *De Sancta Martha Tomo primo Asceticorum Tractatuum, tractatu de peccatis venialibus cap. 8.*

Illi, quibus superest adhuc aliquis timor Dei, gravia quidem committere nollent peccata; at sibi religioni minime vertunt versari in otio, inertia, mollitie, crapula, quamvis hujusmodi vitæ ratio in scelus trahat. Inter sunt societatibus, quarum unicum negotium otium est, ac solatium; in illis immorantur, atque periculosis colloquiis immiscentur. Quemadmodum oculis, auribus, & linguæ plurimum libertatis permittunt, iis sese objiciunt tentationibus, quæ inde oboriuntur. Denique medios in ignem sese conjicere non verentur, & si urantur, quantumvis se uri nolle profiteantur, quis erit ita audax, ut illos crimine absolvat? *Idem.*

Numquam illud vivendi genus amplectendū, est quod nos in occasionem adduci: perendi.

Certum est, quod cum potissimum, ac maxime inevitabile munus sit servire Deo, nobis non licet ullum vivendi genus amplecti, quod nos ita mundo implicite, ut sit proxima occasio peccati; & ex hac regula conjici potest, Deum numquam nos ad eas professionem, ac artes vocare, quæ legibus prohibentur, vel quæ iis non objiciunt tentationibus, quæ vires nostras exsuperant; uti neque velle, ut vitam in otio, pompas inter, ac delicias, & in illis traducamus exercitationibus, quæ vel suapte natura sunt malæ, vel quæ propter nos malæ sunt, quia infirmitas nostra ibi peccati occasionem nanciscitur, vel quia non sinunt nobis tempus necessarium; quo serio ad præcipua officia nostra animum advertamus. *Idem Tomo 2. Tractatu de obligatione fugiendi Mundum.*

Opus est, eos, qui se vident occasioni, vel periculoso statui implicitos, aperire oculos, ut videant mala, quibus septi sunt, suam sentiant infelicitatem, acerbisque lacrymis eam prosequantur. Coram Deo excutiant, oportet, quomodo Babylonem hanc fuerint ingressi; utrum tempestas illos illuc projecerit, an consulto processerint: quænam affectiones ipsos impulerint, & quid ibi sint; nullus enim dubito, si hæc omnia fidei luminibus considera verint, & qualia sunt inspexerint, quominus in arena consilium capiant egrediendi e loco, vel munere, ubi salus eorum periclitatur. *Idem.*

Lætæ, hilaresque societates, quæ perquiruntur, sunt proximæ peccati occasiones.

In his lætis societatibus, liberisque colloquiis, quæ miscentur inter diversi sexus personas, quis dubitare potest, quominus quidquid sensus allicit, sit laqueus virtuti? Quis enim adeo delicatus pudor, quæ adeo austera innocentia mundi contagioni exposita inter blandas tot objectorum illecebras, patens venenatorum telorum grandini potest citra miraculum non vulnerari? Quo autem jure expectari potest miraculum ab eo, qui ultro sese tantum in discrimen adducit? Illi, qui majori virtute pollent, & qui, ut ita dicam, in diutioribus pœnitentiæ laboribus callum duxerunt, atque post tot prælia victorias de hoste reportare consueverunt, se tanto periculo objicere non audetent certissimam cladem metuentes. Virtus autem nascens, vel dicam melius, homines sine virtute, plerique ab hostibus, quos inquirunt, sæpe debellati in his cœtibus, atque societatibus citra periculum versabuntur? *P. Croiset in spiritualibus Considerationibus.*

Choreæ, saltationes, comœdiæ plerumque sunt occasiones, ubi homines peccandi occasioni se objiciunt.

Quid? Objectum nimis mundanum fortuito inspectum, verbum nimis procax inconsulto emissum, lectio parum modesta sine mentis improbitate instituta, in periculum adducant melius roboratam virtutem, & plerumque causæ sunt reprobationis: & quidquid cupiditas magis acre, & venenatum habet, quidquid ars tentandi magis corruptum, & aptius concinnatum invenire potest, congeries eorum omnium, quæ fallere possunt, & in errorem inducere, non erit proxima occasio peccati, neque manifestum periculum illis, quorum plerique in inerti mollitie innutriti sunt? Bona fide; nonne facilius credi potest, posse aliquem in rapidum sese projicere torrentem, quin aquarum violento flumine rapiatur, vel in magno succenso igne inmorari; quin flammis uratur. Innumeris fideles in desertum secesserunt; longe plures adhuc inter claustra secedunt, evitaturi laqueos, & pericula, quibus in mundi commercio objiciebantur. Vix remotissima solitudo a cupiditate protegere potest; ubique tentator

tator in sanctis quoque locis Christianos Heroas lacessit; æternum cordibus nostris invigilare debemus; laborandum est, orandum, fugiendum, & nondum in tuto sumus, cum interim quidquid inter Christianos infirmissimum est, putat, se posse quotidie his coetibus, profanisque spectaculis interesse, sese sine clypeo vementatis objicere telis inimicorum salutis nostræ, ac sine armis sese projicere, ubi confertissima sunt hostium subsidia. Quod sanctissimo cuique periculum est, jam tale esse desinit, ex quo vita parum Christiana ducitur. *Idem*.

Quidquid illecebrarum melos habet, quidquid suavitatis ars potest conferre misto musicarum vocum, sidiumque concentui, omnia ad animam molliendam movendamque impenduntur; itaut tantum ad sensus ejusdem ciendos minime requiratur. Magnifica decoratio oculos afficit; theatralis machinamenta alliciunt mentem, fabularum nodi, ac solutiones eam fascinant, & hæc simul omnia in eum statum adducunt animam, ubi dolos minime metuat. In hac sensuum omnium affectione, qui vel conciliati, vel captivati sunt, cum prope sit, ut cor ipsum captivetur, in scenam prodire videtur delectus actorum numerus, qui ea ornati sunt arte, quam ad imponendum humana excogitavit industria, & qui arte adjiciunt, quidquid affectus, quem exprimunt, illis inspirare potest. Cumque amor affectus ille sit, qui in theatris dominatur, facile intelligere est, quo tendant teneræ illæ fabulæ, quæ ibidem aguntur. Adolescentulæ, quæ honori sibi vertunt placere, & quæ conductæ sunt, ut ad vivum exprimant affectum: mortales, quibus non alia gloria est, quam in scena præ ceteris micare, eum, quem exprimunt, inspirantes amorem: voces suaves, quæ facile præcordia mulcent, mistæ teneris verbis, ac versibus arte mire ad amorem ciendum concinnatis; mira hæc dispositionum, rerumque congeries, quarum vel minima seorsim gravis est tentatio, ex mundi amatorum sententia non aliud erit, quam nugæ canoræ, quam innocens, licitumque solatium. *Idem*.

Effigies, tabulasque parum honestas servans peccati occasio est.

Fidelis, qui tabulas servat, aut simulacra eo corporis habitu, qui pudori, & innocentiæ funestus est, vel qui in illa oculos curiosius conjicit, nonne vereri debet, ne oculi sui sese illis prostituant objectis, quibus alliciuntur, & ne cor hujusmodi impressiones sequatur? Inficias ibit, saltem esse peccati occasionem illas servare? Nonne temeritas est credere, se ignem sinu ferentem non conflagraturum, atque virus epotantem veneno minime interiturum? Verum, inquis, hujusmodi imaginibus te nequaquam affici; hoc vix crediderim, si judicium ferre voluerim ex tot aliorum experientia, qui ingenue eos confitentur effectus, quos ipsi experti sunt, & ex cognitione humanæ infirmitatis, quæ summa profecto est, atque ex ea ratione, quam cum corruptione hujusmodi habent objecta. Verum esto, naturalis stupor te hucusque protexerit; quid de futuro spondere potes? Num latet, quot mutationes in homine interiori, non secus ac in corpore oriantur; post summam æquoris malaciam fuere tempestates, eos, qui quoddam tempore nulla re affici poterant, alio prorsus oppositum experiri? Illi ipsi, qui gravissimis non cessere oppugnantibus, deinde levibus ictibus prosternuntur. Deus justo judicio nonnunquam permittit, ut qui per superbiam propriis viribus confidunt, inter insidias gravissimis lapsibus conterantur, ut discant mortales in semet præsumendum non esse. Verum esto etiam, te ingenium, indoles, temperamentum, ætas extra quarumdam infirmitatum jactum constituant; quid? De aliis spondere potes? Sperarine potest futurum, ut quicumque tabulas tuas inspexerint amici, domestici, hospites æque invulnerabiles sint? *Auctor Anonymus*.

Nisi peccati relinquatur occasio, nulla vera est pœnitentia.

Pœnitentiæ efficacia in eo posita est, ut strenue occasionem relinquas de peccato victoriam relaturus, non autem victoriam de peccato reportare velis permanens in occasione..... At ecce, o Fideles, quo motus remissio vos adduxit. Confessarius tamquam difficilis, austerusque damnatur, atque relinquitur, cum munere suo fideliter fungens absolutionis gratiam differt illis, qui occasiones relinquere detrectant? At quandonam illam differet? Et quod apertius habere potest argumentum pravæ affectionis, qua aliquis ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, quam cognoscere illum certum consilii sui semper redire velle ad easdem societates, eademque repetere loca, ubi toties illius innocentia naufragium passa est? Si umquam potest, & debet uti ea, quam accepit, potestate ligandi conscientias, nonne hoc præsertim est tempus? Videt, & ipsi videtis horribilem tot recidivarum seriem universe profectam ex occasione, quam illi indigitatis, & a qua vos deterrere non potest. Si ille conniveret, & quamvis invictus hic adversaretur obex, absolutionem vobis impertiret, tantum abesset, quod ignavam hanc illius probaretis indulgentiam, ut immo scandalum inde perciperetis, vel saltem percipere deberetis; & ipse, qui mysteriorum Dei dispensator est, eorumdem fieret dissipator. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus, Adventu secundo Sermone de Pœnitentia*.

Inanes excusationes quæ afferuntur, ne relinquatur occasio.

At enim vobis integrum non est, has occasiones relinquere. Ego vero inquio, illas hodierna etiam die sine mora relinqueretis, si illinc temporalis fortunæ vestræ profectus penderet, & si hoc pacto hoc, illudve negotium, quod nihil vobis antiquius est, e voto succederet. Occasiones, hæ, additis, sunt vincula, quæ nonnisi palam, hoc est cum scandalo potestis infringere: ego autem respondeo; magnum immo scandalum esse, quod non infringuntur a vobis; & scandalum pro scandalo, si verum esset eo tem esse perductam, satius fore salutare scandalum pati, quo peccatum aufertur, & anima vestra servatur, quam mortale scandalum, quod vos perdit, & quod est peccati ipsius corrolarium. Verum me Deus hac in occasione tuebitur; & in ipso confido. Reprobata hæc est confidentia, S. Chrysostomus inquit, quæ eo tendit, ut tentet Deum, & foveat hominis impœnitentiam: contumeliosa Deo confidentia, quæ peccatorem magis indurat. O Deus cur non semper hæc tonditur in eis; cur non æternum hæc veritas prædicatur? Hinc enim orbis christiani conversio, reformatio, sanctificatio pendet. Quodcumque sit, ne admodum in vestra confidatis pœnitentia, & quantumvis alioquin fervens videatur, inanem existimate, nisi non materiam solum, causamque peccati, verum etiam quidquid peccato occasionem præbere, & vos in relabendi periculum potest adducere procul amoveritis. *Idem*.

Dæmon eorum obtrudit occasiones peccandi, in quæ nos pronos cognoscit.

Scite animadvertit S. Petrus Chrysologus Serm. 16. non extremam Dæmonis artem ad auferendam animæ innocentiam esse, illam videlicet tentare occasionibus, quibus eamdem alliciat. Novit e. g. a te amari divitias; ecce, inquit ille, hanc hæreditatem, quæ tibi accideret peropportuna; ecce domum hanc, quæ tibi esset percommoda: *Divitias ostentat, ut avaritiam irritet*. Tuam agnoscit indolem, & videt te prodeundi cupidum? Te societatibus implicat, ubi homines magnificis inductos vestibus intuens, consilium capis eumdem luxum imitandi: *Ut inferat superbiam, profert pompas*. Intelligit iracundiam tibi dominari, ac te statim in iras exardescere, ubi aliquod incidat verbum, quo te læsum putas? Opportune eam componit occasionem, ubi eos invenis, qui displicent tibi; vicissim mutuis certatis contumeliis; & jam nihil nisi jurgia, imprecationes, blasphemiæ evomuntur. *Ex Morali Dictionario sermone 1. hujus argumenti*.

Neganda illis est absolutio, qui occasionem relinquere nolunt.

Post hæc conqueri miror, Fideles, de justa severitate, qua erga vos in sacro pœnitentiæ tribunali utimur, cum peccatum vestrum dimittere abnuimus, quotiescumque vos ab occasione recedere detrectatis. Tunc ad pedes nostros provoluti egregias quidem promissiones adfertis; sed vobis non credimus, neque tamquam veros pœnitentes vos recipere possumus. Quare? quia actu vosmet recenti crimine obligatis ab occasione nolentes recedere. Deus enim prohibet, ne ibi immoremini, idque damnationis æternæ proposita pœna; & præsertim vobis, qui frequenti experientia didicistis, quam sit periculosa vobis occasio. *P. Giroust in Adventu Sermone hujus argumenti*.

OFFI-

OFFICIA,

Et quid quemquè deceat in mundo, ac statu suo. Consensus officiorum urbanæ vitæ cum religionis officiis.

MONITUM.



Undus, quod nemo unus ignorat, tribus variis in sensibus desumi potest, quorum singulà totidem præbere possunt concionatoribus argumenta sermonum. Hoc nomine intelligitur aliquando civilis hominum in varios status, munera, & conditiones distinctorum societas, ubi non desunt officia quædam, a Christiano ad hoc, vel illud vitæ genus vocato non negligenda. Nonnunquam mundi vocabulo mundi vanitas, bonorum, honorum, & voluptatum hujus mundi, quæ tantopere conquiruntur, inconstantia, & fragilitas significatur. Demum vero hac voce vulgo hic mundus nequam intelligitur, qui merito filii Dei in se maledicta convertit; illi videlicet, qui nefaria mundi placita Evangelicis præceptis, divinisque legibus opposita sequuntur. Verum cum nimis vastum fuisset argumentum ea omnia sub uno titulo complecti, quæ de mundo in triplici hac significatione sumpto afferenda existimavi: hoc in loco de civili tantum mundo loquar, cujus officia, tantum abest, quod sint religionis officiis opposita, ut horum partem constituant, simulque honestum hominem secundum mundum ipsum, hominemque probum, virtutibusque præditum secundum Deum faciant.

Argumentum hoc veteres Concionatorae ignorarunt, quamvis quamplures libri agant de eorum, qui in mundo vivunt, officiis; omnesque ibi sanctam, christianam, & ab omni sæculi corruptione immunem vitam duci posse fateantur. Verum opinor, si minus argumentum hoc hactenus commune factum sit, paucis tamen utilitate cedere; namque præterquamquod ibi ostenditur, posse unumquemque eo in statu salvari, in quo illum Providentia constituit, ostenditur quoque, posse ibi suum tenere gradum, suaque servare bona, domus suæ splendori consulere, quin Dei leges infringat, & Christiani desit officiis.

Hac tamen in re cavendum est diligentissime, ne nimie mundi hujus decoro, officiisque tribuatur ab iis, qui Deum simul, & mundum conciliare voluerint, quasi duobus simul Dominis aliquis servire posset: quod facile evitari potest, ostendendo, quin Evangelii præcepta infringantur, posse reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ illi reddere nos ipsa jubet religio: quin aliquid imminuatur eorum, quæ Deo debentur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Synopsis.

I. 

Nihil in Scripturis toties repetitum, adeoque solide probatum occurrit, quam fuga, & separatio ab hoc mundo; hæc prima est cogitatio, quam inspirat Deus illis, qui sincere volunt converti, & quemadmodum in christiana religione hic primus est actus, mundi pompis, & vanitatibus abrenunciare, ita hic primus quoque gradus est a peccatoribus arctam salutis viam ingressuris efficiendus, latam relinquere viam, quæ ducit ad interitum, videlicet placita mundi, quem Dominus reprobavit. Verum cum hoc secessu a mundo præceptum non cogat illinc prorsus egredi, bona illius abdicare, & omne cum illo commercium abrumpere; dicendum est non deesse honestum, urbanumque mundum, ubi manere licet, & ubi christiano viro digna vita duci potest, quocumque in statu, & quæcumque in vitæ conditione te providentia Dei collocaverit. Tres rationes hoc probabunt, simulque trifariam totum sermonem partientur.

Prima est, Christianismum nullam habere cum statu, & professione nostra oppositionem, ubi non recedant ab ordine providentiæ, quæ vel nos in illis constituit, vel nos ad illa evocavit. Cum enim providentia omnes conditiones pro civilis societatis bono partita fuerit, sibimetipsi adversari non potest, volenti singulis statibus, & conditionibus suas esse gratias, subsidia, immo etiam commoda, ut in iis quilibet salvus fiat, ac Domino serviat; quæ in aliis non inveniuntur. Hoc probari potest facili inductione eorum, quos Dei filius jussit secundum Evangelii præcepta vivere, & exemplo plurimorum Sanctorum, qui eadem munera, artesque exercuerunt. Si igitur status, atque conditio nostra nullam habet christianæ sanctitati, severissimisque Evangelii legibus oppositionem, quis in dubium revocare potest, utrum salvari possimus, ac simul obire officia, quæ & christianum, & honestum secundum mundum hominem decent?

Ratio altera est, quod quæcumque adsit major in hoc, quam in alio statu, salutem consequendi difficultas, impossibilitas, quam nonnulli causantur, in suo christianam vitam ducendi, & sese sanctificandi, chimerica est, atque prætextus, ut in suis sceleribus perseverent; proficiscitur enim ex eorum flagitiis, quæ ipsi relinquere, & ab effectibus, quos compescere nolunt, non autem ex ipsorum munere, & conditione; quæ immo e contra illos a vitiis, atque libidine avertit, eisque sexcentas suppeditat occasiones christianas, urbanasque virtutes exercendi.

Tertia est, quod cum a Deo ad hunc statum, & hanc vocationem appellati simus, dicere possumus, sanctitatem, atque perfectionem, quam a nobis ille requirit, hanc esse, quod ad propriam status, & vocationis ejusdem perfectionem perveniamus; videlicet quod simus judices integerrimi, ecclesiastici muneri nostro addictissimi, mercatores in nostris negotiis fideles. Quidquid autem prohibet quominus nostris hoc in statu perfungamur officiis sub devotionis prætextu, vel alio quopiam colore, mera illusio est.

1. Ostendere, posse nos a mundo separatos esse, quin reipsa illum deseramus, & quin statum, munus, conditionemque mutemus; ab illius vitiis, placitisque perniciosis, & periculis peccandi, quæ passim in mundo inveniuntur, abhorrentes. II.

2. Posse

2. Posse nos mundi hujus officia, quibus status, & conditio nostra nos subjiciunt, obire, quin aliquid eorum prætermittamus, quæ Deo, religioni, & proximorum ædificationi debemus.

3. Insignes in mundo exerceri posse virtutes, quin illius vitiis inquinemur, ac nosmet ibi sanctificare, licet tot illic inveniantur obices, qui virtutis praxim efficiunt difficiliorem.

III. Ostendere possumus, Christianos inexcusabiles esse, si quocumque in statu illos Providentia collocaverit, non vivunt tamquam veri Christiani, nec se ibi sanctificare contendunt.

1. Quia omnes habent cognitiones, quæ sunt ad bene vivendum necessariæ, neque minus callent veritates, & Christianæ religionis instituta, quam sui status, suæque conditionis officia.

2. Quia ad id gratiæ illis non desunt, & Deus qui eos ad hunc statum vocavit, simul etiam suppeditavit auxilia, quibus munere suo valeant defungi, quin vel minimum saluti ipsorum detrimentum afferatur. In hoc enim naturalem, ac supernaturalem providentiam suam in christiano, urbanoque mundo manifestat.

3. Quia pro utriusque generis officiis plurima habent exteriora subsidia, exempla ejusdem conditionis mortalium, occasiones bene operandi, ad propria status sui opera bona exercendi.

IV. 1. Christianæ religionis, quam sumus amplexi, professio, cujus officia, & munera aliis quibuscumque rebus a nobis sunt præferenda, nobis minime interdicit negotia seu publica, seu domestica, artes, magistratus, munera, quæ pro urbanæ societatis commodo instituta sunt; sed e contra efficit, ut illa fidelius exerceantur ob æquiores causas, finesque christianos.

2. Negotia, magistratus, officia non exiguo sunt adjumento, ut Christiani hominis munere perfungamur, & charitatem, patientiam, bonum exemplum, cæterasque virtutes, quæ perfectum efficiunt Christianum, exerceamus.

V. 1. Quin deficiamus in iis, quæ ad mundi hujus decora, atque status nostri officia pertinent, præstantissimam quamlibet virtutem christianam exercere possumus; quia nulla inter hæc est oppositio.

2. Qui utraque obeunt officia, cum quæ ad statum suum, tum quæ ad christianam religionem pertinent, simul & statum, & religionem suam honorant; eorumque exemplum apud mundi sectatores majorem vim habet, quam vita eorum, qui a mundo penitus recesserunt.

VI. Virtutes eædem, quæ honestum hominem in mundi conspectu efficiunt, eximium efficere possunt Christianum: quippe ut plurimum satis est earum objectum, finemque immutare, ut christianæ virtutes fiant, quin nomen, qualitatem, suumque effectum amittant. Hæ vero potissimum sunt generositas, humanitas, & bona fides, quæ sermonis divisionem præbere possunt.

1. Generositas character est animæ nobilis, quæ nihil ignavum, ac indecens pati potest. Si virtus hæc hominum existimationem nobis conciliat, nonne magno subsidio est, ut sis verus Christianus; ad id enim vi opus est, atque constantia, ut sollicitationibus resistas, quæ tibi fieri possunt, ut ab officio dimovearis: utque humanos vincas respectus, & eas tentationes, quæ sese offerunt crebro? Verbo, nemo verus esse potest Christianus, nisi strenuus, & generosus.

2. Affabilitas, suavitas, humanitas, urbanitas, quæ homines faciunt comes, beneficos, gratos, officiosos, ostendunt in christiana virtute nihil asperum esse, & incultum, tantumque abest, quod devotioni, & pietati adversentur, ut immo plurimum prosint ad eos, quibuscum versamur, ad illam alliciendos.

3. Bona fides, propter quam honesti habentur illi, in quibus refulget, & quæ illis eorum omnium confidentiam conciliat, qui cum ipsis agunt, in Christiana religione, quæ rectam poscit animam, ab hypocrisi immunem, & quavis dissimulatione, ac dolo tum erga Deum, tum erga homines vacuam, non est minus necessaria.

1. Qui per conjugium, vel aliud quolibet vinculum in mundo vivere tenentur, ibi christianam vitam, & ab Evangelicis institutis haud abnormem vivere debent. VII.

2. Magistratus, officia, conditio eorum tantum abest, quod Christiani hominis officiis obstaculo sint, ut eorumdem immo obeundorum præbeant occasionem, atque subsidium.

Si religionem, & probitatem secundum mundi sententiam spectamus, quamvis duo hæc invicem opposita videantur propter eorum principium, objectum, & finem: dicere tamen possumus, hæc arctissimo quodam vinculo esse conjuncta, ac penitus separari non posse. VIII.

1. Quia fieri nequit, ut qui veram non habet probitatem, veram habeat religionem.

2. Ut qui religionem non habet, veram habeat probitatem. Hæ duæ propositiones explicandæ sunt; sed hæc explicatio earum esse debet confirmatio. Prior illa ostendet religionis necessitatem in iis etiam, quæ ad mundi hujus officia pertinent. Posterior autem aperiet necessitatem probitatis in iis, quæ pertinent ad religionem. *Ex P. Bourdaloue*.

De consensu officiorum hominis honesti cum Christiani hominis officiis. IX.

Prior hujus concionis pars ostendet, honesti, secundum homines, viri officia, & Christiani secundum Deum, secum nequaquam pugnare.

Altera modum tradet illa conciliandi, ita ut verus honestus homo secundum homines, esse possit bonus Christianus coram Deo. Veritas hæc probanda est; sed quomodo, & ad hoc quid faciendum est? Hoc fusius tradendum est. *Pater De la Rue*.

Duo refellendi sunt errores, ut duæ statuantur oppositæ veritates in duabus concionis partibus. X.

Prima veritas, quæ oppositum destruet errorem, est, posse hominem inter mundi impedimenta, & in quolibet vitæ statu salvari.

Altera, Christiani hominis officia simul esse posse cum officiis hominis secundum Mundum honesti. *Ex Sermonibus oblatis Accademiæ Gallicæ anno* 1703.

Errores duo ex duabus profecti falsis ideis, quæ vulgo de virtute, & sanctitate concipiuntur. XI.

1. Alii hanc veluti impossibilem putant, & nullo pacto exercendam ab illis, qui in sæculo vivunt.

2. Alii possibilem quidem censent, sed abhorrentem ab iis qualitatibus, quæ honestum hominem in mundo constituunt. *Ex eadem collectione*.

1. Christianus suæ religionis officia cum mundi hujus officiis conciliare potest: simul & honestus homo, & bonus esse potest Christianus; & demum satisfacere muneribus & status, in quo ipsum providentia constituit, & religionis; quod Cæsari, quod Cæsaris est, reddere appellatur. Hujus propositionis argumenta in priori concionis parte videbimus. XII.

2. In altera ostendemus verum fidelem, & honestum in professione sua hominem religioni honorem afferre, eo quod diversa hæc officia conciliat. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta. Tom. 3. de argumentis particularibus sermone secundo*.

1. Nullum esse statum, munus, conditionem, dummodo legibus Dei, & providentiæ ordinibus non opponantur, ubi Deo servire, ac saluti nostræ prospicere nequeamus. XIII.

2. Numquam melius, & salutis nostræ muneribus, & nostræ conditionis officiis satisfieri, quam cum in statu nostro salutem operari, ibique Deo famulari contendimus. Itaut non solum quisque in conditione sua propriæ saluti consulere valeat: sed ipsam etiam conditionem tamquam viam ad

salu-

salutem efficere possit. *Idem sermone secundo pro feria quarta post Cineres.*

XIV, 1. In mundo vivere possumus, & a mundo separati esse animo, & corde; realis enim separatio consilii tantum est, non præcepti. Ibi ergo salvari possumus, immo etiam aliorum salutem procurare, illis præbentes exemplum mundi quidem placita fugiendi, Jesu Christi vero præcepta sequendi.

2. Qui hoc pacto in mundo vivunt, non levia præbent indicia, quod cum Deus illos a sæculi corruptione præservaverit, eos aliquando a mundo reprobato sejunget, & quod sunt ex numero electorum.

XV, 1. Advertendum nobis est, ut hoc mundo quocumque in statu, vel conditione simus, nosmet sanctificemus; ad id unum enim in mundo sumus; & hoc primum est, unicumque nostrum negotium.

2. Hoc autem præstare possumus; ad id enim suppetunt nobis gratiæ, & subsidia; prætextus omnes, qui afferuntur, ut nosmet dispensemus, futiles sunt, inutilesque; & demum nulla virtus est & moralis, & christiana, cujus exercendæ ibi desit modus, & occasio.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita argumenta exornanda.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus lib. 5. contra Julianum ostendit, mundum quidem, secundum Jesu Christi præceptum amandum non esse; sed licere hujusmodi bonis uti; & quid intersit, licita re utaris, an perfruaris.

Idem *lib.* 18. *de Civit. c.* 18. ostendit separationem a mundo, quæ in quolibet Christiano requiritur, non tam esse debere, loci, & mansionis, quam morum, & vitæ.

Idem, vel Auctor Homiliæ 16. in Apocalypsin in hæc verba, *Exite de Babylone*, docet hunc exitum, vel hanc separationem non tam corporis esse debere, quam spiritus, & exire de Babylone esse peccatorum vitia non sequi.

Idem *l.* 3. *contra Epist. Parmen. c.* 4. 24. *l.* 3. *contra Gaudentium, & serm.* 18. *de verbis Domini* hoc ipsum ostendit.

S. Ambrosius de Officiis passim loquitur de boni viri in mundo viventis officio, deque virtutibus ab eo juxta statum suum ibi exercendis: quomodo gradum tenere, existimationem tueri, & mundi amorem sibi conciliare debeat.

Libro 1. *cap.* 17. describit juvenis in mundi commercium ingredientis officia. Et libro eodem docet, quid sit decorum, & quomodo rebus in omnibus servandum.

Libro secundo ostendit justitiam, benevolentiam, urbanitatem, & affabilitatem, ac civilem societatem servandam esse necessarias.

Idem *lib. de fuga sæculi cap.* 4. ostendit, quod mundum fugere est abstinere a vitiis, & peccatis, quæ committuntur in mundo, & ibi quædam esse officia, & munera obeunda professioni fidelium nequaquam opposita.

S. Basilius *serm. de rerum abdicat.* ostendit in sæculari æque ac regulari statu videndum esse secundum Evangelii præcepta, & ex mundi placitis, moribusque id solum retinendum, quod Divinis legibus non adversatur.

S. Chrysostomus *in Homil. in cap.* 6. *S. Matthæi* loquens ad mundi hujus sectatores, ostendit, illis credendum non esse, quod eo in statu, in quo sunt, minime possint ad sublimem perfectionis apicem pervenire, & quin illis desint officiis, quæ ipsorum inhærent conditioni, conandum esse, ut in dies magis ad virtutem adnitantur.

Idem *serm.* 21. *in Epist. ad Ephes.* docet, cum illi, qui in mundo vivunt, placere debeant & Deo, & illis, quibuscum vivere tenentur, majori opus esse vigilantia, & præcautione, ne Evangelii præcepta violent, status sui officia obeuntes.

Idem *Hom.* 43. *in Genes.* loquens de Loth, qui semper Deo fidelis fuit, quamvis inter Sodomæ cives moraretur, occasionem nanciscitur refellendi eos, qui dicunt, sanctam traduci vitam non posse, neque saluti suæ prospici ab iis, qui in mundi luce, atque inter peccatores versantur.

Origenes *Hom.* 3. *in Exod.* loquens de imperio Dei, quo Moyses jussus fuit Pharaonem convenire, ut hic populo Israel facultatem permitteret abeundi, ut in deserto sacrificium Domino offerret; ostendit, egrediendum esse de Ægypto, ac mundum relinquendum, non quidem semper quoad locum, sed spiritu, & affectione cordis; non sedem mutando, sed in singulos dies in pietate progrediendo, quin ab officiis status sui obeundis unquam cesset.

S. Bernardus *serm.* 40. *in Cantica* hoc ipsum ostendit, & docet quomodo a mundo secedere valeamus quin illum corpore deseramus, & quin ab iis cessemus officiis, quæ obire tenemur.

Patres omnes qui præ cæteris magis hortati sunt homines, ut mundum fugerent, & solitudinem inquirerent, atque secessum amarent, numquam affirmare voluerunt, bona, prædia, consanguineos esse relinquendos, & civilem societatem abdicandam; sed tantum corde, & affectu illis inhærendum non esse, & nemo credit, aliquem salvari non posse, fideliter in mundo religionis, statusque sui muneribus perfungentem.

Hieronymus Platus, *de bono status Religiosi lib.* 2. docet, non religiosis tantum, sed omnibus Christianis, qui in mundo vivunt, adlaborandum, ut secundum statum suum salutem consequantur. Ascetici aliique.

P. Bonal *dans le Chretien du temps* p. 3. c. 5. ostendit ad hoc, ut in mundo sancta ducatur vita, ibi vivendum esse citra mundi effectum, atque se tamquam in terra hospitem, & inquilinum existimandum.

Cambolas in libro, cui titulus *Exemplar vitæ hominis Christiani* Tomo 1. cap. 10. ostendit, Christianismum omnibus sese professionibus accommodare, quemlibet status sui obeuntem officia posse, & debere vivere, ut verum Christianum decet.

Idem Tract. 2. c. 5. §. 5. ostendit eos etiam, qui in conjugio vivunt, christianam acquirere posse perfectionem; & cap. 6. probat viros bonos non solum magistratibus aggrediendis non impares esse, verum etiam omnino aptissimos; quoniam sibi conscientiæ vertunt, illos fideliter ministrare.

In speciminibus Ethicis Tomo 2. habemus tractatum de christiana urbanitate, ubi capite tertio ostenditur charitas ab urbanitatis officiis non abhorrere, quarto vero ea exponuntur bona, quæ urbanitas ipsam colentibus affert.

Liber cui titulus, *Vita civilis officia*, plurima continet ejus, de qua agimus, argumenti; quorum præcipua deinceps afferentur.

P. Croiset 1. p. considerationum christianarum loquitur de diligentia in suis adimplendis officiis.

Liber cui titulus, *La conduite du Sage, dans tous les etats de la vie*, plurima habet capita de Christiani sapientis officiis, præsertim vero illud, ubi de bonis operibus loquitur.

In Morali in *Pater noster lib.* 8. *sect.* 4. *arti.* 5. fusius ostenditur, posse aliquem a mundo separatum esse, quin deserat mundum; videlicet posse ibi christianam vitam ducere, quin post prava mundi abeat exempla.

De Sancta Martha in Asceticis Tractatibus Tomo 2. Tract. 1. de obligatione fugiendi mundum, docet quibus in occasionibus fugiendus sit; & quando ibi permanere, & christiane vivere liceat.

In Orationibus Gallicæ Academiæ oblatis anno 1703. quatuor deinceps sermones invenies de con-

sen-

sensum officiorum vitæ civilis cum christianæ vitæ officiis.

In sermonibus recens sine Auctoris nomine editis, & qui Patris Ruæi vulgo censentur, Tomo primo, sermo est de consensu officiorum honesti hominis cum officiis Christiani pro feria 2. post. 3. Quadragesf. Dominicam.

P. Giroust Sermone de festo Sanctorum omnium die plurima habet, quæ ab hoc non abludunt argumento.

P. Bourdalove in veteribus sermonibus sub ejus nomine editis, Sermone pro prima Quadragesimæ Dominica ostendit, sine religione nullam esse veram probitatem in mundo, nullamque religionem veram sine probitate; quod non abhorret ab eo, de quo agimus, argumento.

P. Texier Sermone pro feria quinta post Cineres, ostendit nullam esse professionem, dummodo licita sint, in qua homo salvari, & christianas virtutes exercere non possit.

P. Aurelianensis in Sermonibus omnium sanctorum, & institutionis filiorum plura dicit de christianæ, urbanæque vitæ officiorum consensu.

In speciminibus sermonum pro Dominicis, Tomo secundo in quintam Dominicam post Pascha, unum habet hujus argumenti, qui paucis exceptis, idem est ac ille, qui P. Ruæo adscribitur.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta, tomo 3. argumentorum particularium Sermone 2. ostendit mundi officia cum officiis religionis conciliari posse, in hoc Evangelium: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,*

Idem in Quadragesima Sermone 2. pro Feria 5. post Cineres, ostendit nos in qualibet conditione salvare posse, & statu, ac ipsam vitæ nostræ rationem in salutis nostræ subsidium convertere.

Nemo est, saltem quem sciam, qui hujus argumenti collectanea ediderit.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

AMbula coram me, & esto perfectus. Genesi 17.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psalm. 61.

Declina a malo, & fac bonum. Psalm. 36.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Psam. 118.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ibid.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Ibid.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! Ibid.

Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Ibid.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum. Ibidem.

Ab omni via mala prohibui pedes meos. Ibid.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Ibid.

Omnem viam iniquam odio habui. Ibid.

Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Ibid.

Servavi mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Ibid.

Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. Ecclesf. 12.

Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. Prov. 16.

Videte, ne & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis. Baruch 6.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est Matth. 5.

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. 5.

Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Osee 13.

Vos estis lux mundi. Matth. 5.

Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est. 1. ad Corinth. 2.

In vobis judicabitur mundus. Ibid. 6.

Unumquemquem sicut vocavit Deus, ita ambulet. Ibid. c. 7.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Ibid. 7.

Reliquum est, ut ...... qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Ibid.

Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, Ad Ephes. 4.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. ad Thessal. 4.

Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis. Ibid. 5.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum ... quia sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam 1. Petri 2.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1.

Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. 1. Joan. 3.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Exempla Sanctorum Veteris, Novique Testamenti generatim.

SAncti omnes Veteris, Novique Testamenti vixerunt in mundo, quin illi adhærerent animo; non ultro sese magistratibus, publicisque negotiis immiscuerunt; hæc non studio aliquo, cæcaque affectione quæsiverunt, sed illis summa fide defungi conati sunt. Si opes, atque honores obtinuerunt, tamquam illis obruerentur, conquesti sunt, iisque secundum Dei imperium sunt usi; sed in mundo tantum versabantur, quantum opus erat, ut officiis suis perfungerentur, semper sincerum foventes desiderium ab eo recedendi, ac reipsa recedentes, simulac viam illis Deus aperiebat. Itaque in mundo vixerunt, quasi omnino ab eo separ atque religionis officia cum urbanæ vitæ officiis, divinasque leges cum iis, quas terræ principes irrogaverant, conciliarunt.

S. Patriarchæ Abraham exemplum.

Habebat Abraham opes, consanguineos, amicos, & patriam, in qua magno habebatur in pretio; atque in paucis fulgebat; verum hæc omnia adeo parum amabat, ut ubi primum a Deo jussus fuit, omnia cum gaudio reliquerit in ignotam regionem profectutus. Tunc etiam cum Deus illi præcepit, ut filium suum in holocaustum offerret, alacri, promptoque animo imperium facessere adortus est, quamvis cum unigenito illo omne solatium, omnisque spes illius esset interitura. Quin diutius immorer verba faciens de aliis præceptis, quæ illi irrogata fuere, quæque ipse hilariter ad unguem explevit; hoc satis est, ut inde judicium feratur ejus fidelitatis, quæ omnia erga Deum suum munera obibat; & nemo unus ignorat illum per hoc gloriosum illud fuisse promeritum Dei ipsius testimonium: *Nunc cognovi, quod times Deum*; Genes. 22. Hic autem adeo religiosus, adeoque timens Deum Patriarcha non minori fide status sui officiis perfunctus est. Frequentem habebat familiam, a qua ut Deus coleretur, enixius invigilabat; erga Loth nepotem suum tantam præsetulit indulgentiam, ut pro paucis bono non parum de suo jure remiserit finem impositurus litibus, quæ crebro inter utriusque hujus opulenti patris familias servos oriebantur. Justus erat erga domesticos, & accolas, erga hospites vero officiosissimus.

Æque

Æque fidelis amicus, ac bonus consanguineus eo usque, ut servos suos ad arma compulerit: ut de hostium manibus eriperet prædam, quam illi Loth, affinibusque suis abstulerant: ita ut dici possit, Abrahami non minus fidelem fuisse urbanæ vitæ officiorum observatorem, quam religiosum in iis obeundis, quæ divinæ majestati debebat.

Exemplo S. Patriarchæ Joseph, aliorumque nonnullorum.

Quot utriusque sexus afferri possent mortales, qui inter honores, supremasque dignitates e mundi corruptione evaserunt immunes? Quid opus est proferre Josephum, qui totius Ægypti caput, & gubernator constitutus fuit, omnibusque bonis Pharaonis præpositus? Ejus fortunæ præter nomen regium deerat nihil: verumtamen tantæ dignitatis elatio nihil ejus virtutem imminuit; nactusque viam est, & Deo simul, & Regi inserviendi politicam rationem religioni submittens. Tres filii Israel Babylone captivi Deo semper fideles permanserunt in aula voluptatibus addicta, ubi per crapulam, epularumque lautitiem virtutem eorum labefactare adnitebantur. Quid dicam de Sancto Rege David, aliisque nonnullis successoribus ejus, in quibus religio, & fides, quam veri Dei cultui debebant, nihil obfuit politicis rationibus, cum quibus populos suos gubernarunt, neque virtuti necessariæ ad hostes subigendos, ac rebelles reipublicæ tranquillitatem perturbantes ad officium revocandos.

Esther Regina exemplar est virtutis, & sanctitatis in aula Assueri.

Esther regina erat, atque ut reginam decet, vivebat, hoc est in aulæ magnæ splendore, at non ideo minus fidelis erat Deo, ac patrum suorum religioni. In aula Assueri, uxor regis idololatræ Deum viventem adorabat, & legem illius fideliter observabat. Inter superstitionem populi Solem adorantis, seipsam cinere, & cilicio tegebat, ac tribulationis panem manducabat; cum interim omnes superbi hujus, & voluptuosi regis aulici in molitie, effusaque omnis generis libidine volutabantur. Cum vero regiis ornata insignibus coram Assuero prodire debebat, ac mundo muliebri nitorem addere formæ, qua Deus ad populi sui salutem uti volebat, diadema, quo caput ornabat, Deo tamquam sacrificium offerebat, dicebatque illi: Nosti, Domine, me universum hunc magnificentiæ apparatum, qua septa sum, perhorrescere; verum invita illum gero propter eam necessitatem, quam mihi ille status imponit, in quo tua me providentia constituit: *Tu scis Domine infirmitatem meam*. Ester. 14. Vides cor meum his rebus non affici, scis, me regiis interesse conviviis propter ejus loci, quem apud regem obtineo, necessitatem, atque ancillæ tuæ cordi inter tot gaudia, & voluptates, nullum præter te unum aliud objectum fuisse.

Quid Sanctus Joannes Baptista publicanis, & militibus præscribat, ut in conditione sua salvi fiant.

Non aliis opus est argumentis ad probandum, in quolibet statu mortales salvari posse, ac nullum esse, in quo vitæ civilis officia cum Dei lege conciliari non possint, quam quod magnus Joannes Baptista publicanis, militibusque respondit, qui ad illum in deserto convenerunt quæsituri, quid sibi faciendum esset, ut pœnitentiam, quam ille prædicabat, exercerent. Homo hic adeo austerus in sua vivendi ratione, atque in sermonibus, qui cum Judæis durius agebat eo usque, ut illos *genimina viperarum* vocaret; hic, inquam vir, severissimæ exemplar disciplinæ nequaquam imperavit publicanis, ut telonia, & rationaria sua relinquerent; sed prohibuit solum, ne quid ultra ea, quæ princeps caverat, extorquerent: militibus vero non præcepit, ut arma, & militiam desererent, uti Sanctus Augustinus animadvertit, sed vetuit, ne quid sibi vendicarent præter ea, quæ illis in stipendium, victumque fuerant præscripta. Cur hoc? Quia publicani, militesque conditiones, quantumvis periculo non vacent, nihilominus omnino malæ non sunt, quoniam a Deo constitutæ sunt, & sunt reipublicæ necessariæ; cum princeps regni pondus sustinere, suaque jura tueri non possit contra eos, qui eadem oppugnant, sine vectigalium, armorumque subsidio. Itaque dummodo hæ professiones eo exerceantur modo, qui præscriptus est, liquet, per se nihil habere, quod divinæ legi adversetur, easque posse cum religionis officiis conciliari.

Jesu Christi doctrina in consilia, & præcepta divisa.

Dei filius, qui Evangelium irrogavit hominibus pro vitæ, morumque norma, Christianos in varios gradus, gratias suas in fortiores, imbecillioresque, dogmata vero in præcepta, atque consilia distinxit. Exempli gratia, re ipsa pauperem esse consilium est, sed pauperem esse animo, & corde, hoc est, terræ bonis non inhærere, præceptum est. Cum vero ipse Jesus Christus hoc statuerit discrimen inter ea, quæ absolute ab omnibus exigit, & ea, quæ ad majorem dumtaxat perfectionem suadet, integrum Christianis reliquit, utrum malucrint eligere. Ex quo igitur alterutrum optavimus, non sine divinæ providentiæ consilio, inferendum est, licere ibi vitam transigere, & ea obeuntes officia, quæ huic statui adhærent, non solum nihil facere oppositum christianæ religionis officiis; verum etiam illa nobis magno esse adjumento, ut ista obeamus; atque ibi Dei voluntatem adimpleri, in quo sanctitas sita est.

Jesus Christus proculdubio fuit exemplar disciplinæ earum omnium, quæ fuerunt, eruntque sanctissimæ, atque perfectissimæ. Verum si acriter invectus est in omnia mortalium vitia, & flagitia mundi, ad quem reformandum accessit, umquamne vituperavit, vel improbavit urbanitatis officia, quæ inter honestos viros ultro, citroque exercentur? E contra immo eorum pleraque suo probavit exemplo. Eos, a quibus ad cœnam invitabatur, non repulit; una cum Maria matre sua nuptiali interfuit convivio, ad quod cum discipulis fuerat invitatus; & quid improbaret eam, quæ inolevit, lætitiæ, & hilaritatis consuetudinem in hujusmodi cæremoniis, aliquid ipse quoque voluit conferre aquam in vinum immutans. Neque refugit Publicanorum, & Pharisæorum mensas, ut ostenderet, si contra eorum invehebatur flagitia, eorum tamen in honore habere personas. Passus est Martham fatigari, ut ab illa hospitio, & convivio exciperetur; permisit, ut Jerosolymæ cives sibi occurrerent, atque, quacumque transiturus erat, vestimentis suis sternerent vias. Si hæc omnia urbanitatis officia, quæ Salvator vicissim recipere, & obire non recusavit, opposita fuissent novæ legi, quam ipse laturus erat, næ ille quidem illa neque in aliis fuisset passus, & multo minus ipse exercuisset: ideoque si eorum evitetur abusus, & proscribatur excessus, quis ambigere potest, utrum cum absolutissima virtute, & severissima disciplina valeant conciliari?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

MUltiformis gratia Dei. Ad Ephes. 3. Sanctus Hieronymus ait, Deum gratiam suam conferentem pro varietate eorum, qui illam recipiunt, eique diversam formam imponentem fecisse tam multiplicis characteris sanctos, quanta est diversitas conditionum, talentorum, ingeniorum, studiorum pro mundi totius perfectione, atque sanctificatione. Hinc inferendum est, consuetudines, variasque agendi rationes quibus nihil est oppositum Evangelio, sine ulla difficultate posse cum eo conciliari, & aliquid conferre perfectioni, & pulchritudini Ecclesiæ, quæ statuum omnium sanctos habet, omniumque conditionum, & characterum omnium; & gratiam, quæ sanctificare potest actiones omnes, eas etiam, quæ magis naturales habentur, & in neutram partem inclinant, posse multo magis sanctas efficere, vel saltem cum sanctitate conciliare eas, quæ jam aliquam habent moralem bonitatem; qualia sunt civilis societatis officia, quæ mirum in modum prosunt ad consensum, pacem, bonumque ordinem ibi tuendum,

& quæ facilè attolli possunt usque ad gradum christianæ virtutis, charitatis, vel justitiæ erga proximum.

Nullus status est, in quo Christiani hominis officia obire, & proinde sanctificari non possimus.

Multiformis gratia Dei. Ad Ephes. 3. His verbis uti etiam possumus, ut ostendamus, cum diversæ hominum conditiones sint ordini divinæ providentiæ conformes; nullam esse, quæ cum Dei cultu, ac pietatis, & religionis officiis, quæ a nobis exigit, conciliari non possit; nam gratia variis statibus, muneribus, atque conditionibus sese accommodat. Divina quippe sapientia in politici orbis regimine adeo bene temperavit universa, ut pietatis, statusque nostri officia mutuis firmentur auxiliis, atque ultro citroque sibi columen sint, atque subsidium. Hac mente voluit Deus in omnibus ordinibus, statibusque mundum civilem componentibus non deesse sanctos viros, pro talibus ab Ecclesia palam habitos; elegitque pauperes, divites, doctos, & indoctos, conjugio adstrictos, cælibes, toga, & sago claros, ex ipsa mundi luce, & ex eremo; immo oblectatus fuisse videtur iis in statibus præstantissimos sanctitate viros efficere, ubi sanctitati plures obices superandi fuisse videntur. In ipsa quoque solii magnitudine humilitatis, inter delicias austeritatis, inter negotiorum impedimenta, atque tumultum vigilantiæ, atque recollectionis ostendit portenta, quia illis suppeditavit gratias, quibus adjuti status sui, & religionis obire possent officia, necnon contulit subsidia salutis congrua eorum conditioni, eique vitæ generi, quod fuerant amplexi.

In mundo sanctificantur, mundi placitis resistentes.

Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. 1. Joann. 5. Sancti videntur in mundo mortales, quia mundi ipsius victores sunt, atque de illius illecebris, voluptatibus, ac iis omnibus, quæ mundi sectatores in turpi detinent servitute, triumphant. Duo autem sunt mortalium genera, qui adeo gloriosam victoriam reportant. Alii, qui palam omnia mundi placita impugnant, illa qualibet in occasione lacessunt, atque in vitæ suæ ratione prorsus diversas consuetudines, moresque sequuntur. Hi cum mundo exiguum habent commercium; omnes mundanæ elegantiæ, & ipsius etiam ferme civilis societatis regulas negligunt. Gratia ingenii eorum severitati se accommodans eos quodammodo victores de mundo facit, quin ullis oblectationum urbanæ societatis capiantur illecebris, & quin ullis licet inevitabilibus afficiantur vitæ hujus vinculis, nisi ut sola eorum essentialia expleant officia. Sed pauce sunt hujus characteris animæ, quæ ita mundum contemnunt, quin ullam habeant officiorum ejus rationem. Verum non desunt in mundo sancti, hominesque virtute præditi, prorsus diversi characteris, qui mundum ipsum examinant, & vincunt sua, ut ita dicam, officiositate, sese licitis accommodantes usibus, & consuetudinibus, quæ nulla in re officia religionis offendunt. Quamdam habent commercii sanctitatem, quæ vitium oppugnat exemplo vitæ frugi, integræque in professione sua. Ad Deum pergunt alios secum trahentes, & quin ulla in re desint Christianæ religionis officiis, ad unguem, & summa officii fide status sui munera adimplent. Hoc sane est gloriosam de mundo victoriam reportare, illum in partes suas pertrahendo.

Simul honestus, & probus est qui avaritiæ suspicione vacat.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psal. 61. Non postrema honestum hominem cum vero Christiano consociandi ratio est, opes, quæ possidentur, non amare. Ita statim ac virum aliquem intuemur in hac mundi luce ab omni avaritiæ, & cupiditatis suspicione vacuum, illico illum honestum hominem prædicamus, amicum bonum, & quibuslibet sordibus minime parem celebramus: atque simul ac agnovimus illum ab officii defecti non posse fortunæ sublimioris spe, nulla est laus, qua mundus, licet alioquin injustus, illum extollendum non putet. Verum enim vero animadvertendum est, ad hoc ut simul sit verus etiam Christianus, Prophetam non dicere quidem divitias ab illo esse relinquendas, sed non amandas: ita ut ob interiorem hunc opum contemptum habeatur a Deo vir vere bonus, quemadmodum per contemptum exteriorem in mundo vir honestus habetur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Omnis ad bene agendum provocatur sexus, omnis ætas & dignitas. Nemo igitur publicis se excuset actibus. Ambros. Hom. 7. de militia.

Quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Idem.

Fugere potes animo mundum, quamvis retinearis corpore. Idem de fuga sæculi, c. 2.

Quid est fugere sæculum, nisi abstinere a peccatis sæculi? Idem, ibid.

Non utique transire in Ægyptum criminosum est; sed transire in mores Ægyptiorum. Hieronym.

Non nocuit militanti Centurioni, paludamentum & balteus; & Apparitorum turba. Idem, Epist. 99.

Nequaquam frigida illa verba proferas; Mundanus sum, uxorem habeo, filiorum curam gero. Chrysost. Serm. 9. contra Ind.

Fallis teipsum prorsus ac decipis, si putas aliud a sæculiaribus viris, aliud a Monachis requiri: propter conjugium, in reliquis communis atque eadem ab utriusque vitæ ratio requiritur. Idem, l. 3. contra vitæ Monast. Vituper.

Hoc est plane quod orbem universum evertit: quod Monachis opus esse arbitramur summa bene vivendi diligentia, cæteris autem licere negligenter vivere. Idem, ibid.

Cum Christus odisse animam suam, & cætera ejusmodi jubet, nullam hominum conditionem excipit. Idem, ibid.

An non tibi quæso videntur etiam matrimonio junctis lata fuisse Evangelia? Basil. de rerum abdicat.

Christus, cum Patris sui præcepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo erant, & communem vitæ morem sequebantur. Idem, ibid.

Nihil refert ubi sitis: extras sæculum estis. Tertull. ad Martyr. c. 2.

Hoc in his rebus observandum est, quæ in hoc mundo sic bona sunt, ut tamen eas diligi non oporteat. August. contra Julianum, l. 5.

Injustum est relinquere sæculorum Conditorem, & diligere sæculum. Idem, expositione in Psal. 13.

Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Idem, l. 83. Quæst. Quæst. 3.

Si cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo. Gregor. Homil. 3. in Evang.

Mundo utitur, sed quasi non utitur, qui & necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, & tamen hæc eadem non sinit suæ menti dominari. Idem, ibid.

Inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos vero, etiam laudem: illud tanta felicitatis est, quanta etiam securitatis; hoc tanta virtutis, quanta difficultatis. Bernard. in Epist.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia ad hoc referri valeat argumentum.

Quid sint hujus mundi officia.

CUm mundi hujus officia non in statu quodam puncto, neque in una re tantum consistant; sed tot sint officiorum genera, quot peculiares status, & conditiones diversæ, immo etiam quot sunt mortales, qui hæc præstant officia, & quibus præstantur; non reor æquiorem tribui posse definitionem ea, quæ de justitia tribuitur, quæ est unicuique reddere, quod proprium est, quia hoc est ea adim-

ea adimplere munera, quæ a nobis civilis societas exposcit. Hinc sequitur: 1. eum, qui diligenter omnia sua adimplet officia, hunc honestum esse hominem secundum mundum: 2. tantum abesse, quod hoc divinæ legi adversetur, ut e contra non postremum sit Christiani hominis officium status, & conditionis, in quo nos Providentia constituit, officiis defungi; atque ita honestum hominem, verumque Christianum non posse invicem opponi: 3. rectum ordinem orbis civilis, atque christiani ex hoc omnino pendere, quod omnes rite utriusque perfungantur officiis, iis videlicet, quæ & religioni, & civili debent societati, quarum membra sunt: 4. cum Dei filius præcipit in evangelio, ut mundum fugiamus, ut illum oderimus, ne post pravas illius consuetudines abeamus, intelligi leges legibus, institutisque evangelicis oppositas; in hoc unum quippe decidunt anathemata, & maledicta, quæ toties Jesus Christus adversus mundum contorquet.

Quilibet Christianus tenetur status sui munera obire.

Cum voluerit Deus politicum, & civile corpus ex variis coalescere partibus, non secus ac corpus materiale; cum alios in sublimi, alios in imo gradu collocaverit; cum alios ad imperandum, alios ad obtemperandum elegerit; cum per vocationis gratiam singulos alicui destinaverit statui; liquido constat, cum quilibet homo sit politici corporis membrum, ad id factum esse, ut diversa status sui munera adimpleat, quemadmodum in humano corpore membra diversa diversis, sibique propriis officiis destinata sunt. Hinc sequitur: 1. cum homines quamplurimis invicem necessitatibus, quæ illos ex necessitate societatem fovere cogunt, conjuncti sint, quandoquidem nemo singillatim alienis carere potest auxiliis, hanc societatem, & mutuum istud commercium conforme esse ordini Dei ad hunc finem has permittentis necessitates. 2. Quæcumque igitur ad societatem, & hunc ordinem a Deo constitutum sunt necessaria, a Deo quoque imperari per legem naturalem, quæ quamlibet partem ad sui totius obligat conservationem. Verum, ut humana vigeat societas, omnino necessarium est, homines se mutuo diligere, mutuis certare obsequiis, & servare officia, quæ diutina invexit consuetudo, & sine quibus discordia quamprimum eam consensionem infringeret, quæ inter illos esse debet, ac denique iis perfungi officiis, ad quæ legibus obligantur. 3. Fas igitur, immo opus esse summa cura urbanitatis obire munera ab hominibus constituta; quia curæ hujus rationes æquissimæ sunt, quippe quæ divinæ legi innituntur. Hoc autem fieri debet ad auferendam suspicionem, quæ suboriri potest, contemptus eorum, quibus ea non præstarentur a nobis; & ad evitandas seu internas, seu externas exprobrationes eorum, erga quos deficeremus; & demum ad tollendas quascumque discordiarum origines pacem perturbantium, quæ semper in civili societate regnare debet.

Quamquam sæculi prudentia Dei sit inimica, & veritatis ipsius oraculo reprobata; dici nihilominus potest, quemadmodum non deest mundus, quem Deus amat, & diligit, ita in mundo prudentiam esse, quæ minime opponitur prudentiæ, quam Deus fidelibus inspirat. Hæc quidem sæculi prudentia vocanda non est; hoc enim nomen semper in deteriorem partem accipitur; verum tamen hæc omnium est sæculorum. Hæc illa felix est prudentia, quæ efficit, ut cœli via inter sæculi tumultum, ubi tot animæ pereunt, inveniatur; & ut filiis sæculi, eos intelligo, qui propter status sui necessitatem tales sunt, fieri possint filii lucis per sapientiam, qua christianæ vitæ officiis satisfacere edocentur, quin vitæ civilis officia negligant: homines, qui viam inveniunt, qua pergant ad Deum viventes in mundo, quin secundum mundi spiritum vivant, & de quibus in bono sensu dici possunt hæc Jesu Christi verba: *Filii hujus sæculi, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

Non deest mundus, ubi salutem nostram operari possumus, nec secus, ac non deest alter, quem abdicare tenemur.

Quandoquidem nemini Deus necessitatem indixit mundum relinquendi, & religiosam vitam amplectendi, ambigi nequit, quemadmodum non deest mundus, cui Christianus quilibet abrenuntiare debet, & qui satis cognoscitur, similiter necessario alterum esse debere, ubi salutem nostram possumus operari obeuntes officia status illius, quem in hoc mundo obtinemus, in quo nos immorari jubet providentia. Sed prætermittendum non est, ibi neminem salvari, immo neque salvari posse, quin fideliter iis perfungatur officiis, quæ proprio statui adhærescunt. Unde sequitur: 1. eum, qui status sui deest officiis, quidquid alioquin conetur, vocem esse a mundi hujus concentu discordem, atque neque honestum esse virum coram mundo, neque coram Deo verum Christianum: 2. satis frequenter mira quadam illusione evenire, ut qui aliis quibuscumque perfunguntur officiis, isthæc, quæ magis essentialia sunt, negligere, quin advertant, hac in re omissiones facile admitti, illas vix, & ne vix quidem deprehendi, ideoque rarissime reparari, atque corrigi, quia hujusmodi peccata nequaquam posita sunt in nefariis actionibus, sed in earum, quæ faciendæ essent, negligentia.

Quid intelligitur cum dicitur Christianus a mundo separatus esse debere.

Certum est, ut aliquis verus Christianus sit, opus esse, ut cor habeat a mundi rebus alienum, illius oderit instituta, & effugiat scelera; verumtamen non ideo in deserto vitam ducere cogitur. Quod adeo verum est, ut S. Paulus Corinthiis scribat, ubi jussit nullum cum quibusdam peccatoribus habendum esse commercium, se nequaquam locutum de Ethnicis; cum enim mundus tunc illis ubique repletus esset, opus fuisset illinc exire, urbanamque vitam prorsus deserere, ut nulla cum illis consuetudo haberetur. Quod autem de gentili mundo Apostolus inquit, hodierna die de illis dicere possumus, qui in mundo Ethnicorum more vivunt. Licet nobis cum illis vivere, eorum negotia procurare, nostram illis curam committere, illos videre, cum illis versari, quantum opus est, pro varia necessitatum nostrarum multitudine. Sed in hoc illa ipsa servanda est regula, quam S. Paulus primis fidelibus præscripsit, ita videlicet nobis cum illis esse consuescendum, ut ab illis animo separati simus, neque ullam habeamus partem in sterilibus operibus tenebrarum; videlicet in peccatis: tantumque abesse debet, quod cum illis latam ingrediamur viam, ut eorum mores, ac vitæ rationem morum nostrorum integritate damnare debeamus. Ex hoc sapienti Apostoli consilio inferendum est: 1. neque necessarium, immo neque opportunum esse ex nostro egredi statu, nisi magnis rationibus impellamus, posita, salutis nostræ negotio, ut nosmet communi mundi submittamus ordini, quando ordini Dei non adversatur: 2. quantacumque necessitas sit, qua cum illis commorari cogimur, qui mundi placita sequuntur, debere nosmet ab illis animo separare, eorumque vi, aut assentationi resistere, ubi illis utantur, ut nos ad peccandum impellant: 3. tanta cura nobismetipsis esse vigilandum, ut pravorum exemplorum perniciosos effectus evitemus: 4. numquam obliviscendum esse, quod si cum illis permanere cogimur, nulla tamen nos urgemur necessitate, ut eorum sequamur flagitia, quia sola Christiani necessitas est ab omni culpa abhorrere.

Quomodo pietas, & virtus esse possint amabiles.

Etiam atque etiam nobis commendarunt Apostoli, ut pietatem mundi sectatoribus amabilem præberemus, ut illos ad eam suavi quadam illecebra pertraheremus. Verum fieri nequit, ut amabilis sit, si austera fuerit, aspera, inurbana, & nisi hominibus palam testati fuerimus, illos a nobis in pretio haberi, & diligi, atque id unum optari, quomodo de illis optime mereri possimus. Nisi his urbanitatis officiis, quæ societatis vincula sunt, de illis non benemeremur, saltem eorum non avertimus animos, immo illos quibusdam veluti lenimentis præparamus, ut nos audiant, & benignas consiliis nostris aures adhibeant. Viventes igitur in mundo honesta purificare debemus officia, non illa proscribere; atque honestum virum cum vero Christiano consociemus, hac arte hominum amorem nobis

conciliemus oportet, non ut inde libidini velificemur, sed ut amor noster nos in eum statum adducat, ubi illis gratificari possimus. His addi potest, urbanitatem, atque honestatem hanc exteriorem esse humilitatem, quæ sit interior, atque christiana, cum ob spirituales causas eam exercemus, ut præcepit S. Paulus ad Rom. 12. *Honore invicem prævenientes*.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

In mundo officia status sui cum religionis officiis conciliari possunt.

Liquido patet, mundum corruptum, quatenus est tenebrarum imperium, nimis oppositum esse spiritui veritatis, ita ut impia illius placita cum sancti evangelii regulis conciliari nullo modo possint: cavendum est ne eludere velle videamur anathemata, quæ Jesus Christus justissime protulit, & conciliare cultum Baal cum Dei Israel religione. Verum si mundum consideremus tamquam mortalium societatem variis professionibus operam navantium; vel tamquam congeriem conditionum plus, minusque nobilium, in quibus homines vel genere, vel industria constituti mutuis sese juvant auxiliis, singulisque statui suo, securitati, commodo, gloriæ, & Patriæ student felicitati: commercium hoc, hic nexus, hæc reciproca utilitas, quæ mores format, rationem polit, ac alios aliis efficit necessarios; procuidubio in ordine naturali maximum opus est divinæ sapientiæ, peculiaris, & gloriosissimus humanæ naturæ character. In hoc autem sensu error est affirmare, evangelica dogmata, & christianæ disciplinæ puritatem cum singularum professionum officiis simul esse non posse. *In collectione orationum oblatarum Academiæ Gallicæ, Anno 1703. Sermone primo.*

In mundo vivere possumus, ut veros decet fideles.

Ne cogitemus, verum Christianum quodlibet sibi vitæ solatium interdicere, atque cœtus omnes, ubi aliquid sensibus conceditur, perhorrescere: ne putemus illum semper, & in qualibet occasione magnificentiam, & quidquid nitet, refugere. Res eædem, quæ vulgares animas corrumpunt, pro illo puræ sunt, neque illi nocent, non solum quia illas non quærit, verum etiam quia ratio illius per fidem directa semper superior est. Quatenus honestus homo nulla in re deest, quæ societatem respiciat; urbanitatis amator est, atque usibus, qui generatim inoleverunt, sese accommodat; quatenus fidelis suos moderatur affectus, Creatorem in creaturis inquirit, singulis rebus æquum tribuit pretium, sibique nobiliorem, quam totus simul sit mundus, finem proponit. Honestus homo extrinsecus sese prodit, Christianus vero intrinsecus latet: ille laudibus celebratur, quia sese omnibus accommodat, hic sese humiliat, quia semper charitatis suæ imperfectionem, suæque egestatis magnitudinem novit. Hic unus, & idem est in duplici statu, quorum alter perfecte cum altero consentit: homo est, qui in vita communi nihil agit, quo inter cæteros elucescat, sed homo est, in quo Deus, qui intimos animæ nostræ sinus scrutatur, maxime sublimes dispositiones intuetur. *Ibidem Sermone* 2.

Perfecta similitudo hominis honesti, verique Christiani.

Honestus homo, etiam secundum mundi sententiam, & perfectus Christianus ita sibi similes sunt, ut vix erret, qui utrumque confundit. Quæ enim idea est, quæ de honesto viro in mundo concipitur, hæc sane congeries est qualitatum, quæ Christiano maxima essentiales sunt. Vir honestus cor habet bonum, rectasque intentiones; mens ejus perspicax est, ut bonum dignoscat, ejusque voluntas huic sese totam tradit. Sensus illius nobiles sunt, & clari; justitiam potius, quam propriam utilitatem inquirit, ac in neminem, quam in se judex est magis severus. Si de reipublicæ agitur utilitate, bona sua publici sunt thesauri; opera ejus non aliud habent principium, quam animæ magnitudinem, neque finem alium, quam gloriam: obedientia ejus effectus est rationi ipsius; non autem servilis timoris. Verum hæccine est imago honesti viri, qualis mundo videtur, an veri Christiani? Numquid Jesu Christi doctrina colores eos mihi suppeditat, quibus illam exorno? Quæ vitæ, morum, sensuumque similitudo inter honestum hominem, perfectumque Christianum in hisce essentialibus vitæ circumstantiis, quæ probitatem, ipsamque religionem constituunt? At enim quomodonam severæ christianæ religionis leges conciliari possunt cum officiosa urbanitate, quam mundus in honesto viro requirit, cum hac indulgentia, festivitate, morumque suavitate? Christianus obire nequit ea omnia munera, quæ placendi arte traduntur. Falleris: charitas in altero facit, quod in altero facit elegantia. Perfectus Christianus facile habet commercium, mores suaves, ac in se omnium amorem convertit. Inter socios dominari non gaudet; sermo ejus omni acrimonia, & amaritudine vacuus est; cor ejus invidiæ motus non novit; neque maligna afficitur ex alienis calamitatibus lætitia, quæ in aliorum facie, ac verbis facile elucet. Frustra igitur conaris insuperabile vallum statuere inter hominem coram mundo honestum, & inter verum fidelem: satis est utrumque videre, ut utrobique pax eadem, idem sermo, eademque vitæ ratio deprehendatur. Honesto viro adhuc lineamentum aliquod addamus, & jam erit Christianus: hunc finem in omnibus actibus suis fidelis sibi proponere debet. *Ibidem Sermone primo.*

Sola religio virtutem nostram in mundo confirmare potest.

Ut vir bonus fiat, opus est vi quadam, quæ vehementer in illius spiritu, & voluntate agat, atque generosam animam incipiat efformare. Quodnam autem erit secretum hoc actionum omnium principium, quod earum realitatem, atque consistentiam certam valeat efficere? Numquid hominum existimatio? Sed quid parere potest hæc adeo vana, & fragilis causa; Quid solidum, ac utile esse potest in eo, quod fere semper ab hominum libidine pendet, & quod tamquam fumus evanescit? Numquid puræ, integræque gloriæ amor? Verum quid est gloria ista? Satisne pura, atque integra est? An potius cupiditas est minus patens, ac magis delicata? Quid ergo in virtute cor hominis poterit confirmare? Nihil profecto, nisi religio, quæ una robur, ac vim præbere potest virtutibus ejus; hæc una potest consilia nostra dirigere per characterem veritatis, qui eam comitatur; potest affectus nostros cohibere per ea supplicia, quæ nobis minitatur; nostram excitare potest ignaviam per magnitudinem pretii, quod nobis proponit. *Idem.*

Quocumque in statu salvari possumus.

Fatendum est, in variis mundi conditionibus magnos ad salutem obices inveniri, avertat enim Deus, quod latam facere velim arctam evangelii viam. Virtutis semitæ asperæ semper sunt, atque in quocumque statu tribulis consitæ. Quis enim sine labore seipsum salvare posse contendat? Nihilne cœlum meretur; mundus vero, ut omnia pro ipso fiant, mereatur? Itaque cum dicimus in mundo salvari homines posse, nequaquam affirmandi animus est, minori labore ibi, quam in statu religionis salvari, neque jucundius esse pro mundo, quam pro Deo, & propria salute operari. Ipsa oppositum docet experientia, si quis enim locupletare, si quis principum virorum gratiam aucupari contendit, qua vigilantia, qua cura, qua sollicitudine opus est? Quot competitores superandi, quot mala evitanda, quot molestiæ ferendæ sunt? Numquid ergo bonorum omnium maximum, & unum, quod beatos efficere possit, sine labore acquirendum est, cum interim levissima etiam hujus vitæ mortalis commoda, & quæ brevi sunt duratura, nonnisi magna constantia, cura, labore comparentur? Verum igitur est, posse homines in mundo salvari; sed verum quoque est ibi nonnisi cum labore salvari posse. *Idem.*

Mente

Tot sanctorum exemplum probat, homines in mundo posse salvari.

Mente repetamus magnorum virorum, qui nos præcesserunt, vivendi rationem; evolvamus acta, ubi Heroum fidelium, quos nobis tamquam prototypos religio proponit, vita narratur. Elapsa relegamus sæcula, & consideremus illam Sanctorum utriusque sexus, omnis ætatis omnisque conditionis multitudinem: & ex nobismetipsis quæramus, cur in eodem currentes stadio, in quo illi concurrerunt, eosdem obtinentes gradus, eademque obeuntes officia nequeamus nosmet in sæculo sanctificare, quemadmodum illi seipsos sanctificaverunt? *Ibidem*.

Mundi pompas, luxumque contemnere, non est donum ita cœnobitis, & solitariis proprium, ut in fulgidissimis quoque conditionibus inveniri non possint exempla. In aula ipsa, quæ ut ita dicam, mundanæ vanitatis centrum est, ubi hæc mundi figura nitidius micat, atque exhibet objecta, quæ majorem habent vim ad animos seducendos, excitandosque affectus, David, Esther, S. Ludovicus sese ad æternitatis cogitationes attollere, secretum cum Deo commercium inire, illi in corde suo aram ponere potuerunt, ubi solus regnabat, ubi in spiritu, & veritate adorabatur; ubi, quamvis fallaces mundi ideæ, & validiores terrenarum voluptatum illecebræ adversarentur, ratio semper audiebatur, atque omnipotentis Dei lex servabatur. *Idem*.

Honesti hominis Christiani character.

Ut extrema ducam lineamenta ejus prototypi, quem honestus homo sibi proponere debet; Christianus homo est absolutum in omnes animæ suæ motus imperium exercens. Modestus est in prosperis, constans in adversis, promissi religiosus observator, in familiaritatibus sincerus, affabilis in colloquiis, publicæ utilitatis amator, principi fidelis, integerrimus, nullis humanis rationibus actus; benignus sine superbia, pius sine hypocrisi; sibi semper constans, ac erratis suis corrigendis paratus; officiosus erga omnes, tantæque bonitatis, ut aliorum quidem felicitatem constituere, aliorum autem laboribus solatium possit afferre. *Idem*.

Non omnium conditionum mortales cum mundo commercium tenentur abrumpere.

Si de rebus juxta regulam generalem feratur judicium extra omnem dubitationis aleam positum est, æternum cum mundo divortium tutissimum esse ad salutem statum. Hoc animam attollit ad Deum sublimiori modo; hanc illi arctioribus nodis conjungit; illam, ut ita dicam, a sensibilibus objectis expedit; affectiones ejus emundat, eamque in superiori regione constituit, ubi neque turba, neque tumultus tranquillitatem illius valeant perturbare. Hinc divinus sponsus ait, se illam in solitudinem deducturum, ubi corde ad cor cum eadem loquatur. Ex his tamen principiis nequaquam inferendum est, ab omnibus sæculum esse relinquendum, ut suam tueantur innocentiam; hoc perfectionis consilium est, non necessitatis. *Idem Sermone 3.*

Character Christiani Deo fidelis in mundo.

Consideremus Christianum officii sui regulis semper inhærentem inter ipsam sæculi corruptionem, sequamur hunc Christianum mundi semper maxime necessitatis suis officiis vacantem; illi non satis erit effugere status sui vitia, verum conabitur etiam omnes illius virtutes acquirere, probe tenens, teporem in relaxationem, relaxationem vero in vitium adducere. Labore assiduo omnes superabit obices, qui in via perfectionis occurrunt; cumque ejus pericula perpetua sint, assidua quoque illius erit vigilantia, ut de illis triumphum reportet. Ita Christianus hic Dei gratia adjutus in mundo ipso fidelis erit Deo, quin externa ejus negotia ipsum ab officio dimoveant, quin vanis ambitionis, opumque ideis intumescat, quin pravis exemplis in vitium trahatur; mala quippe ab homine, non autem ab illius statu, & conditione proficiscuntur. Quin perfunctoriis, quæ possidet, bonis inhæreat, & obliviscatur æternorum, quæ illi religio promittit, non quærit in honoribus, vel divitiis suis causas, quas suæ relaxationi prætexat: immo in prospero rerum suarum cursu virtutis occasiones nanciscitur, quæ illum per grati animi sensum adducunt ad Deum, eumque cogunt semper servare Deo fidem, quamvis nihil intentatum relinquatur, ut ille a Dei servitute deflectat. *Ibidem Serm. 4.*

In mundo sancte vita duci potest.

Omnes fere virtutes in mundo æque ac in obscurissimis recessibus possunt exerceri; possumus enim inter mortales versari, quin in corruptionis, vitiorumque ipsorum partem accedamus, nosmet per gratiam supra naturam attollentes, vitæ communis legem sequentes, cum ad sublimiorem vitæ rationem nequaquam vocamur. Verum quidem est, Scripturam deplorare illorum infelicitatem, qui latam ingrediuntur viam; sed illos simul hortatur, ut in angustam viam se recipiant. Publicum exercere magistratum, eminentem possidere dignitatem, exercitui præesse, malum non est; sed malum est, cum his abuteris honoribus, ut ambitioni, & cupiditati tuæ satisfacias, cumque crescis miserorum sumptibus, qui sub injustæ potestatis pondere conteruntur. *Idem Sermone quarto.*

Satisfacere possumus religionis simul, & urbanitatis officiis.

Quin mundi, hominumque commercium deserere teneamur, pietatem fovere possumus nullis sæculi tentationibus labefactandam, vitæ civilis officia cum officiis conscientiæ conciliare, ad Deum per fidem nosmet attollere, proximo per charitatem nos communicare, ac si in aliquem lapsi fuerimus errorem, per pœnitentiam nos expiare. Possumus etiam in intimo cordis sinu quemdam nobis secessum efficere, ut ab ea mentis evagatione, quam negotiorum impedimenta gignunt, liberemur. Si earum animarum, quæ hujusmodi privilegiis fruuntur numerus tantus non est; inveniuntur etiam Christiani, qui in mundo vivunt, quin mundi spiritum sequantur, & qui jugiter concupiscentiæ motum compescunt. *Idem*.

Qui religione expertes sunt negotiis agendis pares non sunt.

Negotiis, atque urbanæ vitæ officiis obeundis mortales impares facit fama, quod religione careant. Quis enim cum impio conversari vellet? Quæ familiaritas haberi potest cum illo, qui abnormis, & exlex est, inverecundus, & qui conscientiæ stimulis nequaquam afficitur, qui credit, virtutem utilem esse, quatenus divitiis voluptatibusque acquirendis prodest; qui eadem lance bonum, & malum appendit; qui minas pœnarum, & promissa præmiorum pro altera vita chimeras putat ad homines in officio continendos adinventas, & cui persuasum est, justum simul, ac impium in horrore sepulchri quamprimum ad nihilum esse redigendos. *Idem*.

Vera virtus est status, & conditionis sui officiis perfungi.

Vera virtus cogitationes, consilia, motus, & actiones nostras intra status nostri fines, & cancellos coarctat. Ex actionum nostrarum œconomia aufert, quidquid ab ordine recedit, atque in omnibus actionibus nostris nos veluti sub Dei continet manu. Hæc facit, ut beatam versus æternitatem feramur, in via, quam nobis stravit providentia, quin ad dexteram, vel ad sinistram flectamus, hoc est ex D. Augustini sententia, quin ad superbiam, vel ad ignaviam pedem torqueamus. Viventes, agentes, hoc pacto vitam instituentes, meritorum thesauros congerimus; occupationes nostræ seu magnæ, seu exiguæ, communes, vel extra ordinem institutæ, insignes, vel obscuræ; actiones, quæ maxime simplices sunt, communes, familiares, abjectæ, atque in oculis hominum contemptibiles, in oculis Dei meritum, & pulchritudinem habent, quæ misericordiæ ejus obtutus in nos convertit. *Auctor Anonymus, & recens.*

De honesti viri qualitate.

Hæc honesti viri qualitas absolutissimum elogium est, ac titulus, qui illis omnibus præstat, quos nobilitas, atque opes conferre possunt. Sed ad illam promerendam virtutes omnes in excellenti gradu sunt possidendæ; quoniam vera probitas perfectam supponit integritatem, rectitudinem inflexibilem, generositatem sine fastu, &, cum ea modestia, quæ in iis omnibus, quæcumque dicuntur, & fiunt, mirum in modum elucet. Honestus homo servat omnia sui status officia, quin recedat a charactere suo, & regulis, quas sua illi conditio præscribit; de justi-

justitiæ via non magis; quam Sol de stadio suo potest deturbari. *Idem*.

Quod mundi nescimus officia, repellimur, & nullum referimus fructum.

Officiorum suorum ignorancia in illis, qui mundi commercium minime norunt, causa est omnium inurbanitatum, asperatum, inofficiosarumque vivendi rationum, quibus ultro citroque seipsos lacessunt, ac malorum officiorum, quæ alternis sibi præstant. Qui procul a mundo vivunt; in verbis, actibusque suis gerunt semper nescio quid asperitatis, & rusticitatis, quæ solitariam redolet vitam, quam ducunt, & rudem terrenarum rerum inscitiam; & nisi virtus, & sanctitas illis reverentiam concilient, videmus illos a mundo contemni, & nullum ex eo fructum percipi posse. *Idem*.

Nulla sine religione honestas.

Sibi persuadere debet nemo, rationem satis ab omni malo immunem esse, ita ut sola cordis sensus regere valeat, & sine supernaturali auxilio optimam vitæ rationem queat instituere. Ex quo mortalis per inobedientiam recessit ab ordine, in quo fuerat constitutus, omnes illius gressus fallaces sunt, & periculosi, ac in singula momenta cespitare videtur, nisi invisibili manu regatur. Dicamus ergo, neminem, qui religione careat, honestum esse hominem posse; hinc exordium sumendum est. Quo enim pacto, si infideles sumus Deo, cui servire, & quem venerari toto cœlo magis interest nostra, nisi nihil nobis fuerit antiquius, quam summa officii fide illius servare præcepta: quo inquam pacto ad id animum appellere possumus, ut sincere cum hominibus agamus, atque hoc nobis honestatis principium proponamus, ne ulla in re, quam illis debemus deficere intelligamur? *Liber cui titulus: Officia urbanæ vitæ*.

Arctum vinculum, quo honestus homo, & Christianus conjunguntur.

In plerorumque mortalium spiritu nihil adeo diversum videtur, quam honestum esse hominem coram mundo, & verum esse Christianum coram Deo, Deique religionem tueri. Primo quidem intuitu diceres, inter hæc duo nihil esse commune: probitas secundum mundum naturæ opus est, ac rationis; natura illam in corde, ac animo imprimit; ratio vero fovet, ac perficit. Sed Religio non aliud habet principium, quam Deum. Probitas, qualem mundus concipit, ad naturalia dumtaxat fertur officia, & quamdam tantummodo naturalem spectat felicitatem, quam inter homines statuit, quæ sæpe illorum improbitate turbatur, & quæ eumdem cum illis finem est habitura. Religio vero e contra supernaturalia officia poscit, atque pro fine habet supernaturalem felicitatem nullum umquam finem inventuram. Fatendum est tamen, has adeo arctis contineri vinculis, ut fieri minime possit, quod seorsim subsistant. Necesse est religionem habere, ut probitas habeatur; necesse est habere probitatem, ut habeatur religio. *Idem*.

Quam regulam, quod fundamentum habere possemus ad probitatem nostram fulciendam, nisi ipsi religioni inniteretur? Religionem considerare debemus tamquam catenam, quæ nos cum Deo conjungit. Quomodo autem fieri posset, ut cum Deo conjungeremur, nisi prius invicem essemus conjuncti; quandoquidem conjunctio cum Deo supponit conjunctionem cum hominibus, & hæc illa omnia continet officia, quæ a nobis illi deposcunt? Hac de causa cum dicitur, nobis uni Deo serviendum esse, unumque illum colendum, ex hoc præcepto debemus omnia civilis societatis officia comprehendere; neque enim eum servare possumus ordinem, quem postulat Deus erga se, quin illum quoque servemus, quem debemus hominibus; quandoquidem officia quælibet, quæ illis debemus, pendent a primo illo officio, quod cum Deo nos conjungit, atque sunt veluti totidem vincula cohærentia magnæ illi catenæ, quæ nos omnes illi connectit. *Idem*.

Charitas erga proximum complectitur civilis societatis officia.

Cum Dominus adeo frequenter nos admonet, ut vicissim diligamus; cum tanta cura nobis pacem, & concordiam commendat, quam ultro citroque fovere nos jubet; cum præcipit, ut mutuo opem indigentibus, mœrentibusque solatium feramus, & æquius semper de alienis defectibus feramus judicium; infirmitates, quas in aliis cognoscimus, tegamus, nemini obtrectemus, illis serviamus, qui nos oderunt, nobisque obesse contendunt; nonne hoc est honestum esse hominem in mundo; simulque charitatem, & religionem habere? *Idem Auctor libri de vita civilis officiis*.

Religio, & lex christiana approbat, non damnat vitæ civilis officia.

Neque putes, ad hoc ut in mundo vivas, necesse esse, suam salutem contemnere. Religio societatem non destruit: e contra si amicos habemus, eisque adhæremus, & probat, & laudat; neque desunt occasiones, in quibus petitur, ut vitam quoque ipsam in periculum adducamus nostram erga illos benevolentiam testaturi. Hæc ultra ipsos etiam amicos se extendit; præcipit, ut omnes homines amore complectamur, atque alios invisamus; hæc denique adeo parum societati adversatur, ut permittat etiam per intervalla horas aliquot innocentibus impendi voluptatibus; neque damnat convivia, & honesta inter amicos solatia; hæc quippe adminicula sunt roborandi consensum, qui inter nos est, atque societatem fovendi. Sed inde sibi persuadent homines mundum cum religione conciliari non posse, neque alterutri adhærere aliquem posse, quin lædat alterutrum; quia civilis societatis officia non observantur. *Idem*.

Qui præ cæteris sanctitate præstant, hi maxime norunt civilis vitæ officia cum pietate conjungere.

Qui prope norunt, quidquid solidum, magnumque in religione est, hi præ cæteris religionem cum mundo conciliare norunt. In mundo quidem videntur vitæ rationem sequi facilem, honestam, non asperam, & æque suavem, ac irreprehensibilem; nihil enim illis antiquius est, quam ne cuiquam displicent. In religione vero videntur humiles, bene morati, sibi tantum severi aliis indulgentes in iis, quæ ipsorum non adversantur officiis; sed etiam magis prudentes, & verecundi in iis, quæ illis, quos sequuntur, moribus adversantur. Ita qui mundum & religionem conciliare norunt, a mundi hujus placitis abscindunt, quidquid vitiosum, corruptumque in illis inveniunt, atque in religione retinentes, quidquid solidum est, omnino rejiciunt, quidquid plerique in ea simulatum præseferunt, & quod religionis existimationem potius in plurimorum animis lædit, quam zelum augeat, & reverentiam. In religione quidem eam morum certissime disciplinam amplectuntur, quæ a præceptis Jesu Christi abnormis non est; in mundo vero eos mores sequuntur, qui nulla ex parte repugnant evangelio: ita ut tota eorum vivendi ratio certum præseferat probitatis, justitiæ, & pacis characterem, qui sese in omnes eorum actiones effundit, quin aliquid videatur vel ipsis nimis grave, vel aliis nimis austerum. *Idem*.

De mundi scientia.

Cum de mundi scientia sermo est, nomen hoc æquivocum est, & duos habet sensus. Alterum quidem malum, ac damnandum, de quo suo loco dicemus; alterum vero, qui mundi scientiam significat, quæ societatis regit officia, ac docet quomodo illis eleganter, & cum omnium oblectatione perfungamur. Qui hanc possidet scientiam, novit, quid summis debeat, quid imis, quid paribus. Erga summos sese præbet obsequentem, sed sine sordibus, blandum, sed sine assentationibus, indulgentem, sed sine affectatione; eorum favore utitur, quin familiaritate abutatur; illis adhæret, quin se mancipet ipsis, se eorum servituti devovet, quin eorum se devoveat cupiditati. Modestus erga imos; scit locum tenere generis, & dignitatis suæ, illis benefaciens potius, quam imperitans. Solers cum paribus colit amicitiam, & novit optimæ necessitudinis officia sermonis, & consuetudinis elegantia condire. *P. Aurelianensis sermone de educatione filiorum*.

Ut salutem in mundo operemur, satis est obeamus, nostri status officia.

Ne putetis ad hoc, ut salvemur, Deum a nobis magnas exigere severitates, & ea, quæ vires nostras excedunt. Vestrum quilibet intra status sui cancellos facile salutem suam potest invenire. Officia, quæ vobis obeunda sunt, munera, quibus perfungi debetis, sufficiunt, ut in via sanctorum

ami-

ambuletis. Negotia, cura familiarum, filiorum educatio, bonus ordo, quem domi servatis, ut pacem tueamini, inopinata adversitas, quæ omnia evertit consilia, satis amplas vobis occasiones suppeditant Deum quidem glorificandi, & vosmetipsos sanctificandi. Sed quia hæc omnia gentili spiritu facimus, hoc est, quin consilio placendi Deo illa animemus; & alioquin corruptæ naturæ nostræ sequimur studium, ac trahi sinimus exempli, & corruptionis torrente, hæc causa est, propter quam nostram salutem in mundo difficile operantur. *Sermo manuscriptus.*

Sanctitas a mundi officiis non abhorret.

Hic nostræ religionis est honor, Jesu Christi servos multifariam efficere. Nihilominus verum est, christianam virtutem in semet inspectam nequaquam eo procedere, ut officiorum partem proscribat, quæ ad commercium fovendum maxime conferunt. Statibus singulis proprias leges præscribit; mortales omnes per divinorum præceptorum observantiam, per terrenarum rerum contemptum, per bellum cupiditatibus inductum ad salutem adducit. Verum enim vero cum nequaquam omnes obliget fideles, ut in solitudine vivant, atque inter eas exercitationes, quibus homines a sæculo penitus remoti sese abdiderunt, non prohibet quoque illa officia, quæ bonæ institutionis ratio suadet, & urbanitas, morumque elegantia requirit. Affectata mundities, delicata, magnifica, exempli gratia, Jesu Christi discipulum minus deceret, & læderet humilitatem, atque modestiam, quam profitetur; verum indene sequitur, illi incompto, sordidoque prodeundum esse? Nullo modo. Hic esse posset vel inordinatæ libidinis, vel avaritiæ turpis effectus. Honesti homines sancti esse & possunt, & debent. Fortasse tristis, austeraque sanctitas non semper ædificabit; verum sanctitas nonne semper ædificare debet? *Non affectata sodes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano*, S. Hieronymus Epist. 22. inquit. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

In mundo sancti fieri possumus.

At enim, quomodonam sanctitas christiana cum mundi officiis conciliari potest? quomodo sancti esse possumus, & in quibusdam mundi statibus vivere? Quomodo? Mirum sane est, hoc a vobis adhuc ignorari; cum id scire vestra plurimi intersit; atque summum nefas est, hoc vos fugere, quos rem hanc totis vitæ diebus oportuit meditari. Hoc igitur docendi estis. Putatis statum vestrum aliquam cum sanctitate habere oppositionem, vel etiam cum illa simul omnino esse non posse. Error. Si hoc esset, id, quod statum dicitis vestrum, vobis crimen esset; ac sine alia ratione statim abdicandum esset, & deserendum. Sed quandoquidem hic status est vester, hic status est, in quo vos Deus collocavit, providentiam ejus læditis, & sapientiæ illius injuriam infertis, illum tamquam vestræ sanctificationis obicem respicientes. Nullus in mundo status est, qui non sit, & esse non debeat status sanctitatis. *P. Giroust in Adventu.*

In omnibus conditionibus, & vitæ statibus sanctificari possumus.

Spiritu cœlum ingredimini; ibique videbitis sanctos, qui in mundo eosdem obtinuere gradus, in quibus vos estis; quibus eadem negotia transigenda, eademque obeunda fuerunt officia, & qui non solum ibi sanctitatem adepti sunt, sed qui, quod a vobis diligentissime animadverti cupio, statu suo usi sunt ad sanctitatem indipiscendam. Omnes prædestinatorum ordines lustrate; quosdam invenietis, qui principibus famulati sunt, & qui numquam principibus suis melius operam præstiterunt, quam cum religioni, Deoque adhæserunt. Invenietis quosdam sago claros; sanctitas enim tantum abest, quod virtutem molliat, ut militum fortitudinem, atque strenuos animos augeat. Invenietis, qui rempublicam aggressi sunt, non secus ac vos; quorum sanctitatem nisi imitamini, ne succenseatis mihi dicenti illos præ vobis dignius, atque integrius munere suo fuisse perfunctos. Invenietis, quos sola probitas in regum aulis commendavit, & qui ad honorum gradus pervenerunt; quin ad mundanæ politicæ versutias, & fraudes confugerent, & qui existimationem, & favorem, quo fruebantur suæ tantum virtuti, ac probitati debebant. Denique eos invenietis, qui id fuerunt, quod estis, & qui præterea sunt sancti. *Idem sermone de sanctitate.*

In officiis nostris obeundis vera sanctitas sita est.

Sancti ideo sancti fuerunt, quia sua obierunt officia, & muneribus suis perfuncti sunt, quia sancti erant; quæ duo sunt, quorum nexus præsefert characterem rationis, & veritatis, quæ sese prodit. Sancti, quia sua obierunt officia; quia videlicet noverunt perfecte conditionem suam cum religione conciliare; sed ita tamen ut religio semper norma fuerit conditionis eorum; conditio vero numquam religionis institutis prævaluerit. Sancti, quia unicuique id, quod debebant, tribuerunt, honorem, cui honor debebatur, vectigal, cui vectigal, obedientiam, quibus voluit illos subesse Deus, affabilitatem illis, cum quibus societatem servare debebant, opem, quibus opitulari, curam illis, de quibus rationem erant reddituri; omnibus justitiam, & charitatem; hanc quippe universis debemus. Sancti, quia moribus suis effecerunt, ut majori in honore haberentur ministeria, quibus præerant, dignitates, quibus nitebant, gradus, in quibus a Deo fuerant constituti. *Idem.*

In mundo vivere possumus vitâ Christiano dignam.

Utile est, sed non omnino necessarium ad hoc, ut dignam Christiano vitam ducamus, atque salutem nostram operemur, vel in deserta secedere, vel inter cœnobiorum claustra confugere. Quemadmodum Israelitæ inter Ægyptios vixere, quin Ægyptiorum idolis thus adolerent, in mundo vivere possumus, quin mundani simus. In hoc Dei providentia æque amabilis, & adorabilis est, quod in quolibet statu, & conditione tot nobis sanctitatis exempla præbuerit, quot opus erat, ut mystica hæc constitueretur varietas, quæ ecclesiæ Jesu Christi sponsæ, ut Propheta inquit, spectatissimum est ornamentum. Ideo oblectatus videtur Deus præstantissimos sanctitate viros efformans illis etiam in statibus, ubi sanctitati plures superandæ videntur difficultates; nobisque proponens in foliis etiam humilitatis prodigia, inter delitias austeritatis, inter temporalium curarum impedimenta, ac tumultum vigilantiæ, atque recollectionis; & denique non sine prædestinationis secreto, quod satis admirari non possumus, noluit vel unam in mundo mortalium esse professionem, earum videlicet, quæ per leges licent, bonisque moribus non adversantur, quæ in cœlo sanctos non haberet, qui ab ecclesia quoque veluti sancti & haberentur, & colerentur. *Idem.*

Errat, qui putat nos in mundo salvari nõ posse.

Næ ille vehementer errat, qui putat, inter eas conditiones, & status, quos providentia pro societate constituit, aliquos esse, quorum officia cum officiis Christiani simul esse non possint. Hæc eorum illusio est, qui neque Christiani, neque honesti viri munera agnoscunt, & qui duplex sibi comminiscuntur phantasma eorum, quæ & christiana religio ab altero, ab altero vero mundus exposcit. Tantum abest, quod Christianismus ab honesto viro exigat aliquid professioni ejus oppositum, ut absolutum officiorum cujuslibet in gradu suo complementum semper primum illud sit, quod unicuique verus præcipit Christianismus. Ita postquam nobis persuasum fuerit, inane esse phantasma, quidquid a nobis christianam religionem exigere arbitramur, persuadeamus quoque nobismetipsis, nos saltem æque falsam concipere eorum ideam, quæ mundus requirit. Hoc unum ex vobis quæro, quis gratiam vobis habet propter ea, quæ facitis, ut mundo placeatis, utque vos illi morem geratis? Laudatne mundus sumptus vestros insanos? approbatne mundus immodicam aleam, & ludum? Numquid commerciis vestris hanc in mundo nominis gloriam comparastis? Mundus ita cæcus non est, ut probet eos sumptus, qui familiam vestram evertunt. *P. Aurelianensis Sermone Omnium Sanctorum.*

In mundo vivere possumus, quin mundi placita sequamur.

Deus & mundus oppositas habent sententias; & avertat Deus, quod eas simul conciliare adnitamini. Verum scitote, quin illas concilietis, posse vos honestam ducere vitam, & præclaram nominis existimationem in mundo mereri; scitote posse vos, quod plurimi fecerunt, mundi consuetudines improbare, & nihilominus mundi approbationem mereri, mundi flagitia damnare, & mundi benevolentiam acquirere, mundum in contemptum adducere, ac illius reverentiam vobis conciliare. Tantum abest, quod pietas omnes mundi consuetudines damnet, ut earum quasdam illa e contra adoptet, ac instar solidorum officiorum servandas esse contendat; videlicet mundi honestatem, mundi affabilitatem, mundi dexteritatem; quæ sane qualitates sunt, sine quibus cum hominibus nulla ratione vivere valeamus; non autem mundi versutiam, non duplicitatem, non affectationem, quibus profecto utitur mundus, sed quæ generatim a mundo utente damnantur. Quod si vera devotio laudabiles mundi consuetudines non damnat, neque mundus veræ devotionis improbat exercitationes. *Idem*.

Non sequitur, quod quicumque coram mundo honestus est, hic verus sit Christianus.

Quamvis honestus homo ex mundi sententia, & verus Christianus simul esse possint, putandum tamen non est, illos invicem separari non posse: non enim desunt illi, qui quamvis ab omnibus passim probentur, & laudibus excipiantur, proprie tamen Christiani nomen mereri non debent, quia cor eorum evangelii præcepta non sequitur. Hi quidem gravibus nequaquam sceleribus, illis saltem; quæ extrinsecus apparent, mancipati sunt. Philosophi sunt, quos ætas, & ratio regit, quamvis probitas eorum christiana virtus non sit. Sunt ambitiosi, qui per vanitatem evitant, quidquid fortunæ ipsorum posset officere, & quemadmodum impietas vulgo non probatur, honorum, non secus ac aliorum hominum amorem sibi captivant. Jugiter personam gerunt, nihilque injucundum, vel inofficiosum proferunt. Similes sunt Areopagitis, qui non faciunt ea, quæ S. Paulus suadet, at suadentem nihilominus audiunt: ***Audiemus te de hoc iterum.*** *Auctor Anonymus.*

Vanæ eorum excusationes qui christiano more se in mundo vivere non posse putant.

Frustra nostræ certi desidiæ causam rejicimus in difficultatem christianam ducendi vitam in mundo adeo corrupto, sine ulla religione sinentes nos abripi hoc iniquitatis torrente, quo omnes fere mortales trahuntur, ac prætexentes nobis satis virium non esse, ut illius vi resistamus. Si enim diligentius nobismetipsis invigilaverimus, non parentum vitia, non mala educatio, non locus, ubi vivimus, neque rationes omnes, quas passim ad nosmet excusandos afferimus, nobis nocere poterunt. Abraham patrem habebat impium, & idolorum cultorem, sed impietatis ejus hæres non fuit. Ezechias filius erat nequissimi Regis Achaz, quod tamen non prohibuit, quominus Dei fieret amicus. Moyses in Ægypto vixit, ac tot Sancti in omnibus terrarum plagis extiterunt, quin virtus eorum umquam defecerit, eo quod inter sceleratos vivebant. Futilis ergo hæc est excusatio, & a Deo non recipienda, prætexere, non posse nos bonos esse, & a sæculi corruptione immunes, assidue viventes, & consuescentes cum illis, qui mundi errores sequuntur, neque aliam habent vitæ, morumque suorum normam. *Abbas de Monmorel, Homil. pro 7. post Pentecost. Domin.*

Viventes in mundo separari debemus a mundo corrupto.

Mundum inter, ac vos mediam statuere debetis separationem, ut dicere possitis, etiamsi in mundo versamini, de mundo tamen non esse. Conditionis vestræ status in mundo vos retinet, & vestræ conditionis status a mundo separare vos debet. Nobiles estis, potentes, & filios habetis, quorum institutioni consulendum est: hæ rationes vos in mundo permanere jubent, ut familiæ vestræ statum, & decus tueamini: verum alia vobis præstantior nobilitas est, quod estis Christiani: hæc est consideratio, quæ debet efficere, ut mundo abrenuncietis, ne infringatis pactum, quod in baptismo coram cœlo, ac terra percussistis mundo, & vanitatibus ejus nuncium mittentes. *Biroat, Sermone pro 3. Quadrag. Domin.*

Quid intelligatur pro separatione a mundo, ad quam Christianus tenetur.

Si status vester vos cogit, ut inter homines versemini; esto, in mundi commercium ingredimini; sed ab illorum consuetudine abstinete, qui mundi malos mores sequuntur, ne eorum spiritum induamini, neque vivendi rationem sequamini: hoc illud est, quod pro separatione a mundo, quam in baptismo publice professi sumus, intelligendum est: *Non utique transire in Ægyptum criminosum est, sed transire in mores Ægyptiorum*, S. Ambrosius ait. In Ægypto commoratus est Moyses, ibi vero non periit, quia ab Ægyptiorum abstinuit consortio, ac se illorum exemplis corrumpi passus non est. Populum suum de Ægypti servitute liberavit, quin Ægypti vitia, & scelera sequeretur. *P. Nouet Parte 5. Meditationum.*

Qui mundo vivunt evangelica præcepta servare tenentur.

Non extrema dæmonis ars ad eos corrumpendos, quos ipsorum conditio in mundo vivere cogit, fallax est persuasio, qua sibi blandiuntur rati, evangelii præcepta ab illis tantum servanda esse, qui religionis statum amplexi sunt, vel qui in solitudinem se receperunt (qui enim, inquiunt illi, publicos gerunt magistratus, vel rei familiaris, ac temporalium negotiorum curis impediti sunt, quibus indesinenter occupantur, quomodonam, uti oportet, Deo vacare possunt?) curam vero providendi filiis suis pro generis, & conditionis eorum dignitate, necessitates esse, quæ illos a plurimis dispensant officiis, quæ alii obire tenentur; ideoque sibi futurum persuadent, ut peccata, quæ hoc in statu commiserint, sibi minime imputentur. O cæcam illusionem! quasi homines, qui propter conjugium, vel quamlibet aliam ob causam in mundo vivunt, minime tenerentur christianam vitam secundum evangelicas leges ducere, & quasi verum esset, vel per latam incedentes viam salvari posse, vel angustam viam pro religiosis tantummodo, & solitudinum cultoribus esse! *Ex morali in Pater.*

Qui in mundo sunt, vivere debent, ut Christianos decet.

Ex vobis quæro; eo quod de mundo estis, numquid minus estis Christiani? aliam habetis spem, patriam aliam, aliamque gloriam, ad quam contendatis, ab illa diversam, ad quam eremi cultores anhelant? Numquid pro vobis aliud est baptisma, alia fides, alia præcepta, alia ecclesia, alia religio? De mundo estis; verum numquid ideo minus estis filii Dei, membra Jesu Christi crucifixi, hospites in hac terra, & ad æternam felicitatem destinati? Ullumne ex essentialibus Christianæ religionis officiis omitti potest? Aliamne seorsim Jesus Christus habet ecclesiam pro iis, qui in mundo, & aliam pro illis, qui in solitudine vivunt? Verum quæso, vos, qui tantum discriminis intercedere arbitramini inter mundi, & regularis vitæ munera, dicite, quænam fuerit mens sanctorum institutorum, qui zelo, & optimo virtutum suarum odore, in solitudine congregarunt religiosos homines, eosque adeo severæ disciplinæ subjecerunt? Numquid novas irrogare volebant leges, vel Jesu Christi præceptis novos rigores adjicere? Audite illos. Homines illi, quibus dignus non erat mundus, dicent, donec fideles in publicis cœtibus, tamquam in medio corruptæ naturæ versabantur; atque ipsi etiam Ethnici morum eorumdem sanctitatem venerabantur, inutile futurum fuisse in eremos concedere; hactenus illi solertissime suis persungebantur officiis, & via, quam illi sequebantur, ducebat ad vitam. Sed postquam mundus factus fidelis, corruptionem, & fallaces sententias suas in ecclesiam invexit; tunc sancti illi viri videntes communem vitam nequaquam esse christianam, contra mundi corruptionem perfugium in solitudine quæsiverunt, hac tantummodo mente, ut evangelii severitatem revocarent adeo neglectam ab hominibus, atque discipulis suis exercendas proponerent austeras christianæ religionis regulas, ab omnibus fidelibus non

minus,

minus, quam ab ipsis servandas. *Sermo manuscriptus Abbatis Boileau.*

Quid inde inferendum, nisi quod cum eadem habeatis ad salutem indipiscendam auxilia, ac homines penitus a mundo separati, eamdem quoque vos habere necessitatem vivendi, uti Christianos decet; & quin omnia consiliorum adimpleatis genera, vobis tamen servanda esse præcepta; quin omnia relinquatis bona, pauperes tamen corde vos esse oportere inter ipsas divitias, non secus ac illi, qui in summa vivunt inopia; quin debeatis integram, perfectamque exercere mortificationem inter voluptates, atque solatia, ibi tamen modum servandum esse in evangelio præscriptum; quin adeo perfecte vosmet colligatis, serveritque silentium, uti inter claustra, vobis tamen statuendum esse ostium circumstantiæ labiis vestris, ne aliquod elabatur indecens, obscœnum, pravumque verbum; quin æternum Domino laudes recinatis, vobis tamen per intervalla preces esse effundendas; quin ciliciis, ferreisque catenis carnem constringatis, vobis tamen crucem vestram ferendam esse, ac scelerum vestrorum pœnitentiam agendam; quin, ut illi, pannosis induamini operimentis, simplici tamen, modestaque veste utendum esse; quin ut illi intra horrentis solitudinis claustra vosmet contineatis, vobis tamen in mundo vivendum esse, quasi ibi non viveretis; & demum quin vobis, ut illi, quidquid licitum est, interdicatis, ea saltem, quæ crimine vacua non sunt, vobis esse interdicenda. *Idem.*

Egregiæ qualitates simul esse cum omnibus vitiis æque ac cum omnibus virtutibus possunt, & quid inde inferendum.

Qui noverit noxios affectus suos dissimulare, qui clanculum sua scelera patraverit, si de hoc loquimur, quin ad evangelium, fidemque animum advertamus, hic haberi potest honestus homo, ubi in illo nobiles sensus, urbani, festivique mores eluceant; verum nisi integram, duramque sceleris conscientiam habuerit, hic vere Christianus non erit. Philosophus soperbus esse potest, quin nominis honorem amittat: honestus homo existimationem suam tueri potest, quin suffocet invidiam, ultionem, aliosve affectuum suorum motus inordinatos. Hoc ipsum dicendum de statibus, qui eximias qualitates requirunt. Poterit magistratus aliquis summa cum prudentia, & inviolabili integritate justitiam administrare, & nihilominus alere commercia quædam, quæ illum coram Deo sontem efficiant. Idem de aliis conditionibus dictum puta. Sed Christianus esse nequit nisi Christianus; & si ille omnibus sese conditionibus accommodat, non sequitur inde, omnes conditiones nexum habere a Christiano inseparabilem. *Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

In mundo quisque salutem suam operari debet.

Quid sibi vult peccator, cum se mundi hominem dicit, neque se teneri religiosorum more vitam ducere; nisi, se vivere in mundo damnato, se habitare in terra cives suos devorante, se per summum infortunium natum esse eo in situ, qui illum a justitiæ Sole procul arcet, & qui efficit, ut via salutem suam valeat operari? Hæc vestra est excusatio, mundi sectatores, ubi vobiscum de conversione verba facimus; sed ideo attentiores vosmet præbere debetis voci Domini vocantis. Si in eremo, si inter claustra vitam duceretis, longe plura haberetis ad salutem obtinendam auxilia, quam in mundo, minusque ope divina indigeretis; attamen hanc prætexitis causam negligentiæ salutis vestræ, quia estis de mundo: fingi ne potest magis inepta ratio argumentandi? *Sermo, qui Patris Massillon esse perhibetur, de Samaritana.*

De mundo estis, dicitis: heu! hoc fortasse vestrum crimen est, atque veluti excusationem affertis! Patria vestra in cœlo est; & adhuc permanere vultis in terra? Cives estis sanctorum, atque modii in corruptione vultis immorari! Christianus cœlo destinatus, quocumque in statu, cujuscumque professionis ille sit, propter cœlum dumtaxat vivere debet. Corpus ejus sequi debet motus animæ illius, & cor ejus esse debet, ubi ipsius spiritus est. In mundo est, sed pro mundo vivere non debet. Ne dicatis, quod olim D. Chrysostomo dicebatur: Ut ergo salvemur, inter claustra confugiendum est. Quid? Numquid sui ipsius abnegatio, injuriarum venia, temperantia, modestia, humilitas, terrenarum rerum contemptus, cœnobitarum tantummodo virtutes sunt? Si qui vivit in mundo, ab illis se dispensatum putat, dicendum est, viventes in mundo Christiani qualitatem abdicare. *Idem.*

Deus jubens proximi amorem vitæ civilis probat officia.

Dum Deus se jubet amari, simulque præcipit, ut proximus etiam diligatur, tantum abest, quod ullum urbanæ vitæ excludat officium, ut omnia etiam amplectatur; tantum abest, quod destruat illa, ut illis fulcrum, & inconcussum tribuat fundamentum. Etenim vi hujus legis, propter quam Deo servio, unicuique reddo, quod suum est, honorem, cui debetur, subsidium ei, qui eodem indiget, justitiam omnibus: fidelis sum regi, modestus erga æquales, ad obsequium compositus erga summos, humanus erga imos, largus erga pauperes, & in singulorum juribus servandis sollicitus. Quare? Quia hæc omnia officia continentur eo in præcepto, quo proximum amare jubeor, illa pendere mihi videntur ab officiis, quæ Deo ipsi debeo, & obedientia, quam præstare mandatis ejusdem cogor, efficit, ut me hisce omnibus officiis subjiciam. Hæc illa præstantissima ratio est, qua Tertullianus olim utebatur, ut ex Ethnicorum animis deleret pravos conceptus, quos de Christianis imbiberant, qui ab illis tamquam legibus omnibus rebelles, ac reipublicæ perniciosi traducebantur. Tantum abest, ajebat quod nostra religio aliquid societatis officiis obsit, ut illa ad hæc obeunda nos maxime impellat; hoc enim non extremum est religionis nostræ axioma, subditi estote potestatibus, ac nemini de vobis conquerendi occasionem præbete. *P. Bourdaloue in Sermonibus sub illius nomine editis. Sermone pro prima Quadragesimæ Dominica.*

Sine religione nulla esse potest in mundo vera justitia, vel probitas.

At enim, citra quamcumque religionem, non desunt homines justi, sinceri, liberales, quibus benigna natura largita est, quidquid honestum hominem potest efficere. Novi equidem hunc esse prætextum, quo procaces homines uti solent ad quamdam decori speciem servandam: sed prætextus est omnium sæculorum experientia confutatus. Quæro enim ex vobis, si nulla esset religio, ubinam inveniretur homo, qui zelo succensus æquissime aliis jus diceret? Avarus, ambitiosus, ultor, auri, vel gloriæ cupidus, nonne si nullum esse Deum sciret, nullis umquam finibus cupiditates suas circumscriberet, atque illis satisfacturus fanda, infandaque omnia auderet? Seipsum tamquam suum extremum finem respiceret; omnia ad seipsum referret; ipse suum esset numen; sibique fratrum suorum honore, bonis, & vita litaret. Quomodo autem hisce nefariis imbutus opinionibus honeste vivere posset? Cum alicui religio deest, hic ultro in omnia flagitiorum genera præceps ruit; nullam erga æquales bonam adhibet fidem, nullum erga inferiores modum, nullamque erga superiores reverentiam; adeoque omnibus urbanæ societatis officiis deest ille, cui deest religio. *Idem.*

Honesti hominis, verique Christiani officia opposita non sunt.

Vehementer errat, qui arbitratur evangelium, urbanamque vitam, honesti hominis coram mundo officia, & illa veri Christiani coram Deo esse opposita, & utraque simul adimpleri non posse. Quanta igitur necessitatis est hac in re hominem justificare, atque errorem hunc, qui vulgo inolevit, auferre; duo hæc officia, quæ permiscentur, sejungere, ac ostendere posse aliquem servire Deo, & simul esse, & vivere in mundo, non autem secundum spiritum mundi. Scio equidem, rem periculosæ plenam aleæ videri posse duo hæc simul officia conciliare, sed corruptis tantum mentibus, & iis, quibus prava intentio est; & fortasse non desunt isthic, qui me nimiæ redarguent indulgentiæ, ac spiritus relaxationis bonis moribus nimium fune-

funestæ, quippè ubi affirmare ausim, in mundo etiam salvari homines posse. Sed ubinam essemus, si ibi nequaquam salvari possemus? Alios vero forrasse immodica efferet lætitia hæc, quam affero, propositio, sperantes fore ut hæc illis soporem inducere in ipsorum valeat flagitiis; sed nimis fidelis sum veritati, ita ut nihil valeam dissimulare. *Ex hujus argumenti Sermone.*

Veri Christiani character, & quid inde falso possit inferri.

Quid est verus Christianus? Homo est in mundo, a mundo tamen separatus, & cum Jesu Christo conjunctus: homo est, S. Paulus ait, consepultus Jesu Christo in morte per baptismum; homo est universam beatitudinem suam in paupertate, humilitate, & patientia, infelicitatem vero in superbia, gaudio, & voluptatibus constituens; hæ quippe sunt beatitudines, & maledictiones a Jesu Christo propositæ. Verum ecce quomodo fallaci ratiocinatione illis mortales abutantur. Verus Christianus homo est a mundo separatus; debet ergo omnibus abrenuntiare officiis, consuetudinibus, commerciis, ac rebus omnibus, quæ civilem inter homines alere possunt societatem. Falsa conclusio. Verus Christianus Deo conjunctus est, ergo unice Dei servitio vacare debet, temporalia deserens negotia orationi operam dumtaxat daturus: numquid hoc præscribit evangelium, & S. Paulus exposcit? Homo est, qui amat paupertatem; opus est igitur illum non affici bonorum suorum jactura, omne injustitiæ genus libenter perferre, ac sine querela pati, si de possessionibus suis deturbatur? Homo est, qui diligit humilitatem; oportet ergo nullam ab ipso rationem haberi, quid suam conditionem, quid familiam, quid amicos suos deceat? Denique homo crucifixus est, & mortuus mundo; numquam inde arguendum, illi omnem ignorandam esse urbanitatem, omnemque civilium officiorum æquitatem. Hujus caracteris homo essene poterit homo honestus coram mundo? Haud ita sane. Erit ille verus Christianus? Multo minus. Etenim ad vitam hoc pacto traducendam, omnibus carendum esset honoribus, bonis, consanguineis, domesticis; & omnes illæ qualitates eum tantummodo decent, qui inter nemora, & sylvas secessit, non qui in mundo versatur. *Ex Sermone qui Patris de la Rue perhibetur.*

Virtutes omnes non eodem modo exerceantur ab omnibus.

Christianos omnes patientes esse oportet; sed principis patientia similis esse non debet patientiæ subditi, neque eo usque proferenda est, ut regni potestas, & imperium infirmetur. Christianos omnes humiles esse oportet; sed heri humilitas similis esse non debet humilitati servorum, neque conciliate illi debet contemptum eorum, qui eidem obsequium debent, & reverentiam. Christianos omnes mortificationem amare decet, sed non æque eos, qui in mundo sunt, ac illos, qui sese inter claustra receperunt. Christiani omnes submissi esse debent, sed ejus submissio, quem penes est suæ voluntatis arbitrium, alia esse debet ab eo, qui suæ non est dominus voluntatis: idque secundum spiritum S. Pauli. Hortor vos, inquit, ut ambuletis in omni paupertate, & humilitate, in omni amore, & charitate mutua, idque eo modo, qui vestram deceat vocationem, ac statum, in quo vos Deus ipse constituit. *Idem Pater de la Rue.*

Sæpe videntur principes, & summi viri vere christianam vitam ducere in ipsa mundi luce.

Visi sunt reges crucem cum diademate conciliare, sanctèque in solio vivere; visi sunt Sancti viri Tertulliani sensus damnare, qui feroci austeritate præventus, quæ mox funesta extitit causa errorum suorum, asserebat injustum esse, quod rex fieret Christianus, & Christianus fieret rex. Sed cum omni severitate sua fallitur; neque operosum est veros ostendere Christianos in possessione honorum, bonorum, magistratuum, & voluptatum legitimarum in mundi commercio, & societate. Hæc igitur oppositio ex Christianorum parte non oritur. *Idem.*

Quid sit honestus homo coram mundo.

Quid est homo secundum mundi sententiam honestus? Ille est, qui honorifice in fortunæ suæ gradu stare novit; qui bene suo fungitur munere; qui sumptus suæ conditioni pares facit; qui suis favet amicis; qui in religionis actibus sollicitus, ac fidelis est, qui modeste loquitur de laudibus suis, sincerus in negotiis, suavis cum amicis, commodus in societatibus, præsertim vero ab omni avaritiæ, pertinaciæ, levitatis, ac infidelitatis labe immunis. Hæc quippe præter propter sunt vitia, quæ maxime opponuntur homini honesto, & virtutes, quæ præ cæteris ad illum efformandum aliquid conferunt. Omnes istæ qualitates vero Christiano oppositæ nequaquam sunt. Licet in homine honesto hæc duo tantum requireretis, sinceritatem, & generositatem; hæc mihi satis essent, superque ad refellenda, atque damnanda vitia, de quibus mundi sectatores, impios, ac protervos homines intelligo, gloriantur, sed quæ ipsi etiam in aliis damnant, atque in corde suo vituperant, & quæ homines cordati pati non possunt. *Idem.*

Sine probitate, & virtute nullus honestus homo est.

Discite igitur, Christiani, nullum honestum esse hominem, nisi qui veram habet probitatem, integramque sinceritatem, & ut verbo me expediam, nullum esse honestum, nisi qui totus est, videlicet in oculis Dei æque ac in oculis mundi. Hujus autem characteris homo non solum religioni contrarius non est, sed illius fulcrum est, & fundamentum. Vitæ ipsius ratio exemplo esse potest illis, qui idem vitæ genus amplexi sunt; exemplum ejus omnes vitiosos, improbosque mortales confundit, & palam ostendit nullam essentialem inveniri oppositionem inter veri secundum Deum Christiani, & honesti secundum mundum hominis officia. Ita palam constat utriusque officia in uno eodemque homine simul posse inveniri. *Idem.*

In nullo statu salvari possumus, quin nobismet vim inferamus.

At enim quam ægre Christianus in mundo frugi esse potest, ac bonus! Quam difficile, & Deo, & hominibus placere, atque suæ professionis officia cum religione conciliare, ita ut neutris desit! Difficile quidem est: sed quandoquidem statum hunc elegistis, & ad illum vos providentia accersivit, neque vobis desunt gratiæ ad illius munera obeunda; quæcumque ibi difficultas adsit, vestrum est illam superare, omnesque humanos respectus negligere. Verum si hoc difficile est, numquid existimatis vos salvari posse, quin vobismetipsis vim inferatis? Ubinam ergo illa crux est, quam in mundo non secus, ac in religioso statu ferre debetis? Hæc sane est; vim hanc ferre. Dura quidem vobis crux ista videtur; sed si illam comparare volueritis cum ea, quam Deus tot Ecclesiasticis, ac tot mortificatis cœnobitis imponit, næ ipsi fatebimini vestram levem esse, atque suavem; quæ enim vestram inter, & illorum crucem institui comparatio potest? Vestra abscondita est; Deus unus illam videbit; Deus unus testis erit; o vos beatos, qui tantulo impendio cœlum adipisci potestis; beatos, qui in terra simul, & in cœlo beati esse potestis! Verum si his salutaribus monitis uti abnueritis, scitote extrema die nullam pro vobis excusationem futuram. Doletis ob hanc salutis vestræ difficultatem, quid vultis facere, ut Deus illam vobis præbeat faciliorem? Nonne difficilius esset salutem vestram inter paupertatis squalorem, & curam operari? Noluit Deus vos ad hanc miseriam redigere; at ne vos quidem vultis ullam vobis vim facere eo in statu, in quo vos collocavit. *Idem ex parte.*

Cur plerique fideles salutem suam non operantur in mundo permanentes.

Ideo plerique fideles professionis suæ muneribus non perfunguntur, neque seipsos eo in statu sanctificant, in quo illos providentia constituit, quia non solum corruptum mundum non fugiunt, verum etiam sese eodem magis implicare gestiunt, & conantur, quam Deus illis permittat. Hac mente redimunt magistratus, honores ambiunt; quin illud cogitent utrum vocati a Deo fuerint, iisque præditi sint facultatibus, quæ necessariæ sunt ad munus illud rite obeundum; quin aliquem consulant nisi qui iisdem blandiuntur, & gratificantur. Malo huic non aliud remedium est, quam

relin-

relinquere; si fieri potest, statum, quem Dei injussu aggressus es, tunc potissimum cum ibi lapsus occasiones non desunt. Si enim malum est sese hoc pacto implicare, longe deterius est ibi ultro persistere; & nisi temet objicere cupis in pereundi discrimen, unica ratio malum reparandi est inde egredi, atque statim emergere. Quod nihilominus intelligendum non est de statibus quibusdam, qui sunt cum labore conjuncti, atque permixti, ubi a necessitate pœnitentiam agendi nequaquam dissentiunt. *De Sancta Martha tomo 2. 1. tractatu de mundi fuga.*

Quid faciendum illis qui in periculosa conditione impliciti sunt, quam tamen nequeunt relinquere.

Quod spectat ad illos, qui in periculosa conditione ita impliciti sunt, ut sese inde expedire nullo pacto possint, hi sibi nequaquam persuadere debent, omnino fieri non posse, ut ibi salutem suam operentur, & ut veros decet fideles vitam ibi suam transigant. Gemendum ilis est eo quod temporalem tantummodo utilitatem suam consulentes sese huic statui implicuerunt; orandusque Deus, ut ipsos tanto magis ab illis tentationibus liberet, quod cum fuga illas evitare nullo modo possint, ad gravem eam redacti sunt necessitatem aut illas vincendi, aut vincendi miserrime ab illis. Occasionem quoque habent sperandi futurum, ut Deus eorum misereatur, si ad misericordiam illius promerendam nihil reliquum fecerint. *Idem.*

Seculares non minus quam cœnobitæ fugere tenentur quicquid in mundo periculosum est.

Mundi sectatores sciunt quidem, religiosis, qui in recessu, solitudine, & mortificatione vivere profitentur, fugiendum esse mundum, videlicet occupationes, societates, & solatia, quæ sæculi hujus homines propria esse arbitrantur: verum non animadvertunt, sibi licet sæcularibus, nihil magis, quam religiosis licere mundo sese implicare præter negotiorum suorum necessitatem; & si velint salutem suam operari, quod proculdubio possunt, evitanda sibi esse solaria, pompas, & idgenus alia, quorum participes esse non possunt, quin Deum lædant. Opus quidem est illos versari cum iis, qui ejusdem sunt professionis, & sæpe etiam cum aliis, ut suis perfungantur officiis; & commercium hoc illis æque licitum est, ac necessarium; verum non licet illis sese mundi flagitiis immiscere, & illius sequi placita, vel consuetudines, quæ magnos sumptus requirunt, veluti magnam servorum familiam alendi, vel quæ causa sunt jacturæ multi temporis in meliores usus insumendi, vel quæ efficiunt, ut status sui, & religionis negligantur officia. *Idem.*

Quid faciendum illis qui necessario terrenis impliciti sunt negotiis, ut in mundo christianam ducant vitam.

Non desunt, qui, licet inviti, in mundo permanere coguntur, vel inevitabili necessitate, velut uxores, quarum viri propter munus, ac dignitatem suam ibi versari tenentur, vel sua conditione, quæ illos laboribus manuum suarum victum comparare cogit, ut familiæ suæ necessitatibus consulant. Hi, si christianam ducere velint vitam in ipso mundo, arctam quærere debent viam, extra quam nulla salus est, & sperare fore ut Dei ope illam inveniant, dummodo iis rebus doleant, quibus alii gaudent; atque vanitates, ac pompas oculis fidei inspicientes illas contemnant, perhorrescant, abominentur. Oportet illos in mundi ipsius luce versari, ac si essent solitarii; quod præstabunt, cum aliter vivent, ac mundi sectatores, aliasque habebunt exercitationes, & consilia eorum consiliis prorsus opposita. Quod si laboribus vacant, dum alii otiantur, si affectus suos coercent, si tempus impendunt orantes, audientes Deum, & cum eo colloquentes, dum alii inutilibus alloquiis, vel obtrectationibus tempus insumunt: denique si nihil prætermittunt, ut sæculi flagitia evitent; Deus, qui omnipotens est, illos suis illustrabit luminibus in miserrima hac hujus Ægypti caligine, illi sanctificabuntur, ibique suam servabunt innocentiam. *Idem.*

Ad christianam in mundo vitam ducendam non satis est bona ferre desideria.

Mundus repletus est mortalibus optima foventibus desideria, & pauci sunt in sceleribus ita indurati, qui non testentur aliquando se christianam vitam ducere velle; verum si cum his desideriis in molli, & laxa permanent vita, quin inde conentur egredi, indicium est, hæc desideria ex ipso corde minime profecta esse, neque bonos affectus producere posse. Sed cum Deus per misericordiam suam vera inspirat vota recentis vitæ ducendæ, numquam cessat, quominus eadem exequendi præbeat auxilia. Cum his autem desideriis in iis manere occasionibus, quæ saluti perniciosæ, vel periculosæ sunt, vel semper differre vitæ melioris initium; hoc sane non est velle sincere salvari, sed ostendere, quod ex corde salus ista non desideratur. *Idem.*

Virtus in mundo bonis reverentiam conciliat.

Pietas, & vera virtus nos super homines, cujuscumque illi gradus sint, evehit. Hinc fit, quod in mundo viros bonos sincere omnes colunt; cum e contra peccatoribus ægre, & ab invitis honos adhibeatur. Illi absentes licet laudibus celebrantur; hi vero, ubi non sunt, probris proscinduntur. Præterquamquod honores iidem bonis viris ampliores sunt; sunt quippe fructus meriti eorum; in aliis vero magis magisque manifesta eorum vitia faciunt, atque in apricum proferunt dolos, artes, vim, injustitiam, versutias, per quas illos consecuti sunt. Ita dici nequaquam potest, quod in mundo honoribus cumulari, semper sit christianæ oppositum humilitati; & dummodo in virtutis exercitatione nequaquam spectetur honos, qui illam concomitatur, hoc nequaquam efficiet, ut coram Deo jacturam faciamus meriti, vel præmii, quod in cœlo expectandum est. *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Fieri igitur nequaquam potest, ut qui terrenis impediti sunt negotiis Deo serviant? Haud ita; dummodo in mundo versantes rebus mundi hujus utantur sine ulla affectione, easque nullo in discrimine habeant, quasi non uterentur; dummodo illæ tamquam præsentis miseriæ solatia assumantur, quibus utendum, non fruendum est; & quæ ingentia etiam mala fiunt illis, qui abutuntur iisdem obliti verborum Apostoli dicentis, quod præterit figura hujus mundi. Si enim alio modo uterentur, jam in statu perditionis essent, & quantumvis tutissima videretur via, quam sequuntur, ut ad Deum perveniant, illam lubricam, & caliginosam experirentur. *Via illorum tenebræ, & lubricum.* Ps. 34. *Sermones Christiani, pro quarta Dominica post Pascha.*

Descriptio viri boni, verique Christiani in mundo.

Vir bonus, vereque Christianus in mundo, homo est sciens vitæ civilis officia cum officiis conscientiæ conciliare, commercium, & urbanitatem bono eorum usu sanctificans, temporibus, & consuetudinibus ratione duce prudenter se accommodans, honestas colens amicitias, easque semper redigens ad charitatem, quæ earum præceptum est, & ad eorum, qui amantur utilitatem, quæ illarum finis esse debet. Hic numquam in excessum aliquem videtur erumpere: Deo interiorem, perfectumque, sed rationabilem & prudentem adhibet cultum juxta Apostoli consilium. Quantumvis humiliter de seipso sentiat, numquam dignitati suæ negat externum aliquem oris habitum, quem usus videtur exigere, cum in eo nihil ordini contrarium est. In cœtibus hilarem, modestamque virtutem adfert, quæ omnes viros bonos allicit, vel quæ saltem illos ædificat; atque in tota vitæ illius ratione deprehenditur simplicitas sine adfectatione, sine simulatione prudentia, devotio sine fastu, conversatio, in qua & spiritus suavitas, & vitæ puritas elucescunt. Regularem, & uniformem servat pietatis praxin, & demum utitur mundo, quasi non uteretur, cum illa sobrietate, quam fidelibus omnibus commendat Apostolus. Eadem facit, ac alii, sed longe aliter; & charitate minimas etiam vitæ ipsius actiones dirigente, nihil facit, quod insolitum sit; quod ipsum insolitum est in homine, qui solidis virtutibus ornatus est. *Ex descriptione, quam edidit Flechier de S. Francisco Salesio.*

Hodierna quoque die plurimi in mundo sunt,

Hodierna quoque die per misericordiam Dei non pauci sunt, qui christianam vitam vivunt, qui Dei servant mandata, & qui nulli desunt officio;

quos

Qui civilis societatis & religionis adimplent officia.

quos si ignoratis; non miror, quandoquidem se solum esse putabat Elias, cum dixit illi Deus: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Hoc exemplum nobis persuadere debet hodie quoque non deesse, qui in mundo a mundi corruptione vivunt immunes, & primos fideles imitantur. Vos autem, fratres, si nondum ad hunc perfectionis apicem pervenistis, incipite saltem contendere, ut eo perveniatis: quidquid ibi mali est, ne imitemini; resistite torrenti exempli, neque bona congerere nisi labore, legitimaque cura, studeatis. Videmus, S. Joannem Baptistam primum quidem publicanis, & militibus etiam atque etiam commendasse, ut suis contenti essent stipendiis. Ulterius quidem zelus illius progredi voluisset, & illos ad altiorem perfectionis gradum evehere: sed cum nondum his pares essent consiliis, satis putat hoc illis primum proponere monitum, veritus, ne si majora illis traderet, hi neque ad ulteriora sese attollere, neque primum hoc, cui magis erant idonei, possent observare. Ita in mundo varii sunt virtutum gradus, non secus, ac inter eos, qui in religioso statu sese Dei servitio devovent; quidam tyrones sunt, alii provectiores, alii tandem consummatæ virtutis. *Desumptum partim ex S. Chrysostomo Homilia in cap. 6. Matthei*.

Inutilis plurimorum querela credentium se in statu suo salvari non posse.

Nihil in mundo frequentius est quam hæc querela, homines ea, in qua sunt professione, vix posse salutem suam operari. Ex altera enim parte divites de se dictum singillatim arbitrantes, quod generatim dumtaxat dixit Jesus Christus, vivunt, vel tamquam nihil sibi faciendum esset, vel quasi omnia sibi essent sorti committenda, rati se nullo modo salutem consequi posse. Ex altera vero pauperes suas respiciunt miserias tamquam tot obices salutis suæ, & invidentes felicitati eorum, qui opibus diffluunt, putant se curas omnes saluti suæ impensuros fore, nisi egestatis pondere opprimerentur. Illi de nimia negotiorum farragine, alii de gravi magistratuum suorum exercitatione, vel de multiplici rei familiaris cura conqueruntur. Hi assidua negotiorum suorum impedimenta prætexunt; illi quasdam animi pœnas, & amaras agitationes causantur, quæ illis mentem auferunt, ac necessariam tranquillitatem, ut toti Deo vacent. Prætextus inanes: tantum abest, quod status, ad quem vocati sumus, sit obex saluti, vel perfectioni christianæ, ut in eo e contra præsens inveniatur auxilium. Officiorum nostrorum cura vera via est salutem operandi, & assequendi perfectionem, quam Deus a nobis requirit. *Ex morali Dictionario tomo 5. Serm. 1. de salute*.

Viri boni in mundo ab impiis etiam amantur, & coluntur.

Vos non latet, Fideles, nequissimos etiam homines facere non posse, quin viros bonos ament: quo magis vitio dediti sunt, eo magis admirari videntur in aliis virtutem, qua excellunt, & veluti divinum aliquod respiciunt eam qualitatem, quæ aliis facile præbet, quod sibi nullo modo superandum videtur. Ita Joseph gratiam invenit apud regem Ægypti, Daniel apud Balthassar, & Herodes in S. Joanne eam ipsam admiratus est licentiam, qua ab eodem corripiebatur. Cum e contra qui opibus abundant, qui amplissimas in terris obtinent dignitates, nisi virtutibus ornati fuerint, nullo pacto evitare possunt odium; contemptum, & præsertim obtrectationem. Si palam honos illis adhibetur, cor mentitur omnia reverentiæ & obsequii signa, quæ conditioni eorum præbentur; gravare, & ab invitis coram laudantur, & quisque voluptati sibi vertit illos exprobrare, & contra illorum flagitia invehi. Certum est, neminem vel plures habere amicos, vel inimicos pauciores, quam virum bonum; quilibet societatis ejus in partem accedere cupit, scit enim illam sinceram, constantemque futuram, ab illo optima tantum, & ab omni cupiditate aliena expectari posse consilia: tutissime posse cor proprium in corde illorum effundi, eique maximi momenti arcana committi, citra ullum proditionis timorem. Ad hæc viri boni neminem lædunt, dissimulant, illatas injurias oblivioni tradunt; & prudenti, atque christiana hac vivendi ratione præveniunt insignes illas, immortalesque inimicitias, propter quas familiæ absumuntur, & corruunt; nec non ea dissidia, quæ vitam amaritudinibus replent, quæ nos quotidie novis mœroribus angunt, & quæ tantum, & negotiis, & nomini nostro afferunt detrimentum. Hinc sequitur, quod qui præ cæteris virtute præditi sunt, hi melius urbanæ vitæ perfungantur officiis. Ita quibusnam (amabo vos) libentius negotia, & maximi momenti res committuntur, quam illis, quos æquissime, & integerrime munere suo perfuncturos cognoscimus; qui officium suum inviolabilem putant legem, a qua nullum umquam otium, nulla umquam libido illos avertere poterit? *P. de la Colombiere tomo 2. Sermone vigesimotertio*.

Quandonam facile nobis esse debet proximo præstare urbanitatis officia.

Cum nulla, aut levis adest spes futurum, ut gratiam apud illos inveniamus, quibus nullis vinculis adstricti sumus, & commercium, quod cum iisdem inire possumus, nobis obfuturum metuimus, licet non aliud inde subituri detrimentum essemus, quam temporis in illo impendendi; satis esse debet cum illis inevitabilia exercere urbanitatis officia, quæ citra scandalum negari non possent; ea vero omnia relinquenda sunt, per quæ illis gratificari, atque peculiarem cum ipsis necessitudinem consociare possemus. Verum si communem ducimus vitam, si ex necessitate varios cum mundo nexus servamus, si integra solitudo non est utilis nobis, si nos ipsi humano indigemus solatio, si quas, non invito Deo, cum pluribus societates contraximus, a quibus recedere utile non sit, multo utilius videtur non prætermittere occasiones amorem suum illis restandi, atque eorum sibi conciliandi amorem certando urbanitatis officiis. Id unum quærendum est, quod urbanitas nostra ab aliorum vulgo officiositate differat, quod vera, sinceraque sit, non autem levis, & ad assentationem composita, quod non sese in verba, & laudes effundat, quod non bonam temporis partem absumat, quod non sit quædam nugarum inutilium species, quod pietatem inspiret, ac modestiam redoleat. *Specimen moralis tomo 2. tractatu de Christiana urbanitate*.

Vana eorum excusationes, qui se dicunt in mundo servire Deo, ejusque legem servare non posse.

Equidem scio, S. Chrysostomus serm. contra judæos inquit, nostrum plures sese excusare eo quod divinæ legi non pareant, neque salutem suam operentur. Alii quidem se conjugem habere causantur, alii sibi plures esse filios; hi, vivendum sibi esse, prout dignitatis suæ postulat ratio; illi, se negotiorum impedimentis implicitos esse, vel inter militarem licentiam versari. Quidam suam prætexunt paupertatem, ac necessitatem serviendi, sibique victum frontis sudoribus comparandi. Verum adest mihi, Sanctus hic Doctor ait; affirmo nullum esse statum, vel conditionem, ubi, tot licet ingeminetis excusationes, eminentem sanctitatis gradum acquirere nequeatis. Conjugem habetis; Moyses quoque matrimonio junctus erat. Heu! quid prohibere vos potest, ne singulis diebus, ut ille, vosmet colligatis cum Deo de salutis vestræ negotio collocuturi, eique gratias acturi? Plures habetis filios; Mater Machabæorum septem filios habebat, at nihilominus sancta fuit, & ubi opus fuit, amorem Dei filiorum suorum amori præferre non dubitavit. Nobiles estis, ideoque vestrum vos genus cogit, ut in mundo emicetis; David quoque, Josias, & Ezechias, æque saltem ac vos, nobiles erant: populorum, ac provinciarum regimen, & cura minime prohibuit, quo minus per orationem cum Deo diutissime versarentur; in magnitudine humilitatem servarent, & vixerunt in aula, quin vitiorum ejus labe inficerentur. Judices estis: hoc tanto magis ad virtutem exercendam vos adigit: hoc ipsum munus erat incomparabilis Samuelis. Exemplum hoc imitamini, atque in judiciis vestris irreprehensibiles eritis; necnon illud vobis præbebit occasionem præstantissimas quaslibet virtutes exercendi. Divites estis: Abraham vobis fortasse erat ditior. Heu numquid, ut ille, estis orphanorum

paren-

parentes, advenarum hospites, egenorum patroni, atque nutritii? & opes vestræ nonne magno vobis esse poterunt adjumento, ut Sancti fiatis? Pauperes estis, & per paupertatem plurimis morbis obnoxii: videte pauperem Lazarum, quem ipsa paupertas sanctificavit, atque in Abrahæ sinu constituit. Artifices estis, totamque diem, nec mediocrem noctis partem laboribus impenditis ad familiæ victum comparandum: S. Joseph gloriosus Deiparæ Virginis Sponsus nonne & ipse faber erat lignarius? ipse tamen in artis suæ exercitatione præstantissimis virtutibus amplissimam in cœlo sedem promeruit. Militiæ nomen dedistis: mementote strenui illius Centurionis, de quo loquitur evangelium, qui non secus ac vos in castra, aciemque pergebat, quem nihilominus tanta fide, zelo, & charitate præditum videtis, ut Dei filius quasi admiratione perculsus eum laudibus celebraverit. Hac inductione S. Chrysostomus utitur probaturus, nos quocumque in statu simul posse perfecte Dei legem servare. *P. Texier pro feria quinta post Cineres.*

In qualibet statu esse possumus religiosi divinæ legis observatores.

Deus statibus, atque professionibus omnibus inconcussum præbuit fulcrum, & fundamentum, cum illis legem suam tribuit. Servate legem hanc in corde vestro, & gressus vestros confirmabit, quaorumvis lubrica via sit, per quam ambulatis: *Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus.* Psalm. 36. Inter familiæ impedimenta, negotii curas, ipsumque belli tumultum, inviolabilis legis hujus amor cor vestrum in pace continebit; nullumque scandalum vos avertere poterit: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Psalm. 118. Vultisne in statu vestro sanctam ducere vitam? Cum videbitis versutias, & fraudes, quæ in aula grassantur, adeo communem in justitia corruptionem, adeo frequentes in nundinis dolos, in artibus pravam fidem, & furta, cum David Ps. 118. clamate: *Viam iniquitatis amove a me*, quam in ea, quam profiteor, conditione peccatores vulgo sequuntur. *Idem.*

Christianismus status etiam magis profanos sanctificat.

Dei filius, qui supremus est legislator, abjectissimas quaslibet conditiones quodammodo ad supernaturalem ordinem evehit; quandoquidem facit, ut nostræ inserviant sanctificationi. Itaque licet nobilis, judex, miles, mercator, artifex sis; esto quidem: adhuc tamen majus aliquid es, quippe Christianus es, quæ omnium qualitatum tuarum princeps est, ac præstantissima. Cum igitur Christiani status sit status sanctitatis, eumque alioquin ab aliis statibus separare minime valeas, & illum tecum belli, & domi, in foro, & in negotiatione, quocumque pergas, & quamcumque professionem exerceas, semper tecum geras, felici necessitate opus est, Christianismum hunc quocumque secum ferre sanctitatem, & efficere militem sanctum, judicem sanctum, sanctumque mercatorem. Hæc erat Tertulliani sententia: parum interest, ubi sis, vel quam professionem exerceas, etenim in omnibus hisce statibus, si Christianus es, extra sæculum es. *Idem.*

Honestus homo nihil habet homini christiano oppositi.

Honestus homo servare novit officia, mores, & quidquid civilem alere potest societatem, novit satisfacere iis muneribus, quæ sanguinis vincula, & essentiales, atque domesticæ affectiones imponunt illi: novit suum tenere locum, familiam regere, ac filiorum suorum dignitati consulere. Hæc autem hominis honesti signa nihil habent a veri Christiani characteribus abnorme: nam quamvis essentia tota, totusque religionis spiritus æque in sociabili Christiano, ac in solitario esse debeant; attamen utriusque vitæ ratio, quod ad externum spectat habitum, & officia, longe differre debet; velle enim in mundi hujus commercio vivere, ut decet in solitudine hoc ita monstro simile videtur, S. Hieronymus inquit, ac velle in solitudine, atque inter claustra mundanam vivere vitam. Et sane ut in recta via ambulemus, neque ad dexteram, neque ad sinistram flectendum est, quod accidit dum in extrema vitia fit lapsus, vel de dissipatione in recessum, vel de nimio recessu in societatem. *Specimina Sermonum pro 8. post Pentecost. Dominica.*

Omnibus seculis non defuere in ipso mundi tumultu, qui sancte vixerunt.

Quis nescit, omnibus fere sæculis extitisse principes, regesque sanctos; & plures, qui populis regundis præfuere, & primas obtinuere dignitates, in illis sanctificatos fuisse adeo præclarum ordinem qua prudenti consilio, qua suæ sanctitatis exemplo constituentes, ut populi vitium perhorrescerent, ac motu proprio pietatis exercitia amplecterentur? Quot mortales genere clari, quot viri, ac matronæ principes, quot utriusque sexus nobiles in hac mundi luce sanctam vitam duxere? Et quamquam conditionis necessitas eos semper in mundo implicitos detineret, interiori tamen affectu ab eodem separati erant, secretis gemitibus testantes Deo juxta Reginæ Esther exemplum horrorem, quo sæculi pompas, & vanitates execrabantur. Vita eorum jugis erat obtutus in Deum, jugis occupatio de Deo, jugis bonorum operum exercitatio, præsertim vero charitatis, & misericordiæ: ita ut inanis tantum esse possit excusatio, asserere fieri nequaquam posse, quod qui in principum aula vivunt, vel qui summis decorati sunt dignitatibus sancte vivant. *Moralis in Patet l. 8. sect. 4. art. 5.*

De humana, politica, & christiana urbanitate.

Inter homines deprehendimus urbanitatem aliam humanam, aliam politicam, & aliam christianam. In prima non deest bona fides, atque sinceritas, in secunda cupiditas, & dissimulatio, in tertia denique charitas. Humana urbanitas ea est, qua proximi amorem nobis conciliare conamur, illi amorem nostrum testantes; æstimationem ejus, illi obsequentes; opem denique, operam nostram illi offerentes. Cum enim aliorum amore, & subsidio indigemus, natura in nobis excitat desiderium, atque ea nobis suggerit in ea urbanitate adminicula, quæ proprie honestum hominem constituit. Politica urbanitas prioris externam speciem induit, sed spiritu cupiditatis, qui nihil aliis tribuit, nisi ut inde aliquem referat quæstum. Christiana tandem urbanitas alios amore prævertit, aliorum necessitatibus opitulatur, illis, quantum ordo mundi pati potest, cedit, eosque sincera charitate complectitur. Hæc proximi benevolentiam non improba indulgentia, sed amore conciliat, ut mox hæc benevolentia nos illis inserviendo aptiores efficiat. Hæc alios honorat; si enim religio nos docet Deum in ara colere, christiana urbanitas illum docet in nostri similibus revereri. Hæc, qui meritis debeatur honor, officiis ostendit, atque amoris demonstratione eam docet, quæ virtutibus debeatur, reverentiam. *Liber cui titulus, Le Conduite du Sage.*

Honesti hominis elogium, & character.

Hæc honesti hominis qualitas absolutissimum est elogium; titulus est iis præstantior, quos dignitas, atque fortuna conferre possunt. Ad illum promerendum possidendæ sunt in gradu eminenti virtutes omnes, quia probitas vera perfectam supponit integritatem, inflexibilem rectitudinem, non fucatam generositatem cum modestia, quæ in omnibus, quæ dicuntur, quæque fiunt, elucescit. Honestus homo omnia status sui observat officia, quin proprii characteris obliviscatur, vel eas prætereat regulas, quas suum munus præscribit. A justitiæ semita non magis, quam a stadio suo Sol, potest deflecti. *Auctor Anonymus.*

Nullus honestus est homo sine religione.

Nemo honestus esse potest, nisi religionem habeat, neque ea adimplere omnia, quæ hominibus debet, si desit iis, quæ debet Deo. Hoc efficit, ut plerique, quibus parum religionis est, parum vicissim habeant humanitatis; & passim videmus irreligioni intemperantiam, & crapulam, & effusissimas libidines accedere. Hæc omnia flagitia honesti homines perhorrescunt; tantum abest, quod honestum illum putent, qui sese iisdem mancipaverit. *Auctor Anonymus.*

Ratio, qua honestus homo agere debet.

Verax meritum nequaquam positum est in jucunda quadam morum festivitate, sed in corde

recto,

ſecto, ac ſpiritu ſolido, atque compoſito. Hoc perſuaſum eſſe debet, ubi deſit honeſtas, nullam apud homines exiſtimationem mereri. Ignavum eſſe, qui ſatis putat eſſe, ſi ab aliis ſuſpiciatur, quia illi honeſti ſunt, non autem quod ſit ipſe honeſtus: eos, qui vera ducuntur gloria, velle potius ſuis, quam alienis, bonis qualitatibus debere eam voluptatem, quam inde percipiunt: honores, qui ſuo nomini, vel dignitati deferuntur, illis ingratos, & injucundos eſſe, niſi ſuis meritis debeantur: honeſtum hominem quacumque in occaſione non ingenio, libidine, affectuque trahi, ſed ratione, & honeſtate: ſe ad bene agendum nequaquam agi alienis officiis, ſed regulis, quas illa ſibi præſcripſit, ne umquam iis deeſſet, quæ officium, & urbanitas exigunt, nulla habita rations modi illius, quo alii ſecum operantur. Denique illum ſemper eumdem eſſe qualibet in occaſione, quæcumque vel ſuæ, vel alienæ fortunæ accidat mutatio. *Idem*.

In quo honeſtas vera conſiſtat.

Si veram honeſtatem noſſe, & exercere vultis, hæc ſita eſt in hoc, ut in omnibus actionibus veſtris magnam præ vobis feratis æquitatem; libenter probetis ea, quæ probanda ſunt; bona fide omnes aliorum virtutes commendetis, & ne improbe inimicorum etiam virtutes deterrere, eiſque laudum teſtimonia, quæ merentur, negare velitis; & denique ut aliorum rationem habeatis, bonamque erga illos foveatis voluntatem, non ut voſmetipſos illis commendetis, ſed ut ea præſtetis, quæ homines ſibi alterutrum debent. Oportet demum ſcire, non ſatis eſſe ob conſcientiam, & religionem a malo abhorrere; ſed egere nos quadam honeſtate, quæ bonam fulciat exiſtimationem, quam ut apud viros bonos tueamur, Sapiens etiam atque etiam hortatur. Etenim ex omnibus characteribus hominum nulli magis metuendi ſunt, quam qui irregularem, ac parum cordatam vivendi rationem ſequi poſſunt contra publicum judicium, necnon honeſtorum hominum cenſuram contemnere non aliis ſuffulti rationibus, quam ingenii ſui libidine, & quin negotium illis faceſſat, quidquid ſapientes, honeſtique viri dicturi ſunt. *Idem*.

In omnibus conditionibus quædam ſunt officia, quæ neceſſario ſunt obeunda.

Nullus ſtatus eſt, nulla conditio, cui Deus propria non adjecerit officia; & unaquæque peculiaribus muneribus repleta eſt. Nemo eſt, cui Deus talenta commiſerit, qui non teneatur illa in iis impendere, quæ hic ſupremus bonorum omnium diſpenſator exigit, & qui rationem eidem reddere minime debeat. Monarcha æque, ac paſtor illi vitæ ſuæ rationem ſunt reddituri; atque eorum potiſſimum negotium eſſe debet, ſeſe præparare, ſemperque paratos eſſe, ut cum a ſupremo judice vocabuntur, reddere valeant rationem modi illius, quo credito ſibi munere fuerint perfuncti. *Abbas Trappenſis in moralibus Conſiderationibus in S. Lucæ Evangelium*.

Varia officia, quæ adimplere tenemur.

Ad catholicam fidem vocatio, conditio, in qua nati ſumus, vitæ genus, quod conſulto Deo ſumus amplexi, munera, quibus in civili vita onerati ſumus: hæc omnia quædam complectuntur officia, quæ nobis tamquam Altiſſimi præcepta habenda ſunt. Hæc ſumma fide officia adimplere debemus, ita ut ne unum quidem prætermittatur; eorum laborem perferre, ac tædia ea conſtantia ſubire, quæ nulla umquam re valeat deterreri; illis toto ſpiritu, & corde adhæreſcere: hoc eſt Dei obedire mandatis. Diligentia hæc vera virtus eſt, quæ fulgorem ſuum mutuatur a jugi bello, quod pro Dei amore, & contra proprium amorem ſuſtinet. *Auctor Anonymus*.

Omnia diligenter munera ſua adimplere, eſt amorem proprium vincere, ſolidamque virtutem habere.

Quænam eſt amoris proprii licentia fallacia tantum ratiocinia ſua ſequentis, & quidquid ſibi crucem figit, fugientis? Quinam ſunt impetus, & ſollicitudines ejus pro iis omnibus, quæ nitent, & fulgent? Quodnam tædium nobis inſpirat pro communibus, vulgaribus, obſcuriſque occupationibus, quæ ſibi mutuo ſuccedunt, & quæ quotidie eodem ordine revertuntur? Quænam artes ad evitandas ſpinas, quæ veluti ſub pedibus nobis qualibet in conditione oboriuntur, & quæ omnes ſtatus, omniaque munera noſtra circumundique ſepiunt? Quænam impatientia, quod murmur, quæ querela, & ſæpe quæ rebellio, quinam tumultus, dum coercetur, eique reſiſtitur? Quicumque igitur religioſe iis ſatisfacit muneribus, quæ nobis noſtra ad fidem catholicam vocatio injicit; quicumque forti animo ſuffert pondus conditionis, ad quam vocatus eſt; quicumque fideliter adimplet officia ſtatus illius, quem Deo conſulto eſt aggreſſus; quicumque graves, ac moleſtas muneris ſui occupationes jucundis, & voluntariis præfert exercitationibus exterioris pietatis, cujus fallax fulgor oculos perſtringit; quicumque hujus eſt characteris, caſtigat, redigitque ſub Dei legem omnes amoris proprii motus; & vir hac virtute prædituſ ille vere eſt, quem Sapiens inquirit non mundana, ſed immortali gloria coronaturus. *Fecit enim mirabilia in vita ſua*. *Idem*.

O P E R A.

Bona opera; & actiones bonæ: harum meritum, & neceſſitas.

M O N I T U M.



OC in loco de bonis operibus generatim dumtaxat agendum eſt, quin de ullo ſingillatim ſermo fiat: ſingulis enim ſuum attribuimus titulum, veluti orationi, eleemoſynæ, jejunio, & aliis, quæ totam chriſtianæ religionis diſciplinam componunt. Immo neque omnes eorum ſpecies recenſentur, puta ea, quæ miſericordiæ, charitatis, pœnitentiæ vocantur, neque omnes virtutis actiones, quas quilibet fidelis exercere tenetur, & ſine quibus nequit officia religionis obire. Officia hæc, generatim loquendo, ſunt credere, & facere; fides, & bona opera; ita ut alterutro deficiente, hæc non ſit amplius vita chriſtiana, æternaque damnatio evitari non poſſit. De his igitur bonis operibus a fide mere theoretica diſtinctis, & in fide practica contentis, hic agimus.

Itaque in hiſce collectaneis invenientur ea, quæ ad bonorum operum, bonarumque actionum neceſſitatem, meritum, ac præmium pertinent; nam quæcumque afferatur inter duplicem hunc terminum diſtinctio, hæc in argumento confundendi ſunt, cum alter ſine altero eſſe non poſſit. Neceſſe non eſt, niſi mera controverſia inſtituatur ſermo, fuſius verba facere de Hæreticorum hac in re errore, qui non extremum ex præcipuis Catholicorum dogmatibus conſtituit; ſed etiam atque etiam hortandi fideles ſunt ad bonorum operum exercitationem, atque oſtendendum quam plurimos damnari, eo quod officium ſaluti adeo neceſſarium negligunt, & omittunt.

Ani-

Animadvertendum est tamen argumentum hoc cum aliis pluribus cohærere, quorum quamdam volenti partem efficere potest: hujusmodi sunt, temporis bene insumpti ratio, otii fuga, nomen, & conditio Christiani, ipsaque fides, quæ sine operibus mortua est. Concionatoris est, hæc separare argumenta invicem sibi inhærentia, nihilque in singulis adferre, quod eorum proprium non sit, & peculiare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. Uamquam Dei filius morte sua æternam promeritus nobis fuerit felicitatem, vult tamen eam nos acquirere, ac nosmet bonis operibus possessione illius dignos præbere. Quamobrem in hac concione ostendam, 1. necessitatem bonorum operum, sine quibus nullus fidelis (de adultis loquor) salutem suam operari potest: 2. defectus, qui in bonis operibus obrepunt, eorumque meritum auferunt: 3. qualitates, & conditiones, quæ in bonis operibus requiruntur, ut cœlum, ac præmium illis promissum mereamur.

Pars prima. Quod spectat ad necessitatem, Theologi duplicem illius speciem distinguunt; alteram quidem necessitatem præcepti, quæ explicito summi legislatoris imperio innititur præcipientis, ut hac omnino via mortales ad supremam perveniant felicitatem; alteram vero, quam medii necessitatem appellant, quia vix fieri potest, ut id aliter fiat. Ostendendum est autem sine bonis operibus (quo nomine intelligimus exercitationem virtutum, & christianarum actionum, quæ statum, & conditionem singulorum decent) neminem salvari posse, neque gloriam, ad quam Christianus factus est, promereri. Primum igitur necessaria sunt necessitate præcepti; quia & generatim, & quodlibet singillatim, imperata sunt: generatim quidem; dixit enim Salvator, nisi justitia nostra, videlicet opera nostra bona abundaverint, plusquam opera Scribarum, & Pharisæorum, nos nequaquam in cœlum esse ingressuros. Imperat ergo, ut fiant; quandoquidem exigit, ut opera nostra & numero, & perfectione præstent operibus Pharisæorum, qui proculdubio quædam faciebant; quippe se præ cæteris religiosiores legis observatores esse gloriabantur. Ad hæc nonne præcipit, ut electionem nostram ad fidem, nostramque prædestinationem ad gloriam bonorum operum exercitatione certam faciamus? Nonne sexcentis in Scripturæ locis videmus, imperari, ut totam legem adimpleamus? Hæc autem nonne totidem sunt bonorum operum præcepta? Sin autem singillatim rem intueri velimus, nonne præceptum habemus erogandæ eleemosynæ, faciendi fructus dignos pœnitentiæ, exercendæ in proximos charitatis, atque, ut me verbo expediam, non solum evitandi malum, verum etiam operandi bonum, quod idem est, ac bona opera facere? Secundo hæc medii necessitas est; Deus quippe cœlum, & gloriam veluti præmium, ac mercedem promisit; merces autem omnino supponit meritum, meritum vero opera bona; in his enim, non autem in bonis naturæ dotibus, aut in pulchris actionibus mere moralibus, politicisque &c. consistit.

Præterea medii necessitas est; nam theologicæ virtutes, Fides, Spes, & Charitas, quæ omnino necessariæ sunt ad salutem, sine bonis operibus esse non possunt. Cum enim in hoc salutis negotio Deus nequaquam solus operetur, sed nostram exigat cooperationem, cooperatio istu nonnisi per bona opera fit. Fides denique, sine qua Deo placere non possumus, agens est, & sine bonis operibus mortua est, & gratia, sine qua nihil bonum operari licet, nobis, ut operemur, conceditur: ita ut nequissimus censendus sit abusus, inerti, otiosaque fide contentum esse &c.

Pars altera. In bonis operibus, cujuscumque generis illa sint, plures timendi, evitandique sunt defectus; quorum hi sunt præcipui. 1. Non desunt, qui solidas virtutes, atque opera bona, quæ jubentur, relinquant iis vacaturi, quæ ex ipsorum libidine pendent, cujus modi sunt quædam devotiones, in quibus totam virtutem constituunt; quin toto pectore incumbant ad affectiones superandas, ad vitia evertenda, ad fructus dignos pœnitentiæ faciendos, ad charitatis munera obeunda. 2. Alii bonis supererogationis operibus, quæ consilii tantum sunt, vacant, & omittunt illa, quæ inevitabili lege præstare tenentur. Mulier, exempli gratia, cui rei familiaris cura commissa est, totum in xenodochiis invisendis, effundendis precibus, concionibus, quæ tota fiunt urbe, audiendis transmittet diem, atque interim domus curam relinquet, filios negliget erudire, & ad pietatem formare, domesticorum salutem contemnet, aliaque status sui obire munera prætermittet. Ostendendum est primo ea, quæ præcepti sunt, adimplenda esse, antequam ad ea, quæ consilii, animus advertatur &c. 3. Non desunt qui ex iis, quæ necessario facienda sunt, alia quidem diligentissime adimpleant, alia vero prorsus negligant; ea, quæ ingenio suo conformia sunt, libenter suscipiant, ac se non teneri putent ad ea, quæ nonnisi cum labore, gravateque efficere possunt, qualia sunt injurias dimittere, æs alienum dissolvere. 4. Sunt etiam, qui aliqua bona opera efficiunt, sed valde pauca, qua in re eorum deficit justitia; *Non invenio opera tua plena....* Apoc. 3. *Appensus es, & inventus es minus habens &c.* Daniel. 5.

Pars tertia. Explicandæ sunt qualitates, & conditiones, quæ in bonis requiruntur operibus, ut mercedem, quam Deus illis promisit, mereantur. 1. Fieri debent in statu gratiæ, alioquin pro cœlesti acquirenda gloria sunt inutiles; quamquam qui in peccati statu versantur, a bonis operibus cessare non debeant, ut Dei sibi misericordiam concilient. 2. Fieri debent hac mente placendi Deo, illum glorificandi, justitiæ illius satisfaciendi &c. 3. Referri debent Deo, qui in illis meliorem partem habet, quia nos sua prævenit gratia, & nobiscum operatur.

In sola bonorum operum necessitate possumus immorari, & ostendere, 1. illa necessaria esse ad salutem, & ad promerendam cœli gloriam, quæ illis tantum promissa fuit, ac tribuitur, qui eadem adimpleverint; 2. necessaria sunt ad proximi ædificationem, bonumque exemplum, quod illi debemus; 3. necessaria sunt ad christianæ charitatis officia, quæ alioquin adimpleri non possunt, obeunda. II.

De bonorum operum utilitate. 1. Hæc ratio est, qua Deum glorificamus; etenim bonis operibus eum laudamus, & confitemur, eique nosmet acceptos præbemus. 2. Proximum excitant ad similia opera peragenda, atque hoc pacto omnia veri fidelis munera explenda. 3. Nobis meritorum thesauros acquirunt, quibus cœlorum beatitudinem redimamus. III.

De eadem bonorum operum utilitate. 1. Dei gratiam merentur, mentur, & augent. 2. Spei nostræ fundamentum sunt. 3. Et mensura gloriæ, qua perfruemur in cœlo. IV.

Cum

V. Cum *Scriptura* bona opera thesaurum appellet, ostendere possumus, quam pretiosus sit hic thesaurus, 1. propter bonorum operum multitudinem, quia omnes bonæ actiones hunc thesaurum augere possunt, omniaque in lucro possumus collocare, si nobis curæ fuerit, ut nihil in irritum abeat: 2. propter horum bonorum operum varietatem, ac diversitatem, modo enim opus sit misericordiæ, modo actus mortificationis, & humilitatis exercetur &c. 3. propter singulorum pretium, nullum enim cœli regnum, Deique ipsius possessionem pro mercede non meretur.

VI. 1. Bona opera vera sunt nostræ virtutis, nostræque sanctitatis, donec vivimus, argumenta: 2. dum morimur autem nostra sunt consolatio: 3. ac in altera tandem vita corona, gloria, & felicitas nostra.

VII. 1. Ostandi potest, ad hoc ut vere Christiani simus, bona opera esse exercenda; nemini eorum exercendorum deesse locum, facultatem, occasiones, omnia status, conditionis, munerisque sui officia obeundo. 2. Quænam sint boni operis conditiones, ad hoc ut sanctum, & christianum fiat; fieri videlicet debet propter Deum, ac finem supernaturalem; fieri debet in Deo, hoc est in Dei gratia, alioquin nullius est meriti pro cœlesti gloria; fieri debet cum Deo, hoc est cum Dei gratia, cui potior operis pars accepta est referenda.

VIII. 1. Bonitas operum, actionumque nostrarum a plurimis pendet circumstantiis, & conditionibus, quarum si qua desit, ad cœlum promerendum inutiles sunt. 2. Plurimis sunt obnoxiæ defectibus, qui meritum earum vel tollunt, vel imminuunt. 3. Multa in hac vita pericula subeunt, pluribusque illusionibus patent.

IX. 1. Nemo Christianus est, qui diutius justus esse possit, virtutem colere, & Dei gratiam tueri, quin bona opera exerceat; etenim hæc si defuerint, quamprimum loco movebitur. 2. Nemo adeo nequam peccator est, qui ad Deum nequeat reverti, ac bonis operibus illius misericordiam promereri.

X. 1. In hoc mundo sumus, ut bona opera efficiamus; ideo enim sumus, ut Deo serviamus, & nostram salutem operemur. 2. Nobiscum in altera vita bona tantum afferemus opera, cætera vero relinquemus. 3. In cœlo ea tantum bona merita, & præmia assequemur, quæ bonis operibus in terra adepti fuerimus.

XI. 1. Fides, & christiana religio, quæ nos cogit, ut vitam ducamus sanctam, suisque præceptis conformem, præcipit consequenter, ut bona opera exerceamus. 2. Nonnisi per bona opera perveniemus ad finem, æternamque felicitatem, quam fides, & religio nobis pollicentur.

XII. 1. Cum vita data sit ad agendum, ex bonis operibus judicium ferre possumus; utrum vitam gratiæ habeamus: cum alia quælibet indicia ambigua sint, & illusioni obnoxia. 2. Per bonorum operum merita nosmet dignos præbemus vita gloriæ, ea si desint, hanc numquam consecuturi.

XIII. De bonorum operum, & fidei conjunctione. 1. Opera bona certissima sunt fidei nostræ argumenta. 2. Fidem servant, ac fovent. 3. Fidem honorant, eique gloriam conciliant.

XIV. 1. Nulla vera fides est sine bonis operibus. 1. Nulla opera bona sunt, quæ cœlum mereantur sine fide; ideoque in christiana tantum, catholicaque religione vera bona opera fiunt.

XV. 1. Sine fide optimæ quævis actiones inutiles sunt. 2. Sine gratia sanctificante pulcherrimæ peccatorum actiones mortuæ sunt. 3. Sine bona intentione heroicæ justorum actiones nihil pro æternitate merentur.

XVI. 1. Error est arbitrari ad salutem acquirendam sufficere a gravioribus abstinere criminibus, quin bona opera exerceantur. 2. Alter error est putare, magnas tantum actiones inter opera bona recensendas esse; quoniam ex omnibus vitæ nostræ actionibus totidem opera bona facere possumus.

1. Omnia omissionis peccata respiciunt opera bona, quæ negliguntur. 2. Id genus peccata cum magis communia sint, magis facilia, quæ committuntur, & in quibus nosmet minus corrigimus, hinc sequitur plerosque fideles ideo damnari, quia opera bona non faciunt. XVII.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus *Præfat. in Psalm.* 31. docet, sine fide bona opera nihil pro cœlesti gloria valere. Sancti Patres.

Idem *in Psalm.* 83. ostendit, nullum bonum opus extra ecclesiam esse æternæ gloriæ meritorium.

Idem *l. 50. Homil. Homil.* 16. docet, omnia opera bona in hac vita facienda esse.

Idem *l. de bono viduit.* fusius ostendit quænam sint opera bona, quibus vacare debent fideles.

S. Hieronymus *l. 2. in Thren.* 3. docet, opera bona cum oratione esse conjungenda.

Idem *Epist. ad Celantiam*, ubi de ratione sancte vivendi loquitur, ostendit obligationem, qua bona opera operari, bonumque exemplum, quod per illa proximo præbere tenemur.

S. Chrysostomus *Orat. advers. Judæos* ostendit, quam acceptum Deo sit vel minimum opus bonum Magdalenæ exemplo unguenti phialam super Salvatoris pedes effundentis.

Idem *c. 20. in S. Matth.* docet ob unius tantum virtutis omissionem homines reprobari.

Idem *in c. 1. Matth.* ostendit nullum opus nostrum bonum a Deo ignorari, singulisque eorum amplam ab eodem mercedem destinari.

S. Gregorius *l. 22. Moral.* ostendit fructum, quem facimus erga proximum, huic bonorum efficiendorum præbentes exemplum.

Idem *Homil. 17. in Evang.* docet, opera nostra bona examinanda esse, quemadmodum lydio lapide probantur nummi, utrum sequioris notæ sint, vel appenduntur &c.

Idem *l. 1. in Job* 19. docet, quot modis dæmon bonis operibus nostris insidias struat, eaque corrumpere adnitatur.

Idem *in hæc verba Job cap. 9. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*, S. Job exemplo probat, nobis semper de optime factis etiam diffidendum.

Idem *l. 7. epist.* 127. docet, opera nostra bona, postquam facta fuerint, sæpius a dæmone corrumpi.

Idem *l. 3. in Job* 10. ostendit nobis non adnitendum solum, ut bona opera faciamus, sed cogitandum etiam, qua mente, & fervore eadem aggrediamur.

Idem *l. 1. in Job* 19. docet nobis metuendum, ne nimis pauca opera bona operemur, & ne satis perfecte eadem faciamus.

Drexellius in Amussi, seu recta intentione *lib. 2. cap.* 10. Ascetici, aliique.

Nicolaus Lancinius, *Opusc. 3. cap. 3. & 9.*

Idem *Opusc. 5. cap. 3. Opusc. 10. cap. 8. Opusc.* 11. *cap. 3. & 17.*

Dandinus *in Ethic. l. 24. c. 1.*

Hortus Pastorum *Tract. 1. lect. 5.* ubi agitur de meritis bonorum operum.

Granatensis in duce peccatorum cap. 4. ubi ostendit nobis superbiendi locum non esse ob opera nostra bona.

Pcan libro, qui inscribitur: *Schola Jesu Christi* integrum edidit tractatum de bonis operibus.

Arias in tractatu de imitatione Jesu Christi c. 19. docet, quam accepta sint Deo bona justi hominis opera.

Pater Suffren tomo 1. anni Christiani cap. 1. ratio-

rationem tradit benè efficiendi actiones omnes, ideoque totidem bona opera explendi.

P. Chabu libro, qui inscribitur: Scientia Sanctorum cap. 3. art. 16. fusius verba facit de bonorum operum merito.

Cambolas, libro, cui titulus, *Vitæ Christianæ exemplar* cap. 4. ubi loquitur de efficacia fidei §. 1. & alibi de fide, & bonis operibus.

P. Nepveu in Christianis considerationibus tomo 4. loquitur de defectibus, qui in bona opera obrepunt.

P. Antonius de S. Martino a Porta ex Carmelitarum familia, libro, cui titulus, *Les Conduites de la Grace*, parte ultima, docet quænam sint operis boni conditiones, ut placeat Deo.

Concionatores recentes. Mathias Faber *Conc.* 3. *in Domin.* 7. *post Pentec.* & *Conc.* 5. *in Domin.* 11. *post Pentec.* & *Conc.* 1. *in Domin. Septuagesim.*

De la Volpilliere Sermonem edidit hujus argumenti.

Auctor Sermonum christianorum pro sexta post Pentecosten Dominica Sermonem habet de conditionibus necessariis, ut bona opera fiant.

P. Champigny in Sermonibus electis unum habet hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta in Dominicali tomo 3. sermo pro quinta post Pentecosten Dominica totus est hujus argumenti.

Idem Sermone pro undecima post Pentecosten Dominica ostendit unionem fidei, & bonorum operum, & naturalem nexum, quem habent.

Specimina Sermonum pro Quadragesima, Sermone pro feria sexta hebdomadæ secundæ, ubi sermo est de necessitate, & conditionibus operum bonorum.

Eadem pro Adventu, in tertio argumento, parte secunda sermonis primi probatur, fidem operari debere, ac bona opera facere.

Eadem pro Dominicali, Sermone pro tertia post Epiphaniam Dominica, parte secunda, Sermo est de bonis operibus, ad quæ nos fides impellit.

Ibidem, in Sermone pro septima post Pentecosten Dominica, ostenditur, bona opera esse necessaria, ut veri Christiani simus; eos vero, qui non exercent illa, nomine tantum Christianos esse.

Auctor Sermonum christianorum, Sermone pro 6. post Epiphaniam Dominica loquitur de conditionibus ad bona opera perficienda necessariis.

Idem pro 23. Dominica post Pentecosten, de fidei qualitatibus differens, docet, opera bona ejusdem testimonium perhibere.

Qui collectanea hujus argumenti ediderunt. Busæus, in Viridario, titulo opera bona.
Peraldus, ubi agit de beatitudinibus.
Summa prædicantium, titulo operatio.
Lohner, titulo opus bonum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

NOnne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Gen. 4.

Erit (justus) tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Psalm. 1.

Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam. Psalm. 17.

Unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Prov. 12.

Seminanti justitiam merces fidelis. Prov. 11.

Infelix, & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Sap. 3.

Bonorum laborum gloriosus est fructus. Ibidem.

Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum. Sap. 10.

Bonas facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum. Jerem. 7.

Opus justi ad vitam. Prov. 10.

Reddam unicuique secundum opus suum. Prov. 24.

Unusquisque mercedem accipiet secundum meritum operum suorum. Eccl. 16.

Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Mich. 6.

Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Eccl. 9.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Ibid. 20.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

Qui facit veritatem, venit ad lucem; ut manifestentur opera ejus, quoniam in Deo sunt facta. Joann. 3.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3.

Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Matth. 7. & Luc. 6.

Per totam noctem laborantes; nihil cepimus. Luc. 5.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Joan. 6.

Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. Joan. 9.

Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Joan. 12.

Posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Joann. 15.

Reddet (Deus) unicuique secundum opera ejus. Ad Rom. 2.

Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Ibidem.

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. Corinth. 3.

Fratres, estote abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Ibidem, c. 15.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt. Matth. 6.

Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. ad Cor. 5.

Non ego, sed gratia Dei mecum. 1. Ad Cor. 15.

Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Ad Rom. 12.

Dignus est operarius mercede sua. Luc. 10.

Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Joan. 8.

Opera, quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me. Joann. 10.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Joann. 15.

Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ad Galat. 6.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Ibidem.

Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Ad Coloss. c. 1.

Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Ad Ephes. 5.

Ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Ad Titum 3.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. Ad Titum 2.

In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. 2. ad Timoth. 4.

Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. Ad Hebr. 6.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat

se

se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Jacobi 2.

Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Ibidem,

Qui perspexerit in legem, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Jacobi 1.

Vides quoniam fides ex operibus consummata est. Ibidem, c. 2.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos. Apoc. 14.

Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Ibidem, c. 22.

In vacuum laboravi, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi. Isaiæ 49.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento deprompta.

Exemplū Noe.

PRimum exemplum hominis, quem Scriptura justum appellat, & cujus opera, & actiones Deo acceptæ fuerunt, est Patriarcha Noe. Hic *justus* vocatur Gen. 6. *Noe vir justus in generationibus suis cum Deo ambulavit:* cui Ecclesiasticus c. 44. *Perfecti* laudem adjecit: *Perfectus, & justus.* Et sane quænam illius sanctitas fuerit, inde conjici potest, quod suam servarit innocentiam in magno illo vitiorum diluvio, quod horribilius erat eo, quod ad illud puniendum misit Deus; cum autem addit Scriptura, illum cum Deo ambulasse, significat, opera illius divinæ majestati accepta fuisse; ideoque factum fuisse reconciliatorem mundi, & coegisse Deum, ut in ipso iracundiæ furore misericordiæ reminisceretur. Etenim, quemadmodum omnes notant interpretes, tunc ille fuit terræ totius prædicator, atque operibus suis fecit, quod deinde Jonas verbis in Ninive præstitit, atque ædificio monens, mundum quamprimum esse delendum.

Abrahæ exemplū.

Abrahæ hac in re exemplum adeo celebre est, ut S. Jacobus Apostolus cap. 2. inde eliciat, argumentum ad ostendendum, quod sola sine operibus fides coram Deo nos justos nequaquam facit. Ita loquitur „ Vis scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster „ nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac „ filium suum super altare? Vides, quoniam fides „ cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides „ consummata est; & suppleta est Scriptura dicens: „ Credidit Abraham Deo, & reputatum est Illi ad „ justitiam. Et sane hujus Patriarchæ opera explicita memorantur in Scriptura; nam præter illud, quo tandem summum meruit amicitiæ gradum apud Deum, cum unigenitum Isaac fuit immolaturus, palam ejus emicuit obedientia, cum Dei jussu patrium solum reliquit, hospitalitas, quam cum advenis exercuit, charitas erga omnes, optimus divitiarum usus, sollicitudo pro servanda cum Loth nepote suo tranquillitate, cura, quam testatus est, ad obtinendam Sodomæ civibus veniam, aliæque admirabiles illius virtutes, propter quas S. Ambrosius asserere non dubitavit, illum omnes superasse ideas, quas de summis viris Ethnici philosophi conceperant.

Exemplū S. Jobi.

Job Sanctus vocatur quadam prærogativæ specie propter opera bona, quæ exercuit in omnibus vitæ suæ statibus; etenim in summa rerum omnium affluentia sæpe Deo sacrificia offerebat pro secretis criminibus, quæ filii sui fortasse commisissent, nullumque labi sinebat diem, quo eorum sanctificationem aliquo modo non quæreret; cumque illi compertum esset, nulla re magis Dei benedictiones acquiri, quam miseratione erga pauperes, vix credibile est, quo usque hæc ejus virtus processerit: Plorabam, ait ille, cum iis, qui dolore erant confecti, & anima mea miserebatur pauperis: non negavi pauperibus, quod volebant, & oculos viduæ expectare non feci: non comedi bucellam meam solus, & comedit pupillus ex ea: non despexi pereuntem eo, quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem.... ita ut se egenorum patrem fuisse non dubitaverit affirmare. Misericordia tangebatur videns miserorum mala, eisque afferebat solatium, quod in malis suis nuspiam poterat invenire. Tandem ait se claudi baculum, scipionemque fuisse, oculum, & ducem cæci; atque ostenderet, quo usque charitas ipsius perveniret, concludit se omnibus jus suum tribuisse. Hæc sunt bona opera, quæ ille exercebat, ac virtutes, quas in supremo gradu possidebat, quarum Deus ipse illi testimonium perhibuit, quasi gloriæ sibi verteret, quod talem servum haberet; ac in terra oculos haberet intentos, ut unum illum consideraret.

Tobiæ exemplū.

Tobias quoque egregium nobis præbet bonorum operum cujuscumque generis exemplum. Hæc in Bibliis referuntur capite primo ejus libri, qui ex illius nomine appellatur, & qui non aliud esse videtur, quam elogium virtutum, & actionum viri hujus. Ibi itaque legimus, illum ævo Salmanazar Regis Assyriorum in captivitatem abductum non solum non recessisse a via veritatis, & a lege Dei; verum etiam fervorem illius percrebuisse, propterea quod concivium suorum calamitatis miserebatur; quippe in id maxime incumbebat, ut socios captivitatis suæ consolaretur, eosque hortaretur, ne a Domini lege deficerent, in qua fuerant innutriti; ut illis opem ferret laboribus manuum suarum; ut mortuos sepeliret, omnesque tandem erga illos charitatis, & misericordiæ actus exerceret, factus eorum concionator, exemplum, atque solatium. Itaque Scriptura postquam fusius patientiam, virtutes, ac bona ejus opera enarravit, refert quoque benedictiones, quibus propterea illum, familiamque illius cumulavit Deus, eumque proponit tamquam exemplum fidelitatis, bonorumque operum, quæ veri servi Dei facere debent.

Exemplū Josaphat.

Propheta Jehu, ut scriptum est secundo Paralipomenon c. 19. Josaphat regi, qui cum rege Achab fœdus percusserat; impio, inquit, fers suppetias, atque societatem inis cum iis, qui oderunt Dominum. Hac de causa gravissimas mereris pœnas; sed inventa in te sunt opera bona, eo quod succidisti lucos, ubi in Juda idolis thura adolebantur, atque apposuisti cor tuum, ut quæreres Dominum. Hinc discimus, Deum propter opera nostra bona uti nobiscum misericordia, si umquam lædimus illum, nobisque resipiscendi, & ad frugem redeundi tempus concedere.

Deus rationem habuit bonorum operum Ezechiæ Regis, ac propterea vitam ejus produxit.

Eodem Paralipomenon libro cap. 3. legimus, regem Ezechiam multa operatum fuisse opera bona, cultum in domo Dei secundum cæremonias in lege præscriptas reformasse, non aliud quærentem, quam placere Deo, & toto cordis affectu exequi omnia, quæcumque eidem accepta fore putabat. Hæc res tantam illi peperit in Dei misericordia confidentiam, ut non dubitaverit illa in memoriam revocare Deo, cum gravi laboraret morbo, ex quo Propheta quidam Dei nomine illum prædixerat moriturum: *Dispone domui tue, quia morieris tu, & non vives.* Isai. 38. Ubi hoc regi nuntiatum fuit, non ideo animo excidit; sed obtestatus est Dominum, ut in gratiam eorum, quæ pro illo facere fuerat adnisus, ac propter bona opera sua aliquot vitæ annos adhuc concedere dignaretur, cujus voti eum damnavit Omnipotens.

Exemplū filii Dei.

Hac in re non aliud exemplum requiritur, quam filii Dei, qui bonorum operum exercendorum præceptum edidit, & qui simul perfectissimum fuit hujus legis exemplar. Omnes illius actiones totidem sunt argumenta; incœpit enim primum facere, & mox docere, ut sacer textus ait, ita ut tota vita illius non aliud extiterit, quam perennis exercitatio, & juge omnium virtutum, omniumque operum bonorum exemplum; *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes... bene omnia fecit:* Act. 10. Satis est igitur oculos in divinum hunc prototypum conjicere, non solum ut ad omnia bonorum operum genera excitemur, verum etiam ut discamus, qua perfectione ea nobis facienda sint.

Qua-

Quapropter cum Apostoli, omnesque Sancti quovis tempore sese ad hoc exemplum conformaverint, infinitum, & supervacaneum esset, hic cætera afferre.

Dei filius testatus est, quam accepta sibi sint opera bona.

Facere tamen nequeo, quominus duo afferam exempla Evangelica, unde conjicere possumus, quam accepta Deo sint opera bona. Alterum Magdalenæ est super sacros Salvatoris pedes vas pretiosi unguenti plenum effundentis, quod factum Dominus ipse bonum opus appellavit: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* Matth. 29. Et bonum hoc opus ita illi placuit, ut voluerit nunciari, ubicumque Evangelium suum prædicaretur, ejusque memoriam in omnia sæcula perennari. Alterum exemplum nobis ostendit, illum non tam magnitudinem, vel utilitatem operis boni spectare, quam cor, bonamque operantis voluntatem, cum hic, quantum in ipso est, operatur. Hoc autem exemplum est pauperis viduæ in templi gazophylacium duos conjicientis denarios, cum interim ditiores Jerosolymæ cives aureos, argenteosque nummos largius conferrent; Dei quippe filius elata voce, digitoque mulierculam hanc, quam ne respicere quidem aliquis dignatus esset, ostendens, ait, illam plus quam cæteros contulisse; illud enim modicum, quod obtulerat, tota erat ejusdem substantia, cujus oblatione gratum Deo animum testabatur.

Fatuarum virginum, inertisque servi exemplum.

Totis artubus contremiscere debemus in Evangelicis intuiti parabolis; virgines fatuas, ignavumque servum æternis damnatos suppliciis, non quod malum aliquod egerint, sed quod nihil boni fuerint operati. Virgines illæ quidem rejectæ fuerunt eo quod oleum quod charitatem significat, in lampadibus non habuerunt; servus autem in exteriores projectus fuit tenebras, quia ex credito sibi talento nullum perceperat lucrum. Hoc plerosque fidelium perdit; putant illi, ut salventur, satis esse gravioribus abstinere peccatis, quin bona opera cumulare satagant; quamvis hæc de præcepto sint, ac sub damnationis pœna imperata.

Thabita resuscitata a S. Petro propter bona operassua.

In Actis Apostolorum cap. 9. legimus, cum sancta quædam mulier, Apostolorum discipula, bonis operibus plena, ut sacer loquitur Textus, humanis decessisset, oratum fuisse S. Petrum, ut rationem habere vellet lacrymarum egenorum, qui fœminæ mortem lugebant, ac celebrabant ea charitatis opera, quibus illa, dum viveret, ipsis opem attulerat, ostentantes vestimenta, quæ ab eadem pro eleemosyna acceperant. Hæc res Apostolorum principem tetigit, qui Deo preces effudit, ut mulier in vitam revocaretur, bonorum operum suorum exercitationem prosecutura. Nec in irritum abiere vota, sed non sine summa cum eorum, qui aderant, tum regionis totius pia mulier admiratione revixit.

Sterilis ficus eorum figura est, qui opera bona non faciunt.

Qui nulla bona opera faciunt in terribili hac Evangelii parabola a S. Luca exhibentur. Quidam ficum habebat in vinea; ad quam cum pluries frustra accessisset fructum percepturus, arborem jussit succidi, ne inutiliter solum occuparet. *Succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Pergit Evangelium, & ait, olitorem, cui vineæ cura erat concredita, deprecatum fuisse, ut ficus hæc in annum adhuc reservaretur; fodiam, inquit, illam, excolam, fimumque addam, ut, si fieri potest, afferat fructus, quos nisi post hæc tulerit, illam succides. Parabolam hanc ita Patres interpretantur: quilibet Christianus hæc ficus est, arbor in Domini vinea, Ecclesia videlicet, consita. Deus illam manu sua plantavit, eamque sanguine suo per sacramentorum rivulos fluente irrigavit; verum postquam adeo sancte fuimus exculti, nisi bonorum operum tulerimus fructum, minitatur Deus ipse futurum, ut tamquam steriles arbores revellamur. *Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Maximorum thesauri, qui per bona opera thesaurizantur.

THesaurizate vobis thesauros in cœlo &c. Matthæi 6. Dei filius hominibus modum aperit acquirendi per ea, quæ nullius momenti videntur, divitias, atque inæstimabiles suæ gloriæ thesauros: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Verum quarumnam rerum thesauri sunt in cœlo thesaurizandi? Rerum omnium, actionum magnarum, & modicarum, heroicarum, & exiguarum; hæc omnia congerite, immo earum quoque analecta, & reliquias servate. Quærit S. Gregorius, quid intelligendum per ea fragmenta, quæ colligi Dominus jubet: & respondet, actiones esse inutiles, quæ si vellemus, tales non essent; reliquias esse cogitationum nostrarum: *Reliquiæ cogitationis.* Psal. 75. Sexcenta verba, sexcenta inutilia colloquia, quæ gratia sanctificare posset, & inferre in cumulum gloriæ, quam expectamus; ita ut quemadmodum in thesaurum non inferuntur solum magni ponderis, aureique nummi, verum etiam levioris pretii; ita misericordiæ divinæ thesaurus, non ex sublimibus tantum, heroicisque virtutibus, verum etiam ex actionibus communibus, quibus ne animum quidem advertimus, esse debet compositus. Nobis res est cum Deo, cui modicum satis est, & qui exiguum illud, quod offerimus, tanti facit, ut eidem nihil minus, quam infinitam mercedem polliceatur.

Deus, qui quæritur, nonnisi per bona opera invenitur.

Deum exquisivi manibus meis, & non sum deceptus. Psal. 76. Ut Deum inveniamus manibus exquirendus est, ait Psalmista, & quicumque illum alio quolibet sensu exquirere satis putaret, hic illius numquam inveniendi periculum subiret. Deus palpari non potest, quia corpus non habet, attamen manuum opera vult inveniri; hoc est, sola ei non sufficit fides, sed bona opera exquirit. Quamobrem Propheta inquit: *Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo, & non sum deceptus*; & S. Augustinus ait, omnes has circumstantias rite notandas esse: *Quid exquisisti? Deum. Quomodo exquisisti? manibus. Quando exquisisti? nocte. Ubi exquisisti? coram eo. Quo fructu exquisisti? & non sum deceptus.*

Qui opera bona non faciunt, salute periclitantur.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Joan. 15. Nisi bonis efficiendis operibus invigilemus, nonne periculum est, ne similes simus sterili sarmento, quod ex trunco divulsum arescit, nonnisi igni alendo utile? Confidimus, quod non omnibus sceleribus mancipati sumus; verum meminerimus inutilem servum non ideo fuisse damnatum, quod talentum amiserit, sed quod illud in quæstu non posuerit; & patremfamilias non succidisse vineam, eo quod non tulerit fructus, sed quod bonos fructus non tulerit. Speramus futurum, ut Deus adhuc aliquantulum expectet, & fortasse *jam securis ad radicem arboris posita est.* Matth. 3. & Luc. 3. Jampridem te expectat Deus, te monet, sollicitat; sæpe venit, & semper frustra, ad quærendos ejus arboris fructus, quam tanta excoluit cura: & ob diuturnam hanc sterilitatem indignatus intra paucos fortasse dies in te eam laturus est sententiam, quam paterfamilias protulit in ficum; *Succide ergo illam; ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Quamprimum hæc arbor mala evellatur, & projiciatur in ignem. Cui bono diutius patiar occupari locum, ubi arbor alia bonos fructus afferret?

Bonis operibus nosmet Dei filios probare debemus.

Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Joan. 8. Si estis filii Abrahæ, dicebat Dominus Judæis, facite opera Abrahæ; quæ nisi facitis, fidei pater, pater vester non est. Similiter cum S. Paulo vobis dico: si estis filii Dei, ostendite veras filiorum Dei notas. In cordibus vestris illius amorem gerite, spiritum ejus in cogitationibus vestris, ac in tota vitæ vestræ ratione illius sanctitatem. Quemadmodum Dæmon pro filiis suis agnoscit illos, qui

qui dæmonis opera faciunt; ita Deus pro suis eos tantum agnoscit, qui Deo dignas actiones operantur, & qui eas operando non delassantur; cum Dei voluntas hac in re palam a Sancto Paulo aperiatur: *ut ambuletis digne Deo, in omni opere bono fructificantes*. Ad Coloss. 1. Deus, magnus hic Apostolus inquit, vult vos seipso dignam vitam vivere, jugiter omnibus bonorum operum generibus vacantes.

Per opera potissimũ Jesum Christum confitemur.

Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, S. Paulus ait ad Roman. c. 10. Sed animadvertite, Fratres, Dei filium exquirere potissimum, ut illum confiteamur operibus. Opera nostra testantur illum a nobis pro magistro haberi, ac probant, nos ex numero verorum discipulorum ejus esse velle; namque parum est dicere verum Deum a nobis coli, hoc probandum est, & alia quælibet probatio præter eam, quæ operibus fit, æquivoca est, & incerta. Arbor, quæ bona est, bonos fructus producit.

Ex actionibus bonisque operibus veri fideles agnoscuntur.

A fructibus eorum cognoscetis eos. *Matth*. 7. Omnes homines verbis quidem similes sunt, differunt autem actionibus, & affirmare possumus, veros christianos a reliquis ex operibus bonis dignosci: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Plurimi vocem quidem Jacob habent, manus vero Esau, hoc est plurimi loquuntur, ut bonos fideles decet, at Ethnicorum more operantur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

H*Oc ipsum cum bene agimus, Deum per nos agere intelligamus*. Augustin. de quant. anim. cap. 34.

Ad peccandum homo abundat propria facultate; ad agendum autem bonum, sibi non sufficit, nisi ab illo justificetur, cui solus est justus. Idem, lib. de vera innoc. c. 151.

Non sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est; & parum est nemini nocere, nisi studeas bonis prodesse. Idem, ibidem c. 86.

Bona opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, ita mihi videntur esse ut magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Idem, Præfat. in Psalm. 31.

Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Idem ibidem.

Ut bona opera sequantur præcedit fides; nec ulla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem. Idem, in Psalm. 67.

Sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi; & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona. Idem, tract. 25. in Joann.

Tunc recta sunt opera, cum in illum finem diriguntur, qui est Christus. Idem, in Psalm. 89.

Non solum malum fecisse, sed etiam bonum non egisse damnabile est. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 16.

Factus est thesaurus tuus meritum tuum. Idem, in Psalm. 31. conc. 1.

Quomodo Deus impalpabilis quæritur, nisi operibus etiam in nocte peccati factis? Idem, Epist. 151.

Omne opus leve fieri solet, cum ejus præmium cogitatur, & spes præmii solatium fit laboris. Hieronymus in Epist.

Qui Christum profitentur se amare, non modo ex iis quæ dicunt, sed ex iis quæ faciunt, cognoscuntur; ex fructibus enim arbor dignoscitur. Sanctus Ignatius Martyr, Epist. ad Ephes.

Non sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione respondeat. Gregor. Hom. 3. in Evang.

Numquam Dei amor est otiosus, operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est. Gregor. ibidem.

Fides sine operibus mortua est, quemadmodum opera sine fide. Gregor. Nazianzenus, Orat. in Lazar.

Quisquis diligere se alium asserit, & in verbis sistit, verba ejus quodammodo mortua sunt. Greg. Nyssen. lib. de opific. mundi.

Habent opera linguam suam, habent facundiam suam etiam tacente lingua: facta namque præ dictis amantem probant. S. Cyrill. Apoph. 24. lib. 1.

Non transeunt opera nostra, sed velut æternitatis semina jaciuntur. Bernard. Serm. 15.

Quid fides, quæ non operatur, nisi cadaver exanime? Idem, Serm. 24. in Cant.

Argumenta fidei, opera. Idem, Serm. de Resurrection.

Verba Christiani opera sunt. Chrysost.

Dilectio vacare non potest; da mihi amorem vacantem, & nihil operantem. August. Serm. in Psalm. 32.

Ille bene operatur, qui jam operatur, non ut ipse Deo placeat, sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo quod operatur. Bern. in Sent.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hoc in argumento valeat hauriri.

Bonorum operum definitio.

PEr hoc bonorum operum, de quibus hic agimus, nomen sanctas, bonasque actiones intelligimus, quæ vitam æternam merentur. Notionem hanc omnes tradunt Doctores Bibliis innixi, ubi Deus cœlum, beatamque æternitatem pollicetur in bonorum operum præmium, quæ hac in vita justi fuerint operati. Actio bona vox est magis generica, & cujus sensus latius patet, quam bonum opus; quamvis quicumque hoc pertractarunt argumentum, vulgo promiscue utroque nomine utantur: sed si proprie loquamur, opus bonum est actus alicujus virtutis, quæ sese extrinsecus prodit, veluti eleemosyna, & præsidium proximo præstitum. Vocatur autem bonum, sanctum, christianum, & supernaturale ad distinctionem illius, quod simpliciter morale est, & rationi conforme, qualia sunt opera, quæ Ethnici complures fecerunt, & facere possunt, & quæ Christiani multi quotidie faciunt, cum ob honestum duntaxat finem operantur, quin opus referant ad Deum. Addimus, quod vitam æternam meretur, dummodo eas omnes habeat circumstantias, quæ ad id requiruntur, de quibus deinceps dicendum.

Variæ bonorum operum species.

In christiana vita generatim duplex est bonorum operum genus: alia quidem necessitatis sunt, quæ quicumque ad æternam adspirant beatitudinem, exercere tenentur: alia vero supererogationis, cujus generis sunt consilia Evangelica, quæ Deus quidem absolute non exigit, sed quæ peculiarem coronæ gloriam acquirunt exercentibus illa. Præterea Scriptura omnes bonorum operum species ad tres hasce referre videtur, quæ totum continent bonum, quod efficere potest fidelis ad cœlum promerendum, videlicet orationem, jejunium, & eleemosynam. Orationis nomine ea intelligimus omnia, quæ divinum cultum respiciunt; nomine jejunii ea, quæ nostram peculiarem perfectionem, affectuum victoriam, mortificationes, & praxin pœnitentiæ; eleemosynæ tandem verbo ea, quæ ad proximum referuntur, puta omnia misericordiæ, & charitatis opera, quæ late patent, pluresque peculiares virtutes amplectuntur. Nos hic de bonis operibus generatim loquimur, uti jam admonuimus, quin de singulis peculiariter sermonem instituamus.

De bonorũ operum meritis.

Cum opera bona non absque necessariis conditionibus perfecta præmium mereantur coram Deo, qui illud amplum, & affluens pollicitus est, hac in re ea, quæ a Theologia docemur, hæc ferme sunt. 1. Duplex esse meriti genus, alterum de condigno, quod cum ex parte operantis, qui in statu gratiæ invenitur, tum ex parte operis, quod supernaturale est, talem habet cum mercede rationem, ut hæc quodammodo jure debeatur illi, saltem

si hanc

si hanc Dominus spoponderit. Alterum est de congruo, cui cum haec promissio, vel proportio desit, Deus ex mera liberalitate mercedem concedit. 2. Meritum omne, quod acquirere possumus, ad vitæ hujus spatium coarctari; post mortem enim non possumus amplius in virtutibus crescere, neque ullum perfectionis gradum acquirere; atque in omnem æternitatem ea tantum habebimus merita, quæ in hoc mundo, donec viatores sumus, thesaurizamus. 3. Meritum, de quo loquimur, adhærere bonis, ac liberis actionibus: actionibus, inquam, neque enim meremur per nobilissimarum, præstantissimarumque virtutum habitus, nisi eorum actus aliquis producatur. Adjecimus *actionibus liberis:* quia laus, ac vituperium libertati debentur, quam Philosophi, atque Theologi tamquam boni, malique, ideoque meriti, ac demeriti principium, & fundamentum respiciunt. 4. Bona tantum opera mereri præmium in cœlo, pro bonis operibus, vel actionibus eas intelligi, quæ fiunt ab habentibus fidem cum gratia, & propter supernaturale principium; nam ob trium harum conditionum defectum virtutes vel antiquorum Philosophorum, vel infidelium, vel etiam Christianorum nullius meriti, pretiique sunt pro cœli gloria acquirenda.

De fide est opera nostra bona æternum præmium mereri.

His omnibus positis fide est, justos omnes apud Deum æternum mereri præmium omnibus bonis actionibus, bonisque vitæ suæ operibus. Hoc Sacros. Trident. Synodus contra nuperos hæreticos statuit sess. 6. cap. 16. Canone 32. Ratio mutuata est ex Scripturæ apertissimis verbis, idque pluribus in locis, potissimum apud S. Matth. cap. 16. ubi dicitur Dei filius extremo judicii die cuique secundum opera singulorum redditurum: *Venite benedicti Patris mei* &c. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Matth. 16. Controversistæ hujus rei afferunt argumenta, quæ istic afferre operæ pretium non est.

Cœlum mereri possumus cum operibus bonis, quæ sunt de præcepto, cum etiam illis quæ meræ sunt supererogationis.

Quoad actiones, quibus cœlum mereri possumus per meritum de condigno, iidem Theologi vulgo docent, non per opera solum supererogationis, atque consilii, quod nonnulli crediderunt, verum etiam per eas, quæ nobis imperatæ sunt, quæque facere tenemur sub damnationis pœna, magnificam hanc mercedem obtineri. Ipsa etiam Tridentina Synodus declaravit sess. 6. ac Dei filius verbis suis docuit dicens: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19.

Ad perfectam hujus argumenti cognitionem sciendum quoque est, non per solos exercitos, imperatosve a charitate actus posse nos beatam promereri æternitatem, verum etiam per omnes, & singulos aliorum virtutum actus, quos justi ob finem supernaturalem exercent. Eadem Synodus postremo capite sessionis sextæ declaravit, mortales justificatos divinæ legi satisfacere, æternamque vitam mereri per bona opera facta in gratia, ac in statu justitiæ, necnon cum divinæ gratiæ auxilio, quæ in omnibus bonis actionibus quæritur; ideoque quemadmodum non per solos charitatis, aliarumque theologalium virtutum actus divinæ legi satisfit, ita secundum Concilii mentem, non solis actionibus exercitis, vel per charitatem imperatis, verum etiam iis omnibus, quæ in statu justitiæ, & cum actualis gratiæ Dei subsidio fiunt, æterna præmia meremur.

Cœlum, æternamque mercedem minoribus etiam bonis operibus promeremur.

Notandum est quoque, non per solos actus tanto cum fervore, atque vehementia elicitos, quantum producere possent gratia, & charitas, quæ sunt ejusdem principia, justos per meritum de condigno æternam mercedem promereri, quod non pauci, iique eruditissimi viri affirmarunt; verum etiam per eos, qui præclaris hisce habitibus infirmiores sunt; & generatim omnibus bonis operibus, quæ justi faciunt, sive magna illa sint, sive mediocria, meritum de condigno, de quo locutus sum, adhærere. Si enim propter quodvis mortalis noxæ genus reprobi in inferno excruciari mo-rentur; cur justi quoque pro omnibus, & singulis operibus bonis, quæ faciunt, æternis in cœlo præmiis donati non mereantur.

Deus opera bona præter eorum merita remunerat.

Supponendum denique est tamquam constans in christiana morali axioma, non satis esse Deo bona justorum opera remunerari juxta eorum meritum de condigno; verum illis semper magnam facere accessionem, ac meræ liberalitatis favores adjicere, quasi cumulaturum omne illud meritum, quod in illis esse posset de congruo. Hoc autem innititur Domini verbis dicentis: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum.* Luc. 10. Mensuram videlicet nobis datum iri confertam non solum secundum meritum de condigno, verum etiam illam coacervatam, coagitatumque iri, ut nihil sit, quod abunde non replicatur. Hinc docemur; Deum nobis majora largiturum, quam bona merentur opera, neque ea nobis expectanda esse præmia, quæ solùm meritis nostris ex æquo respondeant.

Omnes actus humani apud Theologos variis appellantur nominibus, pro variis affectionibus voluntatis, vel diversis gratiæ, & peccati statibus, ubi actu inveniuntur, qui eos operantur. Prima dicuntur opera mortifera, etenim mortem inferunt animæ, & hæc sunt peccata mortalia. Secunda vocantur opera mortua, eaque sunt opera bona, bonæque actiones, eleemosyna, jejunium, aliæque virtutes, quas, qui actu in peccato mortali versatur, exercet; quæ cum per gratiam animatæ non sint, quæ est vitæ eorum principium, nihil prosunt ad æternitatem. Tertia dicuntur opera mortificata, eaque sunt, quæ in gratiæ statu perfecta, ac deinde per mortale aliquod crimen, quod ad tempus illis ademit jus, quod habebant ad gloriam, mortua facta, nihilominus reviviscunt, ac jus recipiunt suum per spiritualem peccatoris resurrectionem. Quarta dicuntur vivificantia, quia reddunt animæ vitam gratiæ, quam amiserat, cujus generis sunt perfecta contritio, vel attritio cum Sacramento. Postrema denique viva dicuntur, & illa sunt, quæ cum sint vitæ plena, quia operans illa est in gratiæ statu, hunc Deo charum, ac illius hæreditate dignum efficiunt. Ex omnibus autem actionibus, seu vivæ illæ sint, seu vivificantes, ne una quidem est, quæ boni operis nomen ferre, æternamque felicitatem mereri valeat, nisi gratiæ spiritu animentur, qui si desit, quamcumque bonam actionem operetis, nihil ad vitam æternam proficis.

Morales infidelium virtutes peccata non sunt.

Quamvis S. Augustinus in quæstione contra Julianum Pelagii discipulum lib. 4. capit. 3. Apostoli verba proferat: *Quod non est ex fide peccatum est*, probaturus neminem per se efficere posse aliquem veræ virtutis actum, nisi vivat ex fide, sine qua, quemadmodum Apostolus inquit, Deo placere impossibile est; inde nequaquam inferendum est, quod nonnulli fecerunt auctores, sanctum hunc Doctorem tamquam peccata respexisse mortales infidelium virtutes; sed, ut mentem illius explicemus cum omni temperamento, quod a Theologis adhibetur, significat, non virtutes morales, quas ob honestum finem Ethnici exercebant, vera fuisse peccata; sed cum illis nequaquam affulgeret lumen fidei, quæ una nobis supernaturalem detegit finem, sæpe præclarissima eorum facta inanes fuisse virtutes, & vera peccata, quia ob vanitatem, vel pravum aliquem finem operabantur illa: quamobrem alicubi eas *inflatas virtutes* appellat.

Ad bonum opus faciendum actuali opus est Dei gratia, quæ nos præveniat, atque excitet.

Deus unus orditur salutis, bonorumque operum nostrorum catenam; atque in hoc principio nullam nobismet vendicare possumus partem. Hoc est lumen, & motus gratiæ, per quem Deus nobis suam aperit voluntatem, & ad bonum opus operandum excitat. Opus est, ut nos benedictionibus dulcedinis suæ, ut Propheta inquit, præveniat; alioquin quidquid conamur, inutile est. Ipse etiam catenam hanc prosequitur; sed assentientibus nobis; vult nos in partem accedere operis boni

boni per bonum nostræ quidem libertatis, gratiæ vero fine usum; quæ illa duo simul sunt, quæ bonorum operum pretium constituunt, & gratiæ incrementum, ut nova in dies operemus, merentur.

Quas conditiones secundum Augustinum habere debeat opus bonum.

Ut actio bona sit, atque meritoria duas habere debet qualitates: quarum altera est, quod per se bona sit, neque divinæ legi contraria; altera quod ad finem, qui decet, referatur; & finis hic secundum ordinem æterna lege statutum, non alius est, quam Deus. Bonitas actionis in se corpus actionis dicitur; ratio vero, quam habet ad Deum tamquam ad finem, anima actionis vocatur. Itaque omnis actio, quæ in se bona est, sed quæ ad proprium finem non refertur, corpus est sine anima; ita ut juxta doctrinam hanc frustra quæcumque bona fiunt, nisi fiant propter Deum; si enim propter alium quemcumque finem fiunt, quantumvis nil aliud quærentibus bona videantur, possunt naturaliter quidem esse bona, sed non sunt veræ christianæ virtutes, quæ gloriam merentur.

Utrum bonæ actiones tendāt ad Deum, qui formali charitatis actu ad eum referuntur.

Quærunt Theologi, utrum necessum sit singulas actiones ad Deum referre formali, ac præciso charitatis actu ad hoc, ut mereamur æternum præmium, quod pollicitus est Deus facientibus illas. Doctores quidam affirmant, & quamvis hoc videatur nimium ex humana exigere infirmitate, nihilominus cum de infinito agatur pretio, deque Dei ipsius possessione, putant nihil minus exquiri ab homine posse ad æternam anhelante felicitatem. Alii tamen cum erudito Suarez lib. 2. de Grat. cap. 9. & 10. tenent probabilius, omnes supernaturalium virtutum actus, ac moralium infusarum in gratiæ statu exercitos per meritum de condigno, & æquo jure æternam gloriam mereri, quin sese charitas immisceat: cum enim supernaturalia sint non secus ac gloria, ex seipsis ad illam rationem habent, cumque alioquin sint cum gratia conjuncta, fini huic sunt maxime consona. Vel si mavis, dicamus solam sanctificantem gratiam sufficere posse, illis hanc dignitatem, ac potestatem conferendo, quin ad Deum debeant referri.

Metuendū ne opera cum officiis nostris collata nimis levia inveniantur.

In hoc mundo passim mala tantummodo multiplicamus. Magna sunt officia nostra ultra quam arbitramur; atque tanta disparitas interest inter ea, quæ facimus, & quæ nobis essent facienda, ut non desint perpetuæ credendi causæ futurum, ut opera nostra levia repetiantur in judicio illius, qui æquissima lance illa est appensurus.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Christianus opera bona facere tenetur.

ARbor eadem non quolibet anni tempore fructus fert; sed quolibet tempore fidelis tenetur virtutum actus ferre, & bona opera facere. Deus hoc vult, esurit ille, nostrasque cupit actiones, ad nos accedit per gratias, quas ad bene operandum largitur; & nisi, quocumque tempore accesserit, in nobis bonos invenerit fructus, sterilitas nostra noxia est, quia in nostra voluntate posita est fœcunditas. Ea vero infelicitas nostra est, quod similes sumus ficulneæ, de qua loquitur Evangelium, secus latam mundi viam consitæ, quin nosmet in arcto contineamus tramite, ubi Deus suavissimum gratiæ suæ imbrem effudit. Hinc fit, quod terrestribus tantum aquis irrigati, ac numquam cœlesti rore adspersi fertiles quidem sumus in omni vitiorum, & imperfectionum genere; in bonis vero operibus steriles. Eheu! metuamus Domini maledictum. Ille maledixit ficulneæ, quæ haud sane defecerat; nondum enim fructuum tempus advenerat; sed ut hominibus opera bona facere negligentibus terrorem incuteret; si enim fructus expetit ex arbore extemporaneos, ac si illi succum nutritium auferens perpetuæ addicit ariditati; quid tandem severitatis nobiscum exercebit, si messis tempore steriles esse repererit? Nonne metuendum nobis est, ne nos maledicto subjiciat, æternisque ignibus damnet? *Pater Nouet in recessu preparationis ad mortem, meditatione prima pro die octava.*

Homines negligunt thesaurizare thesauros in cœlo bona opera faciendo.

Eheu! Mortales, qui suas tantopere quærunt utilitates, quam male norunt, quid vere sibi prosit, & secreta locupletandi libidine accensi quam male divitiarum congerendarum artem didicerunt! Tandem enim si sanctificantem gratiam servarent, si propter bonum finem agerent, immensas illi quidem pro æternitate opes cumularent. Totum viæ eorum stadium perpetuum esset benedictionum semen, quarum messis aliquando in infinitum excresceret; atque ex tot momentis annum componentibus ne unum quidem esset, quod recentem non germinaret coronam toto cœlo ea pretiosiorem, quæ in regum fronte renidet. *De la Volpilliere, sermone de bonis operibus.*

Nobiscum in vitam alteram bona tantum opera afferemus.

Thesauri omnes, quos in terra cumulas, pro aliis potius, quam pro te congeruntur, & quidquid supellectilium, agrorum, & hæreditatum auferes tecum, linteum erit; reliqua ad hæredes migrabunt, qui irruent veluti in prædam; iisque fortasse non consentientibus omnia litibus absumentur, & ad alienos transibunt: *Relinquent alienis divitias suas.* Hoc ipsum corpori accidet tuo; illud non secus atque divitias relinques: pro vermibus, & putredine saginaris; cumque coram Deo prodeundum erit tibi, tecum bona dumtaxat auferes opera, quibus immortalis gloriæ thesaurum tibi comparabis; ad quem fures accedere non poterunt, neque tineæ corrumpere. *P. Nouet in meditationibus.*

Boni operis pretiū, & meritū.

Bonum opus; ac minimus virtutis actus aliquid majus est, & gloriosius, quam omnes simul celeberrimorum Ducum expeditiones, quam utilissimæ quælibet negotiationes, quam imperii acquisitio, vel regimen. Hoc nos docet fides, & ratio confirmat, quia hæc omnia nihil sunt aliud, quam gloria creaturæ; cum bona opera, & virtutum actus Creatoris gloriam procurent: unde inferendum est hæc inter nullam institui posse comparationem. Veritas hæc, si bene concipiatur, quantum ardoris inspirat pro actionibus omnibus, quæ aliquid ad Dei gloriam possunt conferre! quantum fervoris in omnibus pietatis exercitationibus! quantum contemptus pro iis omnibus, quæ Deus non sunt, neque ad gloriam Dei referuntur! *P. Nepveu tomo 3. Christianarum considerationum.*

Bonorum operum præmium nos ad illa excitare debet.

Ullane res ad bonum, quod pro virili possumus, operandum excitare nos debet, quam cogitare, ne unum quidem esse momentum, quod nequeat æternitatem mereri, nullum esse opus bonum, quod gradu peculiari æternæ gloriæ Deus non remuneretur? Ullane res magis ad bona opera facienda, ad omnes actus nostros cum fervore eliciendos debet excitare, quam cogitare nostram in cœlo beatitudinem eo majorem futuram, quo majori sollicitudine, & cura muneribus nostris perfuncti fuerimus? Eheu! tanto ardore peragimus illa, per quæ nomen aliquod, vel aliquam utilitatem possumus comparare, ea vero, quæ nos coram Deo magnos efficere possunt, negligimus. *Idem tomo quarto.*

Quid metuendum illis, qui nulla bona opera faciunt.

Consideremus quæso, cui nosmet objiciamus periculo vitam bonis operibus vacuam ducentes, & quam metuendum sit, ne in caput nostrum pertrahamus Dei juste irritati supplicia, terribilemque sententiam illam, quæ in sterilem arborem lata fuit. *Excidite Arborem, ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Plures jam annos Jesus Christus nos visitat aliquem in nobis fructum inventurus. Illum sua spes semper fefellit, semper enim folia dumtaxat nactus est, vel fructus Gomorrhæis similes, qui sub specioso cortice tabum, cineresque tegebant. Quid nobis igitur expectandum? Quid metuendum? Nonne merito nobis

expro-

exprobrare potest, quod olim per Prophetam: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Isai. 5. Post omnes exantlatos in illa excolenda labores, nonne bonos fructus jure meo ab illa expectabam? attamen quasdam dumtaxat protulit labruscas: *judicate inter me, & vineam meam.* Judicate, ingrati mortales, utrum justa sit hæc mea de vobis querela. Nullum bonum est, quod non contulerim vobis; vos autem ex omnibus his bonis, quem fructum percepistis? *P. Croiset, tomo 1. recessuum pro singulorum mensium die.*

Magis adhuc justum timeatius supplicium, quod vineæ sterili Dominus minitatur: *Et tunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ; auferam sepem ejus, & erit in direptionem.* Isai. 5. Sepem, qua circumundique conclusa est, revellam, eamque sine macerie, fovea, sepe omnium prætereuntibus dabo in direptionem. Conculcabitur, publica via fiet, non excoletur amplius, spinas, ac tribulos tantum germinabit, atque in infelicitatis ejus cumulum imperabo nubibus, ne supra ingratum solum imbrem effundant, neque rore suo irrigent agros malos dumtaxat fructus ferentem. Quid hæc sibi verba velint, nemo non intelligit; applicemus illa. Ea, quæ nos sanctificare debuerant, hactenus inutilia fuerunt; validissimæ gratiæ caruerunt effectu; ad hanc usque diem folia tantum, malosque fructus protulimus. Auferet nobis Deus efficacia subsidia, quæ nos irrita facimus, & singulares gratias, quibus abutimur. Sæpe hac ablata, videlicet interiori hac recollectione amissa, metu divinorum judiciorum excusso, anima indiscriminatim in quodvis objectorum genus se effundet, atque erit veluti in direptionem affectionibus omnibus. Sexcentæ tumultuosæ curæ mentem occupabunt, Deus nonnisi imbecilla, gracilique voce in corde ejus loquetur; virtus fastidium pariet; Domini jugum nimis onerosum fiet, gratiarum fons exhaustus videbitur; anima vero in adeo misero statu quid erit? Hoc tamen expectare sibi debent animæ steriles nullos fructus ferentes. *Idem.*

Fides sine bonis operibus ad salutē non sufficit.

Si ad salutem consequendam satis esset credere, non exiguus esset numerus prædestinatorum. Liceat nobis, quamplurimi dicerent, pro libidine vitam instituere, facile credemus quæcumque; sed fides sine operibus mortua est. Nobismet ne blandiamur, eo quod credimus Evangelium; sine bonis operibus, hoc est, nisi fidei consonet vita, salus nulla speranda est. Fierine posset, ut tota christianæ religionis sanctitas, omnes fructus exemplorum Hominis Dei, totum sanguinis ejusdem pretium, omnes Sacramentorum, & gratiæ ipsius effectus ad id unum redigerentur, ut id crederemus, quod certo scimus a Deo revelatum fuisse, vel ut ad summum aliquam extrinsecus sanctitatis speciem præ nobis ferremus? Quid ergo? Cœlum nonne præmii titulo nobis promissum est, & præmium nonne bona opera supponit? Sancti, qui illud hoc pretio assecuti sunt, alteriusne conditionis erant? Cœli viæ nondumne erant inventæ? Aliumne in mercedem se consecuturos sperabant? Nos vero eadem aliane via consecuturos esse sperabamus? *Idem.*

Bona opera, quæ Deus exigit ab homine Christiano.

Animadvertendum est per eos fructus, quos a nobis expetit Deus; nequaquam intelligi quamdam sterilem devotionis praxin, neque inanem virtutis corticem, quæ ad summum efficiunt, ut Christiani tepidam ducant vitam, ubi assertis hisce bonis operibus freti in gravissimis imperfectionibus dies traducant. Speciosæ id genus hominum virtutes ad summum sunt folia, hoc est exterior species, quæ hominum oculis imponit efficiendo, ut virtus illis videatur, quod dissimulatæ cupiditatis effectus est. Pro iis vero bonis operibus, quæ Deus a Christianis expetit, intelliguntur effectus amoris veri, ac sinceri erga Deum, & perfectæ erga proximum charitatis. Intelliguntur fructus, quos sola pietas producit, videlicet gravissimus minimorum peccatorum horror, insatiabilis justitiæ fames, generosa mortificatio, in omnibus status sui muneribus obeundis sedula diligentia. Intelligitur cupiditatum victoria, morum reformatio, vita perfecte christiana. *Idem.*

Christiani qualitas sine bonis operibus non salvabit.

Nos quatenus Christiani Dei filios esse gloriamur, adoptione ejusdem insignitos, ejusque expectantes hæreditatem; luminibus ejus illustratos, spe illius innutritos, naturæ illius per Incarnationem, meritis per crucem, spiritui per gratiam, Ecclesiæ per baptisma, corpori per Eucharistiam conjunctos; Patris cœlestis filios, Jesu Christi cohæredes, membra corporis, cujus ille caput est. Has jactamus qualitates; verum dicere audeo, omnibus hisce gloriosis titulis nos nihilo sanctiores futuros, neque per eos tantum, nisi bona accesserint opera, nos esse salvandos. Utique sine operibus, Christi nomen titulus est, quo dedecore afficimur; Evangelium est lectio, qua damnamur; Deus pater est, qui nos abdicat, & fides, quæ vita nostra esse debet, non sterilis tantum est, fructibusque carens, sed mortua. Sine bonis operibus electionem nostram certam facere non possumus; sine illis nullum habemus jus, vel spem ad alterius vitæ felicitatem; sine illis steriles tantum rami sumus, arboresque malæ in ignem tantummodo projiciendæ; itaut sola bonorum operum omissio nos a cœlesti regno excludat. Non enim ad eum possidendum satis est nulla admisisse peccata, quæ pœnam mereantur; nisi bona accesserint opera, quæ remunerationem mereantur. Ne igitur salutem nostram in eo collocemus, quod Christiani sumus; ne gloriemur, nos ad regnum cœlorum vocatos esse, nisi vita nostra nos dignos præbuerit; neque nostram jactemus fidem, nisi illi vitæ ratio congruat. *Ex Collectione sermonum a Patre Campigny electorum, sermone de operibus bonis.*

Omnes actiones, quæ moraliter, vel materialiter bonæ sunt opera bona, quæ cœlum mereantur.

Plures actiones sine bono, vel cum malo fine peractæ nullius meriti sunt; præterea si charitas desit omnia referens ad Deum, sumus veluti æs sonans, Apostolus inquit, ac cymbalum tinniens, similes viatoribus extra rectam viam ambulantibus; inani labore currimus, atque in stadii fine nosmet viribus exhaustos, & a vero termino procul abhorrentes invenimus. Possunt quidem opera misericordiæ infiniti esse thesauri; verum sub egregia specie non aliud sunt, quam fimus, & lutum. Non enim satis est bona opera peragere, bene peragenda sunt, eaque circumstantiæ ut plurimum bona faciunt. *Auctor Anonymus.*

Bona opera fieri requeunt, nisi donec vivimus.

Cum mortis momentum adest, non aliud facere possumus, quam eas concupiscere virtutes, quas adepti non sumus, & dolore confici, eo quod ea omiserimus opera bona, quæ peragere poteramus. Eo temporis momento, in quo variæ desinunt ætates, non aliam retinent qualitatem præter eam, quam numerus bonorum, malorumve operum confert: cum vivere cessemus, nihil superest, quam quod bene, vel male factum fuit. Quacumque ex parte spectemus morientes, eos hac tantum in re differre innotescet. *Liber cui titulus; Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Felicitatē nonnisi per bona opera acquirimus.

Opera bona solum nostram operantur salutem; dignitas, opulentia, ingenium, nobilitas, inutilia essis instrumenta. Sola virtus via est, qua ad salutem pervenitur. Vos ex vobis nullum umquam prædestinatum effecistis; Reges quidem, principesque facitis super terram, non sic tamen in cœlo. Meriti dumtaxat ibi ratio habetur, & meritum hoc ex bonis operibus, quæ facta fuere, desumitur: etenim cuinam rei in sæculorum fine Domini judicium incumbet? Numquid nobilitati? Haud ita sane: numquid divitiis, ingenii vi? Minus adhuc: bona dumtaxat opera solum gloriæ pretium constituent. *Sermo manuscriptus.*

Fides pulatim sine bonis operibus perit.

Ex nobismetipsis quæramus, quare adeo modicam fidem habeamus? Quare illam in singulos dies magis, magisque languescere in cordibus nostris sentiamus? quare tandem ita stupidi evadamus, ut veritatibus, quas illa nobis proponit, nequaquam afficiamur? Facile enim nobismet respondere

poterimus, fides quippe rationem suppeditat. Quid efficit, ut in nobis fides vivat? Quid, ut in nobis permaneat? Audite Oraculum Spiritus Sancti per os magni Apostoli prolatum. Fides, S. Jacobus ait, aliquid esse debet vivens, & animatum: at in quo hæc vita consistit? Quænam est hæc anima, quæ vivificat, & fidei corpus animat? Bona opera sunt; ex quo enim eorum exercitatio in vobis cessabit, Apostolus inquit, expectandum vobis est, illam statim infirmam, & languentem futuram, ac paulatim perituram, ita ut tandem omnino moriatur: *Fides enim sine operibus mortua est*, Jacobi 2. Quemadmodum ergo accidit, Sanctus hic pergit, ut corpus animale, ex quo animari cessat ab anima, paulatim contabescat, ac tandem omnino destruatur; ita fides sine hac bonorum operum anima fit languens, moriens, desperata, ac sine viribus: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Terribilis conclusio, S. Augustinus ait; sed vera æque, ac terribilis. *P. Bourdaloue, ubi ostendit fidem sine bonis operibus amitti*.

Propter infidelitatem repente non perimus; per quosdam veluti gradus homo fit infidelis, non secus ac oequam; neque repente ab uno ad alterum evolatur extremum. Fides altius est in cordibus nostris insculpta, ejusque impressiones non ita facile obliterantur. Primum quidem defectu exercitationis amittitur fides; actus illius non ita crebro eliciuntur: non admodum solliciti ea operibus adimplemus, quæ præcipit; pleraque illius consilia negligimus; deinde eam minori habemus in pretio; ea, quæ dicit, nos parum movent; nobismet persuademus, cum ita cæca sit, uti perhibetur, non adeo sedulam esse in pluribus, præsertim si naturæ corruptæ studiis repugnet. Ubi illam in pretio habere desivimus, gustum, & amorem ejusdem amittimus, ac deinde necessaria illatione quamprimum illud negamus obsequium, quod ipsi debetur; nemo enim est, qui propria doctus experientia nesciat, fieri ferme non posse, ut nosmet illi subjiciamus, quod neque diligimus, neque æstimamus. *Idem*.

De bonis operibus male institutis.

Sexcenti quotidie pereunt temere, ac sine prudentia sese bonis implicantes operibus, familiæ suæ, propriæque salutis curam deserentes. Omnes occupationes nostras charitas moderetur oportet, sed ordo, quem præscribit, exigit, ut pro nobis magis, quam pro aliis adlaboremus. Homo, Tertullianus ait, pro se, potissimum vivit, pro se enim tantummodo moritur: *Nemo aliis vivit moriturus sibi*. Heu! Si modo aperiret nobis Deus fatalem eum librum, in quo omnes actiones nostræ recensentur, quid videremus inter tot occupationum tumultus, quibus tantopere impedimur, quid videremus, inquam, quod vere propter Deum, propter animam, salutemque nostram factum fuisset? *Auctor Anonymus*.

Sæpe actiones in principio suo bonæ, male fiunt & circumstantiis suis corrumpuntur.

Accidit sæpe, ut actiones in principio, ac fine suo bonæ, vel malæ fiant, ac nefariæ propter eas, quæ sese immiscent, circumstantias, propter considerationes sequioris notæ, quæ sese illis adjiciunt, omnemque earum bonitatem corrumpunt. Amor proprius, qui ubique quæritur, & invenitur, secretam effundit improbitatem io ea omnia, quæ parit, & qui bonis operibus vacant, maximas afferre curas debent, ut sese ab eodem præservent, atque tueantur. *Abbas Trappensis Collatione pro prima Adventus Dominica*.

De actionibus moraliter bonis, sed quæ christianæ non sunt.

At enim non desunt proculdubio actiones moralem bonitatem habentes; cur bonorum operum nomine non appellentur? Verum est non deesse, quibus in speciem quædam bonitas adest propter eam, quam cum quibusdam humanis legibus, vel etiam regulis naturalibus habent, conformitatem: verum si cum christianis virtutibus comparentur, bonum, quod in illis videbatur, illico evanescit. Umbræ sunt, quæ accedente lumine dissipantur; ac affirmare non vereor, quominus vita, quæ ex his tantum actionibus coalesceret, quæ morales dicuntur; ex his, inquam, virtutibus, quæ antiquitatis Heroas constituerunt, Ethnicosque sapientes adeo celebres effecerunt, nullius esset pretii coram Deo: non quod malæ sint, sed quod necessariis destitutæ sunt conditionibus, ut bona sint opera; ita ut fidelis, qui non aliud haberet, quod secum in Dei judicium afferret, ubi diversa lance, quam ab hominibus, omnia ponderantur, atque æstimantur, certissime inter damnatos, reprobosque ablegaretur. *Idem ex parte*.

Pauci bona opera faciunt, quamvis inevitabili obligatione teneantur.

Quamvis bonorum operum obligatio absolutæ sit necessitatis, atque illi omnium hominum salus adhæreat; attamen parum nota est, & nemo ferme est, qui eidem satisfacere adnitatur. Plerique viventium in mundo illam transgrediuntur, & violant palam, lumini oculos claudere profitentur, perinde ac illius fulgorem sustinere non possent. Alii affectionum suarum motu abripi sinunt; voluptatem dumtaxat, & oblectationem inquirunt, & ubicumque inveniunt illam, illuc eo feruntur impetu, qui nullum novit finem, & modum: omnes eorum actiones plenæ sunt improbitatis; de suis flagitiis triumphant, sibique honori vertunt sua scelera. Non desunt alii, qui seipsos impediant plurimorum negotiorum tumultu, atque consiliorum, curarumque, nulla quarum ad Deum refertur, multitudine. Alii denique terrenis tantum occupantur, quibus ita adhærescunt, ut cœlestia ne videant quidem, sapiant, cogitent: horum vita laboriosa quidem, & negotiosa mortalibus videtur innocens, quamvis in oculis Dei sit nequissima. Homines illam approbant, atque laudibus celebrant; Deus vero eam rejicit, & damnat; omnia enim eorum opera, ut loquitur Evangelium, opera sunt tenebrarum. *Idem ex parte*.

Fides sine operibus inutilis est.

Omnino vel Biblia recipienda non sunt, vel fatendum fidem sine operibus inutilem esse. *Quid proderit Fratres*, S. Jacobus Apostolus inquit, *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Hinc sequitur salutem omnino & a Deo, & a nobis, a fide, & operibus simul pendere. Væ igitur vanis, superbisque fidelibus, qui se putant promereri posse gratiam Justificationis, augmentum gratiæ, & in eadem perseverantiam; sed væ quoque ignavis illis, qui sibi persuadere conantur, salutem suam a Deo tantum pendere, hoc illius, non ipsorum opus esse, fidemque ex se tanti esse pretii, ut sola ad eos salvandos sufficiat. *Abbas de Montmorel, sermone in Evangelium 13. post Pentecosten Dominica*.

Quædam actiones, & opera nobis bona videntur, nec sunt.

Hoc in loco de illis ex Christianorum numero loquor, quorum vita satis est innocens, qui a gravioribus criminibus abstinent, qui naturaliter malum perhorrescunt, ac bonum diligunt, qui injustitiam, & fraudes oderunt, & qui plurima bona opera faciunt: verum hæc omnia ob humanas tantum rationes. Hujusmodi sunt judices, qui summa officii fide jus dicunt; plures magistratus, quos ob probitatem populi venerantur; illi, quos Dei filius io Evangelio sapientes, & prudentes seculi vocat, qui vivunt non tam veluti Christiani, quam velut Philosophi. Tot mortales, qui pietatem omnem in sacramentorum receptione constituunt, & nihilominus vitam in alea, luxu, & vanitate traducunt... Quamobrem nobis stupor incedet magna illa die, qua omnia revelabuntur, cum nobis persuasum erit, plurimas actiones, quas fecimus, & pro quibus ingentia expectabamus præmia, suppliciis dignas existimari..... Deus ex hoc ipso tempore omnia opera nostra discutit, atque discernit; quæ mala sunt, separat a bonis, ac inter ea, quæ bona, ea, quæ bene peracta fuerunt, dignoscit: & quemadmodum inter ea, quæ sunt bona, varios bonitatis grastus distinguit, ut justas pro meritis coronas distribuat, ita inter ea, quæ sunt mala, varios nequitiæ gradus fecerit, ut singulis congrua aptet supplicia. Idcirco numquam confidere

debe-

debemus in actionibus nostris, quantumvis illæ bonæ, sanctæque videantur. *In morali christiana l. 3. sect. 1. art. 8.*

Quidquid pro Deo factum non est, nihil valet ad Cælum promerendū.

Vivamus uti bonos homines decet, quemadmodum veteres fecerunt philosophi, præstantissima, summisque laudibus digna operemur, bona exerceamus opera; nisi Deus horum objectum, & finis fuerit, nullius pretii sunt ad æternam salutem consequendam. Hoc explicitis verbis docet Apostolus 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.... & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Aliunde vero hoc nobis solatium est, quod conscientia nobis fidele hoc testimonium coram Deo perhibente, quod illum diligimus, ac ipse finis est omnium actionum, operumque nostrorum; hæc omnia sancta, omnia divina sunt, omnia æternæ vitæ meritoria. Quodnam solatium bonis animabus, omnibusque veris Christianis, ubi cogitant, quod cum in gratiæ statu positi sunt, certi sunt, minimas etiam actiones suas, puta frigidæ calicem sitienti præbere, cœlorum regno dignas existimari; quod adeo verum est, ut sit de fide. *Idem.*

Exercenda sunt opera bona status nostri propria.

Non desunt, qui putent sese satis bonorum operum facere, communia fidelibus omnibus obeuntes officia, sed negligentes illa, quæ status sui singillatim sunt propria. Itaque non vera, sed falsa pastoris, vel magistratus virtus est, frugi vivere, & opera bona exercere, si muneris sui curam, & peculiaria status sui contemnant officia. Quis enim ignorat, alias esse virtutes privati, alias publicam personam gerentis, & in qualibet conditione peculiares esse obligationes, ideoque & bona opera eorum propria, qui ad illam evocati sunt, quæ negligere nequeunt, quominus in officiorum suorum potissima parte deficiant: ita ut alia operari bona, antequam muneribus nostris rite perfuncti fuerimus, non aliud sit, quam supervacuas supererogationes, & bona opera sine meritis facere? *Auctor Anonymus.*

Non satis est bonas actiones facere, bene faciendæ sunt.

Non satis est sancta opera facere, sed facienda sunt sancte. Malum facile immiscetur bono, quod facimus; & sæpe fit, ut bonum in malum degeneret. Ita, S. Gregorius ait, quod per charitatem cœptum fuit, per cupiditatem absolvitur, & quod initio bonum erat, deinceps fit malum, saltem in iis, quæ meliora facimus, periculum est, ne quid inferamus, quod eorum bonitatem imminuat; veluti cum in munere nostro voluptatem, & in bono opere voluntatem nostram perquirimus. Gravissimum malum est hoc pacto bonum facinus mala quapiam immixtione corrumpere. *P. Dozenne in Morali Jesu Christi.*

Bona opera quæ minimum aliquid videntur, non nihil magni sūt.

Opera bona initio quidem nihil sunt; exigua sunt semina; frigidæ calix, panis offa pauperi data, exiguum charitatis officium misere in carcere detento, vel ægrotanti in xenodochio præstitum: & ille ipse, a quo præstatur, se tamquam inutilem servum cogitare debet. Verum ubi prava hæc semina in terram bonam jacta sunt, ac sata in fidei spiritu, cum gratiæ subsidio, ac propter Deum tanta fiunt, ut certissime æternas ædificent domos christianis animabus, quæ illa operantur. In spiritu, inquam, fidei, cum gratiæ subsidio, ac propter Deum: quia hæ tres sunt conditiones omnino necessariæ, ut opera nostra bona Deo fiant accepta, & quicumque sine aliqua ex his tribus severit, extremo vitæ suæ momento nihil coram Deo metet, quamvis omnes dies suos in assiduis laboribus insumpserit. *Sermones christiani, sermone pro sexta post Epiphaniam Dominica.*

In mundo pauci opera bona faciunt.

Ubinam sunt Christiani, qui hodierna die serio adlaborent repleturi mensuram bonorum operum, quæ ad salutem consequendam adeo sunt necessaria? Nulli ferme sunt; rara sunt opera bona; populorum religio non in eo posita est, ut plurima bona faciant, sed ut minus malorum præ aliis operentur: utque salutem assequantur, satis putant exterioribus quibusdam religionis officiis perfungi. Pietas enim consideratur minus veluti omnium christianarum virtutum congeries, quam veluti vel senectutis, vel calamitatis officium. In mundo omnes aliquam gerere personam volunt; pietatem vero illi sequuntur, quos mundus fugit. Qui ineptus est mundo, hic pietatis init consilium. Hæc virtus est necessitatis; minus illam amplectuntur, ut serviant Deo, & ut sua vitia, suasque corrigant cupiditates, quam ut honestum sibi comparent contra hominum contemptum, ac repulsam perfugium. *Ibidem.*

Bona opera fidei sunt conjungenda.

Opera bona testes sunt fidei, Salvianus ait, sine fide nulla sunt bona opera, & sine bonis operibus nulla fides justificans; sine operibus bonis, & sine fide nulla salus. Ob fidei defectum tot præclaræ inanium antiquitatis sapientum actiones fructu caruerunt; ob bonorum operum defectum tot Christianorum fides vel extincta est, vel inutilis; & ob operum bonorum, fideique defectum fieri nequit, ut aliquis justus sit, & perveniat ad gloriam. Fides sine operibus fides est dæmonum, & corpus sine anima, S. Jacobus Apostolus inquit. Vultisne scire, idem pergit Apostolus, fidem, quæ operibus vacua est, mortuam esse? Abraham nonne per opera justificatus fuit, cum in ara obtulit filium Isaac? Nonne videtis fidem fuisse cum operibus conjunctam, ideoque illud Scripturæ verbum fuisse adimpletum: Credidit Abraham Deo, & fides reputata illi fuit ad justitiam? *Ibid. tom. 4.*

Christianus sine operibus habens fidem, ut cum S. Climaco loquar, faciem tantum religionis habet, sed non oculos, neque spiritum. Dici quidem potest, & credere unum Deum, & credere Deo, sed minime credere in Deum, a quo tamen salus pendet. Credit Deum, videlicet existentiam illius, perfectiones, bonitatem, misericordiam, atque justitiam. Credit Deo, hoc est theoreticas veritates, quæ verbis illius nobis nuntiantur per Apostolos, Ecclesiam, atque Concilia; verum hoc satis non est: ubi enim est dæmon, qui non credat Deum, a quo licet invitus inter inferni supplicia igneis vinculis detinetur? Igitur qui satis putat credere Deum, & Deo, sed non credit in Deum, hoc est illi non obedit, leges illius non servat, neque ea facit opera bona, quæ fides exquirit, dæmonis tantum habet fidem. *Ibidem.*

Deus opera bona non facientibus fidem aufert.

Cur abstulit Jesus Christus Judæis fidem, quam Dei regnum appellat? Cur ejecit illos ab Ecclesia, ut Gentes vocaret? Unica ratio, quæ ab eodem affertur, hæc est, quod Judæorum fides non ferebat amplius bonorum operum fructus, & quod gentiles parati erant, ut ex eorum calamitate proficerent: etenim quamvis solum infidelitatis peccatum palam fidei oppositum sit, atque efficere possit, ut amittamus illam, attamen extra omnem dubitationis aleam positum est, bonis neglectis operibus deveniri tandem sin minus ad apertam hanc infidelitatem, quam morum decor non patitur, saltem ad secretam infidelitatem, quæ efficit, ut in religione vera vivamus eodem pacto, ac si infideles essemus. Hodie actio bona omittitur; cras altera; sensim, ac sine sensu pietatis exercitatio relinquitur, eamque paulatim in pretio habere desinimus. Cor sequitur mentem, & statim ac pietas non habetur amplius in pretio, ab illius amore cessatur. Ubi amor desit, illum fastidire incipimus; a fastidio ad contemptum, a contemptu ad irrisionem, ab irrisione ad apertam licentiam, a licentia ad fidei jacturam gradum facimus; illam enim juste eripit Deus, S. Prosper inquit, ab eo, qui per negligentiam se eadem præbuit indignum. *Ibidem.*

Per bona opera fides servatur.

In ipsis Ecclesiæ primordiis fides vigebat, latiusque fines suos proferebat per martyrium, invictamque fidelium, qui ad cædem conquirebantur, patientiam; eorum enim sanguis germen erat, quod

fidem ferebat in animis eorum, qui cruentas illas tragœdias spectabant. Num autem per bonos mores, ac opera bona fides inter nos alitur, & augetur? Stetit olim Apostolorum, primorumque fidelium sanguine; hodie vero bonis tantum operibus constat. Per hæc viget, & ubi bona cessabunt opera, detrimentum patietur, ac tandem in fidelium corde peribit. *Ibidem*.

Per bona opera in cœlo thesaurizamus.

Per opera bona, quæ vi promissionis, quam nobis Deus recepit, per Jesu Christi æque ac per merita sua, pro ipsorum magnitudine gloriam meremur, thesauros in cœlo nobis comparamus. *Factus est thesaurus tuus, meritum tuum*, inquit S. Augustinus Conc. 1. in Psal. 36. Sensim quotidie in nobis thesaurum actionum congerimus, ac Deus ipse alterum in se huic respondentem præparat nobis. Simulac impius aliquod committit scelus, Deus in ira sua eam, quam meretur, illi destinat pœnam. Iterat ille facinus; in hunc iræ thesaurum infertur duplicatum supplicium, atque peccata peccatis agglomerat, quæ summa cum facilitate operatur: *Thesaurizas tibi iram in die iræ*. Ad Rom. 2. Similiter eodem momento, quo vir bonus virtutis actionem aliquam facit, Deus illi in seipso parem huic actioni gloriæ gradum præparat. Novas addit, præteritarum oblitus, in id unum intentus, quod sibi faciendum est, ac numquam de seipso contentus, uti dicebat Apostolus ad Philip. 3. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum*. Hic in vitæ hujus exitu procul-dubio jucundo stupore captus mirabitur infinitum hunc gloriæ, felicitatis, & voluptatis thesaurum, quem sibi collegit, & quem reperit nunc cum in cœlum admittitur. *Maimbourg serm. 1. Quadrages.*

De bonorum operum nostrorum thesauro aliter ac de terrenis bonis sentiendũ.

De bonis, quæ in cœlo per bona opera acquirere possumus, aliud sentiendum est, ac de terræ hujus divitiis. Certi sumus nos illis in æternum perfruituros, dummodo ad vitæ usque finem perseveremus; in cœlo enim possidentur, ubi tempore non atteruntur, & ubi non alia mensura, vel duratio est, quam æternitas; ubi neque ærugine, neque tinea absumuntur, ubi mors ea nobis nequit eripere, quia ibi immortales sumus; ubi fures non furantur, illud enim imperium non vi, neque dolo est obnoxium. Itaque thesaurus hic ibi est ab omni parte securus, cum illi, qui hac in vita congregantur ex terræ bonis, tuti non sint, & quamvis ab omnibus aliis casibus præservari possent, mors evitari non potest, quæ serius ocyus illos nobis eripiet. *Idem*.

Bonæ actiones, quas in statu peccati facimus, vel sine fide cœlum nõ merentur.

Considerate actiones omnes, quas in mortalis peccati statu facimus, vel sine fide, quantumvis alioquin optimæ sint, nobis tamen coronam non promereri. Quot urbanas, domesticasque virtutes extra veram religionem Ethnici exercuerunt? Plures ex illis mites fuere, casti, temperantes, obedientes, sapientes, constantes, charitate etiam pleni, si hoc uti fas est nomine ad innuendam miserationem, qua egenis opem ferebant; attamen omnes istæ virtutes interierunt. Quodcumque bonum operari possumus, omnis opera nostra bona nihil proderunt nobis, nisi illa propter bonum finem, in gratiæ statu, & in Ecclesia Catholica operati fuerimus. *Sermo manuscriptus*.

Magnus in bonis operibus nostris defectus, quem metuere debeamus est amor proprius.

Magnus, qui in optimas actiones nostras irrepat, defectus ille est, quod in illis nosmetipsos ut plurimum quærimus. In iis, quæ facimus, non alium habere debemus finem, quam placendi Deo, eumque in illis quærendi; verum nisi jugiter nobismet, omnibusque motibus nostris invigilaverimus, ita nobismetipsis prope sumus, ut a nobismet recedere non possimus. Amor proprius tanta nos fallit industria, nos vero adeo facile ab eo falli patimur, ut cum ille ultro egredi videatur, per cuniculos statim ingrediatur, & numquam propior sit, quam cum videtur esse remotior. Ut hunc evitemus defectum, sæpe, sed bona fide, cum agimus, nosmetipsos interrogemus, numquid in facto hoc, in hoc consilio, in bono hoc opere unice quæro Deum? Hoc haud temere credere possumus, cum id eligimus, quod nos magis humiliat, atque contenti sumus, dummodo & Deus sit. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus tom. 4.*

Nimia festinatio meliora opera nostra corrumpit.

Defectus alter, qui in opera nostra bona solet obrepere, hic est, quod per libidinem, & festinanter, atque naturæ impetu acti operamur. Optimæ quælibet actiones per ingenii libidinem factæ, non sunt amplius bonæ; vel ubi sese illis immiscet libido, jam sunt imperfectæ. Homo debet operari per motum rationis, Christianus per motum gratiæ; qui ergo per libidinem agit, neque uti hominem, neque uti Christianum decet, operatur. Nimia festinatio, & naturalis activitas optimum quodvis corrumpunt, omnia importune, ac festinanter fiunt, & sæpe hac ex parte destruitur, quod ex altera ædificatur. Remedium est naturalem activitatem coercere, ubi nimis acrem esse cognoscimus, festinationem moderari, quantumcumque bonum sit illud, quod faciendum suscipimus, neque operi manum admovere, nisi cum spiritum pacatum, ac tranquillum esse cognoscimus. *Idem*.

Nihil ultra vires aggrediendum est.

Non desunt, qui facere aggrediuntur, quidquid boni speciem præsefert, & qui, ut omnia faciant, nihil perficiunt. Opera bona concupiscere, argumentum est animæ magnæ, quæ si posset, omnia vellet amplecti. Zelus hic neque prohibendus est, neque omnino reprimendus, sed regendus, ne temere, & inutiliter agat, & ne se præbeat nimis importunum, vetus enim adagium est, virum bonum, qui non satis prudentem zelum habet, magnum esse impedimentum. *Auctor Anonymus*.

Deus omnia bona opera recenset.

Novit Dominus tuus, & quidem longe te melius, tuarum merita virtutum, etiamsi calicem aquæ frigidæ dederis, nec hoc quidem irremuneratum relinquet. Nummum quoque si dones unum, vel si etiam cum nihil omnino donare poteris, ingemiscas: omnia cum ingenti benignitate suscipiet, ac mercedem pro his largam parabit. Cujus autem rei gratia ea dijudicas; nobisque ea studes frequenter ingerere? An ignoras, quod si teipsum laudaveris, nequaquam laudaberis a Deo? Ita e contra si teipsum quasi miserum lugeas, numquam te ille prædicare apud omnes cessabit. Non vult enim laborum tuorum fructus perire, quinimmo omnia in tuum commodum facit, tibique rem augere festinat, ut etiam pro exiguis te coronet, undique occasiones requirens, per quas te de gehennæ possit liberare supplicio... Etsi ingemueris solum, atque lacrymulam effuderis, rapit ista confestim in tuæ occasionem salutis. *Ex D. Chrysostomi sermone 3. in S. Matthæi cap. 1.*

Satis certus recte factorum est thesaurus, ipsa recte factorum oblivio. Quia sicut aurum, vestemque pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus; si vero ea recondamus, atque occultamus, domi in tuto cuncta servabimus: sic sunt etiam divitiæ virtutum; si eas in memoria quasi venales assidue portemus, irritamus Dominum, armamus hostem, & invitamus ad furtum. Sin vero nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistent. Nequaquam igitur hujusmodi bona frequenter eventiles, ne quis ea forte diripiat. Quod etiam Pharisæus passus est, in lingua illa circumferens: unde ea & diabolus rapuit: quamquam certe ille cum quadam gratiarum actione memorabat, atque ad Dominum cuncta referebat. Sed ne hoc quidem profecto sufficit ei. Non enim gratiarum actio est aliis exprobrare delicta, sibi a plurimis gloriam quærere, & super eos, qui peccaverunt, jactanter insurgere. Quod si gratias agis Deo, sufficiat tibi ipse solus, nec velis eas in hominum perferre notitiam, neque proximum judicare. *Idem*.

Quilibet in statu suo ex omnibus actionibus suis taci-

Ut bona opera fiant, necesse non est magnis vacare actionibus, quæ directe ad pietatem referantur, cujus generis sunt oratio, eleemosyna, jejunium, aliaque similia: nam ex omnibus vitæ actionibus, iis

Quidem opera bona facere potest.

iis etiam, quæ abjectæ, & communes sunt, fieri possunt opera bona. Itaque unusquisque intra se dicere potest: contentus sum ea conditione, in qua me Deus constituit; hæc mihi ad salutem utilis est æque, ac quælibet alia vitæ hujus, quoniam ex omnibus actionibus meis totidem efficere possum opera bona, quæ æternam mihi vitam promereantur. Quamvis non sit mihi ingenium, vel auctoritas, quibus insigne aliquod valeam operari, tamen voti sum compos, earum quippe rerum nulla habetur ratio; cumque actionis meritum, ac virtus ex gratia, & amore Dei desumatur, tantum in minima quavis actione meritum habere possum, quantum in præstantissima qualibet. Omnia igitur mihi nullo sunt in discrimine: quascumque actiones aggrediar, magnas, aut parvas, id curare non debeo; sed in id animum intendere debeo, ut quodcumque facio, id cum puritate cordis, ac multo Dei amore a me fiat. Hoc satis est ad cœlum, beatamque æternitatem promerendam. Proh Deus! Quantum hoc est fideli solatium. *P. de Argentano in libro cui titulus*, Les Grandeurs de Jesus, collatione 23.

Præstat iis operibus bonis vacare, quæ nitent minus.

Recte operaturis cogitandum nobis esset tantummodo, quomodo omnes actiones nostras, sive magnæ illæ sint, sive parvæ, perfecte absolveremus; sed hoc posito, aliquod inter illas habendum esse discrimen, ut alias præ aliis amplectamur; præstaret communiores, abjectioresque eligere præ illis, quæ maxime nitent; quia ibi gratia, ac purus Dei spiritus melius servantur, ac minus periculum est, ne pereant, vel per amorem proprium corrumpantur. Verum quid est quamplurimis esse persuasum, quod minutas tantummodo actiones operari, idem est ac nihil facere, immo putant illi, se parum illud etiam, quod faciunt, amittere; neque enim semper reminiscuntur actu illud offerre Deo, atque ex eo præsentem charitatis actum efficere; atque hæc omnia periisse arbitrantur, quia quidquid hac ratione faciunt, nullius meriti ipsis est. Hæc illusio est; at longe major altera illa, qua credunt maximas, maximique momenti actiones Deo semper chariores accidere; atque pro ratione majorem Dei gloriam adducunt; cum pro rei veritate non majorem Dei gloriam inquirant, sed amor proprius illos exerceat: maxima enim Dei gloria in maxima humiliatione, quam propter amorem illius exercemus, invenitur; & si persuadent sibi hanc magnarum, maximeque nitentium actionum prælationem illis, quæ latent, ideo fieri, quia per illas magis merentur; næ illi quidem vehementer decipiuntur, & errant. *Idem*.

Ratio nobis reddenda Deo, expectanti opera bona.

Jampridem expectat Deus, ut sibi ea persolvamus, quæ debemus, per opera bona, quæ nos exercere jubet, & quæ in singulos dies magis, magisque differimus. Dicimus, quod Evangelicus ille villicus, qui domino suo non modicam auri vim debebat: *Patientiam habe in me*. Matth. 18. Verum non cogitamus, Deum non semper expectaturum; fortasse ad arboris radices securis jam posita est: *Jam securis ad radicem arboris posita est*. Matth. 3. & Luc. 3. Heu! Jampridem expectat Deus; quid pro Deo hactenus fecisti? Parum illud bonorum operum, quod operatus es, nonne pravis finibus corruptum fuit? Esne virtutibus, meritisque dives? Si intra aliquot dies, vel horas prodeundum esset tibi coram Deo, aliquidne esset, quod tibimet exprobrares? Eone in statu esses, ubi rationem reddere posses? Numquid tibi causa esset, propter quam vel tu, vel de te Deus esset contentus? Heu Domine! Ne intres in judicium cum servo tuo. Novi tandem me hactenus non solum infelicem, sterilemque arborem fuisse, verum etiam corruptam, & vitiatam, quæ frustra locum occupavit in agro uberrimo, tua videlicet Ecclesia, & quæ ideo igni tantum alendo apta est. Verum Domine paulisper adhuc expecta, modo incipere animus est: *Et dixi: Nunc cœpi*. *Pater Croiset in recessibus*.

Præmii magnitudo excitare nos debet ad bonum opera efficienda.

Cum in Evangelio lego frigidæ calicem pauperi datum mercede nequaquam cariturum, intra me dico; quid igitur erit de infinitis aliis bonis operibus majoris momenti, quæ mihi facilia sunt, si propter Deum operor illa, mihi promittentem in præmium infinitum bonum, idque in omnem æternitatem? Per otium tria hæc meditor, bonum infinitum, æternitatem, momenti unius opus mihi perfacile, atque meam admiror cœcitatem: nonne indesinenter vacandum esset mihi, ut omnium vitæ meæ momentorum quam diligentissimam rationem haberem, ea bonis repleturus operibus? O Deus! quantulo stat pretio bonum opus! quam parva res videtur! sed quam admirabiles sunt effectus illius! Infinitum bonum pro re adeo exigua, felicitatis æternitas pro adeo brevi momento. Quomodo non excitamur intuitu tot justitiæ coronas, quas nobis Deus præparavit? Quomodo in bonorum operum exercitatione ardentes, ac indefessi non sumus? Ignaviam hanc nobismet indesinenter exprobrare deberemus. *Pater d'Argentano, libro de magnitudine Dei collatione* 19.

Unio, quæ inter fidem est, atque opera bona.

Inter mentis persuasionem, & actionem cordis adeo arctum est vinculum, ut fides nostra solida esse non possit, nisi simul sit practica. Practica fides est fides per charitatem quidem animata, per bona opera vero consummata. Quænam est vera fides, Sanctus Augustinus ait, & quid est credere in Deum? Est amare, quod creditur, ire ad id, quod creditur, sese mystici corporis Jesu Christi membris conjungere; verbo, Pater hic ait, eam habere fidem, quæ per charitatem operatur. Itaque duo sunt necessaria, ut fides sit practica, charitas, & opera: *Affectus mentis, & effectus corporis*. Sine charitate hac, quæ efficit, ut fides vivat, sine his operibus, quibus illa perficitur, corpus erit informe, & opus imperfectum. Sanctus Jacobus Apostolus cap. 2. ait: *fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa*. Bene est credere, Deum esse, sed & *Dæmones credunt, & contremiscunt*, qui cum metuant illum, nec ament, sunt miseriores. Hi tres sunt inseparabiles Christianæ perfectionis gradus, fides, charitas, & opera. Fides sine charitate, & sine operibus in inferno invenitur; charitas sine operibus, & sine fide invenitur in cœlo; sed felix conjunctio fidei, operum, & charitatis pars est Christiani gratiæ subsidio super terram certantis, ut infernum quidem effugiat, cœlum autem promereatur. Hinc videmus bonam vitæ nostræ rationem esse effectum amoris nostri, fideique nostræ argumentum. *Specimen sermonum, pro tertia post Epiphaniam Dominica*.

Nos, uti hæretici, contenti sumus fide sine operibus, ut salvemur.

Audimus quotidie, fidem sine operibus mortuam esse, sed viventes, non secus ac hæretici, qui omne Christiani meritum ad solam redigunt fidem, verba nostra factis damnamus, vel ut verbis utar cujusdam Ecclesiæ Patris, actiones nostræ verbis ruborem suffundunt. Attamen quoniam essemus in causa, statuque nimis palam damnabili, si fateremur bonam vitam necessarium esse veræ fidei affectum, & licet ista confessi ita viveremus, ut, si reliquum illud fidei, quod superest, adimeretur, nullum in nobis amplius Christianæ religionis vestigium posset deprehendi; temperamentum nanciscimur, quod omnia in tranquillo constituit: Deum inter, ac nos compositionem quamdam inimus: fidem amplectimur, & bona opera abjicimus; vel sin minus illa in omne tempus abjicimus, saltem in tempus aliud rejicimus. Credimus futurum, ut fidei nostræ sinceritas cohibeat Dei brachium jamjam in nos tela contorquens; atque eas nobis promereatur gratias, quibus indigebimus, cum senio confecti Deo servire, & bona opera facere incipiemus; atque ob adeo suavem illusionem nobismet plaudimus. Talis est character noster, theoretice quidem Catholici, practice Hæretici; ad omnia credenda parati, dummodo mentis obsequium cordis affectum, saltem pro præsenti,

non

non auferat ; in futurum enim , quotcumque voler, & quæcumque inibimus consilia, *Ibidem*.

Deus a nobis nihil ultra vires petit.

Cum hominibus debemus , hi districte , quidquid sibi debetur , exigunt ; at Deus id unum tantum postulat , quod possumus . Temperamenti gracilitas non patitur magnas austeritates ; satis est si eleemosynam eroges ; hujus facultatem tibi aufert egestas. Ora ; prolisis vacare precibus non vales , per intervalla cor ad Deum attolle. Pauper es , & æger, patienter hanc sustine paupertatem , dolores tuos cum Jesu Christi doloribus conjunge , atque crucis sacrificio tuas passiones immisce. Ita semper in nostra potestate situm est, bona opera perficere. *Ibidem pro Adventu*.

Fides sine bonorum operum exercitatione perit.

Si quæ unquam causa est , qua Deus agi possit , ut nobis eripiat fidem , hæc sane est operum bonorum contemptus : cum enim fides data sit, ut agamus, Sanctus Thomas ait , tenetur quodammodo Deus illam nobis auferre , ex quo non operamur , neque eadem utimur , quomodo ille desiderat . Arbos hæc arida est , atque sterilis, jure igitur imperare potest , ut succidatur . Quod autem nos docet Scriptura de hac arbore , quotidie in mortalibus accidit; quippe Deus secundum admirabiles sapientiæ suæ ideas , fidem nobis largitus est non solum , ut nos ab Ethnicis distingueret , atque ut admiraremur miracula , eaque crederemus, quin præceptis illius opera accommodaremus ; sed ideo eam Dei filius tradidit nobis , ut fructum ferremus ; sed videns , quod arbos hæc licet gratiæ rore irrigata , atque curis omnibus exculta , nullum fructum adfert ; inde illa tamquam ex ingrato , sterilique solo revellit . *P. Bourdaloue in sermonibus sub ejus nomine editis*.

Fides, & bona opera mutuis firmantur auxiliis.

Per fidem bona opera exercemus , & nihilominus per bona opera fides roboratur . Neque ullam in hoc esse putes contradictionem : dummodo distinguantur priores gratiæ a subsequentibus , principium a perfectione , primus gradus a consummatione fidei , mysterium hoc facile intelligetur . Fides , saltem incepta, principium est bonorum operum, non diffiteor : verum affirmo etiam ad fidei perfectionem non nisi per bona opera perveniri. Ita Centurio, de quo sermo in Actis Apostolorum , a confusa obscuraque fide ad perspicuam , certamque gradum fecit. *Idem*.

Plura opera bona inutilia sunt, quia ordinem minime servant.

Plurimi sunt , qui plura se adeptos fuisse merita putant , quibus fortasse Deus aliquando id inquiet, quod olim Judæis, quorum repulit sacrificia: *Quis quæsivit hæc de manibus vestris*? Isaiæ 1. Quis hæc a vobis petiit , & cur illa fecistis? Illis non secus ac aliis exprobrabit , quod in bonis operibus suam tantum operati fuerint voluntatem : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra* . Isaiæ 58. Et fortasse, quod accidit Sauli, eos reprobabit propter sacrificia importuna , & victimas manu inobediente oblatas. Heu ! quos fideles hodie inordinata pietate , bonisque operibus importune factis , & quæ ab illis minime exquirebantur, similes metuere debent exprobrationes , & fortasse idem supplicium ? Quot aliis in rebus zelum suum impendunt , qui unice in officiis suis rite persolvendis esset impendendus? Nobis persuasum esse debet perfectionem in eo positam esse , ut Dei ordinem sequamur in iis actionibus, quæ propriæ sunt conditionis , in qua otiri nos voluit, status, in quo nos collocavit, & muneris, quod nobis commisit . *P. Aurelianensis sermone de Assumptione*.

Nobis metuendum est pro ipsis etiam bonis operibus.

Job, licet justus, omnia opera sua metuebat; neque enim putabat, optimis etiam , sanctissimisque omnem illam inesse perfectionem , quam Deus requirebat : sed quid nobis de nostris cogitandum est considerantibus imperfectiones, quibus undique scatent ? Heu ! Nonne id nobis exprobrari posset , quod olim propheta quidam Judæis , ut eorum superbiam infringeret: justitiam eorum in oculis Dei id esse , quod nostris , quidquid maxime perhorrescimus. *Omnes justitia vestra , quasi pannus menstruata* . Isaiæ 64. Quot enim in precibus distractiones , quot in sacrificiis irreverentiæ , quæ in usu Sacramentorum tepiditas , qui divini verbi abusus in concionibus, quæ voluptatis, vel curiositatis ergo audiuntur ! Quantum vanitatis in jejuniis , quantum fastus in eleemosynis , quantum philautiæ in operibus charitatis, quantum singularitatis in pietate! Ita æqua correpti, & propter ea, quæ fecimus, & propter ea, quæ omisimus, fortasse rei inveniemur, & eorum, quæ a nobis facta, & eorum, quæ non facta fuerunt. *Idem*.

Nonnisi per bonorum operum multitudinem perfecti esse possumus, & cœlum acquirere.

Homo , Sanctus Thomas ait , hac in re , non secus ac in pluribus , ab Angelo differt , quia Angelus unica tantum actione pervenit ad gloriam , ad quam homo nonnisi per plurima opera bona , & multiplicata plurimarum actionum sanctarum merita potest pervenire . Quamobrem Scriptura de illo verba faciens , qui ad cœlestem anhelat beatitudinem , illum homini comparat iter agenti , atque pedetentim incedenti , qui nonnisi defessus ad laboris finem pervenit: *Beati immaculati in via , qui ambulant in lege Domini* . Psalm. 118. Simili ratione ad cœlum pervenire non possumus , nisi plurimorum sanctorum desideriorum, bonorum operum sæpius repetitorum, multorumque laborum motu. *Molinier tomo Dominicalis*.

Opera nostra bona quemdam requirunt perfectionis gradum, quo ut plurimum carent.

Actiones nostræ , ut bona sint opera, quemdam perfectionis requirunt gradum , quem semper non habent, & defectus iste Deum cogit , ut sæpe sibi inservientes corripiat . Hujus rei insigne nobis suppetit testimonium in Episcopo , de quo mentio est in Apocalypsi cap. 3. qui se meliorem , quam esset , existimabat : *Non invenio opera tua plena* ; in operibus tuis multum inane reperio ; ac plurimum requiritur ad hoc , ut omnia muneris tui adimpleas officia . Exprobratio hæc ad vosne pertinet , o Fideles ? Facitis eleemosynam , at tantamne , quanta par sit vestræ facultati ? Multum temporis orationi impenditis , at non satis attento animo preces effunditis . Omnes devotiones amplectimini ; sed domesticorum vestrorum curam negligitis. Tanta æquitas vobis est , ut inter alios Judices laudibus extollamini, verum in munere obeundo sat negligentes estis: *Non invenio opera tua plena . Ex Collectione P. Campigny*.

Intumescere non debemus, eo quod boni aliquod opus fecerimus.

Si contigit , ut aliqua opera bona perficeretis, mementote, mala , quæ fecistis , longe esse plura; & illud ipsum bonum , quod fecistis , fortasse tot immixtum esse defectibus , atque imperfectionibus, ut potius venia expetenda sit vobis , quam merces quærenda . Hanc ob causam Sanctus Augustinus lib. 9. Confess. cap. 13. inquit : *Væ etiam laudabili vita hominum , si remota misericordia* (Deus) *discutias eam* . Fieri enim potest , ut rationes , propter quas credimus futurum , ut opera nostra Deo placeant , eædem sint , propter quas damnabuntur : mala enim , quæ facimus , mere mala sunt ; sed bona mere bona non sunt ; quippe cum pluribus imperfectionibus mixta . Quamobrem vobis propter opera vestra bona metuendum magis est , quam gloriandum . Hoc facere consueverat Sanctus Jacob , qui dicebat : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* . Job 9. *Auctor Anonymus*.

Dei filius nos hortatur, ut bonis operibus cœlum acquiramus.

Audire mihi videor mundi Salvatorem hortantem , ut pro cœlesti gloria thesauros congeramus , atque dicentem: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Vos eduxi ex nihilo , ubi per æternitatem fuistis , ut vos eum in statum adducerem , ubi cœlum , ad quod vos invito , lucrari possetis; vitam , quam ad nobilem hunc finem vobis concessi, integram servavi, ut vobis tempus , & ratio suppeteret per bonorum operum merita infinitos gloriæ thesauros comparandi . Ne illud insumere velitis frustra inania terræ hujus bona inquirendo . Nobiliorem fovete ambitionem , sanctam exercete avaritiam & vobis simul , & me ipso digniorem , vosmet ad cœlum usque attollentes . Quamquam ex natura vestra , quæ non aliud est , quam infirmitas, atque fragilitas, pares non sitis vel minimæ

actio-

actioni bonæ, quæ cœlum mereatur, peragendæ, ita facultatem, ac vires hoc efficiendi per gratiam vobis contuli, ut cum ad effectum hunc consequendum vobis nihil desit, jam in vobis situm sit illum obtinere. Cœlum omne in manibus vestris est, æternaque sors vestra in facultate vestra posita est; quidquid ibi invenitur, pro vobis est, & unicum illud bonum est, quod ad vos pertineat; quod in terris vestrum esse putatis, alterius est, qui illud præstolatur, & pro quo illud servatis. Omnes illi thesauri, quos habebitis in cœlo, vestri erunt in æternum, illi vero, quos super terram habere contenditis, vobis eripientur. *Maimbourg, sub finem primæ concionis die Cinerum.*

Deus ex nobis fructum expectat, videlicet opera bona.

Quemadmodum Deus singulos nostrum posuit tanquam viventes, sanctasque arbores in Ecclesiæ suæ horto consitas, ita ex his arboribus fructum requirit. Idcirco in Evangelio scriptum est, quod vineæ dominus venit fructum exquisiturus ex arbore, at nullum invenit. Id nobis incutere debet metum judiciorum Dei, qui nos videt, quales sumus, qui fortasse nullum invenit solidum, verumque fructum in nobis, cum opera bona facere negligimus, vel cum ipsi folia pro fructibus consectamur, videlicet steriles cogitationes, aut inania verba pro virtutum actionibus, & operibus charitatis. . . . Quemadmodum Deus auctor est, atque principium fructus, qui in nobis est, ita ipse illius est judex, exigitque, ut ejusdem culturæ respondeat. Non petit solum, ut fructus hic generatim sit bonus, sed ut bonus sit pro qualitate gratiarum, ac beneficiorum, quibus ipse cumulavit animam, quæ illum parere debet; quo in sensu explicandæ sunt illæ filii Dei minæ: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7. Videtur immo etiam numerare annos, quibus illi servimus, quos sæpe ipsi nequaquam recensemus; neque inde occasionem nanciscimur amissi temporis reparandi, atque nosmet ad melius in posterum tempus insumendum excitandi. Non veremur illum de nobis dicere: *Ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Cur sterilis hæc arbor, cur anima hæc ingrata, nulli interioris pietatis actioni vacans, adhuc inutiliter terram occupabit? *Liber qui inscribitur: Christiana documenta, pro quatuor temporibus septembris.*

Opera nostra bona ordinem servare debent.

Maximum præceptum; quod illi etiam, qui pietatem excolunt, plurimum negligunt, ideoque bonorum operum fructus amittunt, est in bonis operibus eum servare ordinem, quem charitas præcipit: *Ordinavit in me charitatem.* Et sane plures videntur, qui plurima faciunt charitatis opera, sed in justitiæ actionibus deficiunt: aliis id largiuntur, quod minime debent, aliis negant, quod debent, opem, honorem, gratiam, servitutem, quam illis præstare tenentur. Proprii nonnunquam negliguntur filii, rei familiaris cura deseritur, & alienæ suscipitur; consanguineis egestate laborantibus non subvenitur, & alieni contra Dei præceptum præferuntur. Ecclesiæ donariis cumulantur, & pauperes prætereuntur; multa in pios usus bona leguntur, & ea, quæ vel principi, vel privatis adempta sunt, non restituuntur. In bonis operibus ordo requiritur; ea, quæ justitiæ, ac necessitatis sunt, ante ea, quæ supererogationis, sunt adimplenda &c. *Liber cui titulus: Christiana documenta, &c. in 22. post Pentecosten Dominica.*

Deus attento gloria in anima constum opera bon. remuneratur.

Verum quidem est, quidquid conamur, nos nihil facere posse, ac semper inutiles servos esse. Sed hoc ipsum nihil, Domine, dignaris accipere, & huic humanarum actionum nihilo paradisum in præmium pollicitus es. Si jejunamus, hoc parum certe est; si ploramus, si nosmet humiliamus, si pœnitentiam amplectimur, si te amamus, si proximum nostrum diligimus, si illi opem ferimus, nihil facimus dignum ea spe, quam nos fovere jubes: sed quia perfecte nostram agnoscis egestatem, ut temet eidem conformes, adeo exiguis conditionibus tantam nobis spem tribuisti. *Auctor Anonymus.*

Cœlum nonnisi bonis merentur operibus.

Qui male operatur, indignus est, qui ingrediatur in cœlum; neque dignior ille est, qui illud non operatur bonum, quod quisque in conditione sua operari tenetur. Non sufficit non facere jacturam talenti, quod nobis creditum est; servus iners damnatur, quia inde nullum quæstum percepit. Christiana religio nihili pendet inanes, steriles que timalos; nihil præter opera bona usque ad supremi judicis tribunal nos comitatur. Mundi hujus asseclæ, quorum dies adeo vacui sunt, plurimane habent, quæ ibi ostendant? . . . . Ficus, de qua loquitur Evangelium, non peccarat, nisi quod nullum pepererat fructum. Eminus folia quidem de via in ea Salvator prospexerat, propiusque accedens visurus, utrum fructum aliquem inveniret, folia tantum invenit, nondum enim ficuum tempus advenerat. Attamen nihilominus arbori huic Jesus Christus maledixit, quæ illico exaruit. Facile hoc mysterium potest intelligi. Christiani vita, nunquam bonorum operum vacua, sterilisque esse debet; improba est, ex quo fructu caret. *Pater Craiset, tomo secundo spiritualium considerationum.*

Opera nostra bona fieri debent secundum statum nostri finem, ac spiritum.

Cum laboramus non secundum finem, spiritumque status nostri, oleum, operamque perdimus, & nihil meremur: *Viri divitiarum nihil invenerunt in manibus suis.* Mortales ipsi, qui bonorum operum divites habentur, eo fortasse in statu positi, in quo magna acquirere possunt merita, postquam multum operati sunt, postquam diu cucurrerunt, post tot labores, atque exercitationes quid lucrati sunt? *Nihil invenerunt in manibus suis.* Deus in rationariis suis ea tantum describit, quæ propter ipsum conantur. Nitidissima quælibet facta, fructus vitiosi sunt, nisi fiant propter Deum. Ubi ex status nostri recedimus via, erramus; & cujus utilitatis tunc esse possunt gressus nostri, laboresque, quibus errando sumus defatigati? *Idem.*

Satis non est aliquæ opera bona facere, nisi præcepta adimpleantur.

Non desunt qui aliquibus operibus bonis, religionis officiis, pietatis actionibus, quas operantur, confidunt; quasi se per hæc sanctificari putent, ac satis superque se functos opinentur iis perfunctoriis muneribus, quæ quatenus Christianis obeunda illis sunt, quamvis in oculis Dei longe alii ab opinione sua videntur. Mortalis hic, exempli gratia, prolixas effundit preces, de rebus sanctis pie loquitur, in vita frugi, sapiensque videtur; sobrius est, pudicus, modestus. Omnes istæ qualitates profecto ad vitæ sanctitatem concurrunt; at nihilominus homo iste, ubi injuriis lacessitur, exardescit in iras, inimicus est inimicorum suorum, malum pro malo reddit; quin juxta explicitum filii Dei præceptum iis benefaciat, a quibus læditur. Hominis hujus vita quantumvis sancta videatur, tamen reprobabitur; omnes istæ qualitates egregiæ, quæ exteriorem hominem in eodem exornant, eum falluntur, putat eam se habere justitiam, qua caret; deest illi charitas, omnes desunt virtutes; etenim sine illa omnes mortuæ sunt, ac nullam pariunt utilitatem. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in S. Matthæi Evangelium.*

Bona desideria, & opera nostra secundum Dei voluntatem regenda sunt.

Duo diversa sunt quasdam devotiones, & quædam pietatis exercitia cupere, eaque in praxin redigere; alterum ex altero non consequitur. Satis est, res bonas esse, ut desiderentur, & amentur; cumque motus isti boni sint, Deus illos in corde potest efformare: sed actiones instituendæ sunt secundum omnia officia, ac voluntatem Dei singulis præscribentis, quid in hac, vel in illa circumstantia agendum sit. Quot, exempli gratia, sunt, quibus inspirat Deus magnam solitudinis, vel regularis vitæ cupiditatem; & quibus tamen hoc faciendi facultatem aufert; cum hæc sit ejus voluntas, quod hoc habeant desiderium, ac illud sequi non valeant? Dei motu conceperat David votum ædificandi templum Domino, attamen Deo explicita erat voluntas non permittendi, ut ab illo ædificaretur, quin immo hoc illi prohibuit. Hoc pacto inspi-

inspirabat illi motum, quem, ne ille sequeretur, præcepit. *Essais de Morale tome 10.*

Opus in se bonum sæpe a circumstantiis corrumpitur.

Fatendum est sane Marthæ sollicitudinem fuisse sanctissimam; Salvatorem eo, quo debebat, recipiebat hospitio; non obscura præbebat sui erga eundem obsequii pindicia; actio illius laude erat digna, eoque munere perfungebatur, quod etiam atque etiam commendatum est, idque præsertim erga Dominum. Attamen Jesus invenit, quid in facto ejus corripiat; dicitque illi: *Sollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 10. Finis, quem illa sibi proposuerat, melius esse non poterat; neque illius pietate dignior; attamen eidem immiscentur quædam circumstantiæ, quæ factum in oculis Salvatoris reprehensibile efficiunt. Hæc sollicitudo, hæc alacritas, hæc celeritas, dolor, quo afficiebatur, quod soror laborem ipsius non imminueret, defectum aliquem actioni offuderunt, effeceruntque, ut non omnem eam, quam debebat, perfectionem haberet. In hoc malum homines ne cogitantes quidem labuntur. Bono, quod faciunt, immiscent ea, quæ bona non sunt; ita illius bonitatem corrumpunt, ejusque coram Deo meritum minuunt. Hinc sæpe accidit, ut opus, quod in operantis intentione nihil habet non laude dignum, fiat denique productio naturæ, & effectus libidinis, quæ obscurat, vel potius delet bonum omne, quod in origine habebat. *Abbas Trappensis in moralibus considerationibus in Sancti Lucæ Evangelium.*

Cum Christiana mulier agnoscere vult, utrum vere sit pia, videat, utrum operibus charitatis sit dedita. Novit illa rei familiaris curam gerere, ex agris uberes fructus colligere, pecuniam in lucro ponere, ac pro unigenito ingentes thesauros congerere; verum vacat illane bonis operibus? Ullam curam in pauperum solatium, animarumque salutem impendit? Si hæc pars non est curarum ipsius, vehementer metuendum est illi, ac de sua pietate diffidendum; Cum matrona hæc adeo provida, ac prudens morti erit proxima, dicetur illa quidem ingentes congregasse divitias, domumque suam magnis opibus locupletasse, at numquam bonis operibus, ac pietatis exercitiis vacasse; attamen certum est, eam a Deo judicatum iri secundum primum, ac potissimum ejus officium. *P. Jurin in Dialogis Asceticis, tomo 1. lib. 2. cap. 5.*

Magnum adest discrimen inter bonorum operū meritas & unde oriatur.

In virtutis, operumque bonorum exercitatione variæ sunt earum exercendarum rationes, quarum perfectio plurimum differt. Opifices, qui aurum, argentum, æs conflant, sæpe eadem opera faciunt, iisdemque instrumentis utuntur, attamen longe differt aurei operis pretium ab argenteo. Hoc ipsum accidit operibus gratiæ. Quicumque Deo famulari profitentur, eadem præter propter faciunt; orant, ad Sacramenta accedunt, se mortificant, eleemosynas erogant; sed quam varie hæc omnia fiunt! Cœlum non distat a terra tantum, quantum ex Dei sententia alii sese super alios attollunt. Hi omnia ex auro, pretiosisque lapidibus extruunt; illi ex palea, & luto ædificium compingunt. Hoc autem discrimen inde oriri puto, quod alii quidem non sine magno sui ipsius amore, ac per proprii spiritus impetum operantur, cum alii per gratiæ motum, ac Dei spiritum agant. Actiones, & opera nostra bona tunc commendantur, cum magis ex Dei, quam ex nostro spiritu proficiscuntur; tunc vero pereunt, cum in illis plus humani, quam divini spiritus invenitur. Nostræ igitur actiones eo perfectiores sunt, quo magis Deum respicimus, atque in illas gratiæ spiritus magis influit. In hoc igitur magis attentos nos esse opus est, ut videamus quænam ad agendum nos causa impellat, atque excitemus in nobis ardorem placendi Deo, quem sexcentæ naturales, vel minus perfectæ causæ possunt imminuere. *Idem tomo 3.*

SUPPLEMENTUM.

Quotusquisque facit opera vere bona.

Quamplurimi vitæ suæ statum recogitantes jactitant per plures annos se plurima pietatis operā fecisse, se quotidie sanctum Sacrificium celebrasse, vel dum celebraretur adfuisse, si laici sunt, se Divinum officium recitasse vel aliarum precum multitudinem recitasse; se jejunasse, fortasse etiam, si Concionatores sint, plurimis quadragesimis prædicasse, si uberrimas eleemosynas erogasse. Hæc quidem omnia sunt bona, sed extremi Judicii die, cum introibit Deus in accuratam rerum omnium discussionem, cum illos de actionibus eorum præstantioribus examinabit, utrum illis necessariam curam impenderint; utrum illas in gratiæ statu, pura cum intentione, tempore, & loco opportuno fecerint, heu quot in illis vitia deprehendent! Quam perspicue illis ostendet ea, quæ lucro apponebant, verum fuisse detrimentum; & quod ipsi arbitrabantur positum esse super fidei fundamentum, ædificium prorsus aureum, argenteum, lapidibusque pretiosis compactum, non aliud fecisse, nisi confusam lignorum fœni, & paleæ struem igni quam celerrime absumendam! *Card. Bellarminus in Opusculis.*

Nobis misericordia cum proximo utendum est sicut Pater Cœlestis eadem utitur nobiscum. Luc. 6.

Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, neque satis esse putetis exercere misericordiam erga proximum, sed exercete illam eo pacto quo Deus illam vobiscum exercet. Si parcitis illi, qui vobis calumniam intulit vel contumeliam; parcite ex animo, oblivioni tradite injuriam, qua fuistis affecti, quemadmodum Pater vester, qui in Cœlis est, obliviscitur eas, quibus a vobis afficitur; Propheta quippe testatur, illum omnino oblitterare ex memoria sua peccata nostra, ne peccata nostra officiant nobis, David ait; ille tantum ea removet a nobis, quantum Oriens distat ab Occidente. Si eleemosynam pauperibus erogas, pro certo habeto, te multo plura iis, quæ dederis esse recepturum! nam, ut Scriptura inquit, *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*: & qui misericordiam exercet erga proximum suum, illam exercere debet cum humilitate, ac reverentia, quasi Principi alicui munus offerret. Si illis gratificaturi eorumque miseriis opem laturi non ægre fertis incommodare vobis, pro certo habete, vos adhuc longe distare a charitate Filii Dei, qui pro totius mundi salute, omnia, ipsam quoque vitam suam sacrificavit. *Idem.*

Ezech. 18.

Psal. 102.

Prov. 19.

Ut opera nostra sint perfecte bona ad Salvatorē sunt referenda.

In omnibus operibus charitatis hac potissimum cogitatione utendum est; scilicet omnia unice facienda esse propter amorem Filii Dei, tamquam huic ipsi fierent. Magnæ consolationis est verbum illud, quod aliquando dixit Apostolis suis. Quidquid feceritis minimo cuique fratrum vestrorum, id mihi fecistis. Quo gaudio suffundi debemus, ubi cogitamus, si fratribus indigentibus opitulamur, nos Salvatori ipsi opitulari? Si alacriter gerimus onus illud, quod nobis imposuit obedientia, super humeros nostros Jesu Christi crucem bajulamus. Si aliena peccata deflemus, Magdalenæ instar pedes Salvatoris abluimus. Si proximi nostri mala miseramur, in Salvatoris vulnera vinum, & oleum infundimus. *Pater Eusebius Nieremberg.*

Qui bona opera fecerint, quā mercedem in extremi judicii die sint recepturi.

Quodcumque bonorum operum genus certissime vacuum non erit mercede sua, & utrum in charitate, & gratia facta fuerint, igni periculum fiet; sed inde nitidissima prodibunt tamquam vasa ex pretioso metallo; & qui fecerint illa, audient Filium Dei, qui illos evocans in gloriæ suæ partem dicet eis: *Venite benedicti Patris mei; possidete regnum, quod paratum est a constitutione Mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Salvator ipse pollicetur, se mercede vacuum non relicturum frigidæ calicem, qui charitatis ergo minimo suorum traditus fuerit. Hinc videre possumus esse opera alia ab aliis longe dissimilia; quando-

Matth. 25.

quandoquidem aliis quidem æternam mercedem promittit, aliis vero æternum supplicium minitatur. Omnia igitur opera nostra seu bona, seu mala per ignem sunt transitura; & singula districte ad examen sunt evocanda. Alia quidem laudibus, & præmiis afficientur, alia damnabuntur, ac severissime punientur. Cur ergo nunc ea facimus, quæ aliquando æternum sunt nobis dolorem allatura? Hodierna igitur die damnemus quod serius, ocyus damnaturi sumus; & si præsentium bonorum amor ita nos occæcat, ut bonum a malo secernere nequeamus, cum cæco Evangelico dicamus Deo: *Domine, ut videam!* Tunc agnoscemus, quæcumque a nobis fiunt pro Mundo posse nobis æternam adducere condemnationem; & minima quævis opera propter Deum suscepta, æternam mercedem promereri. *Ex Opusculis Cardin. Bellarmini.*

Incessanter & usque in finem laborandum est si æternam messem facere volumus.

Diluculo bona facere aggrediamur; veniet enim fortasse tempus messis, antequam serere inceperimus. At si hoc jam aggressi sumus, caveamus diligentissime, ne susceptum opus intermittamus. Ut in morte uberem messem faciamus, ad finem usque laborandum est. Heu! quidnam me a bonorum operum prati divelleret? Numquid vitæ Christianæ fastidium? Num dicteria, irrisiones, odia mortalium? Quam flocci hæc facienda sunt, si spectetur fructus, quem virtus parit in omnem æternitatem! Quam certa hæc messis est, quam præstolor post mortem! Deus hanc mihi pollicitus est. Quam locuples est merces ista! Hanc mihi præparat Deus. Mihi igitur quærendum non est, neque parcendum labori, cujus illa merces est futura. Hæc messis ubi atque ac æternitas duratura; eamque sine labore uno perficiam. Ibi semper erunt nova gaudia, novæ voluptates, quæ mihi labore nullo erunt comparandæ; & quæ nullum umquam tædium mihi sunt paritura. Numquid ad id obtinendum nimius videbitur totius vitæ labor? At nullíne erunt Christiani, qui cum severint, messem relaturi non sint? Erunt proculdubio; eruntque illi, qui passi fuerint omnia opera bona sua vanitate raferi, non secus ac agricola negligens semen suum a cœli volucribus rapi permitteret! Quam stultum est inanem hominum plausum ita præferre mercedi solidæ, quam virtuti præparat Deus. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Bona opera fieri possunt agendo & patiendo.

Plures sunt viæ, per quas consuevit Dominus Christianos ad perfectionem per bona opera adducere. Aliis quidem tribuit vividum temperamentum; valetudinem gravissimis laboribus non labefactandam, ut exterioribus vacent operibus, in quibus non minima est corporis pars; & aliis etiam, qui licet magis spiritus viribus vigeant, numquam magis, & facilius sese exercent quam cum corpus sanum est, atque robustum. Videtur, e contra, alios obruere velle infirmitatibus; & doloribus sed in languidis eorum corporibus, eorum spiritum ita confirmat, ut pares fiant virtutibus heroicis exercendis, quod numquam fit sine patientia. Patientia enim, ex D. Jacobo, opus perfectum habet; ita ut dici possit, quod aliquo modo pati, idem fit ac agere; eos qui majori patientia sunt præditi, optimos esse opifices, & eum perfectum esse, qui actionem cum patientia conjungens, æque crescit virtute. *Opera Ascetica Blosii, & a Ponte.*

Deus se pollicitus est, ut in minimis etiam rebus uberem mercedem collaturum.

Sensim, & sine sensu ditescimus, cum nihil negligimus, & ad minimum quodlibet, quod fieri possit lucellum parati sumus: hoc ipsum præter propter spiritualibus accidit divitiis; quandoquidem Judex noster calicem frigidæ rationem est habiturus. Quæ cum ita sint, nulla nobis quantumvis modica videatur actio prætermittenda est; neque dolendum est nobis, nisi ea quæ nitearit, liceat operari. Parvæ res suapte natura ad magnam viam sternunt; si illas neglexerimus his præstandis pares fieri non possumus; ad quod malum prohibendum pollicitus est Jesus Christus se minima quoque maximis bonis remuneraturum. Nil tam facile est, quam ægrotantem invisere; tamen actioni huic, quantumvis facilis videatur, Deus magnam mercedem adjecit. *Ex Opusculis S. Chrysostomi.*

Quæ erunt opera nostra bona, propter quæ ad æternam vitam resurgemus.

Vitæ hujus tempus nequaquam nobis datum fuit ad deliberandum, sed ad laborandum; laboremus ergo, ne nox, quæ laborare non sinit, nos deprehendat, antequam pensum nostrum sit absolutum. Hæc nobis erit consolatio, quod laborantes nobis, simul etiam laborabimus fidelium, qui vita functi sunt, animabus. Non integrum illis est operibus suis mereri, nostris vero possunt recreari. Neque frustra illas recreabimus, aliquando enim in eum statum adducentur, ubi nobis afferre potesunt centuplum illius solatii, quod illis per opera nostra procuravimus. *Ex Tomo duodecimo Anni Christiani Tourneux.*

Aliquot signa ad cognoscendum utrum intentio nostra in omnibus bonis operibus nostris pura sit.

Puræ intentionis in actionibus nostris indicia hæc sunt, si sine turba, festinatione, sollicitudine, operemur. Si eadem attentio, & cura clam æque, ac palam impendimus; in obscuro æque ac in insigni ministerio, ruri æque ac in magnis civitatibus, in gratiam pauperum æque ac divitum, remotis arbitris æque, ac ob oculos omnium. Si laboratur perinde ac in Mundo non aliud esset præter Deum, & nos; & si æquo animo sinimus, alios magis laborare, quam nos. Si non ægre sustinemus laborem nostrum interrumpi; si minimis etiam muneribus persungimur eadem cura, qua majoribus. Religiosi potissimum, qui minutas regulas negligunt, hoc ipsum prætexentes, quia minutæ sunt; hi in majorum observantia pure Deum minime quærunt. Cum illi tantum placere volumus, cui servimus, æque bene facimus omnia quæcumque ille vult. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Operæ pretium est nullam incipere actionem nisi prius Deo fuerit oblata.

Quamvis absolute satis esse possit offerre Deo omnes actiones suas generatim initio cujuslibet diei; multo melius tamen est illi singillatim actionem quamlibet offerre, antequam illi manus admoveatur. Sæpissime enim accidit, primam hanc intentionem, quam expergiscentes habuimus omnia diei illius opera efficiendi propter Deum, quamprimum aliquo actu contrario destrui. Intentio hæc est veluti virgula fumi benolentis, quæ suapte ingenio in cœlum attollitur, sed ad minimum flatum auræ momento dissipatur, & evanescit. Ita quam sæpissime instaurandus est primus hic cordis nostri motus, quo mane oblatum fuit, quidquid die illa est efficiendum. Nonne hoc suadet Apostolus duplici loquendi ratione, qua utitur: *Omne quodcumque facitis.* Offerte Jesu Christo omnes generatim actiones vestras; sed offerte illi etiam singulas: *Omnia in nomine Domini Jesu Christi.* *P. Segneri in Meditationibus.*

Coloss. 3.

Ibidem.

Opera bona mere naturalia nullius sunt meriti coram Deo.

Omnes actiones nostras naturales, licet honestæ, laudabilesque, tantum abest, ut nos ad gloriam adducant, ut ne minimum quidem ex Patrum sententia nos ad illam disponant. Hæresiarcham Pelagium, qui cor humanum palpare voluit aliquam rationem, ac proportionem instituens inter virtutes mere humanas, & cœlum, universa perhorruit Ecclesia. Patres statim in hoc monstrum insurrexerunt, certatimque omnibus eloquentiæ suæ nervis usi sunt ad illius errores persequendos. Illum damnarunt Concilia; & quin tempus teram veteribus referendis, secundum Concilium Arausicanum, & sancta Tridentina Synodus, totius, quanta est, doctrinæ impietatem damnarunt, juxta doctrinam Sancti Pauli, videlicet homines gratis justificari per gratiam vi Redemptionis, cujus Jesus Christus est Auctor: *Justificati gratis per gratiam ipsius; per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* De fide igitur est omnes has actiones illustres, adeo ab omnium nationum historicis celebratas, omnesque has virtutes Philosophorum mere morales, quæ perstrinxerunt oculos, & discipulorum suorum, & eorum etiam, a quibus visi non fuerunt; multorumque semifidelium, nonnisi temporalem merce-

Rom. 3.

mercedem ad summum mereri posse, non vero illos disponere ad expectationem Regni Cœlestis, quod illis tantum præparatum est, qui cum sint Ecclesiæ filii, omnes actiones suas operantur, ut Deo placeant, & fiant cohæredes Jesu Christi, qui hanc illis promeruit gratiam per suæ Redemptionis abundantiam. *P. la Pesse, & Recens Auctor.*

Ita neque corporis, spiritusque perfectiones, quæ in sæculo sunt supp.

Quodnam humiliationis argumentum pro nobis, omnibusque humanis dignitatibus! Quidquid constituit objectum nostræ admirationis, curarum, sollicitudinum, desideriorum, laborumque; quidquid hominem ab alio secernit; verbo, quidquid oculos nostros perstringit, ingenium, forma, vis, dignitas, scientia, sapientia, dexteritas mentis, corporisque affectiones, ubi agatur de beata immortalitate, habentur pro nihilo, nisi meritum suum à Salvatoris gratia desumpserint. Possunt hæc quidem omnia sensum vanitatis immittere, quod vulgarissimum est, sed non prohibebunt, ne in infernum labamur. Ratio est, quidquid enim in naturali ordine situm est, nullo pacto comparari potest cum eo, quod est in ordine supernaturali. Quomodonam per naturale meritum gloriam consequi nobis liceret? Ne gratiam quidem exigere possumus, quæ lumen est hujus vitæ, deducens ad gloriam. Aliqua igitur adesse debet ratio inter finem, ad quem nos perventuros esse proponimus; & media, quibus ad id utimur. At beatitudo æterna ad quam contendimus, generis est infinite superioris illis subsidiis, quæ humana ratio nobis offert ad eam consequendam: igitur Dei possessio omnes excedit conatus hominis; & imitaretur fabulosos Titanes, qui montes montibus imponendo in Cœlum ascendere nitebantur, ille qui sesa objiceret periculo, ut fulmineis ignibus absumeretur, sperans se aliquando gloriam æternam adepturum actionibus mere moralibus, quantumvis hæ coram hominibus fulgeant. *Pater la Pesse, & Recens Auctor.*

Christianus qui constanter sepe metet & in æternum metet. *Ad Cor. 2.*

Quemadmodum messis expectatio agricolæ mulcet labores, ita mercedis spes ærumnas nostras debet recreare. *Debet in spe, qui arat, arare.* Messis nobis erit in tempore suo, tempore suo metemus. De hac re dubitare non licet, quin gravissimam fidelitati Dei nostri inferamus injuriam. Agricola, licet omnia sapientissime præcaveat, licet nullis frangatur laboribus, licet spem foveat validis argumentis suffultam, invenire potest arva sua tempestate aliqua, vel alio quopiam casu vastata; sed nil tale justo metuendum est. Perseveret ille in bonorum operum praxi, & nihil fructum illi surripere valet. *Tempore enim suo metemus non deficientes.* Interpretes quidam aliter hæc Apostoli verba explicant; æquum est, ajunt, nos incessanter serere, quia messis jugis erit in gloria; *metemus non deficientes*, eaque est D. Augustini sententia. Nullis finibus laborem vestrum circumscribere, S. Doctor inquit, & Deus nullos apponet mercedi vestræ. Verum si metriti fueritis; oppriment vos Domini judicia, quidam Propheta dicit, eo modo quo herbæ amaræ suffocant triticum. Apostoli verba significant etiam, nos metentes, numquam laboribus fatigatum iri: *metentes non deficiemus.* Messores licet alacriter messem peragant suam, laborem sentiunt; sed Sancti in Cœlo metentes ea, quæ ibi seminaverunt, purissimis voluptatibus, & pacatissima requie perfruuntur, requie imperturbabili, voluptatibusque semper recentibus. Quis gloriæ sedem fastidiat? *Quis satiabitur videns gloriam ejus?* Hic tamen paucorum annorum fructus est, modo labor sit constans. *P. Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Ad Galat. 6.

Eccli. 42.

Agricola tegit fruges suas ne ab avibus dissipentur. Christianus tegere debet opera sua.

Delectus seminis, agri fertilitas, temporis serenitas omnia hæc nequaquam certam agricolæ messem profitentur; nisi semen protectum fuerit adversus volucres cœli ad illud auferendum irruentes. Hoc significat, nos esse debere humiles corde, ut quæ bona facimus, mortalium oculis abscondamus, & ne æstimationis eorum perquisitio coram Deo omnem illis fructum præripiat. Si animæ vanæ opera sua bona exponentes non omnium meritorum suorum jacturam patiuntur; non exiguam tamen illorum partem amittunt. Multum seminasti, & intulisti parum; cœli volucres comederunt; quod seminasti. Hoc est vanæ cogitationes, quæ in corde tuo insurrexerunt & quas ibi foves assidue summa cum oblectatione præparatam tibi mercedem abstulerunt. Occulamus ergo cum humilitate opera nostra bona, cum necesse non est eorum testes homines esse. Tempus aderit, quo omnem mercedem nostram cogitatam, ac superfluentem obtinebimus. *Tempore enim suo metemus, non deficientes. Idem ibidem.*

Aggæi 1. Luc. 8.

Messis expectatio turbare non debet justum bona ferentem opera, neque spem facere peccatori mala opera seminanti. *Eccli. 5.*

Operibus nostris attentiores essemus, si eo momento, quo bonum fit, vel malum, statim vel mercedem, vel pœnam referremus. Sed licet Deus vulgo & præmium differat, & supplicium; hæc ratio neque bonos perturbare, neque impios confirmare debet. Opera quippe nostra semini sunt similia, cujus non statim, ac repente fructus existit. Ne dicat impius, peccavi, & quid mihi accidit triste? Peccavit; satis est. Qui serit injustitiam, metet male. Vos quoque, qui in bonorum operum praxi versamini, ne dicatis, ut illi, de quibus loquitur Isaias: Jampridem jejunamus, humiliamur; neque nos respicis Domine; videris omnia opera nostra ignorare. Haud ita. Nihil Dei oculos fallit; in bonis tantum persistite; tempus retributionis adveniet. Merces certa manet operantem justitiam. Agricola patienter expectat maturitatem fructuum terræ. Illius proficiamus exemplo: vellet fructus omni sapore carentes, & immaturos, qui Deum flagitaret, ut sibi in hac vita bonorum operum suorum mercedem tribueret. Confirmate corda vestra, quia dies Domini advenit, & non tardabit ultra coronare opera vestra. *P. Segneri Tomo 3. Meditationum.*

Prov. 22.

Isaia 58.

Eccl. 18.

Prov. 15.

Jacobi 5.

Ibidem.

Christianus sine ulla intermissione seminandum est propter metendum.

Tria in nobis bonorum operum praxim intercidunt. Primum, tædium. Agricola, qui terram excolens, suum dumtaxat laborem spectaret, facile tædio caperetur, & laborem suum negligeret. Ita Christianus, qui status sui vim cogitat, deterretur, & bona opera fastidit; ac parum laborans, uberem messem sperare non potest. Qui parum seminat, parum & metet. Secundo malorum temporum timor efficit aliquando, ut agricola recedat ab opere, dum illi attentius in eo esset perseverandum. Ita hominum timor, sermonum, persecutionum, odii eorumdem efficit, ut aliquando a pietate deficiamus. Qui ventos observat, non seminat; & qui nubes considerat, non metet: videlicet quicumque hominum rationem habere vult ad eorum contradictiones, irrisionesque vitandas, nil bonorum operum faciet. Tertio mœror aliquando opprimere posset agricolam incertum, utrum messis abundans sit consecutura. Similiter & ipsi mærore conficimur, cum propter modicam fidem nostram de infinita operum nostrorum mercede dubitamus. Sed promissio Filii Dei nonne satis tuta nobis cautio est? In pace seruntur fructus justitiæ: qui seminat, lætetur æque, ac ille, qui metit. Ferventer igitur in bono perseveremus, cum constantia, & alacritate: Bonum autem facientes non deficiamus. *Idem ibidem.*

Ad Cor. 2.

Eccli. 11.

Jacobi 3.

Joann. 4.

Ad Galat. 6.

Quale semen est bonorum operum in hoc mundo, talis erit messis in altero.

Vita præsens pro nobis tempus est sationis, futura vero vita tempus est messis. Messis tunc erit sationi congrua. Qui triticum severit, triticum metet; qui severit lolium, metet lolium. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Cæterum neminem fallit nomine sationis, & messis in Scripturis intelligi opera hominis, & fructus, quos inde homo percipiet. Si bona fuerint opera ejus, amplam referet mercedem; sin autem mala, vapulabit. Filius hominis venturus est cum gloria Patris sui, comitantibus Angelorum choris, atque tunc singulis secundum opera eorum retribuet. Lex ista remunerationis, & supplicii terribilis est; quoniam de omnibus forte dijudicat, quin excipiat aliquam,

quin

quin personis accepter ? Ibi Princeps, & subditus æquali titulo continentur. Uterque bonum operantur? uterque simul coronabuntur. Uterque operantur mala? uterque simul suppliciis afficientur. Uterque homines sunt? igitur uterque legem eamdem sunt subituri. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*. Quænam igitur nostra imprudentia est, negligere opera nostra, perinde ac nullo nobis in discrimine essent futura? Semen est, quod necessario fructum suum in æternitate producere debet. *Isaiæ 3.* Dicite justo, quoniam bene; colliget quippe fructus operum suorum. E contra væ impio, malum dumtaxat cogitanti; quippe secundum criminum suorum mensuram punietur. *P. Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Ut bona fiat messis in spiritu seminandū est, hoc est, bonum faciendum est, idque ob causam virtutis. Ad uberem messem faciendam scitus agricola duo considerat, seminis bonitatem, ac terræ ubertatem. Alterum si desit, messem frustratur. Seminaverunt triticum, dicit Jeremias, ac spinas messuerunt. *Jerem. 12.* Parabolam hanc operibus nostris applicemus, eaque utamur ad illa moderanda. In nobis enim & malus inest fundus, caro videlicet; & fundus optimus, nempe spiritus. Si in carne seminaverimus, metemus corruptionem, at si in spiritu seminaverimus, vitam æternam metemus. Seminare autem in carne est agere dumtaxat ad aliquam explendam cupiditatem; seminare autem in spiritu, est ob spirituales causas operari. Ut igitur bona sint opera nostra, non satis est illa esse bona in semetipsis, oportet etiam, ut spiritu, non autem amore proprio animentur. Mœrore confecti sumus, exempli gratia, & constanter statum hunc toleramus. Semen in se bonum est ad fructus cœlestes promerendos. At si per superbiam, atque jactantiam in tribulationibus tuis patiens es; seris in carne; caro vero malus est fundus, optima quæque corrumpens. *Ad Galat. 6.* *Qui seminat in carne sua; de carne & metet corruptionem*. Spiritus vivificat, dat vitæ germen operibus nostris; cumque sit æternus, dat germen æternæ vitæ: *Ibidem.* *Qui seminat in spiritu; de spiritu & metet vitam æternam*. Ut uberem faciatis messem in æternitatem, opus est, ut spiritus sit operum vestrorum principium; ut hic sit ager, in quo illa seratis. Ne seminetis mala in sulcis injustitiæ, nec septies tantumdem metetis. *Idem ibidem*.

Quo spiritu bona facienda sunt coram hominibus. Quotusquisque cum pura, integraque intentione operatur? bona opera facimus, neque ea coram oculis mortalium abscondimus: qua in re Jesu Christi monitis obsequimur. Verum in his sanctis operibus primum consilium nostrum, immo unicus scopus noster nonne est, ut illa videantur, & inde in honore habeamur? Hoc enim esset alteram præcepti partem servare, in altera vero prævaricari, vel ut melius dicam totum infringere. Ita enim nobis commendatum est Deum glorificare, ut hæc esse debeat ratio, propter quam opera nostra bona manifestentur: *Matth. 5.* *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Igitur unice vobismet proponite facere opera bona, & obliviscimini quodammodo hæc esse opera vestra; neque hoc ex vobis quovis modo intelligatur. Quæcumque enim sit pietas vestra, si ex iis, quæ facitis bona ullam oblectationem percipitis, timendum est, ne vanitas illa corrumpat. Carnales homines jam præsto sunt, ut nequaquam respiciant Deum tamquam primum auctorem operum nostrorum bonorum, utque nobis ea gloriæ vertant, licet hanc non quæramus, & aliquo pacto iniquum eorum conceptum confirmemus. Ita bonorum operum praxis, cum publica sunt, multoque magis cum nitent, maximam requirit præcautionem. Sæpe non licet bona opera abscondere, hoc esset *lucernam ponere sub modio* contra Jesu Christi consilium, sed vitandum quoque est ne aliis ostententur; hoc enim esset non solum lucernam ponere super candelabrum, sed illam objicere oculis hominum, ut velint, nolint eam videant. Sed Jesus Christus simpliciter vult quod *lux vestra luceat coram hominibus, ita ut videant*; non vult autem, ut illos cogatis ad illam videndam. At quænam sunt opera, quæ secretiori in loco retinenda sunt? Quænam illa quæ permittere debemus, ut ab aliis videantur? Hoc discutiendum est. *P. Segneri Meditat.*

Præter quamquod per opera nostra bona certa fit in semet prædestinatio nostra, certa quoque fit nostrummet habita ratione. *Bonorum operum praxis moralem nobis tribuit nostræ prædestinationis certitudinem.* Hæc certitudo quidem, moralis tantum est; sed alioquin maxima est certitudo; ex omnibus enim indiciis, quæ habere possumus nostræ prædestinationis, praxis bonorum operum est validissimum; nam licet coronemur, quia optimum finem vitæ nostræ imposuimus, non autem solum quia bene cœpimus; si tamen pro virili parte conamur semper magis, magisque fideles esse in cultu Dei, divina bonitas semper peculiarem aliquam gratiam nobis in morte concedet. Pater hic misericordiarum ut plurimum non finit, ut qui diu conatus suos exeruere, ut in bono persisterent, malum finem habeant, & tunc diem obeant suum, cum gratiæ Dei jacturam fecerint. *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur*. *Prov. 23.* Hoc ipsum innuit Sanctus Petrus per hæc verba: *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*. *2. Petr. 1.* Nos hortatur, ut nobismet procuremus maximam moralem certitudinem, quam de prædestinatione nostra habere possumus; & hæc certitudo bonis operibus innititur, potissimum vero cum & magno in numero sunt, & supererogationis. De his enim ex quorumdam interpretum sententia hic Apostolus loquitur; Dominus enim qui numquam liberalitate sinit se vinci, nobis prodigit gratias suas cum attentos nos videt ad aliquid propter ipsum faciendum præter ea, quæ requirit a nobis. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*. Ne vosmet ita coarctetis, ut vulgo fideles, ad aliquot dumtaxat subinde bona opera efficienda. Caracter eorum qui vere prædestinati sunt, est, in singulos dies, quantum fieri potest opera bona multiplicare; hoc secernit illos, qui tantum vocati sunt, ab iis, qui vere sunt electi. Fac quodcumque poteris bonum, ac certus esto, te ita servatum iri a Deo, ut numquam pecces. Quid! me mortalium insipientissimum existimarem, si in alicujus momenti negotio, in gravi morbo, mihi omnia rejicerem subsidia prætexens fore ut nihil accidat, nisi quod futurum prænovit Deus; & me sapientissimum reor cum in una illa re, quæ mea maxime refert, id facere negligo, quod in me situm est. *P. Segneri in Meditationibus*.

Opera justorum illos sequuntur post mortem. Opera Sanctorum sequuntur illos; hæc opera ad Jesu Christi Tribunal totidem sunt testes fideles meritis ipsorum. *Laudent eum in portis opera ejus*. *Prov. 31.* Hoc ipsum non accidit operibus peccatorum; insignes sint propter ingenium suum, vim, magnificentiam: nil horum morientes comitatur. Æterna pœnitentia eorum, quæ in hoc Mundo fecerunt, illud unum est, quod illis superest in Inferno: *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo*. *Eccli. 14.* E contra *omne opus electum justificabitur; & qui illud operatur, honorabitur in illo*. Id genus sunt opera Sanctorum; solida sunt, duratura, æterna; & numquam illis excidet memoria solatio plena, a se illa facta fuisse. *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidet, radix sapientiæ*. *Sap. 3.* *Idem*.

Opera Sanctorū erunt triumphus eorum. Triumphus Sanctorum præcipuum fulgorem suum in operibus eorum inveniet. Peccatores nonnumquam afferuntur tanto fastu, atque apparatu, ac si eorum cineres ab hominum aliorum cineribus essent distincti: Sed ubi sunt opera, quæ eos ad judicis tribunal subsequuntur? Soli, omnium rerum vacui, nonnisi scelerum suorum opprobrium deferunt, cum interim justi gloriosa sanctorum operum suorum caterva stipati illuc se conferant; *Opera enim illorum sequuntur illos*. *Apoc. 14.* Justorum

opera

opera illos post mortem sequuntur; & nihil eos sequitur præter opera: bona igitur opera sola sunt vera vitæ bona. Opera justorum sequuntur illos post mortem. Quinam gloriosior triumphus hoc animæ sanctæ, quam de corpore egredientem opera sua in Cœlum attollunt in æternum cum Angelis consociandam? *P. Segneri Tomo 3. Meditationum.*

Quid requirat Deus in bonis operibus nostris, ut sint perfecta.

Via magis compendiosa, qua ad Sanctitatis apicem pervenire possimus, est Deum quærere in operibus nostris, eumque in suis celebrare. Deum laudare, & non diligere, esset hypocrisis, & amor, qui ad eum laudandum nos minime induceret, suspicione non careret. Hac de causa Propheta utrumque connectit, & amorem exquirit in nostra agendi ratione erga Deum, & laudes in ea, qua nobiscum Deus operatur. Tota vita nostra in duplici hoc cardine vertitur; in eo, quod faciendum aggredimur propter Deum, & in eo, quod Deus vult facere de nobis. Potissimum cupit, ut illum in operibus nostris diligamus; & vult, semper se a nobis laudari in operibus suis. Nonne his opposita facimus? Nostra obeuntes officia, nonne quærimus potius nobismetipsis satisfacere, quam unice Deo nostro placere? Quin probemus, & laudemus sapientiam providentiæ suæ, quæ omnia ad majus bonum disponit, umquamne dolemus ob illa, quæ præcipit? Quid mirum tunc est, si in statu nostro nobis contingere nequit, ut sancti fiamus! Culpa non statui nostro, sed nobismetipsis est tribuenda. Deus contentus erit nostri, si amor omnia opera nostra bona animaverit, si illi ob ea, quæ facit, benedixerimus. Quæram Deum in omnibus, benedicam illi ob omnia, eumque laudabo. Quidquid agam, ut illi placeam, & quidquid ipsi placuerit facere in me, vel de me, erit laudum mearum argumentum. Quærere Deum in operibus meis, illum in suis omnibus laudare, nexus est duplicis hujus officii, quod me sanctum efficeret; in quo autem situm est, utrumque obeam? Nihil magis est in mea potestate, juvante Deo, quam duo hæc munera adimplere eo in statu, in quo sum; mea igitur culpa est si sanctus non sum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Quamcumque gloriā Deo opera nostra bona procurent, si in illis propriam gloriam inquirimus, nullam nobis mercedem promerebuntur.

Licet externa opera bona Deo gloriam procurent, si ibi non Dei, sed vestram gloriam inquiritis, nullam a Deo mercedem præstolamini. *Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Ad homines pertinet remunerari vobis, cum hominum existimationem, ac suffragium perquiritis. Poterit fortasse Pater cœlestis, vobis aliquod temporale munus conferre pro bono, quod in mundo operamini per extrinsecas actiones, quæ ædificant; opus est, ut intrinsecus quoque bonæ sint per intentionem qua animantur. Sed vanitas, quæ obrepit in bonum illud, quod facimus, nonne semper nobis meritum aufert? Hoc explicandum est. Vel libido hominibus placendi, in quo vanitas sita est, opus vestrum bonum præcedit, verbi gratia vestram eleemosynam; vel illud concomitatur, vel tandem subsequitur. Si illud subsequitur, meritum vestrum in tuto positum est, & suum habet meritum, sit enim cum causa, quæ illud Deo efficit gratum; & quæ subsequitur vanitas, erratum est ab actione bona prorsus sejunctum; e contra cum bonum opus præcessit vanitas, quæ etiam illius causa fuit, omne meritum perit; quia tunc non est animatum a causa, quæ illum debet sanctificare; & nihil reipsa est aliud, quam opus vanæ gloriæ. Denique cum vanitas comitatur opus bonum, modo hujus meritum nobis aufert, modo illud nobis relinquit. Aufert, si in actionis decursu taliter sit illius causa, ut propter unicam voluptatem hominibus placendi operemur; relinquit autem boni operis meritum, si illud prosequimur, atque perficimus, unico consilio placendi Deo, quamvis clanculum gaudeamus, homines etiam testes esse facti. Inanis hæc oblectatio noxa quidem est, sed non est actionis causa, quam incœpimus, in qua perseveramus, & quam absolvimus animo tantum Domino placendi. Timor igitur vanitatis numquam præponderare debet necessitati, in qua estis efficiendi, ut ab hominibus videantur opera vestra bona; sufficit resistere huic desiderio hominibus placendi, vel etiam illud negligendi, ut alia aliqua cogitatione occupemini: tunc enim nihil amittetis mercedis illius, quæ debita est bono, quod faciris. Nonne æquum est, ut nihil spectetis aliud, quam placere Deo, quandoquidem hic unus est, a quo sperare possitis dignam operibus vestris mercedem? *P. Segneri in Meditationibus.*

Vult Deus, ut videamur obire ferventer officia nostra essentialia.

Verum est, Domine, non deesse quasdam virtutis actiones, quibus par mundus non est, ac te servis tuis hanc mentem injicere, ut illas mortalium oculis auferant: sed essentialia status eorum officia vis ab illis coram omnibus ferventer, & constanter repleri, & tuæ interest gloriæ, ut hoc ab omnibus videantur. Æquum est Domine, ut hæc tibi gloria deferatur, eo quod efficere dignaris, ut tua mihi opem ferente gratia bona opera faciam; & hæc illa una est, quam mihi tamquam omnium operum meorum finem volo proponere. Errarent homines, si me laudibus cumularent ob ea bona, quæ a me fieri viderent; tibi, Domine, tunc laudes sunt deferendæ; sed ego quoque vehementer errarem, si bene operatus ab hominibus laudari vellem? Simul ac inanem hominum approbationem inquirerem; tuæ mihi esset abrenuntiandum; inane tantum mihi superesset phantasma virtutis; & satis amplam retulissem mercedem ex ineptis laudibus, quas tamquam operum meorum fructum mihi proposuissem. Posses etiam haurire gloriam tuam ex bono, quod extrinsecus facerem; sed nihil mihi deberes, quod illud fecissem, non enim propter te fecissem illud. *P. Segneri in Meditationibus.*

Opera nostra bona ita sunt opus gratiæ ut nostra libertas minime sit expers illorum.

Non desunt insecta, quæ saluberrimarum plantarum succum in teterrimum virus convertant; nec desunt homines, qui in erroris venenum saluberrimas convertant veritates. Abutuntur præcipue his Jesu Christi verbis, *sine me nihil potestis facere*; tribuentes ita gratiæ opera nostra bona, ut in nullam eorum partem nostra libertas accedat. Tenuis hæc esset Salvatoris gloria, quod gratia sua in nobis operaretur omnia, quin ipsi aliquid ad eam nostra electione conferremus; sed longe major illi gloria cedit, cum nobis præbet facultatem concurrendi, atque, quantum in nobis est, cooperandi ad opera bona facienda. Quapropter ait; *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Non dicit, Palmites non ferre fructus, negat solum, deesse illis vim, ut per se tantum fructus ferre valeant: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Licet vitis sit causa potissima, cui uva accepta fertur; fertur etiam accepta palmitibus, qui eadem onusti sunt: ita licet Deus præcipuus sit Auctor operum bonorum nostrorum, hæc non ideo minus vere sunt opera nostra; nostra sunt, quantumvis præcipuæ sint gratiæ. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. P. Segneri in Meditationibus.* Joann. 15. Prov. 31.

Quinā vocari possint misericordes.

Homines misericordes non ii tantum sunt, qui reipsa misericordiæ opera exercent; sed illi etiam qui cum omnino illa nequeant exercere, cupiunt saltem sibi dari facultatem illa exercendi. Ita Jesus Christus non dixit: Beati qui utuntur misericordia, sed *beati misericordes*; ne quis ab adeo excellenti beatitudine excludatur. Profecto misericordia sincera voluntas est proximo in necessitate posito opem ferendi. Qui igitur quibusdam in occasionibus opem ferre non potest, sincere cupiat hoc facere, si posset; jam misericors est. Esto misericors eo modo, quo poteris, ajebat filio suo Tobias. Si multa tibi sunt bona, multum eroga, si pauca, parum illud, quod tribuis, hilari corde tribue. Hoc enim pacto magnum congeres thesaurum,

ma-

magnamque in dies necessitatis, mercedem. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Qui misericordiam exercere possunt, & non exercent, non sunt misericordes.

Ita quicumque exercere potest misericordiam, neque illam exercet, misericors non est; misericordia quippe, cum non deest ejusdem exercendæ facultas, non debet in meræ miserationis sensu contineri. *Si frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Hinc Regius Propheta Dominum sæpe vocat Deum misericordem simul, & miserantem: *Miserator, & misericors*, nihil enim prodesset nobis si ille quidem malorum nostrorum misereretur; sed nullam nobis opem afferret. *Idem.*

Ut quis vere misericors sit, necesse esse debet erga omnes sine exceptione.

Ut autem misericordiam eo in gradu exerceamus, qui eam dignam efficiat nomine beatitudinis, hæc erga omnes sine exceptione exercenda est, pro necessitatibus omnibus, nulla dempta, & qualibet in occasione sine ulla spe. *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Itane misericor es? Qui deberes fratribus tuis in spiritualibus ipsorum necessitatibus opitulari: Qui saltem eorum egestatis, ac vinorum misereri deberes; nonne immo omni doloris sensu cares? Numquamne accidit tibi, ut contemptum, ac contumeliam adderes sævitiæ tuæ? *Pater Segneri in Meditationibus. Tomo quinto.*

Gravissimus novatorum est error credere, opera bona nõ esse ad salutem necessaria.

Diffluit Scriptura promissionibus, ac remunerationibus pro illis, qui se iisdem dignos præbuerint, easque bonis operibus in gratiæ statu editis sibi fuerint promeriti. Quidam hæretici non negant quidem, iis destinari pœnas æternas, quas sceleribus suis merebuntur: Cur vero cum Romana non confitentur Ecclesia, merita bonorum operum, quæ proficiscuntur ex gratia, eadem animante, atque concomitante, efficiant etiam, ut gloriam promereantur? Dicunt, hoc præmium quod illis in Cœlo dat Deus, mere gratuitum esse; quod & ipsa tenet Ecclesia Catholica; Deus quippe in hoc sua tantum dona coronat, & gratia, quæ animat opera bona, eaque concomitatur mensura est stipendii Beatorum in Cœlo. Quare igitur non placet illas, a Romanis gratuitum appellari bonorum operum meritum; ab illis dici hoc omnino pendere a gratia cum in radice, & fundamento, tum in virtute, atque mensura? Nulla major est contradictio inter meritum gratuitum, gratuitamque mercedem; nisi fortasse velint manifestam adesse oppositionem *inter mercedem, & meritum*. Gratia meritum constituit; gratia eadem remuneratur meritum. Ubique, & in omnibus gratia est. Per Dei gratiam facimus quodcumque facimus, minimum etiam opus bonum; & Deus ita bonus est, ut velit dona sua esse merita nostra, S. Augustinus ait, cum nihil melius nostrum esse possit, quam quod donationis titulo possidemus. Verbo: consentiunt omnes, opera nostra bona adeo accepta esse Deo, ut gratia Spiritus Sancti in nobis, & per nos operetur: eisque tribuat præmium æternæ beatitatis. Hoc gratuitum appellant Romani; hoc Protestantes gratuitam mercedem vocant. Quis non videt, istic non de re, sed de nomine tantum quæstionem haberi? *De ratione iterum Protestantes cum Romana Ecclesia conjungendi a Bellicensi Episcopo proposita.*

Quænam proprie sit principium misericordiæ, & quid hoc nomine intelligat Evangelium.

Misericordia proprie loquendo est animi motus, quo alienis malis dolemus, ac vividum atque ardens desiderium opem illis ferendi. Misereſcere tantum ubi alios pati videmos, quin illis cupiamus opitulari, non est Christiana virtus; motos est naturalis, animæ compatientis argumentum, qui in plerisque hominibus in sensu subsistit. Moventur illi objectis, & sensum hunc naturæ negare non possunt. Pro operibus misericordiæ moralis hujus virtutis effectus intelliguntur, quæ, ut Dei Filius ait, esse debet Fidelium omnium caracter, & quæ in hoc sita est, ut proximum diligamus, quemadmodum nosmetipsos diligimus, eumque opibus nostris, consiliis, omnique auxiliorum genere juvemus, quæ ipsi vel per nos, vel per alios in qualibet necessitate procurare valeamus. Hi sunt fructus puræ, teneræ, benignæ, & efficacis charitatis, quæ non in verbis tantum sita est, vel in scriptis, sed in operibus celeriter factis, constantibus, atque ardentibus; ita ut nulla major in terris voluptas inveniatur, quam illis benefaciendi, qui rerum omnium indigent, & præsertim in consolandis mœrentibus, & sine ulla exceptione pro virili parte juvandis iis omnibus, qui gravi necessitate premuntur. Hinc Recens quidam auctor affirmavit, proprie loquendo Christianum hominem igneum esse, igne nutritum, ignemque spirantem. Hic autem ignis ille est, quem Dei Filius attolit in terras, & quo omnia hominum corda succendi, & inflammari desiderat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Nulla in sanctis omnibus virtus est hac frequentior: hæc quodammodo ingenita est animæ vere Christianæ. Qui solidam habet pietatem, qui Deum vere diligit, tanta voluptate perfunditor liberaliter effundens in pauperum sinum eleemosynas, ærumnosis opem ferens, eos, qui misere affictantur invisens, ut diceres, opera bona secum ferre stipendia sua, ac efficere, ut, qui hæc agunt, tot interioribus gaudiis afficiantur, quot ipsi pariunt in iis, quibus opitulantur. Hæc proculdubio quædam est beatitudinis illius prægustatio, quam Filius Dei hominibus in omnem charitatem effusis pollicetur, cum dicit in Evangelio: *Centuplum accipietis; & vitam æternam possidebitis. P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 5. & Recens quidam.*

Luc. 12.

Matth. 19.

Opera bona quantam afferant morientibus consolationem.

Quantum sunt deliciæ summum afferentes solatium illæ, quas in hora mortis percipiunt illi, qui charitate in egenos incensi propter opera sua bona percipiunt? Dicere possumus nihil tantum momenti afferre solatium, quam suavem operum bonorum suorum recordationem. Mortis terrores dissipantur sola imagine insignium eleemosynarum in vita erogatarum. Quid tunc dulcius memoria illorum ægrotantium, quos toties in xenodochiis invisimus? Pauperum pudibundorum, quorum vitam eleemosynis produximus? Captivorum in compedibus languentium, quorum curam gessimus, & quorum tamquam patroni, advocati, ac patres fuimus? Omnium denique calamitosorum, quorum quodammodo Salvatores possumus nuncupari? Religionis actus, quicumque tandem sint, magnæ quidem sunt consolationi in mortis articulo; usus Sacramentorum, pietatis exercitationes, preces; hæc omnia consolantur quidem, non tamen certitudinem afferunt. Si quid tunc certos potest efficere, næ illa quidem sunt opera misericordiæ cum pura, & supernaturali intentione facta; sed quotusquisque hodierna die reperitur, cui de pretio, & merito bonorum operum sit persuasum! *Pater Croiset. In Asceticis Exercitationibus Tomo 5.*

Sine ulla intermissione bona opera facere debemus.
ad Gal. 6.

Messis semper sationi respondet. Agricola, qui malum semen effudit, lolium tantummodo metet: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Cum facimus opera tenebrarum, nonnisi corruptionem metere possumus. In spiritu seminavimus, hoc est, secundum Dei spiritum vivimus? vitam æternam metemus. Igitur opera bona facientes, ne nosmet relaxemur; ita enim agentes tempore suo messem recipiemus. In hac mortali vita metimus pro æternitate, & non nisi post vitæ finem metimus. Dum viximus, fecimusne opera tenebrarum? Secutine fuimus carnis desideria, viximusne secundum mundi spiritum? Messis nostra erit, infiniti dolores, æterna calamitas. Operatine sumus spiritu? Integram, scelerisque puram vitam duximus, vitam innocuam, mortificatam, Christianam transegimus? Messis erit æterna felicitas, æterna quippe vita illis est destinata, qui constanter bonum facientes ad veram gloriam, ad honorem solidum, ad immortalitatem adspirant. Dum igitur tempus habemus, & illud in nostra positum est

faculrate, operemur bonum; quod pro viribus efficere possumus. Incessanter impendamus in operibus bonis tempus nostræ peregrinationis. In exitu dictum nostrorum, non erit amplius tempus; & nisi in præsentiarum, cum possumus, bonum operamur Dei gratia favente, ad hujus exilii finem, desideria nostra erunt vana, inutilia, ac sterilia. Modo igitur incipiamus bona opera exercere, & omnibus benefacere, non solum egenis opem ferentes, sed per bona exempla fratres nostros ædificantes; hæc est omnium obligatio, & nemo ab hoc potest dispensari. *Pater Croiset ibidem.*

Quam injustæ sint querelæ nostræ, qui Cœlū lucrari volumus nihil faciendo.

Cum gloria, quam præparat Deus electis suis sit bonum æternum, æquissimum esset omni æternitate operari ob illam acquirendam, ac æquipollentibus laboribus per opera nostra bona promerendam. Tamen injusti judices illius boni, quod, nullum finem habiturum est, aliquot diebus nosmet laboribus exercuimus hac mente, ut illud obtineremus, neque cessamus conqueri de emptione, ut ita dicam, quæ tantulo nobis stetit pretio, & quæ tantam nobis attulit utilitatem. *Quia sempiterna requies est æqua pretium*, Sanctus Augustinus ait. Si Deus vult nobis dimittere desideria, motus, æternasque anxietates, ut ad gloriam adeo sublimem perveniamus; non ideo dimittit, quos cœlum tanto pretio comparari meretur; sed nos adducere vult in statum illius possidendi contentus paucis operibus bonis vitæ brevis, & persunctoriæ. Labor, qui nullum haberet finem, nullam habere posset mercedem, sed tamen labori diuturnitas, si fieri posset, durationem ejus exæquare deberet; & nihilominus Deus cum summo bonitatis excessu dignatur pro paucissimis operibus bonis, nos infiniti boni participes facere. Sed o nos ignavos, & miseros! Ex nobis nonnisi æternæ exaudiuntur querelæ de difficultatibus perveniendi per adeo facilem viam ad hujus boni perfectionem. Tandem vero, si gloriæ corona aliquid est adeo pretiosum, nonne æquum est, ut paucorum dierum operibus nosmet eadem dignos præbeamus? Si Cœlum infiniti est pretii, nonne laborandum, vigilandum, sudandum sine intermissione est, ut illud obtineamus? Si hæc immensa hæredita est, quid æquius esse potest, quam omnem conatum, ac industriam impendere, ut illam tamquam digni hæredes consequamur! *Pater la Pesse. Tomo 1.*

In Psal. 93.

Christiana virtus sublimius aliquid postulat quā mūdi hujus officia.

In Præf. in Psalm. 37.

Nil prodest agere, Sanctus Ambrosius inquit, *nisi ita agatur, ut oportet*. Sed heu! quantum vilitatis, quantum cupiditatis, quantum libidinis & amoris proprii invenitur in iis motibus, qui satis frequenter ipsam virtutem confirmant. Fallimur; per libidinem, atque temperamentum agimus; in otio languemus tunc etiam, cum propter cœlum nos agere nobis blandimur. Si sanctissimæ quæque actiones patent tot illusionibus, ac vitiis, quanti nobis facienda est hæc sapientia, hæc lenitas, hæc moderatio, omniaque hæc officia, quæ mundi commercium a nobis requirit? Mere naturalis honestas potest omnium earum pretium exæquare. Christiana Religio quam profitemur, & virtus aliquid a nobis requirit sublimius, spiritualius, difficilius; & sicuti veremur ne nobismet facessamus negotium, & rem nimis late patentem, nimisque difficilem arripiamus: sicuti majori indigemus vigilantia, & cura in intentionibus nostris examinandis, hoc levi manu adfectamus prætermittere, hoc est, vere loquendo non admodum laboramus, ut placeamus Deo, ac parum extimescimus, ne illi placeamus, *P. la Pesse. Tomo 5.*

Actiones ipsæ quæ infirmiores videntur, non minimum fideli prodesse possunt.

Cum Religio, quam profitemur, sit infinite sublimis, magnum aliquid exigit a nobis. Opera abjecta Christianum, Deique famulum dedecent. Hoc illud est quod mundi princeps, sæculique sectatores nequeunt intelligere. Omnia honeste facta, quæ diem componunt, visitationes, colloquia, negotia, ipsa etiam solatia; hæc omnia illud possunt meritorio constituere, cujus merces Cœlum futurum est, si propter Deum facta fuerint, licet ista necessario nexu sint cum urbana vita conjuncta; sed multo magis actiones sanctæ, actionesque parum considerabiles, quæ hominibus abjectæ videntur, nonne erunt quietis, lætitiæque argumentum? *Quid tam vile, quid tam terrenum, quam frangere panem esurienti? Tantum valet regnum cælorum*, inquit S. Augustinus. Fideles quidem ignorant ambitionis artes; non quærunt prodire, ac præ cæteris enitescere: immunes sunt ab hac inexplebili aviditate thesauris thesauros accumulandi; horrent invidiæ, & malæ fidei doles; sed non per hæc tantum Deo placere contendunt, sed bonis operibus cœlum lucrari conantur, quod nobis propositum est in præmium eorum omnium, quæ propter Deum operati fuerimus. *Idem.*

Bonorum operum necessitatē ex S. Job exemplo discere possumus.

Sanctus vir Job de seipso dicebat, misericordiam secum prodiisse ex utero matris suæ, ac deinceps cum ipso crevisse. Mox narrans effectus, quos in illo repererat, addit..... *Pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam diligentissime investigabam &c.* ubi declarat, se non satis esse putantem, si egenis ferret opem, si illos indueret, atque aleret, consiliis quoque suis illos juvasse: quod illa verba significant, *oculus fui cæco, & pes claudo*, & præterea illos tuebatur ab opprimentibus se, convellens ut ita dicam injustis raptoribus prædam, quam jam faucibus tenebant, & jamjam erant voraturi. Et Sancti hujus Patriarchæ verbis intelligere possumus, quæ nos bonorum operum necessitas urgeat. Quod spectat ad horum bonorum operum meritum, conjicere possumus quantum sit ex magnificis promissionibus, quas in Scripturis iis facit, qui eadem exercent. Asserit Sapiens eum, qui pauperis miseretur, numquam pauperem futurum, & ei nil umquam defuturum. Bonis operibus idem accidit, S. Basilius inquit, quod puteo, cujus aquæ eo meliores, & copiosiores sunt, quo plures inde hauriuntur; quæ, si inde haurire cesses, decrescunt, & corrumpuntur. Quod nobis palam ostendit necessitatem bona opera faciendi, si communem evitare cupimus corruptionem eorum, qui nil boni operantur. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Exercenda nobis sunt corporalia charitatis opera erga pauperes, & spiritualia erga divites.

Tantæ necessitatis est charitatem erga proximum exercere, tantæ utilitatis est nosmet ad illam excitare, sæpe animo reputare mala, quæ sine ope ulla Jesu Christi membra patiuntur; ut Sacræ Scripturæ nibil aliud nobis suadere videantur, præter sanctam hanc consuetudinem: eo usque, ut Salvator ipse dumtaxat ex bonorum operum omissione causam reprobos damnandi desumere videatur. Sed non minus miserebimur divitum crudelium, & avarorum, si terribilia inspexerimus supplicia, quæ Deus illis minitatur. Erga pauperes potissimum exercenda sunt corporalia opera misericordiæ; sed erga divites, salutaria monita, bona consilia, fervidæ preces. Illis enim applicari potest, quod Salvator de S. Martha dicebat: Inquieti sunt, ac turbantur erga plurima. Profecto tot rebus sese impediunt, ut vix illis supersit momentum, quo vel legant, vel audiant, vel meditentur ea, quæ ad salutem suam, æternamque pertinent beatitatem. Reipsa de quamplurimis dici potest, quod quin bona opera exerceant, omnes industriæ suæ vires collocant, in bonis suis tuendis, augendisque, quin praxis operum misericordiæ illis negotium facessat. Mundi sectatores id agunt, quod de semet inquit Sapiens, diligenter scrutantur ædes suas, hortos, prædia, villas; sed non idem considerant, ac ille, qui postquam hæc omnia, & singula consideraverat, intellexit ea esse inutilia, cum nihil sit stabile super terram. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Luc. 10.

Ut Christiane vivamus, pro viribus exercere debemus omnia genera operū bonorum.

Animæ vere Christianæ proprium est quovis modo bona opera exercere. Hinc non sufficit corporalia tantum misericordiæ opera facere, spiritualia quoque facit, quæ magno cum fructu fiunt, præsertim vero apud divites, qui proprio veluti con-

silio

filio traditi præ cæteris; ut ita dicam hoc bonorum operum genere indigent. Quod spectat ad consilium egentibus dandum: vera charitas postit, ut ne assentemur principibus viris, & sæculi divitibus, ne illis quæramus dicere blanda & jucunda, & ne illis umquam dissimulemus veritatem. Nam fortasse nihil illis magis necessarium esse potest, fideli consiliario, qui audacter, & non hæsitanter dicat, quod illis sciendum est, & qui de Principum virorum gratia non admodum laboret, modo Dei gratiam curatur. Paucissimi quidem inveniuntur qui velint summis viris salutaria præbere consilia; verumtamen id tantum genus operum misericordiæ cum his possunt exerceri. Pauper enim cum vulgo magis temporalibus urgeatur necessitatibus, ac pluribus indigeat ad familiam alendam, parum attendit bonis consiliis, & spiritualibus operibus, quæ secum exercentur; sed dives in rerum affluentia vivens, nulla re sibi deficiente his magis eget, quam rebus aliis quibuscumque. *Ex Operibus Spiritualibus Bellarmini, & a Ponte.*

Frustra ad Sanctorum gloriam contendimus nisi opera bona exercemus.

Quid offeremus Deo ab eodem impetratori partem, quam Electis in Regno suo præparavit, si nulla opera bona exercuerimus. Semper in deliciis, & in mundi tumultu, quid facere possumus, & quid facimus, unde intelligi valeat, quam legem sequamur? Nisi quantum in nobis est proximo subvenimus, nisi viduis opem non ferimus; nisi pupillos tuemur, nisi pauperibus laborantibus egestate auxilio sumus: quænam est impudentia nostra, velle, ut Deus nobis gloriæ suæ sedem aperiat, quin ne gressum quidem moverimus ad illam obtinendam? Mundi sectatores, qui dies vestros inutiliter teritis in voluptatibus, delitiisque, quin de futuro laboretis; qui nullo in discrimine habetis salutem vestram unquamne animum ad tanti momenti rem advertistis? Vel sine Religione ulla vivitis, vel si quæ illius est vobis notio, fatendum vobis est, certissimum argumentum, quo probare possitis, vos sequi Evangelium, esse praxim eorum operum, quæ a Dei Filio ejusdem auctore præscripta sunt. Si respicitis opes, voluptates, honores tamquam summum vestrum bonum, omnia Religionis vestræ negligentes officia; metuendum est vobis; immo certum est etiam, bonum hoc, quod summum vobis videtur, aliquando summam vestram calamitatem esse futuram. *Auctor Recens.*

Bona opera sunt thesaurus ille, in quo confidere possumus pro vita futura.

Quænam nostra stultitia est! Quæ cæcitas! Nati sumus, ut æternum essemus beati, ut in deliciis affluenti loco viveremus, ubi aurum, neque argentum nulli sunt utilitati, nulli subsidio, & ubi universus thesaurus noster erit meritum bonorum operum nostrorum; & nihilominus adeo cæci sumus, ut perituris dumtaxat divitiis congerendis, bonis, quæ hinc auferre non licet, thesauris, quos fures effodiunt, & quos certissime nobis mors est ablatura, operam damus. Sed ita negligimus bona opera facere, congerere thesauros, quos ærugo corrumpere, ac tinea vorare non possunt; ut videamur in omnem æternitatem victuri, vel persuasum esse animas nostras æque ac corpora nostra esse morituras. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Deus opera nostra bona coronans, sua dona coronat.

Nihil mihi reliquum est, inquit Apostolus, nisi ut repositam mihi præstolet justitiæ coronam. *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Hoc illam appellat nomine, futura est enim merces justitiæ, atque virtutis, & illi tribuenda est tamquam laborum suorum pretium. Quod non prohibet, quo minus simul sit corona misericordiæ; nam juxta Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, cui Sanctus Augustinus se subjicit, Deus nostra coronans merita, nostra quoque dona coronat. Sancti merentur cœlum, quod illis debetur vi promissionum Dei. Mereri quippe nil aliud est, quam ea opera facere, quibus Deus gloriam suam voluit polliceri. Sed quia fiunt acta, quæ nobis merito verti non possunt nisi ope ejus gratiæ, quæ meræ illius misericordiæ est effectus: gloria illius debita actionibus, quæ eamdem promerita sunt, est corona misericordiæ simul, ac justitiæ. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 9.*

Ut opera nostra sint bona, cum recta intentione facienda sunt.

Quid fit de arbore nullos fructos bonos ferente, Salvator ait? *Excidetur, & in ignem mittetur.* Dei Filius hoc in loco non loquitur de arbore sterili, sed ferente quidem fructus, at malos. Terribilis lectio illis, qui in speciem quidem bona faciunt opera, sed asperos tantum, & mali saporis fructus gignunt: fructus corruptos, quibus prava ob causas deest puritas intentionis. *Viri divitiarum:* in speciem quidem divites, sed qui in hora mortis nihil inveniunt in manibus suis. Homines zelotes, qui audaces ita erunt, ut dicant: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Quibus tamen Dei Filius responsurus est: *Quia numquam novi vos.* Recedite a me; nescio vos. Asserta opera vestra bona fuere fructus cordis corrupti ab iniquitatibus vestris, & amore proprio. Arbor mala fructus quidem ferre potest, sed boni esse non possunt. *Pater Croiset in Exercit. Ascetic. Tomo quinto.*

Cum nequeamus bona opera exercere nisi per Dei gratiam, ille cum nos remunerat, sua dona coronat.

Verum est nullam adesse inter opera bona, & præmium proportionem; verum hoc non prohibet, quominus cum Deus summa dignatione pollicitus fuerit, se vitam æternam illis daturum qui illius mandata obsevaverint, illam merentur, qui servat hæc, & Deus ipse illam debeat suæ promissioni, cum illius sit fidem præstare suis pollicitationibus. Justa igitur merces est vita æterna; attamen Sanctus Paulus eam vocat gratiam, iisque comparat donis, quæ olim ab Imperatoribus tribuebantur militibus; qui bene pugnaverant, & quæ præter stipendia illis erogabantur. Profecto gratia est, quia opera bona, quæ illam merentur, sunt effectus gratiæ, & meræ Dei misericordiæ coronantis dona sua, D. Augustinus ait, dum nostra merita coronat. Debet ille procul dubio bonis operibus nostris vitam æternam, & hoc in sensu merces est, vel, uti a Sancto Paulo vocatur, corona justitiæ. Non debet vero gratiam, quæ cum nos ex peccatoribus justos fecerit, est principium, & fons omnium operum bonorum. Omnes viæ illius, inquit Scriptura, sunt misericordia, & justitia. Miseretur, Sanctus Augustinus ait, cum peccatorem convertit, justitiam exercet, cum punit; exercet vero simul justitiam, & misericordiam, cum vitam æternam largitur; justitiam quidem, quia remuneratur opera, quæ illam merita sunt; misericordiam vero, quia hæc opera per gratiam suam facta sunt. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 8.*

Mentis elevatio in Deum ad petendum donum misericordiæ.

Non ita Domine; licet omni sensu carerem, videns tot miserorum ærumnas, & necessitates, non tamen carerem videns præmium, quod illis ferens opem mereri possem. Justitia mea non habet in me adeo legitima jura, ut libenter de illis decedere minime velis in gratiam subsidii illius, quod fratribus meis ipse contulero. De qua enim te mundum judicaturus es Domine terribili ultionum tuarum die? Nonne videntur elogia, ac præmia tua pro illis tantum, qui fuerint misericordes futura; probra vero, & pœnæ iis, qui misericordiam non exercuerint. Possum igitur, Domine, exarmare justitiam tuam pauperibus opem ferendo, Abjecta, ac fragilia bona, quæ hunc in usum confero, certum me faciunt bonorum præstantissimorum, atque æternorum. Sancte Spiritus mihi consilii donum communica, ut in feliri hac permutatione facienda non dubitem. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Puritas intentionis

Dei Filius dicit in Evangelio: *Si oculus tuus*

omnes actiones nostras sanctificat. *simplex est ; totum corpus tuum lucidum erit &c.* Sin autem oculus tuus nequam fuerit ; totum corpus tuum erit tenebrosum. Sanctus Augustinus dicit, oculi nomine hoc in loco intelligendam esse intentionem, corporis autem loco, varias hominis actiones esse intelligendas. Cum sancta est intentio : puritas intentionis sese effundit usque in totum actionis corpus : cum vero mala ; actio consequenter semper mala est, & nequam. Intentio pura rectificare nequit actionem, quæ per se mala est. Intentio pura generatim sanctificat actiones omnes, modo illæ excipiantur, quæ per se noxiæ sunt. Cum intentione prava, nulla fieri potest actio bona. Ita videmus in Evangelio, omnes Pharisæorum actiones noxias fuisse, quia malum habebant finem, pravamque intentionem ; namque per invidiam, inanemque gloriam operabantur ; quod illis exprobrabat Dei Filius, cum dicebat illis, eos omnia facere consuevisse, ut ab hominibus viderentur. *Lambert in Anno suo Christiano. Tomo 7.*

Intentio mala san. Intentio mala sæpissime sanctissimas quaslibet actiones corrumpit. Quid sanctius, exempli gratia, quam eleemosynam erogare ? Tamen si eleemosynam facis ad ostentationem, nil penitus requiritur ad actionem tuam corrumpendam, & ex optima quæ erat, maxime noxiam efficiendam. Hypocritæ eleemosynam erogant, ut in honore habeantur ab hominibus : hic malus est finis ; eorum igitur eleemosyna Deo accepta esse non potest, & jam mercedem suam assecuti sunt. Oratio una est ex obligationibus divinæ majestati maxime jucundis ; sed ne quid de suo merito amittat, opus est, ut illam offerens rectam habeat intentionem ; alioquin esset criminosa, & Deum potius irritaret, quam ab infinita illius bonitate gratias acquireret. Quod nonne ipse mundi Salvator aperte nos docet in Evangelio, cum singulis nostrum ait : cum oratis noli fieri sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Hoc est maledictum vitium illud, quod totam hypocritæ orationem corrumpit, efficitque, ut ille totius meriti jacturam patiatur. *Idem ibidem.* ...ssimas actiones corrumpit.

O R A T I O.

NECESSITAS, VIRTUS, CONDITIONES ORATIONIS, &c.

M O N I T U M.



Ratio, quæ Deo offertur, bifariam accipi potest ; 1. tamquam tributum, quod exhibetur Deo, laus, quæ illi defertur, sermo, qui cum divina majestate ore habetur, vel corde ; 2. tamquam petitio ad gratiam aliquam seu spiritualem, seu temporalem obtinendam ; atque hac in significatione istic est de oratione loquendum, cum de oratione altero in sensu accepta, quatenus præter vocales, mentalesque preces complectitur etiam mysteriorum nostræ religionis, æternarumque veritatum meditationem, alibi sermonem instituerimus. Hæc autem oratio, quatenus petitio facta Deo, a Salvatore præscripta, ac toties in Evangelio commendata suas habet utilitates, suasque peculiares leges, quæ ita latum morali disciplinæ, utilissimisque præceptis campum aperiunt, ut concionatores latius excurrere, & plures etiam hujus argumenti sermones valeant elucubrari. Copiosam istic supellectilem afferemus ; nullus enim ferme est vel inter Asceticos, vel inter Evangelii Præcones, qui hoc argumentum non pertractaverit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Ratio æque efficax est, & necessaria. Hæc duo sunt de fide principia, quæ ipse Jesus Christus instituit, cum de hac re ad Apostolos suos sermonem habuit, pollicitus, nihil illis in ipsius nomine petentibus negatum iri ; & deinde illos redarguens, quod hactenus tutissimam hanc neglexissent rationem omnes impetrandi gratias, quas optare potuissent : videlicet palam Dei Filius orationi perfectam impetrationis certitudinem adjunxit ; *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joann. 6. Atque orationis necessitatem confirmavit, discipulorum suorum negligentiam exprobrans in praxi hujus rei, quæ tantæ necessitatis est ad eas gratias obtinendas, quibus omnino indigemus : *Usque modo non petistis quidquam.* Hinc sermonis partitio potest hauriri. 1. virtus orationis omnem tollere debet querimoniam : 2. orationis necessitas teporem nostrum calefacere debet, atque devotionis defectum damnare.

Pars prima. Non loquimur istic de Oratione in latiori sensu desumpta pro quovis genere communicationis cum Deo ; sed in sensu stricto pro signo, quemadmodum illam Sanctus Thomas appellat, quo Deo testamur rationabile desiderium aliquod ab illius largitate beneficium obtinendi. Omnes nostræ contra Deum querelæ ad tria capita rediguntur, quæ Dei filius evertere voluisse videtur ea virtute, quam orationi concessit. 1. Qui omnia desideria sua intra temporales necessitates coarctant, nonnumquam obmurmurant, quod ipsorum egestatibus divina providentia non satis consuluerit, & quod sæculi bona nequaquam in ipsos ea, quam cupiunt, affluentia effundat. 2. Alii minus rudes in votis, sed magis injusti in questu, Dominum insimulant, quod indigentibus gratiam deneget, eosque sine viribus in tentatione relinquat. 3. Alii denique de Redemptore queruntur, quod in ipsorum potestate finalem perseverantiam, ac prædestinationis signum collocare noluerit. Prima querela est vulgi, altera flagitiosorum, & hæreticorum quorumdam, tertia vero nonnullarum piarum animarum, quas timor judiciorum

Dei

Dei terret? In hac igitur parte detegenda est horum quæstuum vanitas, & injustitia, ostendendo orationem, uti opus est, institutam, atque necessariis conditionibus consociatam æque potentem esse ad temporis hujus necessaria obtinenda, ad validiorem in tentatione gratiam consequendam, & ad finalem perseverantiam certam faciendam. Hinc satis superque suppetet copiæ ad primæ partis tractationem.

Pars altera. Impugnanda est eorum negligentia, quo pietatis defectus ab oratione repellit, atque ostendendum hanc esse necessariam; quamobrem necessitas ista ad duo redigi potest: 1. hæc est necessaria ad salutem via: 2. hoc est positivum Jesu Christi præceptum. Necesse est orare, quia sine oratione nulla salus; necesse item est, quia orationem negligere, est non obedire præcepto, quod nobis Dei filius imposuit.

Probandum est igitur primum, orationem necessariam esse necessitate medii, ut inquiunt Theologi; qua in re unanimis est Patrum omnium sententia, ut hoc in dubium revocare sit nefas. Sanctus Hieronymus in Epist. ad Ctesiph. inter cæteros argumentationem addidit auctoritati, cum ostendit, orationem ejusdem esse necessitatis, ac gratiam. De fide est, inquit ille, gratiam esse ad salutem necessariam; hinc igitur sequi debet, orationem quoque esse necessariam, quandoquidem oratio quoad æternitatem nonnisi ad gratiam impetrandam instituta est. Sancti Hieronymi principium a Pelagianis minime oppugnabatur; neque enim, ait ille, eo dementiæ processerant, ut Jesu Christi oracula de orationis necessitate negarent, quæ cum veritas constet, multo magis altera hæc debet constare, sine oratione nos nequaquam impetraturos quasdam gratias, quæ necessariæ sunt, ut validis tentationibus resistamus, ut præcepta quædam difficillima adimpleamus; unde illa oritur omnium Theologorum opinio, sin minus semper immediatas habeamus gratias, ut convertamur, numquam tamen nobis orationis gratiam ad illas obtinendas deesse. Ostendi quoque potest illius necessitas ad religionis actus eliciendos, sine quibus adulti salutem suam operari non possunt.

2. Non satis est dicere, orationem necessariam esse ad salutem viam; addendum etiam est, hoc esse præceptum necessario adimplendum; quod probari potest verbis Domini, qui positive, & explicite hoc inquit: *Oportet semper orare*. Lucæ 18. Hoc autem juxta Ecclesiæ traditionem, atque consensum Patrum, Theologorumque consensum præceptum habendum est, non simplex consilium &c.

II. Tria illa, propter quæ homines, cum favor aliquis ab illis exquiritur, repulsam dare consueverunt, eadem sunt, propter quæ Deus votis nostris subscribit, & quæ ille tamquam essentiales orationis conditiones requirit.

Primum est, cum immodica est petitio; cum ab hominibus ea petimus, quæ vires eorum excedunt, atque extra facultatem eorum posita sunt, jure nobis facere detrectant. Cum Deo aliter accidit, immo e contra lædis illum, si nugas, & exiles res, veluti bona temporalia, saltem eorum quædam exquiris. Vult ab ipso peti ea, quæ digna sint ipso, gratias, æternam felicitatem, omnes cœlestes divitias, ac Dei ipsius possessionem. Petitiones nostræ modum excedere nequeunt, quippe plura nobis promisit, majoraque iis, quæ possumus exoptare.

Alterum est, quod preces nostræ nimis sollicitæ sunt, atque importunæ; qua in re sedulo cavendum nobis est, ubi cum hominibus agimus. Sed cum Deo neque sæpe nimis, neque nimis sollicite petere possumus; illis enim dumtaxat gratias, favoresque suos concedit, a quibus ferventius, atque summa cum eorum obtinendorum aviditate petuntur.

Tertium, cum incommodo tempore petimus, & ille, apud quem laboramus, aures nobis adhibendi otium non habet, vel iis rebus intentus est, quæ cum negotiis conciliari non possunt. Deus autem præsto semper est, ut nos audiat; qualibet hora, quovis momento illum interpellare possumus; ipse enim nos ad petendum excitat, ac inter cetera Apostolis hoc exprobravit, quod nobis quoque fortasse objiciet aliquando, illos nihil umquam ab ipso petiisse.

Ad bene orandum tria requiruntur, quibus deficientibus preces nostræ Deo acceptæ esse non possunt, atque metuendum est, ne ab eo repellantur. III.

Primum: quisnam ille est, quem rogamus, & ad quem nobis confugiendum est favorem aliquem impetraturi. Deus est, suprema illa majestas, quæ nos audire dignatur; ideoque ad illum cum reverentia, profunda humilitate, miseriæ, extremæque paupertatis nostræ confessione debemus accedere.

Alterum, quidnam ab eo petendum est: hoc ille nobis in oratione Dominica præcepit, quidquid ad illius quidem gloriam, nostram vero salutem pertinet.

Tertium; modus, quo petendum est, videlicet, cum confidentia, fervore, submissione, præsertim vero perseverantia.

Tria sunt mortalium genera, qui orationis virtutem minime experiuntur, atque illis viduantur fructibus, quos alii percipiunt. 1. Qui omnino non orant; & his probanda est orationis necessitas iis rationibus, quas in hoc tractatu memoravimus. 2. Qui non petunt ea, quæ opus sunt, hi vero edocendi sunt, quid orandum sit, id nempe, quod salutem nostram respicit; neque enim desunt multa inutilia, & alia perniciosa, quæ nobis se concessurum nequaquam recepit Deus. 3. Qui non petunt, uti opus est; ac his aperiendæ sunt bonæ orationis conditiones, ut exaudiri mereantur. IV.

1. Deus sæpe nostras preces exaudit, cum ea, quæ petimus, negat; ea enim petimus, quibus in ipsum æque, ac nos sumus abusuri. 2. Sæpe nos punit concedens illa, quæ poscimus, quia illis contra ejusdem utentes imperia, ea excidii, nostræque calamitatis efficimus instrumenta. 3. Nobis semper majora concedit illis, quæ poscimus, cum ea concedere differt, quæ nobis utilia sunt, quamvis enixe, & non sine conditionibus necessariis illa flagitemus. V.

1. Cura, qua a Deo petimus ea, quibus indiget anima, efficit, ut coporeis quoque egestatibus ille consulat: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. 6. 2. Submissio, qua a Deo petimus ea, quæ corpori nostro sunt necessaria, nec non temporalia bona, præstantissima ratio est obtinendi ea, quæ corpori simul, & animæ necessaria sunt. Verum si ordinem invertamus, periculum est, ut neutra assequamur. VI.

Præcipuæ duæ causæ, propter quas ad orationem tenemur confugere. VII.

Prima est, quod in egestate nati sumus sexcentis animæ, corporisque calamitatibus obnoxii, sexcentis periculis experti, sexcentisque cupiditatibus acti, & undequaque a visibilibus æque, & invisibilibus hostibus lacessiti; sine oratione quomodo tot hæc sustinere, ac tuti vivere possumus?

Altera est, quod ad Deum confugimus, Deum nostri amantissimum, bonitatis plenum, ac semper subveniendo paratum.

Pro argumento, & partitione desumi possunt hæc Jesu Christi verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis*. Joann. 16. 1. Si quid petieritis Patrem, dabit vobis: hæc est orationis necessitas: 2. usque modo non petistis quidquam in nomine meo: hæc causa est, propter quam inutilis aliquando est VIII.

oratio. 3. petere, & accipere: hæc virtus est, & fructus orationis. Quid illam necessariam, quid inutilem, quid efficacem efficiat, hæ tres sunt hujus concionis partes.

IX. Cur Deus preces nostras non audiat; atque hæ duæ afferri possunt rationes. 1. Nescimus sæpe, quid petamus; opus est, Deum orationem nostram regere. 2. Sæpe nobiscum minime consentimus, neque a Deo cupimus obtinere id, quod ab illo implorare tenemur: hac in re similes Sancto Augustino, antequam perfecte converteretur, qui a Deo continentiam petebat, ac metuebat, ne ab illo voti damnaretur.

X. De orationis necessitate. 1. Necessaria est, ut convertamur, si peccatores sumus; & sæpe ad eum statum redigimur, ubi non aliam, quam orationis gratiam habemus; qua si utimur, validiores, & magis immediatas obtinemus gratias. 2. Necessaria est, si in gratiæ statu sumus, ut inter pericula, tentationes, & prava exempla illam tueamur. 3. Necessaria est, ut in eo ad mortem usque perseveremus, ac finalem obtineamus gratiam, quam Deus passim orationi concedit. *Biroat*,

XI. 1. Vult Deus orari; igitur intentionem habet, sinceramque voluntatem ea concedendi, quæ gloriæ quidem suæ, nostræ vero salutis sunt profutura: 2. opus habet homo ad Deum per orationem confugiendi; igitur hoc præstare debet eo modo, quo illum flectere possit.

XII. 1. Vere velle oportet, quod petitur a Deo. 2. Deinde ea, quæ Deus vult, & quibus nos indigere scit, petere oportet.

XIII. Cur Deus sæpe preces nostras non audiat; & quonam fieri potest, quod inutiles fiant, atque careant effectu? Id tribus verbis, quæ pro concionis partitione desumi possunt, docet S. Augustinus; *mali petimus, mala petimus, male petimus*.

1. Oratores tales non sumus, quales oportet, in peccati statu sumus, & quin ex hoc statu emergere conemur, a Deo gratias, & beneficia petimus, quas amicis tantum concedit. Igitur si preces nostras exaudiri cupimus, vel in gratiæ statu esse debemus, vel sincera flagrare cupiditate in gratiam cum Deo redeundi. 2. Quamquam in gratiæ statu simus, quin saluti nostræ flagitemus utilia, petimus humilia, abjecta, votisque nostris indigna; ideo petenda sunt bona spiritualia, ac digna Dei magnitudine, & magnificentia. 3. Male petimus, neque eo modo, quo petendum est, videlicet cum humilitate, fervore, perseverantia, quæ tres conditiones orationem nostram debent concomitari. *La Font, discursu pro 5. post Pentecosten Dominica*.

XIV. 1. Ex gratiæ necessitate, orationis necessitas inferri potest. 2. Ex certissima orationis vi certissima gratiæ impetratio potest inferri. *P. Aurelianus tom. 1. sermonum*.

XV. 1. A Deo precibus parum obtinemus, quia nimis parum petimus, & ea, quæ divina largitate indigna sunt, & quæ, sin minus noxia, nobis saltem sunt inutilia. 2. Quia parum illud, quod petimus, non satis enixe, neque cum illis conditionibus, quibus orandus est Deus, a nobis petitur. *P. de la Colombiere sermone 69.*

XVI. Deum orantes eodem modo nosmet gerere debemus, quo homines precamur. 1. Conamur eorum aucupari benevolentiam, a quibus aliquid petimus. 2. Rationes afferimus, ut illos ad ea, quæ poscimus, concedenda permoveamus. 3. Annitimur animum eorum ad misericordiam flectere, illis egestatem, ac necessitatem nostram ostendentes. *P. Texier in Dominicali.*

XVII. 1. Pauci sunt fideles, qui a Deo petant, quod petendum est. 2. Pauciores qui petant, quomodo petendum est. *Ex sermonibus editis sub nomine P. Massillon*.

XVIII. 1. Omnipotens est oratio; ejus enim potestas non aliud est, quam potestas Dei ipsius, quæ ad orationem translata fuisse videtur. Hinc sequitur, quod omnium egestatum nostrarum causa inde proficiscitur, quia nobis satis persuasum non est de certitudine remedii, quod nobis reliquit Deus. 2. Sed quia videtur propria experientia quotidie hanc potestatem imminuere, ad examen revocandum est, quid in causa sit, quod oratio nobis non semper est efficax. *Ex auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta*.

1. Obligatio, qua Dei filius petitiones nostras exaudire tenetur, desumpta ex illius bonitate, ex fide, qua id, quod pollicitus est, præstare debet, ex propriæ gloriæ ipsius utilitate. 2. Quid Dei filium liberet, ne quod spopondit, exequatur; non petimus, quod opus est, non petimus eo modo, quo opus est, non petimus eo in statu, in quo opus est. XIX.

Tres magni defectus, qui passim in orationibus nostris occurrunt, eas inutiles, infirmasque reddunt. XX.

Primus est attentionis defectus. Nonnunquam nosmetipsos non audimus, & a Deo audiri contendimus.

Alter est defectus subordinationis, & discretionis. Temporalia spiritualibus bona præferimus, & alia ante alia poscimus contra ordinem a Dei filio institutum; vel non petimus ea, quorum maxime indigemus.

Tertius est defectus patientiæ, & perseverantiæ in orationibus nostris.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus tot in locis de oratione loquitur, ut immensi operis sit omnes recensere. Sancti Patres.
Hi sunt præcipui. In Psalm. 13. ostendit Jesu Christi promissionem de bonis æternis, aliisque, si necessaria fuerint, esse intelligendam. In Psalmum 30. *Enarratione* 2. rationes adfert, propter quas Deus non semper exaudit. In 76. docet, quid a Deo petere debeamus. In 85. nobis pro certo tenendum, nos id, quod petimus, assecuturos, si nobis utile fuerit. In 125. loquitur de oratione cordis, eamque cæteris docet esse præferendam.

Idem *lib.* 2. *de sermone Domini in monte* docet, quomodo orandus sit Deus, & quid ab illo petendum...., in serm. 28. *de verbis Domini secundum Lucam*, & in serm. 28. egregiam habet orationis Dominicæ expositionem; & serm. 171. *de Tempore* loquitur de perseverantia in oratione, & docet cum quadam importunitatis specie orandum esse. In Epist. 120. *ad Honoratum de gratia novi testamenti* docet, Deum votis nostris non subscribere, ut aliquid melius concedat.

Idem *tract.* 73. *in Joannem* docet, quid a Deo petendum sit, & cur sæpe oratio nostra non exaudiatur. Hoc ipsum ostendit tract. 102. in cap. 16. Evangelii Sanctis Joannis. In tractatu sexto in primam Sanctis Joannis Canonicam ostendit aliquos a Deo in supplicium exaudiri, aliquos ad majorem utilitatem repelli. In Psalm. 144. consolatur eos, qui queruntur, quod illos non exaudiat Deus, eisque ostendit orationem semper maximæ esse utilitatis.

Sanctus Gregorius nequaquam S. Augustino infrequentius locutus est. In sextum Psalmum Pœnitentialem ostendit, quanti referat in oratione perseverare. Decimo Moralium libro cap. 17. & 18. plurima adfert, eaque utilissima monita ad hoc argumentum spectantia. Ex lib. 26. cap. 14. rationem adfert, propter quam Deus non semper sanctorum preces exaudiat.

S. Chrysostomus duos edidit libros *de orando Deo*, & aliquot sermones, de oratione. In Psal. 4. osten-

ostendit, qua confidentia in necessitatibus ad Deum confugiendum sit. In Psalm. 129. quo pietatis fervore majestas divina sit oranda. In Homil. 79. ad populum Antiochenum, ostendit quocumque in loco orari posse. Sermone 22. in Sancti Matthæi plerorumque Christianorum damnationem orationis defectui refert acceptam. In libro secundo de orando Deo ostendit, sanctos per preces suas gentium, totiusque mundi conservationem esse. Homil. 9. cap. 6. Sancti Matthæi loquitur de perseverantia in oratione. In Homil. 23. in eumdem Sanctum Matthæum eorum adfert exempla, qui per perseverantiam a Deo votis damnati fuere. In variis sermonibus tomi primi, sermone de Moyse ostendit vim, & potestatem orationis, ubi in illa perseveramus. In Homilia de divinæ naturæ incomprehensibilitate, de qualitatibus, quæ in oratione requiruntur, verba facit. In sermone de Chananæa, qui in tomo 6. invenitur, plurima habemus de oratione. In Homil. 38. in Genesin rationem reddit, propter quam Deus sæpe differt justia postulata concedere.

S. Hieronymus explicans hæc verba Psalm. 5. *intellige clamorem meum*, docet clamorem hunc cordis potius esse debere, quam vocis, ut a Deo exaudiatur. In lamentationes Jeremiæ cap. 3. loquitur de perseverantia in oratione.

Sanctus Gregorius Nyssenus librum edidit de oratione, & sermone primo in hoc argumentum ostendit Deum orandum esse.

Tertullianus quoque hujus argumenti tractatum edidit.

Sanctus Cyprianus in tractatu, quem in Dominicam orationem conscripsit, plurima habet pulcherrima.

Origenes *lib. 8. in Epist. ad Roman.* hæc explicans verba: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus*, rationes adfert, propter quas Deus non semper justorum preces exaudit.

Sanctus Ephrem sermonem habet de oratione, ubi rationem docet orandi.

Sanctus Basilius *lib. de Regulis fusius dispur.* docet quomodo intelligenda sit Jesu Christi promissio: *Petite, & accipietis*. *Cæsarius Arelatensis, Homil.* 29.

Sanctus Chrysologus serm. 43.

Sanctus Fulgentius Epistola 4. *Hæresiologia*.

Sanctus Thomas sermonem habet in hæc verba: multum valet deprecatio justi assidua.

Sanctus Bonaventura in ea; *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*.

Asceticì aliique. Infinitus prope Asceticorum est numerus de oratione loquentium. Qui vero huic argumento uberiorem copiam suppeditare, mea quidem sententia, possint, hi ferme sunt.

Ludovicus Granatensis in tribus libris de Meditatione, & oratione.

Alphonsus Rodriquez part. 4. tractatu primo cap. 9.

Jacobus Alvarez. Tomo 3.

Eusebius Nietembergius de Adorat. in spiritu; & veritate.

Theophilus Bernardus lib. 6. integro.

Nicolaus Lancicius. Opusc. 7. & 11.

Ignatius Balsamon. Tractatu de modo orandi.

Petrus Sanchez de Regno Dei part. 7. cap. 3.

Franciscus Arias *tomo 2. tract. 7.*

Bernardinus Rossignolius *lib. 4. de Discipl. Religion.*

Tridentini Concilii Catechismus part. 4. ubi fusius agit de iis omnibus, quæ ad hoc spectant argumentum.

Busæus in Præfatione Meditationum.

Dionysius Carthusianus in operibus minoribus tomo 2.

Franciscus Costerus: De institutione Christiana lib. 11.

Petrus Canisius in opere Catechistico quæst. 1. seq.

Dandinus libro, cui titulus: *Ethica Sacra*, prolixum habet de oratione tractatum, ubi ea omnia pertractat, quæ ad hoc argumentum referuntur.

Auctor Moralis Christianæ in *Pater* magnum opus suum orditur ex præliminari quæstione de oratione generatim.

Abbas Trappensis in vitæ monasticæ officiis tomo primo cap. 11. loquitur de modo in oratione tenendo.

Savonarola expositionem edidit in orationem Dominicam.

P. Chahu in libro cui titulus: *Scientia salutis* cap. 2. loquitur de magna orationis potestate.

Liber, qui inscribitur Theologia moralis S. Augustini tractatu tertio cap. 2. loquitur de oratione.

Liber, cui titulus: de oratione, jejunio, & eleemosyna D. Bartholomæi Carranza.

Nicole in tractatu orationis in septem libros diviso.

Baptista Januensis Lugduni editus.

Cameracensis Episcopus tractatu de vera pietate.

Liber, cui titulus: Veræ orationis idea parte prima cap. 5. & seq.

Liber cui titulus: Tractatus de oratione.

P. Croiset tomo secundo considerationum suarum, tractatu de oratione vocali.

P. Nepveu in Christianis considerationibus pro omnibus anni diebus in tomo primo ostendit, cuinam rei orationis virtus innitatur. In altero, cur tantum virtutis habens non semper affectum obtineat. In tertio de orationis necessitate. In quarto de conditionibus, ne careat effectu.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta, libro, cui titulus: *Les conduites de la Grace*, part. 4. docet orationem viam esse ad finalis perseverantiæ donum obtinendum.

Asserere quoque licet, paucos esse concionatores, qui de hoc argumento non egerint. Qui locuti sunt juxta hodiernam concionandi rationem, vel qui copiam suppeditare possunt, ut justi, solidique hujus argumenti sermones fiant, hi ferme sunt. Nuperi Concionatores qui hujus argumenti sermones ediderunt.

P. Delingendes in tomo 2. quinque deinceps habet sermones, ubi solide tractat, quidquid de hoc argumento dici consuevit.

P. Reina sermone 8. Quadragesimæ.

Biroat in Quadragesima sermone de Chananæa.

Idem in separato volumine sermone in tertiam Dominicam post Pascha.

Maimbourg in Quadragesima.

P. Duneau in Adventu, pro feria secunda post quartam Dominicam, & in Quadragesima sermone de Chananæa, ubi potissimum loquitur de orationis perseverantia.

P. Texier in Dominicali sermone pro tertia post Epiphaniam Dominica.

Lambert sermone 8. de vita Ecclesiastica.

La Font sermone pro quarta Dominica post Pascha.

Auctor sermonum Christianorum, sermone pro eadem die, & in idem Evangelium.

Formentiere in Quadragesima.

Auctor sermonum moralium.

In dictionario morali tomo 4. duos invenies deinceps sermones de oratione cum animadversionibus pluribus.

P. De la Colombiere tomo 4. sermone 69.

P. Aurelianensis tomo 1. sermone de oratione.

P. Bourdaloue sermone in Evangelium Chananææ.

P. Massillon in sermonibus ejus nomine inscriptus, sermone pro feria quinta hebdomadæ primæ in Quadragesima.

Joly propositione pro quinta Dominica post Pascha.

P. Giroust in Quadragesima sermone de Chananæa.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta duos habet hujus argumenti sermones, alterum in Quadragesima in Evangelium

Chananææ; alterum in Dominicali Dominica quinta post Pascha.

In speciminibus sermonum plura sunt sermonum compendia de oratione, hoc est quatuor deinceps in primo Quadragesimæ tomo. In tomo primo Dominicalis. Unus pro tertia Dominica Adventus; Unus pro quarta post Epiphaniam Dominica, Unus pro quinta Dominica post Pascha.

Qui ex llesfunea ediderunt.

Granatensis in locis communibus. Titulo *Oratio*.
Busæus *in Viridario*.
Drexellius *in Rethorica Cœlesti*, & *in Rosis*.
Rainerius de Pisis, *in Pantheologia*.
Summa Prædicantium }
Berchorius } Titulo *Oratio*.
Labatha }

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

NOn est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Deuter. 4.

Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Psalm. 5.

Subditus esto Domino, & ora eum. Psalm. 36.

Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Psalm. 33.

Respexit Deus in orationem humilium, & non sprevit precem eorum. Psalm. 101.

De profundis clamavi ad te, Domine, Domine exaudi vocem meam. Psalm. 129.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me. Psalm. 65.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me? Psalm. 87.

Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Proverb. 28.

Longe est Dominus ab impiis, & orationes justorum exaudiet. Proverb. 15.

Non impediaris orare semper. Eccli. 18.

Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Judith 9.

Ad vocem clamoris tui statim ut audierit (Deus) respondebit. Isaiæ 30.

Tu noli orare pro populo hoc, ne assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Jerem. 7.

Clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via sua mala: quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus? Jonæ 3.

Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Eccli. 18.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Matth. 7.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Matth. 26.

Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis. Marc. 11.

Oportet semper orare, & non deficere. Luc. 18.

Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: omnis enim, qui petit, accipit. Luc. 11.

Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Joan. 14.

Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ibidem.

Hi omnes (discipuli) erant perseverantes unanimiter in oratione. Act. 1.

Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ad Roman. 8.

Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ibidem.

Orabo spiritu, orabo & mente. 1. ad Cor. 14.

Orationi instate, vigilantes in ea. 1. ad Col. 4.

Sine intermissione orate. 1. ad Thess. 5.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus; ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Ad Hebr. 4.

Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis. Jacob. 4.

Estote prudentes, & vigilate in orationibus. 1. Petri 4.

Hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. 1. Joan. 5.

Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Jacob. 5.

Scimus, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Joan. 9.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento deprompta.

Exemplum Jacob, qui cum Angelo luctatus est.

CUm Scriptura abundet exemplis orationis virtutem probantibus, & ea omnia, quæ ad hoc pertinent argumentum, explicantibus, omnia singillatim memorari non possunt. Insigniora tantum, atque suggestui aptiora afferemus.

Primum quod sese nobis offerat exemplum, & quod sit figura virtutis, quam habet oratio ad flectendum Deum, eique vim quodammodo inferendam, ut ea, quæ petimus nobis concedat, exemplum est Jacob cum Angelo, vel si mavis, cum Deo sub mutuata figura luctantis, eumque sibi benedictionem impertire cogentis. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Genes. 32. Ubi quærit Origenes, cur Deus sancto huic Patriarchæ dixerit, ut ipsum dimitteret, quia jam illucescebat aurora; & quare ab eodem recedere, ac sese expedire voluerit? Hanc autem fuisse causam respondit, quod Jacob illum omni vi urgebat, ut sibi ab illo benediceretur, cumque Deus moras necteret, metuebat, ne adventante diluculo illi repulsam dare videretur: *Quasi erubuerit Deus, si quis videret Jacob deprecantem, & eum non illico exaudientem*.

Virtus orationis Moysis in clade Amalecitarum.

Moysis oratio in ea victoria, quam Israelitæ retulerunt de Amalec, majorem profecto partem sibi vendicat, quam omnia tela, & gladii, quibus illi usi fuerunt. Donec Moyses manibus in Cœlum sublatis orabat, prælio superiores erant Israelitæ; qui, ubi ille dimittebat manus, jamjam terga vertere incipiebant: itaut oportuerit duos viros hinc inde manus orantis sustinere, donec pugnam permansit, ut Moses quidem sublatas tenere posset manus, Israel vero cumulatissimam de hoste victoriam reportaret. Ita populus Dei per orationem hostibus cladem inferebat. Quod si belli quoque, cujus exitus ab humanis viribus pendere videtur, Deus precum meritis victoriam concedit; quod tandem erit in spirituali bello, quod contra nostræ salutis hostes bellamus adeo fortes, atque terribiles? Precibus, gemitibusque nostris vim obtinebimus resistendi, eosque superandi, ac iisdem Dei leniemus iram contra nos, fratresque nostros succensam, verbo, oratione in partes nostras Deum pertrahemus, atque virtute induti votorum summam assequemur.

Exempli Aaron ad eamdem rem pertinens.

Hoc ipsum accidit in seditione, quæ contra Moysem, & Aaronem exarsit propter mortem Chore, Dathan, & Abiron, quam illis populus referebat acceptam. Hac re adeo indignatus est Deus, ut populum universum delere vellet, ac jam quatuordecim millia Israelitarum igne deleverat, cum Aarone Moysis jussu inter mortuos, morientesque progresso, manu thuribulum gerente, atque thus, precesque pro populo offerente, plaga cessavit, eoque his armis utente Dei ira lenita est. Ad hæc illud quoque accedit, quod cum Deus extollit brachium puniturus, facile oratio manum ejus suspendit, atque Deum prohibitura sontem inter, ac illum intercedit. Vellet ille vulnera non inferre, cupit sibi vim fieri ab amicis, quærit aliquem, a quo prohibeatur, cumque nemi-

neminem invenit, dolore conficitur: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* Ezech. 22.

Exempli David, qui orationi sæpe vacabat.

Nemo unus ignorat, quam familiaris regi David fuerit usus orationis; & nullus dubito, quo minus per hanc factus fuerit vir secundum cor Dei. Prospero rerum cursu frueretur, vel adversa jactaretur fortuna; tentatio illum invadere admitteretur, vel interiori pace gauderet; deliberandum, vel agendum esset, indesinenter confugiebat ad Deum. Satis est Psalmorum aperire librum, ut liqueat, illos non laudibus tantum, quibus Deum celebrat, sed petitionibus, quibus illum orat, diffluere: modo illi dicit, consurge Domine in adjutorium mihi; modo, deduc me Domine, & doce me vias tuas; modo, tuos, meosque inimicos confunde, ne sinas me prospero rerum cursu intumescere, vel afflictionibus obrui, & modo, adjuva me Domine, ut ex iniquitatibus meis emergam; fac, ut mea expleam officia, atque sanctæ legis tuæ mandata diligentissime servem. Hoc orationis pane enutritus, qua vi repletus fuit? de quo triumphum referre non poterat? De quo seipsa triumphum non referebat? Hic erat vir secundum cor Dei, quia erat vir orationis.

Dei auxilium patienter expectandum est exemplo Juditha.

Bethuliæ civibus orationis defectum Juditha exprobravit. Cum ab Holopherne obsiderentur, precibus, jejunio, pluribusque sacrificiis, quæ obtulerunt, cilicio indui, cineribusque conspersi confugerunt ad Deum; quibus in exercitiis cum diu perseverassent, cum hostibus pacisci decreverant, & Ozias sacerdos se urbem traditurum spoponderat, nisi intra quintum diem allatæ sibi fuissent suppetiæ. Verum cum hæc promissio contumeliosa Deo a Juditha consereretur, hæc audacter Magistratus redarguit: quinam vos estis, ut Dominum tentare audeatis? Nonne hic modus est illum ad iracundiam potius provocandi, quam ad misericordiam flectendi? Quid? divinæ bonitati spatium temporis præscripsistis, eique statam indixistis diem, qua vobis ferret opem? Ille nobis auxilium pollicitus est, quamvis nosmet protectione illius indignos præbuerimus; expectemus ergo sine impatientia opem ejus. Quamquam diutius, quam optaremus, suppetias differat, ne statim ab oratione recedamus, quia non adeo celerem illius effectum intuemur, Deus in mora sua habet consilia, & mora hæc nobis utilior est eadem, ut oportet, utentibus, quam si statim in arena postulata concederet. Quis scit, utrum quod a Deo petimus, quamvis in se bonum, nobis profuturum sit, & utrum adhuc nobis conveniat; atque propter hanc rationem a Deo in tempus aliud reservetur? Eventus profecto docuit, utrum jure sancta mulier Bethuliæ civibus hæc exprobraret.

Petitio Reginæ Esther apud Assuerum.

In libro Esther cap. 5. legimus, regem Assuerum non expectasse, donec ab ipsa Regina Esther aliquid peteret: illam prævenit, atque invitavit, ut peteret, dicens: *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua?* Illa tunc nihil petiit, nisi quod rex hunc ipsi honorem impertire dignaretur ad illud se conferendi convivium, quod ei præparaverat. Non abnuit ille, atque iterum quæsivit, ut peteret: *Quid petis, ut tibi detur?* Tunc opportunum nacta tempus adeo propitia occasione usa est, ut populi sui vitam, propriamque peteret incolumitatem detegens periculum, in quo tota Hebræorum natio versabatur, nisi illud regis misericordia prævertetet. Sed opus non est nos occasionem quærere, & investigare commoda fundi tempora apud illum, cui vota nostra nuncupamus. Quodvis tempus commodum est; quovis momento ad illum accedere possumus, certi sumus illum preces nostras, si justæ, ac ipso dignæ fuerint, exauditurum.

Antiochi oratio a Deo non exaudita.

Scriptura 2. Mach. 9. ait, quod *orabat Antiochus scelestus ad Dominum, a quo misericordiam non erat consecuturus.* Orabat, sed quid orabat? Putasne illum mansuetudinis, & humilitatis spiritum petiisse? nequaquam. Numquid spiritum religionis, ut tot profanationes repararet? Ne id quidem. Quid ergo? valetudinem, vitam. Verum esto, si hanc petiisset, ut ageret pœnitentiam, ut adimpleret ea, quæ per servilem metum, & non sincere promittebat; ideo preces illius repulit Deus non secus ac inanem pœnitentiam.

Quemadmodum nimis longum esset omnia afferre illorum exempla, qui per orationem insignes a Deo gratias obtinuere, ita quædam dumtaxat præstantiora in medium proferemus.

Miracula per orationem in lege veteri patrata.

Per orationem Moyses Dei iram prohibuit, quæ in populum Israel erat sævitura; Josue solem se moratus est; Elias de cœlo ignem detraxit; Manasses misericordiam obtinuit, regnique solio redditus fuit; David sceleris remissionem consecutus est, & Ezechias vitæ suæ quorumdam annorum accessionem impetravit. Per orationem Ninive servata fuit, Judith Bethuliam obsidione liberavit, & Esther populum Dei ab interitu vindicavit. Per orationem Salomon sapientiam obtinuit, Elias pluviam, & ubertatem, Susanna innocentiæ suæ præsidium contra nequissimos calumniatores. Per orationem Moyses sine labore maximas victorias reportavit; maria scissa sunt, ut prætereunti populo viam præberent; ignes vehementius accensi repente extincti sunt, leones mansueti facti sunt, mœnia validissima, & fortissima propugnacula solo æquata sunt: per orationem denique dæmones, infernusque totus debellati fuere.

Exemplum Jobi.

Sanctus vir Job in sterquilinio suo seipsum tamquam peccatoris figuram considerans, patheticis vocibus suam exprimit calamitatem. Quæritur, quod tota carnis suæ substantia contabuerit, quod cutis ad maciem redacta ossibus hæreat. Verum in adeo tristi statu hanc sibi reliquam esse consolationem testatur, quod videlicet habet adhuc labia, quibus suas preces effundat. Hic enim unus est ex illis sensibus, quos Sancti Patres his tribuunt verbis: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Job 9. Hæc profecto extrema felicitas est, quam peccatores infinito habere debent in pretio.

Salvatoris exemplum.

Dei filius nequaquam satis esse putavit discipulis, & in eorum persona fidelibus omnibus imperare, ut sæpe orarent, & ad orationem, tamquam tutissimum in qualibet tentatione asylum confugerent; illis exemplum etiam præbere voluit, atque hoc probare fere jugem necessitatem hujusmodi. Non enim solum fere semper orabat, verum integras etiam noctes in sancta hac exercitatione traducebat. Necessitas, quæ nobis est orationis, discipulos ejus impulit, ut die quadam cum ex eo petiissent: Domine doce nos orare; simul & orandi rationem illis præscripserit, & illos in hanc spem adduxerit futurum, ut quidquid hoc pacto peterent, assequerentur.

Duæ Evangelii parabolæ ostendunt, necessariam esse orationis perseverantiam ad obtinenda ea, quæ a Domino petimus.

Numquam promisit Deus se statim ea, quæ postulata fuerint, concessurum, & oblectatur, ut ita dicam, videns se importunis precibus cogi. Palam hoc ostendunt parabolæ, quas hoc in argumentum Salvator proponit. Prima est; amicum habes, ait, & venit ad te noctu rogaturus, ut mutuos des illi tres panes, ut cœnam instruat amico, quem forte non expectatum excepit hospitio. Si huic respondes, nimis esse sero, ac te cubitum ivisse, ideoque illi gratificari non posse, & nihilominus ille ostium pulsare non cesset, ac importunis te precibus fatigare; consurges tandem, & quod flagitat, erogabis non tam ob amicitiam, quam ob importunitatem. *Ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Matth. 7. & Luc. 11. Hac parabola docet Salvator, perseverantiam in oratione esse necessariam. Non satis est semel, vel bis pulsare; persistendum est, donec tibi aperiatur.

Alteram quoque proponit parabolam ad rem eamdem pertinentem de judice quodam, de quo in Evan-

Evangelio suo loquitur S. Lucas. Filius enim Dei asseris judicem hunc, quamvis neque Deum metueret, neque ullam mortalium rationem haberet, victum fuisse tamen enixis precibus, quibus vidua quædam illum indesinenter fatigavit: ita ut illius cedens assiduitati quidquid petebat, eidem concesserit. Quid ergo? Deus, qui ipsa bonitas est pro petentibus id non præstabit, quod pro importuna vidua iniquissimus judex?

Publicani exemplum ostendit orationem esse debere cum humilitate conjunctã.

Vulgatissimum humilis orationis exemplum est Publicani Evangelici, qui stans in ipso aditu templi præ peccatorum suorum multitudine oculos in cœlum non audebat attollere: ita humilis illius oratio a Deo exaudita fuit, atque peccatorum veniam obtinuit. Oratio ex corde suæ indignitatis, & miseriæ cognitione confecto Dei misericordiam promeruit: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Luc. 18. Idcirco Sacer Textus addit illum, qui in templum peccator venerat, domum justificatum rediisse. E contra vero superbus Pharisæus, qui, quin sua confiteretur peccata, ac Domini misericordiam imploraret, suum pexebat elogium, suas virtutes, & præclare facta ostentabat, a Deo projectus fuit, & oratio illius cumulum addit numero iniquitatum ejus secundum Prophetæ imprecationem: *Oratio ejus fiat ei in peccatum*. Psal. 108.

Quam potens apud Deum oratio Magdalenæ.

Humilis, ferventisque orationis exemplum nobis præbet mulier peccatrix, quæ vivo criminum suorum dolore acta ad Salvatoris pedes procubuit, eosque lacrymis irrigavit. Ex omnibus illis, qui in Evangelio ad Dei filium confugisse narrantur, ne unus fortasse quidem inventus est, quem aliquod boni temporalis desiderium impulerit, & qui aliquid ad majorem corporis utilitatem non expetierit; hic oculorum aciem sibi reddi petit, ille filii, vel famuli incolumitatem; alius orat, ut filia a dæmone vexata liberetur: multitudo languentium secus viam, illum præstolabantur, & sanabantur omnes. Magdalena peccatrix prima ad illum per amorem se confert illum secundum ejusdem intentionem orat, eumque animarum Salvatorem agnoscit. Nullum vel solatium, vel commodum flagitat, sed veniam peccatorum, & hanc nonnisi pœnitentiæ signis audet postulare.

Exempla virtutis, quam habet oratio.

Multitudo exemplorum eorum, qui curati, vel conversi per orationem fuere, nimis magna est, ita ut omnia referri non possint. En tamen eorum quædam. Per orationem cæcus lumen recepit; mulier Chananæa filiæ salutem obtinuit. Per orationem Mariæ, & Marthæ Lazarus frater eorum resuscitatus est, & orante Stephano Paulus ex Ecclesiæ persecutore factus est vas electionis. Per orationem fidelium Sanctus Petrus Ecclesiæ caput carcere liberatus est. *Oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo*. Actor. 2. & per orationem Spiritus Sanctus in Apostolos in cœnaculo congregatos descendit.

Applicationes quorumdam Scripturæ verborum huic Argumento.

Quam vim habeat oratio ad Dei iram leniendã.

Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Exod. 32. Volebat Deus internecione delere filios Israel, eo quod aureum vitulum adoraverant. Moyses pro illis intercedit, & ait: Cur Domine exardescit furor tuus contra populum tuum, quem manus tuæ virtute, ac potentia de Ægypto eduxisti? Ne tribuas, quæso, locum Ægyptiis dicendi: illos callide istinc eduxit, ut illos in montibus interficeret, eorumque nomen deleret..... *Dimitte me*, Dominus inquit, *ut deleam eos*. Verum quid hoc? S. Augustinus qu. 149. sup. Exod. ait, *Dimitte me*? Quis te prohibet, vel prohibere potest? Quis manus tuas vincere, quis tuæ voluntati potest obluctari? Quare ergo dicis: *Dimitte me*? Quia certe, sanctus hic Doctor inquit, oratio iræ illius effectum impedit, & hoc nobis per illa verba indigitavit: *Dimitte me*; quæ quidem verba neque imperantis sunt, alioquin peccasset Moyses non obediens; neque rogantis, quia Deus creaturam non rogat; sed hoc unum dumtaxat significant, Dei videlicet iram precibus inhiberi, & flecti posse; quod idem S. Hieronym. inquit in illa Jeremiæ cap. 7. verba: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*.

Deus non ad petendum incitat.

Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Apoc. 3. Cum Deo non sufficiat hortari, suadere, invitare, & præcipere, ipse ostium nostri cordis pulsat, ut nos aliquid ab eo petere cogat. Quid enim aliud ea significant verba: *Ecce sto ad ostium, & pulso*? Quicumque pulsat ad ostium, petit sibi aperiri. Cum domus dominus pulsat, hoc petit præcipiens; sin autem Dominus non est, petit orans. Verum quidem est Deum cordis nostri dominum esse; at cum nobis integrum relinquat illi aditum vel intercludere, vel aperire, agit nobiscum, quasi non esset dominus, ideoque videtur petere flagitans. Non ait; per vim ingredi volo; *sed si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*.

Cupiditates, & peccata nostra magno sunt impedimento, ne preces nostræ exaudiantur.

Opposuisti nubem, ne transeat oratio: Thren. 3. Cupiditates, inordinatæ affectiones nostræ, & mox peccata densam objiciunt nubem, quæ prohibet, ne oratio nostra sese in cœlum attollat, & ad thronum usque Domini ascendat. Obicem ponunt vi orationum nostrarum; quia, nisi confugiamus ad clementiam hujus Dei misericordiarum cum maximo scelerum nostrorum dolore, & animo obtinendi gratiam conversionis sinceræ, densam nubem efficiunt, ne precibus quidem perfodiendam: quinimmo hæc bonorum desideriorum, & ejaculationum cordis nostri aciem retundit: *Opposuisti nubem, ne transeat oratio*.

Vult Deus a nobis peti ea, quæ nobis necessaria sunt.

Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis. Matth. 7. Sanctus Augustinus ait, in statu innocentiæ hanc futuram fuisse cum cœlesti beatitudine, cujus erat imago, similitudinem: & quemadmodum in Paradiso nihil nisi Dei laudes, & gratiarum actiones propter illius beneficia audiuntur, ita hominum in terris officium tunc non aliud fuisse futurum, quam adorandi, amandi, laudandi perfectiones Dei, eique gratias agendi ob ea beneficia, quibus fuerant cumulati; sed ex quo de beato illo statu decidimus, vult Deus, præter has laudes, atque gratiarum actiones, sæpe assiduis, & ferventibus orationibus id nos petere, quod nobis necesse est; ita, Tertullianus ait, ut quemadmodum Deum amisimus bonorum omnium auctorem lædentes illum, eumdem jugi, vel saltem crebra, ac iterata oratione inquiramus. Ita terra antequam homo peccaret, huic affluenter suppeditabat ea, quæ ad corporis vitam erant necessaria, sed post illius noxam, nonnisi laboribus exculta id parit, quo indiget ille: Deo nolente, nisi enixis exoretur precibus, concedere in rebellionis ejusdem pœnam ea, quæ alioquin in animæ, non secus atque corporis alimoniam sola sua bonitate subministrasset.

Quo in sensu intelligendũ est, Deum nobis omnia concessurum.

Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis. Matth. 2. Sensus horum verborum magis simplex, & naturalis non est, ipsa etiam vilissima vobis concedentur; sed potius, ea, quæ maxime pretiosa sunt, vobis non negabuntur. Magnus aliquis princeps, qui aliqua in occasione regiæ liberalitatis suæ documenta præbiturus subdito spopondisset se nihil negaturum: hic princeps, inquam, certe non putaret, se datam non præstare fidem subditi rejiciens postulata, qui post promissionem adeo magnificam exiguum aliquid, panis offam, vel aliud simile peteret.

Oratio debet esse clamor cordis

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Psalm. 101. His verbis docemur orationem in clamore potius, gemituque cordis, quam in oris vocibus debere consistere. Do-

mino

mino calamitatem nostram exponere, eumque orate, ut misericordes oculos in nos convertat, oratio est illi acceptissima, & qua facilius nobis obtinere possumus illa, quibus indigemus, quam iis omnibus, quæ recitantur ex habitu, quin ad illud, quod dicimus, attendamus; cum tempus, quod orationi impenditur, ut plurimum illud sit, quo magis domestica negotia animo volvimus.

Diversæ bonorum, malorumque hominum petitiones.

Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. De pinguedine terræ, & de rore Cæli desuper erit benedictio sua. Gen. 27. Rite hæc verba considerate, Sanctus Chrysostomus inquit, & videbitis varios loquendi modos in hac duplici benedictione. Quid petit Isaac pro Jacob filio suo? Primum cœleste ros, spirituales benedictiones, deinde vero terræ bona. Hæ preces illum sequuntur ordinem, quem Dei filius præscripsit Matth. 6. & Luc. 12. *Quærite primum regnum Dei*; & ideo Jacob fuit felix. Sed pro Esau: *De pinguedine terræ*; primum magnæ petuntur opes, terrenorum bonorum affluentia, & deinde bona cœlestia: hic illius calamitas; terrena quippe ante cœlestia bona quærebat. Tristis figura terribilis veritatis. Videte quomodo plerorumque fidelium preces instituantur; omnes pro eodem fine laborant, quilibet cœlestia, terrenaque flagitat bona: verum quænam est orationis plurimorum mortalium natura? A Deo petunt ingentes opes, bonam valetudinem, bonam existimationem, terræ pinguedinem, ac deinde cœli bona requirunt. Invertunt ordinem filii Dei, & hoc tot reprobos facit. Sed viri boni a Deo primum quidem spirituales petunt benedictiones, æternitatis bona, virtutum praxin, quod autem ad hujus mundi bona pertinet, nobis Domine id tribue, quod tibi placuerit, & hoc illos efficit sanctos.

Oratio est gemitus coram Deo.

Gemitus meus a te non est absconditus. Ps. 37. Cum docet Scriptura quid sit oratio, promiscue utitur verbis petendi, atque plorandi. Gemitus, & oratio in sacra lingua unum, & idem sunt. Tunc solum oratur, cum gemitur, & Deo accepta oratio non est, nisi cum gemitus noster sincerus est... Oramus igitur cum nostram sentimus infelicitatem, & cum nostræ calamitatis intuitus efficit, ut ad illum clamemus, qui unus nos inde potest eripere. Videte senium hunc ad vivum a Regio Propheta expressum, qui cum animo altius insederit, semper exemplar erit eorum, qui orandi modum edoceri voluerint: *De profundis clamavi ad te Domine.* Psalm. 129. Ille suam agnoscit miseriam, quæ eidem extrema videtur; miseriæ suæ cognitio illum clamare cogit. Scit unum esse Dominum, qui opem sibi possit afferre; ideoque ad hunc unum suos gemitus, clamoresque dirigit.

Ea cælesti Patre digna ipso petenda sunt.

In quo clamamus: Abba Pater. Ad Rom. 8. Abusus est arbitrari, eo quod filii Dei sumus, ideo jus nobis esse ea, quæ placuerint, petendi. Hæc e contra adeo nobilis qualitas prohibet sæpe, ne votis damnemur, quia petimus ea, quæ indigna sunt eo statu, qui Angelis pares nos efficit, regnique cœlestis hæredes. Petitiones nostræ nequaquam respondent nobilitati adeo gloriosæ nativitatis; humilia, & futilia, quæ poscimus, indigna sunt, quæ vota fiant, ac desideria filiorum Dei. Divina ista qualitas magis nobiles, magisque generosos sensus nobis debet immittere, & efficere, ut sancta superbia calcemus quæcumque vitæ hujus bona, cogitatione, & corde æterna duntaxat quæsituri.

Oratio facit ut Deû pro principe agnoscamus.

In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quia Deus meus es. Psalm. 55. Non postremus orationis usus est facere, ut Deum pro Domino, arbitroque bonorum, quæ petimus, habeamus, ac palam testemur, quippe oratio ipsa manifestum est hujus sententiæ testimonium. Utique, Deus meus! Cum coram te meas preces effudi, te Deum meum confessus sum: in statu peccati mei non erat mihi iste sensus, & non poteram fere te Deum meum vocare excæcatus peccato: sed ubi ad te confugi, Sanctus Propheta Rex inquit; ut misericordiam, & conversionem meam peterem, tunc cognovi, te Deum meum esse, ac supremam potestatem tuam confessus sum.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

R*Ecte novit vivere, qui recte novit orare.* Augustinus, Hom. 40. de diversis.

Oratio justi clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Idem Serm. 225.

Ne deficias in oratione; Deus quod promisit concessurus est, & si differt, non aufert. Idem, in Psalm. 65.

Si fides deficit, deficit oratio: quis enim orat, qui non credit? Idem, de verbis Domini.

Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire, nullum invitatum, salutem suam nisi auxiliante Deo operari, nullum nisi orantem auxilium promereri. Idem, vel potius Gennadius lib. de Ecclef. dogmat.

Alias Deus dat non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus, sicut in finem usque perseverantiam. Idem lib. 2. de bono perseverantiæ.

Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis. Idem.

Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. Idem, in Psalm. 85.

Ipse salvator est non solum quando facit quod petimus, sed etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet salvatorem. Idem, Tract. 37. in Joann.

Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut & tu discas magna desiderare. Idem, Sermon. 5. de verbis Domini.

Non petitur in nomine salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. Idem, Tract. 102. in Joann.

Sicut Deus non potest non audire orationem nostram, quia Deus est, sic non potest non exaudire, quia pius est. Idem, Hom. 12. ex 50.

Deus novit quid nobis in hac vita expediat, & quid post hanc vitam daturus sit. Idem, in Expos. Epist. ad Roman.

Inane esse non potest, quod vehementer rogatur ab eo, qui fons est misericordiarum. Idem, in Psalm. 6.

Ipse Christus salvator est, non solum quando facit quod petimus, sed etiam quando non facit: quia quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet salvatorem. August. tract. 37. In Joan.

Sive voce, sive silentio oremus, corde clamandum est. Idem, serm. 90. de temp.

Frigus charitatis silentium cordis est, flagrantia charitatis clamor est cordis. Idem, in Ps. 37.

Quædam non negantur, sed congruo tempore differuntur. Idem, tract. 102. in Joan.

Exaudit Deus cardinem desiderii tui; non curat quod nunc petis, ut in te faciat quod semper petis (nempe felicem esse.) Idem, lib. 5. Confess. cap. 8.

Quid jam non det filiis petentibus, cum hoc ante dederit ut filii essent? Idem, Sermon. 2. de verbis Domini.

Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, & pro semetipso tanto citius exaudiri meretur quanto magis devote pro aliis intercedit. Gregor. in Moral.

Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicitur: regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Idem, Homil. in Quadrag.

Candi-

Conditoris auribus illa maxime oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Idem, in Moral.

Cave ne ab oratione deficias, si dissimulat audire ille quem rogas, esto violentus, & vim etiam ipsis inferas cœlis. Idem, in 6. Psalm. Pœnit.

Vis Deum te audire in tuis orationibus, cum tu eum non audias in suis praceptis. Idem.

Non importunitatis vereamur offensam, quia hac apud Dominum importunitas opportuna est. Hieron. in cap. 61. Luc.

Ferventissimi in terrenis, frigidissimi in cœlestibus sumus. Idem, Epist. ad Demetr.

Inter catera salutaria monita, & pracepta Christus etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit, & instruxit. Cyprianus de orat. Dom.

Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitia inexhausta, parens, fons, & radix bonorum omnium. Chrysost. Homil. 30. de Genesi.

Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis prasidio, cum virtute degere, cumque hac vita cursum peragere. Idem, lib. 1. de orando Deo.

Prorsus accipies, modo & si talia postulaveris, que & illum, cui petitur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat. Idem Hom. 24. in Matth.

Is non aberret, qui omnis virtutis, justitieque matrem esse precationem affirmet. Idem, orat. 2. de precat.

Qui orat & peccat, non Deum rogat, sed deludit. Idem, vel quivis alius Author operis imperfecti super Matth.

Oratio est petitio decentium a Deo. Joan. Damascenus.

Omnipotens oratio, cum sit una, tamen omnia potest. Theodoretus.

Quotidie, omni momento oratio necessaria est. Tertull. in exhortat. ad castitatem.

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem audiat, quam ego qui fundo, non audio: deprecor illum ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo. Bernard. lib. de anima.

Qua fidelis, & humilis, & fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non possit. Idem, in quodam Sermon.

Humilitas orationem commendat. Ambrosius, lib. de Cain, & Abel, c. 9.

Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, ipse qui intervenit, & exorat affectus. Sanctus Chrysologus Sermone 2. de filio prodigo.

Pater meus es tu: quid ultra procedam? Quid ultra dicam? Quid ultra petam? Pater meus es tu. Aug. 3. part. stimul. Amor. cap. 14.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu ad hoc argumentum valeat adferri.

Orationis definitio. ORatio quatenus petitio facta Deo, secundum D. Thom. 2. 2. quæst. 8. art. 3. proprie est actus religionis, quo nosmet subjicimus Deo, atque fatemur, nos illius ope, atque auxilio indigere quatenus auctoris bonorum omnium, atque omnipotentis ad consulendum necessitatibus nostris.... Vel secundum alios quosdam Theologos oratio est effusio cordis in Deum ad illi explicandas necessitates nostras, atque opem in calamitatibus nostris petendam. Hoc in sensu oratio complectitur cognitionem necessitatum nostrarum, & desiderium inde emergendi, quod efficit, ut confugiamus ad Deum, qui unus mederi potest.

Hic animadvertendum est cum D. Thoma, orationem ad religionem, & charitatem referri; quippe præcipit religio, ut Deum oremus, & hoc officium est, & honor, quem illi tamquam bonorum omnium auctori deferimus; sed charitas ea peti jubet, quæ opus est: *Aliquid petere a Deo cadit sub preceptum religionis; recta sapere, sub preceptum charitatis.* Quamobrem Sanctus Paulus ait, Spiritum Sanctum, qui est charitatis principium, pro nobis orare, hoc est efficere, ut cum sanctis gemitibus oremus.

Qui dicunt orationem esse cordis elationem in Deum, vel animæ cum Deo colloquium, hi de oratione loquuntur, quatenus est familiaris communicatio cum Deo, non autem quatenus petitio, qua illum obsecramus: quamquam S. Bonaventura non longe distet ab aliorum Theologorum sententia, cum orationem eodem in sensu definit, in quo illam istic accipimus. Colloquium, quod habemus cum Deo, in quo cum ipso agimus de iis, quæ ad nostram salutem pertinent, & in quo spirituales, ac temporales necessitates nostras eidem exponimus.

Quæstionem hanc Doctor Angelicus proponit articulo quarto; utrum Deus unus orandus sit, videlicet utrum ab uno illo petenda sint ea, quibus indigemus? Et respondet, si petitionum nostrarum complementum spectetur, nos Deo uni preces effundere posse, & debere, quia unus ille nobis ea potest elargiri, quæ petimus: verum addit, Angelos quoque, & sanctos veluti benignos patronos orari posse, qui propriis orationibus, meritisque procurent, ut orationes nostræ exaudiantur a Deo. Ita, Sanctus hic Doctor addit; hæc est Ecclesiæ praxis Sanctissimam quidem Trinitatem, ut misereatur nostri, Sanctos vero, ut pro nobis intercedant, orantis. Utrum ad alios præter Deum per Orationem in necessitatibus confugere valeamus.

Hæc etiam ab eodem Doctore quæstio proponitur articulo quinto, utrum determinate hanc, vel illam gratiam, hanc, vel illam virtutem, hujus, vel illius affectus victoriam petere valeamus: & concludit a nobis determinate petenda esse gratiæ bona, quibus nosmet magis indigere cognoscimus, & per quæ beatam æternitatem acquirere, & mereri possumus, idque juxta exempla sanctorum, atque Ecclesiæ pro quibusdam peculiaribus necessitatibus orationem præcipientis; nec non in oratione Dominica habemus earum rerum ordinem, quæ ab æterno Patre petendæ sunt. Possumus singillatim aliquid a Deo petere.

Idem Angelicus Doctor hanc docet veritatem, posse nos precibus a Deo licite terrena precari, tamquam auxilia, atque subsidia, quorum ope facilius ad æternam beatitudinem perveniamus, non autem ut in illis conquiescamus. Et ratio, quam adsert, hæc est, quod licet a Deo petere ea, quæ licet optare. Verum licet hujusmodi optare bona, quatenus non mediocris esse possunt adjumenti ad vitæ conservationem, & ad charitatis opera exercenda; & hoc pacto temporalia ista bona esse possunt salutis nostræ instrumenta: sed orationibus, per quas illa a Deo petimus, hoc inest peculiare; quod hæc non sine conditione, si saluti nostræ profutura sunt, petere debemus: ratio enim, propter quam Deus passim postulata negat, hæc est, quia ea nobis obfutura prænoscit. Quoad ea, quæ nobis omnino sunt necessaria, & quæ sub *quotidiani panis* nomine io Dominica oratione comprehenduntur, Dei filius illa a nobis sibi peti jubet; & hic quidam volenti honor est, quem Creatoris nostri providentiæ deferre debemus. Possumus a Deo etiã hæc terrena petere, ac licite ob ea preces effundere.

Non pro nobis solum possumus orare; possumus etiam, & sæpe hoc præstare debemus pro proximo, & a Deo eadem bona petere, quæ pro nobis poscimus, juxta illud Sancti Jacobi Apostoli præceptum, quo vicissim alii pro aliis precari jubemur; ita ut quemadmodum necessitas nos cogit, ut Deum pro nobis oremus, & ea quæ nobis sunt necessaria flagitemus, charitas similiter nos Deum pro fratribus nostris orare cogat, ac pro illis petere, quidquid saluti eorum aliquid conferre potest: quod Non solũ pro nobis, sed pro aliis etiam orare possumus.

ad

ad ipsos usque inimicos extenditur. Sed hoc ad aliud pertinet argumentum, de quo alibi sermo fuit.

Deus vult orari quævis apposcat necessitatem nostram, & satis nos diligat, ut illi consulat.

Cum facer Textus asserere videatur multa orationne opus non esse, quia Pater noster cœlestis nostras necessitates agnoscit, antequam ab eo quidquam petamus: cur igitur Dei filius, postquam hanc veritatem nos docuit, præcipit nobis, ut semper oremus? Sancti Patres, atque Theologi hunc explicantes locum, de petitionibus, quæ Deo fiunt rerum, quæ vel parum utiles, vel etiam nocuæ sunt, deque illis, quæ fiunt sine resignatione, plures adferunt rationes, propter quas præcipit Deus, ne ab oratione cessemus. Hæ autem præcipuæ sunt. Prima; quia semper colendus est, & nobis numquam absistendum est, quo minus jugi hoc cultu, & honore profiteamur ipsum Dominum, Patrem, & Creatorem nostrum esse, ac nostram vitam, omniaque nostra bona ab illo pendere, & nos universa ab illius bonitate, ac misericordia expectare. Altera est, quia vult a nobis ea desiderari bona, quæ petimus, & oratio certissimus est effectus hujus desiderii, nam quamvis plurima ipse nobis conferat, quæ ab illo minime petimus, puta, fidei principium, bonamque voluntatem, atque nos ille sua gratia præveniat, immo etiam orandi mentem, ac desiderium injiciat; attamen quod ad alias attinet gratias, quæ ad bene vivendum requiruntur, orare vult; non quod gravissimam egestatem nostram non noverit; non quod si velit, nequeat non exoratus opem ferre, sed ad horum bonorum desiderium excitandum, atque per hoc efficiendum, ut eorum pretium intelligamus; cum hæc a nobis contemni melius testatum facere nequeamus, quam per negligentiam petendi, atque per orationis nostræ frigiditatem. Tertia denique ratio est, ne ipsi gloriemur, & ne nobis acceptam referamus bonorum operum gloriam, considerantes illa effectum esse subsidii, & auxilii, quod enixis postulationibus nostris concessit Deus.

Quid a Deo potissimum peti possit, & debeat.

A Deo petere licet ea, quæcumque legitime peti possunt, juxta explicitam illam Evangelii promissionem; *quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*. Patet enim per hæc verba, per quæ omnia se nobis recipit concessurum, nihil negaturum esse nobis, dummodo preces nostræ eas habeant conditiones, quas ille requirit. Ordo itaque a nobis in desideriis, & petitionibus nostris servandus est: 1. illas ad Deum tamquam finem referre: 2. ea concupiscere, per quæ arctius eidem adhærere possimus; ac tandem fugere quidquid nos ab eo separat, vel quodammodo potest separare. Igitur seu perfecta fruamur valetudine, seu affluenter alia exteriora corporis bona possideamus, semper meminisse debemus, ideo a nobis data fuisse, ut facilius Deo quidem inserviremus, proximo vero opem feremus, hunc in illorum partem vocantes. Quoad mentis bona, qualia sunt artes, & scientiæ, hac una tantum sub conditione ea petere licet, ut aliquid & Dei gloriæ, & nostræ conferant saluti.

Undenam oratio vim habeat impetrandi ea, quæ a Deo petimus.

Semper cum D. Thoma supponendum est, orationem non ex se, naturaque sua vim habere id certissime impetrandi, quod a Deo cupimus obtinere. Immo de essentia est orationis, si in scipsa consideretur, repulsam pati posse; alioquin oratio non esset, sed imperium. Hac eadem de causa supponendum, neque ex nobis orationi hanc virtutem accedere; ad id enim opus esset, ut aliquod meritum, vel bonum haberemus, quod esset in causa, ut vel ob justitiam, vel ob utilitatem, non posset Deus postulata rejicere. Virtus ergo orationis, propter quam certissime exauditur, non aliunde esse potest, nisi a Deo: cujus rei quatuor in Scripturis causæ afferuntur. Prima est amor, quo nos complectitur Deus: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos*, Joann. 16. Altera est ipsius Jesu Christi intercessio apud Patrem, apud quem, ut S. Joannes ait, noster orator est. Tertia est secretus influxus, quem in Christiana oratione habet Spiritus Sanctus, qui efficit, ut oremus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Roman. 8. Quarta demum, quæ orationem certissimam præstat, est solemnis promissio, qua Deus se illam exauditurum spopondit; *petite, & accipietis*.

Utrum Deus peccatores exaudiat, & quos exaudiat.

Vulgo hæc proponitur quæstio, utrum Deus peccatores exaudiat? Cæcus a nativitate palam negavit, cum a Pharisæis interrogatus, a quo visum recepisset, respondit Joann. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*. Sanctus Augustinus ait hominem hunc locutum, cum nondum lustralibus aquis ablutus esset, neque satis instructus, quia Deus peccatores exaudit; alioquin non exaudivisset Publicanum, qui pectus suum percutiens dicebat. *Deus propitius esto mihi peccatori*. Luc. 18. Sed quid responderet Sanctus Augustinus regio Prophetæ dicenti: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Psalm. 65. Non exaudiet Deus illum, qui aliquam in corde suo iniquitatem agnoscet. Auctoritates istæ simul conciliari possunt, ubi duo peccatorum genera distinguantur; quorum alii actu peccatis suis adhærescunt; de quibus intelligenda sunt verba David, non exaudiri a Deo illos, qui in corde suo aliquam vident iniquitatem, in qua permanere volunt. Alios vero peccati pœnitet; isti converti cupiunt, atque conversionis suæ gratiam a Domino petunt, velut Publicanus. Hi, uti Sanctus Augustinus ait, non tamen semper, & certissime voti damnantur, in iis omnibus, quæ petunt, sed in sola justificatione, quam Deus peccatori pœnitenti promisit.

Quo sensu intelligendus sit Spiritus Sanctus orare pro nobis.

Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, Apostolus ad Rom. 8. inquit; *nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Spiritus Sanctus triplici modo nostram adjuvat infirmitatem: 1. docens quid petere debeamus: 2. docens quomodo petere debeamus: 3. Injiciens nobis voluntatem orandi tanto cum fervore, ut orantes ingemiscamus. Macedoniani, & Eunomiani Spiritus Sancti negantes divinitatem hoc loco abutebantur; inde enim inferebant, Spiritum Sanctum non esse Deum, quia Spiritus Sanctus neque orare potest, nec gemere. At Sancti Patres respondebant, ab Apostolo hac loquendi ratione, *Spiritus postulat pro nobis*, non aliud significari, nisi quod efficit, ut postulemus juxta illud, quod ante dictum erat: *Adjuvat infirmitatem nostram*. Nam auxilium facienti duntaxat præbetur, sed qui nisi adjuvetur, facere nequit. Propriis viribus orare non possumus, uti opus est; hoc est de fide: igitur Spiritus Sanctus efficit, ut oremus.

Orationis utilitas.

Per orationem non fides solum augetur, & roboratur, sed ipsa etiam charitas; fieri quippe non potest, ut per orationem confitentes, quod facimus, Deum esse omnium bonorum nostrorum auctorem non excitemur simul ad illum ex toto corde diligendum. Orationi præterea hæc utilitas inest, quod præsentissimum remedium est ad omnes hostium impetus infringendos, omnesque eorum insidias eludendas; hoc enim unum ex illis est, quæ in Dominica oratione postulamus. Quamobrem Sanctus Hilarius ait, orationis robur, atque vim opponendam esse armis, quibus contra nos utitur dæmon. Tertia utilitas est, quod divinam cohibet iram; quamobrem Scriptura animadvertit, Deum dixisse Moysi, a quo prohibebatur, ne initum contra Israelitas consilium exequeretur, ut se pœnas de impiis sumere sineret. Et sane nihil aptius est ad iram Dei leniendam, ac inhibendum ultionum ejus effectum, necnon celerius detorquenda indignationis ejus tela, quam piorum virorum preces, quemadmodum in Scriptura videmus. Neque minoris est utilitatis ad vitia evellenda, omnesque virtutes acquirendas; nam per orationem eas, quibus ad id indigemus, gratias consequimur.

Orationis necessitas.

Orationis necessitas in Evangelio ita constituta est,

est, ut fideles ambigere nequeant. Verum id nostra edoceri debemus experientia; quandoquidem semper iis indigemus, quæ ad vitam corporis servandam, & ad animæ salutem procurandam necessaria sunt, quæ nonnisi per illam possumus obtinere; quia præstantissima, vel dicam melius, unica via est, qua Deo egestatem nostram repræsentare possimus, atque opem necessariam ab eo referamus. Quemadmodum enim ille nemini debet, nonnisi per orationem votorum nostrorum summam consequi possumus. Certum etiam est, non deesse res quasdam, quas hac una ratione possumus obtinere, quemadmodum ex decursu patebit. Verum cum doceant Theologi duplicem esse necessitatis speciem, quarum alteram medii, præcepti alteram vocant, operæ pretium est scire, & auditores de utraque certiores facere, quatenus pertinet ad orationem.

Cui rei inaltatur necessitas vocalium orationū.

Cum non minus corpore constemus, quam spiritu, pietas non exigit solum a nobis, ut Deum spiritu, quæ uni tantum nostri pars est, adoremus; in hunc usum impendendæ quoque sunt omnes corporis nostri facultates, inter quas vox aptissima est, atque ad id potissimum destinata videtur. Societas, quam invicem homines habent, alia ratio est, quæ necessariam facit orationem vocalem, ut illi inter se mutuam producant ædificationem. Nam quemadmodum vocis usu impii sese mutuo in malo confirmant, atque per impudicas cantiones corruptio gliscit in mundo, nihil æquius est, quam vocem, sacrosque adhibere cantus ad animas ad pietatem alliciendas, illis cœli veritates ad gustandum præbendas, atque alternis cohortationibus ultro citroque sese ad illarum praxin excitandos.

Quamvis perfecti orare non cessare debemus ab oratione.

Quamvis perfectæ, & ad sublimem orationis gradum evectæ animæ æque familiariter cum Deo versarentur, ac olim Apostoli cum Jesu Christo ab oratione cessare non deberent; non enim alia conditione ille nobis eas se concessurum gratias recepit, quas nobismetipsis nos procurare non possumus. Solus miseriarum, quibus stipati sumus, intuitus, & quarum non mediocrem partem ad mortem usque penrabimus, satis hoc nobis persuadere debet; etenim inter infelicitatem, & orationem, ut Sanctus Augustinus inquit, adeo necessarius nexus adest, ut ex quo mortalis est miser, statim orationi debeat vacare: *Ex quo miser, ex hoc & orans.*

Peccatores omnino indigent oratione.

Inde liquet in peccatoribus necessariam esse orationem, quod in Ecclesia jejunium, eleemosyna, & oratio semper habitæ sunt tamquam tres partes satisfactionis, cui pœnitens sese subjicere debet. Sed plurimi sunt, qui se jejunare non posse putent seu propter corporis affectam valetudinem, seu propter nimios labores. Multi eleemosynam erogare nequeunt, quia nullius rei habent arbitrium, neque eo in statu sunt, ubi proximo possint opitulari. Sed in oratione nulla est excusatio; quilibet illi pro modulo suo vacare potest, & qui ab hoc etiam pœnitentiæ opere se dispensant, palam se nullam agere velle pœnitentiam testantur.

Oratio est submissio, quæ præstatur Deo, & nostræ infirmitatis confessio.

Quid est oratio, nisi generalis submissio, quam homines debent Deo, & protestatio, qua se quidem ab illo pendere, illi vero imperium, ac dominationem in ipsos esse profitentur? Illi suam fatentur necessitatem; & hac ratione ostendunt, Deum unum posse, ac velle opem ferre; quorum altero ejus bonitatem, altero vero potentiam fatentur. Hic honor est, quem deferunt Deo, & qui orationis meritum, atque præstantiam ostendit. Hinc fit, quod oratio actus est religionis, quo divinitatem confitemur; ideoque nulla umquam licet falsa, vana, & superstitiosa religio fuit, ubi numini, quod in ea colebatur, preces oblatæ non fuerint; quia oratio religioni est essentialis.

Deus in ordine

Verum est Deum generali hac propensione, qua sese communicare gaudet, & amore particulari, quem in corde fovet pro omnium mortalium salute, nonnumquam suas impertire gratias non petentibus; & aliquando peccatores ipsos in tenebris eorum inquirere eos gratiæ suæ luminibus illustraturum, tunc etiam cum ipsi ab eo fugiunt, ac per scelera sua longius ab illo recedunt; sed communiter, & secundum consuetæ providentiæ ordinem loquendo electas gratias, & peculiares favores orationi tantum concedit; qua in re Theologi animadvertunt inter naturæ, & gratiæ beneficia hoc discriminis interesse, Deum videlicet indiscriminatim omnibus largitatem suam concedere in iis, quæ ad naturam pertinent, quin hæc ab ipso petantur, & quin ad illius bonitatem quisquam confugiat. Ita ad hoc ut Sol oriatur, precibus opus non est, & sæpe hoc sydus supra caput nostrum affulget, antequam oculos ad eum videndum aperuerimus. Hoc ipsum de anni temporibus, aere, elementisque dicendum. At supernaturalia, gratias, auxilia, dona, favoresque suos vult a mortalibus peti: *Petite, & accipietis.* Cur hoc? 1. ut intelligamus nos in iis, quæ gravissima sunt, ab illo pendere debere; 2. ut sciamus salutem nostram in manibus ejus esse, quandoquidem a nostris orationibus pendet.

providentiæ orationi tantum suas gratias, & peculiaria beneficia concedit.

Oratio ad salutem est necessaria necessitate præcepti.

Cum sermo est de necessitate orationis ad salutem consequendam, Theologia duo distinguit genera necessitatis, alteram medii, alteram vero præcepti. Hæ voces scholam quidem redolent, verum ab illis cavendum non est. Præcepti necessitas illa est, quæ educitur ex explicito præcepto, quod nobis Dei filius irrogavit. Præceptum hoc his terminis expressum est: *Oportet semper orare. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* &c. Luc. 18. & Matth. 26. Sed præter hanc præcepti necessitatem, affirmant Theologi orationem adhuc esse necessariam necessitate medii; hoc est, absolute necessariam, atque strictæ necessitatis ad conversionis gratiam obtinendam, ad continuandum justificationis ordinem, ad perseverandum in gratia, ad virtutes indipiscendas: cumque hæc omnia necessaria sint ad salutem consequendam, oratio, sine qua nullæ obtinentur gratiæ, necessaria quoque est de necessitate medii: non quod Deus alio pacto nos salvare non possit, sed quia ita in providentiæ ejusdem ordine constitutum est.

Probabile est Deum sine oratione sufficientia nobis præbere auxilia.

Suarez, qui inter Theologos magna floret nominis celebritate, in tractatu de oratione ait, Deum, qui non rogatus etiam tribuit, quod necessarium est, atque satis, fortasse non alia abundantia sine oratione præbere subsidia. *Nisi media oratione.* Non quod aliter agere nequeat Deus, addit ille, sed quia ita agere vult; atque id ipsum velle palam innotescit ex necessitate orandi, quam imperio suo nobis imposuit. Æquum sane est, nos petere ea saltem, quæ desunt, & quæ habere desideramus; præsertim vero si fuerint gratiæ maximi pretii, quales sunt gratiæ supererogationis. Addi etiam potest, quemadmodum providentia utitur in naturalibus effectibus causarum secundarum cooperatione, æquum esse, ut eamdem in supernaturalibus, & iis, quæ ad salutem nostram pertinent, regulam servet. At minima, quam a nobis exigere valeat Deus, cooperatio, oratio est.

Cur non omnes orationes nostræ exaudiantur.

Inde occasio scandali oboriri, atque fidei expetientia oppugnari videtur, quod sæpe oramus, quin exoremus. Verum quin istic dicam eorum omnium, qui non exaudiuntur, orationes necessariis carere qualitatibus ad hoc, ut eam habeant certitudinem, quam Deus illis adjecit, sola Sancti Thomæ argumentatio satis est ad eluendas eorum querimonias, qui in egestatibus suis cœlum insimulant. Honesta dumtaxat, S. Doctor ait, & utilia petenda sunt; & hujusmodi orationes dumtaxat irritas non futuras promisit Deus; alioquin Dominus sibi necessitatem injecisset gravissimis quibuscumque iniquitatibus subscribendi, atque in injustitiæ instrumentum innocentissimum religionis offi-

officium vertendi. Patet igitur non posse Deum vel injusta exaudire desideria, vel nos damnare votis perniciosis, quæ sine ulla ratione concipimus. Deus non est pater crudelis, qui filio ovum petenti porrigat scorpionem. Impetrationis facilitas semper hanc supponit conditionem: si opes, si prospera fortuna esse debet in manibus nostris salutis instrumentum, illam precibus certissime consequemur; at si videt Deus futurum, ut per illam a virtutis semita deflectamus, ille nequaquam concedet, quod in æternam cessurum est nobis infelicitatem. Verum meminerimus, si orationis certitudo conditionalis tantum est pro bonis corporis, illam absolutam esse, & sine ulla exceptione pro bonis animæ.

Fides in oratione requiritur.

Firma opus est fide; hæc potissima est, magisque necessaria dispositio ad hoc, ut oremus quemadmodum oportet: etenim sine fide haberi nequit cognitio omnipotentiæ, & misericordiæ Dei, quæ nihilominus fundamentum est confidentiæ, quam in precibus nostris habere debemus. Hoc nos docet Jesus Christus his verbis: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*. Hanc veritatem Sanctus Augustinus sermone 30. de verbis Domini confirmat, cum ait frustra orari a non habentibus fidem; eamque Sanctus Paulus adstruit ostendens, oppositum fieri nullo modo posse: Quomodo, inquit ille, invocabunt, in quem minime credunt? Fides orationem præcedere debet, oratio vero deinde fovere fidem, per quam utiliter deprecamur.

Patri preces nuncupandæ sunt in nomine Filii.

Ut efficax oratio fiat, prima, & potissima conditio est, illam Patri æterno in Jesu Christi nomine dirigere: etenim per divini hujus mediatoris merita illud acquirit pondus, ac pretium, propter quod benigne a Patre cœlesti exauditur. Hoc nobis pluribus in Evangelii locis Jesus Christus promisit: *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Joann. 16.

Crebro est orandum.

Oratio frequens esse debet, & fere assidua; nihil enim hac frequentia magis efficere potest, ut promptius orationum nostrarum effectus obtineamus. Exemplum judicis illius, de quo loquitur Sanctus Lucas, hoc apertissime probat; quem Dei filius ait, quamquam ille nullam Dei, hominumve rationem haberet, tamen commotum fuisse enixis precibus, quibus illum paupercula vidua fatigabat, atque ejus victum assiduitate, quidquid ab ea petebatur, concessisse. Quamobrem cavendum est, ne imitemur ignavos homines, qui cum semel, aut bis aliquid rogaverint, nisi quod postulabant, statim consequuntur, cessant omnino ab oratione.

Rerum regnum, quæ in orationibus petendæ sunt ordo.

Si preces tuas a Deo exaudiri vis, pete nominis illius sanctificationem, voluntatis ejusdem complementum, gloriæ ipsius possessionem, antequam petas panem quotidianum, aliaque victui necessaria. Hunc si ordinem invertis, si mundi antequam cœli bona rogas, oratio tua non exaudietur; Deus enim illorum dumtaxat vota se auditurum spopondit, qui præscriptum a se ordinem orantes servaverint. Quem ordinem? hunc; *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. 6. Verum si ordinem pervertis, si temporalia antequam cœlestia postulas, vel terrena bona, quin hæc ad cœlestia referas, ad quæ via esse debent, Deus tuas preces rejiciet.

Non desunt peccatores excæcati, induratique non aliam, quam orandi gratiam habentes.

Terribilis hæc veritas est; de qua tamen mihi maxime persuasum est, peccatores post diuturna, ac nefaria flagitia eo nonnumquam pervenire, ubi non alia illis superest ad sese convertendos gratia, quam orationis. Si Deum rogaverint, Deus tanget eos; sin minus, Deus illos in ipsorum obduratione relinquet: ideoque non alia ipsis spes est, non alia salus nisi per orationem. Hoc Sanctus Augustinus ostendit: hominis, qui peccati habitum contraxit, voluntas, Sanctus hic Doctor ait, sæpe non habet amplius gratiam adimplendi justitiam, & servandi præcepta Dei, sed illam tantum humili petitione implorandi auxilium Dei, ut hujus pretio possit impetrare. *Hoc enim restat libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono possit implere*. Hoc nihil apertius.

Duplex est gratiarum genus ad evitandum peccatum, & molestissimis tentationibus resistendum. Aliæ quidem immediatæ sunt, quæ videlicet immediate agunt in intellectum, & voluntatem: aliæ vero mediatæ, ut loquuntur Theologi, quæ solum inserviunt ad priores illas, immo & gratiam justificantem, obtinendas. Putandum non est, Deum justis semper concedere primas, atque immediatas gratias ad superandas tentationes; satis enim putat, illis orationis tantummodo gratiam concedere, ut hac utentes per hanc alias obtineant. Hinc sequitur, quod quamvis justi simus, statim ad orationem confugere debemus. Eadem enim ratio, quæ nos tentationi resistere, & peccatum evitare jubet, jubet etiam, ea a nobis adminicula postulari, per quæ ad finem hunc perveniamus. Hæc autem necessaria adminicula sæpe orationum dumtaxat meritis conceduntur.

De publica oratione.

Publicæ orationi illud meritum inest, quod privata imitari non potest. Ibi quædam fit spiritualium communicatio bonorum, cujus indignissimus quisque particeps esse potest. Quilibet ibi ex aliorum meritis, ac proventibus ditescit, & quidam cum aliis orans votis damnatur, qui sæpe nihil assequeretur, si solus oraret.

Unde infertur orationis necessitas.

Ex gratiæ necessitate necessitas orationis infertur. Hæc illatio ex triplici veritate, quæ de fide sunt, oritur. Prima est, nos ex nobismetipsis nec voluntatem, neque vim habere aliquid pro salute nostra efficiendi, licet de unica tantum cogitatione fovenda ageretur. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis*. 2. Cor. 3. Altera est, vim hanc, quæ omnibus est necessaria, ut saluti nostræ vacemus; a Deo, & gratia hujus procedere: *sufficientia nostra ex Deo est*. Tertia, ut hoc gratiæ habeatur auxilium saluti nostræ necessarium, hoc a Deo petendum esse juxta illud Jesu Christi verbum: *petite, & accipietis*. Hæ tres veritates quovis tempore sibi cohærentes, atque invicem conjunctæ, & inseparabiles visæ sunt; ut quamvis Hæreticus Pelagius sæpe affirmaverit, se primam dumtaxat earum oppugnare; Ecclesia illum veluti cunctarum trium infestissimum hostem censuerit. Cave, dixerunt Patres in quodam Africæ Concilio congregati, ad Innocentium Papam scribentes, cave, ne subdoli isti hæretici tuam fallant religionem. Non semper illi dicunt, inutilem esse orationem; non incidunt illi dicendo, ad salutem operandam gratiam minime necessariam esse. Conantur primum quidem clanculum in animos obrepere per ea, quæ in proposito ab ipsis systemate magis ferenda videntur, dicentes solum verisimile non esse, naturam adeo corruptam esse, ut per se vim non habeat aliquid ad salutem utile conandi. Verum, utrum hoc pacto loquentes omnino & gratiæ necessitatem, & orationis virtutem evertant, penes te esto judicium. Si enim sufficit natura, ut salutem operemur, quomodo gratia indigemus? Sin autem gratia non indigemus, quænam est orationis necessitas?

Animadvertendum est duplex esse gratiarum genus, utrumque saluti necessarium, quarum aliæ orationem præveniunt, ejusque effectus non sunt; aliæ orationem sequuntur, & nonnisi per hanc obtinentur. Sanctus Augustinus libro secundo de bono perseverantiæ pro duplicis hujus gratiæ exemplo affert vocationem Christianorum ad fidem, & justorum perseverantiam. Inter necessaria ad hominum salutem subsidia, inquit ille, non desunt, quæ Deus illis etiam confert, a quibus non petuntur, veluti fidei principium; & e contra quæ petentibus tantum conceduntur, puta, perseverantia finalis: *Alia dat non orantibus, sicut initium fidei: alia nonnisi orantibus, sicut in finem usque perseverantiam*.

Ora-

Qui rei sanitatur necessitas orationis generalem?

Orationis necessitas duobus, iisque duobus principiis innititur; hinc quidem bonitati, & magnificentiæ Dei, inde vero hominum submissioni, & egestati. Sine oratione Deus non honoratur, ut vult; & sine oratione peccator ex sua non emergit infelicitate, uti illi prodest. Si Deo, quem debet, præstare vult honorem, orare tenetur; si in necessitatibus suis solatium invenire cupit, debet orare.

Orationis necessitas infertur ex finali perseverantia, quã nemo potest mereri, sed quam penitenti concedit Deus.

De fide est, nos salvos numquam fore, vel esse posse sine perseverantia finali. At juxta communem regulam sine oratione finalem perseverantiam numquam assequemur; ideoque juxta communem regulam sine oratione nulla salus. Propositio prior in dubium vocari non potest, quod pertinet ad alteram, certum ne est, si a Deo finalem hanc perseverantiam petiero, mihi à Deo illam concessum iri? Profecto etiam si id probabile tantum esset, sufficiens esset ratio, propter quam illam enixis precibus, & votis flagitarem: sed Patres, Doctoresque non verentur asserere futurum, ut illam, si, uti opus est, petieris, certissime consequaris. Illi porro innituntur auctoritati filii Dei dicentis Joan. 6. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dei filius in hac promissione nihil peculiariter excipit eorum, quæ ad salutem pertinent; omnes actiones nostræ quantumlibet sanctæ sint, non semper a Deo donum hoc, & perseverantiæ obtinent gratiam; neque cum certitudine affirmari potest te illam assecuturum. Sed ora, & bene ora; eventus orationis tuæ sponsorem ipsum habes Evangelium? Verum nisi oravero, certumne est, me illam nequaquam obtenturum? Utique, juxta communem Providentiæ regulam hoc certum est, inquit S. Augustinus: *Deum constat*, notate verbum, *constat*, *alia non orantibus*, *ut initium fidei*, *alia nonnisi orantibus præparasse*, *sicut usque in finem perseverantiam*.

PARAGRAPHUS IV.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Fructus orationis.

ORatio validissimum subsidium est; quo uti possimus apud Deum, ut illum nobis conciliemus. Per illam huic nostras aperimus necessitates, ejusque misericordiam consequimur; hæc via est, per quam omnes illius benedictiones, & gratiæ ad nos perveniunt; dare quidem vult; sed vult etiam nos petere: *Petite, & accipietis*. Joan. 16. Hic honor est, quem majestati suæ a nobis deferri vult; hæc est nostræ egestatis confessio; hæc submissio est, in qua nos contineri vult, ut perpetuam habentes rationem ad eum in nostris necessitatibus, quæ juges sunt, confugiendi eidem inviolabili servitute adhæreamus. Hanc ille nobis ostendit viam, atque damnabilis temeritas esset eamdem negligere, ut alias sequeremur. Docet Sapiens se per illam a Deo obtinuisse votorum summam, atque sapientia fuisse repletum: *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ*. Sap. 7. Et Sancti Patres, qui perfecte viam Domini noverant, hortantur, ut ad eum enixis precibus confugiamus in iis rebus omnibus, quæ pro illius cultu, & gloria suscipimus, & præterea in omnibus animæ, & corporis necessitatibus. *Abbas Trapensis collatione pro 5. post Pentecosten Dominica.*

Orationi addenda actio est, ut a Deo illa quibus indigemus obtineamus.

Quantacumque sit orationis virtus, & essentia, semper tamen cum actione conjungenda est. Vult quidem, nos orare, Deus; sed vult etiam, nos operari. Actio sine oratione temeritas est, atque præsumptio, uti Sanctus Augustinus ait, & oratio sine actione, ignavia est, & negligentia. Labores igitur cum orationibus sunt consociandi, & eodem tempore, quo a Deo petimus id, quod necessarium est, omnes adhibendæ curæ, ut nos dignos præbeamus, qui votis damnemur. Illusio esset credere, Deum nobis ea, quæ petimus, hoc est ea, quibus private indigemus, elargiri, quin nihil ex nobis conemur, ut illa nobismet procuremus. Opem illius exposcimus, quod supponit, nos pro virili operari. *Idem*.

Quomodo illud intelligendũ: oportet semper orare.

Vult Deus, nos semper orare, & id in Evangelio Salvator præcepit: *Oportet semper orare, & non deficere*. Verum quomodonam adimpleri hoc præceptum potest, quod in praxim redigi nequaquam posse videtur? Hoc pacto. Non exigit Deus, ut jugiter vocales preces effundamus, hæ nobis tædium afferre possent; & reipsa hoc munere defungi non possemus. Neque poscit, ut jugiter de genu illum adoremus; externa hæc pietatis officia nos nimium fatigarent, ac tandem conficerent. Neque requirit jugem mentis applicationem, qua adorabiles illius perfectiones meditemur; quod beatorum tantummodo est. Petit igitur, ut semper eo in statu simus, in quo orare semper valeamus, ea quæ facimus offerendo illi, nosmet sub illo humiliando, ab eo rebus in omnibus pendendo, supremamque illius bonitatem confitendo in rebus omnibus, quæ ab illius manu recipiemus; denique illum orando non quidem actu perenni, sed humili, sinceraque cordis nostri dispositione. Omnes, quas facimus, actiones christianæ tot esse possunt orationes. Dei verbum audire, orare est; muneris sui officia obire, orare est; pro Deo pati, ac laboribus exerceri, hoc egregium in modum orare est. Lacrymæ nostræ, suspiria, jejunia, eleemosynæ, omnes bonæ actiones nostræ orant pro nobis; ideoque semper orare est propter Deum, & Dei amorem operari, quodcumque operemur. *Joly propositione pro quinta Dominica post Pascha.*

Homines terrena potius, quam spiritualia petunt.

O Deus quam pauci ad aras tuas supplices accederent, si cœlestium dumtaxat bonorum penes te esset arbitrium! Quam pauci tibi vota nuncuparent, si gratiarum, æternorumque dumtaxat bonorum esses dispensator! .... Numquid a spiritualibus necessitatibus preces nostras ordimur? Numquid animæ mala primum deprecamur? Numquid in orationibus gratiam, & charitatem numquam interituras, an bona, & honores nobiscum perituros flagiramus? Cum adversa fortuna, vel iniqua judicum sententia de gradu, ad quem vestra vos vanitas extulerat, deturbavit, quænam sunt prima vota, quæ in cœlum emittitis? Numquid primum vobis curæ est peccatorum remissionem, vel divinæ voluntatis complementum expetere? Numquid manus in cœlum attollitis, ut inter providentiæ brachia confugiatis? Omnes quidem cogitationes vestras in Deum convertitis; verum ut terrenas has calamitates deprecemini &c. *Sermo manuscriptus*.

Oratio cũ humilitate conjuncta esse debet propter nostras infirmitates.

Oratio omnium infirmitatum nostrarum memoriam ciere debet. Utique, Christiani; orare est suam miseram agnoscere, suamque infirmitatem fateri, suam plorare vilitatem, & optare, ut quamprimum ex iis, quibus premimur, egestatibus eruamur. Orare est velle aliquid majus esse, quam sumus; plura habere, quam habemus, coram supremo hoc ente, a quo subsidium expectamus, necessitatum nostrarum magnitudinem exponere. Orare est rubore suffundi hinc quidem Dei magnitudinem, inde nostram humilitatem intuentes, est velle nosmet conformare sanctæ illius regulæ, corrigere, quod in nobis improbum est, strenue ea, quæ insunt, mala amputando: ut omnia verbo complectar, orare est primum quidem miseriam nostram exponere, mox vero eam deprecari. In hoc sensu tota continetur vis, totumque meritum orationis; atque non postrema illius conditio est, propriam agnoscere egestatem, simulque propriam impotentiam fateri. *P. Massillon in sermonibus recens editis, sermone de Chananæa.*

In orationibus nosmet divinæ subjicere debemus voluntati.

Deus magis quam nos nostras videt necessitate, & melius quam nos, cujus rei indigeamus, cognoscit; ideo in orationibus nostri nosmet eidem remittere debemus, nostramque sortem in manibus ejus relinquere. Sæpe ab illius misericordia

tam-

tamquam gratias exigimus ea, quæ ejusdem justitiam in nostram pœnam permittit: accidit enim quam sæpissime, ut divinæ sapientiæ in nos ordinem adeo parum revereamur, & adeo parum ab illo pendeamus, ut immo providentiæ legem inferre velle ex votorum nostrorum libidine videamur. Sæpe privatis regimur studiis, & affectionibus, sæpe naturæ defectum sequimur iis in precibus, quas effundimus Deo; desideria nostra Dei voluntatem segere volunt, & numquam desideria nostra Dei voluntate regi volumus. Et sane cum aliquando in bonis, fortuna, & dignitate vos Deus percussit, umquam ne illi in cordis humilitate dixistis: Domine, si miser hic status, ad quem redactus sum, acceptus est in oculis tuis, me in hac egestate, & confusione relinquas, nec istinc me umquam eripias? an e contra nonne satis lacrymarum effudistis, ut hanc bonorum jacturam defleretis, millies precibus Deum fatigastis, millies ab illo enixis precibus quæsivistis, ut tot vos malis liberaret? Voti vos compotes effecit; sed quin gratiam elargiretur, vos punit: bona, quæ importunis postulatiooibus vestris concessit, in luxum, aleam, scelus impendistis, & opes, quas semel amissas iterum estis adepti, tristia fuere vestrarum cupiditatum instrumenta. *Idem*.

Precibus quid petendum a Deo.

Si quid habemus, quod a Deo precibus impetremus; quot autem rebus non indigemus? primum nobis petendum est gratiæ illios auxilium, affectionum nostrarum victoria, perseverantia in bono, ac veræ virtutis gustus. Petamus enixe hæc bonorum genera; Dei quippe voluntas est, quod sancti, fideles, virtute præditi efficiamur. Verum cum agitur de existimatione, vel opprobriis, de prosperis, vel adversis, de honoribus, vel humilitatibus; eheu! quidquid in his omnibus ab eo petere debemus, hoc est, ut videlicet eum obsecremus, obtestemurque, ut suam in nobis sanctam voluntatem adimpleat. nt solum metiri velis mala, quibus nostram percutit infirmitatem, nostrasque vires augeat, prout dolores augebit, & ut numquam nobis concedat, nisi quod ex evangelio saluti nostræ conforme esse didicimus. *Idem*.

Sæpe fallimur in iis quæ a Deo petimus.

Hic, o Fideles, pietas in orationibus fallitur, & qui orat, spiritualia cum temporalibus, divinaque negotia cum propriis confundit. Et sane credimus, si minus infirma, minusque gracili valetudine gauderemus, magis nos pares futuros sanctis operibus: si magis robustum corporis habitum haberemus, cum voluptate nos severissimas religionis austeritates subituros; atque hac mente non cessamus, quominus firmam, constantemque salutem precemur, Deumque precibus fatigemus, ut exoratus majores vires, ac robur nobis concedat. Illud nobis succurrit; quod si uberiori, ac lætiori fortuna frueremur, facilius pauperum egestati subveniremus, atque effusiores eleemosynas erogaremus, prout opulentiores nobis essent proventus. Hac mente licere putamus, majores opes exposcere, ad sublimiores evehi dignitates, gravioribus honoribus decorari: sed hæc mera illusio est. Deus enim non exigit, ut in languenti, affectaque valetudine eosdem subeas labores, iisdem operibus exercearis, & idem pondus feras, quod qui robustum, & iofatigabile corpus sortiti sunt; id unum flagitat, quod viribus, ac statui tuo pares virtutes exerceas. *Idem*.

Oratio fervens esse debet, & ex corde.

Non oratur, S. Augustinus ait, ubi cor non orat, cumque Domious cor tantum postulet, hoc etiam unum ille audit. Oratio autem ex corde profecta semper fervens, atque integra esse debet, cor teporem, frigus, negligentiam nescit. Chananæa quidem mulier loquitur, sed ex corde loquitur; ore voces emittit, *clamavit*; sed gemitus cordis ejus longe potentior est clamore labiorum ipsius. Gemit, sed lacrymæ ipsius sunt tenuis expressio affectionis, ardorisque cordis. Querula ejus verba Jesu Christi aurem vellunt; sed tenera cordis ejus suspiria Salvatoris oculis exhibent spectaculum bonitate illius longe dignius: fervor illius totum ferme orationis ejus est meritum ... Et sane fervor adeo necessarius est orationi propter bonorum, quæ a Deo poscimus, naturam. Quid? Æternorum bonorum petimus possessionem, gratiæ Salvatoris auxilium, in servitute illius perseverantiam: hæc autem adeo pretiosa, tantique momenti bona, quæ sola nos in omnem æternitatem beatos efficere possunt, hæc inquam bona frigide, & negligenter petere possumus? Cor totum, integrumque numquid nimis est ad id expetendum, quod unum illi satisfacere, omniaque ejus desideria uberrime potest explere? Ita ne oramus, cum terræ hujus petimus bona? Nonne cor, totumque cor urget, sollicitat? Numquid æque frigidi sumus, & oscitantes, cum gratiam aliquam temporalem, vel aliquod beneficium a principe nitimur precibus obtinere, uti cum æterna a Deo petimus beneficia? *Idem*.

Orationes quæ in communi fiunt, Deo gratiores sunt, quam quæ fiunt in privato.

Deus libentius audit preces, quæ in fidelium cœtibus effunduntur, quam quæ seorsim, & ab aliquo privatim fiunt. Itaque primi fideles, ut plurimum, in aliquem coibant locum sanctæ huic exercitationi sacrum, ut suas voces in cœlum attollerent; & quamvis omnes diversa peterent, Deo preces tamen suas in cordis, ac intentionis unitate offerebant. Mala cujuslibet fidelis tunc mala erant cæterorum; & quilibet in sancti hujus cœtus orationibus & laboribus suis solatium, & egestatibus opem inveniebat. Quid negare poteras, Domine, precibus adeo sanctis? Si vota nostra nequaquam exaudiuntur, ut illa primorum fidelium, inde fortasse oritur, quia hæc simul, ut illi non consociamus. *Idem*.

Non desunt, qui orandi loco sese aliorum orationibus commendant.

Omnis quorumdam mortalium oratio huc redit, ut bonis viris conscientiæ suæ curam commendent, quin ipsi Domini opem exposcant. Sed quam gravis horum illusio est! Quid prodest quod fideles Jesu Christi famuli huic tota die clament: Converte Domine peccatricem animam hanc, quam tuo sanguine redemisti; illam ex tot vitiorum cœno erue; cum interim ipse illi dicas: Haud ita Domine; nondum advenit tempus, commercium hoc relinquendi; ne infringas Domine vincula, quæ mihi placent, me quidem convertere volo, sed non tam cito? Neque ideo dixerim pro peccatoribus, & fratrum conversione orandum non esse; hoc facere consuevit ecclesia; hoc Dei filius jubet; hoc charitas flagitat. Verum cum salutis nostræ negotium ad nos potissimum spectet, ipsi petere debemus, nostrasque orationes cum precibus eorum conjungere, qui pro nobis intercedunt. *Idem*.

Sanctis satis non erat orare; fratrum quoque implorabant auxilium, & enixius flagitabant, ut pro ipsis Deo preces offerrentur, & ne cessaretur ab oratione. Quoties in epistolis S. Paulus hanc tundit incudem, precaturque, ut omnes ipsi precibus opem ferant? Adjuro vos, inquit, fratres per Jesum Christum, & Spiritus sancti charitatem, ut mecum decertetis orationibus, quas Deo effundetis pro me. Fratres suos obtestatur; per hoc exprimit, quanta illius sit sollicitudo, quantus ardor; illos per Jesum Christum obtestatur; nequit sane sanctius nomen adhibere: verum nequit simul apertius ostendere suum desiderium, quo cupit, ut fratres pro ipso deprecentur. Seipsum tamquam medium in prælio considerat; scit in prælio acerrimo, ubi cum potenti hodie congrediendum est, sæpe, si solus dimices, periculum esse, ne vincaris: opem a fratribus petit, eosque, ut secum consertis orationibus dimicent, hortatur. *Lambert tomo* 1. *octavo Sermone de Oratione*.

Qui perniciosa, & mala petunt non exaudiuntur.

Ne putes, eo quod Christiani sumus, & habemus fidem, ideo ab Ethnicorum vitiis immunes esse. Videbantur olim Idololatræ in deorum delubra confluere, ut sese numinibus commendarent, eaque non sine aperta pietatis nota precarentur; verum quid ab illis petebant? Ea, quorum honestum, & cordatum virum puderet. Utinam,

ajebat quidam, hunc hominem de medio tollere possem, cujus bonis hæreditatis jure ditescerem! Utinam, ajebat alter, pupilli hujus substantia meæ accederet, quam felix essem! Si Dii hoc mihi concederent, ut ejus mulieris animum delinirem, quam voti mei compos fierem! atque propter idgenus postulata Diis suis thus adolebant. Video equidem vos hiscere, ut hos vecordes, cæcosque mortales probro dignos judicetis: verum zelum cobibete vestium, nisi vosmetipsos damnare velitis; neque enim culpa vestra levior est. Illi erant idololatræ corruptos venerantes Deos, a quibus malesanæ cupiditatis suæ expetebant effectus; ideoque ea tantum postulabant, quæ ipsorum studiis erant conformia, eorumque palpabant affectus. Vos autem Christiani, qui Deum colitis, qui peccatum perhorrescit, quomodo ea, quæ noxia sunt, petere audebitis? Hæc maxima impietas est, quæ tamen singulis accidit diebus. Poossima orationum pars has falsas Ethnicorum devotiones imitatur: videtis patres, matresque ad id omnia vota sua nuncupantes, ut familiæ suæ nitorem obtineant, preces effundentes pro filiorum profectu, quos interim nutriunt inter mundi inania placita, quin adlaborent, ut illos de christianæ religionis præceptis erudiant. Ille vero quid petit? bonam valetudinem, ut suis indulgeat voluptatibus, opes, quas in alea, & luxu absumat. Hæ petitiones Deo indignæ sunt, neque ibi quædam sacrilegii species deest; quippe fatuis hujusmodi precibus Deum in flagitiorum vestrorum partem vocatis. *P. Bourdalove Sermone in Evangelium de Chananæa.*

Non satis est petere ea, quæ bona sunt, ob bonum finem etiam sunt petenda.

Quamvis ea petamus, quæ bona sunt, & quæ a Deo sunt: nihilominus, quia illa ob pravum petimus finem, non exaudimur. Ut plurimum enim temporalia petimus bona, ea videlicet, quæ ad vitæ hujus bona referuntur, quin de bonis animæ laboremus. Verum est vos petere bona, quæ a Deo sunt, sed talia sunt, ut in utrumque usum possint adhiberi, & ad alium quam ad salutis finem referri. Petitis bonam valetudinem, nominis existimationem, bonum rerum vestrarum exitum: quid ultra Ethnicus potest expetere? Hic definit effectus orationum Gentilium, atque Idololatrarum, Dei filius ait Matth. 6. *Hæc omnia gentes inquirunt*. Sed de conscientiæ probitate, ac puritate cordis nemo sollicitus est, pauci ob id preces effundunt. Ubi invenietur, qui precibus humilitatem, charitatem, aliasque christianas virtutes obtinere contendat? Quisnam Missæ sacrificium offerri curat, ut ab animæ vitiis liberetur; quemadmodum efficere solet, ut a corporis ægritudine sit immunis? Ullane publica impendere videtur calamitas? Numquam tot visæ sunt devotiones, quot nunc instituuntur: sin autem de morum corruptionibus agatur, nemo movetur, nemo Dei opem implorat. Post hæc miraberis adhuc, si in irritum cedant orationes tuæ. *Idem.*

Hominum plerique in precibus effundendis attenti non sunt.

Quotusquisque in oratione attentus est? quotusquisque cogitat, quæ dicit? Plurimi quidem orant, sed quia illorum oratio attentione caret, idem est, ac si non orarent omnino. Nonne verum est devotionem nihil esse aliud, quam prolixam vocalium precum consuetudinem? petitionum, quæ errabunda mente fit? labia quidem moventur, sed alia cogitantur. De hoc jugiter Deus in Bibliis conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Matth. 5. & Marc. 7. Eheu! quam usitatum est videre eos ipsos, qui Deo sese devoverunt, & qui sacris operantur quotidie, multa orantes nihil orare, quia per consuetudinem, & sine attentione preces effundunt. *Idem.*

Attentionis defectus in oratione causa est propter quam non exaudimur a Deo.

Non sine causa, & magna quidem nos Deus non exaudit, quoniam orationes nostræ potissima deficiunt parte, videlicet attentione. Tantum abest, quod hæc oratio sit, ut immo contemptus dicendus sit Dei, quo ejus in nos justitia non lenitur, sed irritatur. Quid? volumus Deum preces nostras audire, ipsi vero illas audire nolumus: *Domine, exaudi orationem meam*. Psalm. 4. & 38. Tu autem teipsum non audis, illi respondet Deus: mecum loqueris, quin de me cogites; me oras, & nescitis quid dicas, nullam adhibes attentionem, &c. *Idem.*

Sequitur fructus amplissimus, & jucundissimus orationis, cum a Deo preces audiuntur. Est enim, ex S. Augustini sententia, oratio justi clavis cœli; nam *ascendit*, inquit, *precatio, & descendit miseratio: licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam*. Cujus orandi muneris tanta vis est, tanta utilitas, ut ea re cœlestium donorum amplitudinem consequamur. Nam & impetramus nobis, ut ducem, & adjutorem adhibeat Spiritum sanctum, & fidei assequimur conservationem, & incolumitatem, & vitationem pœnarum, & divinum patrocinium in tentationibus, & ex diabolo victoriam. Omnino inest in precatione singularis gaudii cumulus, quam ob rem sic loquebatur Joann. 16. Dominus: *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Concilii Tridentini Catechismus parte 4. c. 2. De utilitate Orationis.*

De orationum nostrarum negligentia.

Nonnumquam etiam fit, ut adeo remisse, & negligenter oremus, ut ne ipsi quidem, quod dicimus, attendamus. Cum autem sit oratio mentis ascensus ad Deum; si in orando animus, qui ad Deum referri debet, peregrinatur, nulloque studio, nulla adhibita pietate temere precationis verba funduntur, quomodo inanem orationis hujus sonitum, christianam precationem esse dicemus? Quare minime mirum est, si Deus nostræ non obsequitur voluntati, cum vel ipsi nolle id nos, quod petimus, pene probemus nostra negligentia, & ignoratione precationis; vel postulemus ea, quæ nobis sunt obfutura. *Idem.*

Plerique orant, ut suis satisfiat cupiditatibus.

Deo maximæ habeantur gratiæ, templa nostra deserta non sunt: verum perpendamus paulisper, qua mente huc homines accedant. Plerique ut suis satisfaciant cupiditatibus preces effundunt, ut opes consequantur, ut pericula evitent, pro consanguineorum incolumitate laborant, pro domus suæ fortuna, pro sæculari dignitate, quæ ambitur. Omnes huc suas afferunt cupiditates, affectusque suos, ac deplorabili cæcitate sæpe a Deo petunt, quod a mortalium nemine petere auderent. Volunt sibi concedi, quod concupiscere nefas est. Volunt Dei misericordiam in pravorum consiliorum suorum partem accersere, eique illa nuncupant vota, quorum gravissima esset pœna, si votis damnarentur . . . Quot labiis quidem honorant Deum, cor autem eorum longe abest ab illo? Quot mentem suam voluntariis distractionibus rapi sinunt, loquuntur, quin cogitent, orant, quin sciant, ac se audiri volunt, cum nec ipsi quidem se audiant, ut ait S. Cyprianus? *Flechier Sermone in Templi cujusdam consecratione.*

In omnibus egestatibus ad Deum confugiendum est.

Cum Domini simus, sive nos ille humiliet, sive attollat, jugiter submissi, & ab ejus gratia pendentes vivere debemus. Cum adversitatis tempore nos mœror conficiat, ac deserat mundus, orandum est, S. Jacobus inquit, & confugiendum ad Deum, qui semper nos recipit, & consolatur. Cum peccata nostra in cœlum clament, ac Dominum ad ultionem sollicitent, preces quoque nostræ clament oportet, & Dominum ad misericordiam sollicitent. Oratio tributum est, quod reddimus Deo, necnon confessio magnitudinis, & potentiæ ejus in nos. Auxilium est, quod in necessitatibus nostris contra pœnas peccatorum nostrorum est præsto. Propugnaculum est contra vitæ hujus tentationes, & afflictiones. Est ergo medium admodum efficax ad mores corrigendos, ad cœlestia dona promerenda, & ad emergendum ex calamitatibus nostris. *Idem.*

Pauci petunt cœlestia.

Profecto si quotidie cum gemitu columbino ploraremus coram Domino, qui fecit nos, id est coram omnipotente, & amantissimo Patre nostro, quid non impetraremus? . . . Non est Deus avarus

distri-

distributor donorum suorum, *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, ut loquitur S. Jacobus c. 1. Sed ideo non accipimus, quia non magni facimus dona Dei, neque gratiam remissionis peccatorum, neque ipsam vitam æternam. Si enim ista magni faceremus, frequenter, ardenter, cum clamore valido, cum gemitu, & lacrymis peteremus. Sic enim petunt temporalia bona cives hujus mundi, qui illa valde diligunt: sic etiam petunt, & accipiunt servi Dei dona cœlestia, qui illorum pretium noverunt; sed hi pauci sunt, illorum infinitus est numerus. *Bellarminus cap. 1. de gemitu columbæ.*

Plerique fideles parum intelligunt quid sit orare.

Nisi Deum agnosceremus, nunquam oraremus; quoniam orationibus nostris Deum adorare intendimus, eique cultum adhibere; necnon ejus omnipotentia nos ad illius aras adducit. Sed hic Deus simul est Pater noster, & nos adoptavit in filios: Hinc quin a primo illo nos officio dispenset, quod quidem nostræ submissionis indicium est, vult præterea nos ad ipsum in necessitatibus nostris tamquam patrem confugere, & fidenter ab illo petere, quidquid nobis necessarium esse censemus. Hoc autem orationis genus in mundo vulgo ignotum esse affirmo; de quo tamen Dei filius apud Apostolos suos verba fecit, cum solemni sponsione se illo, quotiescumque aliquid petiissent, exauditurum esse recepit. Quin istic duos hosce Dominum precandi modos confundam, illos e contra pro virili separare contendam, cum unice mihi proposuerim apud vos habere sermonem de precationibus hac mente fusis, ut aliquid a Creatore nostro obtineamus, hoc est de precibus, & petitionibus, nequaquam consideratis tamquam tributis Divinæ debitis Majestati. *Ex manuscripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Fides orationi essentialis, & necessaria.

Cum S. Augustinus loquitur de oratione, opus est, inquit, fidem illius basim esse, & fundamentum. *Fides est fons orationis*. Cur? quia dubitatur, ne non solum utrum Deus opem nobis afferre possit, cum absolutissimus sit rerum omnium dominus, ac de illis pro suo arbitrio disponat; verum etiam, utrum reipsa nobis prodesse velit, ac se expectet orari? Fieri nequaquam potest, quod oratio nobis communis sit, & familiaris. Quid? si fides in Deo duplicem hanc nobis non detegeret qualitatem, qua ratione ad illum in nostris necessitatibus confugeremus? Idea, quam de essentiæ ipsius superioritate habemus, non sinit supremam illius potestatem in dubium vocari. Ita nemo fidelium est, si aliquot insanos demas, qui hoc minime norint; sed bonitas ejus non eamdem in animis nostris efficit impressionem. Quæcumque nobis testatus, pollicitusque fuerit Deus homo factus, non erubescimus hanc fovere animo cogitationem, Deum non ita illis, quæ ad nos pertinent, intentum esse, ut sibi hanc injecerit necessitatem, ut indesinenter paratus sit nobis audiendis, & exaudiendis. Ab hoc non abhorremus; nostris confidimus viribus, amicorum nititur auctoritati; sciti alicujus hominis consilio habemus fidem, sexcentas inquirimus vias, ad Deum tunc tantummodo nosmet convertimus, cum omnibus humanis auxiliis destituti sumus. *Idem.*

Virtus orationis.

Audite hæc, o Fideles, non minus ad vestrum solatium, quam doctrinam, libenter huic immoror argumento. Jesu Christi mentem assecutus non est, qui non videt promissionem illius, qua generatim se hominibus concessurum esse spopondit, quæcumque ab ipsis peterentur, nullis finibus, atque cancellis coarctari. Quid? nonne durius in nova, quam in veteris legis filios alioquin ageretur? Impius Manasses petit, & obtinet; David peccator orat, & exorat. Quodnam majus petimus argumentum futurum, ut æque & nos votis damnemur, si illos imitati fuerimus? Precationibus, quas Creatori offerimus, S. Chrysostomus inquit, id inest, propter quod Deo placent: *Vis intelligere quanta res sit oratio? non tam valet amicitia apud Deum, quam oratio*. Et sæpe supremus hic Dominus mortalibus insignes gratias concedit, non quod illi grati sint, & fideles, sed quia petunt, & flagitant; quod amicitia non perfecit, id ab oratione perfectum est. *Idem.*

Ordo, qui Dei filius in orationibus nostris posuit.

Incipiamus eas optare gratias, atque supernaturalia dona, a quibus beata pendet æternitas. Prima vota, ac ardentissima desideria vestra erga spiritualia bona ferantur; deinde temporalia etiam optare licebit. Hoc adeo parum est divinæ indulgere voluntati, ut si hæc petere oblivisceremini, ea ex se ille vobis concederet: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Id Salomon expertus est. Altissimus illi idem ac nobis obtulerat, ac se nihil negaturum receperat. Princeps ille hac in re nostrum exemplar bona præmisit spiritualia; petiit sapientiam; Deus vero postquam petitam concessit sapientiam, illum etiam annis, honoribus, & opibus cumulavit. Hic ille modo est, quem in bonorum suorum distributione Deus servare vult; a spiritualibus initium ducere, ac in temporalibus desinere. Ne infringamus, ne perturbemus, ne subvertamus hunc ordinem, omnes petitiones nostræ illi erunt acceptæ. Præterea alia ex eo petite bona, verum non aliam ob causam, finemque, nisi propter salutem vestram. Gravissima laboratis egestate, postquam in rerum omnium affluentia nituistis; status hic adeo diversus vos enecat, opprimit, conficit; jam murmur tantum, impatientia, querimonia auditur. Vobis lis intentata est, ac forensibus jurgiis, atque tumultibus male affecti a pristina vivendi ratione ita discessistis, ut Deum ultra orare nequeatis, neque consuetas pietatis exercitationes obire: gravis infirmitas plures jam menses vos in cubili detinet, quamcumque vim imaginationi vestræ faciatis, malum vestrum semper vobis ob animum versatur, integrosque dies, quin ullam effundatis orationem, traducitis. Deum precamini, ut bonam vobis concedat valetudinem, ut judicio victores abeatis, ut ex egestate emergatis, hoc pacto ex his occasionibus in æternum pereundi, vel saltem in via salutis languendi, evasuri. Quandoquidem satis fortitudinis vobis non inest, ut ex ipsis adversis utilitatem percipiatis, Deum ob has causas obtestantium, obsecrantiumque preces christianæ erunt, easque Deus poterit exaudire. *Idem.*

Cogitandum est nos orare Deum, ut sicut oportet, oremus.

Patres in id semper operam navarunt, ut nobis modum præscriberent, quo divinam Majestatem exorare debemus. Neque enim satis putantes a nobis ea tantum optari, quæ saluti nostræ prodesse possunt, præcipiunt etiam, ut illa eo modo, quo opus est, flagitemus; videlicet, ut meminerimus Deum esse, quem invocamus, ac nostra interesse illum velut Deum invocare, ubi, si vel minimum defecerimus, periculum est, ne ullam orationum nostrarum habeat rationem. Modo volunt, nos viva fide animati, atque meditantes Creatoris nostri magnalia, bonitatem vero potissimum, atque potentiam, uri specioso hoc igne, quem sanctus ardor in cordibus nostris accendere consuevit; modo metu correptos in nostræ infirmitatis intuitu præbere profundæ humilitatis indicia, quæ extrinsecus etiam prosiliant; modo cum cogitantes fortunam, per quam cum Deo loqui possumus, nosmetipsos intrinsecus colligi, & ex cogitationibus nostris minima quælibet expellere objecta, quæ illas valeant dissipare; verbo, nihil a nobis prætermitti, quod Cœlum flectere valeat. *Idem.*

Vult Deus preces nostras ardentes esse, ac sollicitas.

Esto quidem a Deo illa tantum petatis, quæ sancta, & salutaria sunt, videlicet vestram conversionem, salutem, perfectionem, affectuum victoriam, mundi odium, virtutis amorem, possessionem immortalis gloriæ, ad quam nati estis; nihil hoc sanctius, nihil laudabilius; sed nonne verum est, vos inter petitiones vestras metuere, ne postulata assequamini? Deus ardentia diligit vota, violenta desideria, anhelantia suspiria. Pauper illum afficit; miser eum movet; qui in afflictione gemit,

illum suis doloribus ad misericordiam flecti cognoscit; non eo quod pauperes magis amet, quam divites; non quod miserum, afflictumque protegat; non quod eorum, qui injuste opprimuntur, lacrymas abstergat; sed quia horum preces sunt cum summo fervore conjunctæ. Extrema calamitas eloquentiores nos facit, & satis est aliquem optare gratiam, ut tunc obtineatur. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*, Reginæ inquit Propheta; Psalm. 119. *& exaudivit me*. Duo hæc non separat; centies in Psalmis beneficia, quibus a Deo cumulatus fuit; accepta refert clamoribus, gemitibus, atque cordis sui effusionibus. *Idem*.

Deus a nobis petit in oratione perseverantiam.

Cogitate Chananæam mulierem, tunc etiam cum respuebat Jesus Christus illam videre, & audire, eamque alienigenam vocabat; crederetisne? canem, quin etiamque appellabat; nonne afflictæ hujus gentilis orationem admirabatur, nonne fidei ejus constantiam laudabat, nonne petitionem ejus probabat, eamque exaudire cupiebat? Filiæ ejusdem curatio hoc palam probat. Cum vidit Sancti Augustini matrem septemdecim annos orantem, lacrymantem, plorantem, jejunantem, filiique sui conversionem petentem, amabat procuItubio Monicæ lacrymas, atque austeritates. Quinam ambigi potest post eas gratias, & favores, quibus eam cumulavit? *Idem*.

Deus precibus temporalia bona concedit, cum sunt necessaria.

Jesus Christus, qui Moysis legem perfecit, illam hac in re non mutavit: quamquam Redemptor spes nostras intra ejus terræ ubertatem minime coarctaverit, ubi flumina lacte manant, & melle: attamen orationi nequaquam illam ademit vim, quam olim habebat ad temporalia bona obtinenda, neque petitionis virtutem ad spiritualia tantum gratiæ, gloriæque dona redegit, quandoquidem precationis omnipotentiæ nullos cancellos constituit: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Marc. 11. Considerate quæso horum verborum extensionem; *Omnia*. Non igitur solum virtutes, quæ animam ornant; non solum dona, quæ spiritum perficiunt; non gratias, quæ cor inflammant: *Omnia*; sed generatim omnes corporis necessitates. Et sane nonne illas expressit in ea orationis exemplari, quod nobis reliquit? Quid enim prodesset, Domine, nos adigere ad petendum adeo frequenter panem quotidianum, nisi illum fideli petenti concedere decrevisses? Hanc crudelis esses, ut frustrari velles eam spem, quam ipse proponis; & eam repellere orationem, quam ipse præscribis? Haud ita, Fideles, dici nequit. Jesum Christum in ea extensione, quam orationis impetrationi concessit, comprehendere noluisse hujus temporis necessitates. Cum hoc ecclesiæ persuasum fuerit, illa, quæ Jesu Christi regitur spiritu, quosdam regionis dies constituit, quibus a Domino vitæ necessaria petebantur eo tempore, ubi messium spes adhuc exilis, & male tuta efficit, ut populus sentiat se a supremo rerum moderatore pendere, qui seminibus ab agricola terræ creditis præbet incrementum. Particulares necessitates ab eo non minus pendent, quam publica copia, pax, & consensus familiarum, quas discordia laniavit; honor, existimatio illarum, quibus injuria aliqua labem offudit: felix eventus litis, cui colorem adsperserat iniquitas; felicitas, & lucrum in mercatura, hæc omnia fructus sunt orationis: hæc se concessurum recepit Deus; *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Joann. 16. Ipsa etiam regnorum, rerumque publicarum gloria, & victoriæ de hostibus relatæ ab oratione proficiscuntur. Moyses hostibus populi sui minus Israelitarum arma, quam orationis solum opposuit; certus, victoriam nequaquam semper a sapientia peritorum ducis pendere, montem ascendit, brachia simul, votaque sua in cœlum attollit, secreto pugnat, ut S. Chrysostomus ait, ejusque apertissimis affectibus sese prodit victoria: *Occulte pugnabat, manifeste vincebat*. Bonus, malusve præliorum eventus pendet a coram, quem orans exercit: cum infirmus est coram Deo, Israel universus fatigatur; sed cum similis Jacob Deum superat, hostes fervore illius profligantur: brachia, quæ in cœlum sustollit, sunt tamquam signum victoriæ. *Dicens manus ejus esse vexillum victoriæ*. Ut verbo omnia complectar; quo sese virtus orationis minime extendit. *Ex manuscripto Sermone*.

Finalis perseverantia, quam nemo potest mereri, orationi conceditur.

Finalis quoque perseverantia precibus impetratur; centies populo Christiano metus injectus est terribili hac cogitatione, quod nemo illam mereri posset. Veritatis cathedra centies terribilibus his verbis personuit, mortem in justitia nequaquam adhærere sanctitati vitæ, eamque mere gratuitum donum esse Dei, penes quem æternæ sortis nostræ arbitrium est. Constans hæc veritas, quam impugnare non audeo, procuIdubio effecit, ut pii homines, quibus solatium afferre nequaquam cogito, animum desponderent. Quis igitur, Domine, dicere potest in amaritudine cordis sui, quis mihi promittere potest post plures fidelis innocentiæ, vel austeræ pœnitentiæ annos Deum finalem mihi pœnitentiam, donum hoc, quod a meritis nostris minime pendet, concessurum? Quo terrore igitur salutem meam operabor, exitus mei semper incertus? O Deus! cur saltem mihi certam non aperis viam, ut illam obtineam? metus mei tranquillitatem, & cor meum securitatem nanciscerentur. Verum mutmur, & querelam hanc animæ piæ compescite; Deus hac in re nihil vobis desiderandum reliquit. Finalis perseverantia, S. Augustinus ait, hoc nostræ prædestinationis signum, extremum hoc beneficentiæ Dei munus simul est effectus, & præmium orationis. De novissima gratia aliud sentiendum est, ac de prima; fidei initium, hæc gratia, quæ nos disponit, ut fideles simus, ab orationibus nostris non pendet: *Constat Deum aliqua etiam non orantibus dare, ut initium fidei*. Christianos esse a nobis non pendet; sed in mea positum est potestate morte justorum obire. Sola oratio certam facere mihi potest æternitatem, certam faciens meam perseverantiam; *Quædam etiam nonnisi orantibus præparasse, ut perseverantiam in finem*. De quo igitur conqueri potestis? *Idem*.

Oratio non minus ad salutem necessaria, est quam religio.

Ampliora dicam. Ad salutem tantum necessarium est orare, quantum religionis actus elicere. Argumentatio hæc est S. Thomæ. Quemadmodum sine religione salvi esse non possumus, ita neque sine oratione. Quomodonam hoc? quia oratione non aliud magis inevitabile officium habet virtus religionis; per hanc virtutem Creatori debitus honor adhibetur; at ullumne est genus cultus magis apertum, magisque submissum, quam oratio? Quid enim esset religio, si proscriberetur oratio? Quis ad templum accederet, nisi vota haberet, quæ nuncuparet, & necessitates, in quibus opem exposceret? Numquid extruerentur aræ, nisi illinc per Angelos ferendæ essent precationes nostræ ad aram in cœlis agno immaculato positam? Numquid offerentur Deo sacrificia, si per oblatæ victimæ orationem minime nostris egestatibus prodessent? Non miror igitur amplius inter nos levem duntaxat religionis speciem intuitus, spes concepta a Deo ea, quæ necessaria sunt, obtinendi fideles cogit in templum, efficit, ut genua coram Domino flectant: his submissionis testimoniis quisque suam exprimit religionem. Verum quid hodierna die in generali hac sæculi corruptione contingit? quisque in sua tantum industria confidit, & religio perit propter defectum attentionis in iis, quæ vere nostra intersunt, per orationem procurandis. Aulicus illis tantum idolis adolet thura, quæ sua ipsi constituit fortuna; voluptuosus illi tantum nuncupat vota numini, quo illectus est &c. *Idem*.

Oratio obtinet a Deo, quæ petit: Scripturæ exempla.

Moyses pro Judæis orat, quodammodo vim facit Deo, & de manibus ejus fulmen revellit. Josue orat, & voci illius Domino obediente, ut cum Scriptura loquar, Sol ipse in medio immoratur curriculo. Judith orat, & Deus illi animum, roburque

præbet

præbet ultra sexum illius; nec non oratione protecta Holophernem aggreditur, & ab hoste adeo terribili populum liberat. Publicanus orat, ac momento justificatur; Deus illi integram peccatorum remissionem concedit. Apostoli in Jerusalem congregati orant, & super eos Spiritus sanctus descendit. S. Paulus orat in templo, ac repente extra se raptus audit, & recipit monita salutaria. *P. Girousl Sermone de Chananaa.*

Oratio certam nobis facit finalem perseverantiam.

O perseverantiam, justum mei gaudii, meique terroris argumentum! in hoc uno dono finem malorum omnium, æternamque omnium bonorum possessionem invenio. Hanccine ergo perseverantiam consequar? an secus? donum ita pretiosum, ut ad illud comparandum omnia libenter impenderem, & ad illud promerendum nihil intentatum relinquerem. Quid dico, Fideles? Illud neque comparare, neque promereri omnibus bonis operibus possumus .... Quam terribilis hæc veritas est? Hæc vos terret cogitatio; & ego quoque, uti vos, territus sum, sed in justo eo terrore, quo perculsus sum, non aliud efficere possum, quam caput demittere, & cum S. Paulo clamare: *O Altitudo!* O impenetrabilis divinorum consiliorum profunditas! Attamen me ipsum, vosque mecum oportet consolari, rationem indigitans validam, atque potentem, quæ nobis solatium afferre potest, & ex his terroribus, quibus prosternimur, & ad desperationem adducimur, eruere. Quæ autem hæc ratio est adeo desiderabilis, & necessaria? Oratio est; quandoquidem ex S. Augustini, omniumque Theologorum sententia enixis precibus hoc adeo pretiosum donum conceditur. *Idem.*

Oratio quocumque in statu simus nobis est necessaria.

Es tu peccator; immo etiam insignis peccator? heu! in tristi hoc statu ab orando ne cesses. Quis enim scit, utrum modo alia tibi ad conversionem suppetat via, quam oratio? Hæc si desit, jam te respicio, vel saltem locus mihi est respiciendi te veluti jam reprobatum. Justus es, tibique rationabilis adest credendi causa, quod habitualiter in Dei gratia vivas? Eheu! ne putes ideo te posse orationis usum negligere; quippe est perseverandum. Bene quidem Judas incœpit, sed periit, quia male desiit. S. Paulus e contra salvus factus est, eo quod optimum vitæ suæ finem imposuit, quamvis pessimum illius fuerit initium. Itaque finis vitam nostram coronat, & nostram salutem consummat, neque ad bonum finem sine oratione pervenitur. Neque peccator es, neque justus; sed modo justus, modo peccator, quales tot sunt ignavi, imperfectique Christiani? Eheu! quam indiges peculiaribus gratiis, ut arctius tuo muneri adhæreas, ac in eo perseveres? Via autem, per quam Deus frequentius electis suas gratias communicat, nonne est oratio? *Idem.*

Gratia orationis nemini deest.

Gratia orationis nemini deest, quod explicitis verbis docuit S. Augustinus: *Si desit, ut agas, numquam deficit, quo petas.* Si agendi gratia deest aliquando, numquam deest gratia orandi. Et sane, hic Pater ait, non miror amplius, quod Petrus cesserit tentationi, cui se objecerat; sanguis Jesu Christi, qui tunc effundi incipiebat, operatus non est, ut ejus constantiam excitaret; verbo, agendi gratia illum, ubi eadem maxime opus erat, destituit. Verum dici ne potest, orandi gratiam eidem negatam fuisse? Sacrum testor evangelium, quoties Jesus Christus illum invitaverit, atque sollicitaverit in horto, ut secum oraret? Ter Dominus monitis redargutiones adjecerat: ne dixeris, ajebat illi bonus Magister, ne dixeris, te mecum vigilare, & orare non potuisse: *Non potuisti una hora vigilare mecum?* Matth. 14. Gratia quidem mea facultatem hanc tibi impertiebat, ac in uno te positum erat, eadem uti. Quid ergo lapsus illius exitit causa? Petrus restitit gratiæ orationis; ac sopor spiritus illius Salvatoris sollicitationibus prævaluit. Si paulisper vim intulisset sensibus suis ingravescentibus, facilius illi fuisset orare, atque in oratione certum invenisset remedium contra tentationem, quæ illum erat oppugnatura. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. Hoc ipsum nobis accidit, o Fideles, in defectibus nostris inexcusabiles, ne acceptos referamus illos defectus gratiæ, sed nostræ in orando negligentiæ. *Sermo Manuscriptus.*

Quid potissimum expectare debeamus a bonitate illius qui rogamus.

Quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Ab hac divina bonitate non terrena tantum, & mortalia, sed invisibilia, atque incorruptibilia animæ bona expectare debetis: spiritum lucis, ut agnoscatis viam, quæ vobis est ingredienda, atque tuto ambuletis in illa; spiritum contritionis, ut præterita scelera vestra defleatis, atque ex illis emergatis; spiritum fortitudinis, ut corruptæ naturæ, mundi, infernique oppugnationibus resistatis; spiritum submissionis in vitæ hujus adversis, ut hæc patientia vestra consecretis, & ut illis prædestinationis characterem tribuatis; verbo, spiritum sanctitatis, ut omnia officia vestra rite obeatis seu generalia tamquam homines, & Christiani, seu particularia pro variis statibus, ad quos divinæ placitum fuit providentiæ vos accersere, & per quos vos deducere vult, tamquam per totidem calles, ad beatum terminum æternitatis. *Petentibus se.* Verum quibus ille potius spirituales suas largitates effundet, quam cupientibus illas, & illis, qui ad illius genua provoluti ei cordis sui desideria testantur? Si nonnumquam ille nostra prævenit desideria, quid erit cum se urgeri, ac sollicitari sentiet? Suum aperiet sinum, sua tendet brachia, omnesque suas depluet benedictiones: *Quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Luc. 11. *P. Girousl Sermone in Evangelium Chananææ.*

De orationis virtute Deus nihil negare potest petentibus, uti opus est.

Si verum est orationis gratiam nemini deesse; non minus verum est, orationem semper magnam habere vim ad obtinendam gratiam, cujus vi operamur. Jesus Christus hanc suis pollicitus est eo modo, quo nihil amplius potest excogitari. Ecce illius verba, quæ ex iis omnibus, qui in errore sunt, confessionem extorquere debet, salutem nostram nostris in manibus esse, atque in nostra potestate positum nobismet applicare sanguinem Jesu Christi pro nobis effusum. En igitur ejus verba: Luc. 11. *Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris:* Nullus inter vos adeo crudelis pater invenitur, qui filiis salutaria, quibus egent, neget dona; quomodo ergo credere possetis, me sollicitantibus misericordiam meam interiorem negaturum opem, quæ illos deflectat, & moveat? Ad examen revocemus vim horum omnium Jesu Christi verborum, quæ tantum nobis afferunt solatium: *Pater vester;* haud ita, Fideles, qui mihi famulamini, ita sævus non sum, ut ea servis meis imperem, quæ per necessariæ gratiæ defectum adimplere non possint. Pater sum misericors, beneficus, atque quantum fieri potest sublevans jugum, quod suis filiis imponit: *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum.* Non solum igitur precibus vestris ea, quæ corpori sunt necessaria, promitto, sed bonitatem, sanctitatem, spiritus rectitudinem; verbo, gratiam, quam in corda nostra Spiritus sanctus effundit: *Spiritum bonum petentibus se.* Orationi omnia hæc dona reservavi. Petite, sollicitate bonitatem meam, & vobis respondeo futurum, ut Spiritus sanctus in corda vestra effusus omnia vobis efficiat possibilia. *Sermo Manuscriptus.*

Deus non semper audit temporalia bona petentes, & quare.

S. Ambrosius ait, Jesum Christum pro nobis orantem pro nostra dumtaxat salute precari. Quamobrem nisi ad hunc finem orationes nostræ referantur, erunt invalidæ, quia Jesus Christus orationes suas ad id non obtulit; & ratio, quam S. Augustinus adfert, est, quia idgenus bona spei nostræ objectum non sunt. Ne miremur ergo, si in egestate, atque afflictionibus nos relinquit Deus, neque postulantes, atque eum enixis precibus fatigantes exaudit. Scio equidem hoc olim Ethnicis causam præbuisse irridendi Christianos, quos semper in oratione positos, semperque miseros intuebantur. Sed illis

S. Augustinus respondet, hac in re divinæ providentiæ dispositionem facile probari; non vult enim ob id a nobis preces effundi, ut commode vivamus, atque opibus affluamus; Christianus enim non ideo Christianus est, ut in hoc mundo sit felix. Si in oratione sua hanc spem temporalem sibi fidelis proponit, interest illius non exaudiri; temporalia enim flagitans bona, quodammodo se illis privat, quæ ad suam pertinent salutem. *P. Bourdaloue Sermone pro feria quinta post primam Quadragesima Domin.*

Ecce Christiani ad quid preces vestræ redigi debeant, ad æterna bona petenda, cætera enim inutilia sunt, & Christiano indigna. Eheu! si Deus hujusmodi audiet pro bonis temporalibus vota, hoc indignationis esset indicium; similis esset patri, qui ut filii sui cupiditatibus indulgeret, nugas pro hæreditate tribueret. Quid diceres, si tecum ita parentes agerent tui? nolles profecto: & vis a Deo tibi dari nugas, ac fumum pro solidis, verisque donis? Haud ita sane; bonitas ejus non sinit, ipsum te inanibus terræ hujus locupletare thesauris, ne te cœlestibus privet. Imitemur igitur in orationibus nostris Abraham Patriarcham, Deum unum pro mercede petebat, cæterarum autem rerum curam Domino relinquebat. Heu! quandoquidem omnia speramus a Deo, nosmet a terrenis rebus avellamus, quæ saluti nostræ nihilum prosunt: *Multi de Deo sperant, sed non ipsum Deum quærunt*, Sanctus Augustinus inquit. *Idem*.

Mementote, Fratres, necessitatem orandi actum esse religionis, & quomodo in pœnitentia cordis contritio requiritur, ita in oratione mentis attentio postulatur. Sive hæc necessitas immediate, ac directe ex ecclesiæ ipsius oriatur præcepto, quod eruditissimi quidam Theologi sentiunt, seu fluat ex naturali præcepto, quod ecclesiasticum concomitatur, quo jubemur a Deo sancte, ac digne peragere id, quod nobis imperatum est, quod alii docent: quoquo modo se res habeat, hæc sententiarum varietas nihil aliud est, nisi quæstio in scholis pertractata, cæterum in utraque semper æque peccatur. O Ecclesiastici, vos, qui orare tenemini, quam excusationem affertis? liceat mihi dicere, vos munere vestro nequaquam perfungi, si absque attentione oratis, ac multos esse, in quos illud recidat maledictum, quod inimico suo David Psalm. 108. imprecabatur: *Oratio ejus fiat in peccatum*. Ita est, Sanctus Hieronymus ait, hæc verba David erunt plurimorum sententia: preces eorum illis Dei maledicta conflabunt, quia per mentis evagationem effusæ. *Idem*.

Nisi oratio nost. habent virtutem, quam expectare debemus, defectus noster, est non Dei.

Undenam, cum Deus adeo solemnibus promissionibus se postulata nobis concessurum receperit, adeo infrequenter voti damnamur? Quomodo admirabilis hæc virtus, quam Patres orationi tribuunt, hæc facultas omnipotentis iram flectendi, fulmina de manu illius revellendi, & quidquid petitur, obtinendi, conciliari potest cum modico effectu, quem plerumque nostræ obtinent orationes? Avertat Deus, quod hujus rei causam in illum rejiciamus; ipse neque infidelis est in promissionibus, neque impotens, ut fidem præstare non valeat. Potentia illius nullis continetur finibus, & infinita bonitas jugiter illum sollicitat, ut in nos omnia sua bona effundat . . . Ut studio, quod habet sese extrinsecus communicandi, faciat satis, offundat oportet in entia omnia, quæ creavit, & in omnes homines, quos ad imaginem suam effinxit, bona, & essentiæ suæ divitias assiduis largitatibus. Ita cum homines in necessitatibus suis ad illum confugiunt id, quod sibi deest, Impetraturi, si voti rei minime fiunt, sibi imputent necesse est, qui neque ea, quæ oportet, neque eo modo, quo oportet, petunt. *La Fonte, Sermone pro quinta post Epiphaniam Dominica.*

Quinam credi potest, S. Gregorius inquit, a Deo vocem audiri peccatoris Dei vocem audire nolentis; cumque subscribere votis illius, qui per vitæ suæ flagitia divinis indesinenter voluntatibus reluctatur? *Vis Deum te audire in tuis orationibus, cum tu eum non audias in suis præceptis*. Hæc, S. Augustinus inquit, oratio est, quæ Deo non honorem, sed contumeliam adfert; quæ illius iram potius, quam miserationem ciet; quæ gravissimas potius justitiæ illius ultiones, quam bonitatis gratias meretur. Quæ enim impudentia est coram Deo prodire toties, & adeo graviter læso, quin eidem antea ullo pacto fuerit satis factum, & gratias ab illo expetere, cujus odium subisti? Nonne hoc esset judicem irritare, præmium ab illo exposcere, antequam illud eluisses crimen, cujus apud eum reus factus es? Nonne hoc esset principi illudere, insignem aliquem in ditione illius gradum ambire, postquam gravi aliqua infidelitate ex illius gratia excidisti? Pater ferre ne posset citra indignationem filium, a quo magna affectus injuria fuisset, venia nondum petita, facti nullum dolorem testatum per vim ejus hæreditate potius vellet? Mirandum ergo est, nisi Deus eorum preces exaudiat, qui in criminosa vita perseverant, quin inde contendant emergere? *Idem*.

Quænam sunt eorum orationes, qui propter patrata flagitia Dei sunt inimici, & hoc in statu mortiferis persistere volunt? Quomodo Deum Patrem suum vocare possunt, Dominicam orationem recitantes illi, quos pro filiis non habet, & qui indignam divina hac adoptione vitam vivunt? Quomodo loquentes de cœlo, ad illud animum advertunt mortales, quorum omnes cogitationes, & desideria in terræ hujus bonis, vitæque hujus utilitatibus versantur? Quomodo concupiscere possunt, Dei nomen sanctificari, qui illud vitæ suæ flagitiis dedecorant? Quomodo orare possunt, ut in ipsos Dei regnum adveniat, qui illud ex animo, atque cogitatione eliminarunt, & qui in terrenorum gaudiorum perfruitione suam felicitatem constituunt? Quomodo vere desiderant, Dei in se fieri voluntatem, qui suis cupiditatibus, velificaturi eamdem indesinenter impugnant? Nunquid conqueri possunt, ac Deum infidelitatis in promissionibus suis redarguere sibi non concedentem illa, quæ petunt, & quæ adeo parum cupiunt recipere? Nonne sibimetipsis potius debent irasci, atque peccatis suis, quæ, donec illis adhæserint, eos indignos efficiunt, qui Dei gratias obtineant? Utique; peccata eorum divinæ misericordiæ profusiones inhibent, obicem statuunt desiderio, quo flagrat bona sua super eos effundendi. Hoc mirum in modum significavit Jeremias, cum ait, peccata nostra, cum in pravo statu precamur, orationis virtuti resistere, & adversari: *Iniquitates nostræ responderunt nobis*: Jerem. 14. vel juxta hebraici textus vim; *restiterunt nobis*. Innuit autem, cum peccator sine vitæ mutandæ consilio preces fundit, duas simul diversas voces in cœlum attolli, vocem orationis, & vocem peccatorum ejus eo magis clamantem, quo indignior est. Prima illa, quæ ex ore egreditur, pro illo perorat; altera vero, quæ manat ex corde, petitionis virtuti adversatur. Illud vero magis acerbum est, quod altera hæc de superiori victoriam reportat: *Iniquitates nostræ restiterunt nobis*. Scelera nostra petitionibus reluctata sunt, satisque vehementer clamarunt, ne precum nostrarum vox a Domino exaudiretur. *Idem*.

Dei bonitas illum cogit ea, quæ petimus, nobis conferre.

Aliquidne comparari potest cum Deo, qui non solum pollicitus est ea se nobis collaturum, quæ ab illo petierimus, sed qui sæpe cogitationes, & vota nostra prævertit? Quippe ad obtinendas Domini gratias, satis est illas sincere desiderare. Cœli Deus similis haud est terræ hujus principibus, qui sæpe nonnisi post sexcentas repulsas, atque ut magnam, & diuturnam remunerentur servitutem, aliquid donant. Dominus, ut nos suis muneribus augeat, vult solum nos eisdem recipiendis esse dispositos. Ita violento quopiam torqueris affectu? præ desiderio ab eodem liberandi coram illo

ioge-

ingemisce ; ac ipse te liberabit. Hac, vel illa indiges virtute? Eam sincere desidera, eamque tibi elargietur. *Abbas de Monmorel Homilia pro tertia Dominica post Pascha.*

Sincere optandum est, quod a Deo petitur.

Quoties Domino vota nuncupantur, quin animus iis, quæ dicuntur, advertatur, & non sine metu obtinendi aliquando, vel nimis cito id obtinendi, quod petitur? Etenim, si fas est hoc in loco humani cordis evolvere duplicitatem, affirmare possumus, quod sæpe nobismet persuadere conamur, nos semper ea facere, quæ in potestate nostra sunt sita, nobisque idcirco jus esse summa cum tranquillitate in sceleribus nostris versandi, donec ipse Deus aliquo suæ gratiæ miraculo nostra vincula infringat. Ah! si vere id obtinere cupimus, quod imperfecte dumtaxat petimus, labia taceant, & cor loquatur. Cum Propheta Psalm. 37. dicamus: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.* Auferamus obices, qui prohibere possunt, ne id, quod petimus, assequamur: præsertim vero speremus, a Domino ea nobis concedi, quæ sunt ad salutem necessaria, atque tunc, quin elata voce clamemus, *Domine, Domine*, Pater cœlestis, qui ea novit, quibus indigemus, antequam illa petamus, precationem nostram præveniet. *Idem.*

Dei filius ea proprie tantummodo bona pollicitus est, quæ æternæ saluti utilia sunt.

Ne credamus, S. Augustinus ait, cum Dei filius inquit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, pollicitum esse, ea omnia, quæ ab illo petierimus, nobis esse concessurum: quidquid enim desiderari potest, si cum tanto hoc bono comparetur, nihil est. Omnia terræ bona, divitiæ, dignitates, honores, a nobis nihilum existimanda sunt, & proprie loquendo, tamquam mera nomina habenda. Sed gratia Dei, mandatis ejus submissio, cupiditatum suarum victoria, contemptus opum, in prosperis moderatio, in adversis patientia ea sunt, quæ vere sunt a nobis petenda, & quæ non obtinere non possumus, si uti opus est, a nobis petantur. Neque ideo affirmaverim temporalia bona peti non posse; quandoquidem præcipit Dominus, ut singulis diebus quotidianum poscamus panem, ut nos ab illo pendere fateamur, ut omnia ab illo proficisci intelligamus, & nihil nobis esse cognoscamus, quod ab illius manu non receperimus. Sed vult temporalia bona sine sollicitudine flagitari; necessarium numquam nobis deerit, donec secundum christianæ prudentiæ regulas, in illius providentia confidamus . . . . . Verum quemadmodum temporalia bona omnia ferme nocua sunt nobis; Dominus raro illa concedit, licet sæpissime petantur; alioquin enim ageret contra bonitatem, & misericordiam suam, atque, ut ita dicam, non esset amplius Salvator; eatenus enim Salvator est, quatenus necessarias ad salutem operandam gratias nobis procurat. Bonus est pater, qui furenti filio ensem præbere detrectat, quo hic sibi vitam posset auferre; vel id si facit, ideo solum fortasse facit, quia in illum ira succensus est. Cavendum est igitur, ne umquam ab eo hujusmodi petamus bona spiritu cupiditatis, ne ille nos minime exaudiat. *Idem.*

Sæpe orationes nostræ inutiles sunt, quia male petimus.

Alia ratio, propter quam preces sæpe inutiles sunt, hæc est, quia male oratur. Fit habitus recitandi sine ulla attentione, & cogitatione preces quasdam, in quibus cor nescit, quid os proferat, & orans coram Deo est, quin ibi sit. Cor, Sanctus Augustinus inquit, in singula momenta labitur, quin retineri possit, vel prohiberi, ne post imaginationis phantasmata evagetur: attamen quid est oratio, nisi mentis elevatio in Deum? Si orantes seipsos non audiunt, quomodo illos audiet Deus? & si non audit, quomodo exaudiet? Caveamus, ne ita orationibus Deum cum sexcentis voluntariis distractionibus oratio nostra vitio nobis vertatur. *Idem.*

Cum humilitate orandum est.

S. Augustini sententia est, orantes seipsos considerare debere tanquam egenos, humi prostratos ante fores magni hujus Patrisfamilias, gementes, ac supplices, ut aliquid opis obtineant. Hujusmodi dispositiones, quæ, ut Scripturæ vocibus utar, efficiunt, ut quilibet seipsum consideret tanquam hominem & miserum, & infelicem, qui in gravissima laberetur scelera, nisi gratia sustineretur; hujusmodi inquam dispositiones, quam aptæ sunt curandæ vanitati, & superbiæ nostræ, constituentes nos in profundæ humilitatis sensibus, inque summa de viribus nostris diffidentia! Oremus in hoc statu, & certi simus futurum, ut super nos Dei misericordia descendat, prout ad illius solium nostræ precationes ascendent: etenim hic idem status oratio est, qua nullam Deo offerre possumus gratiorem. *Idem in Homilia in Evangelium Dominica quinta post Pascha.*

Oratio certa via est obtinendi a Deo, quæ petimus.

Ad obtinendas, quas a Deo petimus, gratias, nihil oratione certius est: hæc clavis est, quæ nobis reserat cœlos; hæc ad Dei solium ascendit, veluti thus, efficitque, ut Dei gratia roris instar depluat in nos; satis est petere, ut obtineamus, & Dominus nobis spopondit, cœlestem Patrem bonum daturum spiritum petentibus illum. Attamen nisi repente, quod petimus, exoramus; perseveremus in oratione, atque certissime votis damnabimur. *Idem Sermone in Evangelium Pentecostes.*

Deum non orat, qui ab eo terrena, & ad salutem inutilia petit.

Usque modo non potestis quidquam in nomine meo. Quam nova, & inaudita reprehensio, S. Augustinus ait! Neque enim, si evangelium evolverimus, latebit, ab Apostolis plura postulata fuisse. S. Petrus nonne petiit, ut sibi in vertice Thabor permanere liceret? Mater filiorum Zebedæi nonne pro filiis suis primos petiit accubitus, & hi etiam filii nonne quæsiverunt ab eo, ut vellet, ipsos de cœlo ignem elicere ad ultionem de suis inimicis sumendam? Quorsum ergo Deus hæc Apostolis exprobrat? quia quæ ab illis petita fuerant, temporalia tantummodo bona erant, quæ, ut diximus, nullius momenti sunt coram Deo, nisi ad illius quidem gloriam, nostram vero salutem referantur. Petere mansionem in Thabor, sensibilis consolatio est: primas in Jesu Christi regno sedes nullis meritis debitas, aperta est divinæ justitiæ injuria; ignem de cœlo poscere, est animo ultionis desideris fovere. Quid illis a Deo petendum erat &c. *Pater Bourdalove, Sermone de Chananæa.*

Petenda non sunt humilia, & Deo indigna.

Si parva, si humana tantum, ac temporalia petimus, Deo injuriam, non honorem afferimus. Hæc sacrificia quidem sunt, sed illi Cain similia, qui quod in grege pessimum erat, & inter terræ fructus abjectissimum, hoc offerebat. Quemadmodum hujusmodi oblationes Deo erant contumeliosæ, quia præstantiæ naturæ ejusdem pares non erant; ita nostris subirasci merito potest precationibus, quæ adeo humilem liberalitatis ejus adstruunt conceptum. Sicuti viri nobiles sese afficiunt injuria, cum ad ipsos mittuntur munera eo, quem obtinent, gradu indigna; ita debita illos fraudat reverentia, qui ab illis ea petit, quæ ipsos largiri non decet. Quamobrem S. Joannes Damascenus ait, orare non aliud esse, quam petere a Deo illa, quæ ejus deceant magnitudinem: *Oratio est petitio decentium a Deo.* Alia quælibet precatio orationis nomen non meretur, ideoque indigna est, quæ exaudiatur. *P. de la Colombiere Sermone 69.*

Metuendum non est, ne nimium petamus a Deo.

Quid sibi vult, dicet aliquis, evangelicum illud *omnia*, quod tantopere celebratur; nonne cuncta significat? *Omnia quæcumque petieritis, credite, quia accipietis.* Matth. 21. Jesus Christus omnia pollicetur nobis, integrum nobis relicturus maxima quælibet postulare, nobisque suasurus, ut nullis cancellis desideria nostra coarctemus. Multum promisit, ut multum peteremus: promisit omnia, veritus, ne quis nimis parum expeteret. Neque his verbis innuit, ipsum nobis & humillima quæque concessurum, verum non negaturum nobis maxima, & quæ maximo habentur in pretio. *Idem.*

Magnum requiritur desiderii obtinendi quod petitur a Deo.

Enixius orandum est, ut liqueat, impensius optari, quod petitur. Desiderium non levis causa est, quæ Deum ad satisfaciendum nobis impellat: *In auribus Dei*, S. Augustinus inquit, *vehemens desiderium est magnus clamor*. Et ratio est, quia cum aliquid vehementer desideratur, plurimum debemus danti ea, quæ cupimus. Quapropter Deus, qui beneficia sua perdere non vult, & qui illa non effundit in homines, nisi ubi videt liberalitati suæ gratiam parem non defuturam, Deus, inquam, munerum suorum magnitudinem metiri consuevit ex vehementia votorum, quæ scit gratitudinis nostræ mensuram futura. Itaque S. Chrysostomus post Davidem animadvertit, Deum libenter pauperum preces exaudire: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*, Psalm. 10. libenter illis, qui afflicti sunt, propitias aures adhibere: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me*. Psalm. 119. quippe extrema necessitas, quæ hujusmodi homines urget, & impatientia, qua solatium præstolantur, eos cogit impensissimas Domino preces effundere; preces eorum, Sanctus hic Doctor inquit, similes sunt aquis, quæ, quia nimis coarctatæ sunt in tubis, per quos deferuntur, cum impetu erumpunt, ac summa vi sursum prosiliunt. O Christiani, si a Deo propriam conversionem, affectuum nostrorum victoriam, pravorum habituum eversionem, illius amorem, ac paradisum eum ea saltem vehementia peteremus, qua valetudinem, litis victoriam, bona temporalia precamur, ad arbitrium nobis Dei thesauri paterent, omnia vitia nostra sine ullo ferme pugnandi labore vinceremus, totus a facie nostra infernus aufugeret, nobisque Paradisus aperiretur. *Idem*.

Orare omnes possunt, & nemo hac in re prætexere potest ignorantiam.

Quidam suam causantur ignorantiam, quod orare nesciant. Sed quam futilis, pravaque excusatio? Cum quod petimus, ardenter cupimus, natura ipsa in petendo facit eloquentes. Sancti Patres nos ad egenos mittunt, ut hac de re edoceamur; ipsi etiam pueruli hoc nos docere possunt, vix loqui norunt, cum jam precibus suis matres flectere, & urgere didicerunt. Si ad Deum confugeremus cum eadem simplicitate, confidentia, potissimum vero sollicitudine, quam innocentes pueri præseferunt, certum est, nos semper votis iri damnatum. *Idem*.

Orandum est cum sensu humilitatis.

Scripturas evolvamus, ibique plurima hujus veritatis inveniemus exempla, quibus docebimur, eos, qui modum calluerunt, quo Deo preces effunderent, semper ab indignitatis suæ confessione orationum suarum initium duxisse. Daniel testis: *Oravi Dominum Deum meum*, Daniel 9. Cum adversis jactarer, Deo preces meas obtuli. Verum undenam exordium o Propheta precatio desumpsit? Hinc: primum indignitatem meam confessus dixi; Domine, peccatores, atque sanctis legibus tuis rebelles ad te confugiunt: *Confessus sum; & dixi: Peccavimus, iniquitatem fecimus, declinavimus a mandatis tuis*. Testis Esdras, o Deus, tibi preces effundere incœpi ea confusione, qua ex indignitatis meæ intuitu suffusus sum, non audens ad te oculos attollere, propter magnam, quibus obruor, vim peccatorum: *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum*. 1. Esdr. 9. Testis Publicanus evangelicus: *Propitius esto mihi peccatori*. Luc. 18. Superbus Pharisæus methodum hanc servare detrectavit, sibique persuasit, si suam morum integritatem, jejunia, eleemosynas, opera bona ostentaret, se facilius votorum summam consecuturum: sed seipsum fefellit. *Pater Texier in Dominicali, tertia post Epiphaniam Dominica*.

Deus in precibus nostris spectat magis quod nobis prodest, quam quod petimus.

Cum ad Deum non confugitis, nisi ut opes, honores, mundi voluptates consequamini, æquum non est ab illo preces has exaudiri. Nonne ratio illi potius habenda est eorum, quæ sunt vobis utilia, suamque decent magnitudinem, quam eorum, quæ temere postulatis, quæ neque digna sunt votis vestris, & infinita illius liberalitate indignissima? Rex, cui servimus, S. Basilius ait, potestatem habet nullis cancellis circumscriptam, & inexhaustum divitiarum thesaurum. Cæterum generosos fovet sensus, neque majori voluptate perfunditur, quam nos in bonorum suorum partem admittens; gloriatur ille se liberalem, & magnificum in donis esse, cumque in seipso sit magnus, magnus quoque videri vult in iis omnibus, quæ operatur: magnus in bonis, quibus servos suos cumulat, magnus in suppliciis, quibus in hostes suos animadvertit. Hinc conjiciatis, licet, quam illi displiceant orationes, quibus non aliud objectum est, quam quæ vilia, abjectaque in ejus existimatione sunt, & quæ nullo habet in pretio. Magna ergo duntaxat ab illo petite, si vultis exaudiri. Illum dedecore afficit, qui exigua petit & ea, quæ ipse amicis, & inimicis indiscriminatim largitur, quin hæc ab ipso petantur. *La Font, Sermone pro quinta Dominica post Pascha*.

Quomodo liceat a Deo terrena petere.

Neque putes, ubi cœlestia bona præcipuum fuerint orationum tuarum objectum, non licere ad Deum in temporalibus nostris necessitatibus confugere. Dei filius in oratione Dominica docet, quotidianum rogare panem; verum cavendum est, ubi hujusmodi res postulantur, id solum petendum esse, quod est necessarium quin ad ipsas usque delicias, & superfluum procedas; idque non anxie, sollicitequc nimis efflagitandum esse, sed potius summa cum submissione divinæ voluntati, neque enim in omnibus miraculis, quæ in Sanctorum suorum gratiam operatus est Deus, alicubi opiparam, lautamque cœnam videmus. Corvus in lege veteri Eliæ panem tantummodo tulit; & in nova corvus S. Paulo Eremitarum antesignano triginta annorum spatio dimidiatum duntaxat singulis diebus attulit panem. Sed ubi isthæc a Domino petimus, hoc potissimum quæritur, quod illi simpliciter necessitatem nostram exponamus, ejusdem arbitrio integrum relinquentes nobis opem ferre eo modo, quem ille gloriæ suæ, salutique nostræ censuerit utiliorem . . . . . Ita seu nostra repellat vota, seu eadem expleat, semper contenti, ac certi esse debemus, Deum, qui præ nobis melius ea cognoscit, quæ sunt nobis utilia, id collaturum, ex quo uberrimum fructum percipiemus. *Idem*.

Enixe, & sollicite supernaturalia bona petenda sunt.

Deus illos tantum se promisit saturaturum, qui esurierint justitiam, cujus possessio summam nobis parere debet felicitatem; hæc si desit fames, vel sitis, si mundi bona sitiantur, si omnia vota illuc tendant, ut in mundo opes congeramus, frustra a Deo obtinere contendimus gratias, quas ab eodem petimus. Qui tam frigide postulat illas, flocci eas facere videtur, ideoque se illis præbet indignum. Si enim res quo nobiliores, ac præstantiores sunt, eo ardentius optari, enixiusque flagitari convenit, si etiam minima gratiæ bona, quæ toto cœlo omnes terrarum divitias superant, frigide tantum petantur, nemo eas recipere meretur. Eheu! si vere intelligeremus deplorabilem statum, ad quem nos culpa redegit, & quantupere Dei ope egeamus, hanc profecto non adeo languide expeteremus. Siccine pauperes a divitibus stipem exquirunt? Videte, qua sollicitudine, & cura ea petant, quibus indigent; non aeris intemperies, non morbi eos prohibent, quo minus illuc se conferant, ubi eleemosynam distribui sciunt, & cum affecta sunt valetudine, sese trahunt, vel illuc ab aliquo gestari contendunt. Videte, quanta utantur arte, ut omnes ad miserationem flectant modo vulnera sua detegentes, modo mala, quæ non habent, simulantes; egestate ingenium acuente, ut cor eorum, a quibus eleemosynam petunt, permoveant. Unde autem hæc in eorum petitionibus sollicitudo, hæc versutia, nisi ex sensu propriæ miseriæ, & necessitatis? Verum undenam e contra hæc ignavia, quam plerique orantes præseferunt, nisi quod suam spiritualem parum sentiunt necessitatem? *Idem*.

Unde-

Non semper obtinemus, quæ petimus, quia male petimus.

Undenam fit, quod adeo frequenter Dei subsidium frustra imploramus; cumque ab illo quotidie plura petamus, nihil obtinemus? S. Jacobus Apostolus hoc verbo docet, quia non petimus, uti opus est, & quia orationes nostræ numquam fere eas habent dispositiones, quæ requiruntur, ut quemadmodum oportet, petatur; *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Jacobi 4. Oratio rivus est, per quem divina bonitas efficit, ut in nos omnes ipsius gratiæ, ac benedictiones emanent. Si aqua ubertim non defluit, hoc minime vertendum est vitio fonti, perinde ac exhaustus sit, sed rivo, qui corruptus est. *Auctor Sermonum Christianorum, tomo 3. Sermone de oratione.*

Dei verbum, & oratio differunt, licet utrumque valde sit potens.

Orationi idem non accidit, quod verbo Dei, licet utrumque incomparabilem habeant virtutem, atque potestatem, & utrumque a Sanctis Patribus vocetur omnipotens Dei verbum, quod ut plurimum est efficax, quamvis manet ex ore nefarii præconis, qui illius organum esse non meretur, & quamvis nonnumquam impuris prolatum labiis, sacramenta nihilominus, & mysteriorum omnium augustissimum operatur. Sed vox peccatoris in oratione hac vi caret, nisi cor sit conversum ad Deum, sed in peccato velit permanere . . . . . . Si coram me acceditis, ut aliquid pietatis corde iniquitatis, manibusque cruore madentibus, frustra illas attollitis, non respiciam; frustra preces iteratis, non audiam: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestra sanguine plenæ sunt.* Isai. 1.

Nullus Monarcha Deo par est liberalitate; & quo sensu ad illum confugiendum sit.

Petite, & accipietis; quærite, & invenietis. Quisnam rex, quisnam imperator tanta cum bonitate subditos suos allocutus est? Terræ hujus principes divites sunt bonis, quæ ex ipsis subditis recipiunt; verum liberalitate sua exiguum mortalium numerum, quem delegerant, cumulant; alioquin suos exhaurirent thesauros, ac seipsos ad paupertatem redigerent. Salomon ipse magnus ille rex, tanta renidens gloria, totque opibus dives, quæ illi ab extremis terrarum oris advehebantur, numquam tale protulit verbum..... Sæpe accedendum est ad ostium magni Patrisfamilias, conandum est, ut illum ad miserationem flectamus frequentibus precibus ob oculos ejus egestatem, atque necessitatem nostram exponentes. Egenus in terra præ foribus vestris stat, neque satis putans, si a vobis eo corporis habitu videatur, qui vos flectere potest, querulum addit vocis tonum, ut poscat eleemosynam. Hoc vestrum esse debet exemplar, & quin satis esse puteris cognitionem, quam de rebus omnibus habet Deus, opus est, ut in vestræ egestatis sensu illi cum Davide dicatis Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper. Liber, cui titulus: Vera orationis idea; parte 1. c. 4.*

Omnia nobis speranda a Dei bonitate, quæ præsto est ut quidquid petierimus nobis concedat.

Usque modo non petistis quidquam, dicebat Salvator discipulis suis apud S. Joannem cap. 16. Si hujus terræ princeps hoc vobis exprobraret, quam longe, lateque sese desideria vestra proferrent? quæ bona vos consecuturos speraretis? Tu qui castra sectaris, jam provinciarum regimen, exercituumque imperium animo præriperes; tu, qui ecclesiasticum amplexus es statum, jam insignium beneficiorum, & Episcopatuum possessionem tibi promitteres; tu, qui affinitatem quæris, jam ex amplissimis regni familiis conjugem tibi despondere. Hoc autem sine ulla exceptione rex cœli promittit: *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis*. Matth. 11. Vos tamen omnes elabi sinitis dies, quin ullum supplicem libellum illi porrigatis, numquam cum illo de necessitatibus vestris loquimini, ac obstinato animo nihil ab illo petitis. Nonne hoc est illius contemnere bonitatem, & amori illius injuriam inferre? *Idem.*

Omnia a Dei bonitate expectare debemus, postquam nobis suum tradidit filium.

Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ad Rom. 8. Æterne Pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, si cum tui aperti eramus inimici, ac palam tibi peccatis nostris bellum inferebamus, pro nobis dilectum tradidisti filium, ut nostra esset pax, atque reconciliatio; quomodo aliquid nobis negare posses, nos in vivæ contritionis sensu prostratos videns, atque in orationum nostrarum fervore sanguinis illius merita prætendentes, ut accedamus ad te, opemque nostris necessitatibus imploremus? Certum est, licet eo fervore, quo Seraphim ardent, preces effunderemus, tibi majorem esse donandi, quam nobis recipiendi cupiditatem. *Idem.*

Pericula, & occasiones, in quibus versamur, cedendi Deum nos cogunt, ut indesinenter oremus.

Vos, qui illum non agnoscitis statum, qui orationis exercitationem adeo necessariam, atque inevitabilem facit; vos, qui inter tot pericula, in tanta noctis caligine, & secus oram adeo terribilis præcipitii, tot mortalibus oppugnat inimicis tuto ingredimini, quin Dei opem flagitetis, ut liberemini, scitote nullam vestra majorem esse cæcitatem. Non cæci solum estis, sed audeo dicere, pro infelicitatis vestræ cumulo sensu etiam carentes. Si enim in vera illusione versaremini, sexcentas videretis occasiones, quæ sese vobis objiciunt quotidie, & in quibus modo impatientia vos rapi sinitis, modo contra Deum murmuratis, modo ob injurias succensetis, modo in gravissimum mœrorem, vel immodicam lætitiam erumpitis, modo pravos sermones profertis, pravasque fovetis cogitationes. Nonne vobis id faciendum esset, quod S. Petrus Apostolus explicitis verbis etiam, atque etiam fidelibus omnibus commendat, ut in oratione vigilent, ac religioso perciti terrore propriæ infirmitati sæpe Deo dicant: *Ne nos inducas in tentationem?* Si ad Deum crebro confugeretis, sanctum vobis compararetis habitum semper vobismetipsis invigilandi; atque divina ope roborati de inimicis omnibus victoriam reportaretis. *Idem.*

De Chananææ fiducia, & perseverantia.

Albertus Magnus animadvertit, Dei filium nequaquam ab eo substitisse, quod mulier Chananæa ab ipso petiit, filiæ videlicet illius curatione; & sane omnipotentiæ suæ usum nequaquam in hoc uno effectu coarctavit dicens: *Fiat tibi sicut vis*. Matth. 15. Quod petis fiat, sed fiat *sicut vis*: quidquid cupis sine ulla exceptione; omnipotentia mea pro te est rebus in omnibus, illius usum tuæ voluntati relinquo, quin ullos illi cancellos constituam: *Non ponis metam ei, quæ in fide terminum non habuit*. Merces merito respondet. Nulla fuit repulsa, contemptus, injuria, difficultas, vel nulla etiam in speciem impossibilitas, quæ mulieris hujus confidentiam coarctare, & imminuere potuerint: hos omnes obices fregit, omnes terminos superavit. Ita Jesus Christus potestati, quam tribuit ejus orationi, propter confidentiæ pretium nullos constituit fines, omniaque sine limite, atque exceptione illi concedit. *Maimbourg. in Quadrag. Sermon. in Evang.*

De perseverantia in oratione.

Certi vos a Deo impetraturos quidquid ab illo petieritis, quæcumque difficultas occurrat, orate, urgete, pulsate, perseverate, ac importune, indesinenter, incessanter, sine intermissione, sine induciis Deum sollicitate; non secus ac importunus ille felix, qui ad fores amici noctu pulsare non cessat, quantumvis increpetur, & exprobretur, donec tres panes acceperit; uti evangelica vidua, quæ usque persecuta est judicem, a quo rejiciebatur, donec illum invitum coegit, ut sibi jus diceret. Confugite ad potentes patronos, qui causam vestram tueantur. Quodcumque eveniat, vosmet humiliate, confundite, & indignos Dei gratia vos esse fatemini: humilis hæc, & fervens perseverantia orationem vestram efficiet omnipotentem. *Idem.*

Fervor in precibus adhibendus.

Si orationes vestræ languidæ, frigidæque fuerint, si caruerint sancto illo fervore, sine quo attolli non possunt, credendum est illas numquam exauditum iri, & semper optato exitu carituras. Oratio lingua est, vox, & sermo cordis; si cor vivum est, & fervens, oratio viva est, & animata; e contra vero si hæc frigida est, argumentum est, cor quoque frigidum esse, atque parum, vel nihil omnino

cupe-

cupere id, quod per orationem videtur optare. Verum ullus ne major constitui potest obex effectui, quem illa habere deberet, quam interiori dispositione testando, ea, quæ petuntur, nullo in discrimine haberi? & nonne hoc est medium statuere parietem inter orantem, & eum, cui oratio dirigitur, quasi obicem interponere velletis, ne illa ad eum usque perveniret? Nonne videtis, hoc frigus, hunc languorem Dei iracundiam excitare, ac vos ea ope destituere, quam ab illo expectare debetis? Hæc ratio est, propter quam hominum plerique in irritum suas preces effundunt, & quin preces ipsorum illis sint utiles, tepor, & acedia, quæ eas concomitantur, ipsorum damnatio est, ac certissimum argumentum, quod ab ipsis gratia a Deo sibi oblata contemnatur. *Abbas Trappensis tomo 4. Collationum collatione pro die solemni Sanctorum ordinis S. Benedicti.*

A Deo quidem generatim petimus, eumque obtestamur, ut nostri misereatur, ut nostra peccata dimittat, verbo, ut nos salvos faciat; sed minime quæritur, quarnam ingredienda sit via ad has omnes gratias obtinendas. Quia enim enixis precationibus flagitat Deum, ut sibi injuriarum perferendarum, inimicorumque diligendorum virtutem præbeat? quis vim precatur opum, honorumque contemnendorum, pauperisque, & humiliatæ vitæ ducendæ inter eos, qui gloria, & honore coruscant, cum inter illos ob status sui officia versari tenetur? Denique quis importunis, assiduisque precibus fatigat Deum, ut sibi amorem impertiat ignominiarum & opprobriorum, quæ nullo modo sejungi possunt ab ea necessitate, qua fideles crucem gestare tenentur &c. *Idem.*

Vult Deus orari, quamvis per se beneficus sit.

Deum nobis benefaciendo suapte natura propensum esse, in dubium revocari non potest. Nos illius creaturæ sumus; neque ille nos creavit, ut mox derelinqueret. Ad finem supernaturalem evexit, atque pares effecit, qui illum in omnem æternitatem possideremus; & quia per primorum parentum lapsum ex hac excideramus dignitate, ipse nos inaudito bonitatis exemplo elevavit de cœlo in terram descendens, ut lapsis tenderet manum. Infinicia ipse nos gratiis prævertit, quin illas petierimus, vel petere potuerimus: hæc præstantissima sunt studii ejus erga nos, & benevolentiæ argumenta. Verum orari etiam vult ob alios favores, quos ab illo petere & possumus, & debemus, ut nostram agnoscamus submissionem, eamque palam testatam faciamus. Scit ille, quid sit nobis necessarium, & nihilominus hortatur, ut precibus apud eum laboremus. Mundi Salvator apud S. Matthæum c. 6. dixit: *Scit Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quid autem inde illaturus suisse videtur? Hoc profecto: non est ergo cur eum precemini, quandoquidem vobis studet, & melius quam vosipsi necessitates vestras agnoscens, illis proculdubio prospiciet. Verum prorsus oppositum arguit: *Sic ergo orabitis.* Scit ille quidem, quid vobis sit opus, & orari vult. *P. Duneau sermone pro feria secunda post quartam Adventus Dominicam.*

Pauci Christiani Deum orant.

Quomodonam plerique vivunt Christiani? Mane consurgunt, capite sexcentis negotiis ea die agendis, transigendisque impedito. Vix suis sese vestibus ornarunt, cum mercator ad tabernam suam, artifex ad officinam, causidicus ad chirographa, negotiosus homo ad obeunda negotia proficiscuntur, & illi, quibus nihil est, quod agant, ad libidinum, ganearumque suarum sodales se conferunt, atque suis tantum solatiis indulgent. Reliqua diei pars inutilibus occupationibus teritur; vel si necessariæ sunt, nihil ibi nisi utilitas, & voluptas propria, non autem Dei honor inquiritur. Vespere diurno fatigati labore requiem tantummodo concupiscunt. Hoc pacto dies incipitur, traducitur, absolvitur que sine oratione, & quin de Deo ne cogitetur quidem. Quomodo autem vultis illi curæ esse negotia vestra, vel ipsum eam vobis opem præbere, quam non petitis, immo ne petere quidem cogitatis? Ad eum ascendere debetis, si illum ad vos descendere vultis. Non descendit ejus misericordia, nisi vestra ascendat oratio: *Ascendat ad te Domine oratio mea, & descendat super me misericordia tua. Idem.*

Fervor in oratione adhibendus.

Facite, ut oratio vestra sit clamor cordis vestri, ut ex illius sensu procedat, ut illius ardores, atque affectus explicet; vel potius, ut Spiritus sanctus illam ibi efformet operationibus suis prorsus divinis, interius os vestrum aperiat, linguæ motum tribuat, verba labiis suggerat; hæc enim sola digna sunt majestate Dei, atque exaudiri merentur. Quantum in vobis est, efficite, ut os vestrum illo exardescat igne, de quo loquitur Propheta cum ait Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Ab oratione vestra omne frigus, distractionem, languorem, acediam repellite, & numquam ad Deum accedite adoraturi, nisi omni conatu, totaque animæ plenitudine, ut oratio vestra non magnitudini solum illius, quem oratis, verum etiam magnitudini, ac multitudini necessitatum vestrarum respondeat. *Abbas Trappensis Tomo 1. de vita Monastica c. 11. de Oratione.*

Defectus fidei, & confidentiæ in oratione.

Orationes nostræ pluribus scatent defectibus; sæpe enim neque fidem habemus neque confidentiam. Oramus quadam consuetudinis specie, sed mens dubitationibus referta, est. Inconsulto preces effunduntur, quin Dei vel potentia, vel bonitas consideretur. Ad Deum confugimus, cum homines deficiunt; & Deus semper postremus est, cui vota nuncupentur. Auxilium petitur a consanguineo, ab amico, illis habemus fidem, in eorum promissione confidimus. Promittit Deus, eique non creditur. Quantulamcumque potestatem habeat homo, qui nobis gratiam aliquam pollicetur, ita infirmi sumus, ut illi statim fidem adhibeamus; quantumvis omnipotens Deus sit, ut nobis opituletur, semper ita miseri sumus, ut dubitemus. Superbia nostra efficit, ut in nobis tantum confidamus, utque a nobis omnia, a Deo nihil expectemus. *Specimina Sermonum Quadragesimæ Sermone pro feria 5. post 1. Quadrages. Dominic.*

Sunt peccatores, qui a Deo suam petunt conversionem, & nolunt converti.

Cum peccatores in sceleribus suis permanere decreverunt, inutile est, ipsos orare Deum, ut cor eorum tangat. Deus illos non tangit, voluntas quippe illorum secreto oppositum dicit eorum, quæ os loquitur, atque orationem suam, eodem tempore, quo illam proferunt, arguunt mendacii. Etenim hoc nonne est Deum impotenter illudere, potiusquam rogare; dicere, converte me, Domine, simulque hæc proferendo verba, converti nolle, immo turpe commercium servare, & in proxima peccandi occasione subsistere velle? Attamen nihil in mundo hujusmodi peccatorum genere frequentius est: perfunctorio aliquo stimulo permoti, terribilibus aliquibus exemplis perterriti, fatigati pondere iniquitatis, vellent illi quidem liberari noxiis habitibus, inordinatis affectibus, turpibus commerciis; verum nullum exerunt conatum, ut sua vincula infringant; nullum movent lapidem, ut pravos habitus exuant. Hunc cordis eorum situm, non speciosam orationem labiorum, Deus audit. *Ibidem pro tertia Adventus Dominica.*

Oratio magis necessaria est illis qui in mundo versantur.

Nullus est vitæ status, ubi oratio sit magis necessaria, quam in mundo, ac illis, qui mundi hujus commerciis, negotiisque impediti sunt. Oratio, & gratia duo sunt simul ita conjuncta, ut invicem nequeant separari; oratio gratiam prævertere debet, atque præcedere; gratia effectus est orationis, & ipsius etiam principium. Quæ cum ita sint, nonne liquido constat, nullum esse vitæ statum, in quo magis necessaria sit oratio, quam in mundo; quandoquidem ibi opus est gratiam vehementius operari, ut nos victores, atque in bono perseverantes efficiat? Mundus est cæcitas spiritus, & cordis obduratio: confugiendum est igitur ad orationem magno cum ardore, ut mens quidem illustretur, cor vero incalescat per gratiam, quæ

non-

ponnisi oratione obtinetur. *Ibidem pro quinta Dominica post Pascha.*

Oratio nos tutos facit inter vitæ hujus scopulos, atque pericula.

Cum cogitamus, nos orationis ope tuto incedere posse tot inter scopulos, qui latent in mundo, & indutos his armis, quæ toties victoriam retulere, certos nos esse triumphi de salutis nostræ hostibus referendi; ubi primum animam nostram ad Deum elevamus, cœlum universum pro nobis ad arma descendere: a Deo tamquam oculi pupillam servari eum, a quo fidenter oratur; cum hæc inquam cogitamus, animoque revolvimus promissiones, quas toties & Deus iteravit, & nos experti sumus, cœlestis erga eos protectionis, qui eamdem implorant, fateri cogimur, si perimus, nostræ tantum negligentiæ interitum esse referendum. Non injicit nobis Deus prolixarum orationum necessitatem, quibus fortasse pares non sumus: simplex cordis motus, simplex animæ nostræ erga illum intuitus, secreta auxilii ejus invocatio, humilis miseriæ nostræ expositio satis est, ut illius protectionem obtineamus; sed mori malumus, quam medici opem exposcere. Hæc erit nostræ damnationis causa; hæc negligentia sola satis erit, ut nos nocentes efficiat. *Idem.*

Oratio constat in gemitu cordis potius quam in verbis.

Ex S. Augustini sententia, oratio Deo accepta non est nisi cum gemitu cordis consociata. Multum orare non est multa proferre verba: oratio, quam cordis motus producit, & elit, longe alia est ab illa, cujus prolixitatem verborum multitudo constituit. Idem S. Doctor egregiam nobis adstruit orationis ideam, cum ait, quoddam esse negotii genus, quod gemitibus potius, quam verbis, & multiloquio transigitur: *Negotium hoc plus gemitibus, quam sermonibus constat.* Cum gemitu orandum est, quia afflicti, ægrotique sumus; nisi ergo ingemuerimus, hoc ex noxia tantum oriri potest ignorantia, quæ crudelissimam stupiditatem numquam excusabit. *Ibidem pro 11. post Pentecosten Domin.*

Cui rei innitatur certitudo obtinendi quodcumque petierimus.

Virtus orationis non uni innititur bonitati Dei, verum etiam illius fidelitati; cum igitur adeo solido sit fundamento suffulta, umquam ne deficere potest? *Amen, Amen dico vobis*, Salvator ait, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Deus fidelis est, inquit Apostolus, fidem non præstare non potest: & non pollicetur solum, verum etiam interposito jure jurando pollicetur se nobis concessurum, quidquid petierimus in nomine illius: numquid necesse erat jurare Deum, ut illi credere teneremur? Quis honor pro nobis est, Tertullianus ait, habere Deum pro nobis jurantem! at quanam illum afficimus contumelia, si juranti non credimus? Et nonne eidem nequaquam credere videmur, adeo timide, adeoque parum fidenter ad eum accedentes? Ambigere de orationum nostrarum effectu, ubi cum vera confidentia conjunctæ sunt, ambigere est de fidelitate Dei, cui per hoc injuriam inferimus; sed quanam & nosmetipsos injuria afficimus! De fidelitate Dei dubitare, hoc est prorsus esse infidelem. *P. Nepveu tomo 1. Christianarum Considerationum.*

Virtus orationis ex meritis Jesu Christi.

Virtus orationis super Jesu Christi meritis fundata est; potestne solidius habere fundamentum? Quidquid ecclesia petit, & quidquid cum illa petimus, per Jesum Christum petimus, per merita illius petimus, ideoque si fidenter oremus, non exorare non possumus. Jesus Christus nobiscum petit, quidquid per illum petimus: numquid hoc illi negare potest Pater jure petenti id, quod per misericordiam suam pro nobis promeruit? Quid autem non promeruit, quandoquidem merita illius sunt infinita? Nihil est, quantumvis magnum, ac difficile videatur, quod petere nequeamus, & quod nos impetraturos sperare non possimus, ex quo illud per Jesu Christi merita flagitamus. *Idem.*

Orationis vis, & potestas.

Orationis potentia nullis finibus est circumscripta; quippe in cœlum, terramque sese extendit, quin ulla creatura, immo neque Creator ipse illi resistere valeat: & non secus ac ille unius vocis imperio omnia creavit, nos quoque omnia facere, & obtinere possumus humilis, supplicisque vocis virtute. Et sane putabam, mortem, quæ de omnibus mortalium artibus victoriam refert, & quæ imitatur potentissimorum Imperatorum in abjectissimum quemque potentiam: putabam, inquam, mortem superari non posse. Sed cum in Scripturis video Ezechiam orationis vi eam repellentem, atque in annos quindecim procul arcentem, fateri cogor, orationem longe potentiorem esse hac rerum omnium triumphatrice. Credebam mare, furens hoc elementum, domari non posse; quandoquidem fortissimo cuique formidinem, palloremque affert, cum magno impetu suos fluctus attollit: verum ubi intueor Moysem, illum orationis virum, virga sua illud bifariam partiri, ut populo Dei inter illius fluctus viam aperiret; hæc est, tunc inquio, virtus orationis, quæ divinam imitatur potentiam totum Oceani furorem in arenæ cumulum allidentem. Cœlos, ac sydera spectans, quorum motus adeo bene instituti sunt, ac semper sibi constantes, fieri nequaquam posse arbitrabar, ut vel unum moræ, aut celeritatis momentum illis posset inferri; sed Josue historia doctor, potestatem hanc orationi reservatam fuisse: hic enim imperator Solis cursum remoratus est, ut cœptas persequi posset victorias. Exercitus in aciem dispositi terribiles habere vires mihi videbantur; efficiunt enim, ut urbes, provinciæ, regna contremiscant; sed ubi prospicio Moysem in montis vertice oculis in cœlum sublatis, expansisque brachiis, quasi victoriæ lancibus, prout enim hæc attolluntur, vel demittuntur, ita Israelitæ varia belli fortuna decertant, cum S. Ambrosio dicere possum solam orationem exercitum esse in inimicorum omnium spiritum, animumque metum, terroremque incutientem. Denique mihi persuasum erat, varios vitæ hujus casus, pestem, famem, siccitatem, sterilitatem nullis posse remediis repelli: verum ubi agnosco orationem omnibus hisce malis mederi, hæc flagella avertere, eorumque inhibere progressum, iterum dico orationem omnipotentem esse, ejusque vim nullis esse terminis circumscriptam: *Omnipotens oratio, cum sit una, tamen omnia potest*; eruditissimus inquit Theodoretus. *Ex Sermone Manuscripto.*

Nomen Patris quod erga nos assumit Deus, jus nobis tribuit omnia petendi.

Patris nomen non amoris tantum est; verum etiam liberalitatis; secreto enim, & naturali affectu, quidquid pater possidet, hoc filio suo destinat, qui exhæredari non potest, nisi enorme aliquod scelus patraverit, quod omnino patriam fatigaverit, exhauserit que bonitatem illius, a quo vitam accepit. Videmus etiam, cum quidam filiis orbatus est, molesta illi esse bona sua, neque eam inde percipere voluptatem, qua perfunderetur, si hæredem videret, cui illa relinqueret: adeo verum est, quod esse patrem, & esse bonum, duo sunt, quæ separari non possunt, ita ut parentum opes filiis deesse nullatenus possint. Hinc sequitur, quod Deum Patrem vocare nobis quamdam juris speciem confert, propter quod ab illo omnia expectare, atque sperare possimus, ideoque omnia, quæ nobis opus fuerint, ab illo petere. Esto quidem quæ petimus, non debeantur nobis, propterea quod merita nobis deficiunt: sed quod ad Patrem confugimus, hoc efficit, ut certi simus impetrandi, & Deus postulata concedens justitiæ potius, quam liberalitatis actionem facere videatur. Hoc S. Chrysologus innuit per hæc verba: *Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore, ipse qui intervenit, & exorat affectus.* *Ex Quadragesima P. Grisel 8.*

Petere in nomine Salvatoris certa via est obtinendi, quod petitur.

Dei filius de orationis virtute certos nos fecit, cum in Apostolorum persona nobis spopondit futurum, ut obtineremus, quidquid in nomine ipsius Patrem poposcerimus: cum enim unice a Patre diligatur, Pater filii sui nomen audire non potest quin sua viscera commoveantur, nobisque ea omnia concedat, pro quibus filius intercessor existat: *Cito annuunt, qui suo ipsi amore superantur.* Salvianus

vianus ait. Nemo promptior est concedendo, quam qui amat. In Deo omnia quidem fortia sunt; nihil infirmum est, qua facile queat expugnari; verum si de Deo humano more loqui fas est, hoc in Deo infirmum esse dicerem, nomen videlicet Patris Salvatoris, quem tanto amore complectitur, ut illum proferentes certi sint, se votorum summam consecuturos. Et S. Chrysostomus asserit hoc esse veluti dignum amoris sui pignus; & donec hoc nobis pignus fuerit, audacter a nobis peti posse, quidquid voluerimus. *Idem*.

Sæpe injusta petimus, quæ Deus juste negat.

Exaudimur, S. Augustinus ait, solum quia petimus in nomine Salvatoris; & nihil in Salvatoris nomine peti potest, quod sit saluti contrarium. A Deo petis injustæ litis victoriam; hoc nonne est recens addere scelus, velle efficere Deum injustitiæ tuæ ministrum, atque consortem? Petis bonam valetudinem, & opes, quas prænoscit Deus impedimento futuras saluti tuæ, eo quod nimium illis adhæsurus es, iisque abusurus; hæ non gratiæ tibi forent, sed pœnæ. Deus has negans te exaudit. Bona te poscere putas ea petens, quæ tibi mala futura sunt, & quorum carenda maximum bonum est. Non exaudit ille verba tua, sed desideria. Cupis esse felicem, sed bona, quæ flagitas, nocentem te facerent, ideoque infelicem. O Domine, nega mihi, quodcumque saluti meæ contrarium poposcero; hoc pacto exaudiri cupio. *Idem*.

Necessitas felix est debere orare.

Felix necessitas, quæ orare nos cogit: oratio enim confessio est nostræ submissionis Deo, nostræque egestatis, qua opem illius tenemur exquirere; frequens est recursus ad Deum, qui nos cum illo conjungit; argumentum est nostræ in eo confidentiæ, & jugis exercitatio humilitatis. Potestne majus nobis conferre bonum Deus, quam nullum nisi per orationem bonum concedere, quandoquidem tanta per illam nobis bona concedit? *Idem tomo tertio*.

Oratio ad malum vitandum necessaria.

Oratio non minus ad evitandum malum, ac repellendum necessaria est, quam ad bonum faciendum; ideo voluit Jesus Christus precationi, quam ipse nos docuerat, finem imponi petendo, ut nos liberet a malo, sed potissimum a malo summo, quod peccatum est. Cum fragiles simus, atque infirmi, ac natura ipsa in malum proni, non aliud in nobis ad infirmitatem hanc roborandam, & funestam hanc proclivitatem reprimendam robur est, quam oratio. Ita Salvator prævidens terribilem tentationem, qua Discipuli in ejus passione oppugnandi erant, edixit, vigilantiam, & orationem dumtaxat adjumento eis esse posse, ne laberentur, quod cum neglexissent consilium, adeo graviter lapsi sunt. Verum nequaquam minus necessaria est lapsis, ut consurgant. Peccator similis est paralytico, qui omnibus membris captus solum habet linguæ usum, quo suam exponat infelicitatem, & opem exposcat. *Idem*.

Perseverantia in oratione necessaria.

Mirum est, quod cum homines adeo pertinaces sint in incertis, fluxis, abjectisque hujus mundi rebus inquirendis, sint adeo impatientes in perquisitione salutis suæ quæ bonorum omnium possessionem, & ab omnibus malis immunitatem complectitur. Quis non movetur lapis apud principes gratiarum dispensatores, ut aliquod ab ipsis beneficium obtineatur? Quæ sollicitudo, quæ cura non adhibetur? Quæ sese illis ostentandi diligentia? quod quidem jugis orationis habet locum; nam hæc actio satis palam per se loquitur, ejusque sensus intelligitur. In hoc autem quænam superandæ sunt difficultates? quibus periculis temet non gloriaris objicere? & post hæc præclare tecum actum putas, cum post multos laborum annos illud, quod tamdiu concupiisti, consequeris. Cur hoc? quia id vehementissime desiderabas. Nonne ergo patet, si fatigamur, & impatientes sumus in iis, quæ ad salutem pertinent, hanc a nobis frigide optari, neque tangi metu interitus nostri, atque ita qualibet vel minima difficultate, quæ occurrat in via, nos deterreri. Ne hoc quidem non est imitari Chananææ exemplum, cujus spes, atque proinde oratio ad minimam Jesu Christi repulsam nequaquam frigescere visa est. *Ex specimine moralis. Tomo 9. in Evangelium Chananaæ.*

Finalis perseverantia orationi conceditur.

Finalis hæc perseverantia, ad quam Angelorum, Sanctorumque merita pervenire non possunt; hæc gratia, quam Deus neque pœnitentium lacrymis, neque virginum pudori, neque martyrum cruciatibus promittere voluit, illam orationis suspiriis spopondit: *Petite, & accipietis*. Petentes illam quidem assequemini; non petentes autem, periculum est, ne illam consequamini. Si communem providentiæ ordinem intuemur, quædam sunt gratiæ, quas consuevit Deus offerre hominibus ne petentibus quidem, qualis est, ad fidem vocatio; verum aliæ sunt, quas præparavit illis, & quas eisdem conferre vult, sed numquam conferet, nisi, ut opus est, illas petierint; quo in numero finalis est perseverantia. Quænam est felicitas nostra, si voluerimus! etenim ut æternum beati simus, hoc petamus satis est, &, uti opus est, petamus; hoc enim illud est, quod sedulo est animadvertendum. Hoc igitur pacto petere, primum est petere cum firma spe, nulla enim sine spe esse potest oratio. Volens Deus finalem a nobis peti perseverantiam, vult etiam nos sperare futurum, ut eam precibus nostris largiatur. Secundo est, illam perseveranter, atque ad ultimum usque suspitium petere. *P. Gezon, tractatu de præparatione ad mortem.*

Orationibus necessarias conditiones non habentibus Deus læditur potius quam flectatur.

Nihil frequentius videtur, quam qui divinam majestatem offendunt orantes, quin illi cultum adhibeant. Orationes, quibus desunt qualitates, & conditiones necessariæ, divinam misericordiam avertunt, quin illam concilient; & si quid indicio est, quod nullo in discrimine habetur, utrum ea, quæ petuntur, obtineantur, necne, hoc sane est frigide, & negligenter orare. Clamores violenti sunt, cum acria sunt desideria, cumque desideriis hic fervor deest, non alia afferri potest causa, nisi quod vere minime ea afficimur re, quam postulamus.

Ullane coram Deo major nequitia esse potest, quam precari, ut eas nobis gratias impertiat, quas ipsi negligimus, & quæ ut nobis concedantur, non laboramus? Hæc est causa, propter quam tot preces inutiles sunt, propter quam tot mortales, qui labiorum motu loquuntur, exteriorique corporis habitu in supplicum morem compositi sunt, minime exaudiuntur. Ideo non obtinetis, Spiritus sanctus ait, quod male petitis, & quod oratio vestra iis est dispositionibus destituta, quibus opus est, ut exaudiatur. *Abbas Trappensis in explicatione regulæ Sancti Benedicti.*

Quanta sit hæc gratia, qua permittit Deus, ut illi preces offeramus.

Considerate, quantæ sit utilitatis, non aspernari hanc gratiam, quam summa cum facilitate, adeoque modicis sumptibus obtinere potestis, precibus videlicet ad ipsum Deum confugiendi, atque ab illo toties, & quamdiu vobis placuerit, audiendi. Ad hoc neque magna requiritur scientia, neque industria; satis est egere, & miserum esse, ut orare scias. Si Dei dona bonorum, voluptatum, & valetudinis ipsius pretio comparanda nobis essent, numquid vel paulisper hærendum esset, utrum ista conditione a nobis essent acquirenda? Cum autem certi simus nos dona eadem adepturos esse, dummodo illa petamus, quænam esset ignavia, quæ stupiditas eadem non poscere? Illis maximopere indigemus, atque ita in nosmetipsos crudeles sumus, ut necessarium nobis subsidium negemus. *Fromentiere Sermone de Chananæa.*

Ut oremus quomodo oportet, considerandum est pretium rerum earum, quas petimus.

Considerate pretium rerum, quas postulatis, & modum, quo postulatis. Dei possessionem, gloriæ hæreditatem, beatitudinis hæreditatem petitis; nihil majus petere potestis, & nihil minus petere debetis. Verum quomodonam ista poscitis? Aliquando ne animum quidem advertitis ad ea, quæ precamini, & meruitis immo, ut quæ precamini, obtineatis? Gratiam flagitatis, & peccatum relinquere non vultis, poscitis felicitatem, & nihil aggredi vultis, ut ad eam perveniatis. Hinc est,

quod

quod votis nequaquam damnamini, quia quæ petitis, non optatis; & secreta quadam cordis, labiorumque oppositione, vobismet in orationibus vestris pugnatis, ac vosipsi petitionum vestrarum effectum prohibetis. *De la Volpilliere Sermone de Christiani exercitio.*

Ex necessitate, in qua nascimur, discere deberemus a Domino petere ea, quibus indigemus.

Cum homines in egestate nascantur, nascuntur, ut ita dicam, in labiis orationem ferentes, & hunc loquendi modum, antequam ad loquendi ætatem pervehiant, ediscunt. Hæc ars est, quam natura nos docet, & hoc primum subsidium est, quod afferat nobis, ut egestatibus nostris subveniat. Ita paupertas, quæ nobis ingenita est, atque, ut ita dicam, domestica orationis usum nobis efficere debet familiarem.... *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; Psalm. 15. atque in teipso rerum omnium abundantiam nancisceris; verum Deus quoque meus es, quia ego inevitabilem habeo bonorum tuorum necessitatem; & quia tu unus ille es, ad quem confugere possum: *De necessitatibus meis erue me.* Psalm. 24. Nulla creatura est, quantumvis potens, quæ iis omnibus, quibus indigeo, prospicere possit; & nisi tu ipse medearis aliqua te semper egebo. *Ex moralibus Sermonibus, Sermone de Oratione.*

Non petimus a Deo, iis cum dispositionibus, quibus oportet.

Quoniam corporis habitu coram suprema hac majestate accedimus ab ea gratiæ, gloriæque bona; quæ infinita, æternaque sunt, petituri? Heu! eo pacto oramus, quo dare potius, quam petere videmur. Quæ petimus, nullo habemus in pretio, immo neque semper obtinere cupimus, quæ postulamus. Petimus gratiam, & diligimus culpam; virtutem postulamus; & ex vitiorum cœno emergere nolumus; criminum nostrorum veniam flagitamus, aliis vero illam concedere detrectamus; fidelitatem precamur, & vias illam acquirendi perhorrescimus.... Quid! audes Deo dicere; fiat voluntas tua, cum nihil vis facere eorum, quæ petit abs te, atque ut inordinatis affectionibus tuis velificeris, omnia illius mandata contemnis? Hoc nonne est te tibi opponere; nonne est contradictionem inter vota, & postulata, orationem inter, & mores statuere?.... Ab hoc cœlesti Patre petis quotidianum panem; & nihilominus de illius providentia diffidis, omnemque fiduciam non in misericordia ejus, sed in tua industria, atque labore constituis? Rogas, ut tibi dimittat, quemadmodum dimittis illis, a quibus læsus fuisti, & corde foves odia, & ultionem anhelas? Sequere, & æque pro tua damnatione, te nolle, tibi parcere Deum. Denique Deum oras, ut a tentatione te liberet, & interim omnes conquiris occasiones, quæ te ad peccatum sollicitent. *Ibidem.*

Oratio esse debet cum humilitate conjuncta.

Deus numquam rejicit orationem humilium, inquit Propheta; & hoc proculdubio spectabat S. Ambrosius docens, humilitatem quamdam esse commendationis speciem, quæ roborat orationem, efficitque, ut ita dicam, ut aliquo in pretio habeatur a Deo: *humilitas orationem commendat*. Ideo Sancti, quibus de hac veritate persuasum erat, hac in re toti erant; cumque aliquid a Deo vellent expetere, omnino summa cum reverentia supplices ad eum accedebant: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.* Gen. 18. Fateor equidem orationem mentis esse elationem in Deum: sed donec nosmet amoris, & confidentiæ attollimus motu, opus est, ut nosmet intra nos indignitatem nostram intuiti demittamus. Oratio est actio pauperis, inquit Augustinus; qui petit, se egere fatetur; quid autem pauperi melius, quam humilitas convenit? *Ex Anonymo.*

Principes fatigari non debent, ut Deus eosdem fatigans.

Principes certum quemdam gratiarum numerum dumtaxat efficere possunt, longe minorem numero illas precantium, atque exquirentium; ideoque opus est, ut aliis satisfacturi aliis displiceant. Aula plena mortalium est senescentium, quin quidquam obtineant; attamen non fatigantur, & spe numquam excidunt; verum Deus longe a principibus dissimilis est; largiens numquam ad paupertatem redigitur, & numquam suas opes exhaurit, quantumvis large, effuseque illas distribuat. Qui illius obtinet gratias, aliis cupientibus non officit; & nemo non impetrat, quod poscit, si poscentis saluti suturum est utile, dummodo petere perseveret.... Ita quicumque orat, hac mente orare debet, se numquam fatigandi, & quam primum intelliget, orationem suam effectu haud quaquam carere. Videt, magnum sibi bonum esse in hac submissione erga Deum vivere, in illo confidere, & multum ab illo obtinere, qui obtinet perseverantiam in hoc statu humilitatis, qui esse debet omnium fidelium status. Multum quoque obtinet a Deo, qui suam sentit miseriam, & paupertatem. *Specimen Ethica tomo 3.*

Discere oportet, ut Deum orare sciamus.

Pauperibus nihil est addiscendum, ut petere sciant, quod sibi opus est; solus egestatis suæ sensus illos satis, superque erudit. Hoc ipsum de omnibus temporalibus necessitatibus dicendum est; nullo opus est magistro, ut petendi scientiam edoceamur; verum ut Deum orare sciamus, haud ita parum requiritur. S. Joannes Baptista discipulos suos hoc docuerat; & non immerito Jesu Christi discipuli eamdem gratiam poposcerunt. Etenim non solum non habemus egestatis nostræ, & eorum, quæ vere nobis necessaria sunt, sensum; sed earum rerum sensum, & cupiditatem habemus, quæ necessaria non sunt, & non sunt exquirenda. Novit Deus infirmitates nostras, nos autem illas non videmus: quid igitur melius facere possumus, quam nosmet ejusdem tradere providentiæ; ac nos regere juxta voluntatem ipsius, quam ipse nobis aperuit, & est, ut semper oremus, quin fatigemur, & animum despondeamus; *Oportet semper orare*. Hoc ille nobis in evangelio declarat. Verum plerorumque precantium hic spiritus est; nisi Deus illos juxta desideria ipsorum exaudit, vel si paulo diutius differt ea, quæ postulantur, statim orationem in querimoniam, & murmur convertunt. *Ibidem.*

Præstantissima oratio illa est, quæ ex corde proficiscitur.

Oratio præstantissima, juxta Sanctorum doctrinam, ea est, quæ fit per effusionem cordis coram Deo. Charitatis ardor, S. Augustinus inquit, est clamor cordis. Semper clamamus ad Deum, si illum semper diligimus. Adest quidam interioris affectionis clamor, S. Ambrosius ait, qui in cœlum se extendit. Deus orationem hanc libenter exaudit, quia cum totus spiritus sit, oratio, quæ fit in spiritu, procedit ex amore, qui est lingua cordis. Sed heu! quot mortales sese coram Deo oraturi prosternunt, quin ullum amoris gustum habeant, vel sensum, S. Augustinus in Enchir. cap. 7. inquit: Habere quidem possunt verbi sonum, at orationis vocem non habent, quæ vox cordis est; ideoque multi sunt, qui cum Deo loquuntur, ut vulgo dicitur, sed qui illum orent, paucissimi: *Loqui cum Deo multorum est, orare autem paucorum.* Hoc pacto secum animam christianam agere vult Deus: Hæc cordis expansio, & hæc benevolentiæ, atque familiaritatis licentia eidem est jucundissima: ideoque sanctus rex David, qui mirum in modum hanc orandi rationem noverat, de seipso dicebat: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio. D. Bartholomæus de Carranza in tractatu quodam de oratione articulo tertio.*

Cum humilitate, & contritionis sensu orandus est Deus.

Eximium hujus rei nobis suppetit argumentum in Publicano, qui in templum oraturus ascendit, & quem Jesus Christus nobis tamquam peccatoris, cujus accepta oratio est, exemplum proponit. Publicanus, ait ille, procul stans ne oculos quidem in cœlum audebat attollere, sed pectus suum tundebat dicens: Miserere mei Deus, quia peccator sum. Hic homo rubore suffusus eorum scelerum, quorum dolore intrinsecus conficiebatur, extrinsecus internam testabatur confusionem, in inferiori templi parte subsistens; & horror, quo propria detestabatur scelera, & quo prohibebatur, ne cor suum attolleret ad Deum, efficiebat, ut ne oculos quidem illuc ferre aude-

auderet, sed hoc in terram demittens sibi percuteret pectus, neque os aperiret, nisi ut Dei misericordiam implorares, quam ita exoravit, ut ex templo justificatus excederet. *Idem.*

De loco ubi orandum est.

Vis, virtusque orationis non pendet vel ex tempore, vel ex loco, ubi fit, vel ex rebus exterioribus, quemadmodum Ethnici, & Judæi arbitrabantur; sed ex interioribus cordis affectionibus, quæ illius radix sunt, & origo. Et præceptum, quod divinus Magister hac in re tradidit nobis eo in sermone, quem habuit in monte, cum ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum:* satis aperte ostendit secessum, & secretum cordis, locum esse orando aptissimum. S. Augustini sententia est, illic Deum nos audire, videre, considerare, & exaudire. Illuc nosmet recipere debemus orantes, ut inania quælibet phantasmata procul arceamus, ne externarum rerum cogitationes ingrediantur nostros sensus, atque perturbent; atque hoc pacto orationem nostram prorsus spiritualem efficiamus cum Deo solo in intimo animæ nostræ sinu loquentes. *Idem.*

Orationi omnes accedere debet viva fides.

Inter causas, propter quas tanta est virtus orationis, fides est potissima: ab hoc Dei dono vim mutuatur oratio, qua pollet in effectibus suis obtinendis, quemadmodum a charitate ea mutuatur omnia, quæ illam pro peccatis meritoriam, & satisfactoriam efficiunt. Orationis effectus semper fidei par est, cum qua effunditur. Quamobrem legimus in evangelio Jesum Christum duobus illis cæcis, quos curavit oculos eorum attingens, non aliud dixisse, nisi quod juxta eorum fidem postulata concederentur. Vade, dixit Centurioni, qui pro servi sui salute precabatur, & sicut credidisti, fiat tibi. *Idem.*

Vult Deus in precibus nostris nos illum Patrem vocari.

Dei filius non poterat melius amoris sui erga nos immensitatem ostendere, quam præcipiens, ut preces, & alloquia nostra cum Deo ex his verbis inciperemus: *Pater noster.* Inter tantam varietatem nominum, quibus in veteri testamento illum Scriptura vocat, non videmus unquam filiis Israel publicæ alicujus legis vi, licuisse Deum Patrem suum appellare. Illum Dominum, Altissimum, Omnipotentem nuncupabant, & ipse etiam Abraham Patriarcha vir ille Deo unice charus, in quo omnes terrarum populi benedictionem erant consecuturi, numquam accedebat ad Deum, ut eidem loqueretur, quin eum Dominum appellaret. Isaias quidem, aliique Prophetæ dixerunt illi, tu Pater noster es; tu nos efformasti; verum hæc non erat populi lingua; neque præceperat illis Deus, ut hoc nomine appellaretur. *Idem Tractatu de Oratione Dominica.*

Orare discendum est ab illo, qui petunt eleemosynam.

Qui se ipsum tamquam alienigenam cogitat, nullumque jus ad aliquid habentem, facile concipit sensus pauperis, cujus unius est orare, uti oportet. Pauper, cui desunt omnia, præceptis non eget, ut petere sciat. Admonendus non est, ut cum petierit, attentus sit; neque præscribenda sunt illi remedia contra distractiones, quæ impedimento esse possent, ne animo esset attento? Nihil illi de patientia, perseverantia, assiduitate suggerendum est. Satis est pauperem esse, ut nullo egeat præceptore. Illum sua erudit egestas; atque necessitas quibuscumque documentis præstantior est. Attamen quid hæc paupertas est, qua urgetur? Homines, coram quibus apparet adeo humiliatus, & miser, & in quibus miserationis sensum excitare studet, illi bonam valetudinem, si ægrotaverit, vocem, aciemque oculorum, si his caruerit, reddere nequeunt. Tota illius erga hos necessitas ad exteriora dumtaxat redigitur, panem, & indumenta. Immo ex iis, a quibus videtur, petit solum exiguam stipem, atque minutissimum nummi genus, quod vulgi manibus teritur. Plurimi hoc illi negant, ipse vero patienti hoc animo fert; multi illum ne respicere quidem dignantur, & hunc contemptum æquo patitur animo, & plurimas expectat horas, & sæpe etiam dies integros, quin in questus erumpat. Parce loquitur, sed lacrymæ, atque suspiria verborum locum tenent. Sese ostendit ea modestia, atque humilitate, quæ majorem habent ad movendum vim, quam ipsi sermones, & si quadam cum miseratione cum illo de ipsius necessitatibus loqueris, vides illum hac humanitate adeo flecti, ut satis exprimere nequeat vel suos grati animi sensus, vel miseriam suam, atque tunc uberius ex oculis ejus lacrymas fluere intueris. Quantum hoc nobis exemplum est! & quonam rubore nos suffundere deberet? Sine ulla comparatione ipsi pauperiores sumus in oculis Dei, quam in nostris esse possit mortalium omnium miserrimus; nihil habemus, quod ab illo non receperimus. *Idem.*

In Dei bonitatis effectus est orationes nostras audire.

Patitur Dei bonitas, ut in nostris necessitatibus confugiamus ad illum; quantumvis magnus ille sit, nobis autem præbere non dedignatur, ubi illi nostram exponimus egestatem. Quodcumque donum petamus a Deo, parum religiose eidem nuncupamus vota, nisi cum hoc dono ipsum etiam Deum simul quodammodo petamus: ejus gloria, & gratia cæteris quibuscumque bonis debent præstare; atque reverenter parum illum oratemus alia assecuturi bona, nisi hæc ad ipsius gloriam, & gratiam referrentur. Nonne hoc esset magnitudinis illius oblivisci, temporalia tantummodo cogitare bona, cum coram infinita illius majestate preces nostras effundimus? Deus adeo bonus est, ac magnus, ut mediocria nobis beneficia donare non possit; nihil libentius concedit, quam seipsum; & periculum est, ne illum ad iracundiam irritemus, si quid minus petamus. *Liber cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Negligentia, qua Deum oramus.

Ne putetis, orationes negligenter factas dignas esse, quæ Deo offerantur, atque illius gratiam obtineant. Si certo sciretis causæ alicujus eventum, in qua vita; vel honor agitur vester, a petitione vestra pendere, qua cura illam instituere satagetis? Omnes proculdubio leges, formulas omnes ibi servaretis, ne quid vel judicium vestrorum oculos offenderet, vel illius effectum posset prohibere. Illius oraculo, qui judex noster futurus est, certo scimus bonum causæ salutis nostræ eventum ab orationibus nostris pendere; cur ergo hac in re adeo oscitantes sumus, cur adeo parum cordi nobis est, bene orare? Hæc proferre non extrema infelicitas est, quæ inter fideles esse possit, orationum videlicet defectus; si enim verum est salutem nostram a Dei gratia pendere, ac si Dei gratia a nostris orationibus pendet, sequitur necessario, ubi orationes nostras inutiles reddimus, nos salutis nostræ adminicula perdere. Ecce quo tendant hæ fatales negligentiæ, quas adeo parvo habemus in pretio. Hac ipsa de causa dæmon nullum non movet lapidem prohibiturus, ne Christianus oret. Prohibere quidem non potest, quominus Christianus ad orationem confugiat; sed prohibet, ne in oratione eas afferat qualitates, quas exigit Deus. Id facit, quod Holophernes in obsidione Bethuliæ, qui, ut sacer loquitur textus, armatas militum manus ad aquarum fontes disposuit, easque jussit rivos infringere, per quos aquæ ferebantur in urbem. Ita salutis nostræ inimicus frangit, vel avertit sacros rivos, per quos Deus gratias suas emittit, ut hoc nostræ felicitatis commercium abrumpat. *Biroat, in tomo separato, quosdam in anni Dominicas Sermones complectente.*

Nostris in orationibus non deest oppositio.

Quænam est orationum nostrarum contradictio! In devotionum nostrarum fervore, beatisque momentis, quibus Spiritus sanctus nobis orandi modum tradebat, salutem nostram enixius, ac præ cæteris quibuscumque bonis poposcimus; oravimus Deum, ut omnia nostra huic uni posthaberet; testati sumus, quacumque via ille nos ad se perduceret, hanc nobis semper fore suavissimam. Nisi oratio hæc illum nobis conciliasset, prope fortasse erat, ut nos in corruptas sæculi vias abire pateretur. Nos voti damnavit, atque hoc pacto ostendit, non aliam fuisse viam, qua certam faceret nostram salutem, quam eam calamitatem, & ægritudi-

audinem, qua nos percussit. Hodie vero hæc nos terter via; ea, quæ fecimus, improbamus: væ nobis, si nos Deus exaudit. *P. Cheminais in sensibus pietatis.*

Precibus nostris Deus non fatigatur.

Mortalium neminem assiduus de rebus nostris sermo non delassaret: attamen, Domine, non mediocre meritum puto de illis apud te indesinenter habere sermonem. Scio paterna viscera tua nostris commoveri necessitatibus, atque te melius, quam nos, quid nobis sit opus, scientem; quæstus nostros audire dignaris. Verum semper tua abuti benevolentia, & dignatione, qua nobis adhibes aures, indignitas est; secundum mundi instituta, qui coram principe semper de seipso verba faceret, tamquam importunus, parumque sanus ejiceretur: unus tantum est Deus, qui nostra non fatigetur importunitate, nostrasque fastidiat preces, quantumvis nimiæ videantur..... Nonnumquam sane nos ipse repellis, atque aures nostris clamoribus obstruis; sed frustra hoc simulas, atque temet ad severitatem componis; te bene novimus, idem erga nos semper es, ac dicere possumus, te numquam melius pro nobis dimicare, quam cum contra nos dimicare videris. Si enim certas, ideo certas, ut vincaris, & resistis, ut cogaris. Similis oppidorum ducibus, qui inito cum hoste pacto, resistunt, ut sese dedant: *Amat vim pati, desiderat a te superari*, quidam Sanctus Pater ait. Hoc in Chananeæ exemplo innotescit; postquam aliquandiu restitit, tandem se victam fatetur. *Ex Manuscripto Sermone.*

Quid petendum a Deo in oratione.

Quemadmodum Salvator nihil nobis concedit, nisi quod saluti nostræ prodesse potest; non licet aliquid ab eo, vel propter aliud finem petere, vel alia mente uti. Non est igitur malum a Jesu Christo temporalia quærere; sed malum est quærere solum temporalia, hæc tantum concupiscere, & sacrificium non offerre, nisi ut terrena tantum bona assequaris. Nihil hujusmodi orationibus permittere potest, nisi per justitiam, atque in orantium pœnam.... Hanc igitur regulam sequi opus est. Primum quidem ea petenda sunt, quæ bona sint; petere enim ea, quæ injusta, vel mala sunt, idem est, ac velle, Deum crimini nostro velificari. Neque satis est ea, quæ petuntur, in se bona esse, opus est bona esse ratione petentis. Bona valetudo bonum est; tibi vero fortasse non item, si enim bene valueris, fortasse te omni libidinum genere ingurgitabis. Divitiæ per se malæ non sunt; at si dives esses, interires. Terrena semper petenda sunt, quatenus ad salutem referri possunt; alioquin quantumvis bona sint, nobis sunt mala. *Sermo Manuscriptus.*

De virtute orationis in muliere Chananea, quæ Dei filium vicit.

Hodie Cœli potentia cedit mulieris infirmitati, nosque in ancipiti relinquit, utrum magis mirum sit, quod Deus adeo imbecillis fiat, ut hominum vi se vinci patiatur; an quod homo fiat ita fortis, ut Dei superare valeat omnipotentiam. Obstupesco videns Deum, ut ita dicam, inermem, & vi sua quodammodo exutum, quantumvis insuperabilis illa sit, eousque ut a creatura se vinci sinat; sed ex altera parte non minor stuporis causa est, videre mulierem hanc fortem, ac strenuam, novo armorum genere de illius potentia triumphantem, cui cedunt omnia, & nemo resistere potest. Ut verbo me expediam, dignum nostra admiratione prodigium est, videre Dei filium victum mulierculæ precibus, postquam sese quodammodo contra illius vim munierat, & quodammodo sese præparaverat, animumque suum obfirmaverat, ut filiæ salutem matri illum adeo enixe flagitanti negaret: *O mulier, magna est fides tua. Reina, sermo de Oratione.*

Ab oratione cessandum non est, quamvis Deus flagim non audiat.

Evenire quidem potest, ut primum Deus nos audire velle dissimulet. Hic pater est, qui diu filii sui vitia passus est, & qui non adeo facile sese dedere vult cum eo in gratiam redire quærenti. Verum cessandum non est, immo iterandæ sunt preces, quamvis Deus illas repellere, & nobis aurem negare velle videatur. Illi dicere oportet; dixisti, Domine, eo tempore, quo peccator ad tuam confugeret misericordiam, te preces illius esse exauditurum; ego vero incessanter vocem, clamoremque attollo opem dexteræ tuæ periturus, & non cor, neque aures pro me habere videris; atque videtur ob oculos misericordiæ tuæ densum expansum fuisse velum, ut voci, lacrymisque meis aditus præcluderetur. Dic cum Jacob: nequicquam obluctaris; non dimittam te, nisi eam, quam enixe flagito, gratiam mihi concesseris. *P. Gegou in libro: cui titulus: Usus pœnitentiæ.*

Orationes, quæ effunduntur coram Deo, peculiarem postulant attentionem.

Nullus vulgatior est orationis actus, & nullus fortasse, quo Deus minus honoretur. Omnia resonant laudibus Domini, ac votis, quæ illi nuncupantur: verum cor, & spiritus in oratione cum labiis consentiunt? Nonne vere dici potest, plurimas quidem recitari orationes, sed paucas fieri? Quamvis bonum tantummodo sensum consuleremus, & ideam, quam de hac sancta exercitatione haberemus, per otium videre possemus, quam oscitanter, quam tepide, & quam parum decenter hoc munus obeamus; & nonne jure ex nobis quæri posset, utrum Deum imitaturi precemur? Oratio colloquium est cum Deo, ubi anima, ut ita dicam, in sanctuarium admissa, & introducta Domino suas exponit necessitates, infirmitates suas repræsentat, tentationes, ac fragilitatem suam detegit, & vivo reverentiæ, amoris, & gratitudinis sensu percita, cum profunda erga mandata illius submissione, tum confidentia, & votis illum colere satagit. Adeo perfectus religionis actus esse ne potest praxis tantum exterior? Atque si quo tempore cum Deo agimus, spiritus eo usque evagatur, ut ultro attentionem, interioremque devotionem amittat, hiccine Deum orat? *P. Croiset tomo 2. Christianarum considerationum.*

Ubique orari potest, dummodo oretur in spiritu, & veritate.

Necesse non est montem ascendere, neque Jerosolymam sese conferre, ut in spiritu, & veritate adoretur: oratio tanto nobis labore non stat: verus cultus, ut ita dicam, ab animi nostri affectu pendet. Deus ubique adorari potest, dummodo in spiritu, & veritate adoretur. Semper paratus nostris necessitatibus subveniendo id unum petit, ut illæ sibi enarrentur, atque non postrema conditio, quæ ad id requiratur, ut voti damnetur, hæc est, firmiter credere, & non hæsitanter sperare, nos votis damnatum iri: *Credite, qui accipietis, & fiet vobis*. Turba non prohibet amplius, quominus propius accedamus ad Jesum Christum. Quantuscumque sit supplicum numerus, singulis, ubi volunt, privatim adhibet aures, semperque in nostra positum est potestate alloqui quamdiu voluerimus. Numquam expectandum est; Domini tempus semper nostrum est. Ad pedes illius provoluti, quamdiu placuerit, immorari possumus, quin Martha conqueratur. Nemo ex discipulis nostram improbat importunitatem; nullius Pharisæi censura nobis metuenda est; omnia nostræ favent pietati. *Idem.*

Ut plurimum non satis attente, ac reverenter oramus.

Undenam fit, quod adeo male oramus? quis ne cogitamus quidem nos orare: quis enim adeo parum religiosus esset, qui adeo oscitanter, & negligenter oraret, cogitans se cum Deo loqui? Oratio non solum confidentiæ nostræ argumentum est, verum etiam fidei mensura. Quis religionis actus majorem ex nobis attentionem exposcit? Oratio inter procellas proximus est, ac tutissimus portus. Oratio æque irritos facit hostiles conatus, & dolos, & fieri nequit, ut non vincat, qui bene orat. Væ illi, cui inutilis oratio fit. Verum bona fide quæso, eo modo orantes Deum, quo illum oramus, putamusne orationem magno nobis fore adjumento? Quamplurimi totis orant diebus, quin orent. Deus cordis dumtaxat linguam audit, & exaudit. Plura verba sine attentione, & affectu prolata parum significant apud illum, qui cultum mere exteriorem flocci pendit. Salvator intuetur solum fidem, interioremque devotionem pauperculæ, infirmæque mulieris fimbriam vestimenti

menti sui attingentis: turbæ circumundique urgentis tumultu non afficitur; cor loquatur, oportet, & agat fides, si a Domino cupimus exaudiri: soli clamores cæci Jerichuntini parum valent, nisi Jesu Christo votorum suorum aperit summam: mentis attentio, & affectio cordis anima sunt orationis. Mirum! Necessitates nostræ inevitabilem nobis injiciunt semper orandi necessitatem; atque deplorabili inversione preces iterando ita assuescimus, ut nesciamus amplius, quid fiat, cum oratur. *Idem*.

Mirantur homines, quod post ea, quæ de orationis certo eventu Dominus locutus est, adeo pauci, quod petunt, assequantur; verum numquid mirandum esset potius, si nobis orantibus, uti fit, orationes nostræ majorem vim obtinerent? Ne insimulemus Dominum, quod promissi fidem minime exolvat, & gratias suas parcius impertiat: affectiones nostræ, negligentia attentionis, ac religionis in precibus ipsis defectus illum, ut ita dicam, avertunt, & cogunt, ne minime exaudiat . . . . . Oratio humilem poscit spiritum; sudetne aliquis non satis reverentiæ testari, cum principi supplicem offert libellum? Quis supplex vel minime cujuspiam urbanitatis officii obliviscitur? Natura ipsa nos ad reverentiam, obsequiumque componimus, cum aliquid ab hominibus precaturi accedimus: & cum Deum unum oramus, nosmet ab officiis adeo necessariis solutos existimamus. Et sane hi corporis habitus molles, & male compositi, hæc inquietudo, evagatio, tædium, quæ orationes nostras comitari consueverunt, summe humilis, religiosi, plenique Deo cordis indicia? A Deo auditi volumus, & nosmetipsos non audimus: volumus, illum rationem habere orationum nostrarum, quibus ipsi ne tum quidem advertimus animum, cum eas pronunciamus, In his labia Deo honorem deferunt; quæ vero cordis pars est iis in orationibus, quæ ex mera consuetudine proferuntur? Dominus parum afficitur laudibus, quæ sibi deferuntur, & votis, quæ errabundo spiritu nuncupantur. *Idem Pater Croiset*.

De orationis certitudine, dummodo ea petamus, quæ petenda sunt.

Nihil denegat Deus perseveranti confidentiæ, humilique pietati. Credite futurum, ut oratio vestra exaudiatur, Salvator inquit, & certissime quidquid petitis, assequemini. Quare confidentia nostra adeo infirma est? Quia in ejus cultu ignavi sumus, ac inertes; ipsi negamus, quod petit ex nobis; quomodo nobis persuadere possumus, ipsum nobis, quæ petimus, concessurum? Qui vero in orationibus suis neque ob reverentiæ, neque ob attentionis defectum peccant, hi plerumque in ipso orationis fine deficiunt. Pauci enim ad orandum cupiditate aliqua minime ducuntur, pauciores adhuc juxta Domini placitum orant. *Nescitis quid petatis*, ajebat Jesus Christus matri filiorum Zebedæi. Numquid intentiones, finesque nostri rectiores sunt? Numquid puriora sunt nostra desideria? Libenter tibi sapientiam concedo, inquit Deus Salomoni, *quia postulasti*; verum non ideo minus te annis, honoribus, bonisque cumulabo, quia hæc non postulasti: *sed hæc quoque, quæ non postulasti, dedi tibi*. 3. Reg. 3. Deus affluenter nostris prospiceret necessitatibus, si orationes nostræ semper essent christianæ. *Idem*.

Deo injuriam facit, qui sine reverentia, & attentione illum orat.

Quid a Deo petere possunt mundi sectatores, qui evangelii documenta fastidiunt? Donec mundo cor addictum est, vota, quæ Domino nuncupantur, essene possunt sincera? verba ipsa, quæ obsequii plenissima sunt, totidem sunt contumeliæ, cum aliud cogitas, & aliud loqueris. Quænam vero illa esse potest oratio, cum mens, & cor, atque vitæ mores palam mendacii coarguunt, quidquid labia Deo dicunt! . . . Sed licet iidem mortales a Deo utilia peterent, speratene possunt, se votorum summam consecuturos, cum adeo parum reverenter ea petant? Nonne immo Deum afficere contumelia est, eumque ad iracundiam provocare, illud sine attentione, ac reverentia precari? Usquequo, Domine, patieris, peccatorem per os suum tuas laudes assumere, nonnumquam ipse peccator inquit? Tecum impudenter loquitur sine attentione, & obsequio, quasi stupidus esses, omnique injuriarum, quæ tibi inferuntur, sensu careres: *Effunde super eos iram tuam*, addit Propheta Psalm. 68. Ultionem reposce de hac impiorum irreligione, ac nequitia, itaut sentiant, quod quantumvis sis patiens, neminem tamen impune tibi illudere sinis. Etenim revera qui ita Deum alloquitur inter eas affectiones, quæ nos Dei inimicos efficiunt, non minus illudit illi, quam qui Salvatorem percutientes quærebant ab eo, ut, a quo percuteretur, divinaret. *Idem*.

Orationum multitudo improbanda non est.

Iterantes orationem nequaquam in periculum adducimus eam inutilem efficiendi. Injuria imputatur multitudini subsidiorum egestas eorum, qui abutuntur illis: quo magis Deum, uti decet, oramus, eo magis bene orare discimus. Sine intermissione orari jubet Apostolus; & quot sunt sancti religiosi, quorum somnus ipse, & labor vix, ac ne vix quidem orationes eorum interrumpunt! Fidei defectus, ac morum nequitia effecerunt, ut nos orationis tæderet, & nimis grave jugum illius videretur. Devotionis societas numquam fuit cordis vere Christiani character. Tunc tædet servitutis, cum dominus non diligitur; tempus semper diuturnum videtur, cum ea, quæ fiunt, non admodum placent. Pietatem alere non est, illam extinguere. Metuendum non est, ne noceant alimenta, cum ipse cibus famem auget. Numquid tentare fortes est, & infirmos atterere, arma suppeditare, & augere suppetias? *Idem*.

Felix status eorum, qui Dei laudibus recinendis vacant.

Quodnam in terris munus magis accedit ad munus Angelorum in cœlo, quam hoc die, noctuque Domini laudes recinendi, eique indesinenter populorum vota offerendi? Quinam status beatior? Quis sanctior minister! Sæcularibus expeditos curis sacris tantum divini cultus ministeriis vacare: sanctuarii incolas jugiter ex officio ad Jesu Christi pedes adstare: ab Ecclesia deputatos omnium fidelium nomine Dominum alloqui: ut olim Moyses incessanter manus, oculosque attollere in cœlum pro illis, qui cum salutis hoste decertant: ut olim Gedeon, iteratis clamoribus referre victorias; & singulari privilegio in terris novum efficere mortalium Angelorum chorum dies suos traducentium æternas Altissimo actiones gratiarum reddendo illi nuncupando vota, & singulis horis sacrificium laudis offerendo. *P. Croiset, tom. 2. Christianarum Considerationum*.

Publicarum orationum virtus.

Conjunctæ fidelium preces quam vim non habent! Sæpe exaudiuntur, inquit Propheta, antequam etiam absolvantur: *Adhuc illis loquentibus, ego audiam*. Nihil negatur ineffabilibus Spiritus sancti gemitibus omnes ecclesiæ preces animantis. Si Dominus adeo solemni jurejurando seipsum adegerat ad ea exaudienda vota, quæ in veteris legis templo fiebant; quænam erit votorum novæ legis prærogativa? Omnia cedunt, ut ita dicam, merito, & efficaciæ divini officii, in spiritu, & veritate, pura, sanctaque mente celebrati. Hoc illud est laudis sacrificium, quod veteribus holocaustis Deus præfert. Cum justa concipitur religionis idea, non aliud cogitari potest de publica oratione, quæ cum ipsa ecclesia nata est, & quam temporum omnium consuetudo probavit. Illa, quam effuderunt Apostoli, ut Spiritui sancto recipiendo sese disponerent, cæterarum exemplum fuisse videtur. Hic idem ille spiritus est, qui tot sanctorum myriades impulit, ut omnes dies suos religioso huic muneri devoverent: & quis alius spiritus tot fidelibus mentem injicere potuisset, ut tot elargirentur opes in victum eorum, qui Dei laudibus tantummodo recinendis erant destinati? Hinc frequentissimæ illæ electorum Dei societates, ecclesiæ a primis usque illius exordiis ornamentum. Hinc opimæ cœnobiorum institutiones, æterna pietatis primorum fidelium monumenta. *Idem*.

Quot

Publica oratio Deo acceptior privata.

Quot pauperes privatæ vacant orationi, quibus Jesus Christus parum favere videtur! Nihil negatur, ex quo omnes simul discipuli suas preces, & vota conjungunt. Cave, ne orationum proximitati, cæremoniarum uniformitati, repetitionum frequentiæ, quibus divinum abundat officium, acceptam referas nauseam, qua publicam orationem fastidis. Nauseam non epularum lautities parit, sed malæ ægrotantis stomachi affectiones, quæ illum fatigant, & inutile efficiunt tempus, quod impendit cœnæ, ubi per otium vesci posset. Visne in adeo sancta exercitatione nullam experiri crucem, nullam diuturnitatem? Gustare vis muneris adeo perfecti suavitatem? accede corde puro, religiosa mente, fide viva; quamprimum cœlestis unctio leve hoc tibi jugum præbebit. Nemo fastidium metuit, qui quod facit, amat. *Idem*.

Nullum majoris momenti munus est, quam divinum officium recitare: verum qua reverentia, qua attentione, qua pietate, quo zelo recitatur? Negligenter vel ab innixis, vel a semisopitis cum aliis profertur, quin plerumque intelligatur, quod dicitur; vocis tonus, quam sine ulla consideratione habitus format; recitatio præceps, quæ nauseam, tædiumque palam testatur; semiversiculus oscitanter cum aliis prolatus, dimidiata genuflexio, contracta frons in cæremoniæ formam, corporis habitus ubique profanus, & sæcularis: quis pudor, Domine, si hæc vera est plerumque ministrorum tuorum imago?.... Credetne quispiam suo orandi muneri satisfecisse, cum Deus irreligiosas has preces nobis crimini vertet? Oranti spiritus effugit, verum est; sed corde orante longius non recedit; quædam distractiones invitis etiam suboriuntur, verum est; at numquam inviti pietate, modestia, reverentia in oratione caremus. Haud præcipiti cum festinatione loquere, cum viva fide preces effunde, orationem tamquam potissimum officium tuum cogita, tuum munus adimple, ac semper christiano more precaberis. Dum orans cogita Deum a te orari, considera orationem, quæ de præcepto est, non se simplicem devotionis orationem; linguam proferre debere sermones cordis, ob orantis animum versari semper debere objectum cordis sui, & decorum, ac reverentiam necessarjo in quovis religionis actu requiri. *Idem*.

Quomodo orandus est Deus.

Orandum est agendo, & agendum fatendo, voluntatem, & actionem a Deo nobis tribui. Hoc egregie S. Augustinus explicuit, cum ais, nos *humiliter petendo, & faciendo* pares fieri gratiæ Dei recipiendæ, ejusque Spiritui in nos attrahendo. Hæc paucis contenta verbis tota est vitæ regula. Primum enim orandum est, ut obtineamus gratiam id faciendi, quod præcipit Deus. Fides per orationem obtinet, quod lex imperat per præcepta. Sed satis non est orare, cum profunda humilitate orandum est. Fatendum est, nos ex nobis nihil omnino boni facere posse, & indignos esse eam, quam petimus, gratiam obtinendi, quin immo eam bene petendi. Neque etiam satis est humiliter petere, opus est facientes, quod possumus, actionem nostram quamdam veluti orationem efficere, ut a Deo, quod minime possumus, obtineamus. Itaque satis non est eum, quem Deus tangere incipit, orare solam perfectæ conversionis gratiam; eleemosynas eroges, opus est, si vires patiuntur, relinquat occasiones, quæ illi nocere possunt, ac denique nihil intentatum relinquat, quod illum a seipso divellere, ac Deo propiorem facere potest. *Liber, cui titulus: Christiana rudimenta pro decimaquarta post Pentecosten Dominica*.

A Deo in orationibus petendum, quod ipse nobis utile censuerit, non id, quod optamus.

Non desunt, qui ægre, & gravate ferunt, se a Deo non exaudiri, cum in orationibus suis aliquid ab illo petunt, quia nihil petunt, quod sibi bonum minime videatur. Absolutum Dei lædunt imperium determinare volentes bona illius, atque judicium ferentes de bono, vel malo, quod inexplorata Domini voluntate orationibus suis inesse arbitrantur. Hoc profecto est se indignos iis, quas postulant, gratiis præbere; quippe humilitas nostra, ut Tertullianus inquit, sola via est, qua illas consequi possumus. Oraturis, ut opus est, minus orandum est, ut voti damnemur, quam ut Deum de necessitatibus nostris consulamus. Anima, quæ Deum pure amat, satis sibi putat, illi suam egestatem testari; eamque eidem exponens sanctarum Lazari sororum imitatur exemplum: *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Joan. 11. *Auctor Anonymus*.

In oratione quodlibet auxilii, bonique genus invenitur.

Cum miseri, egenique simus, voluisti Domine, opem in oratione nos invenire, qua quidem nullum subsidium promptius esse potest, atque validius. Utque illam majori haberemus in pretio, nobis polliceri voluisti te nihil eorum negaturum, quæ in filii tui nomine petierimus, nosque in oratione reperturos, quidquid possumus desiderare. Volumusne tibi honorem deferre? Oratio sacrificium est, quippe sincera est confessio supremæ potestatis, quam in res omnes exerces. Volumusne de tentationibus, quibus lacessimur, victoriam referre? Oratio dæmonis flagellum est. Infirmi sumus? Oratio robur addit. Ægrotamus? Oratio nobis solatium est. Alii nos persequuntur? Oratio subsidium nobis est, atque perfugium. Sitit anima nostra? Oratio fons est aquæ salientis, atque viventis; illa nos ad Deum usque attollit; illa Deum ad nos usque demittit. Verum ut nos hoc pacto attollat, manare debet ex corda puro; alioquin peccatorum nostrorum pondus prohiberet, ne usque ad solium Omnipotentis ascenderet. *Auctor Anonymus*.

Deus vult a nobis ea peti bona, quæ nobis ab æterno dare decrevit.

Quidquid certissimum est, æternoque Dei decreto constitutum, secundum ordinem, quem illa in gratia constituit, non minus enixe in Ecclesia flagitatur, quemadmodum Jesus Christus ipse a Patre suam petiit resurrectionem, sui corporis gloriam, & reliqua omnia, quæ certissime eventura esse cognoverat. Decretum hoc enim, & ordo Dei continet, ac determinat simul & finem, & media; ex quibus oratio magis generale est magisque inevitabile; quippe est confessio submissionis, egestatis, & indignitatis creaturæ, quæ hoc pacto fatetur, Deum omnium bonorum fontem esse, & plenitudinem, absolutum donorum suorum dominum, supernarumque gratiarum auctorem, quos cuicumque voluerit, distribuit. *Liber, cui titulus: Idea sacerdotii, & sacrificii Jesu Christi*.

Peccator sine oratione ex peccato nequit emergere.

Ad omnem orationis virtutem intelligendam considerandum est, peccatorem sine illius ope ex peccatorum suorum cœno emergere nequaquam posse. Hinc Deus illi semper orandi gratiam relinquit, tamquam adminiculum, quo ex profundissima iniquitatis abysso egredi valeat. Idcirco mundi Salvator ægris, qui undequaque ad ipsum vehebantur, nisi oratus bonam valetudinem non concedebat. Jesu fili David miserere nostri, leprosi clamabant. Domine, fac, ut videam, elata voce cœcus in via Jerichuntis dicebat. Alii curationem instantibus invocationibus ab eo petebant, quas exprimebant verbis: alii hanc gemitibus cum magna confidentia conjunctis exorabant; sed nemo nisi per orationem voti sui compos effectus est. Hæc autem diversa morborum genera, quibus Jesus Christus medebatur, erant figura diversarum specierum peccati, quas ipse dimittit: quorum spiritualem curationem non secus, ac corporalem illis tantum concedit, qui sollicitationibus, enixisque precibus illam obtinere merentur. *Venite ad me*, inquit ille Matth. 11. vos *qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Verum quomodonam vis, Domine, illos venire ad te, cum enim alligati sint vinculis iniquitatis, & quodammodo scelerum suorum gravi pondere oppressi, ne pedem quidem proferre possint, ut accedant ad te? Heu! Si per orationem accesserint; oratio hæc ad cœlos usque penetrat, & ab ima peccatorum abysso ascendit usque ad fontem gratiarum, & misericordiarum, quas affluenter in peccatoris caput

facit emanare. *Abbas du Jarry sermone pro die Cinerum.*

Oratio præsertim est necessaria peccatori initio conversionis suæ.

Oratio peccatori numquam magis necessaria est, quam suæ conversionis initio, cum concupiscentia irritata, ac præteritis flagitiis magis incensa, pravorum habituum accessione facta animam trahit, quasi duplici pondere, in malum tanta pernicitate, ut nonnisi tenue momentum illi in bonum supersit. Valido igitur eget auxilio, ne cedat: auxilium hoc est gratia fortis, & potens, quæ homini adhuc infirmo fert opem, ut suo munere persungatur: hæ autem gratiæ victrices nonnisi per orationem possunt comparari. Quandonam Jesus Christus præcipit ventis, ut quiescant, ac procelloso pelago, ut suos fluctus cohibeat? Tunc cum Apostoli jamjam naufragium facturi illum e somno magnis clamoribus excitant, eique dicunt: *Domine, salva nos, perimus.* Matth. 8. Ut intelligamus, Deum nequaquam mulcere fluctus, atque tumultum affectuum in animabus recens conversis insurgentium, nisi cum miserorum clamoribus, vocibusque interioribus animæ vi magna emissis urgetur: *Voce mea ad Dominum clamavi*, inquit Propheta, *& exaudivit me de monte sancto suo. Idem.*

Fidenter orandus est Deus.

Cum Deus æque sit bonus, ac potens, orandus est non sine perfecta in misericordia ejus confidentia. Parum est, posse misero opem ferre; voluntas etiam requiritur. Plurimos miseret, ubi miseros intuentur; sed cum pares minime sint opem ferendo, inutilis eorum est miseratio. Alii potestatem quidem habent, voluntatem vero non item. Unus est Deus, cujus misericordia par est potentiæ, qui velit simul, & valeat nos ex egestate eruere. Vult quidem; sed integram in nobis confidentiam requirit. Præsto est, ut omnia concedat; sed concedit illis tantum, qui optimis dispositionibus supplices ad illum accedunt: *Specimen sermonum pro feria quinta post primam Quadragesimæ Dominicam.*

SUPPLEMENTUM.

Fidenter orandum est:

ISaias Propheta, Dei nomine, Ezechiæ Regi nuntiaverat, horam mortis ejus adventare, ac ipsum huic sese debere disponere. Rex iste terribili nuntio perterritus fidenter confugit ad Deum; eique humiliter exhibet, se fideliter legem illius observasse, se adversam fortunam sine ullo exilii sui tædio sustinuisse, quin contra Providentiæ decreta mussitaret. Deus remisit ad illum Prophetam eumdem, ut eum certiorem faceret, vitæ illius annos quindecim iri adjectum. Fidenter orate; quamquam de vobis actum jam videatur, non omnis spes auferetur; sed opus est, ut Deo dicere possitis cum Ezechia Rege, vos extitisse fideles divinarum legum observatores, & Religionis placita esse vitæ vestræ regulam. Non est, quod vos pudeat coram mortalibus Christianos videri, atque opus est, ne rationes humanæ, pravique sermones, vos unquam a recto virtutis tramite deterreant. *Ex libro cui titulus: Sententiæ cum exemplis ex Historia Sancta depromptis &c.*

Necessitas orandi ad obtinendā gratiam.

Sine gratia nulla salus est; ergo sine oratione salus nulla: quandoquidem prima gratia excepta; quippe quæ principium est orationis ipsius, ab oratione minime pendet: de fide est, orationem esse medium, & efficax, & universale, per quod vult Deus a nobis quascumque gratias obtineri; & aliæ omnes gratiæ in ordine Providentiæ, & Prædestinationis, essentialiter adhærent Orationi. Petite, & accipietis. Hanc Jesus Christus normam vobis præscripsit, quæ cum sit coarctata ad hoc perfectum donum, quod desursum est; numquam gratia salutis defuit. Hic divinus ille rivus est, per quem omnia cœlestia bona communicanda sunt nobis: *Petite, & accipietis.* Hoc est oraculum æternæ vitæ, de quo dubitare non licet: unde S. Thomas concludit: nemini jus esse sperandi in Deo, nisi eo quod orat, & ratio, quam Doctor Angelicus adfert, hæc est, Deum, qui nihil ex jure nobis dedit, & qui nobis debere nequaquam potest nisi per misericordiam, & ad summum per fidelitatem, se nobis per hos justitiæ, & fidelitatis titulos devinxisse sub hac conditione orationis, potest igitur non solum citra injustitiam, verum etiam quin suæ officiat fidelitati, atque clementiæ, potest nobis suas gratias non concedere, illi preces, & vota nostra minime nuncupantibus. Addo præterea, juxta communem Providentiam, ipsum hoc facere debere; gratiæ enim æque pretiosæ, ac suæ, hæc quippe S. Chrysostomi animadversio est, gratiæ tanti momenti, quanti illæ sunt, quæ nos ad salutem perducunt, merentur saltem, ut aliquo labore nobis stet illas petere, & festinanter, ferventerque flagitare, *P. Burdalove in Dominicali.*

Licet Deus nostras norit necessitates quin preces audiat, orari vult tamen.

At enim, etiam sine precibus nostris novit Deus spirituales necessitates nostras, & quin has illi aperire studeamus, illis consulere potest. Verum est, respondebat olim S. Hieronymus Vigilantio, qui sensu suo præoccupatus, hoc prætextu evertebat Religionis fundamentum, hinc arguere volens orationis inutilitatem: Verum est; Deus per semet cognoscit nostras necessitates, sed quamvis per seipsum illas agnoscat, iisque consulere possit sine nobis, ad id a nobis cogi vult, ac impelli; videlicet excitari vult precibus nostris, ad opem nobis, quam præparavit, elargiendam; vult preces nostras eas esse rotas, quibus misericordia sua moveatur. Quippe ipse est, addebat Laudatus Doctor, bonorum suorum Dominus, & quatenus Dominus suum est, eadem largiri, ac de illis disponere quibuscumque voluerit conditionibus. At iterum dico, placuit illi, ut ex his conditionibus una, & præcipua esset Oratio, & hæc pars esset pactionis illius, quam nobiscum fecit, tamquam Deus noster, dicens nobis: *Petite, & accipietis*: illi placuit nostras necessitates ad majorem sui nominis gloriam traducens, efficere, ut ad illius honorem aliquid conferremus, ut sacro hoc vinculo adstricti cultui suo adhæreremus, & jugiter contineremur in exercitatione assidua illius obedientiæ, quam illi debemus: illi placuit, ut omnia verbo complectar, orari, & exorari, atque hoc veluti pretio gratiæ suæ dona, perennesque divinæ suæ charitatis effectus proponere. Ita loquebatur S. Hieronymus refellens hæresim Academitarum orationem, tamquam supervacuam explodentium, quam hæresim renovare ausus est Jovinianus, & cujus acerrimus fautor tunc temporis erat Vigilantius, *Idem.*

Deplorabilis status hominis, qui orationem abjecit,

Quocumque in statu me suppono, si orare cesso, nihil mihi reliquum est, in quo confidere possim, & non alio pacto redimere, vel reparare possum eam, quam patitur jacturam, me privans orationis usu. Mihi non oranti omnes gratiæ fontes exhauriuntur; & anima mea, Domine, est sicut terra sine aqua tibi, quam nulli Cœlestes imbres irrigant. Non oranti nulla mihi humilitas est, fides nulla, patientia nulla; nam quin curem sanctas hasce virtutes exercere, ne petere quidem illas abs te contendo. Non orans amplius sino me trahi meis cupiditatibus, inconditisque desideriis, quia tantum abest, ut illis adverser, ut ne ad te quidem Domine confugiam, qui solus ea potes coercere. Me non orante tota christianæ vitæ harmonia in me perturbata est; quorsum? Oratio enim, quæ illius erat anima, cessat; mihique nullius est utilitatis. Huc enim tandem tendit devotionis defectus, quem animadverto; ac lacrymis prosequor in pluribus ignavis Fidelibus. *Pater Bourdalove in Dominicali.*

Attente orandum est,

Audit Deus, S. Cyprianus ait, vocem cordis nostri, non oris: vigilandum est, addit, & ex toto corde orationi vacandum: omne humanum, profanumque objectum ab oculis mentis nostræ evanescat; spiritus hic unice vacet iis, quæ petit. Cum quibus nobis attente loquendum est, nisi cum Deo? Potestne hic aliquid levius a vobis expetere,

quam

quam sit velle, ut id, quod dicitis illi, cogitetis? Quomodonam sperare audetis fore ut vos audire dignetur, si vosmetipsos minime auditis? Vultis illum meminisse vestri, qui orantes, vestrum obliviscimini. Tantum abest, quod Deum flectatis, ut immo præsentem hanc majestatem lædatis per vestram negligentia mea in actione, quæ sola potest vobis Cœlum propitium efficere. *De Fenelon Episcopus Cameracensis in delectis Sermonibus.*

Orandum cum fide. Fide petendum est. Hæc fides, S. Jacobus ait, ita firma esse debet, ut non hæsitet; qui enim hæsitat, similis est fluctibus maris, qui semper ad ventorum arbitrium aguntur. Qui igitur, pergit idem, sine confidentia orat, ne speret, se exoratum: & sane quid aptius est ad Dei cor permovendum pro nobis, quam confidentia in ipsius misericordia? Potestne repellere eos, qui omnem thesaurum suum in illo reposuerunt, & qui nolunt quidpiam nisi ab illius bonitate consequi? Cum fidenter oramus Dominum, S. Cyprianus ait, ille ipse nobis hunc orationis spiritum tradit. Opus est ergo, ut Pater agnoscat verba Filii sui, cum illa pronuntiamus, & ille, qui in cordium nostrorum penetralibus habitat, ipse omnes preces nostras efformet, ac dirigat. *Idem.*

Orandum cum puritate intentionis. In orationibus, S. Bernardus ait, vana nequaquam miscenda sunt veris, non perituris æterna, neque terrena hæc iis, quæ ad nostram salutem pertinent. Bene orare est, S. Augustinus ait, nil aliud, quam Deum solum quærere; Orare male est, per illud alia inquirere bona. Ne coneris, inquit, efficere Deum amoris tui proprii, tuæque ambitionis patronum, sed optimorum desideriorum tuorum executorem. Confugis ad Deum, ut tuis satisfaciat cupiditatibus, & sæpe, ut illis te subtrahas crucibus, quibus te indigere cognoscit. Cum te amat, dicit Pater idem, renuit tibi ea, quæ per amorem proprium tuum ab illo petis; iratus vero ea concedit, quæ tibi impetranti futura sunt detrimento. Ne afferas ergo ad aras vota minus decentia, desideria incomposita, preces importunas. Nil pete, quod indignum eo sit, a quo petis. Cave ne appetas bona fallacia, & noxia; pete ros cœli, non terræ pinguedinem. Effunde cor tuum coram Domino, ut Spiritus Sanctus illius in te gemitibus ineffabilibus vera petat bona, quæ ipse cupis. *Idem.*

Orandum est, ut nostra obire possimus officia. Alioquin oratio nostra illusio est, atque scandalū. Oremus, Fratres, sed eo semper nostra spectet oratio, ut nostris rite perfungamur officiis; ne sublimes, abstractasque fundamus preces, quæ ad virtutum praxim minime referantur. Oremus non ut in verbis magis illuminati, ac spirituales simus, sed ut evadamus humiliores, dociliores, patientiores, moderatiores, mundiores, & in omni vita perfectiores. Alioquin nostra petendi assiduitas, quin sit frugifera, & efficax, erit plena quidem illusionis pro nobis, scandali vero pro proximo. Illusionis inquam pro nobis; cujus quidem rei quamplurima nobis exempla suppetunt? Quot occurrunt, quorum oratio alit ipsorum superbiam, & in errorem imaginationem ipsorum abducit. Scandali vero erga proximum; nihil enim majus scandalum afferre potest, quam videre hominem semper orantem, & numquam se corrigentem, qui post effusas preces non minus levis, vanus, inquietus, morosus, cupidus est, quam ante. *Idem.*

In quo sita sit orationis necessitas. Quamvis Deus omnes necessitates nostras cognoscat, & per se ultro iisdem ferat opem, hanc tamen sibi veluti legem imponit nihil concedendi nisi exoretur, sive ille orationem tamquam cultus & honoris speciem sibi a creatis debitam, & quam non exigere non potest, intueatur; seu velit, ut S. Augustinus ait, excitare, & fovere in nobis, bonorum æternorum cupiditatem, vel ut D. Thomas loquitur, docere velit, nos, cum nihil sine ipso valeamus, uni illi acceptam referre debere omnium gloriam; seu, ut idem Angelicus Doctor alibi ait, hæc illa sit ratio, quam nobis constituit, ut nosmet in humilitate, ac officio contineret. Quam enim superbus esset & audax homo, si illi omnia fluerent e sententia; si nihil petere, vel aliunde conquirere teneretur? Seu denique, ut Sanctus Chrysostomus inquit, voluerit hoc pacto Deus nos sibi quodammodo devincire, & ut sæpe oblectationem perciperet cum nobis colloquendi; nobis hanc injecerit necessitatem ad ipsum confugiendi. Felix necessitas, quæ nobis consolationem debet efficere, quandoquidem efficit omnem Dei oblectationem, nosque cogit, ut singulis diebus hauriamus de fonte omnium benedictionum. Verum, quæcumque sint causæ, propter quas orari voluit Deus, sibique legem imposuit nihil nisi ubi oratus esset, permittendi: liquet se orari velle, & hac proposita conditione ea nobis, quorum indigemus, concedere. Nil præterea requiritur ad orationis necessitatem constituendam; quamobrem S. Augustinus dixit, orationem non minus ad salutem necessariam esse, quam gratiam. Orationis necessitas, ait ille, ostendit gratiæ necessitatem, sed necessitas gratiæ pariter orationis necessitatem ostendit. *Ex Sermone Manuscripto.*

Inter orantes, non desunt, qui credant, omnem virtutem & devotionem hominis Christiani in oratione esse positam; quæ quidem simplicitas est, & ignorantia. Sunt, qui prolixas palam effundunt preces, ut videantur & tamquam viri boni habeantur; hæc hypocrisis, & vanitas est. Sunt qui ad Deum confugientes, ut bona dumtaxat temporalia consequantur, se rite orare arbitrantur; cum hæc non aliud sit, quam avaritia, & amor mundi. Dei Filius nobis triplex hoc vitium connotare voluit in oratione, cum dixit, non eos omnes qui dicunt, Domine, Domine, ingressuros esse in Regnum Cœlorum, inscitiam, ac simplicitatem primorum nobis aperuit. Cum locutus de duobus, qui in Templum erant ingressi, alter quidem Publicanus, alter vero Pharisæus, hunc nobis exhibet primam sedem occupantem, assertasque virtutes suas venditantem, alterius generis hypocrisim, ac vanitatem nobis ob oculos posuit. Denique ubi matri Filiorum Zebedæi dixit nescire ipsam, quid sibi vellet petens, ut ad ipsius nutum alter quidem a dextris, alter vero sinistris ejus sederet, nobis eximium adstruxit conceptum orationis cupidæ eorum, quod in tertiam classem rejecimus. *Abbas Boileau in Delectis ejusdem sententiis.* Triplex vitium in oratione vitandum.

Magnum consolationis argumentum est Christiano, posse, qualibet hora, & quolibet in statu preces effundere. Oratio nequaquam posita est in prolatione nonnullorum verborum, aut in Meditatione aliquorum mysteriorum, neque in petitione aliquarum gratiarum, neque in imaginationis sensibilitate, vel in fidelitate memoriæ. Nulli inhæret actioni; omne opus bonum oratio est; Nulli affixa loco est; deferimus in nobismetipsis Templum Spiritus Sancti intra nos, & ipse orat pro nobis. Non adnexa est sensibili voci; secretissimos etiam gemitus audit Deus. Obedire illi, servire illi, illius facere voluntatem, status sui munera obire, hoc orare est. Miles æque orare potest in castris, ac Presbyter in Ecclesia; Magistratus in tribunali æque ac Reus in carcere: vir publicam gerens personam in magno populi cœtu, æque ac solitarius in eremo; cumque Deus semper hominem sustineat, homo semper Deum potest orare. Nulla est actio, quæ non cesset, sed oratio numquam cessare debet. Licet a Psalmodia cesses, non ideo tamen cessat oratio. Recedis ab ara, ut suggestum ascendas, oras æque panem verbi, ac panem Eucharisticum distribuens. *Idem ibidem.* Semper orari potest & quomodo.

En in quo infinita Dei bonitas mihi videtur admirabilis; velle, nihil in Christiano esse, quod orationis locum obtinere non possit. In urbanis, officiosisque modis cum proximo orat; hos illi suggerit charitas. In bonis, quæ tribuit consiliis, orat; Charitas illa regit. In studiis orat; quærit seipsum sanctificare, & alios erudire. In laboribus suis orat, hos offert Domino, & hoc pacto eum laudat. Dicamne? In solatiis etiam orat; sunt innocua. In ipsi etiam quæstubus suis orat; dolor eos exprimit, & sup- Multifariā orari potest.

& supprimit resignatio. Admiramini Chananæam mulierem in dolore suo clamantem, & orantem. *Abbas Boileau in Quadragesima.*

Petendum est cum fervore. Philipp. 4.

Vult Apostolus ea, quæ a Deo petimus, nos cum orationis fervore deprecari: *In omni oratione*; vult, nos enixius flagitare, & urgere Deum, ut voti nos damnet; *in obsecratione*, vult orationi comitem gratiarum actionem adesse: *cum gratiarum actione*. Petere aliquid a Deo in fervore orationis, *in omni oratione*; est mentem attollere ad Deum, & habere omnes animæ facultates in illo occupatas, quin attentio ipsius sit in alia objecta divisa; est illum videre in spiritu oculis fidei, nostramque subjicere imaginationem, ut pro modulo suo illum sibi repræsentet. At enim, quis potest oculis immensa spatia pervadere; & illum in gloriæ suæ Throno sedentem contemplari? Ut illum invenias, opus non est, ut extra temetipsum egrediaris. Deus intra teipsum verissime est per præsentiam, atque potentiam suam. *Medius vestrum stetit*. Per præsentiam suam testis est omnium, quæ facis, novit consilia tua, observat vestigia tua, penetrat ea, quæ ipsi tibi sunt abscondita. Potentiæ illius minimos etiam motus tuos debes. Non est igitur, cur procul illum inquiras. Si dicitur, tibi ascendendum esse, moneris ad tempus oblivioni tradere creata omnia; tuisque cogitationibus illud argumentum tribuere nobilissimum, & amplissimum circa quod valeant versari. *Elevare, elevare: consurge Jerusalem*. Si imaginatio, atque intellectus in uno Deo fuerint occupati; in petitionibus suis neque perturbata, neque interpellata erit voluntas. Preces hoc modo elicitæ erunt veluti clamores, quos coram Domino Propheta effundebat, & in aures illius penetrabant. *Clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. P. Segneri in Meditationibus.*

Joan. 1.

Isaia 51.

Nominus permittit, & omni tempore eum precatur.

Heu! Auditores, in vitæ hujus casibus hoc unum privilegium, quo preces effundere ultro citroque, & auditi possumus, quo necessitates nostras illis exhibere possumus, quorum penes est fortunatum nostrarum arbitrium; hæc una facultas quanti a nobis æstimatur. Homo calamitosus, & absens, quo pretio hanc sibi gratiam compararet? Nonne se ab omni purgatum scelere existimaret, atque in pristinum splendorem redactum, si ipsi liceret sese ad Principis sui pedes projicere, eique omnes cordis sui angustias pandere? In hoc statu calamitatis ubi omnia clausa inveniuntur, obstructi aditus omnes, amici omnes sine motu, & sine voce, & ne unus quidem adest, qui velit solum partes tueri tuas, tuumque nomen proferre. Longe quidem alia ratione agis nobiscum Domine; non permittis solum, ut oremus; inimici tui, quin hoc aditu prohibeantur, explicite etiam invitantur. Cum orari vis, id vis, ut des; cum tarde das, id agis, ut magis magisque perseverantiam inflammes, & cum parum tribuis, id fit, ut ad plura petenda animus excitetur. Nihilo secius hæc orationis gratia a nobis pro nihilo habetur. Nosmet derelictos credimus, cum adnectit Deus salutem nostram huic speciei subsidii, quod ipsi respiceremus tamquam certissimum fortunæ, atque ambitionis sarciendæ perfugium. Frustra assidui in hominibus sollicitandis, sæpe surdi, atque nostris sollicitationibus inflexibiles; vix expetiti volumus coram Deo quid sit oratio. *P. de la Rue in Adventu.*

Vis orationis.

Oratio adeo potens est, ut divinas tantum sufficiat Scripturas consulere, ut non sine magna cum admiratione videamus; hac inferorum januas infringi; hac ferarum belluarum vim superari; hac ventos, tempestatesque sedari, elementorum furorem conteri, Cœlum claudi, & aperiri; Solem medio in cursu detineri; mortuos, licet jam tabescentes erui e sepulchris, utque omnia illius unico verbo concludam prodigia, hanc humili, demissaque festinatione de invicto Deo victoriam referre, & cum Omnipotentis brachium sublatum jam est ad terram improbam percutiendam, illud vincire. *Vincit invincibilem, & ligat omnipotentem*. Sed ut adeo miros pariat effectus, duas in illa S. Jacobus Apostolus conditiones requirit; Primum quidem ut a justo fiat, vel ab eo, qui justitiæ habitum possidet, vel qui ad camdem per pœnitentiam contendit. Secundo, ut sit assidua, perseverans, cum omni fervidi cordis contentione peracta: *Deprecatio justi assidua. Abbas Anonymus.*

Jacob. 5.

Attente orandum est.

Cum orare volueris, inquit Salvator in Evangelio, recede in penetrale domus tuæ, & ostio clauso, clam ora Patrem tuum. Penetrale hoc, quo nobis recedendum est, S. Augustinus ait, cor nostrum est, ubi nos videt Deus, ubi nos considerat, & audit. Ibi nusmet concludere debemus, ne inania phantasmata, externarumque rerum cogitationes ingrediantur per sensus corporis nostri, & ne nos perturbent; & ut oratio nostra sit omnino Spiritualis, ac nostrum cum Deo colloquium fiat in imo corde nostro: *Quæ sunt cubicula? nisi corda nostra? Sermo Manuscriptus.*

August.

Monitum ad distractiones pertinent.

Cum necessaria in orationibus attentio distractionibus tantum perturbetur, en quid de illis sciendum est. Si distractiones, quæ nos perturbant, voluntariæ non sunt, si nobis displicent, si quidquid in nobis est, conamur, ut eas avertamus, tantum abest, quod nostris precibus obsint, ut immo eas coram Deo acceptiores, gratioresque valeant efficere per patientiam, quam exercent, ac dolorem, quem gignunt, juxta præclarum illud Sancti Augustini dictum: *si dolemus, oramus*. E contra vero si voluntariæ sunt, efficiunt ut oratio ipsa fiat nobis in peccatum, juxta illud Prophetæ Regis Oraculum: *Oratio ejus fiat in peccatum*. Et sane inficias ire potest nemo, quominus illæ plurimum conferant ad nos coram Deo sontes efficiendos: semper enim argumento sunt, & irreverentiæ, qua divinam majestatem prosequimur, vel modici illius discriminis, in quo ea habemus, quæ petimus. Et profecto S. Cyprianus ait, non videmur magnopere optare, ut audiamur a Domino, quandoquidem ne nos quidem nosmetipsos audimus. *Quomodo a Deo te audiri postulas; qui teipsum non audis?* Tunc repetenda est altius ipsa mali origo, ut congruam illi afferamus medicinam. At quod plerumque nostras parit distractiones est, vel immortificata cupiditas aliqua, aut amor aliquis vel inordinatus, vel nimius, licet in se omni culpa vacet, vel sensuum decrratio, vel negotiorum impedimenta; quid tunc nobis faciendum est? Audi. Teneris cupiditates tuas mortificare, vincula quævis infringere, tete colligere, & impedimenta, quantum fieri potest, abjicere earum rerum omnium, quæ tibi oranti negotium facessunt; post quæ si adhuc distraheris coram Deo potes consolari. Dolor, quo inde affecti fuimus, & quo afficimur labores nostros in irritum abire videntes distractiones easdem in preces convertit: *Si dolemus, oramus*, & tunc oratio nostra neque grata minus est in oculis Dei, neque minus efficax. *Idem.*

S. August.

Psal. 108.

S. Cyprian.

Orandum est in nomine Jesu Christi.

Sicuti nonnisi per Jesum Christum accepti sumus Deo, certum est, in Jesu Christi nomine omnes preces nostras esse fundendas, qua de re nos idem Jesus Christus admonuit: si vultis ait, vobis a Patre meo concedi ea, quæ petitis, petite in nomine meo; cumque Apostoli dolebant, quod preces suæ minime audirentur, non aliam addidit causam nisi quod in nomine non suo oraverint. Ita Ecclesia preces omnes absolvit, quascumque Deo offert, testatura, se in Jesu Christi nomine illas offerre: cumque etiam ad Sanctorum patrocinia confugit, formulam non mutat, palam indicatura, se semper in Christi nomine petere, & in Sanctorum præsidio eatenus confidere, quatenus hi induti sunt virtute, ac vi Nominis Jesu Christi. *Idem.*

Orandum cum humilitate.

Preces nostræ offerendæ sunt cum humilitate; si enim volumus Deum ærumnarum nostrarum misereri, ipsos primum nostri debet misereri. Nosmet, Sanctus Augustinus ait, cogitare debemus, tamquam pauperes præ foribus Magni Patris fa-

milias

milias stantes eleemosynam impetraturi. Chananæa mulier nonnisi ex micis, quæ de mensa Domini decidebant, saturari cupiebat: Hemorrhoissa nonnisi extremam illius pallii fimbriam audebat attingere; Publicanus incessanter sibi pectus tundebat, & tamquam peccatorem spectabat; atque per hanc humilitatem votorum summam consecuti sunt, & e contra superba Pharisæi petitio illum effecit nocentiorem. *Sermo Manuscriptus.*

Oratio divinæ voluntati est subjicienda.

Orandum quoque est maxima cum divino beneplacito submissione; hoc est, nihil a Deo petendum est, nisi talis ejus voluntas exstiterit; licet æquissimæ, & sanctissimæ vobis videantur petitiones nostræ. Fieri enim posset, Sanctus Augustinus ait, ut vel nondum opportunum sit eas nobis permittere, vel petita etiam minime conveniant propter causas Deo uni exploratas, quod nobis explorandum non est. Petebat Sanctus Paulus, ut ab Angelo Satanæ liberaretur, ac responsum accepit, non referre, illum inde liberari. Chananæa dixit tantum Jesu Christo, filiam suam a Dæmone vexari; hæc optima est orandi ratio. Non vota nostra Dei voluntatem, sed Dei voluntas vota nostra moderari debet. Neque ideo credideris, Deo vota ipsa a nobis non esse exhibenda, sed exhibenda sunt cum omnimoda sanctæ illius voluntati resignatione; & oratio ipsa absolvatur illis Jesu Christi verbis; non mea Domine voluntas fiat, sed tua. *Idem.*

Fidenter orandum. Jacobi 1.

Vult Sanctus Jacobus non ita confidere, ne ambigamus, utrum voti simus damnandi. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Hæc autem confidentia innititur primum quidem promissionibus Dei; spopondit enim, se votis nostris subscripturum, ubi invocaverimus illum; deinde, quod ipse Spiritus Sanctus pro nobis tanto zelo petit, ut illius orationes gemitus inenarrabiles appellentur; tertio, quod Jesus Christus pro nobis apud Patrem suum munere fungitur Pontificis; videlicet jugiter ita pro nobis intercedit, & flagitat, ut aliquando juxta Sancti Joannis dictum illum *advocatum* habeamus apud Patrem, & Sanctus Paulus animadvertit adhuc, ipsum ut facilius nostri misereretur, voluisse omnes infirmitates nostras in se, peccato excepto, experiri, omnibus se subjiciendo; quarto innititur denique Dei ipsius adhortationibus, qui nos ita fidenter orare docuit, ut certi quodammodo simus, nos quodcumque petierimus, exoraturos. Unde Sanctus Paulus infert, nobis plena confidentia adeundum esse ad Deum, & per hujus ipsius confidentiæ merita impetraturos. Et profecto quænam esse non debet confidentia nostra? Ipsi quidem ex nobis nihil sumus; sed cum coram Deo statuimur per manus Filii, ac Spiritus Sancti, numquid possumus rejici? Deus nihil nobis debet: hoc quoque verum est, sed quandoquidem pollicitus est, ac recepit, se nobis petentibus omnia daturum, quid nobis sperandum non est? *Sermo Manuscriptus.*

Orandum cum perseverantia.

Cum perseverantia petendum est; hoc significare nobis voluit Dominus per parabolam Judicis, qui cum neque Deum, neque homines vereretur, tamen mulierculæ cujusdam importunitati concessit, quod eidem negare statuerat; id enim significat velle Deum nonnumquam per importunitatem vim sibi fieri; & nonnisi petendo obtineri. Cæterum cum Deum minime tædeat ad nostri cordis ostium pulsare, cur tædeat nos ad cordis ejusdem pulsare? Illa non indiget nostrum, nos vero illius quotidie indigemus. Momentum quo illum orare cessabimus, illud esse potest, quo nos se exauditurum esse decreverat, si ab orando non cessavissemus; & quod petimus, tanti momenti est, ut non semel petendum sit. Ne igitur petere fatigemur, quandoquidem Deus nos audire non fatigatur. *Idem.*

Ejusdem patris Filii

Cum pro aliis petimus, majorem Deo amorem testamur, quam cum pro nobis tantum petimus; id enim est cupere, quod a pluribus diligatur. Id etiam est magis colere, est enim indigitare quanti faciamus non illum solum, sed etiam illos, qui inter filios ipsius numerantur. Est etiam illi obedire; nobis enim palam fratrum nostrorum negotia commendavit. Denique id est perfectissime Cœlestem Patrem imitari, ostendentes amorem similem suo, quo beneficia sua super omnes effundit. Estote imitatores Dei, Apostolus inquit, tamquam filios dilectos, & in spiritu dilectionis ambulate. *P. Segneri in Meditat.*

vicissim alii pro aliis orare debemus.

Militantis Ecclesiæ status, status est commercii cum Ecclesia triumphante.

Christiana, quam profitemur, Religio non aliud quidem est, quam Dei cum hominibus commercium per gratias illius, & beneficia, & hominum cum Deo per horum servitutem, & obsequia. Quemadmodum adest propria quædam propensio in Deo communicandi divitias bonitatis suæ paupertati hominum; ita in hominibus adest impressio quædam apta ad provocanda, & promerenda beneficia, & misericordias Dei per invocationes, & preces. Deus abyssus est bonorum, ego abyssus sum miseriarum; miseriarum abyssus invocat abyssum bonorum: *Abyssus abyssum invocat;* & hæc bonorum abyssus se se in hanc miseriarum abyssum effundit. Ita oratio est duplicis abyssi compositio, alterius quidem in me quærente, ut accipiam, alterius vero in Deo quærente, ut largiatur. Necessitas nostra habet inane quod replendum est: Dei vero misericordia plenitudinem habet superaffluentem, quæ cupit se effundere. Ita oratio utramque complectitur, & est in se actus rationis, vel cogitatione solum conceptus, vel extrinsecus etiam explicitus verbo, quem ipsi ad supremam infinitamque dirigimus majestatem, quæ plenitudine, & copia sua nostram replere potest necessitatem, ac indigentiam. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Sicut in via Dei gratia indigemus, ad hanc obtinendam potentissima ratio est ipsa oratio.

Duplicem invenio speciem necessitatis, propter quam oratione indigemus. Prior medii necessitas vocatur, estque potissimum inter ea media, quæ nobis reliquit Deus, ad impetranda ipsius beneficia, quorum maximum est nostra conversio. Oratio igitur est unum ex maximis, aptissimisque mediis ad illa obtinenda; qui enim orationem negligit, suam negligit salutem, & periclitatur, ut pereat; medium enim Dei mandata servandi, sine quo magnas tentationes superare non possumus, gratia est; & gratiæ obtinendæ ratio, oratio est. Negligentes igitur orationem, salutem nostram negligimus, & periculum in æternum pereundi subimus. Præterea dicere possumus eum, qui orationem deserit, salutem suam deserere, vel penitus de eadem desperare; re enim vera desperare est curam abjicere obtinendi medium illud, sine quo nulla salus est, quæ est finalis perseverantia. Perseverantia quæ est votum nostrorum, speique objectum, sed simul objectum timoris nostri. Perseverantia, quam nullis operibus bonis possumus promereri, sed quam Deus tribuit orationi; & pro qua Sancti toto vitæ suæ curriculo oraverunt. Qui vero negligit Orationem, abrenuntiat, ut ita dicam, finali huic perseverantiæ, ideoque deserit salutem suam, & magnam præbet occasionem de eadem desperandi. *Idem, & auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De necessitate orationis quatenus de præcepto est.

Superius verba facimus de orationis necessitate; quatenus medii est, verum est etiam de necessitate præcepti; quia legem habemus explicitumque mandatum, quod orare nos jubet. Nihil unquam in Evangelio tamquam saluti necessarium memoratur; quod nobis servandum imponatur. At in Evangelio sermo est de Oratione tamquam ad salutem necessaria; *Orate; ne intretis in tentationem,* nihil ergo æque necessarium est ac oratio, ne tentationibus superemur; & ipse etiam mundi Salvator præcipit nobis, ut ad tentationes superandas ad orationem confugiamus. Igitur hac etiam de causa necessaria est, & sub gravi orare tenemur, statim ac tentatio, quæ nos ad peccatum sollicitat, violenta est... S. Petri lapsus, SS. Patres in-

Matth. 26.

inquiunt, inde ortus est, quia ille non paruit Magistri sui consilio, qui illum adorandum hortatus fuerat, et resistere tentationi, quæ illum erat adoritura. Somnus causa fuit, ut orationis oblivisceretur; defectum orationis subtractio gratiæ subsecuta est, & hæc causa fuit lapsus, & calamitatis ejus; atque inde pleraque nostra existunt peccata. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Ut oratio nostra accepta sit Deo fieri debet in gratia.

Non postrema ex orationis conditionibus ad ea, quæ petimus impetranda hæc est, quod fiat in gratia; peccatum quippe vetat, ne exaudiatur a Deo. Quid a Dei Filio Spinis redimito impetrare potest anima deliciis affluens? Quid a paupere Deo ille, qui alienis bonis est dives? Ita Deus per os Isaiæ terribiles hasce minas intentat: *Cum extenderitis manus vestras non suscipiam vos*. (*Isaiæ 1.*) Anima quæ in sceleribus tuis omnino vis permanere, licet cor tuum solveretur in lacrymas, licet dies noctesque in oratione traduceres, me semper dolori tuo immotum invenies; quia cor tuum plenum est desideriis, atque consiliis, quæ carnem dumtaxat, & sanguinem rapiunt. *Idem.*

Non satis est esse in gratia, ut ores, sed perseverantia est, ut quodammodo sis importunus.

Deus, ut ita dicam, cogi vult, atque per nostræ perseverantiæ importunitatem adigi; quod nobis ostendit Salvator sub cujusdam hominis figura, qui noctu hospiti supervenienti quem ad comedendum præberet panem, cum sibi deest, accolam suum obsecratur ut sibi tres commodet panes. Primum quidem repellitur. Dormio; ait: Hoccine tempus est ostium pulsandi? Alter vehementius pulsat, elataque voce clamat, hos mihi panes commoda. Omnes domi meæ cubitum ierunt, & in utramque autem stertunt; Abi inquam, ac alias redi, quod optas impetraturus. At homo ille adeo tandem finitimum urget, ac sollicitat, ut hic cubito assurgat eidem gratificaturus. Ita est, Dei Filius inquit: *Si non dat, eo quod amicus ejus sit; propter tamen importunitatem ejus surget, & dabit illi.* (*Luc. 11.*) Homo hic qui propter amicitiam non tribuit, tribuit tamen, ut petentis importunitate liberetur. Unde docemur, animis despondendum non esse, si Deus prima vice nos non audierit; sed preces esse iterandas; oportere, non Dei tantum amicum esse, hoc est, esse in illius gratia; sed etiam per importunitatem urgere illum, ut tandem orationis nostræ obtineamus effectum. *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Nihil nos ad orationem magis impellit, quam necessitates, quas patimur.

Optima ad orandum dispositio est, suam agnoscere paupertatem. Cum omnia nobis rident, cum omnia fluunt e sententia, voti compotes sumus. Domo non egredimur, ubi affluentia, & prosperitas dominantur. Facile alienis caremus subsidiis, cum in bonis nostris omnia florescunt. Sed cum omnis hic splendor extinguitur; cum nos premit egestas; cum nosmet videmus desertos, atque apud creaturas in odio positos, tunc alacrius, fidentiusque confugimus ad Deum. Oratio semper vivida est, cum est humilis, & semper efficax, cum ex corde contrito, & humiliato procedit. Honores, atque divitiæ illecebras habent, quæ sæpe fidem suspendunt, & orationem semper infirmant. Hanc excitant adversa, & nihil efficit, ut ad Deum cupidius confugiamus, quam oppositiones, ac prælia, quæ nobis a mundo inferuntur. *P. Croiset in Asceticis exercitationibus. Tomo 5.*

Deus novit nostras necessitates, & neque concedere ea quæ nobis utilia futura non sunt.

Cum bona filiis vestris largimini, nequaquam hoc libidini, vel sorti committitis. Scitis quod facitis. *Nostis bona dona dare.* Quantumvis rudis, ac stupidus pater aliquis sit, vulgo tamen satis dignosci: bonum a malo, ut eligat, quod filio suo profuturum est, & quod obfuturum relinquat. Bruta quoque licet ferocissima per instinctum erga pullos suos id præstant, quod homo erga suos filios maturato præstat consilio. Dominus autem qui & brutis indidit instinctum, ut alerent natos suos, & judicium hominibus præbuit ut filiis suis omnia, quibus indigent procurarent; num ille ignorat unus, quod nobis est salubre, ut hoc non eligat præ iis, quæ nobis nocerent? Deus est ergo non solum parentum omnium optimus; sed quid nos deceat, quid non, hoc toto cœlo præ aliis parentibus cognoscit. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Cum recentes petimus gratias, Deo gratias agere debemus ob illa, quæ contulit beneficia.

Jubet Sanctus Paulus, orationi gratiarum actionem propter accepta jam beneficia accedere. Convenientius autem videtur, quod hæc actio gratiarum præcedat nova postulata; nam præter quam quod nostrum grati animi officium erga Deum recens causa est, propter quam ille sua in nos dona effundere perseveret; divinæ erga nos liberalitatis recordatio efficit, ut fidentius confugiamus ad eum; & confidentia hæc optima est dispositio ad ea, quæ petimus obtinenda. Ita David olim urgebat Deum, ut secum misericordia uteretur, ostendens spem suam, qua sibi quamprimum illum opitulaturum confidebat: *Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.* (*Psal. 56.*) Aliæ quæcumque causæ nobis quidem ostendunt, quid nobis permittere valeat Deus; sed nihil magis certos nos facit auxilii Dei, quam eorum quæ pro nobis fecit, memoria. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus.* (*Psal. 18.*) Cæterum caveamus, ne incidamus in illusionem eorum, qui nullo in discrimine habere videntur communia, & generalia Dei beneficia, & qui peculiares illi gratias minime rependunt. Dei Beneficia maxime vulgaria; fiunt peculiaria per singularem applicationem, qua ea nobis erogat. Charitas ejus tunc etiam cum ad omnes homines extenditur, non minus nostrum singulis attenta est, quam si soli paternis ejusdem curis perfrueremur. Non igitur minus propter generales has gratias, quam propter personales, debemus Deo. *Idem.*

Metuendum nobis non est, ut iteratis precibus Deo simus importuni, neque illi fastidire aut magnitudinem, aut numerum eorum, quæ ab ipso petimus.

Ne vereamur importunos esse Deo propter multitudinem gratiarum, quas ab eo petere possemus. Nihil petamus inutile, nihil indignum, quod Deus concedat, ac iteratæ preces nostræ erunt causa, propter quam recentibus gratiis augebimur. Sed ne timeamus quoque, vota nostra in immensum protendi, & desideriorum nostrorum magnitudine benefactoris aures obtundi. Ad eos tantum, qui liberalitate sua ad inopiam adducuntur pertinet, perturbari cum insignes ab illis petuntur largitates. Cum illis ratio habenda est; illis re adhuc integra dicendum est modica deposci, quemadmodum Bersabee a Salomone petebat: *Petitionem unam parvulam ego deprecor.* (*Regum 3.*) Gratiæ, quas Cœli, Terræque rex nobis erogando præsto est, eæ sunt, in quibus videmur minorem habere locum sperandi. Filius Dei cum Apostolis suis querebatur, quasi nihil unquam petiissent ab illo: *Usque modo non petiistis quidquam*; (*Joan. 16.*) nimirum, hactenus illi vota sua ad res Dei sui magnificentia parum dignas coarctaverant. Aliquidne præterea requiritur, ut nostras damnemus sollicitudines, & foveamus filialem confidentiam in Dei Providentia? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Vult Deus a nobis sibi fieri nostrarum necessitatum enumerationem, & egestatis confessionem.

Cur vult Deus a nobis sub oculos suos nostras exhiberi necessitates? Num ignorat Deus quid nobis desit, antequam ab illo petamus? Hoc illi sane liquet: immo neque semper operitur, donec illum oremus, vota nostra exaudituras; verum enimvero non semper, immo nec passim hanc servat rationem. Vult, a nobis sibi fieri humilem egestatis nostræ confessionem: orari, posci, cum importunitate urgeri desiderat. Numquid Pater Æternus ignorabat, quid cupere posset Jesus Christus? Tamen Salvator se ipsum ab universali lege non dispensavit: petiit, flagitavit, ineffabilibus gemitibus oravit. Ne speremus igitur nos aliter exauditum iri, neque existimemus opem certius nobis adfuturam, quam cum diu precibus Deum fatigaverimus. Hac una conditione proposita, Dei auxilium supplebit huic immodicæ anxietati, quæ nobis interdicitur. Beatus, qui confidit in Domino, & qui in illo spem suam constituit: similis erit arbori secus decursum aquarum consitæ extendenti brachia sua versus

aquas,

aquas, quibus alitur. Nullum metuet æstum, ubi incaluerit, eruntque folia ipsius semper virentia. Non labefactabitur, ubi siccitas ingruet, ac fructus suos uberes ferre non cessabit. *Idem.*

Deus Pater est misericors semper paratus, ut nos exaudiat. *Sap. 6.*

Non minima injuria, quam divinæ bonitati mortalis inferat, est queri, quod preces suæ minime exaudiuntur. Magis cupit Deus vera tibi dona conferre, quam ipsa illa recipere cupias. Sapientia ejus ipsam cupientes prævertit, & ipsa prior illis occurrit. Cæterum querimonia tua illi adeo gravis est, ut omnino velit hac in re caussam suam perorare, teque ipsum judicem hac in re statuit. Pater Cœlestis a te judicari vult, exigitque ut parumper attendas studiis cordis tui probaturus cordis sui erga te studia. Si tu licet nequam; videlicet ad nocendum, quam ad benefaciendum pronior, filiis tuis non tenuis ea, quæ iisdem censes profutura, cur tibi suades, Patrem Cœlestem, qui suapte natura infinite bonus est, tibi negare possit, ea, quæ tibi conveniunt? *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester? &c.* Verba ad permovendum aptissima, & numquam satis iteranda, ut nostra confidentia roboretur. *Pater Segneri in Meditationibus.* *Luc. 11.*

Nihil petamus, quod indignum sit quod Deus nobis concedat, & certi erimus nos exauditum iri a Deo.

Si Deus nos non audit, nos sumus in causa, qui ab eo non petimus Spiritum suum, unum illud, quod nobis necessarium est, unum, quod se nobis largiturum recepit; veluti bonus Pater, veluti Pater perspicax, qui longe melius, quam nos novit necessitates nostras, & quid nobis conveniat. Et profecto hic Patris Cœlestis Spiritus, est Spiritus Sanctitatis, qui nos illi similes facit, & sine quo non sumus filii ipso digni. Ullumne aliud bonum est, quod potius sit exquirendum? Hoc pignus est hæreditatis æternæ, & quia hæc nobis promissa fuit, certi sumus nos illam consecuturos. Quoad bona temporalia, hæc nobis Deus se procuraturum minime spopondit; vulgo enim saluti nocentiora sunt, quam utilia. Subsistamus ergo in iis petendis, quæ necessaria sunt, juxta ejusdem Filii Dei consilium, alia enim veluti corollarium nobis adjicientur. Hic ergo spiritus Sanctitatis præcipuum sit votorum, ac petitionum nostrarum objectum. Urgeamus, instemus, in oratione perseveremus illud impetraturi. Urgentes hæ cordis fervidi sollicitationes tandem exaudientur, nec differet Deus sarcire moræ damna, qua eidem placuit fidelitatis, & patientiæ nostræ periculum facere. *Idem ibidem.*

Quid sit semper orare.

Non præcipit Jesus Christus, ut dies integros ad Altarium pedes obvoluti procumbamus; Oratio ita assidua cum reliquis vitæ Officiis simul esse non posset. Hoc petit ut quotidie aliquam temporis partem vacemus Deo, ac orationi: statæ tibi sunt pro omnibus negotiis tuis horæ; nonne æquum est, ut orationi quoque tempus statuatur. Secundo semper orare est sancta hac exercitatione replere momenta omnia, quæ officia, & status tui tibi munera relinquunt inania; quorum id genus plurima inveniuntur in dies ab iis, quibus oratio accidit perjucunda. Oratio denique sit assidua, cum omnes actiones ad Dei gloriam tendunt, sive bibas, sive comedas, sive quodpiam aliud facias, singula ad Dei gloriam converte. Hoc est semper orare; quia est Deum indesinenter laudare, sicut olim Propheta: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.* Triplex hæc orationis ratio numquid servari non potest? Haud ita sane. Cur ergo fere numquam ex illis amplectimur aliquam? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Oratio nobis esse debet preciosa, licet Dei dona, quæ nobis promeretur, non spectetur.

Maxima injuria, quam ipsi nobis inferre possimus, est orationis exercitationem relinquere, hanc prætexentes caussam, quod Deus nolle eam exaudire videatur. Mala hæc tentatio proficisci non potest, nisi ex fallaci conceptu, quem sibi adstruit aliquis de Oratione. Si hanc intueremur non solum veluti medium ad gratiam obtinendum, verum etiam ut bonum per se dignum, quod a nobis habeatur in pretio, repulsa ejus gratiæ, quam fortasse immerito poscimus, non sane ita nos afficeret, ut vellemus etiam privati merito certo, quod orantes consequimur. At nullone in discrimine habemus accessum, quem nobis oratio præbet ad Deum? facultatem colloquendi cum illo, & gratiam illius nobis conciliandi? Ex mortalium Principum aula discamus, quanti favor adeo singularis a nobis faciendus sit. Ibi videbimus Aulicum explorantem occasionem cum Principe loquendi, sine alio consilio, quam sese illi cognoscendum præbendi. Væ nobis si in veris negotiis nostris minus perspicaces fuerimus, quam filii sæculi in inanibus meditamentis suis! Væ nobis, si postquam Deum nostrum oraverimus, satis amplam nos consecutos fuisse mercedem putabimus, eo quod digni habiti sumus, qui eidem preces nostras offeremus. Teterrima impii pœna, Sancto Job ea videtur; nullam scilicet amplius invenire consolationem, & gaudium in Omnipotente, & illum nequaquam singulis momentis invocare: *Numquid poterit in Omnipotente delectari, & invocare eum omni tempore?* Hoc idem supplicium vereamur, nisi fideliter orationis præceptum adimpleverimus. *Idem ibidem.* *Jobi 27.*

Quomodo orari queat sine intermissione.

Sanctus Paulus ait, sine intermissione orandum esse, quod impossibile non videbitur, si diligenter cum Sancto Augustino attendamus varios orandi modos. Orari potest, Sanctus hic Doctor ait, cogitationibus, desideriis, lectione, labore, patientia. Cogitare de Deo, vel excitare in se beatæ vitæ desiderium, est orare; Asceticos, sanctosque libros legere est orare; hæc enim species est colloquii cum Deo: loquitur ille, & nos audimus: propter Deum laborare, est etiam orare, & ita esse oportere, docet Pater laudatus; etenim Apostolus ipse, a quo sine intermissione orare jubemur, jubet quoque laborare; si enim labor orationem intercidit, vel oratio jugis non est ultra de necessitate, vel labor non est amplius permissus. Similiter pro Deo pati, orare est. Jesus Christus toto passionis suæ tempore oravit, quamvis pauca verba proferret, semper enim passus est omnino Paternæ voluntati submissus. Ita etiam sine intermissione potest orari. *Sermo Manuscriptus.*

Petentes a Deo ea quorum indigemus cum cogere debemus.

A Deo aliquid orare, est omnes rationes afferre, omnesque tentare vias, ad Deum cogendum, ut quoquo modo preces nostras exaudiat. Ad id autem quot diversas rationes illi possumus afferre? Ipsa infelicitas nostra nonne satis efficax ratio est, ut omnia nobis expectemus ab illo, qui erga miseros, nonnisi misericordiæ viscera fovet? Intende aurem orationi meæ, dicebat Sanctus Rex David; quia malis repleta est anima mea. Eaque causa eo libentius nobis utendum est, quippe nobis nihilum nostrum objiciens, nosque parvulos in oculis nostris efficiens, magis magisque ad effectus divinæ misericordiæ dispenit. Sed quam rationum vim nobis non suggerit Dei omnipotentia, sanctitas, magnitudo, ut nobis gratiarum suarum thesaurum aperiat? In illius mentem revocemus tantum infinitam ipsius misericordiam, quæ nil tale merentes suis cumulat bonis. Dicamus illi cum Propheta: *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam.* Vult etiam Deus, ut utamur auctoritate, qua beatorum animæ apud ipsum perfruuntur; præsertim vero vult nos in Jesu Christi meritis confidere: *Protector noster aspice, Deus, & respice in faciem Christi tui.* Jesus Christus nonne jurejurando pollicitus est, nos ab illius Patre omnia impetraturos, quæcumque in ipsius nomine poposcerimus? *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. P. Segneri in Meditationibus in delectos Scripturarum locos.* *Psal. 24.* *Psalm. 83.* *Joan. 16.*

Gemendũ est ob nostram miseriam, atque gemendo etiam oratur. *Psalm. 37.*

Cum nos docet Scriptura, quid sit gemere, promiscue verbis utitur orandi, atque gemendi. Oratio, & gemitus in sacris unum, & idem est. Domine, inquit Propheta, *gemitus meus a te non est abscon-*

absconditus. Oratur tunc solum, cum gemitus emittitur, neque Deo accepta est oratio nostra, nisi cum sincerus est gemitus noster. Oramus ergo cum miseriam nostram cognoscimus, & cum miseriæ nostræ conspectus nos cogit ad illum clamores attollere, qui solus inde potest nos liberare. Videte sensum hunc egregie ab eodem Propheta explicitum. Hic altius animum ejus perseverat, ideoque accepta fuit Deo ejus oratio; & ob eamdem causam semper stabit tamquam exemplar iis, qui voluerint discere, quomodo sit orandum. *De profundis* miseriæ meæ *clamavi ad te Domine*. Hæc tota est orationis substantia. Sanctus Rex suam confitetur miseriam, eaque ipsi videtur extrema; hujus cognitio eum clamare cogit; scit, Deum tantummodo posse illi in miseris, qua conficitur, opitulari; ideoque ad unum hunc suos gemitus, clamoresque convertit. *Lambert*.

Psal. 129.

Oratio est quadam thuris species, quæ ascendit usque ad thronum Dei.

Oratio pretiosum est thymiama ascendens usque ad thronum Dei; Ea omnibus muneribus, quæ mortalis offerre potest Deo, oratio illi est acceptissima. Dei esse nequis, nisi infinitam illius majestatem veneraris, nisi laudes ejus concinis, nisi illi tuam operis egestatem, nisi suas gratias deprecaris. Sed recordare, orationem, quæ pretiosum est coram Deo thymiama, orationem esse animæ humiliatæ; orationem esse confugientis ad Deum, qui suas agnoscit miserias; & quia novit, Deum unum educere posse illam de infelicitatis abysso, in quam cecidit per peccatum. *Idem*.

A pauperibus orandi modus addiscendus est.

Vin' absolutissimum orationis exemplar habere? Vade ad pauperes. Vide calamitosos hosce homines præ Templi alicujus foribus præstolantes eleemosynam. Vix ab illis visus fuisti, cum tibi catervatim occurrunt; te circumundique obsident, ut te flectant ad miserationem: objiciunt oculis tuis suas infirmitates. Quam diserta eloquentia ea attingunt argumenta, quæ sunt ad persuadendum aptissima! Æternam felicitatem tuam in ea stipe constituunt, quam a te præstolantur; obtestantur te per Jesu Christi vulnera, per sanctissimam illius Crucem, per ea, quæ in Religione sacerrima sunt, & ad opem sibi ferendam impellunt. Præstantissimum homini Christiano documentum! Ideo animadvertunt Sancti, a Providentia præ templorum foribus pauperes collocari, ut fideles ab illis efficacem Dominum rogandi rationem edoceantur. Heu! pauperiores in oculis Dei, quam mendici in oculis hominum, fortasse nos pudet nostram fateri paupertatem, ac petere medicinam iis malis, quæ nolumus confiteri, & cum infideli villico dicimus, *mendicare erubesco*. Attamen hominis gloria est humiliter miseriam suam confiteri coram Omnipotenti. *P. Segneri in Meditat.*

Luc. 16.

Per effectū suæ bonitatis Deus nobis præcipit ut oremus. *Luc. 18.*

Quare Jesus Christus docet nobis esse indesinenter orandum? *Oportet semper orare*. Deus cordis nostri desideria cognoscit, antequam eadem animo concipiamus; gaudet sua in nos effundere beneficia; gratiæ, quibus nos prævertit, cum nondum illis concupiscendis pares essemus, videntur ea spondere nobis, quæ ille nostris desideriis est concessurus. Preces nostræ nonne aliquo modo sunt contumeliosæ infinitæ illius liberalitati? Bonitas illius potestne conciliari cum voluptate audiendi suspiria nostra, fluentesque lacrymas nostras intuendi? Potest utique; quia complacet sibi Deus suas nobis gratias communicans, nosque suavissima dilectione complectitur, cum præcipit, ut sine intermissione illi vota nostra, precesque sistamus. *Oportet semper orare*. Ad mysterium hoc intelligendum, & dissipandum quidquid nobis esse posset illusionis occasio, animadvertamus, quid intersit discriminis inter preces, quas terræ Principibus sistimus, & eas quas Deo nuncupamus. Preces, quas homini fundimus, nullius sunt utilitatis; sunt tantum onerosæ; & nisi impetramus, quæ petimus, dici possumus oleum, operamque perdidisse. Idcirco nobis utilius est, quod homines petitiones nostras præveniant, quam prolixis precibus assiduoque famulam eorum beneficia colmamus. E contra vere preces, quas Deo fundimus certam semper habent utilitatem, ac sunt fœcunda meritorum origo. Quot enim virtutum actus exercentur orando? Actus Religionis: creatura tunc cognoscit Deum, tamquam supremum illud ens, a quo pendet. Actus Fidei: Qui orat certus est, posse Deum justis petitionibus suis satisfacere. Actus Spei: Fidelis certus est, se, quæ petit, vel aliquid etiam utilius consecuturum. Actus humilitatis: oratio confessio est nostræ imbecillitatis, ac miseriæ. Actus perseverantiæ, quia primæ repulsæ diuturnæque moræ exhauriuntur, quin prohibeant, quominus instemus aliquid a Domino per importunitatem impetraturi. *Idem Dominus omnium; dives in omnes, qui invocant illum*, dives in eos, quos voti damnat, quia quæ cupiunt consequuntur; dives in eos quorum precibus subscribere non videtur; quia nihilo secius referunt fructum orationum suarum, & meritum orationis. Nihil ergo melius divinam erga nos bonitatem ostendit, quam hoc indesinenter orandi præceptum. *P. Segneri in Meditat.*

ad Rom. 10.

Divitibus panis quotidianus petendus est, & pauperes illū petentes a laboribus cessare nō debent.

Deus in singula momenta nobis largitur bona, quæ in singula momenta facta, tecta tuetur; itaque quotidie eidem occurrere debemus tamquam pauperes, & egeni, qui omni ope destituti sunt, omnibus deficientes. Pauperes in hunc incidere scopulum possunt; ut ab omni labore cessent, prætereuntes sibi victui suo necessaria tantummodo esse petenda, ad illa obtinenda. Bipalmaris illusio! Mens patris filiorum suorum necessitatibus consulentis fuitne umquam illorum inertiam, ignaviamque fovere? Neque dixeris; si laboribus mihi necessaria comparo, cui bono hæc etiam mihi petenda sunt? Labor noster inutilis est, nisi Dei manus illi benedixerit. Recedat satis est omnipotens hoc brachium, & omnes laborum nostrorum fructus peribunt. Ita cum Dominum rogamus, ut det nobis panem nostrum, animæ, vel etiam corporis panem, non ideo nos immunes esse censemus ab ea lege, quæ omnibus hominibus irrogata est; *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Sed petendum etiam est, ut Deus conatibus nostris arridere dignetur, nostrisque laboribus benedicere. Non dives, non pauper prætermittere potest petitionem hanc: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, namque hac oratione permotus Cœlestis Pater nostris animæ corporisque necessitatibus consulit. Nobis timendum non est, ut Deus nobis nostrum deneget panem, nobis inquam filiis suis, cum large effuseque ipsis etiam brutis animantibus necessarium victum suppeditet: *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. Quamnam illi ferimus injuriam, cum de bonitate illius diffidentes per illicitas, pravasque vias victum nobis comparamus? Serviamus illi tantum ea cum fidelitate, quam patri suo debent filii; non desunt illi sexcentæ rationes nobis subveniendi, & nos potius a nostra fidelitate cessabimus, quam ille ab effusissima sua erga nos liberalitate. *P. Segneri*.

Psalm. 146.

Nobis quotidie petendum est, quin solliciti simus de crastino.

Si dicimus *da nobis hodie*, nobis de crastino laborandum non est. Pro hodierna, crastinaque simul die petere argumentum esset diffidentiæ; quam Pater Cœlestis in filiis pati non posset. Manna Israelitis in unam tantum diem dabatur; sed ne uno quidem die intra annorum quadraginta spatium defuit illis. Da ergo mihi, Domine, spiritalem escam, videlicet gratias, omniaque subsidia necessaria ad recte agendum, & in virtutis via progrediendum. Quam suave est hoc edulium iis, qui illud gustare norunt. Sed hoc sub nomine panis a te peto; satis mihi est, ut in tui amore, quæ vita est animæ meæ, me communiat. Escam quoque corporalem te poscere debeo, Domine; sed neque hujus copia, neque suavitas sunt votorum meorum objecta. Quod unum mihi necessarium est, panis est,

quem

quem flagito citra omnem cupiditatem cum specto nitorem, ac delicias, quas parit opulentia. In paterna tua bonitate tantum confido, ideoque panem quotidianum dumtaxat a te peto: eadem quotidie fruor largitate; quam suave mihi est quotidie eidem gratiarum meatum obsequium offerre. *P. Segneri in Meditationibus*.

Panis petendus fidenter est, & nomine panis omnia corporis subsidia intelligenda.

Domino dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ut ex hac loquendi ratione intelligamus, qua fidentia panis hic sit a nobis poscendus. Volumus alimenta: pater ea semper tribuit filiis, tanquam omnino necessaria, quin ea veluti gratiam concedat. Attamen ne speremus saltem horum alimentorum copiam, si nihil agimus propter Dum: æquumne esset illum saturare, & saginare animam nostram, ut Rex Propheta loquitur, cum interim eidem deservire non conamur? *Si quis non vult operari, nec manducet*. Denique dicimus: *Da nobis hodie*, ut omnem a nobis in diem crastinum curam auferamus. Sæpe in viis salutis despondemus animos, ne subsidia, quæ illas suaves statim nobis efficiunt repente deficiant. In hodiernum igitur dumtaxat diem cogitemus, quemadmodum hic, & alibi præcipit Dominus: *Nolite solliciti esse in crastinum. Idem*.

2. Thess. 3.

Matth. 6

Solum necessarium petendum a nobis est.

Consideremus hæc verba: *Panem nostrum quotidianum da nobis*; in his omnia ad corporis nostri victum necessaria continentur. Primum; hæc alimenta dicuntur *panis*, ut intelligamus victum, non delicias esse inquirendas; nobisque utendum terræ hujus bonis eodem modo, quo communi esca, videlicet pane. Secundo dicimus *panem nostrum*, ut iis contenti, quæ Dominus e se judicat dare nobis, non quæramus ea, quæ possidentur ab aliis. Tertio poscimus panem nostrum quotidianum, ut discamus coercere inexplebilem bona bonis aggerendi libidinem, quod faciunt avari divites, *qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines*. Hoc est petere quod superfluum, & supervacuum est, mollitiei, & superbiæ alimenta: Verus Christianus in iis immoratur, quæ necessaria sunt corpori, ut anima Deo alacrius ancilletur. Quarto dicimus, *da nobis*, ut ostendamus qua fiducia a Deo nobis petenda sint corporis alimenta, cum iis uti volumus eidem impensius famulaturi. *Segneri in Meditationibus*.

Baruch 3.

His verbis a Deo petimus opem nostris necessitatibus congruam.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quemadmodum Pater jure obedientiam exigit a filiis si participes fieri velint hæreditatis eorum; ita filii merito expectant ab illo victum suum, ita ut omnibus officiis suis rite valeant defungi. Hæc autem præsertim expectant, cum vident parentes suos bonis diffluere, se vero omnibus destitutos esse. Quis autem pater est, qui æque dives sit, ut Deus noster? Quinam sunt filii pauperiores, indigentiores, nobis? Ita nos admonet Dominus, ut fidenter a Cœlesti Patre ea petamus, quibus indigemus; non quod ille præsto non sit, ut sponte illa suppeditet, sed ut omnia bona ab illo uno proficisci meminerimus. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Duplici rerum genere indigemus spiritualium & temporalium.

Cæterum duplici in discrimine ea sunt, quorum indigemus, spiritualia, videlicet, ac temporalia. Quorum illa ad animam spectant, ad quam nutriendam spirituali opus est alimento. Hæc autem sunt corporis, cui materialia alimenta, indumentum, tectumque sunt necessaria. An verebimur, nos a Patre Cœlesti non impetraturos congrua hujusmodi necessitatibus subsidia? Patres secundum carnem filiis suis illa minime negant; hos edocent, & edoceri curant vitam Christianam, licet tantillum iis insit religionis, quod vero pertinet ad corpus, nulla in re desunt. Ne dubitemus ergo in omnibus necessitatibus nostris ad Cœlestem Patrem confugere: gratiam illas cognoscendi precemur; postmodum autem fidenter, ut iisdem ipse consulat, obtestemur. Consideremus hæc verba, *panem nostrum da nobis* in eorum sublimiori sensu, videlicet quatenus ad spiritualem escam referuntur. Primum omnium animæ nostræ alimentorum, nomine panis significatum est adorabile Jesu Christi corpus in Eucharistia; *hic est panis, qui de Cœlo descendit*. Sub eodem nomine panis alia etiam alimenta spiritualia significantur, divinum verbum, oratio, consolationes, lumina, lacrymæ, quæ orationi comites accedunt, & præsertim subsidia, quæ tanquam valida propugnacula nos in statum adducunt hilariter obediendi mandatis Domini, & illius beneplacito acquiescendi. Si hæc petimus subsidia sub simplici nomine panis, non ideo minus epulæ sunt per se exquisitissimæ, ac suavissimæ; sed illas ob id cupere debemus, tamquam ad nutriendum, confirmandumque spiritum accommodatas. Salvator igitur hoc in loco vult, nos uti nomine Panis, ad auferendum immodicum desiderium, quo spiritualium deliciarum teneremur; atque ut eo contenti pane, quem nobis largitur, & qui in statu nostro nos decet, non desideremus etiam cum hoc panem aliorum. Filii, qui ex se nonnisi egestate laborant, numquid jus non habent a te victum suum petendi, Pater omnium ditissime, & amantissime? Ita est, Deus meus nostra obedientia, ac miseria tituli sunt, jus nobis præbentes omnia ea, quorum egemus, a te deposcendi. *Segneri Meditationum*.

Joann. 6.

Deus tunc precum nostrarum effectum concedit, cum utilia sunt nostræ saluti.

Si quid petimus tamquam perutile nostræ salutis medium, & nos damnati non sumus, credamus, hoc neutiquam esse medium illud per quod salvare nos vult Deus; & statuamus salutem nostram operari eo modo, quo ille præceperit. Filius a patre cultrum expetit ad panem secandum; pater, qui timet, ne filius sibi vulnus inferat, non tradit cultrum filio, sed illi panem, quo indiget, frangit. Ita Deus nos semper exaudit, cum salvari tantum cupimus, si enim minus concedit, quod ad salutem requirimus, salutem ipsam concedit, ad quam referendum est quidquid petimus. Da ergo nobis Domine, Sanctum Spiritum, quem a te filii tui petunt, & qui nos filios tuos facit. Doce nos orare, uti opus est, & nobis tribue quidquid necessarium est, ut sicuti oportet, oremus. Jubes nos petere cum fide, ardore, perseverantia. Da nobis fidem, fervorem, perseverantiam. Pater Cœlestis, filii tui sumus; nihil ex nobis habemus, & a te petimus universa. Largire nobis ea, quæ petimus in oratione, per quam possumus & petere, & obtinere universa. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 6.*

Ad precum nostrarum effectum obtinendum cum fide conjungendæ sunt.

Filii Dei mos erat fidem exigere ab illis, qui aliquid non vulgare petebant. Ita egit cum duobus cæcis, ut sibi oculorum acies redderetur orantibus: Creditisne, inquit, me facere posse, quod petitis? cumque se credere affirmassent, tetigit eorum oculos dicens, fiat vobis secundum vestram fidem. Salvator hoc facto innuebat, orandum esse cum fide; fidem obtinere quidquid petitur, & quemadmodum S. Jacobus palam docet, eum, qui sine fide petit, numquam ea quæ petit consecuturum. Neque ideo credas, Deum aliquando non exaudire preces cum tenui fide, vel etiam nulla fusas; quippe exaudivit preces Patris increduli in Evangelio: sed tunc id agit per misericordiam, quam nullo jure sibi promittere possunt; tunc oratio non meretur eam, quam recipit gratiam. Sed qui cum fide in oratione petit, quæ sunt petenda, obtinet omnia; nam juxta explicitum Jesu Christi verbum, omnia possibilia sunt credenti. *Idem ibidem*.

Ad Dei gratiam obtinendam ardenter petere debemus sed semper in nomine Domini.

Dei dona requirunt cor extensum, ut illa recipiat. Desiderium dilatat cor. Vult Deus nobis suam gratiam conferre; ipsi vero illam nondum satis concupiscimus. Differt ergo, quæ largiri vult, ut impensius optemus, & per desiderii incrementum nosmet illis recipiendis dignos præbeamus. Usque modo nihil petistis in nomine meo, dicit Dei Filius Apostolis suis. Plura quidem illi petierant, sed ea in Jesu Christi nomine non petierant. Ignorabant illi hunc mediatorem esse, per

quem

quem & petere debebant, & recipere. Jesus Christus illos sensim erudiebat, & gradatim adducebat ad perfectionem, ad quam erant perventuri. Ut peterent in nomine illius, ab iis cognoscendus erat tamquam mediator, ideoque etiam Deus; nam juxta Apostoli Doctrinam mediator inter Deum, & hominem Deus esse debet simul & homo donec firmam acquirerent fidem, distinctamque notionem divinitatis Christi Jesu, qualem post hujus resurrectionem obtinuere, sinebat illos orare eo modo, quo oraverant Patriarchæ; sed nondum eos palam erudiebat, ut in nomine suo orarent. Hoc illos docuit pridie quam moreretur, ut post resurrectionem, quæ fidem ipsorum erat excitatura, possent hoc pacto orare, & exaudiri. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 6.*

Ecclesia publicas preces indicit, ut peccator particeps sit orationis justorum.

Filiis suis etiam, atque etiam Ecclesia publicas preces commendat, ut justis peccator admixtus, & justorum precibus speret, quod suis obtinere non posset. Publica oratio est oratio Ecclesiæ, ideoque Sanctorum. Verum est eos omnes, qui hisce precibus intersunt, sanctos non esse; & si seorsim orarent, de orationum suarum virtute illos dubitare posse; sed ubi orant in communi, oratio eorum fulcitur, ac elevatur precibus fratrum suorum, qui Deo sunt jucundiores. Denique, Sanctus Augustinus sit, gemit columba, columba exauditur; videlicet Ecclesia pudica ista, ac innocens sponsa orat, & exauditur. Sed sive preces nostras cum Ecclesiæ precibus conjungamus; seu nosmet precibus Sanctorum commendemus, contendamus dignos nosmet exhibere gratiis, quas Sancti pro nobis deposcunt. Quantum enim cumque valeant apud Deum, non semper audit illos, cum pro aliis deprecantur; non quod minus acceptæ illi sint eorum postulationes, sed quia illi, pro quibus laborant, pares non sunt recipiendo ea, quæ pro ipsis petuntur. Te orantes, Domine, pro vitæ præsentis necessitatibus, multo magis pro omnibus necessitatibus animæ nostræ precamur. Tellus hæc arida est, quæ sine voluntario gratiæ tuæ imbre, quem ipse reservas juxta Prophetæ verba, iis, quos respicis tamquam populum, atque hæreditatem tuam nihil producere potest. Terram hanc visita, Domine, & ne permittas, alienum ei dominari; jure enim tua est, & nemo præter te ejus possessionem æquo jure sibi potest vindicare. Effunde super illam salutares influxus, & fructus te dignos afferet. *Idem.*

Oratio Mentalis, & Meditatio &c.

Meditatio est spiritus, & cordis studium. Psalm. 35.

MEditari generatim loquendo non aliud est, quam attente cogitare. Peccator ita sæpe meditatur: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Tamen meditari hodierna die verbum est sacris rebus devotum; & duo complectitur cogitationem, & sensum. Ita simpliciter cogitare verba, ex quibus constata est oratio, quæ recitatur, quin attendatur eorum significatio, hoc meditari non est. Cogitare sensum, quem verba complectuntur, ac in eo subsistere, ne hoc quidem esset meditari. Meditari est ea cogitare, quæ recitantur, ita ut in recitante excitentur sensus meditationi conformes. Meditatio studium est mentis simul, & cordis. Admittendum non est, ut orationum, quæ Domino offeruntur, sensus rite concipiantur, nisi ut foveamus sensos concordes verbis, quæ pronunciamus: sensus amoris, confidentiæ, humilitatis, contritionis &c. Cum mens, & cor in precibus nostris consociabuntur, tunc verum erit dicere, nos meditari non secus ac Columbam, quæ simul cogitat, & gemit: *Quasi columba meditantes gememus. P. Segneri in Meditationibus.*

Isaia 59.

Per meditationem anima gustat delicias contemplationis.

Meditatio est cibus animæ, sed hic tamen amarus est; contemplatio vero est suave exercitium, ubi anima laboribus, distractionibus, erroribus mentis vacua, in requie majores adhuc fructus, quam in simplici meditatione colligit. Cur vero non statim contemplationi vacandum est? Quicumque hæc loquor, ostendit, se nullum habere usum orationis: Hoc esset contra prima principia peccare. Et sane contemplatio nonne est perfecta meditatio, quæ non fit tam longis ratiociniis, sed simplici, leni, facili intuitu, & effundit plus minosque gaudii in cor, secundum gradum, quo anima sanctam hanc exercitationem prosequitur? Verum audebimusne initium ducere a cognoscendo per simplicem intuitum ea, quæ antea cognoscere non studuimus per partes? Sponsa, hoc est, anima sancta deliciis affluit, ubi auribus ejus accidit dilecti sui sponsi nomen. Quare? quia jampridem assuevit considerare perfectiones omnes, quibus efficitur amabilis: *Totus desiderabilis, talis est dilectus meus. Idem ibidem.*

Ad contemplationem nonnisi per meditationem perveniri potest.

Cumulari vellemus insignibus orationis favoribus, quin illos quodammodo fuerimus per laborem, & meditationis crucem promeriti. Quæ temeritas, quis error? In contemplatione quidem anima suavissimis flammis divinæ charitatis succenditur, sed hic ignis in meditatione inflammari consuevit: *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescet ignis.* Ne pudeat nos igitur re adhuc integra clamare *tamquam filius hirundinis, & gemere tamquam columba.* Alioquin in occasionibus nosmet vincendi, intelligemus sublimioris generis orationem ad quam nosmet attollere voluerimus ante tempus, nobis nequaquam esse aliud, quam proceram arborem foliis, quidem onustam, sed fructibus vacuam, eo quod satis profundas radices non jecerit. Heu! Quot preces inutiles, quia labiis dumtaxat hærentes! Ullane æquior esse mihi potest pudoris ac pœnitentiæ causa, quam hactenus ignorasse meditationem cum vocali oratione consociare? Quam pretiosos fructus ex oratione collegissem, cum hic jejunus, & egenus inveniar? Sancte Spiritus doce me orantem meditari. Illumina mentem meam, & levitatem meam fige, ut attentus precibus, quas recitat lingua mea, earum assequar sensum.. Verum simul emove cor meum, ut eliciam sensus amoris, confidentiæ, ac reverentiæ conformes verbis, quæ profero. Ita gratia tua operam mihi ferente, o Deus, mens simul & cor in oratione mea consociabuntur, ut cognoscam, & diligam Legem sanctam tuam. Si hoc sanctum exercitium mihi molestum videtur, curabo, ut nutriat animam meam, ut illam purificet, ut illam præparat gustandis deliciis contemplationis. Quam beatæ sunt animæ, quæ sese usque ad Thronum tuum attollunt, ibi magnalia tua admiraturæ! Quænam pax, quæ suavitas in intima hac unione tecum. Sed earum beatitatem admiratus meminisse debeo illuc nonnisi per laboriosam meditationis viam perveniri. Post hæc, Domine, non peto, ut ingrediar sublimes hasce vias, per quas electas animas tuas deducis; satis superque beatus si ad te viis stratis, & communibus perveniam hoc unum posco, ut tantum tibi fidelis sim, quantum debeo. *P. Segneri in Meditationibus.*

Psalm. 38.

Anima in Oratione semet attollit supra se, conjungens se Deo.

Ratio comparandi in hac quoque vita animæ nostræ honorem incomparabilem, est nosmet orationi tradere, ac sæpius quam fieri possit, nosmet sub Dei oculos statuere. Est cum illo colloqui, ultro citroque verba reciprocare, & excipere. Anima hisce momentis rerum mortalium oblita se attollit, & se conjungit cum solo objecto, quod colit. Cætera sibi indigna videntur; seorsum voluptates, sæculi honores, nullo ipsa habet in discrimine. Hæc non est amplius Jerusalem vaga, quæ sese abjiciat tradens semet objectis eadem indignis; hæc est Virgo Sion, pudica Sponsa, quæ calcat hæc omnia terrena, & cui nihil magis placere potest, quam adspectus, & vox Cœlestis Sponsi, in quo omnem gloriam, ac felicitatem constituit. *Idem ibidem.*

Lucrum inæstimabile, quod

Oratio mentalis est insignis perfectionis materia: & Oratio Dominica ubertima seges est pro

omni

percipit anima ex mentalis Orationis exercitatione.

omni genere Orationis mentalis. Bipalmaris, ac periculosus error est arbitrari mentalem orationem ad Regulares tantum, & Ecclesiasticos pertinere. Maximum in Ecclesia malum est, & fraus dæmonis sæcularibus maxime noxium his persuadere, orationem hanc non esse pro illis, qui in mundi commercio versantur: nihil enim Sanctorum sententiæ magis oppositum invenitur. Quomodonam fit, exclamabat S. Theresia, quòd non omnes ad te per Orationem conantur ascendere? Mirum est, Christianos, qui per Baptisma facti sunt filii Divinæ adoptionis, non admittantur nosse rationem consuescendi cum Deo! sciunt se impares esse, se eo destitutos esse dictitant spiritu, qui necessarius est ad rationem hanc perdiscendam; sibi tempus deesse jactitant in sanctam hanc exercitationem traducendum; hoc denique nimis arduum esse, nimisque difficile. Quid inde? Terra universa criminibus diffluit, quia nemo est, qui applicet mentem, & cor ad interiorem Orationis exercitationem. *Ratio recitandi Orationem Dominicam.*

Quemadmodum spiritus humanus potest simpliciter cogitare non solum, verum etiam ratiocinari de rebus, eisque impensius contemplandis diu inhærere, ita tres sunt species Orationis, quarum prima dicitur Consideratio, altera Meditatio, tertia Contemplatio. Consideratio vix subjectum attingit, & parum immoratur; Meditatio ratiocinatur, & rem ipsam ruminat; Contemplatio vero animam illi adnectit. Consideratio fere sine labore fit; sed qui negligunt Orationis exercitium ut de mundi rebus cogitent, vivunt mundo, non Deo. Neque arbitremur quisquam se labiis orantem, cor autem a Deo longe semotum habentem vivere, tamquam verum Filii Dei discipulum; Sancti enim, qui sciunt, quid sit Oratio, dicunt esse elevationem, non quidem vocis in aerem, sed mentis, & cordis in Deum. Nemo igitur credat se vivere Deo, vel propter Deum, nisi illum dies, noctesque ex toto corde quærat. Cæterum nemo causetur suarum multitudinem curarum, quibus Orationi vacare prohibetur; nemo unquam extitit pluribus majoribusque negotiis impeditus, quam Apostoli, quorum provincia erat totius mundi conversio. Hac in re satis est eorum unum intueri, Paulum videlicet, qui post prolixam enumerationem eorum, quæ fuerat perpessus, addit; *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Tunc

2. Cor. 2. 19. 28.

homo ille tot rebus distentus, quibus distrahi poterat, tempus nanciscebatur, quo orationi vacaret; vacaret autem, ut quemadmodum de se ipso fatetur, cum Angelis in Cœlo consuescere sibi videretur. Ibi cor illius erat, non secus ac thesaurus ejus. Vivo, ajebat, at non amplius ego vivo, vivit autem in me Christus. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis suis.*

Vita activa cessabit aliquando, sed contemplativa æternum subsistet in Cœlo.

Quantumvis sancta sint vitæ activæ munera, nonnisi intra vitam hanc subsistere possunt. In Cœlo nulli erunt alendi pauperes, nulli succes erudiendi. Omnia hæc charitatis officia cessabunt cum miseriis, quæ eorum sunt consequentia, sed Mariæ pars non cessat, Animæ conjunctio cum Deo, quin cessatura sit, augebitur, semper erit magis intima, atque perfectior. Marthæ convivium abiit, illud vero Mariæ manet adhuc. Tunc micas colligebat famem sedatura; nunc saturatur, æternumque saturabitur eodem verbo, quod hic infra lac est infirmorum, ac debilium, in Cœlo vero panis est grandium, & fortium. Post hæc quisnam ambigit, Mariæ partem meliorem non esse, quis illam imitari nolit? Sed ut hanc imitetur, hoc est, ut spiritus sese convertere possit ad supremam hanc veritatem, ad cujus imagines creatus fuit, amoveat procul opus est objecta omnia sensibilia, quibus septus est, & quæ illum a Deo revellere conantur, ut illud agglutinent sibi. *Sermo primus Accademiæ* 1675.

Quomodo discendū

Qui volunt se ad orationem formare, initium ducere debent a primo ejusdem faciundæ modo, videlicet per considerationem, cum enim nondum assueti sint interioribus exercitationibus, cumque aliunde sint obnoxii distractionibus sensuum, nequeunt diu eidem inhærere subjecto, eisque satis est pias aliquas animadversiones efficere. Sed per hoc orationis genus via sternitur ad alia, & licet consideratio non sit nisi postremus orationis gradus; tamen pluris facienda est, quam alia plura pietatis exercitia; quia breve spatium colloquii, & consuetudinis cum Deo, majorem adfert animæ utilitatem, quam plures actiones bonæ extrinsecus dumtaxat factæ. *Ibidem.*

sit orarē mentaliter.

Intima omnino unio cum Deo eam super terram in sublime attollit.

Duplex est divinarum unionum genus. Per primam, ipsi unimur divinæ voluntati, *unio virtutis*; per alteram; Deus nobis unitur; *unio gratiæ*. Hæc sita est in suavissima communicatione amoris divini, illa in perfecta conformitate voluntatis nostræ cum Dei voluntate. Per utramque ad sanctam cum Deo necessitudinem pervenitur. Sancta hæc necessitudo animæ communicat magnitudinem prorsus divinam. Regia majestas illis, qui familiarius accedunt ad Regem, afflat quemdam magnitudinis habitum, qui eos extollit, ac impares facit rebus iis aggrediendis, quæ abjecta sunt, & indigna. Horum tamen magnitudo nihil habet non humanum, quia majestas, quæ hanc illis communicat, prorsus humana est. Sed majestas Dei erga animam, quæ familiariter cum illo per contemplationem conversatur, divinam illi imprimit magnitudinem, quæ non patitur, illum sese demittere ad contemptibiles sæculi vanitates, ac ad terræ, terrenorumque colloquiorum voluptates. Quidquid ad Deum minime tendit, adeo eidem videtur indignum, ut in hoc ne momento quidem mentem suam figere debeat. Qui eam videt, & audit, hæc pietatem afflare videtur: Tota illius vita perpetuum est divini beneplaciti complementum; infinita quippe suavitas, qua per intimam cum illo unionem cumulata est, efficit, ut quidquid intrat in illam, redoleat hujus unionis jucunditatem, & illa, ut ita dicam, convertat erga Deum objecta omnia, quæ illius imaginationem percellunt. Intima hæc suavitas, quam ex cælestibus percipit communicationibus, est velut divina unctio, quæ præstat, ut amarissima quæque fiant eidem dulcia, & jucunda, eodem, præterpropter, pacto quo fructus immaturi, & amari sacchato incocti omnem acrimoniam atque amaritudinem amittunt. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Æternæ voluntatis paruum nos movent, quia illas non meditamur.

Si Divinæ legis præstantiam, & bonorum, quæ observantibus promittit se, necnon pœnarum, quas se negligentibus minitatur, magnitudinem intelligeremus, numquid illam infringere auderemus? Qui fit, ut hæc objecta adeo magna in se ipsis, parum adeo nos afficiant, nisi quod altius animos nostros minime pervadunt? Quid autem efficere potest, ut pervadant, nisi seriæ animadversiones, crebræque meditationes! Idcirco Deus populo suo etiam, atque etiam commendat, ut dies, noctesque meditetur legem suam, ut eam semper oculis suis habeat suppositam, ut inter manus suas deferat scriptam, sed multo magis in mente, ac animo; ut domi suæ illam meditetur, & in agro illius non obliviscatur. Quid fortius? Et profecto nisi ea, quæ nostri muneris sunt, sæpius a nobis recogitantur; statim obliviscimur, & obliti haud ægre violamus. *P. Nepveu in Christianis Considerationibus.*

Animo deficere non debemus ubi ariditatem in Oratione invenimus.

Expectas, ut in Oratione ostendat tibi Deus faciem hilarem, ac ridentem, ut cum illo quamdam familiaritatis ansam arripias; ego vero dico, ubi simpliciter eidem aperueris cor perfecta familiaritate; futurum ut non amplius tibi negotium facessat, quo vultu ille tibi occurrat. Ostendat ille tibi, quantum ipsi placuerit, faciem severam, iratamque, ne animo deficias; nonnunquam magis amat, quam cum minitatur; neque enim minitatur, nisi ut periculum faciat, ut humilitatem inspi-

inspiret, ut a mundo divellat. Num quæris tantum consolationem, quam tribuit Deus, vel Deum ipsum sine sensu consolationum? Si primum, non igitur amas Deum propter ipsum, sed propter te; hoc in casu nihil apud illum mercetis; sin e contra Deum unice quæris, eum magis invenies, cum tui periculum fecerit, quam cum te suis deliciis saginaverit. Cum te consolatur, timendum est tibi, ne magis consolationibus ejus, quam ipsi inhæreas; cum autem tui facit periculum, si adhuc illi adhæres; uni illi adhæres, non ejus suavitati. Heu! quam fallimur! Inani consolatione inebriamur, cum sensibili gustu sustinemur; arbitramur nos jam ad tertium usque cœlum raptos fuisse; & nihil solidum tenetur adhuc. Sed ubi sumus in fide sicca, & nuda, tunc animos despondemus, quia tunc de omnibus actum esse existimamus. Tamen nihil hoc inanius; tunc enim omnia perficiuntur, dummodo non excidat animus. *Fenelon Cameracensis Archiepiscopus in Asceticis*.

Malum, quod ad fert animæ Orationis defectus, & quam vim & suavitatem anima inveniat in Oratione.

Si repente ab oratione recedimus, vel nisi aliquantisper eidem vacamus, ac inde aliquid alimoniæ desumimus, jam omnibus ad bene agendum viribus destituimur. Spiritualis escæ defectus animæ fastidium parit. Ubi munus adimplendum est tuum, iners es, languidus, ad minimum quemlibet ictum cedis, ob levissimam injuriam exardescis, verbo, sexcenties in diebus singulis peccas. Panis, quo Deus justos alit in Oratione omnis habet saporis gustum, & convivium est a Deo stratum, ubi anima quibuscumque deliciis saginatur: *Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei*. Quid enim animæ jucundius, quam Dei sui perfectiones cognoscere, illum amare, & se ab eodem amari intelligere? Hæ non sunt nugaces, ineptæque deliciæ, quæ sæcularium sitim augent; sunt solida, & vera gaudia, quibus cor ipsum repletur. Ita sapiens ea panis nomine appellat; quia panis cibus aptissimus est alendis, & roborandis hominibus: *Panis cor hominis confirmet*. *Auctor Recens*.

Psal. 67.

Psal. 103.

Oratio suavissimus est animæ Christianæ cibus.

Quasnam epulas nobis mundus offerre potest, quæ cum hac valeant comparari, qua Deus hominem nutrit, secum in Oratione colloquentem? Illæ superficie tenus afferunt voluptatem; hæc cor ipsum penetrat, ac vi, & fortitudine replet. *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei*. Quod nobis exhibet mundus est tamquam virulentæ dapes, quarum dulcedo blanditur quidem gutturi; sed quarum mox lethalis sentitur amaritudo. E contra cibus, quem nobis in Oratione præbet Deus, similis est cupediis suavissimis simul, & saluberrimis, quæ quo magis gustantur, eo magis perquiruntur. Saturamini, si fieri potest, hac esca cœlesti; numquam nauseam creabit; & quo magis replebimini, eo magis fames vestra augebitur. *Idem*.

Jerem. 15.

Terrestrium rerum vanitas nequit cognosci nisi hac cum æternis comparatio.

Quicumque mentem, ac memoriam habet repletam acri, ac vivida recordatione rerum earum, quæ ad fidem, alteramque vitam pertinent; licet ea non cogitet incessanter, neque semper habeat mentem magnarum harum veritatum meditatione occupatam: tamen cum aliqua vehemens ingruit tentatio, ac fortis communis hostis suggestio: tunc illatum virtutis præsentiam agnoscit, quippe paratus est propulsandis cogitationibus, quæ fidei adversantur. Tunc enim ratio, quam fideles fulcit, ac soborat, auget pretium rerum supernaturalium. Recentes colligit vires ex temporalium rerum cum æternis comparatione, & præter propter in anima facit, quod Sanctus Augustinus in re satis vulgata, ac naturali admiratur; nempe calx, si tangatur, frigida videtur, qua in se omnes sensus conveniunt; sed si illi injiciatur aqua, statim effervescit, ac inflammatur. Hoc ipsum terrenis rebus accidit, quæ cum æternis collatæ, propter usum, qui de illis fieri potest, præstantissima fiunt; & sine hac comparatione, nullius pretii habentur. *Ex Italo tractatu, cui titulus: L' Eternità Consigliera*.

O T I U M.

Labor, negotium, otii fuga, necessitas, qua fideles omnes operari tenentur &c.

M O N I T U M.



Ria potissimum sunt argumenta, cum quibus præsens hoc aliquem habet nexum; & quorum pars vel est, vel esse potest. Primum est vita mollis, quæ simul otiosa est, quam otium nocentem facit, licet illa nihil aliud mali efficeret. Alterum est temporis jactura; constat enim otiosos homines magis quam cæteros temporis jacturam facere. Tertium denique cura est salutis æternæ ab omnibus adhibenda; nequicquam enim vivimus, & inutile terræ pondus sumus, nisi magnum hoc, unicumque negotium nobis jugiter ob oculos mentis versetur, & nisi ad id omnes ætatis, industriæque nervos contendimus. Quemadmodum autem singulis hisce argumentis titulum, locumque seorsim reservavimus; de otio pertractantibus nobis advitendum est, ne illud cum aliis confundatur argumentis. Ideo generatim dumtaxat de hoc verba facimus, hoc supposito, quod ad otium vitandum semper laberi vacandum est, & vacandum utiliter.

Quamquam de otio singillatim, ac seorsim a quovis argumento loqui hoc in titulo statutum sit, otii tamen fugam separare non possumus ab operandi necessitate, quæ nobis adest, & quæ unum, & idem efficit argumentum, cum alterum vicissim ex altero necessario consequatur; itaut parum intersit, uter huic materiæ titulus præfigatur. Animadvertendum est tamen, quemadmodum varia argumenta, cum quibus istud cohæret, sibi mutuo facem præferant, mutuisque firmentur auxiliis, eos omnes, qui de illis egere, omnia forme permiscuisse, ut suas conciones replerent. Nobis vero cura fuit ea tantum colligere, quæ ad otium, & laborem generatim pertinent, hoc posito, quod sciat unusquisque, quibus operibus vacare debeat pro statu, munere, & conditione sua: atque si otium dicimus actionum nostrarum inutilitatem, vel laborem, qui non refertur ad Deum, huic rei, tamquam conditioni, quam supponimus, innitimur.

Cæterum cum ad mortalium plerosque hoc argumentum pertineat, in irritum cedere, nullamque ferre utilitatem non potest, quippe cursum inhibet malorum, quæ parit otium; neque dubitandum quominus plurima auferrentur mala, si omnibus hominibus persuaderi posset, ut otium effugerent, atque utilem operam navarent.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

I. PRimum argumentum, quod sese statim offerat, inevitabile est necessitas otii quidem fugiendi, laboris vero amplectendi. Inevitabilem voco necessitatem, quia ad id tenemur quatenus homines, quatenus Christiani, quatenus peccatores. Quæ tria totidem nobis apertissimas, certissimasque suppeditant rationes, quæ pro concionis partitione possunt assumi.

Prima qualitas, quæ nos operari, ideoque otium evitare cogit, est qualitas hominis. 1. Si hominis naturam inspicimus, factus, & natus est ad laborem, ut avis ad volandum, quemadmodum Biblia testantur. Satis est paulo serius cogitare corporis illius partes, omnium organorum ipsius nobilitatem, perennem vitalium spirituum motum, qui ubertim sese in omnes artus effundunt; quæ omnia satis ostendunt vitam illi ad agendum esse concessam, & illum jam mortuum censeri, ubi agere cessat. In ipso etiam innocentiæ statu, illi otiandum non erat, quemadmodum inquit Scriptura Genes. 2. *Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum &c.* Ita quatenus homo, nemo a labore immunem se debet arbitrari, non magis dives, quam pauper, nobilis, quam ignobilis. 2. Sin homines consideramus non in ipsa natura, sed tanquam politici corporis membrum, plurima illi obeunda sunt officia, quibus sine labore, & cura nequit perfungi. Exercenda illi ars est, munus, magistratus, & homo otiosus inutilis est, ac ineptus. 3. Homo denique tamquam privatus aliquis inspectus, rebus suis tenetur consulere, familiæ curam gerere, domesticis invigilare &c. quæ omnia laborem supponunt; & quodnam malum est, cum otiatur, atque solatiis tantum, & oblectamentis indulget?

Christiani qualitas nos arctius ad laborem obligat, & plures laboris occasiones suppeditat. Satisfaciendum est religionis officiis, bona opera exercenda sunt, patiendum est, animi ægritudines cohibendæ, & charitatis opera efficienda. Nullum officium, præceptum, consilium, virtus est, quod plurimo non fiet labore, & otium in Christiana lege tamquam damnationis status damnatur. Quid igitur de mundi sectatoribus, quid de mundanis mulieribus sentiendum est, omnem vitam suam in otio transigentibus &c.

Denique quatenus peccatores ad laborem tenemur, quæ enim post primi hominis crimen nobis inflicta fuit pœna? Acceptandus igitur nobis est labor nostro statui, & vocationi inhærens in spiritu pœnitentiæ, & veluti facilior, atque validior ratio non solum satisfaciendi justitiæ Dei pro iis, quæ commisimus, criminibus, verum etiam prohibendi, ne præteritis accedant recentia; qui quidem duo sunt effectus pœnitentiæ.

II. 1. Nihil nobis majori cum sedulitate effugiendum est, quam otium propter mala, quorum fons est, & origo, ac propter bona, quibus nos privat. 2. Nihil facilius, quam otium evitare utiliter muneris nostri, religionis, ac status officiis perfungendo. 3. Nihil tamen est, ubi magis deficimus; plerique enim vel inertem, otiosamque vitam ducunt, vel alteri cuipiam rei operam navant, præter eam, ad quam illis incumbendum esset; vel inutili, irritoque labore fatigantur.

III. 1. Christianus non debet inertem ducere vitam, quæ opposita est spiritui Jesu Christi, Evangelicis institutis, ac illis, quæ de nobis concepit Deus, consiliis, cum ad Christianam religionem evocavit. 2. Non omnia negotia Christiano sunt digna; quædam fugienda, & evitanda sunt tamquam saluti nostræ periculosa, quædam tamquam inutilia, quædam vero veluti noxia. 3. Quænam sint, & quænam esse debeant hominis Christiani operæ.

In hæc Sapientis verba: *Qui sectatur otium, replebitur egestate*, sermo concinnari potest, ac ostendi triplex egestatum ex otio proficiscentium genus: IV.

1. Temporalium bonorum egestas, quæ illud plerumque subsequitur, quemadmodum Sapiens idem Prov. 20. testatur: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit in æstate, & non dabitur illi.* Hic ostendendum est, otiosos homines non solum non acquirere, verum etiam patrimonium suum in alea, crapula, & impudicitia obligurire; quod occasionem præbebit late otiosam describendi vitam, suas tantum voluptates quærentem, suaque bona, tempusque, curasque omnes in solatiis, & oblectationibus insumentem. 2. Egestas bonorum supernaturalium, & gratiæ, quam negat Deus illi, qui nullum ex eadem fructum perciperet, qui nullam acquirit virtutem, neque ad seipsum in hoc mundo sanctificandum labores impendit. 3. Egestas bonorum gloriæ; nullum enim in hac vita meritum acquirens, nullam in cœlo mercedem assequetur, immo etiam post mortem iræ, & ultionis thesaurum inveniet.

1. Qui otiosam vitam traducit, in eo deficit, quod Domino debet; in mundo enim sumus, ut serviamus illi, atque ad majorem illius gloriam agamus; quod si adeo necessarium munus negligimus, in vano animam nostram, ut Propheta inquit, accepimus. 2. Deficit in eo, quod proximo debet; homines enim mutuis sibimet prodesse debent operibus, & charitas, quam ultro citroque exercere tenentur, non debet otiari. 3. Deficit in eo, quod debet sibi; tenetur enim ad æternam beatitudinem contendere, ac salutem suam operari. V.

Secundum Theologorum principia triplex in Deo erga nos justitiæ genus distinguere possumus, quæ totidem sunt divinæ ejusdem essentiæ attributa. Prima est ultrix justitia, altera legalis, tertia remunerativa. Ultrix illa est, quæ punit scelera; legalis, quæ status regit; remunerativa tandem, quæ præmia distribuit. Tres hæ justitiæ homini imponunt inevitabilem operandi necessitatem, illius otium damnant, ac illud coram Deo nocentius efficiunt. VI.

1. Ultrix justitia labore peccatorem punit, ideoque nisi hic illum tamquam sceleris pœnam recipiat, probro dignus est. 2. Legalis omnes mundi status gubernat variis laboribus, quibus eosdem applicat, ideoque otium damnat criminis, quod admirabilem hanc perturbat œconomiam. 3. Remunerativa denique justitia laboribus tantum præmia proponit, ideoque otium suppliciis omnibus dignissimum judicat. *Ex primis sermonibus sub Patris Bourdaloue nomine editos.*

1. Otium cum sit malorum omnium origo, & parens vitiorum, illud evitandum est nobis, ut omnia ea peccata evitemus, ad quæ homines impellit. 2. Cum otium inimicum sit virtutum omnium, quibus oppositum est, easque ex corde nostro proscribat, illud quoque proscribendum est nobis, si Christianam, ac virtutibus excultam vitam vivere cupimus. 3. Cum otium prohibeat, ne status, & conditionis nostræ munera obeamus, fugiendus est, si honesti haberi volumus, ac in officiis nostris diligentes. VII.

1. Per otium perimus, & damnamur inertem, inutilem, bonisque operibus vacuam vitam ducentes: & eorum, qui hoc pacto vivunt, vis magna est. 2. Perimus, atque damnamur per nimium laborem, atque occupationem, quæ bene regi debet VIII.

sine

fine festinatione ; juxta nostram conditionem , & quæ bonum semper sibi debet finem proponere,

IX. 1. Otium in se malum est, divinæ legi contrarium , in Evangelio damnatum . 2. Otium plurimorum malorum est causa , uti docet experientia, 3. Otium pluribus nos bonis privat , inutilia efficit talenta, cœlestibus privat gratiis, &c. *Ex speciminibus sermonum pro Quadragesima.*

X. Sanctus Gregorius animadvertit hac in vita tria esse occupationum genera ; quædam sunt vanæ, & inutiles ; quædam arduæ , & laboriosæ ; quædam denique noxiæ.

1. Evitandæ sunt, quas vacuas , & inutiles novimus , alioquin vitam aggredimur otiosam , & ignavam, qualis est plerorumque mortalium. 2. In pœnitentiæ spiritu illæ acceptandæ sunt , quæ cum labore, & cura sunt conjunctæ , cum nos necessitas cogit , vel Deus ad illas nos evocat . 3. Quæ vero sunt noxiæ, & proximæ peccati occasiones omnino sunt relinquendæ.

XI. Altera hæc etiam eligi potest occupationum partitio. Aliæ bonæ sunt, aliæ malæ , aliæ neutræ .

1. Bonæ quidem subeundæ sunt , ac inde, quæcumque potest , utilitas percipienda, in iis bonis operibus persequendis, quorum illæ nobis occasionem suppeditant. 2. Malæ omnino abdicandæ sunt , si susceptæ fuerint, atque omni sollicitudine adnitendum, ne suscipiantur. 3. Quæ neutræ sunt ad bonum finem sunt dirigendæ, atque hac ratione bonæ efficiendæ.

XII. Cum Christianus quilibet habere debeat spiritum Jesu Christi , 1. nihil Christianismi spiritui magis oppositum est, quam otium, quod in nobis omnes pietatis sensus extinguit , ac prohibet , ne propter Deum operemur . 2. Nihil magis necessarium est ad Christiani spiritum in nobis fovendum, quam labor. *La Font.*

XIII. Bifariam peccari docent Theologi , scilicet per omissionem , & commissionem : otium vero utraque ratione nocentes nos facit . 1. Efficit enim , ut omittamus bonum , quod facere tenemur , & hoc dicitur peccatum acidiæ , atque negligentiæ , qua ea , quæ ad salutem pertinent , nullo in discrimine habemus . 2. Efficit , ut ea committamus scelera , quæ divina lege prohibentur ; quia, uti Scriptura inquit , Illa nos docet , & ad illa sollicitat ; & sane nullum scelus est, cui committendo otiosus homo par, ac præsto non sit. *P. Gironst.*

XIV. Alius est labor supplicii , quo damnati fuimus , & a quo nemo se immunem esse contendere potest. 2. Alius labor est vocationis, quæ statui nostro inhæret. 3. Alius labor est necessitatis, qualis est artificum, qui suadendi sunt, ut ex necessitate virtutem faciant.

XV. Duo sunt extrema contraria , quibus otii nomen tribui potest, & quæ fidelis æque evitare tenetur . 1. Alterum est, vitam ducere prorsus inertem sine ulla seria , utilique occupatione . 2. Alterum est frustra laborare , sexcenta obeundo negotia , quæ nihil ad cœlestem prosint æternitatem. Primum illud ignavum est otium , quod crebro mortales in plurima vitia compellit ; secundum hoc est otium negotiosum , quod inutilibus occupatur rebus , ac prohibet , ne iis , quibus oportet , vacemus. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in Dominicali , sermone pro Septuagesima.*

XVI. 1. Otium claudit ostium , ut ita dicam , virtutibus omnibus; hæ quippe curam, laboremque poscunt, quem, qui in otio innutritus est , pati non potest . 2. Aperit ostium vitiis omnibus ; nullum enim est , cui patrando otiosus homo vel præsto , vel saltem par minime sit.

XVII. 1. Otiosa vita numquam est innocens , quippe ex natura sua status est peccati . 2. Ut plurimum multis est criminibus obnoxia , quæ vix potest effugere. *Multam malitiam docuit otiositas.* Eccli. 3. 3. Impellit ad peccata gravissima, & flagitiosissima.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas concionum ideas pertractandas, & Auctores, qui de hoc egerunt argumento.

Sanctus Augustinus *serm.* 10. *de tempore* enumerat vitia, quæ otium parit. Sancti Patres.

Idem tractatum edidit *de oper. monach.*

Idem in Psalm. 127. in hæc Prophetæ verba : *Labores manuum tuarum , quia manducabis* , docet nobis operandum esse, donec tempus habemus , aliquando laborum nostrorum fructum percepturi .

Idem, vel Auctor sermonum *ad fratres in Eremo sermone* 16. ostendit creaturas omnes laborare singulas pro modulo suo; homini soli in otio vivendum non esse: & sermone 17. ostendit malum, quod otium parit in mundo .

Sanctus Hieronymus *in cap.* 9. *Amos* ait otiosos facile tentationibus superari.

Sanctus Ambrosius *lib.* 3. *offic. cap.* 1. exemplo Moysis ostendit , laborem quemdam adesse , qui requies videtur, & plurimum facit.

Sanctus Chrysostomus *Homil.* 18. *in Epistol. ad Ephes.* ignavi servi exemplo ostendit malum esse nihil facere.

Idem *Homil.* 35. *in Act. Apost.* pluribus comparationibus ostendit bona , quæ homo habet occupatus præ otioso.

Idem in hæc Geneseos verba ; *Posuit Deus hominem in paradiso voluptatis , ut operaretur , & custodiret illum* , docet omnibus hominibus laborandum esse , ex quo Adam hac damnatus fuit pœna.

Idem *Homil.* 7. *in* 2. *Epist. ad Corinth.* docet, otiosum hominem vulgo male agendo occupari.

Idem, vel Auctor operis imperfecti in S. Matthæum explicat, quid sit otium, & quinam in civili vita dicendus sit otiosus, & inutilis.

Sanctus Basilius *in Constit. monast.* fusius de antiquorum religiosorum operibus loquitur.

Idem *Homil.* 8. *in exam.* ostendit, otium omnia docere vitia, & quam periculosum sit.

Idem *in regulis fusius disputatis resp.* 37. narrat mala, quæ ex inertia, & otio nascuntur.

Idem *S. Const. Monast. cap.* 5. ostendit laboris necessitatem exemplo primi hominis, qui eidem addictus fuit.

Cassianus *lib.* 10. *Instit. cap.* 6. docet ab otio ad gravissima scelera gradum fieri.

Sanctus Bernardus *de tripl. custod. &c.* plurima refert exempla otiosorum ; qui in gravissima lapsi sunt crimina.

Drexellius *in Niceta.* Ascetici aliique.

Marchantius *in turba Sacerdot. tractat.* 7. *lect.* 4.

Pædagogus Christianus part. 1. cap. 7. §. 8.

P. Suffren tomo 1. Anni Christiani parte prima cap. 6. fusius hoc tractat argumentum.

Sancta Familia tom. 2. cap. 10. de otio, & labore prolixius verba facit.

Pean in spiritualibus sermonibus sermone 8.

Abbas Trappensis cap. 19. 2. tomi de Monasticæ vitæ officiis de manuum labore agit.

P. Nepveu in Christianis considerationibus pro singulis anni diebus, undecima Novembris die de otio loquitur.

In alloquiis sapientis P. Sebastiani Sylvanectensis Capuccini, unum est de otio.

Gobinet in libro, qui inscribitur: *Instruction de la Jeunesse* &c. parte 5. monito 3.

Dominus du Tremblai in tractatu de ludo.

P. Dozenne in libro, cui titulus; Mundus a se ipso damnatus.

Liber, qui inscribitur: Christiana puellarum instructio cap. 7. ubi sermo est de otio ab illis evitando, & de exercitiis, quibus operam dare debent.

P. Croiset, tom. 2. spiritualium considerationum. Concionatores nuperi.

Mathias Feber *conc. in Domin. Septuag.*

P. Bour-

P. Bourdalove in primis sermonibus ejus nomine inscriptis, sermone pro feria sexta post secundam Quadragesimæ Dominicam.

De la Volpilliere, sermone de labore, & otio.

De la Font propositione pro quarta post Pentecosten Dominica.

Lambert in sermonibus de vita Ecclesiastica, sermone 9. agit de necessitate ducendi vitam occupatam contra otium.

Auctor sermonum Christianorum, tomo 1. sermonem habet de vitio acidiæ, & otii.

Hujus quoque argumenti sermo invenitur inter morales sermones.

Auctor actionum Christianarum tom. 1. sermonem habet hujus argumenti.

P. de la Rue in duobus sermonibus de bono temporis usu plura habet, quæ ad otium transferri possunt.

P. Giroust in Adventu sermonem habet de inutili mundi vita.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone pro Septuagesima agit de otio, & labore.

Idem tertio Quadragesimæ tomo sermonem habet de tempore, ubi plura reperies, quibus hoc in argumento uti possis.

In specimine sermonum pro Quadragesima tomo 2. hebdomada 2. argumento 6. pro feria 2.

In eodem pro Dominicis, Dominica Septuagesimæ, & Dominica 4. post Pentecosten.

P. le Jeune, tomo 9. sermone 29. pro feria 2. hebebdomadæ 3. in Quadragesima sermonem habet de otio, & nimiis negotiis.

Qui collectanea ediderunt. Granatensis in locis Communibus titulo. *Otiositas*.

Summa prædicantium. Titulo *Otium*.

Busæus in Panario, titulo *Otium*.

Lolmer, titulo *Otium*.

Stapletonus *textu* 3. *in Septuag.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Genes. 2.

In sudore vultus tui vesceris pane. Genes. 3.

Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Ibid.

Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Job 5.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Ps. 89.

Si impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. Prov. 6.

Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Prov. 21.

Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperum. Psalm. 103.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. Prov. 10.

Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. Prov. 13.

Qui sectatur otium, stultissimus est. Ibid. 12.

Qui sectatur otium, replebitur egestate. Prov. 28.

In laboribus a juventute mea. Psalm. 87.

Stulto labore consumeris. Exod. 8.

Quid habet amplius homo de universo labore suo? Eccl. 1.

Operata est consilio manuum suarum. Prov. 31.

Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. Eccl. 7.

Non defraudaris a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Eccli. 14.

Multam malitiam docuit otiositas. Eccli. 33.

Qui conatur multa agere, incidet in judicium. Eccli. 29.

Telas araneæ texuerunt. Isaiæ 59.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. Ezech. 16.

Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Eccl. 2.

In vacuum laboravi, sine causa, & vane fortitudinem meam consumpsi. Isaiæ 49.

Quid statis tota die otiosi? Matth. 20.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Ibid.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc. 5.

Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Luc. 10.

Operamini dum dies est: veniet nox, quando nemo potest operari. Joann. 9.

Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ, (ait Paulus.) Act. 20.

Laboramus operantes manibus nostris. 1. ad Corinth. 4.

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Ibidem cap. 3.

Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. ad Corinth. 9.

Memores estis fratres laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus. 1. ad Thess. 2.

Rogamus vos, ut negotium vestrum agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. 1. ad Thessal. 4.

Si quis non vult operari, nec manducet. 2. ad Thessal. 3.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento deprompta.

Donec primus homo in terrestri Paradiso innocentiam servavit, fuit divinæ bonitatis objectum, & subjectum curarum providentiæ; sed statim ac lapsus est, Deus illum in criminis pœnam ad laborem damnavit; & labor, qui antea illi solatium fuerat, mox eidem supplicium factum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Hic fructus est peccati tui, toto vitæ tuæ spatio laboribus exerceri: cumque tota Adæ progenies eadem pœna mulctata fuerit, nemo ab hac lege esse debet immunis; nemo jure adversus adeo justam sententiam provocare potest; atque amoris proprii illusio est sibi persuadere laborem, immo etiam molestum laborem miserorum esse dumtaxat. Interpretes quidam animadvertunt in damnationis sententia, quam contra primum illum rebellem protulit Deus, hunc non dixisse, vesceris carnibus, vel fructibus, sed pane, qui communis est omnium mortalium cibus, ne quis ad se hoc imperium nequaquam spectare putaret. Addit, pane hoc vesceris in sudore vultus tui ad innuendum, sine verecundia labori vacandum esse, ac in fronte gerendas esse suæ conditionis notas. Ad hæc primo homini præcipit Deus, ut laboribus exerceatur, donec in terram redibit: *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Genes. 3. ut doceat, numquam esse a labore cessandum. Primus homo ad laborem [illegible] Dei mandat peccans.

In ea descriptione, quam ipse Jacob instituit viginti annorum, quibus Labano servivit servitutem, facere non possumus, quominus summam in officio eidem credito fidem, indefessamque in labore assiduitatem miremur; sed quid sancti quidam Patres de laborioso statu, quem sanctus hic Patriarcha amplexus est, animadverterint, dicam. Si tanta fuit Jacobo cura gregum Labani, si illius vigilantia tanta fuit, ut fateretur se nescire, quid esset somnus; quid faciendum Evangelicis pastoribus, qui cogitantes dominici gregis sibi commissi pretium, atque præstantiam quomodo curam suam possunt remittere, atque vel ad breve tempus capere somnum? Quis labor illos deterrere debet, cum videant Jacob algentem, sudoribusque manantem, atque dies, noctesque in assiduis laboribus Vigilantia, assiduus labor Patriarchæ Jacob in scripturis commendatur.

bus traducentem? Hanc de causa Sanctus Gregorius, & ipse pastor insatigabilis Patriarcham hunc proponebat, veluti laboriosæ pastorum vitæ prototypum, & ait, illum per hanc vim, quam exercebat tot superaturus difficultates, quas in munere credito offendebat, ita potentem factum fuisse, ut de ipso Deo victoriam reportaret.

Pharao laboribus opprimebat Israelitas, & quare.

Pharao cum rebellionis spiritui acceptum referebat desiderium, quod Judæorum populus testabatur, proficiscendi ad sacrificium Deo suo offerendum, dicebat: otiosi estis, ideoque jugum meum excutere conamini. Ad tumultum vestrum sedandum opus est vos laboribus opprimi. Hoc ipsum cum plerisque fidelium Sathanas facit, ut eos a religionis eorum officiis avertat, utque prohibeat, ne status, & conditionis suæ munera adimpleant. Sexcenta illis suggerit negotia, per quæ integrum illis non est, suæ vocationis maxime essentialibus officiis vacare: itaut si otium mortales ad malum trahit, laboris, quo onerantur, pondus prohibeat, ne bonum operentur.

Sodomitarum otium præcipua fuit eorum libidinis causa.

Quænam vobis fuisse videtur causa infamis Sodomitarum libidinis? Ezechiel Propheta, qui nequissimæ illius civitatis crimina refert, & omnes enarrat vias, per quas ad cumulum ejus iniquitatis evasit, quæ adeo terribilem illi conflavit ultionem; Ezechiel, inquam, tres memorat causas, quarum novissima, ex plurimorum Patrum sententia, gravissima quoque est. Hæ autem sunt, superbia, crapula, & otium. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & otium.* Ezech. 16.

Israelitæ in otio facti idololatræ.

Donec Israelitæ labori operam dedere, nunquam in idololatriam lapsi sunt, Sanctus Augustinus ait; sed ex quo otio indulgere cœperunt, atque in ludis tantum, & commessationibus traduxere tempus, tunc idola venerari sunt, aureumque sibi conflarunt vitulum, donec Moyses in montis cacumine cum Deo loqueretur: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Exod. 32.

Salomon se in otio corrupit.

Donec Salomon vacavit extruendo superbo, magnificoque templo, quod in veri Dei honorem ædificavit, nihil eo fuit sanctius, nihil sapientius, sed cum opus absolutum fuit, & ille se in quiete, inque rerum omnium affluentia conspexit, misere in luxu, & otio ita periit, ut verum Deum abnegaverit, ac Idolis thura adoleverit.

Non adfertur hoc in loco Davidis exemplum, de quo satis infra.

Exemplū, quod nobis reliquit Jesus Christus laboris, cui se ipsū subjecit.

Ignorari non potest, quinam fuerint labores filii Dei ab initio suæ prædicationis ad mortem usque, quoniam Scriptura illum nobis describit dies, noctesque regiones lustrantem, ac oppida obeuntem, in missionibus, itineribus, & cursibus assiduis, atque eumdem laboribus fatigatum quievisse testatur. Quoad tempus vero, quod ministerium ejus præcessit, non abhorret a fide, eadem sese arte exercuisse, quam profitebatur ille, qui pater ipsius putabatur, vivens ex labore manuum suarum, atque juxta fabri conditionem, quam ideo tantum reliquit, ut laborioso Evangelicæ prædicationis ministerio vacaret. Cum autem nostra cum Jesu Christo conformitas signum sit nostræ prædestinationis, illi tantum, qui ejusdem labores imitantur, se gloriæ ipsius consortes sperare possunt futuros.

Exemplū Apostolorum.

Statim ac Jesus Christus Apostolus primos Evangelii sui ministros constituit, palam professus est, se ob id unum eos ad hunc dignitatis gradum evehere, ut sese penitus sancti ministerii sui exercitationibus devoverent: Ite, & prædicate. Si Apostoli in otio permansissent, directe operari fuissent contra id, quod jussi fuerant; sed illi manibus quoque suis operati sunt, atque inter hanc jugem, intentamque sollicitudinem, qua Ecclesiæ regimini operam dabant successivas horas, & non modica temporis spatia manuum operibus, exterioribusque laboribus impendebant, quandoquidem hoc ipse Sanctus Paulus testatur ad Thessalonicenses: *Memores estis fratres laboris nostri, & fatigationis, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.* 1. ad Thessal. 2.

Exemplū S. Pauli seorsim.

Nosmet dignos probemus ministros, Sanctus Paulus ait. Verum quomodonam hoc probare contendit Apostolus? Præcipuum, quod affert argumentum, sunt assidui ejus labores. Illi ergo, qui laboribus abstinent, non habent, unde probent se Jesu Christi ministros, neque status sui muneri faciunt satis. In Epist. 2. ad Corinth. 11. se Apostolum esse potiori jure ostendit præ illis, qui hanc dignitatem illius in dubium revocare conabantur. Verum quonam utitur argumento? Hoc nempe, se magis, quam illos, labori vacasse. Non deest igitur essentialis quidam nexus laborem inter, & Jesu Christi ministerium.

Servus iners, & inutilis, de quo sermo est in Evangelio.

Audite, quid Dominus dicat in Evangelio contra otium, & quam terribilem ferat sententiam contra servum, qui humi foderat talentum ad hoc sibi creditum, ut illum in quæstu collocaret. Præcipit, ut iners hic, ignavusque servus manibus, pedibusque revinctis projiciatur in tenebras exteriores. Quare? quia otiosus est. Non dicit, hic protervus est, impius, libidinosus; sed inutilis homo est, & otiosus: hoc satis est, ut exquisitissimis damnetur suppliciis. Etenim in lege gratiæ satis non est abstinere a malo, bonum etiam faciendum est; & si servus, qui inutilis tantum est, & qui talenti jacturam non fecit, obscurissimo carceri addicitur, ubi suam defleat ignaviam, quomodo animadvertet Deus in eos, qui totum vitæ spatium in otio criminoso traducunt?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Inutilitas laboris plerorumque mortalium.

QUid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole? Eccl. 1. Omnis labor, qui non alium habet finem, & objectum, quam vitæ hujus commoda, & bona, inanis est labor, ac inutilis; atque omnes hominum curæ iis rebus se occupantium, quæ sub Sole sunt, opera mortua sunt, sterilia, omnique prorsus fructu carentia. Hinc Ecclesiasticus inquit: *quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub Sole?* Quasi diceret omnem laborem hunc irritum esse, ac inde nullum solidum fructum expectari posse; hoc est, quemadmodum Sanctus Hieronymus interpretatur, homo, qui sexcentis seipsum fatigavit laboribus, ut votorum summam consequeretur, nisi illos ad præstantiorem, atque rebus omnibus visibilibus sublimiorem finem dirigat, nihil in se reperiet, nisi magnum inane, ac summam egestatem; quæ efficiet, ut inutilitatis laborum, curarumque suarum dolore tabescat.

Multam malitiam docuit otiositas. Eccli. 33. Peccata, ad quæ nos otium trahit, non sunt infirmitatis, vel ignorantiæ peccata, sed malitiæ: *multam malitiam.* Ager non excultus, Sanctus Chrysostomus ait, tribulos, malaque tantum gramina fert; ita homo, qui non operatur, peccata dumtaxat producit. Aqua non fluens, sed stagnans sine motu computrescit, & insecta tantummodo gignit: ita corpus in otiosa languens tranquillitate nonnisi infinitis criminibus patrandis potest inservire. David deplorabilis princeps, nisi otiosus fuisses, non patrasses crimen illud, vel potius ea omnia crimina, propter quæ reliquo vitæ spatio lacrymis non temperasti. Tu vero, cui brachii sui robur Deus communicasse videbatur, strenue Samson; nisi per otium fatale in mulierculæ sinu elanguisses, in tantam calamitatem lapsus minime fuisses. Quilibet cor suum interroget, atque experientia doctus intelligat, siqua commisit peccata, potissimam earum causam otio acceptam esse referendam.

Labore potissimū adimplemus ea, quæ desunt passionum Christi.

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. Ad Coloss. 1. Complementum hoc fit per vitam laboribus exercitam, cujus pœnæ, atque angores in pœnitentiæ, & submissionis spiritu sunt a nobis acce-

acceptandæ; hæc enim sententia est, quam contra humanum genus divina tulit justitia, ut peccati sui pœnam mortales sentirent; qua in re Dei providentiam non satis admirari debemus, quæ jubet nos pœnæ nostræ esse ministros, & instrumenta supplicii, quo damnati sumus, ut molesta vita cum pœnitentiæ spiritu conjuncta, districta justitiæ ejusdem adimpleamus imperia. O Christiani, quam cœci sumus! a labore nos dispensare non possumus; quodcumque in statu simus, laboribus exerceri debemus; attamen abutimur adeo salutari remedio ad scelera nostra delenda, atque in præsentissimum nobis virus convertimus id, quod simul & pharmacum est, unde sanemur, & pœna, qua puniamur.

Per otium aditum præbemus diabolo in cor nostrum.

Nolite locum dare diabolo. Ad Ephes. 4. Etiam, atque etiam hortatur Apostolus, ne Dæmoni præbeamus locum; quia ostium eidem melius, quam per laborem, obstruere non possumus. Anima, quidam Sanctus Pater ait, similis est aviculæ, quæ facile aucupis evitat laqueos, dum fertur pennis per aera; sed quæ facile labitur in insidias, dum vel humi, vel in ramis arborum quiescit. Christianus labore occupatus, sine ulla difficultate laqueos tentatoris evitat, sed illis facile irretitur in molli permanens otio. Nostis exemplum David, qui Bersabeæ specie captus fuit, qui, cum exercitus ducere, & in castra descendere debebat, in regiæ domus amplis peristyliis, porticibusque obambulans spatiabatur. Dæmon illud arripuit momentum, ut sanctissimum Regem in adulterium, atque homicidium pertraheret.

Dæmon otiosos aggreditur.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem &c. Matth. 12. Cum occupati sumus, tentamur a dæmone imbelli, ac sine vi; sed cum otiamur, tunc sexcentis obsidemur dæmoniis, quorum omnia tela certissimum vulnus infligunt. Hac de re Salvator nos monet, cum ait Matth. 12. Dæmonem de hominis corpore ejectum alibi requiem quæsivisse; *Quærens requiem, & non inveniens*, ac tandem reversum hujus hominis domum, quam ornatam quidem invenit, sed in qua otium regnabat, nullusque labor exercebatur, illuc cum aliis septem spiritibus se ipso nequioribus ingressum fuisse. *Assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi*. Requies, quam sathanas quærit, otium est. Mundanæ mulieres, satis crebro vos ornatas quidem, & calamistris comptas inveniet, sed in molli otio demersas; hoc in statu periculum est, ne pereatis, & in laqueos, quos vobis tendit, decidatis.

Descriptio inertis hominis otium amantis.

Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Prov. 26. Hoc est, mentem suam variis replet consiliis, modo procedit, modo retrocedit, modo propria impellitur utilitate, modo naturali retinetur ignavia. Incipit bonum, ac statim relinquit; indesinenter se volvit, ac revolvit in omne latus eam, quam amat, requiem inventurus; ac post longum circuitum, Sanctus Bernardus inquit, semper in propriam recidit voluntatem. Hic magnus sui ipsius amor eum facit immobilem; cumque sibimet vim cupit inferre, similis est ferro cardini parieti infixo, post varios orbes, ac reditus in eodem semper loco permanenti, quin quidquam agat in motu perenni, quin umquam progediatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. Ambros. lib. 2. de Cain.

Tentant otia, quem bella non fregerant. Idem serm. 11.

Quid de se intrinsecus agatur, cor nostrum obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. Greg. lib. 25. Moral. cap. 8.

Amor non est otiosus; operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. Idem, Homil. 3. in Evang.

Non dormientibus & otiantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicetur Deus præmia; labori merces parata est. Ambros. lib. de Cain. & Abel.

Non otiosis & dormientibus provenit regnum cœlorum, non otio & desidia torpentibus æterna beatitudo ingeritur. S. Prosper.

Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Hieron. Epist. 4.

Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam perfecta consumit. Idem ad Demetriadem.

Otium rubigo sapientiæ & ingenii. Idem in cap. 10. Eccl.

Omnis concupiscentiæ, & immunditiæ, atque peccati mater est otiositas. Idem.

Nunquam quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit. August. vel alius Author serm. 17. ad fratres in Eremo.

Si vis perfectus esse, fuge otiositatem, quia in servis Dei nihil pejus reperitur. Idem, ibidem.

Erubesce, Christiane, quoniam insipientior jumentis & formicis comprobaris. Idem, ibidem.

Nihil boni facere, nihil aliud est, quam facere aliquid mali. Chrysost. Homil. 18. in Epist. ad Ephes.

Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit, ideoque otiosus ab ordine suo, & creatione deficit. Idem in Epist. ad Thessal. cap. 3.

Primum & maxime proprium humanæ conditionis studium est, ut operetur, ita ut iners otium sit propemodum præter naturam hominis. Idem, Ibid.

Otium malitiæ pars est, imo vero non pars, sed causa, & mala radix, omnem quippe malitiam docuit otium. Idem, Homil. 16.

Sicut terra non occupata semente aut consitione quamlibet herbam producit, sic & anima, quoties non habet quod agat rerum necessariarum, cum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. Chrysost. Homil. 9. in 2. ad Corinth.

Si dæmon viderit te desidiosum, oscitantem, otio marcescentem, compendio, ut diversorium desertum ingreditur; at si excitatum, intentum, studiosum; ne respicere quidem audebit. Idem, Homil. 4. de impenetr. nat. Dei.

Quæ otia & licentia victitat anima, facile vincitur. Idem, Homil. 5. de patient. Job.

Otiosa juventus imprudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est. Idem, Homil. 38. in Matth.

Nihil vacatione molestius, nihil otio, ideo necessitatem operandi indidit Deus. Idem, Homil. 35. in Act. Apost.

Omnia ab otio damnum accipiunt. Idem, ibid.

Sicut otium mala res est, ita & operatio quæ non congruit; igitur utrumque fugere studeamus, & otium, & opus otio deterius. Idem, ibid.

Quomodo non odio prosequendum est otium, quod formica & ape pejorem efficit hominem? S. Basil. in cap. 1. Isaiæ.

Inter ea quæ odio habet Dominus, unum hoc est, segne & iners otium; nimirum cessatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere. Basil. in cap. 2. Isaiæ.

Non eo consilio Deus hominem finxit, ut segnis ac languens desideret, sed contra potius, ut esset qui se in laboribus honestis exerceret. Idem, in Constit. mon. cap. 5.

Otium improbitatis magisterium. Idem, orat. de jejunio.

Omnium vitiorum quasi magistra quædam atque origo est otiositas. Chrysost. Homil. 36.

Fugienda otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Bernardus de consideratione.

Omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ. Bernardus, ad Fratres de monte Dei.

Otio velut janua utitur dæmon, ut sibilitas cogitationum illecebras, etiam in purissimas mentes instillet. Idem, lib. 3. de consid.

Sicut ex temperato labore carnis incentiva cohibentur, sic ex otio foventur, & crescunt. Idem, de lign. vit. cap. 5.

Sicut aqua, quæ caret decursu, & jacet in fovea, putrescit; ita & corpus otii tabe confectum, concupiscentiarum & voluptatum carnalium parit & nutrit insaniam. Idem, de grad. perfect.

In quo sine exceptione peccavimus omnes, in eo sententiam laboris accepimus. Idem, in Illud: Ecce nos reliquimus omnia.

Attende quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem. Idem.

Mens otiosa nihil aliud cogitare novit quam de escis atque de ventre. Cassianus lib. de spiritu Acediæ.

Torpemus otio, vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, ac si jam pax sit, & non sit militia vita hominis super terram. Sanctus Bernardus, serm. 2. de Sancto Andrea.

Qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit. Sanctus Prosper, lib. 2. de vit. contemp. cap. 16.

Non dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur. Ambros. lib. 4. in Luc.

Majorum nugæ, negotia vocantur; puerorum autem talia cum sint, puniuntur a majoribus. Augustinus, lib. 1. Confess. cap. 9.

Homo publicus orbi ut inutilis damnatur. Tertull. de pallio.

Nostrum otium magnum negotium est. Augustinus, Epist. 110.

Otium sine litteris mors est, & vivi hominis sepultura. Senec. Epist. 82.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia peti ad hoc argumentum afferri possit.

Quid sit otium, pigritia, & labor inutilis.

OTiosum esse, est nullam habere occupationem honestam, utilem, ætati, & conditioni suæ convenientem, tempusque in habituali inertia traducere; unde sequitur, quod a laboribus cessare, ut necessaria corpori detur quies; & spiritus a necessaria contentione relaxetur, otium non est. Itaque per otium proprie intelligitur vita iners, cujus potissima pars in nugis, atque solatiis transigitur.

Discrimen inter otium, & pigritiam.

S. Bernardus duo otii genera distinguit, quorum alterum omnem feriam, utilemque excludit occupationem, alterum, quod ipse salutis otium appellat, & quod aliud non est nisi bonorum operum incuria; etenim re ipsa vitam in otio transigere est, non operari propter eum finem, propter quem unice in mundo sumus. Hic tamen de primo tantum otii genere loquimur, de altero enim in titulo de bonis operibus, deque salutis cura actum est.

Labor est de præcepto, & Deus illi homini explicite imposuit.

Otium differt a pigritia, tamquam effectus a causa; atque in Christiana morum disciplina pigritia quæ eadem est ac acedia ex septem capitalibus vitiis unum, est languor, & pondus spiritus in iis, quæ ad virtutem, bonorumque operum exercitationem pertinent; vel ut proprie loquar, est nausea, tædium, atque a spiritualibus rebus aversio.

Sanctus Thomas illa Geneseos explicans verba: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, ait, his verbis contineri præceptum, quo omnes homines ad aliquem corporis, vel spiritus laborem exercendum obligantur. Hoc non simplex consilium est, Sanctus Paulus inquit in 1. ad Thessal. 4. laborem suadens, sed præcipiendi imperium est: *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.* Et sententia hujus rei ratio est, quia labor homini tanquam pœna peccati fuit irrogatus, ita ut qui laborem fugit; nolit divinæ justitiæ satisfacere, & hæc inobedientia peccatum est.

Sententia qua ad laborem damnamur, contra omnes homines lata fuit.

Quamquam hæc Dei sententia, qua homines ad laborem damnantur, in agricolis tantum, opificibusque adimpleri videatur, attamen ad omnes fratres extenditur: quemadmodum enim omnes homines participes extiterunt criminis Adam, debent etiam pœnæ ejusdem esse consortes; ideoque nullus est in vita status, qui suos non habeat labores, curas, munera, officia; hoc ita disponente Deo, ut omne justitiæ ejusdem pondus mortales omnes experiantur. Hoc nos palam docuit Ecclesiasticus cap. 40. his verbis: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam a residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra, & cinere.* Ita divites putare non debent, se universali hac necessitate non teneri, neque otiosos permanere posse, quin se inobedientes præbeant Deo; a quo non secus, ac pauperes labori addicti fuere. Verum quidem est pro statuum, & conditionum varietate varium esse laborem; sed otiosum esse semper est Dei imperiis adversari.

Discrimen inter laborem peccatoris, & hominis justi.

In Scripturis duo laboris genera distinguere possumus, laborem hominis peccatoris, & laborem hominis justi; prior ille labor supplicii est: *Ejecit, ut operaretur*; alter est vocationis; *posuit, ut operaretur*. Ille affligit, & angit; alter vero ad agendum impellit sine tumultu: ille nocentem exercet hominem, qui in infelici positus solo, cui Dominus maledixit, & quod mortales sibi parati sunt, in frontis suæ labore operatur; hic vero non officium tantum, verum etiam Christiani felicitatem constituit: labor enim hujus labor est, quem Deus præcipit, cui Deus favet, qui pacem, & gaudium parit; qui salutem operatur, ac tandem in supremam desinit felicitatem.

Labor noster in hoc mundo conformis esse debet consiliis Dei.

Ad Dei præceptum hoc in re adimplendum, non sufficit operari, & multum etiam in hoc mundo operari; sed opus est, ut labor conformis sit illis, quæ de nobis Deus habet, consiliis, utque illum in spiritu submissionis erga providentiæ decreta amplectamur; etenim satis superque miserorum est, qui in laboribus sibi commissis damnantur; quin ferre nesciunt mala illis inhærentia spiritu vere Christiano, atque omnem laborum suorum fructum amittunt per impatientiam, atque murmurationem, quin inde meritorum occasionem arripiant, Deo offerentes quidquid acerbum, atque molestum in opere, atque negotiorum suorum cursu reperiunt.

Labor pœna est satisfactoria pro peccatis nostris.

Quamquam per Jesu Christi gratiam peccatum, cum quo nascimur per primi parentis nostri inobedientiam, per baptismum nobis dimissum fuerit; vult tamen Deus, nos ejusdem pœnas luere; & supplicium, cui nos in omne vitæ spatium addicit, labor est; ideoque saluberrima, quam amplecti possimus, pœnitentia est hæc in vita, & propter hanc causam accipere labores omnes, molestias, doloresque, quibus munus nostrum, nostræque vocationis nos subjiciunt officia. Verum si labor pœna est satisfactoria ad præterita crimina expianda, non minus salutare pharmacum est ad ea prævertenda, in quæ labi possemus, atque non postremus est divinæ misericordiæ affectus voluisse, quod in pœna peccatorum nostrorum medicinam inveniamus, atque ea in animi propensione, qua corrupta natura nostra fertur in vitium, laborem maledictum hoc studium voluisse compescere.

Christiani vita non semper est labor corporalis.

Christiana vita per se vita laboris est, non otii, atque solatii, atque ut arguatis Christianam se non ducere vitam, satis est, se a vitæ laboribus abhorrere: non quod labor, qui omnibus generatim imperatus est, necessario esse debeat labor corporis; plurimi enim huic secundo parent non sunt; sed opus est saltem, vitam Christiani non esse vitam nugarum, evagationum, sodalitii, inutilium sermonum; sed seriam aliquam occupationem, quæ singulorum statui conveniat; ita ut nihil intersit,

unum

utrum labor corporis, an mentis sit, qualis est litteratorum hominum labor.

Deum tentare est laborare nolle, & velle, quod nostris necessitatibus provideat Deus.

Qui laborem detrectaret, quo vult Deus a nobis panem, cæteraque ad victum necessaria comparari; sed iners otiaretur, & expectaret sibi a Deo Angelum mitti, qui escam afferret, næ hic quidem ab omnibus cordatis viris vituperandus censeretur, & confidentia, quam in Deo se habere testaretur, imprudens, ac temeraria judicaretur: quippe in hujus vitæ necessitatibus offert nobis Deus humana subsidia, atque lumine rationis ostendit, iisdem esse nobis utendum. Quamobrem Deum tentaret, qui hæc negligens illum cogere vellet, ut citra necessitatem miracula operaretur. Verum hoc etiam nobis persuasum esse debet, quamquam laborare teneamur, ut vitam nostram servemus, atque victui necessaria nobismet comparemus; tamen nisi laboribus nostris Deus adsit, omnes curas, sollicitudinesque in irritum abituras, juxta hæc Prophetæ verba: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.*

Otiosam vitam ducere idem est ac pervertere ordinem a Deo in mundo constitutum.

Qui vitam in otio traducit, rerum pervertit ordinem, atque providentiæ consiliis adversatur: hic enim ordo postulat, ut requies propter laborem detur; cum æquum sit, eos, qui laboraverint, quiescere. Itaque Cassiodorus inquit, requies quærenda non est, ut in otio vivamus, sed ut laboremus, ac faciamus, ut respublica, & Ecclesia fructum percipiant ex labore, cui serio vacamus. Fateor equidem licere requiem inquirere; sed licere, ut impensius opera deinde navetur; quem ordinem otium invertit; quandoquidem ob id unum requiem inquirit, ut in ea permaneat, ac laborem effugiat.

Otium nos maximis bonis exuit.

Sanctorum patrum sententia est, nos per otium maximis bonis privari; quin enim de temporalibus loquamur bonis, quæ per laborem adipisci, deque spirituali bono, quod per zelum nostrum proximo afferre, vel procurare possemus, otium hoc plurimis peculiaribus Dei gratiis nos privat. Quin immo si earum quasdam recepimus, eas otium inutiles facimus, atque meremur, ne alias Deus nobis impertiat. Servus inutilis, qui Domini sui abutitur beneficiis, aliane ab eodem rursus expectare potest? Ad hæc nos privat sacramentis, omnibusque Ecclesiæ subsidiis, eam nobis medullitus usque inserens negligentiam, quæ efficit, ut quidquid ad religionem pertinet, fastidiamus. Tempore etiam nos privat efficiens, ut illius jacturam faciamus, quantumvis illud unice nobis conferat Deus, ut saluti nostræ impendamus. Omnes denique proscribit virtutes, quæ citra laborem nequeunt acquiri.

Vitium hoc omnibus quodammodo virtutibus adversatur.

Vitium hoc differt ab aliis in hoc, quod alia uni tantum peculiari virtuti opponuntur, hoc vero omnibus adversatur. Impudicitia libidini obstat, & fieri potest, ut qui libidinosus est, humilis sit, atque misericors. Superbia humilitati contraria est, & vulgo superbi quidam liberales, ac temperantes videntur &c. Sed pigritia, & otium hac in re omnibus opponuntur virtutibus, quia nos eum in statum adducunt, ubi nullam virtutem exerceamus.

Si Dei filius in Evangelio testatur, se extremo judicii die ex nobis otiosi verbi rationem expetiturum, multo magis rationem repetet otiosæ occupationis, quæ aliquid majus est simplici verbo. Otiosa autem actio, vel occupatio dicitur, non cum nihil omnino fit, sed cum id, quod fit, ad honestum, æquumque finem non redigitur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, ac nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Deus nos ad laborem damnans usus est misericordia.

Admirabilem divinæ justitiæ rationem, qua ad laborem damnantur, animo reputare non possum, quin simul illius admirer indulgentiam, eo quod vult nosmet esse pœnæ, quam nobis imponit, ministros. Cum reus aliquis humano judicio lethali pœna afficiendus censetur, nunquam ille in semet sententiam exercere cogitur, satis est, eum per alienas manus, atque per justitiæ ministros ultimo plecti supplicio, quin aliquid ipse pœnæ suæ conferat: verum o adorabilis Dei mei providentia! quam longe ab humana consuetudine agendi ratio tua differt! Vis, nosmetipsos esse ministros, atque instrumenta pœnæ, cui subjicimur, ut per laboribus cumulatam vitam severa justitiæ tuæ mandata impleamus. Quæ si vera sunt, nonne ipsi nequam sumus, qui otio totum vitæ spatium traducimus, neque proficimus ex ea, quam nobis concedis, gratia hic per labores scelerum nostrorum debitas pœnas luendi? Attamen hoc vulgatissimum est eorum, qui in mundo vivunt, peccatum, quod totum vitæ suæ curriculum in damnabili otiositate transmittunt. Nullum illis opus est, nulla cura, nisi tempus traducendi, maximum eorum negotium est, pro viribus solatiis indulgendi, ac ubi illa cessaverint, otiandi; ideoque jure quidem optimo de illis dici potest, eos cum reliquis hominibus non flagellari, per otium communem hanc pœnam evadere, atque per ignaviam, quam Deus, & mortales oderunt, illum laborem effugere, qui ipsis pœnitentiæ loco esse deberet: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Psalm. 72. *P. Bourdalove in sermonibus ejus nomine inscriptis, sermone pro feria 6. post secundam Quadragesimæ Dominicam.*

Otiosa plerorumque mortalium vita.

Christianus homo, cujus similes quotidie quamplurimos intuemur, quid agit? Non aliam habet occupationem, quam ludum; si magna suscipit negotia, illa aggreditur, ut affluentius habeat unde oblectetur, atque opipare vivat; si aurum cumulat, hoc præstat, ut noctes, diesque in alea traducat, ut socios invisat, mulierum castitatem corrumpat, magnam servorum catervam alat, ac lautissimis epulis mensam instruat. Christiana vero mulier quid agit? Ne mihi succenseatis, Matronæ, hoc enim dico dumtaxat ad ingens hoc malum corrigendum, quod otium in vestri sexus florem invexit. Christiana mulier quid agit? Tota illius cura in corporis cultu, ornatuque impenditur; speculum consulit, per domos visitationes iterans discurrit, quin vel Deum in templis, vel captivos in carceribus, vel ægrotantes visitet in xenodochiis. Hoccine, bona fide, est sese Dei mandatis conformare, qui hominibus laborem præcepit? Cum vero aliquando ad vitæ finem perveneritis, quomodone rationem severo huic judici reddere poteritis ejus temporis, quod in otio, atque nugis insumpseritis? Licet nullum Christianismi, neque religionis sensum haberetis, possetisne vosmet excusare, ac innocentes credere post integrum vitæ spatium in simili otiositate transmissum? *Idem.*

Divites a labore immunes non sunt.

Fateor equidem, Auditores, me non levem istic scrupuli causam præbere divitibus, ac illis, qui commode vivunt, eam illis morum doctrinam prædicans, quam non ante fortasse audiverunt. Quid? inquient, quid nos ad laborandum cogere potest, cum satis, superque bonorum habeamus, ut commodam, inertemque vitam agamus? O vos miseros! nonne videtis, in hoc principio vestro vos falli? Cur arbitramini, bonum istud, quod possidetis, jus vobis conferre vosmet legi communi subtrahendi mortalibus omnibus irrogatæ, & quia opibus abundantis, oportere vos a labore immunes esse, qui generatim omnibus hominibus in scelerum pœnam impositus fuit? Nonne videtis hoc laborare argumentum: satis divitiarum mihi est, ne laboribus exercear, & ut reliquum vitæ meæ spatium in quiete traducam? Hoc enim idem est, ac si diceretis; nihil mihi metuendum est, cum Deus reposcet rationem temporis, cujus jacturam feci, quia bona, quæ possideo, ille mihi large, effuseque donavit ad id unum, ut solatiis, atque oblectamentis vacarem. *Idem.*

Nobiles æque ac ignobiles operari tenentur.

Magna, inquit Spiritus Sanctus, imposita est occupatio, non aliquibus peculiariter, sed generaliter

liter omnibus ; & grave jugum ab omnibus filiis Adam indeclinabili lege ferendum. Sed quinam sunt hi filii Adam ? Lex ista generalis ullamne exceptionem admittit ? *A residente super plebem gloriosam, usque ad humiliatum in terra, & cinere*, &c. Eccl. 40. Filii Adam illi sunt, qui a regni fastigio usque ad cineris humilitatem numerantur, ab illis, qui prætexta, ac purpura induuntur, ad illos, qui pannosis scrutis induti sunt. Sententia hæc neminem excludit: principes, & optimates æque comprehenduntur, ac miseri, & servi .... Et sane, Auditores charissimi, quicumque estis, dicite quæso, quid vos a labore dispenset? Num vestra magnitudo ? Quasi hæc originis vestræ labem obliterare posset, vel vos a communi eximere maledicto, quo Deus totum genus humanum percussit, ut singuli in sudore vultus sui pane suo vescerentur ? Verum, amabo vos, hæc insignis qualitas, nobile hoc genus, hæc egregia conditio, quam jactatis, numquid præ Regnum, summorumque Pontificum qualitate est eminentior ? Attamen quid Eugenio Papæ Sanctus Bernardus dicat, audite: Oro te, ait illi, cum ea, quam sanctitati tuæ debeo, reverentia, ne cogites, te supra mortalium omnium capita evectum fuisse; sed repures te ideo natum, ut non secus ac alii, immo ut plusquam alii, laboribus exerceteris; atque si a labore immunis esse contendis, delenda tibi primum est originis tuæ macula, quam purpuræ, tiaræque tuæ fulgor numquam poterit obliterare. Considerate igitur, eum hominem, qui in mundum tanquam servus ingreditur cum turpi sceleris nota, in id unum incumbere debere, ut operetur, ac dignitatis suæ gradum respicere veluti rationem, propter quam novos labores subire tenetur. *Idem*.

Si sexus discrimen consideramus, videmus mulieribus nihilo secius quam viri laborandum esse, domesticis negotiis illis esse vacandum, & quantumvis exiguum hoc videatur munus, non esse tamen negligendum. Hoc sane Salomon, licet adeo sapiens, haud contemnebat; etenim post diu quæsitam, inventamque fortem mulierem, ait Prov. 3., illam manum mittere ad fortia, manuumque suarum consilio operari. *Idem*.

Nulla est otii status, qui culpa vacet.

Nulla inter homines est conditio, in qua otium crimine careat; neque in dubium revocari potest, utrum, ubi conditio amplior est, ibi otium sit nocentius. Ex. gr. nobilis adolescens, qui otiosus fuerit in pueritia, quin mentem suam excoluerit scientiis, quas debebat acquirere, ut sese præpararet negotiis agendis, cum rempublicam capessens ad magistratum aliquem promovebitur, quomodonam in eodem sese gerere poterit ? Numquid infusam illi scientiam Deus elargietur ? Hoc esset miraculum. Quid ergo ? Ignorabit sui magistratus officia, & si judex, exempli gratia, fuerit, male judicabit. Esto quidem, rectam habeat justitiæ administrandæ rationem; sed ob scientiæ defectum hoc præstare non poterit; ipsique reddenda erit ratio omnis jacturæ, ac detrimenti, quod illi patientur, qui coram ipso lite certaverint. Neque enim æquum est, ut alienis sumptibus suum obire munus addiscat, & quantumvis optima illi intentio sit, miser, qui victus judicio abibit, bonis omnibus exuetur. At nondum satis dico. Si judex fuerit, aliud oppugnare debet otium, quod causa est, ut non satis diligenter causas inquirat, atque potius solatia sua, quam litigantium jura æqua judicii lance dignoscat. In infinitum excurreret oratio mea, si conditiones singulas vellem percurrere. Dicam Evangelii verbi præcones, animarumque directores hac in re male suo munere fungi, eorumque pigritiam in ministerii sui officiis gravissima mala producere. Dicam, mulierum negligentiam causam esse confusionis, quæ in rerum domesticarum cura contingit. Etenim donec hera suis vacat oblectationibus, quid interim famuli ? quid filii ? quæ si operi suo curam impenderet, rite omnia procederent; servi quidem munere suo perfungerentur, filii vero optimis artibus erudirentur, neque, uti faciunt, inertiæ, ac otio assuescerent. *Idem*.

Ecclesiastici non debent commodam, otiosamque vitam traducere.

Nemo magis fallacem concipere potest Ecclesiastici status imaginem, quam illum sibi fingens veluti commodum statum, & quem amplecti potest, ut ibi innocenti requie fruatur. Hic nihilominus vulgatissimus error est, in quem infinitus Ecclesiasticorum numerus labitur, qui non aliam ob causam statum hunc aggrediuntur, quam ut beneficium consequantur, atque ab omni labore alieni otiosam vitam traducant. Quin immo hic operosus status est, ac laborem requirit; & si quis hoc animo illum ingrediatur, ut ibi quietus otietur, nihil plura requiritur, ut in æternum damnetur. Ecclesiasticis quippe essentiale est in assiduo opere, ac labore dies transigere .... Si, vestra sententia, potest aliquis Ecclesiasticus esse, vitamque mollem ducere ab omni molestia, & opere vacuam, semper ergo deceperunt Sancti Patres, cum nobis explicuerunt, quid sit Ecclesiasticus status, cumque illius nobis munera tradiderunt. Status hic, juxta eorum doctrinam, onus est, & jugum, quod subire veriti sunt sancti, quia illius pondus noverant. Vester igitur conceptus toto cœlo abhorret a sanctorum sententia: numquid affirmare audebitis, vos quidem recte sentire, illos vero aberrasse ? *Lambert tomo primo sermonum de vita Ecclesiastica*.

Video sanctissimum quemlibet jugi tumultu agitari, postquam toto vitæ spatio laboraverunt: video illos metuentes, ne satis adlaboraverint, & audio semetipsos ideo increpantes. Vos autem in otio vestro tranquilli estis, nullis stimulis agitamini, nihil vobismet exprobratis ! Pastoris nomen, Sanctus Gregorius inquit, datum non est, ut requie fruamur, sed illud recipientibus operandi necessitatem injungit Deus. Si sciremus, quid sit Sacerdotium, intelligeremus hoc esse munus honore plenum illis, qui in illius muneribus obeundis seduli sunt; illis vero, qui ministerii sui officia negligunt, gravissimum onus esse. Quomodo igitur Pastoris nomen fons erit gloriæ illis, quos fratrum salus sancta sollicitudine replet, ita factum hoc nomen fons erit probri illis, qui otiantur, & sua officia contemnunt. *Idem*.

Otiosus præda est dæmonis, & quare.

Christianus iners, & otiosus quodammodo sathanæ præda est: certum quippe est illos, qui otiosi sunt, peculiariter patere crudelis hujus inimici tentationibus, qui nunquam vim habet majorem, quam cum in otio languentes aggreditur. Sapiens ait: *multam malitiam docuit otiositas*. Ecclef. 33. Quomodo istud ? Dæmon omnium auctor malorum tempus eligit, quo otiosi sumus, ut nobis fallacia sua dogmata inspiret. Irritus labor illius esset, si sancte occupatum aggrederetur, Spiritus Sancti repletus veritatibus, vanis non pateret illusionibus. Cum assiduo labore fatigatur corpus, spiritus, qui arctum habet cum corpore nexum, & ipse laboribus ejus afficitur; neque metuendi locus est, quod Inimici suggestionibus falli patiatur. Sed ubi corpus commode vivit, nulloque labore exercetur; cum Spiritus Sancti monitis non imbuitur, tum dæmon liberam nanciscitur viam, omnesque insidias struere potest, quin ullum obicem metuat. Mens bonis cogitationibus vacua brevi fallacibus sæculi præceptis imbuitur. Mentis corruptio quam primum ad cor usque se effundit. Ecce igitur hominem, qui, ut ita dicam, fit dæmonis ludibrium. Satis est, inimicus proponat, auscultatur, in omnes illius insidias labimur, neque ab illis cavemus. Quid ergo tantum dæmoni robur adjecit; & cui acceptam referre debet adeo completam victoriam ? Totam ille debet otio. Otium illum introduxit; otium causa fuit, propter quam dogmata illius placuerunt; per otium ille progressus fecit; per otium denique debellavit. *Idem*.

Expe-

Ubi erit habitus inolevit, tum labori manus admovetur.

Expectandum non est, quod otio assuetus vitæ rationem immutet; nihil periculosius habitu pigritiæ, cum inolevit. Sensim, ac sine sensu inerti assuescimus vitæ, & quo magis in inertia perseveramus, eo magis gustamus illam. Alia quæcumque via non ferenda videtur; ipsa laboris terret umbra. Libri, exempli gratia, jucundissima sunt illis societas, qui assiduo labore aliquem scientiarum gustum perceperunt; at libri non ferendi sunt illis, qui non mediocre vitæ suæ tempus transegerunt, quin studiis vacarent; neque ullum invenies, spiritum suum captivantem, qui nullam sibi unquam vim fecit. Nostrum est, qui extremum hoc malum deploramus, cavere, ne & ipsi labamur in illud. Et quoniam adeo difficile est se ipsum vincere, maturato labori assuescamus; sanctumque nobis comparemus habitum, qui tantum nobis conferat facilitatis in bonum, quantum improbi habent in malum, ac in omne id, quod suæ contrarium est professioni: si enim nullus ordinatus fuerit labor, nullum officium, occupatio nulla, dissipari oportet, sese exterius effundere, ac omnia societatum genera frequenter adire. Haud ægre intelligitis progressus omnes, quos sathanas facit, cum ille, quem aggreditur, male adeo affectus est. *Idem*.

Quàm necessarius sit labor ad impuritatis vitium superandum.

Diligentius ad examen vocentur illi omnes, qui ita miseri sunt, ut ab impudicitiæ dæmone superari se sinant; quomodo illos vicerit dæmon? invenientur sane per otium victi fuisse; si vitam suam utilibus impendissent occupationibus, irritu labore eos dæmon fuisset aggressus; sed quod sathanas illos otiosos nactus est, haud ægre eos debellavit. Nihil igitur magis necessarium, nihil præstantius est labore ad impuritatis dæmonem superandum. Si te crudelis hic hostis lacessit, ad salutare hoc remedium confuge; perraro accidit, ut qui sese laboribus exercet, in conflictu superetur. Sequere plenum sapientiæ consilium, quod Sanctus Hieronymus Rustico tradit, ac intelliges, quænam erit vis tua ad omnia tentationum, impuritatis vero præsertim genera superanda. Aliquid semper operare, ut sathanas, qui te quærit opprimere, semper occupatum inveniat: *Facito aliquid operis, ut semper diabolus inveniat occupatum. Idem*.

Inutilitas laboris mortalium.

Quemadmodum otium aliquod noxium est, ita & quidam labor est nihilominus nocens, atque præterea maxime inutilis. Hujusmodi eorum labor est, qui festinant ditescere, locupletari, ac magna sibi in terris bona conquirere. Omnes eorum curæ, sollicitudines, quas ad hunc finem impendunt, videntur ipsis maximi momenti occupationes: sed ubi mors eorum oculos aperit, vident has inanes, inutilesque fuisse nugas, se eam consectatos fuisse umbram, quæ semper ab ipsis aufugiebat, cum illas cupidius consectarentur, omnesque has opes, atque divitias evanuisse, ac dissipatas fuisse, quin aliquis illis fructus supersit. Tunc, Sanctus Gregorius ait, tunc, sed nimis sero, & cum dolore cognoscunt, omnia hæc bona, quæ tanta sibi videbantur, & adeo præstantia, nihil esse, nisi vanitatem, & nihilum. Eorum jactura efficit, ut suum agnoscant de pretio illorum errorem, eisque ostendit laborum, quos ad ea possidenda susceperunt, inutilitatem. *La Font in continuatione sermonum Ecclesiasticarum, sermone pro quarta post Pentecosten Dominica*.

Quidquid fit, quin ad Deum, & salutem referatur, pro nihilo reputatur & est inutile.

At enim quomodo dici potest, quod hominem, qui infimo loco natus per industriam ad primos reipublicæ gradus evasit, nihil fuisse adeptum, atque irritis laboribus se ipsum exercuisse? Quomodo dici potest, mercatorem, postquam negotiis transigendis locupletatus fuit, magnificas extruxit ædes, ac uberrimos provinciæ agros acquisivit, frustra operam, industriamque suam collocasse? Quomodo dici potest, quod scitum illum virum, qui per studium, atque vigilias tandem id assecutus est, ut impeditissima quævis negotia facillime extricaret, expediretque, & quem omnes tanquam oraculum consulunt, oleum, operamque perdidisse?

De his omnibus tamen affirmo; licet laborum atque conatuum eventus eorum spem superaverit, nisi has omnes curas ad Dei cultum, beatamque æternitatem retulerunt, irritis sese laboribus exercuisse; & quidquid ab illis gestum fuit, quo nihilo esse numerandum. *Tota die meditati sunt inania*. Psalm. 2. *Idem*.

Labores immensi, & frustra vani.

Quid diceres, Sanctus Chrysostomus inquit, de copiarum duce, qui curas omnes intenderet, ut tutissima metaretur castra, atque omni sedulitate caveret, ne quid ibi militum usui deesset, crastina die ea relicturus? Nonne diceres, illum nequicquam se ipsum torquere, ac irritu labore consumi: *Stulto labore consumeris*? Exod. 18. Quid dicimus de pueris ludo nimium intentis, & omne tempus in luteis domibus, vel papyraceis turribus extruendis insumentibus? Ludicra eorum puerilia ducimus; ridemus maxima eorum negotia in nugis versari videntes; lacrymas, clamoresque eorum in jocum vertimus, cum aliquis pede luteas eorum substructiones evertit eos ab inanibus nugis ad aliquid solidum, seriumque revocaturus. Hoc ipsum Dei, sanctorumque judicium est de nostris maximi momenti negotiis, de gravissimis occupationibus nostris, cum illas ad vitæ hujus commoda tantum referimus: *Tota die*, inquiunt illi de nobis, *meditati sunt inania*. Nos pueris similes putant vitam suam in inutilibus traducentibus: ludicra, ac puerilia censent ea, quæ gravissima ducimus negotia, rident videntes nos tanta cura, & festinatione ea consectari, quæ brevi mors est eversura. Inutilis labor, superfluæ curæ, inanes, sterilesque occupationes. Hoc plerique hominum faciunt. *Idem*.

Huc spectavit regius Propheta, ubi consilia, labores, occupationes hominum, quæ ad hunc finem minime referuntur, aranearum telis comparavit: *Sicut aranea meditabantur .... cogitationes eorum, cogitationes inutiles*. Psalm. 89. Vides exiguum hoc animal indesinenter operari, atque seipsum eviscerare, ut tenuia retia distendat? Verum quonam illius tendit labor, ad quid hæc destinat retia? Nisi ad aliquot muscas capiendas. Huic labori regius Propheta divino animatus spiritu comparat negotia, quæ maximi momenti videntur hominibus, domuum opulentiam, & prosperum conatuum eventum. Hæc omnia in oculis ejus, & Dei, non aliud sunt, quam labor araneæ, nisi ad Domini gloriam, æternamque beatitudinem nostram referantur labores omnes, quos, ut votorum summam assequamur, suscipimus. Quemadmodum aranea, Sanctus Hieronymus inquit, plurimum laborat, & nihil proficit; ita qui propter mundum, ac terrenas utilitates operantur, neque labores suos ad nobiliorem finem attollunt, araneæ telas ordiuntur, ex quibus nullus expectandus est fructus. *Idem*.

Generis, & conditionis prætextus otii non excusant.

Qui a labore immunes se putant, quia claro sunt genere, & qui hoc pacto otium suum probare, se ex populi fæce eruere, & pacate vitæ hujus commodis frui putant, rebelles sunt præcepto Dei, ejusque justitiæ non satisfaciunt; quia, ut loquit Scriptura, *in labore hominum non sunt*. Psalm. 72. Hinc nihil inferri potest, nisi quod cum in hoc mundo nullo exerceantur labore, necessario opus est, ut in alio exerceantur; & cum Dei filiis operari detrectantes alterius vitæ requiem cum iisdem nequaquam patiantur. Dicam amplius; labor nobis non solum, veluti submissio, quam divinæ legi debemus, & veluti multa honoraria, quam divinæ offerimus justitiæ, non solum ad peccatum expiandum, verum etiam ad nos contra peccatum tuendos est necessarius. *Ex sermonibus Christianis sermone de Otio*.

Labor utilis est ad innocentiam tuendam.

Ex omnibus rationibus, quas nobis Deus ad innocentiam tuendam suppeditavit, præsentissima proculdubio labor est, ac utilis occupatio. Hæc si desit, tantum abest, quod bonos fructus feramus, ut tribulos tantum, & mala gramina producamus; & ne-

& nescio, utrum hæc sit eorum Prophetæ verborum sententia; *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ*. Psalm. 34. Quasi per hæc verba vellet innuere, si homo, qui terra Dei est adeo diligenter per providentiam exculta, adeo liberaliter gratiæ illius benedictionibus irrigata, adeo suaviter misericordiæ radiis calefacta; si terra hæc ita exculta, irrigata, calefacta bonos fructus non parit, necesse esse, ut malos producat, ac ibi sterilitatem inveniri, ubi non invenitur ubertas. *Idem*.

Otium omnium vitiorum causa.

Certum est, otium esse omnium vitiorum fontem, & scholam, ubi omnia scelera percipiuntur. In hoc malorum lycæo protervi homines libidinem, atque impudicitiam addiscunt. Aqua minime fluens, sed stagnans, putredinem parit, insecta, serpentes; & homo, qui otiosa languet tranquillitate, monstra gignit, quibus respublica misere vastatur. In hoc paterfamilias docetur bona dissipare, filiorum, servorumque curam negligere, & mala commercia nectere, & fovere. In hoc mundana mulier voluptuariam vitam ducere discit, de spectaculo ad spectaculum ferri, totumque tempus in alea, & ludo transmittere. In hoc misera discit luxum alere, omnes ornatus inquirere, quos quotidie curiositas ejus excogitat, ut in se oculos, & sæpe affectus cum utrorumque detrimento convertat. In hoc, ut verbo me expediam, tot mortales nequissima percipiunt flagitia, latrocina, cædes, adulteria. *Idem*.

Otium potissimum est pater impudicitiæ.

Pro certo habete, Sanctus Hieronymus inquit, otium patrem esse omnis peccati, præsertim vero cupiditatis, & impudicitiæ. Donec Samson Philistiim bellum intulit, semper victor fuit; sed ex quo in Dalidæ sinu quievit, Dei spiritus recessit ab eo, atque ab hostibus vinctus, & ferreis catenis obrutus fuit. Donec David suis præfuit copiis, atque regni negotiis occupatus fuit, nihil unquam peccavit; at simulac otiosæ inertisque vitæ dulcedinem gustare cœpit, naturæ jura violans cuidam ea subditis suis uxorem abstulit, virumque jussit occidi. Salomon filius ejus sapientiam, atque innocentiam servavit, donec templi ædificio intentus fuit; sed immani opere illo absoluto, ac magnæ occupationi otio succedente, mulieres deperire cœpit, in idololatriam lapsus super veri Dei altaribus idolorum simulacra jussit extolli. *Idem*.

Otium quam commune in mundo.

O otium quam funestum es, & nihilominus quam commune in mundo! Quid enim usitatius est, quam intueri mortales non aliam occupationem habentes, præter eam, qua voluptatibus, crapulæ, ludis, spectaculis, aut visitationibus inutilibus, & plerumque periculosis indulgent? Quid vulgatius, quam videre homines per trivia, & compita quotidie cursitantes, ut quid novi contigerit, vel quid in familia qualibet acciderit, discant, non alia illecti voluptate, quam aliis, quæ audierint, enarrandi? Quid frequentius, quam totum vitæ spatium in curiosis sermonibus, & profanis conversationibus transigere? Illud vero magis mirum est, quod vitam hoc pacto traducere pro nihilo habetur, atque plurimi hoc crimine seipsos ne accusant quidem, quasi hoc culpa vacatet. Confitentur illi quidem peccata, quæ per otium commiserunt; otium vero ipsum, & jacturam temporis, quo adeo male abutuntur, non confitentur; divites vero, præsertim qui conditionis suæ felicitatem inde censent, quod labore obnoxii non sint, & in pace vitæ hujus deliciis fruuntur; si tamen felicitas appellanda est plurimorum malorum occasio, & origo. *Idem*.

Infelix otiosi status.

Quid iis, quæ hactenus a nobis dicta sunt, respondere possunt mundanæ mulieres, quæ, quin orationi vacent, ac tempus in honesto aliquo munere, quod suam deceat conditionem, impendant, totum fere mundo, & voluptatibus tradunt? Quid illæ respondere valeant, haud equidem scio, verum ex Job scio, illas in calamitosissimo statu versari, cum nihil apertius, quam otium, indicet animam sub dæmonis potestate versari. Vigilat hic, roditque circum laboriosas animas, suisque muneribus obeundis intenta, de illis securus, quæ otiosæ languent, & earum fretus mollitie tranquille quiescit. Otiosus homo est vecors, nullius rei curam gerens, qui sua licentia tantum perfruitur, & quem sathanas quamprimum in cordis obdurationem, atque impietatem detrahet. Ullane magis terribilis afferri potest status ejusdem imago, quam ea, quam nobis adstruit Scriptura Lazarum in tumulo quatriduanum describens? Quid horribilius hoc homine manus, pedesque vinctos habente, & quem vermes in sepulchro jamjam incipiunt depasci? Hæc imago est otii, ac somni, in quo demersus in aurem utramque stertit peccator. Otiosus homo est veluti undequaque vinctus, nihilque magis agit, quam cadaver sepultum. Hac locutione Seneca Epist. 82. est usus: *Otium mors est, & vivi hominis sepultura*. Vultisne aliquid amplius? Fingete vobis deplorabilem Sisaræ statum, de quo in Judicum libro sermo est. Quam horribile spectaculum videre hominem hunc in sanguine suo provolutum, capite ingenti clavo, quo Jahel usa est ad eum humi configendum, perforato! Hic fructus ignaviæ illius est superare non valentis laborem, quo fugiens fatigari incipiebat. Hic fructus fatalis ejus somni, quem illi peperere vapores lactis hausti ad sitis ardorem extinguendum. Talis est otiosorum hominum status. Ludos, aleas, inanes nugas, & omnia oblectamenta, quibus occupantur, respicio tanquam jucundum lac, quo avide sese ingurgitant, & quo illis præaltum soporem inducit. Sunt tanquam clavis confixi; consuetudo enim adeo vehementer illos alligat, ut inde nequeant avelli, & ab otio ad mortem æternam transiliant. *Idem*.

Pro rebus inutilibus nimis laboratur.

Non querimur, quod in mundo non laboretur; nimis immo ibi laboratur, sed profano labore, ideoque inutili. Laboratur, sed infelicem Ægypti sarcinam gestando; laboratur pro mundi figura, quæ præterit, pro divitiarum acquisitione, pro vitæ mere animalis substentatione, & pro æterna facilitate vix laboratur. *Idem*.

Non satis est operari, operandum est, ut cœlum acquiratur.

Si pericula, quibus patent illi, qui vitam suam nihil facientes traducunt, tanta sunt, ac tam terribilia; quid sentiendum de periculis, quibus obnoxii sunt illi, qui divina lege ad laborem damnati totum vitæ spatium traducunt, quin pro æternitate, ac salute aliquid operemur? Non igitur satis est operari, propter cœlum operandum est, alioquin vita non aliud est, quam opus arenæ incumbens, quod mortis tempestas dissipabit; atque, ut cum Davide loquar, opus est araneæ, quod minima agitatio momento temporis delet. Plurimum pro mundo, nihil pro Deo laborare, jactura laboris est; quæ efficit, ut nihil magis acquiramus, quam si in ignavissimo otio torperemus. *Idem*.

De pigritia, & otio.

Ex omnibus animi affectionibus pigritia, qua ad perennem requiem inquirendam agitur, minus nota est, cum sit præ cæteris vulgatissima. Hoc abditum vitium est, quod nihilominus omnem terram corrumpit. Pauci sunt, si attentius ad examen vocentur, qui vitio huic obnoxii non sint: malacia est gravissimis negotiis magis periculosa, quam scopuli, atque tempestates: secreta illecebra est, quæ ardentissimas curas, atque pertinacissima remoratur consilia; utque genuinam illius ideam concipiamus, dicendum est inertiam, & otium esse, tanquam beatitudinem animæ, bonorum omnium apud eam locum tenentem, sed eam beatitudinem, quæ nobis veram eripit felicitatem; beatitudinem, quæ nos ad æternam damnationem adducit. Peccatum hoc in nobis quamdam gignit improbitatem, quæ nobis indignationem, atque amaritudinem inspirat contra eos, qui aut verbo, aut exemplo ad munus nostrum obeundum nos agunt, efficit, ut animos despondeamus in iis omnibus, quæ laude sunt digna, ubi vel minima difficultas inveniatur; quod prohibet, ne conemur quidem officiis, quæ sunt gravissima, & maxi-

maxime necessaria, perfungi: *Auctor actionum Christianarum, sermone de pigritia.*

Pigritia, & otium in omnibus charitati adversantur.

Si nos animat charitas, pigritia, & otii amor nobis animum aufert; si charitas omnia religionis officia nobis exhibet facilia, pigritia obices auget; si charitas virtutis viam sternit, pigritia eas nobis arduas, & invias ostentat; si charitas nos agit ut in via mandatorum curramus, pigritia, ne in illis ambulemus, deterret; si charitas nobis in Dei servitio suavitatem ostendit, pigritia fastidium ciet. Charitas denique agens est; pigritia vero otium, & quietem amat. *Idem.*

Vita Christiana, laboriosa est, & otii inimica.

Fides nos docet in primi hominis persona damnatos fuisse, ut in sudore vultus pane vesceremur. Attamen sæculi divites otium respiciunt, tamquam jus generis sui, & putant se natalium suorum prærogativis dispensari ab ea necessitate, quæ universæ posteritati Adæ imposita fuit. Sed docet Propheta, ad hoc ut æternam consequamur felicitatem, satis non esse evitare malum, sed bonum quoque faciendum esse; videlicet laborandum, bona opera efficienda, superandos obices, qui in Christianarum virtutum exercitatione inveniuntur. Itaque Christianus, qui bona opera negligit, vitamque suam in molli, otiosaque ignavia traducit, ad hanc felicitatem legitime anhelare non potest. *Specimen sermonum pro Dominica Septuagesima.*

Per laborem salvamur, per otium damnamur.

Quemadmodum otium communis est causa interitus eorum, qui illud amplectuntur, ita sedulus labor, quem a nobis pro statuum varietate petit providentia, nos ad salutem adducit. Ideo Evangelicus paterfamilias mercedem illis promittit, quos ad vineam excolendam mittit. Neque enim ad solos Jesu Christi ministros, atque ad homines Apostolicis ministeriis devotos hæc pertinent verba: *Ite, & vos in vineam meam.* Matth. 20. Verum omnes Christiani, cujuscumque conditionis illi sint, dici possunt in Domini vinea operati, ubi status sui muneribus obeundis vacant hac mente, ut se ipsos sanctificent. Hic ille labor est, quem ex nobis exigit Deus, & ad quem nati sumus, S. Job inquit, ut avis ad volandum. Necesse non est plerisque fidelium probare, laborandum esse: hoc enim satis illis cupiditas, ambitio, avaritia persuadent; sed quotusquisque propter eum finem, quem Deus petit, operatur? Multis se angunt curis, ut in exilio suo certam sibi fortunam constituant, & de permanente sibi domo in patria ædificanda non cogitant. *Ibidem.*

Operanda sunt digna magnitudine hominis, & fine, propter quem est in mundo.

Quæ minima sunt, summi viri non curant; id, quod privati negotium esse potest, non potest esse principis; ita cum gratia nos attollat super ea omnia, quæ in natura præstantissima sunt, ac nos immortalibus destinet coronis, si pro illis tantum adlaboraverimus, quæ temporalia sunt, neque nostræ sollicitudines ad sublimiorem dirigantur finem, nihil facimus gradu nostro dignum, & nostræ conjugium conditioni. Otiosi sumus inter labores, & attentius hisce rebus vacamus, cum discipulis filii Dei dicere possumus, nos laborare, quin aliquid capiamus. Eheu! ne dicamus multas a nobis res præclare gestas fuisse, nos maximi momenti negotia transegisse cum laude; præstantissima elucubratos fuisse opera cedro, ac pumice digna, quæ posteris tanquam vigiliarum, laborumque nostrorum fructus commendabimus; Ethnici quoque his majora fecerunt, & nihil tamen profecerunt apud eum, penes quem omnium est humanarum actionum arbitrium. Quonam ambitiosa eorum consilia evasserunt? Quid ex eorum operibus superest, præterquam modicum fumi, cinerisque? Non igitur satis est, ut agas utiliter, ea facere, ex quibus majorem, quam ea reproborum, & infidelium operibus fructum percipias. In eum tendere opus est finem, quem ipsi proposuimus nobis, & ad hunc veluti scopum conatus, laboresque omnes suos referendi. Si huic desumus officio, laborum nostrorum fructum amittimus; & secundum Prophetæ Oseæ cap. 18. verba, ventum serimus, ac metimus tempestatem. *Ventum seminabunt, & turbinem metent; Ibidem pro 4. post Pentecosten Dominica.*

Deus homini laborem præcepit in pharmacum.

Re adhuc integra, & antequam tellus excoleretur, hæc omnia ferre jussa fuerat. Producat, Creator ait, terra herbam virentem, & simul ubique virescere, & germinare visa fuit; at post peccatum hæc terræ desiit ubertas; præcepitque Deus, ut per laborem nostrum exculta fructus afferret, ut ad utilitatem nostram laborem institutum fuisse intelligeremus. Videtur quidem pœna, ac supplicium nobis inflictum fuisse, cum ea legimus verba: *in sudore vultus tui vesceris pane tuo;* sed monitum potius est, atque animadversio levis, quæ medicinam vulneribus afferat, quæ nobis peccatum inflixit. *Ex Sancto Chrysostomo, in sermone quodam.*

Otium leve nobis videtur crimen, sed insignium malorum est causa.

Quamvis otium leve peccatum videatur, insignium tamen malorum est causa. Qui illud consectatur, tot dominorum est servus, quos habet affectus, idque tantum malum est, ut Spiritus Sanctus inertes ad formicam mittat erudiendos. Quantula est discipuli magnitudo tantulum habentis institutorem! Cum bonum omittimus, statim malum operamur. Scelera omnia, quæ in mundo videmus, non alium initium sortita sunt; externa quidem species culpa vacare videtur, sed intus latet iniquitatis sentina. Otium sensibus saporem inducit, malos habitus fovet, animæ facultates vincit, hominem sensim exuit iis, quæ in ipso meliora sunt, eique id, quod naturale, & imperfectum est, dumtaxat relinquit. Si dæmon vigilat, atque ad agendum velox est, quos refert de illo triumphos, qui inermis est, & languet in otio? Si qui dies, noctesque adlaborant, ut se perfectos efficiant, illius tyrannidem ægre, & via evadere possunt, quomodonam otiosus, & piger adeo importuni hostis tela, & insidias effugiet? *Auctor actionum Christianarum, sermone de pigritia.*

Homini laborandum est quærendo, per peccatum servus factus est.

Homo, Tertullianus inquit, in statu innocentiæ rex erat, sed post peccatum sese ad servorum conditionem redegit; & ideo protoparenti Deus pelliceas dedit vestes; ut intelligeret, totum vitæ ipsius spatium non aliud esse debere, quam jugem laborem, ad quem Dei justitia illum damnaverat: *Quasi metallo damnatur pellitus homo.* Alludit Pater hic miseris mancipiis, qui in fodinis laborem suum collocare jubebantur, & nocentibus, qui in omne vitæ spatium ad metalla damnabantur, & qui pellibus induebantur; ut hac veluti nota ab aliis mortalibus distinguerentur. Deus autem primo homini hujusmodi pellium contulit indumentum, ut intelligeret se jugi labore esse exercendum. Itaque omnis homo, veluti servus, laborare debet, quia peccator est, non ex libidine, & arbitrio, sed ex necessitate, & in spiritu pœnitentiæ. *P. Bourdalove in sermone de Otio.*

Quo magis aliquis aliis præstat, eo magis illi videtur esse laborandum.

In Politicæ, ac religionis statu idem, ac in statu naturæ contingit: causæ quo magis sunt universales, eo plures effundere debent influxus, & aliquid conferre ad bonum causatum particularium sibi subordinatarum. Ita solem, & astra infatigabili motu circumagi videmus, ita cor, quod vitæ principium est, perenni agitatione movetur. Hoc ipsum in politicis accidit, & in religione; cujus rei ut exemplum aliquod intueamur in ea conditione, quæ supra cæteras eminent, in regno videlicet, quæro, quid sit hoc regnum, nisi speciosa principum servitus, qua ad subordinatorum suorum commoda, & utilitatem laborare tenentur, divinæque providentiæ consiliis satisfacere, quæ ideo illos ad hunc honoris apicem provexit, ut jugiter essent intenti subditorum suorum felicitati? Ita etiam in Ecclesia, & Religione, Episcopus, & Pastor es? *Forma dignitatis indicitur ministratio.* Perennis attentio esse debet forma dignitatis, & anima, quæ ingenti huic corpori motum conferat. *Idem.*

Otium nos objicit dæmonis tentationibus.

Scitote vos otiosos esse non posse, quin undequaque tentemini, atque peccati occasionibus pateatis.

featis, Idcirco; uti Sanctus Hieronymus animadvertit, in Ægypti cœnobiis, Thebaidisque solitudinibus religiosi, & Anachoretæ indesinenter manuum operibus vacabant hoc uno consilio, ne otium evitarent, utque externo labore internas dæmonis suggestiones propellerent. Quid! tot mortales, qui mundo extremum vale dixerunt, quamvis consummatæ virtutis sint, operari non cessant; quippe si orientur, metuunt ne labantur in scelus; vos autem qui inter mundi hujus laqueos versamini; qui circum undique a tentatoribus obsidemini; vos qui peccatores estis, cuperetis otiosos esse, & in tranquilla salutis vestræ securitate quiescere? O cæcas mentes! Quot, Sanctus Ambrosius inquit, ignava requies postravit, belli difficultatibus, laboribusque non fractos? *Domant otia, quos bella non fregerant*. Quot in laboriosa vita mundi tentationes superarunt, qui in otio turpiter superati fuere? *Idem*.

Ille, cui nihil faciendum est, nihil non facere potest: qui occupatus est, huic una tantum metuenda tentatio est; otiosus homo omnibus patet incursibus: sexcentis ex partibus sathanas illum oppugnare potest, ille vero quomodo impetum propulset, non habet. Omnibus sathanæ telis expositus est, ne unum quidem in irritum cedit. Otium omnes proscribit virtutes; etenim illæne possunt citra laborem acquiri? Aditum pandit peccatis omnibus; inutilis enim homo sæpe est abominabilis, ut inquit Job cap. 15. *Abominabilis, & inutilis homo*. Otium causa fuit, vel occasio plurimorum criminum, quemadmodum Scriptura testatur, quæ docet, originem abominationum Sodomæ fuisse otium, atque intemperantiam. *P. Nepveu in Christianis considerationibus tomo 4*.

Ut bonū, quod faciendum est, operemur, otium vitandum est.

Tot nobis obeunda sunt officia, ut qui eorum multitudinem, & gravitatem norunt, tempus sibi deesse, conquerantur; quibus vero tempus abundat, hi vel officia sua non cognoscunt, vel eadem negligere decreverunt. Si officia statui nostro inhærentia obire velimus, deeritne nobis unquam, quid agamus? Licet vir nullam haberet provinciam, licet mulier non aliud haberet negotium, quam familiæ curam, filiorum educationem, atque erga domesticos vigilantiam, vacaretne illis, si muneribus hisce rite vellet perfungi? ..... Illas ad fortem remitto mulierem, quæ familiæ tantum, domusque suæ curæ intenta hanc nominis laudem promeruit. Sciat opus est linum, lanamque attrectare, fusumque veluti manuum suarum ornamentum circumagere: *Digiti ejus apprehenderunt fusum*. Prov. 3. Sciat opus est somno aliquot horas surripere: *Surrexit de nocte*; sciat opus est tempore æstivo hyemalia resarcire indumenta. Ecce, mundanæ mulieres, exemplum, quod vobis ob oculos exhibet Sapiens: vos, quæ somno, aleæque impenditis, quidquid temporis rei familiaris curæ surripitis, & quæ vosmet nimium demittere censeretis, illis exercitationibus operam dantes, quas Spiritus Sanctus veluti sexus vestri studia commendat. *Idem ex parte*.

Ad otium vitandum utiliter, & sancte operari debemus.

Non satis est otium vitare, & operari, bene operandum est, & ad id oportet, ut opus in principio suo bene dirigatur. Plures otium vitant, ac plurimum operantur, sed male operantur, semper in actione, motuque sunt, sed affectus, non ratio, aut virtus eos movet, & agit. Propter ambitionem quos labores non suscipit quotidie, qui quocumque pretio cupit attolli? Mercator propter avaritiam quot labores non sustinet? Quantumvis voluptuosus requiem diligat, quibus non exercetur laboribus, ut suam expleat cupiditatem? Hi omnes plurimum laborant, & fatigantur, Sapiens inquit, sed in via iniquitatis: *Lassati sumus in via iniquitatis*. Sap. 5. Eorumque labor non inutilis solum est, sed etiam noxius. *Idem*.

Nimius labor saluti non minus obest, quā otium.

Neque satis est bene operari, nimis operandum non est; non satis est, bona opera facere, cum mensura facienda sunt. Quantumvis in se bene ordinata sint, jam talia esse desinunt, ex quo modum excedunt: neque minus officit nimis, quam nihil facere. Negotia nimis multa, & magna, licet bona, dissipant spiritum, exsiccant cor, hominique libertatem, ac tempus auferunt, quo eget, ut tanto, quantum est salutis, negotio operam navet. Possunt ne citra miserationem, immo etiam citra indignationem videri mortales, qui, ubi illos hortaris, ut per tempus suæ causulant conscientiæ, ac saluti prospiciant, suas causantur occupationes, per quas illud sibi minime licet, quasi ullum esse posset negotium hoc magis utile, & necessarium. *Idem*.

Otii adolescentiæ præsertim perniciosum.

Otium potissima causa est libidinis adolescentum. Illud pater est vitiorum, ac ea ætate nonnisi summa cum difficultate evitandum. Natura ultro in illud fertur; idque magis in adolescentia, præsertim vero post laborem; laborem vero coactum, qualis est studiorum, vel alterius cujuspiam id genus officii. Idcirco ubi libertate frui incipiunt, ac juris esse sui, otio sese mancipant, idque eo minori verecundia, quo diutius illud concupierunt; non agnoscentes vel quantum opus sit laborare tunc temporis, neque detrimenta, quæ inde percepturi sunt, præsentientes. Hoc in otio vitia, & habitus pravi brevi crescunt intervallo, quemadmodum Sancto Augustino accidit; quæritur tantum ludus, voluptas, oblectamentum, societas, & occasio pereundi. Ad tantum hoc malum evitandum maturato labori vacandum est, ut adolescens par fiat, ac peritus ea in vitæ ratione, quam amplexurus est; quod ex conscientia præstare tenetur. *Gobinet in libro, cui titulus: Instructio adolescentiæ*.

Occupationum multitudo perniciosa.

Alii in nihil agendo occupati sunt, alii omnibus sese rebus immiscent, atque temporalibus negotiis ita operam navant, ut ne momentum quidem illis supersit, quod in æternitatis negotium impendant, itaut quantumvis magnarum obruti sint curarum numero, dici possint non minus otiati, quam alii; quia nihil eorum faciunt, quæ ipsis facienda sunt, & quia, quodcumque præclarum in mundi oculis fecerint, coram Deo nihil fecerunt .... Cum ambitio, & avaritia duo sint affectus insatiabiles, ut alterutri satisfiat, nihil inausum, nihil intentatum relinquitur; negotia negotiis, munera muneribus, sollicitudines sollicitudinibus agglomerantur; ea, quæ ad hanc vitam pertinent, toto pectore conquiruntur, & hominum mens ita sæculi negotiis occupatur, ut ex toto eo tempore, quod eorum annos componit, ne momentum fere quidem sibi reservent, quod in magnum suæ salutis opus transmittant. *De la Volpilliere sermone de otio, & labore*.

Cur labor amandus, & otium fugiendum est.

Una ex rationibus, propter quas Sancti omnes etiam atque etiam laborem commendant, & hunc ipsi quoque exercuerunt, fuit consilium omnem vitam replendi, ita ut nullum illius spatium relinquerent vacuum, ne unquam in otio deprehenderentur, scientes fieri non posse, ut omnia momenta, quæ sanctis occupationibus essent vacua, malis non repleantur. Hinc prisci illi Eremitæ dicere consueverant, laborantem ab uno tantum tentari dæmone; otiantem vero ab innumeris, & vulgo otium vitiorum omnium parens dicitur, omniumque origo malorum: illud est omnis auctor nequitiæ, uti Sapiens ait; & a S. Isidoro arx omnium affectuum vocatur; ibi enim omnes in tuto sunt contra divinarum inspirationum impetus. Nihil illos ibi expugnare valet, quia otiosus homo non aliud cogitat, nisi ut illis satisfaciat. *Abbas Trappensis 2. tomo de vita Monast. officiis*.

Homo factus est ad laborem.

Hominem inspicias satis est, ut illum ad laborem natum, factumque judices. Tota corporis ejusdem dispositio hoc palam ostendit, organorum omnium mobilitas, perennis sanguinis in venis, & spirituum motus in tubulis, qui eos per totum deferunt corpus, liquido probant, ipsum ad agendum factum fuisse: & hoc ita verum est, ut cum

actione

actione caret, languet, ac tædio afficitur; ea enim omnia, quæ diximus eum ad laborem sollicitant ... Dubitari non potest quominus laboris necessitas par sit omnibus hominibus; cum enim omnes nocentes sint, omnes eadem sententia damnantur. Verum non omnium hominum labores pares, aut similes sunt; alii quippe hoc, alii alio modo sententiam suam exequi debent: opifices quidem in tabernis suis, agricolæ in agris excolendis, mercatores in mercatura, judices, justitiæque ministri in foro, milites belli, & sic de cæteris. Divites labore immunes non sunt; immo e contra quo magis aliquis vir bonus est, eo plus habet laboris. Negotiorum, reique familiaris cura nonne magnus est labor, cum illi, uti par est, vacat? Matrona fidelis, quæ rei domesticæ curam gerit, habet, ubi satis occupetur. Putatisne principes ideo natos, ut fulgentibus in foliis niteant, & ut veluti idola adorentur? Ipsi etiam Reges sciunt vitam suam pluribus, quam privatorum, addictam esse laboribus. Quemadmodum in naturali corpore nullum inutile membrum est, & omnia ad illius valetudinem, & robur aliquid conferunt, & caput unum per se majori exercetur labore, quam reliqua simul; hoc ipsum in politico, & Ecclesiastico usuvenis corpore. *Dominus du Tremblais, tractatu de ludo.*

De otio, & pigritia.

Otium proprie accidia est ex capitalibus, quæ perdunt homines, criminibus unum. Languor est oppositum vigilantiæ, quam Dei filius tantopere nobis commendavit in Evangelio. Non satis est iis, quæ prohibentur, abstinere; illa etiam facienda sunt, quæ imperantur, ac tantum tenemur diei tempus impendere, ut pro conditione nostra bonum operemus, quantum nihil mali facere ... Verum enim vero quamplurimi inveniuntur, quibus nulla fere est occupatio, qui otio insepulti sunt, quod jure vocari potest viventis hominis sepultura, & qui, ut Propheta loquitur, in vanum receperunt animam, quæ Deum & in terris glorificare potest, & in cœlis possidere. *Auctor Anonymus.*

Otiosi se innocuos putant, sed vehementer errant.

Frustra conamur persuadere illis, qui otiosam vitam ducunt, per sola rationis principia, illos non ita culpa vacare, ut putant, ex illis quærendo, quidnam de servo sentirent, qui iners esset, ac otiosus, & in hoc meritum omne statueret, quod nullum hero detrimentum inferres, licet nullam eidem afferret utilitatem. Frustra illos hac urgemus consideratione: semper in gradu stant, semperque quid mali ab ipsis fiat, interrogant? utrum aliena rapiant? Utrum proximo denegent, quod illi debent? Utrum iracundi sint, ultores, maledici, libidinosi? Eandem semper tundunt incudem; non damnari, nisi qui id facit, quod prohibetur a Deo; atque juxta speciosum hoc axioma, quod more suo interpretantur, se in salutis via stare audent asserere. Non cogitant illi hanc vitæ inutilitatem, quam innocentiæ velamine tegunt, per se noxiam esse, & ex diametro Jesu Christi doctrinæ contrariam: sexcenties ipsum eam reprobasse, eamque anathemate percussisse, & ut omnia verbo complectar, juxta præcipuas fidei nostræ regulas maximum coram Deo malum esse nullum bonum operari. *Pater Girousl sermone de inutili mundi vita,*

Dies, menses, anni præterlabuntur semper inanes, ac meritis vacui. Præterit juventus; ætas, quæ subsequitur, licet paulo maturior, nihilo est occupatior; senectus, cujus proprium est per habitum operari; eundem semper sequitur cursum, atque hoc in statu tranquille stadii finis adventare videtur. Cum vero tandem fatale illud accessit momentum, quod vitæ stamen succidit, omniaque sæculi hujus vincula infringit, dicam melius; cum hoc lapsum est momentum, & anima ad tribunal Dei sistitur rationem reddiţura, tunc illa quidem, sed nimis sero detegit illusionem, qua capta erat, suamque incipit agnoscere cæcitatem. Quæ confusio, quis dolor nihil præ manibus habere, quod offeratur Deo! Coram Domino hoc sedulo, severoque exposcente, ut omnia in quæstu ponantur, & nihil eorum, quod nostris credidit curis, intereat; in hoc judicio, ubi nihil recipitur nisi pro earum rerum, quæ afferuntur, & dantur dignitate; quænam desperatio nihil secum afferre, & numquam adlaborasse, ut aliquid afferendum compararetur? *Idem.*

Inertis vitæ descriptio.

Otiosa vita status est peccati, & peccati habitualis. Ex quo enim composita, conflataque est, præsertim vero inter eos, qui in mundi hujus luce versantur, & qui vel opibus, vel genere præstant? Dixi, iterumque dico; hæc quædam series est oblectationum, ludorumque juxta temporum discrimina variantium. Hæc sæpe tota eorum vita est. Sed præterquamquod hæc omnia solatia singillatim sumpta culpa non vacant; ea vitæ ratio, quæ omnia complectitur, vel quæ ab uno ad aliud gradum facit, ut mutatio nauseam prohibeat, nonne pro noxia habenda est? Hoc nos otiosam, inertemque vitam vocamus. *Idem.*

Fallax mulierum pietas domesticæ rei curam negligentium, ut in templis tempus terant.

Quotidie videmus mulieres, quæ se satis devotas arbitrantur, quis multum temporis ad aras provolutæ insumunt, quod pluribus intersunt sacris, quod prolixas in templo preces effundunt, donec interim domos sine cura relinquunt, bona sua dissipantur, servi sine lege bacchantur, & filii sine institutione adolescunt, ipsis fallaci pietate negligentibus maxime essentialia sui status officia, & maxime necessarias prudentis, & vere christianæ mulieris curas ..... Nonne in Proverbiis videmus mulierem fortem antelucana industria solem prævertisse, ut pensa ancillis tribueret, easque fusum torquere, propriisque manibus operari doceret, & quamvis insigni, claroque genere esset, ipsam numquam genere suo indignam curam hanc censuisse? *Liber cui titulus: Christiana instructio pro puellarum educatione, cap. 7.*

Inanes mulierum occupationes, & cuinam rei vacare debeant.

Fatendum est, mulieres suopte ingenio ad nugas ferri, nimisque exiguis rebus occupari. Ornatus, visitationes, conversationes, ambages, illas distinent; inepta hæc objecta omnem animæ earum activitatem exhauriunt. Corporis earum cura quamcumque maxime necessariam curam superat, nisi rei suæ status illas ex hoc torpore, ac somno excutiat... Si ex me quæris, quid illis faciendum esset, dicam illas diluculo vel in templorum, & aræ ornatum laborandum esse, vel rei familiaris curam gerendam, si hoc earum conditio poscat, non autem a cubili ad calamistros, & a calamistris ad mensam, a mensa ad ludum, a ludo ad visitationes, inutilesque conversationes migrandum: cum hæc iners, & mollis vita corpori saginando, affectionibus nutriendis, & vehementioribus efficiendis, nec non inhonesti amoris igni fovendo sit apta. *Ex Anonymo Auctore.*

Plerorumque mortalium labores inutiles non secus ac vota.

Non dico solum plerorumque mortalium labores pro cœli gloria acquirenda inutiles esse; nemo dubitat; verum dico illos steriles etiam esse pro tempore, atque votorum eorumdem objectis. Ambitio magis sollicita non semper felicem assequitur exitum; sollicitudo illius sæpe obicem ejusdem progressui constituit: *Vana est spes illorum, labores sine fructu, & inutilia opera eorum*, Sapiens ait de hominibus loquens, quos cupiditas urget. Gratiæ dispensatores non semper justi sunt meritorum æstimatores; at sæpe jure nimis acres frustrantur ambitiosi hominis cupiditates, qui nulla dignitate saturatur. Avarus non semper votorum summam consequitur, divitias videlicet per curas, laboresque cumulandi: quosdam ipsa avaritia ad paupertatem redegit, quemadmodum alios ipsa profusio locupletavit. *Sermo Manuscriptus P. Francisci Catrou.*

Cuinam rei mulieres domi vacare teneantur.

Edocendane es, scribebat Sanctus Hieronymus Romanæ cuidam matronæ, edocendane es, qua namu in te diem transmittere debeas? Numquid mulieri in familia sua deesse potest, quid agat? Numquid domestici desunt, quibus invigilet, ut chri-

stianæ mulieris officia sinuntne nihil esse, quod agatur? Putassetne quispiam, Fideles, quibus tot expianda peccata sunt, tot munera obeunda, ac adeo terribilis ratio reddenda, adeo turpe otium sequi, diesque suos in voluptatibus traducere, eo quod illis desit, quod agant? Interim dies, & anni semper æque vacui, inanesque fluunt; præterit juventus, & quæ sequitur ætas licet maturior, non ideo muneribus suis obeundis attentior est. Ludus, societas, aliaque oblectamenta voluptatium hominem quoad fieri potest sequuntur. *P. Croiset in Christianis Considerationibus.*

Plerique mortales vitam in otio traducunt.

Qui id intuetur, quod hodierna die potissimum est plerorumque mortalium negotium, nonne jure exquirere posset, utrum sufficiat Christianum esse ad hoc, ut nihil sit, quod agatur; vel utrum vitæ inutilitas apud Christianos nequaquam vitium existimetur? Otiosi cœtus, inutiles visitationes, inania colloquia, nugæ, ludi, deambulationes, spectacula, voluptates, ea sunt, in quibus tota ferme traducitur vita; saltem donec adversa fortuna, vel effœta senectus homines admoneat, ut secedant; atque tunc etiam otii mœror in mollis ignaviæ locum succedit. Extremi vitæ dies magis molesti sunt, verum non ideo minus sunt vacui. Senes ex necessitate otiosi sunt, postquam ex libidine, & voluptate fuerunt. Diceres satis esse, divitiis præpollere, honoribus auctum esse, nobili natum esse loco, ut jus temporis amittendi acquiratur. Ipsa etiam anxietas, qua illud inquiritur, quomodo fallendum sit tempus, plerumque sola cura est, qua homines occupantur. Noctis requies in multam producitur diem, atque in otiosis nulla unquam ad laborem deprehenditur dispositio. Hanc sibi legem irrogant, & sæpe merito sibi adscribunt nescire, quid agant. Quietis inutilitas mollitiem fovet, mollities otium alit, otio vero vitium nutritur, inquit Spiritus Sanctus. *Idem.*

Nemini deesset quod ageret, si ita muneribus suis officiis vellet defungi.

Pauci sunt, quibus familiæ cura gerenda non sit, vel qui servum non habeant, de quo rationem sint reddituri. Nullus vero, cui plurima obeunda non sint officia, cui magnum salutis negotium non sit procurandum, talenta in quæstu ponenda, sanctificandi dies, ac terribilis reddenda ratio Deo momentorum omnium, omniumque vitæ suæ actionum: qui vero hæc omnia adimplere debet, potestne dies suos, quin aliquid operetur, otiose transmittere? Potest per otium temporis jacturam facere? Profecto cum hisce obligationibus advertitur animus, atque serio consideratur otium, in quo tot fideles vivunt, numquid interrogandi libido suboriri potest, utrum omnes in eadem Ecclesia fideles ejusdem sint religionis; vel utrum omnibus idem Evangelium habentibus, nobiles, divitesque peculiari privilegio dispensentur ab universali lege, atque ab officiis, quæ christianis omnibus necessario sunt obeunda? Sed minorine jure quæri posset, utrum qui christianas veritates credunt, & in otio languent, ratione præditi sint? Quid de homine cogitandum esset, qui, cum maximi momenti litem habeat, de qua juris peritos consulat, vel quam urgeat, locum, quem tueatur, negotium, quod ad exitum perducat, rem extremæ necessitatis, quam perficiat, otiatur, quin aliquid faciat, ac tempus omne traducit in solatiis, atque oblectamentis? *Idem.*

Otium ex se tantum, magnum est in christiano malum.

Quæritur, quodnam peccatum sit otiosam, inutilemque vitam ducere; sed nonne ipsa otiosæ vitæ inutilitas magnum malum est, cum ne unius quidem momenti jacturam facere teneamur? Potestne majus inveniri malum eo, quod causa est, vel saltem aliorum malorum occasio? Quid mali fecerat servus iners, de quo loquitur Evangelium, qui non aliam ob causam damnatus fuit, nisi ob hanc, quia nihil fecerat? An nescis, vitæ inutilitatem in Christiano sceleris loco esse? Nihil fit; verum ideone natus es, ut nihil agas? In christiana religione variæ quidem sunt conditiones, sed mandata sunt eadem; aliis quidem majora sunt commoda, nemini tamen fas est otiosum esse, ac temporis jacturam facere. Otium, Spiritus Sanctus Eccl. 33. inquit, plurima docet mala; hodie vero otiosi, dummodo illis habeatur fides, præ aliis sunt innocentes. Omnia insidias struunt viris bonis; asserta dumtaxat otiosorum innocentia omni vacat periculo. Quam deplorandus est, qui in hoc periculo vivit! *Idem.*

Genus, & nobilitas a labore non eximunt.

At enim, genus, ætas, opulentia plurimos a labore, & quibusdam oneribus dispensant, quæ ab aliis nullo modo possunt evitari. Quin immo, secundum mundi consuetudinem hoc est nobilitatis, ac divitiarum argumentum, nullis laboribus exerceri. Hoc quidem nobilitatis, & divitiarum argumentum est; verum argumentumne est, quod te Christianum esse probet? Nobilitas unquamne otii jura contulit homini, qui natus est ad laborem? *Homo nascitur ad laborem.* Elogium, quo Spiritus Sanctus mulierem fortem prosequitur, non genere magis, quam virtute spectabilem, circa hunc fere cardinem vertitur, quod ipsa numquam otiosa fuit. Efficere quidem licet, ut sibi ab aliis serviatur. Quanam in occasione otium erit privilegium? Quo majus suppetit commodum, eo magis status nostri munera, charitatis leges, legisque præcepta nobis obeunda sunt; & licet solus toti mundo imperitares, numquam fas tibi esset inutilem vitam ducere. Talenta inæqualiter distributa sunt; sed præceptum ex illis lucrum capiendi omnes æqualiter obligat. Saltem qui dies transigunt nihil agendo, reputarent aliquando obligationem, quam habent, otium effugiendi, sed frustra contendunt, mentem magis esse christianam, quam cor; inutilitas vitæ eorum est generalis. Nemo potest status sui officiis melius perfungi, quam mortales isti, qui nullis sunt negotiis impediti; verum, qui illis minus perfungatur, est nemo. *Idem.*

Non omnes mortales otiosi sunt, fateor equidem, verum & vos quoque fateri necesse est, plurimos esse, qui dies suos ducunt, ac suam atterunt valetudinem in ea mentis applicatione, & multiplici negotiorum cura, quæ, ipsorum culpa, pro æternitate nequaquam utiles sunt. Opifices, Magistratus, Mercatores, quinam dies, mihi dicetis, magis labore pleni; quæ magis exercita conditio, quæ minus otiosa vita, quam nostra? Studium, quod ad maciem redigit, curæ, quæ torquent, attentio non intermissa ipsam quoque cœnam, ac requiem perturbant. Nullus datur relaxationi locus; nulla sine impedimentis dies; ut plurimum nonnisi ab importunis visi, atque in magna negotiorum farragine sepulti. Quinam solitarius adeo occupatus; & ubinam inter claustra adeo laboriosus secessus invenietur? Nequaquam. Otium non est hujusmodi mortalium scelus; nulli minus tranquilli duci possunt dies; & si talibus dumtaxat conditionibus cœlum acquireretur, fortasse nimis charo pretio videretur esse comparandum. Audeatne aliquis, diceres, homines hujus viæ otiosos vocare? audeat illos inertiæ nomine redarguere? audeat inutilem vitam eorum vocare? Heu! tantum saltem fortasse, quantum inutilis est nihil agentium vita, quia non majorem referunt fructum. Otiosi non sunt: verum Deo acceptine esse debent labores eorum? & labores in omnem æternitatem steriles aliquo haberi possunt in pretio? *Idem.*

Propter Deum operari possumus status nostri munera obeuntes.

Avertat Deus, quod otiosæ vitæ inutilitatem damnantes improbare velimus curas, quibus exercemur, ut christiane, & quilibet secundum statum nostrum laboremus. Deo servit, qui principi suo fideliter servit. Deo servit, qui secundum probitatis, atque justitiæ leges rei domesticæ curam gerit. In qualibet conditione non desunt munera obeunda, quibus qui rite perfungitur, seipsum sanctificat. Studium, & cura inter magistratuum, assiduus labor, & vigilantia inter negotiosorum hominum munera numerantur. Hujusmodi occupationes ex fine suo meritum habent, & christianæ fiunt,

fiunt, statim ac secundum Evangelii regulas instituuntur. Dignatur Deus rationem earum quoque rerum habere, quas pro nobis facimus, cum propter ipsius amorem eas facimus; atque tunc nulla est negotiorum, officiorumque oppositio. Milites sumus, togati, mercatores, sed sumus Christiani. In hac statuum varietate eidem domino famulari possumus, atque utiliter pro Deo, pro hominibus, pro nobismetipsis operamur. *Idem.*

Inutiliter & non sine multo labore pro mundo operamur.

Cum pro mundo operamur, cum cupiditas prima est omnium motuum nostrorum causa, cum ambitio omnium actionum nostrarum primum est machinamentum, cum cupiditati, & avaritiæ requiem omnem, valetudinem, ipsamque religionem devovemus, otiosi non sumus, verum est; sed tot motus, laboresque suntne minus pro altera vita inutiles? Dies omnes sunt molesti, verum numquid minus inanes sunt? *Lassati sumus in via iniquitatis*, inquiunt Sapient. 5. hæ ambitionis, & cupiditatis victimæ. Nemo illis fuit unquam occupatior; nemo fuit minus otiosus: nimio labore fatigati sumus, omnesque vires exhausimus; sed *in via iniquitatis*. Per arduos, asperosque calles ambulavimus: verum quid nobis nostri labores profuerunt? Quis fructus ex inani opum nostrarum ostentatione? Hæc omnia velut umbra pertransierunt. *Quid nobis profuit?* Quid laboribus frangi, somnum quoque sibi interdicere, atterere valetudinem, ac nimio labore ipsam mortem maturare, cum liquido constet laborem hunc in omnem æternitatem inutilem futurum? *Quid nobis profuit?* Quis dolor, quæ desperatio pro aliis fortasse plurimum, pro se nihil fecisse? Quid nobis profuit? Quadraginta sunt anni, aulicus quidam morti proximus dicebat, ex quo principis rem curo, meæ vero ne unicum quidem horæ quadrantem impendi. *Idem.*

Ecclesiasticorum vita otiosa esse non debet.

Si inutilis vita sæcularibus crimen est, numquid crimen non erit illis, quos sibi secrevit Deus, & quos Ecclesia reliquis hominibus tamquam perfectionis exemplaria proponit? Hæ personæ per characterem sacræ, per statum altarium ministerio devotæ, per officium laudibus interdiu, noctuque Domino recinendis destinatæ, dierum suorum arbitrium non habent. Qui illas in suum ministerium assumpsit, illas sibi omnino reservavit: quælibet profana occupatio illis interdicta est; causæ, actiones, desideria, otium quoque illarum omnia sancta esse debent, & sacra. Sed quænam vastitas, quod scandalum, cum ministri Domini, qui ad aras semper provolvi esse deberent populi peccata plorantes, atque inutilem plerorumque mortalium vitam lacrymis prosequentes, vitam suam in otio inerti traducunt? Status hujus obligationes terribiles sunt; verum ad quid rediguntur in his hominibus, qui sæpe a laicis nisi per insignem ignaviæ professionem distinguuntur? Soli adversus temporis calamitates tuti, soli immunes laboribus, & curis, quibus nulla conditio vacua est, quanam in re suum tempus impendunt? Numquid in Bibliorum, vel Ecclesiæ patrum studio? Hoc unum illos decere potest. Numquid in xenodochiis ægros, miserosque solantur, & erudiunt? nullum statui illorum magis conforme esse potest officium. Numquid saltem in secessu pio, unde solo salutis animarum zelo avocantur? Sanctitas, quam consectari ex professione sua coguntur, nullum melius invenire potest perfugium. Mortales Domino devoti in publicum prodire non debent, nisi ut ædificent, atque erudiant. Hoc in statu otiosum esse, est indignum esse ministerio suo, sibique Dei ultionem conflare. *Idem.*

In omni statu non desunt otiosi.

In quolibet statu, ac professione otiosi non desunt, quamvis in quolibet statu, & professione non desit, quod agatur. Labor non deest, sed pauci sunt operarii. Inutiles nugæ locum arripiunt occupationum, quæ maxime seriæ sunt, ac dicere jure possumus, vitæ inutilitatem vitium esse vulgatissimum: verum ubi diei finis advenerit, quam mercedem refert, qui nihil fuerit operatus? Pro mundo, pro tua voluptate, pro amicis tuis laborasti; illi, pro quibus operatus es, mercedem tibi conferant..... Quam luctuosum est procul adhuc abesse a termino, cum nox adventavit! quam horribile est totius temporis jacturam fecisse, quin aliquid actum fuerit! Si adeo terribilis reddenda est otiosorum quoque verborum ratio judicii die, quid de inutilibus actionibus erit? quid de vita in otio transacta! *Idem.*

Inutilitas plerarumque humanarum actionum.

Tela aranea texuerunt, inquit Propheta. Fortunæ vestræ opifices quemnam ex curis, immodicisque laboribus vestris fructum cepistis? Araneæ telas texuistis; *opera inutilia*. Nil vanius, nil minus solidum, quam opera vestra, licet ad mortem usque essent permansura; quid enim pro altera vita profutura sunt? Immo quid pro hac etiam prosunt? Quandonam error hic abjicietur? Quandonam hæc illusio, hoc præstigium intelligetur? Nulla sapiente dignior fortuna est, nulla christiano corde occupatio dignior, quam ad sanctitatem contendere. Hæc una omnia replet desideria; mentis nostræ mobilitatem figit, nosque in hac vita beatos efficiens; perfectiorem adhuc post mortem felicitatem procurat. *P. Croiset 2. tom. Consider.*

Inutilitas vitæ hominis Christiani salutem illius in periculum adducit.

Otium est vitiorum omnium origo. Homines isti, quos pinguis, atque pacatus proventus in molli nutrit ignavia, plurimis onusti muneribus, suique otii, atque negligentiæ pertæsi certine sunt salutis suæ? Quamvis Christianus nil aliud sibi, nisi vitæ suæ inutilitatem exprobraret, numquid salus ejus extra periculum esset? Dies vacui magnum sunt crimen illi, cui plurima officia obeunda sunt. Dies plurimorum mortalium, qui divitiis affluunt, plus non sunt. Subducto eo tempore, quod in inanibus solatiis, ludis, spectaculis, visitationibus; conviviis, immo etiam negotiis pro salute inutilibus, teritur; quid reliquum est pro æternitatis negotio, & quæ cura, quod, reipsa, tempus in hoc unico, ac tantæ necessitatis negotio impenditur? Hæc vivendi ratio tot mortalium quam palam exiguum electorum numerum probat! Attamen vivitur, tranquille in aurem utramque sternitur tot inter pericula. Quæ imprudentia! Quam funesta stultitia! *Idem.*

Qui alterum alienis fruuntur pro cæteris magis obnoxii sunt otio

Non desunt homines, qui nihil sibi deesse videntes stultum esse putant seu corpori, seu spiritus laboribus exerceri, ex quibus nullam sunt utilitatem percepturi. Isti sibimet dicunt: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce &c.* Luc. 12. Hoc est, ut pro rei veritate loquamur; vivamus in inertia, negligentia, otio, fruamur in pace bonis, quæ a patribus nostris accepimus, iis abstineamus laboribus, qui spiritum quidem nostrum fatigare, corpus vero atterere possunt. Nosmet omnibus curis, molestiis, sollicitudinibus liberemus. Pro certo affirmare possumus ad hos mortales damnationem illam referri: *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3. Vehementer errat, qui satis esse putat a criminibus abstinere. Jubet Deus nos operari, imperat, ut bonum faciamus, inutilemque servum in ignes æternos jubet proturbari. *Abbas Trappensis tomo 1. Considerationum moralium.*

Cogitationes tempus auferunt non secus, ac opera; ac dicere possumus, tempus, quod illis impenditur, amitti, & inutiliter cogitantem inutiliter operari. Quomodonam homo vacuus, plenus dumtaxat vanitate cogitationum suarum, cujus mens infirmata est, quia solida applicatione non regitur; qui caput chimæris habet oppletum, consulto agere potest, seria potest amplecti negotia, sibique ea proponere, quæ eam mentis vim exigunt, quam non habet, & qua ultro seipsum orbavit, propterea quod sibi voluptati vertit status sui inertiam, & inutilitatem.

Inanes plurimorum occupationes

Nonnumquam toto vitæ spatio laboramus, ut eam nobis fortunam procuremus, qua nonnisi cum

incer-

incertitudine, ac ad modicum tempus frui possumus, & via momentum impendimus cogitationi æternitatis, quantumvis hæc certa sit, atque immutabilis. Quod nos integros distinet, si rite perpendatur, nihil aliud est, quam fulgor inanis nullam habens soliditatem, vel durationem; atque eo momento, quo omnia vera in luce apparebunt, gravissimo afficiemur dolore, nihil tunc profuturo, quod neglexerimus illud, quod unum habere debebat locum in corde, ut illusiones, atque phantasmata consectaremur. Hoc illud vere est, quod sentiendum est nobis de labore, quem impendimus, ut nobismet in hoc mundo opes congeramus, ut ingentia cumulemus bona, ut ibi honoribus, & dignitatibus aucti fulgeamus. *Abbas Trappensis*.

Quid hic statis tota die otiosi? Quid agitis? quanam in re vitæ vestræ tempus impenditis? vel in voluptatum deliciis immersi, vel occupati in thesaurizando iræ thesauros pro die ultionis, cum hisce perituris divitiis, quas tanta cum aviditate deperitis, vel vanos ineptosque honores, qui labuntur, consectantes, semperque hærentes in cupiditatum ambitu, quarum aliæ aliis sibi succedunt, totam fere vitam vestram impendistis, quin aliquid pro salute vestra efficeretis: *Quid hic statis tota die otiosi?* Nonne tempus est vosmet excitandi ex eo sopore, in quo estis sepulti? Decretorium vestræ æternitatis momentum accedit; securis ad arboris radicem jam sita est; & arbor hæc æternum ibi erit, ubi ceciderit; arbor hæc sterilis, in qua Jesus Christus folia tantum, inanemque religionis speciem pro fructibus pœnitentiæ, quos inquirit, inveniet. Audire jam mihi videor vocem terribilem judicis, qui pari severitate in ignavum, ac in dissipantem servum animadvertens, ex eo rationem reposcit animæ, quam illi credidit, ac temporis, quod illi, ut saluti suæ consuleret, permisit. *Abbas du Jarry sermone pro die Septuagesima*.

Hominum plerique prorsus inutilem vitam ducunt, in vanum receperunt animam suam, ut inquit Propheta; unicum illius usum, propter quem a Creatore acceperunt illam, ut videlicet illius saluti consulerent, negligunt, sese tradunt dæmoni, qui forte unice eorum præest occupationi; & postquam in divitiarum illusione somnum suum dormierunt; ad terribilem mortis occursum evigilantes nihil inveniunt in manibus suis. O vos cæcos! fortasse in hac vitæ inutilitate consenuistis, manus vestræ labantes vix vobis in inani ista occupatione operam suam præstare possunt, momentum prope est, quo negligens servus in tenebras exteriores projicietur, ubi illi districta reddenda erit ratio momentorum omnium adeo inutilis vitæ. Divinæ ultionis gladius vestris cervicibus imminens tenui dierum vestrorum filo jamjam infringendo suspenditur: præstolamini, donec inopinata mors vos in hac misera dissipatione deprehendat. Uno tantum grado ab æterna calamitate distatis, & solatiis indulgetis, cum unicum tantum momentum inter vos, atque æternitatem intersit!

SUPPLEMENTUM.

Mali est vitā mollem, & otiosam ducere.

VIta mollis, & iners numquam fuit vita Christiana; hæc certissimum est futuræ reprobationis præsagium, & causa. Sed quid mali est nihil facere, cum cæterum ea sis nobilitate, genere, fortuna, quæ te a laboribus immunem constituunt? Verum Christiani qualitas nonne tibi inevitabilia injicit officia? Quæritur quid mali sit vitam inutilem ducere? Sed otiosæ vitæ hujus inutilitas nonne magnum malum est illi, qui ne unum quidem momentum perdere debet? Num majus inveniri malum potest eo, quod origo est, vel saltem occasio cæterorum? Quid peccaverat servus Evangelicus ideo damnatus, quia nihil egerat? Numquid latet inutilitatem vitæ in Christiano magni criminis instar esse? Nil fit: verum idonee vitiis, ut nihil facias? Dominus autem numquid fecit locupletem, pluribusque te opibus donavit, ut mollem, inertemque vitam traduceres? Reminiscere in Christi religione varias esse mortalium conditiones, mandata vero eadem. Aliis quidem majus est commodum quam aliis, sed inutilem, ac voluptuariam vitam ducere, nemini fas est, Dei Filius maledixit ficulneæ foliis dumtaxat onustæ, quamvis per tempus illa nondum grossos suos afferre potuerat. Nil æque ac otium, ac mollitiem fuge; fac ut dies tui dies pleni sint, *P. Croiset in Spiritualibus Exercitiis*.

S. Spiritus laudat mulierem fortem, eo quod otiū vitavit.

Reminiscere elogium, quo Spiritus Sanctus mulierem adeo genere, ac virtute nobilem celebrat, fere in eo versari, quod numquam otiosa fuit. Possumus efficere, ut alii nobis serviant; Deo tamen per alios servire non possumus. Quo majus nobis est otium, eo magis nostri status officia, leges charitatis, Præcepta legis nos obligant. Talentorum quidem distributio æqualis non est, sed præceptum ea illis fructum ferendi omnes obligat æqualiter. Tibimet hanc legem irroga, ne vel domi tuæ, vel alienæ otieris unquam, & nullibi temporis jacturam facias, Qui præ cæteris oitent aliquid semper præ manibus habere gestiunt; plebejæ autem mulieres crederent, se vilitatem suam ostentare, nisi otiarentur. Vacate Asceticorum librorum lectioni, vel cuipiam manuum vestrarum operi. Spiritus Sanctus mulierem fortem laudat, quod post rei domesticæ curam horis succesivis fusum detrectare non erubesceret. Habete status orationis horas, tempusque bonis operibus insumendum. Crebras visitationes fugite, sed tantum animi gratia. *Idem*.

Vita hæc non est tempus quietis, & otii,

Homo natus est ad laborem; ideoque vita mollis fluctibus agitatur. Vita hæc est navigationi similis; quot procellæ perferendæ, quot evitandi scopuli, quot naufragia timenda! Bellum est, quot prælia prælianda; quot hostium incursus sustinendi; quot superandi inimici? Nostris sensibus invigilandum est; proprium nos prodit cor nostrum; paucæ ex creaturis illud non tentant corrumpere, ipse etiam amor proprius, nobis est inimicus, mundus in excidium nostrum conjuravit: hoc in statu adeo molesto, & periculoso, numquid licet nobis in molli securitate versari? Quænam vero futura est sors horum inertium mortalium, qui in languenti mollitie ducunt dies suos? Hæc non est sedes quietis; Quid non stetit fatuis Virginibus somnus brevis? *P. Croiset in anno Christiano*.

Vita mollis nota reprobationis est, tamen hac vulgarius nihil.

Qui vel primo in limine nostram Religionem salutavit, ignorarene potest, quanta cum severitate mollem, inertemque reprobet vitam? Cœlum nonnisi mercedis titulo tribuitur; numquam fuit stipendium inertium; cum de moribus agitur in Religione nostra oracula omnia decreta sunt. Quicumque omnibus vitæ suæ diebus non bajulat crucem suam, ut inquit Salvator, frustra se hujus discipulum esse jactat. Vigilate, incessanter orate, festinate, ne quiescatis, contendite in Cœlum ingressuri, quin periculum subeatis non ingrediendi; saltem vobismet jugem afferte vim, ut opportune ingrediamini; nullus amplius invenitur locus, & licet pura, atque integerrima esset vita Virginum, quæ opportune oleum sibi non comparaverant, hic unus mollitiei, & otiositatis earum effectus, eas in æternum privat divini Sponsi conspectu. Famulus iners, ac ignavus talenti sui jacturam non fecerat, immo diligentissime illud servarat, tamen quia illud in quæstu non posuerat, tamquam servus nequam, & inutilis reprobatur. Via longa est, ac tempus breve, Apostolus inquit; dies singuli numerati sunt, unum ex hisce diebus amittere, est, irreparabile damnum facere. Bona fide; quænam plerisque mortalibus injuria fieret, si ex ipsis quæreretur, utrum hoc Evangelium sit suum? Profecto cum hæ veritates cogitantur, cum respicitur mundana ea mulier, cujus dies omnes sunt festi, & voluptatibus dediti, homines isti in mollitie innutriti, & qui in otio consenescunt; cum

con-

considerarur vita hæc mollis, & inutilis, quam plurimi sibi honori vertunt, eaque cum vita Sanctorum comparatur, nonne subortietur desiderium quærendi, utram fideles omnes in eadem Ecclesia sint Religionis ejusdem, & idem credant Evangelium? Nobiles, locupletes, adolescentulæ mundi spiritu plenæ, mortales voluptatibus abditi, numquid peculiare nacti sunt privilegium, ut lege universali, & officiis, quæ nullus Fidelium evitare potest, non teneantur? *Idem.*

Quia otiū sit peccatum.

Nibil præterea requiritur, Fideles, ut inferamus otium esse malum, quod nocentes nos facit coram Deo, quia minime cogitamus quid sumus, & quodnam sit originis nostræ principium, Sumus peccatores, & sicuti Scriptura loquitur, in iniquitate concepti fuimus; verum igitur est, nos omnes nascendo contraxisse quamdam necessitatem, quæ nos laboribus subjicit. Illatio hæc est manifesta juxta regulas fidei. Cur hoc? Quia fides docet Deum præcepisse laborem homini tamqua inobedientiæ, ac rebellionis suæ pœnam. Pœnam, inquiunt Theologi, quæ nobis simul est satisfactoria, & præservativa; satisfactoria quidem, ad expianda scelera jam patrata, præservativa autem ad prohibendum ne in alia incidamus. Satisfactoria, quia fuimus prævaricatores, præservativa, ut prævaricari cessemus; satisfactoria, ut medium sit reparationis erga justitiam Dei, & præservativa, ut sit infirmitati nostræ remedium. Fregisti præceptum meum, primo parenti nostro dixit Deus; Ego vero te condemno, ut jugum feras vitæ servilis, ac laboriosæ. Terra non proferet tibi fructus, nisi tuis exculta laboribus; quin tibi germinet ultro fructus deliciis affluentes, dolorum panem comedes, panem videlicet tuis commixtum sudoribus, antequam in cibum tuum valeat converti. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ecce, o christiana sodalitas, primam legem, quam Deus in mundo constituit ea co momento, qua homo peccavit: quæ lex nostram otiositatem nobis crimini vertit. *P. Bourdalove in Dominicis.*

Genes. 3.

Funestt ef fectus otii.

Ea Propheta percontamini, quomodo Sodoma excelluit sceleribus ante illud tempus inauditis; nonne reddet, otium oppidi istius reprobati fuisse suæ iniquitatis originem? Sed, dicite mihi, donec David militaribus officiis se abdidit, urgebaturne concupiscentiæ, & carnis insultibus? Quandonam in caede suo adulteria, cædesque molitus est? Nonne juxta Sacrum textum tunc accidit, cum otiosus mansit in Jerusalem eo tempore, quo solent reges ad bella procedere? Quid Samsonis exitium peperit? Num ortum duxit aliunde, quam a vita languenti, & effœminata, in qua mansit, ut alienigenæ morem gereret; & heros ille populi Dei capine potuit, dum adversus hostem manus conferere? Salomon Regum sapientissimus cecidit ne unquam primis Regni sui annis, donec zelo indefesso operabatur, omnesque curas in Templi ædificium impendebat? Tunc ceciditne ille, victusque fuit cæca libidine, quæ deinceps ei mentem abstulit eo usque, ut pellicum suarum Diis thura adoleret? An e contra tunc voluptatibus obsequi incœpit, cum laboribus, operibusque suis finem imposuit, atque in profunda requie obsolevit? *Ibidem.*

Omnes laborare tenentur, singuli juxta statum suum.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in pulverem, ex quo eductus fuisti. Hæc pœna fuit, quam imposuit Deus Adæ post peccatum. Vesceris pane tuo. Date mihi hominem cujus communis esca panis non sit? Animalia multa herbis vivunt; alia insectis, & vermibus, homo pane. Vesceris in sudore tuo. Non dicit Deus: vesceris carnibus, vinum bibes. Quot sunt miseri, qui bis abstinere coguntur! Sed panis illis est necessarius. Non coarctat Deus ad certum annorum numerum labores illius; bis annis elapsis dicere posset; ecce tempus quietis meæ; imponit onus illi non alium habiturum finem, quam finem vitæ illius, donec revertatis in pulverem, ex quo eductus fuisti. Fingite vobis hominem; qui immortalitatis privilegio in terra hac non permanebit; hunc a labore immunem existimabo: hic ea pœna minime afficietur, nihilque in ejus inertia reprehendendum erit; verum cum nemo vestrum sit in hac specie; velle immunem esse a labore statui suo inhærente, hoc esset Deum afficere contumelia, ac sese divinæ justitiæ subtrahere. *Abbas Boileau in delectis sententiis.*

In vita Christiana nullum esse debet vacuum.

Cum bonum aliquod opus perfecisti, alterum aggredere. Exempli gratia, ab æternarum rerum meditatione fac grádum ad lectionem librorum sacrorum; a lectione Ascetica ad aliquod tui status officium; omnes tandem horæ utili qualibet ad cœlum promerendum actione connotetur. Otium numquam satis evitari potest; & hoc gravissimorum malorum fons est, & origo. Hinc omnium malorum, quæ ignorabamus, extitit scientia juxta Sancti Spiritus locutionem: *Multam malitiam docuit otiositas.* Hominis Spiritus natus est ad agendum; nisi occupetur, immoratur in iis omnibus, quæ sese offerunt sensibus; & imaginatione ab illicito quopiam objecto perculsa, cor periculum subire, vulnus aliquod recipiendi. Vigilantem imitemur agricolam; vita ejus est jugis laborum series ultro citroque sibi succedentium. Arat, serit, occat, mala purgat gramina, & segetum curam, altera pecorum excipit. Nexus iste curarum nullam diei particulam vacuam relinquit. Talis est distributio temporis a nobis facienda. Quinam futurus est dolor noster, cum aliquando exprobrabit nobis Dominus diem unum, vel tot horas pro Cœli acquisitione deperditas, & omnia inutilia momenta numerabit? Lacrymis prosequere tanti temporis abusum, atque jacturam, ejusque utilius insumendi consilium cape. Unum otiosum verbum impune abiturum non est. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Eccli. 33.

Quam inutiles sint sæculariū labores.

Quo denique tendunt omnes mortalium labores? Ad vitam videlicet atterendam, ut habeant, unde vivant; ad vivendum in egestate, ut inter opes moriantur; ad divitias, veluti febrim habendas, quæ sine intermissione eadem laborantem fatigat; ad moriendum tamquam reprobi, postquam in terris veluti peccatores vixerunt; semper fastidientes præsentia, semper ad futura, licet minime cognita, adspirantes: semper laborantes, ut bonum arripiant, quod aufugit, vel quod si capi se patitur, in manibus eorum evanescit, vel quod si permanet, nullam adfert voluptatem; nam tantum abest quod timorem extrudat, & concupiscentiam expleat, utramque hanc animi ægritudinem auget. *P. Nouet in Meditationibus.*

Nullum in vita civili habere negotium, non est justus titulus otiandi.

Homo aliquis nullo occupatus sit munere, vel officio; nullique inhæreat statui, quo regularem vitam ducere teneatur; numquid ideo dies suos in otio, in alea, omnibusque mundi voluptuosis moribus potest traducere? Oblivisci quod est, & quod futurum est, numquid præsens ejusdem patitur status? Hiccine status est, in quo divina Providentia nihil aliud fieri voluerit, nisi quod pars maxima annorum nostrorum perderetur, & cupiditatum nostrarum torrentem sequeremur? Nulla, vel levissima adhibetur cura earum rerum, quæ unicum esse deberent negotium nostrum: labor nullus, vel minimus in perficiendis talentis, propter quæ inter cæteros clarescere debemus. Nullus nobis timor est ob ea, quæ præterita sunt, nulla vigilantia in præsentibus, fluxa, & fere inutilis cogitatio eorum malorum, quæ nobis impendent. Quærimus obniti contra sensus, qui aliquando suboriuntur in nobis de vitæ nostræ flagitiis. Aliquot ad summum momenta surripimus, pro quibusdam officiis, quæ necessarium mundi commercium nobis imponit; quæ etiam non sine tædio obiter cogitantur, & sæpe cum nondum ad finem perducta sunt, nostra excidit patientia. Ita qui errat ad arbitrium, & sub pondere suorum desideriorum in otio, atque mollitie, cupiditates habet

vivi-

vividiores, ac vehementiores, quibus satisfacere studet, quam ille, qui sui status officiis adhæret, ejusque munera obire profitetur. Vita mundana aperit cor infinitis desideriis, timoribus, zelotypiis, simultatibus, necessitudinibus, motibus, qui inter se depræliantur. *P. la Pesse Tomo 4.*

Quam inutiles sint sæcularis occupationes.

Omnes isti mortales, mundo inhærentes, inanibus suis imaginationibus traditi, vitam suam in molli otio traducentes, aliquidne boni operantur? Somnus, & sui corporis cultus magnam annorum partem absumunt; in singulos dies aliqua ornatum forma suboritur observanda. Alea, conversatio, obambulatio, visitatio, negotium reliquam diei partem absumunt. Inter sanctas actiones vestras numquid numerari potest oratio, quam profertis, cum cubitum itis, aut cubitu surgitis? Si oratio hæc vobis in more est, numquid ut Christianum decet illi vacatis? Si dixeritis, vos ad devotiones festinare; hæ fortasse ideo prosunt, ut vobis saporem immittant, ut flagitia vestra agnoscatis, vel ut novum aleæ, voluptatumque vestrarum gustum tribuant. Hanc autem aleam, & voluptates intermittitis ne unquam, ut divinis adsitis officiis, sanctisque Ecclesiæ cæremoniis? Eas reliquistis, ut maxime necessariis status, & conditionis vestræ muneribus perfungamini? Quotusquisque est, qui non deserat omnia, ut agitur, ut videat, & videatur, ut ludat; & ut verbo dicam, dies integros in insana inutilitate traducat! *P. la Pesse Tomo 4.*

Naturalis otiositatis, & mollitiei effectus est insignis rerum cœlestium, Evangelicarumque veritatum ignorantia. Cum requies amatur, quinam amari posset id, quo illa perturbatur? Cum pœna timetur, num libenter ea considerari possunt, quæ nobis negotium facessant? Christianæ religionis instituta nil impensius præcipiunt, quam ut studiis, atque affectionibus nostris abrenuntiemus. Hæc omnino exigunt, ut nosmet mortificemus sexcentis modis. Facile quidem, ac ultro ipsi nobis hæc abscondimus rudimenta; neque ea mente revolvimus, ne multa nobis sint perferenda. Lumini, quod sequi nolumus, claudimus oculos; & ut aliquam nobismet polliceamur securitatem, periculum dissimulamus. Ideo pauci Fideles assequuntur spiritum Religionis, quam extrinsecus profitentur. Homines id genus, quos domus optime instructa, fortuna constans, commoda valetudo, incompositusque deliciarum amor efficit osores omnium afflictionum, quid tandem de Religionis veritatibus cogitant? Has omnes veritates tamquam fabellas scite confictas existimant: Religionem considerant tamquam opus callidum politiæ ad continendos populos in ea reverentia, quam suis principibus debent. Quorsum hoc? quia nil credere volunt; & si illis haberent fidem, fides hæc illis esset probanda operibus suis; ideoque nonnihil illis ferendum esset, quod omnino otiositati, ac mollitiei, quam profitentur, esset contrarium. *P. la Pesse, & Recens.*

Mentis acies numquam est perspicacior, quam mortis advantage.

Totum vitæ tempus hoc est, constitutus hic dierum numerus, qui nobis divinitus concessus fuit, ut ad Cœlum acquirendum laboraremus, in iis, quæ ad salutem pertinent in lethargico sopore traducitur. Plerorumque mortalium vita prælatus fere somnus est, quo anima chimericis somniis pascitur. Immensa ambitionis consilia; fallentia voluptatum phantasmata, inanes, sed funesti omnium cupiditatum triumphi; magnificum fortunæ systema: somnia mera, fatigantia quidem, sed placentia. Tota fere vita in somniis traducitur; credis te potentem, beatum, locupletem: *Dormierunt somnum suum viri divitiarum.* Sopor autem æternus non est. Mors homines expergiscitur. Numquam melius videtur lux, quam cum interitura est, & vacuas manus invenimus, cum nos potentiores esse existimamus. Potentes sæculi, Felices mundi, mundanæ mulieres, quæ confusio, quis terror, cum in mortis hora evigilabitis; & cum

Psal. 75.

Supremus Judex clamabit: *Hora est jam de somno surgere.* Tunc sopor excutitur. Fides, ratio, conscientia, omnia in jura sua revertuntur. Tunc omnes rationabiles sunt, Christiani sunt; omnes rectum judicium ferunt, nulli fallaci lumine decipiuntur. *Recens Auctor.*

Rom. 13.

Qui plurimis impliciti sunt negotiis, hac saltem utilitate gaudere, quod in summa impedimentorum multitudine, qua distinetur, fere numquam suam sentiunt infelicitatem. Nonnisi tamquam per transennam ægritudinem sentiunt; nec vacat illis id serio cognoscere. Illecti secreta voluptate agendi, vivendique, hac etiam fruuntur conquerendi, ac se miseros nuncupandi: sed qui in otio molli versantur, non secus ac plurimæ fœminæ, & adolescentes, funestum habent otium infelicitatem suam ad examen revocandi; tota eorum mens præsentibus malis sentiendis, ac præsentiendis futuris vacat. Eorum inertia illis gravior est gravissimis sarcinis; magis fatigantur nihil faciendo, quam alii multum; requies eorum ipsis supplicium est. Si nullam habent familiam, quæ illos sollicitet, sexcenta habent desideria, quæ illos lancinant. Cupiditates eorum inertia irritatæ jugi motu turbantur, cumque nullum habeant virtutis subsidium, ut semetipsos sustineant, vitiis omnibus patent in prædam: hæc vita quantumvis tranquilla potestne illis esse beata? *Dictionarium Morale Tom. 1.*

Vita otiosa censenda non est felix.

Quam deplorandi estis, insignes Antiquitatis Sapientes, Strenui Imperatores, sublimia ingenia, quæ ad hanc usque diem scientiarum vestrarum multitudine, & rerum gestarum celebritate, nos pudore suffunditis! Si Dei gratiæ motus vestros non animavit, permanebitis eo in statu, quem humanitas infima vobis conferre poterat; & numquam accedetis ad Deum, hunc numquam videbitis, quotcumque præclare facta edideritis. Nemo fane per seipsum potest sine gratia vel unicum gloriæ gradum acquirere; sed quoniam placuit Deo eam nobis tamquam mercedem bonorum operum proponere; opus est, ne decussatis brachiis otiemur cœlum mereri volentes, quin ad illud acquirendum laboribus exerceamur. Fallimur! Fallimur! Noster Salvator laborare nos jubet, cum ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur; & in ignem mittetur.* Terribilibus hisce verbis quid aliud facit, nisi nostram ignaviam, & otiositatem redarguit? Quæ vero nostra præsumptio est pervenire velle sine laboribus ad Regni Cœlestis acquisitionem, cum Sancti Martyres ad illud sibi comparandum totum suum cruorem effuderint? Verum est, Deum per infinitam misericordiam suam non quærere tantum ex nobis; sed saltem moveamur oportet, ut tantum hoc boni acquiramus. *P. la Pesse Tomo 1.*

Præfata spe numquam cœlum adepturum nisi ad illum comparandum laboraverimus.

Matth. 3.

Spiritus Sanctus per Job nos admonet, quod *homo nascitur ad laborem; & avis ad volatum.* Ita ut qui per mollem ignaviam fidelium eleemosynis vivunt, vel etiam alienis bonis; assuescant manuum suarum honesta quapiam arte; quæ victum ipsis valeat suppeditare, non solum ut illis non desit unde ex suis sudoribus vivant, verum etiam ut habeant unde illis opitulentur, quibus desunt ad victum necessaria, & quia laboribus aggrediendis impares sunt: *Ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Animadvertendum est, Apostolum, velle nos operari, ut habeamus & unde ipsi vivamus, & unde alienis egestatibus consulamus, sed nos in re aliqua honesta operari ita ut ars, negotium, opusque nostrum maxime liceat, proscribendo quamcumque exercitationem homine Christiano indignam, cujusmodi plures sunt professiones, quæ cum salute simul esse non possunt, morum puritati, nostræque Religionis sanctitati contrariæ. *P. Croiset in Exercit. Asceticis.*

Cuivis Christiano laborandum est, sed eo modo, qui deceat nomen quod gerit.

Job 5.

Ad Ephes.

Verissimum est, id quod vulgo pulcher, magnusque Mundus vocatur, plerumque esse mollium hominum, delicatarumque mulierum societatem, quibus mos est, non pluribus curis agitari nisi illis,

Quam inutilis sit vita, quam mundani ducunt.

filiis, quibus vexantur, ne ullis vexentur. Si paucos excipimus, qui cognoscunt, ac sequi student Spiritum Christianismi: reliqua eorum pars, qui vulgo Fideles nuncupantur, id unum agit, ne quid sibi negotium facessat, & patitur, ne patiatur. Hoc pacto voluptatis, & ignaviæ spiritus in mundo reciprocatur, ac late se effundit. Quodnam est adolescentis hujus negotium, qui semper adeo elegans est, ac unguentis delibutus; qui adeo recentia callet ornatuum specimina, qui in cœtu tanto favore excipitur? Qua in re diem totam traducis hæc mulier, aut profana virgo; quæ adeo loqui gestiunt; quæ tanta solertia voluptuariis cœtibus intersunt; quibus nihil posterius est, quam rei domesticæ cura; quæ tot utuntur artibus, ut dies integros in otio traducant? Quænam sunt præcipua negotia hominis voluptatibus dediti, qui gloriæ sibi vertit, omnibus se curis expeditum videri, qui summa industria fugit, quidquid illud avertere potest a vanitate, & luxu, quæ tota est ejusdem occupatio. Turpe esset vobis enumerare singulas horum mortalium actiones, quas penitus ignorare satius est. *P. la Pesse Tomo 4.*

Cum omnes Adæ filii sint peccatores, ideo sunt labori subjecti, labor enim est pœna peccati.

Hic in exilii, & miseriæ loco versamur; hoc tempus non est quietis, & tranquillitatis. Nostra igitur interest occupari, & otium, inertiamque vitare. Deus generalem mortalibus omnibus injecit legem, operandi; & opera nostra vult esse rationabilia, & conditioni nostræ conformia. Vult autem nos potissimum nostri status officiis defungi. Docet Deus, nos non solum pro nobis vivere, verum etiam pro fratribus nostris, quibus indigentibus opitulari tenemur. Omnis homo debet operari, ac se occupare; hoc præcepit Deus, cum primo parenti nostro dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Quæ verba nobis æque ac illi dicuntur. Cum simus criminis ejusdem hæredes, sumus etiam sententiæ in ipsum latæ. Summi, & imi, nobiles, & ignobiles, divites, & pauperes, Reges, & subditi, domini, & servi, ad vos locutus est Dominus; neminem excepit. Hæc Dei verba recte ad vos diriguntur, ac sunt pro vobis imperium. Sapiens intellexit hoc esse generale præceptum, quo omnes homines obligamur. Hanc autem nos docet veritatem, cum ait, omnibus filiis Adam impositum esse grave pondus, ab ipsis incunabulis, ad tumulum usque ferendum; quod nobis ostendit arctissimam necessitatem operandi omnibus diebus vitæ nostræ. Omnes, nemine excepto, experiri debent maledictum, quod subiit primus hominum parens, cum in peccatum lapsus est. Non igitur solum miseria, & vitæ hujus necessitas homines operari cogunt; sed ipse eorum status, & conditio hanc injicit necessitatem. Divites estis; nihil vobis deest; sed non ideo minus divinæ legi estis subjecti. Quo ditior es, ut plurimum, pluribus obnoxius es criminibus, ideoque magis operari teneris. Labor igitur legitima, ac naturalis est pœna peccati; & sicuti omnes filii Adæ peccato sunt obnoxii, hinc sequitur necessario, omnes huic legi esse subjectos. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 7.*

Gen. 3.

Moriendi vitam du-

At enim, non vivere, sed languere esset, inquies aliquis, si nobis tanta solertia invigilandum esset infinito actionum, motuumque numero. Hoc non esset vivere, inquis? Qua igitur vita vis vivere? Vis, profecto, vitam inertium vivere, & eorum, quibus nulla est post mortem reddenda ratio, & qui in vita molli, ac otiosa multum sibi arrogant putantes, se Deo verba dare posse. Adeo ne modico tibi est in discrimine, Christiano more vivere? Otiositas, inutilitas, incuria eorum, quæ ad salutem tuam pertinent, profecto a te tamquam virtutes habentur. Obligationes, quæ Sanctis Dei sunt inevitabiles, dubio procul tibi nugæ sunt, ac parvi momenti; mera sunt urbanitatis officia. Sed, e contra, vivere non esset, vivere sine consilio, sine metu, sine solida pietate: & nos constanti pace, ac vera perfrueremur voluptate, si id unum cogitaremus, quomodo possumus evitare peccatum, & agere pœnitentiam eorum, in quæ per summam infelicitatem nostram cecidimus. *P. la Pesse, Tomo 1.*

ctio est vivere sine consilio Mundum, & a cæteris.

Inertem esse, non solum est in otio permanere, nihil agere, inutilem esse: verum etiam est alia quæcumque facere ab iis, quæ nostri status, & conditionis officium postulat a nobis. Quis exempli gratia, potest affirmare, otiosum non esse, qui se profitetur omnium mundi voluptatum esse participem? Cujus omne negotium est, suaves reciprocare visitationes, ac festivis cœtibus interesse? Cujus vita tota implicita est periculosis spectaculis, choreis, & saltationibus, conviviis, ludis, voluptatibus? Numquid hæc sunt Christiani hominis negotia? Hi motus omnes, quibus sibi crucem figit, ut desideriis sui faciat satis, atque tempus jucunde traducat, labor est inutilis, & otium merum. Verum est mulierem hanc aliquot preces fundere, officium aliquod de more recitare, eleemosynas erogare, domesticæ rei curam gerere ad malum avertendum; sed hic omnes illius curæ cessant. Frequens aliquando sacramentis efficitur; ceterum nullas habet pravas consuetudines, quamvis semper inter voluptates versetur; & nihilominus tota illius vita in inutilitate traducitur. Quorsum hoc? In vita, quam ducit, sese objicit sexcentis Deum lædendi occasionibus. Somnus immodicus, constans assiduitas in cœtibus, ordinis inversio in horis diei; pertinax adhæsio cum illis, qui omni timore Dei destituti sunt; ales pernox, nimia mollitia, perpetua vigilantia in iis perquirendis, quæ aliquam afferre possunt oblectationem, nonne illam illiciunt, ut qualibet in occasione desit officiis status sui? Cum ejus cor semper illecebris teneatur, potestne solidam pietatem exercere? Omnes autem curæ, quibus urgentur, ut suis cupiditatibus obsequantur, quantam afferre possunt saluti ipsius utilitatem? Patet, omnes illius curas inutiles esse, ideoque ipsam inertem, otiosamque vitam ducere, ubi salutem suam non operatur, qui unius esse debet scopus actionum illius. Terit igitur omnes dies suos operum inutilitate; & quibuscumque laboribus exerceatur propter aliam quamcumque rem, excepto Deo, pro nihilo omnia isthæc habenda sunt. *Recens Auctor.*

Vita otiosa est, non solum nihil agere, sed aliud agere ab eo, quin nobis agendum est.

PAU.

PAUPERTAS.

Paupertas spiritus. Paupertas voluntaria, & religiosa; ejus bona &c.

MONITUM.



UM de divitiis, divitibusque sermo fuit, facere non potuimus, quominus aliquid de paupertate diceremus, quippe hæc duo argumenta invicem separari non possunt. Hic tamen explicite agimus de paupertate; neque de opibus incidet sermo, nisi tamquam de re illi contraria; quemadmodum ne jam dicta iterum repetamus, ne verbum quidem faciemus de avaritia, & eleemosyna, quamquam omnia hæc argumenta cum præsenti aliquam habeant necessitudinem.

Hac tamen in re notandum est. 1. Cum locuturi simus de paupertate spiritus, quæ generatim ad omnes fideles pertinet, nequaquam istic sermonem esse de necessaria paupertate, sive ex ipso genere, seu ex hominum injustitia, seu ex aliqua calamitate, vel infortunio profecta, nisi paupertas hæc patienter, & æquo animo, divinaque voluntati subjecto perferatur. 2. Spiritus paupertatem bifariam considerari posse, vel quatenus Christianis omnibus communis est, & de præcepto, vel quatenus consilii tantum est, ac religiosorum tantummodo propria, qui terrenorum bonorum possessionem abdicarunt. Hic autem afferemus quidquid de utraque collegimus. 3. Non istic nequaquam singillatim ea persequi omnia, quæ pertinent ad religiosam paupertatem, quæ aliter pro aliis cujuscumque ordinis institutis observatur. 4. Demum quamvis raro ad populum de paupertate fiat sermo, attamen ex amore bonorum, qui in possidentibus illa deprehenditur, argui posse, satis non esse, ut huic malo occurratur, quod causa est damnationis plurimorum; perfunctorie, & per inductionem, quæ omnibus in sermonibus locum habeat, hoc pertractare argumentum, sed utilissimum esse illud funditus exhaurire, & sæpe etiam eamdem tundere incudem; quandoquidem numquam satis humano imprimi potest animo, spiritus paupertatem omnino necessariam esse ad salutem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. IN hæc Evangelii Matth. 5. verba: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; ostendere potes, spiritus paupertatem veram esse viam ad felicitatem in hac, alteraque vita comparandam. Magnam hanc artem plurimi inutili labore quærunt aliam quamlibet præter hanc viam secuti; quod facile probari potest in duabus hujus concionis partibus.

Pars prima. Quamquam secundum communem hominum opinionem paupertas sit causa, & quodammodo fons ærumnarum, quæ in hoc mundo perferendæ sunt, & vulgo miseri vocentur, qui in turpi bonorum, atque vitæ hujus commoditatum egestate versantur; attamen paradoxum non est, sed manifesta veritas, in qua omnes Ethnici philosophi consenserunt, spiritus paupertatem, sive illa voluntaria sit, atque ex nostro arbitrio profecta, seu ex ipsa nativitate, vel infortunio aliquo orta, solam esse viam, per quam in hac vita, quod fieri potest, felicitas inveniatur. 1. Supponendum est, tamquam veritas in dubium non revocanda, neminem felicem esse, nisi qui contentus est, in qua animi affectione, pace, & tranquillitate hæc beatitudo consistit. Quid enim prodest homini ingentia bona, locupletes hæreditates, immensosque thesauros possidere, si voti compos non est, si sexcentis invidiæ, ambitionis, avaritiæ fluctibus agitatur, & insatiabili flagrat cupiditate majora semper possidendi? Proculdubio contentus non est, quoniam sese tot motibus torquet, ut quod quærit, inveniat. Sed quid est esse pauperem spiritu? nisi animum habere a terrenis rebus avulsum, sive possideantur, sive secus; nihil ulterius desiderare; verbo, esse contentum statu, conditione, fortuna, in qua Deus esse nos voluit. Quis igitur inficias ibit, per spiritus paupertatem nos ea frui felicitate, quæ in terris maxima potest inveniri? Sancti Patres, profanique auctores mira hac de re narrant; sed sufficit habere Jesum Christum hujus veritatis testem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. 2. Quia paupertas spiritus, qualem in christiano viro postulat evangelium, omnibus nos eximit curis, & sollicitudinibus, quæ possessionem bonorum hujus mundi concomitantur. Patet, quo labore acquirantur, qua cura serventur, quo metu trepidetur, ne amittantur; quo dolore tandem, ac tristitia conficiatur, qui eadem amiserit: unde sequitur tantum abesse, quod divitiæ vitæ hujus felicitatem constituant, ut magnum immo eidem obicem statuant, vel efficiant, ut eas possidentium felicitas sit tantummodo commentitia. Nonne igitur omnibus persuasum esse debet, spiritus paupertatem, quæ hos omnes obices aufert, quæ efficit, ut nihil optetur, utque semper contenti simus, plurimum conferre tranquillitati spiritus, ac soli beatitudini, qua hoc in mundo frui licet? 3. Potissima vero hujus veritatis ratio est, cum nullum mundi hujus bonum cor nostrum replere, ac nos perfecte beatos efficere valeat, eodem privati per spiritus paupertatem, quæ nos ab illo divellit, ut voluptatem in virtutis praxi, in officiorum nostrorum executione, in conscientiæ testimonio inveniamus, solum efficere posse, ut reperiamus beatitudinem, quam illic inquirimus, & acquiramus jus ad æternam felicitatem, quam in altera vita expectamus. Hæc est pars altera.

Non multis opus est argumentis, ut nosmet de secunda hac veritate persuadeamus; verbum enim filii Dei explicitum est, ac de futura hac felicitate loquitur tamquam de bono, ad quod pauperes jus habent acquisitum, atque ita certum, ac si illius possessionem jam obtinerent: Ecce nihilominus cuinam rei jus hoc innitatur; videlicet quod Salvator, qui voluit, homines supremam hanc felicitatem sibi promereri, instituit spiritus paupertatem, quæ ad illam promerendam primum esset, ac potissimum instrumentum. 1. Quia efficit, ut evitemus malum, hoc est peccatum, nosmet amovendo ab occasionibus illius perpetrandi, & a tentationibus, de quibus loquitur Apostolus 1. ad Timoth. 6. quibus terrenorum bonorum possessio, ac desiderium nos objicit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli*. 2. Dici potest,

potest, quemadmodum cupiditas fons est, & causa malorum omnium, spiritus paupertatem, hoc est cor, & affectum ab omnibus vitæ hujus bonis alienum esse etiam bonorum omnium, virtutum scilicet fontem, originemque. Hæc nos dociles præbet veritatibus fidei, quæ docet alia esse bona in cœlis nobis præparata; firmam nobis inspirat spem possidendi hanc felicitatem, quæ nobis in præmium promissa est, vel potius spem hanc, quæ efficit, ut affectu, & sæpe etiam effectu renuntiemus bonis, quæ hic in terra possidemus: causa est, propter quam amamus Deum magis integra, puraque charitate; deinde nos ad humilitatis, charitatis erga proximum, aliarumque sublimium virtutum exercitationem inducit &c.

II. 1. Paupertas quacunque ex parte proficiscatur, utilissima via est ad salutem operandam: 2. attamen ea via est, qua homines infrequentissime utuntur.

Posito, quod paupertas hæc, ut fiat nobis utilis ad salutem via, esse debeat vel voluntaria, vel voluntarie excepta, partis primæ argumenta sunt; 1. quia nos liberat curis, & sollicitudinibus, quas secum trahunt divitiæ: 2. quia nos tuetur adversus pericula, & tentationes, quæ ab opibus fere separari non possunt: 3. quia nobis tribuit occasionem magis heroicas virtutes exercendi: 4. quia nos Salvatori magis similes facit &c.

Pars altera. Attamen hoc adminiculum divites æque, ac pauperes respuunt, & eo minus utuntur. 1. Raro divites bonorum terræ sunt pauperes spiritu, quod omnino ad salutem est necessarium. At constat amorem divitiarum, & affectum, quo illis adhærent homines, statum esse damnationis; eas autem amare dignoscuntur ex laboribus, qui ad illas acquirendas, servandas, tuendasque sunt necessarii &c. 2. Qui ex necessitate sunt pauperes, vulgo paupertate sua nequaquam melius utuntur; cum enim minime sint pauperes spiritu, paupertas, quin illis afferat utilitatem, causa est, & prætextus plurimorum scelerum. Non sine magno animi dolore sunt pauperes; in paupertate sua impatientia se abripi sinunt, eamque in propriam damnationem convertunt.

III. De religiosa paupertate ostendi potest, paupertatem evangelicam, quæ in voluntaria, & effectiva bonorum hujus mundi renunciatione consistit, validum esse religioso viro subsidium ad perfectionem, & sanctitatem acquirendam; quod ut luce clarius innotescat, cum Theologis supponendum est, sanctitatem, & perfectionem in tribus consistere. 1. In absoluta terrenarum rerum separatione: hoc efficit religiosa paupertas, quæ non corde tantum, & affectu, sed re, effectuque nos ab illis divellit, relinquens usum duntaxat eorum, quæ ad victum sunt necessaria. 2. In integra conformitate, ac submissione voluntati Dei; sed evangelica paupertas efficit, ut omnino a providentia illius pendeamus, atque nosmet mandatis illius subjiciamus pro victu, vestitu, & reliquis, quæ ad vivendum pertinent, & contenti simus inter ea incommoda, quæ secum trahit paupertas. 3. In perfecta unione cum Deo; sed paupertas nobis auferens præsidium, quod in rebus terrenis invenire possemus, nonne cogit, ut unice adhæreamus Deo, atque arcte cum eo conjungamur, tamquam soli bono, quod possidemus?

IV. 1. Paupertas spiritus, quæ consistit in animo ab omnibus terrenis bonis avulso, præceptum est, a quo dispensari non potest cujuslibet generis homo, seu dives sit, seu pauper, princeps, vel subditus; atque ostendendum est, ad quid hoc præceptum nos obliget. 2. Quam rara, & difficilis sit praxis illius. 3. Quam gloriosa, & præclara sit paupertatis evangelicæ professio.

V. Duæ res corrumpere consueverunt hominum mores, ac vitium invehere: hoc est, otium, & affluentia, alterum docet malum, quemadmodum testatur Scriptura; altera vero fit, ut in mollitie, & voluptate vita ducatur, & hæc duo generaliter loquendo causa sunt omnium malorum, quæ in mundo contingunt. Dico autem paupertatem generatim sumptam mederi duplici huic fonti omnis corruptionis, quæ in mundo videtur. 1. Otium exturbat; pauperes enim laboribus exercentur, utque victum sibi comparent, publicis necessitatibus occurrunt. Neque idcirco putes deesse pauperes, quos inertia ad mendicitatem redegit, & qui malunt ostiatim emendicare panem, quam illum in sudore vultus sui sibi comparare; paupertas, atque necessitas, quæ illos urget, satis eosdem exercet. 2. Quod ad copiam pertinet, certum est, hanc invexisse luxum, crapulam, solatia, voluptates; paupertas e contra prohibet, ne mollem vitam ducamus, & plerosque mortalium quodammodo bonos esse jubet illis auferens subsidia, quibus scelera committant. Exemplum rerum publicarum quæ florentes fuere, donec paupertas cives earum bene vivere coegit, sed quas opum affluentia omnino corripuit, hoc liquido probat.

VI. Tria magna paupertatis bona. 1. Majorem nobis præbet accessum ad Deum; pauperibus ille primum se tradidit cognoscendum, illos ad sui sequelam evocavit, elegitque; ac tandem his majores elargitus est gratias, eosque audiit libentius &c. 2. Nos efficit magis similes filio Dei, qui natus est, vixit, & mortuus est pauper. 3. Manifestum nobis tribuit jus ad regnum, & possessionem Dei: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

VII. Pauci norunt thesauros, qui in paupertate seu voluntaria, seu æquo animo acceptata continentur, cumque ostensum fuerit, judicium hominum dupliciter fallax esse, seu metiantur divites ex iis, quæ possident, & pauperes ex eorum externa specie: ostendendum est ad hoc ut sanum feratur judicium, judicandum esse primum ex pretio, in quo Deus semper habuit pauperes, & paupertatem: secundo ex magnitudine præmii, quod illis pollicetur, qui libenter illam fuerint amplexi. 1. Jesu Christi de pauperibus existimatio in hoc potissimum videtur, quod illi primi ad cognitionem Dei vocati fuere, & per hoc facti divites in fide: *Pauperes in hoc mundo, divites in fide*. Jacob. 2. 2. Quod electi fuere, ut illum mundo traderent cognoscendum, utque essent evangelii ipsius præcones. 3. Quod obtinebunt honorem, ac potestatem alios homines judicandi.

Quod pertinet ad præmia, tria in Bibliis præsertim memorantur pauperibus spiritu, & illis promissa, qui aliquid reliquerint, ut Jesum Christum sequantur. Primum est, certitudo regni cœlestis, quod ex hac ipsa vita ad illos pertinet: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: Matth. 5. Alterum est affluentia temporalium, atque spiritualium bonorum, quæ in centuplo, quod adeo solemniter pollicetur Deus, continetur. Tertium est integra, atque perfecta animi requies, ita ut nihil habentes omnia possideant, ut loquitur Apostolus, quin illis aliquid desit, vel ulterius quidquam exquirant: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*. 2. ad Cor. 6.

VIII. 1. Deus amoris sui erga homines magnitudinem testatus est, sese ex divite pauperem faciens; ad id enim omnibus vitæ commodis neglectis, elegit, & amplexus est, quidquid laboriosissimum, ac durissimum est; sese omnibus subjecit incommodis, quæ post se trahit paupertas &c. 2. Vicissim amorem nostrum erga Deum testari non possumus, nisi voluntariam paupertatem amplectentes, & propter honorem illius abrenunciantes amori divitiarum, voluptatibus omnibus, & iis omnibus, quæ in mundo nitent; ipsi etiam quamcumque rem possidendi cupiditati.

IX. 1. Pauperes spiritu divinæ voluntati submissi inter infortunia miseri esse non possunt; sed e contra sunt semper contenti. 2. Qui pauper est spiritu,

semper dives est temporalium, & gratiæ bonorum.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *l.* 5. *de Civit. c.* 8. adfert exempla plurimorum insignium virorum, qui in extrema paupertate, & vixerunt, & mortui sunt.

Idem *Epist.* 34. *ad Paulinum* ostendit, Apostolos multum reliquisse, ut sequerentur Jesum Christum, quamvis lintrem dumtaxat cum retibus reliquerint.

S. Ambrosius *in Hexameron. l.* 6. ostendit, si pauper suam cognosceret felicitatem, & bona, quæ ex sua paupertate percipere potest, divites infrequentiores futuros.

Idem *l.* 3. *Epist. Epist.* 1. ostendit sapientem licet pauperem, divitem esse in sapientia, atque virtute.

Sanctus Hieronymus *Epist.* 34. *ad Julianum* ostendit, paupertatem tutissimam esse ad perfectionem viam.

Idem *l.* 8. *contra Juvinianum* ostendit, pauperem, qui virtute præditus est, vivere magis contentum in paupertate sua, quam divitem in divitiarum affluentia.

Idem *in Matth. l.* 3. *c.* 19. ostendit, non satis esse renuntiare bonis terræ, & paupertatem amplecti, nisi hoc propter Dei amorem, & ut illum sequamur, fiat.

Idem *Epist.* 26. *ad Pammachium* docet, christianum, qui vitæ hujus abdicat bona, non debere hoc facere ex vana gloria, quemadmodum aliqui Philosophi fecerunt.

Idem *Homil.* 18. *in cap.* 10. *Epist. ad Hebraos* ostendit magnum illud bonum, quod in paupertate invenitur.

Idem *in regul. Monacharum* ostendit, nihil esse abdicasse omnia mundi hujus bona, nisi aliorum possidendorum abdicetur affectus.

Sanctus Cyprianus *Serm.* 6. *de Orat. Dominic.* docet, paupertatem facillimam esse ad perfectionem viam.

Idem *Serm. de Nativit.* egregie de paupertate loquitur.

S. Gregorius *l.* 34. *moral.* verba facit de duplici paupertatis genere; quarum alteram paupertatem prædestinatorum vocat, alteram reproborum; & latius de utraque sermonem instituit.

Idem *Homil.* 5. *in Matth.* ostendit S. Petrum jure dixisse Salvatori, se omnia reliquisse, ut illum sequeretur, quamvis fere nihil reliquerat.

S. Basilius *in Psalm.* 14. ostendit, quid inter pauperem, divitemque discriminis adsit pro animi tranquillitate.

Idem *Homil. in Psalm.* 48. etiam atque etiam hortatur christianos ad opes quidem contemnendas, paupertatem vero amplectendam.

Idem *in Psalm.* 33. *& in regul. brevior. ad eos, qui sunt mendici spiritu* ostendit, & explicat, quid pro spiritus paupertate sit intelligendum.

Idem orationem elucubratus est de divitiis, & paupertate, ubi ostendit, qua in re pauperes divitibus præstent.

S. Chrysostomus *Homil. de avaritia* excellens habet elogium paupertatis.

Idem *Homil.* 35. *in Genes.* describit gratias, & bona, quæ confert Deus illis, qui bona præsentia contemnunt, & sunt pauperes spiritu.

Idem *Homil.* 4. *in Matth.* ubi loquitur de pueris, qui conjecti fuerunt in fornacem Babylonis, eo quod noluerunt adorare statuam Nabuchodonosor, loquitur de bonis divitias contemnentium.

Idem *Homil.* 11. *in Epist. ad Timoth.* ostendit artem vere locupletandi esse paupertatem spiritus; quia divitem esse est nullius rei indigere, & nihil præterea cupere.

Idem *Homil.* 2. *in Epist. ad Hebr.* docet paupertatem secum omnes virtutes adducere.

Idem *l.* 2. *adversus vituperatores vitæ Monasticæ* ostendit, quænam in evangelica paupertate contineantur divitiæ.

Idem *Homil.* 5. *de fide Annæ* ostendit, paupertatem esse omnino necessariam pro bono societatis humanæ, quæ alioquin subsistere non posset.

Idem exhortatione *in cap.* 26. *Matth.* docet domos pauperum divitum domibus esse præferendas.

Idem exhortatione *in cap.* 28. *Matth.* docet Christianam religionem paupertatis amorem inspirare.

S. Basilius *Homil.* 23. *&* 24. *ex variis* omnes ad spiritus paupertatem accendit.

Idem *in Epist. ad Olympium* eum improbat, quod ipsum velit a paupertate amplectenda deterrere.

Idem in *Resp.* 8. *interrog.* docet ad hoc ut vere conversi simus ad Deum, omnia terræ bona esse deferenda.

Idem *in Resp.* 20. *interrog.* docet a Deo petenda solum, quæ sunt victui necessaria, nobisque abjicienda superflua, ut vitam veris Christifidelibus dignam vivamus.

Origenes *Homil.* 8. *in Matth.* loquens de Anania, & Saphira docet, veram perfectionis acquirendæ viam esse paupertatis amorem.

S. Chrysostomus *Homil.* 5. *variarum in Lucam* docet voluisse Deum, ut paupertas semper in honore haberetur.

Idem *Conc.* 4. *de Lazaro* docet, quid discere; & quem fructum percipere valeamus ex mali divitis, pauperisque Lazari Historia.

Idem *in Epist. Pauli ad Galat.* ostendit pauperem suam nobis infelicitatem detegentem eloquentius disertissimo quovis oratore nobis ob oculos ponere humanam infirmitatem, ac terrenorum bonorum contemptum docere.

Idem *Homil.* 17. *in cap.* 8. 2. *ad Corinth. & in Homil.* 28. *ad Popul. Antioch.* ostendit, quam necessarii divitibus sint pauperes.

Cassianus *Collat.* 4. deplorat religiosorum cæcitatem, qui, cum magna reliquerint bona, nugas consectantur.

Idem *Collat.* 24. *cap.* 26. loquitur de centuplo illis promisso, qui aliquid reliquerint pro Deo, tamquam de mercede temporali simul, ac spirituali.

S. Bernardus *Serm.* 4. *in festo Sanctorum Omnium* docet, Christianum ab Ethnico, & Judæo paupertatis amore differre.

Idem *Serm.* 4. *in Natali Domini* pathetica habet multa de Jesu Christi paupertate, deque paupertate generatim.

Idem *Serm.* 21. *in Cantic.* docet, paupertatem non cœlestium tantum, verum etiam terrenorum bonorum divitem esse; quandoquidem ex Apostolo possidet omnia.

Idem in hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, docet, quid intelligendum sit de centuplo, & quanta sit merces, quæ eos manet, qui omnia pro Deo reliquerunt.

Idem *Epist. ad Monach. Sancti Bertini*, docet, cœnobitas, qui postquam magna reliquerunt, & nugarum adhuc amorem servant, vere pauperes non esse.

S. Laurentius Justinianus in libro, qui inscribitur, *de Ligno vitæ*, prolixum habet paupertatis elogium. Alcetic alique.

S. Bernardinus *Serm.* 5. *de Beatitudinibus* fusius hoc argumentum prosequitur.

Thomas a Kempis *tom.* 2. *part.* 1. *opusc.* 5.

Sanchez *de Regno Dei lib.* 5. *c.* 9.

M. Antonius Sabellicus *lib.* 8. *cap.* 5.

Petrus Canisius *in opere Catechist. q.* 3. *& seq.*

Opusculum Bellarmini de æterna sanctorum felicitate, *cap.* 8.

Didacus Alvares tom. 2. eruditum, amplumque edidit tractatum de religiosa paupertate.

Dandinus *in Ethicis Sacris lib.* 45. pluribus capitibus tractat, quidquid de paupertate generatim dici potest.

Rodriquez in quarta parte de perfectione christiana, & religiosa amplum habet de voto paupertatis tractatum.

P. Corderius tomo 2. Familiæ Sanctæ cap. 6. §. 6. loquitur de felicitate ejus, qui in sua paupertate contentus est.

Moralis Christiana in Pater noster l. 6. sect. 1. art. 3. ostendit, Christianum esse debere pauperem spiritu, & in quo hæc spiritus paupertas consistat.

P. Guilorè in illusionibus virtutum tractatu quarto memorat tres illusiones satis communes in paupertate, & docet, quomodo evitari possint.

P. Nepveu in spiritu Christianismi tractatu nono de paupertatis virtute verba facit.

Idem tomo 3. christianarum considerationum.

Abbas Trappensis in monasticæ vitæ officiis tom. 1. quest. 6. & tomo 2. cap. 21.

Liber, cui titulus, Cruciatus Domini nostri Jesu Christi, tomo primo, cruciatu undecimo. *Paupertas.*

P. Dozenne in Morali Jesu Christi de paupertate.

Inter dialogos Petrarchæ unus habetur de paupertate.

Liber, qui inscribitur, *la Conduite du Sage* in tomo primo verba fiunt de sapientis prudentia in paupertate.

Hieronymus Platus loquitur de vitæ religiosæ felicitate, & in parte prima, cap. 9. loquitur de utilitate, quam paupertas affert Religioni: in parte altera cap. 3. de religiosæ paupertatis præstantia; in tertia cap. 8. de gaudio paupertatis, quæ a curis, & impedimentis divitiarum eximit.

Concionatores Neapoli. Sarazin in tomo secundo Adventus sermone 23. de paupertate Jesu Christi & Christianorum.

P. Duncau; Sermo in quartam Dominicam post Pentecosten totus est de bonis voluntariæ paupertatis.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta tomo 4. sermonum particularium, unum habet de religiosa paupertate.

Idem tomo eodem sermonem habet de triplici religionis voto, & alterum de centuplo promisso illis, qui aliquid reliquerint pro Deo, ubi plura sunt de paupertate.

Idem in sermone nativitatis Domini, in Adventu fusius loquitur de Jesu Christi nascentis paupertate.

Qui collectanea edidere. Busæus *in Panario*. Titulo Impatientia in paupertate: *& in Paradiso animæ*. Titulo paupertas.

Idem *de Statibus* Titulo de paupertatis voluntariæ statu. Idem *de Monachorum statu c.* 6.

Drexellius *in Rosis*.

Peraldus tom. 1. Titulo *de Beatitudinibus*.

Labatha, Titulo *Paupertas*.

Summa prædicantium, Titulo *Paupertas*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

C*Rescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Genes. 41.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar. Jobi 1.

Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat. 1. Reg. c. 2.

Non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Psalm. 9.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ps. 11.

Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei. Psalm. 39.

Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Ps. 36.

Homo cum interierit, non sumet omnia, neque cum eo descendet gloria ejus. Ps. 48.

Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea. Ps. 87.

Oculi ejus in pauperem respiciunt. Ps. 10.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus, Ib.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in seculum seculi. Ps. 21.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ps. 61.

Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. Prov. 16.

Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria. Prov. 30.

Est quasi dives cum nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis divitiis sit. Prov. 13.

Etiam proximo suo pauper odiosus. Prov. 14.

Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Eccli. 31.

Propter inopiam multi deliquerunt. Eccli. 27.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum. Eccli. 18.

Ecce excoxi te, elegi te in camino paupertatis. Isai. 48.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. 5.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Matth. 10.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus. Matth. 19.

Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Matth. 8.

Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19.

Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc. 14.

Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Luc. 16.

Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. 2. ad Corinth. 6.

Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei. Ad Phil. 3.

Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. 1. Ad Timoth. 6.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Jacobi 2.

Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Ad Hebr. 10.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es. Apocalyps. 2.

Exempla veteris, novique Testamenti.

Paupertas spiritus Abrahæ. PRimum animi perfecte a terræ hujus bonis alienati exemplum, quod nobis Biblia suppeditent, est Sancti Patriarchæ Abrahæ inter affluentiam, & opes pauperis spiritu: hoc enim primum fuit periculum, quo Deus magni hujus viri fidelitatem expertus est, præcipiens illi, ut ea omnia, quæ possidebat, desereret; periculum prorsus novum, quemadmodum S. Augustinus serm. 68. de Temp. loquitur, quia reipsa hactenus nunquam simile visum fuerat: *Novum probationis genus.* Et sane vir, qui in terra sua dives erat, & in honore, jubetur in ignotam regionem concedere, quam nonnisi tanquam exilium considerare poterat; homo, qui in bonis suis pacate vivebat, cogitur longi itineris laborem suscipere, cujus exitus illi exploratus non erat. Homo, qui omnium bonorum genere diffluebat, repente pauper fieri debet, longinquarum tantummodo opum promissione ductus, quarum ideam dumtaxat, ac spem concipere poterat. Immo neque indicatur illi locus, quo profecturus est; jubetur dumtaxat egredi, & omnia relinquere, cæterum

in

in Dei providentia spem suam collocare. Quis, S. Augustinus addit, tali cedere potuisset imperio, quin vivam haberet fidem, & tot omnino a terræ hujus bonis avulsum? Hoc unum est ex primis exemplis sapientis ejus stultitiæ, quæ habuit, habetque quotidie tot imitatores in gratiæ lege, præ quibus Abraham hanc semper laudem merebitur, quod pauper fuit spiritu, atque præceptum, consiliumque evangelii adimplevit ante ipsum evangelium, & quin hac in re ullum haberet, quod imitaretur, exemplar.

Exemplū Jacob. Eodem spiritu abrenunciationis rerum omnium Jacob domum paternam reliquit tamquam profugus, & rerum omnium egenus, nihilque secum præter baculum habens, atque hoc in statu sese tradidit illius providentiæ, qui bona, & commoda vitæ hujus illis largitur, quibus sibi placet; sed qui vult etiam illis abrenunciari, ut eidem placeamus, vel saltem vult, nos ab illis cor, affectumque amovere. Jacob secutus est exemplum avi sui Abrahæ, ut molesta in occasione obediret præceptis providentiæ, quæ voluit ipsum cedere violentiis, furorique fratris sui, qui eum perdere decreverat. Generose igitur reliquit suavitatem, & commoda, quibus gaudebat in domo, ubi omnes experiebatur effectus benevolentiæ parentum suorum, qui illum unice diligebant, quin sciret, quandonam rediturus esset, atque utrum illos amplius esset visurus. Ejus consolatio fuit, quod omnia relinquens ducem sequebatur providentiam, quæ ipsi erat omnia, quod deinceps testatus est solemni voto, quod nuncupavit, & quod ostendit, quantopere animus suus a terræ hujus bonis alienus esset, & adhæreret Deo, dicens illi, se perfecte voti sui compotem futurum, si panem tantummodo haberet, quo vesceretur, & tunicam, qua indueretur, addiditque jusjurandum, quo illi omnibus vitæ suæ diebus se fideliter famulaturum recepit. Animæ religiosæ oculos suos debent conjicere in magnum hoc exemplar, nec non hanc a rebus omnibus alienam mentem considerare. Nonne aliquis in illis zelus flagrabit videntibus hunc virum rebus omnibus carentem; simulque in Deo confidentem, ut eum imitentur, atque abdicent domum patris sui, & sinum matris suæ secuturæ Deum, qui eas vocat, & non fastiditutæ ignotas vias, per quas huic illas deducere placet?

Exemplū Jobi. Contumeliam inferret sanctitati Job, qui non crederet, eo tempore, quo dives erat, non solum amasse pauperes, quorum se patrem, ac patronum profitebatur, verum etiam paupertatem, quam deinceps passus est, & quæ illum ad eum redegit statum, ubi rebus omnibus indigeret. Deus, cui comperta, explorataque erat fidelis hujus famuli integritas, non indigebat novo experimento hac in re; verum ut inimicum confunderet, a quo ille accusabatur, quasi ideo divino huic famularetur Domino, quod plurimum interesset sua, dæmoni relinquit integrum, omnia ejusdem perdere bona, prohibens dumtaxat, ne ejus personam lacesseret. Curavit igitur, ut statim illius dissiperentur oves, quæ ejus erant divitiæ, ædes everterentur, earumque ruina filii opprimerentur; quorum malorum nuncia illi successive afferebantur, ut periculum fieret, utrum aliqua ipsi excideret querela, quæ dolorem testaretur, atque indignaret affectum, quo prosequeretur hæc bona, quæ tanta videbantur. Sed heroica illa anima tot inter mala eadem semper permansit; sua amisit bona, quemadmodum illa possederat; eaque Deo reddidit, sicuti ab eodem acceperat. Illi benedixerat ea recipiens, illi iterum benedicit amittens.

Inutilis labor esset istic singillatim afferre eos omnes, qui in lege veteri fuerunt, alii quidem terræ bonis divites, & pauperes spiritu, veluti inter Patriarchas, & Prophetas Joseph, qui erat quasi Rex Ægypti, Daniel, & socii ejus, Elias, & Eliseus, Jeremias, Mardochæus, Esther, & David; alii vero plurimi, qui vixerunt sua paupertate contenti, veluti duo Tobiæ &c.

Exemplū Jesu Christi. Jure profecto Salvator per Prophetam suum inquit, se a teneris usque unguiculis in paupertate, ac laboribus vitam traduxisse: *Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea*. Psalm. 87. Quippe in maxima rerum omnium egestate nasci voluit, & quasi hoc fuisset, nimis commodam habere nativitatem in fabri lignarii officina, ac inter exigua commoda, quæ illi talis domus suppeditare potuisset, secretis providentiæ suæ ordinibus ita omnia disposuit, ut sancta ipsius mater procul a domo, & nullum inveniens hospitem, ut eniteretur, in derelictum concedere debuerit stabulum, ubi Salvator nasci voluit sine lumine noctu, sine igne inter acerbissima hyemis frigora, sine ullo solatio, sine ullius creaturæ subsidio . . . Si adeo pauper in nativitate sua fuit, non minus fuit in vita, cujus triginta annos in fabri lignarii officina traduxit, artem exercens, victumque sibi corporis sudore, & labore manuum comparans, nihilque habens, vel in persona, vel in cibo, vel in indumento, quod summam non saperet paupertatem. Publica illius vita nihilo minus pauper extitit, quam privata; non solum domum non habebat suam, quo se reciperet, & ubi post tot labores quietem sumeret, quemadmodum ille ipse testatur. Vulpes habent cubilia sua, & volucres cœli nidos suos; Dei autem filius locum non habet, ubi caput suum reclinet: itaque debebat sæpe noctem inter deserta, & in montibus traducere; nihilque in vita ejus inveniebatur, quod paupertatem non redoleret. Ut plurimum hordeaceo vescebatur pane, & nonnumquam etiam cibus adeo vilis ei deerat. Denique in passione suis exui voluit indumentis, quæ carnifices divisere inter se, ac nudus mori. Ita ille, qui rerum omnium erat Dominus, ut Apostolus 2. ad Cor. 8. inquit, & omnia bona possidebat, voluit pauper fieri, ut per suam paupertatem nos divites faceret. Hic locus non est latius differendi de Sanctæ Virginis, neque de S. Josephi, qui Jesu Christi pater putabatur, paupertate. Dicere satis sit, cum uterque ex regibus ortum duxissent, pauperrimam duxisse vitam, qui, si quid boni habuissent, hoc cum mundi Salvatore communicassent, eique in laboribus tulissent opem, quemadmodum in pueritia eumdem aluerunt.

Paupertas Apostolorum, & discipulorū Domini. Apostoli, ac discipuli, qui secuti sunt magistrum adeo pauperem vitam profitentem, omnes ex ima erant plebe, & plerique abjectam, humilemque artem exercebant; si qui ante commodiorem ducebant vitam, uti S. Matthæus, & Zachæus, bona sua reliquerunt; alii vero lintribus suis, retibusque, quibuscum victum sibi comparabant, vale dixerunt, ut adhuc arctiorem vitam amplecterentur. Primum, quod illi Jesus tradidit, documentum fuit spiritus paupertas, quam iis omnibus communem esse voluit, qui legem suam sequebantur; & quod ad illos proprius pertinebat, prohibuit, ne cum ad evangelium prædicandum proficiscerentur, aurum haberent, argentumve, commeatus, aut servos; & coacti aliquando fuerunt, ut ad famem levandam aristas tererent manibus. Post magistri sui mortem, tamquam illius paupertatis hæredes, eam ad extremum usque apicem imitati sunt. S. Petrus non habens unde pauperi eleemosynam erogaret, edixit, sibi neque aurum esse, neque argentum; sed se illi rediturum pedum usum, quo carebat, quod totum terrarum orbis aurum, argentumque efficere non potuissent. Et S. Paulus pro se, proque aliis Apostolis protestatur, ipsos famem, sitim, nuditatem, frigus, ac tempestatum rigorem pertulisse, quibus paupertas sua illos in evangelicis cursibus objiciebant.

Die quadam Legis Doctor ex Salvatore petiit facultatem sequendi ipsum, dixitque se illum, quocumque iret, sequuturum, dummodo inter discipulorum ejus numerum adscriberetur: cui Dei filius respondit. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: *filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. Responsio non caret mysterio. Alii cum S. Bernardo

dicunt, per hæc verba Jesum indigitare voluisse legis doctori, qui eum sequi volebat, pauperem vitam esse ducendam, & abdicandam sæculi prudentiam, divitias, & vitæ commoda habentis in pretio. Alii cum S. Hieronymo in cap. 8. Matth. dicunt, doctorem hunc intuitum miracula, quæ a Salvatore fiebant, voluisse inter asseclas ejus recenseri, ratum, per hæc insignia facta illum congesturum esse divitias, in quarum partem se vocatum iri sperabat: verum ut cupido huic homini errorem auferret, illi Christus respondit, opus esse, pauperem esse, & ne tugurium quidem possidere eum, qui in discipulorum ipsius numero velit haberi.

Paupertas evangelica ratio est perfectionis acquirendæ.

Cum puer quidam Salvatorem convenisset sciscitaturus, quid ad æternam vitam promerendam sibi faciendum esset, Salvator ei mandata servanda esse respondit: cumque reddidisset puer, se illa a teneris usque unguiculis ad onguem servasse, ac iterum quæsivisset, quid sibi superesset faciendum; tunc, *Si vis perfectus esse*, Dei filius addidit Matth. 19. *vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me*. Narrat evangelium, adolescentem his auditis tristem abiisse, atque desiderium perfectionis, quod illi inspiraverat Deus, evanuisse; videbat enim omnia sibi relinquenda, deserendaque esse, & nonnisi tanto pretio tantum bonum sibi esse comparandum.

Quænam esset praxis paupertatis in primæva ecclesia.

Voluntariæ paupertatis praxin primitivæ ecclesiæ primordiis tantopere commendatam fuisse videmus, ut qui domos haberent, & prædia, ea venderent, collatumque pretium ad Apostolorum pedes afferrent, a quibus deinde pro singulorum necessitatibus distribuebatur. Actor. 4. Hoc autem ad pedes Apostolorum ferebant, S. Hieronymus inquit, ut divitias calcandas esse ostenderent; & idem Doctor cum Sanctis Cypriano, atque Basilio dicit, fideles tunc paupertatis votum nuncupasse, quod probant supplicio Ananiæ, atque Saphiræ, qui subita morte mulctati fuere, eo quod retinuissent pretii partem, quod ex venditis bonis collegerant; qui sane, ajunt illi, tantam non meriti fuissent pœnam, si illud retinentes nequaquam voti fidem persregissent.

Præmium a Dei filio promissum illis, qui aliquid propter ejus amorem reliquerint.

Cum Salvatori dixisset Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Amen dico vobis*, respondit illi Jesus, *quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*. Communis sanctorum sententia est, verba hæc filii Dei de illis omnibus esse intelligenda, qui facti fuerint Apostolorum imitatores in paupertatis voluntariæ statu, atque huic sese voto obstrinxerint, sessuros esse ante Tribunal Dei, minus judicandos, quam cum Jesu Christo judicaturos.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Pauperes spiritu divites sunt in paupertate sua.

TAmquam nihil habentes, & omnia possidentes, 2. Ad Corinth. 6. Nonne contentus esse debet ille, cui nihil deest, & qui desiderat nihil? Hæc est affectio illius, qui spiritu pauper est, & hæc illa, quam veris fidelibus tribuit Apostolus. Nihil habere videntur, & omnia possident; quia omnium desideriorum abnegatio illos vere divites facit. Hoc ex nonnullorum sententia illud centuplum est, quod Salvator pauperibus promittit cum certa spe æternæ felicitatis. Ideo evangelicorum dumtaxat pauperum est animæ pacem servare, cum ab omni sint procul ambitione, ac sollicitudine, vel ut acquirant, vel ut retineant bona, quæ nobis elabuntur, & quæ in singula momenta nobis eripi possunt, vel potius eorum tantum est esse super omnia, quia indigent nihilo. O præclaram artem omnia possidendi, nihil possidendo! O quam locuples possessio paupertas est illis, qui eam ultro amplectuntur, vel qui æquo animo illam patiuntur!

Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi; Prov. 30. Sapiens æque & egestatem metuebat, & opes; atque oratio, quam effundit Deo, magna sapientia repleta est. Verum cur magne Princeps, & regum omnium sapientissime tantopere metuis divitias? Rationem addit, ne meipsum in rerum omnium affluentia videns Deum lædam, qui earum distributor est, ac blasphemas dicam: Quis est Dominus? Hoc enim divitiarum, ac temporalium felicitatum opus est, inflare cor, homines superbos efficere, tamquam Pharaonem, qui Moysi respondit, Exod. 5. *Quis est dominus? Nescio Dominum*. Sed cur altera ex parte reformidat mendicitatem? Ne fiam, inquit ille, fur, & pejerator, uti videmus, eos, qui ad magnam redacti sunt paupertatem, suffurari, si possunt, ac facile pejerare. Sapiens addere poterat, quod pariter verissimum est, quemadmodum opes metuendæ sunt, periculum enim adest, ne abutamur illis, ut inordinatis cupiditatibus nostris satisfaciamus, similiter pertimescendam esse paupertatem; etenim ad eam evitandam turpia quæque facere non pudet. Magnum paupertas opprobrium jubet quidlibet facere, aut pati.

Regnum cœlorum jam est pauperum spiritu.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matth. 5. S. Bernardus in hæc evangelii verba animadvertit, Salvatorem istic loqui non de tempore futuro, quemadmodum aliis in beatitudinibus. Non enim ut in aliis dicit, *ipsorum erit regnum cœlorum*, sed *est*. Et profecto licet illud nondum possideatis, attamen jam vestrum est; etenim illud terrenarum rerum contemptu vobismet comparastis: non secus ac si cui magnam auri vim pro lapide pretioso, qui adhuc domi illius asservatur, persolvisset, tuus ille est, quamvis non statim ab eodem tibi tradatur; illum enim numerata pecunia emisti. Ita Regnum cœlorum jam est pauperis spiritu, quia ad illud obtinendum impendit quidquid habebat, juxta similitudinem, qua ipse Dei filius utitur: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa autem una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*.

Dicere possumus nos omnia pro Deo reliquisse licet pauca reliquerimus dum nihil nobis reservavimus.

Ecce nos reliquimus omnia &c. Matth. 19. Sancti Hieronymus, Augustinus, & Gregorius mira dicunt in hæc S. Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia*. Sed merito hæc dicere Petrus potest, S. Gregorius inquit, in hoc enim cor potius, quam res, inspiciendum est; relinquere multum est nil sibi reservare. Relinquere multum est relinquere omnia, quantumvis parum relinquatur. S. Augustinus in eamdem loquitur sententiam, Apostoli, inquit, quia ad vocem Domini reliquerant retia, ac naviculam suam, jactitarunt se omnia reliquisse, ut illum sequerentur; & profecto omnia relinquit, & vere contemnit, qui relinquit, & contemnit non ea solum, quæ possidet, sed ea etiam, quæ cupere potest. Hoc proculdubio magnum est consolationis argumentum illis, qui pauca reliquerunt, quia possidebant pauca: etenim ille vere omnia relinquit, qui relinquit, quidquid habet, & quidquid potest desiderare, Pro Deo relinquimus ea omnia, quorum desideriis pro Deo abstinemus.

Paupertas spiritus vivere debet sine cura, & frui vera pace.

Inquirentes Dominum non deficient omni bono; Ps. 33. Vulgo putantur pauperes ad laborem; divites vero ad requiem, & voluptatem nati: sed contra est. Nullus dolor similis illi divitis avari, & nulla voluptas comparanda est cum voluptate illius, qui nil timet, nil optat. *Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. Ps. 33. Vacuus viator latrones non metuit, & ille, cujus curam providentia gerit, nihil prætetea debet desiderare; vivere debet quietus, & de futuro securus, certus se a Deo non relinquendum, ubi pro illo omnia reliquerit.

Pauperes evangelici Deum habent in hereditatem.

Non erit eis hereditas eorum, ego hereditas eorum: & possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. Ezech. c. 44. Hoc olim dixit Deus per Ezechielem de Sacerdotibus loquens. Nullam habebunt

here-

hæreditatem; me in hæreditatem habebunt: neque ullam ipsis in Israel certam possessionem constituetis, ego enim sum eorum possessio. Hæreditates, ac possessiones suas propter Deum reliquerunt; Deus vero in præmium in hac ipsa vita fit eorum hæreditas, & possessio; quippe illum possident per gratiam tutiorem, & copiosiorem cum spe illum perfectiori modo in gloria ipsius possidendi. Quam præclara est hæc hæreditas religiosorum! Quam jure cum Propheta Ps. 15. dicere possunt: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Conditio eorum longe præstantior est, quam illorum, qui in sæculo vivunt: horum terra hæreditas est, illorum cœlum, & cum regio Propheta dicere possunt, Deum suam esse partem, suamque hæreditatem. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Psalm. 72.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

NOn tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditius invenire. August. de verbis Apost. serm. 29.

Omnis Philosophia magistra nobis est inopia. Idem, in Psalm. 76.

Vis nosse quam dives sit paupertas? cœlum emit. Idem, ibidem.

Ideo te Deus fecit pauperem, ut sufferendo brevem inopiam, æternam vitam acquireres. Idem, serm. 7. de temp.

Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas vitæ præsentis. Gregorius, Homil. 4. in Evang.

Qui nihil habet in mundo quod diligat, nihil est in mundo quod pertimescat. Idem.

Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum abdicatio gubernatrix est nutrixque omnium virtutum. Idem lib. 21. Moral. c. 12.

Paupertas bonis mentibus solet esse custodia humilitatis. Idem, ibidem.

Parva dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato fœnore promissa Christi redduntur. Hieronym. Epist. ad Pammach.

Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. Idem, Epist. ad Heliodor.

Sic abundat verus pauper, ut universum mundum parvi pendat. Idem, Homil. 48. in Matth.

Beata est si bona sua noverit cum virtute paupertas. Ambrosius, Hexam. lib. 5. c. 8.

Paupertas ordine prima est & quasi parens aliarum omnium virtutum. Idem, lib. 5. in Lucam.

Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Chrysost. in Epist. ad Hebr.

Pauper semper securus est, & omni metu vacat. Idem Homil. 30. in Matth.

Paupertatem Elias ex mentis opulentia elegit. Idem, Homil. 2. ad Popul. Antioch.

Paupertas portus tranquillus, Palæstra & Gymnasium patientiæ. Idem, ultima in Matth. Homil.

Sacra paupertas commodissimum virtutis organum. Greg. Nazianzenus, Epist. ad Helenium.

Qui potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, & qui Deo dives est? Minutius Felix in Octavio.

Egere, non turpe quidem aut aliquid probrosum fuerit, sed paupertatem generose non ferre. Basilius, Homil. de Ira.

Qui apud Deum dives est, pauper esse numquam potest. Lactantius, lib. 6. Instit.

Nihil interdum possidere necessitatis est; nihil per avaritiam cupere, virtutis. Cæsarius Arel. Homil. 25.

Nisi ex toto corde & affectu pauper es, paupertas ipsa non virtus, sed miseria judicanda est. Idem, ibid.

Semper dives est christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere. S. Leo, serm. 4. de Quadrag.

Cedat, cedat terrena pecunia, ubi thesaurus cœlestis admittitur. Petrus Damiani, Epist. 12.

Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant; an non satius cum honore ea spernes, quæ cum dolore perdis? Bernard. in Epist.

Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, si pro exiguis tanta patimur detrimenta. Idem, ad Monach. Sancti Bertini.

Salvator, cujus est aurum pariter & argentum; sacram in corpore suo dedicat paupertatem. Bern. serm. in vigil. Nativ. Christi.

Ditior Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Idem, ibid.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus depromi possit in hoc argumento.

Quid sit paupertas spiritus, & ejus definitio.

PAupertas spiritus, de qua hic agimus, & quæ hoc appellatur nomine, ut ab ea distinguatur, quæ est meræ necessitatis, virtus est, cujus finis est moderari hominis cupiditatem, ac regere amorem, quo illa suapte natura quærit divitias, & omnia terræ bona. Hæc est notio, quam nobis Sancti Patres, atque Theologi tribuunt; vel si mavis est, cum virtute acquiescere iis temporalibus bonis, quæ a nobis vult Deus possideri sine amore, sine sollicitudine, & quin ulterius desideria nostra protendamus; quod ita explicari potest. Non est coacta voluntas, quæ velit, & habere non potest; quæ parum habet, & multum desiderat: sed conformitas est, atque nostræ voluntatis submissio voluntati Dei quoad bona, quæ fortunæ dicuntur; paupertas est voluntaria, quæ prohibet, ne quid optemus; generosa est mentis moderatio, quæ, cum homines sæpe intereant ob inordinatam opum congerendarum cupiditatem, omnes inferiores animæ nostræ motus retinet, neque sinit, eos pacem suam perturbare, ut commentitiam felicitatem consectentur.

Duplex est genus paupertatis spiritus.

Duplex est paupertatis genus; quorum alterum consilii, & perfectionis est, eaque proprie est paupertas evangelica, quæ eos, qui eidem sese voto adstrinxerunt, jubet non solum animum a rebus terrenis avellere, verum etiam illas reipsa relinquere, ut sequantur consilium, quod Jesus Christus tradidit adolescenti; de quo in Evangelio Matth. 19. sermo est: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Paupertas altera obligationis est, & omnes respicit fideles, & hac de causa christiana paupertas vocari potest, quæ ita homines bona possidere permittit, ut ab eorum amore prorsus abhorreant. Prima illa religiosorum est, & consilii tantum; altera ad omnes pertinet fideles, & est præcepti.

Quid jubeat christiana paupertas, quæ simul esse potest cum temporalium bonorum possessione.

Christiana paupertas, quæ omnes decet fideles, & quæ præcepti est, jubet, nos ita a terræ bonis alienos esse, ut cor nostrum illis non hæreat; sed ita hæc bona possideantur, ut Apostolus 1. Cor. 7. docet, quasi non possiderentur, atque hoc mundo utamur, quasi non uteremur. Paupertas hæc vetat, 1. Ne bona ardenter optemus, ne festinanter congeramus, ne sollicite servemus, sed præcipit, ut cum charitate, ac discretione ea distribuamus, & ne cum nimio dolore amittamus. 2. Virtus hæc cogit, ut omnes fideles suos moderentur sumptus, eosque suo statui, & conditioni conforment, luxum deserant, & meminerint, se quatenus Christianos in Baptismate mundo, & sæculi pompis abrenunciasse. 3. Ne ob suas opes glorientur, sed e contra seipsos humilient cogitantes, statum hunc statum esse oppositum statui Jesu Christi, qui voluit nasci, vivere, & mori pauper, ac denique statum esse, qui magnos salutis obices continet.

Ad quid cogat evangelica paupertas, quam religiosi amplexi sunt.

Paupertas evangelica, quæ regularibus convenit, eos obligat, 1. ut nihil tamquam proprium possideant, nihil dent, nihil recipiant, ac demum de re nulla omnino disponant sine eorum, qui præsunt, facultate, hoc sibi persuadentes, quod quamvis habere possint aliquorum bonorum usum, nullorum tamen dominium, ac proprietatem habent; atque contra votum suum faciunt, ubi de qualibet re inconsulto superiore disponunt. 2. Ut nihil vel in persona, vel in supellectili eorum luxum, & vanitatem redoleat. 3. Ut nullo prosequantur amore illa, quorum obtinent usum; neque enim desunt religiosi, qui magis nugas consectantur, quam sæculares ipsi magna bona conquirant; hac in re minus excusabiles ipsis sæcularibus, minusque pauperes, neque enim bonorum possessio, sed eorum amor malum est. 4. Ut libenter paupertatis effectus preferant, neque in impatientiam, vel obmurmurationem decidant, ubi illis aliquid desit.

Spiritus paupertas evangelicæ perfectionis fundamentum.

Jesus Christus spiritus paupertatem pro evangelicæ perfectionis fundamento constituit illam principem faciens octo beatitudinum, ac edicens beatos esse pauperes spiritu; eos videlicet, qui animum habent a terræ bonis alienum. E contra vero minitatur væ divitibus, illis nempe, qui bonorum affluentia gaudentes eisdem inhærent corde. Hæc autem virtus omnibus convenit statibus, sed modo longe diverso; eos enim, qui in mundo vivunt, jubet affectu ea, quæ possident, bona relinquere, & desiderium recentium acquirendorum moderari; eos vero, qui religiosum statum amplectuntur, non solum affectu, verum etiam effectu, ita ut eorum, quæ ipsis permittuntur, usum habebant dumtaxat.

Bona paupertatis.

Paupertas Spiritus fons est bonorum omnium, omniumque virtutum. Qui pauper est spiritu, & sincere a terræ bonis alienus, semper sincere humilis est, nihilque circum se habet, unde intumescat, atque ideo paupertas spiritus cum humilitate confunditur. Veri pauperes sunt in jugi patientiæ, & mortificationis exercitatione, ideoque magnam habent virtutum exercendarum, & acquirendarum facilitatem. Nihil magis fidei eorum veritatem, ac magnitudinem indigitat, quam quod illis persuasum est de hac evangelica veritate, quæ adeo opposita est nostræ cupiditati, ac naturalibus studiis; beatos videlicet esse pauperes spiritu. Spe pauperibus difficilis non est, quæ exerceatur; cum temporalia bona contemnimus, immo etiam ultro relinquimus, satis dispositi sumus, ut æterna speremus, atque desideremus. Quemadmodum charitati nihil magis oppositum est, quam cupiditas, ita nihil magis charitatem fovet, aut auget, quam paupertas: vere Deum amat, qui illum omnibus præfert, ac propter illum omnia relinquit.

Paupertas spiritus est actus religionis.

Quemadmodum inordinata visibilium bonorum cupiditas est species idololatriæ ad creaturam transferens cultum uni Deo debitum, opposita ex causa paupertas cordis, & spiritus actus est religionis, qui amplissimum eidem honorem defert: quippe illi mundum integrum sacrificat, ut unum possideat Deum, & in hoc publicam elicit professionem fidei, quam habet in illius verbis, spei, quam in ejus bonitate constituit, amoris, quo illum præ cæteris quibuscumque prosequitur. Ita homo, cum simul & verum Deum, & dæmonem divitiarum adorare non possit, hunc contemnit, ut totam existimationem suam alteri impendat. Veri adoratores meliusne ostendere possunt, se in spiritu, & veritate adorare?

Paupertas spiritus semper est cum humilitate conjuncta.

Meminerimus oportet, veram spiritus paupertatem semper esse cum humilitate conjunctam, & per hanc ab Ethnicorum philosophorum paupertate distingui. Superbæ illæ mentes contemnere adfectabant opes, quas possidere non poterant, ne ipsos puderet necessitatis paupertatis, atque ut egestatis suæ damnum rependerent existimatione, quam adipiscerentur, quasi super cæteros homines essent. Sed Christianus dicere debet, ut olim S. Gregorius Nazianzenus: si me propter paupertatem mundus contemnit, ego mutuo contemptu de eodem ultionem sumo, non sine hoc privilegio, quod contemptus, quo me mundus negligit, meam gloriam constituit.

Quid sentiendum de opibus & paupertate.

Omnes homines in tres classes dividi possunt; alii quidem sunt divites, alii pauperes, alii vero nec divites, nec pauperes. Divites voco illos, qui habent unde vivant, & commode vivant; pauperes, quibus ipsum, quod necessarium est, deest; nec divites, nec pauperes tandem, qui necessarium quidem habent, commodum vero non habent. Prætetea duplex est pauperum genus, illorum videlicet, qui pauperes sunt, quia esse volunt, & eorum, qui inviti sunt pauperes; atque inter hos alii nil intentatum relinquunt, ut ditescant, alii patienter perferunt paupertatem, quin eamdem evitare contendant. Hinc inferri potest, eo quod dives, vel pauper es, non ideo te virtute præditum esse, aut vitio addictum. Non desunt divites virtute ornati, quia opibus suis bene utuntur; non desunt etiam scelesti, quia iisdem abutuntur. Similiter quidam pauperes sunt virtute præditi, qui sunt sua paupertate contenti; sunt & vitiosi, qui conqueruntur, ac murmurant; ita ut paupertas ex se neque vitium, neque virtus sit; sed virtus, cum illam ultro amplectimur ex desiderio melius serviendi Deo, & hoc primum est ex tribus votis religionis.

Paupertatis amor efficit vere pauperes.

S. Bernardus ait, non paupertatem solum, sed paupertatis amorem veros pauperes facere. Et addere possumus, quemadmadum avari gaudium est invenire viam, qua ditescere possit, ita veri pauperis voluptatem esse nullam amittere occasionem, qua semet efficere valeat pauperiorem. Paupertatis amor in omnes actiones ejus migrare debet, & virtus hæc esse debet in imo corde illius veluti fons vivus, & uber undequaque aquas effundens; pauper est omnibus in rebus, pauper in vestibus, pauper in cibis, pauper in supellectili; paupertatis suæ argumenta præbet in ea charitate, quam erga proximos exercet: quodcumque accidat perfectam testatur a terrenis opibus alienationem, ac sinceram animi aversionem ab omnibus bonis, superfluitatibus, curiositatibus, ac pompis mundi hujus.

Quænam sit ea paupertas, quam præcipit evangelium.

In dubium vocari non potest, quominus evangelium nobis quoddam paupertatis genus præcipiat tanquam saluti necessarium; neque enim fidei consonum esse potest, quod cum Salvator per rerum omnium privationem, ac paupertatem nos redemerit, sine ulla paupertatis specie salvi esse possimus. Hic quæritur solum, quænam hæc sit paupertas, ut inferamus, si hæc illa non est, quæ reipsa nos omni bono privat, efficitque, ut opum possessionem abdicemus, eam esse debere, quæ cum majoribus divitiis subsistit; ideoque non aliud esse, quam paupertatis amorem, tam cum possidentur divitiæ, quam cum pauperes sumus .... Et hoc magnum est gratiæ christianæ miraculum, inter ipsam bonorum affluentiam diligere paupertatem.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque concionatoribus loci hujus argumenti.

Felicitas eorum, qui vitæ hujus bona abrenunciant.

QUam felices illi sunt, qui nullo divitiarum, quas possident amore, neque earum, quas minime possident, ulla cupiditate tenentur! Sed quam longe beatiores sunt, qui, ut semet Deo devoveant, ultro relinquunt, quidquid habent, & quidquid habere possunt! Voluntaria hæc paupertas illos ditiores facit, quam omnes simul terræ hujus thesauri; quia pretium est, quod Deus cum illis pactus est pro regno, cujus non satis dignum pretium est omnia simul terrarum imperia. Ita ex hoc regno procedunt deliciæ, quibus in hac ipsa vita fruuntur, & quæ in antecessum quamdam illis Paradisi speciem largiuntur ... Usquequo Judæorum, Ethnicorumque sensus fovebimus aperte felicem, beatumque vocantes eum populum, qui affluenter mundi hujus possidet bona? Numquid

Dei

Dei filius non benedixit pauperibus, divitibus autem maledixit? Numquid ipse non adimplevit ea, quæ prædicavit? In cœlo, S. Bernardus ait, æterna erat omnium bonorum, quæ desiderari possunt, copia; sed ibi paupertas non erat. Dei filius in terras descendit, ut nos illam in pretio habere doceret eamdem habens in pretio, eidemque pretium tribuens, illi in hac etiam vita centuplum pollicitus. *P. Dozenne in morali Jesu Christi.*

Voluntaria paupertas semper honorabilis fuit.

Nonne insignis pars est centupli voluntariæ paupertati promissi, quod qui fideliter Jesu Christo in hoc statu famulantur, apud maximas mundi potestates in honore habeantur, & quamvis omnem mundi, hominumque gloriam fugiant, ab hominibus tamen gloria digni censeantur? Ex quo sese Dei servitio devoverunt, venerabiles illis fiunt, a quibus in mundo fuissent contempti, & nemo illis audet alterius generis sordes, & humilitatem exprobrare, vel etiam honori sibi vertunt probra, quæ alios rubore suffunderent. Quot extiterunt, quos Monarchæ tamquam oracula consulebant, quos reverebantur, & quos apud Deum tamquam salutis suæ intercessores habebant? Ita, S. Bernardus ait, majorem nobis, quam regum thesauri, confert nobilitatem. *Idem.*

Numquam æque pauperes erimus ac Jesus Christus.

Quantumvis sis pauper, numquam tantum pauper eris, quantum ille, qui eo redactus fuit, ut pro lectulo non aliud quam crucem, pro cibo fel, & absinthium, nuditatem pro vestibus, & pro domo dium omnibus temporis injuriis apertum haberet. Immo illi satis non fuit hæc extrema paupertas; solus est, qui semetipsum pauperem fecerit in omnibus terræ pauperibus: & si in hoc numero positus eosdem cum Jesu Christo sensus habueris, cum eodem peculiarem affinitatem habebis. Hoc tot Principes impulit, ut paupertatem amplecterentur; hoc fecit, ut ab omnibus sanctis tanto ardore diligeretur. Omnia obediunt argento, secundum Spiritus sancti oraculum; & omnia, ex quo Deus se pauperem fecit, paupertati illius paruerunt.... Neque satis illi fuit pauperem fieri, semper etiam pauperes ipsos habuit in pretio, quod præsertim innotuit, quia illos ad sui cognitionem vocavit, atque hoc pacto illi divites in fide sunt facti. *Pauperes in hoc mundo divites in fide.* Jacob. 2. quod electi fuerunt, ut illum hominibus traderent cognoscendum, & evangelii ipsius fierent prædicatores: quod sortientur societatem honoris, & facultatis homines simul, Angelosque judicandi. *Idem.*

Dei filius factus est pauper, ut nos faceret divites.

Quam longe differunt Dei, & hominum sensus! In mundo pauperes pro viribus contendunt, ut ditescant; divites vero, ut ditiores evadant: sed ut nos ditaret, Apostolus inquit, Deus factus est pauper. Pater ipsius supremam illi in cœlum, terramque contulit potestatem; ille vero sua non utitur potestate, nisi ut aliis benefaciat. O quam potens regina facta est paupertas, ex quo tanto regi nupsit, S. Franciscus ajebat! Quam amabilis est, quandoquidem illam Deus tantum amavit! Quam dives, & opulenta est, quoniam cum illo in bonorum communionem ingressa est! *Idem.*

Stultitia, & imprudentia eorum, qui postquam magna reliquerunt nugas consectantur.

Nonne mirum est, quod qui haud ægre immensas reliquerunt opes, nugis immorentur, & nonnumquam levissimas ob causas in magna decidant crimina, postquam sese rebus omnibus spoliare maluerunt, quam subire periculum eadem patrandi? Nonne igitur metuendum est, ne magna intereat sacrificii pars, quod Deo offerebatur? Nonne hoc est ex aris auferre, quod illis fuerat oblatum? Hoc ad summum est, Deo exteriora tantum contulisse bona, sibique cordis affectiones reservasse.... Hinc sequitur, quod si religiosus mundum, opesque mundi relinquens, rerum mundi ipsas affectiones nequaquam abjecit, vere non est pauper spiritu; etenim paupertas spiritus non in eo tantum posita est, ut reipsa terrena quælibet relinquamus, verum etiam, quod ipsum rei caput est, cor nostrum ab illis penitus avellamus. *Idem.*

In quo consistat paupertas spiritus.

Pauper voluntarius, ac ex virtute pauper non ea solum relinquit, quæ habere potest; verum omnia etiam habendi suffocat desideria: meras tantum preces habet, quin aliquid terrenum illis immisceat, hac in re omnem curam sollicitudinemque in providentiæ sinu constituens. Tamquam de manu Dei recipit necessaria, quæ per hominum manus recipit: ea, quæ in sua potestate sunt, pluris non facit, quam si in rerum natura non essent. Quod denique cumulum addit illius in præsenti vita felicitati, est spes certa thesaurorum cœlestium. Sed qui præter voluntatem est pauper, dupliciter infelix est, quod in hoc mundo mundi bonis non gaudet, & quod in æternitate bonis æternitatis carebit: *Hic rei parum, illic spei nihil*, inquit S. Euch. ep. ad Valer. Quod ad evangelicæ paupertatis praxin attinet, quamvis status hujus perfectio in eo sita sit, ut nil habeas præter id, quod omnino necessarium est, immo quod ad vitam mere est necessarium, & victum dumtaxat, ac indumentum, ex Apostolo postulet; obligatio tamen adeo arcta non est, vel rigorosa. Verum est, hoc plurimis sanctis viris suisse satis; qui voluissent eodem pacto alimenta recipere, quo aerem respirant, quin ullo afficiantur gustu, necessitatem a voluptate separantes, ac dapibus, ut S. Augustinus ait, tamquam remediis utentes. Sed quilibet sequi saltem debet morum gratiæ, & vocationis, & meminisse præclaræ illius S. Hieron. in ep. ad Paulinum sententiæ: *Victus, & vestitus divitiæ Christianorum. Idem.*

Dei filius pauperes tantum ad sui sequelam vocat.

Non immerito mortales paupertatem reformidant, quoniam secum illa trahit dedecus, & confusionem, quamobrem Sapiens Prov. 15. ait: *Dies pauperis mali sunt*; & S. Bernardus paupertatem *quoddam martyrii genus* appellat. Attamen Jesus Christus in discipulorum suorum albo eos tantum recenset, qui iis renunciant, quæ possident. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. Jubet, Apostolos suos retia relinquere, ac rebus omnibus sese expoliare. *Specimen Panegyricarum orationum, oratione de S. Jenevepha.*

Paupertas spiritus nos supra terrena omnia attollit.

Opes contemnere debemus, & generosa ea proferre verba, quæ Clemens Alexandrinus in Christianorum ore, & corde ponit: *Didici terram calcare, non adorare.* Didici exemplo Jesu Christi, secretisque monitis, quæ spiritus ejus mihi suggerit, ne quid faciam, quod sit christiano nomine indignum. Heu! me mea dignitas super omnia extulit bona: opus est, ut affectus mei conditionis meæ dignitati respondeant. Terrenæ opes nihil sunt, si cum cœlestibus conferantur: nihil ergo esse debent in mente fidelium. Ita Christianus dignitatis suæ sublimitatem tueri debet, vitæ hujus bona contemnere, ab illis nequaquam pendere, quantum fieri potest, per spiritus paupertatem, quæ illum attollit super ea, quæ animæ viles, abjectæque tanta festinatione, & incredibili sollicitudine quærunt. *Biroat in Adventu Serm.* 13.

Per voluntariam paupertatem Deus possidetur.

Exigui boni ob jacturam non querimus, ubi jactura hæc possessionem boni, quod toto cœlo præstantius est, reparatur. Nemo avarus est, S. Chrysostomus inquit, qui argentum non relinquat, ut referat aurum, quod minus pretiosi metalli jacturam cum lucro penset: commutationes hujusmodi non detrimenta, sed lucra vocantur, ut inquit Tertullianus adversus Marcion. *Negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris.* Vide, quibusnam conditionibus velit evangelium cor tuum a terræ bonis avellere: Deus vult in omnium bonorum horum locum subrogari, ac ipse tuus esse thesaurus, possessio, & hæreditas: cum hoc etiam discrimine, quod terræ opes affectu solum teneris relinquere, sed reipsa omnes Dei divitias possidebis. *Idem.*

Mirabile paupertatis exemplum, quod Salvator hominibus dedit.

Ut extremam videamus paupertatem, cujus Dei filius nobis relinquit exemplum, satis est diversa tempora, diversosque vitæ ejus status intueamur: ecce autem primordia, progressus, & finis vitæ, quam duxit. In tanta nasci voluit paupertate, ut sancta ejusdem Genitrix *reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Luc. 2. Singularis

hæc

hæc paupertas est, quod Deus diversorio deficiente nascatur in stabulo, atque teneatur a brutis animantibus mutuari incunabula, sibi ab hominibus negata. Hoc totum tamen non est; prout adolescit ætate, paupertas ejus crescit, & Herodis crudelitas eum cogit solum vertere non multo postquam in lucem editus fuit. Ita primis vitæ suæ annis fuit pauper. Sin autem vitæ illius cursum intueamur, videbimus, illum redactum fuisse ad statum paupertatis nihilo meliorem; ipsum vixisse, ut pauperem rebus omnibus deficientem, ac sub omnium imperio. Quod si ad mortem usque processerimus, ibi extremam videbimus paupertatem: quandoquidem nudus, suisque spoliatus indumentis expiravit. Ibi autem ut cumulus suæ accederet paupertati, sepulchrum mutuatur, cum careat proprio. Quemadmodum nascens non habuit cunas, ubi requiesceret, vivens non domum, ubi habitaret, moriens non vestimenta, quibus se tegeret, Ita mortuus non habuit tumulum, quo posset Inferri. Omnes hujusmodi circumstantiæ nonne satis superque paupertimam innuunt paupertatem; quandoquidem Ipsi ea defuerunt omnia, quæ ille miserrimo cuique negata noluit? *Sarazin tomo* 2. *Adventus serm.* 23.

Quo consilio Dei filius adeo extremam elegerit paupertatem. Porissima ratio, quæ Dei filium impulit, ut tantam eligeret paupertatem, fuit, ut videlicet humanos confunderet sensus, ac superbam mundi sapientiam, quæ semper contempsit paupertatem tanquam statum nimis abjectum, usque adeo mira paupertate homines salvos faciens doceret, terrenorum bonorum concupiscentiam numquam frænari posse, quominus illius radix inquiratur, necessarium etiam sæpe eidem auferatur, & homo eo redigatur, ut si minus eo carere possit, saltem illud non amet; etenim infelix ista cupiditas saluti adversatur, tunc etiam cum id tantum habemus, quod est necessarium. *Idem*.

In divitiarum possessione pauperes esse spiritu, & possumus, & debemus. Hoc maximum gratiæ Christianismi videtur miraculum, hominem in maximorum bonorum affluentia pauperem facere; sed miraculum hoc numquam intelligemus, nisi sciamus, neque divites, neque divitias in evangelio damnari, sed eos tantum, qui divitias & amant, & cupiunt. Veritatem hanc nos docet Apostolus 1. ad Timoth. 6. cum ait, quod non divites, sed *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Quod egregie S. Hilarius explicat dicens, scelus non esse possidere bona, sed scelus esse in possessione bonorum non servare modum. Ita cum evangelium divitibus maledicit, eisque cœlum obstruit, non maledicit possidentibus bona, sed opes diligentibus, & optantibus maledicit. Hic sensus est verborum Apostoli; & si extra omnem dubitationis aleam positum est, solam bonorum, quæ divitiæ vocantur, affectionem esse malam, sequitur, paupertatem, quam præcipit evangelium, non esse bonorum carentiam, sed illa, cum desunt, non cupere, cum adsunt, non amare. *Idem*.

Hunc gratiæ effectum admirabili ratione Sapiens Prov. 3. per hæc verba describit: *Est quasi dives cum nihil habeat, & est quasi pauper cum in multis divitiis sit*. Quomodonam intelligemus, & capere poterimus, divitem nihil habentem, & pauperem pluribus divitiis repletum? Nisi sciamus, per Jesu Christi gratiam pauperem vivere, quasi dives esset, & divitem, quasi pauper; atque, ubi illa invenitur, divitem esse pauperem, & contra. Hoc est evangelii, & gratiæ miraculum, quod ditiores pauperes sint, ut Jesus Christus in affluenti opum suarum copia; quoniam ille mundi totius dominus erat, & nihilominus fuit pauper. *Idem*.

Signa, utrum vere simus pauperes spiritu. Undenam intelligemus Christianos in divitiis ita pauperes esse, & gratia in corde eorum admirabilem effectum hunc operari? Hæc signa sunt, quorum primum est: si bona possidentes præsto sint, ut illis renunciare, & cum voluptate patiantur eadem auferri sibi, ac se redigi ad paupertatem, quod fecerunt illi, de quibus loquitur Apostolus ad Hebr. 10. qui cum gaudio omnia sibi eripi bona viderunt: *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. Nisi hæc fuerit in corde dispositio, ibi spiritus paupertas non erit, & e contra in divitiis dives eris, non pauper. Porro si nosmet juxta normam hanc excusserimus, nonnisi divites, nullos vero fortasse pauperes Christianos inveniemus; etenim nemo fere est, qui paratus sit, ut sua amittat bona, & Dei mandatis obtemperet, volens pauperem esse, cum omnes esse pauperes jubeat Deus. *Idem*.

En alterum signum non minus certum, ex quo intelligamus, utrum in divitiarum possessione pauperes simus spiritu: & est, si bonorum acquisitioni ullos circumscribimus fines. Quamvis non prohibeat evangelium possidere bona, non patitur tamen illa sine ullo fine; ac modo multiplicati, ita ut numquam dicatur, satis est. Si filiis permittit locupletes parentum suorum possessiones adire, vult tamen ipsos suas cohibere cupiditates, neque in infinitum suas augere divitias, quoniam hæc opum coacervatio fieri nequit, quin illæ diligantur; quem amorem evangelium non patitur, atque Ethnici ipsi solo rationis lumine ducti damnarunt. Tanto vero minus ad has bonorum acquisitiones, immodicasque possessiones nos rapi, ferre debemus, quanto immensæ præter conditionem nostram divitiæ apertiora sunt nostrarum erga alios injustitiarum argumenta. *Idem*.

Signum tertium. Certissimum hujus paupertatis spiritus, ac veræ alienationis argumentum usus est mediocris, ordinatus, atque suis finibus conclusus horum bonorum. Veritas hæc parum nota est, & minus adhuc a pluribus fidelibus in praxin redacta, non licere semper metiri sumptus ex magnitudine divitiarum, quæ possidentur; & si pauperes sumus in divitiis, quales necessario esse debemus, nobis modice, modeste, & christiane illis utendum, nisi damnari velimus tamquam injusti possessores; etenim bona sua *male possidet, qui male utitur*, inquit Augustinus Ep. 14. Nemo autem resistere valet huic veritati, certissimum videlicet testimonium nos in magnis bonis pauperes esse, eaque a nobis contemni, esse usum, qui fieri potest, parcissimum eorum: ita ut minime cogitantes, utrum immodice, an mediocriter locupletes sumus, utamur iis, quæ Deus nobis tribuit secundum necessitatem, & æquam mediocritatem, non autem secundum desideria vanitatis, aut voluptatis, vel alterius cujuspiam affectus, qui in bonorum usu semper est inordinatus. Hinc autem sequitur, quod qui locupletior est, si Christianus est, & nisi longe digniori genere sit ortus, quod jure suo majores sumptus exquirat, largius suis bonis uti non debet, quam qui minus est dives: ita eo quod uberiores reditus habeas, non sequitur plus bonorum absumi posse, neque posse fieri, ut alicui pareatur affectui, qui in sumptibus semper modum excedit. Verum est, quod evangelium non confundens conditiones non prohibet, ne quilibet secundum status sui decorum eroget sumptus, & permittit, ut illi impendant plura, quorum conditio, cum sublimior sit, plura habet necessaria; verum etiam in paribus conditionibus, imparibus vero divitiis, inæquales sumptus non patitur. *Idem*.

Ut nos pauperes esse spiritu inter ipsas opes testemur, locupletiorem fortunam nequaquam respicere debemus tamquam causam sumptus effusioris, sed rationabilis, frugalis, & necessarii. Secundum hanc regulam dicere possumus, obligationem hominis, qui ditior est, esse potius imminuere, quam augere sumptus suos, & in majori divitiarum copia sibi illos proponere, qui, cum minus divites sint, & conditionis ejusdem magis frugi, & modesti sunt, eosque pro regula usus bonorum assumere; hac mente videlicet, quod illos in sumptu superare non potes, ne teipsum damnes, neque contra te judicium feras, quod locuplex sit, & non pauper spiritu, quemadmodum evangelium, & christiani hominis qualitas jubent. Si omnes regulam hanc sequerentur, videremus luxum omnino proscriptum a conviviis, atque indumentis; omnemque

supel-

ſupellectilium, ædiumque faſtum ad chriſtianam modeſtiam redactum, quæ ditiores illis, qui minus divites ſunt, in ſumptibus, ſin minus ſemper in bonis operibus, & eleemoſynis æquat. *Idem*.

Dives Chriſtianus igitur, qui pauper eſt ſpiritu, præterquamquod inimicus eſt profuſionum, inſigniumque ſumptuum in magna ſervorum caterva, conviviis, ſupellectili, indumentis, aleaque, eorum cenſor ſeverus eſt, qui moderatiora ſunt, & quos neque ipſa modeſtia condemnat, ſemper enim metuit, ne quid vel nimis multum ſit, vel parum nimis; atque hoc pacto nequaquam reſpiciens conſuetudines, quæ maximos probant abuſus, atque ſua protegunt auctoritate luxum omnem, immenſoſque ſumptus, qui honeſti exiſtimantur, in id unum incumbit, ut regat, & reſecet, quidquid invenit cupiditas, & quemcumque abuſum in uſum bonorum invexit conſuetudo. Ecce quomodo pauperes eſſe poſſumus in divitiis, & quænam eſt paupertas, a qua nemo Chriſtianus eſſe debet immunis. *Idem*.

Quænam in re conſiſtat hæc paupertas ſpiritus.

Cum hoc paupertatis, & alienationis verbum hominum mentes avertere poſſit, intereſt ſcire, in quo conſiſtat; non aliud videlicet eſse, quam cordis præparationem, qua omnibus cariturum eſt, ſi jubeat Deus, ac paupertatem æquo ſubiturum animo, ubi ille imperaverit. Hanc igitur audacter aſſero veritatem, quin ab aliquo impugnari poſse extimeſcam, gratiam in anima Chriſtiani non inveniri, ſi hæc deſit præparatio, noſque in hoc eſse paupertatis Jeſu Chriſti imitatores. Cum igitur minime præcipiat evangelium, ut quilibet reipſa omnia relinquat, rebuſque omnibus careat; vult tamen, ac jubet, omnes in corde gerere amorem paupertatem hanc perferendi, ac voluntatem ſemper paratam ad illam, ubi juſserit Deus, ſuſtinendam. *Idem*.

Alia ſigna, ex quibus judicium ferre poſſimus, utrum ſimus pauperes ſpiritu.

Sin aliquod aliud habere cupis apertius argumentum, quo certus ſis, utrum hanc habeas ſpiritus paupertatem, & veram cordis alienationem a vitæ hujus bonis, longe plurima ſuppetunt, quorum quædam hic afferam. Certiſſime hanc habebimus alienationem, in qua paupertas ſpiritus conſiſtit: primum ſi de craſtino ſolliciti non erimus; hæc enim cura nonniſi avarorum eſse poteſt character, qui nihil ſibi vel neceſsarii, vel ſuperflui deeſse volunt; & ita illi redarguuntur hanc non diligere paupertatem, qui opes congerunt, qui aliquid ſibi reſervant, qui potius de providentia ſe diffidere teſtantur, quam paupertatem amare. Difficile eſt probare curam hanc, qua plurima in futurum tempus reponunt, cum teneantur, ad hoc eſse parati, ut rebus omnibus deficiant. Ratio, quam prætexere poſsunt, nonniſi juſta, ac rationabilis eſse poteſt prævidentia, quæ bonum tam publicum, quam privatum reſpiciat, ne deſit neceſsarium: alioquin quælibet reſervatio noxia eſt, atque avaritiæ prorſus paganæ argumentum. Secundo hanc te habere paupertatem innoteſcet, niſi annonæ caritas, fames, ſterilitas, extremæque neceſſitates tibi dolorem adferent. Quomodo enim aliquid ſibi deeſse doleat, qui rebus omnibus carere non abnuit? Tertio certiſſimum erit indicium, ſi ultro noſmet rapi ſenſerimus ad opem illis ferendam, quos neceſſitas ad veram paupertatem redegit, & ſi illos in partem vocaverimus bonorum, quæ nobis contulit Deus. Fieri quippe non poteſt, ut velle poſſis ex corde omnibus rebus carere, & renuas etiam de iis, quæ tibi ſunt neceſsaria, egenis tribuere, ac tibi obæratis dimittere, quod ſine gravi incommodo tibi perſolvere nequeunt. *Idem*.

Principes raro paupertatem ſpiritus exercent, quamvis ad id teneatur.

Raro mundi principes paupertatem ſpiritus exercere videntur; omnes enim cupiunt divitias ad generis ſui nitorem, & amplitudinem ſuſtinendam; etenim quam præterea cauſam afferre poſsum? Numquid ut dignitatem magiſtratuum ſuorum tueantur? Si hoc verum eſt, contenti ergo eſse debent iis, quæ ad id ſufficiunt, & inferre, ſi quid amplius optant, vel avaros eſse, vel ſuperbos. Numquid ut liberalius indigentibus opem ferant? Si hoc verum eſt; moderentur igitur habendi cupiditatem, ac violenta deſideria, quibus ſemper majores divitias affectant; cum nemo inordinatum habere debeat affectum, ut aliis benefaciat. Quem igitur finem habere poſſunt, niſi quod divites eſſe volunt, ut divitum more vivant, atque ut non dignitatem, ac ſtatum ſuum, ſed hujus dignitatis faſtum ſuſtineant; idque non per ea, quæ ſatis ſunt, atque per mediocritatem, ſed per pompam, nitoremque, nec non ſervorum comitatum, qui luxum redoleat, & per eos ſumptus, qui ethnicam ſapiant vanitatem, atque a chriſtiana modeſtia, & paupertate prorſus abhorreant. Sumptus immodici, ludi nullum finem habentes, ſupellex locupletiſſima, ædes ſuperbæ, aliæque inſanæ, inauditæque profuſiones nimis publica ſunt teſtimonia, ideo opes conquiri, ut divitum vita ducatur, videlicet ut more Ethnicorum vivatur, quorum ſumptus moderatiores, quam plurimorum Chriſtianorum fuerunt. *Idem*.

Paupertas voluntaria tuta eſt in cœlum via.

Sententiam hanc S. Bernardus mirum in modum enucleat, & explicat; viam nempe voluntariæ paupertatis tutam, & rectam eſſe, alioquin Jeſus Chriſtus illam non eſſet ingreſſus. Viæ reliquæ licet bonæ, tamen latronibus repletæ ſunt, ſed hæc ſemita vacua eſt, quia difficilis eſt, & pauci illam ſequuntur; latrones enim nequaquam eas obſident vias, quæ vulgo teruntur. Sermo hic nonne probat, quo perfectior eſt paupertas, eo nos tutiores eſſe ab inimicorum inſidiis, & in via tuta, ut ad perfectionem, ac ſalutem perveniamus? Sed quamquam hoc verum ſit, mundus ſeſe Deo minime credens viam hanc ingredi renuit; atque ita ab eadem recedit, ut non ſolum pauper eſſe nolit, ſed neque ipſam amare velit paupertatem, eamque ſaltem in penitiori cordis receſſu abſcondere, tamquam locupletiſſimum, qui poſſideri poſſit, theſaurum. Adeo verum eſt maximam de mundo victoriam eſſe, non quidem perferre paupertatem, cui deſit neceſſarium, ſed hunc amare ſtatum, ac præſto eſſe eidem recipiendo, ſi illum nobis immittere placuerit Deo. *Idem*.

Chriſtiani amare deberent paupertatem, ſed omnibus fere probro eſt.

Tantum abeſt paupertatem eſſe in honore, veluti partem, quam reliquit Deus filiis ſuis, quod immo probrum exiſtimetur. Et ſane ubinam videtur? Numquid in magnificis ædibus, quæ plurimum provinciarum ſpolia vocari poſſunt? Numquid in ludis, qui opulenta obliguriunt patrimonia? Numquid in ſupellectili, quæ nihil habet non magnificum, atque ſuperbum? Num in conviviis, menſiſque tanta dapum varietate laborantibus? Deprehenditurne, eas pro pauperibus, an pro divitibus helluonibus inſtructas eſſe? Numquid in ſervorum caterva, quæ mundi Principes comitatur, in quibus maximæ affulgere divitiæ cernuntur. Denique paupertas hæc ullum ne invenit locum in veſtibus; numquid hæc ſuggerit lacinias, & ornamenta, an hæc vanitas eſt, quæ nullum ſervat modum, & quæ ibi infinita abſumit bona? Neſcio, quonam ore noſmet Chriſtianos dicere poſſimus; & quomodo habentes Deum, qui pauper fuit, minimas etiam paupertatis notas perhorreſcere valeamus. *Idem*.

Chriſtianus debet magis laborare ut pauper, quam ut dives fiat.

Quam maxime intereſt chriſtiano viro perſuadere, magis ſibi adlaborandum eſſe, ut pauper, quam ut locuples fiat; conſtans hæc veritas eſt, quamvis illi omnes fere mortales adverſentur. Facile eſt, inquiunt, pauperem eſſe, e contra vero difficile eſſe divitem. Verum eſt; attamen affirmo, majorem hominis chriſtiani curam eſſe debere, pauperem fieri, ſaltem bonorum affectum relinquendo, niſi iiſdem reapſe abrenunciando; & paupertatem hanc difficilius acquiri, quam opes, atque pro hac, quam pro opibus acquirendis, magis eſſe adlaborandum; tota enim vita ſatis diuturna non eſt, ut tantam adipiſcamur hæreditatem ... Mirabile opus eſt hæc paupertas cordis, quæ omnibus carere gaudet; quippe incomprehenſibile eſt, quot

in te-

in rebus divites esse velimus, ideoque in quot nosmet pauperes exhibere debeamus. Paupertas virtus est, quæ se ubique effundit; parum enim est pauperem esse argento, nisi & honore sis, & commodis, & iis generatim rebus omnibus, quibus divites esse vellemus. Quamobrem ex corde, ubi radix est concupiscentiæ, avellendum est modo unum, modo alterum bonum, quin cesses, nisi voti summam fueris consecutus. *Idem*.

Christianus mori debet pauper sin minus effectu, saltem corde.

Christianus mori debet pauper vel reipsa, vel corde, ac spiritu: una quippe paupertas cœlum ingreditur, quod si divitibus patet, nonnisi per paupertatem patet. Ita maximum malum est mori divitem, hoc est cum amore divitiarum. Hoc autem indesituenter repetendum est divitibus, ne seipsos decipiant, & ne ab aliis decipiantur. Monendi sunt, paupertatem solam esse regni cœlestis hæredem, quod a divitibus nonnisi per paupertatem acquiritur. Veritas hæc efficere debet, ut divites, & potentes sæculi contremiscant, non quod sibi cœlum aperire nequeant pauperes facti, sed propter difficultatem, qua inter opes aliquis pauper esse potest, ultro in rerum omnium affluentia aliqua re deficere, & paupertatem amare. Miraculum hoc non est impossibile gratiæ; sed hæc illud numquam operatur, nisi per contemptum bonorum, & efficiens, ut ea tanti æstimentur, quanti valent, hoc est, vel flocci, vel nihili. *Idem*.

Per voluntariam paupertatem homines periculis liberantur, quæ divitias, & coactam paupertatem sequuntur. Hæc autem pericula ab Apostolo in prima ad Timotheum epistola c. 6. memorantur: *Qui volunt divites fieri*, ait ille, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*. Divina hæc verba serio, ac diligenter expendenda sunt. Primo notandum est, non dici ab Apostolo divites in tentationem incidere, sed eos, *qui volunt divites fieri*. Quod utrisque commune est; pauperes enim passim ditescere cupiunt, & qui divites jam sunt, conantur fieri ditiores: non quod divitem, vel pauperem esse malum sit; sed quod malum est, divitem fieri velle. Quod autem hoc desiderium vulgo in illis reperitur, qui & divitias possident, & carent divitiis, utrique sexcentis patent periculis, quibus immunes sunt pauperes voluntarii, quia divites fieri nolunt. *P. Duneau Sermone pro quarta post Pentecosten Dominica*.

Pauper, & dives æque infelices sunt, nisi sint pauperes spiritu.

Inter vanitates, quas Ecclesiastes enumerat, ea, quæ ab ipso *Vanitas, & afflictio spiritus* appellatur, est hominem videre, qui seipsum torquet, & agit, ac incessanter laboribus exercet, ut acquirat, & congreget bona, quibus non fruitur. Hanc autem spiritus afflictionem dives, & pauper æque patiuntur; alter quidem, ut ditior evadat, alter vero, ut ex misera emergat necessitate, quæ sæpe ferenda magis est, quam labor, qui ad illam evitandam suscipitur. Naturæ enim parum satis est, & id, quod nos magis torquet, non tam necessitas est, quæ urget, sed ea, quam imminere nobis comminiscimur. Sed locuples hanc peculiarem habet afflictionem, quod laboribus exercetur, ut suum augeat bonum, quasi nihil haberet omnino, & vivit, quasi pauper esset. Pauper igitur, simul ac dives in desideriis suis male ordinatis spiritus afflictionem, & suæ quietis jacturam inveniunt; alter quia non est pauper spiritu, alter quia non est sua paupertate contentus, neque illam libenter acceptat. *Idem*.

Salutis periculo, in quo pauperes sunt, nisi ex animo suam acceptaverint paupertatem.

Bonorum concupiscentia æque radix est malorum omnium, & pauperibus, & divitibus: his quidem, quia opibus suis abutuntur, illis vero propter peccata, quæ patrant ut eadem requirant; unde sequitur, utrosque infinitis perturbari desideriis non inutilibus tantum, sed noxiis, quæ sunt perditionis eorum causa. Pro inutilibus desideriis illa intelligenda sunt, quæ in vanum concipiuntur, quin adimpleri possint; inutile quippe est id cupere, quod nequeas obtinere. Attamen locupletandi voluntas infinitam inutilium desideriorum multitudinem parit. Alii quidem Crœsi thesauros desiderant, alii contenti essent, inquiunt, meliori fortuna, quam sua, eamque optant, licet se eadem frui nequaquam posse censeant. Ita in corde suo sexcenta vana, & inutilia desideria concipiant. Hoc tamen parum esset, nisi magna accederet noxiorum desideriorum turba, quæ sæpe corporis, animæque interitum gignunt. Quot enim in bonorum perquisitione visi sunt interire? Quot in mari naufragia eorum, qui per sexcenta pericula lucrum quærunt, quo facile carere possent, si desideriis suis fines circumscribere vellent? Quot suæ officiunt valetudini ob nimios labores, curasque, quibus semet conficiunt, ut eam fugiant necessitatem, quam sibi fingunt, aut timent? Quot nullo in discrimine habent animam suam, dummodo paulo melius corpus suum nutriant? His malis obnoxii sunt, qui coactam tantummodo habent voluntatem, qui non minus subeunt suæ salutis periculum, quam divites avari, vel voluptatibus abditi. *Idem*.

Peccata quibus patent, qui ex necessitate sunt pauperes.

Quemadmodum pauci sunt pauperes, qui non sint divites desideriorum; ita pauci sunt, qui vere ditescant, quocumque labore exerceantur, & quamcumque adferant industriam. Hinc accidit, quod præter mala, quibus eos sua implicat concupiscentia, longe pluribus sunt obnoxii, ubi se turpi necessitate coactos vident, atque sine spe inde emergendi. Se igitur miseros putant, ac impotentes, qui tantam excutiant miseriam. Inde vero plura gravia sequuntur mala ipsa paupertate pejora; præsertim vero impatientia, blasphemia, & desperatio. Nequaquam recipientes, uti opus est, egestatem de manu Dei, eo majori abripiuntur impatientia, quo magis vident, malum suum esse immedicabile; quo plura patiuntur, eo majus eorum impatientia est; hac in re similes ægrotantibus, qui acutis conficiuntur doloribus, quin malo suo ullum vel lenimentum, vel solatium inveniant, quacumque in corporis positura subsistant. Ex impatientia facile ad blasphemiam gradum faciunt, murmurantes contra providentiam, quæ hujus mundi bona adeo male divisit, ac Deum injustitiæ accusantes, eo quod hominibus temporalia bona æqualiter non distribuerit. Hæc murmuratio semper furenti excipitur invidia contra eos, quos habere vident, unde commode vivant, licet eos seipsis nequiores existiment. Denique mala fortuna sua fatigari nonnumquam incidunt in desperationem, ac seipsos vita privant, ut æternam mortem patiantur. Pauperes voluntarii ab omnibus hisce malis immunes sunt; cum enim omnia propter Dei amorem reliquerint, nihil cupiunt; cumque non dominetur ipsis concupiscentia, quæ malorum omnium est radix, vivunt contenti, sine sollicitudine, sibique honori vertunt, quod similes sint filio Dei non habenti, ubi caput reclinaret. *Idem*.

Quid facere debeant pauperes ex necessitate.

Quid illi faciendum esset, qui pauper est ex necessitate? Hanc necessitatem deberet in virtutem convertere, ac benedicere Deo, quod sibi negaverit, quod multorum damnatio, & perditio est, & sua etiam fortasse fuisset. Cogitare deberet, istic se non habere permanentem mansionem, ac nos esse viatores super terram; & quo minus onerati sumus, eo facilius onus nostrum gestare, & qui nullum prorsus onus habet, hunc liberius incedere. Hic sibimet persuadere deberet, thesaurum suum non esse in terra, sed in cœlo, ibique esse quærendum omnia paupertatis incommoda perferendo; quotidie enim videmus homines, qui pro temporali lucro multo majora patiuntur. Denique confidentiam suam in Deo constituere debet certus futurum, ut numquam deseratur; & quandoquidem ille nos docuit, quotidie panem nostrum flagitare, hunc numquam negatum iri illi, qui cum fide, & confidentia poposcerit. *Idem*.

Paupertas nec malū est nec miseria.

Qui felicitatem in opibus statuunt, necessaria illatione credunt, paupertatem malorum omnium

esse

esse maximum ; quippe quod bono maximo oppositum. Sed vehementer errant ; qui dives est, non ideo beatus est, neque miser, qui pauper est. E contra vero cum paupertas voluntaria est, vel voluntarie lata, ex numero est evangelicarum beatitudinum, earumque princeps. Duplex igitur paupertatis genus distinguendum est, quarum altera voluntaria est, altera coacta : hæc nullum habet meritum, quamvis validum sit auxilium ad acquirendum virtutum, meritorumque thesaurum, si eadem bene utamur ; voluntaria vero heroica actio est, meritique infiniti, atque efficacissima ad subliniorem perfectionis gradum consequendum. *Idem*.

Voluntaria paupertatis præstantia.

Paupertas absconditus est evangelii thesaurus, cujus pretium homines nesciunt ; quod ut intelligerent, Deus in terras ad eos edocendos descendere debuit. Deus, S. Bernardus inquit, in cœlo omnia gloriæ bona possidebat, sed paupertatis thesaurus ibi non aderat ; in terram venit, ut quæreret illum, ideoque de cœlo descendit. Qui infinite dives erat, Apostolus inquit, factus est pauper, ut nos sua paupertate locupletaret, hoc pacto nostræ medelam afferens cupiditati, quæ efficiens, ut nimio ardore cuperemus, nimiaque cura congregaremus terræ bona, in periculum nos adducebat, ut cœlestia amitteremus. Paupertas pretiosa illa est evangelii margarita, quæ nonnisi bonorum omnium impensa comparari potest, neque ideo pretio nimis charo comparatur. Ut illam obtineret, Salvator omnibus se bonis suis exuit. Non paupertatem solum, sed pauperes etiam amavit ; pauperes sibi in Apostolos elegit ; iique potissimum fuere curarum, & documentorum ejus objectum. Denique non satis amplum paupertati premium se conferre posse ratus est, nisi certissimum illi ad cœlorum regnum jus conferret. *P. Nepveu tomo 3. Considerationum.*

Facilius est bonum esse in paupertate quam in divitiis.

Non omnis paupertas sancta est, neque omnes divitiæ sunt noxiæ, S. Ambrosius inquit. Videntur nonnunquam pauperes, qui sinunt se opprimi pondere ærumnarum suarum, atque contra divinam providentiam insurgunt ; sed videntur etiam nonnunquam divites, qui auri fulgore se perstringi non sinunt. Si divitiæ sunt gladius in manu insipientis, sapientis corona sunt : *Corona sapientium divitiæ*, Spiritus sanctus Proverb. 14. inquit. Fatendum est tamen, Fideles ; pauper viro bono propior est, quam dives ; rarum est simul esse divitem, & bonum ; difficillimum est bonum esse inter divitias, & salutem cum terræ bonis conciliare. *P. Massillon, Sermone de bono usu divitiarum*.

Quomodo fieri potest, ut homo pauper, rebusque omnibus denudatus in summa egestate sua hanc mentis pacem, atque tranquillitatem habeat, quam divites in opulentia sua invenire non possunt ? Hoc miraculo adscribe, nec falleris ; vere enim miraculum est. Sed ne putes, hoc a Deo communi, vulgarique pacto fieri ; id facit modo invisibili, & quem sensus nostri percipere nequeunt. Hominem hunc in paupertate sua contentum efficit, non illi bonorum tribuens affluentiam, sed in ipso naturam medens per gratiam, in corde illius cupiditatis ardorem extinguens, eique Jesu Christi subrogans charitatem. *Ex libro, cui titulus : Ecclesiastica eloquentia Domini de Bretteville tractatu de Affectibus*.

Felicitas eorum, qui sunt pauperes voluntarii.

Si pauperes non habent, quid pro præsenti tempore cupiant, liquet, nihil ipsos pro futuro habere, quod timeant, eo quod nihil habent, quod amittant. Solum, quod possident, bonum Deus est, & quomodo bonum hoc illis auferri non potest, ita ab omni curarum genere immunes sunt. Ita, S. Chrysostomus inquit, paupertas est certum asylum, portusque tranquillus, qui hominem ab omnibus humanæ vitæ tempestatibus protegit. Facile est propter oppositam rationem deprehendere, quam miseri vulgo sint divites, quia spem inter, ac desideria in jugi sollicitudine vitam traducunt, & quia timor amittendi, quod adepti sunt, eos prohibet, ne parto tranquille fruantur. *Idem*.

Consolationes ctis illis, qui ex necessitate sunt pauperes.

Ad vos, o pauperes, mihi verbum ; ad vos, inquam, qui sub ærumnarum vestrarum pondere gemitis, qui morientem vitam ducitis, qui rebus maxime necessariis indigetis, qui circum vos videtis aliquot ejus familiæ reliquias, quibus miseria, & fames hactenus pepercerunt, ut languentem vitam traherent ipsa morte duriorem. Invidetis fortasse his divitibus sæculi, pro quibus omnia terrestria bona creata fuisse videntur. Consolamini ; tempus aderit, quo afferti hujusmodi felices sorti vestræ invidebunt. Nunc specie quadam felicitatis decepti vos contemnunt, ejiciunt, execrantur, non sine quodam horrore intuentur, vel potius oculos suos in vos conjicere dedignantur ; sed dies Domini veniet, & universorum oculis objiciet divitias patientiæ, quas hoc in statu adepti fueritis. *Sermo Manuscriptus*.

Amor paupertatis primorum fidelium.

Primi fideles admirabili assueverant bonorum communioni utiliter adeo in commentitiis Ethnicorum Philosophorum rebuspublicis institutæ, & tanto magis admirabili in hac Philosophorum Christianorum republica, eo quod ibi non legis imperio, sed charitatis principio obversabatur. Legislator, qui bonum efficiebat commune, publicam sublevans necessitatem, particularem auferebat liberalitatem, perturbabat ordinem providentiæ, quæ inter homines inæqualitatem constituere voluis, ut variis virtutibus exercitationem præberet, pauperibus quidem patientiæ, divitibus autem charitatis. Sed veri illi sapientes bonorum auferebant inæqualitatem, quin aliquam ex his virtutibus tollerent. Lætabantur pauperes ob paupertatem suam, & sine invidia divitum conditionem videbant ; divites ultro sese opibus exuebant, & id unum quærebant, quomodo se pauperibus pares facerent : charitas, qua urgebantur, lex erat, quæ illis hanc auferebat proprietatem, quam mundus requirit, simulque gaudebant merito ejus opulentiæ, quam a Deo receperant, & paupertatis, quam ultro amplectebantur. *Ex collectione orationum Academiæ Gallicæ oblatarum anno 1667.*

Pauperum amor naturaliter ad paupertatis amorem adducit.

Pauperum amor naturaliter ad paupertatis amorem inducit, non solum, quod locupletissimus eleemosynarum fundus est sancta erga seipsum avaritia, & quod plurima donandi materia inde petitur, si tibi plurima neges ; sed præsertim quod maxime pretiosa misericordiæ in hac vita remuneratio est gratia intelligendi, quot sint in divitiis pericula, quam difficile sit, iisdem animo non adhærere, ibi vivere secundum arctos necessitatis, & modestiæ fines, neque in illis suam collocare confidentiam ejecta spe, quæ Deo viventi debetur, quam rarum sit semet præservare ab hac cordis intumescentia, quæ illius est fere inevitabilis effectus ; non contemnere statum pauperum, qui secundum evangelium tanto honore dignus est ; ad id assuescere, ne ullum discrimen constituatur pauperes inter, ac divites, quin virtutis utrocumque ratio habeatur. *Liber, qui inscribitur, Tractatus de publica oratione*.

De evangelica paupertate.

Ad hunc perfectionis apicem Sapiens cum omni sua sapientia non pervenerat, cum a Deo medium quoddam opes inter, & paupertatem poposcit. Ad evangelium tantummodo pertinebat longius procedere, ac præcipere, ut ad perfectionem assequendam nihil retineretur eorum, quæ genus, vel industria contulerant. Ex quo Deum adoramus spoliatum, ac nudum in cruce pro salute nostra, qui nudus post illum incedit, honorem acquirit. Quærant alii, S. Hieronymus inquit, quantum voluerint, rationes contemptus, quo bona sua videntur negligere ; paupertatem amplectantur alii tamquam virtutum omnium asylum, alii tamquam scientiarum amicam, alii etiam tamquam suæ quietis occasionem ; ego quidem non aliam paupertatis meæ causam volo, quam Jesu Christi paupertatem ; ipse natus est in præsepio, ipse nudus in cruce

expira-

expitavit. *Frembentiere, Panegyrico S. Francisci Assisinatis*.

Qui ad apostolicã vitam vocati sunt, esse debent pauperes spiritu.

Ad æterni regni acquisitionem vocati omnium periturorum bonorum possessionem debemus contemnere, ac meminisse verborum Apostoli, qui non vult militantem pro Christo sæculo adhærere: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Milites, S. Basilius hunc explicans locum, & Jesu Christi milites cum militibus principium comparans inquit, milites non immorantur domibus extruendis, ecquirendis agris, mercaturæ faciendæ, sed singulis diebus sua merentes stipendia in crastinum solliciti non sunt. Talis est status eorum, qui vere sunt milites Jesu Christi, eorum vero præsertim, qui vacant animarum acquisitioni, atque extensioni regni Dei, quales fuerunt Apostoli, & quales hodie etiam sunt viri apostolici, qui ad proximorum salutem incumbunt. Militia, cui nomen dedere, eos omnia relinquere cogit; nullam habere debent mansionem, nulla bona propria, sed unum considerantes Deum tamquam hæreditatem suam ab omnibus mundi impedimentis professionis suæ vi esse debent expediti. *Idem, Panegyrico Sanctorum Ordinis S. Benedicti*.

Quinam, ex judicio Dei vere sint pauperes.

Deus pauperes, divitesque non ex bonis possessionibus, sed ex desideriis distinguit. *Divites, & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & domo*, S. Augustinus ait. Quid prodest terrenis bonis esse vacuum, si habendi flagras cupiditate? *Quid tibi prodest quod eges facultate, si ardes cupiditate*? Essais de morale, *tomo primo*.

De religiosa paupertate.

Religiosus, qui sese Deo mancipat non sine restrictionibus, atque reservationibus, esse quidem potest in hominum oculis pauper, non autem in judicio Dei; ille neque divitis habet voluptates, neque pauperis Jesu Christi consolationes. Se ipsum privat solatiis, ac falsis voluptatibus, quæ in opibus inveniuntur, ac vera sibi reservat tædia, quæ subsequuntur illas. Affectus illum inter claustra agitant, perinde ac in sæculo esset, ac justo Dei judicio id, quod retinuerat sibi solatio futurum, fit suæ persecutionis, & martyrii instrumentum. Si ad perfectionem pervenire cupimus, postquam reliquimus omnia, divitiasque contempsimus, debemus etiam ea corde visibiles res omnes deserere, quin animus noster redeat umquam ad ea, quæ reliquimus. Opus non est Judæos imitari, quos de Ægypto Moyses eduxit; inde egressi sunt corpore, sed illuc animo regressi sunt: reliquerunt verum Deum, qui tot prodigiis illos eruit de captivitate, & hæc eadem Ægypti idola venerati, sunt, quæ antea contempserant, *Abbas Trappensis de Monastica Sanctitate*.

Cum fidelis, qui in mundo vivit, atque secundum evangelii regulas intrinsece pauper esse debet, paupertatem non servat in supellectili, in servorum comitatu, in communi vivendi genere, suam prætexit conditionem, decorum, & necessitatem, in qua est, non omnino recedendi ab illis, cum quibus vivere tenetur, & aliquando hoc jure dicit. Sed Religiosus nil tale afferre potest; ejus quippe conditio non aliud est, quam professio, & praxis vitæ pauperis, & humiliatæ. *Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est*. Urbanitatem prætexere; hoc fieri nequit, quia quod belle quadrat homini, qui per statum, officiumque suum pauper est, & cujus paupertas illius est felicitas, & gloria, est hanc ipsam paupertatem in actionibus, & circumstantiis omnibus præseferre. *Idem*.

Necessitas prætextus numquam prohibere debet, ne paupertas ametur.

Neque necessitatem prætexas in iis, quæ ad temporalia pertinent, ut plura concupiscas bona, atque tot curas suscipias paupertatem eviturus. Necessitas hæc male ordinatum affectum excusare non potest: cura moderata cum magna providentiæ sobmissione sufficit; ad hæc curæ, & sollicitudines vestræ ad nihilum prosunt, immo Patris cœlestis bonitatem, ne vobis prospiciat, avertunt. Satis tibi sit posse, illum ignorare non posse, quod necessarium tibi est; eique non minus bonitatis esse, quam luminis, ut tuis necessitatibus consulat. Si curarum tuarum prima erit, efficere, ut in te regnet per sanctitatem, curæ erit ipsi cæteris rebus providere. *P. Dozenne in Morali Jesu Christi*.

O Deus, si Paradisum pro calice frigidæ tribuis, ac pro frusto panis, quid illis conferes, qui, quidquid habent, & habere possunt, tibi devovent? Quomodo cœli bona non conferes illis, qui voluntate perfecta omnia terræ bona tibi largiuntur? Vides nos paratos esse, ut omnia tibi sacrificemus imperia, si eadem obtineremus, & satis tibi sunt sincera desideria, bonorum quippe nostrorum non indiges. Nonne jure sperare possum, te, ut Deum decet, nobiscum acturum, ac pro me toto cœlo plura, majoraque facturum illis, quæ pro te facere possum? *Idem*.

Tota in cœlum via est paupertas spiritus.

Altera semita justitiæ, quam dux noster ostendit, illa est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum*. *Matth.* 5. Quo loco non imperatur nobis, ut arcam, vel marsupium omnino pecuniis inane reddamus, sed ut cor nostrum affectu, & cupiditate rerum externarum penitus evacuemus. Offert nobis Dominus opes immensas, sed non dabit, nisi cordis sinum apertum, & vacuum penitus offeramus. *Radix omnium malorum est cupiditas*. 1. Timoth. 6. quæ Græce dicitur, φιλαργυρία, id est, amor argenti; radix omnium bonorum est charitas, quæ duo simul manere non possunt. Ideo nisi quis vere, & omnino pauper spiritu efficiatur, ita ut sive magnas, sive exiguas opes habeat, illis non afficiatur, & facile distribuat indigentibus, neque in usum suum convertat, nisi quantum necessitas exigit, non poterit implere justitiam regni cœlorum, ac per hoc nec ipsum cœlorum regnum adipisci poterit. Hæc vera semita est ad vitam æternam: hanc ipse primus ingressus est Christus, qui propter nos egenus factus est, ut nos inopia sua locupletaret: & quamvis loculos haberet, tamen Judæ illos credidit, quem furem esse non ignorabat, ut intelligeremus, quam animus ejus liber esset ab amore pecuniæ. Hanc semitam ingressi sunt Apostoli, quibus non difficile fuisset augeri divitiis, & in immensum locupletari, quando signis, & prodigiis coruscabant, & linguis omnium gentium loquebantur, & sapientia toti mundo admirabiles erant: sed qui semel dixerant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: Matth. 19., & gustaverant dulcedinem libertatis a visco, & amore divitiarum, victu, & vestitu contenti, magnum quæstum existimabant pietatem, & justitiam regni Dei. *Ex Opusculo Bellarmini de æterna felicitate Sanctorum lib.* 2. *cap.* 8.

Divitiarum amor magis metuendus est, quam ipsæ divitiæ.

Affirmare non dubito, terrenorum bonorum amorem multo magis obesse, quam plurimarum divitiarum possessionem; divitiis enim nihil damnabile inest, quam malus usus earum. Jesus Christus non venit in terras, nisi ut doceret; in statu paupertatis inæstimabiles esse prærogativas, quas homo non noverat; cumque in cœlo nihil nisi rerum copiam, immensasque divitias inveniret, venit quæsitum beatam hanc paupertatem in terra, venit, ut doceret homines opibus abrenunciare; cumque earum contemptum illis inspiravit, præcipit, ut illi semetipsos abnegarent, majori cum fidelitate ipsum secuturi. *P. Masson in Adventu Panegyrico S. Andreæ*.

Pauperes spiritu tranquille, & sine dolore moriuntur.

Scriptura miram nobis exprimit vim, quam patitur homo terrenis bonis inhærens, ubi illi moriendum est dicens animam de corpore ejus avelli: *Animam tuam repetunt a te*. E contra verus pauper, prorsus a terrenis bonis divisus in morte admirabilem pacem nanciscitur; hic nihil timet, nulli inhæret rei contra mortis rigores seipsum tutatus est eosdem prævertens. Mors illum invenit vel spoliatum, vel a rebus omnibus sejunctum, ideoque nihil habet, quod eidem eripiat. Haud ægre relinquit ille fluxa hæc bona, quibus jampridem renunciavit perfecta separatione, ut in æternorum

bono-

bonorum possessionem ingrederetur, ad quæ tamdiu suspirat. *P. Neyven in libro, cui titulus: Spiritus Christianismi*.

Religiosæ paupertatis felicitas posse uni Deo, suæque saluti vacare.

Paupertas spiritus, & voluntaria hominem ab inutilium, fragiliumque rerum curis liberat; etenim cum Deus nobis immortalem contulerit animam hac mente, ut immortalitatem consequeremur eo brevi temporis spatio, quo in mundo vivendum est; manifesta insania est, spiritum adeo nobilem, tempusque adeo pretiosum rerum periturarum, caducarumque, & ex manibus nostris effluentium perquisitioni impendere. Paupertas autem, illa vero præsertim, quam per votum in religione nuncupatum amplexi sumus, tota virtutis studio, æternorumque bonorum amori addita est, ita ut qui illam diligunt, neque mentem habeant, neque cor terrenarum rerum curis impeditum, quales sunt, agros colere, reditus exigere, hæreditates acquirere, vel causas sollicitare. Quod si prisci sapientes quietem adeo necessariam esse censuerunt exercitationi prorsus humanæ philosophiæ, qualis ipsorum erat, quanto magis illa necessaria erit nostræ, quæ prorsus divina est, atque cœlestis? *Platus de felicitate status religiosi, parte prima, cap. 9.*

Errores, & extrema vitanda circa præceptum, atque consilium paupertatis spiritus.

Pelagiani gratiæ Jesu Christi inimici asserebant, de necessitate salutis divitibus esse omnia bona sua vendere, eaque pauperibus distribuere, fierique non posse, ut aditum in regnum cœlorum haberent, si in divitiarum suarum possessione persisterent. Hic error est ab ecclesia damnatus, qui innitebatur verbis Jesu Christi perperam intellectis. Hodierna die labuntur homines in errorem alium prorsus oppositum; non enim solum credunt, quod verum est, cœlum lucrari non posse, quin bona relinquantur; sed eo evasit corruptio, ut noxa carere putent ardenti, immoderataque cupiditate opes conquirere: ita ut quilibet fortunam suam promovere, & locupletari contendat, quin se ideo cœlum amissurum esse formidet. Hæc duo sunt periculosissima extrema, quæ inde procedunt, quod male explicata fuere duo Jesu Christi verba in Evangelio Matth. 10. Quorum alterum hoc est: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*; alterum vero: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Luc. 14. In primo enim præceptum existimatur, quod simplex consilium est: in altero vero simplex consilium ducitur, quod verum mandatum est. *Ex morali Christiana lib. sexto sectione prima, artic. 3.*

Perspicua explicatio consilii, & præcepti.

Quam maxime hoc interest in argumento prudenter distinguere id quod ad evangelicam tendit perfectionem ab eo, quod est de necessitate salutis; id quod Dei filius suadet ad cœli viam breviorem efficiendam ab eo, quod proposita æterni supplicii pœna interdicit. Omnia abjicere, vendere agros, domos, prædia, bonaque omnia, conflatamque inde pecuniam pauperibus erogare, & sequi Jesum Christum in statu suæ paupertatis: hæc vita perfecta est, quæ consilii tantum est; sed iis omnibus, quæ possidentur abrenunciare, cor ab opibus, ac terræ bonis divellere, hoc quicumque Christianus necessario evangelica lege præstare tenetur; atque ut clarius loquar, paupertas spiritus ad salutem consequendam omnino est necessaria; sed realis paupertas spiritui paupertatis accedens vitæ evangelicæ est perfectio. Qui non habet in corde divitiarum amorem, seu pauper, seu dives sit, verus est Christianus; sed qui bonis diffluit, eaque repente abjicit possessionem illam pauperibus distribuens, ut Jesum Christum sequatur, hic perfectus est Christianus, videlicet hic est in via perfectionis. *Idem*.

Ut in salutis statu simus, oportet esse pauperem spiritu, videlicet habere cor a mundi amore, terrenisque rebus expeditum, ac Deo penitus additum; non quod bona vendere debeamus, quamquam hæc tutissima, & perfectissima via est, sed illa retinentes in illis cor nostrum collocare non debemus juxta illud Scripturæ Ps. 61. effatum: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Hinc sequitur, quod si bona, quæ acquiruntur, negotia, quæ suscipiuntur, artes, quæ exercentur, si hæc omnia citra noxam fieri nequeunt, illa tenemur relinquere, quantumvis in mundo sine opibus, & sine honore versari deberemus: quia honor, & bona mundi salutem animæ æquare, & gratiæ jacturam reparare non possunt. *Idem*.

Discrimen inter evangelicam paupertatem, & eã, quam ex genere, vel fortuna sortiti sumus.

Evangelica religiosorum paupertas ideo molesta videtur, quia confunditur cum paupertate eorum, qui hanc præter voluntatem patiuntur, cui illa adeo parum similis est. Contemptus mundanæ inhæret paupertati, sed Jesu Christi pauperes gloria quocumque subsequitur. Voluntaria paupertas pacem, & tranquillitatem animæ parit, altera vero secum fert turbam, & sollicitudinem; illa innocentiam tuetur, hæc sæpe criminum causa est. Etenim concupiscentia radix est omnium iniquitatum; sed cum ista concupiscentia gravibus urgetur necessitatibus, quas non gignit injustitias, quæ scelera parit? Jesu Christi pauper in sua paupertate propugnaculum invenit, quod ipsum a salutis nostræ inimicorum insultibus, a violentarum affectionum impetu protegit: hoc est virtutis ejus asylum. *P. Croiset tomo 1. Spiritualium Considerationum*.

Abusus, & illusio eorum, qui in religione nullum pati possunt incommodum.

Quænam paupertatis species est, S. Bernardus ait, nolle sibi quidquam deesse cum profitentis statum, qui rebus omnibus carere debet? Rebus in omnibus quærere commoda sua in vita humili, & mortificata; invenire semper, qui nostris occurrat necessitatibus, cum illud abnegamus jus, quo nobismet consulere poteramus: & postquam bonis omnibus exuti sumus propter amorem Jesu Christi, sacrificii, quod fecimus, jacturam quadam rapinæ specie reparare, ut in rerum affluentia, deliciisque vivamus; bona fide, nonne hoc est in ludibrium vertere religionem, sibimet per libidinem imponere, ac dum salvi fieri volumus, in interitum ruere? Et sane quis nollet hac conditione pauper esse, ut nihil sibi desit usquam, ut ea omnia, quæ sibi placuerint, habeat, quin subire teneatur onus omnibus vitæ suæ necessitatibus providendi? Qui in sæculo magis commodam vitam ducunt, nonnumquam minus delicati sunt, quam asserti hi pauperes Jesu Christi, quorum mollities ad excessum usque procedit. Satis esse dices, S. Bernardus inquit, vovisse paupertatem, ut jus obtineres conquerendi de iis omnibus, quæ minime arrident, atque impensius superfluum quæreres, quam, qui in mundo versantur, necessarium conquirant. Ita augustum pauperum Jesu Christi præferentes titulum divites fieri volunt. Supellex, commeatus, humana prævidentia, consilia, hi sunt existimationis, & industriæ fructus. Plures etiam magis delicate in religione vivunt, quam vixissent in sæculo, idem Sanctus addit. Sed qui in mollitie, & affluentia vivit, inveniet ne in altera vita fructus eorum, qui vera sunt pauperes Jesu Christi? Numquid ad hoc redigitur hæc adeo perfecta spoliatio, & evangelica paupertas, cui Salvator in hac vita centuplum, æternamque promisit felicitatem? Voluntarii pauperis titulus eritne honor illi, qui nihil sibi deesse vult? Et audacter dicere poterit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; Quid ergo nobis erit? Matth. 19. *Idem*.

Pauperum religiosi eximit cura tuendi bona sua, & victum sibi comparandi.

Quibusnam periculis eos, qui in mundo vivunt, objicit necessitas victum sibi comparandi, suaque bona sibi, filiisque suis conservandi? Plerique mortales ita huic vacant curæ, ut id cogitent unum, & pauci sunt, quos hæc sollicitudo ad injustitias, vel potius ad periculosa negotia non adigat: quamobrem Apostolus 1. Timoth. 6. dixit: *Radix omnium malorum est cupiditas*. Hæc autem malorum omnium origo in anima veri religiosi exhausta est. Alii terrenarum rerum curis implicantur; his ille non appellit animum; frustra enim appelleret, & curæ, cogitationesque suæ ipsi prodesse non possent. Veritas dicenda est: votum paupertatis, quod nuncupant religiosi, nullum reale bonum illis

aufert,

aufert, & nihil aliud ipsis est, quam curarum, inutilium, periculosorumque laborum imminutas. *Essais de Morale tom.* 10.

Paupertas plurimis est occasio peccati.

Si rerum copia sua habet pericula, paupertas in sæcularibus habet sua: *propter inopiam*, Ecclesiasticus cap. 27. inquit, *multi deliquerunt*. Hoc in sensu Salomon a Deo petebat mediocritatem, quæ illi necessarium suppeditaret, sciens, quanta in egestate, quanta in affluentia pericula inveniantur: *mendicitatem, & divitias ne dederis mihi &c.* Prov. 30. Nisi nobilibus, & supernaturalibus causis fulciatur paupertas, animam dejicit, rationem, & religionem infirmare videtur. Adeo repit, ut vix cogitet in cœlum oculos attollere; a terra subsidia omnia expectari videntur. Diceres sensus, pietatemque ipsam sequi qualitatem conditionis, in qua sumus. Vestis squalida, vacua domus, obscuritas, in qua vivitur, contemptus, in quo sumus, quin virtutem foveant, depurentque, illam infirmant. Egestas obtundit mentem, si christiana desit pietas. Status hic non spectetur nisi ea ea parte, quæ melius illius prodit humilitatem, quin animus attollatur unquam ad consilia divinæ providentiæ, quæ nostram semper spectat salutem. In periculosis indigenus dispositionibus nutat fides, deficit confidentia; abjecti ac terreni tantum sensus, cogitationesque foventur. Deficiente confidentia pusillanimitas, pusillanimitati vero animi dejectio succedit, & inde fit, quod pauperes, quorum conditio tanto honore digna est apud fideles, quotidie sese præbeant minus dignos gratiis, quas illis conferre vellet Deus, atque periculum subeunt intereundi eo in statu, qui ad salutem obtinendam adeo utilis est. *P. Croiset tom. 2. Considerationum.*

Quam rara inter fideles paupertas spiritus.

Ubi sunt fideles, qui in paupertate divitias non appetant, vel qui in divitiis paupertatem spiritus servent? Quid mihi hoc in argumento dicendum non esset, si narrare possem, quousque hac in re mundi spiritus spiritui evangelii opponatur? Videtur mihi, Christiani, in ipso ecclesiæ sinu reflorescere sacrilega illa Israelitici populi idololatria, cum ad pedes terribilis montis, ubi fulgura inter, atque tonitrua Deus illis legem suam irrogabat, Moysem non videntes, & visibilem quærentes Deum, cui thura adolerent, genua flectere visi sunt aureo vitulo dicentes: Hi sunt dii, qui servarunt Israel. In Christianismo ad pedes montis Sion, ubi imago Dei nati in præsepio, & in cruce mortui, addita est vi magni hujus exempli, & maledictis, quibus divites in evangelio percutiuntur; Israel universum coram aureo vitulo prostratum videmus. Christiani omnes idolo divitiarum sacrificant sibi ulno citroque dicentes: hic Deus noster est; hoc aurum, hoc argentum contra omnia vitæ mala nos proteget. *Abbas du Jarry sermone pro die Nativitatis Domini.*

Dei filius pauperes divitibus præfert.

Quantumvis inane sit coram Deo conditionum discrimen, & quamvis Deus in Scripturis glorietur se omnibus æqualem esse, non generis, non honoris, non personarum acceptatorem. *Non est personarum acceptator Deus:* Verum nihilominus est, in ordine gratiæ prædilectionem Dei, si hoc verbo licet uti, erga pauperes, & humiles potius, quam magnos, & divites enituisse. Causam hujus rei non inquiramus, nobisque sufficiat adorare consilia Dei, qui secundum Apostoli verba miseretur ejus, cujus vult, & justitiam, cum quo vult, exercet: Prædilectionem Dei, quam omne nobis prædicat evangelium, sed quæ palam, atque authentice nobis indigitatur per ea verba, quæ ille Joanni Præcursori suo nunciari voluit: *Pauperes evangelizantur.* Matth. 11. *Pater Bourdaloue Sermone secundo pro die Nativitatis.*

Paupertas spiritus in sæcularibus rara.

Dei filius terribile ejaculatus est maledictum in divites, cum palam edixit, vix, & ne via quidem fieri posse, ut regnum suum ingrediatur; quod eo spectare videtur, ut illi, qui salvi fieri volunt, teneantur paupertatem amplecti, & renuntiare bonis, quæ legitime etiam possident; perinde ac ista possessio simul cum evangelio posset conciliari. Ecclesia tamen nacta est temperamentum, quod in speciem lenit hujus abnegationis duritiem, sed quod reipsa nequaquam facilius est, quemadmodum probat experientia. Quodnam autem hoc est temperamentum? Est animum habere a divitiis avulsum, inter opes esse pauperem spiritu, beatos censere illos, qui voluntarii pauperes sunt, & qui rebus omnibus renunciarunt; beatitudinem suam non in temporali prosperitate constituere; non invidere mundanorum fato in luxu, copiaque viventium; non contemnere miseros, qui bonis seculi vacui sunt; non se tradere cupiditati possidendi bona hæc fluxa, & fragilia, neque curæ eadem tuendi; non intumescere præ superbia, cum possidentur: non turbari, cum periculum est illa amittendi; neque dolere, & omne prohibere solatium, cum fuerint amissa. Hoc est esse pauperem spiritu; sed quotusquisque hujus characteris in mundo invenitur? *Pater Cheminais Sermone de Jesu Christi Nativitate.*

Paupertas in seipsa non est virtus, sed talis fit, propter rationem, propter quam illa amplectenda.

Paupertas per se meritoria non est, sed talis efficitur causa. Non desunt divites qui in rerum copia sunt pauperes spiritu, & cor habent ab opibus alienum: non desunt pauperes, qui in ipsa egestate flagrant amore divitiarum, & divites sunt affectu: sed nihil infrequentius est, quam invenire divites, & pauperes, qui paupertatem ament, qui amplectantur illam, cum ab eadem immunes sunt, vel qui in eadem sibi complaceant, cum in illa inveniuntur. Nihil infrequentius est, quam fideles invenire a terrenis opibus ita alienos, ut nihil expectent, nisi ab eo, qui volucres alit, & flores, atque arbores vestit. Hoc vidit, & admirata est ecclesia in tot Sanctis, qui omnia deseruere, ut Jesum Christum sequerentur. Sapientes quidam Ethnici ultro suas abdicarunt opes, & gloriati sunt, se omnia bona sua secum ferre; sed superbæ singularitatis affectatio causa erat hujusmodi abdicationis, & eo magis superbi fiebant, quo pauperiores. *Abbas du Jarry in Panegyrico S. Francisci Assisinatis.*

Immerito mundus contemnit pauperes.

Sanctus Paulus 1. ad Corinth. ait, Dei servos, inter quos pauperes voluntarii principem obtinere locum debent, existimari *tamquam purgamenta hujus mundi.* Deus ita permittit, ut in hac ipsa vita incipiat lolium a tritico, & fruges a paleis secerni. Filii lucis cum filiis tenebrarum vivere nequeunt: quamvis in speciem confusi, reipsa morum oppositione separati sunt. Eos rejicit mundus, quia illos se minime dignos existimat, sed potius mundus illis dignum non est, idem inquit Apostolus ad Hebr. 11. *Quibus dignus non erat mundus. Idem.*

Paupertas nos humilians attollit.

Paupertas nos humiliat, cum nos ad nihilum redigit, cum facit objecta opprobrio digna, cum nos famem, frigus, & persecutiones pati jubet; sed hæc simul paupertas nos attollit efficiens nos similes filio Dei, qui in omni statu fuit, qui rebus in omnibus passus est, & qui ne habebat quidem, ubi caput reclinaret. Hinc Clemens Alexandrinus verum pauperem, qui perfectum facit suæ paupertatis usum, *Nudam Dei imaginem* vocat, imaginem, quæ ad vivum exprimit Jesum Christum, quæ ad unguem repræsentat omnium vitæ hujus bonorum privationem. Verbo, per fidem credentes, quidquid sensibus nostris, intellectui, ac rationi oppositum est, nosmet humiliamus; sed simul nosmet æque ac Angelos attollimus, quia idem principium, eamdem veritatem, eumdemque cognoscimus Deum. Ita paupertas, quæ nos in terræ bonis humiliat, nos super cætera attollit, Deo propiores, eique perfecte similes faciens. *Pater Masson Sermone 3. Adventus.*

Quem fructum religiosus perciperet, si postquam omnia fortunæ bona abdicavit, alios servaret affectus? In hac abdicatione non aliam habere

causam

causam debet; qua semet tradendi Deo sine ulla divisione, eique inserviendi in profunda pace, & applicatione, quæ turbari nequeat curis, ac sollicitudinibus, quæ in terrenarum rerum perfruitione semper inveniuntur. Attamen cum nostrum cor, ut Scriptura loquitur, ibi sit, ubi noster est thesaurus, cumque iis vinciamur objectis, quæ diligimus, & quæ nobis placent, ille Deo partem suipsius dumtaxat tribueret, & quin illum absolutum constitueret dominum, regnum illius, quod nullos patitur terminos, circumscriberet, & quadam sacrilegii specie id illi auferret, quod sibi vellet reservare; ac in se illius iram, indignationemque converteret, imperfectam eidem offerreos victimam, cui holocaustum sacrificare deberet. *Abbas Trappensis tomo 1. de officiis, & sanctitate vitæ monasticæ capite quinto.*

Fructus religiosæ paupertatis.

Religiosa paupertas, ac integra omnium terræ bonorum abrenunciatio est fractura vinculorum vitæ hujus terrestris, atque transeuntis, vacatio ab omni humanorum negotiorum genere, quæ nos alacriores, atque promptiores facit, ut in Dei viam ingrediamur, favorabilis occasio gaudendi, & possidendi sine ullo obice, quidquid magis pretiosum est, & quod auri, lapillorumque pretium exsuperat. Denique, ut totum illius meritum intelligamus, impetus est admirabilis, qui cor humanum ad conversationem prorsus cœlestem traducit, utque fructuum omnium maximum exprimam, initium est nostræ similitudinis cum Jesu Christo, qui cum dives esset, propter amorem nostrum factus est pauper: & hæc dispositio nobis est adeo necessaria, ut nisi illam amplectamur, numquam valeamus ducere vitam religiosorum statui conformem, neque esse Dei, quemadmodum eidem recepimus. *Idem.*

Deus unus esse poterat Auctor Evangelicæ paupertatis.

Dei unius erat mundo Evangelicam annunciare paupertatem, eamque beatam vocare. Quod philosophi quidam opes suas in mare projecerint; quod sexcenta sibi exigua commoda interdixerint, quæ innocenter sibi procurare poterant; quod pannosis vestibus uti adfectaverint: difficile non fuit superbæ hujus indigentiæ repetere originem, inanem videlicet gloriam, ac inter cæteros nitendi cupiditatem. Vera paupertas nonnisi Deum habere poterat legislatorem, & exemplar: uni illi reservatum erat jus discipulos congregandi, hominesque eligendi, qui fideles non præceptorum tantum, sed etiam consiliorum observatores præsentibus bonis, futuræ etiam spei renunciarent, nihil tamquam proprium possidere volentes, ut facilius in via perfectionis incederent, ac propius divinum magistrum suum sequerentur. *Ex Dictionario morali, sermone secundo de divitiis.*



P A X.

Pax cordis, fallax pax peccatorum, pax ex bona conscientia perfecta.

MONITUM.



OC in loco verba facimus de interiori animæ pace, cum de vera pace, quæ bonorum est propria, tum de fallaci propria peccatorum, qui conscientiæ suæ stimulos obtundere admittuntur. Etenim quamvis triplex distinguatur pacis genus, ejus videlicet, quam cum Deo, cum proximo, & cum nobismetipsis habemus, de postrema hac tamen loquemur solum; quandoquidem de pace cum Deo locuti sumus in titulo de peccatoris conversione, quæ complectitur pacem, & reconciliationem cum hoc Deo misericordiarum; & de pace cum proximo egimus, ubi de charitate, alibique, cum de discordia, ac divisione fuit sermo. Fatendum nihilominus est, pacem cordis, quam pacem cum nobismetipsis vocamus, cum separari nequeat a pace cum Deo, hanc a nobis semper suppositum iri, vel sicubi accidet sermo, hoc indirecte tantummodo eventurum.

Animadvertendum quoque est, nos alibi jam locutos fuisse de conscientia bona, mala, & erronea titulo peculiari, quæ quidem res eadem esse videtur, ac pax animæ profecta ex ea conscientia, quæ nihil exprobrat sibi, nullius criminis conscia. Verum cum duo hæc argumenta a concionatoribus seorsim pertractentur, nos quoque de iisdem similiter agemus, quin ea, quæ dicta fuerunt, rursus iterare teneamur; satis enim superque suppetit copia utrique argumento.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variа Concionum hujus Argumenti Systemata.

1. UM istic de animæ tantum pace loquamur, pax hæc communis esse potest & justis, & peccatoribus, atque Scriptura ipsa meminit utriusque. Verum cum ex diversis proficiscantur initiis; pax videlicet justorum ex consummata virtute, atctaque unione cum Deo, peccatorum vero ex conscientia sceleribus assueta, quæ omnem criminis sensum abjecit, in duplici concionis parte ostendemus, primum nihil justorum pace pretiosius esse, optabilius, atque utilius: secundo nihil esse funestius pace impiorum, quippe quæ manifestus est reprobationis eorum character, & fere inevitabile æternæ damnationis eorum periculum.

Pars prior. Postquam ostensum fuerit, veram cordis pacem fructum esse mortis, & passionum hominis Dei, ostendendum est, 1. nihil hac esse pretiosius, atque præstantius, quippe nota est, ac signum perfectæ reconciliationis cum Deo, amicitiæ ejusdem pignus, & bonum, verbo, omnibus terrarum bonis præferendum: voluptas, quæ omnia exsuperat gaudia, quæ in vita hac gustari possunt, quam Sapiens juge convivium appellat. Neque melius intelligi potest pretium ejus, quam ex cruciatibus, quos peccatum ejusdem contrarium malæ adfert conscientiæ. 2. Hoc bonum esse optabilius, quoniam, uti S. Augustinus ait, finis est omnium votorum nostrorum, perquisitionum, atque laborum, cum ob id unum bellum sustineatur, ut pace, & requie perfrui valeamus. Cum autem hæc pax, & humani cordis requies inveniri nequeat in omnium mundi hujus bonorum perquisitione, quæcunque illa

illa fiet; in uno Deo, qui bonorum omnium est fons, & qui unus vasta cordis nostris replere potest desideria, inaestimabile hoc bonum invenitur, cum per gratiam possidetur hic Deus, qui quocumque fert pacem, & ubicumque illam constituit; quamobrem vocatur Deus pacis, & totius consolationis; ita ut justus nihil majus, nihilque pretiosius valeat optare. 3. His addendum est justos nihil petere, neque Deum illis concedere posse utilius; hoc enim nostram in hac vita felicitatem constituit, & quamdam velut praegustationem coelestium voluptatum, solidumque bonum, quod nolentibus auferri non potest; & si in hac pace solidati fuerimus, adversa omnia, omnia infortunia, & illi ipsi, qui nobis infensissimi sunt inimici, eam perturbare non poterunt. Verum enim vero illud meminisse opus est, ad hanc felicitatem, requiem, optabilemque pacem perveniri non posse nisi per victoriam, quam de affectibus nostris, vitiisque reportamus, & per diuturnam virtutis exercitationem, ac tandem longum nostrae in Dei servitute fidelitatis experimentum.

Pars altera; nihil magis funestum est, quam pax illa, qua in sceleribus suis peccatores fruuntur. 1. Quia pax ista, & requies oriri non potest, nisi ex pertinacia animae, quae omnes conscientiae stimulos, omnesque religionis sensus amisit; ita ut peccatum illi non amplius facessat negotium, nullamque illi molestiam afferat, ut olim cum timor judiciorum Dei, infelix aeternitas, & quidquid alios peccatores perterret, nullam vim habent in eo, qui lethargico somno obrutus est: ita ut quin ullum exerat conatum ex eo statu evasurus, in eo sibi placeat, ibique suam pacem, & oblectationem inveniat; pacem, inquam, saevissimo quocumque bello funestiorem &c. 2. Quia pax haec inde oritur, quod impium penitus dereliquit Deus, qui non turbat amplius requiem illius, ut olim, nec uti aliorum peccatorum pacem perturbat, qui ad vivum conscientiae suae vulnera sentiunt. Deus illorum gaudiis, & voluptatibus sexcentas immiscet amaritudines, quemadmodum testatur S. Augustinus de seipso loquens: *Miscebas mille amaritudines*: utque cum Scriptura loquar, spinis serit viam iniquitatis, ut peccatores ad ipsum redire cogantur. Sed ubi illos sinit pacate frui ea requie, quam in scelere inquirunt, argumento est, hos ab illo deseri, & pacis, atque laetitiae beatorum participes nequaquam futuros. 3. Quia pax haec funesta, qua peccator fruitur, manifestum est argumentum illum penitus victum esse, omnibus affectibus devinctum, mundo mancipatum, ac daemonis servituti subjectum. Vivit in pace, quia non audet resistere alicui ex inimicis salutis suae, ac desperans se regnum pacis, quod fidelibus famulis pollicetur, ingressurum ea contentus est, quam mundus suis concedit mancipiis.

II. Ut nobiscum pacem habeamus, quae illa proprie pax est, quam pollicitus est Deus, & quam discipulis post resurrectionem suam tradidit; 1. habenda pax est cum Deo per reconciliationem perfectam; qui enim Deum habet inimicum, & qui ejusdem imperiis, & voluntati resistit, hic pace numquam frui potest: *Quis restitit ei, & pacem habuit?* ut ait S. Job cap. 9. 2. Pax cum proximo habenda est, nam donec cum illo dissidemus, invidia, odium, ultio, ira pacem nostram perturbant; semper ab illo nobis cavemus, atque diffidimus; ac ipsi majorem experimur dolorem, & molestiam ea, quam illi inferre valeamus. Hoc argumentum complectitur pacem omnem, quam allaturus Salvator venit in mundum, pacem videlicet cum Deo, cum proximo, & cum nobismetipsis.

III. Ut animae pace perfruamur 1. juge bellum indicendum est corpori nostro, hoc est mollitiei, concupiscentiae, omnibusque illicitis voluptatibus: quia haec omnia cum gignunt tumultum, quem in nobismet experimur, & quem ibi affectus excitant nostri, ubi domiti minime fuerint. 2. Divortium cum mundo faciendum est, hoc est abrenunciandum omnibus institutis, pompis, & gaudiis ejus fidem praestando eorum, quae Deo in baptismo fuimus polliciti: neque enim simul gaudere possumus pace & ea, quam Dei filius fidelibus famulis pollicetur, & ea, quam mundus mancipiis suis elargitur.

De cordis pace tria possunt ostendi. 1. In quo haec pax, & requies cordis consistat, quam mortales omnes cupiunt, & inquirunt, & quae omnium desideriorum, votorumque nostrorum summa est. 2. Quinam obices paci adeo optabili opponantur, qui, ut eadem perfruamur, infringendi sunt; nostri videlicet affectus, inordinata desideria, sensuum voluptates, haec enim omnia prohibent, ne pace perfruamur. 3. Quaenam sint artes illius tuendae; magna videlicet in Dei protectione confidentia, perfecta voluntatibus ejus submissio, inviolabilis in illius servitute fidelitas. IV.

Cum pax ex D. Augustino sit tranquillitas ordinis, ut pace fruamur, in nobismetipsis constituendus est ordo ad id necessarius, quem Deus, natura, & ratio postulant. 1. Hic ordo est, quod voluntas Deo subdita sit, & affectus, atque appetitus pareant rationi. Ordinem hunc in homine constituit Deus in statu innocentiae; & malorum omnium origo inde effluxit, quod peccatum hunc ordinem sustulit. Hinc profecta est carnis contra spiritum rebellio, pugna, & oppositio humorum in corpore, ac tandem omnium creatarum rerum ab homine defectio. Ita ut ad animae pacem obtinendam restituendus hic ordo sit voluntatem nostram Deo perfecte subjiciendo. 2. Ut autem hic ordo sit tranquillus, quae necessaria conditio est, ut pacis felicitate perfruamur, affectus nostri rationi subjiciendi sunt, eorum impetus cohibendi, defectiones compescendae, atque ita constringendi, ut nequeant perturbare tranquillitatem, quam Dei gratia opitulante servare, ac tueri possumus, quamvis non sine gravissimis certaminibus sustinendis. V.

De bonis, quae Jesu Christi pax nobis confert prae illa, quam mundus pollicetur, & quam peccatores ibi inveniunt. 1. Mundi pax inanem tantummodo speciem habet; fallax est, ac plerumque non aliud est, quam velum saevissimarum agitationum, quas tegit, ac tandem externa duntaxat est, & ad cor ipsum nequaquam pervadit. Hinc fit, quod gaudium, quod ipsa parit, mere superficiale est; sed pax, quam nobis tribuit Salvator, solida est, atque ipsos usque animae recessus pertingit, & tranquillitatem in omnibus illius facultatibus statuit. 2. Pax, quam mundus largitur, fluxa est, & brevi duratura; quilibet casus, quaecumque res praeter spem accidat, quodlibet infortunium illam perturbat; cum e contra pax, quam nobis confert Jesus Christus nolentibus nequit auferri, neque casu aliquo, aerumna, aut malo, quod ab hominibus ingruat, perturbari, quia a mundo minime pendet, &c. 3. Cum pax, quam Dei filius largitur, sit effectus gratiae, fructus virtutis, & innocentiae, est imago, specimen, & praegustatio quaedam pacis alterius vitae; cum e contra pax, quam mundus tribuit, cum principium ejus sit crimen, & cordis depravatio, non alium habere finem potest, quam aeternum supplicium. VI.

Pax cordis, qua boni gaudent, comparari potest cum externa pace, quae inter duos populos sancitur, qui diutino exerciti fuere bello, & quorum uterque duo praecipua inde commoda refert. VII.

Primum est, quod utrinque cessant actus hostilitatis, ac desinit metus, quem incutit praepotens hostis nihil aliud inquirens, quam occasiones nocendi illi, cui bellum intulit. Hoc accidit in pace cordis, qua justi fruuntur; tuti sunt ab ictibus divinae justitiae, quam irritaverant; & foedere icto cum Deo ibi patronum inveniunt, ubi hostem habebant, quamobrem inexplicabili tranquillitate fruuntur.

Alterum est; cum pax inter utrumque populum facta, promulgataque est, commercium, quod bella

saevien-

fæviente interruptum fuerat, restituitur; unde ubique oritur rerum affluentia, ea, quæ ultro citroque rapta fuerunt, repetuntur, atque redduntur; ac tuta vita dicitur, quapropter pax existimatur tamquam unum ex maximis bonis, quæ in urbana vita esse possint. Hoc ipsum de cordis pace dici potest; desiit bellum, quod gerebamus cum Deo qui nobis pacem largitur: nobis reddit meritum bonorum operum nostrorum, quod amiseramus, & virtutes nostræ, quæ vera bona sunt, in tuto sunt; preces nostras recipit, & audit, nos suis cumulat gratiis, atque sexcentos concedit favores, quos antea negabat. En commercium restitutum, & hujus pacis bona.

VIII. Ostendi potest: 1. in omnibus vitæ statibus solidam pacem inveniri posse; quia pax consistit in ordine, & sicuti peccatum tumultum injicit in animas pervertens ordinem, qui ibi esse debet, ita e contra virtus in illam pacem infert, quia carnem quidem spiritui, spiritum vero subjicit Deo: 2. fallacem dumtaxat in mundo pacem inveniri posse, quamcumque conditionem amplectaris, si mundi placita sequeris. *Ex specimine sermonum pro tertia Quadragesimæ Dominica.*

IX. 1. Pacem animæ, & cordis pretiosissimum esse bonum, quod in hac vita possideri queat. 2. Bonum hoc adeo pretiosum facillime amitti, ideoque summa adnitendum ope, ut servetur. *Ex auctore sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali, sermone pro feria tertia Paschatis.*

X. Tria interiorem pacem perturbare, atque cor humanum sollicitare consueverunt. Primum est præcipitatio; alterum agitatio ex ardenti aliquo desiderio, vehementique affectu profecta; tertium est molesti casus, persecutiones, & vitæ hujus calamitates. Ad pacem tuendam, nosmet præmunire debemus contra triplicem hanc interioris tumultus causam. 1. Præcipitatio prorsus cordis requiem perturbat. Quidam ita affecti sunt, ut nonnisi summa in festinatione vivere possint. Numquam voti compotes sunt, quam cum triginta sunt negotiis impediti; quibus ubi carent, alia undequaque sibi conquirunt. Hoc ipsorum elementum est, undique urgeri. Hi dolent, queruntur, & nihilominus quies ipsorum in suo malo consistit. Pacati viri, qui pacis bonum noverunt, & gustant, festinationem evitant, atque sese omnino providentiæ curis tradentes, in Deum confidentes, jugi attentione illi placere studentes, omnibusque cordis sui motibus invigilantes pacem suam tuentur. 2. Immortificati affectus cordi pacem auferunt. Homo violenta actus cupiditate, ira percitus, metu confossus, aliave simili ægritudine perturbatus est tamquam æstuosum mare. In Deo quiescere nequit, & Dei spiritus, qui in pace tantummodo permanet, manere non potest in illo. Ideo quicumque sancta pace frui cupiunt, mortificare student affectus suos, quibus cor urgetur; minimosque eorum motus reprimunt, atque uni vacant Deo rati, nihil dignum esse, quod nos movere possit, nisi desiderium placendi Deo, ac metus illi displicendi: Ut huc perveniamus, & adeo opimum possideamus thesaurum, laborandum est, ut motus omnes cohibeamus, nullam ibi vim sub quolibet prætextu ferentes; atque credendum, nihil nobis antiquius esse debere, quam cordis pacem tueri. 3. Tertia causa tumultus cordis externi sunt casus, quibus turbamur, quia affectus nostri excitantur: Hi autem sunt persecutiones, contumeliæ, morbi, infortunia: in hujusmodi quippe occasionibus, & propter has rationes impatientia abripimur, turbamur, & pacem amittimus. Sed hujus tuendæ ratio est, perfecte subjectum esse voluntati Dei, omnia ab ipsius manu recipiendo. Hæc divinæ providentiæ imperiis submissio nos quodammodo ab omnibus molestiis casibus protegit, ita ut nihil pacem nostram valeat concutere. *Ex Asceticis Dialogis P. Surini.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *l.* 1. *de serm. Domini in Monte*, loquitur de pace interiori, & docet, quinam sint viri pacifici.

Idem *l.* 19. *de Civit. cap.* 13. postquam ostendit, pacem esse ordinis tranquillitatem, hoc applicat paci quocumque in homine, & quomodocumque inveniatur. Eodem libro pacis præstantiam, meritumque generatim ostendit, & plurima hujus argumenti pertractat.

Idem *serm.* 8. *de communibus* docet, peccatores frui non posse vera pace; & *serm.* 27. ostendit, nos pace gaudere non posse, nisi hanc primum cum Deo fecerimus, & nisi a charitate proficiscatur.

Idem *in Psalm.* 84. ostendit pacem nostram in cœlo tandem perfectam futuram, & ibidem probat, ad obtinendam pacem amandam esse justitiam.

Idem *in Psalm.* 143. probat ad hoc, ut in nobismet ipsis pacem habeamus, Deo subditos nos esse oportere.

Idem *sive alius Auctor Serm.* 2. *ad fratres in Eremo* pacis utilitatem, & suavitatem ostendit.

S. Gregorius *l.* 2. *Epist. Ep.* 45. docet, sine humilitate fieri non posse, ut cum proximo, & nobiscum pacem habeamus.

Idem in hæc verba Job cap. 3. *Qui ædificant sibi solitudines*, docet ædificare sibi solitudines, esse abstinere a curis, atque tumultu terrenarum rerum, ac profunda pace frui.

Idem 3. *part. Pastor.* docet, neminem spiritualem esse posse, qui interiorem pacem non habet, nec servat.

Idem in aliquo moralium loco distinguit pacem inchoatam a perfecta, quæ pro altera tantum vita est.

Idem in hæc verba Job cap. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* docet, pace frui non posse illum, qui Deo perfecte subditus non est.

Idem *Homil.* 39. *in Evang.* docet, temporalia bona, in quibus hac in vita pacem invenimus, in altera nostrum futura supplicium.

Idem *Epist. ad Eusebium Episc.* docet, quam pretiosa, ac præstans sit animæ pax.

S. Hieronymus *in Epist. ad Ephes. c.* 6. *& in epist. ad Galat. c.* 5. probat inter Spiritus Sancti dona animæ pacem ex præstantissimis esse.

S. Basilius *Homil.* 1. *in Psal.* 28. ostendit, quænam sit vera pax interior, & ex quo signo agnoscatur.

Idem in hæc Isaiæ verba: *& pacis ejus non est finis*, ostendit pacem, quam dat Spiritus Sanctus, æternam fore.

S. Gregorius Nazianzenus plures edidit orationes de pace, in quarum tertia ostendit præstantiam pacis, quæ a Deo procedit, & quam ista sit desiderabilis.

S. Ambrosius *l. de Jacob c.* 7. ostendit, in quo cordis pax ista consistat.

S. Chrysostomus *in Psalm.* 4. ostendit interioris pacis pretium, & excellentiam ex tumultu, quem nostri gignunt affectus.

Origenes *l.* 4. *in c.* 5. *Epist. ad Romanos* ostendit impios, & flagitiosos homines, neque cum Deo, neque secum pacem habere posse.

Dionysius Carthusianus, *In operibus minoribus tom.* 2. Ascetici aliique.

Granatensis in Duce peccatorum *l.* 1. *c.* 19. *&* 20. docet, unde pax cordis procedat; quænam sit virtus ejus, & unde fallax pax impiorum oriatur.

Idem lib. 2. de amore Dei cap. 14. loquitur de rationibus pacis interioris servandæ.

P. Alphonsus Rodriguez in tractatu de conformitate cum voluntate Dei cap. 4. & sequ. docet, con-

conformitatem hanc viam esse ad pacem, & felicitatem in hac vita acquirendam.

P. *S. Jure* lib. 3. de cognitione, & amore Domini nostri cap. 10. sect. 12. ostendit cordis pacem ex affectuum mortificatione procedere.

P. du Sault in tractatu de confidentia in Deo lib. 3. cap. 1. fusius agit de vera animæ pace.

Hieronymus Planus *de bono statu Religiosi* part. 3. cap. 2. ostendit pacem, ac spiritus oblectationem in uno Deo esse.

P. Dozenne in morali Jesu Christi loquitur de modis acquirendi pacem cordis.

P. Guilleminot in libro, cui titulus: Christiana Sapientia cap. 11. veritate quarta, ostendit hominem per sapientiam, atque virtutem jugi tranquillitate posse gaudere.

P. Guilloré l. 3. instructione 7. loquitur de pace animæ, quæ divinæ innititur providentiæ.

Idem in tractatu de illusionibus, septima est falsa pax animæ.

P. Haineuve tomo 2. de ordine sermone 8. prolixum habet de pace tractatum.

De Sancto Martino in tractatibus Asceticis tomo 1. plura habet capita de pace cordis, de fallaci pace peccatorum, ac de tumultibus spiritus virorum bonorum.

Concionatores recentes.

Dialogi spirituales P. Surini lib. 2. cap. 2.

Catechismus spiritualis ejusdem.

P. Bourdalove in Adventu sermone de Domini nostri nativitate.

Idem sermone pro Dominica *Quasi modo*, ubi agit de pace spiritus, & cordis.

P. Texier in Dominicali sermone pro Dominica 3. post Pascha.

P. Giroust sermone de suavitate servitutis Dei in Adventu.

P. Massillon sermone pro secunda Dominica Quadragesimæ.

P. Masson in Adventu sermone de nativitate Domini nostri.

Abbas de Monmorel sermone 4. Dominicam post Epiphaniam.

Specimen sermonum pro Adventu 2. sermone, ubi sermo est de fallaci peccatorum pace.

Ibidem pro Quadragesima, Domin. 3. & pro Dominica in Albis, ubi de vera, & fallaci pace verba fiunt.

Sermones Christiani, sermone pro prima Dominica post Pascha.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta loquitur de pace cordis sermone pro feria 3. Paschatis.

Idem sermone pro Dominica in Albis loquitur de falsa pace, & falsa conscientia.

Idem in mysteriis Domini nostri, sermone de vulneribus filii Dei, de pace loquitur.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis in locis communibus.

Busæus in Viridario.

Lohner titulo *Pax*.

Peraldus tomo 1. de Beatitudinibus parte 11.

Spanet, Polyanthea Sacra, titulo *Pax*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Quis restitit ei (Deo) & pacem habuit? Jobi 9.

Acquiesce ei, (Deo) & habeto pacem. Jobi 22.

Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis. Psal. 71.

Pax multa diligentibus legem tuam. Psal. 118.

Viam pacis non cognoverunt. Psalm. 13. & Epist. ad Rom. 3.

Inquire pacem, & persequere eam. Psal. 33.

Factus est in pace locus ejus. Psal. 75.

Justitia, & pax osculatæ sunt. Psal. 84.

Secura mens quasi juge convivium. Prov. 15.

Et erit opus justitiæ pax. Isaiæ 32.

Non est pax impiis, dicit Dominus. Isaiæ 48.

Ego Dominus, faciens pacem. Isaiæ 45.

Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis. Ibid. 66.

Parvulus natus est nobis, & vocabitur nomen ejus, princeps pacis. Ibid. 9.

Fuisset sicut flumen pax tua. Ibid. 48.

Viam pacis nescierunt. Ibid. 59.

Dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Jerem. 6.

Ego cogito cogitationes pacis. Ibid. 29.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Matth. 5.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Joan. 14.

Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. Joann. 16.

Jesus stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Joann. 20.

Non est regnum Dei esca, & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Ad Roman. 14.

Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. Ad Roman. 5.

Deus pacis sit cum omnibus vobis. Ibid. 15.

Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Ibid. 2.

Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum. 2. ad Corinth. 13.

Ipse enim (Christus) est pax nostra. Ad Eph. 2.

Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Ad Philip. 4.

Cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. 1. ad Thessal. 5.

Pax Christi exultet in cordibus vestris. Ad Coloss. 3.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui est. Apoc. 1.

Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Eccl. 8.

Exempla ex utroque testamento desumpta.

Noluit Deus sibi templum a Davide ædificari; & quare?

Noluit Deus 2. Reg. 7. Davidem quamvis adeo justum, & sanctum ædificare templum, ubi sedem suam erat habiturus; quia rex iste vitam inter arma, bellicumque tumultum traduxerat; sed honorem hunc reservavit filio ejus, qui princeps erat pacificus, ut disceremus, illi nihil antiquius esse, quam in pacato, ac tranquillo corde immorari. Hac eadem de causa, cum suprema hæc majestas 3. Reg. 19. sese Eliæ ostendit in monte, nequaquam illi medium inter ignes, procellas, ac terræ motus se prodidit, sed in leni, suavique auræ flatu; ut intelligeremus, cor illud, quod tranquillum est, & ab omni affectuum tumultu immune, verum esse Dei habitaculum.

Melchisedech in Scripturis Rex justitiæ, & Rex pacis vocatur.

Pax, & gaudium, quæ nostram in hac vita requiem, & felicitatem constituunt, fructus sunt justitiæ, & sanctitatis. Hoc nobis indigitant duo nomina, quibus Melchisedech in Scripturis rex justitiæ, & rex pacis vocatur; quia hæc duo ita inseparabilia sunt, ut numquam sine justitia pax, neque sine pace justitia inveniatur. Ideoque inutili labore ad pacem, & veram tranquillitatem obtinendam adlaborant, qui vitam suam secundum justitiæ regulas non componunt.

Moyses tranquillus erat, dum Pharao cum exercitu suo turbaretur.

Justus beatum se putat ea in tranquillitate, quam ipsi virtus sua parit, cum interim, non sine quadam miseratione videat mundanos tristes, mærore affectos, turbatos, agitatosque. Ita Moyses, & fideles Israelitæ tranquillo, serenoque vultu videbant crudelem Pharaonem, omnemque exercitum ejus fluctibus agitatos, & obrutos: sine motu intuebantur turbas, atque tumultus miserorum Ægyptiorum; & quin fluctuum murmur, & furor eos perterreret, Deo eucharistica recinabant cantica. Hæc figura est, simulque exem-

exemplum pacis, neque tranquillitatis, qua justi fruuntur.

Gedeonis exemplum docet quid nobis faciendum ut pacis felicitate fruamur.

Legimus in Scripturis, Gedeonem, postquam aram extulit, quam ipsi præceperat Dominus, hanc *Pacem Domini* appellasse, ut innueret se aram illam extruxisse velut publicum pacis, quam sibi concesserat Dominus, testimonium. Verum narrat Scriptura, illum simul decem secum assumpsisse viros, ut Idolum Baal everteret, & lucum eidem dicatum succideret; cumque cœptis illius adversarentur idololatræ, alios vocavit, qui sibi ferrent opem ad hujus Idoli memoriam delendam. Altera ex parte Victor iste Deo statuit altare ob pacem sibi concessam gratias acturus; ex altera vero falsis Diis extructas evertit aras: ut intelligamus, simulac corda nostra emundavimus, & ex illis pacis aram fecimus, incumbendum esse ad versionem Idoli Baal, videlicet ad affectuum, & incompositarum cupiditatum nostrarum expugnationem; ne pax, quam cum illis sancire possemus, nobis Jesu Christi pacem eripiat.

Primus homo pacem amisit originalem justitiam amittens.

Adam cum originali justitia creatus perfecta pace, ac tranquillitate interiori simul, & exteriori gavisus est, donec hanc retinuit justitiam, & imperiis Dei fidelis, subditusque permansit. Sed pacem hanc amisit innocentiam amittens, ac eodem temporis momento agnoscens ipsum sibi Dei inimicitiam conflasse, sese abscondit, ut illius ultionem effugeret. Ex eo creata omnia, quæ illi subdita erant, obedientiam detrectarunt, eique bellum indixerunt. Sensit affectuum suorum rebellionem, ac deinceps nobis tamquam in hæreditatem reliquit hoc bellum, quod intra nos geritur, & quod Sanctus Paulus legem membrorum appellat legi spiritus nostri repugnantem. Adeo verum est justitiam pacis originem esse.

Noe diluvii tempore in arca tranquillus imago est illius, qui inter funestissimos casus tranquillus est.

Noe, justus ille vir, quem elegerat Dominus, ut per illum humani generis reliquiæ salvæ fierent, utque genus ipsum repararetur, magnam procuIdubio habuit animæ constantiam, cum totius mundi vidit interitum, quin casu funestissimo minime turbaretur, & consternaretur. Profecto dici potest, arcam, ubi satis diu ille permansit pacis fuisse perfugium; quippe omnia animantia, quæ ille Dei jussu ibi concluserat, pacata erant, vivebantque simul quantumvis naturali quodam instinctu sibi diffiderent; & ipse inter fluctuum strepitum, morientium clamores, ac universale rerum omnium, quæ erant super terram, excidium, imperterritus, Dei ope confirmatus, permansit. Hæc est figura pacis, qua vir bonus fruitur inter fortunæ suæ casum, atque gravissima infortunia.

Pax, quam Apostolis suis dedit JesusChristus.

Pax, quam Jesus Christus Apostolis suis reliquit, pretium est mortis, & fructus resurrectionis ejusdem. Hinc illis hanc pacem non tribuit, nisi objiciens ipsis manuum, laterisque sui cicatrices, ut intelligerent, hanc ab illis recipi non posse, nisi per easdem artes, quas ipse ad illam acquirendam adhibuerat; hanc nequaquam in molli tranquillitate, & languido otio consistere, sed in earum tolerantia pœnarum, quas ipsi constanter pro Deo ferre debebant, ac in profunda submissione, quam illius debebant imperiis. Documenta illius exemplis comprobata fuere, utque illos ad hæc imitanda disponeret, dixerat illis Joann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Quasi diceret: pax, quam vobis relinquo, non posita est in eo, ne patiamini, sed ne inter passiones turbemini. Persecutiones, quæ in vos excitabuntur, non erunt obstaculum aliquod, quo illam possidere prohibeamini, si inter ærumnas Deum glorificaveritis, cui famulamini. Possidebitis illam, cum gravissima supplicia animæ vestræ æqualitatem non perturbabunt; cum adversa omnia ministerio vestro inhærentia patientiam vestram non labefactabunt, & vobis persuasum erit, totam hominis christiani gloriam esse pati, ac vosmet beatos existimabitis, cum vitam vestram illi, qui pro vobis mortuus est, sacrificare contigerit.

Dei filius Apostolos admonuit, ne turbarentur, & pacem inter mundi persecutiones amitterent.

Alia in occasione Salvator Apostolis suis describens, quidquid passuri erant in mundo, sub finem addit! Hæc omnia dixi vobis, ut in me pacem inveniatis: vos quidem in mundo opprimemini; verum confidite; ego enim vici illum. Quasi illis omnibusque fidelibus singillatim dicere voluisset, pacem, quæ istic justorum felicitatem constituit, nonnisi inter prælia contra mundum, & peccatum acquiri; nonnisi in strenua omnium humanorum affectuum pugna inveniri, & nonnisi post certamen constantissime decertatum, ut Apostolus inquit, æternæ vitæ dulcedinem gustare non posse.

Applicationes quarumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Animæ magnæ, & solidis ornata virtutibus non ita facile pacem amittunt.

ERit sicut flumen pax tua. Isaiæ 48. Isaias Propheta ait, interiorem justi pacem magno flumini similem esse. Conjice aliquid in fluvium; hunc agitas, sed superficies sola agitatur, & imæ partes semper tranquillæ subsidunt. Et quod mirabilius est, post levem hunc motum fluvius secum veluti in triumphum gestat, a quo fuerat percussus. Anima generosa, atque tranquilla fluvium hunc tamquam symbolum suum intuetur; *Sicut flumen pax tua.* Si quid illi ingratum, & injucundum nuntiatur, contingere quidem potest, illam primo statim motu turbari; sed hoc in speciem dumtaxat, pars enim interior malaciam retinet: *Sicut flumen pax tua.* Hoc ipsum rivulo non accidit: statim enim ac levi aliquo ictu percutitur, illico perturbatur, & ictus ipse in imum usque permeat limum agitatutus, quo aqua fit lutulenta. Abjectus spiritus rivuli hujus naturam imitatur; si qua afficitur contumelia, statim exardescit, ac naturalem situm amittit. Exterior dolor cor ipsum pervadit, cumque illic nihil nisi limum inveniat, hunc agitat, atque corrumpit.

Affectus similes sunt ventis furentibus cor nostrum agitantibus.

Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Isaiæ 57. Pax, de qua loquimur, in nobis constituitur per mortificationem affectuum nostrorum, & per victoriam, quam ex illis reportamus: nihil enim adeo validum est ad beatam requiem gignendam, atque servandam. Quod venti faciunt in mari, hoc affectus in cordibus nostris pariunt: illa enim motuum suorum vi agitare, & perturbare non cessant. Ita omnium primus, & periculosissimus est. Ipsa apertissima est pacis inimica, & cum qua simul esse non potest. Ita cum nos rapit, furentes in nobis excitat tempestates, ac immediate animæ tranquillitatem evertit. Propria voluntas id ipsum propemodum facit; resistentia irritatur, & quemadmodum ardenter fertur ad ea, quæ illi placent, tanto magis turbatur, quo majorem votis suis nanciscitur oppositionem. Prava studia, impuraque nostra desideria idem malum gignunt: nam quemadmodum gaudium oritur in cordibus nostris, cum possidemus bonum, quod concupiscimus; ita mœror, atque tristia tunc dominantur, cum illud nobis negatur.

Quo in sensu Salvator dixit, se venisse non ad pacem, sed ad bellum afferendum.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 10. Quamquam Dei filius princeps pacis appellari voluerit, eamque nobis per nativitatem, ac resurrectionem contulerit; profitetur nihilominus se in terras venisse, ut gladium, non autem ut pacem afferret; proculdubio ut intelligeremus, si ex altera parte felicitas nostra in hoc sita est, quod cum Deo, & nobiscum pacem habeamus, ex altera maximum, quod nobis accidere possit, malum esse pacem cum mundo; quia pax, quam fallax hic mundus nobiscum icit, periculosissimum est bellum, quod unquam sustinere valeamus. Etenim ut cum illo consentiamus, mores illius laudemus, instituta sequamur, amplectamur sensus, ideoque Deo bellum indicamus, hunc hostem habeamus, eumque tumultum, quem in nobis affectus nostri gignunt, experiamur, oportet. Jure igitur Dei filius venit bellum

bellum allaturus in mundum, ut cum ipso, & nobiscum pacem habere possimus.

Pax ab justitia separari non potest.

Justitia & pax osculatæ sunt. Psal. 84. Omnes pacem experunt, & cupiunt: sed heu! quotusquisque veram ingreditur viam, ut illam acquirat! Hæc autem via justitia est, inquit in hunc locum Sanctus Augustinus: *Nolunt operari justitiam.* Plerique homines nihil adlaborant, ut virtutem hanc adeo sanctam, & necessariam sibi procurent, attamen fieri nequit, ut alterutra sine altera habeatur. Ita donec anima affectibus suis subjecta est, ac sequitur motus cupiditatum suarum, errat, atque vagatur, non igitur est in statu justitiæ, ideoque pacem habere non potest: *Fac justitiam, & habebis* pacem; *duæ amicæ sunt; si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, non veniet ad te.* Sanctus Augustinus in Psal. 74. ait.

Cur Jesus Christus venit sero, et clausis januis discipulis suis pacem traditurus.

Cum sero esset, & fores essent clausæ, venit Jesus, & dixit eis: Pax vobis. Joann. 20. Interpretes quidam mysterium non deesse putant in hoc, quod fores essent clausæ, & jam sero esset, cum Jesus Christus in cœnaculum ingressus est, ubi Discipuli congregati erant, illis pacem traditurus. Ut videlicet, inquiunt, intelligamus, Deum hoc nobis donum tunc tandem conferre, cum has fores claudimus, per quas mors, ac tumultus in animas nostras ingrediuntur; cumque pax ista sit merces laborum, qui præcesserunt illam, ac diuturnæ perseverantiæ fructus, interdiu nobis esse adlaborandum, ut vespere quiescere valeamus. Attamen vix primos in viam virtutis gressus protulimus, cum jam ad terminum pervenisse vellemus: vix de mundi turbis, & agitationibus egressi sumus, cum optaremus frui ea tranquillitate, qua fideles gaudent animæ, quæ ab ipso vitæ suæ primordio sese Deo consecrarunt.

Cum Dei filius in animam venit, illico suam pacem infert.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Luc. 10. Non secus ac cum Salvator revivifcens Discipulos suos convenit, dixitque illis: *Pax vobis*, eosque hoc ipsum dicere jussit, quotiescumque domum aliquam ingrederentur: ita cum in animas intrat, statim dicit illis: pax vobis, & quia omnipotens est verbum ejus, pacem optans eamdem efficit, atque largitur; ejicit de corde tumultum; illas solido cumulat gaudio, affectus moderatur, inanes mulcet terrores, quibus ad propriæ infirmitatis adspectum agitabantur.

Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant. Eccl. 8. Nonnisi frequentissime videntur impii ita tuto viventes, ac si mortalium omnium essent justissimi. Attamen quam infelix ista felicitas est! & pax hæc quam turbulenta! Quomodo enim illam ibi invenire possunt, ubi non est, ac inter tot mala, nisi pacem affectuum suorum tumultum appellant? *Tam magna mala pacem appellant.* Sap. 14. Vel, ut Sanctus Augustinus asserit, in imaginatione sua fallacem sibi comminiscuntur pacem, ut liberius suis vitiis indulgeant, & quod miserrimum est, in hac pace adeo fallaci tuto quiescunt, quasi nihil sibi foret metuendum. Sibi pro libidine conscientiam concinnant; cupiditates suas æqua vocant desideria, libidines suas innocua solatia, licentiam spiritus fortitudinem, ambitionem animi magnitudinem, utque omnia cum Sapiente dicam, *tam magna mala pacem appellant.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

P*Ax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris; consortium charitatis.* August. Serm. 57. de verb. Dom.

Tale bonum est bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, & nihil utilius possideri. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 11.

Pax quid est? ubi nullum bellum est, ubi non est contradictio. ubi nihil resistit, nihil adversum est. Idem, in Psalm. 84.

Pax est tranquillitas ordinis. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 13.

Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, & subjicientes rationi, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, ut id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. Idem, lib. 1. de Serm. Domini in Monte.

Pax est puræ mentis indicium manifestum. Idem Serm. 169. de Temp.

Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 12.

Qui pacem suscipit Salvatoris, inimicitias contrahit mundi. Idem, in quæst. quæst. 92.

Pax Christi finem temporis non habebit, & omnis piæ nostræ intentionis & actionis finis ipsa erit. Idem, tract. 104. in Joannem.

Tunc pax erit perfecta in nobis, quando natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis. Idem, lib. de consen. cap. 7.

Non est pax in hac vita; in cœlo nobis promissum est quod quærimus in terra. Idem, in Psal. 48.

Qui veram pacem desideras, prius cum Deo habere consuescas. Idem, in Communibus Sermon. Serm. 8.

In ista vita pax vera non est, sed ubi gaudium immortalitatis, & societas Angelorum promittitur. Idem, in Psal. 33.

Serenitas quædam atque tranquillitas animæ quiescentis, & universam tempestatem ac turbinem perturbationum fugans. Hieronymus, in Epist. ad Ephes.

Tunc est pax Christi, hoc est, hæreditas nobiscum est, si tranquilla mens nullis passionibus perturbetur. Idem, in Epist. ad Galat.

Quamvis plurima pace externa fruamur, si intra nos cogitationum nascitur tempestas, tumultus & seditio, nihil externa pax nobis proderit. Chrysost. Homil. 34. in Genesim.

Qui iræ servit, qui luxuriæ, qui superbiæ, innumerabilem exercitum intus patitur; e contra vir bonus, qui omnia ista contemnit, magna mentis tranquillitate perfruitur. Greg. l. 4. Moral. c. 23.

Pravæ mentes tumultus intra se versare non cessant, etiam cum vacant, & quamvis nihil faciant exterius, apud se tamen sub pondere inquietæ quietis laborabant. Idem, lib. 3. Moral. c. 6.

Plena pax tunc erit, cum mens nostra nec ignorantia cæcatur, nec carnis sua impugnatione concutitur. Idem lib. 6. Moral.

Dum in hoc mundo sumus, a peccatis omnimodis non desistimus, & quamdiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo, qui sine peccato in carne vixit, non habemus. Idem, Cant. 8.

Tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro anima judice regitur, & animus Deo præside gubernatur. S. Leo, Serm. 9. de Nativ.

Hæc est vera pax, a Dei voluntate non dividi, & in his quæ solius Dei sunt, delectari. Idem, ibidem.

Hoc expediri inferius subjici superiori, agnosce ordinem, quære pacem. Augustinus, in Psal. 143.

Minus ordinata inquieta sunt, ordinantur & quiescunt. Idem, l. Confess. 9.

Propterea dant sibi pacem (impii) ut sine molestia mundo fruantur. Idem, in Joan.

Inter benedictionis divinæ species, pax perfectissima esse videtur, cum status sit mentem in temperie omnium stabiliens. Basil. in Psalm. 28.

Non est pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in fervido & spirituali. Lib. 1. de Imitat. Christi, cap. 6.

Prima

Prima pax est. Cum Deo pacifici simus, deinde de nobiscum. Sit ergo pacifica anima nostra cum Deo, ut anima nostra sit subdita caro nostra. August. Serm. 27. de Communib.

Pax est vita consummati perfectique sapientis. Idem lib. 1. de Serm. Domini in monte.

Summus sapientiæ finis ut simus mente tranquilla. Ambrof. in Pfalm. 118.

A te pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, aliis pacem feras. Ambrof. lib. 10. Epist. 82.

Tranquillitas ista tempestas est (loquitur de pace impiorum.) Hieronym. Epist. 1. ad Heliod.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad in hoc argumentum possit afferri.

Pax quid sit, & in quo sita sit.

PAx generatim sumpta ex D. Augustino de Civit. c. 13. est: *Parium, dispariumque verum sua cuique loca tribuens dispositio*; quod alibi paucioribus verbis ab eodem *Tranquillitas ordinis* appellatur. Definitionem hanc S. Thomas 2. 2. q. 29. artic. 1. omnesque Theologi adoptarunt, eamque S. Augustinus rebus omnibus applicat, ubi consensus requiritur inter varias partes, ex quibus componuntur. Sed pax eo in sensu, quo istic accipimus, non aliud est quam consensus, vel concordia interioris appetitus, omniumque motuum ejus in veri boni perquisitione. Etenim, ut idem addit, qui opposita, & contraria vellet, qualia sunt sensibus subjecta, atque spiritualia, hic cor pacatum non haberet, neque in seipso pacem possideret.

Definitionis explicatio.

Qua in re animadvertendum est, pacis nomen duo necessario supponere, ordinem, & tranquillitatem. Ordo flagitat, ut res quælibet suum gradum, ac statum naturæ suæ convenientem obtineat; utque hic ordo tranquillus, pacatusque sit, omni tumultu, atque agitatione carere debet. Hinc sequitur, pacem effectum esse ordinis, & ibi, ubi ordo non est, subsistere non posse. Verum undenam hic ordo proficiscitur? Dicendum est, effectum esse obedientiæ, quam homo adhibet legi Dei, quæ rei unicuique proprium assignat locum, efficitque, ut corpus pacifice animæ subjectum sit, appetitus rationi, & ratio fidei; ut verbo me expediam, ut affectus numquam insurgant, nisi per motum libertatis ejus, quæ numquam longe a Dei lege aberrat. Quamobrem S. August. idem ait, veram hominis mortalis cum immortali Deo pacem in fideli, ordinataque obedientia consistere, quam ipse præstat æternæ legi Dei. Cum hæc deficit obedientia, invertitur ordo; violatur enim dependentia, simulque pax ipsa destruitur, & cuilibet peccatori particulariter accidit, quod olim Adæ, ut idem S. Doctor animadvertit. Cum enim Creatori suo sese submittere detrectaverit, eique per inobedientiam suam bellum indixerit, statim vidit animam suam corporis tyrannidi subditam, quod ab eadem defecit.

Quid ex hac doctrina consequatur.

Ex his omnibus primum inferri potest, quemadmodum pax est bonorum, & eorum, qui veri Christiani sunt, hæreditas; tumultum, & turbam partem esse peccatorum: etenim cum sint inimici Dei, legis, & justitiæ illius, nec non propriæ salutis suæ, quærunt in hoc mundo pacem, ubi non est; & minus adhuc illam in seipsis invenire possunt, quippe cordis eorum tumultus juge tormentum est, & mala conscientia vermis est illos depascens, ac sævius, quam equulei, & faces, excrucians. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isai. 55. Deus ipse ita nobis nullam esse impiis pacem testatur. Inferri secundo potest, cum pax, ex D. August. non aliud sit, quam tranquillitas, quam bonus ordo producit, cumque bonus ordo, & affectus simul esse non possint, quippe confusionem hi ferunt, ubicumque sunt, ibique dissidia, & rebelliones excitant, necessum esse, ut inde procul pacem, & requiem ejiciant. Itaque affectuum mortificatio ita necessaria est, & cordium nostrorum pax adeo essentialiter adhæret illi, ut hæc sine illa nullo modo esse possit, neque citra temeritatem sperari. Inferri tertio potest, pacem effectum esse charitatis, & gratiæ sanctificantis. Hoc S. Thomas ar. 3. ejusdem qu. asserit, & ait, charitatem, quæ causa est, ut Deum super omnia, atque ex toto corde diligamus, efficere etiam, ut omnes motus nostros ad gloriam Ipsius referamus, unde pax coalescit. Ad hæc nos etiam arctis amicitiæ vinculis proximo nostro conjungit, quem nos amare jubet tamquam nosmetipsos propter Deum. Sed præsertim in nobis pacem producit per moralem certitudinem, quam nobis tradit Spiritus Sanctus, quod sumus amici & filii Dei; quam dignitatem nulla nobis auferre creatura potest, & cum qua nihil nobis potest nocere, nisi permiserit Deus, sub cujus patrocinio versamur.

Unde nam oriatur domesticum bellum, quod afficius in homine ciet.

Deus, qui creavit hominem ad imaginem suam, auctor non est hujus defectionis, intestinique belli, quod geritur in hujus hominis corde per rebellionem partis inferioris contra superiorem. Rei hujus origo peccatum est, quod hominem Dei inimicum efficiens, illum suiipsius inimicum effecit, præstititque, ut ratio in Deum, & appetitus in rationem insurgeret. Inde oriatur magna illa affectuum turba, qui instar fluctuum agitati maris, in seipsos ruunt, & colliduntur. Et profecto, si homo pacem cum Deo servasset per voluntatis suæ cum divina voluntate concordiam, pacem in seipso servasset; corpus illius spiritui subditum fuisset; & anima ejus semper tranquilla plenissima requie gavisa fuisset. Sed violata cum Deo pace per rebellem voluntatem, omnia cum illo pacem perfregerunt; corpus quidem humorum pugna, anima interiori contradictiona, appetitus defectione, & mox creata quælibet sese contra hominem tamquam Creatoris sui hostem armarunt.

Cur affectuum rebellio pacem nostram perturbet, post etiam originale peccatum deletum vigens.

Cum Jesus Christus per mortem, & passionem suam pacem, ac fœdus Deum inter, & hominem percussisset, atque hunc in pristino honoris, & beatitudinis, quam ante peccatum habebat, collocasset gradu; quidquid per rebellionem amiserat, homo recepit Dei pacem, & amicitiam recipiens. Verum est, rebellionem, & partis inferioris contradictionem in anima Christiani post Baptismum permanere, cum e contra in innocentiæ statu corpus, & anima integra pace perfruerentur; verum nihilominus hac in re nihil amisit; cum corporis fragilitas pro pœnitentia, rebellio pœnitentiæ pro probatione, & utraque simul pro meritorum causa in illo permanserint. Si morbi, ac mors corpori; & affectus animæ illius bellum inferunt; hæc prælia, si vult, non aliud sunt, quam materia victoriæ, quam de illis quidem per patientiam, de his vero per resistentiam contra tentationes potest referre. Itaque dicere possumus, noluisse Deum hos auferre inimicos homini, ne illum tot privaret coronis, quas eos superando potest reportare. *Concupiscentia in renatis manet in agonem, atque adeo ad coronam iis, qui fortiter resistunt*, inquit Synodus Tridentina. Victoria referri nequit sine pugna, neque pugnari sine hostibus potest.

Anima servare potest pacem inter turbas, ac tentationes.

Quamvis tentationes, & tribulationes sint individua virtutis experimenta, certum st tamen, animam divinæ gratiæ fidelem interiori pace frui posse inter has turbas, atque tempestates. Ideo monet Deus Eccl. 2. eos omnes, qui sese illius cultui addicunt, ut animum suum præparent tentationi: *Fili accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, ut hac prævisa non turbentur, non obliti, cum Dei filius primus mundum devicerit, illos quoque integram habere debere in omnipotenti manu illius confidentiam. Arrhæ, quas præsidii sui in Bibliis Sanctis reliquit nobis, animas maxime pavidas confirmare debent; atque ut intelligamus, quomodo fieri possit, ut animam suam servet tranquillitatem inter furentia procellæ tumultum, in justis duæ quodammodo animæ considerandæ sunt; altera ubi residet Spiritus Sanctus per gratiam sanctificantem, ac infusas fidei, spei,

spei, & charitatis virtutes; altera, quæ sedes est amoris proprii; concupiscentiæ, & affectionum. Porro quantumvis vehemens sit aliqua tentatio, per se nonnisi tumultum conjicere potest in hanc inferiorem animæ partem, cujus primi motus liberi non sunt. Sed licet hæc obstet agitatio, pars superior semper permanere potest tranquilla. Et quemadmodum reipsa hæ duæ animæ, vel partes unum duntaxat sunt, atque sola virtute separantur; difficillimum est, quod alterius tumultus ad alteram minime permeet, & una tantum virtus est, quæ id prohibere potest pacem in superiori parte servans, ubi numquam magis, quam in hujusmodi agitationibus, est necessaria.

Pax quædam perfecta est, quædam imperfecta.

Perfecta, completaque pax ea est, quæ in perfecta summi boni perfruitione consistit, qui quidem rationalis naturæ finis est; sed ea, quam in hac via possidemus, est imperfecta. Nam licet præcipui animæ nostræ motus in Deo quiescant, tamen tot hostibus intus, & extra premimur, ut nonnisi imperfecte possidere valeamus pacem præliis permixtam, metuentes, ne victoria nobis elabatur; quamobrem S. Paulus ad Rom. 7. dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Ars vera servandi pacem cordis.

Quemadmodum per observantiam legum, & fidelem executionem voluntatis eorum, qui præsunt, regna, provinciæ, civitates, familiæ ordinem servant ac pace fruuntur: ita per obedientiam Divinæ legi interiorem animæ pacem servabimus; huic inquam, legi, quæ jubet, nos præsto esse, ut omnia bonorum genera amittamus, & quævis patiamur mala, potiusquam priventur gratia, & amorem Dei deseramus. Operæ pretium est etiam animadvertere, communem charitatis gradum non sufficere, ut oriatur, atque servetur pax, & hæc interior tranquillitas, de qua sermo est. Perfectus amor unice hanc producere potest, & certum est, quo magis charitas hæc crescit, & confirmatur, eo perfectiorem, atque tutiorem pacem efficere.

In et pœnitentiæ lacrymis pace frui possumus.

Inter lacrymas, ac suspiria pœnitentiæ, necnon inter veræ contritionis dolores tristitia, quam gratia alia in occasione pati non posset, in hac æqui, bonique fit; sed pax quoque, & gaudium non ideo illinc exulant; quæ si minime adessent, fides non esset habenda turbatæ huic pœnitentiæ, atque inquieta contritio hæc suspicione vacua esse non deberet; quandoquidem filius Dei pœnitenti Magdalenæ pacem largiturus est, tunc etiam cum ipsa ad pedes illius provoluta peccata sua fleret, & S. Augustinus asserit, pœnitentiæ lacrymas suaviores esse, quam gaudia, quæ in theatrorum spectaculis percipiuntur.

Pax non est virtus, & cur.

Operæ pretium est cum S. Thoma art. 4. supradictæ quæst. animadvertere, pacem proprie loquendo virtutem non esse; etenim, ait ille, ex Sancti Augustini sententia, quodammodo finis extremi partem obtinet, & nulla virtus est, quæ pro extremo fine possit haberi, quia omnes viæ sunt ad finem hunc adducentes. Quod si pacis præceptum adest, tunc jubetur quatenus actus charitatis, qui meritorius est, quatenus virtutis hujus causa elicitus, & quatenus fructus charitatis a Spiritu Sancto productus est.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, aliisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

In vita hac perfecta pace frui non licet.

ANima nostra perfecte tranquilla esse, perfectaque pace frui nequit, donec in corpore clauditur, quod perenne illi bellum indicit. Mors una radicem jugium dissidiorum succidens inter utramque veram pacem firmabit. Interim certum est, quo magis in virtute proficimus, & ad christianam perfectionem progredimur, eo magis ad beatam hanc pacem, ad quam anhelamus, accedere, & postquam vitia nostra expugnavimus, rebelles affectus dominimus, ac diu in virtutum praxi perseveravimus, nos Deo ita prope fieri, ut vitæ hujus tumultus, ut ita dicam, ad nos usque pervenire nullatenus valeant. Profecto inæstimabile hoc donum justis elargitur Deus tunc tandem, cum illos probavit vicissitudine bonorum, atque malorum, quæ vitam eorum impediunt. Itaque ne miremini, Sanctus Chrysostomus inquit, si Dei promissiones sero adimplentur, & si postquam plures annos fidelem illi servitutem serviistis, nondum perfecta pace fruimini: opus est probationum tempus transire: modo solatiis, modo ærumnis afficiemini; sed si in hac vicissitudinum varietate sublimiorem animæ vestræ partem in tranquillo statu retinueritis; nisi vos vel gaudium extulerit, vel mœror abjecerit, dabit certissime vobis illud absconditum manna, quod vincentibus se daturum recepit: *Vincenti dabo manna absconditum*. Apocal. 2. Conatus vestros remunerabitur, quos exercuistis, ut inter tumultus, ac tentationes pacem servaretis, eam vobis largiens, quæ sine labore, & molestia in animabus vestris permanebit, cujus dulcedine suffundentur omnes illæ interiores facultates, in quibus tentationes tot turbas pepererant, & cujus secreta unctio omnes vitæ vestræ amaritudines diluens vos tuebitur, confirmabitque iis in statibus, qui in oculis mundi tristissimi, ac molestissimi videntur. Ad hanc pacem supra sensus positam nos consummata virtus adducit, & in illa mundi Salvator suos constituit Discipulos, hoc illis pretiosum conferens munus: *Pax vobis. Ex Specimine sermonum pro Dominicis. Tom. 1. sermone pro Dominica in Albis.*

Error eorum qui dicunt se pace frui non posse inter persecutiones, quibus undequaque exagitantur.

Quinam est error vester, dum creditis, vos pacem recipere nullo modo posse, quia in hoc mundo alii vos affligunt, & persequuntur? Quomodo enim, dicitis, in eorum numero adscribi possum, quibus Dei filius dixit: *Pax vobis*: donec inimici mei me persequuntur, donec vi bona mea rapiunt, & calumniis suis nomini meo labem offundunt? Quomodo pace frui possum, languentem, miseramque vitam trahens, tot vexatus incommodis, quæ nullam mihi requiem permittunt, atque perennium infirmitatum mearum pondere obrutus? Heu! Si Dei filius mihi pacem largiri vellet, numquid sineret me tot inter acerrimas ægritudines lacrymas effundentem? Vix uno expeditus impedimento, altero impedior. Numquid pax haberi potest tot inter turbas, & inter tot agitationes tranquilli esse possumus? O utinam intelligeretis, quinam sunt characteres pacis illius, quam nobis Jesus Christus reliquit! Ærumnæ, tribulationes, & vitæ hujus mala non solum non vetant, ne pacem recipiatis; verum etiam e contra inter has pœnas, ac tribulationes pax in corde vestro vigebit. Attendite veritati vos, qui sub malorum vitæ hujus pondere gemitis. Vobis præsertim Jesus Christus hæc dirigit plenissima consolationis verba: *Pax vobis. Ibidem.*

Quietus, & gaudia, quod Jesu Christi pax in anima parit eam recipiente.

Quis dicendo explicare posset bona inæstimabilis hujus pacis, quam Deus effundere oblectatur in animam illi recipiendæ præparatam? Quis posset penetrare animæ christianæ secretum ob agnoscendam beatam illam tranquillitatem, quam omnia simul creata perturbare non possunt, pretiosas illas consolationes, quæ ex conscientiæ bonæ testimonio proficiscuntur, sanctos motus, cœlestes impetus, divinas communicationes, effusiones gratiæ, vivas primæ felicitatis Adæ, & sacrorum alloquiorum, quibus illum Deus dignabatur, imagines? Quis dicendo assequi potest, quidquid Deus operatur in corde, quod illius pacem accepit, & infinitos aperire thesauros, quibus illud auget? Sed quinam gratiæ suæ mirabilia, o Deus, enarrabit? Dona tua toto cœlo mentem nostram excedunt, & pax, quam nobis concedis, nonne verba, & sensus nostros exsuperat? *Ibidem.*

Vera, & fallax conscientiæ pax.

Nihil optabilius est pace conscientiæ, & simul nihil ea formidabilius. Fallax conscientiæ pax omnium vitæ hujus malorum malum est funestissimum, quem-

quemadmodum vera pax conscientiæ bonorum omnium bonum est pretiosissimum. Ideo Dei filius, qui Apostolis suis dixit, se illis pacem tanquam locupletissimum donum præbere, dixit tamen in Evangelio Matth. 19. se in mundum venisse, ut bellum, non ut pacem afferret: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Et sane nemo fidelis esse potest Evangelicæ legis observator, quin sensim recipiat beatam hanc pacem, quæ diuturnam parit in virtute perseverantiam; quemadmodum nemo attentus esse potest verbis Jesu Christi, quin suspectam habeat tranquillitatem, qua peccatores inter scelera gaudent, & quæ sub suavitatis specie maximam tegit omnium amaritudinum, ut inquit Isaiæ cap. 38. *In pace amaritudo mea amarissima.* Pax, inquit Richardus a Sancto Victore, vel ex animæ stupiditate, vel ex virtutis perfectione, vel ex consummata in sceleribus obduratione proficiscitur. Christiani hodie accusari nequeunt stupiditatis; pauci etiam eorum in perfectorum numero recensendi sunt, quorum consummata pietas efficiat, ne conscientia eorum ullis tumultibus concutiatur; reliquum ergo est, quod pax, qua fruuntur, proficiscatur ex crimine, quod illos excæcat, omnemque illis sensum aufert. Amor proprius nihil intentatum relinquit, ut simul & sceleris dulcedinem, & requiem virtutis tueatur. Falsis imbuti sententiis homines, quibus se ipsos decipiunt, artem inveniunt, qua simul & peccatores sint, & nullis peccatorum suorum stimulis agitentur. *Ibidem pro Adventu, argumento secundo.*

Meritum & præstantia pacis, qua boni fruuntur.

Quod Sanctus Augustinus hoc in argumento ait, certissimum est, omnes pacem desiderant, omnes illam cupiunt, omnes flagitant, illi ipsi, quorum mores ab illa maxime abhorrere videntur, hanc sibi pro fine proponunt. Quamobrem nullus dubito, quominus eorum omnium, qui me audiunt, ea mens sit, inveniendi videlicet modum, quo dies suos in pace, & requie traducant; non quidem in hac ficta, fallacique pace, quæ in molli, laxiorique vita invenitur, sed in ea, quæ reperitur in ordine, quem Deus ipse constituit; pace, quam mundus ignorat, & quam diligentibus se, sibique servientibus dare non potest: *Pacem mundus dare non potest*; pace, quæ fructus est puræ conscientiæ, effectus tranquillitatis affectuum domitorum; pace tandem, quæ hodie rara est adeo, non solum inter eos, qui in sæculo vivunt, & mundi placita sectantur, verum etiam inter eos, qui virtute præditi habentur, ac seorsim ab aliis vitam ducunt. Itaque cum Sancto hoc Doctore dicere audeo, pacem hanc quidem ab omnibus expeti, & exquiri; sed paucissimos veras, certasque ad illam acquirendam vias consectari. *Abbas Trappensis collatione secunda pro die Assumptionis Beatæ Virginis.*

Pax ibi non invenitur, ubi dominantur affectus.

Pax, ex D. Augustini sententia, non aliud est, quam *tranquillitas ordinis*; & quemadmodum bonus ordo, & affectus simul non sunt, quia cum hi confusionem creant, ubicumque sunt, ibique dissidia, ac rebelliones excitent, necesse est, ut requiem, & pacem expellant. Hoc in sensu inquit Scriptura, nullam impiis esse pacem, illis videlicet, qui suis indulgent cupiditatibus: *Non est pax impiis.* Isaiæ 48. quod non de illis intelligitur solum, qui id consectantur, quod inter homines impietas appellatur; sed generatim de illis omnibus, qui a Dei ordine recedunt, atque in vitæ suæ ratione nullum pietatis præbent indicium: quippe negantes Deo, quod illi debent, & violantes obedientiam, quam illi præstare tenentur, gravissimam committunt injustitiam; ita ut nullo modo habere possint pacem, quæ naturalis est effectus justitiæ. Ita vultisne gaudere pace, quam quæritis, & optatis? summa officii fide vosmet in ordine Dei continete, sequimini voluntatem illius, efficite, ut moriatur in vobis, quidquid consiliis ejus adversatur; hoc est, mortificate concupiscentias vestras, vitia vestra, omnesque malos habitus, quos in mundi commercio contrahere potuistis, omnes illas animi ægritudines, quæ hactenus nonnisi procellas, ac tempestates in vobis pepererunt. *Idem.*

Pax, & requies in Deo tantu invenitur.

Sanctus Augustinus rationis suæ luminibus, & multo magis infelici sua edoctus experientia, merito exclamat: Peragrate oceanum, terrasque, & quo vobis lubet, ite; attamen ubicumque fueritis, scitote vos infelices futuros, si aliud præter Deum quæsiveritis: nihil enim præter laborem, doloremque invenietis. Et alibi rationem affert interioris hujus agitationis. Tu, Domine, inquit, pro te nos fecisti, & cor nostrum nullam requiem invenire potest, nisi quiescat in te. Qui in Domino quiescit, & qui omnino ab illius pendet voluntate, quin fortunam mutet, fit beatus, certam facit pacem, ac tranquillitatem suam, & solide suam felicitatem constituit. Hic omnino suis dominatur affectibus, qui omnium turbarum nostrarum sunt causa. Hic omni caret invidia, quia cum nullo in discrimine omnes habeat dignitates, alienus honor illi negotium nequaquam facessit. Ambitione non afficitur, cum enim id unum expetat, Dei imperio subesse, alios suis subditos intueri non cupit. Mærore non perturbatur, infortunia quippe modo veluti divinæ justitiæ vulnera, modo veluti opus misericordiæ, semper veluti effectus ejus voluntatis considerans, quæ suprema esse debet suæ voluntatis norma, nunquam turbari, agitarique potest. Non timet suam sibi elabi felicitatem, cumque hæc minime pendeat a bonis, quæ possidet, ab honoribus, & dignitatibus, quibus fruitur, quin illis adhæreat, ab illis divelli, eorumque jacturam facere non reformidat. Ita fortunæ ipsius mutatio felicitatis ejusdem mutationem non gignit, & nunquam suam pacem, ac tranquillitatem amittit. *Abbas de Monmorel sermone pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

In terrenarum rerum possessione pax & requies non invenitur.

Verum est; in mundo videntur homines florenti fortuna gaudentes, & qui meritis, opibusque suis majorem aliquando referunt mercedem; at ulline voti sui compotes conspiciuntur? Esto quidem opibus, & honoribus diffluant, ac mundus se ipsum exhausisse videatur, ut illos ad numeris omnibus absolutam prosperitatem eveheret, verum num ideo contentum est cor eorum, nihilne ulterius desiderant, beatosne se putant, ac in ipso felicitatis sinu ipsam revera inveniunt felicitatem, & tranquilla pace fruuntur? Nonne e contra, Sanctus Chrysostomus inquit, in hujusmodi statibus pax infrequentius, ac difficilius reperitur? Nonne inter magnas opes magnæ acerbitates occurrunt? Quis eorum numerum recensere posset, qui eo pervenerunt, ut essent calamitosiores, utque suam infelicitatem apertius sentirent? Attamen nihil reliquum fecerat mundus, quominus eorum ambitionem expleret, eosque favoribus suis cumularet: sed mundus simul favoribus suis immiscuerat semina amaritudinum, quæ ab illis separari non poterant & quæ brevi uberes doloris fructus erant paritura. Mundus illos opulentos, ac potentes efficiens, quidquid opis suæ erat, illis contulerat; verum non poterat illis tribuere hanc satietatem, hanc pacem cordis, sine qua nec potentia, nec opulentia prohibere poterant, ut status eorum miser esset, atque molestus. Quamquam felices viderentur, quot, quantaque deerant illis, ut essent? At enim illi sibi tantum succensere debebant, inquies, neque enim infelices erant, nisi quod erant insatiabiles. Ego vero respondeo: sed cur licet mundi bonis cumulati, adhuc insatiabiles erant? nisi quod, Sanctus Chrysostomus addit, hæc explorata, constans, æternaque veritas erat, mundi favores, quantumvis affluant, nunquam explere posse cor humanum, & efficere, ut inveniat pacem, & requiem, quæ in Deo tantum invenitur. *P. Girust in Adventu sermone de Sanctis.*

Peccator nunquam fruitur pace.

Exploratissima veritas est, peccatorem nunquam frui pace, statim ac ille affectuum suorum fræna laxa-

lustravit, anima illius furenti procella agitatur. Tristitia, incertitudo, pavor sibi in illa succedunt, quæ modo oppressa est, modo dilaniata, modo concitata. Vitia secum pugnantia suos habent obices, suosque inimicos, eorum opposita negotia contraria exposcunt consilia, semet torquent, & fatigant, & quin invicem sibi suppetias ferant, mutuo irritantur, & augent tumultum, qui eos comitatur. Peccator inter varia hæret anceps consilia, plures sibi proponit fines, & ab uno recedit, ut alterum amplectatur; easque experitur impressiones, quæ ipsum ad finem eumdem perducere nequeunt. Sese in hanc partem vertit, sed trahitur in alteram; sese huic tradit objecto, at objectum aliud efficit, ut illum cœpti pœniteat; semper agitatus, vinctus, servus, nunquam sibi æqualis, & constans, nunquam contentus. *Liber cui titulus: Animadversiones in quædam religionis, Ethicæque argumenta.*

Deus unus cordi satisfacere, eique veram pacem tribuere potest.

In nobismetipsis quædam experimur desideria, quibus satisfieri nullo modo potest; validam, vehementemque propensionem, quæ nos supra statum illum, in quo sumus, attollit, quæ ad quemlibet obicem impatientia exardescit, & quæ nunquam invenit, ubi quiescat, quia illi omnia se indigna videntur. Cum hujus studii non aliud objectum sit quam voluptas, quies, felicitas, quas anima in terris invenire non potest, in earum perquisitione turbatur, & excæcatur, atque fallaces ingressa vias ut illuc perveniat, modo in ambitionem, modo in avaritiam, modo in prophanum amorem degenerat: quæ omnia, quin illi satisfaciant, eam magis irritant. Honores, opes, voluptates, & quidquid blandius illi exhibet mundus, possunt quidem rudi modo ad breve tempus eam fallere, sed explere non possunt. Itaut quemadmodum inde judicium nobis ferendum est de infinita illius extensione, fateri etiam debemus, eam nonnisi infinito bono, qualis est Deus, posse omnino acquiescere. Inutile igitur est eas voluptates, & eam quærere felicitatem, cujus idea nos perpetam decipit. *Ex libro cui titulus: Vitæ civilis officia.*

De fallaci pace, & lætitia impiorum.

Impiorum lætitia rapida est, quæ nihil habet durabile nisi tristitiam, quam relinquit. Lætitia est perfida, desinens in lacrymas; lætitia superficialis, quæ cor ipsum non tangit, vel quæ illius extensionem non implet: ea, quibus peccator egebit, eo plura illis, quibus abundabit. Divites esuriunt, Propheta Psalm. 33. inquit, domus eorum plenæ sunt, sed cor inane: *Divites eguerunt & esurierunt*. Voluptuosi inter ipsas voluptates adhuc desideriis conficiuntur; ambitiosus in ipsis honoribus inquietus est, & sollicitus; orbis dominator dolet virtutem suam intra terrarum fines esse coarctatam, quæ ipsius cupiditati nimia angusta videtur; & omnes desperantes in mundo se inventuros id, quod inexplebili eorum satisfacere valeat desiderio, naturam vel impotentiæ, vel crudelitatis insimulant . . . . Igitur quam incomprehensibile ænigma homo est? cur corde adeo magno sensus adeo humiles gerit? Cur mundi bona illius desideria non explent, vel cur illius desideria terrenis bonis occupantur? Nunquid æterna erravit Sapientia? nunquid cæli vel terræ bona, vel cor hominis fallunt? Vel potius o Deus! hoccine fuit tui amoris consilium? Ne hominem sine te beatum efficias, universum terrarum orbem facis impotentem; atque homini ostendens, ipsi non sufficere mundum, eum fateri cogis, Deum ipsi esse necessarium. *Ex sermone oblato Academiæ Gallicæ.*

Falsa mundi gaudia cordis pacem non pariunt.

Mundani gloria superficialis est; frontis quidem rugas delet, & faciei serenitatem inducit, verum ad cor ipsum usque non penetrat. Mundanus felix est, cum extra se est, vel cum affectibus, quibus perturbatur, obnoxius est; sed eo, quo ratio redit, momento, vel quo libertatis suæ possessionem recipit, statim ac mundanus redit ad cor, & serio se ipsum excutit, stimulos invenit, vel saltem mœroris, ac tristitiæ causas; quibus conficitur. Quot mortales post annos plurimos in omni intemperantiæ genere traductos confessi sunt, se nunquam retundere potuisse stimulos conscientiæ, quæ illos indesinenter torquebat? Non desunt alii, qui tranquilli videntur, & pacem se habere putant; verum quis scit, utrum cor illos mendacii redarguat, & utrum interiori lanientur vermi, qui frequenter adeo impios depascit? At cum fidelis pacem habet in corde, omnia illi pacata sunt, & anima gaudet tunc etiam, cum sævissimis cruciatibus corpus afficitur . . . . Mundani lætitia pura non est, reus est, cui custos aliquam permittit in carcere libertatem, & nugas suppeditat, quibus detineatur; sed reipsa suas trahit catenas, ac timere debet, ne in singula momenta judex, & carnifex præ foribus adsint? Cum hoc terrore potestne esse contentus? & quodcumque gaudii percipit, nonne amaritudine repletur per molestos effectus, qui peccatum subsequi possunt? *Ex tractatu quodam de conscientia.*

De Pace conscientiæ.

Conscientiæ pax hominem in adversis sustinet; impius stimulos habet, quibus in prosperis agitatur; cum ipso thronum ascendunt, illum inter voluptates sequuntur, quibus eam affundunt amaritudinem, quam sæpe digerere nequit. E contra vero conscientiæ pax mala mulcet, atque ærumnis dulcedinem miscet. Mala terribilia non sunt, nisi cum secum gerunt ultricis justitiæ characterem, quæ punit peccatum; sed cum conscientia, quin nobis exprobret crimina ultionem hanc promerentia, incessanter in Dei bonitate, & misericordia confidit, tunc malorum natura mutatur: horrorem, qui ea concomitatur, amittunt, neque haberi possunt deinceps, nisi tanquam salutaria documenta a Deo contra superbiam tradita . . . . Emundemus hanc conscientiam, eique pacem reddamus; hæc vitæ amaritudines mulcebit, ac in ipsis adversis tranquillos efficiet, & hilares. Si hanc possides, iis te replebit consolationibus, quæ percipiuntur melius, quam concipiantur, & exprimantur. Bona, honores, mundi voluptates eas non habent delicias, quæ cum illis valeant comparari, quas secum adfert Deus in animam, in quam ingreditur, & cui adhæret. Hæc Dei pax, quæ gratiæ, & gloriæ fons est, & quæ nos in hac vita, & in omnem æternitatem beatos efficit, deinceps unicum sit nostri amoris, nostrorum desideriorum, & affectionum objectum. *Idem.*

Quære ubi lubet, & invenies solam virtutis dulcedinem, bonæ conscientiæ testimonium, & animæ pacem confirmare cor, ejusque tranquillitatem inter hoc æstuosum mundi pelagus servare posse. Pietas a vitæ malis non præservat, & paupertas sæpius sanctorum pars est, quam nocentium: sed sanctitas interius auxilium suppeditat, quod neque ex pravo ingenio, neque ex tyrannide mortalium pendet. Pax, quam illa præstat, nullis est obnoxia tumultibus, fluminibus similis, semper fluit, quamvis venti perflantes aerem perturbent . . . Conscientiæ puritas ad pacem hanc constituendam omnino necessaria est. Rea conscientia potestne perhibere nobis testimonium, quod utilitati sit, atque solatio? Hoc si præstat, dupliciter mala est, quod sibi tunc etiam innocens videatur, cum sexcentis est criminibus coinquinata. Illusiones illius cenissime dissipabuntur, & fallacem hanc malaciam immedicabilis agitatio subsequetur. Bona conscientia sola est, quæ moraliter certos facere nos possit futurum, ut peccatorum veniam consequamur; at si Dei verbis non loquitur, quidquid ait, est inutile; sola bona conscientia nobis præbere potest hoc testimonium, quod nostram tranquillitatem, & gloriam constituit. Facito quodcumque lubet; dum vitium, & peccatum regnant in conscientia, vera pax haberi non potest. *Idem.*

Extra Deum nulla vera pax est, nulla lætitia.

Supremus rerum Dominus unicum æternæ felicitatis objectum non vult, nos vel uno momento sine ipso pacatos esse, atque felices. Creata omnia,

quibus

quibus uti possumus, ut nostris affectibus indulgeamus, ille in suppliciorum nostrorum instrumenta convertit, omnia consilia nostra, quæ magis blanda sunt, omnes nostræ spes magis suaves phantasmata sunt, & inania spectacula, quæ fingit imaginatio, ut laboribus nostris dulcedinem quandam affundat. Omnes istæ voluptates, honores, bona, dignitates, quæ cupiditatem nostram saturare debuisse videntur, nostram augent miseriam, & cupiditatem irritant. Deus ut injustam mundanorum ulciscatur prælationem, permittit, ut quidquid videtur illos diutius tranquillos facere debere, eos inquietos, & infelices efficiat. Frustra fortunam, vel honorem nobis tanquam felicitatem proponimus, hæc nostra tormenta fiunt; frustra in voluptatibus beatitudinem collocamus; quidquid suavius, & jucundius est, non longe distat a nausea, & nulla est lætior, quæ in mœrorem non convertatur. Ita voluisti, Domine, omnem animam in affectibus suis inordinatam, ac injustam suum sibi esse supplicium. Haud ita; nemo in mundo felix est. Aliquis sibi quidem felix esse videtur: sed heu! si curarum illius, pœnarumque mysterium penetrare posses, sub cortice hoc, ubi nil videtur, vitus, & corruptionem conspiceres, Videres patrem offensum filio, virum ab uxore diffidentem, amicum amico insidiantem, videres sub speciosis integumentis pacta violata, prodita amicitiæ jura, affinitatis vincula fracta, arctissimas cognationes odio, & perfidia divulsas, & nitidissimas etiam fortunas omnem jucunditatem per eas, quas complectuntur, acerbitates amittere. *P. Massillon.*

Peccata præterita pacem, & lætitiam peccatorum perturbant.

Quantumvis mundi illecebris, deliciisque abditus sit peccator, tamen præsentes, quas illic invenit voluptates, non ita animam illius occupant, ut aliquando saltem oculos non convertat ad præteritos suarum iniquitatum annos. Hi tenebrarum dies, quos absumpsit, non ita ex animo illius elapsi sunt, ut tristem eorum recordationem secum tacitus aliquando non reputet. Importuna flagitiosæ vitæ suæ imago, quæ illum fatigat, ingens illa congeries criminum, quæ subinde per intervalla sese illius obtrudunt conscientiæ, majorem semper, quam antea, illi horrorem cient: quippe omnia illa scelera, quæ olim divisis patrabat temporibus, uno oculi ictu intuetur. Tot gratiæ neglectæ, tot violatæ promissiones, tot prophanata Sacramenta, tot cœlestes afflatus contempti, tot amica momenta vitio suo sibi elapsa, tot infirmitates, de quibus gloriabatur olim, & quarum nunc illum pudet, totidem monstra sunt, in quæ peccator ne oculos ferme quidem auderet attollere, quin gravissimo dolore, acerbissimisque stimulis pacem ipsius perturbantibus conficeretur. Si præteritum respicit tempus, se præbet infelicem; & ut pacate imaginatis sua felicitate fruatur, non cogitet, opus est, omni careat sensu veluti stupida animantia, & vita prorsus carnalis corporis ejusdem rationem ipsius omnino vecordem efficiat. *Idem sermone pro secunda Quadragesima Dominica.*

Nihil in hoc mundo perturbat pacem justorum illam in Deo collocatam.

Ineffabilis Dei bonitas sexcentas suggerit animæ fideli consolationes in eo, quod mundanis negotium facessit: nihil eos terret, nihil molestia, vel dolore afficit, præter peccatum. Optima illos non tentat fortuna; gravissima illos non sternit adversitas; nullo habet in discrimine ea mala, quæ mundi inconstantia illis parere potest; ac sine ulla perturbatione videt funestas mobilis hujus fortunæ vices, quæ in miseris lapsibus, quos gignit, recentia semper mortalibus præbet spectacula. Hæc anima justa ibi recensionem quodammodo fieri videtur hominum prorsus terrestrium, qui semper intenti sunt, ut se ipsos fallant, ut ex alienis crescant ruinis, qui semper bellum gerunt, qui nunquam pacem habent, qui in id solliciti omnes industriæ, gratisque nervos intendunt, ut competitorum suorum irritent consilia, ut æquales post terga relinquant, ut superioribus coæquentur, nova semper ambitionis argumenta animo revolventes, semper agitati, nunquam tranquilli. Hoc animæ justæ in præsenti mundi statu considerant, & tot injustos, inutilesque motus admirantes, se beatas putant ea in tranquillitate, quam sua sibi comparat virtus; dum interim non sine quadam miserationis specie, vident mundanos tristes, mœrore confectos, agitatos, quin unquam pacem inveniant, & quietis dulcedinem gustent. *Idem.*

Adhortatio ad peccatores, ut quærant in Deo potius, quam in hujus mundi bonis suam pacem, & requiem.

Vos, o peccatores, qui inter has turbas, atque agitationes vitam traducitis, eamque secundum mundi placita conservatis, mementote, fluxa hæc bona, quibus occupamini, inconstantes has voluptates, quas consectamini, socios esse infideles, quid ad aliquod tempus vos seducunt, & qui non multo post sævissimis vos obruunt curis, ac funestissimis tumultibus laniant... Numquid ergo tanta hæc mala negligere potestis? Cordi vestro fallacis hujus mundi nihilum potest satisfacere? Cum illum serio consideratis, quid ibi invenitis, nisi horridum meritorum, ac virtutum inane, atque juges agitatæ conscientiæ amaritudines? *Idem.*

Fides, quæ adhuc in peccatore lateret, turbat pacem, quam in mundi voluptatibus invenire se putat.

Equidem scio fidem in corde simul cum peccato permanere adhuc posse: sed fidei certitudo in hoc peccatore esse non potest, nisi fons curarum, acerborumque stimulorum, quibus torqueatur. Utique fidei certitudo voluptuosum hunc hominem torquet, qui sensuum voluptates cum mortificatione Christiana conciliare non potest; avarum hunc torquet, qui toties videt amorem suum perituris bonis addictum; ambitiosum hunc torquet, qui contra Evangelii leges rebellat; ita ut hæc fidei certitudo, quæ omnes bonorum virorum curas mulcet, ac dissipat, in vobis, o peccatores, tumultus, timores, & mœrores instauret, & hæc fidei lumina, quæ justis sunt consolationis fontes, in vobis ultricia sunt lumina invitis detegentia id, quod nunquam scire velletis. Fides vestra in antecessum est pœna vestra, atque religioni vestræ cogitatio vobis infernus est. *Idem.*

Non extremum, quod fides in corde bonum producat, est ibi solidam, mansuramque pacem statuere. Omnes in nobismet æquitatis, & rectitudinis principia gerimus: & in lucem prodimus non sine optionis sensibus erga bonum. Etiam si ultro ad virtutem non ferimur, hæc tamen sese nobis offert sub ea specie, qua commendatur; atque in ipsis nostræ conscientiæ recessibus nescio quid sentimus, quo neminem, qui virtute careat, felicem esse posse admonemur. Hic quidem naturalis est sensus, verum certitudo non est. Itaque quocumque proficiscamur, & quemcumque in terris locum teneamus, semper in nobis importunum gerimus Judicem, qui nos ab erroribus revocet, & qui acribus redargutionibus suis inter ipsas voluptatum delicias infelices nos faciat. Hæc sors est peccatoris. Ubique invenit mœroris, timoris, sollicitudinis causam; qua torqueatur, infelix eo quod naturalem inclinationem suam vincere non potest, longe infelicior, quod conscientiæ suæ stimulos obtundere nequit. *Idem.*

Peccator in terrenis nunquam solidam invenit pacem.

Peccator quo magis mundum amat, eo minus vera pace perfruitur: tunc enim curæ illius magis crescunt, desideria irritantur, turbatur spiritus, imaginatio confunditur, sensus aberrant, ac ipse sua festinatione torquetur. Terrestris, & carnalis amoris ipsius magnitudo fons est omnium tumultuum, ac dolorum ejus; quo magis diligit mundum, eo majorem illi cogitationes suæ pariunt impatientiam; quo magis diligit mundum, & levis aliqua jactura dolore illum afficit, eo magis casus, quo ab eodem divellitur, illum angit; quo magis diligit mundum, eo magis necessariæ eidem fiunt voluptates, & quemadmodum nulla ei satisfacere potest, eas omnes execratur, quamvis eas relinquere nequeat. Mundus cum omnibus illecebris suis eum tædio afficit, mundus cum omnibus honoribus, atque solatiis illum fatigat, eique nauseam parit, & ipse pacem, & requiem, quam perquirebat, nunquam potest invenire. *Idem.*

Scio

In mundi fectatoribus speciosa aliquando videtur pax sed pax ista fallax est.

Scio equidem, mundum, quantumvis laboribus, curisque diffluat, posse tamen habere suas voluptates, atque inter mœrores, & pœnas, tumultus, ac sollicitudines, semper quamdam adesse mundum, qui apparenti pace, & tranquillitate fruatur. Verum diligentius excute hos homines, qui adeo pacati videntur, quid ibi videbis? corda curis, rimosibusque laniata, conscientias stimulis derosas, & agitatas. Propius inspice hos vultus, qui tibi contenti, sereníque videntur, eosque intus turbatos, & inquietos esse cognosces. Audi hos homines eo tempore, quo tibi pacatiores videntur, & quo illos hilares, lætosque arbitraris, felicibus illis momentis, quibus affectus animo inducias quasdam videntur relinquere, & corpori aliquam requiem concedere, quid tibi dicunt? Fatentur, quantumvis alacritatem ore præseferant, se nihilominus intus agitatos esse: ob fortunæ suæ curam esse sollicitos; sollicitudinem, qua aliquem honoris gradum obtinere conantur, non pati, ut vel ullam gustent voluptatem, vel requiem capiant, ac se in violento, coactoque statu versari. Ajunt quidam, se votis omnibus felix illud momentum expetere, quo honeste rebus terrenis vale dicant; alii inquiunt, se vitæ magis frugi, sanctæque initium velle tandem aliquando facere, atque his verbis fatentur, se inutili labore in mundi hujus bonis pacem quæsivisse, neque eam invenire potuisse. Vos ipsi, qui me auditis, o mortales, nunquid vestra felicitas aucta est, cum auctæ sunt opes, & honores aucti? Appendite hinc quidem amaritudines omnes, quas vobis attulit mundus, inde vero voluptates omnes, quas vobis procuravit, & videte, an illæ his superentur. Conscientiam vestram interrogate: nunquid inter suavissimas delicias non sentitis, Deum vobiscum non esse? Estisne de hoc mundo contenti, & citra conscientiæ latratus eidem servitis? Contigitne vobis unquam, ut in summa pace, quam vobis mundus procurare potuis, tranquillam conscientiam vobismet concinnaretis? *Idem*.

Homo intra Deum requiem, & felicitatem suã invenire non potest.

Cor hominis factum est, ut amet; cumque in se ipso nihil invenire valeat, in quo suam constituat felicitatem, inde egreditur sperans se alibi inventurum, quod sibi deest. Cum temporalia bona prima sint objecta, quæ sesa illi offerant, illis successive adhæret spe adductus, non defuturam illic sibi felicitatem, ad quam se natum sentit; sed quam frustra semper inquirit, donec non adhæret Deo suo, qui unus desideria ejus potest adimplere. Hic enim unus est, Sanctus Augustinus inquit, quem nos propter ipsum diligimus, & beati esse non possumus, nisi possidentes illum, qui est omnium bonorum finis, ac esse debet terminus omnium desideriorum. Pro te nos fecisti, magnus ille Doctor ajebat, & cor nostrum semper erit inquietum, donec requiescat in te. *Abbas de Monmorel Homil. in 14. Dominicam post Pentecosten.*

De pace, quam Dei filius dat Apostolis suis.

Cognoscere debetis, quantum bonum sit ista pax; oportuit enim, Dei filium in mundum venire, ut illam afferret, laborare, ut illam procuraret, prædicare, ut promulgaret, mori, ut signaret, resurgere, ut ratam, tectamque faceret, ac tandem in cœlum ascendere, ut illius possessionem nobis certam efficeret .... Jure quidem, Salvator adorabilis, dixisti Apostolis tuis, te illis pacem relinquere, longe aliam ab ea, quam mundus dare consuevit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Joann. 14. Mundus pacem quidem promittere potest, dare autem non potest; ego vero hanc do vobis eadem facilitate, qua illam vobis promitto. Mundus imperfectam tantummodo dare potest pacem, ego autem illam do vobis absolutissimam. Mundus brevi mansuram, ac sexcentis amaritudinibus commixtam pacem dare potest, sed illa, quam hodie do vobis, constans est, æterna, atque cum omni felicitatis genere conjuncta: *Pacem meam do vobis &c. Fromentiere, sermone hujus argumenti.*

Antiquorũ Philosophorum error de ratione pacem sequirendi.

Philosophi scite quidem, ac sapienter viam excogitaverant ad pacem acquirendam, si ad hanc mortalibus pervenire licuisset; si videlicet nihilo eorum cuperent, quod in sua positum potestate non esset: hoc enim pacto hominis cupiditatibus omnino satisfactum fuisset; nihil enim exoptassent, quod ipsi sibi tribuere non potuissent. Verum non adverterant, animam non esse desideriorum suorum arbitram; eorum quædam esse naturalia, quæ divelli omnino non possunt: illam facere, exempli gratia, non posse, quominus se non falli, nullum pati malum, & nunquam mori cupiat; atque fieri nequaquam posse, quod hoc bonum cupiens sit in pace, dum nondum possidet illud; quoniam voluntas ejus contenta non est. *Ubi pax*, Sanctus Augustinus ait, *ubi requies, ibi finis appetendorum*. Melius profecto argumentati fuissent Philosophi, si dixissent, ad pacem obtinendam certissimam esse viam, omnia desideria sua Dei beneplacito subjicere, atque unum illum exoptare. *Essais de morale tom. 4.*

Falsa pax impiorum.

Sanctus Bernardus ait, charitatem perfectam, consummatamque iniquitatem in hac re convenire, quod utraque parit securitatem: *Sicut perfecta charitas expellit timorem, ita consummata iniquitas dat securitatem*. Peccatores igitur sunt in pace: sed, bone Deus, in qua pace! Quam magis funesta pax ista est ipso bello! Præstaret, quod peccatores cum Deo, suaque conscientia bellum gererent, quam hac pace gauderent. Præstaret, quod sceleris imago ipsorum lætitiam, & voluptates perturbaret, quam in hac requie vitam traducerent. Hæc est insensibilitas, hæc est stupiditas deplorabilis. *De S. Martino in Quadragesima.*

Deus peccatorum pacem, ac lætitiam perturbat.

Deus benignam exercet violentiam erga complures, ut illi etiam contra affectuum suorum oppositionem in uno ipso requiem inveniant. Aliorum infringit consilia, aliorum fortunas evertit, adversatur, ne eorum conatus e voto cedant; illos inutili terrenorum bonorum perquisitione fatigat: contra illos mundum suscitat; efficit, ut ubique infidelitatem, atque injustitiam experiantur; illos suffundit opprobrio, & ignominia, ut eos ad sui perquisitionem impellat: denique non sinit, eos ullam in mundo invenire pacem; quæ res illos cogit ad ipsum confugere, ac semet in ejus sinum conjicere. Illic unice pacem inveniunt, quam inutili labore alibi quæsiverunt, alia quælibet via præclusa eos in cœli viam ingredi cogit. *Ex specimine Ethicorum tom. 5.*

Plurimi fallacem pro vera pacem inveniunt.

Non desunt, qui veram non invenientes pacem, passim fallacem inveniunt, quæ utiles conscientiæ ipsorum stimulos sedat. Inveniunt confessarios, a quibus falluntur, & qui illis pacem annuntiant, ubi nulla pax est; inveniunt, qui probent fœdus ab illis inter propria commoda, affectus, ambitiosos conatus, atque vitam, quæ Christiana, ac pia creditur, sancitum: inveniunt, qui plaudunt iis omnibus, quæ ab illis fiunt, ut vel sibimetipsis, vel filiis, vel affinibus ad dignitates, & bona, vel secularia, vel Ecclesiastica aditum faciant. Avaritia, vel ambitio, Sanctus Augustinus inquit, culpa vacare creduntur, cum in ea, quæ palam vitiosa sunt, non impellunt. Beneficia beneficiis aggeruntur, ad illa sine ulla vocatione, ac sine sincero sese vovendi Deo, ac sibimet vivendi desiderio obrepunt. Attamen nunquam desunt confessarii, qui ista negligant, dummodo extrinsecus ab insignibus sceleribus immunis sis, ac ideo in pace vivis. *Ibidem*.

Perfecta pax frustra in mundo quæritur.

Irrito sane labore pacem in mundo quæris: homo semper in jugi bello vivit; bellum extra, bellum intus, circumundique bellum est, in animo rebellio est, tumultus in corde, in affectibus defectio: *Militia est vita hominis super terram*. Job 7. Cum Deus sit centrum cordis humani, in uno illo tantum homo hanc requiem, & pacem invenit, *quam mundus dare non potest*. Quære, omnia simul collige terræ bona; te beatum nequaquam

quam efficient, non enim tibi auferent causam tuæ infelicitatis, videlicet cupiditatem: *Omnes res temporales non conferunt veram felicitatem, quia non adimunt cupiditatem.* Hi amant, quod non habent, illi quod habent, non amant; neutri felices sunt, non enim contenti sunt. In te uno, Deus, vera invenitur felicitas; nam quantumvis vastum, & infinitum sit cor hominis, tu illius vota explere, & desideriis satisfacere vales. *Specimen sermonum pro secunda Quadragesima Dominica.*

Beatorum pax, & tranquillitas in cœlo.

Altera res, quæ gaudium magnum in voluntate beatorum gignet, erit quies quædam incomparabilis, & satietas sine fastidio, quæ illos pacatos, & contentos modis omnibus reddet. Hic certè in terris nemo est sua sorte contentus; nemo, qui non multa cupiat, quæ obtinere non potest. Inde omnes famelici, omnes sitibundi, omnes inquieti vivunt. Neque mirum id videri debet, cum animus noster sit capax boni infiniti, & sempiterni, & res creatæ parvæ sint, & fragiles, quæ diu permanere non valent. Quale igitur gaudium erit illi homini, qui sese in loco constitutum cernet, ubi plane omni ex parte contentus vivet? ubi nihil desiderabit, nihil timebit, nihil requiret, nihil ambiet amplius? O pax exsuperans omnem sensum, quam mundus non potest dare, & quæ sola invenitur in cœlesti Jerusalem, civitate Regis pacifici, & magni. Ad te suspirat peregrinatio nostra, quæ plena tentationibus, & sollicitudinibus in sola tui memoria, & expectatione aliquantulum requiescit. *Bellarminus de æterna SS. felicitate tom. 4.*

Quomodo Dei filius nobis pacem dedit, & procuravit.

Mirum profectò, fideles, est, quod homo secum ipse minime consentiat: oportuit, Deum de cœlis descendere, ut in homine pacem statueret. Verum quomodonam hanc illi Deus dat pacem? Nonne hoc Spiritus Sancti oraculum est, hominis vitam super terram esse bellum juge? Nonne Sanctus Paulus ad Ephes. 6. nos admonet, formidabiles nobis hostes esse; nobis prælium non esse cum hominibus ex carne, & cruore compactis, sed cum dæmoniis, quibus tenebricosi hujus mundi est imperium? Denique nonne domesticos habemus inimicos? *Inimici hominis domestici ejus.* Mich. 7. Quomodo igitur pax potest haberi? Hæc omnia vera sunt. Heu! quomodo igitur Dei filius hanc, de qua loquimur, nobis attulit pacem? Hoc videlicet; quia Jesus Christus caro factus hominibus suppeditavit, quidquid ad veram acquirendam pacem est necessarium; illis enim gratiam suam tribuit, illos suo munit exemplo, itaut homo duplici hoc auctus præsidio in semet destruere valeat, quidquid prohibere potest, ne vera tranquillitate fruatur. *P. Claudius Masson in adventu, sermone de Nativitate Domini nostri.*

Cupiditas, & affectus nostri prohibent, ne interiori pace fruamur.

Propria cupiditas nostra, nostrique affectus domestici sunt inimici nostri, quibus utuntur dæmones, ut in nobis funestum semper dissidium foveant. Hujus veritatis non quærendum est aliud testimonium, quam nostræ conscientiæ; verum ut hac de re melius adhuc nosmetipsos persuadeamus, satis est ad breve momentum extra nosmet egredi, & quid in mundo fiat intueri. Quam pacem exempli gratia gustare potest ambitiosus, interdiu, noctuque occupatus cogitando, qua arte votorum suorum summam consequi valeat? Itinera, labores, sollicitationes, ambages, preces, sordida etiam abjectio, omnia tentanda sunt. Numquid obtinuit, quod expetebat? Ne credas ideo cupiditatem suam cum ipso inducias facere; novi exerendi sunt conatus, ut altius assurgat, novaque pericula subeunda sunt. Quæ turbæ, quæ sollicitudines? Numquid beatior est sors avarorum? Quid ait Jesus Christus Matth. 13. de divitiis loquens? *Sollicitudo hujus sæculi, & fallacia divitiarum.* Non ait *Divitiæ*, sed sollicitudo, & fallacia divitiarum, ut innuat tumultum, quem secum naturaliter afferunt. *Idem.*

Creata omnia pacem inquirunt.

Creata omnia, ea etiam, quæ maxime sensu carere videntur, pacem, & requiem inquirunt; quæ res efficit, ut tanto ardore, ac impetu ferantur in centrum atque in jugi violentia, & agitatione perseverent, cum ab eodem separata sunt; non enim, nisi in centro suo eam, quam inquirunt, requiem possunt invenire. Humanum cor nihilo impensius, quam aliæ creaturæ, pacem optat, neque minori cum sollicitudine illam perquirit. Omnes illius conatus, ac motus non alium, præter hunc, terminum habere videntur, sed quoniam in centrum suum nequaquam, ut illæ, necessaria fertur determinatione, ideo homines pacem inquirunt variis rationibus, ac variis adhærent objectis illam inventuri. Frustra impii creata, terrenaque bona consectabuntur; pacem, quam quærunt, non invenient. Possidebunt illi quidem terræ bona, honoribus cumulabuntur, vitæ voluptatibus perfruentur; sed inter has voluptates cor eorum sexcentis erit confectum curis; quæ hos illi honores non ferendos efficient; sed inter hæc bona, & has opes cor habebunt omni solatio vacuum: & non solum in his objectis requiem, & pacem quæsitam non reperient, sed mœrore, tumultu, amaritudine replebuntur. *Auctor Anonymus.*

Deus impiorum pacem per eorum peccata perturbat.

Deus ex ipsis impii peccatis obices haurit, quibus utitur prohibiturus, ne ille pacem inveniat. Impius pacem habiturus a Deo defecit, eamque inventurum se putavit, si affectibus suis satisfaceret, atque terrena hæc bona consectaretur; atque hanc ipsam ob causam Deus pacem illius perturbare gaudebit. In impii peccato tria consideranda sunt, causa peccati, peccatum ipsum, & objectum peccati: causa peccati, illius videlicet affectus; peccatum, quæ est rebellio contra Deum; objectum peccati, videlicet vitæ hujus bona. Tria, per quæ impius pacem se inventurum sperabat, & quæ nihilominus sunt tria illa, quibus utitur Deus effecturus, ne ille hanc consequatur. *Idem.*

Quid agis, ut interius hoc bellum sedes, ut rebelliones ad pacem revoces, ut cordis tui quietem procures? In affectuum tuorum partes discedis, ac illis omnia postulata concedis, & speras te hoc pacto tumultus omnes sedaturum, & cordi pacem, quam amiserat, redditurum? Quam longe falleris, & quam cito senties, pravam te arripuisse viam, ut tibi pacem procurares. Nunquid hoc est dissidentes conciliare partes, omnia alteri concedere, alteri vero negare omnia? fides, & ratio tua nonne turpi huic divisioni adversabuntur? Nonne indesinenter illæ tibi objicient hujus prælationis indignitatem, qua ipsarum lenitati, & sapientiæ tuos affectus præponis? Nonne inter tenebras, in quas te tui trahunt affectus, tibi præferent facem, ut funestos flagitiorum tuorum exitus intuearis? Nonne inter voluptates tuas te perturbabunt adspectu malorum, in quæ te ipsum præcipitem agis? Poterisne cor tuum huic intuitum sustinere, quin perturbetur; atque tot inter tumultus poterit tranquillitatem servare? *Idem.*

In mundo nunquam veram pacem inveniemus, si nondum illam invenimus.

Ne speremus nos in posterum pacatiores, magisque contentos futuros, quam hactenus fuimus. Si vera quiete in hoc mundo frui debebamus, satis jam viximus, ut illam inveniremus, & quandoquidem nondum venit, ne putemus illam, deinceps venturam. Semper utiles in nostra conditione mutationes fieri posse expectabimus; sed vita nostra in hac expectatione atteretur, donec mors illius vanitatem nobis aperiat. Si quid nobis acciderit adversi, hoc eo majorem nobis afferet sensum, quo magis nos beatos futuros expectavimus; sin autem aliquid prosperi nobis contigerit, primorum consiliorum complementum majora suggeret nobis: ita cæcorum instar in orbem circumagemur, nova semper, sibique succedentia consilia foventes; hæc quippe vitæ hujus bonorum natura est, quod cupiditatem, quam extinguere debere videntur, magis accendunt. Hoc pacto cor nunquam erit pacatum, donec requiescat in Deo, &

hunc

hunc sibi veluti votorum omnium objectum proponat. *Specimen sermonum pro quarta post Epiphaniam Dominica.*

Qui requiē in bonis mundi hujus requirunt vias pacis nesciunt.

Haud ita; pax in mundo non invenitur, & qui illic suam requiem inquirunt, non norunt vias, quæ ad veram pacem adducunt, ut ait Propheta Psalm. 13. *Viam pacis non cognoverunt*. Finge tibi hominem affectibus suis mancipatum, & qui animæ suæ statum secundum fortunæ mobilitatem moderatus, sese temere tradit cunctis motibus, quos varia vitæ hujus vicissitudines possunt inspirare. Quibus turbis cor illius non agitatur? Dum animæ suæ pacem in infinitis propemodum rebus constituit, quæ in sua potestate non sunt, quibus motibus, ac mutationibus patet? Quomodo fieri potest, ut hæc omnia, quæ ad quietis suæ constitutionem debent concurrere, simul occurrant; ut tot diversi spiritus, quorum sensus regere debent sensus illius, ita affecti sint, ut ille cupit, ut ea tot causis, quæ sustinent, animantque, ut ita dicam, pacem hanc artificialem, quam ipse in semet efformat, ne una quidem deficiat? Hinc judicium fieri potest de fragilitate hujus pacis, quam levis suspicio perturbat, quam verbum unicum frangit, quam impetus aliquis aufert, quam unicus oculorum conjectus dissipat; & quæ, cum infinitis egeat subsidiis, ut vigeat, cadit, statim ac aliquod ex tanto numero deest. *Ibidem*.

Vera pax extra virtutem nulla.

Nobismet persuadeamus aliquando nullam nisi in virtute pacem veram esse. Si inordinatorum desideriorum tuorum impetum sequeris, quantumvis modicum tibi religionis adsit, conscientiæ tuæ stimuli diu te pacatum non sinent: si affectus tuos oppugnare aggrederis alio armorum genere, quam sinceræ virtutis, videlicet servilis metus argumentis, carnalis prudentiæ principiis, miseræ hypocrisis simulatione, fieri nequit, ut cor tuum nihil habens, quo voluptatum suarum privationem consoletur, atque vanis tantum, & invalidis suffultum præsidiis non amittat pacem, & non decidat in tumultum, & inquietudinem. *Ibidem*.

Quæ tria potissimum pacem turbare consueverunt.

Tria interiorem perturbare pacem, & humanum cor sollicitare consueverunt. Primum est præcipitatio: alterum agitatio ex ardenti aliquo desiderio, vehementique affectu profecta: tertium funesti casus, persecutiones, & vitæ hujus adversa. Præcipitatio omnino cordis requiem perturbat. Videntur mortales ita affecti, ut nonnisi in sollicitudine vivere valeant. Nunquam contenti sunt quam cum plurimis sunt negotiis impediti, cumque prioribus defuncti sunt, alia aucupantur. Hæc eorum natura est, undique urgeri. Id genus homines dolent, & conqueruntur, attamen requies illorum in malo ipsorum sita est. De illis dici potest, pœnam illos semper sectari, eos vero pacem nullibi posse invenire. Defectus iste non iis tantum communis est, qui suis indulgent affectibus; plures etiam boni huic sunt obnoxii, cum nunquam satis didicerint coercere impetus suos, vel audire vocem Spiritus Sancti, qui nos intra nos revocat, ubi pacem, & requiem invenimus. *P. Surin, in libro cui titulus, dialogi Ascetici lib. 2, cap. 2.*

Immortificati affectus referunt pacē cordis.

Homo, cui violentus dominatur affectus, quem ira rapit, quem metus agit, vel aliqua similis animi perturbatio cogit, similis est æstuoso mari. Hinc in Deo nequit quiescere, qui in pace duntaxat inhabitans, in ipso permanere non potest. Ideo omnes illi, qui ad perfectionem anhelant, student mortificare acres affectus suos, quibus cor ipsum urgetur, & minimas etiam emotiones cohibentes Deo uni adhærent, eique satisfacere satagunt. Diu sibimet persuadere conantur, nihil esse dignum, quo moveamur, præter purum, hoc Deo placendi desiderium. Hoc pacto desideriis, & affectibus vacui cor suum in profunda pace constituunt. Alia tumultus cordis nostri causa sunt externi casus, quibus affectus nostri excitantur: sed anima, quæ ad perfectionem contendit, prohibere debet, ne ob quemcunque casum in se inordinatus aliquis affectus insurgat, ita ut persecutiones; injuriæ, morbi, adversa, aut quodcunque infortunium eam minime valeant perturbare. Illi vehementer errant, qui zelum, & charitatem prætexentes exardescunt, commoventur, agitantur: quasi liceret uspiam pacem amittere ob vel bonum aliquod procurandum, vel malum prohibendum. *Idem*.

De bonorum pace.

Ille vera oblectatione perfruitur, qui cogitat se, quod suum est, peragere, ab recta virtutis via non recedere, omnium sapientum mores, ac instituta sequi, ac Deo, eidem inserviendo, præstare ea, quæ tenetur. Hæc tranquillitas est, in qua conscientia quiescit, & quæ illam de præsenti, ac futuro sollicitam nequaquam tenet, quin aliquid de Christiana amittat humilitate.

Excutere nosmet debemus, utrum nobis fallacē conclusimus pacem.

Num in memetipso fallendo peritus, ac mordicus meo inhærens errori, conscientiæ meæ silentium indixi? Post tot prælia, nunquamne tandem triumphum retuli? Hoc nosti, Domine; verum ne tradas me fallaci asserti hujus triumphi dulcedini. Vocem tolle, & fac, ut circum me vehementius, quam antea divinum verbum tuum circumsonet. Frange illecebras, quæ me fascinant; quo minus mihi parces, eo magis me diliges, ac severitas tua mea erit felicitas. Quonam me deduxisset, Domine, requies illa, quam extra vias tuas gustare incipiebam? Velut ille, qui fluminis impetu se rapi sinit, ad interitum festinabam, quin hoc intelligerem. Sequebar cupiditatem meam, & affectionem meam ipse fovebam. Deficiente conscientia, cujus omnia lumina jamjam penitus extinguebam, sensusque omnes suffocabam, corruptam dumtaxat naturam audiebam; & cor meum indulgens inordinatissimis cupiditatibus, nullum fere ultra obicem inveniebat. Actum erat de me, Deus, nisi aliquot offudisses nebulas huic diei, quæ adeo serena videbatur. Misericordiæ tuæ actus mihi acceptissimus ille est, qui me gravissime vulnerat. Immortales sint providentiæ tuæ gratiæ, momentum hoc me ad me ipsum revocavit per dolorem, quem attulit animæ meæ, ac tumultum quem in eadem excitavit. *P. Giroust, in Adventu, sermone de falsa conscientia.*

Pax fallax quæ oritur ex errore, in quo sumus.

Deploramus aliquando infelicem peccatoris statum, cum ille insanis affectibus suis abditus est, atque per tyrannidem malorum habituum factus est peccati mancipium. Illius miseriam deflemus, salutis ejusdem metuimus; at status animæ, quam error fefellit, nonne uberioribus lacrymis est prosequendus? Peccator ille saltem se errare novit, atque ob oculos suos habet imaginem sceleris sui, & si majori cum cognitione peccat, ideo etiam difficilius ad frugem reverti potest. Attamen vitiorum tædia, virtutis decor, conscientiæ stimuli, judiciorum Dei metus sunt veluti totidem voces, quibus ad officium revocatur. At longe accidit peccatori erranti, & errorem suum nequaquam intelligenti. Omnis reditus huic obstructi sunt: quoniam sine cognitione peccat, ita etiam sine stimulis peccat. Vermis, qui flagitiosi hominis pectus laniat, in corde illius quiescere videtur, & conscientia, quæ adeo salutaris est, cum illi malum exprobrat, sive illum fallat, sive fallatur, eum in profunda tranquillitate relinquit, quam nihil perturbat. Tunc omnis curationis spes abest; tunc nunquam advertitur animus reformandis moribus, atque in rectam viam redeundo; nullus timor est, nulli stimuli, nulla sollicitudo. Conscientia, quam magnus quidam Antistes cordis Evangelium, & gratiæ essentiam appellat, nihil inquit; de præsenti contenta, de futuro non sollicita, plenissima requie, & perfecta gaudet securitate. Funestum hominis statum, ubi error proprius pacate regnet in animo, motus illius regat, eumque per levem, facilemque viam ad deplorabilem mortem adducit. *In sermonibus Gallicæ Academiæ oblatis anno 1683.*

Pax, & gaudiū in uno tantū Deo inveniuntur.

Unquamne ab ipsis mundi incunabulis ad hæc usque tempora visum est cor perfecte contentum, quod in creatis rebus, & extra Deum suam oble-

ctatio-

stationem quæsiverit ? Mundus ullanne unquam beatum potuit efficere? Pax, & gaudium verum in uno inveniuntur Deo: quodcumque facias, ac possideas, anima non aliud, quam unum Deum, habens centrum, in uno illo requiem suam potest invenire. Ita ille per Isaiam Prophetam cap. 48. exclamat: *Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris!* & per Apostolum ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*. Docet igitur Christiani gaudium esse perpetuum; pacem, & justitiam, quæ efficiunt, ut Deo præbeamus, quæ debemus illi, separari non posse. *Boudon in libro, cui titulus: Christianus ignotus.*

Quomodo animæ pax amittatur.

Pax animæ facile amittitur, & plures sunt, qui hanc nunquam obtinent, quamvis pietate, rebusque spiritualibus vacent. Pretiosa hæc pax nimia spiritus activitate, vehementi agendi ratione, prægravi negotiorum multitudine, atque occupationum multiplicitate ardentibus desideriis, violentis affectibus, sexcentisque aliis rationibus, quæ pacis nostræ inimicis patent, amittitur. Attamen interior hæc pax adeo necessaria est, ut animarum pleræque, eo quod in illa confirmatæ non fuere, nihil agunt propter Deum, atque perfectionem suam, in qua nunquam progrediuntur. Prima hujus mali causa, si recte æstimetur, proficiscitur ex quibusdam spiritus angustiis, quæ efficiunt, ut terrena hæc magno habeamus in pretio, & divina non satis pro dignitate faciamus. *Ex tomo primo Epistolarum P. Surin.*

Quinam veram pacem inveniant, & ea perfruantur.

Quod ad veram pertinet pacem, in illis tantum invenitur, qui invicta fortitudine suos affectus impugnant, & qui non quiescunt, nisi eos perdomuerint, ita ut dicere possint cum Propheta Psalm. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant*. Isti illi sunt, qui incessanter cum amore proprio confligunt, omnemque industriam, curamque, in minimis etiam motibus illius comprimendis collocant, ne in se aliquid habeant, quod prohibeatur, ne Deum, uti opus est, diligant. Isti illi sunt, qui mundum contemnunt, & oderunt, & nullam prætermittunt occasionem suum odium, contemptumque testandi. Isti denique illi sunt, quorum unicum negotium, votumque est emundare cor suum, ac illud a terrenis quibuscumque rebus ita expedire, ut nihil in ipsis inveniat Deus, quod prohibeat, ne illos tanquam filios respiciat. *Abbas Trappensis in animadversionibus suis in Evangelium S. Matthæi.*

Ars interioris pacis servandæ.

Si mortales injuriis, contumeliis, calumniis nituntur, ut nobis hanc auferant pacem, in qua vivere & debemus, & volumus, illa quocumque pretio retinenda est: conatibus eorum patientia nostra objicienda est, exactum servandum est silentium, cavendumque, ne ulla querimonia, murmure, aut facto, quod mœrorem, iracundiam, & impatientiam ostendat, frangatur, servata semper constanti animi æqualitate: testandum illis etiam invitis malum, quod nobis inferre conantur, ad nos nequaquam pervenire; nosque illius protectione gaudere, cujus est infinita potentia, quæ nos tuetur contra improbitatem eorum, qui vel admituntur, vel admi aliquando poterunt, ut pacem nostram, & tranquillitatem, in qua vivere debemus, perturbent. *Idem.*

Quo pacto Salvator veram pacem inter homines constituere voluerit.

Dicere possumus Dei Filium in terras venisse, ut bellum, ac discordiam afferret; ut tamen hoc bellum in constantissimam pacem converteretur duo, Domine, tibi erant consilia; alterum quidem pacem inter homines constituendi; alterum vero efficiendi, ut quilibet homo secum pacem inveniret, quorum neutrum nisi per præcedentia bella, atque dissidia fieri poterat. Homo secum pacem habere nequit, nisi abstulerit, quidquid prohibere potest, ne sibi tantum hoc boni procuret; hoc est inimicos, qui huic adversantur consilio, qui quidem affectus sunt, & cupiditates, invidiæ, ultionis libido, opum, prædiorumque desiderium, gloriæ appetitus, ac voluptatum amor; quibus addere possem alia id genus flagitia; quæ affectiones ubicumque turbas cient, ac gignunt confusionem; quapropter eliminandæ sunt ex locis, ubi inveniuntur, si illic pacem sartam tectam tueri desideramus. *Idem.*

Ratio gaudendi pace in hoc mundo est divinis parere præceptis.

Tutissima inveniendæ pacis in hoc mundo via in perfecta divinis imperiis obedientia consistit. Ipse dominus est; ipse de hominibus facit, quodcumque vult, & sæpe illos ad locum, quem cupiunt, & sperant, deducit per vias ipsis ignotas. Quamobrem providentia illius amanda, & adoranda est, quin causas scrutemur, rationesque inquiramus. Scire satis est, illum justum esse, ac nil velle nisi salutem inservientium sibi, & sincere eidem cupientium adhærere. Qui hac mente operantur, certissima fruuntur pace, quæ alia via injuste, & inutiliter quæritur in hoc mundo. *Idem tomo secundo.*

Omnia in quiete sunt in loco suo, ac situ. Cordis nostri situs est cor Dei, & cum voluntas nostra divinæ subjecta est voluntati, ex necessitate cessare debent inquietudines nostræ, cordis agitationes desinunt, & anima integra pace, perfectaque fruitur tranquillitate. *Idem.*

Pax cordis si vera est, inde oritur, quia pax habetur cum Deo.

Vera pace perfruimur, dum conscientia nostra fidele hoc nobis perhibet testimonium, nos cum Deo in gratiam rediisse. Status felix! status omnibus mundi fortunis præferendus! Cum Deo in gratiam redii; & contentus esse, & quietam vitam ducere debeo. Cum Deo in gratiam rediit Deus mihi erat inimicus, & ego Deo; sed tandem ecce Deus iterum mihi reconciliatus est, & ego Deo. Pax cordis, pax Dei, quam Spiritus Sanctus opipare instructo convivio, mensæque omnibus deliciis affluenti comparat, adeo copiosa, suavique unctione animam replet. Pax Dei peccatori summopere desiderabilis. *P. Bourdalove sermone de Nativitate Domini.*

Ante Christianismum homines excæcati, ac decepti falso sibi persuaserunt, tutissimam ad cordis pacem obtinendam viam esse cupiditatibus suis satisfacere, ambitionem explere, cupiditatem saturare, in mundo enitescere, in honore haberi, locupletari, rerum omnium affluentia frui, attolli, crescere; hoc plurimi hominum crediderunt, & nunc etiam credunt. Hoc autem credentes, Scriptura inquit, non solum sese deceperant, sed sese decipientes semet infelices præbuerant. *Contritio, & infelicitas in viis eorum*. Hoc enim credentes *viam pacis non cognoverunt*. Psalm. 13. Pro interiori requie, & tranquillitate, quam in opulentia, & amplitudine sua sibi pollicebantur, nihil nisi turbas, tristitiam, & afflictionem spiritus inveniebant: *Contritio, & infelicitas*. Talis est sors eorum, qui mundo favent, & utinam hæc, Auditores, vestra hodie non esset. *P. Bourdalove in sermone primo de Nativitate Domini Nostri.*

Pax cordis cum superbia, & ambitione simul esse non potest.

Discite a me, Salvator ait, duo hæc simul esse non posse, pacem, atque superbiam; cor vestrum quodcumque faciatis, vel pro vobis conferat mundus, nunquam contentum fore, donec vanitas, ambitio, & amor gloriæ ibi regnabunt. Ideoque ad humanæ felicitatis centrum in terris inveniendum, & obtinendam hanc animæ pacem, quæ antonomastice Dei donum vocatur, oportere, humilem, & sincere humilem esse. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*. Matth. 11. *Idem.*

Ut interiori pace fruamur exterior cum proximo pax est habenda.

Ut cordis pace fruamur, quæ bonum est adeo exoptabile, pacem extrinsecus habere debemus cum omnibus hominibus, cum iis etiam, qui nobis maxime adversantur, eamque nolunt, nostra vitæ ratione illos cogentes, ut pacem velint, & exemplo David spiritum pacis cum ipsis pacis inimicis servantes: *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Psalm. 119. Etenim, Sanctus Chrysostomus addit, pacem habere cum pacificis, cum iis qui moderato, & sociabili sunt ingenio, hæc vix

Philo-

Philosophi, atque Ethnici virtus esset, multo minus pro supernaturali, & Christiana virtute esset habenda: Meritum charitatis, dicam melius, charitatis officium, pax interior, quæ est illius fructus, est pacem servare extrinsecus cum hominibus asperis, difficilibus, iracundis: cur? Quia evenire potest, & re ipsa quotidie evenit, quod qui difficillimi, aspertimique sunt, illi sint, cum quibus arctam fovere debemus societatem; illi, a quibus minus divelli possumus, illi, quibus in ordine Dei indissolubilibus vinculis adhærere tenemur. Ne igitur perturbemur, atque tranquilli simus, pax nobis tuenda, & servanda est cum iis, qui præ cæteris facillime efficere possunt, ut illius jacturam sciamus. *Idem.*

In affectuum æstu cordis pace frui minime licet. Peccator, qui sine ulla religione cæcæ cupiditatis, quæ te ad honores rapit, motus sequeris, frustra chimericam tibi polliceris pacem, postquam votorum tuorum summam fueris consecutus, vel si repulsam passus fueris, postquam in tranquillum secessum temet receperis. Quid inausum reliquisti, ut ad finem tuum pervenires? Semper inquietus, tristis, cogitabundus, urgere, vigilare, sollicitare nunquam desiisti. Denique nihil tibi fluxit e sententia; sexcenta, quæ importune acciderunt, omnes conatus tuos everterunt; momentum tibi fere maturum tot laborum fructum eripuit; nullam unquam nactus es requiem; quomodo poteris pace frui mœrore confectus ob ea, quæ tibi male acciderunt? Tandem oculos incipis aperire, vides te factum non esse, ut sis in hoc mundo felix, ejusque deserendi consilium aggrederis, ut in pace vivere possis: sed quid accidit? Inordinati affectus tui in intimos etiam solitudinis tuæ recessus te sequuntur, neque invenientes ultra materiam, qua extrinsecus occupentur, omnis eorum violentia in te ipsum convertitur, atque inter eam tranquillitatem, qua gaudere videris, turbatior, & sollicitior es, quam cum affectus ipsi tui per sæculi negotia, atque tumultus aliquod tibi solatium afferebant. *Abbas du Jarry sermone de Ascensione.*

Quid producat veram pacem in anima justi. Tranquilli sumus eo in statu, in quo coram Deo sumus; & ista pax animæ, Salomon inquit, est tanquam suave convivium. Immunes ab illis territos, quibus torquentur peccatores, ubi mortem, & Dei judicia recogitant, pacate exitum nostrum præstolamur. Non quod omni peorsus timore vacui simus, qua in re non deesset audacia, sed metuimus tanquam filii sine tumultu, atque cum summa confidentia. Hæc sancta libertas est, ubi cor affectuum suorum tyrannide expeditum, beata fruitur tranquillitate. Terrena omnia oculo Christiano intueri consuescimus; neque illa in nobis eas afficiunt impressiones, quæ vitæ mœrorem, atque tristitiam producant. *P. Giroust in Adventu, sermone de suavitate servitutis Dei.*

Unus Jesus Christus discipulis suis pacem conferre potest, ea enim, quam sibimetipsi tribuit mundus, ut liberius suis fruatur voluptatibus, fallax est pax, quæ veram evertit. Pax Salvatoris inter ipsas cruces, & pœnitentiæ lacrymas invenitur; cum interim impii, Spiritus Sanctus ait, inter delicias velut mare fervens agitentur. Nunquam quiescunt, quia requiem hanc aliis non tribuunt. De pace quidem loqui possunt, sed pacis dulcedinem gustare non possunt. Tribulatio, & afflictio spiritus pars est illius, qui facit malum .... Cum enim bellum geras & secum, & cum Deo, quomodonam pacem habere potest? *P. Dozenne in libro cui titulus:* Jesu Christi *disciplina de rationibus acquirendi pacem cordis.*

Ut pax habeatur omnia suū servare ordinem debent. Omnis dolor in eo, qui doloris est capax, inde oritur, quod in ipso aliquid est, quod illic non est, ubi esse debet: & hoc in humano corpore videtur, ubi pars divulsa, os luxatum, humor extra locum suum acerbissimos gignunt dolores. Hoc tamen magis adhuc liquet in anima, quando affectus rationi imperant, cui obedire deberent. Non enim illis tantum torquetur, quorum objectum dolor est; desiderium quoque, amor; & alii etiam, qui feruntur in bonum, nobis totidem supplicia sunt: Illos loco suo redde sub rationis, & fidei obedientia, tunc recuperabis pacem, quæ in rerum perturbatione inveniri non potest; & tunc licet omnia circum te turbarentur, intrinsecus tamen constans, & inconcussus maneres. *Idem.*

Ne tibi in hac vita pacem omni prorsus emotione vacuam pollicearis: talis enim neque ipsa Salvatoris fuit vita. Inferior animæ nostræ pars semper obnoxia fuit aliquibus motibus subinde insurgentibus; at supremane aeris regio minus tranquilla est, cum sub illa procellæ desæviunt? Hi motus appetitus inferioris non magis paci animæ, quam virtuti nocent, cum virtus, quod suum est, agit, & in gradu suo stat. Tunc dicere possumus, gustatur pax similis paci Jesu Christi, qui tranquillo sopore captus dormiebat, cum dicipuli ejus tempestatis pericula trepidarent. Ut & vos tranquillitate eadem frui possitis, illos imitamini, & Dei opem exposcite. Sciet ille maris fluctus mulcere; vobisque nihil metuendum est, si ille vobiscum adfuerit. *Idem.*

Quanquam insignes peccatores per cordis duritiam, atque impœnitentiam, congregent sibi quotidie thesauros iræ, tamen terribile Dei judicium non timent. Conscientia illorum tranquilla est; cæcitas, in qua sunt, illos tutos facit, cumque cor eorum ad obdurationis cumulum evaserit, hanc pacem appellant. Cum fortis armatus custodit atrium suum, omnia in pace sunt; atque in hac tranquillitate omnia ipsi obediunt, quin reluctentur, atque unum illum dominum esse fatentur. Quamobrem qui gravissimis difluunt criminibus, ac diu illis assueverunt, ut plurimum, quid sit tumultus, ignorant; vel si quem experiuntur, illius auctor est Deus, qui eos monet æquum esse, ut nocentes inquieti sint, atque contremiscant; quoniam inter ipsos, & infernum, quem meruere, fragilissima interest vita, quæ uno momento potest absolvi. *De Sancta Martha, tomo primo tractatuum Asceticorum.* *De infelici pace, qua peccatores in suis gaudent sceleribus.*

SUPPLEMENTUM.

Quamvis non dixisset Deus; *non est pax impiis*; ipsa impii ejusdem conscientia interius hoc, & irreprehensibile testimonium nonne hanc ipsi proderet veritatem? Quomodo aliqua esse potest pax impio? Nulla ambitioso est, nulla invidenti, nulla avaro, nulla voluptatibus dedito; impietas vero congeries est horum omnium criminum. Deus, qui justo judicio generatim omnia vitia amaritudine, ac dolore adspergit, illum impunem abire patiatur, qui directe ipsam oppugnat divinitatem? Peccator tunc solum beatus esset, voti sui compos, sine turbis, sine stimulis, & in perfecta requie, cum divinitatem ipsam conatur avertere. Quot prælia sustinere tenetur impius contra generis sui præjudicia, contra rationis lumina, contra institutionis sui rudimenta accepta fortasse a parentibus, aut piis hominibus contra vitæ communis placita, contra consuetudinem omnium fere gentium testimonio confirmatam, contra eorum exempla cum quibus vivere, agere, ultro citroque habere commercia tenetur! Hæc omnia authentica sunt divinitatis argumenta; hæc omnia dicunt Deum esse, & esse colendum; & Religionem, quam sequi necesse est. Hæc omnia possuntne ita facile everti? Hæc omnia possuntne in mente ita deleri, ut nulla supersit spina, quæ illam lancinare, aut saltem de statu suo inquietam relinquere, pacem hanc abominabilem perturbare, quam cum Religionis interitu in se statuere conatur? Licet in secunda rerum suarum fortuna sopore caperetur, quinam est homo ille, cujus fortuna sit constans, atque perpetua? Cum vero prosperitas impii naturæ, vel fortunæ adversitatibus oppugnatur, *Nulla pax impio. Isaiæ 48.*

in situ

in situ hoc adeo misero ; ubi ille solatium potest invenire ? Tu, Domine, miserorum perfugium es. Qui credit in te, omnibus exutus, adhuc te secum reperit ; oblitus mundi anhelat ad te, ad te currit, in ulnas tuas se conjicit, in sinu tuo lacrymas suas fundit. In consideratione judiciorum tuorum, in spe remunerationum tuarum habet præsentissima omnibus morbis suis pharmaca ; in te sentit animam suam tuis largitatibus sublevari, & in perfecta requie constitui. Tu vero impie ubinam invenies animæ tuæ stimulis tranquillitatem ? Cum omnia desunt fideli, superest illi adhuc Deus suus ; quid autem tibi restat, cui nullus est Deus ? Undenam mutuaberis aliquod animæ tuæ præsidium ? Pseudo amici, inanis philosophia, insana constantiæ, firmitatis adsectatio, quam parum proficitis ! Nulla igitur impio pax, neque in prosperis, neque in adversis. *Pater de la Rue in Quadragesima.*

Quinam cordis pace fruantur.

Quæ voluptas, quæ suavitas officio suo fungi. Rectæ conscientiæ testimonium juge convivium, Sapiens ait. Sed quæ consolatio nihil earum facere, cujus nos debeat pœnitere ; neque enim exteriora bona beatos efficiunt : opus est, ut mens tranquilla sit, & cor contentum, ad veram suavitatem gustandam ; ac inde fit, quod in mundo vera, & pura suavitas non inveniatur. Hæc pro animabus fidelibus est, immo nonnisi pro bonis hominibus esse potest ; qui soli intra, & extra se pacem habent ; donec peccatores vivunt in tumultu, & in desperatione moriuntur. Hæc pax, ut plurimum est fructus virtutis ; quo magis Dei es, eo magis illam gustas. *Pater Croiset in Anno Christiano.*

Falsa pax qua fruitur peccator, maxima calamitas est, quæ illi possit ingruere. S. August.

Gravissimum, quod peccatori accidere valeat malum, est vivere in pace ; cum enim non perturbetur amplius a Deo, neque ad hominibus ; cum non ultra loquatur fides, ratio, & conscientia in peccati somno positus stertit in aurem utramque. *Vis nosse*, quærit Sanctus Augustinus, *postquam peccaveris, nulla pœna, quanta sit pœna ?* Prophetam interroga, & sciscitare cur peccator ad iram numquam cessaturam excitaverit : *Irritavit Dominum peccator.* Non aliam habeo causam, inquiet, nisi quod pacatus est, & domus illius bonis omnibus diffluit. Non igitur ille contremiscere debet propter multitudinem scelerum, quæ patravit ; Dei misericordia semper major erit hominum nequitia ; sed illi trepidandum est, quod inter tot, justosque tumultus, pace fruitur ; quod sine ullo timore, vel cogitatione ejus periculi, in quo est, hilaris vivit. Non enim ita Deus agit cum illis, erga quos servat adhuc aliquos sensus miserationis : voluptates, quas gustant, ipso non dante, aliqua semper amaritudine imbutæ sunt, & hæc amaritudo illis fastidium creat. Sed cum audio, non deesse tranquillos peccatores, hunc hominem per fas, & nefas undequaque opes congerere, illum ultro imputo igni conflagrare cum fidei, quam conjugi suæ virtute præditæ debet, detrimento ; alium qui extrinsecus non cohibet effectus iracundiæ suæ, nisi quod opportuna illi deest occasio ulciscendi ; frui tamen pace profunda, ac nulla re turbari, & sollicitari ; nullumque ipsi negotium facessere Deum, homines, conscientiam ; nullis stimulis, aut scrupulis agitari ; tunc meipsum continere non possum quominus cum Propheta exclamem, Dei in ipsum iracundiam maxime terribilem esse : *Exacerbavit Dominum peccator.* Ratio vero, quam habeo, hæc est, quia omnes peccati illecebras gustat, quin illius sentiat amaritudinem, & quia impius est tranquillus. *Sermo Manuscriptus.*

Psal. 10.

Supra.

Quid sit pax & qui gustant illam.

Sanctus Augustinus pacem definit, tranquillitatem ex ordine profectam. Ordo qui reperitur in regno optime quidem constituto, sed frequentibus bellis agitato satis non est, ut illic cives pace fruantur, quia ordo ibi est, sed sine tranquillitate. Tranquillitas, quæ invenitur in regno pacato quidem, sed male instituto propter subordinationis defectum, nequaquam sufficeret, ut ibi mortales pace saltem diuturna gauderent, quia ibi tranquilitas esset sine ordine. Ad veram pacem hanc gustandam, opus est, ut ordo, & tranquillitas semper consocientur. Videamus nunc quinam ii sint, de quibus hic loquitur Dominus, & qui *habent spiritum pacificum*. Hi sane esse non possunt impii ; quippe licet tranquilli sint in statu suo, æterna perturbatio in illis subsistit propter spiritus submissionem carni. *Non est pax impiis*. Neque justi habentes virtutem dumtaxat communem hac fruuntur tranquillitate ; propterea quod sint licet in ordine, tamen tranquilli non sunt propter juges rebelliones carnis adversus spiritum, quæ excitantur in illis, eosque turbant indesinenter. *Expectavimus pacem .... & ecce turbatio.* Ita illi soli, qui *spiritum habent pacificum* perfecti sunt Christiani homines sibimetipsis mortui, in quibus caro perfecte subdita est spiritui, qui omnino subditi Deo sunt, ut illi obediant tamquam filii bene nati, ac sinant se a Spiritu Sancto in omnibus gubernari. *P. Segneri in Meditationibus.*

Matth. 5.

Isaie 48.

Jerem. 14.

Justi semper sunt in pace.

Quidquid accidat, justi hujusmodi semper sunt in pace, semper gaudent, semper voti sui compotes sunt, semper pace fruuntur, quia ordo, ac tranquillitas simul regnant in illis. Ordo quidem per subordinationem carnis spiritui, & spiritus Deo : tranquillitas autem, quia facile non est hanc evertere subordinationem. Neque ideo putes Sanctos numquam turbari seu propter crimina, in quæ labuntur. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, seu propter tentationes, quibus probantur ; sed levis est turba ista, sæpe etiam involuntaria, ideoque illis pacem non aufert. Ditio aliqua non cessat esse bene instituta, tranquilla, pacata, licet aliqua oriatur seditio, quæ in ipsis incunabulis extincta fuit ; si pacem non habemus, discamus saltem, quod necesse est, ut illam habeamus. Pax, & tranquillitas, quæ oritur ex perfecta subordinatione carnis spiritui, & ex integra spiritus Divinæ voluntati submissione : *Acquiesce igitur ei, & habeto pacem* ; hæc pax, inquam, regnare posset in corde impii ? Hic præda factus crudelium cupiditatum suarum, ac stimulorum, qui illas excipiunt, centrum est tumultus, & perturbationis. Ita jussisti, o Domine, ut peccator in suo etiam corde peccati sui pœnam nancisceretur. *Idem. Tomo quinto Meditationum suarum.*

Eccl. 7. 21.

Job 22.

Facientes bonum, & recedentes a malo invenimus pacē cordis.

Mortales omnes pace frui cupiunt. Impudicus illuc per voluptates obrepere studet ; ambitiosus per honores, avarus per opes ; sed heu ! miseri quam longe distant a scopo suo. Nulla est pax impiis, dicit Dominus. Quocumque nosmet convertamus, unica nobis est via, quæ ducit ad pacem, eamque Propheta Rex nos docet : *Averte a malo, & fac bonum.* Mali fuga liberat nos ab ea turba, quam mala parit conscientia ; praxis boni gaudium nobis largitur, quod bonæ conscienciæ fructus est ; & ex duobus istis principiis pax cordis. *Opus justitiæ pax.* Tamen sperandum non est fore, ut in hoc mundo perfecta pace fruamur : nescimus enim ita bonum quidem operari, malum vero evitare, ut in alterius quidem perquisitione fuga, fuga vero alterius nihil nobis adversetur. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*,

Isaie 32.

Rom. 7.

Possumus tamen non modicum imminuere has difficultates subjiciendo carnem spiritui per corporis mortificationem, multoque magis per mortificationem interiorem. Quod nobis significat David per hæc verba; *Inquire pacem, & persequere eam*. Si nondum invenisti pacem hanc adeo pretiosam, ne cesses, illam semper require, & perseveranter persequere. Mundani eam frustra requirunt, quia ambulant per invia, qua ad illam non pervenitur. Sed qui viam illius norunt, & sequuntur eam, tandem perveniunt ad illam, vel saltem non longe ab eadem recedunt: *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens*. At nonne magna nobis utilitas, & requies est, saltem esse in via pacis? *P. Segneri in Meditationibus*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Frustra animum adjungerem ad discendum omne bonum, quod facere jubeor, nisi eamdem impenderem curam, ut a malo, quod facere prohibeor, abstinerem. *Recede a malo*, inquit Propheta; etenim a mali fuga, peccatique remotione pendet innocentia. Sancti ipsi nonnisi fuga malum vitarunt; & sæpe salutis suæ hostem superarunt, prælia detrectando. Debilis peccator, itane sim audax ut provocare velim pericula, quæ Sancti sibi timenda esse censuerunt? Evitare malum, bonum operari, unicum esse debet hominis negotium super terram; verum unica etiam via est pacem ibi inveniendi. Hoc non modico fiat labore naturæ studiis; fugiendum est, præliandum est, opus est vigilantia, & animo ad innocentiam tuendam; sed satis amplum horum laborum pretium est pax, quam sola innocentia potest conferre. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Cur pax sit signum prædestinationis. Matth. 5.

Pax certa est nota prædestinationis, quicumque pacem hanc possident cum sint filii Dei; patet cælestem hæreditatem ad eos pertinere: *Si filius, & hæres*. Hæc mens est Salvatoris, ubi ait: *Beati pacifici; quia filii Dei vocabuntur*. Justis hisce perfectis gloriosum tribuit titulum, filiorum Dei: etenim sese gerunt, non tamquam servi, sed veri Patris Cœlestis Filii. Servi parent domino suo propter timorem inviti, & nolentes. Filii e contra obtemperant patri per reverentiam, amorem, gaudium. Hoc pacto operantur Sancti, & justi ordinis supremi, de quibus hic agitur. Ex toto corde divinæ voluntati obsequuntur, ut de illis ad arbitrium disponant, & eo quod sine ulla exceptione sese illi tradunt, se dignos Patris Cœlestis Filios ostendunt. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur; ii sunt Filii Dei*. Verum cur Salvator ait, pacificos vocatum iri Dei Filios? Hæc est causa quod insignes isti viri, non solum per adoptionem Filii Dei sunt, non secus ac alii justi passim, sed pro talibus in ipsis etiam mundi oculis habentur. De Jesu Christo dictum fuit; *Vocabitur Altissimi filius*, quia illius sanctitas, sapientia, humilitas, suavitas, patientia, illis, qui lumini oculos non clauderent, debebant ostendere illum vere Filium esse Omnipotentis. Tu quidem fortasse Filius Dei es, at vivisne eo modo, unde liqueat; Te esse Filium Dei? Certius argumentum quod præbere possis, est Patris Cœlestis arbitrio omnia committere; sed quomodonam ex hoc charactere cognosci posses, tu quem levissima quævis oppositio perturbat? Tamen pax similis est iis fluminibus, quorum cursum nil mutat, & quem semper summa constantia sequuntur. *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua*. *Pater Segneri Tomo quinto Meditationum*.

Rom. 8.

Luc. 1.

Isaiæ 48.

Justi pacem habent cum Deo, cum aliis, cum semetipsis. Isaiæ 32.

Qui præliando tandem se ipsum vicit, dies suos in pace traducit; *Sedebit in pulchritudine pacis*. Pacem habet cum aliis; quis cæteri ambitione, invidia, terrenarum rerum amore. Pacem habet cum seipso, quia appetitus ejus subest rationi; Pacem habet cum Deo, quia huic in omnibus obedit, neque a propria damnatur conscientia, quasi legis prævaricator. Quam copiosa est hæc pax, inquit Propheta; *Pax multa diligentibus legem tuam*! Pax, quam Deus in justi corde producit, sensum omnem exuperat; *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*. Plena deliciis est atque illecebris. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*.

Psal. 118.

Ad Phil. 4.

Isaiæ 32.

Pax, & gaudium bonorum inter vitæ hujus ærumnas.

Christianus homo Dei promissionibus fulcitus, gratiæ viribus confirmatus, ejusque deliciis refectus, commoveri nequit iis omnibus, quæ sæcularium animum abjiciunt. Ingruit ne illi casus aliquis, qui suave illi valetudinis bonum eripit, cæterorum condimentum, benedicit Deo, qui auferens ipsi fluxorum bonorum gustum, illum in eum statum adducit fruendi illis, quæ æternum sunt permansura. Persecutio admitne illi honores, magistratus, vel hæreditatem a Majoribus suis acceptam? Semper Divinæ providentiæ nutibus obsequens, in ipsis hominum contumeliis, paternam Creatoris manum deosculatur, qui ideo percutit filios, ut fidelitatis, confidentiæ, & amoris illorum periculum faciat. Truditur ille in teterrimos carceres? Statim horrentia loca gratiarum actionibus resonant, illo primos Ecclesiæ fideles imitante. Gaudium una cum ipso in horroris sedem ingreditur. Trahiturne ante Judicum subsellia? Omni coinquinatur contumelia, eo quod Dei sui causam egerit? Apostolorum instar exsultat, quod dignus habitus est pro Dei nomine affici opprobrio. Fames, sitis, frigus, ignes, nuditas, nubi, sævissimi denique cruciatus illum nequeunt deterrere. Mors ipsa nil habet terroris; immo illam intuetur tamquam laborum finem, terminum peregrinationis, ultimamque terram lineam, qua traducta verum deliciarum regionem invenit. *Sermo secundus Accademia anni 1707*.

Locupletissimum, quod Salvator contulit Apostolis suis pacem illis dato.

Ubi loquitur Dei Filius, verba ejus numquam effectu carent; quippe omnimodam habent eam potentiam, cui nihil est difficile. De verbis illius longe aliter ac de nostris sentiendum est; non sunt tantum suarum cogitationum signa, externæque notæ voluntatis ejusdem. Hæc faciunt, quod significant, objectorumque suorum æque causæ sunt, & imagines: *Dixit, & facta sunt*. Ita cum dixit Apostolis; *Pax vobis*. Hoc non tam fuit votum, ac bonæ voluntatis suæ erga illos testimonium, quam effectiva gratia maximi bonorum omnium; pax quippe illa omnia comprehendit; & nullum verum bonum est ibi, ubi pax nulla. *Ubi pax*, Sanctus Augustinus ait, *ibi sicut plurimorum plenitudo*. Non poterat Salvator aliquid melius suis conferre discipulis hac pace, æque necessaria, optabili, constanti, suavi, gloriosa, ac certa. Pax, quæ felicem imponit exitum bello funestissimo, quæ partes, quæ ante has numquam in gratiam reditura videbantur, conciliat, quæ Deum inter, ac homines facit amicitiam, quæ gratiam cum natura, spiritum cum carne, Cœlum cum terra consociat. Pax, quæ procul extrudit jurgia, & discordiam, turbas, & tumultum, odia, lites, bella, & inimicitias, efficiens, ut in earum locum regnet amor, & charitas, innocentia, & virtus, tranquillitas & mansuetudo, gaudium, & deliciæ, quæ Paradisi beatitatem constituunt. *Sermo manuscriptus*.

Pax est veronum Christianorum omnia.

In beata fede hac, quam Deus suo dignatur aspectu, nullæ sunt lites, nulla jurgia, nulla certamina. Nescitur, quid sit jurium distinctio, & divisio, quia ibi bonorum omnium fons possidetur, & cœlestis illius civitatis incolæ perfectissimæ charitatis vinculo conjuncti sunt, ita ut

Oratio ad patrem obtinendam.

unum illis cor tantum, & anima una inesse videantur. Dignare, Domine, oculos tuos in nos convertere, qui in terra vivimus, filiique tui sumus. Dignare in corda nostra effundere aliquid hujus charitatis, pacisque cœlestis; & in mentem nostram immittere aliquot radios divini luminis tui, qui hanc cieant in nobis recordationem, quod cum teneamur te quotidie Patrem nostrum salutare, necessario quoque tenemur nosmet ultro citroque tamquam fratres intueri, & habere; & si quid nobis disceptandum occurrit de jure, & bonis; hæc divisio, ac bonorum distinctio nullo modo probare, vel excusare potest mentium, animorumque nostrorum secessionem. *Ex modo recitandi Orationem Dominicam.*

Pacis plenitudo non fentitur ab iis, qui mundo adhærent.

Voluptatum amor ita est homini insitus, & hic adeo pronus est in gaudium, flagrat desiderio bonorum hujus mundi, ambit honores spe ductus futurum, ut in illis suam requiem, & felicitatem inveniat, ut dicere possimus hunc amorem, & hanc animi propensionem esse veluti potissimum omnium actionum vitæ ipsius authoma. Sed heu! quænam illusio est hanc requiem, hoc gaudium, extra Deum perquirere. Nonnisi in Domini hujus adeo locupletis, atque magnifici famulatu bona hujusmodi reperiuntur. Esse cum Jesu Christo, hoc verum cœlum est; hoc est vitam ducere, quæ in gloriæ habitaculo ducitur; sed qui sine illo vivit, licet hujus mundi beatissimus esset, jam more dæmonum vivit. Mirum est, homines, toties hoc expertos, nondum intelligere potuisse errorem suum, & inane omnium mundi hujus bonorum! Horum agnoscitur mobilitas, & amaritudo gustatur, & nihilominus fallacia hæc gaudia appetuntur. Hæccine est voluptatum cupiditas, quæ dominatur in vobis? Cur non quæritis pacem in una illa conditione, ubi reperitur, quæ est servorum Dei? Cur toto vitæ spatio repitis in mediocritate virtutis, quæ numquam suam promit dulcedinem? Nonnisi in montis cacumine Dei Filius suam majestatem ostendit. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Boni inter mundi turbas constanti pace gaudent.

Homo, qui ex cupiditatum tyrannide elapsus est, qui inania excussit desideria, quibus incessanter humiles, ac repentes animæ agitantur, qui humanis infirmitatibus spretis nullis urgetur timoribus, atque tumultibus, qui jugiter mundanos omni consolatione carentes torquent; hic homo inquam mœrebit videns frequentes eorum cordium clades, quæ ludibrium fiunt omnium cupiditatum, quæ stimulis lancinantur, quæ sollicitudinibus corroduntur gementia in turpibus vinculis objectorum, quæ sibi dominantur, quin catenas suas audeant perfringere, semperque appetunt eam requiem, quæ æternam ab illis fugam capessit. Videbit ille citra dolorem sub oculis suis transire figuram mundi prætereuntis; qui fallacibus promissionibus, magnificis præstigiis, venenatisque delitiis, non cessat fascinare vulgares animas, & miseros facere. Tamquam Moyses alter cum omni securitate, ac tranquillitate permanentis in portu respiciet æstuosi hujus maris procellas, ubi infelices Egyptii, videlicet mortales sæculo devoti postquam aliquantisper adversus fluctuum insanos impetus luctati sunt, tandem submergentur, & in abysso ima deglutientur. *Sermo secundus Accademia anno* 1707.

Pax, verumque gaudium nonnisi in Dei servitio invenitur.

Crassum errorem hunc evitemus, caveamus, ne arbitremur perfectam beatitudinem in terris gustari posse. Nimis multis affligimur malis; nimis multæ cupiditates in nostrum conjurant interitum; sed felicitas, quam hic sperare licet, per solas Christianas virtutes acquiri potest. Hæ leniunt sensum malorum, quæ evitare non possumus; eorumque imminuunt amaritudinem; & quod universa hominum sapientia numquam consequi potuit, & quod illa ipsa nequaquam fieri posse rata est inter vitæ hujus ærumnas, ac mala nos gaudio, & solatio replent. Nec satis; favent nostris etiam desideriis, non illis quidem inordinatis, quorum alia aliis succedunt, sed permanentibus, ac ineffabilibus, quæ Deus ipse in fidelium suorum cordibus insculpsit. Hæc vera, & unica beatitudo est, quam in hac vita gustare valeamus. *Sermo tertius Accademia anni* 1707.

Qui pacē procurant inter fratres, hi soli vera pace fruuntur.

Beati pacifici, Salvator ait, *quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*. Pax, quæ inter impios regnat, & quæ inde proficiscitur, quia sunt suarum cupiditatum mancipia, pax fallax est, & pseudo-pacificos facit, qui nonnisi Dæmonis filii vocari merentur. Vera pax subjicit animæ corpus, animam spiritui, & spiritum Deo. Hæc cupiditatibus moderatur, & efficit, ut cum proximo lites, & jurgia cessent. In Dei gratiam redigit, qui inde per sua scelera discesserant. Hæc pax, ubi perfecta, & consummata est, qualis erit in Cœlo: plerumque non aliud est, quam effectus diutini interioris belli, quod aliquis sibimet intulit per mortificationem, vel belli exterioris, quo patientiæ periculum factum est. Sed duplici hoc sæviente bello, quandoquidem est in ordine, non cessat experiri in corde suo pacem, atque tranquillitatem, quæ longe omnem mundi fictam pacem exuperat, & quæ efficit, ut in hac quoque vita gloriosum filiorum Dei nomen promereamur; nomen, quod testibus Sanctis Paulo, & Augustino pacificis tantummodo concessum est propter extremam charitatem, qua Deus Pater illos prosequitur. Quam ob rem Sanctus Gregorius inquit, si, qui pacem procurant, adeo glorioso nomine nuncupantur; eos, qui ubique serunt dissidia, ac lites, certo certius filios esse Sathanæ. *Le Tourneux in Anno Christiano. Tomo 9.*

Ut pacem consequamur petenda est a Filio Dei, qui solus eam nobis procurare potest.

Ut beati simus, opus est cor esse tranquillum; voti sui compos; omnia ibi esse pacata: & hæc pax cordis mundi hujus donum esse non potest. Inter opes, honores, voluptates vix malacia inveniri potest; unus Jesus Christus fluctibus, ventisque potest imperare. Cupiditates sunt humani cordis tyranni; prosperitas illas exasperat, ætate convalescunt, neque vehementiores sunt, quam cum in senium vergimus, cum in juventute easdem compescere neglexemus. Creatorum bonorum affluentia uberrimus fons est curarum, & sollicitudinum. Voluptatum multitudo semper est multitudo crescens molestiarum, & ægritudinum; quarum nulla amaritudine imbuta non est. Honores palpant, sed perstringunt eorum oculos, qui eos domi alienæ intuentur. Quot turbines, quot caligines, quot tempestates ipso etiam in solio! Verbo: cruces ubique germinant, nullus status, nulla conditio in mundo est, nullus privatus, familia nulla quæ immunis sit; immo illæ ubi pinguiores sunt, fundi sunt etiam copiosiores. Si illas convellere adniteris, pungeris; cumque ubique satæ sint, si una eradicatur, statim longe plures prodeunt. Si vis pace cordis frui, quæ est dumtaxat filiorum Dei; longe secedendum est a tumultu. Nec satis; ascendere oportet præaltum montis alicujus cacumen, & quia quocumque pergimus, nobiscum molestiarum, curarumque nostrarum fontem, causamque gestamus, videlicet, ingenium nostrum, naturam, affectus; studia, amorem proprium; nisi Salvator nobiscum fuerit ad ventos sedandos, ad mare placandum, ad malaciam gignendam, ubicumque miseri sumus. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo primo.*

Cordis pace frui nequit, nisi qui adhæret Deo.

Nequicquam thesauros thesauris agglomeras, voluptates omnes congeris, mundi honores multiplicas: Omnia hæc lenocinia exteriora sunt; cor non minus ideo obnoxium est ægritudinibus suis, curisque lethalibus. Hæc ad summum est victima floribus redimita, postridie immolanda. Sola mortis cogitatio omnia perturbat gaudia, ac voluptates omnes crudeli illinit amaritudine. In

solo Dei famulam omnes turbines isti dissipantur, unus amor, quo nos Jesus Christus complectitur, & quo nos illum prosequimur, efficit ut gustemus delicias pacis, quam carnalis homo intelligere nequit. Pax hæc adeo suavis, qua gaudet anima, est quædam cœlestium deliciarum prælibatio. Modestiam, immutabilem bonorum dulcedinem, cum ingenio semper moroso, furenti, obscuro beatorum sæculi, confer. Lacrymæ quidem ad crucifixi pedes funduntur; sed quod gaudium, quam suavitatem hæ afferunt lacrymæ! In mundo quidem funduntur, immo apud mundi asseclas lacrymarum fontes inexhausti sunt; at quinam dolor, quænam amaritudo comites sunt individui horum gemituum, qui eo sunt amariores, quo secretiores, & steriliores! Quærant, laborent, scrutentur unam vel levem felicitatis umbram in terris; nemo dicere potest, felix sum, quia nemo esse potest; nisi quatenus est cum Jesu Christo. *Idem ibidem.*

PECCATUM MORTALE,

Ejus enormitas, effectus, & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

M O N I T U M.



Ortale peccatum circa ullam dubitationem argumentum est omnium Christianæ disciplinæ vastissimum, & longe effusissimum, quandoquidem omnibus immiscetur sermonibus, qui morum correctionem, & in virtute progressum sibi proponunt. Quamobrem ut coarctetur, atque hinc fiat particularis cujuspiam concionis argumentum, plurima præscindenda sunt; cum alioquin evitari nullo modo queat, ne omnia fere in hoc uno confundantur argumenta. Non igitur latius differendum est de aliqua peccati specie singillatim; & si inductione utendum sit, in qua ad singula sæculi vitia descensus fiat, hoc faciendum non est, nisi quatenus opus erit, ut inde conclusio peccati generatim sumpti inferatur.

Ad id hos nobis cancellos circumscribere oportet, ut mortalis peccati gravitatem, & deformitatem ostendamus; quo usque divinæ majestatis læsæ crimen procedat; quo odio illud Deus persequatur; quo item nos illud persequi opus est, quin ulterius in pœnitentia argumentum penetremus, de quo suo loco erit sermo; bonum, quo nos privat; malum quod affert; supplicia, quibus Deus illud in hac vita punit, & in altera; sed quin latius sermonem instituamus de pœnis Inferni, deque argumentis aliis, quæ, cum aliquam cum hoc habeant rationem, istud nimis late expansum, confusumque redderent; quandoquidem ex se satis uberem suppeditat pluribus concionibus dicendi materiam.

Hac mente hos nobis fines præscripsimus, ut eligeremus ea, quæ ad mortale peccatum generatim pertinent, quin admonere necesse sit, cum peccatum simpliciter nominatur, vel cum de effectibus ejus habetur sermo, vulgo mortalem intelligi noxam. Nihil etiam de peccati habitu, qui contrahitur, dicemus; de hoc quippe singulari titulo actum est; uti neque de veniali peccato, de quo titulo subsequenti est agendum.

P A R A G R A P H U S P R I M U S,

Variæ Concionum hujus Argumenti Synopsis.

1. E peccati mortalis nequitia. Ut omnem, cujus capaces sumus, horrorem & concipiamus, & inspiremus, de hac judicium ferre possumus: 1. ex ejus natura, quæ est Dei offensa: 2. ex effectibus habita ratione cum Dei, quem delere conatur, tum Jesu Christi, Dei simul, & hominis, cujus peperit mortem: 3. ex malo, quod adfert homini, quem infinitis privat bonis, & infinitis objicit malis. Hæc tria sunt concionis puncta, quæ complectuntur, quidquid aptius esse potest ad criminis hujus horrorem immittendum.

Prima pars. Cum mortale peccatum sit offensio Dei, eique illata contumelia, offensæ magnitudo ex tribus principiis, vel regulis petitur: scilicet ex magnitudine, vel læsæ personæ dignitate, ex indignitate, & ingrati animi vitio lædentis; & demum ex injuria, quæ læsæ personæ infertur: quod palam innotescit in injuriis, quibus læduntur homines, ii vero præsertim qui imperium obtinent, & dominantur. Ut ex hac regula judicium feramus, considerandum est, 1. quisnam læditur, dum mortalis noxa committitur? Deus nempe infinite magnus, infinite potens, infinite adorabilis: cujus magnitudo infinite regum omnium superat magnitudinem: cujus præstantia, divinæque perfectiones reverentiam, obedientiam, & obsequium nostrum merentur. Igitur si læsi magnitudo mensura magnitudinis noxæ est, hinc sequitur, peccatum, quod Dei offensa est, infinite magnum esse in nequitia sua, quandoquidem mensura illius est divinæ majestatis, omniumque perfectionum ejus magnitudo. 2. Quis ita audax est, ut numen adeo magnum lædere non vereatur? Creatura est infinite vilis, ac infinite infra supremum Ens illud demissa; homo est, qui secundum corpus nil aliud est, quam lutum, pulvis, ac tabum; secundum animam vero in origine sua merum nihilum est; homo, qui nihil potest, & qui in nihilum unde egressus est, reverteretur, si Deus eum tueri, ac sustinere desineret, &c. Attamen adeo vilis creatura tantum Deum audet lacessere, hic terræ vermis contra terræ, cœlique Dominum audet insurgere! O temeritatem! O imprudentiam non ferendam! O insolentiam omnium creaturarum execratione, omnibusque cœli, terræque ultionibus dignam! Ut autem in nobis dolorem, & confusionem excitemus, considerandum est, quantum debeamus Deo, & quanta sit beneficiorum illius magnitudo; tunc enim juxta ingratitudinis nostræ magnitudinem major erit offensa. 3. Injuriæ, qua quis afficitur, magnitudo petitur ex magnitudine juris, quod in nos obtinet, & quod violamus lædentes illum, eique denegantes, quod jure suo

ex no-

ex nobis deposcit: hinc etiam arguendum est, magnitudinem injuriæ, quæ per peccatum mortale fit Deo, esse infinitam. Violo jus primi principii, & Creatoris, qui imperat, ne de meipso, nisi juxta beneplacitum suum, disponam. Violo jus ultimi finis, quo propter Deum tantum vivere cogor; jus, quod habet, quodcumque ipsi placuerit imperandi, ac prohibendi, jus amorem nostrum exigendi, quod tamquam maxime justus, & omnipotens habet, &c. Hinc sequitur, quod illum contemnimus, quod leges illius conculcamus, quod omnes perfectiones ejus lacessimus, quod terribili improbitate vitæ illius, & essentiæ manum injicimus, quod quomodo fiat, explicandum est. O summam peccati mortalis nequitiam! Nequitiam crudelem, & exectabilem, quæ ipsum vitæ nostræ auctorem perdere studet! O Deus! quomodo tantum facinus ferre potes? &c.

Pars altera. Mortale peccatum considerandum est in maxime terribili effectu illius, morte videlicet Hominis Dei, cujus illud unice causa est; & post brevem, sed acrem eorum expositionem, quæ Salvator pro nobis passus est, ut veniam mereretur, hæ deducendæ sunt illationes. 1. Deum perhorrescere, & odisse mortale peccatum, quandoquidem illud adeo severe punit in persona dilecti filii sui, qui ultro pœnam, & satisfactionem peccato debitam subiit. 2. Si Deus adeo gravibus pœnis peccatum mortale puniit, hoc igitur gravissimum esse malum dicendum est. 3. Si Deus adeo graves de filio suo pœnas sumpsit propter peccata servi, qua severitate in ipsum animadvertet servum propter peccata ipsius? 4. Si mortale peccatum causa est mortis Domini, fierine posset, ut Patris, & Redemptoris nostri interfectorem diligeremus? &c.

Pars tertia. Denique mortale peccatum in effectibus suis considerandum est ratione hominis illud perpetrantis. 1. Peccatum illum veris exuit bonis gratiæ sanctificantis, habitu charitatis, omnibusque virtutibus supernaturalibus. Animam privat pulchritudine ipsius, eamque efficit horroris objectum in oculis Dei, eidemque omnia præterita aufert merita, ac recentium acquirendorum facultatem. 2. Mala, quæ nobis in hac, alteraque vita patit.

II. 1. Peccatum mortale nefarium facinus est contra supremam Dei majestatem; ostendendum est, ad quem usque nequitiæ, & improbitatis excessum furor ejus evadat. 2. Temeraria est rebellio contra leges, & præcepta illius, quam impunem pati non potest. Vellemus jugum excutere, ac detrectare obedientiam, quam illi quatenus supremo rerum Domino debemus. 3. Injusta prælatio est boni creati, ac perituri supremo, æternoque bono; & inde inferendæ sunt conclusiones, quæ naturaliter ex triplici hac re sequuntur, ut homines ad peccati fugam, execrationemque inducantur.

III. 1. Peccatum mortale Deum lædit, & quousque hæc injuria assurgat, necnon quomodo illius odium, & vindictam provocet. 2. Polluit animam, eamque reddit objectum horroris, & abominationis in oculis Dei. 3. Nocentes nos reddit dignos æterno supplicio, quod nonnisi divinæ misericordiæ effectu possumus evitare.

IV. 1. Peccatum mortale proprie Dei hostis est, qui illum lacessit, qui illum afficit contumelia, qui illum pro viribus destruere conatur; ostendendum est, quomodo intelligenda sit hæc loquendi ratio, quæ apud Sanctos Patres atque doctores communis est. 2. Deus vicissim hostis apertus est peccati, & peccatoris; hoc odit, quemadmodum hostes nostros odimus, immo illud odit necessario, & facere nequit, quominus illud oderit. Peccatorem tanquam inimicum persequitur, quem in pace relinquere nequit; illum punit, deque illo ultionem repetit, uti solemus de illis, qui nos injuste oppresserunt.

V. Peccatum mortale jure mortale vocatur, tribus enim personis mortem infert, 1. peccanti vitam eidem auferens, & gratiam, quæ vita pretiosa est, & prorsus divina, per quam Deus manet in nobis, & nos in illo. 2. Mortem infert Jesu Christo, & hæc mors illi gravior est ea, quam carnificum crudelitas eidem inflixit. 3. Quamdam mortis speciem ipsi infert Deo, quantum in ipso est: cuperet enim, Deo justitiam deesse, potentiam, & cognitionem, quod illud quodammodo destruere est, & annihilare.

VI. Tria sunt, quæ peccatum mortale subsequuntur, eique inhærent. 1. Miseria, & paupertas; nos enim exuit omnibus bonis meritis, gratia sanctificante, quæ noster thesaurus est, habituali charitate, donis Spiritus Sancti, & iis omnibus rebus, quæ nos Deo commendabant. 2. Servitus; peccatum enim servos nos facit, & peccati, & dæmonis: *Qui facit peccatum servus est peccati; a quo quis superatus est, hujus & servus est:* hujus autem servitutis durities ostendenda est. 3. Pœna, & dolor huic vitæ adhærens.

VII. Cum mortale peccatum sit mors animæ, de eo judicium ferri potest ex comparatione mali, quod mors infert corpori, huic vitam eripiens. 1. Huic aufert decorem, illud sine sensu relinquit, sine motu, sine actione: hoc ipsum in anima facit mortale peccatum, invisibili quidem modo, sed longe magis crudeli, ac deplorabili. 2. Sicuti mors reddit corpus tabidum, & objectum horroris in oculis hominum: peccatum animam reddit abominabilem in oculis Dei, qui perhorrescit illam intuitus. 3. Quemadmodum mors redigit corpus in cineres, ac illud quodammodo annihilat; peccator, uti loquitur Propheta Psalm. 72. quodammodo in nihilum redactus est: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.*

VIII. In mortali peccato ostendi possunt tria, quæ illud infinite detestabile efficiunt.

Primum est contumelia, quæ infertur Deo, cujus omnes perfectiones impugnat, omnia ejus in nos jura violat.

Alterum est injuria, quæ infertur Jesu Christo, cujus mortem instaurat, ac tormenta iterum crucifigens illum, quemadmodum loquitur Apostolus. Polluit sanguinem ejus, illum peccanti inutilem præbens: quod explicandum est, atque pro viribus ob oculos statuendum.

Tertium est injuria, quæ infertur peccanti, cujus officit saluti, honori, quieti, bonis, & sæpe etiam vitæ tum corporis, tum animæ.

IX. Quidquid magis essentiale est in mortali peccato, ad duos redigi potest articulos, qui concionis partitionem efficient.

Primo ad peccatoris injustitiam, qui in Deum rebellat. 1. Contemptus est magnitudinis gratiarum, & beneficiorum. 2. Odium est Dei, quomodo enim amare potes, quem lædis, & cujus te jactas inimicum? 2. Rebellio est, ac injustum bellum, quod eidem infertur; ita ut cum filii patri suo debeant reverentiam, amorem, & obedientiam, peccator Deo, qui pater suus est, reddat contemptum, odium, rebellionem.

Secondo: infelicitas peccatoris cogentis Deum, ut contra ipsum se vertat. Quia vicissim Deus reddit contemptum pro contemptu, eumque respicit tanquam nihilum. 2. Illum odit, horret, abominatur. 3. Illi in altera vita irreconciliabile bellum indicit.

X. Primo: odium; quod Deus affert peccato, quod palam ostendit 1. per supplicia, quibus animadvertit in eos, qui illud patraverunt, in Angelos, in primos homines, & quod hodierna etiam die ostendit in severis tot peccatorum punitionibus. 2. In severitate, qua usus est erga filium suum, quamvis nonnisi speciem haberet peccati. 3. In æternis suppliciis, quibus in inferis punit.

Secundo: odium quo peccatum prosequi debemus: 1. Nullum committere crimen debemus, ut vel omnia vitæ hujus bona consequamur; 2. ut mortem, omnesque excogitabiles cruciatus vitemus; 3. ut totius mundi bonum, humanique generis salutem procuremus &c.

XI. In Evangelium: *Cum videritis abominationem*

desolationis &c. ostendit potest peccatum mortale simul esse abominationem, & desolationem. 1. Abominationem in natura; hic contemptus est Dei, rebellio contra supremum Dominatorem, odium, quo prosequimur nostrum benefactorem, qui infinite amandus est. 2. Desolationem in effectibus suis; privat enim animam bonis omnibus, quæ possidet.

XII. 1. Peccatum mortale destruit hominem rationabilem, quippe rectæ rationi, & naturali lumini oppositum est. 2. Destruit hominem Christianum, quia oppositum est legi Evangelicæ. 3. Destruit hominem justum, quia oppositum est gratiæ, & charitati, quæ sunt nostræ justificationis principium. *Ex specimine sermonum pro Quadragesima tomo 1.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Autoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus in libro soliloquiorum ostendit, peccatum nos dejicere, & quodammodo in nihilum redigere.

Idem *in Psam.* 100. studet ostendere magnitudinem tormenti, quod parit mortale peccatum, donec manet in conscientia.

Idem *Tract. 49. in Joann.* docet, mortale peccatum esse animæ mortem.

Idem *lib. 1. de serm. Domini in monte* loquitur de initio, progressu, & consummatione peccati.

Idem *in Enchirid. cap.* 81. ostendit, duas esse peccati causas generatim: videlicet ignorantiam, cum non videtur, quod faciendum est, & nequitiam, cum non fit id, quod faciendum esse cognoscitur.

Idem in *lib. 1. Retract. cap. 13. & de vera relig.* ostendit, omne peccatum esse debere voluntarium.

Sanctus Gregorius 15. *moral. Job* 39. modum explicat, quo Dæmon nos fallit, & ad peccandum impellit.

Idem 24. *moral Job.* 9. rationem adfert, propter quam Deus sæpe permittit, ut post peccatum alterum subsequatur.

Idem 25. *moral. Job* 11. loquitur de tribus peccati causis, ignorantia, infirmitate, & nequitia.

Sanctus Hieronymus *in Epist. ad Ephes.* explicat, quid sit peccatum.

Idem *Epist. ad Susannam lapsam*, illi exhibet bona, quibus seipsam privavit per peccatum, & infamiam, quam coram Deo, & hominibus subiit.

Idem *lib. 1. in cap. 1. Lament. Jeremiæ* describit, & deflet statum infelicem, ad quem anima redacta est post mortale peccatum, ducta similitudine a desolatione urbis Jerusalem.

Idem hoc ipsum sub aliis repræsentat ideis in cap. 2. ejusdem Prophetæ.

Idem *lib 3. in cap. 8. Ezechielis* ostendit, quanto dedecori peccatum sit & Deo, & peccanti.

Idem *in cap. 1. Joelis* ostendit, per peccatum omnium bonarum actionum merita amitti.

Idem *in cap. 2. Proph. Sophoniæ* ostendit felicem statum, ex quo per mortale peccatum excidit anima.

Sanctus Ambrosius *lib. 3. Offic. cap.* 4. docet; sapienti nihil contra conscientiam suam esse aggrediendum; quamvis de regni acquisitione, vel vitæ jactura ageretur.

Sanctus Bernardus *serm. 81. in Cant.* ostendit servitutem, ad quam peccatum nos redigit, ex qua emergere per nos minime possumus.

Sanctus Chrysostomus *Homil. 16. in Genes.* docet, primos parentes post peccatum suam agnovisse nuditatem, quia innocentiæ vestem amiserant.

Idem *Homil. 17. in Genes.* describit cruciatum, quo peccatum commissum conscientiam torquet.

Idem *Homil. 20. in Genes.* exemplo Cain docet, peccatum nobis singularem Dei protectionem auferre.

Idem *Homil. 11. in 1. ad Corinth.* ostendit, nos a peccato excæcari.

Idem *in Homil. de Jona Proph.* repræsentat pondus, & gravitatem peccati, quod nos opprimit.

Idem *Homil. 28. in Matth.* prolixam habet comparationem hominis in peccato mortali cum mortuo.

Idem *Homil. 4. in Joann.* peccatum comparat tenebris, & abysso.

Idem *serm. 2. in Epist. ad Philipp.* ostendit, quomodo peccatum & spiritu, & voluntate nos arcet a Deo.

Granatensis in duce peccatorum cap. 5. loquitur de malo, quod nobis mortale peccatum gignit. Ascetici aliqui.

Idem cap. 16. loquitur de pœnis peccato debitis; & quam abominabile illud sit.

Idem tractatu de oratione, & meditatione ostendit, peccatum esse causam mortis Domini.

Petrus Canisius, *tom. 4. de peccato in genere*, sex habet quæstiones de peccato mortali.

Jacobus Alvares *de extinctu vitiorum.*

Lancicius opusc. 16.

Bernardinus Rossignolius *lib 2, de Discipl. religiosa cap.* 6.

Franciscus Arias integrum edidit tractatum.

Catechismus Tridentini Concilii de petitione quinta orationis Dominicæ.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta ex Carmelitarum familia, parte secunda libri, cui titulus, *Les Conduites de la grace*, tractatu primo fusius hoc argumentum persequitur.

P. Haineuve tomo 4. de Ordine sermone 43. ubi loquitur de renovatione spiritus, plures habet considerationes de peccati nequitia.

P. Chahu in libro de scientia salutis, tractatu de fuga mali fusius ostendit, mortale peccatum esse abominationem desolationis.

P. Saint Jure lib. 2. de cognitione, & amore Domini nostri cap. 7. sect. 1. ostendit magnitudinem injuriæ, quam Deo infert *mortale peccatum.*

Drexellius tabula divinæ justitiæ *cap.* 14.

Pædagogus Christianus a P. Brignon correctus cap. 2.

In asceticis tractatibus Domini de Sancta Martha Presbyteri, tractatu primo, de causis, & peccatorum differentiis.

Pean in dialogis spiritualibus parte secunda, dialogo secundo, ubi agitur de horrore peccati mortalis.

P. Guilleminot in sapientia Christiana cap. 5. ostendit, peccatum mortale super omnia esse abominabile.

P. Ludovicus Franciscus de Argentano in theologicis, & spiritualibus collationibus de magnalibus Dei collatione 21. ubi ostendit nihil esse, quod melius ostendat peccati magnitudinem, quam Dei in eo perferendo patientiam.

Bellarminus opusculo de gemitu Columbæ *lib. 2. cap.* 1.

Quicumque de spiritualibus recessibus egerunt; aliquam ediderunt meditationem, vel considerationem de mortali peccato: hi autem sunt, qui majorem ejusdem horrorem inspirant, quin de Theologis loquamur, & Casuistis, qui integros hujus argumenti libros scripsere; innumeri enim sunt.

Nuperi Concionatores. Granatensis, *Dominica 13. post Pentec. Con. 1. & 2.*

Mathias Faber *Conc. 3. in Domin. 5. post Pentec. Conc. 4. & in Dom. 13. Conc. 4. & 5. in Dom. 19. item in Domin. 24. post Pentecosten.*

P. Texier in Quadragesima sermone pro feria sexta Dominicæ quartæ integrum habet hujus argumenti sermonem.

Idem majorem illius partem repetit in sermone pro vigesima tertia post Pentecosten Dominica.

Reina

Reini *Conc.* 16. *num.* 7. ostendit, quam abominabile sit peccatum.

Pater le Jeune Oratorii presbyter tom. 7. plures habet sermones de peccato mortali; primum, ubi ostendit injuriam inferri Deo; alterum, Dei magnitudinem lædi; tertium, Deum odio persequi peccatorem; quartum, peccatum terribilem esse ingratitudinem erga Deum; quintum, Verbi incarnationem lædi; sextum, peccato animæ mortem inferri.

P. de la Colombiere tom. 3. serm. 61. argumentum hoc in integro sermone pertractavit.

De la Font sermone pro 23. post Pentecosten Dominica.

Auctor actionum Christianarum.

R. Bourdalove in sermonibus sub ejus nomine editis sermone pro 3. Dominica Quadragesimæ.

Sermones Christiani tom. 4. puncto secundo sermonis hujus argumenti.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermone ultimo Dominicalis.

Busæus in Panario.
Labatha in Thesaro.
Summa Prædicantium.
Granatensis in locis communibus.
Bercorius.
} Titulo *Peccatum.*

Didacus de la Vega in Apologia facta cap. 1. & seqq.

Peraldus tom. 2. cap. 1.

Lohner titulo *Peccatum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8.

Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Deuter. 32.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Ps. 5.

Ecce in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea. Psalm. 50.

Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. Psalm. 118.

Pluet super peccatores laqueos; ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Ps. 10.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Proverb. 5.

Peccatum meum contra me est semper. Ps. 50.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sapient. 11.

Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Eccl. 8.

Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini; in maledictione erit pax vestra. Eccli. 41.

Cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Tob. 4.

Quasi a facie colubri fuge peccata; dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Eccli. 21.

Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo, Eccl. 11.

Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Tob. 12.

Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum. Isaiæ 59.

Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit. Ezech. 33.

Egressus est a filia Sion omnis decor ejus ..... Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Thren. 1. & 4.

Scito, & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Jerem. 2.

Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum. Ezech. 18.

Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? Jerem. 2.

Væ nobis, quia peccavimus. Thren. 5.

Dominus recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum. Jerem. 14.

Ad iniquitatem respicere non poteris. Habac. 1.

Mundi sunt oculi tui, ne videas malum. Ibidem.

Profunde peccaverunt. Osee 9.

Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. 1. Joann. 3.

Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Jacobi 1.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Ad Rom. 6.

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Ibidem.

Stipendia peccati, mors. Ibidem.

Nomen habes quod vivas, & mortuus es. Apocal. 3.

Veteris, Novique Testamenti Exempla.

Angelorum supplicio palam ostenditur, quantum Deus oderit peccatum.

AB initio Deus Angelos suos fecerat meros spiritus, & ab omni materia expeditos: ille, qui nihil fecit, nisi bonum, omnes in sanctitate creaverat, sique certam, æternamque facere poterant felicitatem suam sese ultro Creatori suo devoventes: sed horum Angelorum pars amori proprio cessit. Væ illi, qui sibi complacet, & non in Deo! Hic momento omnium bonorum suorum jacturam patitur. O mirum peccati effectum! Hi spiritus lucis facti sunt spiritus tenebrarum; nulla in ipsis fuere lumina, quæ in nequissimos dolos non converterentur. Improba invidia in illis locum charitatis accepit; naturalis eorum dignitas non aliud fuit quam superbia; felicitas eorum immutata est in tristem consolationem socios sibi congregandi in infelicitate sua, eorumque felices exercitationes in miserum homines tentandi officium degenerarunt. Quodnam esse censendum est hoc vitium, quod tot creaturas adeo perfectas, tot repletas luminibus, tot naturalibus, supernaturalibusque donis ornatas, adeo brevi efficere potuit objecta adeo invisa illi ipsi, a quo formatæ fuerant, & cujus simillimæ, & locupletissimæ imagines erant. Eas æterno damnat supplicio, nullusque erga illas in ipso reliquus est miserationis, ac benevolentiæ motus; eas infinito execratur odio, quod neque extingui, neque leniri unquam potest. En quid primum peperit crimen; ullane res est, unde melius intelligere valeamus, quid sit unicum mortale scelus, quam ex hac severa quidem, sed justa ratione, qua Deus in malos Angelos sævit?

Pœna peccati Adæ, & posteritatis ejus.

Cum hominum princeps in terrestri paradiso creatus fuisset cum originali justitia, & ingenti gratiarum copia, necnon perfecto in affectiones suas, inque omnia animantia imperio: cumque immortalitate fuisse donatus, hac tamen proposita conditione, si eo abstineret fructu, quo ad fidelitatem ejus probandam, ne vesceretur, interdictum fuerat: Adam dæmonis tentatione victus sibi promittentis futurum, ut Deo similis fieret, statim ac ex vetito comedit fructu, e terrestri paradiso exterminatus fuit, exutusque omnibus nativitatis suæ privilegiis, simulque cum posteris peccati, atque supplicii hæredibus condemnatus. Donec in terra gutta cruoris supererit, Dominus irritatus erit, suamque vindictam exercebit. Armavit ille creaturas omnes, totamque naturam; animantia, minima etiam insecta: aer, aqua, venti, terra, & ignis; bella, pestes, incendia, quidquid morborum, æstus, & frigoris patimur; hæc omnia iræ illius sunt effectus. Sex jam annorum periere millia, ex quo Deus ultionem reposcit, & nondum extincta est ejus ultio: *Ignis succensus est in ira ejus, & ardebit usque ad inferni novissima.* Deut. 32. Neque nisi cum mundo finem habebit,

cum universas terrarum orbis ita illius flamma absumetur, ut nullum supersit ejus criminis, quo fuit accensa, vestigium.

Peccatum Cain.

Animadvertit Salvianus, Cain quodammodo primum extitisse, qui credere inceperit, Deum vel nescire, vel negligere ea, quæ in mundo fiebant. Hac mente, auctor hic ait, primum ille solitudinis secretum quæsivit ratus sibi sufficere, nullum ex hominibus sceleris sui testem esse, perinde ac a Deo visus non fuisset; atque hac inani persuasione deceptus crimen suum negare ausus est interrogatus a Domino, ubi esset frater ipsius. Quid fecisti, inquit illi, frater tuus, licet mortuus, adhuc loquitur; vox sanguinis ejus clamat ad me de terra, ita ut ex imo terræ usque ad cœlorum verticem exaudiatur ultionem postulatura: ac statim in illum primam contorsit maledictionem, quam nondum in hominem ullum fuerat ejaculatus. *Maledictus eris super terram*, ait illi, *quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua*.

Peccatum universali diluvio punitum.

Primorum mundi temporum evolvatur historia, & liquebit universali cataclysmo terram ideo fuisse obrutam; quia altera corruptionis eluvione, quæ præcesserat, fuerat fœdata, ita ut nè unus quidem esset, qui ab æquitate non recessisset. Nihil Deo antiquius esse debebat, quam operis sui pulchritudo, quæ hac aquarum exundatione non minimum erat deformanda; & si peccantium multitudo divinam mulcere debuisset justitiam, nunc sane debuerat. Attamen solus Noe, qui justus erat, mortem effugit, quemadmodum generali evaserat corruptione. Nemo igitur post hæc, ubi crimen aliquod commiserit, se impunem futurum putet nocentium multitudine, numeroque fretus. Mirum esset, ac inauditum, si quis vitæ suæ negligeret incolumitatem, vel virus propinare vellet; quia homines insani hoc facere conspiciuntur.

Sodoma, & Gomorrha incensæ, flamma.

Oculos aperiamus ad videndum unum ex gravissimis suppliciis, quæ Deus unquam in peccatores propalam exercuerit, ubi ostendit, se in thesauris habere non amplius aquas, ut in diluvio, quibus terram puniret simul, atque detergeret; sed etiam ignes, sulphureosque ignes, ut repente, non autem sensim, uti prius generalis cataclysmi tempore, in abominabiles mortales desæviret. Clamor peccatorum eorum, quemadmodum ille ipse testatur, ejus sollicitabat justitiam, ne ultionem suam amplius contineret, cum illius misericordiam ipsis adhuc parcere vellet. Porro in infamium harum urbium conflagratione non extrema videri potest imago ex illis, quæ Deo placuit nobis tradere ignis inferni, ubi damnati æternis ardoribus, scelerumque suorum fœtore cruciabuntur.

Peccatoribus accidit id, quod Jonæ Prophetæ, qui dum procella sæviret, in imo navis dormiebat.

Jonas Propheta navem conscendit, ut a facie Domini fugiat; interim furens insurgit procella, sub navi dehiscunt abyssi, fluctus, & fulgura naufragium æque, ac incendium minitantur. Dimittuntur carbasa; mercium pleræque projiciuntur in mare, sentina exhauritur, omnesque laboribus exercentur, ut navim a naufragio præservent. Nauta tanto in periculo descendit, ubi Prophetam in utramque aurem stertentem suscitat, & ex eo petit, quonam hoc pacto posset dormire. Surge, ait, Deum tuum invoca, & fortasse opitulabitur nobis, neque nos interire finet. Quam timeo nobis similem eventum! Mundus est quodammodo ærumnarum eluvione submersus; omnia terribilia generis humani flagella hoc in sæculo collecta sæviunt, terra universa repleta est ærumnis, & calamitatibus; ac dum justi suas offerunt lacrymas, & preces ad procellam a capitibus nostris avertendam, peccatores in peccatorum suorum somno insepulti quiescunt. Ubinam est Jonas iste, qui hujus est causa tempestatis? Prodeat, ut ejusdem sit victima.

Scriptura infinitis abundat exemplis suppliciorum, quæ Deus in peccatores exercuit, & ex quibus satis intelligere possumus, quanto odio peccatum Deus persequatur. Id genus sunt exempla Nabuchodonosor, Senacherib, Antiochi, ac toto aliorum, quos referre esset inutile.

Veteris, atque ac novæ legis martyres maluerunt mori, quam peccare.

Eleazar unus ex principibus Scribarum nonaginta natus annos ab Antiocho rege jussus suillam carnem comedere, cujus usu lege ipsi fuerat interdictum, se mori malle respondit; ajebat enim, licet in præsentiarum supplicia evitarem, quæ mihi mortales intentant, nunquam tamen terribiles Dei viventis manus effugerem; cum quibus adeo sanctis, & generosis sensibus ille sine ullo timore morti se obtulit. Septem fratribus Machabæis cum matre sua deinceps captis, atque crudeliter tortis major natu tyranno dixit; quid petis, & quodnam responsum a nobis præstolaris? Decrevimus mori, potius quam Dei leges nobis a parentibus nostris traditas temerare.

Mortale peccatum causa est mortis Salvatoris mundi.

Deus in Cruce moriens peccatum expiaturus melius quam exempla, argumentaque omnia, nobis ostendit, quanta sit peccati enormitas, & magnitudo. Ut hoc expiaretur, æternoque Patri reparatio par offensæ offerretur, necesse fuit, ut Deus homo fieret, & moreretur in Cruce. Unus erat Jesus Christus, Deus simul & homo, qui digne pro hoc scelere satisfacere posset; quæ res S. Bernardum impulit, ut exclamaret. *Agnosce homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus secundum divinæ providentiæ ordinem necesse est Christum Dominum vulnerari*.

Ratio, qua filius Prodigus operatus est, hac ago ille est, qua peccator mortale crimen committit.

Statim ac peccator sceleri assentitur est gratiam amittens, egreditur de corde Dei, & sua abutens libertate longius recedit infeliciter decrrans. *Abiit in regionem longinquam*. Luc. 15. Non valens amplius vivere ea in submissione, quæ sibi non ferenda videtur in domo Patris sui: hoc est in exacta divinorum præceptorum obedientia, ubi nimium laboris, atque molestiæ esse arbitratur, petit portionem substantiæ, quæ ipsum contingit. Neque diu sui compos extitit; quippe Evangelium narrans statum infelicissimum, ad quem miser ille redactus fuit, simul nobis illum describit, ad quem redigitur peccator, qui sua abutitur libertate, & qui excutit jugum obedientiæ, quam Deo suo debet.

Applicationes quorundam Scripturæ locorum huic argumento.

C*Onfregisti jugum, & dixisti: Non serviam*, Jerem. 2. Quisnam adeo superbe; atque insolenter loquitur? & ad quem? Peccator est, qui oblitus sui contra Deum insurgit, neque recordatus amplius reverentiæ, quam debet illi, a quo omnia recepit, ipsis etiam abutitur beneficiis, ut suum lædat benefactorem. Hæ duæ sunt circumstantiæ, quæ peccati enormitatem ostendunt habita ratione Dei. Servus, qui audet regi suo negare observantiam, eo nocentior est, quo magis misera illius conditio ipsum infra regiam majestatem dimittit. Quid autem ipsi sumus, licet aureo insideremus solio, ex quo cum Deo comparemur? Cinis, pulvis, corruptio, nihilum; hi sunt tituli nostri; & audemus armare infirmum brachium nostrum contra Dominum, qui omnipotens est; & terræ vermis ita audax est, ut dicat, se illi nequaquam obsequuturum? Neque id dicit solum, sed facit, ac deficiente verbo, opera satis sensum illius interpretantur. Quicumque peccator Dei legem transgreditur ita loquitur: *Non serviam*.

Qui peccat, Deo rebellis est.

Nomen habes quod vivas, & mortuus es. Apocal. 3. Qui sunt in statu peccati, viventes sunt vita cum brutis communi; vivunt enim in abjectiori suimetipsorum parte: sed mortui sunt in anima; vitæ divinæ mortui misere expiratum Dei spiritum per scelus amittentes. Hos alloquitur Jesus Christus in Apocalypsi. *Scio opera tua, nomen habes, quod vivas, & mortuus es &c.* Bene te novi; homo es insignis, quem tanquam totius provinciæ oraculum omnes consulunt, homo ne-

Qui peccat mortuus est, licet vivus videatur.

negotio,

gotiosus, magnam habens auctoritatem, ac propter dignitatem, & praeclara in rempublicam merita reverentiam tibi concilias; ego vero dico nil tibi vitae, nisi speciem inesse: *Nomen habes, quod vivas*. De omnibus hisce magnitudinis, potentiae, & pulchritudinis idolis, quae mundi sectatores venerantur, dicere possemus id, quod de mendacibus Ethnicorum simulacris dicit Jeremias cap. 51. *Mendax conflatio eorum, quia non est spiritus in eis*. Inania sunt phantasmata; vere mortui sunt, quia spiritus vivificans in illis non est.

Caecitas peccandi. *Qui male agit, odit lucem*, Joann. 3. Qui peccatum committit, vel lumen non videt, vel ab eo oculorum aciem avertit. Vel caecus est, vel esse vult; si enim peccati nequitiam videret, qualis est, illud perhorresceret, neque unquam perpetraret. Illud non videt nisi aliqua bonitatis specie coloratum, quae personam eidem inducit, efficitque, ut aliud ab eo, quod est, videatur. Cum voluptuosus sequitur turpissimae cupiditatis motus, non videt vel infamiam, quae sibi imminet, vel malum, quod patraturus est, vel probrum, vel poenitentiam, vel poenam, quae infamem hanc voluptatem subsequetur, quia crimen sese illi quadam boni umbra tectum exhibet. Hoc ipsum de reliquis peccatis dicendum est, qui committit illa, non aperit oculos offensae Dei, neque minis, neque poenis, immo neque praesenti supplicio, quod contra ipsum humanae praeparant leges. Illum suus excaecat affectus, eique aufert cognitionem, vel cogitationem malorum omnium, quia sub commentitii boni velamine tecta sunt.

Peccatum quodammodo nos in nihilum redigit. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*. Psal. 72. Peccatum, David inquit, me ad nihilum redegerat, & ignorabam. O Deus! nunc vere mihi aperis, quid illud in anima mea mali pepererit: *Et ego nihilum redactus sum*. Esse in statu peccati idem est, ac nihil esse in ordine gratiae. Audi quomodo Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 13. loquatur: Si charitatem non habuero, pauper sum? non satis est: *si charitatem non habuero, nihil sum*. Cur hoc? quia non esse in gratia, est nihil esse. Quid est creatura? Nihilum est in ordine gratiae propter peccatum suum; idcoque nihil facere potest, nec se unquam attollere ad Deum, qui Ens primum est, unicum, & supremum. Verbo, in statu peccati omnibus gratiae bonis carens nullum jus habere potest ad gloriam, & ne minimum quidem opus suscipere, quod salutem promereatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiae Sanctorum Patrum hujus argumenti.

PEccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. August. in Psal. 30.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore; non dicit, non sit, sed non regnet. Inest peccatum cum delectaris, regnat cum consenseris. Idem in Psal. 5.

Mortem carnis omnis homo timet, mortem animae pauci. Idem.

Mallem purus a peccato gehennam intrare, quam peccati sorde pollutus caelorum regna intrare. Idem, Serm. 9.

Luges corpus, a quo recessit anima; non luges animam, a qua recessit Deus. Idem.

Anima amissa mors est corporis; Deus amissus mors est animae. Idem, Serm. 18. de verb. Apost.

Omnia peccata duae res faciunt in homine, cupiditas & timor. Idem, in Psal. 79.

Peccare, quam amara res! o mala peccata! quam faciles aditus! quam difficiles exitus habetis! dum suadetis, voluptatem ostenditis; postquam persuaseritis, usque ad mortem animae urgetis. Idem, in lib. Meditat.

Quaecumque vitia habemus, & quaecumque peccata, tot recentes habemus deos. Hieronym. in Psalm. 80.

Qui facit peccatum, servus est peccati, & quod pejus est, multorum servus est; qui subjectus est vitiis, multis se dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. Ambros. lib. 2. de Jacob. c. 3.

Interroga conscientiam peccatoris, nonne gravius omnibus foetet sepulchris? Idem, lib. 1. Offic. cap. 12.

Nihilum armatum & rebelle. Idem.

Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sydus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis saeva tempestas; omnes scilicet bonorum operum fruges destruit, animi facultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit. Cyprian. Serm. 5. de lapsis.

Homicida est qui admisit peccatum. Quaeris quem occiderit? non extraneum, nec inimicum, sed seipsum. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. Tertull. lib. de Idolol. cap. 1.

Omne malum, aut timore, aut pudore natura perfudit. Idem, Apolog. cap. 1.

Voluntarius daemon est peccatum, spontanea insania. Chrysost. Homil. 28. in Epist. ad Romanos.

Malorum omnium causam constat esse peccatum. Idem, Homil. 5. ad Poenit.

Divinitatis injuria est. Salvian. lib. 4. de Provid.

Pulchre clamorem dixit (Scriptura) in se habere peccata, scilicet quia cadi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur poena peccantium. Idem ibidem.

In peccatore non tam persona vivit, quam umbra praemortui. Eucher. Hom. 4.

In rebus humanis nihil malum est dicendum, nisi peccatum solum. Cassianus, coll. 6.

Agnosce, homo, quam gravia sint vulnera, pro quibus secundum divinae providentiae ordinem, necesse est Dominum Christum vulnerari. Bernardus, Serm. 1. in Nativ. Domini.

Crudelis & plane execranda malitia, quae Dei potentiam, justitiam, & sapientiam perire desiderat. Serm. de Resurrect.

Attende miserias hominis; vestigalia sunt peccati. Hildebertus, Archiepiscop. Turonensis.

Cur me graviori tuorum criminum cruci affixisti? Gravior apud me peccatorum crux, in qua invitus pendeo, quam illa, in quam tui miserens ascendi. Idem, Serm. 181.

Judaei, qui Deum crucifixerunt ambulantem in terris, minus peccaverunt, quam qui offendunt sedentem in caelis. Sanctus Dionysius, Epist. 4. ad Demoph.

Cur addimus afflictionem afflicto? Magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quam vulnera corporis sui. Bernardus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi possit.

Peccati mortalis, de quo hic sermo, definitio. PEccatum, Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. generaliter ait, est omne desiderium, omne verbum, omnis actio contra Dei legem aeternam. Neque mirum est, quod solam aeternam legem exprimat, quamvis quidquid contra leges alias fit, certissime sit peccatum: omnis enim obedientia, quae aliis debetur legibus, ad aeternam redigitur legem, & huic tantum innititur; ita ut peccatum non esset, humanis legibus detrectare obedientiam, nisi illis obedire aeterna lege juberemur. Definitionem hanc adoptavit Sanctus Thomas 1. 2. qu. 71. art. 6. factaque est communis inter Theologos. Animadvertendum est duntaxat, id, quod lex aeterna appellatur, esse supremam rationem, ipsum Deum; unde sequitur, quod quicumque peccat, dedecore afficit Deum, quantum in ipso est, illius se subtrahit obedientiae,

se illus

se illius hostem declarat; ejusque ira, & ultione dignum se præbet.

Alia definitiones, vel notiones peccati.

Idem Sanctus Augustinus libro de libero arbitrio cap. 16. ait, peccare, esse æterna bona relinquere, ut fluxa, fragiliaque conquirantur. Ratio autem est, quod cum Deus sit essentialiter suprema ratio, constituit ordinem, qui omnia refert ad ipsum tanquam ad verum, unicumque finem; atque ordinem hunc constituens damnat, quidquid illi oppositum est. Peccatum autem est ordinis hujus perturbatio. Sin autem spectetur peccatum ratione tantum illud committentia, Theologi vulgo docent, labem esse, ac deformitatem in creatura rationis participe, quam hæc macula fœdat, efficitque injucundam in oculis Dei, & indignam, quæ illum unquam in gloria possideat.

Simplex, & naturalis idea, quam omnes habent de peccato.

Peccare juxta magis simplicem, ac naturalem ideam, quam habemus, non aliud est, quam ab officio recedere, seu oppositum positive faciendo, seu minime faciendo quod faciendum est: ita ut si bene munera nostra cognoverimus, non difficile futurum sit judicium ferre de criminibus, prout nostris officiis defuerimus. Animadvertendum est solum, ad hoc, ut peccatum sit mortale in omnium Theologorum sententia, necessum esse, quod cum plena libertate fuerit commissum contra aliquod Dei, vel Ecclesiæ mandatum in re non ita levis momenti.

Cur peccatum mortale dicatur.

Ut intelligamus; quid sit peccatum inferens mortem, seu peccatum mortale, sciendum est, animam, quæ corporis vitam constituit, & ipsam alteram habere vitæ speciem, quam amittere potest; ita ut licet immortalis suam habeat mortem. Vita hæc, quæ est animæ propria, non aliud est, quam status gratiæ, atque justitiæ, ex quo decidere potest; quod mortem facit. Itaque ut simpliciter, ac citra metaphoram loquamur, peccatum mortale illud est, quod efficit, ut statu hoc excidamus; videlicet quod animæ spiritualem aufert vitam, Dei nempe gratiam, & mox infert mortem; quoniam illam in æternum Coeli aditu prohibet, æternaque privat vita, eamque inferni suppliciis efficit dignam *Stipendia peccati mors*, inquit Apostolus ad Roman. 6. & Ezechiel Propheta hoc ipsum confirmat dicens: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*.

Peccatum mortale dicit aversionem a Deo, & conversionem ad creaturas.

Peccatum aversio est a Deo, & inordinata rebus creatis adhæsio: ideoque duo peccati naturam constituunt. Recedere a Deo, & illum odisse, hoc primum est; adhærere creaturæ, eamque amare, hoc alterum est. Fingine potest major ordinis perturbatio, gravior nequitia, ac terribilior deformitas? Hæc autem Dei aversio multifariam accipi potest: 1. pro creatæ voluntatis oppositione voluntati increatæ, hoc via, & ego nolo; hoc non vis, ego autem volo: 2. pro oppositione voluntati hominis Dei locum tenentis: contradictione voluntaria, ac pertinaci renitentia sanctitati mandatorum Dei seu immediate, seu mediante aliquo, a quo nobis Dei verbis indicantur.

Peccatum mortale nos a fine nostro avertit.

De fide est, Deum unum esse posse nostrum finem extremum, supremum bonum nostrum, nostramque felicitatem perfectam, & qui creata omnia produxit tanquam apposita media, quæ nos ad hunc finem adducerent. Attamen cum peccatum animæ nostræ facultates perverterit, cumque intellectus noster non satis luminis habeat, ut finem a mediis secernat, & nostra voluntas viribus destituatur, ut nos ad bonum quidem impellat, a malo autem amoveat; Deus leges irrogavit, per quas cognosceremus vias, quas sequi debemus, & usum, quem facere debemus creatarum rerum, eas respicientes tamquam media, quæ ad Creatorem, extremum scilicet nostrum finem adducunt. Hunc autem ordinem peccator evertit; ex fine media facit, & media in finem convertit: fruitur iis, quibus utendum esset tantummodo, & iis utitur, quibus esset fruendum.

Definitio hujus ob-

Cum dicimus, mortale peccatum maximum esse malum, terribilem dicimus veritatem: re enim ipsa mortale peccatum est oppositio voluntatis peccatoris voluntati Dei, per quam hic rebellis facit, quod facere prohibetur lege Creatoris sui, neque facere vult, quod ad salutem etiam suam facere jubetur. Quamobrem Sanctus Augustinus dixit, peccatum voluntarium illud unum esse, quod verum malum constituit: *Hoc solum vere dicitur malum voluntarium peccatum*. Sed vitium a peccato differt, quemadmodum habitus differt ab actu, quem producit. Itaque mortale peccatum est actio prava, quæ præterit, cum vitium pravus sit habitus; qui permanet, & multiplicat peccatum, atque peccatorem in ipsius contra Deum rebellione confirmat.

illum, & peccatum.

Homines non quærunt peccatum propter ipsum, sed propter bonum aliquod apparens quod in illo esse putant.

Quod in peccato diligimus, non est malum, neque ordinis perturbatio, quæ ibi invenitur; dæmonem esse oporteret, ut adeo detestabilem voluptatem inquireres; immo dubitari adhuc potest, utrum dæmon, licet reprobatus sit, voluntatem habeat tantæ improbitati parem. Peccati objectum amamus; utilitas, quæ inde percipitur, voluptas, quæ illic invenitur: cumque hæc voluptas, utilitas, & objectum sint omnino naturalia, ultra non inquirimus, quid gignere possit peccati enormitatem, quæ consistit in oppositione, quam peccatum habet cum Deo, & in circumstantiis, quæ oppositionem hanc Deo maxime contumeliosam efficiunt.

Oppositiones, quas peccatum habet cum Deo.

Cum peccamus, ingredimur in contrarietatem, formalemque oppositionem cum Deo: sed cæcitas nostra prohibet, ne videamus illam, & obduratio nostra, ne illam sentiamus. Sed sive illam sentiamus, sive secus, ibi est, ibique permanet, donec peccatum ibi subsistit. 1. Oppositio in bonitate; nihil enim melius, ac præstantius est Deo, nihilque magis pronum ad sese cum suavitate, & amore communicandum; nihil e contra pejus, nihil indignius peccatore, qui tyrannico quodam affectu omnia pro se vult, & omnia suis votis sacrificat. 2. Oppositio cum Deo in ejus sapientia, per quam omnia instituta sunt secundum supremæ rectitudinis leges; cum e contra peccatum quodcumque subversionem afferat, & perturbationem. 3. Oppositio cum Deo in ipsius potentia; peccator enim, Sanctus Bernardus ait, hanc potentiam non credit: sibi fingit Deum infirmum, qui pœnas reposcere nequeat, vel saltem illum talem esse desiderat. 4. Oppositio cum Deo in justitia, pergit D. Bernardus; peccator enim, cum rebellat, nullam amplius erga supremum Ens æquitatis retinet mensuram, Non agnoscit illud amplius pro eo, quod est; non reddit illi ultra quod debet; quapropter peccatum passim in Scripturis injustitia, & iniquitas dicitur. 5. Oppositio cum Deo in sanctitate, & puritate essentiæ suæ; si enim res est ulla, per quam debeat Deus a peccato abhorrere, & cum illo simul omnino non esse, hæc puritas, & sanctitas est. 6. Oppositio cum Deo in absoluta ipsius auctoritate, supremoque dominio. Nihil Dei voluntati, nihil mandatis ejus resistit; unus illi resistit peccator; illius voluntatem, legesque transgreditur, atque per hoc quodammodo fines præscribit auctoritati, & imperio, quod nullis unquam cancellis potest coerceri. 7. Oppositio tandem cum Deo in ipsa ejusdem essentia: Deus enim essentialiter id est, quod est: *Ego sum qui sum*; omne bonum, omnis plenitudo, omnis perfectio: peccatum e contra essentialiter defectus est, perturbatio, rectitudinis, bonique privatio. Itaque nonnisi summa esse potest oppositio; nihilum quippe peccati non in eo solum situm est, quod nihil sit, sed in eo, quod destruit, quidquid bonum est.

Mortale peccatum malum est infinitum.

Peccati magnitudinem metiri opus est ex magnitudine Dei, qui læsus est, & humilitate hominis, a quo læditur; ita peccatum tantum malum est, quantum & Deus magnus est, & homo vilis. Peccatum igitur, quod infinitam Dei majestatem audet lacessere, respici debet tamquam ali-

quid

quid infinitum. Ad hæc infinita hominis vilitas, ac infinita, quæ Deum inter, & ipsum est distantia, adjecta infinitis Dei in ipsum meritis, & beneficiis, altera ex parte plurimum confert, ut infinita crescat peccati magnitudo. Quambrem Deus, qui justissimus est, non credit se nimis gravi pœna punire peccatum, eam adhibens, quæ in objecto suo est infinita, quandoquidem infiniti boni privationem complectitur, & infinita in duratione sua, non enim alios, quam ipsius æternitatis fines est habitura. Peccatorem damnat, ut pro peccatorum suorum expiatione æternum torqueatur, quin eadem unquam delere possit; nisi debitum infinitum fuisset, potuisset tandem ille pœnis suis divinæ satisfacere justitiæ. Sed inde melius peccati infinita intelligi potest magnitudo, quod licet creaturæ omnes, quæ fuere, quæ sunt, ac erunt, quantumvis perfectæ esse possint plures sæculorum myriades omnibus Martyrum cruciatibus torquerentur, digne tamen non possent pro una tantum mortali noxa satisfacere. Ut peccatum expiaretur, æternoque Patri offerretur reparatio æqualis offensæ, oportuit, Deum hominem fieri, & in cruce animam efflare. Unus erat Jesus Christus Deus simul, & homo, qui digne pro peccato satisfacere posset. Igitur si peccatum nonnisi infinita satisfactione poterat reparari, nonne infinitam complectitur improbitatem?

Odium, quo Deus peccatum persequitur.

Odium peccati adeo inseparabile est a natura Dei, & fortiter adeo ipsi inhærens divinitati, ut Deus ex necessitate peccatum oderit, & jam Deum esse cessaret, si illud cessaret odisse. Theologi odium hoc bifariam dividunt; cujus alterum genus abominationis, alterum inimicitiæ odium appellant. Abominationis odium est divinæ voluntatis aversio, per quam Deus peccatum detestatur, & horret. Odium inimicitiæ illud est, per quod illud persequitur, se illius inimicum profitetur, ultionem de illo reposcit, efficitque, ut severissimis pœnis, quas sumere consuevit, iræ, indignationisque suæ pondus experiantur.

Quantum sit hoc odii, quo Deus peccatum persequitur.

Ad hujus odii magnitudinem innuendam dicendum est, Deum tam odisse peccatum, quam semet ipsum amat, & easdem rationes, quibus Deus seipsum amare tenetur, eum cogunt, ut peccatum oderit tanquam sibimet infinite oppositum; ita amor, quo Deus seipsum diligit, ratio est, & mensura odii, quo peccatum persequitur. 1. Quemadmodum Deus seipsum æterno diligit amore, & nullum fuit momentum, quo se non amaret; ita Deus peccatum æterno insectatur odio, & nullum unquam fuit momentum, quo illud non oderit. 2. Quemadmodum Deus seipsum amat amore ita necessario, ut non magis nequeat seipsum amare, quam Deum esse; ita peccatum odit odio ita necessario, ut illum odisse cessare nequeat, sicuti cessare nequit esse Deum. 3. Quemadmodum Deus seipsum amat amore infinito, ita ut se majori amore nequeat amare; ita peccatum odio odit infinito, ita ut nequeat majori odio illud odisse

Affectus odii inimicitiæ quo Deus odit peccatorem mortale peccatum committentem.

Duplici verbo dici potest, cum mortale peccatum peccantem Dei faciat inimicum, Deum quoque ex eodem temporis momento, quo ille peccat, in ipsum inimice agere, eum sua amicitia, bonisque omnibus, quæ illam concomitantur, privando, eumque subjiciendo pœnis omnibus, quibus in arena statim plecti mereretur, nisi divina bonitas, & misericordia sæpe differret, ut illi pœnitentiæ spatium relinqueret. Ita mortale peccatum animam spirituali vita privat, quæ est gratia Dei, efficitque, ut omnia merita amittat, quæ per illam fuerat adeptus, non secus ac supernaturalium virtutum habitus, fide tantum, & spe excepta. Efficit, ut decidat de jure filiorum Dei, hoc est jure, quod habent ad Patris hæreditatem, eosque privat peculiari Dei protectione, & communione meritorum omnium fidelium, & nisi peccatum retractatum, dimissumque fuerit, peccatorem in æternum aditu cœli probibet, dignumque efficit pœnis inferni.

Cur Deus mortale peccatum æterna puniat pœna.

Exigit justitia, ut pœna sit crimini congrua, & supplicii mensura sit sceleris gravitas, & nequitia. Cum autem Theologia in mortali peccato infinitam detegat nequitiam, licet non absolute, & in se, sed ratione illius, quem offendit, qui quidem majestas est infinita, patet hoc infinitam pœnam mereri. Cum vero peccator finita sit creatura, pati nequit pœnam in sua qualitate infinitam; opus est hanc infinitam esse in duratione: qua non obstante pœnarum æternitate asserunt adhuc Theologi, mortalis peccati nequitiam æquari non posse, quamvis ad illud expiandum omnes simul omnium damnatorum pœnæ perferrentur.

Cum dicimus peccato mortali annihilari pretium actionum nostrarum, credendum non est, has, ubi hoc in statu fiant, esse criminosas. Hæc propositio est Vviclefi hæretici a Constantiensi Concilio damnata; & de fide est, quæcumque sit animæ nequitia, hanc tamen non eo usque procedere, ut bonorum operum naturam immutet, eaque prava reddat, cum non facit ea nefario consilio. Hanc autem rationem adsert Sanctus Augustinus. Deus, inquit ille, homini præcipit, ut quocumque in statu sit, parentes suos colat, & vereatur. Si actiones hujusmodi in peccato mortali peractæ malæ essent, inde sequeretur, Deum ea jubere, quæ vetita, & mala sunt, quod fieri non potest. Affirmo autem, has bonas actiones non esse omnino ad salutem inutiles, quia ex Tridentino Concilio, Patribus, Theologisque, inserviunt, atque ad Dei gratias obtinendas disponunt.

Quomodo peccatum mortale committatur, & ad illud descensus fiat per gradus.

Sciendum est, ad mortale peccatum quasi per gradus descensum fieri, videlicet per suggestionem, delectationem, atque consensum: *Tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione*: hæc verba sunt S. Augustini, quem D. Thomas, Theologique omnes sequuntur. 1. Excitatur in nobis cogitatio, quæ suggerit malum; exempli gratia, dulce est ultionem sumere, vel plurimum divitiarum acquiri posse hac via, quæ est injusta. Mox assurgit in appetitu motus quidam delectationis erga objectum istud; quæ si percipiatur delectatio, quin præbeatur assensus, nondum peccatum est: verum si voluntas præcedenti deliberatione fuerit assensa, jam patratum est facinus, quamvis nondum fuit opere adimpletum.

Tria sunt omnino necessaria, ut mortale peccatum committatur.

Tria simul conveniunt, ut peccato cumulus, extremumque accedat complementum; quorum si aliquod deficiat, peccatum nequit esse mortale. Docet Sanctus Thomas: Dei lex esse debet explicita; materia esse debet gravis; hominis libertas integra, atque perfecta: *Contra perfectam legem, in materia gravi, ex libertate perfecta*, Sanctus hic Doctor ait. Neque enim putandum est, nobis omnia a Deo crimini verti, eumque vel minima negligentia ad furorem usque irritari, & leves ob causas sancitam cum nobis amicitiam infringere. Si terribile concipit odium contra mortale peccatum, næ ille in peccato triplicem execrationis invenit causam. Mortale peccatum semper est legis perfectæ fractura; materia semper magni est momenti; & libertas, qua peragitur, semper est integra. Quid sibi vult *contra legem perfectam*? Videlicet quod negligere simplex consilium, fideli alacritate non sequi secretam inspirationem ea in re, quæ alioquin imperata non est, esse non possit mortalis noxæ argumentum. Ita quodlibet peccatum supponi per se veram inobedientiam legi explicitæ, atque formali.

Quæ modis mortale peccatum violet jura, quæ in nos habet Deus.

Inferre debeo magnitudinem injuriæ, qua Deum per mortale peccatum afficio, esse infinitam; peccans enim violo jura, quæ in me Deus habet infinita, ut me a peccato deterreat, atque exigat, ut illi reddam, quod ipsi debitum est. Violo jus primi principii, & Creatoris, quod me cogit, ne de me ipso, nisi secundum beneplacitum ejus disponam; per peccatum enim, ut mihi placet, & contra voluntatem ejus dispono. Violo jus ultimi

finis,

finis, qui exigit, ut propter illum tantummodo vivam, omnia ad ipsum referam, ad illum jugiter tendam tamquam ad bonum supremum: etenim per peccatum mihimetipsi vivere volo, omnia ad meipsum refero, & me mei extremum quodammodo finem facio. Violo jus, quod habet imperandi mihi, & prohibendi quidquid illi placet, tamquam absolutus meæ voluntatis dominus: quia illi obedire detrecto. Violo jus, quod tamquam summe bonus habet efficiendi, ut super omnia diligatur; tamquam summe justus, & omnipotens efficiendi, ut præ rebus omnibus timeatur, atque colatur; tamquam summe sapiens, ut ejus consilium reliquis omnibus præferatur. Denique alia quæcumque jura violo, quæ ipsi conferunt omnes perfectiones suæ, a me exigendi quodlibet honoris, servitutis, submissionis genus, etenim per peccatum hæc omnia illi præstare recuso.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis libris, nuperisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Mortalis peccati malitia neque exprimi potest.

PEccatum monstrum est, quod in erroris caligine natum est, & nonnisi inter mendacii tenebras viget: *Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Eccl. 11. Deo uni satis est luminis, ut tenebricosam hanc abyssum perfodiat, ibique detegat peccatum, quale reipsa est. Unus increatus Spiritus, Sanctus Paulus ait, cui perspecta est divinitatis altitudo, penetrare potest usque ad imum nequitiæ peccati, ut illius perfectam assequatur cognitionem: & quemadmodum immensa divini intellectus capacitas sola est, quæ comprehendere valeat, quid sit Deus, & honorem, qui debetur Deo; ita perfecta ejusdem intelligentia sola est, quæ veram concipere valeat ideam deformitatis peccati. Dicere quidem possumus cum S. Ignatio Martyre, peccatum esse maledictum Sathanæ germen, quod nos in parvulos dæmones mutat, quemadmodum gratia Dei est semen divinitatis, quæ nos divinæ participes facit naturæ. Dicere possumus cum S. Dionysio, privationem esse pulchritudinis, vitæ, & rationis; cum Sancto Augustino, generalem esse hominis totius inversionem: cum Tertulliano, execrabilem Dæmonis supremæ Dei majestati prælationem; cum S. Anselmo, sacrilegam sceptri, & coronæ Dei rapinam; & cum S. Paulo ad Hebr. 6. tandem, novam esse Jesu Christi crucifixionem: *Rursum crucifigentes Jesum Christum*. Dicemus etiam, mortale peccatum esse integram gratiæ extinctionem, animæ mortem, humanæ naturæ corruptionem, horrorem cœli, terræ desolationem: sed postquam hæc omnia dixerimus, atque illud rebus perniciosissimis, ac maxime abominandis comparaverimus; postquam omnes exhauserimus terminos, quos suppeditare nobis eloquentia potest, fatendum erit, nos levem dumtaxat infiniti hujus mali ideam tribuisse, quod omnium malorum est causa, atque tantam esse illius improbitatem, ut angelicæ, humanæque mentes illam assequi minime valeant. *Pater Texier sermone pro feria sexta hebdomada quarta in Quadragesima.*

Equidem scio, Spiritum Sanctum docere, peccatorem sicut aquam bibere iniquitatem; sed ex Propheta Ezechiele cap. 18. audio etiam, illum mortale virus epotare, quod ejus viscera discerpit, eique mortem infert: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Palpet peccator, quoad voluerit, vitia sua, affectus noxios foveat, hi colubri sunt, qui illi mortale vulnus infligunt: *Quasi a facie colubri fuge peccatum*. Eccli. 21. Utique; patrata scelera sunt furentes leones, quorum dentes crudeles animam discerpunt, atque interficiunt: *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum*. Utique, bonum hoc male partum, bonum hoc injuste retentum, hæc adulteria, hæ illegitimæ voluptates, verbo, hæc omnia iniquitatis opera in judicio Dei nihil sunt aliud, quam gladius anceps, cum quo freneticus peccator animæ, corporique suo mortem conscicit; animæ quidem per gratiæ jacturam, corpori vero illi gloriosæ resurrectionis adimens jura: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, & plaga illius non est sanitas. Idem.*

Parum timetur peccatum, animæ videlicet mors.

Profecto nihil hac in re fidei nobis est: cujus rei hoc apertissimum est argumentum: *Mortem carnis*, Sanctus Augustinus inquit, *omnis homo timet, mortem animæ pauci*. Laboramus, sudamus, millies morimur, ut aliquot dierum spatio producamus vitam brevi cessaturam, & nihil facere volumus peccatum evitaturi, hoc est ne vitam amittamus suapte natura immortalem: *laborat, ne moriatur homo moriturus, & non laborat, ne peccet in æternum victurus*. Quid dico? Nihil conari volumus prohibituri, ne moriatur anima. Heu! Infinitus est stultorum numerus, qui suos acuunt enses, ut animæ suæ mortis ictum infligant... Quis mihi tribuet Sanctorum sensus, fieri eorum mihi verba non desunt! Audio Sanctum Cyprianum, qui indignatus exclamat: Heus tu! Si tibi amici, vel consanguinei obitus nunciaretur, in fletus te effunderes, amara emitteres suspiria, publice tristitiam ipse tuam testareris. Proh sensu carentem peccatorem! Ego Dei verbis edico tibi, calumniam hanc, atram hanc calumniæ foliginem, infame hoc factum animæ tuæ mortem attulisse, & ne afficeris quidem? *Animam tuam miser perdidisti, ipse ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, nec jugiter ingemiscis? Idem.*

Deus, qui Angelorū peccatum perhorruit, num quid nostra impune abire sinet.

Si unum dumtaxat peccatum Deo exosas efficere potuit creaturas adeo egregias, ac spirituales, & quæ tanto illi honori cedebant: heu! Quid erit de vobis, creaturæ pravæ, terræ vermes, homines ex luto, limoque compacti? Quid vobis eris, ubi peccatum mortale commiseritis? Putatisne ipsum ferre posse figlina adeo horribili tabe infecta, ille, qui tanti pretii vasa projicere non dubitavit? Quid erit de animabus illis, quæ sexcenta patrarunt scelera, quæ in sordibus suis volutantur, quæ in illis immersæ, & quodammodo insepultæ sunt, qui omnes sensus suos habent infectos, omnes corporis, animæque facultates depravatas? Quis dicendo assequi potest, quantopere Deus, Angelique eas perhorrescant, & execrantur? *Pater de la Colombiere tomo 3. sermone hujus argumenti*.

Mortale peccatum nos dæmonis servos facit.

Mirum sane est, quod Jesus Christus olim Judæis dicebat assertam jactantibus libertatem, sibique honori vertentibus, quod essent ex Abrahæ posteritate: *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati*. Joann. 8. Ne gloriemini ob fallacem hanc qualitatem, quam majori cum arrogantia, quam justitia vobismet vindicatis: verum enim dico, quilibet peccator servus est peccati sui; hoc est dæmonis, qui hominem per ipsius peccatum captivat. Etenim quemadmodum servus est domini illius, qui vel emptione, vel jure victoriæ illum acquirit; ita qui seipsum Sathanæ vendidit pro exiguo aliquo temporali bono, vel qui se ab illo superari passus est, huic a divina justitia traditus est, ut tamquam captivus ad ipsum pertineat: *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est*. 2. Petri 2. Victus si capiatur, servus est victoris sui jure belli, & in turpi hac qualitate miser vinculis oneratur, & immitis domini sui trahit catenas. *Maimbourg sermone pro Palmarum Dominica*.

Post patratum mortale facinus impossibile est aliquid conari, quod gloriam valeat promereri, donec peccator in hoc permanet mortis statu, ubi cum nihil vitæ capax esse possis, non verba, non actiones, non beneficia, non passiones, non martyrium, non miracula ad æternitatem prodesse possunt, educendo hominem ex hac infinita nihili pro-

profunditate, in quam per peccatum redigitur, juxta illa Apostoli 1. ad Corinth. 13. verba; *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Præterea in absoluta est impotentia ex hoc statu emergendi sine ope gratiæ, qua indignus est, & quam sæpe non habere se putat, quamvis Deus illam largiatur. *Idem.*

Malum, quod mortale peccatum parit.

Nulli sunt termini, quibus explicari possit malum, quod peccato nostris animabus infertur. Hæc est separatio a Deo, & adhæsio creaturis, quæ non sunt nisi vanitas: est gratiæ, omniumque virtutum privatio: est exclusio felicitatis æternæ, mentis obscuratio, voluntatis perturbatio, afflictio, ac tormentum conscientiæ, damnationis principium. Quid ultra? Peccatum ex S. Joanne nobis duplicem infert mortem: *Peccatum ad mortem.* 1. Joann. 5. Non enim solum in hac vita nobis infert mortem per gratiæ sanctificantis jacturam, sine qua in ordine supernaturali id sumus, quod corpora nostra sine anima in ordine naturæ; verum est etiam mors animæ pro altera vita propter gloriæ jacturam, quam infert. Aufert nobis jus, quo ad gloriam contendere poteramus, & si in ipso peccato occuparemur, inde in æternum prohiberemur; illud vero maxime metuendum est, quod sæpe Deus reprobationem nostram alicui adnectit peccato, quod a nobis fuerit patratum. *Auctor serm. Christianorum serm. de peccato.*

Anima per mortale peccatum gratiæ mortua est.

Quem putatis esse statum animæ, quæ per mortale scelus gratiæ sanctificantis jacturam passa est? Fingite vobis cadaver in sepulchro; vel si mavultis, idola Ethnicorum, de quibus loquitur Propheta, quæ oculos habent, & non vident, manus, & non palpant, pedes, & non ambulant. Talis est status hominis, quæ per lethale peccatum gratiam amisit. Habet oculos, & non videt: ratio illius adeo densis tenebris circumsepta est, ut verum a falso non distinguat. Peccatores habent manus, sed nulla amplius bona opera faciunt, & si quæ faciunt, nihil ad æternitatem metentur: pedes habent, sed non ambulant, vel si ambulant, quin in vitturis incedant via, incedunt, ut præcipites in vitii abyssum ruant. *Idem.*

Status animæ omnibus suis meritis exutæ per peccatum mortale.

Si appositam videre cupis animæ, quam mortale peccatum omnibus meritis exuit, imaginem, unquamne interfuisti magnæ alicujus urbis direptioni, cum omnia victoris hostis impotentia igne ferroque vastarentur? Non videntur ibi amplius superba ædificia; viæ fluunt sanguine; compita, plateæque cadaverum cumulis tecta sunt. Miles avidus prædæ, quidquid pretiosum, ornatumque ibi erat, abstulit; nihil ibi nisi horror, terror, vastitas conspicitur. Jeremias Propheta ita nobis eversæ Jerosolymæ imaginem describit: sed quis ob oculos statuit imaginem animæ, quam peccatum, ut ita dicam, diripuit, & depopulatum est? Furens hic inimicus, statimac ingressus est cor, inde gratiam, & Spiritus Sancti aufert dona: evertit hæc omnia magnifica æternitatis opera, recte factorum meritum evertit; jejunia, eleemosynæ, charitatis opera hæc omnia interierunt, ac nullius sunt pretii pro gloria cœlesti acquirenda. Illustres tituli filiorum adoptivorum Dei, & hæredum Paradisi, nobilia jura ad regnum cœlorum evanescunt: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? Haccine est urbs perfecti decoris, & gaudium universæ terræ?* Thren. 1. Propheta Isaias cap. 1. Jeremiæ comparationem his verbis confirmat: *Et relinquetur filia Sion sicut civitas, quæ vastatur vastitate hostili.* Si olim, Scriptura testante, David, totusque exercitus ejus videntes urbem Siceleg ab Amalecitis igni, ferroque vastatam, ita in fletus eruperunt, ut illis deficerent lacrymæ: *Planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.* 1. Reg. 30. quis non flebit, quis sanguineas non effundet lacrymas intuitus animæ desolatæ, atque per peccatum direptæ ruinas? Unus est peccator, qui sua non tangatur infelicitate. *Pater Texier in Dominicali, sermone pro 23. post Pentecosten Dominica.*

Peccator non afficitur clade animæ suæ, quam peccatum evocavit.

Agri, hæreditatis, modicæ argenti vis jactura somnum nobis aufert, & sæpe ad desperationem adducit. Per peccati nostri nequitiam Deum amittentes, amisimus omnia, quisnam igitur esse debet dolor noster, quænam tristitia? O Munde, quam ab omni ratione alieni sunt sensus tui! Putas æquas esse querelas tuas, ac impatientiam tuam validis probari rationibus, quia tibi subreptum fuit aurum tuum, & ablata pars hæreditatis tuæ: tu tamen non doles, postquam peccatum tibi regnum cœlorum eripuit, atque supremum tibi abstulit bonum: *Doles damnum pecuniæ, & non doles damnum justitiæ.* Te judicem appello popule fidelis, si quis sine sensu tantum pati potest interitum, nisi ille fidem, vel rationem amiserit. *Idem.*

Exhortatio ad peccati fugã.

Persuasum nobis sit, Christiani, peccatum unicum esse malum, quod odium nostrum mereatur, solum esse lacrymarum nostrarum argumentum. Illud ergo ante omnia fugiamus. Avare, saltem fuge, ac detestare peccatum, quemadmodum paupertatem fugisti, & horruisti. Ambitiose, contremisce ad conspectum peccati, quemadmodum ad contumeliæ conspectum fremis. Voluptuose evita peccati occasiones, quemadmodum occasiones doloris evitas. Fugiamus, & oderimus peccatum eodem modo, quo Deum amare debemus. Deus nobis super omnia diligendus est, igitur ante omnia peccatum fugiamus. Si quis se aliquo adstrictum gravi crimine sentit, attollo hodie vocem meam dicturus illi: O miser! per peccatum tuum odium tibi conflasti Dei tui; illius indignationem subiisti; intulisti mortem animæ tuæ, ac inferni pœnas meritus es: ut ex deplorabili hac emergas calamitate opus est, ut ex hoc ipso temporis momento ad divinam misericordiam confugias &c. *Idem.*

Magnitudo mali, quod peccator sibi parit per peccatum.

Offendit ipse se omnis, qui peccat, quoniam spoliat animam suam gratia Dei, ex qua remanet cœcus, & nudus, & pauper, & miser, & miserabilis, quamvis ex interna mentis cæcitate sibi dives, & locupletatus, & nullius egere sibi videatur, ut dicitur in Apocalysi 3. En igitur quanta sit, & quam lacrymabilis deformitas, crudelitas, & malitia peccati venenata. Vere scribit Sanctus Joannes Chrysostomus, neminem lædi nisi a seipso, quoniam omne malum, quod extrinsecus advenit, sive ab hostibus, sive ab elementis, sive a moribus, sive a diabolo, omnia cooperantur in bonum, si peccatum absit. At cum quis animam suam peccati veneno interficit, simul omnia pereunt bona, & irruit in hominem innumerabilis turba malorum. *Bellarminus. De gemitu Columbæ lib. 2. cap. 1.*

Comparatio Dei læsi, & hominis Deum lædentis.

Restat caput postremum, de comparatione hominis cum Deo; hæc enim comparatio, si ut oportet, instituatur, satis efficax esse poterit ad flumen lacrymarum de petra durissima cordis humani eliciendum. Quid igitur est Deus, quem homo peccator offendit? & quid est homo, a quo Deus immortalis offenditur? Deus est res quædam ex se sufficiens, & nullius egens, juxta illud Prophetæ: *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Homo est res nihil omnino ex se habens, & omnium bonorum egens. Quale igitur monstrum est, si quod est ex se nihil, & mendicare cogitur a Deo fonte omnium bonorum omnia sibi necessaria, erigat manus, ut pugnet contra ipsum Deum? quid est Deus, & quid est homo? Deus est lux sæculorum, qui semper fuit, & semper erit, & qui idem semper est, & anni ejus non deficient; homo est vapor ad modicum parens, qui paulo ante non erat, & paulo post non erit, & nunc esse momentaneum possidet. Quomodo igitur audet homo tam fragilis Deum, qui solus habet immortalitatem, ad iracundiam provocare? Quid est Deus, & quid est homo? Deus est omnipotens, apud quem nihil est impossibile, & cui nemo

rest-

resistere potest; homo est vermiculus terræ, subjectus vestigiis Dei, a quo si paululum comprimatur, extinguitur. Et unde igitur tam ingens superbia huic vermiculo, ut Deum offendere non pertimescat? Quid est Deus, & quid est homo? Deus est solus sapiens, quem nulla latet cogitatio, & qui scrutatur renes, & corda. Sed cogitationes hominum timidæ sunt, & incertæ providentiæ nostræ. Cur igitur homo tantum confidit in astutia sua, ut speret, se fallere posse omnia videntem, & omnia scrutantem Deum? Ac, ut multa prætercam, quid est Deus, & quid est homo? Deus est pater amantissimus, & beneficentissimus, qui si tolleret ab homine, quæ in eo posuit, nudus omnino remaneret homo, & ad nihilum plane redigeretur. Et fieri potest, ut patris tam boni reperiatur filius tam malus, qui patrem ipsum, si posset, occideret? & tamen vere reperiuntur blasphemi, & rabidi homines, qui Deum de cœlo detraherent, & conculcarent, & ad nihilum, si possent, omnino redigerent. Denique quid est Deus, & quid est homo? Deus est verus, & naturalis Dominus omnis creaturæ: homo est verus, & naturalis servus Creatoris sui: & tamen inveniuntur tam justi Domini tam rebelles servi, ut contra omnem naturæ ordinem ab illo deficere, & creaturam in ejus locum exaltare contendant? *Idem*.

Peccatum causa est omnium malorum quæ in mundo patimur.

Veritas est in Sanctis Scripturis passim repetita, peccata nostra malorum omnium, quæ in hac accidunt vita, esse causas. Deus sibi statuit correctionis tribunal in medio naturæ, ut in peccatores temporalia exerceat judicia, atque perfunctorias justitias suas, ut illos examinet, ac puniat. Inde eas detegens iniquitates, quæ ex nostris conscientiis, tamquam totidem obscuri, malignique vapores assurgunt, quos in ira sua congregat, & ex quibus tristes has nubes compingit, quæ secum vehunt fulgura, grandines, flatus tabidos, exundationes, & ariditates, Tertullianus ait; inde ego quidem ajo, super ingratas, nefariasque gentes indignationis, iræque suæ calicem effundit. Quis enim bella suscitat adversus Jacob, quis vastat Israel? *Nonne Dominus ipse, cui peccavimus?* Psalm. 42. Per ea supplicia, quæ exercebo in te, efficiam, ut te peccatorem esse intelligas: *Castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius*, ait ille per Jeremiam cap. 30. Quamobrem Sanctus Chrysostomus inquit: Frequens habetur de calamitatibus sermo; at una vera calamitas est, nempe peccatum. In aliis malis plurimum imaginatio potest, in peccato omnia realia sunt. Alia mala producere possunt bona, peccatum vero nonnisi mala parere potest. Hæc est calamitas omnium calamitatum origo, & causa afflictionum omnium, quæ nobis accidunt, & sunt supplicia, quæ Deus nobis immittit. *Flechier sermone 2. pro ineundis Occitaniæ comitiis.*

Dei justitiæ interest non sinere peccatum impune abire.

In ordine justitiæ Dei pœna, & peccatum dua sunt, quæ invicem separari non possunt. Miraculosa Moysis virga in anguem mutata fuit, & Moyses ab illa fugiit. Deus in nobis prorsus oppositum operatur prodigium: peccata nostra, quæ sunt serpentes genimina illius, qui primum parentem nostrum fefellit, mutantur in virgas, ut nos percutiat; nobis vero ab illis fugiendum est, tamquam ab afflictionum, ac miseriarum nostrarum auctoribus. Statim ac deficimus, judicati sumus, & pœna peccatum subsequitur: præterquamquod divinæ interest Sapientiæ exterioribus suppliciis affectuum nostrorum impetum coercere. Impunitas eos potius foveret, ac animos faceret, ut recentia subinde crimina committerentur.

Qui mortale facinus committunt ipsi sibi sunt hostes infensissimi.

Nemo nobis tantum obesse potest, quantum nos nobismetipsis, ubi unum tantum committimus crimen. Non homines odio, non dæmones improbitate, neque Deus ipse omnipotentia sua tantum nocere possunt, quantum ipsi nobis, cum prava aliqua cupiditate patimur superati. Possunt quidem homines temporalia auferre bona, atque valetudini, vitæque nostræ officere; tentare nos Dæmones, atque sollicitare possunt, atque permittente Deo excruciare, ac torquere. Deus, cum essentialiter ipsa sit bonitas, nos punire non potest, nisi per scelus nostrum illi præbeamus occasionem. Sed peccati iniquitas longius procedit. Hic hostis est crudelis, qui brevi temporis momento aufert, ut Spiritus Sanctus ait, omnia desiderabilia, quæ in anima sunt. Hanc enim privat gratia, amicitia Dei, & jure, quod ad cœlestem obtinebat hæreditatem. Illi horribilem gignit deformitatem, eamque in turpi captivitate constituit, atque pro malorum cumulo eam præcipitem agit in mortem separans a Deo, qui vera est vita. Quid autem eo in statu sunt homines? Phantasmata, quæ moventur, & agunt, spectra, quæ vivere videntur, & quæ reipsa coram Deo magis mortua sunt, quam cadavera, quæ in sepulchris sunt condita. Perhorresceret insaniam illius, qui actus desperatione sinum sibi pugione transverberaret; neque te ipsum horres, quotiescumque mortali noxa animæ tuæ gladium immergis. Tibergo *in recessu, die altera, meditatione* 1.

Nequitia & gravitas peccati desumitur ex legis trãsgressione.

Quid obesse poterat Deo, si illi, quos in terrestri paradiso collocaverat, ex quodam fructu comederent, qui nihil habere videbatur peculiare, quo distingueretur ab aliis fructibus, quibus vesci licebat? Ubinam erat criminis turpitudo? Non profecto in fructu, quod manducarunt, sed in transgressione legis, qua eodem vesci prohibebantur; ideoque etiam in inobedientia, & rebellione contra Deum, in adsectatione detrectati imperii, & in suiipsorum subtractione dominio Dei, nec non in læsæ majestatis crimine. *Idem*.

Peccator efficit, ut Deus suis serviat peccatis.

Ubinam peccator invenit, unde tristitia, atque infelicia sua exequatur consilia? Numquid sine Deo hoc facere potest? Haud ita sane; Deum lædere non potest, quominus contra Deum iis abutatur bonis, quæ accepit a Deo. Jam, ut peccet, vivat necesse est; vivere non potest, nisi Deus illum tueatur, ejusque respirationem, motum, & essentiam conservat. Aer, qui in os ejus ingreditur, Dei est; cor, quod prava concipit desideria, Dei est; mens, quæ injustas fovet cogitationes, Dei est; oculi, qui intuitus nequam vel circumagunt, vel recipiunt, Dei sunt. Corpus denique totum, quod instrumentum est, & quodammodo basis peccati, Dei est; lux, quæ nocentis gressibus affulget, vel tenebræ, quæ facinorum turpitudinem contegunt, æque sunt Dei. Hoc pacto supremus rerum arbiter, absit verbo invidia, servi sui fit servus propter leges, quas ipse sibi irrogavit, & inversione quadam, cujus incomprehensibilis indignitas est, peccator efficit, ut Deus illis inserviat peccatis, quæ Deus ipse detestatur. *Idem*.

Peccatum est causa malorum omnium, quæ videmus in terris.

Mihi in animo non est quærere, quod Sanctus Chrysostomus præstat, veritatis hujus argumenta, vel in diluvii inundatione, vel in Sodomorum incendio, vel in sanguine primogenitorum Ægypti, vel in exercitu Sennacherib: magis communes eventus magis manifestam mihi suppeditant rationem in illis effectibus, qui quotidie videntur, & quorum vulgatissimam causam Dei esse iram jure contra peccatores succensam docet Scriptura. Scriptura, inquam, docet Deum, ut in peccatores animadvertat, uti bonorum jactura, quæ illos redigit ad paupertatem, fortunæ casibus, qui illos de gradu dejiciant, infortuniis, quæ illis negotium facessant, diuturnis litibus, quæ illos absumant, incendiis, quæ domos eorum comburant, grandine, quæ agros eorum depopulentur, morbis, qui eorum corpus conficiant, malis tumoribus, quæ eorum existimationi labem offundant, inopinatis motibus, ac sæpe tragicis, quæ tristem vitæ eorum finem imponant, turpemque maculam nomini eorum inurant. Scio hæc omnia effecta esse causarum secundarum, quæ plerumque ea necessario, ac sine ullo consilio producunt. Sed iterum

dico,

dico, Scriptura docet, hæc esse instrumenta, quibus utitur Deus peccatores in terris puniturus. *P. Aurelianensis tomo 1. sermone de temporalibus pœnis peccati.*

Unum mortale peccatum omnia nobis aufert merita.

De fide est, statim ac corda nostra ingressum est lethale peccatum, hoc ibi miserrimam parere vastitatem. Licet omnibus supernaturalibus, infusisque virtutibus præditus esses, licet ad altissimum sanctitatis, quæ in terris acquiri potest, apicem pervenisses, licet jugi gratiarum incremento, atque eminentem assecutus fuisses perfectionem, ac gloriosa Dei mater, sufficit unus pravæ cogitationi assensus, ut hæ virtutes, & merita omnia tibi auferantur. Ita est; unicum peccatum momento omnibus te spiritualibus divitiis exuet, quarum acquisitio tot tibi præliis, atque conatibus steterat: teque ad ita absolutam gratiarum, sanctitatis, & meritorum nuditatem rediget, ac si numquam iisdem ornatus fuisses: *Si averteris se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18. Bone Deus! Quam mira desolatio, quam terribilis vastitas! Ut apertiorem, æquioremque hujus ideam concipias, finge tibi hominem, qui solum ab infantia sanctam, & irreprehensibilem duxit vitam, sed qui in singula momenta in omni virtutum genere progressus est, hominem, in quo Deus præstantissimas, quas in Sanctis omnibus partitus est, collegerit gratias, & qui infinita merita fuerit adeptus. Hic si unicum lethale peccatum commiserit, statim ex hoc sublimi decidit statu, sed bonis omnibus exutus, omnibus meritis, spiritualibusque divitiis spoliatus. Unicum pravum desiderium voluntarium simul omnem annihilat fructum precum, jejuniorum, eleemosynarum, omniumque operum charitatis, & pœnitentiæ. *La Font, in Ecclesiasticis discursibus pro Dominica 23. post Pentecosten.*

Peccati nequitia non satis cognoscitur.

Nemo peccatum committeret, si illud perfecte cognosceret. Satis est illud perfecte cognoscere, ut illud infinito odio persequaris. Sed ut perfecte peccatum agnoscas, Deus perfecte cognoscendus esset. Dei magnitudo sola mensura est magnitudinis nequitiæ peccati. Etenim quemadmodum Deus summum est bonum; peccatum summum est malum; neque majori amore Deus dignus est, quam odio dignum sit peccatum. Ita Deus peccatum tantum odit, quantum amat seipsum, & rationes eædem, quæ Deum cogunt, ut seipsum amet, illum cogunt, ut peccatum oderit, tamquam sibi infinite oppositum. Nonne eædem, & mihi rationes sunt Deum diligendi? nonne eædem odio persequendi peccatum? *P. Nepveu tomo 1. Considerationum die 4. Januarii.*

Quid inspirare potest Deo odium hoc æternum, necessarium, infinitum, quo peccatum persequitur, nisi iram huic odio parem, cupiditatem sese ulciscendi æternam, necessariam, infinitam? Et ira hoc odio animata, & infinitæ potestati innixa quousque ultiones suas ferre debet? Et odium hoc non metuimus? Et non odimus peccatum, quod nos objicit terribilibus effectibus iræ omnipotentis? Et illud non evitamus? Immo illud diligimus, & quotidie patramus? O summam cæcitatem! Et sane nonne hoc est nosmetipsos odisse, non odisse peccatum, quod Deus infinite odit; & quod nosmetipsos efficit objectum odii ipsius, atque terribilium ultionum ejus. *Idem.*

Ubi, quid de mortali peccato sentit Deus.

Cœlum, & infernus conspirant, ut nobis ostendant odium, quo Deus peccatum persequitur, per ultionem, quam toties contra illud exercuit: cœlum quidem eo modo, quo rebelles Angelos punivit, infernus vero tormentis, quibus propter unicum mortale scelus tot miseros excruciavit. Innumera fere multitudo creaturarum perfectissimarum, quæ in infernum prolapsæ sunt, hoc est in infinitam, æternamque infelicitatem æternis ignibus damnatæ a Deo infinite justo, & infinite misericordi pro uno tantum crimine, pro una vanitatis culpa, pro uno cogitationis peccato, pro unius momenti crimine, melius quam quælibet argumenta nobis ostendunt, quid est Deus, & quid peccatum, quo læditur Deus. Quæ igitur cæcitas mea est, qui tanta cum facilitate pecco, idque meæ tribuo felicitati! Deus justus peccatum punire non potest ultra quam illud mereatur: Deus misericors semper illud minus punit, quam mereatur, & nihilominus illud punit inferno. Hinc judicium esto, peccatum quid sit. Sed credendumne est, peccati naturam mutari, quod in nobis est? Deum ipsum mutasse sententiam de peccato, atque minus quam olim illud odisse? Peccatum nonne semper idem est? Deus nonne semper idem, semper infinite Sanctus, semper infinite peccato oppositus? Credimusne, quod plura peccata commisimus, quam Angeli; quod ex ea ratione, qua illorum peccatum punit, intelligere debuimus, quantum Deus oderit crimen; quod Deum morientem vidimus pro nobis; quod tempus, ac potestatem pœnitentiam agendi habuimus, quod Angelis negatum fuit; credimus tandem, quod magis viles sumus, pluribus fœdati sceleribus, ac plurium debitores gratiarum, quam Angeli, illum nobis indulgentiorem futurum? *Idem Considerationе pro quinta die Martii.*

Mortale peccatum summum est malum.

Peccatum summum est malum, quoniam essentialiter summo bono oppositum est, possum autem non odisse odio summo malum summum? Hoc summum mihi constituere possum bonum, quod feci, quotiescumque ex creato bono extremum finem meum feci: videlicet quotiescumque lethale peccatum patravi. Possemne peccatum committere, si illud committens cogitarem me facere malum Deo, qui omnia bonorum mihi contulit genera, qui singulis adhuc momentis confert, & longe majora conferret, nisi memet illis opponerem?...... Ad hæc peccatum unicum malum est, quod essentialiter oppositum sit Deo, & cui Deus necessario oppositus sit: pati potest Deus alia mala, illa amare potest, quandoquidem fecit ea, & nihil odit eorum, quæ fecit: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 11. illa mutare potest in bona, illis etiam se subjicere potest, quod fecit, cum factus est homo; sed peccatum non odisse non potest, & Deus esse cessaret, si cessare posset odisse peccatum. Ego autem vellem, illum non odisse peccatum meum, vel sinere hoc impune; videlicet vellem, illum neque sanctum, neque justum esse; hoc est non esse Deum. Credidissemne me adeo horribilis impietatis esse reum, cum mortale peccatum committerem? *Idem Considerationе pro die tertia Maji.*

A peccato ut minimum quid nobis sunt cavendi, infinite minora mala metuimus.

Ubi minora mala nobis impendent, statim perturbamur; nihilque intentatum relinquimus, ut effugiamus illa: undenam ergo hæc tanta tranquillitas, qua adeo parum malum infinitum reformidamus, adeo parum adlaboramus illud evitaturi, nisi quod infinite cæci sumus? Etenim heu! Si cæci non essemus, peccatum metueremus magis, quam omnia mundi mala, magis quam mortem, magis quam ipsum infernum. Infernus enim, ex quo nonnisi creaturæ malum est, minus malum est peccato; quod malum est Creatoris. Maximum inferni malum peccatum est, Sancti, qui Deum cognoscunt, qui cognoscunt quid sit peccatum, hac in re non hærerent, si alterutrum esset eligendum. *Idem.*

Non satis cognoscitur malum, quod culpa gignit.

Sanctæ dumtaxat, justæque animæ bene cognoscere possunt quanta calamitas sit Deum amittere, atque per peccatum ejus gratia excidere: quemadmodum enim gratia effundit lumina, quæ efficiunt, ut inæstimabile hujus thesauri pretium agnoscatur ab animabus, quæ possident illum, ita peccatum secum fert densissimas tenebras, quæ peccatoribus tegunt infinitum bonum, quod per illud amittunt. Ita ut si nulli prævenientis gratiæ radii affulgerent in nocte, in qua peccatrix anima insepulta est, fieri non posset, ut videret terribilem abys-

abyssum, in quam lapsa est. Ita sæpe videntur Dei servi ob levia aliquot errata afflictari, per quæ a Deo paulum recedunt, quin tamen ab eo separentur, cum interim insignes peccatores sine conscientiæ stimulis vitam ducunt, quæ juge peccatum vocari potest, quemadmodum illam S. Petrus in 2. Epist. cap. 2. appellat; *incessabilis delicti*: Dormiunt, rident, ludunt, sese voluptatibus abdunt, donec in eo statu versantur, qui secum trahit æternam a Deo separationem. *Specimen sermonum pro Dominicali, tomo primo, prima post Epiphaniam Dominica.*

Dei mors efficit, ut peccati nequitiam & gravitatem agnoscamus.

Nihil aptius ostendere nobis potest, quantum invisum Deo sit peccatum, quam scire, hunc eumdem Deum mori voluisse in Cruce, ut peccatum expiaret. Quis exclamare non debet ad conspectum stupendi hujus spectaculi, Dei videlicet cruci affixi, ut ibi secum monstrum hoc crucifigeret: quis inquam cum Propheta Psalm. 18. exclamare non debet: *Delicta quis intelligit?* Quis bene cognoscit, quid peccatum sit? quis captum habet, qui necessarius est, ut peccati nequitiam funditus, & quam late patet, cognoscat? Hujus aliquam mihi videor concipere ideam, Domine, cum doceor fide, illud a te in inferno flammarum æternitate puniri; sed longe clarius intelligo, ubi cogito morientem Deum, ut peccato inferat mortem. Si magnum hoc objectum oculis fidei intueremur, conciperemus partem nequitiæ, quæ in peccato continetur, quandoquidem adeo gravem exigit satisfactionem. Heu! ut in ora abyssi, in quam vestri vos detrahunt affectus, vos contineam, non loquor de inferno, de æternitate, de judicio, vobis offero Deum vestrum in Cruce mortuum, & sanguinis sui voce clamantem: ecce quæ passus sum, ut hanc injustitiam, detractionem, furtum expiarem. Peccator ne speres, te coram Deo excusatum iri dicentem, criminum tuorum enormitatem tibi non fuisse perspectam: num illam ignorare poteras, postquam toties prædicari audiveras Deum pro eorum expiatione mortuum in Cruce? Frustra ad examen revocare vellemus, cur Deus, qui poterat peccata dimittere sine tanto hoc holocausto, poposcisset tamen insignem hanc reparationem: satis nobis esse debet, scire judicia illius sapientiam ipsam esse, & æquitatem. Ita quandoquidem Pater Æternus voluit, Filium suum mori, sapientia, & justitia illius flagitabant, ut ita moreretur. Nihil ultra requiritur, ut intelligamus in peccato esse nequitiam, quam penetrare non possumus, etiamsi sæculis omnibus meditemur. *Idem.*

Christianorum peccata graviora sunt, quam Ethnicorum.

Si S. Paulus in Epistola ad Romanos jure dixit, Ethnicos in impietate sua non esse excusabiles, quia licet nondum viva recepissent fidei lumina, poterant tamen pervenire ad cognitionem Dei per lumen rationis, & per creatarum rerum considerationem: quam excusationem afferre poterunt scelerum suorum Christiani, quoniam præter rationis lumina, quæ cum infidelibus habent communia, habent etiam lumina fidei, imbuti fuerunt veritatibus Evangelicis, atque tot receperunt gratias, ut illius dogmata in praxin redigere possent? Attamen inter nos easdem regnare videmus impietates, propter quas Ethnici infernis ignibus adjudicati fuerunt. Nonne igitur fatendum est, quemadmodum cognitio nostra major est, ita supplicium nostrum gravius futurum; & Christianorum dignitatem, quæ nobis esse deberet spei, gloriæque argumentum, causam esse nostri terroris; quia damnatio nostra minus esset austera, si baptismi gratia numquam ornati fuissemus? *Peau, tomo secundo, dialogo item secundo.*

Peccatum est transgressio legis Dei, & rationis.

Quotiescumque mortaliter peccatis, legis vim sentitis. Vestram appello conscientiam. Dicite, quæso, antequam injustitiam, calumniam, impudicitiam aliquam committeretis, numquid legislatoris vocem non audistis? Quam clara erat! quam potens! quantum habebat ponderis, & auctoritatis! Hæc (S. Augustinus inquit) inter populos maxime barbaros, inter tumultum, & ignorantiam auditur; omnis homo, ipsa docente natura, illam cognoscere didicit. Hinc oritur metus, pavorque ante peccatum, hinc confusio, stimulique post peccatum, hinc tenebræ, quæ requiruntur, ut hominum oculis auferantur flagitia, quæ rationem avertunt, & quæ patrare non erubesceremus, nisi transgressionis turpitudinem sentiremus. Quid igitur peccator sentiens, ac intelligens legem, coactusque ab invisibili legislatore, qui in cordis imo loquitur? *Non serviam*, ait ille; licet manifestum sit præceptum, cujus vim agnosco, cujus sentio impressionem; licet urgeat imperium interioris Domini, ac magistri præcipientis, atque erudientis, imperium ipsum detrectabo; memet legi ipsius subtraham, jugum ejus excutiam: *Non serviam.* Duos intra me dominos, duasque leges sentio; legem Dei, quæ in ipsius rationis fundo impressa est, legem sensuum, vel mundi, cujus novi deformitatem. Dum deseram, non parebo: *Non serviam*, & ex duplici servitute, creaturæ servitutem anteferam. Hinc quidem injustus, & furens dominus, qui perditæ conscientiæ est, amicus cupidus, & avarus a me actionem exigunt iniquam, fraudolentam, nefariam; inde vero Deus major, ac tutior legislator efficit, ut contraria vox mei cordis auribus intonet: relinquam invisibilem Dominum, verum Dominum deseram, ac in rebellium partem concedam. Quæ injustitia! quæ infidelitas! *Ex manuscripto sermone.*

Ad hoc ut peccatum sit mortale requiritur formalis transgressio in re non exigui momenti.

Non satis est ad hoc, ut peccatum vere mortale sit, esse contra legem perfectam; opus est etiam, materiam, qua peccator abutitur, alicujus esse momenti, ut fiat objectum odii, æternamque pœnam mereatur. Ut hoc intelligatis, cum S. Augustino supponite id, quod nihil involvit chimericum, atque vestram meretur attentionem. Si Deus, quippe creaturæ suæ dominus, dixisset omnibus, quod olim Adæ: posui inter vos fructum suavissimum, cujus unicus adspectus vobis esse potest tentationis causa, & laqueus innocentiæ vestræ, attamen si noxiam ad illum tetenderitis manum, morietur anima vestra: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Gen. 2. hoc est quotiescumque vel in re parvi momenti transgressi fueritis legem, quam irrogo vobis, auferam vitam animæ vestræ, gratiam, charitatem, quæ illam vivificat. Quid vobis dicendum esset, Auditores? numquid conqueri liceret de austeritate domini hoc præcipientis, & cum inutili servo clamare: *Homo austerus es.* Luc. 19. Dominus es nimis severus; omnia te irritant, omnia te ad indignationem provocant, levissimæ etiam transgressiones eadem severitate puniuntur: *Ex ore tuo te judico*: responderet arbiter æquitatis. Serve infidelis, & nequam; non aliam affero adversus te causam, nisi querelam tuam: *Sciebas, quia homo austerus sum.* Non ignorabas rigorem, cum quo a creaturis meis exigo obedientiam, tenebas, quid tibi lex mea præciperet, noveras pœnas, quæ illius imminent transgressioni: non obtemperasti mandato meo ea in re, quæ licet per se levis haberi possit, magna facta est jussu meo: rebellis prævaricator odium meum meritus es, omnesque odii mei effectus. Quid æquius? Verum est igitur, si Deus gravissimis propositis pœnis levem aliquam rem fieri prohibuisset, nobis locus non esset Domini justitiam accusandi. Sed tibi infinitæ habeantur gratiæ, o Domine! infirmitatis nostræ rationem habere voluisti; operis tui fragilitatem cognovisti, utque pauciores haberes occasiones, propter quas me jure odisse, & punire posses, mortali peccato ea tantum imputari voluisti, quæ majoris essent momenti, & quæ vel cultum, quem tibi debemus, vel humanam læderent societatem. Dominus indignationem suam non adnectit ei rei, quæ per se nullo fit in discrimine; in nos illum irritant, atque extimulant ea, quæ per se aliquid habent turpe, & a ratione alienum. Dominus capitale scelus fieri non vult

vult id, quod cultui suo, & recto civilis societatis ordini leviter obest. Ut mortalis peccati sim reus, utque æterno puniar supplicio, opus est, actionem, cogitationem, verba mea recta eo tendere, ubi perturbent ordinem, quem Creator in universo constituit, atque illius tollat concentum. Ita levis in Dei cultu negligentia non efficit me amore ejus indignum, quasi cor, & adorationem meam turpissimis idolis prostituissem. Ita irrisio brevis sine amaritudine non extinguit charitatem &c. *Idem.*

Peccator mortaliter peccans Dei timorem amittit.

Cum homo seipsum amet, ideoque inimicus sit earum rerum omnium, quæ sibi nocere possent, opus non habet, quod fidei oraculis doceatur formidare ultorem Deum, ac certa supplicia, natura in hoc religionis locum obtinente. Timor adeo profundas in anima ejus efficit impressiones, ut sæpe ibi eadem relinquat vestigia, easdemque ibi excitet agitationes, ac ipsum malum. Attamen hic timor adeo naturalis, & efficax cedit corruptioni; & quantumvis in æternum peccator infelix futurus sit, cessare non vult, quominus peccet. Numquid hominem ipsum destruet peccatum, Christianum destruens; ac ipsius naturæ suffocabit instinctum, postquam gratiæ sensus extinxit? *Auctor Anonymus.*

Qui cum majori cognitione peccant sunt nocentiores.

Verissimum est evangelii dogma, servum domini sui scientem voluntatem, neque facientem illam multo magis punitum iri. Pilatus nil minus contulit morti Salvatoris Mundi, quam Judas: e contra vero aliquid amplius contulit; quandoquidem mortis sententiam protulit, illum tortoribus tradidit, flagellis verberari, & tandem cruci jussit affigi. Attamen Salvator testatur, saltem hoc ex illius verbis conjicere possumus, Judæ peccatum gravius fuisse peccato Pilati. Cur autem? quia Judas divinum hunc noverat Salvatorem, ex illius discipulis erat, & ex Apostolis unus: doctrinam ejus audiverat; testis fuerat miraculorum non secus ac virtutum, & sanctitatis illius. Pilatus vero Ethnicus erat, qui hæc omnia ignorabat, ita ut ignorantia crimen ejus minueret, quemadmodum alterius cognitio scelus ejusdem augebat. *Auctor Anonymus.*

Omnis peccator, cum peccat, ideo rebellis est.

Quid agit peccator dum peccat? Vult sese subtrahere jugo gratiæ, ut se naturæ jugo subjiciat, mundi legibus, atque institutis adhæret, unde fit, quod se supremi legislatoris legibus subtrahit; subditus affectui, qui dominatur ipsi, Omnipotentis excutit jugum: solus rebellis legi Dei sui illam pro libidine aggreditur interpretari, & quoad voluerit laxare, illam accommodare sibi, atque suæ voluntati submittere. Apertius loquamur: illam repellit, contemnit, impugnat, destruit: *dissipaverunt legem tuam.* Psalm. 118. Mundanus ait, nequeo meiret subjicere tot officiis adeo molestis, & onerosis &c. *Alius Auctor Anonymus.*

Peccata nostra causa sunt malorum, quæ nobis immittit Deus.

Isaias propheta nos admonet, peccata nostra sæpe in nobis respondere: *respondebunt peccata nostra*; quod innuit, cum Deus nos affligit, atque in nos animadvertit, cum aliquod nobis accidit infortunium, vel terrenum aliquod detrimentum, peccata nostra nos intrinsecus admonere, se malorum causas fuisse: Cum petimus, ob quod malum nobis talis accidit casus, peccata nostra respondent, se nobis illud conflasse supplicium. Cum Dei filius percussit vendentes, & ementes in templo, id fecit, ex quo gravissimum eruere debemus documentum. Flagellum compegit ex funibus, quibus merces eorum erant alligatæ: *Cum fecisset flagellum, quasi de funiculis.* Joann. 2. Hoc mysterium est, Pater ille in Psalm. 130. inquit, quo docemur Deum nostris uti peccatis, atque criminum nostrorum instrumentis, ut nos plectat, & puniat: *Quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de funiculis negotiatorum fecit, & inde expulit de templo omnes, qui sua quærebant.* Propterea Rex Propheta inquit, peccatores propriis peccatis vinctos esse. Non quærant ergo neque in hominum improbitate, neque in fortunæ injustitia; neque in sortis mobilitate causas pœnarum, quas patiuntur, sed sua tantum accusent peccata. *Specimen Sermonum pro feria sexta hebdomadæ secundæ in Quadragesima.*

Anima per peccatum dedecoratur.

Peccatum dedecorat animam. Anima ista, quam Philosophi particulam divinitatis vocarunt, quis non secus ac Deus, operationes habet nobiles, egregias, incomprehensibiles: anima hæc, inquam, decidit nonnumquam ex alto hoc dignitatis gradu in eam conditionem, quæ a brutorum conditione non differt; ratio affectu excæcata non redit amplius, amittitur, non audit amplius consilia, nonnisi furenti modo, & per impetum quendam operatur. Peccatum nos magis efficit viles, quam inanimatas creaturas, quæ nonnisi per hominis peccatum polluuntur, & in illas Deus neque iram fovet, neque ultionem exercet. Denique setius ocyus peccatum animam miseram facit, postquam dedecoravit illam, & quemadmodum fit iræ divinæ objectum, ita qui peccaverit, æternis suppliciis objicitur. *Ex tractatu quodam de Conscientia.*

Qui peccatum committit, resistit gratiæ.

Resistentia, qua peccato obluctamur, antequam committamus illud, & ab illo superari patiamur, ostendit, nobis esse gratiam, quæ sese illi opponit, & quæ nos ab eodem avertit. Ita peccatum tunc gravius est, quam cum occupamur, vel cum violenta tentatio non sinit, nos eidem diligentius animum advertere. Tandem enim hæc resistentia cordis nutantis, antequam cadat, atque semet opponentis actioni, antequam illam producat, ostendit effectum nobis adhuc satis libertatis relinquere, ut detegamus periculum, ac videamus naturam actionis, quam commissuri sumus: indicio est, gratiam ingredi in cor, sed repelli, atque postquam deliberatum fuit, certum capi consilium; ac palam probat illud objectum, quod sequimur, præferri sollicitationibus Dei, ac tandem majori cum cognitione, & nequitia peccatum committi. *Idem.*

In mortali peccato aliquis est contemptus Dei.

Nunquam Dei contemptus deest in peccato: etenim coram ipso, & sub oculis ejus id facimus, quod coram homine, immo coram decenni puero non faceremus; contemnimus bona, quæ offert, & his alia præferimus. Hac quidem ex parte mundus, & dæmon sensibilia quædam nobis offerunt dona; ex altera vero Deus suam offert gratiam, & gloriam, benedictiones suas, atque coronas. Quamcumque ideam habere possit homo de bonis, quæ dæmon illi conferre vult, scit, durationem eorum ultra vitæ terminum non extendi, cum alia æterna sint: attamen præfert mundi voluptates, atque objecta sensibilia iis omnibus, quæ Deus suavissima, & maxima promittere potest. Multis opus non est, ad hoc ut homo aliquis nobis persuadeat, se pericula, mortemque contemnere, cum videns gladium, quo prope est, ut confodiatur, ipse ultro procedit, ut illum capulo tenus pectore excipiat, quin ictum detorquere adnitatur. Peccator non ignorat, ultionem, & mortem subsequi culpam, audit Dei minas, & dubitare non potest, quo minus divinæ ultionis flagella in caput suum irruitura sint, & nihilosecius peccat, & in peccato perseverat: igitur Dei omnipotentis iram, ultionemque contemnit. *Idem.*

Peccator Deo rebellis est.

In peccato non deest contra Deum rebellio: confregerunt vincula mea, ajebat ille de Israelitis locutus. Rebellis non semper ait, se de throno deturbare velle principem suum; celat consilium, & facinus nimis odiosum dissimulat; sed cum leges ejus violat, ejus insignia, & simulacra prosternit, & quin illi debitos adhibeat honores, sub hostilibus vexillis meret stipendia, rebellio jam manifesta est. Quid autem facit peccator peccatum committens? Pedibus summi Dominatoris leges calcat; imaginem illius discerpit, aut delet; cum contemptu gratiæ illius signa revellit, sequiturque afflatus dæmonis fallentis, ac decipientis. Quænam homini mortali insolentia! *Idem.*

Circumstantia, quæ Deo invisum efficiunt peccatum mortale.

Cum horrore respicitur civis, qui principi suo totam debens fortunam suam, tamen contra ipsum rebellat; crimen vero duplo fit majus, si cum ſceleris eaſdem adhibeat opes, eandemque auctoritatem, quam ab illo recepit. Homo, qui Dei creatura es, omnia illi debes; & quidquid habes ingenii, ac ſpiritus contra eumdem depromis? ſic pendemus a Deo, ut eo ipſo temporis momento, quo eum lædimus, in ipſo ſitum ſit nos perdere, & nihilominus ab illo deficimus, illum offendimus. In ipſo peccato aliquid eſt adhuc ipſa rebellione majus; odium videlicet contra Deum; quamobrem Deus inquit, ſe puniturum iniquitatem eorum, qui ipſum oderunt. Non cogitatis, o peccatores, naturalem hunc criminis exitum; ſed ſi parumper intenderitis animum, hujus animadverſionis veritatem intelligetis. Qui peccat, cupit a Deo crimen ſuum non videri, immo etiam ab illo ſæpe non videri putat. Igitur Deo, quantum in ipſo eſt, præſentiam, qua ubique adeſt, & quæ ex perfectionibus eſſentialibus ejus una eſt, rapit; vel ſaltem hoc momento ab illo non haberi cupit. Peccans deſiderat, a Deo ſcelus ſuum non puniri, ſperat immo ab eodem puniendum non eſſe: Deo igitur auferre juſtitiam, & ſanctitatem, vel ſaltem cupit, hunc nullam erga ipſum habere juſtitiam, hoc eſt vellet Deum non eſſe amplius Deum. Quiſnam major effectus odii? *Idem*. [illegible]

Quam ope- re Deus mortale peccatum perhorreſcat.

Quid eſt anima in peccato mortali? Templum eſt profanatum, ſanctuarium pollutum, ſponſa adultera. Deus illam horret, abdicat poſſeſſionem ejus, quam adierat; non reſpicit amplius illam tanquam bonum, & hæreditatem ſuam; verbo illam odit, & horret. . . Nihil eſt, quod intentatum reliquerit Deus, ut hominem a peccato, quod ipſi adeo inviſum eſt, deterreret; promiſſiones, minas, gratiarum ſuarum theſauros, paſſionem, vitam, & ſanguinem ſuum, & nihilominus eadem facilitate peccatum committitur, eoque commiſſo peccator in graviſſima permanet ſtupiditate. *Auctor Anonymus*. [illegible]

[illegible] Pharaonis tyrannis, quam dæmon exercet in eos, qui peccato ſe mancipant.

Videte, Chriſtiani, in odioſa Pharaonis tyrannide imperium, quod uſurpavit dæmon ſuper terram. In barbaro edicto, quo rex impius præcepetat, ut quicunque mares ex Iſraelitis naſcerentur, ſtatim neci traderentur, conatus, quos exerit dæmon, ut in omnibus infelicibus ſubditis ſuis jugulet omnia deſideria, quæ illi concipere poſſunt, jugum illius excutiendi. In exterioribus plagis, quibus cum aula tota Princeps hic percuſſus fuit, deprehendite plagas inviſibiles, quas peccatum infert animabus captivis ſuis. In omnibus primogenitis Ægypti ab Angelo exterminatore occiſione deletis, detegite infelicem reprobationis, mortiſque characterem, qua percuſſus fuit impius ille populus perſecutor bonorum. In Moyſe, qui in ipſis uſque incunabulis ad necem conquirebatur, & miraculoſe in eadem Pharaonis aula ſervatus fuit, ut fieret populi ſui liberator, quis non agnoſcit Jeſum Chriſtum ab Herode exagitatum in ipſo vitæ ſuæ limine, divina ope ex innocentium cæde ſalvum ereptum, in Ægypto eadem contra barbari regis furorem perfugium ſibi quærentem? Sed in hoc eodem Moyſe virga ſua maris fluctus ſibi aperiente, dum interim illum perſequens Pharao una cum Ægyptiis omnibus profundis illis gurgitibus abſorptus fuit, admiremur adhuc Moyſem noſtrum divinum liberatorem, qui ex univerſali peccati naufragio totum genus humanum eripuit. *Abbas du Jarry, Panegyrici S. Petri Nolaſci*.

Peccati gravitas in Salvatoris morte videtur.

In Calvario, & in cruce reſpicere debemus peccatum, ſi de illius nequitia judicium ferre volumus; Calvarii adſpectus melius oſtendit mihi, quid ſit peccatum, quam adſpectus inferni. Rex, qui filium ſuum morte damnat, melius iræ ſuæ magnitudinem notam facit, quam ſi populum integrum immolaret. In laniato Jeſu Chriſti cruciſixi corpore, & corde illius tranſverberato conſiderare debeo peccatum, non tamen in falſis luminibus cordis depravati, ac mentis cupiditatibus excæcatæ, vel in corrupti mundi præjudiciis. Sed o! quantum mihi formidinis cauſant adiens, o generoſe laniati Salvator! Si enim innocens, & Sanctus Sanctorum ita excipitur, quibus ſuppliciis nocens cruciabitur? Si filio non parcitur, nunquid captivo parcetur? Si diſtincte adeo in illum animadvertitur, qui tantum figura peccati eſt, quid fiet de ipſo peccatore? *Pater Nepveu, tom. 4. Conſiderationum*. [illegible]

Peccati deformitas.

Anima, quæ in ſe gerit peccatum, in ſe gerit infernum; ut miſerrima fiat, ſatis eſt, ſemetipſam intueatur; quamobrem Deus peccatori terribilibus hiſce verbis minas intentat: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*. Pſalm. 49. Adſpectus terribilis, ſed non ulli evitabilis peccatori, quo ac ſi vellet ſeipſum diſcerpere, a ſeipſo fugere, quin unquam ſeparari poſſit; & hoc maximam illi affert deſperationem. Infelix igitur facultas, qua in hac vita peccatores ſe ſibimetipſis occultare poſſunt! Funeſta illuſio, quæ prohibet, ne ad breve tempus ſeipſos intueantur, niſi ut in hanc adducantur neceſſitatem ſemel in terribili hoc ſtatu videndi. . . Quemadmodum maxima reproborum in altera vita calamitas erit ſeipſos videre, & graviſſima eorum in vita hac infelicitas eſt ſe videre non poſſe: ita magna Dei in altera vita erit ira efficere, ut peccator ſeipſum conſpicere teneatur, & magna ejuſdem in vita hac miſericordia eſt peccatorem ante oculos ipſius ſtatuere, ut ſtatus ſui ſentiat miſeriam. Hoc adſpectu animas ſaluberrima replet confuſione, odio ſancto contra ſeipſas, & contra peccatum, atque tædio mundi, qui eiſdem ſit horroris ſpectaculum, quia regnum peccati eſt. Hoc adſpectu earum delet ſuperbiam, & jactantiam, qua ſibimet complacebant, eiſque ipſarum paupertatem, miſeriam, ac vulnerum profunditatem oſtendit. Peccati adſpectus in altera vita eſt pœna peccati: in hac illius eſt virtus, atque excidium: ſed ut hæc omnes bonos effectus producat, Dei miſericordia illum temperet neceſſe eſt, eique confidentiæ, & amoris ſenſus adjiciat. Nimis vivus, & efficax adſpectus peccati vitæ hujus ſtatum in ſtatum vitæ alterius converteret, ibique infernum, atque deſperationem gigneret. Homo ferre non poteſt vel mediocris peccati intuitum, ſi omnem, quam continet, deformitatem agnoſcat; ita neceſſe eſt, ut Deus viribus noſtris peccati accommodet cognitionem; neque aliam nobis tribuatur, niſi quam ferre poſſumus. *Eſſais de Morale tome 3*. [illegible]

Qui peccat, ſuæ affectionis objectum Deum ſibi facit.

Creatura ſibi in Deum ſuæ affectionis objectum convertit; hoc S. Auguſtinus ait, qui probe illud norat. Scias, frater mi, quot ſunt tibi vitia, & cupiditates, quibus indulges, tot te habere Deos, quos colis cum veri Dei contemptu. Ita te ſtabi finis, ita tuæ divinitatis objectum eſt: *Iratus es, ira tibi Deus*. Mulierem hanc deperis, libido tua, & hæc mulier tuum numen eſt; *Libido tibi Deus eſt*. Cur hoc? quia peccator idolum, ac Deum ſuum ſibi facit, id quod diligit, & habet in pretio: *Unuſquiſque enim quod colit, & quod veneratur, hoc illi Deus eſt*. *Joly tom.* 1. [illegible]

De animæ ſtatu in peccato.

Vis videre animæ ſtatum in peccato? Finge tibi, S. Auguſtinus ait, chaos illud antiquum, de quo in Geneſi ſermo eſt: quid erat mundus ab initio? *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Triſtis, ſed vera figura animæ in ſtatu peccati. Terra eſt, S. Auguſtinus ait, inanis, & vacua, quia nihil habet, neque ex ſe nihil habere poteſt. Terra eſt tenebrarum plena, atque caligine involuta, quia vero caret lumine, quia in omnibus facultatibus ſuis cæca eſt. Hic iſte effectus eſt, quem parit peccatum. *Idem*.

Unum mortale peccatum omnibus bonis operibus prævalet.

In altera libræ lance ſtatue, quæcumque bona opera cupis, in altera vero unum mortale peccatum per pœnitentiam non expiatum; hoc unum peccatum præponderabit, ac peccatorem in infernum dejiciet, præcipitem [illegible] [illegible] ſed quod

[illegible] ſtro-

extremum criminis horrorem nobis debet immittere. Si quis inveniatur, qui plures annos in aqua, & pane jejunavit, qui omnia bona sua pauperibus erogavit, qui plurimos infideles, hæreticosque ad fidem convertit, si post tot præclare facta uni mortali noxæ præbeat assensum, quidquid boni fecit, illum a Judicis Justitia non liberabit, sed morte, æternaque morte damnabitur. Judex supremus omnium bonorum operum, quæ mortalem hanc noxam præcesserint, vel subsecuta fuerint, se flecti non finet. *P. Cuneau in Adventu, Sermone de triplici adventu Filii Dei.*

Peccatum mortale Deum petit, & quodammodo in nobis delet.

Verum est, Deum infinita essentiæ suæ altitudine ita elevatum esse, ut ad illum omnium creaturarum conatus accedere nequeant. Nihil illi reipsa nocere potest, cumque aggredi velle, idem est ac imitari populos, qui contra Solem tela jaculabantur, ac Cœlo bellum inferebant. Sed quanquam Deus in semet imperturbabilis sit, verum nihilominus est, ipsum in existimatione nostra aliquid pati posse & in conceptu nostro non habere id, quod ipsum in nobis constituere debet Deum cordis nostri. Cum enim jus habeat exigendi, ut illum agnoscamus, qualis est, eumque colamus super omnia, quæ extra illum sunt, atque habeamus illum pro objecto cultus nostri, ac venerationis, quæ uni illi debetur; possumus auferre eidem gloriam hanc, quam exigit a nobis, atque hoc pacto illum in nobismetipsis destruere, itaut verum sit dicere, illum non esse Deum in mente nostra, nosque eumdem nobis annihilasse idolum in locum ejus substituentes; quod fit per peccatum, & nequitiæ nostræ auget enormitatem. *P. Guilleminot lib. cui titulus: Sapientia Christiana, cap. 5.*

Peccatum a quadam virtutis actio sæpe extrinsecus similes sunt.

Externa peccati species sæpe a specie virtutis nil differt. Utraque actio est naturalis, humana, ordinaria. Homines duo illud ipsum agant; fieri non potest, ut qui hoc ex ambitione, vel cupiditate fecerit, distinguatur ab alio, qui ex generositate, & animi magnitudine operatur. Bonum male partum prorsus illi simile est, quod jure possidetur. Voluptas, quam objecti circumstantia legitimam facit, omnino illi par est, quam objecti mutatio nocentem reddit: verbo cupiditas, & charitas, quæ ex S. Augustini sententia duo sunt fontes, e quibus omnes actiones emanant, in rivulis, per quos fluunt, ita confunduntur, ut nos ipsi intra nos aliquando illas vix distinguere valeamus. Actio igitur peccatum fit per oppositionem, quam habet cum Deo, cujus voluntas nobis expressa est in legibus, quas nobis irrogavit, & hoc utique illud est, quod non cognoscitur: oppositio hæc aliquid est intrinsecum, absconditum, & ab oculis nostris remotum. *Tiberge in recessu.*

Pravæ ideæ, quas plerique e mundo de peccato concipiunt.

Inde veræ ideæ, quas de peccato fides nobis adstruit, tantopere immutantur, quia multas nobis prorsus contrarias exhibet mundus. Etenim pleraque crimina, quæ patrantur in mundo, quomodonam illic recipiuntur? Nisi recta, palamque ad civilis societatis interitum tendant, vel cuidam adversentur honestati, quam impii quoque tueri vellent, habentur tamquam fragilitates venia dignæ, tamquam juventutis impetus, tamquam ingenii sese prodentis sagacitas, conversationis oblectamentum, loquendi ratio libera, nec dissimulata, ludus, aliaque idgenus. Proh Deus! qui ludus, cui semper adjacet damnum, & ex quo nulla unquam referri victoria potest! ubi momento spiritualibus omnibus, æternisque bonis privamur, & cum pro tempore, tum pro æternitate in malorum omnium abyssum irruimus. *Idem.*

Peccator per mortale crimen quodammodo dæmonem præfert Deo.

Ut indignitas noxæ, quæ contra Deum committitur, magis innotescat, ita, mea quidem sententia, hoc in argumento possumus ratiocinari. Quotiescumque homo in occasione criminis committendi deliberat, hoc facit tanquam judex, & arbiter Deum inter, & dæmonem irreconciliabilem ejus inimicum, ut alterutri victoriam adjudicet. Altera enim ex parte legem suam Deus effulgere facit, filiumque suum repræsentat cruci affixum pro mundi salute, ut peccatorem ab infelici, quod concipit, consilio deterreat. Ex altera vero Dæmon ad vivum exhibet voluptatis illecebras, & valide illum sollicitat, ut sese eidem mancipet, eum perditurus ab eodem consensum extorquens. Peccator autem per ignaviam se ab hoste superari sinens nonne palam declarat, se majori in pretio dæmonem habere, quam Deum; quandoquidem ultro a Dei partibus profugus in dæmonis partes concedit, & veluti supremus, & iniquus judex dæmoni litem adjudicat, cui se tradit, obsequens objecto, cui divinis, & humanis legibus, quas ignorare non potest interdictum est? . . Vel manu libram tenere videtur, in altera cujus lance Deum, paradisum, æternamque statui felicitatem, in altera vero fluxam, fragilemque voluntatem; atque hanc potius eligens non sine divinæ amicitiæ præjudicio, & juris illius, quod ad Cœli regnum obtinet, detrimento nonne palam ostendit, a se præferri voluptatem hanc, quæ momento pertransit, summæ felicitatis hæreditati? Quid fingi potest horribilius, indignius, supremæque majestati periculosius! *Sermo Manuscriptus.*

Peccatum mortale maximum est solumque malum, quod fit in mundo.

Nunquam satis iterari, explicarique hæc veritas potest, mortale peccatum unicum esse malum, quod in mundo fit, & proprie loquendo, reliqua omnia vere mala non esse, quoniam nullam habent directam oppositionem supremo bono, & hujus vitæ mala, bonorum, valetudinis, honorisque jactura, infirmitates, languores, paupertas, pestis, fames, reipsa mala non sunt, quoniam in bonum possunt converti. Omnibus in locis adeo verum hoc resonet verbum: mortale peccatum solum est malum verum. Dicamus hoc in obscuris carceribus, ubi nocens languet, sua potius captivitate, quam crimine dolens; dicamus in familiis nostris, illud cum lacte filiorum cordibus instillemus, & hæc prima sint christianæ institutionis rudimenta. Nos ipsi, dum malis premimur, ea tempestate, qua omnia dolorem nobis adferunt, ubi nos omnia deserunt, dum instant persecutiones, dum opprimimur, calumniis urgemur, diripimur, nostrum ad solatium post omnia dicamus; mortale peccatum solum verum malum est; reliqua omnia fieri possunt gratia Dei mei in manibus eorum, qui illis noverint uti. *Sermo Manuscriptus.*

Peccatum causa est omnium suppliciorum, quibus Deus homines punit.

Deus olim quæsivit ex Job, utrum illius thesauros vidisset: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?* Et quin ejusdem responsum expectaret, hos illi ostendit, simulque ait: *hæc paravi in tempus hostis.* Job 38. Hæc ea sunt, quæ in illud paravi tempus, quo hostibus meis bellum illaturus sum. Illic armatam vides discordiam gladium, facemque ferentem: homines ipsi sibi hæc præparant flagella: sed illis mea utitur providentia ad superbas gentes puniendas, easque provincias, & regna, ubi politica ratio religionem suffocavit. Ibi vides sterilitatem post se famem, tetram, horribilemque desperationem trahentem; hac utar persecuturus populum meis beneficiis ingratum, meisque donis, ut me lædat, utentem. Hic pestem vides, quovis tempore adeo generis humani inimicam, quæ vix tot viventes relinquit, quot mortuos efferre possunt: ac depopulabor civitatem, ubi impune libido, blasphemia, & impietas grassantur. Illic vides dissidia, odia, simultates, divortia; ea puniam, sed puniens illa, iisdem utar ad evertendam fortunam, requiem, existimationem familiarum perditarum, ubi nulla nisi cupiditatis, & voluptatis agnoscitur lex. Licet hæc omnia sint naturæ, affectuum, & improbitatis humanæ effecta, semper instrumenta sunt, quibus divina utitur justitia peccatores in terris punitura, admirabilis providentiæ consilio vitium ad vitii ipsius pœnam, atque expiationem impendens. *P. Aurelianensis, Sermone de Temporalibus peccati pœnis.*

In media aëris regione videmus coalescere nubes, micare fulmina, tonitrua murmurare, turbines bacchari, sævire fulmina, quarum rerum omnium origo a vaporibus, & exhalationibus oritur, quas terra mittit in cœlum, & cœlum in terram remittit. Ita cum videmus in caput nostrum tot mala ruere, famem, bellum, pestem, tot morbos, atque languores, quos patimur, & qui terram universam inundare videntur, credere profecto debemus, hæc a Deo, divinæque justitiæ manu esse profecta. Verum etiam nobis persuasum esse debet, crimina, & scelera nostra antea usque ad divinæ majestatis solium ascendisse, ut ultionem exposcerent, atque in tempestates, atque procellas contra nos converterentur. *Liber Anonymus*.

Ut verum dicam, solum peccatum populos miseros facit, quemadmodum Sapiens in Proverbiis testatur; quæso enim, quonam ex fonte emanarunt tot clades, quas Infideles peperere, tot Barbarorum excursiones, tot victoriæ de hostibus nostris relatæ? Unde hæc horribilia famis, pestis, bellorumque flagella, quæ adeo frequens irruunt? cur adeo frequens cœlum æneum experimur; cur tot variæ morborum species, quæ undique nos affligunt? hæc nonne a peccato, tanquam a fonte dimanant? Hæc tamen adhuc divinæ misericordiæ sunt effecta, ut nosmet colligamus, & ne in altera vita sæviores in nos pœnas exercere teneatur. *Idem*.

Peccatum rationi contrariũ est.

Peccatum semper est rationi contrarium. Ex quo Dei offensa est, injusta rebellio est contra Dominum, a quo essentialiter pendemus. At si peccatum generatim rationi oppositum est, hoc verius dici potest de quibusdam peccatis singillatim, quæ ipso naturæ sensu perhorrescimus, ex quo serio ad illa advertimus animum; peccatis in mundo quidem vulgatissimis, quorum deformitatem ne sentiamus, cupiditas ipsa non prohibet. Conscientia nequicquam per intervalla sopitam excitat rationem, vel potius nequicquam ratio conscientiam extimulat. Cor prævalet menti, affectus de ratione triumphat, & qui pollet ingenio, hoc abutitur, ut seipsum propriis luminibus fallat, utque inanibus argumentationibus eam agendi rationem probet, quæ omnes divinas leges evertit, & quæ sæpe omnibus humanis sensibus adversatur. *P. Giroust Sermone de extremo judicio, tomo primo Adventus*.

Ansa quã dæmoni præbet irridendi Deum, qui mortale peccatum committit.

De peccato hæc animadversio facienda est, quæ animam ab eodem profecto deterreret, dummodo aliquid boni sensus in eadem esset; hæc autem animadversio ultro, ac naturaliter sese offert: immo difficile est grave aliquod peccatum committere, quin animo occurrat. Qui tale patrat crimen, non ambigit, utrum displiceat Deo, ut dæmoni placeat. Quantumlibet intersit ejusdem, hoc sibi crimen permittere, certum est, Deum quidem lædi, dæmonem vero victoria exultare.... Ipsa autem nullone affici sensu potest propter probrum, quo dæmon Deo potest illudere, ubi in vinculis suis constrictam habet animam, quam Jesus Christus sanguinis sui pretio redemit? Ego quidem nil curo, nisi ut hanc animam perdam; non vixi, non pertuli, non mortuus sum, ut illam salvam facerem; a me nonnisi odii accepit argumenta. Creator illius beneficiis eam cumulavit; illa tamen ipsum deserit, ut meas partes sequatur. Redemptor ejus incredibilia operatus, & passus est propter amoris magnitudinem, quo illam complectebatur. Ipsa tamen legem ejus contemnit, ut mihi serviat. Levissima religionis rudimenta, minima etiam de Deo, & beneficiis ejus cognitio cum negligentia adeo detestabili simul esse non posset; verum tamen Dei mandata infringuntur, aliquando etiam sine renitentia, sine pavore, sine formidine, aliquando vero etiam cum gaudio, atque festinatione. Peccato nil vulgatius est: videlicet nil vulgatius est occasionibus, quas dæmoni præbemus illudendi Deo. Quænam est peccatoris anima, quod cor? *Liber, cui titulus: Considerationes in varia religionis, Ethicaque argumenta tom. 2.*

Peccatum latere non potest; insurgit in ipsum peccatorem, a quo patratur.

Frustra peccator tenebras quærit; frustra mortalium oculos fugit, ut suum peccatum committat, peccatum ipsius sese prodit, quidquid auctor conetur, ut lateat. Cain nihil prætermisit, ut Abel fratris sui, quem interemerat, mortem occuleret: sed sanguis ipse, quem parricidæ manus effuderat, illius nunciavit crudelitatem. Non Adam, neque Eva, immo neque anima Abel vocem elevavit, ut nocentem accusaret, sed crimen ipsum quodammodo clamavit, ut Cain impius agnosceretur. Quamvis peccator ad aliquod temporis intervallum posset hominum fallere cognitionem, suam tamen conscientiam fallere nequit; ac sufficit peccatum fuisse patratum, ut illud quale est auctoris conscientiæ videatur. Hoc Deum celare non potest, quem nihil latet, & fugit, & qui omnem legis suæ inobedientiam punire debet; sed non desunt crimina, quæ sua post se relinquunt vestigia, & quæ sequi satis est, ut nocens deprehendatur. *Idem*.

Fictæ, & pravæ peccatorum excusationes, dicentium se aliter facere non posse.

Pravas actiones suas peccator ridiculis rationibus colorare conatur, quæ palam evincerent, eas non sibi, sed Deo acceptas esse referendas. Si harum rationum sensum assequi volumus, huc redeunt: Aliter agere nequeo. Imbecillitas, occasio, complacendi studium, exemplum, cupiditas; per hæc ad libertatis defectum pervenire contendit. Si ita sui ipsius compos non est, ut evitare possit malum, quo suopte rapitur ingenio, utque bonum peragat, cui aliquam in semet experitur repugnantiam, cuinam ipse vult peccatum suum acceptum referri, nisi Deo, qui permisit periculum, qui gratias distribuit, qui unus virtutem nostram sustinere potest? Non possum, cur hoc? Quia non adducit me Deus in statum, ubi possim: si pecco, culpa mea non est. Horribile facinus, quod Dei providentiam, sapientiam, misericordiam, & sanctitatem lacessit? *Idem*.

Peccati nequitia, & contumelia, quæ infertur Deo.

Ego vero peccatis meis quid mali infero Deo, inquiet vir plus æquo liber? Quid mali Deo infers? Hoc centies, ac millies tibi dictum fuit. Imperiis ejus non pares, legem ejus infringis, illi creaturam præfers; nonne per hæc gravissimam illi inferre contumeliam tibi videris? Nunquid Deus minor est hominibus? Nunquid est infra Reges, quorum statuta diligentissime servas? nunquid jus illi non est exigendi, ut sibi obtemperetur? Nonne dixisti etiam aliquando, ipsum majus aliquid esse, quam omnes simul terrarum principes, ac reges? Cur autem non habeat par privilegium? Num universorum Dominus est, ut homines æquo animo abire sinat in omne flagitium eisdem cumulatissimam libertatem relinquens? Nunquid quia regum omnium est optimus, lenitas ejus nos aget, ut illum impune offendamus? *P. De la Rue, Sermone pro feria sexta post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Deus odit peccatum, & unde judicium ferre liceat de hujus odii magnitudine.

Peccata nostra nimis magna esse dicenda sunt propter Deum, quem lædunt, quoniam in illis de gloria sua agi putat, & infinite illius provocant iracundiam: quandoquidem Deus, ut gloriam suam repararet, eam, ut ita dicam, sacrificavit, utque suam flecteret indignationem, filii sui vitam immolavit. Principum justitia nunquam magis terribilis videtur, quam cum dolori suo aliquam immolant sibi charissimam victimam. Cum in Scripturis videmus regem Moab filium suum super obsessæ urbis mœnibus sacrificantem, ex terribili hoc exemplo facile doloris ejus magnitudinem intelligimus. Crux cruenta, quam de Calvarii vertice effulgentem intueor, quam horribilem oculis meis objicis imaginem magnitudinis peccati, ac severitatis divinæ justitiæ! Dicendum quidem est, Deum infinite odisse peccatum, quandoquidem imaginem illius adeo severe punit in persona filii sui, qui alioquin neque per essentiæ suæ divinitatem, neque per morum suorum innocentiam ultionis fulmina remo-

remorari potuisset. Dicendum quoque hoc malum hominibus gravissimum esse, ac illud miserrima pro ipsis subsequi effecta, quandoquidem, ut mala nostra præverteret Deus, tot pertulit pœnas. *Biroat in Sermonibus Peculiaribus in aliquos anni Dominicas, Sermone secundo de Jubileo.*

Meritorum nostrorum jactura ob unicum mortale peccatum.

Si unquam accidit, ut vel unicum mortale crimen committatis, quidquid agitis, vigiliæ, jejunia, preces, eleemosynæ, omnia charitatis opera ita pereunt, ut si quid humanitus eo in statu vobis contingeret, in æternum de salute vestra actum esset. Post vitæ præsentis laborem quietem nacti fuissetis, ac opera vestra bona vos secuta fuissent; sed recens peccatum, quod mors excipit, vobis suavissimam hanc auferet requiem, & ex omnibus bonis operibus vestris ne unum quidem erit, cujus ratio habeatur. Fingite vobis agricolæ mœrorem, doloremque, qui postquam agellum suum optimis seminibus sevit, sudoribus suis irrigavit, speravitque futurum, ut ubertima messis omnes labores, sumptusque effusissime repararet, repente videt sævissimam irruere grandinem, atque florescentes aristas prosternere, ac dissipare. Fingite vobis institoris tristitiam, qui post diuturnam, difficilemque navigationem jamjam portum subiturus navi mercibus onusta incidit in piratas, qui momento plurium annorum fructus eripiunt. *Ex Dictionario morali sermone secundo pro exitu Jubilæi.*

Mala, quæ gignit peccatum.

Mortaliter peccare est amittere amicitiam Dei, omne meritum sanguinis Redemptoris, jus, quod hic nobis per mortem suam ad cœlestem gloriam fuerat adeptus: est Deum amittere. Intelligite jacturam hanc, omnia, quæ illam consequuntur mala, cogitate, ac mortalis peccati enormitatem assequemini. Animæ reprobatæ! infelices iræ, ac justitiæ Dei victimæ, quoniam noluistis esse objectum bonitatis ejus, atque insignium misericordiarum illius, quanta illa sit, cognoscitis, vel saltem incomprehensibilem enormitatem criminis vestri sentitis. Quinam sunt dolores vestri? Extremi quidem sunt, & rabies, ac desperatio vestra nullum umquam inveniet finem. Morbi, bonorum jactura, adversitates, tristes, molestique vitæ hujus casus quam immerito mala vocamini! Quantumvis hoc menti, & cordi amarum sit, si peccatum deest, illic verum inveniri potest bonum: hæc omnia mihi salutaria esse queunt, atque afflicta hæc mala a me tamquam Domini beneficia habenda sunt; etenim reipsa sunt: e contra vero honores, fortunæ, opulentia, humanæ dignitates, gaudia, vitæ hujus voluptates, si cum unico lethali peccato conjunctæ estis, veræ calamitates estis, ac terribile Dei jure irritati supplicium. Verum igitur est peccatum non solum unicum esse malum, proprie loquendo, sed non aliud præter illud esse posse malum. Heu! itane esse censetur? Peccatum placet, peccatum habet illecebras, ac dici posset, mortales in voluptatibus nullum invenire gustum, nisi aliquo scelere condiantur. *P. Croiset tomo primo recessus.*

Quid sit mortale peccatum.

Ecce quid sit mortale peccatum: offensa majestatis infinitæ, quæ infinita reverentia digna est, & quæ infinite amari meretur. Voluntaria est contumelia facta Deo a creatura vili, & abjecta, quam Deus ipse beneficiis cumulavit. Hoc malorum omnium est maximum, & proprie unicum malum est; fons omnium malorum, quod omnibus satisfactionibus, ipsoque mortalium omnium sacrificio expiari non potest; solum æterno dignum supplicio: hoc est mortale peccatum. Verum a quonam tale existimatur? . . . Magnum profecto malum esse dicendum est, quandoquidem Deus, qui ipsa bonitas est, & cujus misericordiæ superant omnia prodigia, quæ operatus est, adeo terribili pœna unicum mortale peccatum persequitur. *Idem.*

Infelix animæ status in peccato mortali.

Nobis peculiariter observandus est miser animæ status, quæ sese peccato mancipavit: sicuti enim corpus mortuum non habet amplius animam, ut suum statum agnoscat, neque sensum, ut illum sentiat, neque vocem, ut illius opem imploret, a quo ad vitam revocari posset, ita anima semel Deo orbata, lethalique peccati vulnere confossa in miserrimo statu versatur, quin illum agnoscat; quin illum sentiat, & quin aliquod illi supersit, ut S. Augustinus ait, lumen, quo confugiat ad Deum, atque malum suum deprecetur. Anima vita mundi est; & Deus vita est, & quodammodo anima animæ: *Vita corporis anima, vita animæ Deus.* Si bene intelligere cupimus statum animæ Deum non habentis, satis est considerare corpus non habens animam. Immo hoc etiam particulare est; Deus mortuum corpus non odit, quatenus simpliciter corpus est, quod hoc in sensu boni, malique capax non est; sed animam Deus vere horret, & odit. Eam detestatur eo usque, ut terribilibus, æternisque damnet suppliciis, nisi ipse illam de hoc peccati statu eduxerit. Illa enim adeo misera est; ultro, & ex voluntate sua misera est, nec non in sua miseria superba. *Liber cui titulus:* Instructions Chretiennes *pro decima quinta post Pentecosten Dominica.*

Mortale peccatum meretur pœnarum æternitatem.

Opus esset intelligi posse infinitam Dei majestatem, infinitumque discrimen, quod interest inter creaturam, & Deum, quem illa lædit, ad hoc ut digna enormitatis peccati conciperetur idea. Infinitæ majestatis offensa, quæ auctorem suum ab extremo ipsius fine detrahit, in ipso omne vitæ principium extinguens, aliane pœna puniri digne potest, quam æterna? Nulla in altera vita redemptio est, reditus nullus; oportet igitur arborem in æternum ibi permanere, ubi ceciderit . . . Animæ reprobatæ! Victimæ infelices iræ, atque justitiæ Dei, quandoquidem esse noluistis bonitatis, insigniumque misericordiarum ejus objectum, intelligitis jam, vel saltem incomprehensibilem hanc percipitis enormitatem, quinam sunt dolores vestri? Dolor quidem vester extremus est, & rabies, atque desperatio vestra nullum est finem habitura. *Pater Croiset, tomo primo recessuum pro die unica in singulis mensibus.*

Nobis timendum est pro peccatis, quæ commisimus.

Cogitemus, ubi unicum mortale scelus a nobis toto vitæ spatio patratum fuerit, nobis justam esse causam gemendi, atque metuendi usque ad mortem. Peccavimus; peccatorum nostrorum numerus nos terret; adhuc peccare possumus; ignoramus, utrum peccata nostra nobis dimissa fuerint, & quomodo possumus non timere . . . . . Quantumvis flagitiosus, & impius aliquis sit, nollet tamen mori in peccato; & in peccato vivere placet, quamvis ne unius quidem horæ spatium nobis ad vivendum polliceri valeamus. Numquid cum morte pepigimus, numquid cum vitæ auctore, ac domino fœdus percussimus, nos morte nequaquam in peccato iri occupatum? Mirum profecto est, fideles multis indigere argumentis, ut peccati horrorem concipiant; numquid totidem quæsita fuerunt unquam, ut præcipitis alicujus lapsus horror, metusque injiceretur? Quantumvis suavissimum esset virus, num aliquis epotaret illud sciens hoc sibi mortem certissimam allaturum? *Idem.*

Duplex odium, quo Deus peccatum persequitur.

Quemadmodum habet Deus abominationis odium in peccatum, & in peccantem, ita in hunc odium etiam habet inimicitiæ. Ad hoc agnoscendum satis est sacra aperire Biblia, quæ ubique scatent minis, & maledictis, quæ Deus in impium contorquet. Satis est oculos conjicere in omnes terrarum plagas, quæ ab ipsis usque mundi primordiis gerunt, æternumque gerent signa iræ illius in peccatorem. Hæc Angelos puniens cœlum ad solitudinem fere redegit; hæc olim universalis diluvii fluctibus terram obruit universam. Sed odium non substitit, peccatorem ultra sepulchrum etiam persecutus est, ut illum in æternum, cruentumque ultioni suæ sacrificium mactaret. Et quamvis odium ejus omnes suas exerit vires, ut in inferno puniat peccatorem, quantumvis has justitiæ suæ victimas incessanter percutit, non expletur: ideoque suppliciorum duratio nullus habet terminos; cumque illorum magnitudo odium Dei æquare non possit, tormenta illius esse debent æterna. Hæc doctrina duo nobis aperit: primum, peccati nequitiam admodum enormem esse,

quandoquidem Deus adeo justus, & bonus illam tanto persequitur odio: alterum, quo pacto pœnitentes odisse debeant peccatum, quandoquidem sensus nostri justi non sunt, nisi fuerint divinis conformes. *P. Gegou in libro, cui titulus; Usus Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 1. §. 1.*

Odium peccati a nobis habendum.

Cum odium peccati necessario producat dolorem in anima illius, qui peccavit; propter hoc odium, pœnitentia, & dolor ita vehemens concipiendus est, ut nihil in mundo sit, quod perpeti non maluisses, & cui ferendo præsto non sis, potius quam illud imposterum committas. Hoc nondum satis est; etenim hoc odium, & abominatio efficere debent, ut excitemur ad peccatum in nobismetipsis puniendum, ultionem de nobismet reposcendam, ac illud, si fieri potest, radicitus convellendum. Quemadmodum autem fieri vix potest, ut peccatum hoc pacto oderimus, quin simul, & quidquid illius fuit, vel esse potest causa; hinc sequitur, odium, quo peccatum abominamur, necessario sese extendere debere ad ea omnia, quæ illius causa, & occasio fuerint, si hæc causa, & occasio vulgo cum effectibus suis conjunctæ esse consueverunt. Alioquin enim hoc non est odisse peccatum; quemadmodum non est calorem metuere, ignis accessum non reformidare. Hic ille sensus est, qui omnes veros pœnitentes constituit; *Peccatum meum contra me est semper*, dicebat David Psalm. 50. Peccatum meum semper sese objicit oculis meis, sed tanquam mortalis inimicus, qui me terret, & quem non perhorrescere nequeo. Hoc odium est abominationis, & quoniam oculi illius causa fuerant, & occasio lapsus ipsius, eos perpetuis fletibus adjudicavit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Ps. 118. *Idem.*

Peccatores iterum Dei Filium crucifigunt ut S. Paulus ait.

Mira prorsus locutio illa est, qua Apostolus ad Hebr. 6. utitur, ubi ait, peccatores iterum sibimet Jesum Christum crucifigere; *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Qui enim arbitrari potuisset, Christianum, qui peccator factus est, esse, ut ita dicam, viventem calvarium, ubi & flagella sunt, & spinæ, mallei, & clavi, lanceæ, & fel, ministri, atque carnifices? Quis existimare potuisset, illic crudele, ac infame patibulum esse, ubi videtur Jesus Christus denudatus, Jesus Christus contumeliis affectus, Jesus Christus toto corpore laniatus, Jesus Christus denique in cruce mortuus? Hoc tamen affirmat Apostolus. O cœlum! Potest ne oculis fidei videri spectaculum adeo cruentum, & horribile, quin millies potius mortem nos subituros statuamus, quam semel assensum præbeamus, ut illud in corde, & membris nostris instaurare velimus efficientes, ut hæc fiant peccati instrumenta? *Liber cui titulus: Colloquia Joannis Abbatis, & Eusebii Presbyteri.*

Descriptio animæ in peccato mortali.

Ut animo concipiamus ideam status animæ in peccato, meminerimus miseræ illius, & luctuosæ descriptionis, quam in primo Machabæorum libro nobis proponit Scriptura Templi Jerosolymitani profanationem. Revocemus in mentem tabernaculum suis exutum ornamentis, atrium immundis animalibus tectum, muros cædibus, atque abominationibus fœdatos, thesauros, & sacra vasa direptioni tradita, intermissas cæremonias, & sacrificia, Idolum in templi fronte constitutum; fumum sacrilegi thuris mixtum sanguine sacerdotum victimarum loco jugulatorum; totam templi adeo augusti, & venerabilis sanctitatem, pompam, opulentiam in manus avaritiæ, & impietatis barbari Antiochi traditam. Tristis, sed naturalis imago animæ peccato corruptæ, & fœdatæ, templi hujus miserrimi, ubi pro Christo Jesu colitur dæmon, ubi fides, quæ illius est fundamentum subsistens adhuc inter aliarum virtutum reliquias nescio quam ostentat religionis, atque profanationis mixtionem. Peccatrices animæ quid estis post mortale peccatum, & omni eo tempore, quo per pœnitentiam deletum non est? *Specimen Sermonum pro die Pentecostes.*

Deus pro nihilo læditur.

Sed propter quid hic terræ vermis supremam hanc audet offendere majestatem? pro turpi voluptate, pro levissima utilitate. Cui me comparasti, Deus inquit per Prophetam suum? Vel potius cui me non prætulisti? Licet hoc esset totius orbis imperium, semper insignis esset contumelia; sed nihilominus pretii magnitudo magnitudinem criminis quodammodo imminueret, vel saltem magis excusabilem efficeret nocentem: sed pro re vili, abjectaque Deum lædere! *Obstupescite cœli super hoc.* Jerem. 2. Obstupescite propter indignam hanc electionem! portæ cœli plorate, omnemque abjicite consolationem! *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. P. Nepveu tomo tertio Considerationum.*

Beneficia, quibus a Deo fuimus cumulati infinite augent peccati gravitatem.

Peccati gravitatem infinite auget multitudo, & magnitudo beneficiorum Dei. Nos a quibus fuit læsus, Nos ad suam creavit imaginem, nos sanguine suo redemit, nobis illius pretium peculiari modo, atque præ aliis applicat. Nos evocavit ad fidem, nos quotidie sua carne, & sanguine nutrit, nos ab infinitis liberat malis, a sexcentis præservat periculis, quæ & pro tempore, & pro æternitate funesta essent futura: nos suis prævenit gratiis, suis cumulat beneficiis; atque ipso a nobis tot mala propulsante, nobisque tot bona elargiente, ac recentis destinante, hoc eodem tempore ejusdem obliviscimur, illum offendimus, omnia ejus beneficia contumeliis rependimus. Numquid inter homines, quantumvis adeo ignavi sint, videtur unquam adeo horribilis ingratitudinis exemplum, nisi erga Deum suum? *Idem.*

Non audent palam dicere, Deum esse auctorem peccati; sed hoc secreto dicunt, cum rejiciunt in naturæ, ac temperamenti, quod a Deo receperunt, infirmitatem ea crimina, quibus adstrictos se sentiunt. Sed quantamcumque proclivitatem in peccatum homo experiatur, illi tamen integrum est bonum, malumque operari. Alioquin enim quomodonam, S. Augustinus ait, Deus homines judicaret, quo jure præmiis, vel pœnis afficeret eos, quorum bonæ, malæque actiones, cum liberæ nequaquam sint, nec pœnam, nec præmium possent mereri? Profecto homo corruptus, ac inordinatus per originale peccatum, cujus funestas experitur impressiones, vehementem habet in vitium propensionem: *Sensus hominis pronus est ad malum ab adolescentia sua.* Genes. 8. sed infelicem hanc propensionem Jesu Christi gratia impugnat, itaut, si homo per seipsum fragilis est, potens sit per auxilium, quod Deus illi confert. *Essais de Sermons pour l'Avent.*

Quam deplorandus sit status animæ, quæ mortale peccatum commisit.

Propheta, qui Jerosolymæ excidium, templique eversionem effusis lacrymarum imbribus prosecutus es, ecce fletibus, lacrymisque toto cœlo dignius argumentum. Cum nobis ob oculos ponis deplorabilem miseræ civitatis interitum, dicis, illam olim ita civibus frequentem, opibusque cumulatam fuisse, atque in solitudinem redactam mira civium suorum internecione: illam, quæ tot imperitabat provinciis; crudelissimæ servitutis jugum subiisse; antiquum ejus nitorem ita evanuisse, ac fuisse deletum, ut ne minimum quidem pristinæ majestatis vestigium supersit, ac hostes illius ejusdem possessionem adeptos inde abstulisse quidquid locupletissimum, atque pretiosissimum plurium sæculorum spatio collegerat. Ne putetis (Sanctus Hieronymus comm. in cap. 64. Isaiæ ait) terribilem miseræ hujus civitatis lapsum præcipuum esse lacrymarum Jeremiæ argumentum; longius ille spectabat, ac uberibus lacrymis prosequebatur excidium fidelis animæ, quæ per peccatum de gratiæ decidit statu, simulque omnes amisit virtutes, & omne meritum, quod diuturna bonorum operum exercitatione fuerat adepta: *Hic plangitur fidelis anima, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum. La Font.*

Homo in mortali peccato proprie homo est, qui Deum amisit, Heu! si, uti par est, intelligeretis, quid

quid fit anima, quæ Deum amifit, anima, quæ illius in femet imaginem, ac fimilitudinem delevit, quam horribilis, quæ terra vobia videretur! Quantopere metueretis, ne illam in adeo deplorabilem ftatum immergeretis? Qua cura illam quamprimum educere fatageretis? Quam pœniteret vos illi adeo funeftam, terribilemqua mortem Infleaiffe? Lacrymæ nequaquam eliciendæ funt ob confanguinei, vel amici alicujus interitum, fe pro argumentis longe miferatione dignioribus. Vin' fcire, quæ mors tuas lacrymas, tuofque ejulatus mereatur? Mors animæ, quæ per mortale peccatum Deum fuum perdidit. *Idem*.

Malum, quod mortale peccatum affert peccanti.

Mortaliter peccare eft in turpiffimam omnium turpitudinum decidere; quia qui Dei filii, divinique regni erant hæredes, fervi, ac filii dæmonis funt. Eft eam contrahere maculam, cui nulla fimilis eft; eft fefe iis fubjicere tormentis, quæ, quidquid nobis fingere valemus, excedunt. Eft perdere omnia, corpus, animam, gratias, merita, gloriam, paradifum, imperium æternum, ipfumque Deum. Eft proditio fine exemplo, quia illum prodimus, cui univerfa debemus; eft inexplicabilis perfidia, quia eft deficere a fide, quam fupremo huic Domino debemus; eft inaudita rebellio, eft enim arma fumere contra Deum cœli, ac terræ; eft deplorabilis ingratitudo, quæ erga illum committitur, cui omnia naturæ, & gratiæ bona accepta funt referenda: furor eft execrabilis, eft enim Deo dæmonem ipfum præferre. Eft pedibus conculcare fanguinem Dei pro nobis tanta cum charitate effufum: infinita eft nequitia, quæ lædere eft bonitatem nullos fines habentem: eft parricidium, vitam enim aufert illi, a quo vitam recepimus, & qui patris noftri titulum affumere dignatus eft: eft crimen læfæ majeftatis divinæ, & incomprehenfibile facinus; hoc enim eft Dei ipfius perfonæ audaces manus injicere velle. *Bondon, in libro cui titulus: Le chrétien inconnu.*

Peccatum, & peccator funt abominabiles coram Deo.

Sacra Scriptura magis fignificantia non invenit verba, ut oftendat, quantopere ipfa peccatum perhorrefcat, quam illud vocans *Abominationem*, & *Abominabiles*, qui committunt illud: *Abominabiles facti funt in ftudiis fuis*. Pfalm. 131. *in abominationibus, quas fecerunt*. Ezech. 43. Equidem fcio, illam his uti vocibus ad magis enormia fcelera indigitanda, qualia funt Sodomæ, & Gomorrhæ flagitia, quæ ignem de cœlo detraxerunt, & ea, quæ Deum impulerunt, ut terram univerfam generali elueret cataclyfmo, & abfstergeret fordes abominabiles, quibus erat fœdata; fed hoc minime prohibet, quominus peccatum mortale hoc nomen mereatur, & reipfa non fit abominatio coram Deo: *Filii abominationum funt filii peccatorum*. Eccl. 41. Quod duplici modo poteft intelligi. Primum ratione naturæ ipfius peccati; peccatum enim mortale enormem nequitiam, ac monftruofam complectitur deformitatem, quippe quæ rectæ rationi, & legi Dei eft oppofita; quod illud efficit abominabile, hoc eft dignum odio, & execratione mortalium omnium, quemadmodum divina dignum eft. Secundo abominabile eft ratione effectus fui, quia odiofum facit illum, a quo patratum eft; & Deus, qui nihil odit eorum, quæ fecit, & e contra omnes creaturas fuas amore profequitur, refpicit & peccatum, & peccantem tamquam inimicum fibi, fuæ indignationis objectum, vas iræ, quemadmodum Apoftolus loquitur; fubjectum, in quod æternam exercebit ultionem, nifi peccator ipfe fuum deteftetur crimen, & illud lacrymis pœnitentiæ non eluat. Homo vero in mortalis peccati ftatu, qui hæc omnia complectitur, in oculis Dei in horrore eft, atque abominatione. Itaque de illis omnibus, qui mortale peccatum committunt, cujufcumque generis illud fit, dici poteft, quod Sacer textus Deut. 22. ait de uno fingillatim: *Abominabilis eft apud Deum, qui hæc facit*. Qui lethaliter peccat, fit abominabilis coram Deo, qui illum refpicere nequit, quominus omnia,

quoad fieri poteft, odium in illum concipiat: quod faris effe deberet, ut eofdem fenfus conciperemus. *Auctor Sermonum in omnia Ethica chriftianæ argumenta, fermone pra ultima poft Pentecoften Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

De fide eft quodvis mortale peccatum æterno fupplicio effe puniendum.

PRoponit hominibus Deus revelationem æque terrore plenam, ac dignam reverentia; fcilicet peccatum quodvis mortale fuapte natura mereri æternum fupplicium. Deus, inquam, hunc fidei articulum cum toto auctoritatis fuæ robore, & per os Prophetarum proponit; eorum enim ignis, Ifaias ait, non extinguetur; & per Os Apoftolorum; qui refiftunt Evangelio ignis pœnam, juxta Sancti Pauli teftimonium, perferent; & per Oracula incarnatæ Sapientiæ, ite maledicti in ignem æternum, qui vobis præparatus eft a mundi principio: & per unanimem totius Ecclefiæ confenfum, quæ femper in hoc fenfu Scripturas eft interpretata; & per decifiones Confiliorum, quæ id explicite docuerunt: & per traditionem duntum legum veteris, & recentis, quæ femper ubi de hac re verba fecerunt, nunquam ab inftituto declinaverunt. Denique per omnia fidei noftræ placita, quæ nobis annuntiat æternum in fua duratione fupplicium, tamquam uni peccato debitum, & unius etiam momenti peccato, cum eo procedit, ut nos divellat a Deo, & facrum infringat vinculum, quo eidem adhærere debemus. *P. Bourdaloue in Domin.*

Peccatum nos in hac, & in altera vita miferos facit.

Si hoc vos experientia non docuit, fcifcitamini ex peccatoribus, qui vobis beatiffimi videntur, quid ipfis peccata fua profuerunt. Heu! voluptas, quæ tanquam flos illorum extitit, momento pertranfiit; ægritudo, vero, probrum, tumultus fructus amari iniquitatum permanferunt. Quærite hoc ex calamitofis inferni victimis: æterna defperatio ipfis ardentior flammis, quibus in æternum vorabuntur; hic fcelerum fuorum fructus eft. Licet vero peccatum hominem beatum efficeret in terra, quid inde lucratur, cum interim æternitatis detrimentum patiatur? *Morales Animadverfiones cum Notis in S. Pauli ad Romanos Epiftolam.*

Patres animam in peccato pofitam fepulchro fe moventi comparant.

Satis apta eft Patrum fimilitudo animam in peccato pofitam fepulchro fefe moventi comparantium; quia cum anima fit mortua, corpus, quo continetur, eft quodammodo fepulchrum illius. Eaque comparatio ideo eft magis appofita, quia ficuti fepulchra aliquot extrinfecus ornatus habentia, intus tabo, ac putredine diffluunt; ita mortales hi, qui videntur hilares, externifque dotibus fenfus hominum fallunt, celant intus adeo horribilem corruptionem, ut fi hæc videretur, illi ferri minime poffint. *Sermo, quo oftenditur, quam prava fint humana colloquia.*

Mortale peccatum committere cum fpe pœnitentiæ hoc eft tentare Deum.

Dicere poffumus, quodcumque peccatum committitur cum fpe pœnitentiæ, modum effe tentandi Deum: communis enim ad falutem via feu pro illis, qui nondum Baptifmalis innocentiæ jacturam fecerunt, feu pro illis, qui eamdem per pœnitentiam reparaverunt, eft, tueri gratiam, quam receperunt, eamque pro viribus augere chriftianarum virtutum exercitatione. Affirmare igitur, futurum, ut Deus nos in viam falutis revocet, licet inde per fcelera noftra egrediamur; hoc eft communi fefe Providentiæ fubtrahere, & velle illum cogere ut in ordine gratiæ miracula pro nobis operetur. *Ex modis, quibus tentatur Deus.*

Peccator in fe geris unde rubore fuffundatur. Mich. 6.

Cum in eam calamitatem incidimus, ut mortalia alicujus noxæ rei fimus, nullibi æquius nofmet humiliandi, atque confundendi argumentum invenire poffumus, quam intra nofmetipfos. *Humiliatio in medio tui Ifrael*. Quapropter peccatum dicitur nihilum, quia nos omnibus exuit bonis gratiæ, gloriæque; vel quia, ut Sanctus Auguftinus inquit, homines reddit nullius pretii coram Deo, quamobrem illos ne refpicere quidem dignatur, ut ipfe loquitur in Scripturis, ubi de illis loquitur per negativa verba, ficuti nos loqui confuevimus de

Osee 1.

illis, quæ neque sunt, neque existunt. *Voca nomen ejus non populus meus*. Qoid est coram Deo in illius conceptu, atque æstimatione peccator? est quasi non esset, eumque ille nullo habet in discrimine. Hoc igitur intuitu, & cogitatione hac nosmet annichilate debemus coram majestate Dei cum Regio Propheta dicentes: *Ad nihilum redactus sum, & ego nescivi*. Peccatum meum, Domine, in nihilum redigit me. Quod si cogitatio nihili naturalis, ex quo fuimus educti, nos humiliare debet, ubi consideremus tempus fuisse, quo nihil eramus; quæ satis profunda abyssus est, in quam nosmet descendere debeamus meditantes nihilum supernaturale, quod peccatum est, quod nobis aufert omnia vera bona, & nos in turpi rerum omnium egestate relinquit. Post hæc possemusne adhuc aliquid de nobismetipsis præsumere? *Recens Auctor*.

Job 30.

Quæcumque mentis vel corporis prærogativa præfulgeat peccator; semper in Dei oculis est abominabilis.

Neque solum peccatum omnibus nos exuit supernaturalibus bonis, quæ nostram ornant animam, nosque Dei æstimatione dignos reddunt; ad hæc labes est, quæ animam polluit eamque abominabilem efficit coram oculis illius. Credunt quidam labem hanc esse qualitatem inhærentem substantiæ animæ nostræ, qua deformatur, ac turpis efficitur, qualis esset nigredo quædam in cultu; alii vero tenent, peccata imprimere notas quasdam, quæ ex caracteribus ipsis dignoscuntur, & quæ a Sancto Ambrosio vulneribus, horrendisque cicatricibus comparantur. Verum quodcumque sit, certum est, relinqui ab illis maculas quasdam, quas Sanctus quidam Pater melius exprimere nequivit, quam illas vocando, labes, lineamenta, & notas dæmonis turpitudinem exprimentes; quibus reddimur turpes, & in oculis Dei contemptibiles. Ita ut quantumcumque aliunde niteamus, quæcumque egregia spiritus, vel corporis prærogativa præstemus; ubi aliquo scelere sumus onusti, tantum abest, ut oculis Divinæ majestatis placeamus, nequeamus non esse eidem invisi, & illius digni iracundia. *Auctor Recens*.

Anima quantum e peccato deformetur.

Isaia 14.

Anima hac peccati labe polluta, ita deformata est, ac adeo alte de statu priori decidit, ut de eadem prædicari possint hæc Prophetæ verba: *Quomodo cecidisti de Cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Tu signaculum similitudinis, perfectus decore: omnis lapis pretiosus operimentum tuum*. Anima Christiana Dei sanguine abluta matutino sydere fulgidior, cui Deus nitentia afflaverat similitudinis Creatoris sui lineamenta, coram quo astrorum lux evanescebat, quonam abiit fulgor ille incomparabilis, quo Dei cor rapiebatur? Præclarissimum jubar, quomodo factum es terrius, & atrius ipsis abyssi tenebris? Quid autem adeo insuetam mutationem efficere potuit? hoc sequentia docent verba: *Donec inventa est iniquitas in te*. Peccatum, quod in te repertum est universum splendorem hunc abstulit tibi. Illa nonnisi contemptus objectum est in oculis ejus, ac minori habetur in pretio, quam lutum, quod pedibus calcatur. De hac re dubitare non possumus, & notam hanc toto vitæ nostræ spatio deferemus; & etiam fortasse in peccati mortalis statu sumus. Quod si verum est, quam confusionem, quod opprobrium meremur apud omnia creata! Quibus quantumcumque aliunde præstemus abominabiles facti coram Deo mortalium omnium contemptum mereremur, si ab illis quales sumus, cognosceremur. *Auctor Recens*.

Ibidem.

Serva est Dæmonis, a quo victa fuit.

Peccatum nos efficit Dæmonis mancipia, socios infelicitatis ipsius, ac dignos suppliciis omnibus, quæ per rebellionem suam contra Deum meritus est. Sicut enim Apostolorum Princeps testatur, quod: *A quo, quis superatus est, hujus & servus est*; ita cum numquam peccemus quin superemur a Dæmone, cui ignave cedimus; quotiescumque peccamus, toties ad illum novo jure cæpimus pertinere. Eo usque, ut Deus, qui renuntiare nequit absolutum in suas creaturas dominium, hoc videatur quodammodo abjicere, dæmoni cessurus jus, & possessionem animæ, quæ ad illum pertinebat ante peccatum. *Voca nomen ejus non populus meus*, dicebat olim Deus de populo suo, a quo læsus fuerat. Hic populus non est amplius meus; quod nos rubore, & confusione deberet suffundere cum crebræ ingruunt nobis superbiæ cogitationes quacumque ex parte. Serviisse domino ceterorum indignissimo, ac nequissimo, ac aliis dominari velle! Fovere existimationis, optimæque de semet opinionis consilia, & servitutis suæ vestigia adhuc deferre! *Auctor Recens*.

2 Petr. 2.

Osee 1.

Peccatores non sentientes pondus peccatorũ suorum aliquando se liberos putant sed falluntur.

Psalm 93.

Jure suo Propheta exclamat: *Ah! usquequo peccatores gloriabuntur*! Usquequo peccatores gloriam captabunt cum in medio sui tot habeant erubescendi argumenta! Licet enim videri non possit hæc servitus, & possessio Dæmonis, & illi plerumque quos criminum suorum vinculis arctissime vinctos habet, ii sese magis liberos arbitrentur, sæpe in hoc ipso magis experiuntur illius crudelitatem propter catenas terribiles, quibus illos adstringit, videlicet propter inveteratos habitus, quemadmodum Sanctus Augustinus conquerebatur, & quos nullo modo possunt excutere, nisi accesserit divinæ potestatis miraculum. Et sane peccata nostra esse nobis deberent magnum humiliationis argumentum non coram Deo tantum, verum etiam coram hominibus, si nosmetipsos intueremur tamquam dignos inferno, quod peccati stipendium est. Hæc autem cogitatio, quæ ceterum est justissima, atque verissima, quam de nobismetipsis habere possumus; a nobis fovenda est, si ab aliis contemnimur, si non eo habemur in pretio, quod mereri arbitramur. Si qua nobis ingruit calamitas, & infortunium; si qua nobis infertur injuria, omnia a nobis tamquam a Deo recipienda sunt, qui ita de nobis periculum facere dignatur, ut nos revocet ad officium. *Recens Auctor*.

Deus est peccati inimicus, peccatum est unicum mundi malum.

Nulla vehementior est antipathia, quam quæ Deum inter, & peccatum intercedit. Dei natura necessario peccati, ideoque & peccatoris est inimica. Si peccatum cessare posset adversari Deo, non esset amplius peccatum; & si Deus posset non odisse peccatum, non esset amplius Deus. Non debemus igitur sperare, nos Deum esse possessuros, donec peccata possidebimus. Sicut peccator non ingreditur in cœlum; quia ibi regnat Deus; ita Deus non intrat in animam, ubi regnat peccatum. Si justus haberetur peccati conceptus, solum peccati nomen mortalem animæ terrorem incuteret. Peccatum vere unicum est mundi malum. Bonorum jactura, calamitates, dolores, morbi, persecutiones, ipsa denique mors impropria mala nuncupantur, nisi quatenus sunt effectus peccati. Et profecto hominem calamitosum esse, pauperem, ægrum, & humani generis opprobrium, si in gratiæ statu est, eo quod minus est in honore, non ideo minus in honore habendus est. Status gratiæ efficit, ut jure filiorum Dei gaudeamus; ut interiori fruamur pace, quod illorum in hoc mundo proprium bonum est; sed quam miser, & infelix est status hominis illius, qui in peccato mortali est! Quoniam Deus illum odit, & apertus illi est inimicus; hinc est ille miserrimus. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Exterior Dei occupatio in id unum tendere videtur, ut peccati regnum evertat.

Deus, ut ita dicam, in mundo huic uni vacat, ut peccatum evellat; quidquid operatur extra se, ad id refertur. Si Filium suum mittit in terras, id agit, ut inde peccatum exterminet. Si Ecclesiam instituit, hoc agit, ut peccatum extrudat, si nobis gratias largitur; his

contra

cõntra peccatum nos instruit. Si nobis præmia largitur; hæc illa ob relatam de peccato victoriam tribuit. Si in nos animadvertit; ideo punit, quod peccatum amavimus. O dignam Deo occupationem! Cur nos quoque eamdem nobis proponimus? Tot in singulos dies nobis suppetunt peccatum destruendi occasiones; cur id non omni nisu contendimus? An adnitente Deo, ut illud avertat, ipsi regnum illius restituere conemur? Nihil aptius efficere potest, ut peccatum oderimus, quam videre qua severitate illud puniat Deus, ubicumque inveniatur. Quam districte illud persecutus est in Angelis præstantissimis omnium creatarum rerum, quin ullam haberet præstantiæ eorum rationem? Unicum ambitionis peccatum omnes illos beatos spiritus delevit. Quanam severitate illud percussit in homine, quem tanta charitate dilexerat, & quem ad imaginem, ac similitudinem suam efformaverat? Illud etiam persecutus est in proprio filio, ubi cum vidit sub specie peccatoris alienis peccatis onustum, quin ullam Majestatis, Sanctitatis, infinitorumque meritorum ejus rationem haberet. Quomodo vero sese geret in servum propriis oneratum sceleribus? *Auctor Recens.*

Tenebræ, quæ peccatorem circumdant, prohibent, ne ille se talem agnoscat. Psal. 18. 2. ad Thess. 5. ad Roman. 3.

Jure quidem exclamabat Propheta: *Delicta quis intelligit?* Qui novit, quid sit peccatum? Quo magis committitur, minus cognoscitur, Sanctus Augustinus ait; peccatum quippe secum defert tenebras, quibus abscondit sese facientibus illud. Ita quo magis aliquis peccat, eo magis excæcatur, & quo magis peccatorum numerus augetur, densitas tenebrarum illud tegentium ingeminatur. Hinc fit, quod nequissimi peccatores sæpe se culpa vacare putant, & qui justi sunt se reos esse fatentur; cum enim peccatum sit spiritualis deformitas, videri non potest nisi beneficio luminis æque spiritualis, quale illud est, quod peccatum magis magisque obscurat in anima prout hæc illi magis, magisque se mancipat. Hac de causa justi dicuntur *Filii lucis*, & peccata *opera tenebrarum* vocantur. Hoc nobis præsignarunt densæ illæ, atque palpabiles tenebræ, quibus olim Ægyptii insepulti fuerunt, cum interim Dei populus purissima luce perfruerentur, ut ultro citroque, & quocumque vellent migrarent. *Abbas du Jarry in Sermone de Conceptione.*

Quam periculosa sit malacia peccatoris in sceleribus suis oscitantia.

Heu! primum facinus, per quod innocentiæ jacturam fecistis, tot vobis stetit lacrymis; tot in vobis crudeles stimulos reliquit! Postquam vero assuevistis ferre jugum dæmonis, quin illud sentiatis; & deglutire, sicut aquam, iniquitatem; stimuli infirmati sunt, prout peccatum multiplicatum est, ac tandem hoc illum extinxit. In horribili peccati nocte placidam quietem carpitis; & post tot flagitia profunda tranquillitate fruimini. Undenam illud? Ita hominem peccati in vobismet confirmastis repetitis lapsibus vestris in scelus; ut vos jugo suo subjectos teneat, & homini novo ne supersit quidem robur contra illius tyrannidem mussitandi. *Idem ibidem.*

Quam alius fit a seipso homo, qui, cum primum vixerit in innocentia in peccato usque ad mortē consenuerit.

Repete, Christiane, primos ætatis tuæ annos, eosque, si vales, in amaritudine tui cordis recogita. Memento puræ, beatæque illius innocentiæ, in qua versabaris cum anima tua illustrata erat iis luminibus, quæ Baptismi tui gratia adjiciebat fulgoribus rationis tuæ orientis; cum in aditu duplicis viæ adeo diversæ, quæ oculis tuis vitium, virtutemque referebat, in exitu infantiæ, aberrare incæpisti in semitas iniquitatis, in quibus adhuc fortasse jugis obducta fronte deambulas, servans cupiditates cæcæ adolescentiæ in obdurata senectute; sentiens favillas impudicitiæ iterum inflammari in sanguine, quem in venis ætatis frigus adstrinxit; traditus phantasmati imaginationis criminum, ac desideriorum, quorum furorem corpus attritum libidinibus sequi non potest; trahens secus os sepulchri inveteratorum habituum catenas, minus sub annorum pondere, quam sub iniquitatum tuarum sarcina curvatus. Ecce quonam in statu quam primum tibi prodeundum est ad Tribunal Dei Viventis, vindicisque scelerum. *Idem ibidem.*

Peccatum adeo oppositum est Deo, ut hic integrum non sit, illud non execrari.

Deus adeo bonus est, & perfectus, ut illi integrum non sit, non odisse peccatum, quoniam odit illud necessario; nec magis illi necesse est Deum esse, quam horrere scelus; non magis esse Omnipotentem, justum, misericordem, quam execrari peccatum; non magis quod Pater Verbum suum producat, quod Spiritus Sanctus ab utroque procedit, quam quod contra peccatum succenseat; quoniam infinita illius Sanctitas eadem ipsius substantia infinite repugnat iis, quæ sunt eidem opposita; quamobrem dicere possumus, odium peccati esse eidem æque naturale, & necessarium atque ipsa ejusdem essentia. Cæterum cum peccatum nihil habeat omnino Dei, nihil bonitatis, nihil perfectionum ejus, ideoque nihil boni, & amabilis: omnimodam habet cum Deo oppositionem, quandoquidem suprema est nequitia, sicuti Deus summa bonitas est; ipsa est turpitudo sicuti Deus est causa omnis pulchritudinis; ipsa est abjectio, sicuti Deus est ipsa majestas. Quantum igitur Deo necessaria est potentia, sapientia, & bonitas; tantum illi essentiale, ac necessarium est odium peccati: Ad hæc Pater æternus non misit Filium suum in mundum, nisi ut peccatum deleret; & Filius non descendit in terram, nisi ut peccato mortem inferret; & Spiritus Sanctus ab utroque missus non est, nisi ut Induceret in animos nostros formam divinam, quæ cum peccato simul esse non potest; ita ut quod in Deo personale est respiciat, atque exterminet peccatum tamquam ipsam abominationem. *Abbas du Jarry.*

Mortale peccatum invocatur, quia aufert a nobis gratiam, animæ vitam.

Peccatum mortale est omnimoda absentia, atque carentia charitatis, & gratiæ, ex qua mortalis peccati nomen haurit, sicuti enim mors est totalis extinctio ac privatio vitæ naturalis, ita peccatum mortale est totalis carentia charitatis, & gratiæ, quæ anima est animæ ipsius, & quæ tribuit illi vitam divinam, & supernaturalem. Hinc peccatum mortale carnifex est; igitur mortem meretur, & sicuti duo sunt cædis genera, alterum quidem, quo vita aufertur viventi; alterum vero quo prohibetur, ne quis vita fruatur; ita peccatum mortale non privat primo hoc genere vitæ, quæ gratia est: atque si in Bibliis memoratur, sanguinem esse vitæ thesaurum: *vita est in sanguine*, & Deum ultionem expetiturum Sanguinis effusi: *Sanguinem ejus de manu tua requiram*; profecto cum hæc charitas, & gratia sit efficax, & præservativa applicatio sanguinis Jesu Christi; toties hic Sanguis Filii Dei effunditur, quoties occiditur anima hæc, quam pretiosus hic Sanguis vivificaverat. Mortale peccatum ad hæc vitam aufert omnibus meritis, atque virtutibus, quæ gratiam habebant per hunc eumdem sanguinem, qui erat vivens earum principium. *Idem.* *Ezech. 3.*

Peccatum mortale tantum est malum ut omnia mundi mala cum eo comparanda non sint.

Deus, licet Deus sit, (quod est multum dicere) majus nequit malum inferre, quam unum mortale peccatum. Ita est: numera tormenta omnia, quæ Deus adhibere potest, hæc omnia simul nequeunt tantum afferre detrimentum, quantum ex lethalibus peccatis minimum. Omnia hæc simul non sunt nisi malum pœnæ, & causa miserationis, ac misericordiæ; sed peccatum malum est culpæ, & causa odii in Deo, quod malorum omnium est maximum. Da mihi hominem omnibus circumundique pœnis, quæ in hoc mundo excogitari possunt, affectum, qui tamen sit insons; hic miser quidem est, non

tamen

tamen impius ; e contra da mihi hominem una tantum mortali labe fœdatum , de hoc vere prædicari potest : Ecce hominem nequam , & omnibus inferni suppliciis dignissimum . Peccatum tres prævertit ordines , quia simul lædit naturalem rationem , leges humanas , & Dei mandata . Constat sane , nihil umquam alteri adversari , quin destruat contrarium sibi : cum ergo peccatum lædat tres ordines in mundo constitutos , ad nihilum eos redacturum ; eorum singuli armari debent pœnis , & suppliciis ad illud perdendum . Quapropter ratio naturalis punit illud stimulis secretis ab anima inseparabilibus conscientiam misere dilaniantibus . Humanæ leges supplicia proposuerunt ad illud puniendum , & Deus tenet fulmina ultionem sumpturus ob præcepta violata , peccatori æternam damnationem intentans. *Idem*.

Peccator per scelera sua fit dæmonis mancipium, & victima iræ Dei.

Quicumque peccat , non est sui compos , de sano rationis usu dejectus est , & judicium amittit : & si minus hominis faciem deserit , tamen nobilioribus sese exuit qualitatibus , ut brutalibus affectionibus induatur : Semper in ima fertur , atque , ut inquit Propheta , incidit in nihilum . *Ad nihilum redactus est in conspectu ejus* . Nil amplius est quam præda inferni , Satanæ mancipium , victima furoris Dei , objectum abominationis illius , & quod ejus interitum miserrimum facit id est , quod cum omnia possit in interitum suum , nihil per se possit ad salutem suam . Videamus hac in re utrum ex eorum numero simus , qui negligunt omnia , cum ex vitiis emergendum est . Cogitemus quomodo iis utamur gratiis , quas ad hunc effectum nobis largitur Deus ? Oblivio Dei est tamquam regio longinqua , quo peccator concessit , & ubi manet . Hoc nobis exprobrari potest , quod olim Deus populo suo : *Populus meus oblitus est mei diebus innumeris* ; Revertimini ex hac regione, ubi tandiu permansistis , & ex hoc vitiorum cœno , cui hæretis . Justi semper sunt coram Deo, heu ! quot horas præterite sinitis, quin illius recordemini ? *P. Novet in Meditationibus*.

Jerem. 2.

Habitus peccati nos efficit peccatores.

Si tantum est peccati malum , toto cœlo majus erit pravus peccati habitus , qui proprie nos peccatores constituit ; actus enim criminosus præterit , & nos criminosos nequit efficere . Sed hic habitus nequam est adeo infamis , ut non solum præcedentium peccatorum ingentem supponat numerum , ideoque te insignem fuisse peccatorem ; verum quasi per necessitatem in plurima futura impellit peccata , quæ efficiunt , ut tantam cum vitio habeamus familiaritatem , ut nobis quodammodo peccare necesse sit ; ideoque jure peccatorum titulo connotemur . *Sermo Manuscriptus*.

Nonnisi per gradus in peccati abyssum ruimus.

Tres sunt gradus diversi , per quos in peccati abyssum ruimus . Nemo repente fit pessimus , ac primum imperfecta opera eduntur , antequam præcellentia in lucem edantur . Confirmatus esse debet in malo , ut quis peccati habitum acquirat . Primus gradus est cum per infirmitatem peccatur ; cum in occasionibus , & societatibus tentatio advenit , hominemque non satis cautum nanciscitur , qui propter infirmitatem in vitium se trahi sinit . Alter est cum homo peccati habitum contrahit , & ultro , & libenter se in illud rapi permittit ; quæ nequitia appellatur , quia hoc fit cum omnimoda mali cognitione . Tertius denique est , cum ratio nullo amplius in discrimine malum habet , sed in omne scelerum genus ruit sine metu , sine horrore ; quæ impudentia , & brutalitas nuncupatur . *Auctor Recens*.

Peccatum amat tenebras, & umbram.

Peccatum pudorem eiet , & cum nullibi in tuto sit , nocturnas quærit umbras , ut lateat . Hic Sanctus Paulus peccata opera tenebrarum appellat , & post illum Tertullianus opera lucis inimica. Sed cur nam peccatum tenebras quærit ? quia divinæ , humanæque justitiæ timor illud retinet ; & si speciosas habet voluptates suas , non desunt illi vera, ac realia tormenta. Verum habitus facit , ut tandem hic pudoris sensus intereat. *P. Antonius de Sancto Martino a Porta*.

Homo cum liber sit, ne Deum lædat, illum tamen lædit tamquam coactus.

Sanctus Bernardus sermone primo in Cantica , ait voluntatem nescio quomodo peccato immutatam sibimetipsi catenam nectere , sibique necessitatem illius non infringendæ imponere . Sed quæso , Sancte vir , dicito quid hoc rei sit ? Hæc quædam vis est , per quam noxia voluntas ita possidetur a peccato , ut neque per se inde valeat emergere , neque in rationem rejicere . Verum quid ista significant ? id apertius doce . Anima sub turpi hac peccati servitute detinetur ita , ut per voluntatem suam misere sit libera , sed captiva per infelicem necessitatem , quam in ea parit pravus peccandi habitus , qui temporis spatio ita incedit , ac inveteravit in illa , ut deinde superari minime possit . Auctoritatem suam in usurpatione constituit , & omne suum jus in vi statuendum esse arbitratur . *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Peccatum malum gravius est, quod complectitur infidelitatem ingratitudinem contemptum Dei, & beneficiorum ejus.

Peccatum novissima est omnium ingratitudinum ; quippe Deum offendimus tunc temporis , cum nos cumulat beneficiis , cum nullum sit momentum , quo nullum ab illo recipiamus. Præterea contumeliosus est contemptus , quo Deo nostram præferimus voluptatem , nostrarumque cupiditatum vota. Licet enim ore non fateamur, malle nos obsequi nostris cupiditatibus ; nos abrenuntiare æternæ gloriæ , quam ille infidelitatis præmium promittit ; velle potius æternam subire damnationem nosmet in vitiorum omnium cœno volutando , quam ullam nobis inferre vim ad salutem comparandam ; hoc tamen re ipsa incessanter operamur . Post hæc mirum non est , si Deus adeo severe punit peccatum . Quin loquar de gratia , quam peccatum arcet a nobis , æternis nos suppliciis addicit . Pro unico voluptatis momento suppliciorum æternitas erit subeunda : *Momentaneum quod delectat ; æternum quod cruciat* . Omnes rebelles Angeli præcipites dati fuere in infernum ob unum dumtaxat unius momenti peccatum , cujus pœnitentiam agendi nullum illis temporis spatium concessum fuit . Omnia mala , quibus homines sunt obnoxii , sunt effectus unius peccati primi parentis . Demum , quod efficere debet peccati enormitatem , mors est Dei : Deo enim opus erat ad illud reparandum . *Christianæ Considerationes*.

Peccatum est adeo enorme ut sit causa omnium malorum vitæ, & mortis Dei ipsius.

Deus , qui ipsa bonitas est , & cujus infinita est misericordia , momenti unius crimen æternis punit suppliciis . Angeli , creaturæ illæ adeo perfectæ propter unicum peccatum præcipites in infernum datæ sunt . Post tot sæcula mortales adhuc obruti sunt miseriis , doloribus , morbis in pœnam inobedientiæ Adam . Deus spiritum emittit in Cruce a summo vertice ad pedes usque vulneribus confossus ad omnia mortalium delicta expianda : dicendum est igitur enorme aliquid esse peccatum , alioquin Deus , qui ipsissima justitia est , nequaquam adeo terribili ratione illud persequeretur ; ideoque tantum illius horrorem concipiamus oportet , ut numquam in illud pertrahi sinamus . Moriendum potius nobis est , quam semel peccandum . *Nulla major est insania ; quam pro delectatione momentanea, æterna, & indicibilia amittere gaudia ; & ad æterna se obligare supplicia. Ibidem*.

Gemitus a peccatore coram Dei throno fundendi.

Non satis noveram , Domine , quid sit peccatum . Modo novi , meque pudet , & pœnitet , cum in amaritudine cordis mei præterita vitæ meæ flagitia recordor . Dolor quo conficior , sincerumque consilium a me initum vitæ rationem mutandi , me in spem adducit , te nequaquam negaturum mihi gratiam illius adimplendi , ac te permissurum ut gemitus cordis contriti , & humi-

liati,

Psal. 50. liati, te flectant ad lenitatem: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies: Averte faciem tuam* *Ibidem.* *a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele;* Sed nihilominus paterna bonitate tua respice peccatorem, qui peccavit quidem, sed vera ductus pœnitentia, poscit misericordiam. *Ne projicias me a facie tua. Ibidem.*

Odium, quo Deus peccatum persequitur.

Odium, quo Deus peccatum persequitur, par est amori, quo seipsum diligit; hoc est immensum est, & infinitum, & nihilominus justum est, & infinitum. Hoc odium peccati adeo essentiale Deo est, ut illum non odisse non possit; ideoque illud semper omni suppliciorum genere persecutum est. Fingite vobis omnem hanc malorum colluvionem, quæ terris incubuit, morbos, pestes, tempestates, terræ tremitus, bella horrenda, & clades, quas ignis, & aqua pepererunt. Hæc omnia evenerunt in pœnam peccati; & hæc omnia nihil sunt, nec satis dignam peccati pœnam conficiunt; Ut Deus omne evomat odium, quo peccatum execratur, inferno opus est, Immo neque infernus ipse ad id satis est, & odium quod fovet Deus contra peccatum, semper majus est omnibus suppliciis, quibus illud punit. Post tot decies sæculorum millia, quibus peccator in inferno excruciatus fuerit; idem erit ac si, nihil adhuc passus fuisset, nec dici poterit aliqua ex parte satisfactum fuisse Deo, neque aliquid detractum esse illi pœnæ, quæ crimini debebatur. *P. Segneri in Meditationibus.*

Mortale peccatum est contemptus Dei; nec mirum est, si pœnarum æternitate expiari minime possit.

Non dicit Dominus, se a filiis suis læsum, sed contemptum fuisse, quia malum omne, quo afficitur Deus, cum læditur, hoc est quod contemnitur. Et profecto quanam alia in re illi nocere posses? Bello, quod illi indicis, minime vales perturbare pacem, qua fruitur, neque potentiam ejus atterere, neque illum de solio deturbare. Quidquid ergo præstare tibi licet, est illum contemnere. Ita cum quodcumque peccatum admittis, nequaquam singillatim actionem hanc committis, quatenus ad objectum suum refertur, sed cogita, ita Deum a te contemni. Nil ultra requiritur, ut perhorrescas. At enim, ais, id non ago, ut Dominorum contemnam. Esto, damnati dumtaxat, & dæmones contemnunt illum, ut contemnant: Sed mandata illius infringere, illum contemnere est. Nonne teipsum contemptum arbitrareris a famulo, qui tua non faceret imperata, & qui domi tuæ ad arbitrium viveret, licet tibi animum lædendi se adesse negaret? Scis Deum tibi hoc, vel illud interdicere; tamen cupiditati tuæ indulges: hoc nonne idem est ac si diceres: Nullum mihi negotium facessit Patris cœlestis indignatio, & ejusdem hæreditatis jactura? Hæc autem vera est illius iracundiæ causa. Numquid mirum cuiquam esse debet si post hæc minimum mortale peccatum suppliciorum æternitate puniatur? Cum peccatum sit contemptus Dei, nullum satis congruum in inferno inveniri supplicium potest; & opus est, ut pœnarum æternitas earum suppleat gravitati. *Idem ibidem.*

Magnum stuporis argumentum est videre hominem a quo deseritur Deus, ut creatis rebus inhæreat.

In peccato duo inveniuntur, quæ simul ad illius enormitatem augendam concurrunt: homo peccans deserit Creatorem suum; quare? ut adhæreat creaturæ. Utraque circumstantia hæc seorsim sumpta nonne satis magnum esset scelus? Creatorem suum deserere; ullane major fingi potest infidelitas? Creatis rebus inhærere; ullane major excogitari potest aberratio? Deum relinquere, & consectari creata duo sunt illa mala, quorum congeriem Dominus acerrime execrabatur in populo suo: *Duo mala fecit popu-* *Jerem. 2.* *lus meus.* Obstupescite Cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, aperite illas, & super terram malorum diluvium effundite. Nonne & ipsi eorumdem criminum nomine tenemur, quæ Dominus exprobrabat populo suo? *Duo mala fecit.* Insipientes illi mandatis Dei sui præferebant amicitiam Assyriorum, aliarumque gentium infidelium, quæ illis perennis erant idololatriæ causa. Nos autem nonne Filii Dei præceptis præferimus mundi placita, quæ nobis sunt peccatorum origo? Heu! quantum hoc scelus est, quod Creator contemnatur, viles autem creaturæ conquirantur! *Obstupescite cœli super hoc. Pater Segneri in Meditationibus, Tomo tertio.*

Relinquere Deum, ut creaturis adhæreas, idem est ac aquæ vivæ fontem contemnere ut tibi lutulentam eff. dias cisternam. *Psal. 35.* *Isai. 40.*

Creata si cum Deo conferantur, secundum Jeremiæ Prophetæ comparationem id sunt, quod cisternæ cum aquæ viventis fonte collatæ. Cisternis modicum inest aquæ; hanc etiam aliunde mutuantur; fons autem aquis ipse, semperque recentibus manat. *Deus est fons vitæ.* Nationes integræ coram Deo vix sunt velut aquæ gutta, *Ecce gentes quasi stillæ*; & nihilominus relinquimus Deum, ut ad creata confugiamus. Quæ contumelia! Cæterum hæc nostra agendi ratio licet injusta, specioso tamen aliquo titulo tegitur gloriæ, utilitatis, aut voluptatis, quæ inde percipitur. Sed in corde suo creaturam in Dei locum collocare; & ab ea plus sibi honoris, utilitatis, voluptatis polliceri, ullane major hac cæcitas fingi potest? Homo enim numquam Deum lædit, nisi illum suæ ambitioni, cupiditati, vel oblectationi posthabeat. Hunc autem nocentiorem facit quod prælatio, quam tribuit Creaturæ super Creatorem, non alii innititur fundamento, nisi libidini ipsius. Peccator sibi objectum constituit, cui nihil inest meriti, eique per inanem conceptum suum eas appingit qualitates, quas se ibi reperire arbitratur. Quod adeo patet ut homo ubi a rerum creatarum amore sese collegit, ibi nil invenit, nisi vacuum ingens, fictam felicitatem, & vitia, quibus deterretur. *Idem ibidem.*

Homo in statu peccati est infra nihilum. *Matth. 26.*

Mortalium omnium insipientissimi sumus, si in peccati statu aliquid nos esse arbitramur. Status hic nos infra nihilum statuit; peccatum enim est nihilo deterius. Væ huic homini, melius erat illi si natus non fuisset. Ita reprobus cuperet se ad nihilum redigi, ut hoc pacto omnibus malis suis finem injiceret. *Nec tamen consumetur,* *Job 20.* inquit Job. Quemcumque igitur spiritum, quodcumque meritum habeamus, nihilo sumus contemptibiliores, si peccatores sumus. Talenta nostra Dei sunt, peccatum vero nostri; & proprium opus nostrum. *Perditio tua ex te, o Israel,* *Osee 13.* *Erubescite super viis vestris.* *Ezech. 36.* In statu adeo misero, unum dumtaxat efficere potest, ut esse nihilo præferamus; spes videlicet emergendi ex cœno flagitiorum nostrorum; quæ si desit, nihil nobis, quam nihilum desiderandum est. Nam frustra superbia attollimur; nisi pœnitentiam egerimus, infernus domus nostra est, & præstat non esse, quam esse miserrimum. Igitur habita nostri ratione S. Pauli Apostoli verba verissima inveniuntur: *Si quis existimat se aliquid esse, cum* *Ad Gal. 6. 3.* *nihil sit, ipse se seducit. P. Segneri in Meditat. Tomo 3.*

Peccatum mortale privat hominem omnibus supernaturalibus bonis quæ illius veram gloriam constituunt.

Peccatum (semper autem loquor de mortali; in quo concepti fuimus;) peccatum inquam, generatim nos exuit omnibus supernaturalibus bonis, quæ gloriam nostram verasque divitias constituunt, & quæ nos aliquo in gradu constituunt coram Deo, cujus unius judicium potest verum honorem nostrum efficere. Nam simulac lethale peccatum commisimus, licet omnia nobis essent Sanctorum merita, licet omnes adepti fuissemus virtutes, optimaque opera fuissemus operati; peccatum hoc est latro, qui omnia eripit, expilat, aufert, animamque nostram miseram facit, rebusque omnibus egenam, quin reliquum faciat in nobis bonum aliquod, ex quo veram possimus gloriam percipere. Privat nos gloriosis omnibus titulis amicorum, sponsarum, & Filiorum Dei, in quorum possessionem nos adduxerat gratia; denique nobis aufert jus, quod nobis est ad Cœlestem hæredita-

ditatem; necnon omnia dona, habitusque supernaturales, quibus anima ornatur. Humiliatio igitur a peccato sejungi non potest; si enim bona, quibus nos exuit gloriam nostram constituunt; necesse est, ut eorum privationem opprobrium, infamia, confusio, omniaque consequantur mala, quæ huic miserrimo statui sunt inhærentia. *Recens Auctor*.

Quid cogitare debeamus cum tentamur, ut Deum lædamus. Gen. 39.

Cum agitur de præferendo perituro bono, impura oblectatione, turpi negotio voluntati, atque majestati Dei, cur non venit nobis in mentem illud Joseph: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quomodonam fieri potest, ut adeo horribilem iniquitatem admittam, atque lacessam Deum adeo amabilem, quem veneror, & colo? Novi dominum, cui famulor; novi nihilum earum rerum, quæ me pertentant, ut ab illo descisçam: sentio rationem, fidemque meam, quibus condemnor. *Quomodo possum*. Numquid rationis jacturam feci? Num fidem amisi? Cuinam comparabo Dominum, & Judicem meum? An in terris quidpiam est, quod efficere possit, ut bonitatum ejus obliviscar? Qui me a justitia illius protegere poterit, si peccavero? Non igitur omni conatu adnitendum mihi est, ne incidam in manus illius & peream? Si illum contempsero; jam omnem sensum æquitatis, fidelitatis, gratitudinis, Religionis abjecero: tandem enim Salvatori meo sine exceptione me totum debeo; illius sum, & oh me beatum, si ad majorem illius gloriam me exinanire, & ad nihilum redigere possem! *Quomodo possum hoc malum facere?* &c. *Pater la Pesse, Tomo* 2.

Mortalis peccati status me ab operibus bonis dispensare non potest: imo eo tempore magis sunt necessaria.

Quamcumque afferat animæ calamitatem mortale peccatum; non eo usque illius procedit nequitia, ut vetare possit, ne bona opera faciamus. Licet coram Deo omnibus criminibus essemus coinquinati, hoc etiam in statu licet virtutum actus elicere, Deum colere, pauperibus opem ferre, superioribus obsequi, aliaque idgenus sexcenta præstare justitiæ, & pietatis officia, quæ ipsi obire consuevimus, imo non licet tantum, sed opus est; quia status peccati nequaquam ab iis nos reddit immunes. Ita miseri sumus, ut in mortali peccato versemur; non solum nostras pietatis exercitationes non omittamus, sed recentia quoque opera bona faciamus; oremus, jejunemus, corpus nostrum mortificemus, pauperes invisamus, uberioresque fundamus eleemosynas, quam antea, ut Deum quodammodo disponamus ad conversionis gratiam nobis largiendam. Præter ea, quæ facere tenemur, & quæ omittenda non sunt in ipso etiam statu peccati, quin recenti nos crimine adstringamus; nonne æquum est, ut per supererogationis opera conemur Dei misericordiam ciere, ejusque flectere justitiam? Ita Maria Magdalena, Publicanus Evangelicus, Centurio gratiam conversionis promeruere; quorum exempla imitati consequi possumus gratiam vitæ immutandæ. *Pater Croiset in Asceticis. Tomo* 5.

Quæ sit deformitas animæ in peccato mortali.

Animæ nostræ per peccatum mortale ita deformantur, ut vix valeant dignosci, cum aliquis in misero hoc statu invenitur. Homo hic creatus ad imaginem, & similitudinem Dei per mortale peccatum amittit hæc omnia divina lineamenta; horribilis fit ante oculos Dei, objectum indignationis, & iracundiæ ipsius, ita, ut tandem minime valeat dignosci. Deus ipse quærit, *cujus est imago hæc*? Hiccine est homo ille, quem creavi ad imaginem meam! Lineamenta omnia obliterata sunt. Non est animatus spiritu meo: ex quo non est amplius in statu gratiæ. Profecto homo esse nequit in deteriori statu super terram, quam cum est in peccato mortali. Licet bonis diffluas; niteas, omnia circum te rideant; honoribus cumulatus sis, & voluptatibus affluas; immo in ipso majestatis fastigio, & solio refulgeas, si es in mortali peccato, miserrimus es. *Pater Croiset in Asceticis Exercitat. Tomo* 5.

Homo in peccato mortali est homo damnatus, licet dilatum sit ejus supplicium.

Homo in mortali peccato est homo, qui Dei gratia excidit, qui coram illo meritorum omnium jacturam fecit, qui dejectus est de juribus omnibus, quæ per gratiam consecutus erat, omnibus exutus privilegiis; & si in misero hoc statu de vita decidit, habiturus est infernum in domum æternam, & dolores, rabiem, atque desperationem in hæreditatem. Quænam esset aulici perturbatio, scientis se a Principe nonnisi ægre, & gravate ferri? Homo in mortalis peccati statu est objectum horroris ante oculos Dei. Si omnipotentis ira non erumpit in ipsum, merus est effectus misericordiæ, quæ justitiæ jura, & severitatem non minuit. Homo in peccato mortali reus est damnatus, & extremo supplicio afficiendus. Differtur quidem executio, ut illi gratiæ obtinendæ tempus permittatur; sed quid cogitandum est de Majestatis reo, qui cum possit gratiam hanc obtinere, in statu suo perseverat? Hæc nonne est imago nostra? Quinam igitur erit exitus noster. *Idem, ibidem*.

Cum homo a Deo pendet omnino, mirum est, quod eumdem audeat lacessere.

Plures nobis irrogavit leges Deus; omnes sanctas, & æquas. Absolutus rerum omnium dominus, supremam in nos habet potestatem. Nos illi obsequia, & obedientiam debemus, & ita illi nosmetipsos debemus, ut nemini cedere valeat jus, quod habet in nos, utque ne momentum quidem cessare possimus, quominus ad illum attineamus. Cui igitur periculo se objicit peccator non obediens Deo, illum contemnens, ejusque imperata facere detrectans? Peccatum Dei lædit imperium, auctoritatem, magnitudinem; eique omnia aufert jura, quæ obtinet in nos. Hoc efficit, ut ab illius voluntate desciscamus; & ut mandata illius infringamus, quin eorum æquitatem, ac vim consideremus. Non ideo a culpa abstinemus, cur hoc! quia nullo in discrimine habemus parere Deo prohibenti. Num ignoramus potentiam Creatoris, a quo esse, ac vivere accepimus? Domini misericordiam, qui amissam nobis libertatem restituit, Supremam Judicis auctoritatem, qui de æternitate nostra judicium laturus est? Majestatem, ac dignitatem Domini, a quo absolute pendemus? Nemo nostrum hæc ignorat! Quanta igitur nostra temeritas est, cum ipsum offendimus? *P. la Pesse; Tomo* 2.

Ejusdem argumenti.

Facile est assequi peccati indignitatem ex eo discrimine, quod inter Dei magnitudinem, nostramque humilitatem intercedit. Hoc sane ex durissimo corde rivos lacrymarum deberet elicere. Quid igitur Deus est, qui ab homine læditur? Quis homo Deum lædens? Deus est Ens supremum atque independens, qui omnia in se continet, ac nullius indiget. Homo gracilis est creatura ex se nihil habens, & omnium indigens. Quid igitur magis monstrosum fingi potest quam quod creatura nihil habens ex se, & jugiter ad Deum confugere coacta, tamquam fontem bonorum omnium, quorum eget, audeat tamen in eum arma distringere? Iterum dico. Quid est Deus? Quid homo? Deus æternus, & immutabilis est; Rex omnium sæculorum. Homo similis est vapori, qui statim ac prodiit, evanescere cœpit. Quomodo igitur homo cum infirmus, & fragilis sit, tantum habet audaciæ, ut aggredi velit, & irritare Deum, qui juxta Sancti Pauli verba, possidet immortalitatem? Homo est tamquam vermis sub pedibus Dei: quare ergo vermis hic intumescit, ac se attollit contra Dominum per peccatum, atque tot scelera? Quanta peccatoris temeritas est, qui tot miseriis obnoxius, in jugi necessitate divini subsidii, tamen sese fœdissimis sceleribus mancipat?

Quid

Quid ipsi, cum peccatores simus, sperare possumus? Nisi quod Dei Justitia sceleribus nostris fatigata eo gravius ruat in caput nostrum; quo majori cum patientia præstolata fuerit, ut nos vitæ rationem immutaremus, ut nosmet colligeremus, & ad illum revertentes corde contrito, & humiliato ingrederemur pœnitentiæ viam non sine certissimo consilio justitiæ ipsius satisfaciendi. *Cardinalis Bellarminus. De gemitu Columbæ.*

Verum remediũ, ne in peccatum incidamus, est sacramentorum frequentia.

Sacramentorum frequentia numerati potest inter præsentissima media in bono perseverandi, quoniam est inexhausta gratiarum origo. Cum Sacramenta sint veluti totidem rivuli, per quos Deus nobis suam communicat gratiam, quo sæpius cum requisitis conditionibus accedemus ad illa, eo uberiorem recepturi sumus. Ita experientia magistra videmus eos qui frequentius Sanctis se reficiunt Mysteriis plerumque alios pietate antecellere: eodem pacto quo a sacra synaxi se abstinent, eamque fastidiunt, qui tepescere, ac in vitia ruere incipiunt. Cum enim nolint tunc resipiscere, evitant quidquid eos adducere posset in cognitionem status illius, in quo sunt; ideoque audire nolunt sibi verba fieri de sacramentis, quæ sciunt a se digne recipi nequaquam posse, nisi revertantur ad Deum. Post hæc mirum esse non debet, si qui minus roborati sunt cœlestibus gratiis incidunt in funestissimos lapsus; cum e contra qui divinis crebro participant mysteriis digne ad Eucharisticam mensam accedentes, quotidie convalescunt, ut dæmonis insultibus validius reluctentur, magis magisque suis imperitant cupiditatibus, & crescunt virtutibus, ac perfectione. Quorsum hoc: Quia Augustum Eucharistiæ Sacramentum in nobis duos gignit effectus admirabiles, *Ut in minimis minuat sensum; & in majoribus peccatis tollat consensum*, ut docet Sanctus Bernardus. *Considerationes Christianæ.*

Seipsum usu Sacramentorũ privare, ex eodem Salvatore, est se privare vita æterna.

Si Sacramentorum usus adeo utilis est, ut illa pie, ac frequenter accipientes a peccatis se expediant, & ad majorem in dies perfectionis gradum attollant: proculdubio iisdem quoad fieri poterit participare debemus. Cur autem id non præstemus? Multæ id suadent rationes; quia recedentes ab altari, quamplurimis gratiis privamur Sacramento adhærentibus, & directe agimus contra mentem Salvatoris, qui summa bonitate ad Corporis, Sanguinisque sui mensam invitat per hæc verba: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos*. id immo tanto ardore desiderat, ut minitetur, se nos æterna vita privaturum, nisi id fecerimus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis .... non habebitis vitam in vobis*. Nobis autem inde metuendum est, ut postquam vitæ nostræ spatio ad Sacramenta accedere neglexerimus, iis privemur in morte; vel tunc illa male accipiamus, cum vix bene fieri possit, quod raro fit. Sed præter has omnes rationes, quæ nos debent impellere ad Sacramenta sæpius recipienda; nullam reperimus, quæ nos ab eorum perceptione deterreat; nisi quod persistere volumus in sceleribus nostris; quia illæ omnes, quas passim efferimus inanes tantummodo sunt prætextus ad cupiditates nostras regendas. *Christianæ Considerationes.*

Quantum scelus est abuti patientia Dei ad proprium exitium.

Diceres, Dei patientiam peccatoribus novas addere vires, ut contra ipsum rebellent. Hos misericordiæ dies in dies iræ convertunt; neque pereunt, nisi quod Deus illis tempus tribuit sese salvandi. Quæ cæcitas est, quæ hominum ingratitudo? Numquid nequam sunt, quia Deus bonus est? Confessio hæc humano cordi turpis est; verum peccatores, si id possunt non confiteri, eadem abstineant. Quidam hodierna die fortasse reprobus est, qui fortasse in gloriæ sinu gauderet, si morbus, si adversa fortuna prima ejusdem scelera expiasset. Ubi primum incidit aliqua mœroris causa mussitant mortales; an mussitabunt aliquando contra indulgentiam, quia Deus diu nostra pertulit scelera? Ne igitur nobismet pulverem offundamus ubi de divina agitur bonitate; patientia illius bonum est, cum nos ad pœnitentiam adducit; sed cum obstinato animo in nostra nequitia persistimus, patientia illius effectus est iracundiæ, & ultio diutini abusus, quo eamdem neglexiinus. Verum seu gratia sit, seu Dei ultio; nobis semper est pertimescenda propter effectus, quos parit. *Sermo Accademiæ Anni* 1693.

Peccatum nos comitatur, nobisque placet ad ætatem usque provectiorẽ.

Mortalibus senio confectis passim in more situm est, semper ad illud usque tempus juventutis retinere vitia, ab horum amore non cessare tunc etiam, cum iisdem obsequi per infirmitatem non licet. Voluntas non consenescit, ut corpus; & habitus, quos contraxit, non uti decor oris, & species evanescit; quoniam radices jaciunt, ut ita dicam, in iis studiis, quibus rapimur in malum; cumque hæc in mortem usque perseverent; habitus insiti usque in idem tempus vigent. Voluptas fulguri similis absumit interiorem usque partem subjecti, quod ab ea possidetur, quin aliquid muret in parte exteriori. Urit juvenem, & senem, licet externus oris eorum habitus præseferat varios caracteres, qui ipsorum ætati conveniunt. Cum anima ipsa peccati impressionem recipiat, has sentit quovis tempore, & provectior ætas corruptione hac exors non est. Quod placet annorum fluxu præterit; Græcus quidam Pater ait, quod vero damnat adhuc persistit. *Remanet quod damnat, præterit quod delectat*. Abit voluptas, & adhuc viget impudicitia. Senis capuinatis concupiscentia eadem est, qua urebatur in adolescentia. Verum quidem est, senem facilius illam dissimulare posse, sed multo minus potest sustinere. Plures videntur juvenes intra libidines suas in mortis lectulum incidere, & nihilominus non sine christianæ pietatis sensu obire; eadem quippe vis qua eorum animantur flagitia, tunc mutato objecto bona eorum animat consilia: sed raro accidit, ut senex libidinosus in morte aliquam salutis suæ certitudinem præbeat. Ut vixit, ita moritur. Corpus & anima simul languent, & perfecte cum vitio consentiunt usque ad vitæ consummationem. *P. la Pesse, Tomo 4.*

Euseb. Emisse. 3. de Pasch.

In ætate occasu iisdem urgebimur affectionibus quibus in adolescentia fuimus agitati.

Plerumque toto vitæ spatio tales sumus quales fuimus in adolescentia, tunc vero potissimum, cum data opera tales esse volumus. Nullum quidem tempus est, quo Deo nosmet devovere non valeamus; sed non ita frequens accidit, ut qui inter sæculi flagitia a puero sese libidini mancipavit, sincere in ipsa senectute revertatur ad Deum; quod si cui contingit, tot ingruunt illi difficultates, ut paucissimi eas valeant superare. Cur hoc? Primi lapsus, primique impetus adolescentiæ cessare poterant sincero ad Deum reditu, veraque conversione. Hic habitus intemperantiæ, ac impudicitiæ mediocri labore fractus fuit, tunc cum coalescere incipiebat. Futilis hæc vanitas, ridiculæ libidines, humani respectus nullum fortasse se habuissent effectum, si mortalis eorum injustitiam, & insaniam intelligere voluisset. Hic torrens cupiditatum nondum satis intumuerat, ut insipientem hanc adolescentiam raperet; sed ætatis progressu aquæ intumuerunt ita, ut factæ sint in abyssum irremeabilem, quæ transvadari non potest. Neque arduum est causam assequi. Cupiditates quas in adolescentia cohibere neglemus, dominatæ sunt nobis ita ut eas infringere nequeamus; cumque per negligentiam nostram in naturam abierint, inde liberari vix possumus, nisi, ut ita dicam, per essentiæ nostræ conversionem. *Idem.*

PECCATUM VENIALE.

MONITUM.



E veniali peccato aliquid jam attigimus, cum loqueremur de fidelitate in minimis rebus servanda, ubi docuimus nihil in Dei cultu negligendum esse: quod minime prohibebit, quominus fusius hoc in loco sub diverso titulo loquamur. Scio equidem, concionatores infrequenter hoc pertractare argumentum apud populum, satis esse putantes, si concionibus suis illum a mortali peccato deterreant, atque materiam hanc Religiosis domibus, atque iis, qui pietatem profitentur, reservantes. Verum cum hanc aggressi fuerimus provinciam de quolibet argumenti genere pertractandi concionatorum e-ris eligere, eaque auditorum suorum statui, & captui accommodare. Quod si pauci sunt hujus argumenti sermones, plurimi tamen sunt Ascetici libri, qui satis superque copiæ suppeditare pluribus, iisque utilissimis concionibus possunt.

Animadverti ex auctoribus, qui argumentum hoc pertractarunt, alios in hoc immorari, ut ostendant venialis noxæ gravitatem majorem esse, quam vulgo existimetur; alios differere de illius effectibus, & pœnis, quas in hac, alteraque vita meretur; alios denique ob oculos ponere periculum, cui sese objiciunt homines in mortale peccatum decidendi, ad quod veniale viam sternit. Quamobrem ea, quæcumque a nobis istic afferentur, ad hæc tria potissimum capita referuntur.

Quemadmodum concionatores hortari debent auditores suos, ne peccata venialia contemnant, & negligant, auctor illis essem, ne ipsi hoc argumentum negligerent, neque obiter, atque leviter dumtaxat attingerent, sed quanti momenti sit palam ostenderent; neque enim solum Christiani perfectio, sed salus ipsa pendet a vigilantia, & cura, qua levissima etiam peccata evitanda sunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I  UM tanta sit humana fragilitas, atque tanta in malum proclivitas, constat, neminem, sine peculiari Dei ope, ab idgenus peccatis omnino sibi cavere posse; quancumque curam, & vigilantiam afferamus, plurima nobis semper elabentur; quandoquidem Spiritus sanctus per os Sapientis nos admonet, justum, hoc est religiosum divinæ legis observatorem septies in die cadere. Reor autem utilissimum in paucis, quod hac in re eligi possit, argumentum esse, veniale peccatum in fonte ipso, atque principio, quod aliorum plurimorum causa esse consuevit, oppugnare: videlicet in habitu, qui ubi semel radicitus ablatus fuerit, pauciora incauti committemus, scientes vero, ac volentes longe paucissima. Hanc igitur in rem ostendi potest: primo, malum, quod gignit habitus, qui contrahitur, & licentia, quam nobismet vindicamus venialia peccata patrandi, a mortali dumtaxat abstinentes. Secundo quam facile sit adeo periculosum habitum contrahere, nisi nobismetipsis diligentissime invigilemus. Hæ duæ sunt Concionis partes.

Pars prima. Si veniale peccatum in seipso consideratum grave malum est, & gravius, quam vulgo censeatur; quod igitur malum erit habitus in hoc peccatorum genere, si illum insolescere patiamur? 1. Efficiet, ut illa facile, sine stimulis, sine religione, qualibet in occasione, pro qualibet causa temere, & inconsulto committamus. In quem autem deplorabilem statum hæc peccatorum multitudo conscientiam non rediget? In quod salutis periculum, atque divinarum rerum injuriam? Ostendendum est, quousque evadat hæc peccatorum multitudo, quæ per infelicem hunc habitum committuntur: contra Deum quidem per irreverentiam in templis, defectum attentionis in precibus, negligentiam in officiis eidem præstandis, modicam in piis exercitationibus devotionem, modicumque in ejus cultu fervorem &c. contra proximum autem quot exigui aliorum contemptus, quot temeraria judicia, falsæ suspiciones omni fundamento carentes? Quot leves iræ, acrimoniæ, & secretæ zelotypiæ; quæ sexcentas obtrectatiunculas pariunt? Quot ultro citroque tum verba, tum facta nunciantur? Quot in conversationibus disputationes, & controversiæ, levia, mendacia, irrisiones, voces parum prudentes inutilesque? &c. Quot idgenus peccata, quæ extrinsecus nunquam prodeunt, nisi per quædam indicia, quæ ipsi præbemus? Quot vanitates, secretæ oblectatiunculæ, & res vanas sciendi curiositates? Quanta nostrummetipsorum existimatio; quot in opera nostra, bona animadversiones, humani respectus, commodorum nostrorum perquisitiones, temporis jacturæ; quantum denique amoris proprii? &c. Quisnam enumerando posset omnes assequi species, quarum actus in infinitum usque procedunt, nisi eorum exhaurire admitamur originem, habitum videlicet cujuslibet peccati singillatim, cujus principium est habitus generalis libere, & sine metu committendi, quidquid mortale peccatum non est; ita ut vita nostra non aliud sit, quam non intermissa series peccatorum, quæ supra capillorum capitis numerum multiplicantur. Verum quidem est, materiam hanc levem esse, ac plurimas venialium peccatorum myriades unum mortale peccatum afficere nequaquam posse: sed si eorum gravitas metuenda non est, inquit S. Augustinus, metuenda sane eorum est multitudo: *Si non expavescis, quod appendis, expavesce quod numeras.* 2. Alterum malum, quod hic habitus parit, hoc est, quod impares nos facit alicui veræ virtuti exercendæ; quia optimas actiones nostras corrumpit vanitate, humanis rationibus, sui ipsius amore; & quin ex illis præmium expectemus, supplicia metuenda sunt. Prohibet, ne ullum acquiramus meritum, & modicum illud boni, quod facimus, tantum mali habet admixtum, ut vita nostra similis dici queat agro, de quo loquitur Evangelium, ubi lolium prohibet, ne bonæ fruges adolescant. 3. Hic idem venialis peccati habitus several ocyus nos in mortale peccatum præcipites agit propter rationes, quæ passim hoc in tractatu memorantur.

Pars altera: ostendendum est, quam facile; immo

immo etiam familiare fit, adeo perniciosum habitum contrahere. 3. Etenim cum virtutis, vitiique actus naturaliter habitum producant, cumque veniale peccatum citra damnationis æternæ metum committatur, qui nos deterret, ne in mortalia ruamus, ideoque sine vigilantia, & præcautione, quamprimum hic producitur habitus, qui cum ad recentia committenda nos adigat, vicissim alter alterius est causa. 2. Propensio, qua proni sumus in malum, ac scelus, efficit, ut sine ulla difficultate habitus efformetur; cum e contra non sine gravi difficultate in bono, ac virtute habitus acquiratur. 3. Veniale peccatum non æque pertimescimus, ac mortale; quam ob causam negligentia, qua illud evitamus, efficit, ut in eo ad mortem usque perseveremus, & sæpe etiam mortem animæ patiamur.

Cum veniale peccatum sit morbus animæ, pro modulo suo eosdem in hac animæ parit effectus, quos morbus corporalis in corpore. 1. Illius aufert pulchritudinem, & quamvis non deleat omnino omnia lineamenta divinæ similitudinis, quæ Creator impressit, eam tamen deformat, & fœdat. 2. Illam infirmat, ac potiorem virium adimit partem, itaut longe imbecillior sit, & apta minus, quæ violentis inimici tentationibus obnitatur. 3. Illam disponit morti peccati lethalis, quemadmodum corporis ægritudo via est, quæ ad sepulchrum adducit.

III. 1. Quantumvis levia sint vulnera, quæ veniale peccatum animæ infligit, illam tamen debilitant, imminuuntque vires, ita ut vix inimicis resistat. 2. Quantumvis leves hæ maculæ sint, animam coinquinant, ac speciei illius labem offundunt. 3. Quantumvis veniales hæ sint noxæ, illæ tamen in hac, alteraque vita severe puniuntur.

IV. 1. Crimina sunt, quorum habitum contrahere periculosissimum est. 2. Levia sunt crimina, quæ ad majora, gravioraque committenda promptiores, & audaciores nos faciunt. 3. Crimina sunt, quæ negliguntur, sed quæ inimico salutis nostræ robur addunt, & animum.

V. Veniale peccatum est dispositio, ac transitus ad peccatum mortale. 1. Quia peccator levia iterando crimina, metum abjicit, quo a gravioribus deterretur, & hoc pacto a levibus gradum facit ad gravia. 2. Quia charitatis fervore tepescente vicissim tepescit erga peccatorem Deus, suasque retrahit gratias, quibus anima fulciebatur, & prohibebatur, ne in deteriora prorumperet. 3. Quia dæmonis ars est, nos primum ad minora sollicitare peccata, ut deinde in graviora facilius labamur.

VI. Veniale peccatum sub duplici, eaque diversa ratione potest considerari. 1. Ratione Dei, qui læditur; ubi illatæ eidem contumeliæ magnitudo ostendenda est: 2. ratione hominis, qui imbecillior fit, ac ad malo, & tentationibus resistendum ineptior.

VII. In hoc unice immorari possumus, ut venialis peccati gravitatem ostendamus: 1. Gravitatem quoad Dominum, cui famulamur, pro virili aliquam assequentes ideam magnitudinis, potentiæ, bonitatis, ac multitudinis beneficiorum ejus; unde inferri potest, veniale peccatum, quantumvis leve videatur, esse tamen rebellionem, ingratitudinem, & injustitiam, quam erga Deum committimus. 2. Gravitatem quoad subjectum, pro quo eum lædimus; si enim de vita nostra, de bonorum, honorisque jactura ageretur, omnia sacrificare teneremur, potiusquam vel minimam noxam committeremus; multo vero magis cum de nihilo agitur, cum levem aliquam curiositatem, vel affectionem explere volumus. 3. Gravitatem quoad modum, quo eum lædimus; etenim nos hæc peccatorum genera committimus sæpe per habitum, sæpe libere, nonnunquam data opera, cum voluntate, coram Deo, sine ulla legum, & mandatorum illius observantia.

VIII. Quamvis peccata venialia mortem animæ non afferant, ubi intra ordinem, gradumque venialium peccatorum consistant; attamen triplici ratione nos in salutis nostræ discrimen adducunt: 1. Suo videlicet numero, ac multitudine, quæ Deum provocat ad iracundiam, efficitque, ut Deus suas subtrahat gratias, atque subsidia in urgentibus occasionibus, in quibus hostili tentatione superamur. 2. Affectu erga quædam peccata, & in quadam materia, quæ justum suppeditat ambigendi argumentum, utrum quod veniale dicimus, mortale sit. 3. Difficultate, qua nosmet intra venialium peccatorum fines continere possumus, quia eos transiliamus cancellos, qui venialia a mortalibus discriminant.

IX. Tria in venialibus peccatis maximopere sunt metuenda. 1. Eorum numerus, & multitudo, cum sine metu, & data opera aggloinerantur; Deus enim suas subtrahit gratias, atque sensim, prout peccata multiplicantur. 2. Districta ratio, quæ extremo judicii die erit reddenda; *De verbo otioso rationem reddent in die judicii.* Matth. 12. 3. Vis, hæc est impressio, quam faciunt in nobis; nos inclinant, efficiuntque, ut in periculosis occasionibus superemur.

X. Pro argumento, ac partitione concionis duplex potest duplex hæc veritas quam solidis probare argumentis facillimum est.

Prima est; difficillimum esse, in gravia peccata non labi eum, qui levia contemnit. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19.

Altera; qui vel levia timet crimina, nunquam in majora decidere.

XI. Veniale peccatum efficit, ut magna amittamus bona, singularem Dei protectionem, blanditias, & consolationes Dei. 2. Magna nobis in hac, alteraque vita mala, pœnasque adfert. 3. Ad graviora etiam disponit, videlicet ad mortale peccatum, quod reapse malorum omnium est maximum, & reliquorum origo.

XII. Quemadmodum verum est dicere, veniale peccatum medium esse inter summum malum, quod peccatum mortale est, & reliqua mundi mala; tres inde veritates inferri possunt, quæ justum ejusdem metum nobis parere possunt.

Prima est, quod cum inter duos hosce terminos medium teneat, ideo post mortale peccatum, maximum est, quod inveniri possit, malum; quod illius nequitiam, & gravitatem nobis ostendit.

Altera est, quod transitus est ab uno ad alterum, tanquam via, quæ inter duas interjacet urbes, ideoque eorumdem est communicatio. Quod nobis ostendit, cuinam periculo nosmet objiciamus, illud sine ulla præcautione committentes.

Tertia denique; quod si minus est integra animæ separatio Deo, uti est mortale peccatum, quod absolute infringit amicitiam, quam ille nobiscum contrahere dignatur; saltem obstaculum est gratiis, & favoribus ejus, prohibetque, ne arcto illi vinculo adhæreamus; quemadmodum, quidquid inter extrema duo locum tenet, prohibet, ne mutuo tangantur; quod perniciosissimos ejusdem effectus ostendit. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tom. 3. argumentorum particularium.*

PARA-

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *Tract.* 12. *in Joannem* levia peccata guttis aquæ comparat, quæ multiplicatæ ingentes fluvios componunt, & arenæ granis, quæ opprimunt, cum in cumulum glomerantur.

Idem *in Epist.* 12. *ad Seleucianum* iisdem comparationibus utitur.

Idem *lib.* 50. *Homil. Homil.* 50. ostendit, quantum displiceant Deo hujusmodi peccata.

Idem *l. de Sancta Virginit.* docet, neminem levibus peccatis, quæ nostram fallunt vigilantiam, immunem esse.

Idem *l.* 2. *de peccatorum meritis, & remissione* hoc ipsum ostendit, & fusius adfert rationes.

Idem *in Psalm.* 39. Hæc explicans verba: *Super capillos capitis mei multiplicatæ sunt iniquitates meæ;* ait hujusmodi peccata numerari non posse; tantus eorum numerus est.

Idem *in Enchirid. l.* 8. *c.* 79. docet, non deesse peccata, quæ levia videntur, & in oculis Dei magna sunt.

S. Gregorius *Pastor.* 3. *part. admonit.* 34. ostendit venialia peccata sæpe gradum esse ad mortalia; & quantum vigilantia evitanda sint.

S. Gregorius Nazianzenus *in Orat. de fuco* ostendit levia in religiosis crimina magis deformia videri, quam gravia in sæcularibus.

S. Bernardus *serm. de triplici custodia* hoc ipsum docet.

Idem *in Serm. de eo, quod legitur in Job, in sex tribulationibus* &c. ostendit, quantam severitate in altera vita punientur peccata venialia, quæ in hac expiata non fuerint.

Idem *Serm.* 1. *in Convers. S. Pauli* ostendit peccata, quæ data opera committuntur, & in quibus corrigi nolumus, blasphemias esse contra Spiritum sanctum.

S. Basilius in oratione *de Peccato* fusius probat, quædam peccata, quæ levia a nobis creduntur, coram Deo esse gravia.

Idem homilia septima ostendit difficultatem sanandi eum, qui credit, & dicit, se venialia tantum peccata committere.

S. Hieronymus in epistola, qua amicum quendam in divinæ legis scientia erudit, docet, superbiam, & præsumptionem esse levia peccata negligere; & eorum adfert exempla, qui in hac vita severe ob eadem puniti fuerunt.

S. Ephrem *tract. de Virtutibus, & vitiis C. de Intemp.* etiam, atque etiam hortatur fratres suos ad levium criminum fugam.

S. Chrysostomus *Hom.* 12. *in cap.* 7. *ad Rom.* ostendit artem non decidendi in gravia peccata esse evitare minora.

Idem *Hom.* 8. *in primam epist. ad Corinth.* ostendit periculum, quod minimorum criminum negligentiæ adjacet.

Idem *Hom.* 60. *in Genes.* loquitur de pœnis, quibus levia peccata in altera vita puniuntur.

Cæsarius Arelatensis *Homil.* 29. de veniali peccato verba facit.

Richardus a S. Victore 1. *part.* agit de venialis, mortalisque peccati discrimine.

Ascetici scriptores.

Gerson *part.* 2.

Granatensis tractatu de oratione, & meditatione cap. 3. §. 1.

P. Gaudier *lib. de perfect. natura, & causis sect.* 2. *cap.* 13. *& seq.*

Alphonsus Rodriquez *tract.* 1. *cap.* 9. *&* 10.

Jacobus Alvarez *de Exetinct. vit. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *& seqq.*

Franciscus Arias *tomo* 2. *cap.* 8. *& seq.*

Nicolaus Lancicius *Opusc.* 16. per totum.

Bernardinus Rossignolius *lib.* 2. *de discipl. relig.*

P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur: *Les Conduites de la Grace*, part. 2. tract. 6.

P. *Saint Jure* libro tertio de cognitione, & amore Domini nostri cap. 3.

Hortus Pastorum *lect.* 8. *de Orat. Domin.*

Moralis Christiana *lib.* 7. *sect.* 1. *art.* 9.

Abbas Trappensis tomo 2. de vitæ monasticæ officiis cap. 7. quæst. 3.

P. Nepveu in christianis considerationibus tomo 1. pro die 9. Februarii.

Idem tomo 2. pro 14. Aprilis, & nona die Junii.

Idem etiam in recessu.

P. Donenne in morali Jesu Christi, ubi de rerum minimarum loquitur cura.

Præter Theologos, & Casuistas, qui hoc pertractarunt argumentum, plurimi de eodem loquuntur, præsertim illi omnes, qui de solitudine, & recessu scripserunt. De Sancta Martha primo operum tomo amplum habet hujus argumenti tractatum.

Nuperi Concionatores.

Mathias Faber *in Dom.* 4. *post Pentec. tom.* 2.

In collectione orationum Gallicæ Academiæ oblatarum anno 1701. quinque sermones invenies de modicarum rerum negligentia, ubi sermo quoque est de levibus, & venialibus noxis.

Engelgrave *Dom.* 6. *post Epiph.*

P. Girouft, & P. Bourdalove in Quadragesima sermonem habent de rebus minimis, ubi fusius de veniali peccato loquuntur.

Massillon sub titulo rerum modicarum.

Joly peculiarem habet de veniali peccato concionem.

P. Valois tomo 4. operum vehementem habet hujus argumenti adhortationem.

Auctor actionum christianarum tomo primo.

P. de la Colombiere tomo 3. sermonem integrum habet.

Lambert Doctor Sorbonicus in sermonibus Ecclesiasticis serm. 24. loquitur de vitæ ecclesiasticæ perfectione.

Auctor sermonum christianorum in 24. Dominicam post Pentecosten pars. 4. loquitur de peccato veniali.

Auctor sermonum moralium.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta tomo 3. argumentorum particularium.

Qui collectiones ediderunt.

Ludovicus Granatensis in Sylva locorum communium tit. *peccatum veniale.*

Summa Prædicantium eodem titulo.

Peraldus tomo 1. c. 15., & tomo 2. cap. 26. ubi de quinque rebus loquitur in veniali peccato metuendis.

Busæus in Panario.

Labatha titulo peccatum.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

D*Elicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Ps. 18.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Ps. 37.

Non est homo qui non peccet. 3. Reg. c. 8.

Septies cadit justus, & resurget. Prov. c. 24.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. 19.

Qui timet Dominum nihil negligit. Eccle. 7.

Ostende mihi quantas habeo iniquitates. Job 13.

Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. 12.

Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. 16.

Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit. 1. Ad Corinth. 3.

Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Ib.

In multis offendimus omnes, Jacobi 3.

Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit. Ibid.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. Apocal. 21.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento deprompta.

Pœna uxoris Loth pro levi inobedientia.

CUm Angelus Domini eduxisse Loth, uxorem, filiasque ejus e Sodoma, quam Deus igne de cœlo dimisso in cineres erat redacturus, cumque illis prohibuisset, ne post terga respicerent, ut quid in horribili ea conflagratione contingeret, intuerentur; vix illi ex urbe pedem extulerant, cum cœlum tonat omne fragore, fulgura micant, tonitrua murmurant, sulphureique ignis descendunt turbines, ac auditur rumor terribilis per totam civitatem, quam innocentes profugi reliquerant. Uxor Loth perterrita, atque per eam levitatem, quæ sexus illius communis est, oblita imperii, quod ab Angelo acceperat, ne retrospiceret, audiensque stridorem, impetumque flammatum permixtum clamoribus eorum, qui viventes adhuc flammis erant devorandi, convertit caput, ut, quod post se fieret, cognosceret. Sed hoc terroris spectaculum videre cupiens, ipsa facta est spectaculum terribile: repente enim immutata fuit in statuam salis, quæ fuit tamquam æternum monumentum, ut ait Scriptura, quo edocerentur mortales, cui sese objiciunt, cum sibi persuadere nequeunt, noxam, quæ levis videtur, gravibus pœnis iri punitum.

Cum Scriptura loquitur de bello, quo Ismael, & Isaac adhuc pueri secum certabant, ait hunc ludum fuisse, ideoque satis innocens bellum. Sara quoque ita esse existimabat; attamen id pati noluit, impulitque virum suum Abraham, ut utrumque, matrem scilicet, & filium ejiceret domo: cui assensus est Abraham prævidens futurum, ut aliquando illi ultro citroque crudelius sibi bellum inferrent: id, quod tunc non aliud erat, quam ludus, non semper tale futurum, & modicum illud odium, quo Ismael fratrem suum persequebatur, temporis progressu graviora mala pariturum. Hoc illud est judicium, quod de peccatis venialibus ferendum est. Ludi sunt, si ludus vocari potest ille, quo Dei sanctitas læditur; cæterum ludi sunt, qui habendi sunt tamquam eorum malorum omnium præsagia, in quæ annorum decursu labimur; tamquam Ismaeles Isaacum lacessentes, & nisi de cordibus nostris ejecerimus illos, sese ad eum suffocandum disponunt, sub prætextu ludi parum noxii, & quem culpa vacare censemus.

Moyses, & Aaron pro levi diffidentia puniuntur.

Murmurarunt in deserto Israelitæ, quod Deus illos siti enecaret, ac nescientes ubi haurire possent aquam, ad Moysem, & Aaronem confugerunt; hi vero ad Deum, qui rupem illis ostendit, præcepitque Moysi, ut illam sua virga percuteret, atque inde eliceret fontem, quo populi sitim expleret. Moyses indignatus, quod rebelles illi nimis ipsum sollicitaverant, & multo magis, quod de ipso diffiderant Deo post tot prodigia, quæ in gratiam suam facta conspexerant, ipse quoque diffidit Deum ex ea rupe fluvium elicere posse, eamque bis percussit, cum semel tantum esset percutienda. Permisit Deus levem hunc lapsum ut magnus hic Dei servus hominem se esse intelligeret, sed corripuit illum, immo cum Aarone fratre ejus criminis consorte puniit, prohibens ne in promissam terram, pro qua tot labores sustulerant, pedem inferrent. Quia uterque me offendistis, ait illis Deus, in deserto Sin, cum populus universus contra me murmuravit, & quia in adeo præclara occasione me non sanctificastis, atque de bonitate mea diffidistis, in terram, quam filiis Jacob daturus sum, non ingredimini.

Bethsamitarum cædes eo quod nimia curiositate, & modica reverentia Arcam fœderis aspexerunt.

Qui nescit quanto steterit impendio Bethsamitis levis curiositas? Postquam caruerunt Arca fœderis septem mensium intervallo, quo apud Philisthiim permanserat, illam tandem receperunt, & quod illam curiosius dumtaxat, & fortasse uberiori gaudio adspexerunt, Deus de populo hoc ultra quinquaginta virorum millia percussit. Et alia vice cum hæc eadem Arca de loco in alium transferretur, dignius collocanda, atque periculum esset, ut in terram laberetur eo, quod jumenta, quibus plaustrum vehebatur, calcitrarent, Oza insignis vir, qui ducebat illud, eam nutare videns admota manu sustinuit. Credendum est hoc ab eo factum non ea cum reverentia, quæ opus erat; eumque non satis religiosum fuisse in hac actione, quæ aliquam temeritatis speciem præseferebat; Deus enim statim illum percussit toti populo exemplum futurum.

Quanti steterit Davidi modica vanitas.

David scire vult numerum subditorum suorum: putant alii, ob aliquem avaritiæ sensum, ut illis tributum irrogaret, alii vero ob aliquam prudentiæ, sed nimis humanæ speciem, ut videret, quot in arma vocare posset viros, si necessitas aliqua irrueret; alii vero probabilius ob aliquam jactantiam, inanemque gloriam, ut sciret, in quot capita suum exerceret imperium, quot homines a suo nutu penderent; sed omnes consentiunt, ipsum eo in facto venialiter tantum peccasse. Deus tamen, quin flecteretur precibus ejus, & criminis sui confessione, optionem illi fecit, ut famem, aut bellum, vel pestem eligeret. Et quoniam princeps hic submissus, & humiliatus Deo integrum reliquit, qua mallet, ipsum pœna mulctare, accendit in Israele universo Deus pestem, quæ illum vastavit, atque trium dierum spatio septuaginta animarum millia sustulit.

Alia pœnarum exempla, quas reposcit Deus ob peccata, quæ levia videbantur.

Si de gravitate, quæ in minoribus peccatis invenitur, judicium ferre possumus ex severitate, qua scimus Deum in altera vita eadem puniturum, hoc etiam conjicere liquet ex eo rigore, quo illa in hac quoque vita puniit. In decimoquinto libri Numerorum capite legimus, quosdam Israelitas in deserto cum hominem offendissent sabbatho ligna colligentem, cum statim vinctum ad Moysem, & Aaronem adduxisset, qui in arctum carcerem conjecerunt illum, donec Deum consulerent, qua pœna esset afficiendus; Deumque Moysi imperasse, ut homo ille de viventium numero exturbaretur, atque a militibus omnibus lapidibus peteretur. Statim e carcere eductus, lapidibusque obrutus fuit ab omni multitudine sancto animata zelo, ut ultionem sumeret ejus criminis, quod nonnisi leve esse poterat. Maria soror Moysis fratris sui consilium improbat, & murmurat: in cujus licentiæ pœnam lepra illi statim toto corpore adhæsit. Propheta quidam a leone discerptus fuit; quod amico, a quo ad prandium invitatus fuerat, complacuit. Duo, & quadraginta pueri ab ursis dilaniati fuere, quod irreverenter Eliseum exceperunt. Sed quis non mirabitur videns Regem Ezechiam suis privatum thesauris, quod aliquem habuit inanis gloriæ sensum eos Assyrii regis legatis ostendens? Sexcenta alia nobis in sacris Bibliis suppetunt exempla similium punitionum ob ejusdem generis noxas.

Novit Dæmon sensim corrumpere Judam ex ipsa Jesu Christi societate, eique immittere nefarium consilium prodendi divinum Dominum suum, & magistrum. Quodnam discrimen inter virtutem Apostolo dignam, & hoc sceleris portentum, quod exemplo caruerat, & cui nullum simile futurum est? Sed nihil dæmoni est impossibile, ubi suppetias illi fert nostra mollities, ac Judam ab avaritia ad furtum, a furto ad sacrilegium inducens, eum veluti per gradus ad deicidium usque perduxit. Et nonne quotidie nos etiam in vias easdem impellit? Primum nil aliud est quam involuntaria cogitatio, quæ nostram attentionem prævertit, sed non multo post error est, qui nobis elabitur. Spiritualia peccata, quæ ipsi

dissimulamus, succedunt, ac post se trahunt exteriores prævaricationes, quarum improbitas, ac numerus semper augentur. Denique tentationes cum desideriis consentiunt, & opus iniquitatis perficiunt.

Minæ, quas fulminavit S. Petro intentavit ostendunt quantopere displiceat Deo vel minima inobedientia.

Dei filius melius ostendere non poterat, nihil sibi antiquius esse obedientia, quæ sibi in minimis etiam præceptis adhibenda est, quam per terribilia verba, quæ dixit Sancto Petro: nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Non dico, Sanctus Basilius ait, modo causam, propter quam ex ipso Jesu Christi ore adeo terribiles minas audiit, non fuisse negligentiam, aut contemptum divini magistri sui, & resistentiam, qua illius obluctabatur imperiis, effectum fuisse suæ erga illum observantiæ: sed peccatum erat, quantumvis leve, detrectare illi obedientiam hac in re, & Salvator illi ostendere voluit, cuinam nosmet objiciamus periculo per leves noxas, quas temere, & sine animadversione committimus.

Nemo nescit, quanto Ananiæ, & uxori ejus mendacium steterit. Quin arcta necessitate bona sua Ecclesiæ tradere tenerentur, eorum partem ad Sanctum Petrum ferunt, alteram vero sibi reservant; sed hanc sibi reservantes utuntur dissimulatione, atque persuadere cupiunt Apostolo nihil esse reliquum sibi. Hoc satis est; his auditis Apostolus Dei viventis nomine profert in illos mortis sententiam, quæ nulla interjecta mora adimpletur. Addit Scriptura pœnam hanc adeo celerem, severamque incussisse terrorem in omnium fidelium corda, & effecisse, ut minima etiam peccata metuerentur. Utinam tot aliæ supplicia nobis eumdem metum incutiant.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Quid dici possit Isaia, qui eo quod levia neglexere peccata in graviora sunt lapsi.

QUomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? Isaiæ 14. Non defuerunt in hominibus sanctitate, ac virtute præstantibus mutationes, quæ nos replent formidine, quotiescumque ad illas animum advertimus; atque non sine stupore legimus in religiosissimis etiam ordinibus non defuisse apostatas, & sanctos, qui in dæmones conversi fuerunt. Mutationes hujusmodi nonnisi a levibus initiis profectæ sunt, quæ neglecta fuere, & levia crimina sensim illos in malorum omnium gravissimum impulerunt. Libenter ex illis quærerem, quod in Scriptura ex Angelorum principe Spiritus Sanctus: *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* Tu, qui tamquam unum ex altissimis cæli syderibus nites, quomodonam cecidisti? Ubinam sunt hæc virtutis principia, quæ adeo profunde tibi in anima erant impressa? Ubi religiosi illi sensus, qui omnem vitæ tuæ rationem regebant, atque animabant? Videbaris invulnerabilis, & sexcentis vulneribus, iisque mortiferis confossus es: *Quomodo cecidisti?* Si bona fide homines illi vellent respondere, faterentur omnes, se ad hæc extrema a levibus processisse criminibus, quæ primum quidem culpa vacare putabant, & quorum funestissimos exitus non præsentiebant.

Optima ratio peccati mortalis evitandi est sibi a venialibus cavere.

Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari... & facta est pluvia grandis. 3. Reg. c. 18. Veniale peccatum in hoc simile est nubeculæ Isaiæ Prophetæ, quæ brevi temporis intervallo cælum totum cooperuit, omnesque agros inundavit; quæ causa fuit, ut simulac illam assurgentem videret, regi diceret, ut instructo curru statim abiret, ac imminentem fugeret tempestatem. Hoc pacto contra peccatum nobismetipsis præcavere debemus; expectandum non est, donec ingens concreverit nubes, jamjam in imbrem solvenda. Expectandum non est, donec in mortale peccatum lapsi fuerimus, ut illud fugiamus. Nubes spectanda est, cum adhuc est exigua, fugiendumque veniale peccatum, tamquam sævæ tempestatis præsagium. Pepigi fœdus cum oculis meis, Job inquit, ne aditum præbeant in animam meam mortalis pulchritudinis imagini, quæ illam ad peccatum excitare posset; innuens oculorum conjectum, qui venialis dumtaxat est, esse veluti ignis scintillam, qua homo totus potest conflagrare.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Joann. 2. Per venialia peccata, quæ non metuimus, quia ea nequaquam periculosa censemus, dæmon nos in graviora impellit flagitia. Eodem fere modo operatur, quo homines, de quibus loquitur Evangelium, qui in conviviis suis initio optimum apponere vinum consueverunt, ne convivæ semel inebriati dignoscant deterius, quod deinceps affertur. Dæmon igitur statim quibusdam venialibus nos inebriat peccatis, quibusdam voluptatibus, affectionibus, quæ nobis contemnendæ videntur, & in quas eo facilius impingimus, quo a gravi crimine eas remotiores existimamus. Hoc bonum vinum appellari potest; sed cavete, ne illud vobis propinet, ne aliquando inebriati non agnoscatis graviora peccata, voluptates, & illicitas affectiones, quas nobis in finem reservat.

Consuevit Dæmon ad mortale peccatum nobis viam sternere per veniale.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Joann. 11. De eo, qui leve aliquod, & veniale crimen committit, id dici potest, quod de Lazaro Evangelium; morbum ejus primum non aliud fuisse, quam languorem, languorem autem hunc lethargico somno exceptum fuisse, & hunc tandem in mortem desiisse. Primum quidem levis est infirmitas, quæ negligitur, & quæ nullum funestum exitum habitura censetur; interim morbus augetur, imminuuntur vires, atteritur valetudo, & eo quod malum initio neglectum fuit, sensim adducit ad tumulum. Numquid ignis scintillam in ea lapsam nutrimenta, quæ facile comburuntur, negligeres? Prava cogitatio hanc in corde tuo invenit dispositionem; cur illam contemnis?

Peccatum veniale sensim nos adducit ad mortale.

Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. 1. ad Corinth. c. 3. Apostolus hoc in loco duo fidelium indigitat genera, qui super eodem ædificant fundamento, sed longe diversa utuntur materia; primi quidem ex auro tantum, argento, lapillisque pretiosis extruentes nil habent, quod timeant, quoniam eorum nulla re quatietur ædificium: alii vero qui ligna, fœnum, stipulamque adhibuerunt, quæ materia est non satis solida, ut igni resistat, aliquod patientur detrimentum, quod non prohibebit tamen, quominus, licet per ignem traducta, salvetur. Hoc naturaliter significat, etiamsi aliqua subeunda sit pœna, damnationem tamen evitatum iri. Itaque imperfecta hominum opera, alicui obnoxia defectui, vel prava per ligna, fœnum, stipulamque repræsentata, quæ quidem materia combustibilis est, proprie sunt venialia peccata, quæ aliquam pœnam quidem merentur, sed minime damnant.

Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Osee 10. Post contractum alicujus venialis peccati habitum inficiari nemo potest, cor hoc esse divisum. Dicimus quidem a nobis amari Deum, & nolle nos quocumque pretio eum lædere mortali crimine: sed nobismet reservamus jus hanc, vel illam voluptatem carpendi, quamvis in ea peccatum non desit, sed leve tantum, ac venia dignum. Hoc sane est infinitam, supremamque numinis majestatem contemnere, ac per summam indignitatem negligere; quandoquidem toties per Prophetas suos testatus est Deus, se cor dimidiatum respuere, totumque deposcere, & sibi contumeliam afferri ab eo, qui affectionum suarum partem mundo, creatisque rebus reservat. Ipsi vero quid aliud facimus per habitum, & affectum, quo levia peccata fovemus, quæ nullius esse momenti volumus, quia per illa gratiæ jacturam non facimus? Corde saltem, sin minus ore, dicimus Deo;

Veniale peccatum dividit cor nostrum inter Deum, & creaturam, quamvis non tollat charitatem.

suffi-

sufficit; quod propter ipsum facio; nil ultra conari possum. Nonne metuendum est, ne in secreto judicio suo de nobis dicat Deus: Homines isti partem duntaxat amoris sui mihi volunt impendere, alteram pro mundo reservantes. Huic, per me licet, totum suum amorem tradant, cor dimidiatum mihi non placet.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Ista levia noli contemnere; si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. Augustinus tract. 1. in Epist. Joan.

Nullum peccatum adeo parvum, quod non crescat neglectum; non enim considerandum est quid feceris, sed quem offenderis, quam bonus est, quam benignus, quam pius. Aug. de pœnit.

Nolite contemnere venialia, quia minima sunt; sed timete, quia plura sunt. Idem, lib. de decem chordis.

Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Idem, conc. 1. in Psal. 58.

Tu ne leve dixeris unde offenditur Christus, unde ad Dei judicium pertrahi habes; numquid grave damnum est, etiamsi non pereas, vacua nave ad portum venire? Idem, sermone 29. super Cant.

Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam magna perpetramus. Greg. lib. 10. Moral. c. 14.

Qui minima peccata flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus, totus cadit. Idem, 3. p. Past. admonit. 34.

Dum per levia delicta deflectimus, usu cuncta levigante, non timemus postea graviora committere. Idem, lib. 10. Moral. c. 14.

Scelus nonnisi magnum peccatum dicitur, peccatum etiam quod leve est nominatur. Idem, l. 6. in Reg.

Vinca maxima vincendus a parvis; ardua indefessus exupero, & ad plana ignavus deficio. Hieronym. Epist. ad Demetr.

Mens Christo dedita æque & in majoribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro verbo reddendam esse rationem. Hieronym. Epist. ad Heliodorum.

Sancta Paula Romana levia peccata ita planxit, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Idem, Epist. 27. ad Eustochium.

Nescio an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat quod jussum est, quam quis jusserit, neque quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. Sanctus Paulin. Epistol. 14.

Non facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentesque conflictus, etiamsi sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere. S. Leo, sermone 4. de jejunio decimi mensis.

Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. Chrysostomus in cap. 7. ad Romanos.

Cavete ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Bernard. serm. 1. in Convers. S. Pauli.

A minimis incipiunt, & in maxima prorunnt. Idem, de ordine vitæ & mor.

Qui ut filius, & non ut servus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere. Basil. in procem. Regul. fuse disput.

Nullum sit omnino erratum, quod parvi pendas. Idem, de abdicat. rerum.

Timenda ruina multitudinis, etsi non gravitatis. Guill. Paris. lib. de virt. cap. 23.

Quemadmodum ad virtutis tendentes culmen non a summis inchoant, sed a modicis, ut sic sensim ad altiora pertingat; ita qui dilabuntur ad vitia, non statim a magnis criminibus incipiunt, sed a modicis assuescunt, & ad maxima prorunnt. Isidorus, de summo bono.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi possit.

Quid sit veniale peccatum.

UT hoc in argumento simpliciter, & sine ullo metaphoræ integumento loquar, peccatum mortale illud est, per quod de justitiæ statu decidimus; ideoque peccatum, quod nos de hoc gradu non dejicit, nobisque gratiæ vitam non aufert veniale duntaxat esse potest: quoniam remittendum est vel in hac vita, vel saltem in altera, cum mortale peccatum suapte natura damnationem mereatur. Docet S. Thomas 1. 2. qu. 88. art. 1. mortale peccatum veniali esse oppositum, eo quod mortale interiorem constituit defectum, qui certissime delet vitæ spiritualis principium, vel principium ordinis, quo ad extremum finem referimur; atque ita peccator non potest amplius ex semet consurgere, quia voluntas ejus in hoc statu omnino depravata est; & si consurgit, id exterioris alicujus principii ope accidit, hoc est gratia Dei, non autem per interius aliquod principium. Veniale peccatum e contra nonnisi in iis rebus, quæ ad extremum finem ordinatæ sunt, gignit perturbationem. Theologorum est, non autem concionatorum varias ad examen revocare sententias, in quas hac de re abeunt Scholastici: satis est scire, peccatum licet veniale esse Dei offensam, unde sequitur primo hoc esse contemptum supremæ illius majestatis, ingratitudinem erga infinitam ejusdem bonitatem, abusum indignum omnipotentiæ ipsius, resistentiam sanctæ voluntati ejus, gloriæ ejusdem diminutionem. Secundo verum est, hanc non esse ab extremo fine aberrationem, sed viam, quæ ad errorem adducit; hanc non esse cum Deo inimicitiam, sed amoris teporem, qui sæpe ad inimicitiam adducit; non esse gratiæ jacturam, sed magnum ejusdem subeundæ periculum; non esse essentialem animæ infidelitatem erga Deum, qui sponsæ nomine illam appellat, sed frigus, & negligentiam, quæ illum offendit, eique infert injuriam; utque omnia verbo complectar, peccatum veniale est actio, quæ displicet Deo. Tertio huic sequitur, hoc gravius esse malum, quam omnia simul collecta creaturarum mala: hinc Sancti millies vitam suam mallent amittere, quam de industria unicum veniale peccatum committere; hinc salva conscientia ne minimum quidem proferri mendacium potest, ex quo ad Deum cumulatissima redundaret gloria; & creata omnia secum praelate actum cogitare deberent, si pro levissima veniali noxa prohibenda vitam ipsa suam possent impendere.

Tria sunt habitualium peccatorum genera.

Tria considerari possunt peccatorum venialium habitualium genera. Prima peccata sunt affectionis, quorum non propensio tantum, verum etiam servatur affectus non sine animo in illis, ubi semel patrata fuerint, perseverandi. Secunda sunt peccata imbecillitatis, quæ committimus acti potius corruptæ naturæ, vel pravi habitus vi, quam plena, integraque voluntate. Tertia vocari possunt peccata necessitatis, non quod sine libertate patrentur, sed hoc tantum innuere volunt Theologi, quantumvis nullum sit crimen, quod singillatim divina ope suffulti evitare non possimus, tanta nihilominus est humana fragilitas, ut moraliter fieri nequeat, omnia simul a nobis evitari, nisi in gratia confirmati fuerimus, quod Deiparæ contigit.

Variæ eorū affectiones qui venialia peccata committunt.

Affectiones eorum, qui venialia peccata committunt, tam variæ sunt, quam ipsa peccata. Qui ex affectu venialiter peccant, omnino salvari volunt, & hanc

hanc prætexentes causam, quod videlicet venialia peccata per se neminem damnant, sexcentis humanis oblectamentis carere nolunt, quibus indulgere nequeunt, quin Deum leviter lædant; qui renuunt eam sibi vim facere, quæ ad illa evitanda opus esset, & adniti, ut omnes eorum fugiant occasiones; sed illa de industria, consulto, ac citra quemlibet conscientiæ stimulum patrant. In levibus hisce criminibus callum ducunt, erroneam sibi conscientiam concinnant, ne his perturbentur, sibimet persuadentes aliter vitam duci non posse, & se nullum, vel levissimum subire periculum hoc pacto viventes. Quod spectat ad eos, qui venialia per infirmitatem peccata committunt, licet magno in numero, hi tamen verum fovent desiderium progrediendi in virtutem, majoremque in dies perfectionem acquirendi: sed sunt adeo imperfecti, tantam habent erga sensibilia bona proclivitatem, affectus habent adeo vividos, adeo validos hujusmodi levium criminum habitus contraxerunt, ut sæpe labantur; quamobrem eorum peccata infirmitatis peccata possunt appellari. Tertii sunt animæ sanctæ, quæ semper magna in innocentia vixere, quæ tamen ex inopinato aliqua venialia peccata committunt. De triplici hoc personarum genere aliter judicium ferendum est, ac diversa illis sunt documenta tradenda.

Effectus peccati venialis.

Veniale peccatum teporem, ut ita dicam, in Dei cor immittit: hoc est, efficit, ut non habeat Deus pro anima, quæ illi placere negligit, peculiarem eam providentiam, quam erga fideles animas habet, neque peculiarem curam, qua eas a periculis arcet, & tentationes vel prohibet, vel imminuit. Secundo non communicat Deus secreta sua tepidis, frigidisque animabus, neque peculiares illis concedit gratias, cujusmodi sunt spiritus orationis, atque unionis cum ipso, abundantia consolationum, quam sequitur mirabilis rerum divinarum gustus, ac magna facilitas pro omnibus interioris vitæ exercitiis: demum certa quædam moralis certitudo ipsis Dei gratiam adesse. Tertio eas privat vivis luminibus, validisque gratiis, sine quibus tentationibus paulo vehementioribus numquam resistent: cum enim hæ gratiæ sint bonitatis, & non communis liberalitatis effecta, eas numquam elargietur illis, qui secum, ut ita dicam, altercantur, ac sese in iis continent, quæ ni fecerint, in mortale facinus incidant. Quarto considerandæ sunt pœnæ, quas ab illis in hac vita, sed præsertim in purgatorio deposcit; quæ infernis suppliciis nihilo minores sunt; etenim has animas, quas diligit, & a quibus unice diligitur, projicit a conspectu suo, donec vel unius venialis peccati labe fœdatæ fuerint, quæ si illis in omnem adhæreret æternitatem, eas in æternum projiceret.

Quantum dedecus afferat Deo veniale peccatum.

Deum unico veniali peccato majori afficimus contumelia, quam sanctissimæ quælibet, heroicæque actiones eidem afferant honorem. Dei magnitudo, infinita, quæ inter ipsum, ac nos interjacet, distantia plurimum deterit magnitudinis boni illius, quod propter ipsum operamur; & infinite auget magnitudinem mali, quod contra ipsum audemus. Cum illi servimus, id facimus, quod debemus, ac semper multo minus, quam debemus, ac infinite minus eo, quod ille meretur: & quamvis omnia fecissemus, adhuc fateri teneremur, nos inutiles esse servos: sed cum illum offendimus, infinitas negligimus obligationes, propter quas illi servire, eique placere tenemur, ideoque ingratitudo nostra fit quodammodo infinita, eique magis unica veniali noxa displicemus, quam illi præclaris quibuslibet in ipsum meritis placere valeamus.

Venialis peccati gravitas.

Quamvis peccatum veniale sit, semper tamen est peccatum, & injuria illata divinæ majestati, cui tantum debemus amorem, ac reverentiam, ut licet de omnium hominum salute ageretur, non liceret tamen vel minimum crimen committere. Neque dixeris, Dei magnitudinem nequaquam pati, ab eo minimarum etiam rerum haberi rationem; etenim multominus patitur, eas a nobis contemni, cum ab illo imperantur. Credereſne, nequaquam licere vel unicam id genus negligentiam committere, ut mundus integer converteretur; atque tantum hoc bonum nequaquam par futurum huic malo, quod vocas exiguum? Disce ex Sancto Bernardo, ad labem hanc abstergendam divino opus fuisse cruore, eaque non abstersa nemini licere in regnum cœlorum introire. Verum est, nos per hoc peccatum nequaquam sanctificante gratia privari, uti neque charitate, cujus fervorem dumtaxat, & perfectionem imminuit, sed contristat Spiritum Sanctum, ut Apostolus inquit, tenebris conscientiam replet, prohibet, ne anima in virtutis viam progrediatur, ac sensim eum, qui illi assuevetit, in mortale peccatum impellit. Adde his, nihil pollutum in cœlestem Jerusalem esse; unde necessario inferendum est, nisi venialia peccata hoc in mundo fuerint deleta, animæ, quæ illis fœdata fuerit, in Purgatorio debitam ipsis pœnam esse perferendam.

Venialia committentes facilius ad graviora gradum faciunt.

Quamcumque corruptionem cordi, mentique nostræ originale peccatum injecerit, ibi tamen rationis, & rectitudinis reliquias, & semina reliquit, quæ efficiunt, ut gravia semper in aliis delicta damnemus, nobisque horrorem ciendo absterrent, ne ea committamus. Sed familiaritatem cum veniali peccato ineuntes, quod aliquam semper cum lethali rationem habet, sensim, & sine sensu huic etiam consuescimus. Primum quidem non adeo illud perhorrescimus; mox vero illius etiam timorem paulatim abjicimus; illud in aliis minus nobis incipit displicere; deinde omnem exuit horrorem, immo aliquam admittere videtur jucunditatem; tandem eo redigimur, ut sine difficultate, immo cum voluptate illud committamus. Hi sunt gradus, per quos vulgo in peccatum mortale homines decidunt.

Veniale peccatum aliquando causa nostræ reprobationis.

Non affero hoc in loco propositionem quorumdam Doctorum, qui Dei justitiam cum illius misericordia comparantes credunt, quemadmodum Deus suæ bonitatis effectu sæpe nostram prædestinationem adnectit actioni alicui parvi momenti, veluti scypho aquæ frigidæ in eleemosynam traditæ, posse etiam effectu justitiæ suæ reprobationem nostram veniali peccato adnectere; non quod propter veniale peccatum nos damnet, sed quia, ut puniat improbitatem hujus peccati, quod suam sanctitatem, & bonitatem offendit, permittat, ut in mortalia decidamus peccata, quæ ibi patraverimus, nos damnat. Hic doctrinam istam non explico, satis est dicere, quamvis Deus numquam reprobationem nostram veniali adnecteret noxæ, illum, qui hujus est reus, saltem plures amittere gratias, quæ sibi ad salutem essent perutiles; nos vero harum gratiarum jacturam facientes in peccatum mortale decidere, quæ animæ nostræ mortem parit, & interitum.

Dæmon de veniali peccato in mortale nos adducit.

Hac utitur ratione dæmon, ut in gravia scelera impellat. Cum illi persuasum sit, nos nequaquam iis assensuros, nec repente omnem vivendi licentiam arrepturos, efficit, ut veniali peccato sensim assuescamus, ut inde gradatim in mortale pertrahat. Ostendit ea, quæ ex nobis petit, reipsa modicum esse, quod modicum ubi semel illi concessum fuerit, suadet, quandoquidem id fecimus, quod nihil est, tantumdem etiam efficere posse, & malum nequaquam gravius futurum. Quibus addendum est, Dei justitiam, uti dictum est, non suppeditantem amplius vivida lumina, validasque gratias, sæpe priora peccata sequentibus punire, & minora majoribus; & eos, qui religioni sibi minime vertunt leves noxas, deinceps adeo laxam sibi concinnare conscientiam, ut haud ægre graviora crimina perferat. Hoc omnes Theologi innuere voluerunt, cum dicere, peccata venialia dispositiones esse ad

pecca-

peccatum mortale; etenim juxta illud Sapientis effatum, qui spernit modica paulatim decidet, itaut si malum, quod veniale nobis affert crimen, nequaquam nos ab eodem absterret, metuendum saltem sit periculum, quod imminet nobis: si enim periculum amaverimus, hoc est, nisi illud summa cura evitare conati fuerimus, in eo certissime peribimus.

Sciendum est, quædam esse peccata; quæ audacter dicere possumus nobis mortem inferre; alia etiam ita levia, ut affirmare possimus, hæc per se nonnisi venialia esse: sed inter hæc duo extrema maximum esse peccatorum numerum, quæ ad minimum mortale peccatum accedunt, nisi ad illud usque perveniant; qua de re aliquando plurimum ambigendum est; & quæ re ipsa mortalia peccata videntur, ubi plena, integraque voluntate in illa ferimur, cum dedita opera fiunt, cum amantur, eorumque patrandorum occasio perquiritur. Perfecti, qui nonnisi per amorem operantur, indiscriminatim evitare conantur, quidquid displicet Deo; sed quamplurimi infirmi sunt, quos æternarum pœnarum metu opus est deterrere, & qui venialia peccata nullo ferme habent in discrimine. Prodest istis plura esse peccata, de quibus merito dubitari possit, utrum mortalia sint, ut ea reformident, ne cadant; licentia quippe, quam eorumdem patrandorum sibi vindicarent, eos in periculum adduceret quamproximum in mortale peccatum labendi.

Omnia venialia peccata simul sub lecta unum mortale non possunt efficere.

Quamvis veniale peccatum vera sit Dei offensa, attamen alterius est speciei, & gradus ab offensa, quæ mortale peccatum est; quamobrem dicunt Theologi, decies centena venialium peccatorum millia alia aliis superaddita ad unius mortalis peccati gravitatem pervenire non posse, donec in venialium peccatorum classe, & gradu consistetint, eorumque objectum minime coalescit, ut mortale peccatum componat: quod accidit in iis, quæ ad justitiam pertinent, ubi centum exigua assis unius furta insigne proximo afferunt damnum; quamobrem simul coalescunt, ut mortale peccatum constituant, quod in actionibus aliis non accidit, quæ ad justitiam non referuntur. Qui contra communem Doctorum sensum aliter tenent, Sancti Augustini auctoritatem afferunt, qui passim inquit, venialia crimina aquæ guttis esse similia, quæ collectæ fluvios constituunt, vel minutis arenæ granis, quæ, cum magna sunt in copia, obruunt illum, quem tegunt. Verum cum omnes istæ similitudines aliqua in re deficiant, Sanctus ille Doctor non aliud significat, nisi quod veniale peccatum nos ad mortale disponit, atque tandem ad illud adducit.

Quid sentiendum de illis, qui a mortalibus pœnis uni-lum abstinere.

Quamquam extra omnem dubitationis aleam sit, venialia peccata, quocumque in numero sint, unicum mortale peccatum constare non posse; liquet tamen, idque omnes Doctores fatentur, eum, qui a nullo abstinere vellet, ac obfirmato animo quæcumque in re venialia crimina committeret, prout sese illi offerret occasio, jam mortale crimen committere, quoniam sese objiceret periculo mortalia patrandi peccata, ac mereretur, ut a Deo gravibus in occasionibus desereretur, ubi validis egeret gratiis, ne iisdem succumberet. Hoc ipsum de illis ferendum est judicium, qui abstinent a mortali, eo quod æternis in inferno pœnis punitur, & qui illud committerent, si temporalibus tantum pœnis Deus illud persequeretur; atque hanc ob causam in omnia venialium peccatorum genera ruunt. Hoc enim significat ipsos flocci facere Dei offensam, & injustitiam, dummodo inferni pœnas effugiant: atque ita non levis adest metuendi causa, ne qui præsto sunt, ut consulto, datâque opera peccent, dummodo peccatum veniale tantummodo sit, reipsa in horribili mortalis peccati statu versentur, sine amore Dei, atque justitiæ.

Quod ex natura sua mortale est, per accidens veniale esse potest.

Sciendum est tria absolute requiri, ut quacumque in materia mortale peccatum committatur; quorum si vel unum defuerit, peccatum, quod proculdubio esset mortale, si tria illa simul adessent, veniale fieri duntaxat. Primum est ex parte intellectus, plena mentis attentio, & rationis applicatio: actio enim, quæ ex primo committitur motu, quin intellectus cogitare potuerit hujus actus nequitiam, vel per ignorantiam minime affectatam, vel in tumultu, qui integram non relinquit libertatem, peccatum nonnisi veniale dici potest. Alterum ex parte voluntatis, plenus, perfectusque, tacitus saltem, consensus requiritur; si enim non aliud fuerit quam negligentia in prava cogitatione propulsanda, si peccans semisopitus fuerit, si statim ac agnoscit tam malam, veritamque esse, ab eadem destiteris, consensus perfectus non fuit, & crimen nequit esse mortale. Tertium denique ex parte materiæ, veluti in furto, detractione &c. Quod enim in re gravi grave peccatum esset, in levi nonnisi levis est noxa.

Aliquando etiam ex veniali in mortale peccatum labimur, & lapsus hic ut plurimum accidit vel propter male affectam voluntatem, cum hanc nobis licentiam arrogamus adeo prava cordis affectione, ut illam ipsam nobismet arrogaremus, etiamsi peccatum esset mortale; vel propter inhonestum finem, cum in verbis nobismet seductionis spiritum proponimus, vel per male affectam conscientiam, cum aliquid facimus hoc mortale crimen rati, licet venialis noxæ terminos non excedat. Tandem vero cum agimus actu dubitantes, utrum quod agimus veniale sit, an mortale; vel utrum liceat, necne; quin dubitationi nostræ lucem quæramus.

Venialiter duplici modo peccare possumus.

Sanctus Thomas animadvertit venialiter duobus modis peccari posse, vel inconsulto, vel ex affectu. Inconsulto quidem, cum primo motu aliquid nimis liberum facimus, vel nimis vanum cogitamus: ex affectu vero, cum, quin amittamus reverentiam, & amorem, qui Creatori debetur, aliqua affectionis species erga creaturas fovetur.

Venialium peccatorum confessiones sine correctione.

Plurimi sunt, qui venialibus duntaxat criminibus graves passim ex mera consuetudine ad pœnitentiæ tribunal accedunt, oscitanter, ac ob humanos tantum respectus. Hi vulgo noxas suas narrant sine dolore, sine sese corrigendi consilio; ideoque a sacramento recedunt, quales accesserant: quæ confessionum genera si minus sunt abusus sacramenti, ideoque grave scelus, saltem informia dicenda sunt, uti loquuntur Theologi; hoc est, talia, ut ibi nec peccatorum venia, nec sacramenti gratia recipiatur. Quæ in re statuunt Doctores, præstare nullum veniale peccatum confiteri, quam confiteri omnia sine proposito ne de uno quidem sese corrigendi. Verum est, nos omnino non teneri, ut illa in confessionem aperiamus; sed ubi illa clavibus subjicimus, adlaborandum est, ut ab illis abstineamus, verumque eorum dolorem concipiamus: quod devotæ personæ frequentius ad Sacramenta accedentes serio debent attendere.

PARAGRAPHUS VI.

Delibati ex Asceticis, aliisque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Veniale peccatum non est simpliciter existimandum, quale existimatur.

IN peccato, Dei habita ratione, nihil parvum est, quidquid eum lædit, est enorme. Sed peccata, quæ levia dicimus, inde levia censentur vel propter pœnarum illius adhærentium levitatem, vel propter spem integram immunitatis. Assueti de rebus judicio ferendo ex re nostra hac in re decepti non sumus. Peccatum æstimamus non ex naturali ipsius nequitia, & gravitate, sed ex malis, quæ nobis affert: non respicimus sanctitatem Dei, cui infert injuriam, nosmetipsos duntaxat respicimus, quos affligit, & opprimit. Peccatum nobis plus, minusve enorme videtur, quatenus

Ll 3 plus,

plus, minusvè funestum nobis est. Ipsum nomen, quod gravibus tribuitur criminibus, sola videtur cupiditas imposuisse; eaque mortalia appellantur, eo solum quod nos damnant, ac inferunt mortem. Sed si peccatum respicere ad breve temporis intervallum possemus oculis minus cupidis, in levissimo quoque eas labes, maculasque deprehenderemus, quæ nobis divinam conflare possent indignationem, ac Dei maledicta in caput nostrum pertrahere, nisi justitia ipsius aliquid de suo jure remitteret, nullamque infirmitatis nostræ rationem haberet. *Ex collectione orationum Academiæ Gallicæ obitarum anno 1701. serm. 1.*

Habitus venialium peccatorum nos ad gravia committenda disponit.

Cum in levium peccatorum habitu persistimus, non solum nosmet in gravioribus lapsibus objicimus, dici etiam potest, in hac dispositione a nobis fieri, quidquid opus est, ut labamur. Tantum abest, quod cupiditas imminuatur, ut immo novum illi pondus accedat, novæque illi vires addantur. Inimico inermi dumtaxat opponimus nos, ac facile superandum, & quin malum avertamus, eidem occurrimus. Levia peccata fovent ut tot veluti scintillæ, quæ ignem accendunt, quo absumendi sumus. Manibus propriis iniquitatis ædificium extruimus; infirmum cor agitamus, eique obstetricamur, ut scelus pariat. Excitamus ventos, & ut ita dicam, accersimus tempestates: mirumne est, si naufragium faciamus? *Idem.*

Dæmonis arte decepti, passim accidit, ut illa vel comparemus cum sceleribus illis, quorum enormis turpitudo ea delere videtur, vel confundamus cum quotidianis lapsibus, qui solertissimam quamlibet vigilantiam fallunt, & quæ vel dominica oratione, vel eleemosynis expiantur. At non ita Deus justitiæ, & veritatis de illis judicat. Homo inobedientias suas ex earum dumtaxat externa superficie spectat; Deus vero omnem earum nequitiam medullitus usque considerat, illarum causas, & effecta perpendit; illæ sese oculis ejus exhibent secundum omnem naturalem deformitatem suam, & videt, eas ex gratiarum suarum contemptu, nec non voluptatum negligentia proficisci. *Idem serm. 2.*

Facile a levibus ad gravia peccata fit transitus.

Peccator nonnisi levibus noxis statim aberrat, quemadmodum in singulos dies nonnisi leves fasciculos suæ imponit conscientiæ, ita illam paullatim toti iniquitatis ponderi assuefacit; & cum insignes peccatores in sceleribus suis unde supplicium inveniunt, quod eos inde emergere cogit, hic e contra in lapsibus suis funestam nanciscitur requiem, quæ illum, ut ibi permaneat, invitat. Felix, si posset in eo nequitiæ gradu consistere, in quem lapsus est; sed heu! cupiditas, quæ semel prætergressa est terminos innocentiæ, in primo hoc gradu nequaquam subsistet. Corruptio, quæ in animam obrepere cœpit, nisi celeriter cursus illius interrumpatur, ulterius semper procedet, & homo fiet semper nocentior, ex quo operam minime navabit, ut sanctior gradat. *Idem serm. 3.*

Dæmon non repente nos ad gravia impellit peccata, sed a levioribus ducit initium.

Tentator fideli nequaquam primo statim occursu cædes, ac apostasiam proponit. Virtus nimium distat a crimine, neque sine medio ab altera ad alterum fit transitus. Lapsus etiam, qui subitus videtur, suas habet præparationes. Sufficit illi ea scrutari studia, quæ in nobis culpa reliquit, eisque tanta velificatur arte, ut ex levi motu contra rationem insurgente horribiles exitii faciat excessus. Poterat Cain facile improbam suffocare invidiam, quæ cor ipsius perturbare incipiebat, contempsit illam; spiritusque nequam, qui nihil elabi patitur, unde aliquam percipere valeat utilitatem, hoc mortis semen colligit, & excolit. Sub execrabili ejus dextera semen paulatim crescit, invidia naturam mutat, atque migrat in odium, & furorem. Tunc Cainum in parricidium impellit, cumque facta crudelitatis ei eam afflasset, ut committeret illud, satis etiam tribuit impudentiæ, ut ipsum negaret. *Idem serm.*

De statu habituali in aliquibus peccatis venialibus.

Quid periculosius est, quam status, qui sensim nos malo propiores facit, qui criminum horrorem aufert, qui voluntatem ad ea committenda efficit audacem, & qui disponit cor, ut illis adhæreat? Status, in quo nosmet peccato mancipantes sine conscientiæ stimulis, illud sine pœnitentia consciscimur, & in quo peccator sperans fore, ut ubi voluerit, convertatur, quin id velit, dies, annosque traducit. Talis est dispositio hominum imperfectorum, vel ut melius dicam, cordium semiconruptorum, qui indesinenter legem inter, & dispensationem hærent, quæ inter magna, & parva præcepta scipsa partiuntur, qui quamdam conventionis speciem cum Domino statuere velle videntur, & hanc prætexentes excusationem, quod in rebus maximi momenti illius imperiis obtemperant, jus sibi vendicant eidem displicendi in iis, quæ minoris momenti videntur. Status hic sæpe magis deploratus est, quam nequissimi cujuslibet peccatoris, in quo mortales tandem se longius a salute sentiunt abesse, quam si statim flagitiosissimam vivendi rationem fuissent ingressi. Si enim in gravioribus sceleribus certum adest periculum, certa est etiam inde resurgendi via. Sola turpitudo illis inhærens sæpe satis est, ut illa evitemus; & si cupiditatis vis nos illuc trahit, stimuli conscientiæ sufficiunt, ut nos deterreant, & quemadmodum in criminibus vitam tranquillam ducere nequaquam possumus, tamen per intervalla quosdam conatus exerimus, ne in illis moriamur; sed peccator, qui primum levia tantum peccata committit, hac caret utilitate. *Idem.*

Levibus peccatis dividimus cum creaturis amorem, qui Deo totum deberetur.

Quid sunt leves istæ infidelitates, quas singulis diebus committitis, nisi tot injustæ divisiones cordis, quod creatis rebus impendis partem amoris quem totum debes Creatori? Quomodonam simul conciliare contendis zelum amoris Dei cum eo, quem gloriæ ipsius contemptu præ te fers? ea virtute animari, quæ infinitæ huic bonitati placere studet, & in tranquilla permanere negligentia, ita ut eamdem lædere non verearis? Si ignis divini amoris in te accensus est, cur non absumit, quidquid impurum est in anima tua? Et si vehementius cordis tui studium charitas est, cur illa tot affectiunculis vinci se patitur? Amor, Apostolus inquit, est legis complementum; quomodo vero dicere potes te Deum ex toto corde diligere, cum eidem sexcentis in occasionibus obedientiam detrectes, & nonnisi ex parte legem ejus observes? *Idem.*

Omnia peccata, Dei habita ratione, magna sunt.

At enim in levia tantum laberis crimina, & Deum in nullo essentialium articulorum lædere velles. Sed quid hæc sibi volunt verba? Nonne hæc sententia est animæ tepidæ, & languentis, cui imperata nullius momenti ideo videntur esse, quia imperantis jussa eidem chara non sunt; & quia peccata, quæ committis, ideo magna esse putas, quia longinquitas illa, quæ Deum inter, & ipsam interjacet, efficit, ut ex oculis ejus evanescat magnitudo illius, quem offendis? Peccata omnia nonne ideo magna sunt, quia infinitam Dei lacessunt majestatem? Nonne omnia sanctitati Dei sunt opposita? Nonne omnia illius potentiam provocant? Nonne illius bonitatem impugnant? Nonne omnia illi honorem auferunt, ejusque gloriam imminuunt? Nonne gratiarum ejus inhibent cursum? &c. *Idem.*

Venialia peccata nebulam offundunt hominibus gratiæ.

Cujuscumque naturæ peccata sint, nonne omnia sunt opera tenebrarum, semper aliquam secum caliginem afferentia? Statim quidem non aliud sunt, quam leves vapores, qui paulatim ex impura assurgunt conscientia, sed qui tanta coalescunt in copia, ut tandem densam constituant nubem, quæ nobis adspectum Solis justitiæ possit auferre. Inde illa oritur mentis caligo, per quam bonum a malo non secernimus, & quæ virtutes cum vitiis confundit. Inde fallax illa securitas, quæ eos, qui hujusmodi peccatorum habitum contraxerunt, contra Dei minas confirmat, efficitque, ut

ut eo majori festinatione ad suum currant exitium, quominus periculum vident. *Idem*.

Exigua peccata propter numerum & minus propter gravitatem sunt metuenda.

Cum exigua peccata animæ tepidæ, atque negligenti non admodum onerosa videantur, hæc illis ut plurimum abunde onerantur: hæc qualibet in occasione, & quovis momento multiplicat; illa temere, & non hæsitanter committit; atque iniquitate indesinenter ingravescente, accidit tandem, ut quod initio propter parvitatem erat contemptibile, multitudine grave fiat, nec ferendum. Hoc pacto nequissimi peccatores fiunt. Ille ad fortunæ apicem per injustitias extollitur, qui a modicis tantum furtis duxit initium, quæ pluries deinde iteravit, & quorum singula levis momenti eidem visa sunt. Statim quidem ille sibi suum probavit crimen causatus, quod ea tantum, quæ sibi necessaria erant, acciperet; sed paulatim & commodum addidit, & superfluum. Desiderium ex egestatis squalore emergendi initio persuasit illi non magnum esse malum aliquid alieni surripere, nunc vero putat, nullum crimen esse illud sub eodem prætextu retinere. *Idem*.

Peccata, quæ tamquam levia spernimus, in se gravia sæpe sunt.

Quis nescit, inter periculosissimas, vulgatissimasque vitæ illusiones non extremam esse, credere ea omnia, quæ committimus, peccata esse levia? Cum hæc sint amoris proprii effecta, animum inducere vix possumus, ut oderimus illa, ac ea damnemus, ne & ipsi eodem momento damnemur. Cum peccato auferre nequeamus turpitudinem, propter quam horridum videtur, conamur saltem illi fucum allinere quadam excusatione, ut nobis ferendum videatur, & si adeo temerarii non sumus, ut actiones nostras crimine vacare asseramus, satis sumus versuti, ut ostendamus, plures esse illis nocentiores .... Nulla nobis enormia videntur flagitia, nisi ea, quibus immunes sumus, & levia ea ducimus, in quæ labi consuevimus. Et si verum est graviora scelera nobis exigua videri, ex quo committimus illa; quibus carebis, si ea solum evitare cupis, quæ magna putas? *Idem*.

Levia peccata, in quæ homo negligens labitur indesinenter, levia quidem in speciem sunt, & gravia propter pericula, quibus nos objiciunt; peccata hæc per se minus levia, quam per industriam, qua ea nobismetipsis abscondimus, quis prohibebit? quis eorum cursum inhibebit? Numquid honor, & officium? Mortalis putat inde honori suo nullam offundi posse labem; ac se arbitratur innocentem, quia esse posset nocentior. Numquid infidelitatum injustitia? Hæc numquam satis illius oculos perstringit, ut moveat cor ...... Vulnus ille sentiret, si lethale foret .... Jam dixit Deus, qui se ipsum negligit, in fine stadii, in quo adeo fidenter currit, præcipitium inveniet; & extremus lapsus, qui conteret illum, non aliud erit, quam continuatio lapsuum frequentium, ex quibus neglexit consurgere. *Idem sermone 4.*

Levia peccata nos ad graviora patranda disponunt.

In morum disciplina, non secus ac in naturæ cursu nihil repente ad extrema festinat .... Hic ad profundæ abyssi adspectum turbabatur, qui illam tutiori prospectat oculo, eo quod eam sæpius cominus intuitus est. Hic curiosus est; animum adjicit dubitationibus suis circa mysteria, quæ venerari debet; erit aliquando incredulus, & non amplius dubitabit. Illum secretarum etiam infirmitatum suarum pudebat; nonnisi pudoris sui aliquando ipsum pudebit. Fluviorum celeberrimorum fontes perquirite, rivi sunt sine nomine; incendii alicujus causam scrutamini, scintilla erit. Vanus amoris proprii motus, inanis complacentia, ut plurimum, primi sunt annuli catenæ illius, quæ nos obruit. *Idem*.

Facilitas venialia committendi peccata magna nobis afferet damna.

Primus effectus nostræ in venialibus peccatis evitandis negligentiæ est, in anima suffocare motus religiosi timoris, qui est sapientiæ fundamentum; qua veritate nihil apertius est. Nostræ religionis lumina nos ignorare non sinunt, levissima etiam crimina nostra displicere Deo: si verum haberemus illi displicendi timorem, numquid hæc crimina negligeremus? Nostra in illis committendis audacia quid aliud est, quam animæ nostræ rebellin jugum timoris hujus incipientis excutere? Alter hujus negligentiæ effectus hic est, quod ipsa in nobis imminuit horrorem, quem erga peccatum nobis inspirat christiana institutio. Levissimæ noxæ aliquem semper habent nexum, ac rationem cum iniquitate: cum illas permittimus, cum hac, ut ita dicam, familiaritatem inimus; & hæc periculosa familiaritas eum paulatim dissipat horrorem, quo peccatum aversamur. Animæ oculi assuescunt deformitati vitiorum, quemadmodum sensibilium objectorum turpitudini oculi corporis. Tales sunt effectus hujus negligentiæ, cujus adeo parum metuimus exitum. Ecce quo pacto in nobis incipiat fundamenta pietatis evertere. Dei timor imminuitur, horror vitii infirmatur, Ignis charitatis tepescit; potestne magis ad interitum anima properare? *Idem sermone quinto.*

Veniale peccatum Dei offensa est.

Peccatum, licet veniale, Deum lædit. Num aliquid requiritur præter hoc verbum serio meditatum, ut in anima christiana impressionum omnium vehementissimam efficiat? Deum lædit, igitur est injuria facta huic majestati omnipotenti? Deum lædit, igitur rebellio est contra magnitudinem hanc dominantem; Deum lædit, igitur contemptus est hujus bonitatis infinite liberalis, atque beneficæ; Deum lædit! hic immoremur, atque conemur id mente assequi, quod duo hæc significant verba. Ecce quid ideas nostras reformare debet, quid nostram vivendi rationem corrigere, quid omnem attentionem nostram excitare, quid omnem fervorem nostrum accendere. Etenim quandoquidem veniale peccatum Deum lædit; atque, ut ita dicam, hoc Dei malum est, dico, malum hoc esse supra omnia naturæ mala; cur? quia hoc malum est essentialiter oppositum Deo, quod non sunt omnia naturæ mala. *Pater Valesius tomo quarto operum Asceticorum exhortatione de peccato veniali.*

Mundi totius jactura potius ferenda esset, quam unum veniale peccatum committere.

Ex hoc principio sequitur, cum de totius familiæ, reipublicæ, ac mundi ageretur interitu, atque ut finis injiceretur flagellis, quæ regna, atque provincias misere perdunt, bellis, pestibus, annonæ caritati, satis esset semel unicum veniale peccatum committere, immo etiam illud post breve temporis momentum insigni satisfactione reparare; dico satius esse familias ruere, Provincias depopulari, regna ipsa, & imperia igni, ferroque vastari, totamque terrarum orbem perire. Dicam amplius. Tot peccatores in terra perditionis viam ingressi damnantur; tot justi in via salutis ambulant, & sæpe intereunt; tot reprobi in inferno patiuntur, ibique in æternum patientur; tot beati in cœlo æterna mercede fruuntur; hæ animæ sunt Deo pretiosæ, adeoque pretiosæ, ut illas totius sanguinis sui pretio redemerit. Hoc autem per adynaton posito; quod unicum veniale peccatum satis esset, ut quidquid peccatorum in terris est, converteretur, ac revocaretur ad Deum; ut quidquid justorum est, in sancta perseverantia contineretur, & a lapsu alioquin inævitabili præservaretur; ut ex Inferno educeretur, atque in gloriæ sinu constitueretur, quidquid reproborum in inferno torquetur; ut beatis omnibus certa fieret cœlorum possessio, atque ut prohiberetur, ne in abyssum præcipites ruerent: si hæc in re mihi relinqueretur optio, assentiri debeo damnationi peccatorum omnium, qui in terris sunt, & reproborum, qui sunt in inferno, necnon exitio eorum omnium, qui vel in mundo beati sunt, vel in gloria beati, potiusquam unicæ Dei offensæ licet veniali assentiar. Cur? eamdem semper ob causam: quia interitus, & damnatio Angelorum omnium, omniumque mortalium a peccato sejuncta, creaturæ dumtaxat malum est: cum e contra

offensa, licet venialis, Dei, malum Dei est, ideoque ordinis alteri cuicumque malo superioris. *Idem.*

Parvitas in veniali peccato nos coram Deo minime excusat.

At enim veniale tantum peccatum est, & hoc in peccato de re nullius momenti agitur; tu dicis, atque dicenti obsistere nolo: de re nullius momenti agitur; sed ajo, hoc ipsum quodam in sensu nos efficere nocentiores, & ex levitate materiae quodammodo venialis peccati gravitatem argumentor. Si enim de ingentis alicujus fortunae acquisitione, vel jactura ageretur; si vehemens aliqua cupiditas vel explenda esset, vel coercenda; si de gravi aliqua poena evitanda, de suppliciis, qualia Martyres passi sunt, deque sanguinis effusione, si de vita, aut de morte sermo esset, itaut alterius quidem amor, horror autem alterius ex vobis crimen hoc extorqueret; vos semper damnarem, semper infirmitatem, ignaviam, & apostasiam hanc improbarem; verumtamen vos damnans vicem vestram dolerem. Dicerem insignis fortunae nitorem potentem illecebram esse, atque probata virtute opus esse, ut eidem obnitamur. Dicerem ardentem affectum, ac naturale studium gravem esse tentationem, atque non communi vi opus esse, ne eodem pertrahamur. Dicerem tormentorum horrorem, mortis metum, vitae amorem in corde validas impressiones efficere, atque consummata opus esse virtute, quae humanos sensus omnes excedat, ne illis cedamus, ac superemur. Dicerem; hic autem quid dicere possum? Et de quo queritur? De verbo, quod retinere non vales, & potiusquam illud retineas, ordini a Deo constituto obluctaris: de desiderio, quod mortificare non vis, & potiusquam illud mortifices, Dei spiritum contristas; de negligentia, ex qua temet recipere non vis, & potiusquam aliquam tibimet inferas vim, Dei gloriae adversaris. Haec olim erat Dei querela de populo suo apud Ezechielem Prophetam cap. 13. *Propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Detrectarunt eam, quam mihi debent obedientiam; me contumelia affecerunt; cur? ob panis offam. Haec autem exprobratio vobis unice quadrat. *Idem.*

De habitu in peccato veniali.

Levis injuria venia digna est, sed ex quo frequens est, fit non ferenda, nullaque patientia est, quam fatigare non possit. Recenseamus ergo, si fieri potest, & videamus, quot in sensus nostros, quot in sermones, quot in actiones etiam, quae per se sanctissimae habentur per tot annos, singulisque diebus peccata saltem venialia irrepserunt. Stupor nobis incedet, terror nos apprehendet, atque, ut olim David Psalm. 39. clamabimus: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei.* Pauci sunt in eorum etiam numero, qui pietatem profitentur, qui quibusdam habitualibus peccatis obnoxii non sint, in quae incessanter labuntur, & ex quibus numquam resipiscunt. Neque putes, de his illos ante poenitentiae tribunal non confiteri. Haec millies confitentur, & id ipsum singulis hebdomadis repetunt; eaque communis est, & fere unica confessionum materia. Non sunt isti pravi habitus peccatorum saeculi, verum pravi habitus sunt. In illis immorantur, in illis consenescunt, & ad sepulchrum usque deferuntur. *Idem.*

Saepe venialia peccata voluntaria patramus.

Scio equidem non deesse quaedam mera fragilitatis crimina, quae ne cogitantibus quidem elabuntur. Tunc ex inopinato occupamur, & ex negligentia labimur; eaque simplices potius imperfectiones sunt, quam peccata; sed quot aliae sunt noxae, quas oculo tranquillo, sedataque mente prospicimus? Quot sunt, quae ipsa nobis exprobrat conscientia, & quorum nosmetipsos pudet? sed in quae data occasione relabimur, quantumvis nos urgeant stimuli, ac Deus suos nobis afflatus immittat? Ad haec, facile committuntur, deque illis etiam nonnumquam gloriamur. Nobis honori vertimus, quod non adeo timidi, & religiosi sumus, & majori cum licentia, quam alii, vivimus; quod non adeo sumus diligentes, docilesque; quod non adeo cauti sumus, atque, ubi adest occasio, palam sensus nostros exprimamus; quod non adeo nostrummetipsorum simus inimici; quod rationem invenimus commodorum omnium nobismet procurandorum, quod non adeo patientes sumus, atque aliis timorem injicere novimus. Haec jactitamus; & quid caveamus, utrum laedatur Deus, assertam hanc ab aliis distinctionem nobis vertimus in triumphum. *Idem.*

Religiosi peculiari genere debent cavere, ut veniale peccatum evitent.

Argumentum hoc ad vos potissimum pertinet, Animae religiosae, ac meretur, ut sedulo animum advertatis. Attendite vos, qui mundum abdicantes, quem respexistis tamquam dominum curis vestris indignum, peculiari devotione vosmet omnium dominorum primo consecrastis: attendite, ac vobismetipsis dicite: hac coram Sanctuario immodestia, hac in precibus evagatione mentis, hac irrisione, hac impatientia, hac verborum acrimonia laedo majestatem Dei, quem adeo solemni professione colendum mihi proposui. Attendite vos, quae terrenas opes contemnitis, quas tamquam ineptissimas nugas, & inania phantasmata respexistis, vosmet dominorum omnium maximo subjecistis: attendite, & vobismetipsis dicite: hac in re deficiens, regulam hanc infringens, hanc negligens exercitationem laedo supremum Dei dominium, cui tamen me palam subjectum iri recepi. Attendite vos, qui ex mundo egressi, quem tamquam innocentiae, salutisque vestrae scopulum metuistis, in tuto estis, ac in domo Dei nullam tempestatem veremini: attendite, ac vobismetipsis dicite: mihi hanc permittens curiositatem, mihi levem hanc oblectationem concedens, desiderio huic nimis humano satisfaciens laedo bonitatem Dei, cui omnia debeo, qui me vocavit, qui me suo sinu recepit, qui mihi pollicitus est, me tamquam oculi sui pupillam custodit. *Idem.*

Scrupuli, & conscientiae stimuli, qui veniale peccatum sequuntur.

Quibusdam momentis, quibus nos animat ignis, quibus loquendi prurigo nos excitat, vel exasperat ita, quibus insurgit superbia, sexcentisque aliis in occasionibus, nihil ad examen vocamus, & caece eum, quo rapimur, sequimur motum; sed cum ignis tepet, atque consideratio supervenit; cum nosmet colligere incipimus, ac mente reputamus ea, quae cogitavimus, quae diximus, fecimusque; cum haec in sanctuarii statera appendimus, tunc conscientiae stimuli, atque tumultus excitantur. Nescimus, utrum charitas laesa sit, nescimus, utrum traditum a nobis consilium, & exemplum, utrum negotium a nobis susceptum, utrum oblectatiuncula, qua gavisi sumus, tristissimos habitura sint exitus, & utrum de illis Deo rationem simus reddituri. Verbo, non audemus in statu nostro confidere, quia conscientia tranquilla non est; quae dubitationes, quae ambiguitates, qui tumultus! beati nos etiam, qui adhuc salutaribus hisce poenis afficimur! *Idem.*

Periculum in quo sumus de veniali peccato in lethale gradum faciendi.

Haec adhuc scintilla est, esto; sed in hanc scintillam persta, & illa adhaerescet, atque sese extendat, & videbis quodnam excitabit incendium. Expecta adhuc paulisper, & id ex effectu cognosces. Advenit momentum, momentum illud fatale, & periculosum. Eheu, Domine, nisi hanc animam non communi gratiae tuae conatu protexeris, de illa actum est. Sed o formidabile Dei judicium! Tot gratiarum contemptu irritatus, quin sustineat illam, derelinquit; hoc est, renuit illi peculiare illud subsidium, potentem eam gratiam, qua illa se praebuit indignam; hoc est, illi eas tantum gratias relinquit, quae inferioris sunt ordinis, quae illam quidem tueri possunt, sed non tuebuntur. Concutitur, superatur, succumbit, interit. Ubi vero semel id ausa fuerit, quid deinceps non audeat? *Idem.*

Nisi eumdem zelum habemus, quem tot Sancti habuere ad haec omnia levia crimina per poenitentiam expianda, eamdem saltem habeamus diligentiam, ut sanctiores, & cautiores imposterum esse:

efficiamur. Nisi in id curam impendimus, ut debita dissolvamus, eadem augemus. Heu! dicimus aliquando nolle nos tam cito ex humanis decedere, nondum enim tot merita sumus adepti, quæ sufficere valeant; hoc ex religionis sensu dicimus; & sensus hic laude dignus est. Verum sæpe festina mors nonne optabilior nobis esset, qui pauperes sumus, bonisque operibus carentes, quam vita diuturna, quandoquidem annorum nostrorum numerus nonnisi auget numerum peccatorum nostrorum? Sed non ita, Domine; gratiæ tuæ beneficio vivemus, & gratiæ magis adhuc pretiosæ beneficio vivemus tibi. Tot peccata misericordiam tuam fatigare non potuerunt; sanctus fervor justitiam tuam mulcebit. *Idem*.

Cum Deus noster sit pater, nosque filii ejus, adnitendum est, ne illi hoc peccatorum genere displiceamus.

Quid diceres de filio, qui omnia erga parentem suum officia in eo constitueret, ut eidem in rebus momenti majoris præstaret obedientiam, & illi nequaquam contumeliam inferret, sed eidem sexcentis in rebus dolorem afferret, atque ubi sese offerret occasio, non adlaboraret, ne illi displiceret; & nullam sibi assumeret earum curarum, quæ quo leviores sunt, eo magis filii probant amorem, quam officia essentialia, quibus nemo deesse potest, nisi prius omnem abjeceris humanitatem? Patri hæc filii sui agendi ratio placerene posset? An immo majori inde afficeretur dolore, quam ex inobedientia, & furore filii sui? Hoc tamen nosmet gerimus pacto erga Deum, qui pater noster est, ac patrum omnium optimus, cum ita venialia peccata negligimus, & credimus, post hæc futurum, ut Deo placeamus. Videtur ille quodammodo minus affici gravibus flagitiosi alicujus, vel infidelis criminibus. *P. Nepveu tomo tertio considerationum pro tertia die Augusti*.

Saltem cum Deo non secus ac cum hominibus nosmet gerere deberemus.

Amicus, qui sese intra essentialia dumtaxat officia continet, non est verus, commodusve amicus. Amicum non amo, qui operam suam mihi tunc tantum impendere vult, cum in gravi aliquo periculo, vel in extrema necessitate constitutus fuero. Avertat Deus, quod unquam viæ hujus hominis indigeam. Amicum amo, qui omnibus attentus sit occasionibus gratificandi mihi, qui illas inquirit, atque prævertit, qui metuit, ne mihi minimis etiam in rebus displiceat. Hæc res levis est, verus amicus ait, sed amico meo displicet; igitur evitanda est. Nihil modicum est eorum, quæ vel placent, vel displicent illi, quem amamus. Hos sensus tenera, ac sincera inspirat amicitia, & qui hos sensus non fovet, vel non amat, vel parum amat. Heu! nunquid post hæc, o Deus, dicere possum a me te amari, cum adeo parum perhorrescam displicere tibi, ea committens crimina, quæ ideo levia nuncupo, quia te frigide diligo! *Idem*.

Per veniale peccatum Deo dedecus affertur.

Minus sæpe nos lædit inimici alicujus odium, aut contumelia, quam amici leves quidem, sed frequentes infidelitates. Quomodo autem non motuo, o Deus, effectus negligentiæ meæ, mearumque frequentium infidelitatum erga te, quantumvis hæ leves mihi videantur? Quomodo ita vivens non communes sperare possum gratias, quibus nihilominus adeo frequenter indigeo? Hoc est, Domine, in me quidem justum non esse, in te vero multo minus; hoc est vel parum metuere, vel nimis contemnere. *Idem*.

Deo magis displicemus unico veniali peccato, quam eidem placere possimus toto eo cultu, quem eidem possumus adhibere. Licet maxima quæque facerem, licet difficillima quæque conarer, licet gravissima quæque propter Deum sustinerem, licet gloriam illius impensius, utilius que promoverem, quam omnes simul fecerunt Apostoli, omnes adhuc illum honorarem, quam cum dedecore afficiam unico veniali peccato; ideoque non, licet unicum veniale peccatum committere, ut maximam Dei gloriam procurem, quamvis de mundi totius conversione ageretur. Ita cum bonum illud fecistis, vel omisistis ob humanos respectus, vel in eo cum inani quodam oblectamento permansistis, cum mendacium aliquod protulistis, ac vobismet leviusculam obtrectationem aliquam permisistis; nunquid credidistis, nunquid cognovistis, Deum a vobis majori affici injuria, quam affici potuisset honore Sanctorum omnium cultu, adorationibus, sacrificiis? Quantum cogitatio ista inanem retundere debet jactantiam, qua cor nostrum intumescit, ubi illud intuemur bonum, quod agimus, & nostram augere confusionem, atque dolorem ob venialia peccata, quæ committimus! Hæc si vera sunt, quantumvis virtute præditus videatur aliquis, quantacumque pro Deo fecerit, si vel unum veniale peccatum commisit, ullane, circa cæcitatem, atque injustitiam fovere potest vanitatem? *Idem tomo 2. pro nona die Junii*.

Veniale peccatum sæpe gravioris est causa.

Veniale peccatum non est ab extremo fine aberratio, sed diverticulum; sed qui frequenter divertit, denique aberrat. Non est inimicitia cum Deo, sed tepor quidam, qui ad inimicitiam disponit. Qui Deum negligere consuevit, quod per veniale peccatum fit, eum tandem contemnit. Qui vere amat, repente non odit; sed qui amat parum, facile amicum negligit. Negligentia hæc non longe abest a frigore, neque fusius ab odio, vel contemptu. Voluntaria in oratione distractio nihil esse videtur, tamen sæpe causa est, vel occasio pravæ cogitationis, prava cogitatio noxii desiderii, noxium desiderium peccati mortalis, mortale vero peccatum damnationis. Si ad hæc adverteres animum, nunquid flocci faceres voluntariam in oratione distractionem, vel quodcumque aliud veniale peccatum? *Idem tom. 1. consideratione 10. die Februarii*.

Quod displicet Deo, modicum censendum non est.

Pro certo habeatis nil modicum esse ex iis, quæ displicent Deo, & voluntatibus, nutibusque illius opponuntur. Peccata omnia sunt inobedientiæ, & quæ levia videntur, ubi cum gravibus malis conferuntur, gravia sunt, ubi comparantur cum Dei majestate, vel ubi effectus, exitusque eorum considerantur. Sanctus Chrysostomus homilia 87. in Matth. jubet nos omni nisu contendere, ut levia hæc eradicemus crimina, & quin in eo immoremur, quod in ipsis nobis leve videtur, illa tamquam magnorum malorum origines respiciamus. Et Sanctus Augustinus in Psalm. 129. de hoc eodem loquens argumento, levia peccata pluviæ comparat, quæ quamvis guttatim decidat, fluminum tamen alveos replet, ac eas parit inundationes, quæ secum arbores, atque mapalia trahunt, agrosque misere perdunt. Quid interest, idem Sanctus ait, utrum navis tota simul pereat fera tempestate victa, an aqua per fatiscentia carinæ rimas ingressa sensim, ac sine sensu ita obruat illam, ut nullo opem ferente mergatur? Et alibi: Abjecistis, ait ille, magnorum scelerum fascinum, cavete, ne parvulorum copia vos opprimat. *Abbas Trappensis, tomo 1. officiorum vitæ monasticæ, tractatu de amore Dei, cap. 7.*

Veniale peccatum aliquid magnum est, si in se ipso spectetur.

Hæc crimina non solum tunc magni momenti videntur, cum simul glomerantur, vel cum omnes eorum considerantur effectus; sed etiam cum seorsim, ac singillatim inspiciuntur. Si quis aliquid ausus esset morte dignum, nonne dementis esset, afferere illum leviter tantum deliquisse? Hujusmodi facinus apud sapientem virum nullius momenti esse habendum? Attamen qui hæc negligunt peccata, quæ parva dicuntur, eaque sine ullis conscientiæ stimulis committunt, multo minus rationabiles, ac justi sunt; affirmare enim possumus, nullum esse id genus criminis, quod supplicium aliquod ipsa morte majus non mereatur; ea peccata, quæ lacrymis nequaquam expiata fuerint, flammis esse punienda, & electorum crimina, quæ per pœnitentiam deleta non fuerint, post mortem iisdem pœnis esse concrenda, quibus in reproborum scelera est animadvertendum, cum hoc tantum discrimine, quod in illis aliquem, in his autem nullum finem invenient. Dicant igitur homines,

nes, quodcumque ipsis placuerit, ut sibi hanc abscondant veritatem, quæ insuavis ipsis videtur; non prohibebunt tamen, quominus fides nos doceat, quodcunque per pœnitentiam expiatum non fuerit, per ignem esse traducendum: *Ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem*. 1. ad Cor. 3. *Idem*.

Hæc Dei suprema majestas, infinita hæc excellentia in hominibus quærit tantum grati animi sensum, adeo latos, perennesque honores, ut ea, quæ illam offendunt, quantumvis minima sint, eam contrahant injustitiam, & deformitatem, quæ intelligi nequit. Si fides nostra esset ardentior, quam re ipsa est, unicum veniale peccatum magis, quam decem mille mortes timeremus. Ne miremini igitur, si Sancti Joannis Climaci specus clamoribus, atque julatibus ejus resonet; si Sancta Catherina Januensis ad levium horum criminum, quorum ipsi magnitudinem perpendere abnuimus, intuitum sese velit in ignem conjicere, sed miremini, quod Christiani inveniuntur, qui scientes a Jesu Christo justos esse judicandos, citra metum, atque religionem ultro hujusmodi peccata committunt. *Idem*.

Omnia potius perdere deberemus, quam unum veniale peccatum committere.

De veniali peccato quid docet nos fides? Si unicum proferendum esset leve mendacium nemini obfuturum, ut omnes obtinerentur thesauri, honores, voluptates, quas legitime cupere possumus, ut cœpta nostra nobis e voto cederent, ut vitam nostram ultra consuetos terminos produceremus, ut sine intermissione prospero rerum cursu, bona valetudine, constantique pace perfrueremur (eo usque procedamus, quo Sanctus Augustinus processit) si unicum proferendum esset leve mendacium, ut mundi totius prohiberemus exitium; dicam amplius, ut mortalium omnium salutem nobis procuraremus, æternamque eorum damnationem averteremus, hoc nequaquam esse proferendum. *Tiburge in Christiano recessu, secunda die*.

De veniali peccati nequitia.

De peccati venialis nequitia quænam est fidei nostræ doctrina? Quid illa nos docet? Potiusquam libero impatientiæ motu rapi nos sinamus, alacri animo perferendos esse acerbissimos quoslibet morbos, doloresque; tormenta omnia, ipsosque Martyrum cruciatus esse sustinendos (dicamne? & dicenti habebitur fides?) in omnem æternitatem ferendum esse ignem devorantem, ac reliqua supplicia, quæ rebrobi patiuntur, dummodo ab illis separari posset status peccati, in quo misere sepulti, confirmatique sunt: atque tunc in singula momenta inter ploratus, fremitusque dentium dicendum: quidquid patior, malum est veniali peccato minus? O Domine! Quam magnus es tu, & quam adorabilis religio tua! Hoc nobis detegit fides inter eas tenebras, quibus septi sumus, secundum quam sensus nostros, nostramque vivendi rationem regere debemus. *Idem*.

Quam parum curaverunt veniale peccatum.

Si venialia adesse peccata creduntur, profecto dicere possemus, hæc ne minimum quidem timeri, atque satis superque nos fecisse arbitrari, si mortalia evitamus. Quænam hodierna die est anima, quæ, uti par est, mœrore conficiatur ob veniale crimen, quod tale esse putet; & quæ e contra non gaudeat, statim ac cogitare potest, crimen hoc ad mortem usque non procedere? Verum meminisse debemus in quolibet veniali peccato duo esse metuenda, primum, ne sit mortale, alterum ne ad mortale viam sternat. *Idem*.

Undenam hæc profecta audacia est, qua de peccatis judicium ferre volumus contra monitum Spiritus Sancti per Prophetam dicentis: *Delicta quis intelligit*? Quid? Qui præ cæteris sanctitate floruerunt, ipsique eruditissimi, cœlestisque lumine afflati Doctores Ecclesiæ vix mortale a veniali dignoscunt, atque ubi judicium ferre debent, contremiscunt? vos autem mediocri lumine vestro, angustaque mente audacter profertis; veniale tantùm est, Quis hoc dixit? Quis revelavit, quousque criminis hujus nequitia processerit, & ad quem usque gradum acutus peccati gladius animam vestram confoderit? At enim molestissimum esset semper in hac incertitudine ambigere: fateor equidem: hic nihilominus est vitæ præsentis status, qui nos humiliat, quod nos cogere debet, ut caute ambulemus; & hæc causa est, propter quam Sanctus Paulus fidelibus omnibus annuntiat, salutem suam cum timore, ac tremore esse unicuique operandam. *Idem*.

Veniale peccatum ducit ad mortale.

Peccatum veniale viam sternit ad mortale, quadam propensionis via, eo quod veniales hæ noxæ sunt tanquam præludia, initia, & ut ita dicam, aditus quidam, qua ad mortalia scelera properatur. Propensio illa, qua erga prima rapimur, nullam habebit requiem, nisi nos ad extremum usque pertraxerit. Præterea proclivitas in malum semper rapida est; eadem plerumque difficultate ibi cursum inhibere possumus, qua saxum per prærupta montium dejectum, quod re ipsa sine ulla intermissione circumagitur, donec in imam usque vallem dilabatur. His adde objecta, propter quæ prima scelera committuntur, cum ut plurimum fortiora sint, vividiora, majoresque illecebras habeant, vehementiores etiam impressiones efficiunt, quibus anima, quæ semel aditum præbuit, minus resistere valet. Ita veniale peccatum per viam propensionis adducit, nos ad illud perpetrandum disponens. Verum nos quoque illuc adducit per viam supplicii, disponens Deum, ut illud nobis permittat. *Idem*.

Actus doloris ob levia peccata facile perpetrata.

Heu! quam parum credidi, vel saltem quam parum intellexi veritatem hanc, quam fides me docet! Etenim si credidissem me leve hoc mendacium, vel hanc irrisionem contra charitatem proferentem, hac impatientia me abripi, hac exigua indignatione, humano respectu, vanitate, & voluntaria distractione in precibus fundendis abripi sinentem, id malum patrasse, quod cum maximis mundi malis poterat comparari, malum majus ipsa populorum omnium internecione, creatarum rerum omnium ruina, totius orbis interitu; si id agnovissem, adeone cœcus, & insipiens extitissem, ut dicerem, quod toties dixi, hoc veniale peccatum esse? O Domine, quandoquidem per gratiam tuam effecisti, ut cognoscerem errorem meum, fac, ut minimam noxam tanquam malorum omnium maximum intuear, atque præsto sim illis omnibus perferendis, potiusquam te leviter lædam. *P. Nepveu in recessu suo*.

Venialia peccata fragilitatis, & nequitiæ.

Cum dico veniale peccatum magnum esse malum, non loquor de illis, quæ mere sunt fragilitatis, quæ raro committuntur, & quæ per pœnitentiam fere statim ac commissa fuere delentur. Justi secundum Spiritus Sancti verba ab id genus criminibus immunes non sunt, quæ omnes fere Theologi docent vix posse evitari. De illis loquor, quæ tepidi Christiani consulto committere consueverunt, quorum habitum faciunt, & in quibus, ut sese corrigant, ne laborant quidem. Hujusmodi sunt leves iræ, leves acrimoniæ, verba contemptum indigitantia, detractiones leves, irrisiones, mendacia, irreverentiæ voluntariæ, in precibus distractiones, desiderium hominibus placendi, obtutus curiosi, otium, levis in bibendo, & comedendo intemperantia, negligentia in iis, quæ nostris muneris sunt, veluti servorum regimine, ac filiorum institutione; verbo peccata omnia cujuscumque naturæ illa sint, cum materia levis est, vel cum majorem partem sibi incuria vindicat, quam improbitas. Dico, Fideles, hæc crimina; præcipue cum frequens in ea sit lapsus, quorum correctio negligitur, & quæ levia putantur, maxima esse mala. *P. de la Colombiere tomo tertio sermone hujus argumenti*.

Peccatum veniale, quatenus offensa Dei, magnum est malum.

Deus idem, qui per mortale offenditur scelus; Deus hic infinite magnus, & infinite amabilis; Deus hic, cui omnia debemus, qui nos ex nihilo eduxit, & qui prohibuit, ne in nihilum relaberemur; hic idem Deus veniali læditur noxa. Verum

quidem

quidem est notam hanc levem esse, sed leviores notæ sunt quodammodo infinitæ, ubi majestatem, ac bonitatem infinitam offendunt. Equidem scio ea, in quibus subditus contra principem peccare potest, non omnia esse æqualia, sed constat nullum tamen levis esse momenti. Ingens facinus est aliquid contra vitam ejus moliri, & fateor, nihil hoc esse posse scelestius; sed qui illum vel factis, vel verbis affecisset injuria, non ideo leve scelus patrasset, neque mitiora meritus fuisset supplicia. Tanquam naturæ monstrum aspiceremus filium, qui pugione patrem suum interemisset, sed eum etiam, qui illum percussisset, vel eum percussurus dexteram sustulisset, nonne omnes homines execrarentur? O Deus, quam cæci sumus! In his exemplis flagitia nostra perhorrescimus; neque iisdem afficimur, ubi hæc in ipsis spectamus, ubi toto cœlo graviora sunt? Numquid æternum, Domine, ad has confugiendum nobis erit parabolas, quæ adeo imperfecte tuam nobis repræsentant magnitudinem, ac beneficia? Quid est rex, quid maximus terrarum imperator, ubi cum Deo confertur? *Idem*.

Descriptio hominis venialia peccata contemnentis.

Qui venialia contemnit peccata, a summo mane ad vesperam vix aliquid operatur, in quo nihil sit corripiendum. Actio hæc per superbiam corrupta est, illa per ignaviam, alia per libidinem, ac voluptatum amorem. Si orat, mens evagatur; si erogat eleemosynam, eum vanitas allicit; si filios, servosque castigat, nimium acrimoniæ, & furoris immiscet. Lucro nimis deditus est, in negotiis suis nimis cupidus, in pietatis exercitiis ignavus, atque dormitans. Denique nihil offert Deo, quod purum sit, quod oculos ejus aliqua ratione non lædat: nihil pro illo facit, immo aliquid semper contra illum. Et credis, hunc a Deo esse ferendum? Et vis, illum rationem habiturum ejus servi, cujus neque tu ipse habere velles? Haud ita, o Christiani, sed contra vero vos abjiciet, sinet vos periculosis occasionibus impediri, quibus superabimini; &c. *Idem*.

Qui mortale solum vitare peccatum studet, hic Dei amicitiam negligit.

Qui hoc sibi tantum proponit, ut Dei amicitiam tueatur mortale peccatum evitans, ostendit, hanc sibi amicitiam nullo esse in discrimine, Deumque cogit, ut ipsum tanto bono privet. Ita est Christiani; sentio eum, qui in id unum intentus est, ut mortale peccatum fugiat, sine numero, ac religione minora peccata committens; sentio, inquam, hunc timere quidem, ne Deum habeat inimicum, sed non adlaborare, ut eumdem amicum habeat. Cum alicujus amicitiam in pretio habemus, conamur illius nobis benevolentiam conciliare, eamque fovere omni obsequii genere, operam etiam, quam non debemus, præstantes illi, & peculiari cura evitantes, quidquid vel levissime illi posset displicere. Supplicii metus nos deterret, ne illis, quos internecino odio persequimur, mortem inferamus; sed nec bene, nec male mereamur de illis, quorum amorem, & odium negligimus. Sed quantumvis parum lædatur aliquis, præsertim vero si consulto, ut sæpe fiat, potest amorem, odiumque illius æque contemni; & sin minus gravibus injuriis eum provocamus, inde accidere potius, quod illum prætensum, quam inimicitiam meremus. Hæc autem in homine Christiano dispositio essetne potest accepta Deo? *Idem*.

Venialia peccata prohibent ne fidenter accedamus ad Deum.

Venialia peccata, Sanctus Augustinus ait, animæ eam labem adspergunt, propter quam pudore suffunditur, & quæ prohibet, ne accedat ad Deum eo amore, & fiducia, qua cor purum, & sine labe experitur. Non habet illa amplius tenerum in orando affectum, quem perfecta inspirat fidelitas, & cui nihil Dominus negat. Hinc preces frigidæ sunt, languidæque, nihil fere ab eo petere audemus, vel saltem non audemus sperare nos aliquid ab illo impetraturos. Credi non potest, eum fieri dominum, cui tot jusla suppetunt, licet levia, conquerendi argumenta. Hæc timiditas, hæc diffidentia preces nostras reddit inefficaces, vel saltem efficit, ut illis levissima conferantur subsidia, quæ non prohibent, quominus ad interitum festinemus. Alia opera bona, quæ hoc in statu exercentur (eos omnes testor, qui in eodem versantur) confessiones, communiones, omnia pietatis exercitia, hæc omnia sine fervore fiunt, sine gustu, ideoque fere sine fructu. Multo magis fieri vix potest in hoc statu, ut actiones omnes, licet per se sanctæ, aliis venialibus noxis immisceantur, velut, voluntariis distractionibus, inanibus affectionibus, ignaviæ in propulsandis ultionis, vel impuritatis cogitationibus, quæ sese offerunt menti, curiositati, irreverentiæ, aliisque similibus. Hæ igitur merito causæ: ita ut nobis inutiles efficientibus gratiarum, cœlestiumque benedictionum fontibus, sæpe ad solas vires nostras redigimur; cum quibus ne minimas quidem tentationes possumus propulsare. *Idem*.

Venialia peccata aditus ad mortalia disponunt.

Quotidie videmus, eos, qui erant modestissimi, eo quod statim leves quasdam noxas fas sibi esse voluerunt, tandem sese iis abdidisse flagitiis, quorum vel ipsam cogitationem pridem perhorrescebant. Qui in levibus mentiri consuevit, ubi gravioris mendacii instat occasio, se male tuetur. Avarus, qui diu levibus furtis operam dedit, ubi lucri gravioris sese offert spes, facile cedit. Timor amittendi gratiam Dei aliquantulum in corde illius contra inordinatam cupiditatem digladiatur, sed miraculi loco habendum est, nisi omnibus supernaturalibus considerationibus avaritia præpolleat. Undenam hoc o Fideles? quia levia crimina, quantumvis spernenda videantur, habitum constant, qui æque ad parva, & magna ejusdem speciei crimina impellit, & aliquando vehementius ad magna, quia horum objectum, ut plurimum, majorem habet illecebram, & uberius nostram explet cupiditatem. *Idem*.

Qui mortale solum vitare peccatum studet, hic Dei amicitiam negligit.

Aliquando exiguum adeo inter veniale, & mortale peccatum intercedit discrimen, ut qui venialibus assueverint, facile, & quin animus advertatur, in mortalia decidant, eo magis quod sæpe ignoratur, quo usque progredi liceat, quin mortaliter peccetur. Accidit quotidie, detractionem, quæ levis creditur, re ipsa gravem esse propter circumstantias; eam pecuniæ vim, quæ videbatur exigua, satis esse, ut fiat furtum, quod mortem inferat animæ; denique cogitationem, factum, quod nobis gravi culpa carere videtur, nihilominus suam in se continere nequitiam. Omnibus hisce in occasionibus anima, quæ ignorat, quæ dubitat, quæ sibi blanditur, atque se ipsam tremere non vult serio examine, sequitur consuetudinem, qua rapitur, eamque magnis implicat criminibus. *Idem*.

Venialia peccata prohibent ne fidenter accedamus ad Deum.

Nemo unus ignorat, ubi aliquid nostræ cupiditati concedimus, hanc fieri avidiorem, atque insolentiorem, eamque magis, magisque urgere, donec eidem fecerimus satis. Ita, o Christiani, scelestissimus quisque inceriit; nemo eorum a gravi scelere duxit initium. Certum est, si in pristinis actionibus suis perseverassent, plerosque satis innocentes fuisse futuros, sed ubi per rapidum declive cursus inceptus est, vix, & ne vix quidem fieri potest, ut sistatur gradus, nisi in imam vallem fuerit perventum. Quamobrem Dæmon, qui voti sui compos esse non potest, nisi nobis Dei gratiam abstulerit, nunquam omittit conatus, ut nos in grave aliquod scelus impellat; primum quidem ab adolescentulo simplices oculorum petit conjectus; voti tunc erit, si adolescentulæ vanitatem immiserit, ejusque mentem novis indumentorum ritibus, inanibusque ornatibus repleverit; scit enim, ubi hoc tulerit profectum, facile ad graviora se processurum, & etiam si non admodum fuerit astutus, qui ita occœperit, ad extrema quælibet facinora perventurum. Qui mortale tantum facinus horret, non admodum horret illud. Chimera est hæc vitæ ratio, ubi aliquis sibi fas esse vult, quidquid non nisi levibus proposita pœnis prohibetur, & id tantum nefas esse censet, quod in rebus deficit essentialibus. *Idem*.

Quan-

Quanquam per aquas baptismatis, vel per lacrymas pœnitentiæ quodammodo iterum constituti simus in statu innocentiæ, tamen amor noster semper languet, ac spiritus dissipatur; semper cupiditatum nostrarum rebellio tyrannicum in nos exercet imperium, & nisi incessanter nobismet invigilaverimus, ad examen omnia desideria, omnesque cogitationes nostras vocaverimus, pactum cum oculis nostris, ut olim Sanctus Job, pepigerimus, labiis nostris ostium circumstantiæ, ac prudentiæ, quod Rex expetit Propheta, circumdederimus, auribusque nostris, juxta Sapientis consilium, sepem posuerimus, sæpius quotidie peccata patrabimus, quæ licet a mortalibus differant, attamen ut deleantur, atque expientur, supernaturali medicina indigebunt. Mira quidem propositio, sed vera. Licet officiosa tantum, jocosaque dixeremus mendacia; licet vanos tantum, leves, inutilesque gestus ederimus, omnes simul homines, Angelique pro illis satisfacere nequeunt. *Ex Christianis actionibus tom. 1. sermone hujus argumenti.*

Hæc venialia peccata deleri nequeunt sine meritis J. C.

Quantumvis leves, o Deus, hæ mihi videantur noxæ, tamen te lædunt, quantumvis animæ meæ non inferant mortem, semper tuo sanguine indigeo, ut flectam justitiam tuam, neque mihi remittentur unquam, nisi justa inveniatur malum inter, ac remedium, satisfactionem inter, & injuriam proportio. Verum quidem est, aquæ benedictæ gutta, ubi sinceræ devotionis sensu excipiatur, labes has abstergi posse; eleemosynam propter Deum egenis erogatam dubitum hoc posse remittere; orationem cum fervore factam obtinere posse morborum nostrorum curationem; ea omnia, quæ Sacramentalia vocamus, his vulneribus aptam afferre posse medicinam; sed quantumvi hæc remedia sufficiant, erunt inefficacia, nisi Salvatoris vulneribus commisceantur, neque meritis ejus sustineantur. Opus est, illam aquæ guttam dilui lacrymis, quibus nostram prosecutus est infelicitatem; eleemosynam illam conjunctam esse cum magno amore, propter quem cruorem pro salute nostra effudit, ut loquitur Apostolus, & orationem illam offerri cum ea, quam ipse pro nobis obtulit Patri. *Idem.*

Venialibus peccatis adhuc offendit Deum servili modo amantes.

Non desunt festi dies, Sanctus Bernardus inquit, qui pro peccatoribus sunt dies salutis: qui duri sunt, & inhumani, flectuntur; qui superbi, humiliantur; qui violenti, modum servant; qui libidinosi, se continent, qui inconstantes, ad se redeunt, qui peccatores, agunt pœnitentiam, peccata sua confitentur, dolent, & malum, quod fecerunt, reparare contendunt. Sincera vitæ mutatio; sed quodnam mutationis indicium videmus in id genus hominibus, de quibus loquor? Obsident pœnitentiæ tribunalia; at majorine cum sinceritate? assidui sunt in Ecclesiis, at majorine cum pietate? audiunt verbum Dei; majorine cum obedientia? *Idem.*

Plurimi Deum amare volunt, vel divinas illius adimplere leges modo mere servili, & propter timorem, satis aperte testati se non admodum de amore illius sollicitos fore, si alioquin æternam evitare possent damnationem. Quamobrem quotidie levia committere peccata non perhorrescunt, quorum veniam se facile impetraturos arbitrantur; & ingens eorum ipsorum numerus, qui majorem habere videntur pietatem, ac lumen, adeo arctos virtuti suæ cancellos circumscribunt, ut satis esse putent graviora evitare flagitia, quin infinita minorum multitudo illis negotium facessat. Quos videmus, qui magna cura inquirunt, utrum hæc, vel illa peccata mortalia sint, ut sine metu, ac religione sese illis omnibus mancipent, quæ venialia esse percipiunt? Eorum hæc in re agendi ratio nonne palam ostendit, illos a criminibus non abhorrere, nisi quod propius amor timorem incutit illis, ut æternum damnati sint, & si quam invenirent viam sese hisce terribilibus pœnis liberandi, nihil pavere illum lædendi Deum voluntatem coercerent? *De Sancta Martha tomo primo tractatuum Asceticorum, tractatu de venialibus peccatis.*

Habitus in veniali peccato efficiunt, ut abutamur sacramento pœnitentiæ, & sexcentas efficiamus confessiones, quæ nullæ sunt, rati satis esse exiguo hæc confiteri peccata, quin unquam corrigamur; qui error est, quem dæmon paullatim inserit mentibus ignavorum fidelium, ut conscientiæ illorum falsam procuret tranquillitatem, qui illum eo libentius audiunt, quo pro sua voluptate impensius rem ita esse desiderant. Sed si id genus homines non omnem Dei, propriæque salutis sensum abjecerunt, cum tremore hoc audiant terribile Sancti Bernardi serm. 1. in Conv. Sancti Pauli verbum: *Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.* Considerandum est igitur, cum veniale peccatum sit offensa Dei, ubi nosmet illius accusamus, nosmet accusare debere in spiritu pœnitentiæ, hoc est cum dolore, & gemitu cordis, atque cum certo nosmet corrigendi consilio. *Ex morali Christiana in Pater l. 7. sect. 1. art. 4.*

Venialium peccatorum confessiones plerumque inutiles, & nullæ.

Errata hæc, quæ tanquam levia contemnitis, & quæ hanc ob causam in infinitum multiplicantur, non solum a vobis avertunt communem gratiarum Dei cursum, sed etiam evertunt fortasse consilium, quod inierat vos ad eminentem perfectionis gradum evehendi, quia vos hoc favore indignos, eique minime pares efficiunt. Potestisne tanquam levia considerare ea, quibus res tantæ prohibentur? Si malum est carere bono, numquid tot bonorum jactura nobis leve malum esse potest? Sed cur vultis Deum vobis in singulas horas magnas conferre gratias, quas minime tenetur, si minime vultis eidem obtemperare in iis, ad quæ gravissimis propositis pœnis tenemini? *P. Deamus loco memorato.*

Incuriæ, & damna, quæ animæ afferunt venialia peccata.

O Deus! sentio equidem omnia crimina mea, quantumvis levia mihi videantur, pondus esse, quod inferius semper me detrahit, atque sensim in profundam detrudit abyssum. Hi plures sunt morbi simul conjuncti, qui magis magisque in dies infirmantes ad mortem adducunt. Magis, quam antea, tuo egeo subsidio; sed fateor memet eodem magis indignum præbuisse. Quid interim agam sine te, si vires inimici mei augentur, cum meæ imminuuntur? O Domine, si me punire decrevisti, immitte mihi supplicia, quæ me revocent ad te, non quæ me semoveant. Tandem enim si peccatorum meorum pœnam finit me in graviora proruere, hæc in te quidem esset justitia, in me vero infidelitas gravioribus suppliciis punienda. *Idem.*

Corpus peccati, quemadmodum loquitur Sanctus Paulus, simul colligatum est. Ejus principia, incrementa, & finis sibi cohærent: *Colligata est iniquitas*, inquit Oseas Propheta cap. 13. Principia illius sunt levia peccata: incrementa vero peccata gravia; finis tandem damnatio. Damnatio magnis adhæret criminibus, & magna peccata parvis. Ideo vos hæc trahentes illa etiam trahitis; & illa trahentes trahitis damnationem. Væ igitur vobis, qui dicitis: Cur ista nobis negotium facessant? non ideo damnabimur. Non, non ideo prorsus damnabimini, sed attendite, quæ adjiciam: sed fortasse ideo damnabimini. Nugæ sunt, dicitis: sermo fallax, sermo corruptibus Ecclesiarum, quæ majorem profitentur sanctitatem, funestus &c. *P. Giroust in Quadragesima, sermone de rebus parvis.*

Levia peccata sæpe fiunt nostræ damnationis causa.

Esto quidem in hoc habitu, & affectu, quo quibusdam inhæremus peccatis, quæ de ipsa per se levia sunt, a Dei gratia non excideritis; numquid vobismetipsis promittere potestis, vos in eadem diutius permansuros, si in hoc permanseritis habitu? Audetisne sperare in hisce periculosis momentis, quibus caro, & spiritus deficit, & quibus difficillimum

In habitu peccati venialis periculum est, ne a Deo relinquamur.

mum eſt conjicere, nter in corde vigeat, Deus, an peccatum, audetiſne, inquam, præſumere vos conſtanter eſſe obluctituros? Creditiſne voluntatem veſtram ſemper erga Deum infidelem in iis, quæ minimi momenti cenſetis, adhæſuram indiviſibili puncto, quod illam a mortali peccato ſeparabit, atque vallum illud nequaquam prætergreſſuram? Quia ſcit, utrum voluntaria in tot articulis infirmitas veſtra non ſinent, ut voſmet veſtris deſideriis tradatis? Quis ſcit, utrum cor infirmatum, & quodammodo per gradus diſpoſitum in ea uſque protuet flagitia, quæ tot animarum reprobationem inceperunt? Quia ſcit, utrum Deus, qui ſemper vos manu quodammodo duxit, fatigabitur aliquando vos ſuſtinens, ac permittet eos deplorabilea lapſus, per quos deinceps de abyſſo in abyſſum ruitur, & qui tandem in infelicisſimum deſinunt finem? *P. Cheminais, ſermone de fervore.*

Statim primis medicina afferenda eſt malis, ne hæc nos ad graviora deducant. Levia peccata, quæ homines ne cogitantes quidem ferme committunt, non ideo minus funeſta ſunt. Viam ſternunt ad mortale peccatum, dæmonique animæ januam aperiunt: vix eorum percipitur curſus, atque comprehenditur, quomodo hæc aquæ filamenta ad mortem adducant. Sed non ideo tamen minus verum eſt, hæc eo ferri, ubi in via pererebuerint. Minus diſtat leve peccatum a gravi, quam innocentia a peccato. Quamobrem ſi homo ſuæ jacturam fecerit innocentiæ; & ſi virtus ejus, quæ adeo conſtans videbatur, putare potuit, vereri debet, ne in turpiſſimam decidat infelicitatem. David in ædium ſuarum obambulans ſolario, oculoſque ſuos in Bethſabeam conjiciens, arbitratuſne fuiſſet futurum, ut obtutus paulo curioſior ipſum in diuturnum adulterium, atque in nefariam cædem impelleret? Omnia hæc ſcelera ab exiguis profecta ſunt initiis; ſed progeſſus, ac finis eorum terribilis effectus eſt. Principiis ergo obſtandum eſt, ſi malum vultis evitare; hi ſunt meri conſcientiæ motus, quæ periculum præſentiens adniti debet, ut ab illis ſe tueatur. Ridiculum eſt velle cupiditates corrigere, ubi nutriuntur. Rebellis ſubditus fit inſolens, cum principatum metuit, vel aliquid eidem cedit. Numquid oleum camino additur, ut ignis extinguatur? *Ex tractatu de Conſcientia.*

In ſpeciem quid levius eſt, quam curioſitatis peccatum? attamen nonne hæc prima cauſa fuit, propter quam tot mala David, ac Dinæ evenerunt? Ille nonne honorem ſimul, vitamque proximo abſtulit, eo quod ſeſe objecit voluptati videndi? Hæc autem nonne pudicitiæ ſuæ jacturam paſſa eſt, eo quod vanitate correpta fuit ſeſe videndam aliis objiciendi? in tentatione non deeſt progreſſus, qui malum diſſimulat, ac tegit, & nonniſi partem illius oſtendit. Primum quidem videre tantum, & audire quærimus, neque intelligimus improbum vitus gliſcere, mentem decipi, cor allici, conſcientiam corrumpi, ac fieri tandem, quod nos nunquam facturos eſſe crediderannus.... Gradatim in viam iniquitatis incedimus, ſed ruimus denique in abyſſum. Quid tandem intereſt, quonam pacto illuc perveniamus? nonne æque perimus & per fluctus, qui repente navim deglutiunt, & per aquas, quæ guttatim eam replent? Nonne æque animæ noſtræ mortem conſciſcimus, ſeu noſmet vehementi tradamus cupiditati, quæ illam ſubito rapit, ſeu in habitualem decidamus languorem, qui illius vires paulatim abſumit? *Auctor Anonymus.*

Juſtum, quod pleríque habent argumentum dubitandi utrum peccata, quæ committunt, mortalia ſine, an venialia. Hæc attentio, qua ad examen revocatis, utrum offenſa venialis ſit, nec ne; hæc ſollicitudo, qua Domino negare contenditis, quidquid neceſſario eidem debetis; inania hæc circumſpectio, qua legi illius ſtudetis, ut agnoſcatis, quo uſque illam violare poteritis, non proficiſcitur, niſi ex corde, quod fide, & amore Dei vacuum eſt: cor enim, ubi Dei ſpiritus regnat, hujuſmodi regulas ſervare nequaquam videtur. Male nati duntaxat filii parenti ſuo dare abnuunt, quidquid habent, & ab eo accipere volunt, quidquid ad ipſos pertinet.... Actus voluntatis plus minuſve latior, arctiorque, cogitatio initio ſuo cohibita, vel uſque ad progreſſum, acta, deſiderium, quod præcedit crimen, vel ultra fas procedit, abyſſi ſunt, Domine, quas homo penetrare non poſſet; ſed de quibus terribili ultionum tuarum die diſtrictam ab eo rationem expoſces. Ita Sanctus Paulus, cui nihil conſcientia exprobrabat, Sanctus Paulus vir ille de cœlo dilapſus neſcit adhuc, utrum amore, an odio ſit dignus, utrum Dei gratiam ſervaverit; an amiſerit; vos autem, qui ſexcentas vobis licere vultis infidelitates, qui omnem ſenſibus veſtris licentiam permittitis, in re dubia, quæ tantam Deo infert contumeliam, tuti eſtis? Quanam in re confidentiam veſtram conſtituiſtis vos, qui nullam adhibetis curam, ut omnia peccatorum genera evitetis; vos, qui tanta difficultate diſtinguitis, utrum conſenſus cogitationem fuerit ſubſecutus, & utrum deſiderio comes acceſſerit idea voluptatis, quam vobiſmet effinxiſtis; vos, cujus actiones omnes incertiſſimæ ſunt, qui ſemper inquiritis, utrum longius procedatis, qui ex ignava conſcientia deſumitis regulas amoris, quem debetis Deo, & qui, quin voſmet deprehendatis ſemper nequiſſimos coram Deo, creditis ſemper peccata veſtra nunquam uſque ad animæ mortem procedere; vos, qui licet tot habeatis metuendi cauſas, fallacem vobiſmet concinnatis tranquillitatem inter ſexcentas manifeſtas, & quotidianas infidelitates? *P. Maſſillon ſermone de tepiditate.*

Sæpe decedere difficile eſt utrum peccata venialia ſint, an mortalia. Quanquam omnia levia peccata non abducant ad mortem, atque mortalis Jeſu Chriſti quædam agnoſcat crimina, quæ Spiritui Sancto triſtitiam tantummodo afferunt: attamen eæ, quæ traduntur ad illa dignoſcenda regulæ nequeunt eſſe certæ illa omnibus, a quibus applicantur; inveniuntur enim circumſtantiæ, quæ non videntur, & quæ peccatorum naturam immutant. Cordis ſitus, vel affectio de illorum qualitate decernit; quod in alio infirmitas eſt, vel negligentia, in alio eſt affectata nequitia. Exemplum quæritis? Saul quamquam a Domino juſſus pepercit Agag, & reſervavit, quidquid optimum erat in grege, Domino ſacrificandum. Crimen hoc non videbatur mortale, ſed quoniam non ſine ſuperbia quadam rex hæc reſervaverat, Deus has victimas eſt abominatus, & illum pœnituit, quod Saulem ad regni ſolium evexerat. *Idem.*

Fallimur ſæpe, rati conſcientiam nil grave nobis exprobrare; noſmet tutos ob leves noxas cenſemus, & hæc ſecuritas noſtrum conſtituit periculum. Sanctos nos eſſe arbitramur, quia a nefariis ſceleribus abſtinemus; ſtare credimus, quia de alto vertice non cecidimus. Hic ſtatus fortaſſe magis terribilis eſt, quam ſtatus nequiſſimorum peccatorum; tunc enim malum non percipimus; neque comprehendere volumus, nos per illud ad mortem adduci. *Idem.*

Venialia peccata contemnenda nō ſunt. Ne contemnatis venialia peccata, Sanctus Auguſtinus ait, eo quod vobis levia videntur, ſed potius illa metuite, quia magno in numero ſunt; ſæpe enim accidit, ut plura, licet exigua, inſecta inferant mortem, cum magna eorum quis premitur multitudine. Arenæ maris grana admodum levia ſunt; verum nihilominus rates in imum dejiciunt, ubi nimium illis onuſtæ ſint. Nihil levius, ſubtiliuſque videtur guttis pluviæ, quas in terram videmus dilabentes; attamen ubi aſſiduæ ſunt, fluvios augent, ac torrentes efficiunt, quibus evertuntur ædes, & agri inundantur. Non igitur ſolum magis enormia peccata, ſed etiam leviora, ubi in habitum migrant, metuenda ſunt. *Specimen ſermonum pro feria 2. poſt Paſſionis Dominicam.*

Si ex altera parte veniale peccatum eſt leve, grave eſt ex altera. Eſto peccatum hoc ſit leve ex parte peccatoris propter illius infirmitatem, ac ſtudia; leve ſit ex parte materiæ, eo quod minimi eſt momenti; leve ſit ex parte effectuum, nemini enim damnum infert; leve ex parte veniæ, quæ facile conceditur,

& ad

& ad quam obtinendam plures in Ecclesia patent viæ ; leve ex parte gratiæ , non enim eam delet ; nunquid autem leve est ex parte Dei , qui meretur, ut æque in minimia , atque in masimia mandatis sibi obtemperetur ? Num leve est ex parte Dei , qui omnia in statera Sanctuarii appendit ? Proculdubio semper magnum est ratione mortalis peccati, io quod animam impellit ; magnum est ratione majestatis, & sanctitatis Dei, cui affert injoriam; magnum est ratione pœnarum , quas divina sumit justitia. *Joly sermone hujus argumenti.*

Difficile est mederi illi, qui est in habitu peccati venialis.

Non vereor uti parte sermonis , quo Sanctus Basilius quemdam ævi sui devotum virum alloquitur homilia septima . Erat ille similis plurimis , quos hodierna die videmus ; saltem omnes eorum characteres gerebat . Religioni sibi vertebat enormia crimioa , pietatem suam secondum ingenii sui libidinem dirigebat, a mortalibus noxis abstinebat, in levibus dumtasat peccabat, eo modo, quo noa, loquebatur : Nil mihi mea exprobrat conscientia , nil feci , quod magnum sit malum , honeste vitam traduco, non sum violentus , injustus , impudicus. Attamen crediti sne ? licet morbus ejus ad mortem usque nequaquam procederet , erat tamen immedicabilis . Eheu ! frater mi , ajebat Sanctus Basilius, quam deploranda est sors tua, & etiam mea, quandoquidem hoc negotium aggressus sum ! Si magnus esses peccator , de salute tua non desperarem ; satis esset tibi ob oculos infernos ignes objicere , ut te ad temetipsum revocarem, ac certus sum futurum , ut æterna hæc supplicia considetans , que te procul dubio flecterent, ab iis secederes peccatia , quæ in te exercent tyranoidem. Sed quia venialiter dumtaxat peccas, dic, quæso , mihi , quibus verbis uti debeo; ut te ex imminenti eripiam calamitate? *Auctor actionum Christianarum tomo 1. sermone hujus argumenti.*

Quomodo per venialia peccatum interire possimus.

Duplex est naufragii genus . Primum, cum aquæ agitatæ , contrariique venti navim in pleno mari concutiunt , evertunt , ac fluctibus obruunt : quæ insignium peccatorum sors est , qui affectuum suorum vi agitati , atque concupisceotiæ suæ pondere oppressi sine duce , & sine navita pereunt . Alterum , quod æque periculosum est , proficiscitur ea sinis quibusdam sensim pelagus excipientibus , quæ causa sunt , propter quam navis submergitur , tunc ubi minus esistimatur , in ipso portu , & ubi tutissima esse censetur . Talis est lapsus aoimarum , quæ a mortali peccato sibi cavent , sed venialia nullo habent in discrimine , eaque in animas suas ingredi sinunt , ac misere in abyssum labuntur . Assuescunt, exempli gratia , officiosa mendacia proferre , in aliorum societate aliis illudunt , alienisque somptibus recreantur . Hæc mala non sunt ; esto ; seu quod velit Deus olcisci suæ veritatis contemptum , seu ad aliquid gravius sternatur via , accidit , qood cum duobus digitis a oaufragio distamus, facile in præceps labimur , & de peccato veniali in mortale protuimus. *Idem.*

A levibus pœnis facile ad gravis transvolamus.

Qui spernit modica , paulatim decidet . Quantum trepidationia hoc monitum nobis debet incutere levia crimina nostra intuentibus ! Vulneta , quæ hæc animæ nostræ infligunt , levia sunt , sed mortalia fiunt , cum illis mederi negligimus . Parvæ negligentiæ , si seorsim in semetipsis spectentur , peccata non sunt , sed gravium peccatorum sunt causæ . Virtutem nostram ooo evertunt , sed paulatim illam infirmant , locumque præbent affectionibus , quæ nos pertrahunt in iniquitates . *Auctor Anonymus.*

Quamvis peccatum veniale sit leve peccatum, nihilominus leve malum non est.

Fateor equidem , veniale peccatum leve peccatum esse , sed leve malum esse haud equidem fateor . Leve est , si cum mortali peccato conferatur , quod est malorum omnium maximum ; sed si absolute , ac in se ipsa spectetur, oullus dolor est, nulla infamia , oullum tormentum , quantumvis crudele sit , atque turpe , qood levissimo eorum criminum , quæ levia dicimus , non sit anteferendum . Levia illa sunt , quia leviter , ac temere committuntur , quin quod fit , satis consideretur. Veniale peccatum cum mortale collatum idem est , quod morbus , si cum morte conferatur . Fateor , mortem terribilem esse ; hoc tamen non prohibet , quominus lepra , lues , paralisis , lithiasis , febris ardens , & assidua magna sint mala , atque summa cura evitanda . *P. de la Colombiere , sermone hujus argumenti.*

Pœna, qua Deus in hac vita peccatum veniale punit.

Inter omnes pœnas , quibus consuevit Deus veniale peccatum punire , nulla major est subtractione gratiarum , quam vulgo graviora crimina , & sæpe etiam mortale peccatum subsequitur . Verum est , parva peccata Dei odium non mereri ; sed catholica doctrina est ; per illa amorem ejus frigescere , ideoque ejus liberalitates imminui , Inhiberi peculiarem illam providentiam , quam erga amicos suos exercet , & quæ illos ab omnibus dæmonum insidiis tuetur . Fatigatur ille ingratam sustinens aoimam , quæ credit infinitia se facere satis obligationibus, quibus illi devincta est , si illum extremis oon efficiat contumeliis , quantumvis in singulos dies sexcentis in rebus illi displiceat . Sensim ille fastidit cultum ejus , suas subtrahit gratias , intermittit arctam eam , quam cum ipsa fovebat , necessitudinem , non afficitur amplius malis , quibus illa est obnoxia ; demum eam tradit inimicis ipsius , qui invenientes illam præsidio ejus destitutam sexcentis lethalibus vulneribus eamdem conficiunt . *Idem.*

Gravia mala sæpe ob exiguis ducunt initium, & peccata majora a levibus.

Qui sese præcipites dant in graviora flagitia , Sanctus Bernardus ait , primum quidem a levioribus noxis ducunt ioitium ; & nemo repente fit pessimus . Spiritualibus morbis idem accidit , quod corporalibus , utrique sensim efformantur .... Ubi videtis, Sanctus idem addit , aliquem Dei servum, qui insigni lapsu corruerit , ne credas , tunc malum occœpisse . Modica muri ruioa facile poterat reparari ; sed ea neglecta totum corruit ædificium . Si vel levis adhibita fuisset cura tunc, cum malum incipiebat , facile progressus illius poterat probiberi , sed quod hi defectus vel attentionis in precibus , vel diligentiæ in obeundis officiis habiti fuere tanquam levinsculæ imperfectiones , neque illis adhibita fuit medicina , funestissimi lapsus subsecuti sunt . Cum diu io innocentia perseveravimus , raro accidit , ut repente in grave aliquod peccatum ruamus . Primo semper exteriora urbis munimenta occupantur , antequam io ipsa urbis propugnacula tormentorum acies dirigatur . Salutis nostræ inimicus nimis callidus est , neque primo statim occursu audet Dei servos lacessere io iis , quæ sunt essentialia : in irritum cederet conatus illius , si primo impetu animæ , cui Dei timor inest , suadere vellet , ut mortale peccatum committeret ; sensim per levia crimina veloti per cuniculos irrepit . Sexcenta amoris proprii, cui fides habetur, consilia ; voluntariæ , crassæque imperfectiones , quæ nobis fiunt familiares, secretæ viæ suot, quibus utitur inimicus, ut optatum finem consequatur.

Habitus venialia peccata committendi efficit , ut in graviora cadamus .

Sensim assuescimus peccatis ea in re levi patrantes, quoniam nequaqoam sese nobis offerunt ea ex parte, quæ est magis horribilia . Assuescimus mentiendo , exaggerando , de aliorum defectibus obloquendo , murmurando , illudendo : mox subsequuntur simulationes , versutiæ , politica agendi ratio , iræ , assentationes , affectiones , quibus zeli color inducitur ; vita mixta, ubi oimium humani est, & jam satis superque mali , periculosa tepiditas, externa imbellitas , qua vitio resistimus , misera inter bonum, malumque hæsitatio ; denique mors aoimæ, malaque omnia , quæ mortem hanc comitantur ; ita ut animæ intereant , & religiosæ sodalitates paulatim decidaot , quin dici queat , quomodo id contigerit, oisi quod initium ductum fuit a rebus parvis, atque ad graviora progressus fuit . *P. Surin tomo tertio dialogorum spiritualium.*

Venialis peccati gravitas , quamvis leve dicatur.

Ut verbo exprimamus nequitiam , & gravitatem peccati, quod leve , & veniale dicimus , dico Dei offensam esse , ideoque tantum malum , ut licet de

totius

totius terrarum orbis salute ageretur, vel integra illius prohiberetur eversio illud committendo; gloria, & honor Dei ita creatis rebus omnibus præstat, ac tantam æstimationis postulat prælationem, ut dubitandum non sit, utrum potius mundi totius salus sit relinquenda. De hac veritate solum rationis lumen nobis persuadere potest; etenim ex quo peccatum veniale Dei est offensa, terminus hic illud in ea classe mali constituit, ut supra ipsum non sit nisi maximum, summumque malum, mortale videlicet peccatum; sed reliquis omnibus, quæ fingi, excogitarique possunt, malis præstet. Veluti, si in mundo inveniretur creatura ita perfecta, ut nemo eadem perfectior esset præter unum Deum; & reliquas omnes, quæ esse unquam possunt, longo post se intervallo relinqueret: ad quem perfectionis cumulum ipsa evasisse dicenda esset? Hoc ipsum dico de veniali peccato: in genere malorum, supremum, extremumque malorum omnium illo majus est; ipsum vero maximum est reliquorum, quæ in mundo sunt, vel esse possunt. Hoc habet cum aliis malis commune, quod extremum non est: sed alioquin alia exsuperat omnia; animam non agit præcipitem in extremam calamitatis abyssum; sed omnibus præterea malis præstat: extremum non est, sed præter illud, nullum est, quod cum ipso valeat comparari: enim quatenus Dei offensa est, ea omnia superat, quæ contra creata possunt committi. Ita si fieri posset, aliqua præcisione possibili, vel secus, ut separari posset injuria facta Deo: omnes contumeliæ, quibus affici possunt omnes mundi Principes, & Imperatores, etiam si eorum dignitas in infinitum usque extollatur; adde etiam quibus nobilissimæ ex puris intelligentiis affici possunt; ac deinde concipe, quidquid contumeliosissimum est in omnibus circumstantiis, quæ injuriam aliquam graviorem efficere possunt, hæc omnia nunquam æquarent gravitatem minimi venialis peccati contra Deum. Hic enim terminus illud in ordine superiori constituit, & super ea omnia, quæ committi possent contra creaturam, si ea separari posset injuria, quæ Creatori simul infertur. *Auctor sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta; sermone hujus argumenti.*

SUPPLEMENTUM.

Asserunt Theologi, veniale peccatum in nostrum cor quamdam veluti glaciem immittere, quæ sensim fervorem, & ardorem charitatis extinguit. Non quod huic sit oppositum; quemadmodum frigus calorem imminuit primum quidem caloris hujus gradum auferens, ac frigoris gradum admiscens; mox alterum frigoris gradum, & sic deinceps adjiciens. Licet enim decies centena venialia peccata admisissemus, cum hæc minime adversentur charitati, numquam tamen possunt illius interitum gignere. Sed Deus propter veniale peccatum hodie nos privat bona quapiam cogitatione, quæ nobis fuisset fortasse principium alicujus actus virtutis; postmodum alterum veniale peccatum admittimus, per quod alia recenti gratia privamur, & mox tertium, quod tandem plurium gratiarum subtractione, quibus a Deo cumulati, ornatique fuissemus, ita nos frangit, ac debilitat, ut gradatim ruamus, donec charitatis ignis taliter imminuitur, ut sensim sternamus viam ad malorum omnium maximum, quod est mortale peccatum. Venialis autem noxa, præsertim vero ubi sine ulla religione committitur, hac in re morbo similis est, qui cum numquam mors esse posset, ad hanc tamen redigit corpus, cui adhærescit. Ita quæcumque illa sit, per se mortalis fieri non potest, sed aperit aditum mortali, quatenus interiorem gratiæ rem, qua fulcimur imminuit. Capillus aliquid est satis gracile, ac debile, tamen capillorum copia Absaloni peperit mortem. *Auctor Recens.*

Levia crimina eo

Pericula in quæ nos leves noxæ conjiciunt, eo difficilius evitari possunt, quo magis latent. Catenæ, quæ inde efformantur, eo facilius roborantur, quo minus graves sunt innocentiæ; & vulnera, quæ infligunt, eo magis funesta sunt, quo magis occidunt, quin sentiantur. Hæc vere illa via est, quæ quidem recta videtur, cujus tamen finis ducit ad mortem. Hæc malacia est ipsa tempestate deterior. Mare tranquillum est, sed infidum clausas in sinu suo plurimorum naufragiorum causas ferens. Itaque ut oscitantibus animabus salutarem status sui timorem injiciamus, ostendamus illis, quæ latent pericula; aperiamus illis crimen tamquam fatalem terminum, in quem ipsarum desinent negligentia. Excitemus justum sopore captum; virtus, quæ dormit, numquam potest se ipsam defendere. Venialia peccata sub duplici specie possunt considerari quatenus videlicet ad Deum, atque ad hominem referuntur. Deum quidem offendunt, hominem vero debilitant. Sed quomodocumque spectentur, liquebit, statum hunc in scelus adducere, quia fatigatur Deus nos sustinere; nos vero jam parati sumus ut labamur. *Primus Accademiæ sermo Abbatis Mongini anno 1701.*

magis terribilia sunt, quo minus sentiuntur.

Sustinet Deus, perficitque virtutem, cum est infirma; rejicit vero, reprobatque cum tepida est, ejusque languores ab ignavia proficiscuntur. Ecce autem negligentiæ crimen in levibus noxis; tepor, & inertia, in qua consulto, & animo deliberato animæ squallent. Et sane hoc in statu neque nos cupiditas rapit, nec trahit occasio, neque error seducit: sed ratio sola infidelis est. Sunt enim quædam noxæ quas Dei bonitas ejusdem subtrahit justitiæ, & quas nobis condonare dignatur. Illas singulis diebus scientes, volentesque iteramus, neque enim credimus lapsus esse mortales, ideoque in illis tranquille versamur; & quotidianæ infidelitates admittuntur in ordinem, & systema vitæ nostræ; quoniam non credimus admittendas esse in illud nostræ reprobationis. Ita per nequitiam improbissimorum hominum propriam, pravi sumus quia Deus bonus est. Facilitas ejus in dimittendis debitis nostris ad recentia conflanda nos reddit audaciores; & herilis indulgentia servum efficit negligentiorem. *Idem.*

Debilitas, & infirmitas animæ potius quam tepor Dei protectionem merentur.

Non abest longe a peccato, qui secus illius oras deambulat. Tranquille infideles sumus in minimis, quamprimum tentandi, ut & in maximis simus infideles. Qui id unum quærit, ut ea quæ sunt præcepti, perficiat, non longe abest ab illius infringendi cupiditate. Si obeditur adhuc; hæc est obedientia servi de sarcina, quam gerit, mussitantis. Si quid sacrificatur; cor lacrymis prosequitur sacrificium, quod manus offerre cogitur. Idolum confractum nos movet, ac sæpe illi impendimus suspiria, lacrymasque, tunc etiam cum thus illi detrectamus. Itaque dici potest hoc in statu nos odisse legem, quam observamus, & amare scelus quod non audemus committere: opera quidem virtuti, cor autem, & vota peccatis tribui; ultro nos acquiescere, si cœlum nobis claudatur, dummodo inferni quoque os obstruatur; nosque non ægre lauros Dei odium, si impune illum odisse liceret. *Idem.*

Quo minus leves noxas timemus, eo magis nobis timendæ sunt.

Quemadmodum ut plurimum ad magna transitus fit ab exiguis; quemadmodum medium viam sternit ad extremum, & suapte natura mediocritas semper præcedit excessum; natura quoque institutum est, ut noxæ leves viam sternant ad gravia peccata. Ita audacissimus quilibet peccator timidissimus fuit. Impietas non est abyssus, quæ repente effodiatur; primum hæret acqua, ac retroceditur, antequam libero pede procedatur, & raro gravia scelera gravissimis præluserunt. Interrogate impium de viis suis, & percontamini, quo tramite lapsus sit in interitum. Audite, & contremiscite. Illius historia vestra fortasse futura est. Primum quidem non erat nisi oblivio quædam, & in muneribus suis, quæ non magni momenti erant obeundis negligentia; non erat nisi pondus quoddam, &

Nemo repente fit impius; leves noxæ præcedūt, ac præludunt gravioribus.

laxi-

laxitudo in pietatis muneribus exercendis; occasio periculosa non sedulo evitata, oculorum conjectus paulo liberior in terrenis voluptatibus defixus, cor sensu aliquo affecit. Non satis cautus fuisti adversus inimicum illecebris solum, & sæpe etiam innocentia sua pugnantem. Credebas te intra virtutis fines scelerum horrorem iri cohibitum, quiescebas in bonorum tuorum desideriorum fide, similis imprudenti nautæ, qui placato mari carpitur somno; periculo objiciebas vas fragile, quasi numquam posset confringi; & perinde ac in bono factum æque esset facile, ac illius faciendi consilium; quasi ad salutem satis esset nolle perire; hac de causa haberis, qua temer sustinere posse arbitrabaris. *Ex primo sermone Academiæ Abbatis Mongini anni* 1701.

Hoc est palam cedere inimico; leves culpas contemnere.

Non solum magnis se lapsibus objicit, qui in levium noxarum habitu persistit: imo etiam dicere possumus, taliter affectum ea omnia præstare, quæ facienda sunt ut labatur. Quin cupiditas infirmetur, novum illi pondus adjicitur. Opponitur inimico inerme cor, & proxime vincendum; & quin malum arceatur, eidem occurritur. Levia foventur peccata tot veluti scintillæ, quibus accendatur ignis, quo sumus comburendi. Propriis manibus nobis iniquitatis ædificium extruimus. Infirmum cor agitatur, eique obstetricatur, ut pariat scelus. Venti excitantur, & procellæ, ut ita dicam, arcessuntur. Numquid post hæc mirum esset debet, si fit naufragium? *Ex eodem sermone.*

Facilius majora evitantur scelera, quæ animus per celsent, quam minora quorum periculum difficile conspicitur.

Ex omnibus insidiis, quas dæmon hominibus struit, nullum periculosius est, quam in rebus parvis negligentia. Naturalis quidam horror nos satis continet, ne in graviora crimina ruamus; & deficiente virtute, conscientia, pudor, timor attollunt vocem medio in cupiditatum tumultu, eisque silentium imponunt. Longe tamen accidit in levibus noxis; quarum deformitas, quæ vix percipi valet, oculos fallit, non perstringit; & quoniam nulla illis inhærere videntur supplicia, stimuli, infamia: nemo illis obsistit, ideoque per suam exilitatem triumphant. Sed hujusmodi infidelitates in nostræ cupiditatis oculos adeo contemptibiles, coram æterna Dei justitia tales non videntur, & si minus ictu uno mortem infligunt, qui manifestarum prævaricationum effectus est; sensim & sine sensu in venas nostras secretum virus instillant, quod quia lente agit, non ideo minus est mortale. Crimen grave momento Dei iram in caput nostrum detorquet; leviora crimina illius misericordiam fatigant. Nullum malum est, quo scelera nos non agant præcipites. Denique tum in levibus noxis, cum in gravibus sceleribus, licet varii sint gradus, adest nequitia, quæ nos privat protectione Dei, & corruptio, quæ omnibus salutis nostræ inimicis nos mancipat. *Sermo secundus Academiæ anno* 1701.

Deus aliter ac nos examinat peccata quæ nobis levia videntur.

Dæmonis arte deceptis accidit, ut fere quotidie leves noxas cum iis comparemus criminibus, quorum gravis enormitas illas extenuat; vel ut confundamus illas cum quotidianis defectibus, qui solertissimam quoque fallunt vigilantiam, & qui Dominica oratione, eleemosynisque expiantur. At non ita de illis judicat Deus justitiæ, & veritatis. Respicis homo suas inobedientias in extima earum superficie; Deus autem omnem earum intus nequitiam scrutatur; earum causas evolvit, & effecta; eæque sese nativa in deformitate præbent illi videndas; & ipsa intelligit illas inde proficisci, quia parum movetur homo Dei gratiis, & quia modico habet id discrimine voluntates ejusdem. Sanctus ejusdem Spiritus, cujus ineffabilis actio toties perturbata fuit, ac sospeusa; ejusdemque Filius, cujus Corpus & Sanguis in Eucharistia toties inutiles facti fuerunt, ultionem poscunt, atque urgent. Ipse tenuit infringenti legem suam ferre opem, quam observantibus eam tantum promisit. Misericordiæ illius fugiunt, ac recedunt, & Christianus infidelis Dei protectione vacuus cedit in prædam inimicorum suorum. Vita universa juge bellum est; dæmon, concupiscentia, mundus nos urgent modo violentis incursibus, modo secretis illecebris; sed in eorum cederet opprobrium, si anima nostra in prima resistentia constans numquam in minimis rebus sese relaxarat. *Sermo secundus Academiæ anni* 1701.

Scelus suos habet gradus non secus ac virtus; nemo repente fit pessimus.

Tentator numquam repente ac ictu uno proponit fideli cædem, ac apostasiam. Nimirum scelus inter virtutemque interjacet spatium ut ab alterutra ad alterum sine medio ullo transitus fiat. Lapsus etiam qui magis repentinus est suas habet præparationes, primum exploratur, quæ nobis studia peccatum injecerit; eisque tanta favet calliditate, ut ex levi motu, qui contra rationem insurgit, impellat in ea scelera, quæ natura ipsa perhorrescit. Poterat haud ægre Cain jugulare improbam invidiam, qua cor suum cœperat agitari; illam contemnit; nequitiæ spiritus, qui nullam negligit vincendi occasionem colligit hoc mortis semen, & colit. Sub execrabili ejus manu crescit; paullatim invidia naturam mutat, & fit odium, & furor. Tunc impellit Cain in parricidium, cumque illi satis crudelitatis afflaverit, ut illud exequatur, tantum etiam eidem injicit imprudentiæ, ut factum neget.

Nonne per has artes, quæ omnem sensum fallunt, corrupit Judam unum ex Filii Dei sodalitio, effecitque, ut ille horrendum conciperet scelus prodendi, tradendique magistrum suum? Quantum distat Apostolica virtus ab hoc scelere, quod omni caruit exemplo, & semper cariturum est! Sed nihil arduum dæmoni, cum eidem nostra velificatur mollities; & trahens Judam ab avaritia ad furtum, a furto ad sacrilegium, per varios gradus illum ad Deicidium usque traduxit. *Sermo Academiæ anni* 1701.

Insignis peccator faciliorem habere videtur reditum ad Deum quam tepidus.

Si in gravioribus criminibus certum adest periculum, idest quoque certa ratio inde emergendi. Sola turpitudo, quæ comes illa subsequitur; sæpe satis est, ut ab illis nobismet caveamus; & si vis cupiditatis nos illuc rapit; sufficiunt conscientiæ stimuli, ut inde evadamus. Non possumus diu nosmet accommodare statui, qui gravis est, & in quo nosmet nostri tædet; & quemadmodum non possumus tranquillam ducere vitam in scelere, subinde saltem aliquis conatus exeritur, ne in illo moriamur. Sed peccator qui re adhuc integra nonnisi per leves noxas a justitia recedit, hoc caret bono. Quemadmodum singulis diebus nonnisi leves sarcinas suæ imponit conscientiæ, paulatim assuescit ferre omne pondus iniquitatis; & dum insigniores rei in criminibus suis utile inveniunt supplicium, quo, ut inde emergant urgentur, hic e contra in lapsibus suis funestam invenit requiem, qua invitatur, ut illic permaneat. *Sermo tertius Academiæ anni* 1701.

Nihil adeo commune quam ut sibi complaceant illi, qui magnis non sunt obnoxii sceleribus.

Ne merito versas tibi horrorem, quod ingentia refugis peccata, & quod quocumque pretio minime velles ullum eorum committere, quæ Cœlum nobis claudunt, ac in nullam reditus spem præcipites dejiciunt. Quod tamquam virtutem jactas, in te insignis est labes, & charitatis motum putas, quod amoris tui effectus est. Si illa tantum vitas peccata, quæ te in æternum miserrimum possunt efficere, nonne tribuis credendi locum te nullum evitaturum scelus esse, nisi tibi metuendus esset infernus? Ideo verecundia tua non aliud est, quam coactio; & pietas tua mera hypocrisis est, quia cum agas tantum ut tuis commodis prospicias, cor tuum impletum est amore tui ipsius, & creaturæ; & æque distat a Deo, ac creata absunt a Creatore. *Tertius sermo Academiæ anni* 1701.

Quod in malū præceps ruat anima quæ venialia committere peccata non renuit.

Quid! non times leves noxas committere; alacriter etiam, & sine ulla cura committis illa, quia, ut dicis, non grave charitati vulnus inferunt. Verum quomodonam stare potes in lubrico?

& evi-

& evitaré mundi corruptionem iis destitutus virtutibus, quæ esse possunt remedio; carens ea valida voluntate, quam tribuit charitas, qua homo complectitur Deum, & iis vacuus præsidiis, quæ a Dei erga homines charitate procedunt? Primus, minimusque tentationis flatus te quatiet; ac te infirmatum sentiens exiguis victoriis, quas de te inimicum referre passus es, tandem illi integrum triumphum relinques. Voluntas tua, quæ sibi consuevit satis facere in minimis occasionibus, non poterit amplius sibi vim facere in magnis, ac tandem rues in abyssum, cui accedere non dubitasti. Auferetur abs te talentum quod in quæstu ponere noluisti, & quia bonum, quod poteras, operatus non es; Justo Dei judicio amittes eam facultatem, quæ tibi erat illius operandi. Ita tibimetipsi traderis; primorum scelerum tuorum eventus te recentibus implicabit, & ubi excusseris pudorem eorum, quæ levia peccata appellabas, audacter graviora patrabis, nam iniquitas, quæ in anima sua incipit exundare, ita illam inundabit, ut extincto charitatis igne omnes etiam timoris sensus ibi sit jugulatura, *Idem*.

Peccata licet venialia cum multiplicata sunt fidei caliginem offundunt ac tandem efficiunt, ut Dei timorem amittamus.

Servamus in cordibus nostris impressionem timoris Dei, donec nos illuminat gratia, & ipsi Religionis principia sectamur; sed peccata peccatis agglomerando retunditur acies stimulorum conscientiæ, ac densus criminum vapor, ubi in animis charitatem extinxit, fidei quoque offundit caliginem. Tunc alterius vitæ supplicia, quæ antea inevitabilia censebantur, nonnisi incerta videntur; & quo magis illorum fides cessat, cessat & metus, ac tandem vivitur, quin ullo in discrimine habeantur; qui funestissimus effectus est, quem in nobis parit levium noxarum negligentia. Tandem enim cujuscumque generis sint peccata, nonne omnia opera sunt tenebrarum? Nonne semper aliquam secum gerunt obscuritatem? Primum quidem leves sunt vapores ex impuræ conscientiæ ima parte exhalantes, sed qui tanto in numero coalescunt, ut satis densam nubem efficiant, quæ par est, ut peccatori conspectum auferant Solis justitiæ. Hinc illa oritur mentis caligo, quæ boni, malique aufert cognitionem, virtutesque cum vitiis confundit. Hinc illa fallax peccatoris securitas, quæ illum contra Dei minas confirmat, efficitque ut eo magis festinet in interitum, quo magis se aliquo sentit stimulo cohiberi. *Idem*.

Magna scelera suum habent initium in noxis levioribus.

Undenam proficiscuntur hi lapsus adeo funesti, qui vulgo quidem scandalum, Religioni vero dedecus afferunt; nisi ex levi principio, & quod leves noxas nequaquam satis metuimus? Quid in speciem quidem levius peccato curiositatis? Verum nonne hæc princeps causa fuit, propter quam David, & Dina in tot mala inciderunt? Ille nonne proximo suo honorem, & vitam eripuit eo, quod sese objecit intuendi periculo? Hæc autem nonne proprium amisit honorem, quia sese objecit vanitati, ut videretur ab aliis? In tentatione latet quidam progressus, qui malum dissimulat, ac tegit, illudque nonnisi aliqua tantum ex parte ostendit. Primum quidem tentamur, ut videamus, & audiamus, neque intelligimus hoc pacto venenum gliscere, mentem falli, cor affici, conscientiam corrumpi, ac tandem fieri ea, quæ numquam facienda esse credidissemus. Nonne hac de causa Spiritus Sanctus etiam, atque etiam hortatur, ut peccatum tamquam a facie colubri fugiamus, cujus flatus noxius est, & morsus etiam levissimus mortalis est; simul declarans, quod *qui timet Deum, nihil negligit*; certissimum argumentum, quod qui levia peccata contemnit, jam hunc timorem amisit. Et sane quid post hæc timendum est levia crimina negligenti? Quiescit, & nihil sibi reformidat a levibus noxis, quarum pondus non sentit, & a magnis, quibus se imparem esse arbitratur. Nescit quid sit,

Eccl. 7.

sese propter priores illas humiliaré cum justis; vel a posterioribus sibi cavere, cum improbis. *Idem*.

Levia peccata licet non sint gravia animæ illā tamen sua opprimunt multitudine.

Quemadmodum peccata levia nullum afferunt pondus animæ eadem contemnenti; hæc illis magna in copia onerari non refugit. In singula momenta, & ubi sese offert occasio multiplicat illa: temere, & non ægre illa committit, & magis magisque iniquitate, crescente tandem accidit, ut quod propter exilitatem contemnendum censebatur, sua opprimat multitudine. Ita nequissimi fiunt peccatores. Quidam se ad non mediocrem evexit fortunam, qui ex levibus furtis duxit initium, quæ sæpius iteravit, & quorum singula parum aliquid esse duxit. Hic statim sibimet excusavit crimen suum, prætexens, se id sibi sumpsisse, quod necesse erat, cui mox & commodum adjecit, & supervacuum. Desiderium ex paupertatis sordibus emergendi, re adhuc integra illi persuasit, quod non admodum grave malum esset aliena surripere; modo vero putat non esse crimen illa retinere, cum restitui minime possunt, citra dignitatis suæ detrimentum. Hinc facile est intelligere, unum ex periculosissimis, vulgatissimisque illusionibus vitæ hujus esse, credere, omnes noxas, quas committimus esse leves; cumque hæc sint nostri amoris proprii opera non posse nos consilium capere, illas odio habendi, & judicium contra illas ferendi, ne nosmetipsos simul damnare videamur. *Idem*.

Imperfectis ea tantum videntur enormia, qui hus sunt vacui.

Cum nequeamus auferre peccato deformitatem, propter quam illud enorme videtur, conamur tamen aliquem illi prætexere colorem, ut illud magis tolerabile ostendamus. Et si minus Deo sumus audaces, ut actiones nostras culpa vacare asseramus: satis versuti sumus, ut illas nequaquam inter fœdiores esse enumerandas arbitremur. Impudicus respicit tamquam horribile monstrum aliena retinere; hoc illi videtur peccatum irremissibile: sed ille non credit magnum esse malum servare in corde suo criminosum affectum; eumque ad summam fragilitatem venia dignam arbitratur. Cuilibet ea videntur enormia peccata, quibus caret, levia autem illa, in quæ præceps ruit. Atque si verum est, maxima quæque crimina nobis exigua videri, ex quo illa committimus, quibus noxis immunes erimus, si parati sumus ad illa tantum evitanda, quæ gravia censemus? Evitabimus fortasse peccata quædam, quæ nobis non sapiunt; liberum vero spatium illis relinquemus, qui dominanti in nobis cupiditati velificantur. *Sermo tertius Accademiæ anni* 1701.

Juxta Apostoli consilium ipsam etiam peccati umbram debemus perhorrescere. *ad Thess.* 5.

Ab omni specie mali abstinete, dicit Apostolus: *Ab omni specie mala abstinentes*; horum enim criminum initia periculosa sunt, & exitus semper funesti. Non deest in peccatis nexus quidam, qui ab uno adducit in alia; & sæpe quia temet tradidisti illis, quorum fuga facilis erat, implicitus es aliis, e quibus non ita facile emerges. Si tibi curæ non est cogitationum tuarum puritatem tueri, quamprimum illam actionum tuarum abjicies. Satis est pravam in corde simultatem negligere, ut ibi odium suboriatur, & sufficit odio obsequi, ut de hinc incidas in cædes. Credimus ab humana societate exterminandos homines, quibus aditum ad nostram necessitudinem interdicimus, & tamquam luce hac indignos putamus, qui nobis placere, & obsequi detrectant, & sicuti cor se crebro mali sinit a corde, tandem ea exequimur, quæ antea cogitare consueveramus, ac injuste proximo eripimus bonum, cujus illum falso diu censuimus immerentem. *Tertius Sermo Accademiæ anni* 1701.

Leves noxæ paullatim animæ vires absumunt, tam

Minimarum rerum negligentia gradatim in malum progredimur. Primum quidem quæruntur quædam diverticula, quæ longum replent circui-

dem non secus ac gravia peccata illi mortem inferunt.

tum, sed quæ tandem ad funestum exitum adducunt. Sensim in via iniquitatis proceditur, sed tandem præcipiti lapsu in abyssum ea ducit. Verum quid interest, quo pacto illuc perveniatur? Numquid non æque interis navis, quæ fluctibus ictu uno deglutitur, & quæ gunatim aquia repletur? Numquid non æque mortem infligis animæ tuæ, sive vehementi pareas cupiditati, quæ repente illam rapit; seu incidat illam in phitisim, qua sensim omnes vires illius absumantur. Divine Salvator, qui te semper fidelem exhibuisti observatorem legia, quam nobis irrogasti, ita nos qua sermonibus, qua exemplis erudiens, omnem nobia implendam esse justitiam: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam:* ne diu patiaris injustum hoc discrimen, in quo apud nos sunt majora, & minora præcepta, cum illa quidem adimplentes, his teneri nequaquam existimamus. Statim periculosas hasce mentis nostræ illusiones dissipa, quæ efficiunt, ut crimina nostra levia nobis videantur, & hunc discute cordis nostri teporem, qui in causa est, ut ea nullo in discrimine habeamus. Nos reple magnitudine infinitæ Majestatis tuæ, ut quidquid ad te spectat, nobia magnum videatur. Reple nos tui amore, ut quidquid displicet tibi, nobis quoque displiceat. Præsta, Domine, ut bene tuis gratiis utentes novas semper in dies mereamur, & per fidelitatem, qua semper, vel in minimia occasionibus tibi adhærebimus, nosmet pares efficiamus, qui in majoribus fidem tibi nostram probemus: *Qui fidelis est in minimo; & in majori fidelis erit. Idem.*

Matth. 3.

Luc. 16.

Quæ nobis leves videntur noxæ graves sunt propter periculum in qui nos objiciunt.

Noxæ leves, in quas indesinenter labitur homo negligens, in specie quidem sunt leves, sed reipsa magnæ sunt propter ea, quibus nos objiciunt pericula; criminum horum ea se minus levium, propter calliditatem, qua peccator ea sibi dissimulat, quidnam cursum cohibebit? Numquid honor, officiumque? Credit ille nullam hæc honori suo labem offundere posse; & se innocuum putat, quia esse posset nocentior. Numquid harum infidelitatum injustitia? Hæc non satis illius perstringit oculos, ut cor ejusdem afficiat; sentiret ille vulnus suum, si esset lethale. Vos, qui in languida, ignavaque vita profitemini gravia perhorrescere crimina, & flagitiosum vivendi genus odisse, numquid ea falsa justitia honorem aucupamini? Mollitiei vestræ, propter quam maximi momenti officia negligitis, aliquam prætexitis excusationem? Si enim ea detestamini scelera, quæ humanitas horret, & Religioni sunt scandalo, cur non expavescitis has leves noxas, quæ quantumcumque sint in oculis vestris excusatione dignæ, vos tamen in graviora hæc scelera adducere potetunt? *Idem.*

Satis est scire nos venialibus culpis ad majora scelera duci, ut illas evitare teneamur.

Frustra credimus excusare scelera, quia non incidimus in majora. Licet in eo res sita esset, ut mediocres virtutes negligeremus, & leves noxas dissimularemus; nonne hoc satia esset, ut metueremus hunc statum, qui majoribus nos commodis privat, & ad majora nos scelera promovet? Expectandum est donec in teterrimam abyssum incideris, ut illius altitudinem cognoscas? Num periclitanti navi opem ferre differs, donec fluctibus submersa lamentabile fecerit naufragium? Crimen, ubi commissum fuit, nos dolore conficere debet, cum est committendum, timorem in nobis excitare non debet? Quam tutius esset cupiditati primas rescindere radices; idolum adumbratum conterere, & filios Babylonis allidere ad petram, quæ Christus est! *Sermo quartus Accademiæ anni* 1701.

Magna est illusio leves culpas negligere, quin confideremus pericula, cui nosmet per earum contemptum objicimus.

Sanctorum præceptorum observantia, aliquot bonorum operum praxis plerisque fidelibus videtur fidelitas sufficitos ad bonum supremum acquirendum. Intra doctrinæ hujus fines sese continentes, citra quamlibet religionem in culpas incidunt numero carentes, quæ ab illis habentur veluti imperfectiones, quas humana infirmitas evitare non potest; neque respiciuntur umquam tamquam infidelitates, quæ animam in scelus perducant. Hic proculdubio error est, qui e cæteris minime omnium agnoscitur, & omnium maxime adjacet periculo. Hinc quidem cum ea, quam sequimur, vivendi ratio nobia videatur Divinis legibus submissa, quomodonam in suspicionem incidere posse videtur? Inde vero quodnam gravius est periculum, quam fidenter in ea via, quæ tuta quidem censetur, & quæ tamen sensim ducit ad mortem ambulare? Ad illusionem adeo funestam dissipandam, & intelligendum quantum intersit nihil in salutis negotio negligere, Scripturarum audiamus Oraculum: *Qui spernit modica, paullatim decidet.* Quod monitum magnum nobis debet terrorem incutere leves noxas, in quas labimur, cogitantibus. Vulnera, quæ animæ infligunt, videntur levia; verum lethalia fiunt, cum illia medelam afferre negligitur. Leves negligentiæ sumptæ per se, non sunt gravia scelera; sed causæ sunt scelerum graviorum: Virtutem quidem non uno impetu evellunt, sed ubi paullatim infirmentur, locum præbent cupiditatibus, quibus trahimur in nequitiam. *Sermo quintus Accademiæ anni* 1701.

Eccli. 19.

Periculosus nostrarum affectionum effectus est nos in rebus minimis negligentes efficere, & quare.

Inter periculosas impressiones, quas cupiditates in anima efficiunt, non postrema est illam in minimis rebus negligentem efficere. Si statim ad gravissima scelera impellerent, Innocentiam nostram excitarent, ad omnia præcavenda, primis eorum incursibus fortiter resisteremus, & gratia, quæ animabus fidelibus numquam deest, nobis proculdubio hoc in certamine victoriam præberet. Sed negligentia, quam affectus isti pariunt in nobis, omni periculo, & crimine vacare videtur. Noxæ, quas eorum causa committimus, leves sunt; has nobismetipsis minus exprobramus, quam fortasse nobismet plaudamus ob horrorem criminis, easque eo libentius nobis permittimus, quo magis illas cum virtute simul esse posse confidimus. *Sermo quintus Accademiæ anni* 1071.

Nostra erga cupiditates nostras indulgentia efficit, ut minimas res contemnamus, quæ tamen vividiores efficiunt cupiditates ipsas a quibus in liberiorem vitam adducimur.

Certum est levissimas etiam culpas semper esse effectus indulgentiæ erga nostras cupiditates. Per hanc indulgentiam coalescit in nobis perniciosus habitus eisdem non resistendi. Hi enim fiunt vividiores, audacioresque, & in dies singulos in licentius vitæ genus adducunt. Voluptas, quam in relaxatione percipimus; virtutis tædium, quod illa in nobia ciet, mentis evagatio, quam gignit in nobis; nubes, quas animæ offundit; vires novas, quas amori proprio suppeditat; hæc omnia prohibent, quominus periculum intueamur, in quod nostræ nos rapiunt affectiones. Si quando accidit, ut periculum, cui nos objiciunt, intelligamus; nobismet persuademus, semper in potestate futurum illud evitare, neque ideo minus earum consiliis adhæremus fieri nos illis nonnisi ad certum finem obsecuturos, ideoque numquam ab illis prorsus esse vincendos. *Sermo idem.*

Assiduus labor ad minimas noxas arcendas necessarius nobis stuporem non debet injicere.

Cum cupiditas sit fere in omnibus hominibus par; necessitas minimis etiam illius motibus occurrendi, lex est, quæ nullam patitur exceptionem. Negligentia efficit in nobis habitum in leves noxas incidendi, & funestus hic habitus nos præparat, audacioresque facit, ut sensim in magna scelera prorumpamus. Insignium peccatorum omnium nequitia non aliunde incœpit, neque consummata est nisi per negligentiam in levioribus noxis, quæ nobis sedulo evitandæ sunt tamquam causa omnium animæ iniquitatum. Verbo; necesse est in modicis fideles esse Deo, & ut evadamus ea magna mala, quæ Deus nostræ minitatur hac in re negligentiæ, & ut mercedem fidelitati nostræ promissam mereamur. Verum quidem est, hanc in

mini-

minimis rebus fidelitatem exigere jugem in leviusculis etiam noxis vigilantiam; quas semper evitare humanæ fragilitati arduum est; sed quo magis hujus pugnæ difficultatem cognoscimus, eo magis cognoscendum nobis est quanti periculi sit, venialia peccata negligere. Magna quidem requiritur cura, magna constantia, ut jugiter de nobis victoriam referamus; verum si cogitabimus magna pericula, quæ per hanc pugnam possumus evitare, nonnisi jugem hanc sollicitudinem commendare poterimus. *Sermo quintus Accademiæ anni 1701. & Recens Auctor.*

Periculosi est, levia venialia non curare.

Nihil animæ perniciosius est habituali hac in minimis negligentia. Hic proprie status est teporis, & signum parum æquivocum certæ reprobationis. Tibi præcavisti, ne in gravia scelera prorueres, Sanctus Augustinus ait; quid autem facis, ut fugias leviora? An non times juges hasce negligentias, frequentes hasce infidelitates, hæc levia crimina? Projecisti in mare immania pondera, quæ navim submergere poterant; a scopulis recessisti, cave, ne magna arenæ copia, quæ in carina subsidet, eamdem in ipso etiam portu demergat. Errorem abjiciamus, hæ gratiæ adeo potentes, & necessariæ; hæc singularia subsidia, & opportune data illis generosis cordibus, fidelibusque dantur animabus, quæ non inquirunt, utrum quæ Deus quærit, de jure sint, an meræ amicitiæ. Modicæ hujusmodi observantiæ; leves hæ praxes, nihil sunt, ais. Et hoc nihil Deo renuis, cum interim contendis, ut has tibi gratias largiatur? Raro inveniuntur servi, qui vitæ herili insidias struant: sed diune domi tuæ servos aleres, qui quotidie minimis etiam muneribus suis deessent, & qui nonnisi, quod gravibus propositis pœnis facere jubentur, efficerent? Cum externa oppidi propugnacula ruere finis, cum ea sarta tecta non tueris, artem propugnare non poteris. Quascumque munitiores fieri jusseris, potentis inimici impetum sustinere nequibis, cum omnia circum te erunt nudata. Exiguarum devotionum consuetudo, minimorum officiorum observantia, sunt veluti externa propugnacula. Cum non satis caute accessus ad arcem custodiuntur, statim imparatus es hostium viribus propulsandis. Omnes istæ habituales erga Deum infidelitates probant cordis intemperiem nimis metuendam. Prope est ut inita cum amico, vel hero scindatur gratia, cum adeo modica illius habetur ratio, & cum adeo frequenter eidem offensionis causa præbetur. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Ejusdem argumenti.

Qui post sinceram scelerum suorum confessionem stabile, firmumque capiunt consilium omnia mortalia peccata evitandi, qui tamen negligunt venialia, tepidam habent, languidamque charitatem, & nimis vitæ hujus commoda conquirunt. Hæc via vere non deducit ad infernum, sed non longe abest; & qui in ea manet, quin longius procedat, est secum oram abyssi, ex Doctorum sententia; & merito, adducit enim in manifestum damnationis periculum eos, qui nullo in discrimine habentes venialia peccata, & nimium amantes voluptatem, mortalis peccati occasiones non vitant, ac sese quodammodo objiciunt periculo illius. Quia in hoc statu moriuntur, licet in salutis via, purgatorium sustinent terribile; & bona, quæ fecerunt opera, exigui sunt meriti propter immixtionem imperfectionis, quæ illis omne aufert pretium. *Ex Discrimine temporis, atque æternitatis.*

Omnia bona opera simul in Dei oculis æquiponderare non possunt cum noxa levissima.

Omnia simul opera bona omnium creaturarum, quæ extiterunt, & futuræ sunt tantum Deo placere non possunt, quantum eidem displicet peccatum. Ita ut si Deus dolere posset, magis doleret propter unicum peccatum, quam gauderet eo, quod acceptissimum creatura aliqua posset efficere, eidem placitura. Ita si minimum aliquod crimen requireretur ad procurandam Deo majorem gloriam quam a mortalibus recipere posset; posset quidem peccatum istud permittere, non tamen velle, neque cupere, ut aliquis illud vellet. Licet ergo vel unico mendacio omnes terrarum populi essent convertendi, hoc tibi facere non liceret. Tantum est Dei odium in peccatum. *P. Segneri in Meditationibus.*

Tepor soporem immittit justo in peccato veniali; mortis cogitatio illum debet expergefacere. 1. ad Cor. 3.

A te petit, Dominus, ut vigiles; hoc est, ne te sopore capi sinas in peccato veniali; *Vigilate.* Hic ille somnus est, de quo loquebatur Apostolus, cum clamabat: *Evigilate justi, & nolite peccare.* Sed quamvis somnus hic reperiatur in justis, non ideo minus periculosus est, quam fortasse arbitreris. Primam enim si minus somnus hic mentem excæcat, quod mortale peccatum præstat, saltem illi caliginem offundit, eamque aggravat. Ita ut hoc in statu nonnisi ægre, & gravate ea cogites, quæ ad tuam salutem pertinent, eaque imperfecte dumtaxat intelligas. Sopor somniorum tempus est; & in eo, de quo verba facimus usitatissimum est, ut mens sese tradat sexcentis inanibus phantasmatis, quibus seducitur. Secundo somnus hic animam redigit ad extremam paupertatem. Quid enim proficere in virtute potes, cum evitare non curas peccata venialia inanis gloriolæ, impatientiæ, invidiæ, negligentiæ in piis exercitationibus? Quod te locupletem facit, vigilantia est. Denique dormiens, cessas tibimet præcavere, & remanes expositus omnium inimicorum tuorum incursibus, ut olim Samson, Sisara, Holophernes, & longe plurimi. Ignave Fidelis; excute somnum hunc periculosum, in quo ultro sepultus jaces. Ignotas, ne calliditatem dæmonis, qua in lucrum vertit quamcumque illi præbeas ansam. Donec levia peccata contemnis, te sensim ac sine sensu in vitium trahit, Donec dormis, eo momento, quo minime expectas, te occidit. Audi Dominum tandiu te ad perfectam vitam vocantem. Cogita supremum diem tuum advenire. Festina; nullum reliquum tempus est, cujus jactura sit tibi facienda. Vita nostra adeo brevis est, ac mortis nostræ tempus incertum adeo, ut ne momento quidem vigilandum non esset. *P. Segneri in Meditationibus.*

Qui spernit modica paullatim decidet.

Insignis est error in iis etiam, qui pietatem profitentur, parum timere leves noxas, & minora officia negligere; quoniam ut plurimum ex rerum modicarum negligentia lapsus magni proficiscuntur. *Qui spernit modica*, Ecclesiasticus inquit, *paullatim decidet.* Qui se præcipites agunt in crimina graviora, Sanctus Bernardus inquit, re adhuc integra incipiunt a levibus, & nemo repente fit pessimus. Sunt spirituales ægroti, sunt etiam corporales; utrique sensim tabes fiunt. Facile fuisset hanc humorum exundantiam prævertere; & omnes isti mortales morbi, qui corporibus accidunt, nihil ferme erant in ipso primordio; si qui iisdem petebatur, sese domi continuisset, si fructibus abstinuisset, si cibo temperasset, levi pharmaco tanto defunctus fuisset incommodo. Sed quia maligni humores isti exundaverunt, postquam elpiphora viam sibi stravit, inutile est perfugium ad pharmaca; cumque morbus prævaluit, sera nimis semper est medicina. Subitæ mortes non alias causas habent. Neque aliter de animæ morbis sentiendum est; æquissima est utrinque analogia: Proh Deus! quam longe nos abducunt levia crimina! & quot lapsus prohibuisset paulo cautior conscientiæ vigilantia, paulo intensior devotio; pauloque severior mortificatio! Frequentes hæ infidelitates animam infirmant, & anima jugibus hisce morbis, & plurimarum gratiarum subtractione infirmata, poterit ne violentæ tentationis incursus sustinere? Hinc Sanctus Gregorius dixit, levia crimina quodammodo esse magnis periculosiora; magna enim quo magis cognoscuntur, eo magis eorum nos

nos deterret cognitio, efficitque ut illa fugiamus, vel celerius ex illis resurgamus, cum in eadem incidimus; cum interim minora, quo magis cognoscuntur, eo minus evitantur. Vehementis febris accessio satis nos urget, ut medicinam quæramus; at lenta febricula, quæ serius ocyus ad tumulum adducit, facile contemnitur. *Pater Croiset in Exercitationibus Asceticis.*

Consilium pro vitibus levia peccata evitandi.

Nihil aliud agitur mihi, Domine, nisi ut fartam, tectamque tuear, semperque augeam gratiam tuam; jugis hæc cura in bono, certa mihi faciet valida præsidia in occasionibus criticis, atque periculosis saluti meæ, quæ non semper evitari possunt. Sed multo minus negligendæ mihi sunt leves noxæ; quarum nonnullas semper quidem committam, Domine, sed hoc per fragilitatem, & infirmitatem fiet, non autem quia a me tamquam modicum aliquid existimentur. Levia peccata levia non sunt nisi habita ratione graviorum. *P. Segneri, Tomo 5. Meditationum.*

Metuendum est, ne levium peccatorum habitus nos in graviora scelera inducat.

Vereamur ne ex levium peccatorum habitu non solum incidamus in aliquod grave scelus, verum etiam in eam nequitiam, ex qua nosmet colligere numquam valeamus. Voluptatum cupiditas Davidem fregit, quin leves noxæ lapsum illius præparaverint: ita David simulac a Propheta correptus fuit, sese humiliavit; atque reliquo vitæ spatio lacrymis eluit crimen. Salomon quoque Patrem imitatus lapsus est, sed postquam sese plurimis abdidit nugis, quæ cor molliunt, & vulgo in illius corruptione desinunt: ita Salamon de flagitiis in flagitia ruit eousque, ut sese cum mulieribus prosterneret coram idolis, quæ ipsæ venerabantur. Amor proprius non habet callidiores insidias, quas mihi struat, quam mihi desiderium ciendo magna faciendi propter Deum, cum efficit, ut interim vulgatiora mei status officia contemnam. Numquid Domine, quia facile est obedire tibi in minoribus, putem me nequaquam ea facere teneri? Quæ illusio! spero me graviores hostium impetus facile illusurum; mihique deficit animus, ut levioribus incursibus resistam. Cuperem aliquando sævissima a Tyrannis subire tormenta, & a fratribus meis nil perpeti volo? Undenam in rebus arduis hanc inveniam animi vim, quæ mihi in facilioribus deficit? *Pater Segneri Meditationum.*

Ejusdem argumenti.

Fateor, Domine, nonnisi per jugem, tristemque praxim modicorum officiorum meorum exercere, experiri, formare possum virtutem meam pro magnis occasionibus, tibi ergo in minimis imposterum fidelis ero; quandoquidem nonnisi per hoc, magnum mihi thesaurum meritorum in cœlo comparare possum. Et sane quid facerem, quid pro te Domine paterer, si id faciendi insignes occasiones perquirerem? Raro hujusmodi accidunt occasiones, & rarius in illis fidelis invenitur, qui minimis in rebus fidelem esse desiit. Heu! Funesta nos docet experientia, levibus noxis in anima imminui horrorem peccati, proclivitatem in malum augeri, & ubi contemnantur, facile esse in interitum labi. *P. Segneri. Tomo 5. Meditationum.*

Qui facile in minora labitur peccata, labi ut quoque in majora. Luc. 16.

Sicut ille, qui non habet in pretio vulgatissimam virtutum praxim, sperare non potest, se ubi tulerit occasio heroicos actus facturum; ita qui leves noxes contemnit, vereri debet ne in graviora scelera corruat. Hoc Salvator nos monuit: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit, & qui in modico injustus est, & in majori iniquus erit.* Non ait autem, qui injustitiam committit, sed qui iniquus est, ut ostendat non propter unicam, levemque injustitiam, sed per habitum injuste operandi tandem eo procedi, ut innumeræ committantur. Unde ergo præsumitur, nos nequaquam parti futuros, qui gravis alicujus peccati tentationi resistamus; quia summa cum animi tranquillitate nobismet omnia levium peccatorum genera permittimus. Et sane si bonus habitus plurimum valet in nobis, ut nos ad bonum operandum impellat; malus habitus multo magis valebit in nobis, ut in malum agat, cum ad id corruptæ naturæ studium graviorem impetum tribuat. Aqua ex colle decidens, lapsu suo tantum virium acquirit, ut sensim præaltam aliquam abyssum effodiat. Ita qui argenti amator est, exempli causa, consuescit sibi quibusdam in occasionibus vindicare pecunias nullo jure ad se pertinentes; avaritiæ ejus, quam primum ab exiguis furtis ad graviora, ex his ad sacrilegium, ex sacrilegio in quodcumque enormissimum scelus migrabit. Hæc via est, quam avaritia perfido aperuit discipulo, qui Dominum, Magistrumque suum tradidit Judæis. Quod in opum cupiditate accidit, usuvenit etiam iis aliis, quas sequi consuevimus in iis, quæ parvi momenti videntur. Habitus, quem infinita propemodum exiguarum noxarum numera contraximus, sensim nostris deterit oculis eorum criminum gravitatem, quæ sunt graviora. Ita Salvator de illo, qui sine ulla religione novas culpas admittit, loquitur tamquam gravium scelerum reo, ut nobis ostendat exiguum illud discrimen, quod invenitur inter levium peccatorum habitum, & lapsum in deteriora: *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus erit. Pater Segneri Meditationum.*

Veniale peccatum est malum magnum.

Sancti Patres, atque Doctores docent nullam Dei offensionem pro levi esse habendam; omnia creaturarum mala nihil esse, ubi cum Dei offensione comparentur; Regnorum, & Imperiorum interitum minus esse malum in toto terrarum orbe, quam levis contra Deum noxa: Hoc ipsum ratio religionis lumine illustrata nos docet. Verumtamen huic dogmati assuescere nequimus; nostrum commodum illud nobis difficile intellectu facit. Tu, Domine, illud certum, nostrisque sumptibus sensibile facis. Quomodonam? Replens familias confusione, & cædibus regna, plerumque in peccati levis pœnam: *Absque dubio, ut nihil leve existimetur, quo Deus læditur.* Salvianus ait. Hebræi e Deo jussi lapidibus obruunt fratrem. Quid egit ille? collegit ligna Sabbatho. Oza labitur in terram mortuus coram Arca sub oculos David, & populi. Quid fecit? Labantem arcam manu tetigit. Saul bello victus coronam, & vitam amittit. Quid operatus est? Differt dies aliquot supplicium Regis a Domino damnati. Et si oculi nostri adeo perspicaces essent, ut videre possent abdita humanæ fortunæ machinamenta; & Deus sineret, eos penetrare causas tot vicissitudinum; propter quas incessanter terrimus, quot nexus eventuum cum causis suis videremus? Quot leves noxas funestis calamitatibus exceptas! Quot commoda diuturnis ægritudinibus expiata! Quot inania gaudia lacrymis, & sanguine extincta! Quot secretas vanitates publicis humiliationibus punitas! Quot negligentias familiarum subversione deletas! *P. de la Rue in Adventu.*

De Gubern. l. 6.
Num. 15.
2. Reg. 6.
1. Reg. 31.

Peccatum veniale nequit esse malum exiguum.

Offendere te, Deus meus, etiam veniali noxa, leve malum esse non potest. Hoc ex omnibus malis post peccatum mortale gravissimum est; deterius jactura bonorum, honoris, vitæ; malum, quod nefas esset committere, ut mundi totius incolumitati consuleretur. Te satis amem, Domine, vel te satis reformidem, ut accuratius levia scelera evitem. Modicum illud discrimen, in quo illa haberem, æquissimam hanc pœnam mereretur, ut me nullo haberes in discrimine, ideoque negares mihi peculiaria subsidia, quibus fortasse mea salus inhæreret. *P. Segneri. Tomo 1. Meditationum.*

Peccatum veniale

Veniale peccatum, si excipias lethale, omnium in

Post mortale maximum est hujus mundi malorum.

in mundo malorum est maximum. Hoc nobis gravius malum est, quam intueri nos omnibus morbis, doloribus, periculis obnoxios. Ita ut ad hæc omnia redimenda mala licere non posset vel levissimam noxam admittere. Equidem scio, veniali culpa Deum minus, quam gravi crimina offendi; sed levis etiam culpa illum vere offendit, illi displicet, illum dedecore afficit; qua igitur ex parte videtur nobis esse prospicienda, ut parum aliquid videatur? Ad illam avitandam nonne satis esse debet, illam verum esse malum, veramque contumeliam, quæ cœlesti Patri infertur? Ita agunt sibi bene nati; si quid vel minimum displicet Patri suo, quantocumque, illius faciendi flagrant desiderio, id satis est, ut abstineant. Verum quoque est, peccatum veniale non inferre mortem animæ, quod facit mortale, quo in illa extinguitur charitas, vitæ ejusdem principium; sed hoc saltem est principium morbi lethiferi; ægritudo est, quæ officit bonæ valetudini animæ, & quæ tandem ad mortem adducere potest. Numquid malum negligere possumus, cujus eventus sunt adeo funesti? Numquid omnem statim negligimus infirmitatem, ubi per se nequaquam mortalis videtur? An e contra, nonne statim summa cura medemur illi, ne ipsa neglecta paulatim in aliquem insanabilem morbum migret? Cur autem alia nobis insistendum est via, cum de venialibus agitur culpis? *Qui timet Dominum, nihil negligit.* *Idem.*

Eccli. 7.

Deus venialia quoque peccata in hac vita punit, & miseriis punit.

Obligatio nullum negligendi bonum, nullumque malum contemnendi, non perfectos dumtaxat homines respicit, sed omnes etiam, qui volunt in Domini timore ambulare. Certissima hæc veritas est: Deus in hac etiam vita punit levia peccata, sive gratiarum suarum subtractione, sive positivis suppliciis, qualia sunt tribulationes, quarum plurima in Scripturis occurrunt Exempla. Si quod igitur negligimus bonum, quod facere possemus, si quod, licet leve, malum contemnimus, argumento est Deum a nobis non amari; imo etiam non timeri, quantum a nobis est amandus atque metuendus. *Etenim qui timet Dominum, nihil negligit.* Omnia mihi magna videbuntur, Domine, ubi de tuo honore agitur. Nimium felix, Deus, si tibi placere potuero minimarum rerum observantia. Nullam bene agendi occasionem mihi elabi sinam, & si infirmitas mea non patitur ut semper agam, saltem numquam per contemptum agere prætermittam. *Pater Segneri.*

Eccli. 7.

Punit Deus contemptum levium criminum permittens ut in graviora labamur.

Qui spernit modica paullatim decidet. Horum verborum veritas liquido patet in hoc, quod Deus puniturus contemptum nostrum levium imperfectionum, patitur nos ruere in majores. Patrum, Doctorumque consensus hac in re unanimis est, & Scripturarum Exempla, quibus illi innituntur, plane tepidarum animarum ostendunt calamitatem. Non utitur quidem Deus hac adeo severa animadversione, quin antea diu compulerit, ut ad officium revertamur; sed repulsarum nostrarum pertinacia tandem fatigatur. Populus meus voci meæ obtemperare non vult, Deus inquit per Prophetam; Israel non audiit me; idcirco tradidi eos in desideria cordis eorum; sequentur errores suorum cogitationum. Peccata tua, inquis, levia sunt. Esto, sed fere numero sunt carentia; eorumque multitudo pondus est, quod Deus ultra ferre non potest. Conqueritur ille per Prophetam suum, se illo opprimi, ac oppressum gemere instar plaustri sub nimio pondere stridentis. *Stridebo super vos.* Miramne igitur post hæc debet esse, si ille recedit, & nonnisi modica vi vos sustinet? Sine vero validissimarum gratiarum ejus subsidio, nonne ferme certus est lapsus vester? *Pater Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Psal. 80.

Amos 2.

Nobis non metuendæ sunt imperfectiones illæ, quæ nobis excidunt, sed earum contemptus est pertimescendus.

Neque nobis formidanda sunt levia peccata, quæ nostræ excidunt infirmitati; sed illarum contemptus, in quo a nobis haberi possent, & modica in illis evitandis cura, nobis est pertimescenda. Heu nostra in malum proclivitas nimia est, quid illam augeamus adhuc, nobismet omnia, citra scelus, permittentes. Cupiditas ignis est eo tendens, ut nos absumat; nonne cæci essemus illi incessanter alimenta præbentes magna vi levium criminum, quæ committimus? Confidimus fortasse in hoc, quod a gravioribus culpis procul absumus; sed hæc fidentia in singulas horas minuitur magna levium scelerum copia, in quam sine ulla religione prolabimur, cumque hanc cum malo necessitudinem inicimus, sensim, ac sine sensu nosmet in abyssum peccati ne sentientes quidem proruisse, senticmus. Ignavus Fidelis putat adhuc se intra justos limites contineri, quibus a peccato statu sejungitur; sed ubi paulo processeris, ultra justos hos limites dignoscet? Hic illum præstolatur dæmon certus fore ut se aberrasse cognoscat; & experientia satis docet spem tentatoris vix, & ne vix quidem falli. *Ibidem.*

Levium noxarum contemptus sensim aufert timorem, quo a gravioribus detinemur.

Levium noxarum contemptus sensim imminuit salutarem timorem, quo a gravioribus criminibus detinemur. Hæc licet horrida videantur, habent tamen aliquam cum aliis similitudinem, ac inter se non alia ratione differunt, nisi quia plus, & minus. At nonne ita natura comparatum est, ut iis in rebus, quas inter tanta interest similitudinis ratio, prolixus aliarum quidem habitus tandem omnem auferat aliarum formidinem? Minora pericola millies contempta nonne nos ad graviora subeunda disponunt? Altera ex parte augetur in vitium proclivitas, quo magis timor, qui illam utcumque frænum cohibebat, decrescit. Cupiditas instar ignis est, qui ubi materiæ adhærescit, eamdem quærit absumere. Venialia peccata sunt veluti scintillæ, quæ cupiditatem ita inflammant, ut non extinguantur, quin magnam aliquam cladem pepererint. Levium voluptatum habitus tandem fastidimus. Nemo ulterius procedere non vult; sed cum alii aliis majores habeant illecebras, metuendum est, ne aliorum fastidium nos ad alios conquirendos impellat. Incidimus in necessitatem semper huic, vel illi cupiditati satisfaciendi, propter diuturnum habitum illius: gustus modo jam attritus est ob mediocritatem voluptatis, quæ inde percipiebatur. Quid igitur agendum? Nullum adjacet medium; in aliud extremum est proruendum: *Qui spernit modica, paullatim decidet. P. Segneri Tomo 3. Meditationum.*

Leves noxas contemnere est opem ferre dæmoni eos perdere volenti.

Tua hæc agendi ratio favet illi, quam dæmon servat bonos perditurus. Tentator versutus, & callidus non suadet illis ut adhuc integra scelus committendum; hoc pacto illos irritaret in se, eisque locum præberet diffidendi de technis, insidiisque ipsius, ut sibi diligentius caverent. Illos igitur ad scopum suum pertrahit; per levium imperfectionum habitum, per negligentiam sese corrigendi, & per habitum easdem contemnendi in graviora scelera adducit. Hæ culpæ non aliud sunt, quam tenera alicujus benevolentiæ sensus, aliquis in honore mundo nimis æquo fervens ardor, aliqua terrenis hisce bonis adhæsio. Ubi affectiones hujusmodi semel animum pervaserunt, dæmon audet omnia & sperare, & experiri. Modicum autem discrimen illud, in quo levia habemus peccata; nonne consiliis illius velificatur? Nonne eum liberamus cura eorum exequendorum? Ita quam in nobis superandis difficultatem nanciscetur? Nos illi arma tradidimus, antequam oppugnaremur; iisdem utatur satis est; jam victi sumus. *Pater Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Christiano, cui ad perfectionem est contendendum, nulla sunt levia peccata.

Noxæ, quæ leves nuncupantur, in se tamen satis graves esse non cessant. Leves quidem videntur, ubi cum gravioribus, nequioribusque comparantur; verum si rite expendantur, nullæ earum tam, quam parvæ habendæ sunt in iis potissimum, quorum vita esse debet irreprehensibilis, qui immaculatam, si fieri potest, vitam servare debent, & qui ex status sui conditione ad perfectionem sese debent attollere. An levis esse potest culpa in iis, quos Deus benevolentia sua cumulavit; quos de mundo tamquam de naufragio abstulit, quos peculiaribus gratiis prosecutus est; quibus sexcenta præbuit sui amoris argumenta tot aliis negata, & quibus in singula momenta tot subsidiorum, gratiarumque genera largitur; quibus denique nihil deest, quod illos in æternum juxta cor illius, eique acceptissimos reddere valeat? Sancti, qui animi grati sensum foverunt semper magnum putarunt, quod Deo displicere posse sati sunt. Omnes infirmitates suas lacrymis prosecuti sunt, easque damnarunt, & necessitas ista, ut ita dicam, displicendi Deo, donec in hac mortali carne vivimus, illis adeo intoleranda visa est, ut in singula momenta dierum suorum finem concupierint. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. Multum incola fuit anima mea, Recens. Author.* Psal. 119.

PERSEVERANTIA.

PERSEVERANTIA IN VIRTUTE, ET PIETATE, INCONSTANTIA IN BONO, &c.

MONITUM.

Quemadmodum perseverantia in gratia, in exercitatione virtutum, & cultu Dei arctam habet nexum cum recidiva in peccatum, plerique concionatores utrumque argumentum simul conjungunt, & sane difficile est de alterutro verba facere, quin de altero aliquid attingatur. Hoc tamen non prohibet, quominus duo fieri possint concionum argumenta, seorsim pertractanda. Hortari quippe possumus ad perseverantiam in cultu Dei, ostendendo indignitatem ab eo recedendi, ut mundana vita ducatur, atque deterrere possumus peccatores, ne se iterum iis addant criminibus, unde Dei misericordia illos eduxit.

Itaque hoc in loco colligemus, quidquid magis notatu dignum in hoc de perseverantia argumento invenimus; indirecte vero de recidiva erit sermo, quemadmodum alibi de recidiva loquemur, quin illic directe de perseverantia verba faciamus.

Hic autem solum animadvertendum est, a nobis de perseverantia sermonem institui, quatenus virtus est, per quam numquam nobis deficit gratia, non autem de perseverantia finali, quæ donum est, & gratia particularis, quam nemini tribuit Deus, & quæ unice ab illius bonitate pendet, quemadmodum deinceps explicabimus.

Argumentum hoc vulgo post Pascha pertractatur, videlicet ad exhortandos fideles ad gratiam per conditus receptam servandam, ne relabantur in scelera, quorum egere pœnitentiam; quamvis quovis tempore summæ utilitatis non esse non possit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti lineamenta.

1. PRo concionis argumento desumi potest hæc propositio, quæ verissima est, & quæ terrorem æque incutit; & affert solatium? Perseverantiam in bono, atque in pietate usque ad finem solum esse prædestinationis notam, in qua considere licet; tribus enim rebus certis innititur, quibus decipi nequaquam possumus. Videlicet 1. verbo, & promissionibus Dei, qui hoc solemniter pollicitus est. 2. constanti, & uniformi modo, quo se gerit Deus in salute justorum, numquam finalis perseverantiæ donum illis negans, qui constanter in Christianarum virtutum exercitatione perseverarunt. 3. æquitati justi hujus judicis; qui, ut Sanctus Paulus ait, defert justitiæ coronam illis, qui fideles eidem obsecuti sunt. Hæc est totius concionis partitio.

Pars prima: ostendendum est, prædestinationem ad gloriam perseverantiæ in gratia, & in cultu Dei annexam esse; hæc igitur certissima illius nota est: hoc explicite promisit Deus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Salvator inquit in Evangelio Matth. 10. quod pluribus aliis locis confirmatur, & quibusdam parabolis indigitantibus: 1. Deum regnum suum, & cœli coronam hac conditione spopondisse; *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, 2. ad Timoth. Cum aliquid sub conditione promissum est, quemadmodum jure Ulp. sci inquit; nisi antea fuerit adimpleta conditio, jure ita deposcitur, ubi fuerit ad unguem adimpleta. Deus igitur, qui ex mera bonitate sua perseverantibus cœlum se daturum spopondit, illud negare non potest illis, qui constanter perseveraverint. 2. Perseverantia est etiam inseparabilis conditio ab omnibus virtutibus, quibus hoc ipsum Deus pollicitus est, cujusmodi sunt octo beatitudines, fides, spes, charitas, & quidquid nobis tribuere potest moralem salutis certitudinem, quod nullam vim habet, & efficaciam, nisi quam his virtutibus confert perseverantia. 3. Conditio ista necessaria erat; alioquin enim homines laboribus suis fines aliquos circumscripsissent, atque cancellos quosdam posuissent diuturnitati pietatis suæ, defessi, & fatigati pœnis, quæ a virtutis exercitatione separari non possunt.

Pars altera. Secunda ratio, cui hæc salutis innititur certitudo, & modus, quem magno hoc in negotio Deus servat, hæc est, non renuendi finalis perseverantiæ donum illis, qui constanter in

cultu ipsius perseverarunt. Nam quamvis hoc donum nemo mereri possit, magnum a Tridentino Concilio vocetur, & a mera Dei pendeat misericordia; attamen per meritum convenientiæ cujusdam, quæ de congruo a Theologis appellatur, potest obtineri. Ostendendum est, quanam in re hæc posita sit convenientia, atque inferendum, quod si Deus aliquando, licet raro, hanc gratiam concedit peccatoribus, qui male vixerunt, eam nunquam iis negat, qui sibi fideliter usque ad finem servierunt: ac deinde tradendum, quomodo perseverantia virtus differt a dono finalis perseverantiæ; atque virtutem illam non pendere tantum a gratia, verum etiam a fidelitate, qua respondemus eidem.

Pars tertia. Tertia ratio, quæ hanc prædestinationis notam præ aliis omnibus certissimam efficit, desumitur ex justitia Dei, qui hominibus justam laborum mercedem non tribuit, nisi post vitæ finem, hoc est nisi postquam in cultu ipsius ad mortem usque perseveraverint. Si enim ita infelices essemus, postquam ad aliquod tempus in pietate perseveravimus, ut momento ante mortem ipsam ab illo deficeremus, ipse profitetur, se omnium præteritarum justitiarum, omniumque operum bonorum nostrorum non esse recordaturum. Rationes, propter quas uni perseverantiæ justitiæ coronam, quemadmodum ab Apostolo nuncupatur, reservat, sunt; 1. quia homo suapte natura est inconstans, & illi, qui postquam inceperunt, respiciunt retro, apti non sunt regno Dei: 2. quia magnitudo ejus, supremaque auctoritas, quam habet in nos, cum immutabilis, æternaque sit, illi digne servire non possumus, nisi in ejus servitute ad finem usque perseveremus: 3. quia aliqua esse debet proportio inter servitutem, atque mercedem: cumque merces æterna sit, si minus in æternum servitus permanere potest, saltem usque ad vitæ nostræ finem debet perseverare.

II. 1. Incessanter a Deo petere debemus perseverantiam propter nostram infirmitatem, ignaviam, atque inconstantiam in cultu Dei. 2. Pro virili adnitendum est nobis, ut eam mereamur per fidelitatem, atque diligentiam in omnibus status nostri muneribus obeundis, nec non perjugem in omnibus actionibus nostris vigilantiam. 3. Metuendum semper est nobis, ne amittamus illam, de nobis semper diffidendo, semperque nobismetipsis invigilando.

III. 1. Ex hac una perseverantia fertur judicium de veritate, & soliditate virtutis; non autem ex primis initiis, primisque fervoribus; quod ratio, experientia, & exempla satis ostendunt. 2. Hac una meremur coronam, quam fidelibus servis suis præparavit Deus; quod facile probari potest testimonio Dei ipsius; qui hac tantum conditione illam spopondit.

IV. 1. Justis, qui suam servarunt innocentiam, vel qui illam jam amissam repararunt, metuendum est, ne in gratia perseverent: eorum ingenium, affectiones, externi, internique inimici justæ sunt hujus timoris causæ. 2. Pœnitentes, & qui recens conversi sunt, non minorem habent metuendi rationem; quia pœnitentiæ difficultas, arcta via, quam amplexi sunt, graves dæmonis tentationes, qui illos summa vi oppugnat, exempla, & societates, omnes eos in pristinum vitæ genus impellunt.

V. 1. Perseverantia pretium tribuit omnibus virtutibus, quæ alioquin coram Deo nullius momenti sunt, uti neque coram hominibus. 2. Sola perseverantia sanctos facit, eosque distinguit a reprobis; utrique enim sæpe easdem bonas actiones operati sunt: sed illi tantum sancti, & prædestinati sunt, qui perseveraverunt. 3. Una perseverantia jus habet ad mercedem, quam Deus fidelibus servis suis pollicitus est.

VI. 1. Nihil nos magis humiliare debet, & efficere, ut cum timore, ac tremore salutem nostram operemur, quam nostræ in bono perseverantiæ incertitudo. 2. Nihil nobis majus solatium, majoremque in Domini bonitate, & misericordia spem conferre potest, quam in cultu illius, mandatorumque ejus observantia persever. &c.

VII. 1. Quam frequens est in Christiana religione bene ordiri, tam rarum est usque ad finem perseverare.

2. Quantumvis rara, & difficilis sit perseverantia; hæc tamen unica res est, quæ certam facere possit salutem nostram; cum reliqua omnia sine hac, vel inutilia sint, vel non sufficiant.

VIII. 1. Nulla virtus Christiano viro magis necessaria est, quam perseverantia, sine qua reliquæ nec Dei, nec hominum approbationem merentur. 2. Nulla virtus, ubi plures superandi sint obices; unde inferri potest, hanc potissimam esse rationem, propter quam tam pauci prædestinati sunt, cum tam pauci sint, qui perseverent, vel ad finem usque fideles sint.

IX. 1. Perseverantia in bono, & officiorum suorum observantia meritum, & Christiani gloriam constituit, quia sine hac ille virtute præditus, & vir bonus nequit haberi, quia perseverantia proprius est character, qui veram virtutem distinguit. 2. Per perseverantiam in bono Christianus gloriam Dei coram hominibus procurat; quia inconstantia fidem abrogat pietati, & dedecus affert supremo Domino, cui famulatur.

X. 1. Per perseverantiam in bonis consiliis, quæ cœpimus, ad id pervenimus, quod in Christianarum virtutum praxi difficillimum est; earum nobis habitum facimus, recentesque cœli gratias promeremur &c. 2. Perseverantia facilia nobis præbet ea, quæ primo statim intuitu molestissima videbantur, & quæ ne aggredi quidem audebamus.

XI. In Evangelium feriæ secundæ post Pascha pro concionis argumento, & partitione desumere possumus 1. necessitatem perseverandi in vita nova, quam per hos Paschatis dies recepimus, & quam Dei Filius per resurrectionem suam nobis promeritus est. Ad id nos cogit primum accepti beneficii præstantia, hoc est, gratia sanctificans, quæ efficit, ut vitam prorsus sanctam, divinamque vivamus, & quæ procul dubio meretur, ut eam omni, qua fieri potest, cura tueamur. Secundo quia hæc conservatio, & perseverantia inevitabilis est conditio ad gloriosam resurrectionem promerendam. Tertio, quia perseverantia hæc certissimum est indicium, quod gratiam hanc, atque supernaturalem vitam recepimus.

2. Media ad perseverandum in gratia, & divinam hanc vitam servandam ea sunt, quæ ex hodierno discimus Evangelio, & quibus Discipuli, qui in Emmaus ibant, utebantur. Primum est, sæpe Dei verbum audire: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Luc. 24. Sed hoc præsenti tempore negligere incipimus. Alterum est usus Eucharistici Sacramenti: *Cognoverunt Deum in fractione panis.* Tertium est fuga occasionum, quæ nos iterum primis sceleribus immergere possent: *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem. Ex auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in Quadragesima, sermone pro feria 2. post Pascha.*

XII. Sermo pro eodem die in duo puncta divisus: 1. dico, mysterium Jesu Christi resuscitati nos omnibus modis ad perseverantiam in bono inducere: 2. addo, nostram in bono perseverantiam certissimum esse pignus, & indicium, per quod nobismet promittere possumus futurum, ut participes efficiamur gloriæ Jesu Christi resuscitati.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus librum edidit *de dono perseverantiæ*, ubi ostendit primum, neminem in Jesu Christo perseverare posse, nisi usque in finem perseveraverit.

Idem, vel auctor sermonum *ad fratres in Eremo*, fuse loquitur de perseverantia, ad quam fratres hortatur.

Sanctus Gregorius *lib. 1. moral. cap. 2.* in hæc verba Job: *Sic faciebat Job cunctis diebus vitæ suæ*, ostendit, inutile esse operari bonum, nisi in eo perseveraverimus.

Sanctus Hieronymus *Epist. 28. ad Lucin.* eum ad constantiam hortatur, ne ab ea recedat via, quam hactenus secutus est.

Idem *lib. 1. in Epist. Pauli ad Galat.* ostendit, non satis esse bene incipere, nisi in finem usque perseveretur.

Sanctus Ambrosius *in Hexam. libr. 4. capit. 8.* comparat hominem in Dei cultu inconstantem cum luna, duobus diebus in statu eodem non permanente.

Idem *exhort. ad Virgin.* ad perseverantiam hortatur.

Sanctus Cyprianus libr. 1. Epist. Epist. 5. validam, & eloquentem facit exhortationem ad perseverantiam.

Sanctus Chrysostomus *Hom. 13. in Epist. ad Corinth.* hæc explicans verba, *usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus* &c. ostendit, quænam esse debeat Christiani perseverantia.

Idem *Hom. 23. in cap. 9. ejusdem Epist.* docet perseverandum exemplo eorum, qui in stadio referunt palmam.

Sanctus Bernardus, *tract. de Passione Domini, c. 3. super hæc verba: Consummatum est*: amplum habet de necessitate perseverantiæ usque in finem sermonem.

Idem *Epist. 129. ad Januenses* hoc ipsum persequitur argumentum.

Ascetici aliique. P. Ludovicus Granatensis tractatu de oratione cap. 1. §. 10.

Idem in memoriali cap. 6. §. 4.

Rodriguez lib. 1. tract. 1. cap. 16. ubi loquitur de perseverantia in virtute, ejusque acquirendæ mediis.

P. a Ponte in Duce spirituali cap. 18. ubi tradit modos superandi inconstantiam.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta in postrema libri parte, cui titulus: *Les conduites de la grace*, agit de necessitate perseverandi omni tempore in cultu Dei.

Eusebius Niercmbergius *lib. de Adorat. in Spirit. & verit. lib. 3. cap. 7.*

Idem in doctrinis asceticis *lib. 2. cap. 4.*

Bellarminus de septem verbis Domini Jesu in Cruce cap. 18.

P. Dozenne, libro cui titulus: Moralis Jesu Christi, unum habet caput de perseverantia.

Hieronymus Platus *lib. 3. de bono status religiosi cap. 32.* animat eos, qui metuunt, ne in religiosa vita possint perseverare.

P. Chalu in secreto prædestinationis art. 4. sect. 4.

Theophilus Bernardinus lib. *de perseverantiæ præsidiis.*

Petrus Sanchez *in regno Dei part. 7. cap. 9.*

Concionatores. Concionatores, qui hoc pertractarunt argumentum, hi fere sunt.

P. Bourdalove sermone pro feria 2. post Pascha.

P. Texier, sermone pro Dominica *Quasi modo*.

P. Duneau sermone pro feria quinta post primam Quadragesimæ Dominicam.

Joly propositione pro Domin. prima post Pascha.

Auctor sermonum Christianorum, sermone pro feria secunda post Pascha.

Inter sermones morales unum hujus argumenti reperies.

Specimen sermonum pro feria secunda Paschæ, argumento quarto.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Quadragesima pro feria 2. Paschæ.

Idem in sermonibus particularibus tomo quarto, sermonem habet de bonis consiliis susceptis.

Engelgrave Dominica 3. post Pentecosten.

Stapleton in *Promptuario morali Domin. 2. post Epiph. puncto 5.*

Idem *in Domin. Quinquagesima puncto 3.*

Idem Domin. in 6. post Pentecost. punct. 2. & Domin. 13. punct. 9.

P. Ludovicus Granatensis in locis communibus. Qui collectanea ediderunt.

Peraldus tom. 1. part. 8. *de Perseverantia*.

Drexellius de *Rosis Mar.* part. 1. cap. 12. §. 1.

Busæus *in Panario* Titulo *Inconstantia*.

Idem in *Paradiso animæ*, qui est ad calcem *Viridarii*.

Labatha. Titulo *Perseverantia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic loco.

DOnec deficiam, non recedam ab innocentia mea; justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Jobi 27.

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Psalm. 17.

Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Eccl. 2.

Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Eccl. 5.

Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Tob. 2.

Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Isaiæ 14.

Esto firmus in via Domini. Eccl. 5.

Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem. Habacuc 2.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 10.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Luc. 9.

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum. Luc. 22.

Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Joann. 17.

Manete in dilectione mea, si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Joann. 15.

Tu fide stas: noli altum sapere, sed time. Ad Roman. cap. 11.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. ad Corinth. 10.

Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. 1. ad Corinth. 15.

Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ad Galat. 6.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 1. ad Corinth. 7.

Fratres nolite deficere benefacientes. 2. ad Thessalon. 3.

Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Ad Galat. 3.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex. 2. ad Timoth. 4.

Capi-

Cupimus unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem, Ad Hebr. 6.

Non coronatur, nisi qui legitime certaverit. 2. ad Timoth. 2.

In disciplina perseverate. Ad Hebr. 12.

Ne fatigemini animis vestris deficientes. Ibid.

Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. 2. Joann.

Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. Act. 1.

Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Jacobi 1.

Sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Epist. Judæ.

Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apocal. 2.

Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Quid Moyses antequam moreretur dixerit capitibus Tribuum Israel.

TRigesimo primo Deuteronomii capite legimus, Moysem morti proximum congregasse capita Tribuum Israel hortatum illos, ut in Domini cultu perseverarent. Deo fideliter servite, ait illis, quocumque id vobis staturum sit pretio, & numquam ab illo recedite. Non deerunt vobis inimici, sed macti hac animi virtute estote, atque omnia vobis e voto contingent: infideles populi vos ad cultum idolorum conabuntur transferre, sed fidem vestram servate. Hæc ipsa vobis quoque; o Christiani, dicere possum: estote viri, & si Domini gratiam recepistis, omnes contendite nervos, ut in ea perseveretis. Eheu! quantam in hoc gloriam, quantam invenietis felicitatem! quam gloriosa, & utilis vobis hæc erit perseverantia! Sed quomodo vos perseverabitis? Scio equidem, perseverantiam hanc a Deo pendere, & in singula momenta deficeretis, scio, nisi ille vos sustineret. Verum scio quoque, perseverantiam hanc pendere a quibusdam conditionibus, quas a vobis jubet observari.

Exemplū Saul, cui defuit perseverantia.

Saul, ille a Deo princeps electus, ipse, & filii sui de regni solio deturbati fuerunt, eo quod illi defuit perseverantia. Præceperat eidem Samuel, ut septem dies ipsum præstolaretur, eique promiserat, se intra hoc tempus venturum, ut cum ipso sacrificium Domino offerret. Expectavit Saul usque ad Vesperam diei septimæ: sed videns Prophetam non adesse, & alioquin ab hostibus se urgeri sentiens, iniit consilium per se victimam immolandi contra id, quod Dei verbis Samuel præscripserat. Non latet, quomodo Propheta illum increpuerit, & quam pœnam de eodem divinitus sumptum iri portenderit. Nisi crimen hoc commisisses, Dominus confirmasset thronum tuum in æternum in Israel. Sed in peccati tui pœnam regni coronam amittes. Mira infelicitas! Sex jam effluxerant dies, & septimi exigua supererat particula: sed veritus, ne Philisthiim in ipsum irruerent, & desperans alioquin ea die Prophetam adfuturum turbatur, angitur, festinanter offert sacrificium tunc, cum una vix supererat hora ad expectandum, & cum, si adhuc aliquantisper distulisset, facile coronam in æternum in sua familia servasset. Ita per impatientiam temporale regnum amisit, atque per obdurationem suam meritus est, ut æterni regni aditu prohiberetur. Ex hoc proficiamus exemplo, neque fatigemur umquam Dei mandatis obtemperantes.

Perseverantia sancti Patriarchæ Noe.

Perseverantia Noe in Scripturis duplici ex causa celebris est. Prima est, quia fidelis adhæsit Deo, seque ipsum in innocentia, atque integritate vitæ sanctæ pluribus continuit sæculis inter generalem totius mundi corruptionem. Hac de causa, sicut Textus ait, invenit gratiam in oculis Domini; & quemadmodum particeps non fuit scelerum, quibus alii ævo suo erant fœdati, ita illum Deus universali cataclysmo noluit involvi. Alterum, in quo ejus enituit perseverantia, fuit Arcæ ædificatio, in qua centum integros consumpsit annos. Quicumque illam extrui videbant, constanti hoc, intentoque labore nequaquam commoti sunt, & fortasse in ludibrium verterunt monita, ac minas sancti hujus viri, atque cachinnis exceperunt ejus præcautiones contra periculum, quod incertum erat, & longe aberat. Hoc autem constat, his non obstantibus eos in flagitiis suis permansisse, donec Patriarcha constanti, & non intermissa cura suo vacabat operi. Itaque unus ille cum familia sua ejusdem laboris fructum percepit, & nemo ex illis, qui arcam ædificari conspexerunt, vel qui eidem ædificandæ operam locarunt, ullam inde utilitatem percipere valuerunt.

Quid exemplum uxoris Loth docere nos debeat.

Mulier hæc per levitatem sexus sui propriam oblita imperii, quo Angeli Dei præceperant illi, ne retro respiceret, & existimans curiositatem hanc eminus prospiciendi urbem conflagrantem vitæ pretio non esse redimendam, audiensque stridorem, impetumque flammarum permixtum clamoribus eorum, qui viventes adhuc assumebantur, retro sese convertit luctuosum illud spectaculum intuitura. Sed illuc prospiciens ipsa facta est terroris spectaculum; illico enim immutata fuit in statuam salis, quæ fuit veluti monumentum æternum, quo docerentur homines, ne ad ea, quæ relicta sunt, reverterentur; & ne cogitatione, vel desiderio ad eum locum redirent, in quo incurrendi periculum subierunt. Quamobrem ipse Dei filius præcipit, ut uxoris Loth meminerimus. Voluit, sicuti sæpe Sanctus Augustinus inquit, nos hoc sale (absit verbo invidia) condiri; & eos, qui mundum reliquerunt, ut Jesum Christum sequerentur, jussit numquam retro suum caput convertere ad resumendum usum voluptatum, & solatiorum, quæ ab ipsis relicta fuere. *In via posita* (Sanctus Augustinus in Psalm. 75. inquit) *retrorsum respexit; ubi respexit, ibi remansit; facta est statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, ne retro respiciant*, &c.

Judith increpat summum sacerdotē Bethuliæ deditionem facere meditantem.

Cum Bethulia ab Assyriis arcta premeretur obsidione, coacto militari concilio de deditione facienda agebatur, nisi intra quintum diem aliquod non mediocre subsidium adveniret. Judith Dei numine afflata, qui eadem uti ad urbem obsidione liberandam decreverat, convenit summum Sacerdotem, ut merito illi exprobraret ignaviam. Quid ergo? hoccine consilium est eo viro dignum, qui aris ministrat? Quis tu, qui misericordiæ Domini tempus audes circumscribere? *Posuistis vos tempus miserationis Domini.* Judith. 8. Numquid tuum est quinque adhuc præscribere dies, præcipere, quid illi faciendum sit, eique dicere, adhuc tantum temporis spatium præstolabimur, non ultra? Consilium, quod cepisti, ratio est iram potius Dei, quam subsidium promerendi: *Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet.* Hoc ipsum hodierna quoque die hominum plerique facere consueverunt; Deo tempus præfiniunt, intra cujus spatium opem ejus obtineant, quin constanter expectantes perseverent, & numquam de illius misericordia desperent.

Exemplum Prophetæ missi ad Jeroboam.

Quis dicendo explicare posset omnes artes, quibus utitur dæmon, ut illis, quos in bona via incedere conspicit, perseverantiam eripiat! Hoc nos docet funesta illius Prophetæ historia, quem Deus ad Jeroboam miserat, & cui præceperat, ut incenatus reverteretur. Primum dæmon suadet Jeroboamo, ut Prophetam licet invitum retineat; sed arescente manu principis, qui apprehenderat illum, ex hoc periculo effugit. Illum rex deinde largis promissionibus, opulentisque muneribus delinire conatur, sed eum irridet Propheta, eique respondet, etiamsi dimidium regni sibi daretur, se numquam apud eum permansurum contra Domini imperium. Denique dæmoni occurrit stratagema, quod non caruit effectu. Cum enim vir Dei reverteretur, & labore simul, ac fame fatigatus sub arbore requiesceret, Satanas misit ad eum Pseudopro-

prophetam; qui simulans se oppositum divinitus imperium accepisse, domum suam adducit, eumque instructis dapibus reficit. Ita ille, qui primum vi restiterat, regisque dona contempserat, tandem inimici fraude superatur; ejusque calamitas inde processit; quod importune remoratus est. Etenim statim ac rursus iter corripuit, Leo irruit in eum, suffocatumque in arena mortuum reliquit.

Sancti viri Job perseverantia.

In Scripturis plurima habemus generosæ perseverantiæ exempla seu in cultu Deo fidelissime præstito, seu in magno aliquo facinore pro ejusdem gloria suscepto. Primum, & celeberrimum, quod sese nobis offerat, est Sanctus Job, qui vere nuncupari potest exemplar perseverantiæ. Omnia illum impellere videbantur, ut a Domini cultu deficeret, & mala, quæ patiebatur, totidem erant ictus, quibus concuti poterat. Uxor quoque illi adversata eum exprobrabat, quod hactenus in simplicitate sua, hoc est juxta Hebraicæ vocis vim in innocentia sua perseveraret: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Job 2. Sed sanctus ille vir semper perseveravit, atque per hoc ipsum sese in voluntate permanendi fidelem confirmans dicebat: *donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, justificationem meam, quam cœpi tenere non deseram.* Job 27.

Exemplū Tobiæ.

Quocumque elogio Tobiæ perseverantiam celebremus, hoc non poterit æquare illud, quod facit Textus his verbis illum commendat: Tobias, cum semper Dominum ab infantia timuisset, omniaque illius præcepta servasset, non contristatus est, neque murmuravit contra Dominum, eo quod ipsum cæcitate percussisset; sed permansit constans, & immobilis in timore Domini gratias agens Deo omnibus diebus vitæ suæ: cumque cognati, & affines ejus illius vivendi rationem irriderent, dicentes: ubi est spes tua, pro qua tot eleemosynas erogabas, & sepeliebas mortuos? Tobias leniter corripiebat eos, eisque dicebat: ne ita loquamini; filii enim sanctorum sumus, eamque expectamus vitam, quam Deus daturus est illis, qui fidelitatem, quam eidem polliciti sunt, numquam infringunt.

Exemplū filii Dei.

Satis est oculos in Deum carnem factum conjicere, ut in eo perfectum perseverantiæ intueamur exemplar; ut enim hominibus inconcussæ præberet exemplum constantiæ, gloriose suscepit, absolvitque molestum nostræ redemptionis opus plusquam humana fortitudine trium ac triginta annorum spatio perpessus labores, dolores, inauditasque oppositiones, quin dolorum magnitudo, aut diuturnitas illum ab incœpto deterrerent; ita ut vere Patri suo dicere potuerit pridie quam pateretur: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam;* Joann. 17. & in Cruce positus, *Consummatum est.* Nihil enim vel generatim, vel particulariter eorum omiserat, quæ sibi a Patre fuerant imperata. Immo, ut constantia sua melius enitesceret, dæmoni permiserat, ut Scribarum, Pharisæorum, & Sacerdotum opera Ipsum tentaret affirmantium futurum, ut ipsi crederent in illum, si de Cruce descendisset. Sed noluit descendere, ac imperfectum nostræ redemptionis opus relinquere; quia voluit illustre perseverantiæ exemplum relinquere illis omnibus, qui post mortem ipsius in illum erant vere credituri, ac facto probare, quod prædicaverat, neminem salvum factum iri, nisi qui ad finem usque perseveraret.

Alia Novi Testamenti exempla.

Inutile esset latius differere de aliis perseverantiæ exemplis, quæ nobis suppetunt in Evangelio. Mulier Chananæa exemplo esse potest perseverantiæ in oratione. Ea populi multitudo, quæ Dei filium secuta est in desertum, & quæ triduo jejuna permansit, perseverantia sua Dominum ad misericordiam flectere potuit, qui in gratiam illius mirabile illud operatus est prodigium, quo panes multiplicavit. Perseverantia, qua in Cœnaculo Apostoli preces fuderunt, ubi congregati erant post Domini ascensionem, promeruit Spiritum Sanctum, qui visibili specie in ipsos descendit. Sancti Petri pœnitentia, postquam Salvatorem suum negaverat, ad exitum usque vitæ producta fuit; & Sanctus Paulus sperat, judicem justum, cui fideliter ad finem usque famulatus est, corona gloriæ perseverantiam suam esse remuneraturum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*, &c. ad Timoth. 4.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Perseverantia in bono donum Dei est, non secus ac prædestinatio.

Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Psalm. 102. Quid sibi vult Psalmista per hæc verba, nisi Deum per misericordiam suam nos ab æterno prævertere, atque usque in æternum concomitari per gloriam, qua eos, qui perseverant, coronat? Prior æternitas nullum habuit initium, altera vero nullum est finem habitura; atque ita abyssus alteram super nos inducit abyssum. Tandem enim, Sanctus Bernardus ait, hominis perseverantia æque, ac prædestinatio est gratia Dei eo magis pretiosa, quo certius eam incomprehensibilis gloria subsequitur.

Dei filius non vult de Cruce descendere, ut nobis tribuat exemplum perseverantiæ.

Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce; & credimus ei. Matth. 27. Nequicquam Judæi circa Crucem clamabant: *Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Haud ita, Sanctus Bernardus ait; cum vere sit Rex Israel, non debet id relinquere, quod illi jus præbet ad regnum. Non vult, hic Pater addit, nobis occasionem præbere amittendæ perseverantiæ. Non vult concionatoribus auferre argumentum, quo consolari, & confirmare possint infirmas animas dicentes illis: ne egrediamini ex ea statione, in qua vos Deus constituit. Inde enim proculdubio egrederentur, si respondere possent, Salvatorem commune nostrum exemplar & ipsum suam reliquisse. Voluit igitur Jesus ad mortem usque permanere in Cruce, ut suum opus perficeret, nobisque admirabile præberet invictissimæ constantiæ exemplum. Eo in loco, eaque in occupatione, quæ placet, morari facile est; sed in labore, atque tribulatione voluptatem invenire hoc perratum, & difficillimum est, atque consummatam postulat virtutem.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Apocalyps. 3. Cum Domini templum æternum sit, columnæ, quibus fulcitur, hoc est Sancti, qui beatam illam sedem ingrediuntur; hæ inquam columnæ, juxta Sancti Spiritus verba, æternæ sunt, & quemadmodum firmæ, & constantes fuerunt in terra, ita in cœlo quoque erunt inconcussæ.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Unde esset magnum perseverare, nisi inter molestias, tentationes, & scandala esset perseverandum? August. Serm. super Psal. 51.

Non est magnum inchoare quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. Idem.

Non quæruntur in Christianis initia, sed finis & perseverantia. Paulus male cœpit, sed bene finivit; Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Hieronym. contra Jovinianum, & in Epist. ad Furiam.

Non enim cœpisse, sed permansisse virtutis est. Idem, Epist. ad Vital.

Non tam initia sunt in bonis studiis laudanda, quam finis. Idem, in Epist. Pauli ad Galat.

Cœpisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum. Hieronym.

Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; quia frustra velociter currit, qui prius

quam ad metas veneris, deficis. Gregor. lib. 1. Moral.

Bonam vitam ego puto, male pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. Bernard. Serm. 2. in Vigil. SS. Petri & Pauli.

Absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam nec palmam victor consequitur; vigor virium, virtutum consummatio est. Idem, Epist. 129.

Scias diabolum soli perseverantiæ invidere, quam solam novit a Domino coronari. Idem, ibidem.

Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Idem, Epist. 252. ad Guarinum Abbatem.

Nullum sunt infumpta semel opera pretium relaturi, qui non ad legitimum usque finem ejus, quem scopum sibi præstituerunt, studio propensiore contenderint. Basil. Epist. ad Chilonem discipulum.

Spes omnes nostra in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si sata viridantia herbis spem messis ostenderint, & me sub ipso falcis tempore, subita vel aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant? Euseb. Emiss. Homil. 5. ad Monach.

Omnes quidem virtutes currunt, sed una perseverantia coronatur. Petrus Blesensis, Epist. 22.

Aliæ virtutes coronam merentur, sed sola perseverantia coronatur. Sanctus Bonaventura Diætæ cap. 22.

Non est beatus qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit. Isidor. Hispal. 2. de Synonymis.

Tentatio accidit, persevera usque in finem; quia tentatio non perseverat usque in finem. August. Tract. 45. in Joannem.

Asserimus donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo. Idem, de bono persev. c. 1.

In ipsa oratione Dominica quando oratur a filiis, nihil pene aliud quam perseverantia possit intelligi. Idem, de bono persev. c. 2.

Te, Domine, nemo amittit, nisi qui dimittit. Idem, lib. 4. Confess. c. 9.

Mutatur quisque morum varietate, & fit alter, in quo non cognoscitur quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sui degener, grave autem est in pejus mutari. Ambros. Epist. 7.

In stadio terrestri, unus qui prior venerit, coronatur; in cælesti vero stadio quisquis pervenerit, coronam promeretur. Chrysost. Homil. de fide, spe, & charitate.

Hortamur vos, per communem fidem, ut gloriam nostram, forti & perseveranti virtute teneatis; adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. Cypr. lib. 1. Epist. 1.

Maximum indicium mala mentis, fluctuatio; hoc ergo a te exige, ut qualem institueris præstare te, talem usque ad vitam serves. Seneca, Epist. 126.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia pene hoc in argumento depromi possit.

Perseverantiæ specialis definitio, quid sit dem, ut perspicua habeamus notio hujus virtutis.

PErseverantia specialis est virtus, per quam generose diuturnitatem malorum eorum sustinemus, quæ in bonis operibus occurrunt, vel per quam aliquis in aliquo perdifficili labore ad vitæ finem usque persistit. Hæc est S. Thomæ 2. 2. qu. 137. art. 1. definitio, cui adhærendum est, tamquam probatissimæ, & a qua Sanctorum Augustini, Basilii, Hieronymi, & Bernardi definitiones non abludunt. Virtus est, ideoque habitus permanens, qui exigit, ut non solum usque ad cujuslibet boni operis finem, verum etiam ut ad finem usque vitæ perseveremus. Hæc particularis est virtus, sanctus idem Doctor ait, particularem enim habet difficultatem superandam, videlicet temporis diuturnitatem, quæ ad vitæ usque finem in boni perquisitione, & bonorum operum exercitatione retinere nos debet. Quia diuturnum hoc, molestumque stadium satis magni momenti est, ut peculiarem habere mereatur virtutem, quæ illud dirigat, & moderetur. Additur ad laborem sustinendum, ac superandam difficultatem, quæ oritur ex diuturnitate molestiæ, quæ ab exercitatione virtutis separari non potest; qua in re differt a constantia, quæ consistit in superandis difficultatibus, quæ aliunde oriuntur, quam ex molestia hujus diuturnitate. His tamen virtutibus hoc est commune, quod fortitudini subjectæ sunt. Conditio ad finem usque perseverandi supponit non deesse perseverantiam, cui satis est non desistere ab actu virtutis suscepto, nisi illum perfecerit, & adimpleverit; sed præterea alteram quoque esse perseverantiam, quæ postulat, ut ad vitæ usque finem perseveremus. Quibus addendum est, quamquam hæc perseverantiæ virtus sit specialis, hanc tamen extendi ad omnes virtutes, quarum actus longioris sunt durationis; veluti perseverare toto vitæ spatio in paupertate, obedientia, fide, omnibusque virtutibus.

Explicatio earum omnium, quæ ad perseverantiam pertinent.

Ut nihil hoc in argumento confundatur, supponendum est, perseverantiæ nomen triplici in significatione posse usurpari.

Prima est, cum Dei donum significat, per quod usque ad vitæ finem in gratia illius perseveratur; donum, quod Tridentina Synodus magnum appellat: *Magnum illud perseverantiæ donum*. Donum saluti adeo necessarium, ut sine eo nulla sit salus. Donum, quod Deus illis, quibus vult, elargitur, & quod iis tantum negat, qui seipsos illo præbent indignos. Donum, quod impetrare possumus humiliter petendo, sed quod numquam mereri possumus per meritum de condigno, quemadmodum docet Sanctus Augustinus in libro, quem de hoc argumento conscripsit. Donum, quod certi non sumus habere, quia non habetur in æternum, nisi cum vivere cessamus. Donum tandem, quod incertitudine sua nos continere debet in profunda humilitate, ac divinæ misericordiæ submissione, & efficere, ut cum timore, ac tremore salutem nostram operemur; ut de perseverantia hoc in sensu desumpta illic nequaquam loquimur.

Secundo loco, perseverantia desumi potest pro firma, constantique voluntate perseverandi in bono, & hoc in sensu virtutibus omnibus communis est; etenim ite una quidem est, quæ constanter objecto suo non adhæreat, & quæ nobis non ingerat constantem voluntatem illius qualibet in occasione amplectendi. Qui humilis est, semper vult humilis esse ob solam humilitatis causam; alioquin si ad aliquod dumtaxat tempus humilis esse vellet, vere humilis non esset. Hoc ipsum dicendum est de virtutibus omnibus, quæ sunt perseverantes, quoad voluntatem perseverandi. Hoc pacto Jurisconsulti justitiam definire consueverunt, constantem videlicet, perpetuamque voluntatem reddendi unicuique, quod suum est. Non ideo tamen dicendum est, ad hoc ut hodie justus sit, te justum esse debere toto vitæ tempore; sed necesse est hanc actualem, aut habitualem habere voluntatem numquam a justitia recedendi, quod virtutum omnium est proprium. Cavendum est tamen, ne lapsus fiat in hæreticorum errorem, qui opinati sunt, eum, qui semel charitatem habuerit, eam amittere nequaquam posse, quod illi fide eritia docent; sed nihil hoc magis fingi potest oppositum Scripturæ, rationi, experientiæ; nihilque magis Prophetarum, & ipsius Jesu Christi doctrinæ contrarium.

Denique perseverantia virtus est particularis propter rationes, quas ex D. Thoma attulimus, hoc est, habitus, qui superat eas difficultates, quæ in boni perquisitione inveniuntur. Illic particularis virtus est admittenda, ubi vel bonum est particulare, vel particularis difficultas. In qualibet autem vir-

virtute duo considerari possunt genera difficultatum; altera quæ procedit ex objecto, exempli gratia, sese humiliare difficile est, ideoque humilitatis virtus admittitur: altera, quæ in virtutis exercitatione difficultas occurrit, ex diuturnitate procedit; difficile enim est diu persistere in exercitatione ejus rei, quæ est honesta, propter laborem, qui illis adest, & quod homo suopte ingenio fatigatur uni, eidemque rei semper intentus, præcipue vero cum semetipsum debet superare. Quamobrem particularis requiritur virtus, ut in hac praxi perseveretur; eaque perseverantia vocatur, quæ ab eodem D. Thoma 2. 2. qu. 38. art. 2. ita definitur: *Perseverantia est in ratione boni considerata stabilis, & perpetua permansio.*

Tres veritates, quæ ex dictis hauriri possunt.

Ex hac definitione, & ex iis, quæ docet Div. Thomas de perseverantia, tres hæ hauriri possunt veritates. Prima est, hanc esse virtutem, quæ in aliis omnibus continetur quoad materiam; quia nullam habet propriam, sed universe amplectitur omne illud bonum, quod aliæ inter se partiuntur, illis addens duntaxat curam prohibendi, ne quis illud fastidiat, vel ejusdem tædio afficiatur. Altera est, perseverantiam numquam ab aliis virtutibus seorsim exerceri posse, sed cum aliqua earum semper esse conjunctam. Tertia est, sine illa nihil perfectum esse, completumque; etenim sine illa bonorum operum exercitatione defessi desisteremus.

Comparatio trium perseverantiæ specierum, quas explicavimus.

Tria perseverantiæ genera, quorum meminimus, simul comparari possunt, ut, quid discriminis intercedit, melius intelligamus. Illa, quæ efficit, ut in Dei gratia vivamus, proprie virtus non est, sed donum Dei, per quod nos ad se vocat, cum sumus in gratia; & fieri potest, ut qui totum vitæ suæ spatium in scelere duxit, statim post elicitum contritionis actum moriatur: hoc in casu habet ille perseverantiæ donum, quamvis numquam perseverantiæ virtutem habuerit. E contra accidere potest, qui diu vivens hanc exercuit virtutem, sub exitum vitæ mortale peccatum committat, atque in hoc statu sine perseverantiæ dono moriatur. 2. Si accipiatur pro stabili, certaque voluntate in bono ad finem usque perseverandi, nulla virtus est sine hac voluntate; quælibet in propria materia. Hoc in sensu tot sunt perseverantiæ, quot virtutes, quæ exigunt, ut in bono perseverare velimus, quod sibi pro fine proponunt. 3. Denique si sumatur pro habitu speciali superante difficultates, quæ procedunt ex tædio, quod bonorum operum diuturnitas, atque laboris continuatio producit: & hæc proprie virtus est perseverantiæ, de qua loquimur, & verum studii hominis christiani argumentum.

Quid doceat Tridentina Synodus de perseverantia.

Synodus hæc duo docet notatu digna in hoc argumento. 1. Quod attinet ad finalem perseverantiam neminem sine particulari revelatione promittere sibi posse absolutam eximii hujus doni certitudinem, quod magnus est divinæ effectus misericordiæ. 2. Rem summæ consolationis plenam. Omnibus, eadem Synodus inquit, firma spes habenda est in Dei auxilio, hoc numquam nobis defuturum, nisi ipsi defuerimus gratiæ. Qui incœpit in nobis, perficiet opus suum, cumque nobis voluntatem contulerit, conferet etiam potestatem, nisi aliquem ipsi obicem apposuerimus. *Deus enim non deficiet, nisi ipsi illius gratia defecerimus: sicut cœpit bonum, ita & perficiet operans velle, & perficere.*

Quid doceat S. Augustinus in hoc argumento.

Reprobi, Sanctus Augustinus inquit, legitime conqueri non poterunt, nec dicere, cur reprobati sumus? quandoquidem perseverantiæ donum nobis collatum non fuit: *Non se excusabunt dicentes, quare damnamur, qui perseverantiam non accepimus?* Illis enim reddetur: Miseri! perseverassetis in doctrina, quam docti fueratis, & quam ætatis amplexi, id si voluissetis. *Dicetur tibi, o homo!* *in eo quod audieras, & tenueras, perseverares, si velles.* Cum adduxit Deus animam in statum justitiæ, numquam deserit eam, nisi prius ab ea deseratur. *Ipse enim Deus, cum ad justitiam deduxerit, non deserit, nisi deseratur.* De divina voluntate numquam nobis dubitandum est; hæc optima semper erit; sed nobis de nostra semper diffidendum est.

Gradus hujus virtutis perseverantiæ.

Ex D. Thomæ sententia 2. 2. qu. 137. art. 1. ad 2. plures sunt in hac virtute gradus; quia 1. quilibet conari debet, ut perseveret in bonis operibus, quæ incœpit: & non minorem habeat zelum, ut illa perficiat, quam habuit, ut eadem incipiat. 2. Maneat, opus est, eo in statu, ac munere, ad quod illum Providentia evocavit, quin umquam per libidinem, atque licentiam illinc egrediatur. 3. Quod autem potissimum summo conatu faciendum est, perseverare debet in gratia usque ad mortem, ita ut si forte in aliquod peccatum inciderit, quam primum inde resurgat, ac pergat majori, quam antea, fervore in cœli via ambulare.

Relatio quæ adest inter perseverantiæ virtutem, & perseverantiam finalem.

Tandem vero, dici possit, hæc perseverantiæ virtus pendet a gratia perseverantiæ, & hæc perseverantiæ gratia ita pendet a Deo, ut illam mereri nequeamus. Verum est, quidquid conemur, non posse nos mereri finalis perseverantiæ donum merito perfecto; sed eam obtinere possemus, quod Theologi dicunt *de congruo*, quod divinæ innititur misericordiæ, quæ in hoc posita est, quod videns hominem divino adjutum auxilio, quantum in se est, operari, ut Dei legem adimpleat, ac in illius obedientia perseveret, se commotam sentit, ut hanc illi peculiarem conferat gratiam, quæ eidem non debetur; eique finalem concedat perseverantiam, quæ donum est donorum. Hoc modo finalem perseverantiam mereri possumus, & quicumque huic propositioni non subscriberet, in Patrum doctrina, ac Theologiæ principiis se prorsus rudem, hospitemque esse palam ostenderet.

Cum Patres, atque Theologi de prædestinatione loquuntur, eam nobis exhibent, tamquam catenam ex pluribus simul invicem insertis annulis compositam. Ex parte Dei catena hæc series est auxiliorum, gratiarumque, quas electis suis præparavit Deus, ut illos certissime, quamvis libere, ad gloriam perducat. Ex parte hominis catena hæc est continuatio plurimorum actuum, per quos his auxiliis, & gratiis cooperatur. Omnes isti actus totidem sunt actus perseverantiæ christianæ, & hæc in se omnes sunt ejusdem naturæ: sed inter eos quidam extremus est, ad quem reliqui referuntur, & quem finalem vocare possumus perseverantiam, quia ultimus est, qui reliquis omnibus coronidem imponit. Quod si in sanctorum consiliorum nostrorum praxi semper perseveravimus, habemus dispositionem ad salutem æternam, & hæc dispositio nos adducit ad gloriam, quemadmodum ipse Dei filius testatur Matth. 10. *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* Locus, Sanctus Augustinus ait, qui intelligendus est non de dono, sed de virtute perseverantiæ; quod non prohibet, quominus certum sit, beatitudinem nostram esse non solum effectum misericordiæ Dei, sed etiam nostræ fidelitatis, & cooperationis nostræ voluntatis, Deo numquam finalis perseverantiæ donum illis detractante, qui fideliter in cultu ipsius perseveraverint.

Quæ gignant perseverantiam.

Christiani spiritus sibimet persuadere debet eas veritates, quibus ad virtutem adducitur. Voluntas ejus confirmari debet in amore virtutum, ut ad earum praxim descendat; & hæc inconcussa duarum harum animæ facultatum constantia gignit perseverantiam. Si enim spiritus adeo fortiter credit veritates fidei, ut nihil certius credat; & voluntas adeo capta est amore virtutis, ut reliqua omnia flocci pendat; tunc mallet amittere omnia, ne vita quidem excepta, quam veritatum fidem, & christianarum virtutum exercitationem deserere.

Mutatio consiliorum non est perseverantia ...

Vera perseverantia in fine potius, quam in mediis consistit. Neque enim consilium mutare, est

mutare

mutare industriam, ut illud e voto cedat. Non deseritur ars, cum mutatur instrumentum, quo in eadem exercenda uti debeamus; neque vituperandus est viator a via, quam primum arripuit, recedens, ut aliam sequatur, quæ melius adducit ad terminum. Verum nihilominus est animam inquietam, ac mobilem, quæ suopte ingenio semper agendi rationem immutare gaudet, & quæ ex libidine potius, quam ratione operatur, sæpe retrocedere magis, quam procedat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Necessaria perseverantia, sine qua omnia inutilia sunt.

NON raro videntur fideles in viam salutis ingredi, Indignationis motus adversus hunc mundum, pro quo facimus omnia, & qui pro nobis nihil facit; illius infidelitas, cui omnia nostra contulimus; amici hujus interitus, filii amissio, fortunæ eversio, aliaque id genus sexcenta efficere possunt, ut revertamur ad Deum tamquam ad unum illum, qui nobis in ærumnis, & angoribus nostris solatio esse potest: sed quotidiana nos docet experientia, brevi hujusmodi conversiones vigere, ac ostendit, postquam tempus imminuit, vel delevit impressiones, quas res illæ in mentibus, cordibusque nostris pepererant, nos iterum impensius, quam antea, creatis rebus adhærescere: attamen ob una tantum perseverantia omnis salus nostra pendet, & corona illis tantum promissa est, qui in finem usque perseveraverint... Quodcumque boni, Sanctus Gregorius ait, a nobis factum fuisset, jam deletum esset, si illius exercitationem relinqueremus, antequam extremum vitæ spatium clauderemus, non secus ac bravium nequaquam deferretur illi, qui vix e carceribus egressus, ut ita dicam, pervolasset, sed cui in extremo stadio vires defuissent. *Abbas de Montmorel sermone in Evangelium Dominica 4. in Quadragesima.*

Vera conversionis indicium est perseverantia.

Animadvertite, quæso, perseverantiam in gratia maximum esse argumentum, quod nobis relinquerit Evangelium de earum veritate conversionum, quas Jesus Christus operatus est. Qui scis, S. Petrum fuisse conversum? Legimus quidem, Jesum Christum in hunc oculorum aciem convertisse, legimus Apostolum hunc lacrymarum imbrem fudisse; sed inde credere debemus, illum vere fuisse conversum, & gratiam recepisse, quod in ea perseveravit. Quomodonam S. Matthæus conversus fuit? Legimus quidem Jesum Christum, cum illum in telonio sedentem vidisset, illi imperasse, ut ipsum sequeretur; publicanum vero hunc illico consurrexisse, ac secutum esse; sed inde majorem conversionis ipsius percipio certitudinem, quod ille, ubi semel Jesum Christum secutus est, numquam ab eodem recessit. Perseverantia in gratia, atque peccati in æternum abrenunciatio, utriusque veram fuisse conversionem, testantur. *Joly Propositione pro prima Dominica post Pascha.*

Sine perseverantia quidquid boni fecimus, est inutile.

Citra perseverantiam quidquid boni fecimus, quidquid mortificationum amplexi sumus, quidquid austeritatis elegimus, quidquid vel irrogatarum, vel a nobis cooptatarum pœnitentiarum sustinuimus, omnino est inutile. Quamvis omnes opes tuas pauperibus erogaveris, quamvis ciliciis, lorisque corpus tuum laniaveris, quamvis omnes artus tuos cruentaveris, quamvis solus ea omnia tormenta pertuleris, quibus omnes simul Martyres afflicti fuere; si per summam infelicitatem tuam sub extremum vitæ tuæ spiritum tibi deesset perseverantia, & fidelitas erga Deum tuum, hæc omnia tibi ne hilum quidem essent profutura. Nisi hanc in gratia perseverantiam habueris, de fide est, hæc omnia tibi nullius fore utilitatis. Quisnam salvus erit? Num qui certavit? Haud ita sane; plurimi strenue certarunt, qui nihilominus modo infernis ignibus torquentur. Num qui cucurrerit? Ne hic quidem; plurimi in Dei via cucurrerunt, qui, eo quod fatigati sunt, reprobati fuerunt. Num qui fidem habuerit? Nequaquam; innumeri habuere fidem, qui tamen æternum damnati sunt. Quis igitur salvus erit? O Deus veritatis, aperi nobis magnum hoc mysterium: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Matth. 10. Idem.*

Nemo animum despondere debet, sed in labore perseverare.

Diversos istic detegimus naturæ, gratiæque motus tempore adversitatis. Natura, quia infirma est, animos despondet, conqueritur; sed voluntas divina gratia suffulta sese attollit, dilatat, &, si ita Dei fert imperium, sese offert, ut longe plura sustineat. Quamvis animæ sese ea offerant facienda, quæ eidem impossibilia videntur, ea tamen audenter aggreditur; quippe persuasum ipsi est, impossibilitatem hanc esse metus sui potius, quam imbecillitatis effectum: atque tandem Dei ope, & ea, quam in ipso constituit, confidentia experitur eam rem, quæ prosternenda esse videbatur, majorem sibi vim attulisse. Duo animalia juncta plaustro, quo Arca Dei Israel vehebatur, quamquam retrospicerent, atque mugitibus suis cum testarentur dolorem, quo conficiebantur a fœtibus suis recedentes, consuetaque pascua relinquentes, tamen incedebant semper eo motu, quem illis Deus imprimebat, quin vel dextrorsum, vel sinistrorsum flecterent iter, quo usque ad eum pervenere locum, ubi erant immolanda. Ita naturæ repugnantia non prohibet, quominus Dei servus in virtutis via progrediatur, neque sacrificii sui meritum imminuit. E contra vero sese devovere omnibus austeræ vitæ laboribus, perseverare, quin caro, vel sanguis audiatur, ac semet offerre Deo tamquam hostiam viventem, maximum est argumentum, quo illud probare valeamus desiderium, quo eidem placere studemus. Sed qui animos adjicit, & qui, ubi adversi aliquid accidit, retrocedit, palam se parum profecisse, seque non perseveraturum testatur. *Ex parte secunda libri de iis, quæ Jesus Christus Passionis suæ tempore perpessus est.*

Perseverandum est in eo statu, in quo nos Deus constituit.

Ex his exemplis Christi, & Apostolorum ejus discere possunt omnes Christiani, quo modo se gerere debeant, cum de Cruce sua descendere, id est, de tribulatione liberari sine peccato non possunt. Ejusmodi sunt in primis regulares omnes, quorum vita votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ adstricta similis martyrio esse censetur. Item conjugati, cum divina providentia maritus uxorem querulam, morosam, iracundam, ac pene intolerabilem sortitus est: vel uxor maritum non minus difficilem habet, qualem fuisse Sanctæ Monicæ virum testis est Sanctus Augustinus in libris Confessionum. Ejusmodi sunt etiam mancipia, quæ libertatem amiserunt, addicti perpetuo carceri, vel alligati triremibus; ægroti denique, qui morbo incurabili laborant, & pauperes, qui nisi furtis, vel latrociniis ad divitias aspirare non queunt. Hi omnes, & si qui sunt alii, si perseverare in ferenda Cruce cum gaudio spirituali, & ingenti mercede cupiunt, non respiciant Crucem, sed eum, qui Crucem humeris illorum imposuit. Is enim sine dubio Deus fuit, qui Pater noster amantissimus est, & sine cujus providentia nihil in hoc mundo geritur. *Bellarminus de septem verbis in Cruce cap. 18. lib. 2.*

Cum nos omnium tædio afficiamur, perseverantia in bono est necessaria.

Docet experientia, quemadmodum rerum varietas placet, ita earumdem assiduitatem displicere. Similes sumus ægris, qui tædio afficiuntur, quia nimus diu in lectulo jacere coguntur, & qui solatium percipiunt inde assurgentes, atque illinc recedentes. Non nimii tantum laboris, sed nimiæ quietis etiam nos tædet, atque ubi in eadem exercitatione diu cogimur immorari, eamdem fastidimus, non secus ac eamdem semper comedentes escam fastidire consuevimus. Sin autem aliunde aliqua adsit difficultas in actione propter objectum illius, perseverantia longe difficilior est. Fatigamur adver-

adverso flumine remis iter agentes, atque ad aliquem prærupti montis cacumen, quin per intervalla requiem carpamus, ascendentes. Nimio cursu creber anhelitus nobis spiritum intercludit, atque nimium loquentibus vox aliquando faucibus hæret. Non igitur mirum est, si quidam inveniantur, qui suæ conversionis initio validos in semet conatus exercent, qui paulatim aliquid primi fervoris remittunt. Attamen in Christianis non principia laudantur, sed finis, Sanctus Hieronymus inquit, & perseverantia victus est operum bonorum; hæc enim animum roborat contra fastidium, quod earum actionum, quæ cum virtute conjunctæ sunt, assiduitas in nobis parere consuevit. *P. Dumeau, sermone pro feria 5. post primam Quadragesimæ Dominicam.*

Difficile est perseverare quia sensibus tentamur. Tanta est humana fragilitas, ut raro perseveremus in eadem vitæ ratione, qua incœpimus. Fervor paulatim intepescit, ac tandem tædet naturæ corruptæ vim facere. Plurima objecta sese nostris sensibus offerunt non sine validis illecebris, quibus fallimur. Libido motus suos opponit rationi, neque vult in æternum suavitatibus vitæ carere. Quid? ait; mihine hac voluptate in æternum carendum erit? mihine assidue laborandum, quin ullam unquam requiem carpere valeam, ac jugiter perferendum, quin ullum unquam solatium inveniam? Si ratio eam cogere vult, uti debet, eique tanquam indomitæ belluæ frænum injicere, in sensitivo appetitu tristis, obscuraque nubes consurgit, quæ serenitati animæ offundit caliginem; tædia, fastidia, nauseæ catervatim illuc ingrediuntur. Voluntas, nisi per gratiam valide roboretur, non præsefert amplius tantum constantiæ; naturæ aliquid magis, quam antea concedit; Deoque intra suæ obligationis terminos famulatur, &c. *Idem.*

Perseverantia lenit tristitiam [illegible] Perseverantia moderatur tristitiam, quam molestiorum operum diuturnitas excitat in inferiori appetitu, atque continuum aliarum virtutum cursum efficit faciliorem. Vir bonus horologio similis est, cujus rotæ, ac pondera subinde attollenda sunt, alioquin non processuri. Virtutes sunt rotæ, quæ efficiunt, ut in mandatorum, & consiliorum via ambulemus; sed temporis spatio gradum sistunt, neque moventur amplius, nisi perseverantia eas in illum statum adducit, ubi ut antea moveantur. Cum nobis incedit tristitia profecta ex diuturnitate laboris, sine quo omnia officia nostra accurate nequeunt adimpleri, perseverantia illam expellit, atque nos in jugi virtutum exercitatione tuetur. *Idem.*

Sine perseverantia in virtute recedimus potius, quam procedimus. *In via Dei*, inquiunt, *non progredi, regredi est.* Hinc passim accidit, ut perseverantiæ defectu, virtutis exercitatio penitus deseratur, atque sensim, ac sine sensu in vitia sit lapsus. Utinam tristi docti experientia adeo frequenter veritatem hanc non intelligeremus. Quot extiterunt, qui postquam bene inceperunt, infelicem exitum habuere? quibus illud exprobrari posset, quod Galatis a S. Paulo cap. 3. *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Heu! Tanta charitate flagrabas, adeo sobrius, modestus, & in bonis operibus diligens eras, quomodonam tam brevi mores, ingeniumque mutasti? Sine perseverantia nihil perfectum est, nihil completum. Hæc bonis operibus coronam tribuit, easque saluti utiles facit; per hanc ad stadii metam pervenimus bravium, atque cursus præmium relaturi. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* 2. ad Timoth. 2. Non est secundum leges bellicas decertare, ex acie dilabi, antequam fuerit debellatum. Nihil prodest, virtutem adeptum te fuisse, nisi in virtute perseveraveris. E contra magis obest aliquando virtutem coluisse, & ab illa recedere, quam illam ne de nomine quidem agnovisse; etenim ut plurimum qui inceptum deserunt bonum, in extremum malorum decidunt, & quo meliores, sanctioresque fuerunt, eo fiunt nequiores, atque flagitiosiores. *Idem.*

Post acceptam gratiam, hæc servanda est, & in eo statu perseverandum. Si tu, Auditor mi, qui per sanctos hosce dies Dei gratiam te recepisse putas, si ita affectus non es, ut quocumque pretio gratiam hanc tueri velis, nisi animum adjecisti, ut omnia vel conteris, vel patiaris, ut hac gratia perfruaris, si ex illa experientia, quam de temetipso habes, prævides, gratiam hanc in singulos dies infirmatum iri, ac nullam adhibes medicinam, nullamque adfers diligentiam; si gratia hæc, quæ vita est animæ tuæ, quamquam aliud spopondisses, peccato suffocata fuit, si affectus, quibus ad aras nuncium misisti, iterum illud acquirunt imperium, quod antea obtinebant, nisi vitia tua deseris, si, quin te ipsum in virtute confirmes per vim sacramenti, gratiæ huic miseram tribuis fragilitatem, audacter cum Apostolo affirmo; te nequaquam resurrexisti, & Resurrectionis mysterium non habuit in te effectum, qui ejusdem proprius est, videlicet gratiam servare, & in eadem perseverare. *P. Bourdalouë sermone pro feria 2. Paschæ.*

Perseverantia in gratia signum est prædestinationis. Theologi omnes fatentur in vita hac quædam haberi signa, per quæ cognosci, vel saltem conjici possit, quinam sint ad gloriam resurrecturi, atque in prædestinatorum albo describendi; sed iidem unanimi consensu fatentur, pleraque hæc signa æquivoca esse, errori obnoxia, & quotidie fallentia. Attamen si quod est inter hæc signa, cui fidem habere liceat, hoc profecto est perseverantia in gratia. Quorsum autem? quia perseverantia hæc incipit in nobis exprimere statum felicem, ad quem contendimus; quia ipsa naturaliter nos adducit ad supremum hoc bonum; ac tandem, quia hæc perseverantia efficit, ut peculiarem mereamur gratiam ad eamdem felicitatem perveniendi. *Idem.*

Justi per perseverantiam resurrectionis statum repræsentant. Cum homines sæculi sint tanquam fragiles calami sexcentis affectibus agitati, qui timori cedunt, qui humanis respectibus flectuntur, qui adversis quatiuntur, qui prosperis sese rapi sinunt (quo in statu S. Paulus creaturam vanitati subjectam exhibebat); justi e contra roborati per hanc perseverantiam, quam veluti legem sibi proposuerunt, super omnia elati, mundi, ac semetipsorum victores, beatum illum experiuntur statum, qui sequitur resurrectionem. Cur? Quia non vivunt amplius in hac vitæ, ac mortis, gratiæ, & peccati vicissitudine; quia habent, dicere si fas est, voluntatem certam, qua bonum & volunt, & operantur, quia parvulum sibi in terris paradisum constituunt, quia hic prædestinatorum vitam vivunt, cum hoc discrimine, quod in terris per meritum habent id, quod resurrectionis status beatis tribuit per necessitatem. *Idem.*

Cum pateat stadium, Sanctus Paulus ait, omnibus currendi jus est; sed unus tantum refert præmium: *Nescitis, quod multi in stadio currunt, sed unus accipit bravium?* Hoc de Christianis dicendum non est: etenim heu! quid accideret nobis, si eidem legi essemus obnoxii? Nemo vestrum est, cui dicere cum Apostolo nequeam: *Sic currite, ut comprehendatis.* 1. ad Cor. 9. Ne putetis futurum, ut competitorum vobis officiat præsentia; in thesauris Dei satis, superque divitiarum est, quas mortalibus omnibus elargiatur. Deus liberalis est remunerator, non vult, hujus victoriam in alterius cedere probrum; sed *Omnes athletas suos desiderat coronari*, quidam Pater ait. *Idem.*

Homo suopte ingenio inconstans per hanc perseverantiam particeps fit immutabilitatis Dei. Deus unus de seipso gloriosa hæc proferre potest verba, quæ per Malachiam Prophetam dicit: *Ego Deus, & non mutor.* Primo tanquam entium omnium principium eæ laudes conveniunt, quas illi S. Jacobus cap. 1. tribuit: *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Quidquid ex nihilo egreditur secum defert mutationem tanquam suæ ignobilitatis indicium. Homo præsertim adeo infirmus est, atque inconstans, ut nunquam sese eodem in statu permaneat, ut inquit Job cap. 14. *Nunquam in eodem statu*

per-

permanet. Sed licet talis sit in suæ naturæ principiis, ille tamen omnino alius est, cum per gratiam attollitur, namque per gratiam hanc fieri potest particeps immutabilitatis Dei in bono perseverans. Supernaturalis charitas, quam effudit Deus in cor ejus, & cui nova ejusdem essentia inniaa est, adeo fortis est, Sanctus Paulus 1. ad Cor. 13. ait, ut sola prava hominis voluntas eam valeat delere: *Charitas numquam excidit*. Magnum illud discrimen, quod prædestinatos inter, reprobosque invenitur, inquit Spiritus Sanctus in Ecclesiastico, hoc est, quod justus perseverat in sapientia, & incedit in via virtutis ea æqualitate, qua Sol procedit; e contra vero peccator obnoxius est defectibus, & mutationibus non secus ac Luna: *Justus in sapientia manet sicut sol, stultus sicut luna mutatur. P. Texier, serm. pro Domin. in Albis.*

Omnis vitæ nostræ labor sine perseverantia est inutilis.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua; sed felicitatis cumulus est, si constanter illud ad extremum usque spiritum gestaverit. Nequicquam operarii, qui omnium primi ad opus accessere, pondus diei, & æstus sustinuissent, nisi ad diei finem usque perseverassent. Viatoris labor inutilis est, cum ad terminum minime pervenit: & ingens ille Israelitarum numerus, qui ingressus non est in terram, quam illis promiserat Deus, fructum laboris annorum quadraginta perdidit. Quid profuit Salomoni sapientia, quam primis regni sui temporibus habuit, si dedecore affecit senectutem suam insanis amoribus, quibus ex ipsa ætate facta est accessio nequitiæ? Cum de virtute agitur, magis quam alia qualibet in re finis coronat opus. *P. Dozenne, in morali Jesu Christi, de perseverantia.*

Media ad perseverantiam obtinendam.

Orationis exercitatio, & sacramentorum frequentia optima sunt adjumenta ad perseverantiam acquirendam, & obtinendam: oratio quidem, quia perseverantiæ gratia donum est donorum; sacramentorum vero frequentia, quia sunt nostræ infirmitatis subsidium. Panis, qui Eliæ Prophetæ contulit vires, ut iter suum usque ad montem Oreb persequeretur, Eucharistiæ tantum erat figura; & in oratione sæpe dicere debemus Jesu Christo: doce nos Domine, si tibi lubet, exemplo tuo perseverantiam; fac, ne unquam a tuo amore cessemus; si per amorem tuum cruci adhæresmus oportet, ne permittas, nos inde alio quolibet amore divelli. *Idem.*

Dæmon nihil intentatum relinquit prohibiturus, ne perseveremus.

Dæmon primum quidem nos libentius aggreditur; sperat enim se prohibiturum bonum, quod nobismet proposuimus, & effecturum hoc pacto, ut nostro fine excidamus; sub finem vero *habens iram magnam* præliatur, extremosque conatus exercit *sciens, quod modicum tempus habet*, ut noceat nobis; sed inter utrumque extremum efficit utrumque; quia interrumpens bonum opus, quod inchoavimus, magnam de nobis refert victoriam, neque deest illi adhuc tempus, ut bellum producat, donec nos in eum statum adduxerit, ubi interitum nostrum reparare minime valeamus. Prima hæc victoria alteram illi pollicetur; hæc illi cor inflat, simulque nos prosternit, infirmatque, & impares facit, qui illum deinceps superare valeamus. Ideo Dei filius dicebat, si quis manum admovet aratro, si cum fervore incipit affectus suos mortificare, & imitari bona, quæ sibi præbentur, exempla, hunc aptum non esse regno Dei, neque obtenturum unquam justitiam, pacem, & gaudium, in quo regnum illud consistit, neque cœli bona, quæ pro illis sunt, qui constanter ad finem usque laboraverint. *A Ponte in Duce spirituali cap.* 18.

Perseverantia nequaquam eminus prospicienda est, quasi diutius esset proferenda; potius nobismet persuadeamus satis esse, si unius horæ sit, vel unius diei, & Deum ex nobis nil ultra petere; atque nobismetipsis animos faciamus, intra nos dicamus: in sancto proposito meo hac hora, vel die hac perseverare volo; quid scio, utrum postea Deus me visitaturus sit, & in gratia sua confirmaturus? Sed si loco cedo, recedo ab officio, periclitor, ne de gradu dejiciat, ut Saul in meæ inconstantiæ pœnam . . . . . Christiane ignave, ac iners, si scires quantulum distas a fine tuo, proculdubio omnes conatus exereres, ut ad finem usque perseverares. Si cogitares, tibi quolibet die moriendum esse, quam facile in gratia perseverares! *Idem.*

Principiū humanæ inconstantiæ prohibentis, ne perseveremus in bono.

Principium inconstantiæ hominis propria est constitutio, quæ efficit, ut de seipso respondere nequeat, neque promittere, se in susceptis consiliis perseveraturum. Homo constat corpore, & spiritu; spiritus naturali motu cœlum versus attollitur, sed corpus aliud habet pondus, & aliam propensionem terram, terrenaque versus: cumque duobus hisce adeo oppositis studiis simus obnoxii, quomodo firmi, & constantes esse possumus? Si mentis meæ motum sequor, bonum operor, & ad aliquod temporis spatium virtutem excolo; sed paulo post oppositus me rapit motus corporis, quo fit, ut immuter; atque ita hæc duarum adeo oppositarum partium oppositio, & circulus hic oppositorum motuum modo spiritualium, & modo carnalium sunt fere necessaria causa jugis inconstantiæ, quæ maximum est impedimentum, quod in christianarum virtutum exercitatione nobis superandum est. *Specimen sermonum pro feria 2. Pascha.*

Exhortatio ad perseverātiam.

Accidit nonnumquam, ut justi sub stadii exitum gradum sistant, ut spem, quam dæmon illis tamquam incertam proponit, abjiciant, præsentia, & visibilia consectaturi bona; atque ut secreta divinarum promissionum diffidentia illos in discrimen adducat amittendi coronam perseverantiæ eo tempore, quo prope est, ut illam recipiant. Animæ justæ! fidem vestram excitate, expectate Dominum, viriliter agite, inquit Propheta Psal. 20. *Expecta Dominum, viriliter age.* Quænam vobis infelicitas imminet, si postquam diutius salutis vestræ negotio vacavistis, postquam pondus totius diei, & æstus sustinuistis, postquam tot superastis insidias, & plures annos in molesta, arctaque virtutis via ambulastis, funesto lapsu cecideritis tunc, cum jamjam montis cacumen attingitis? Mementote in præliis christianis fini victoriam adjudicari. Adhuc in exilio, atque in itinere estis: ideoque nolite obstupescere nisi ea tranquillitate fruimini, quæ in termino tantum, & in patria invenitur. Semen jecistis, virtutis vestræ fructus processerunt, sed nondum ad perfectam maturitatem pervenerunt. Copiosæ messis tempus præ foribus adest; patienter diem Domini expectate. *Specimen sermonum pro quarta post Pentecosten Dominica.*

De hominis in bono inconstantia.

Hominis inconstantia utilis est illi; prohibet enim, ne mordicus in malo persistat. Homo peccator hac in re præstat Angelo peccatori, quod sceleris sui illum pœnitere potest, cum e contra prævaricans Angelus funesto naturæ suæ privilegio nequeat agere pœnitentiam, & retractare consensum, quem semel noxiæ tribuit cogitationi: sed hæc eadem inconstantis nihilo minus officit homini, quis prohibet, ne perseveret in bono, & sæpe vitam ejus perennem efficit virtutum, vitiorumque vicissitudinem. *Ex specimine sermonum pro Adventu.*

Perseverantia commenda.

Beatus, qui in finem usque perseverat! Reliquæ virtutes omnes decertant, una triumphum agit perseverantia: hæc refert victoriarum præmium, atque mercedem. Hinc quidam Ecclesiæ Pater scite perseverantiam ramum vocavit fructum afferentem. Nequicquam Christianus in agro Ecclesiæ radices figit per Baptismum; pœnitentiæ lacrymis irrigatur, succo gratiæ sacramentorum nutritur: nisi produxerit ramum vitæ fructum ferentem, nisi in sanctitate perseveraverit, arbor est nonnisi æternis ignibus comburenda. Attamen plurimi incipiunt, non pauci pergunt, perpauci ad finem

usque.

usque perseverant. *Specimen sermonum pro die S. Joannis Evangelistæ*.

De finali perseverantia.

Ut nosmet semper in humilitate, & submissione contineret Deus, utque cum timore, ac tremore salutem nostram operari deberemus, noluit Deus finalis perseverantiæ donum hominum commercio exponere; illius arbitrium sibi reservare voluit, ut semper esset effectus misericordiæ suæ. Promisit quidem gratiæ sanctificantis augmentum omnibus justis, a quibus virtus exerceretur; non secus ac recepit, se coronam gloriæ collaturum illis omnibus, qui in gratia decessissent; ideoque quia ita felix est, ut moriens eam possideat, hic coronam illam acquiret. Verum perseverabitne in gratia usque ad mortem? Perseverabit fortasse; verum sane, ut Deus, quin suam lædat justitiam, ac fidem, ei deneget gratiam, quæ ipsius constituere debet felicitatem? Quia omnia bona opera nullum habent necessarium nexum cum perseverantiæ dono; hæc merces non est, quæ illi debeatur. *Auctor Anonymus*.

Insensati Galatæ, qui cum spiritu bene incœpissetis, turpiter carne desiistis. Agricolæ nequam, qui cum aratro manum admovissetis, retro respexistis, & ex agro Domini egressi estis, quia nimis durus, difficilisque excolendo videbatur, tribulis, sentibusque impeditus, neque eam ibi messem inveniebatis, quam vota vestra exoptabant. Ignavi milites, qui cum sub crucis vexillo nomen dedissetis, abjecistis arma, clypeumque vobis eripi passi estis. Dei filius pro suis id genus mortales non recenset, quantumvis initio amorem suum eidem testati sint: etenim ille solum salvus erit, qui in finem usque perseveraverit, & illis tantum, qui usque ad mortem fideles fuerint, vitæ corona promittitur. Alii a quodam Sancto Patre, *Temporarii Christiani* vocantur, qui pro variis temporum viribus mutantur. *Auctor Anonymus*.

Perseverantiæ necessitas.

Nullus scio, utrum aliquis de perseverantiæ necessitate possit ambigere. Eam quidem difficilem esse fateor: homo magis idoneus est, qui nobilem exerat conatum, quam qui diutius rei cuipiam inhæreat: in mundo plerique in iis, in quibus plurimum requiritur temporis, propositum sibi finem non assequuntur; ardenter quidem incipiunt, sed mox intepescunt, & cum ob dilatam spem cor elanguet, ab incœpto desistimus. Non igitur mirum est, si in salutis negotio perseverantia deficiat, ubi plurima facienda sunt naturæ contraria, & ad finem usque vitæ producenda. Attamen sine perseverantia numquid acquiri potest corona? Hæc viri fidelis characterem constituit, eumque ab inconstanti, hypocritaque secernit. *Auctor Anonymus*.

Semper de nobismetipsis diffidendum est præ timore ne perseveremus.

Gratia numquam prior nos deserit, sed caveamus, ne ipsi priores deseramus eam. Gratiam hanc in fictilibus vasibus deferimus, Apostolus inquit, & præterea in lubrica incedimus via, obscuraque nocte, & nos crudeles persequuntur inimici, qui hunc nobis thesaurum auferre contendunt. Ne fidamus ergo viribus propriis, conjiciamus nosmet inter ulnas misericordiæ Dei, eumque obtestemur, ut vim perseverandi nobis concedat. Origenes, Tertullianus! tristia humanæ infirmitatis exempla! Si pretiosam hanc servassetis gratiam, nequaquam nostris fletibus, timoribusque causam præberetis. O Deus, nos tuere adversus nostras infirmitates, nobisque fer auxilium, ut ipsum te in cordibus nostris servare valeamus. *Auctor Anonymus*.

Semper indigemus perseverantia.

Hominum justitia, S. Bernardus ait, non semper justitia est permanens in sæcula sæculorum. Hæc imminuitur, infirmatur, ac tandem amittitur, quin tamen dici aliquando queat, falsam esse justitiam. Haberi potest vera, & sincera charitas, & nihilominus fluxu temporis amitti potest; alioquin enim quomodonam Dei filius Apostolos suos admonuisset, ut in sua dilectione manerent? *Manete in dilectione mea*. Joann. 15. Charitas, & perseverantia ergo non semper simul conjunctæ sunt, & potest aliquis Deo fidelis fuisse, quin fidelis esse perseveret. Fidelis erat Saul initio regni sui: scriptum est enim, neminem eodem æquiorem fuisse in populo Israel; sed non fuit amplius fidelis, cum Dei imperata facere detrectavit. Hoc ipsum de Salomone, & S. Petro dici potest. *Auctor sermonum moralium hujus argumenti*.

Per perseverantiam participes sumus immutabilitatis Dei.

Spiritus Dei proprium est esse immutabilem, & nonnihil ex hac perfectione illis communicare, qui eodem animati sunt. Quilibet alius præter illum mobilis est, & inconstans ..... Homo, qui virtutis partes relinquit, seque iterum peccato subjicit, superioris fidelitatis suæ fructum omnem amittit, & bona ejus opera mortificata non reflorescunt, ut ita dicam, nisi cum ad verum principium suum, Deum nempe, revertitur. Quemadmodum ex memoria sua expungit Deus omnia præterita hominis peccata ad se revertentis; ita discedentis omnium etiam superiorum virtutum obliviscitur. *Idem*.

Quocumque in sensu accipiatur, perseverantia in bono semper est gloriosa.

Si perseverantia in justis est perseverantia in exercitatione virtutum, per meritum constantiæ novam illi lucem tribuit: omnes enim virtutes sine perseverantia non aliud sunt, quam justi nutantes, & quemadmodum eos S. Prosper appellat: *Justi temporarii, justi titubantes*. Si hæc finalis est perseverantia, hæc illos coronat. Altera ad aliquod tempus hominum voluntatem in bonum inclinat quamvis semper sit libera, & hæc voluntaria hominum determinatio illis gloriæ cedit: alioquin enim inconstantes, mobilesque habentur, potius quam justi, ac virtute præditi. Altera vero perseverantia, quæ finalis est, necessario figit voluntatem in bono, & hæc necessitas eorum felicitatem constituit. *Idem*.

De inconstantia in bono.

Quam beati essemus, si in iis omnibus, quæ Deus non sunt, inconstantes essemus; etenim dolor ipse, quo in errore nostro afficeremur, efficere posset, ut reverteremur ad illum. Sed ita facile summum relinquere bonum, uti infidelem relinqueremus amicum, hoc ferri nequit, hoc ne concipere quidem potuit S. Paulus. Præstaret procul dubio numquam coluisse Deum, quam illum hoc pacto relinquere: hoc enim nonne est illi contumeliosa comparatione dæmonem anteferre? Nonne de nobis loquitur S. Hilarius, cum explicans, quænam esset ævo suo nonnullorum Christianorum infidelitas erga Deum, ait, pro variis occasionibus, quæ ingruebant, illos semper in utramque partem fuisse paratos, ut vitium, virtutemve sequerentur, vivendi rationem non ad tutas, certasque Evangelii regulas, sed ad hominum mores conformantes ob voluptatis, aut fortunæ causas pro temporum, locorumque ratione, ac secundum perniciosa humanæ politicæ instituta: *In utramque partem parati colentes temporum, non Dei leges*. Fragile lucrum, honoris causa, inanis cupiditas, turpis amicitia, ludi, vel libidinis societas, irrisio efficere possunt, ut omnia bona consilia abjiciatis & causam Dei relinquatis. Hoc dixit Spiritus Sanctus, & verissimum est, quod stultus sicut luna mutatur, hodie virtutem de industria amplectitur, cras illam ex libidine deserit: modo timor judiciorum Dei efficiet, ut ille sese divino cultui addicat, modo vero hominum timor illum inde divellet; non deerunt occasiones, in quibus voluntatem concipiet Deo ex corde inserviendi, aderunt mox aliæ, in quibus mundus, alienaque exempla eos detrahent in scelus; & sæpe, postquam insignem in virtute progressum fecerint, sensum, moresque immutabunt per teporem, atque inconstantiam. *Fromentiere*.

Mutari non debemus, ubi semel virtutem firmos amplexi.

Memento, auditor mi, optimorum sensuum, quos alias tibi immisit Deus. Scin' quid te tunc temporis affecerit? Oblitusne es eorum, quæ a Deo recepisti? Revoca in mentem illos amoris sensus, atque dic tibimetipsi: Numquid anima mea, con-

consilia ; quæ in illud tempus concepi, hodierna die non ejusdem sunt necessitatis ac olim? Nunquid mutatum est illud principium, cui illa innitebantur? Numquid recens aliquod mihi lumen affulsit, quod mihi tunc deerat? Num alio in statu nunc sunt omnia? Nequaquam. Cum Deo hoc, vel illud promisi, hoc officii mei esse putabam, & id nisi fecissem, Deum mihi iratum futurum: nunquid me ipsum fallebam? nequaquam. Hæc igitur omnia erant vera; & si tunc erant vera, hodierna etiam die vera sunt. Cur ergo mutavi consilium? cur ab illa vivendi forma recessi? Cum fidei meæ lumina semper sint eadem, cur cordis mei desideria mutata sunt? O quam admirabilis hæc est ars in bono perseverandi! *P. Bourdalove, Sermone de perseverantia.*

Homo inconstans aptus non est regno Dei.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. Quomodo autem aptus sit hic homo inconstans, quandoquidem neque mundo, nec mundi negotiis est aptus? Si mundus, qui eadem est inconstantia, pacem habere non potest cum illo, qui incertus est consilii, & inconstans, quomodo habeat Deus, qui est immutabilis? Utique anima, quæ in hac vicissitudine, & mutatione versatur, apta non est regnn Dei. *Idem.*

Quænam fuerunt Dei de nobis consilia, cum ille gratiam, cujus misere jacturam feceramus, nobis iterum contulit? Nunquid ut jacturam hanc, novamque reparationem nullo in discrimine haberemus? Gratiam illam recepimus, ut fidelis perseverantia novum meriti characterem virtutibus nostris tribueret; verum memorote, nisi illam tuemini, nisi in eo perseveratis statu, in quo vos illa constituit, hanc futuram contra vos testem apud Deum, qui adeo contumeliosum incomparabilis beneficii contemptum vobis exprobrabit. *Sermo Manuscriptus.*

A bonis operibus cessandum non est propter eas, quæ occurrunt difficultates.

Etiamsi gravissimæ vobis occurrant in virtutis via difficultates, animos ne despondeatis; sed e contra inde occasionem arripite instaurandi conatus vestros eorum exemplo, qui naviculam agunt contra pernicissimi fluminis cursum. Brachiis, remisque contendunt, ut aquarum rapiditatem superent, & si fluctus in illos irruantur eis obluctantes, non ideo illi recedunt; sed quo major est vis fluminis, eo majorem vim, industriamque adhibent; ut fluctus frangant, ac eorum obice superato iter sequantur. Ita in bonis consiliis nostris nobis agendum est; videlicet constantes, & inconcussi debemus esse, & si quando accidit, ut facti magnitudine vincamur, statim nobis consurgendum est, ac strenue perseverandum in eo, quod incœpimus. Tandem enim labor assiduus, & quem nulla res unquam deterret, omnia vincit. Homines sæcularibus in negotiis fatigari non possunt, neque ab incœpto desistunt, quamvis fortuna illis non admodum arridere visa est. Institor a mercatura exercenda minime cessat, quamvis aliquam passus fuerit jacturam; agricola ab agris colendis non absistit, quamvis minime uberem messem in horreis condiderit; e contra impensius, ac diligentius post hæc Infortunia rebus suis operam navant, si forte industria sua reparare valeant, quod per infortunium amiserunt. Majori ergo cum fervore perseverandum est in cultu Dei, ubi labor longe minor est, præmium vero longe majus, ac tutius. *Granatensis tractatu de Oratione cap.* 2. §. 8.

Firmitate, & perseverantia opus ad hu pietatis, & exercitiis virtutis.

Operæ pretium est animadvertere, ut insignis aliquis fructus ea pietatis exercitiis percipiatur, indesinenter esse perseverandum. Neque enim desunt mortales, quorum cœpta consilia nunquam ad exitum perducuntur. Videntur illi quidem triduo, ad summum quatriduo summa cura adhærere Deo; postmodum vero, Ita intepescunt, ut ubi ad prima redire volunt exercitia, ita frigidi sunt, ac si de illis ne verbum quidem antea fieri audivissent. Tunc ipsi novos sibi conatus proponunt; pro virili priores pietatis exercitationes instaurant, & postquam aliquantulum in ipsis permansere, deterriti labore, ac molestia, qua semetipsos vincere debent, in medio cursu subsistunt, totaque eorum vita in ædificando, ac destruendo transigitur; qua in re infelicem imitantur Sysiphum, inutili labore lapidem in summum montis verticem deferre adnitentem; nam ubi summo cum anhelitu ferme ad cacumen evasisset, lapis illi manibus excidebat semper in imam usque vallem provolutus. *Idem*, §. 16.

Perseverantia omnia ad finē perducit.

Nihil in terris adeo invictum est, quod gratia, & labor non vincat: nulla sunt ædificia, quantumvis immensa, quæ paullatim non perficiantur, ubi lapis super lapidem collocetur; nulla via est, quamvis longa, ad cujus terminum non perveniatur gradatim incedendo; & artifex, qui marmor secat, tandem voti summam consequitur, quantumvis exiguam partem in singulos ictus illinc abscindat. Quod si perseverantia, quin comes illi accedat gratia, tantum potest, quid tanta ope accedente non poterit? *Idem in memoriali* *l.* 7. §. 4.

De inconstantia in cultu Dei.

Nemo est, in cujus vita bona malis permista non sint: vitia tempus suum habent, sicuti & Deus suum quadam veluti compensatione, & conventione; & quod magis mirum est, actiones adeo diversæ, & oppositæ ita nectuntur, ac invicem continuantur, quasi ejusdem essent naturæ; & sensim, ac sine sensu ab his ad alias fit transitus, ab exercitiis pietatis ad cupiditatum insanias, quin ulla in ipso transitu interruptio sentiatur, de pœnitentia ad voluptatem, de eleemosyna ad fœnus, & injustitiam, de prædicatione ad licentiam, & impietatem. Post omnia pietatis exercitia iterum nostris affectibus indulgemus eo modo, quo aquæ Jordanis ad ingenium suum rediere, statim ac Arca prætetiit; hoc est naturaliter, ac sine vi. *Abbas de S. Martino in Quadragesima.*

Non omnis perseverantia laudabilis est.

Perseverantia, quæ laude videtur digna, non semper est. Scriptura Sancta plura nobis exempla suppeditat, ex quibus innotescit, bonum esse aliquando a proposita sententia recedere. S. Petrus bene fecit retractans id, quod magistro suo dixerat: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Judas e contra consummavit crimen suum datam principibus sacerdotum fidem præstans. Primum igitur consilium nostrum illud esse debet, ut nihil aggrediamur, quod justum non sit; postmodum vero si consilium, quod captum fuit, aliqua ex parte deficiat, tunc in melius mutandum est. Si statim minus bonum captum fuerit, postulat prudentia, ut decursu temporis, reparetur; secundum enim erit prioris remedium. Sed cum bonam ingressi viam sumus, pro virtute id faciamus, quod pro vitio illi, qui in sceleribus consenuerunt. Cor longo habitu in iniquitate obduratum dicit, ut olim Pharao; *non dimittam*; & anima in sanctitate confirmata, ut sponsa Canticorum, dicit: *Tenui eum, & non dimittam.* Cantic. 3. *P. Dozenne in Morali Jesu Christi.*

Non satis est bene incœpisse nisi perseveretur.

Athleta, qui suis se vestibus exuit, nondum de inimicis triumphum reportavit; idem enim se exuit, ut illos prosternat, & quadam cum utilitate cum illis congrediatur. Scitus urinator, qui abjicit indumenta, ut ingentem tranet fluvium, nondum traduxit illum, quamvis suas vestes reliquerit; sese in aquam conjiciat oportet, eamque lacertorum vi secet, atque super fluctus se attollens jugi, habilique totius corporis agitatione feliciter ab uno ad alterum littus pertranseat. Æger, qui pharmacorum ope convaluit, non ideo statim ita effætas reparavit vires, ut jugi non egeat præcautione, ne iterum ægrotet. Hoc ipsum de peccatore recens converso dicendum. Per gratiam sacramentorum vicit peccatum, verum nisi perseveraverit, victoriæ suæ fructu non perfruetur. Sese suis criminibus exuit, verum si hostiles non propulsaverit impetus, dæmon poterit adhuc de eodem recentes

triumphos referre. *Ex Sermonibus Christianis pro feria secunda Paschæ.*

Perseverantia in bono firmam nobis inspirat spê in Domini misericordia.

Veritatem hanc nos exemplo suo Paulus Apostolus docet affirmans, sibi justitiæ coronam deberi, ac sperans futurum, ut illam a Domino, tanquam justo judice obtineat: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex.* 2. ad Timoth. 4. Alibi passim trepidat suæ salutis incertus, eo usque, ut castiget corpus suum, ac illud redigat in servitutem, veritus, ne postquam aliis Dei verbum annunciaverit, ipse reprobetur. Verum seipsum confirmat, ubi cogitat vitæ suæ finem sibi imminere: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Sentio equidem me diu victurum non esse, nec longe abesse tempus, quo anima mea a corpore separanda est: hoc tamen solatium mihi est, & causa, propter quam omnia a Dei mei misericordia, & justitia spero me consecuturum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Quasi diceret: nisi in finem usque certassem; si proximus termino cursus mei deficerem; si post servatam diu fidem eam violarem, eheu! actum esset de me: nullus essem: verum cum ab ipsa conversione mea ad hoc usque tempus semper Domino fidelis fuerim, spero fore, ut in me per felicem perseverantiam perficiat bonum, quod ipso auctore feci; jam mihi videor eam coronam recipere, quæ me manet; & si perseveravero, æque certus sum mercedis meæ, ac si illam jam possiderem; *reposita est mihi corona justitiæ.* Reservata est mihi, neque mihi solum, sed illis omnibus, qui in finem usque perseveraverit. *Joly, propositione pro prima Dominica post Pascha.*

Perseverantiæ inceptæ maximum est, quod haberi posit prædestinationis indicium.

Ad finalem perseverantiam nonnisi per inceptam perseverantiam pervenitur ob eam rationem, quia quidquid desinit, incœpit. Nulla igitur est finalis perseverantia, ubi perseverantia incœpta non sit: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Si hanc habes inceptam perseverantiam, quæ pendet a tua cooperatione gratiæ, video in te magnum tuæ prædestinationis, atque salutis indicium; Deus enim nequaquam negabit tibi finalem gratiam, quæ unice ab illius pendet voluntate. Verum si inconstans fueris in bono, incerta est salus tua, vel dicam melius, fere certa est reprobatio tua. *Specimen Sermonum pro feria secunda Paschæ.*

Nosmet ad perseverantiam excitare debemus exemplo Filii Dei.

Adspice perfectum hoc immutabilis constantiæ exemplar, ac tua cum illius certaminibus compara; dolores, humiliationes tuas cum illis, quæ ipse pertulit; contradictiones, quas passus est, cum iis, quas pateris; gaudia, voluptates, quibus seipsum privavit cum iis, quas ipse reliquisti; magnos conatus, quos subiit totum effundens sanguinem, cum modica resistentia, quam sustines ignave sanguini parcens tuo: respice, inquam, hoc exemplar; cumque tandem tibi persuaseris, ea, quæ ipse pro te fecit, & passus est, toto cœlo excedere ea, quæ pro illo facere, & pati potes, teipsum excita, ut ad mortem usque in sanctarum legum ejus observantia perseveres. *A Ponte in Duce spirituali cap.* 18. §. 1.

Si animo assecuti fuisseris, quid sibi velit S. Paulus per ea verba: *Digne Deo*, intelligere debuissetis, illi serviendum esse, quantum fragilitas humana sinit, & magnitudo ejus meretur. Deus autem infinitus est, ac nullis finibus continetur; digne igitur illi servire est semper gerere in corde ignem æternum amoris sancti erga objectum hoc, quod est infinite amabile, nullis finibus circumscribere servitutem, quam illi adhibeamus; totum illius esse, non solum sine exceptione, verum etiam in æternum. Causa, & fundamentum hujus obligationis est supremum illud dominium, quod habet in nos, quod est immutabile, atque æternum; ideoque nullum esse potest tempus in omni vita, quo eidem famulari non debeamus; & quemadmodum ratio, propter quam nosmetipsos illius cultui devovimus, est suprema illius magnitudo, quæ immutabilis est, ac æterna, & semper eadem; memoria eorum, quæ illi debemus, nunquam ex animo nostro delenda est. *P. Antonius a S. Martino a Porta in Postrema parte libri, cui titulus:* Les conduites de la Grace.

Pietas nostra constans esse debet non fluxa, neque temporaria.

Si statis tantummodo diebus pietatem coleretis; si virtutem haberetis pro illis tantum temporibus, quæ per intervalla redeunt, uti in terrenis rebus accidit, satis ostenderetis, vobis de religionis nostræ institutis non satis constare; vos etiam ignorare, quid sit vera virtus, cujus est agere constanter; vos illius habitum non habere, ideoque nonnisi ea libidine, ingenioque vestro agere; ac tandem, ut loquitur evangelium, vos non satis profundas in pietate radices jecisse: *Non habent radicem in se, sed temporales sunt.* Marc. 4. Hi homines sunt temporibus subjecti, qui perfunctoriam habent pietatem quibusdam diebus festis adnexam, quibus aliquam præseferunt modestiam, & aliquot horas suis surripiunt affectibus Deo impendendas: aliquot preces effundunt, ac religionis suæ muneribus perfunguntur, & post aliquam cæremoniam, cujus cor nullam obtinet partem, putant se omnibus defunctos officiis, ad pristinum vitæ morem revertuntur, easdemque repetunt consuetudines, quæ illos coram Deo nocentes fecerunt. Quibus perfunctoriis pietatis, & religionis actibus nil adepti sunt, nisi quod conscientiæ suæ stimulis atque exprobrationibus indixere silentium.

Rationes duæ, quæ nos constanter in Dei cultu perseverare jubent.

Prima harum rationum ea est, quod non satis diluculo Deo servire incipimus; & sicuti nimis sero semper initium fecimus, ex eo, quod nobis ad vivendum superest, tempore ne illud quidem abradere opus est, quo eidem non famulemur. Ab ipso temporis momento, quo rationis usum adepti sumus, Deo servire debebamus; eumque amare, statim ac ipsum agnovimus; at fortasse potior vitæ nostræ pars effluxit, quin adhuc illum serio diligere, atque servire incœperimus. Postquam sacro abluti fuimus baptismate, ubi solemniter nos divino huic Domino famulaturos spopondimus, illum nunquam relinquere debemus, sed illi fideliter præstare fidem, & ea omnia perficere, quæ eidem coram cœlo, terraque promisimus: Sed ea desertione, quæ turpis æque fuit, ac nefaria, eodem fere momento, quo rationales, facti sumus etiam nocentes: quemadmodum peccatores eramus, statim, ac vitam accepimus. Nonne igitur æquum est, ut ad restituendum, vel saltem reparandum hoc tempus adeo inutiliter insumptum, quod reliquum est, illi penitus devoveamus sine ulla intermissione, & quin ne minima quidem fraudemus ejusdem particula Deum, cui totum, quantum est, debetur. Saltem S. Augustini sensus concipere oportet. Eheu! Nimis sero, Domine, te amavi, tibique famulatus sum, qui mereris, ut in æternum ameris, tibique serviatur. Eheu! licet unum tantum retardassem annum, mensem, hebdomadam, diem, semper sero nimis incœpissem! Quid ergo, ut minimum, mihi faciendum superest, nisi reliquum vitæ meæ spatium tibi totum devoveam? Me dilexisti, Domine, tota æternitate, quæ præcessit, ac me amare incœpisti; me omni, quæ subsequitur, æternitate diliges, si ita felix fuero, ut operis meis æternam merear felicitatem, cui me destinasti. Saltem modicum hoc intervallum, quod inter hæc dua interjacet extrema, integre, & constanter in tui amore, & cultu impendatur. *Partim ex eodem auctore desumptum.*

Ratio altera, quæ nos ad perseverantiam debet excitare.

Ratio altera, quæ nos excitare debet, ut in Dei cultu perseveremus, hæc est, quod nunquam nisi nimis cito finem imponimus. Etenim, quæso, quid hanc tetigit animam, cum generoso, christianoque consilio peccatum quidem relinquere, virtutem vero amplecti decrevit? Sane vel metus judiciorum Dei, vel salutis suæ desiderium, vel fortasse motus magis purus, atque sublimis illam

exci-

excitavit, ut sese dederet, & conversio illius aliquandiu perseveravit; verum sanctus hic motus cessavitne? Quid lacrymarum fontem exhausit, & pœnitentiæ cursum inhibuit? Bonitas, justitia, misericordia Dei sancta hæc consilia pepererunt; nunquid hæc causa desiit? Haud ita sane; Deus nunc æque, ac olim amabilis est, justus, & magnus; esse non desiit, quod erat; cur ergo non sumus, quales erga ipsum eramus? Cur in cultu ipsius non perseveremus? Licet ergo zelus, & fervor pro divinæ hujus majestatis cultu habendus unica tantum ante vitæ exitum die cessaret, hoc nimis cito contingeret; nulla enim dies est, nullum momentum, quo Deus colendus, amandusque non sit; ac nullos perseverantiæ nostræ terminos circumscribere debemus, quia ex eo momento, quo eidem servire desinimus quidquid pro eodem hactenus feceramus, pro nihilo habetur, & nos fructum, meritumque amittimus. *Idem.*

Æternæ remunerationis ratio nos excitare debet, ut in virtute perseveremus.

Pro laborum tuorum mercede beatam speras æternitatem; æternitas hæc nunquam tibi tribuetur, nisi præmii titulo; & præmium supponit merita. Si ergo æternitas beata in te peperit desiderium serviendi Deo, & si eadem spem alit tuam, eam merearis oportet. Verum meritum inter, ac præmium aliqua requiritur proportio, porro inter illud tempus, quo eam mereri putes, & æternitatem nulla vera datur proportio; nunquam enim tempus æternam durationem æquabit; tempus, quod tibi conceditur, finitum est, æternitas infinita: nulla igitur adest proportio, quæ nihilominus est invenienda, eaque hæc est. Æternitas nullis finibus coercetur: ergo Dei cultus, qui nullis terminis coercetur, magis accedet ad æternitatem, quam quod suos habet limites, atque mensuras. Igitur cum sancto Rege David Psalm. 118. dicendum est: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Certum consilium cœpi Deo fideliter adhærendi, quippe mihi cum eo res est, qui gloriæ æternitate levissimam etiam præstitam sibi opellam remuneratur. *Idem.*

Triste exemplum deficientis perseverantiæ.

Addere possumus ad consolationem eorum, qui crucem gravem, & longo tempore gestare coguntur, exemplum ex oratione S. Basilii in Quadraginta Martyres ..... In persecutione Licinii Imperatoris, milites quadraginta cum in fide Christi perseverare statuissent, damnati sunt, ut sub dio, nudi, tempore, & loco frigidissimo, totam noctem consumerent, & eo modo longissimo, acerbissimoque martyrio ex congelatione perirent. Aderat autem paratum balneum calidum, ut si qui fidem abnegare vellent, in eo reciperentur. Ex iis triginta novem non tam ad pœnam congelationis præsentem, & brevi finiendam, quam ad coronam gloriæ sempiternæ mentis oculis aspicientes, facile in fide perseveraverunt, & coronas splendidissimas de manu Domini meruerunt. Unus, qui totus erat defixus in pœna sua consideranda, & appendenda, perseverare non potuit, & ideo in tepefactum balneum insiluit. Sed continuo defluentibus carnibus jam congelatis, animam exhalavit; & ad inferos, ut Christi abnegator, ad perpetua tormenta descendit. Sic mortem fugiens mortem invenit, & crucem brevem, & levem cum sempiterna & gravissima commutavit. *Bellarminus de septem verbis Domini in cruce, lib. 2. cap. 18.*

Nonne mira cæcitas est hominis, qui se divino cultui devovit, immo nonne species impietatis est, pro viribus sacrificii ignem extinguere, ubi fortasse prope est, ut holocaustum prorsus absumat? Nonne dementis est post exantlatos totius anni labores, omnes perdere fruges, eo quod messis laboribus parcere vult? Nonne ignavi est sese objicere periculo mercedis amittendæ ex vinea egrediendo tunc, cum vix horæ quadrans superest ad laborandum? Nonne est competitoribus præmium relinquere, subsistere in stadio, cum duo fere reliqui sunt gradus ad bravium referendum? Denique nonne est coronam renunciare, arma turpiter abjicere, atque corripere fugam, cum duo tantum supersunt momenta, quibus præliandum sit, ut referatur victoria? Jure ergo Salvator nos admonet ad salutem consequendam in finem usque perseverandum esse: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 10. *Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Deus pati nequit inconstantiã in cultu suo.

Deus vult sibi nos constanter servire, neque patitur mobilitatem in iis, qui ipsi famulantur. Vult ipsos stare, nihilque magis pietati abrogat fidem, quam uniformem non esse in vitæ ratione, quam variam esse, & modo facere, modo facta abolere. Inconstantia propria est operibus hominum, & immutabilitas character est operum Dei. *Abbas Trappensis, tomo secundo dogmatum Christianorum.*

Fervor sæpe instaurandus est, ac bona desideria fovenda, ut perseveretur.

Si animum advertet homo ad negligentiam, atque inconstantiam, in quam illum naturæ corruptio trahit, nunquam fatigabitur suum zelum, & fervorem instaurans, suamque excitans religionem, ut in bono, & virtutis exercitatione perseveret. Certe enim semper magis defervescimus, nostrumque pondus terram versus nos deprimit: & nisi indesinenter nosmet excitamus, facere non possumus, quominus in soporem incidamus, atque medio in stadio remoremur periculum subeuntes, ne illud absolvamus. Hoc magnum est malum illis, qui ob Christifidelium qualitatem, & imperium Jesu Christi vivere tenentur in jugi vigilantia, ac desiderio eidem in omne vitæ suæ spatium famulandi. *Idem.*

Quid most metuendũ sit illis, qui in via virtutis cõperseverant.

Justi, qui modo incedites in via justitiæ, quænam esset infelicitas vestra, si postquam diu salutis vestræ negotio operam navaveritis, postquam totum diei, & æstus pondus sustinueritis, postquam de carnis, & mundi tentationibus tot triumphos retuleritis, ac plures annos in arcta, molestaque virtutis via deambulaveritis, tunc funesto lapsu caderetis, cum jamjam ad montis verticem evasuri sitis! Mementote, in Christianorum præliis a fine victoriam pendere; ideoque ne miremini, si minus perfruimini ea requie, quæ in termino tantum, ac in patria invenitur. Semen jecistis: virtutis vestræ fructus processerunt, sed nondum ad perfectam maturitatem pervenere. Ubertimæ instat messis tempus: patienter præstolamini diem Domini, neque inquiratis in tempore, quod in æternitate solum vobis promissum est. *Specimen Sermonum pro quarta post Pentecosten Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

Licet perseverantia sit donum Dei, tamen perseverantiæ defectus est nostrũ opus.

Cogitate, quamvis perseverantia in gratiæ vita merum sit donum Dei, defectum tamen perseverantiæ esse solum opus nostrum. Hæc gratiæ vita, quam nobis pœnitentia restituit suapte natura æque immortalis est, & incorruptibilis, ac anima nostra, quæ ejusdem subjectum est. Si contra Dei mentem gratiam hanc amittimus, nobis, non illi vitio vertendum est; & in hoc situs est error noster. De hujus finalis perseverantiæ necessitate eruditis, quomodo nobis contendendum est, ut illam assequamur? Nonne toto vitæ tempore vota essent nuncupanda ad pretiosum hoc munus obtinendum? Finalis perseverantia nonne indesinenter esse deberet, & desideriorum nostrorum objectum, & finis actionum nostrarum, & argumentum, ut ita dicam, omnium nostrarum orationum? Acquirimus meritorum, gratiarumque thesauros, quid hoc? nisi ad extremum usque momen-

momentum perseveraverimus in gratiæ vita; si nobis maximum illud contigerit infortunium, moriendi in peccato mortali, Deo invisis, ejusque inimicis. Quantumvis in innocentia ac fervore pœnitentiæ vixerimus ad illud usque temporis momentum, quod extremum illud præcedit; si extremo hoc momento decretoriam hanc gratiam amittimus, actum est de nobis in omnem æternitatem. Deus omnia præterita opera nostra bona nullo habet in discrimine. In nullam reditus spem reprobaris, & in singulos non petis a Deo gratiam hanc, & nihil agis, ut illam obtineas? Quæ cæcitas! *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Finalem gratiam mereri nō possumus, possumus autem illam obtinere.

Licet perseverantiam, & finalem gratiam mereri nequeamus, possumus tamen nosmet tanto non indignos munere exhibere. Perseverate in fuga peccati, in praxi virtutis, in vitæ integritate, & confidite futurum ut Deus sit vitam innocuam sancta morte coronaturum. Perhorrete, quidquid efficere potest, ut gratiæ vitam amittatis. Fugite quascumque peccati occasiones; & si in peccatum aliquod incideritis, ne occidat Sol, antequam ad Pœnitentiæ Tribunal confugiatis. Non festum, neque commodum expectetis diem; eo ipso die, si fieri potest, abluite sordes vestras lavacro salutari, quod ad peccata vestra lustranda Salvator in Ecclesia constituit. Moras nectere hac in re periculosæ opus est plenum aleæ. Hæc fuit causa funesta reprobationis plurimorum, qui hactenus vitam egerant, quæ longe alium finem pollicebatur. Quotidie aliquot Deo preces offerte, finalem ab eo gratiam impetraturi. Divini sacrificii tempus aptissimum est ad tantum hoc munus a Divina Majestate petendi. Ad id Beatissimæ Virginis opem exposcite; quotidie peculiarem ad id orationem effundite, ut per præsentissimam illius intercessionem perseverantiæ donum acquiratis. Illi hoc certe certius impetrant, qui vera pietate illam colunt, & venerantur. *Idem*.

Finalis perseverantia unica est, & suprema nostra beatitudo.

Finalis perseverantia supremum est hominis bonum, illi enim æternam summi boni possessionem procurat. Vivere in innocentia, & gratia, & amicitia Dei sola est hominis in hac vita felicitas: quodvis aliud bonum, quævis voluptas illusio est, inanis occupatio. Sed perseverantia in gratia, nobis est perfecta felicitas. Quantumvis fervens nostra fuerit conversio, nullam habebit vim, nisi perseverantiæ donum habuerit. Hoc proprie illud donum est, quod bonorum operum nostrorum pretium constituit. Sine perseverantia, perfectissima innocentia, virtus nitidissima, austerissima pœnitentia nil prosunt. Saul a Deo peculiari prædestinatione fuerat electus: Salomon in se Orbis totius admirationem propter pietatem, ac sapientiam converterat: Judas unus erat ex albo Apostolorum Domini, immo etiam multa patraverat miracula: Origenes nihil intentatum reliquit, ut pro Jesu Christo suum effunderet sanguinem. Tertullianus diu Ecclesiæ Pater habitus est. Omnes summi isti viri optime incœperant; omnia hæc lumina plurimos annos optime Ecclesiæ præfulserant; aliquandiu etiam in innocentia, fervore, omnibusque vitæ Christianæ muneribus perseveraverant. Honori erant Religioni donec in gratia perseveraverunt, sed cum tandem ab hac morum integritate defecerint, & in Domini via fuerint fatigati, seque cupiditatum, pravorumque exemplorum vi trahi passi fuerint, quinam extitit tristis illorum finis, quænam illorum æterna calamitas? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Hæc omnibus operibus bonis cumulum addit.

Gratia finalis, hæc finalis perseverantia in gratia omnibus finem imponit. Eleemosynæ, pœnitentiæ, bona opera, pietatis actus, nihil horum in alteram usque vitam traducitur, quod non sit hac nota, & hoc sigillo notatum. Imprudentes Evangelii Virgines in sua virginitate perseveraverant: delicatus hic flos nondum evanuerat; multa bona opera collegerant; tamen sub diei finem misere dormitant; non perseverant in ardenti salutis zelo, in hac adeo necessaria vigilantia, sine qua, plerumque in manifesto pereundi periculo versamur. Sponsus advenit, cum jam erant egressæ: hic illas non ut alias in officio suo permanentes reperit; illæ in primo fervore non permanserunt, ideoque damnantur. Bone Deus! fierine potest, ut hæ rationes, hæc documenta, hæc exempla parum adeo moveant animum, & cor eorum, qui in eodem statu versantur? *Idem*.

Causa tot lacrymarum, quas Sancti fuderunt erat desiderium amissam gratiam reparandi.

Sancti ideo tot lacrymas profuderunt, austerisque pœnitentiis sese mactarunt, licet sibi peccata sua dimissa fuissent; quia ardentissime cupiebant recipere a Deo gratias, favoresque, quorum jacturam fecerant. Tu, qui tot gratias absumpsisti, qui tot annos restitisti Deo, quodam solemnitatis die accedis ad peccatorum tuorum absolutionem percipiendam non sine attritione cum Confessarii absolutione conjuncta. Putasne, bona fide quæso, putasne ideo te tutum esse? Nonne tibi justum est timendi argumentum, an per hæc peccata meritus fueris non obtinere quibusdam in occasionibus has validas, & efficaces, quibus deficientibus certissime in grave incides crimen? Itera preces tuas, auge mortificationes, multiplica bona opera, ut hoc pacto iterum merearis lumina, gratias, omniaque divinæ misericordiæ subsidia, quibus te indignum probasti, utque potissimum finalem gratiam consequaris, quas ipsi mereri non possumus. *P. Antonius de S. Martino a Porta*.

Tempus amissum reparandū est ad finalem gratiam a Deo obtinendam.

Esau Parenti suo dixit: *Pater numquid non servasti mihi benedictionem?* De se actum esse arbitrabatur, & precibus suis a Patre benedictionem consequitur. Ita inquies, tot, & tam enormia peccata commisi: ad Religionem evocatus fui, & vocationem repuli: Numquid desperandum est mihi; nullæ ultra mihi gratiæ supersunt? Non ita quidem; sed opus est, ut lacrymis, precibus, austeritatibus, bonis operibus opportune, importune fatiges Deum, (absit invidia verbo) ut tibi recentes gratias largiatur; cumque illius misericordiam fueris assecutus, non satis esse putes commune vivendi genus, quod quidem amicis Dei satis esse potest. Tu vero qui fere numquam in virtutis via ambulasti, gressus itera, amissum tempus redima, & vitam duc adeo ab omni labe vacuam, ut sub vitæ exitum a Dei misericordia consequi valeas postremam hanc gratiam, a qua tua pendet æternitas, & quam nemo ullo jure, vel titulo mereri potest, licet sit causa æternæ beatitudinis nostræ. *Idem*.

Frustra cœpimus bene vivendi consilium, nisi in eo perseveremus.

Sancta licet sint ea, quæ hactenus cepimus, consilia sequendi partes virtutis, atque ad status nostri perfectionem tendendi, hoc satis non est, nisi in illis perseveraverimus. Parum est bene incipere, & aliquot annis in incæpto persistere; fidelem esse opus est usque ad extremum vitæ spatium; huic enim uni Deus æternam vitam pollicetur: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Quamvis in omnium virtutum praxi, & austerissimæ pœnitentiæ exercitatione versati fuissemus annos quinquaginta, vel sexaginta, vel etiam centum, hæc omnia nihil ad æternitatem prodessent, si momento ante obitum extremo a virtute recedimus: *Incassum bonum agitur: si ante terminum vitæ deseratur*. Sanctus Paulus male cœpit, & bene desiit. Judas e contra bene incœperat, & male finem vitæ suæ fecit. Hinc alter quidem in gloria est, alter vero æternum erit in inferno cum dæmoniis. Quod vero hac in re terribilius est; gratia hæc, cujus ope perseveratur, non omnibus datur. Gratia

Apoc. 2.

D. Gregor.

tia est gratuita, mera gratia, quam Deus, cui vult, ad arbitrium largitur. *Christianæ Considerationes.*

Tuta ratio perseverandi in bono est de nobis diffidere, & confidere in Deo.

Enixe à Deo nobis expetenda est gratia perseverantiæ: incessanter est petenda, & cum timore, ac tremore saluti nostræ invigilandum est: *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*. De nobismetipsis diffidere tenemur; omnibus cordis nostri motibus invigilare, ac de salute nostra sollicitos esse, scientes non licere nobis quapiam in re confidere, non in voluntate nostra, quæ adeo infirma, & mobilis est, non in bonis operibus, neque enim opera quævis licet præstantissima jure perseverantiæ gratiam mereri possunt; non in gratiis, quibus cumulati sumus, quibus nos ad mortem usque fideles futuros nobismet polliceri nequimus; quot enim mortales in virtutis praxi vixerunt, qui tamen calamitosum nacti sunt exitum? Salomon, sapientissimus omnium, postquam diutissime Deo fidelis extitit, sub vitæ suæ finem in idololatriam lapsus est. Judas ad Apostolatus apicem evectus, miraculorum, atque virtutum Filii Dei testis, cœlestibus gratiis cumulatus fit proditor, Apostata, ac in desperationem actus obit. Quis ad lapsuum adeo funestorum adspectum non contremiscet! Ne confidamus in optimis consiliis nostris. Quotusquisque diu sæculi hujus corruptioni resistit! Unius flagitiosi hominis sufficit societas, ut quam primum omnes boni pietatis, & timoris Dei sensus, quos sancta plurium annorum educatio pepererat, plis. jugulentur. Si sapimus, alienis proficiamus exem. Ut tantum malum evitemus, videamus, quid obsistere possit ne in bono perseveremus. Scrutemur corda nostra; Cogitemus quænam in nobis dominetur cupiditas; videlicet quænam frequentius nos in scelus impellat; & sine remissione, & hunc salutis nostræ inimicum oppugnemus, hic enim magnus est obex perseverantiæ. *Considerationes Christianæ.*

Naturalis inconstantia nostra magnum nobis est timendi argumentum ut perseveremus.

Quam terribilis hæc est perseverantia! Quæ nobis est metuendi ratio: nobis, qui hactenus adeo inconstantes fuimus in Dei servitute; nobis quorum vita lapsibus, & relapsibus plena est, qui hodie ferventes sumus, cras intepescimus; hodie pœnitentes, cras peccatores; hodie certi vim faciendi affectibus nostris; cras earumdem cupiditatum mancipia, quas nos detestatos satis fuisse arbitramur. Quoties enim Deo polliciti sumus, nos illi fidelius, quam ante adhæsuros; & quoties datam illi fidem perfregimus? Si qui præ ceteris sanctitate fulgent, & qui Deo fidelissimi extiterunt, donec in mundo sunt, certi esse nequeunt, se perseverantiæ gratia donandos esse; quid timendum est illis, qui tot gratiis abusi sunt? O nos adeo singulari munere indignos! In divina bonitate tua, Deus, spem omnem statuimus, sperantes te nobiscum tua usurum misericordia. *Ibidem.*

Ad perseverantiæ donum obtinendum quotidie nobis instaurandæ sunt protestationes Deo aspere fideliter serviendi.

Cum nobis persuasum sit, non posse nos finalis perseverantiæ gratiam promereri, saltem nosmetipsos præparare debemus ad illam percipiendam omne auferendo obices, qui eadem privare nos possent. Idcirco nobis oppugnanda est misera cupiditas illa, quæ inutiles effecit tot gratias, quas nobis concesserat Deus, & quæ certissime nos ad finalem impœnitentiam adduceret. Ergo nulla occidat dies, qua perseverantiæ gratiam non poposcerimus: utque in nobis vigeant boni illi cordis affectus, qui modo inveniuntur in nobis, quotidie mane profiteamur Deo, nos illi semper fidelius adhæsuros. Ab eo gratiam deprecemur hæc consilia nostra exequendi. Quotidie cubitum euntes, & surgentes cubitu exploremus, quo pacto illa a nobis servata fuerint, ut sicubi defecerimus, possimus deinceps magis, magisque nobis invigilare. *Ibidem.*

In bono perseverandum est.

Quandoquidem Dominus adventat, sta eo in statu, in quo es, & tene locum, quem obtines. Hoc tua maxime refert; quisnam esset dolor tuus, si quod noluisti aliquot adhuc pugnare dies amitteres destinatam tibi coronam? Verum quinam iste locus est tibi tanta cura servandus? Hic est, in quo integram ab omni labe vitam ducis, & ambulas in viis Domini: *Esto firmus in via Domini*. *Eccl. 5.* Esto igitur firmus, & inconcussus in hoc consilio Deo prorsus inserviendi. Esto fidelis in omnibus pietatis operibus; humilitatem, charitatem, mortificationem exerce. Abesto a peccati occasionibus; nimiis tentationum incursibus audacter resiste; verbo, in bono, quod facis persevera: *tene quod habes*. Verum est, te hoc sine Dei gratia facere non posse, sed hanc ille numquam respuit petentibus illam, & semper tribuit necessaria subsidia ad illam poscendam. *P. Segneri in Meditationibus.*

Nonnisi per assiduas preces perseveramus.

Quoniam omnia bona procedunt a Deo, a fortiori ab illo dumtaxat expectanda est finalis perseverantia, quæ donorum omnium præstantissimum est. Nam licet Deus hominem justificans illi vim præbeat perseverandi, illi tamen non largitur actum, ipsam videlicet perseverantiam. Ut ad finem usque in justitia perseveremus, opus est gratia alia ab ea, quæ nos justos constituit, & per gratiam hanc nos Deus usque ad mortem illuminat, per hanc amovet a nobis omnes occasiones lapsus, nos adigit ad jugem bonarum actionum praxim, nos animat, nosque in statu justitiæ confirmat. Ita finalis perseverantiæ gratia plures amplectitur alias; & ideo quanam humilitate, fervore, constantia illæ a nobis petendæ sunt? Verum est nos minime posse perseverantiæ gratiam promereri, saltem *de condigno*, ut Doctores loquuntur, sed illam precibus obtinere possumus. Viam hanc nobis stravit Deus, ut ab illo per ipsius misericordiam impetraremus, quod per justitiam non valemus percipere. Ita Deo non renuente servorum suorum precibus finalis perseverantiæ donum, facilis inde patet argumentatio, nos in bono perseveraturos, si in oratione perseveraverimus. Verum ad obtinendam per preces hanc auxiliorum seriem, quæ nos ad salutis portum adducat, Sanctus Jacobus nos monet, ut ad Deum sub nomine Patris luminum confugiamus. Similis Soli, qui lucet, qui fovet, simulque roborat, Deus in oratione mentes nostras illuminat, inflammat corda, viresque necessarias suppeditat, ut bonum operemur, ut bonum facili negotio operemur; ut bonum usque ad finem operemur. *P. Segneri in Meditationibus.*



PŒNITENTIA.

Virtus, necessitas, efficacia, & conditiones pœnitentiæ, &c.

MONITUM.



Pud sanctos Patres, & in ecclesiæ usu duo pœnitentiæ genera invenimus præter eam, quæ sacramentum est, & hoc nomine appellatur; alteram, quam conversionis pœnitentiam dicimus, & in eo sita est, ut nos criminum nostrorum pœniteat, atque summum eorum dolorem, sincerumque non ulterius peccandi propositum concipiamus: alteram, quæ expiationis pœnitentia vocari potest, cujus est expiare peccatorum reliquias, eorum etiam, quorum per sacramentum, & satisfactoriam operam veniam sumus consecuti. De altera hac pœnitentiæ specie, quæ primis ecclesiæ temporibus adeo familiaris erat, & quam modo vix norunt Christiani, hoc in loco verba facimus; cum de pœnitentia conversionis, seu virtus illa sit, seu sacramentum, fusius sub separatis titulis actum sit.

Pœnitentia igitur hoc in sensu accepta, scilicet expiationis, & satisfactionis criminum nostrorum, quamvis sejungenda non sit a dolore eorumdem, hic enim illam excitare debet, & omne illius meritum constituere; pœnitentia, inquam, hoc in sensu accepta ea proprie est, de qua frequens adeo in evangelio incidit sermo, cum nos hortatur, ut dignos pœnitentiæ fructus feramus, illa, quæ Prophetæ in lege veteri prædicabant, illa, de qua sermones, & homilias habuere Sancti Patres, & ad quam ipsi etiam Concionatores auditores suos debent hortari; non quod separanda sit a contritione, interiorique peccatorum dolore, sed quod extrinsecus etiam sese proferre debet per voluntarias pœnas, ut faciat satis divinæ justitiæ. Itaque supposito, quod exterior hæc pœnitentia sit indicium, & effectus interioris, collegimus, quidquid magis notatu dignum occurrit de hujus pœnitentiæ necessitate, potestate, efficacia, & conditionibus, necnon de modo illius instituendæ, ac ea, quæ, inde percipitur, utilitate.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. T argumentum adeo late patens ad justam concionis formam redigatur, mihi satis non est illud ad eam coarctare partem, quæ dicitur satisfactio, sed, quidquid de pœnitentia generatim sumpta utilissimum esse potest, duabus hisce propositionibus complector, 1. Necessum esse agere pœnitentiam pro nostris criminibus, ubi ostendam, cuinam rei innitatur obligatio illa expiandi pœnis ultro susceptis, quantumvis illa per pœnitentiæ sacramentum fuerint dimissa. 2. Quænam hæc esse debeat pœnitentia, hoc est, quas habere debeat conditiones.

Quod ad priorem pertinet: posito quod in quolibet mortali peccato non desit & culpa, quæ est offensa, videlicet injuria facta Deo, & pœna, quam per crimen suum meruit peccator; præterea quod Deus peccatori noxam remittens non semper omnem debitam peccato pœnam remittit, sed ex æterna temporalem tantummodo efficit, peccatori per virtutem pœnitentiæ, quæ hac in re divinæ justitiæ vices, locumque subit, persolvendam. Dico pœnitentiam hoc in sensu acceptam fideli necessariam esse: 1. quia peccatum per sacramentum nequaquam omnino dimissum est; remanet enim adhuc aliqua pœnæ pars, quæ nondum remissa est, sed adhuc est persolvenda. Hinc igitur sequitur, divinam exposcere justitiam, ut peccator adimpleat ea, quæ desunt passionum Jesu Christi, ut loquitur S. Paulus. Secundo, quia cum citra peculiarem revelationem haberi nequeat indubitata certitudo, peccatum nobis dimissum fuisse, & quoad culpam deletum, nihil majorem hujus rei certitudinem moralem tribuere potest, quam ejusdem a nobis instituta satisfactio; hoc enim apertius nobis significat dolorem, quem ob læsam Numinis majestatem concipimus. Tertio, quia divina justitia, quæ cum misericordia integram partitur peccati destructionem, sibi vel in hac, vel in altera vita vult satisfieri; ideoque cum quodvis peccatum puniendum sit vel a Deo, qui aliquando severissimas illius expetet pœnas, vel ab ipso peccatore; extra omnem dubitationis aleam positum est ad evitandum severum supplicium, quod inflicturus est Deus, scelus in hac vita expiandum esse per pœnitentiam, quæ quantumlibet severa sit, longe minori sumptu Deo satisfaciet.

Pro parte altera. Si quæris, quænam hæc esse debeat pœnitentia, & quæ conditiones illius; dico, 1. severam esse debere, ut satisfiat divinæ justitiæ, cujus locum tenet; 2. debere esse jugem, & constantem, ac tantum perseverare, quantum peccati viget memoria; 3. congruam esse debere peccatorum magnitudini, multitudini, & qualitati.

1. Peccatori confidendum est in virtute pœnitentiæ, tanquam in certissima medicina, ac valido studio, quo reparare valeat jacturas, quas passus est; sed hæc confidentia inniti debet misericordiæ Dei, qui modum nos docuit leniendi, ac satisfaciendi justitiæ suæ, dignos pœnitentiæ fructus faciendo: 2. peccatori diffidendum est in sua ignavia, ac justo metu nequaquam dignos pœnitentiæ fructus ferendi, sibimet nimis indulgendo, &c. *Ex Specimine Sermon. pro Dominicis tom.* 1. II.

1. Pœnitentia sumpta pro satisfactione, & expiatione peccatorum par quodammodo esse debet eorumdem magnitudini, & qualitati. 2. Modus justæ hujus proportionis adhibendæ, quantum status, ac infirmitas nostra patiuntur. *Ex eodem specimine tomo eodem.* III.

1. Pœnitentia medetur peccati vulneribus, ejusque ipsas delet cicatrices, quæ post dimissum etiam crimen supersunt. 2. Reparat detrimenta, quæ peccatum attulit, merita, quæ amiseramus, nostræ charitatis fervorem, particularem Dei benevolentiam, itæ ejusdem reliquias avertens. 3. Liberat a pœnis, quas merebatur peccatum, ad extremum usque quadrantem divinæ justitiæ satisfaciens. *Ex eodem Specimine pro Adventu.* IV.

1. Religionis officia Christianos omnes ad pœnitentiam instituendam obligant: 2. pœnitentiæ exercitia efficiunt, ut religionis officia, quantumvis molesta sint, videantur faciliora. V.

1. Ni-

1. Nihil æquius, atque venerabilius est iis satisfactionibus, quas requirit Dominus a peccatore, qui divinam majestatem offendit, ubi ostendendum est, austeritates omnes, quas exercere possumus, quid parum esse, si conferantur cum suppliciis, quæ meriti sumus. 2. Nihil gratiosius est ea bonitate, qua Deus recipit peccatorem ad se revertentem, & voluntariis pœnis in se injurias Domino illatas punientem.

VII. 1. Utilitas nostra nobis necessariam efficit pœnitentiam, ut evitemus pœnas peccatis nostris debitas, & propter alia bona, quæ ex hac virtute percipimus. 2. Gratia eam nobis facilem efficit, ac nos adducit ad contemptum difficultatum omnium, quæ occurrunt generosa hæc consilia adimplentibus, uti videre est in priscis pœnitentibus, qui terribiles exercuere austeritates: *Horum vita horrorem mihi incutit*, ut quidam Pater ait. 3. Gloria, quæ sequitur pœnitentiam, ejusque pretium est, eam nobis amabilem, & pretiosam præbet, quantumvis austera, & horrida aliis videatur: *Felix pœnitentia, quæ talem mihi promeruit gloriam*, dixit olim quidam Sanctus, qui post mortem S. Theresiæ gloriosus apparuit.

VIII. 1. Nihil magis necessarium christiano viro est, quam pœnitentia; nil enim magis in tuto ponit salutem illius reparans mala, quæ peccata illi pepererunt, amovens occasionem recentia peccandi, eique viam aperiens ex integro divinæ justitiæ satisfaciendi. 2. Nihil magis infrequens, & pejus in praxin redactum, quam pœnitentia: etenim, ut sanctus hic Pater ait, defectus, qui in illa exequenda occurrunt, per aliam expiandi sunt pœnitentiam.

IX. 1. Gravissima quælibet pœnitentiæ severitas suavis, aut levis est illis, qui scelerum suorum multitudinem, & gravitatem intelligunt. 2. Nihil nobis prætermittendum est, ut pœnitentiæ fructibus perfruamur.

X. Patrum, ac interpretum sententia est, pœnitentiam exhiberi per insignem illam piscinam, de qua in evangelio sermo est; omnia utrinque sibi respondent; sed rationes, propter quas non omnes, qui sese in illam conjiciunt, curantur, hæ sunt: 1. quia non statim in illam ingrediuntur, peccatorum plerisque secus coram languentibus, ut olim paralyticus, qui duodequadraginta annos ibi jacuerat, quin hominem inveniret, a quo mitteretur in aquam: 2. quia satis in illam sese non immergunt; non satis serio pœnitentiæ spiritum assequuntur, levem dumtaxat pro peccatis suis satisfactionem suscipiunt.

XI. 1. Cum pœnitentiæ nostræ finis, & causa sit læsi Dei iram lenire, ejusque satisfacere justitiæ, inde judicium ferendum est, quam diligens esse debeat pœnitentia, quam severa, & aliena ab iis omnibus rationibus, propter quas omnes fere peccatores sibi parcere consueverunt. 2. Mensura, & regula a nobis in pœnitentia nostra observanda est, illam aptare magnitudini, & multitudini peccatorum nostrorum; liquet enim, illis, qui sæpius, & gravius divinam majestatem læserunt, hanc gravioribus pœnis esse leniendam. 3. Fructus, & effectus pœnitentiæ est, Dei amicitiam, conscientiæ pacem, interius gaudium recuperare.

XII. 1. Cum evangelii prædicatio a pœnitentiæ prædicatione inceperit, Christiani salutem suam operaturi, & perfruituri beneficio Dominici adventus ante omnia de pœnitentia instituenda cogitare debent: rationes vero hoc ostendentes obviæ sunt, & manifestæ. 2. Adminicula, quæ habemus, vel quæ nobis contulit Deus, ut hoc faceremus, variique modi agendi pœnitentiam ostendunt, nullas esse excusationes, quas prætexere valeamus, ne illam amplectamur.

XIII. In pœnitentia tria possunt ostendi, quæ sermonis partitionem præbebunt.

1. Justum esse per pœnitentiam læsæ Dei justitiæ satisfacere: rationes petuntur ex illius magnitudine, & nostra humilitate, ac indignitate; ex injuria, quam peccatum Domino infert, cujus omnia jura infringit. 2. Inevitabilis necessitas, qua peccator pœnitentiam agere tenetur propter allatas alibi rationes. 3. Incomparabilis utilitas, quam ex pœnitentia recipimus, & fructus, qui inde nobis proveniunt, qui satis cogniti sunt. Ita pœnitentiæ æquitas, necessitas, & utilitas tria sunt puncta concionis hujus argumenti.

Pœnitentia austera esse debet, & severa. 1. Ut Dei ira leniatur, ejusque justitiæ fiat satis. Hoc primum illud est, ad quod obligat pœnitentia. 2. Ut vitæ rationem mutemus, vitamque ducamus prorsus oppositam illi, quam hactenus duximus. 3. Ut affectionum vincula infringamus, atque nosmet ab iis separemus, quæ præ cæteris magis cordi sunt. Quis negare potest tria hæc difficillima esse, atque maximam nobismet vim esse inferendam, ut votorum summam assequamur? *Ex P. Masson Oratorii Presbytero in decimotertio Adventus Sermone.* XIV.

Non loquor de pœnitentiæ severitate, quatenus pertinet ad ministros; Præsulibus relinquenda cura est medendi iis malis, quæ vel nimia severitas, vel nimia relaxatio gignunt. Dico 1. pœnitentiam consideratam, quatenus ad nos spectat, severam, exactamque esse debere: hæc prima est propositio. 2. Addo hanc pœnitentiæ severitatem hoc pacto consideratæ nihil habere, quod nos deterrere debeat: hæc altera est propositio. In priori videbitis, peccatoris severitatem in semet esse aliquid essentiale pœnitentiæ; in posteriori vero quam injustus peccator sit, qui pœnitentiam amplecti propter illius severitatem recuset. *Ex Sermonibus editis sub nomine P. Bourdaloue Sermone pro feria sexta hebdomadæ quinta.* XV.

Pœnitentia quatenus virtus sive cum cognomine sacramento conjuncta, sive ab eodem separata duo complectitur.

Primum est, peccatum relinquere vera vitæ mutatione. Alterum illud expiare pœnis ultro susceptis, juxta illa evangelii verba. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Marc. 1. Primum futuro prospicit eo vitæ genere, quod sanctius, & religiosius est; alterum vero satisfacit pro præterito. Illud nos iterum cum divina majestate conciliat, cor, & vitam peccatoris immutans; hoc autem prævertit ultionem a Deo aliquando expectandam. *Ex auctore Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, Sermone Adventus 19.* XVI.

Pœnitentiæ spiritus particulariter duobus in rebus consistit. XVII.

Primum in sincero desiderio satisfaciendi Deo per corporis mortificationem, propter dolorem, & contritionem ob patrata scelera conceptam.

Deinde in jugi affectuum, inconditarumque cupiditatum mortificatione, ne quis in eum statum, ex quo egressus est, relabatur.

1. Plerique peccatores omnino pœnitentiam agere detrectant, vel serius, quam fieri posset, illam aggrediuntur propter difficultates, quas ibi inveniunt, & quibus deterrentur; propter humanos respectus, qui illos in ipso primordio remorantur; propter affectionum nexus, qui infringendi sunt. 2. Plerique eorum, qui agunt pœnitentiam, vel potius, qui illam agere videntur, perperam agunt illam, quia imperfecte dumtaxat eam agunt, eo modo, qui scelerum magnitudinem, & qualitatem minime decet.

Scriptura sexto Genesis capite ait, Deum pœnituisse, quod hominem fecerat, atque Tertullianus animadvertit, ipsum tunc nobis exemplum præbuisse eorum, quæ in nobis facere debet pœnitentia, per ea, quæ tunc in Dei corde operata est: *Pœnituit eum, quod fecisset hominem*, Genes. 6. Ubi tria notanda sunt, quæ fecit Deus, & quæ a nobis in pœnitentia nostra sunt imitanda. XVIII.

Primum fuit, quod ipsum pœnituit, eo quod hominem fecisset. Pœnitentia idipsum in nobis facere debet, ut videlicet nosmet peccatores efficiſſe nos pœniteat: quia homo peccator opus nostrum eſt.

Alterum, quod fecit Deus, fuit ab hoc homine peccatore recedere: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro eſt*. Pœnitentia efficit, ut alterum hoc faciamus; efficit enim, ut capiamus consilium cum homine peccatore inimicitias fovendi, & ab ipſius vitæ ratione, quoad fieri poteſt, recedendi.

Tertium denique, quod fecit Deus, fuit peccatorem exterminare: *Delebo hominem*. Ita tertium illud, quod in nobis efficere debeat pœnitentia, eſt hominem interiorem in nobis evertere. *P. Maſſon Sermone* 31. *in Adventu*.

XX. Pœnitentia, ut ſincera, & vera ſit, facere debet fructus dignos pœnitentiæ, hoc eſt bona opera, & opera ſatisfactoria: 1. propter Deum, cujus gloria per pœnitentiam reparanda eſt: 2. propter peccatores, qui per eamdem in priſtinum gratiæ ſtatum revocandi ſunt. *P. Texier in Adventu*.

XXI. Pœnitentia facienda eſt reſpectu trium temporum, quæ illa reſpicere debet. 1. Pro præterito efficere debet, ut concipiamus dolorem eorum peccatorum, quæ commiſimus. 2. Pro præſenti efficere debet, ut perfectè vitæ rationem mutemus. 3. Pro futuro nos excitare debet ad pœnas ex nobiſmetipſis ſumendas eorum criminum, quæ patravimus, ut divinæ juſtitiæ ſatisfaciamus. *Ex Auctore Sermonum Chriſtianorum*.

XXII. Ut dignos pœnitentiæ fructus faciamus; 1. auferenda primum eſt peccati materia, luxus, convivia, inutilia, & nefaria colloquia. 2. Delendi, ac reparandi ſunt effectus peccati; habitus pravi, animus a divinis rebus alienus, cordis obduratio, &c. 3. Adhibenda ſunt peccati remedia, interior, exteriorque mortificatio, humiliatio, &c. *Ex Patre Bourdaloue in quodam Sermone Quadrageſimæ*.

XXIII. Duo hominum genera pœnitentiam diverſimode reſpiciunt.

Alii ſatis eſſe putant levem ſatisfactionem poſt graves, iteratosque lapſus, & hi nequaquam dignos pœnitentiæ referunt fructus.

Alii primo ſtatim intuitu animos deſpondent virtutem adeo neceſſariam intuiti, ejuſque ſeveritatem reputantes, quin animum advertant ad ea bona, quæ inde percipiuntur. Prioribus oſtendendum eſt, pœnitentiam auſteram eſſe debere, ut placeat Deo; poſterioribus vero ſatisfaciendum eſt maxima eximiæ hujus virtutis bona explicando. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethica Chriſtianæ argumenta in Dominicali pro quarta Dominica Adventus*.

XXIV. Pœnitentia neque ſolida, neque acceptabilis eſt, niſi quatenus eſt efficax, neque efficax eſt, niſi quatenus fructus ſuos producit: *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Hos autem fructus ad tres rediguntur: 1. efficax pœnitentia peccati cauſam auſert: 2. reparat effecta peccati; 3. peccatorem ſubjicit remediis peccati. Tres hi ſunt characteres, qui ex altera parte pœnitentiæ perfectionem conſtituunt, ex altera vero totam moraliter faciunt peccatoris pœnitentiam. *P. Bourdaloue in veris Sermonibus, Adventu ſecundo, Sermone de Pœnitentia*.

XXV. Conditiones pœnitentiæ. 1. Eſſe debet ſincera. 2. Auſtera eſſe debet, alioquin non eſt pœnitentia. 3. Suſcipi debet propter amorem Dei, dolorem ex ejus offenſa profectum, necnon eidem ſatisfaciendi deſiderium.

XXVI. Cœlum, terra, & infernus nos admonent, ut pœnitentiam agamus. 1. Cœlum pro illis eſt tantum, qui ſuam ſervarunt innocentiam, vel qui per pœnitentiam ſcelera ſua expiarunt: nonniſi per alterutram harum viarum illuc aditus patet. 2. Terra, & ſepulchrum, quo quamprimum inferendi ſumus, atque tunc nullum aderit amplius pœnitentiæ faciendæ tempus. 3. Infernus, qui nobis præparatus eſt, niſi veram peccatorum noſtrorum egerimus pœnitentiam: & vere dici poteſt infernus eſſe impœnitentium ſedes.

XXVII. 1. Quidam peccatores in actuali moriuntur impœnitentia. 2. Quidam in pœnitentiæ privatione moriuntur. 3. Quidam in falſa pœnitentia moriuntur.

XXVIII. De Ninivitarum pœnitentia. 1. Veritas pœnitentiæ Ninivitarum confundit falſitatem pœnitentiæ fidelium. 2. Severitas pœnitentiæ Ninivitarum noſtræ teporem confundit. 3. Celeritas pœnitentiæ Ninivitarum noſtram confundit dilationem.

XXIX. Agere pœnitentiam eſt mutare mentem, cor, & viam. Tria eſſentialia pœnitentiæ officia. Mutare mentem eſt pœnitentiæ principium, mutare cor eſt eſſentia pœnitentiæ, mutare vitam, & agendi rationem effectus eſt pœnitentiæ. Ut autem tria hæc officia clarius explicentur; 1. mutare mentem eſt in pœnitentiæ ſtatu contemnere, quidquid in pretium habitum fuerat in ſtatu peccati, & in pretio habere: quidquid fuerat contemptum. Punctum primum. 2. Mutare cor eſt odiſſe, quidquid amaveramus, amare, quidquid oderamus. Punctum alterum. 3. Mutare mores, ac vitæ rationem eſt fugere, quidquid fieri conſueverat, & facere, quidquid fugiebatur. Punctum tertium. *Ex Sermone P. de la Rue pro feria quinta poſt Paſſionis Dominicam*.

XXX. Chriſtiana pœnitentia eſſe debet. 1. Pœnitentia expiationis ad ſatisfaciendum pro peccatis præteritis. 2. Pœnitentia præcautionis ad ſumma peccata prævidenda. 3. Pœnitentia reparationis ad virtutes acquirendas, quæ patratis criminibus ſint oppoſitæ.

XXXI. Error eſt credere, pœnitentiam nonniſi inſignibus peccatoribus eſſe neceſſariam; neque minor error eſt exiſtimare mortificationem perfectioribus tantum relinquendam eſſe. 1. Si peccatores ſumus, pœnitentiam agere tenemur, ut flectamus Dei juſtitiam, & ab illius miſericordia noſtrorum criminum veniam obtineamus. 2. Si ita felices ſumus, ut nunquam innocentiæ jacturam fecerimus, mortificatio adhuc nobis eſt neceſſaria, ut pretioſum theſaurum hunc conſervemus. Peccavimus, peccare poſſumus, hæ duæ ſunt validæ rationes, quæ nos ad pœnitentem vitam ducendam impellunt.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Auguſtinus librum edidit, *de vera, & falſa pœnitentia*: licet critici putent, hoc alterius eſſe auctoris, nos tamen ſub hoc nomine illum proferemus. Sancti Patres.

Idem *Epiſtola* ad Seleucianum docet, Chriſtiani pœnitentiam eſſe debere aſſiduam, & toto vitæ ſpatio perſeverare.

Idem *lib.* 21. *de Civit.* Ninivitarum exemplo oſtendit, quid pœnitentia operetur in peccatoribus, qui verum criminum ſuorum dolorem conceperunt.

Idem *Serm. de Adamo* docet, verum pœnitentem ſatisfacere debere juſtitiæ divinæ & animo, & corpore.

Idem *Serm.* 5. *de Litan.* pœnitentiæ utilitatem oſtendit.

Idem, vel Auctor libri *de ſpiritu, & anima*, oſtendit illi, qui illicita ſibi licere voluit, a licitis abſtinendum, ut agat pœnitentiam.

Idem in libro *de vera, & falſa Pœnitentia* docet, quinam ſint fructus veræ pœnitentiæ.

Idem Sermone 50. *de Tempore* oſtendit, ſterilem eſſe

esse pœnitentiam sine bonorum operum exercitatione.

Idem serm. 41. *de Sanctis* docet, quænam pro gravibus noxis agenda sit pœnitentia.

Idem in *Psalm.* 44. ostendit, Deum vulgo differre supplicia, ut peccatores ad pœnitentiam expectet.

Sanctus Ambrosius duos edidit libros de pœnitentia, in quorum altero ostendit, quam severa esse debeat.

Idem in funebri oratione Theodosii Imperatoris, principem hunc laudat, quod palam egerit pœnitentiam.

Idem *l.* 1. *de pœnit. c.* 5. ostendit, agenti pœnitentiam non verbis solum, verum etiam factis exprimendum esse dolorem suum, quod fusius adhuc capite 6. probat.

Idem *cap.* 9. *libri ejusdem* respondet illis, qui se pœnitentiam agere putabant nihil de exteriori vitæ suæ ratione mutantes.

Idem *in Apolog. S. David c.* 8. pœnitentis hujus regis exemplo ostendit, quomodo agenda sit pœnitentia.

S. Gregorius *Homil.* 21. *in Evangel.* docet, quid sit facere fructus pœnitentiæ.

Idem *Epist.* 39. *ad Theotistam Patriciam*, docet errorem esse arbitrari, post aliquot pœnitentiæ annos licere ad pristinam vitæ rationem reverti.

S. Hieronymus *Epist. ad Eustoch.* describit austeram matris ejusdem S. Paulæ pœnitentiam.

Idem *in cap.* 2. *Joelis*, docet quomodo agenda sit pœnitentia, & Dei misericordia imploranda.

Idem *in cap.* 3. *Jonæ* pro veræ pœnitentiæ prototypo Ninivitarum exemplum proponit.

Idem *Epist.* 1. *ad Demetriadem* docet, quomodo pœnitens vita ducatur.

Sanctus Cyprianus *Sermon. de lapsis* ostendit, quanta debeat esse severitas pœnitentiæ illorum, qui post ejuratam fidem in ecclesiæ sinu revertuntur.

Tertullianus librum edidit de pœnitentia, cujus aliquot locos in paragrapho quarto afferemus.

S. Chrysologus serm. 167. docet, quam severa esse debeat peccatorum post baptismum patratorum pœnitentia.

S. Joannes Climacus *gradu* 5. describit austeritates, & horridas pœnitentias, quæ fieri consueverant quodam in cœnobio; & quorum testis ipse fuit.

S. Chrysostomus plures edidit de pœnitentia homilias, in quarum una virtutis hujus bona, & effectus memorat. In tertia, quæ est in tomo 5. ostendit, pœnitentiæ hujus austeritates ab eadem exercenda nos deterrere non debere. In decima loquitur de pœnitentia Ninivitarum. In alia adfert exempla eorum, qui propter pœnitentiam insignes fuere, & qui per illam misericordiam consecuti sunt.

Idem in exhortatione in c. 8. S. Matthæi homines ad conversionem hortatur, illis, si egerint pœnitentiam, veniam promittens, & describit magnitudinem pœnitentiæ David.

S. Joannes Climacus libro, quem inscribit: De rigorosa pœnitentia, hortantem habet descriptionem pœnitentiæ, quam sancti quidam religiosi fovebant, necnon gravissimarum austeritatum, quarum fuit testis.

S. Petrus Damiani in vita S. Romualdi de pœnitentiæ illius rigoribus loquitur.

S. Bernardus *Serm. de quadrupl. debito* seipsum ad austeram pro peccatis pœnitentiam agendam hortatur.

Idem *Serm. de dupl. baptismo* fratres suos potenter ad pœnitentiam hortatur.

Idem Serm. 3. *de vigil. Nativ.* loquitur de gradibus pœnitentiæ, videlicet, qua via peccatores ad satisfaciendum divinæ justitiæ inducat.

Idem *Serm. de convers. ad Clericos* eos hortatur, ne pœnitentiæ austeritatibus deterreantur.

Idem *in lib. qui dicitur modus bene vivendi* sororem suam ad pœnitentiam hortatur, ac docet, quibus sensibus facienda sit.

Idem *Serm.* 5. *de Circumcis.* ait inter tumultum, & sæcularia negotia difficile veram fieri pœnitentiam.

S. Basilius *Hom.* 8. *tom.* 1. Ninivitarum exemplo ostendit in publicis calamitatibus pœnitentia Dei iram placari.

Albertus Magnus *in Paradiso animæ* verbo *Pœnitent.* Ascetici aliique.

Granatensis in tract. de oratione, & consideratione; necnon in memoriali tract. de Pœnitent. & confess. cap. 1.

De Sancta Martha Presbyter tomo 1. tractatum habet de pœnitentiæ necessitate.

P. Bonal in libro, cui titulus: *Le Chrétien du tems* part. 3. cap. 7. fusius verba facit de veteris ecclesiæ pœnitentia, & probat præsentis consuedinem, quæ aliquid de pristina severitate remisit.

Catechismus Tridentini Concilii satis fuse loquitur de satisfactione *in tract. de sacram. Pœnit.*

P. Chahu *in scientia salutis* cap. 4. prolixum habet tractatum de iis, quæ pertinent ad pœnitentiam, & articulo 7. ejusdem capitis agit de satisfactione.

P. Haineuve in parte tertia de ordine sermone 27. loquitur de pœnitentia, & partibus ejus.

Bellarminus *de gemitu columbæ* cap. 10.

P. Dozenne, in morali Jesu Christi de pœnitentia.

P. Gegou in libro, cui titulus: usus sacramenti pœnitentiæ prolixum habet tractatum de pœnitentia, & satisfactione tribuenda divinæ justitiæ pro patratis criminibus.

P. Antonius a S. Martino a Porta p. 3. libri, qui inscribitur: *Les conduites de la grace* tract. 8. loquitur de satisfactione a Confessario irrogata; de publicis primævæ ecclesiæ pœnitentiis, deque iis omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

P. Nepveu tomo primo christianarum considerationum pro die 14. Januarii loquitur de severitate pœnitentiæ, & satisfactionis. Idem pro die duodecima Februarii hoc ipsum tractat argumentum, & docet, pœnitentiam peccato congruam esse debere. Idem pro die 16. Martii, fusius verba facit de fructibus pœnitentiæ. Pro nona die Maji tomo 2. sermonem habet de pœnitentiæ necessitate. Tomo 3. pro die 6. Julii vitæ hujus pœnitentiam cum pœnitentia confert damnatorum. Idem pro die 9. Augusti ostendit, pœnitentiam esse debere peccatis parem. Idem pro die 9. Septembris loquitur de spiritu pœnitentiæ. Tomo quarto pro die 13. Decembris loquitur de exercitatione pœnitentiæ.

Omnes illi, qui pro recessibus habendis scripsere, hoc attigere argumentum in meditationibus, & colloquiis suis.

Plurimi inveniuntur antiqui sermones de pœnitentia; nec defuere non pauci, qui integros Adventus hujus argumenti scripsere; inter recentiores vero

Birgat pœnitentiam sibi proposuit pro peculiaris Adventus argumento. Concionatores recentes.

P. Masson Sacerdos Oratorii tres deinceps edidit hujus argumenti sermones in Adventu.

P. Bourdalove in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur, sermone pro feria sexta hebdomadæ 5. loquitur de severitate pœnitentiæ.

Idem in sermone S. Mariæ Magdalenæ loquitur de conditionibus, quas habere debet pœnitentia juxta sanctæ hujus pœnitentis exemplar.

P. Texier sermone pro feria quarta primæ hebdomadæ in Quadragesima.

Idem in Adventu ostendit pœnitentiam simul esse debere cum operibus satisfactoriis.

Auctor sermonum christianorum sermone pro tertia post Pentecosten Dominica loquitur de sensibus, quos pœnitentia Christiano debet immittere.

Rei-

Reina *conc.* 7. loquitur de Ninivitarum pœnitentia, & ostendit, Christianos inexcusabiles esse, nisi eorum imitati fuerint.

P. Girouſt in Quadragesima in evangelium S. Mariæ Magdalenæ docet, quænam requirantur qualitates in pœnitentia.

De la Font propositione pro 4. Adventus Dominica loquitur de pœnitentia expiationis, vel satisfactionis pro pœnis peccato debitis.

In specimine sermonum pro Adventu plures sunt sermones deinceps de pœnitentia. In specimine pro Dominicis sermone pro 4. Dominica Adventus.

Abbas de Monmorel tomo 3. homiliarum, integrum habes de pœnitentia sermonem pro Domin. 3. post Pascha.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta sermone pro 4. Dominica Adventus, docet quam severa esse debeat pœnitentia.

Qui collectanea ediderunt. Ludovicus Granatensis in locis communibus, Verbo *Pœnitentia*.

Busæus in Viridario)
Labatha in Thesauro)
Lohner in Bibliotheca) Verbo *Pœnitentia*.
Summa Prædicantium)
Berchorius, &c.)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

AGo *pœnitentiam in favilla, & cinere*. Jobi 42.

Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Sap. 11.

Posui vestimentum meum cilicium. Pf. 68.

Achab operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco. 3. Regum c. 21.

Peccavi, & vere deliqui, &, ut eram dignus, non recepi. Jobi 33.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Eccli. 2.

Accingite vos cilicio, plangite, & ululate; quia non est aversa ira furoris Domini a vobis. Jerem. 4.

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Jerem. 31.

Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Jerem. 18.

Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo. Jerem. 8.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Ezech. c. 18.

Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Ezech. 18.

Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, & non morietur. Ezech. 33.

Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu. Joel 2.

Vidit Deus operam eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est. Jonæ 3.

Pœnitentiam agite, & appropinquavit enim regnum cœlorum. Matth. 3.

Si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. Matth. 11.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Matth. 12. & Luc. 21.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3. & Matth. 3.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.

Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Annuntiat (Deus) hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Act. 17.

Annuntiabam gentibus, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Act. 26.

Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ; & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Ad Rom. 6.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. ad Corinth. 9.

Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam. Apoc. 2.

Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Exemplo Adam. PRimum, quod austeræ pœnitentiæ habemus exemplum, nobis peccatorum antesignanus reliquit, qui vix e Creatoris sui manibus egressus, tamquam potissimum potentiæ illius opum, Domini sui mandata perfregit; ideoque in rebellionis suæ pœnam non solum iis omnibus exutus fuit prærogativis, quibus fuerat cumulatus, verum etiam ex terrestri paradiso ejectus fuit, damnatusque; ut in sudore vultus sui pane suo vesceretur, omnesque perferret vitæ hujus ærumnas, ac tandem ipsam mortem subiret. Ita quemadmodum primus fuit peccator, fuit etiam primus pœnitens; & sicuti non pro se tantum peccavit, sed in scelere suo omnem etiam posteritatem involvit, & eos omnes, qui ex semine suo prodituri erant, prævaricationis suæ participes fecit, hi quoque iisdem adjudicati fuere suppliciis. Hac de causa Tertullianus ait: *hominem pœnitentiæ natum esse*, a qua nemo esse potest immunis, quamvis non aliud scelus patrasset, nisi quod ex hoc scelesto parente ortum duxisset.

Pœnitentia David. David proculdubio est exemplar pœnitentiæ non solum omnium celeberrimum propter dignitatem, ac gradum, quem obtinuit in mundo, verumetiam omnium maxime insigne propter severitatem, qua illam exercuit. Etenim quin loquar de pœnis, quas sumpsit Deus de magno hoc Rege, quibus admirabili cum submissione sese subjecit, ex tantum spectandæ sunt, quibus seipsum ille addixit, quippe testatur scelus suum sibi ob oculos semper fuisse, ut recentem semper haberet caussam illius execrandi, atque puniendi quanquam Propheta quidam illi testatus fuisset, peccatum ipsius jamjam fuisse dimissum. En autem, quid S. Chrysostomus serm. 27. in Matth. dicat: Ne reputes solum sanctum hunc Regem cecidisse; sed diligenter perpende, quid ipse egerit, ut ex lapsu suo consurgeret; quot emiserit suspiria, quot effuderit lacrymas, quomodo quotidie pœnitentiæ sensus foverit, quomodo cilicio tectus, lectulumque suum fletibus eluens noctes, diesque traduxerit. Si David his indiguit remediis, ut sua expiaret delicta, quomodo ipsi salvari poterimus, qui toties peccamus, & adeo modicam agimus pœnitentiam?

Pœnitentia Ninivitarum. Jonas Propheta de ventre ceti egressus, & adhuc e naufragio madidus statim ac per Ninive compita, plateasque terribili voce horribilia hæc protulit verba, quæ cœli Deus in ejus ore posuerat: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur* (Jon. 3.) illico superbæ illius, flagitiosæque civitatis incolæ, quibus non aliud erat negotium, quam ludi, convivia, & spectacula, visi sunt perterriti, squalidi, & in austeros pœnitentes conversi. Vidisses, S. Ambrosius ait, in ingenti ea civitate vultus pallentes, macieque confectos, oculos lacrymis manantes, mulieres passis crinibus misericordiam exorantes, homines nudis pedibus, & capite cinere adsperso per vias incedentes, publicamque pœnitentiam agentes; alios ciliciis indutos, & in cinere cubantes,

qui

qui profunda emittebant suspiria. Rex ipse, qui libidinosissimus fuisse creditur Sardanapalus, divinitus ad Prophetæ hujus vocem percitus, ex solio consurgens regiam exuit clamydem, atque abjiciens fastum, quo palam prodere consueverat, visus est pœnitentiæ indutus sacco, & in cineris cumulo discumbens, inquit Scriptura; tantumque ipse exemplis, edictisque quantum Jonas verbis populo suo pœnitentiam prædicavit: *Indutus est sacco, & sedit in cinere*. Ecce, Dei filius inquit Luc. 13. justa confusionis, & damnationis causa Judæorum, & multo magis Christianorum impœnitentium: *Viri Ninivitæ surgent*: etenim hic longe alius est concionator, quam Jonas, ipse enim Dei filius dicit illis: nisi pœnitentiam egeritis, *omnes similiter peribitis*, neque alia suppetit æternæ damnationis evitandæ via, non alia superest ratio salutis assequendæ.

Pœnitentia Manassis. Quemadmodum in lege veteri nullus extitit unquam Rex, qui impietate, crudelitate, omnique flagitiorum genere Manassem superaverit, ita nemo eumdem sinceritate, & austeritate vitæ vicit. Divina ultio, ut pœnas scelerum ejusdem sumeret, tradidit eum in manus hostis superbi, atque victoris, quo usus est Deus, ut puniret crimina illius, quem ad officium revocare cupiebat non sine severissimæ pœnitentiæ exemplo. Status profecto, ad quem redactus fuit, calamitosior esse non poterat . . . Regno exutus, ac de solio in tetrum detrusus carcerem, ferreis onustus vinculis, ærumnis obrutus, & citra quamlibet libertatis assequendæ spem. Fortunæ suæ eversio, quæ adeo crudelis eidem videbatur, aliam meliorem in corde peperit mutationem, & factus infelix esse desiit infelix. Deus commotus ejulatibus, atque suspiriis cordis contriti, & humiliati, pœnitentiæ magnitudine flectere se passus est, quæ quamvis initio coacta esset, deinceps tamen a rege summa cum submissione acceptata fuit, quemadmodum testatur oratio, quam effudit Deo confessus pœnam suam adhuc nimis esse mitem, atque suavem habita ratione multitudinis, & enormitatis scelerum suorum. Sed satis Deo fuit hæc satisfactio, ejusque misertus pristinæ dignitati restituit. Hæc vis est, effectusque pœnitentiæ cohibentis tela, quæ divina justitia in improborum caput est ejaculatura.

Fallax Achabi pœnitentia. Scriptura tantum nobis exhibet prodigium, ut Deus ipse captus admiratione videatur ex eo modo, quo Eliam est allocutus. Hæc est pœnitentia Achab. Vidistin' Eliæ dicit Deus, Achab, sese coram me humiliantem? Regum omnium nequissimus, Scripturæ judicio, tamen ad Prophetæ vocem contremuit. Tantum abfuit, quod contra Eliam irasceretur, ut contra seipsum iratus fuerit: *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*: 3. Reg. 21. Pœnitentia ultrane extrinsecus proferri potest? Non erubuit Princeps hoc in statu coram universo populo prodire; voluitque tot confusionis suæ testes habere, quot suæ impietatis habuerat. Affligit carnem jam damnatam, ut canum pabulum esset; & vox conscientiæ cum Eliæ voce consociata in cordis illius imo efformat tonitru, quod ipsum perterret, efficitque ut omnes humanos respectus negligat malum evitaturus, a quo nulla hominum ope se liberatum iri sciebat. Attamen quamvis tota hæc pœnitentiæ ratio ex proprio amore proficisceretur, & Achab in hac humiliatione privatæ potius studeret incolumitati, quam gloriæ Dei, quem tot modis læserat, Deus tamen illius rationem censuit habendam, & dixit Eliæ, se in terris nihil præter principis hujus conversionem expetere, & propter humiliationem Achab, dum ipse viveret, se nihil facturum eorum, quæ decreverat, sed ultionem suam in filium ejus reservaturum.

Alia exempla ex Scripturis desumpta. Longe plura supersunt pœnitentiæ in Scripturis exempla, quæ amplificari possunt, & in lucem proferri. Hujusmodi est illud civium Bethuliæ, qui cum audivissent, Holophernem ingenti militum manu ad oppugnandam urbem accedere, omnes sese induerunt sacco, omnes pœnitentiæ notas sumpserunt; atque hoc pacto averterunt eam, quæ sibi imminebat, eversionem, Deo ad id placare Judithæ opera utente.

Sanctus vir Job, licet innocens, rectus, ac timens Deum, nihilominus asperrimam agebat pœnitentiam ob levia crimina, quæ committebat: *Ego ago pœnitentiam in favilla, & cinere*. Job 42.

Machabæi, & qui illis adhæserant, accedentibus Timothæi copiis, pœnitentiam aggressi sunt, & coram altari in eo statu prostrati cœli opem implorarunt, quæ ipsis non defuit; quoniam viribus longe impares cumulatissimam victoriam retulerunt.

Ut sciamus, quænam esse debeat Christianorum pœnitentia, illa spectanda est, quam egit Jesus Christus, qui prototypus est ab illis imitandus; atque ingenti ex numero circumstantiarum, quas afferre possemus, unam dumtaxat memorare sufficit; videlicet hunc mundi Salvatorem, ut suo satisfaceret desiderio, quo vehementissime optabat passionibus suis honorem adhibere majestati æterni Patris sui, totum hominem ad id conferre voluisse, ideoque tradidisse corpus quidem suum austeritati suppliciorum, laboribus pœnitentiæ, vitæ omnibus ærumnis cumulatissimæ, animam vero omnibus opprobriis, & confusionibus. Scimus, quænam fuere jejunia, solitudo, & silentium ejus; legimus enim in Bibliis, illum a baptismate madentem in desertum ingressum fuisse, ibique diebus quadraginta perpetuum jejunium servasse. Ita videmus, pœnitentiam evangelicæ prædicationis summam ob eo factam fuisse. Inde prædicationis suæ duxit exordium, teste Matthæo: inde suam etiam exorsi sunt Apostoli post missionem suam; inde S. Joannes incœpit prædicare in deserto, ac inde omnium concionum nostrarum initium, & finis ducenda sunt. — Exemplum Filii Dei.

Magdalenæ pœnitentia. Si quis unquam aperta præbuit pœnitentiæ signa, hoc sane insignis præstitit Magdalena. Satis est oculos conjicere in eos lacrymarum imbres, quibus Salvatoris pedes rigavit. Lacrymæ illius nequaquam fuere similes torrentibus illis, qui perniciosissime fluunt, ac brevi exarescunt: fons nonnisi cum vita ejus desiit. Vanitates, luxus, amores; scandala ejus felix naufragium fecere in hisce fluctibus amaris, atque profundis. Quid dicam de satisfactione, quam illa sibimet irrogavit, ut sua scelera elueret? incœpit illa quidem ea omnia sacrificans, quæ libidinum suarum fuerant instrumenta; oculos, qui tot noxios affectus inflammaverant, qui tot impudicos obtutus conjecerant, jugibus lacrymis damnat; capillos, ex quibus tot laqueos, atque retia periculosa tetenderat, in quæ dæmon tot animas pertraxerat, in vilissimo adhibet ministerio; unguenta luxui, ac libidini fovendæ destinata super Jesu Christi pedes effundit, totamque Pharisæi domum pœnitentiæ suæ odore, & ædificatione replet; corpus suum, ex quo sibi idolum fecerat, & cui ipsa prior cum adhibuerat cultum, quem mox ab aliis petierat, christianæ mortificationis victimam facit.

Pœnitentia S. Joannis Baptistæ. S. Joannis Baptistæ prædicatio peccatores ad pœnitentiam excitavit, sed ejus exemplum illos vehementius persuasit. Vix ille vitam acceperat, cum visus est illam amittere velle austerissimo jejunio. Seipsum cameli corio, quod corporis supplicium potius, quam indumentum est, contexit, quod effecit, ut S. Bernardus in novo hoc homine prorsus inauditæ pœnitentiæ genus miraretur: *Novum in novo homine pœnitentiæ mirare fervorem*. Mundi Salvator illum nobis exhibet tanquam nec manducantem, nec bibentem: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens*. Matth. 11. Cum enim vellet mundo virtutum omnium exemplum præbere, illi potissimum adhæsit, quæ reliquarum nutrix est, ut inquit S. Bernardus: si enim magnus hic Sanctus nocens non erat, sciebat tamen se non esse impeccabilem; si nullum habebat crimen, quod in se puniret, habebat tamen, quod præverteret. Cæterum, S. Chrysologus inquit, hic pœnitentiæ magister, qui

qui baptismum prædicabat, illius apertissimos gerere debebat characteres. Ita omnia in ipso virtutem hanc prædicant, idem Paret ait, esca, qua vescitur, locus, ubi inhabitat, vestitus, quo tectus est, lectulus, ubi cubat: *Joannes victu, vestitu, cubitu, loco pœnitens.*

Pœnitentiæ severitas in ecclesia primitiva.

Nihil est, quod sæculi nostri impœnitentibus majorem debeat pudorem offundere, quam si illis exhibeamus vetus publicæ hujus pœnitentiæ theatrum, quale describitur in ecclesiastica historia, in Conciliis, in scriptis Tertulliani, Sanctorumque Cypriani, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, &c. Proculdubio insigne erat spectaculum, & dignum oculis Dei, & ecclesiæ, videre omnium sexuum, & conditionum mortales sese in pœnitentium numerum inserere, sese cilicio, vel obsoletis, sordidisque vestibus tegere, humi se prosternere, ad ecclesiæ valvas oculis in terram demissis, capite cinere adsperso, madentibus lacrymarum imbre genis, ad Dei misericordiam confugere, & cum humilitate diuturnas, asperasque subire pœnitentias, quæ sibi irrogabantur. Non pudebat illos sese prodere peccatores, malebant enim interiores animarum suarum plagas curare, quam coram hominibus inanem probitatis existimationem tueri. Libenter seipsos aliquot ploratuum, laborum, & opprobrii annis damnabant, ut pœnarum æternitatem evitarent. Sibimet interdicebant aditum ecclesiæ, ne in æternum gloriæ templo prohiberentur. Patienter extra castra Israel tanquam leprosi præstolabantur, donec post purificationem suam introducerentur auctoritate sacerdotali, quæ illos separaverat. Verum quidem est, ecclesiam justis de causis pristinos hosce mores abrogasse, non secus ac jure, ac potestate sua usa est abrogans solemnem, publicamque pro publicis peccatis, scandalisque pœnitentiam: sed neque supprimere, neque auferre potuit necessitatem agendi pœnitentiam parem magnitudini peccatorum nostrorum, si integram, perfectamque eorum remissionem consequi volumus.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Commendandum est, ut pœnitentiam peccatis nostris congruam faciamus.

QUantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Apoc. 18. Hæc verba ad illos potissimum referuntur, qui inordinatam vitam duxere, & dio in flagitiis volutati sunt: si enim illis satis est communem ducere vitam, quasi nunquam flagitiosi fuissent, dici profecto nequit, illos dignos pœnitentiæ fructus facere: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Apoc. 18. Tot exercere debent jejunia, mortificationes, & bona opera, quot crimina, iniquitates, impudicitias commiserunt. Hæc illa Babylon est tot damnata gemitibus, lacrymisque, quot sese abdidit deliciis, & voluptatibus: *Quantum in deliciis fuit &c.* Consenuistis in peccato, in pœnitentia moriamini opus est. Sensibus vestris tribuistis, quidquid petierunt; nulla voluptas est, quam non conquisiveritis; mens vestra cupiditatum vestrarum captiva in vitiis, quidquid exquisitissimum esse poterat, suggessit; quomodo hæc omnia reparare vultis, si mortificati tantum non estis, quantum sensibus indulsistis, si non eodem ingenio peccatum capiastis, quo illud commisistis? *Quantum in deliciis fuit, &c.*

Pœnitentia producenda est, ut peccata omnino eluantur, & expientur.

Amplius lava me ab iniquitate mea. Psalm. 50. Quædam reconciliatio incœpta est per peccati veniam, & quædam consummata per pœnitentiæ continuationem. Ideo, quamvis David ex Propheta Nathan didicisset, peccatum suum sibi dimissum fuisse, hæc tamen venia illi satis non erat, sed dicebat Deo: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Psalm. 50. Heu! Domine, elue adhuc animam meam, ampliorem mihi veniam largire: *Quid quæris amplius*, o Rex, & Propheta? S. Chrysostomus ait. Dixit Deus, & factum est: peccatum tuum deletum est; *Pristinum meum decorem quæro*, ita respondentem Sanctus idem Doctor inducit. Domine, fieri vellem, qualis eram antea; verum est, te vulneri meo manum apposuisse, ac illud ad cicatricem vocasse; sed ipsa reliqua est cicatrix, quam penitus ablatam vellem, ut nihil esset in me, quod oculis tuis displiceret. Adhuc aliquid debeo justitiæ tuæ; exerce erga me integram misericordiam tuam, & fac illius sentiam effectus, mihi cum scelere pœnam remittens, quam meritus sum: *Amplius lava me ab iniquitate mea.*

Quædam pœnitentiæ sunt steriles, quæ nullos afferunt fructus.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3. Hi fructus pœnitentiæ digni sunt mortificationes voluntariæ, & opera bona, quæ fiunt ad malum, quod factum est, & scandalum, quod aliis datum est, reparandum. Sed ubinam hodierna die videntur hujusmodi austeritates, pœnitentiæ, & opera bona, quæ nostra reparent mala? O tempora, o mores! O vitæ corruptionem, o severitatum primævæ ecclesiæ relaxationem! Itane agitur pœnitentia, quin ullus illius fructus feratur? O Deus, quot steriles arbores; quot inutiles ficulneæ in ecclesiæ vinea, quæ folia tantum, ac fallaces pœnitentiæ species præseferentes expectare debent Dei maledictum, quo ictæ exarescent, atque carebunt omni succo pietatis, omni virtute, ac religione, ut quamprimum vel secentur, vel avellantur a Deo derelictæ! *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Matth. 21. Væ tibi infelix Christiane! qui meam fatigasti patientiam; tantum temporis est, ex quo semel saltem quotannis ad pœnitentiæ sacrum tribunal accedis, ubi sunt fructus pœnitentiæ tuæ? ubi tuæ preces, tuaque jejunia? ubi austeritates tuis criminibus pares?

Pœnitentiæ vis, & efficacia.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Luc. 3. His verbis exhibere nobis voluit S. Joannes Baptista admirabilem pœnitentiæ efficaciam per ea, quæ nobis difficilia videntur, ac plurimum laboris requirunt. Nihil difficilius videtur, ac mirabilius, quam profundas replere valles, altos prosternere montes, aspera, præruptaque viarum sternere, & complanare; sub quibus imaginibus Sanctus iste Præcursor mirabiles pœnitentiæ effectus ostendit: *Omnis vallis implebitur*: hoc est, omnis anima, quam peccatum fecerit inanem, & vacuam, per pœnitentiam omni bonorum operum genere replebitur: *Et omnis mons humiliabitur*; hic alius est effectus pœnitentiæ, æquare solo montes, hoc est evertere spiritum superbiæ, qui efficit, ut peccator sese contra Deum attollat, ac in ipsum rebellet: & profecto non minus difficile est hominis superbiam domare, quam altissima montium cacumina deprimere. Sed pœnitentiæ nihil est impossibile; hæc humiliavit Achab, effecitque, ut Dei leniret iracundiam. Denique pœnitentia præruptas sternit, & æquat vias, mores nostros reformans juxta legem Domini, & evangelium, quod unica esse debet vitæ nostræ norma, & efficiens, ut in salutis via ambulemus, a qua per obliquas, remotasque vias nos peccatum abduxerat.

Pœnitentia celeriter est agenda.

Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccli. 5. Cum vulnus adhuc est recens, facile curari potest; sed ubi inveteratum est, cum nonnisi difficillime curari valeat, ferrum, & ignis adhibendus est. Nostis, ex qua die primus homo peccavit, fecisse Deum, ut gravissimam peccati pœnitentiam subiret; noluit hujus initium differri, ne putaret, pœnam, qua Deus illum damnaverat, simplicem esse minarum intentationem, & ne per impunitatem in scelere permaneret. Supplicium profuit, ut ille peccati sui magnitudinem intelligeret, atque dolorem suum produceret, donec pœna vigeret. Itaque nihil magis efficax est ad nobis scelerum nostrorum horrorem immittendum, quam pœna, qua ea statim excipiuntur, atque nihil utilius est ad nos in contritionis spiritu continendos, quam si pergamus agere pœnitentiam iis austeritatibus, quæ criminum nostrorum magni-

magnitudini congruæ sunt. Hæc duo sibi invicem alterum alterius causa est, & effectus: contritionis spiritus efficit, ut austeritatem exerceamus; & austeritas fovet spiritum contritionis scelerum nostrorum memoriam instaurans.

Per pœnitentiam adimplemus ea quæ desunt passionum Christi.

Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi. Ad Coloss. 1. Adimpleo in carne mea id, quod Jesu Christo ferendum supererat. Difficillimum est conciliare hæc verba cum illis, quæ Dominus in cruce protulit, antequam animam efflaret: *Consummatum est.* Si enim verum est, de quo nefas ambigere, illum suis doloribus, ac morte consummasse opus redemptionis nostræ; quomodonam S. Paulus jure dicere potest, se adimplere ea, quæ desunt passionibus Christi? Salvatoris passio, S. Augustinus ait, opus est non plenitudinis tantum, verum etiam superabundantiæ: *Plenitudinis opus nedum, sed & superabundantiæ.* Liquido autem constat, nihil defuisse doloribus, per quos ille pro nobis Patri suo satisfecit; alii igitur concipiendi sunt dolores a doloribus crucis, & aliud intelligendum corpus, in quo illa passus est, ne in Apostoli verbis aliqua inveniatur contradictio: atque S. Paulus per ipsum est explicandus. Id autem fieri hoc potest modo. Vos simul omnes estis, ait ille ad Corinthios, atque in personis eorum ad omnes Christianos: *Vos autem estis corpus Christi*, & vestrum singuli sunt *membra de membro*. Ex his verbis intelligere est, præter naturale corpus non deesse mysticum, cujus fideles omnes sunt membra. Passiones corporis naturalis Jesu Christi intra mortalis vitæ ipsius tempus coarctatæ fuerunt; illæ vero corporis mystici cum sæculorum initio incœperunt, & nonnisi cum eorum finem desinent, & hanc ob causam S. Joannes illum vocat, *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*; quod ostendit, passiones mystici corporis Jesu Christi nondum esse absolutas, & jure S. Paulum dicere, se per ea mala, & persecutiones, quas sustinet, adimplere ea, quæ divini hujus Salvatoris passionibus desunt. Consentiant igitur justi opus est, & ipsos crucifigi, ut mystica passio, de qua loquitur Apostolus, producatur; quod fit per pœnitentiam, hoc est per voluntarias pœnas, quas quilibet sibimet imponit per satisfactionem peccatorum, quæ commissa fuere, vel per ea mala, quæ Deus immittit, & quæ hoc intuitu acceptantur.

Amor pœnitentiæ peccatori converso nihil sinit esse arduum.

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Jerem. 31. Pœnitentis amor, cum sincerus est, ac violentus, nulla re potest coerceri. Non ægre fert omnibus compertum esse, se peccatorem fuisse. Ex quo peccator esse desiit, pudor, & confusio, qua illum suffundere potest præteritorum malorum manifestatio, tanto minor est ea, quam se prometitum fuisse p[illegible], ut haud gravate illam sustineat; & Spiritus [illegible]ctus, quo possidetur, omnes cordis illius aditus obstruit quibuscunque rebus, quæ adversari possent consolationi, quam in ipsis gemitibus, lacrymisque nanciscitur. Hoc in Magdalena videmus. Alienam ingreditur domum, ubi convivium celebrabatur, non vocata, & procumbit ad pedes medici sui nil verita eorum, quæ vel de præterita vita sua, vel de præsenti actione dici posset. Perge, felix peccatrix, adhære Salvatori tuo: sequere sanctum amorem, quo rapieris, neglige sensum eorum, a quibus perstringeris, &c.

Sensus vere, sincereque pœnitentis.

Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15. Lacrymis madens, vivoque, & amaro criminum meorum dolore confectus, Deo dico: Domine, prævaricator fui legis tuæ; peccavi in cœlum, & coram te: dignus non sum, qui vocer filius tuus; præteritum nihil offert mihi, nisi terroris causas; nihil superest mihi, nisi futurum incertum, quod bonitas tua permittit mihi, ut agam pœnitentiam. Utinam omnia ea, quæ mihi ad vivendum supersunt, momenta impendere valeam mea flagitia deflendo! Pulchritudo tam antiqua, & tam nova, cur tam sero cognovi te, cur tam sero te amavi? Fateor, Domine, infinitam esse misericordiam tuam super me, quod tanta longanimitate, ac patientia expectasti me: ubinam ego nunc essem, si, dum meis indulgerem affectibus, me sustulisses? Tu non de inferno solum, sed de teterrima abyssi hujus profunditate eduxisti me. Cur non lacrymas tantum oculorum meorum, verum etiam omnem venarum mearum sanguinem tibi impendere possum, ut ob tantum beneficium tibi referam gratias? Tibi sacrifico, quidquid dierum mihi superest ad cursum meæ peregrinationis absolvendum. Si humana infirmitas, meæ voluntatis inconstantia, & vis tentationis aliquid extorquere mihi poterunt oppositum huic consilio, quod ad mortem usque tibi famulandi capio, jam illud abrogo, & antiquo. *Abbas du Jarry.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Proclivior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Augustinus, Tract. 124. in Joannem.

Si cito rediret homo ad pristinam valetudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem. Idem, Serm. 34. de diversis.

Oportet ut pœnitentia fructificet, ad hoc ut vitam impetret. Idem, lib. de pœnitentia, cap. 27.

Factum est quod prædixit Deus: eversa est enim Ninive, quæ mala erat, & bona est ædificata, quæ non erat. Idem, lib. 21. de civit. cap. 24.

Pœnitentia a pœna nomen accepit; quia anima cruciatur, & caro mortificatur. Idem, in Serm. comm. Serm. 4.

In pœnitentia majorem quisque debet exercere severitatem, ut a se judicatus non judicetur a Domino. Idem, lib. de 50. Homil. Homil. 50.

Pœnitentia est anticipatum Dei judicium. Abbas Rupertus.

Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congruam egerint pœnitentiam. Ambros. l. 2. de Pœnit. cap. 10.

Tanta est pœnitentiæ medicina, ut mutare videatur suam Deus sententiam. Idem, ibidem.

Pœnitendo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamenta. Ambros. ad Virginem lapsam.

Peccavit David, quod solent Reges; sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges; confessus est culpam, & obsecravit indulgentiam. Idem de David lib. 1.

Quem vere pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorreat. Greg. Homil. in Evang.

Idcirco omnis peccatorum confessio recipitur, ut pœnitentiæ fructus subsequatur. Idem.

Delictum sine ultione non deserit Dominus; aut enim ipse homo pœnitens punit; aut Deus cum homine vindicans punit. Idem, l. 9. Moral. cap. 17.

Pœnitentia quasi secunda post naufragium tabula sit miseris. Hieron. Epist. ad Demetriadem.

Non Deus nostris cruciatibus pascitur; sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur. Idem.

Quam magna deliquimus, tam grandia defleamus; alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit. Cyprianus, de lapsis.

Deus mediam peccati satisfactionem despicit. Idem.

In quantum tibi non peperceris, in tantum tibi parcet Deus. Tertull. de Pœnit.

Exomologesis, est prosternendi, & humilificandi hominis disciplina. Idem, lib. de Pœnit. cap. 9.

Homo pœnitentiæ natus. Idem.

Oneraria res est pœnitentia. Idem.

Pœnitentia in peccatorem pronuncians, pro Dei indignatione fungitur. Idem.

O pœ-

O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos resolvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Chrysost. de Pœnit.

Martyrium horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Bernard.

Peccator perdit animam suam, non ponendo eam ut martyr, sed affligendo eam ut pœnitens. Idem.

Pœnitentia veterem hominem cum actibus suis gladio pœnitentiæ enecat. Abbas Guerricus.

Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui servare acbitam noluit sanctitatem. Petrus Chrysolog. Serm. 169.

Putant levi pœnitentiæ compendio, de omnibus peccatis transigi. Petrus Blesens.

Tota vita Christiani perpetua debet esse pœnitentia. Concil. Tridens. sess. 14. cap. 9.

Nos pœnitentiam verbis pollicemur, factis vero nihil. Greg. Nyssenus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi possit.

Definitio pœnitentiæ eo in sensu, quo illic accipitur.

POEnitentia virtus est, per quam peccator sua detestatur peccata, quatenus Deum lædunt, ac firmum, & efficax init consilium expiandi illa, neque imposterum iterum illa patrandi. Hæc aptissima est definitio ex iis, quas Theologi tradiderunt: unde liquet, 1. non satis esse sincerum habere dolorem, & acri peccatorum suorum pœnitentia affectum esse, nisi punias illa congrua satisfactione, quæ divinæ justitiæ defertur; 2. neque satis esse, ut contendunt hæretici, peccatum relinquere simplici visæ, morumque conversione, nisi expietur pœnis voluntariis, quæ hoc intuitu acceptantur, vel bonis operibus, quæ reparant injuriam supremæ Dei læsi majestati illatam.

Pœnitentia ita explicata, ac definita virtus est particularis, a Deo in Scripturis imperata, quæ ad commutativam, ultricemque justitiam refertur, quatenus hinc quidem conatur Deo jus reddere, æquitatem violatam reparare, ac Deo gloriam eidem ereptam restituere; inde vero punire vult illum, qui nocens est, ac debitas pœnas sumere. Pœnitentia autem non est virtus particularis ob solum interiorem peccati commissi dolorem, charitas enim hunc habet dolorem. Oportet igitur, pœnitentiam dolorem esse gladio ultionis armatum. Ita S. Thomas p. 3. q. 85. art. 3. loquitur; actus, per quem pœnitentia virtus est particularis ob destruendum peccatum, quatenus est offensa Dei, ultio est, quam pœnitens in seipsum exercet peccatum, cujus ipsum pœnitet, expiaturus: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet amisisse.* Itaque pœnitentia quatenus virtus propria, & particularis necessario pœnam, & peccatoris punitionem importat.

Necessitas agendi Pœnitentiam pro illis etiam peccatis, quorum veniam sumus consecuti.

Necessitas, quam ipsi habemus agendi pœnitentiam pro illis etiam peccatis, quæ dimissa fuere, educitur ex tribus principiis, quæ ab universa admittuntur Theologia. Primum est, in quolibet peccati mortalis genere duo esse, culpam videlicet, & pœnam. Culpa consistit in injuria, quam intulimus Deo, quæ permanet etiam habitualis in anima peccatoris, donec illam retractemus, & Deus illam sua obliterer gratia. Pœna vero posita est in necessitate satisfaciendi pro hoc peccato, ac sustinendi ea supplicia, quæ meretur; mortale enim peccatum post se trahit suppliciorum æternitatem. Principium alterum est, posse Deum peccati culpam dimittere, quin omnem illius pœnam dimittat, atque misericordiam inter, atque justitiam duplicem hanc veniam separare. Remittit quidem æternam, quæ peccato debita est, pœnam, cum culpam dimittit; verum quod ad temporis pœnam pertinet, sibi reservat jus sumendi, vel recipiendi satisfactiones injuriæ sibi illatæ congruas; & hæc obligatio solvendi, vel satisfaciendi pro pœnis peccato debitis in Theologia peccatorum reliquiæ vocantur. Tertium denique principium est, Deum nunquam integre, & absolute parcere, nec spiritualem morbum curare, nisi omnino sibi satisfactum fuerit, & sumpserit pœnas congruas magnitudini Injuriæ, & nequitiæ peccati. Ex tribus hisce principiis necessitas agendi pœnitentiam infertur; etenim ad recipiendam perfectam morborum nostrorum curationem, integramque scelerum nostrorum veniam, necessario auferendæ sunt reliquiæ, & omnino delendæ: donec enim in anima permanens, Deus quidem nos jure punire potest, nos vero eidem satisfacere tenemur. At has illi tribuere satisfactiones non possumus, nisi per pœnitentiam criminum nostrorum crimini parem.

Quomodo satisfacere possimus Deo per pœnitentiam.

Quæri posset, quomodo pœnitentia Deo satisfacere valeat? Ratio desumitur ex præstantissima qualitate, quam Sancti Patres pœnitentiæ tribuunt, cum dicunt illam divinæ justitiæ locum tenere, prævertere hanc, hujusque munere perfungi, & hoc pacto eamdem lenire. Duæ sunt in Deo justitiæ, & actiones, quibus erga peccatores utitur; quarum altera in eo sita est, ut debitas sceleribus eorum sumat pœnas, altera vero, ut culpam dimittat. Justitia commutativa reparationes exigit injuriarum magnitudini pares, ultrix justitia ultiones exposcit divinæ indignationi conformes. Pœnitentia vero se ipsam offert, ut utrumque hoc obeat munus: particeps est justitiæ commutativæ Dei, quoniam illi tribuit reparationes injuriis suis pares. Quod si Deus in peccatores aliquas fovet adhuc iracundiæ reliquias, quibus ad ultricem justitiam exercendam adigitur, pœnitentia iræ sensus induit, illius expiat injurias, ejus munera prævertit, & aliqua cum proportione in hunc peccatorem facit, quod ipsa divina justitia fecisset: *Pro Dei indignatione fungitur*, ut loquitur Tertullianus.

Discrimen inter pœnitentiam, & baptismum.

Quanquam baptismus a S. Paulo nonnunquam pœnitentia appelletur, quod quibusdam Sanctis Patribus præbuit occasionem vocandi pœnitentiam baptismum laboriosum, operæ tamen pretium est tria animadvertere discrimina baptismum inter, & pœnitentiam. Primum est, baptismo summa cum facilitate peccatum omnino deleri: tribus, quatuorve guttis aquæ illud eluitur, sed pœnitentia nonnisi cum jejuniis, atque austeritatibus illud potest abstergere, quam ob rem *baptismus laboriosus* nuncupatur. Discrimen alterum: baptismus simul & culpam delet, & pœnam; pœnitentia pro dolore læsi numinis sumpta delet culpam, postmodum vero pœnitentia expiationis paulatim delet & pœnam. Prout majores sunt austeritates, quas in se pœnitens exerces, e[illegible]nora fiunt supplicia, quæ meritus fuerat. Di[illegible]men tertium: baptismus formalem involvit sanguinis Jesu Christi applicationem: sed pœnitentia ut plurimum nonnisi partiales habet meritorum Salvatoris applicationes; quæ primum applicat pro remissione culpæ, & mox sensim pœnas etiam delet, quo plura patimur. Sed hæc virtus hoc habet cum baptismo commune, quod postquam congruas dedit peccatorum magnitudini satisfactiones, eorum etiam deles reliquias; & gradatim efficit, quod simul effecit baptismus per unicam aquæ guttam.

Lutheranorum, & Calvinistarum error de pœnitentia.

Manifestus æque, ac periculosus est Lutheranorum, & Calvinistarum error pœnitentiam in sola vitæ mutatione, & emendatione constituentium, & rejicientium rigores, austeritates, omnesque laboriosas pœnitentiæ exercitationes primis ecclesiæ seculis adhiberi solitas, tanquam inanes observantias, & mera politicæ, ac disciplinæ adinventa. Verum enim vero S. Joannes Baptista palam ostendit, pœnitentiam, quam prædicabat Judæis ad baptismum illius recipiendum confluentibus, aliquid aliud complecti, quam a criminibus cessationem, ac vitæ mutationem: videns enim eorum, quos baptizabat, plerosque arbitrari, se hoc pacto justam

stam iram Dei evitaturos, quam suis noxis promeruerant, eos genus, & genimina viperarum appellat, eisque annuntiat, sperandum illis non esse futurum, ut sua eluant scelera, & cœlestis ultionis effectus avertant, nisi fecerint fructus dignos pœnitentiæ: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Cuinam rei innititur obligatio satisfaciendi per pœnitentiam.

Theologi hanc divinæ justitiæ satisfaciendi obligationem in tribus statuunt reliquiis, quas peccata nostra licet dimissa post se relinquunt. In corde Dei relinquunt residuum iræ, & indignationis, quod placandum est: relinquunt residuum pœnæ, quæ redimenda est: relinquunt in corde peccatorum licet conversorum residuum languoris, habituumque pravorum, qui delendi sunt. Inde igitur patet, sinceræ cordis conversioni, & vitæ mutationi addendas esse austeritates pœnitentiæ, primum quod divinæ justitiæ sceleribus irritatæ ex integro satisfaciendum est; secundo, quod expiandæ sunt reliquiæ peccatorum, quæ commissa fuerunt, quamvis eorum veniam assecuti fuerimus; tertio quod evellendæ sunt pravorum habituum reliquiæ, quæ efficere possent, ut peccata ipsa reviviscerent.

Tridentini Concilii doctrina.

Satisfactio, quam a peccatoribus exigit Deus, non in interiori tantum pœnitentia consistit, neque in cura, & præcautionibus, quæ adhibentur ab illis, ne iterum peccent; verum etiam in pœnis, atque suppliciis, quæ sibimetipsis imponunt, ut ulciscantur, & puniant præteritæ vitæ flagitia. *Non solum*, Tridentina Synodus sess. 14. cap. 8. inquit, *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Quod si verum non esset, injuria profecto antiqua concilia, Sanctique Patres pœnitentiæ faciem nobis adeo horridam, tetramque descripsissent, necnon immerito declamassent tanta vi contra eos, qui ad Sacram admittebant Synaxin pœnitentes, antequam illos per laboriosa pœnitentiæ exercitia traducerent. Error igitur est censere, posse confessarios leves imponere pœnitentias pro gravissimis etiam sceleribus; Tridentinum Concilium e contra præcipit illis, ut summa cura rationabilem servent inter satisfactiones, quas præscribunt, & qualitatem peccatorum, quorum seipsos accusant, æqualitatem, alioquin scelerum eorumdem futuri participes.

Non immerito ecclesiæ præsules olim adeo accuratos proposuerunt pœnitentiæ canones cum pro præteritis noxis, tum pro antiquis habitibus radicitus convellendis, quos ibi peccata reliquerant, tum denique pro evitandis sapienti constitutione tentationibus, ac relabendi periculis. Horum canonum, qui cuilibet peccato mensuram pœnam præfigebat, praxis austerissima quidem fuit, sed sanctissima, & saluberrima; quippe praxis erat a Deo inspirata, ac per apostolicam traditionem demandata. Illi aliquot sæculorum spatio in ecclesia servati fuerunt, licet varie pro temporum, locorumque varietate. Sed prout mutata sunt tempora, pro necessitate, atque animarum dispositione methodus austera earum pœnitentiarum lenita fuit sapienti consilio eorum, qui Dei mysteria ministrabant. Extra omnem dubitationis aleam est, ubi canones illi vigebant, quanquam non omnino essent de necessitate salutis, fuisse tamen de necessitate præcepti, quilibet enim Christianus debet obedientiam auctoritati ecclesiæ, quæ tunc temporis eos præsenti fidelium statui necessarios esse putabat. Verum cum sæculorum decursu fidelium charitas, & primus ille fervor intepuerit, ecclesia debuit aliquid primæ severitatis remittere, ut filiorum suorum infirmitati prospiceret. Ex veteri pœnitentia, & indulgentia, qua ministri Domini modo utuntur, inferendum est, ecclesiam, cum in legibus, ac disciplina sua falli non possit, non secus ac in fide, potuisse pro temporum ratione primam illam severitatem moderari, quam ipsa justissimas ob causas instituerat; neque sine temeritate, & errore improbari posse: verumtamen prætereundum non est hoc factum, quin ullum illatum fuerit juribus justitiæ Dei præjudicium, cui vel in hac, vel in altera vita satisfaciendum est; aliquando enim persolvendum erit centuplum pro iis, quæ nunc modicis sumptibus dissolvere possemus per pœnitentiam, quæ, quantumlibet austera sit, semper levis est, si cum peccatorum meritis comparetur.

Pœnitentia Christiani vere conversi in omne vitæ spatium est producenda.

Periculosus error est, & illusio sibi persuadere, pœnitentiam, quæ adeo frequenter in Bibliis commendatur, esse tantum momentorum aliquot, horarum, aut dierum. Seu pœnitentiam pro criminum nostrorum dolore accipiamus, sive illam tanquam justam criminum nostrorum punitionem spectemus, tempore indiget. Verum est, justificationem, si ex parte Dei spectetur, momento fieri per gratiæ infusionem; sed ex parte peccatoris præparatio ad gratiam hanc recipiendam plurimum temporis requirit. Sin autem pœnitentiam consideramus pro punitione, & expiatione criminum nostrorum, Tridentina Synodus sess. 14. cap. 9. docet, totam vitam Christiani, qui ex eo decidit sanctitatis statu, in quo illum Deus per baptismum constituerat, perpetuam esse debere pœnitentiam: *Tota vita Christiani perpetua esse debet pœnitentia.* Ubi animadvertendum est, cum Synodus prædicta inquit, Christiano, qui baptismatis sui gratiam amisit, pœnitentiam semper agendam esse, non vult illa quidem nobis perpetuum jejunium indicere, neque cogere, ut cilicio, & sacco induamur, atque in actuali scelerum nostrorum pœnitentia vivamus. Haud ita; nunquam plura facere tenemur, quam quæ possumus; humana infirmitas hujus status capax non est; sed Concilium innuit, cuilibet Christiano, qui per peccatum Dei iram meritus est, & deinceps per gratiam illius sanctificatus est, reliquo vitæ spatio servandam esse habitualem suæ ingratitudinis memoriam, ac in vitæ suæ ratione præferendam profundam humilitatem, sanctum sui ipsius odium; perfectam mandatis Dei submissionem, sanctumque in pietate fervorem, quia hæ virtutes fructus sunt veræ pœnitentiæ.

Pœnitentiæ finis quis sit docere debet, illam severam esse debere.

Si cogitaverimus, quinam sit finis pœnitentiæ, intelligemus sane, quousque spiritus austeræ hujus virtutis nos impellere debeat, & quas nobis obligationes injiciat. Finis autem pœnitentiæ est placare Deum, eique satisfacere. Igitur ex omnium theologorum sententia actus est justitiæ, qui, quantum fieri potest, omnia ad æqualitatem revocare debet. Accommodare igitur debet pro viribus reparationem offensæ, & satisfactionem injuriæ; sed creatura nequit eam æqualitatis proportionem afferre, quam theologi de condigno nuncupant, cum offensa erga Deum sit quodammodo infinita. Afferenda igitur saltem est proportio de congruo, hoc est tantum austera, quantum nostra infirmitas permittere potest.

Confidentia a peccatore habenda in pœnitentia.

Inde vero peccatorum anima in virtute pœnitentiæ confidere debet, quod virtus hæc, quæ semper supponit sacramentum vel receptum, vel recipiendum, mirum in modum est efficax ad gravissima quæque peccata per merita sanguinis Jesu Christi delenda. Ita ut si quis omnia unus patrasset peccata, quæ patrari possunt, ea posset eluere veram agendo pœnitentiam. Deo cordi fuit magnam hanc in Scriptura veritatem statuere, atque hac in re adeo explicitis usus est verbis, ut nullum dubitandi locum reliquerit; & nos infinite debitores sumus misericordiæ ejus, quod voluerit eam veritatem, quæ præ cæteris religionis nostræ majus nobis afferre potest solatium, unam omnium maxime perspicuam esse, ac manifestam. Ut hoc luce clarius innotescat, satis est hæc intueri Ezechielis Prophetæ verba: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet & non morietur,*

Pœni-

Pœnitentia districta esse debet, & peccatis congrua.

Pœnitentia esse debet austera; hæc est Doctorum omnium sententia biblicis auctoritatibus, & sacris inniza conciliis. Neque ægre id nobismet persuadebimus, si cogitaverimus, illam non esse aliud, quam satisfactionem, quam peccator tribuit majestati Dei, quem suis criminibus irritavit: justitiam præcocem, quam pœnitens in seipsum exercet, ut divinæ satisfaciat justitiæ: ita enim Patres illam definiunt. Pœnitens seipsum in Dei locum substituat, opus est, & indignatio Dei contra peccatum migret in cor illius, qui illud expiat per pœnitentiam. Itaque opus esset, si fieri posset, odisse peccatum, quantum Deus illud odit; sed cum hoc fieri nequeat, opus saltem est, illud tantum esse, ut ipsum sentiamus. Hinc pleræque pœnitentiæ minime sufficiunt, quoniam illas austeritas hæc non comitatur. Hæc autem austeritas non in spiritus humiliatione tantum, & cordis contritione consistit, sed etiam in corporis mortificatione. Ideoque cum Scriptura loquitur de pœnitentia, fere jejunium, cilicium, laboremque memorat, ut intelligamus corpori æque, ac spiritui ferendam esse pœnam peccati.

Cum corpus aliquid contulerit peccato, aliquid etiam conferre debet, ut per pœnitentiam satisfaciat Deo.

Cum corpus sit particeps, & sæpe etiam minister scelerum, quæ cor machinatur, quantum in ipso est, venire quoque debet in partem supplicii. Aliquo nobis stare debet impendio verus in Dei gratiam reditus, ut memoria eorum, quæ passi fuerimus, ut peccati vincula infringeremus, nos deterreat, ne in eadem incidamus; alioquin enim facilitas obtinendi criminum veniam ansam nobis præberet, ut per nefariam licentiam in omne scelus prolaberemur; & improbitas hominis re qualibet abutentis remedium pro peccatorum expiatione institutum in prætextum converteret sese sine metu ullo flagitiis abdendi. Ne nosmetipsos fallamus, S. Paulus Apostolus inquit, quemadmodum corpora vestra tanquam instrumenta fuere, ut scelus committeretur, conferre aliquid etiam debent, ut reparetur; quemadmodum ea illis fecistis tot vanitatis idola, ita faciatis oportet tot victimas pœnitentiæ; quemadmodum illa mundo sacrificastis per noxias voluptates, quibus vosmet ingurgitastis, per libidinem, ac mollitiem, in qua ea fovistis, Deo etiam per jugem mortificationem sacrificetis oportet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Pœnitentia quatenus virtus, vel Sacramenti pars divinam justitiam cum misericordia conciliat.

IN pœnitentia non solus agit Deus: criminis expiationem quodammodo in pœnitentis rejicit arbitrium, atque pro se peccatorem substituit, ut misericordiæ suæ fungatur officio, Tertullianus ait: *negotium curans divinæ misericordiæ*. Pœnitentia adorabile adminiculum est, quo usus est Deus, ut simul conciliaret suam misericordiam, atque justitiam propter peccatorem dissentientes. Misericordia ostendit Deo, nihil eodem dignius, & ipsi gloriosius esse posse, quam nocentibus parcere, hominum salutem pulcherrimum esse opus sapientiæ ipsius; ipsumque nequaquam divinitatis suæ imaginem in homine impressisse, ut lineamenta ejus in æternum relinqueret peccatorem labe deleta. Altera ex parte justitia repræsentat, permittere, ut peccata impune abeant, idem esse ac sceleribus omnibus ostium aperire; Dei judicia a peccatoribus esse formidanda, qui se reos minime putant, cum se impunes esse intuentur. Quid interim Deus, ut duas hasce divinas perfectiones conciliet, atque ut utriusque jura tueatur? Nocentium veniam misericordiæ permittit; justitiæ vero necessitatem agendi pœnitentiam: obtinet justitia fore, ut peccator puniatur; & misericordia obtinet fore, ut hæc pœna non proficiscatur a Deo, sed a peccatore contrito, qui seipsum puniet per pœnitentiam. Hoc pacto justitia, & misericordia perfecte conciliantur, & uti loquitur Propheta Psalm. 84. mystico sese mutuo complectuntur osculo: *Justitia, & pax osculatæ sunt. Specimen Sermon. pro 4. Adventus Domini.*

Per peccatum post confessionem remissum peccator adhuc indiget pœnitentia.

Confessio, S. Bernardus ait, pharmacum est febrim expellens; sed pœnitentia est veluti regimen vitæ, quod reparat vires, & cujus ad perfectam valetudinem reparandam indigemus: præsertim vero si diu in scelere volutati fuimus: animæ quippe morbis idem accidit, quod corporis, qui semper post se aliquem relinquunt languorem, ex quo ægre convalescimus, postquam morbis diutinis laboravimus. Peccatum, idem Pater ait, sagitta est, quam confessio ex anima revellit; sed revulso spiculo remanet adhuc periculosum vulnus, cui medicina est adhibenda; quod etiam ubi curatum fuerit, deformis superest cicatrix, quæ obducenda est; qua ipsa obducta adhuc macula quædam est reliqua detergenda, ut anima eum habeat nitorem, & albedinem, quæ aliquando ipsius innocentiæ superet integritatem. Et sane peccator, qui id non agit, ut dignos pœnitentiæ fructus afferat, potest ille quidem criminum suorum veniam recepisse in confessione, verum nisi virtus pœnitentiæ, ac repetita ejusdem exercitia in ipso gratiam sacramenti servaverint, quam primum in peccati vincula recidet. *Idem.*

Per pœnitentiam puniendum est corpus tanquam scelerum animæ consocium.

Corporis mortificatio sequi debet mentis humiliationem, & contritionem cordis in pœnitentia. Cor profecto illam debet incipere, quippe de corde omnia exeunt peccata, ut Dei filius ait; ideoque per contritionem severe puniendum est: sed cum corpus sit particeps culpæ, & minister scelerum, quæ cor ipsum concepit, ipsum etiam in pœnæ, & punitionis partem est accersendum. Verum cogitasne, Christiane, quid in vita tua magis austerum, severumque sit, quam esset antea, antequam in ea decideres crimina, quæ nosti, & quorum nihilominus severa tibi est instituenda pœnitentia? Tota hæc mollities, quam amor proprius excolit; omnes istæ exceptiones in noxiorum vinculorum fractura factæ; superflua hæc ornamenta, quæ tibimet semper licere vis; necessitudines istæ, quæ culpa vacare non videntur, nisi cum superioribus flagitiis comparentur; secreta hæc murmura contra rigorem legis ea prohibentia, quæ hactenus deperimus; affectiones istæ eo magis periculosæ, quod auferunt Deo cor, quod impensius exquirit. Quid! extrema cura sibi contra temporum vices præcavere; ecclesiæ jejunia pro levissimis incommodis frangere! Denique omnem reformatæ vitæ rationem ad exteriorem officiorum praxim redigere, quæ pœnitentiæ spiritu animata non est! Hæccine cum austeritate, quam hæc virtus præscribit, conciliantur? *Idem.*

Modus veram agendi pœnitentiam.

Aptissima ratio pœnitentiam nostris accommodandi criminibus est in spiritu expiationis omnes acceptare pœnas, quæ providentiæ ordine nobis in hac vita ingruunt: neque enim nobis satis esset virium, ut ex nobismetipsis idoneas pœnitentias eligeremus. Deus non exigit a nobis eos conatus, quibus pares minime sumus; hæc nobis aufert bona, quæ nimia festinatione consectamur, delet eam oria speciem, quæ colebatur; eas disponit simultates, quæ ne cogitabantur quidem. His in casibus satis est voluntatem nostram cum divina nos consociare. Præsertim vero in spiritu pœnitentiæ eas recipere debemus pœnas, quæ immediata sunt nostrorum peccatorum effecta. Hujusmodi sunt morbi illi, quos flagitiosæ adolescentiæ scelera in provectiori gignunt ætate, turpitudines illæ inhærentes scandalo, quod allatum est, impedimenta illa, in quæ inania cupiditatis, & ambitionis consilia nos præcipites agunt.

Faciendi sunt fructus digni pœnitentiæ.

S. Joannes ex Judæis quærebat fructus dignos pœnitentiæ, opera congrua magnitudini, numeroque criminum, quæ patraverant: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Nullum est voluptatum genus, cui vosmet non addideritis; mens vestra facta

tur.

turpium affectionum, quarum horrorem vobis aperire debebat, captiva, vobis modos tradidit lædendi Deum, quos fortasse ipsi soli cognoscitis. Quomodonam hæc omnia mala reparare vultis, nisi æque mortificati sitis, ac libidinosi fuistis, nisi æque industrii sitis in sceleribus expiandis, ac in illis patrandis fuistis? Quomodonam reparare vultis omnes impios sermones; qui os vestrum tamquam in apertum sepulcrum mutarunt, unde mortis fœtor in eos omnes locos, per quos transivistis, emanavit? Quomodonam, inquam, hæc omnia reparare vultis, si vita vestra non sit æque ad virtutem composita, ut fuit in omne vitiorum genus effusa? Hoc enim proprie pœnitentia est, Sanctus Thomas inquit, mortificationem opponere libidini, ædificationem scandalo, mentis recollectionem ejusdem evagationi; verba & vitam bonam nefariæ. *Ibidem in Panegyrico S. Pauli.*

Ad pœnitentiam agendam vita mutanda est, & explanda peccata.

Quin intus, & in cute scrutari velimus hoc in loco christianæ pœnitentiæ qualitates, notum certum est ad pœnitentiam agendam vitam esse immutandam, ac in semet eo animadvertendum esse modo, qui sit congruus peccatis, quorum pœnitere nos decet. Vita mutanda est, & hanc mutationem requirit magnus Apostolus, ubi loquitur de felici ea transformatione, quæ per spiritus innovationem facienda est; *Reformamini in novitate sensûs vestri*. Ad Rom. 12. Sed præterea quisque seipsum punire debet eo modo, qui peccato respondeat; non enim aliam hac solidius in Ecclesia veritatem constitutam invenies. Gemitus, atque suspiria nostra congrua sint magnitudini, & numero scelerum nostrorum, S. Cyprianus ait. Diuturna, & salutaria adhibeamus remedia profundis vulneribus, neque pœnitentia minor sit scelere: *Quam magnam deliquimus, tam grandia defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit.* Porro ubinam sunt pœnitentes, qui vitæ rationem immutent? Ubi, qui peccata sua expient eo modo, qui par sit eorum nequitiæ? Quid? putasne inanes doloris, & pœnitentiæ protestationes ad Deum leniendum sufficere? Multa quidem promisisti Deo corda scrutanti, & penitiores conscientiarum sinus penetranti; verum quemnam effectum habere possunt fallaces promissiones nullum pœnitentiæ fructum ferentes? Dicis te vanitatem perhorrescere, sed locupletissimis ornatus indumentis ambulas: ambitionem damnas, sed nova semper animo revolvis consilia, quibus perturbaris: contra avaritiam declamas, & opum congerendarum avidissimum te ostentas: ultionis injustitiam agnoscis, at nemo tibi persuadere potest, ut cum inimico redeas in gratiam... Pauci sunt etiam, qui seipsos puniant eo modo, qui suis peccatis sit dignus; qui vero vitæ rationem immutent, pauciores. *Ibidem pro 3. post Pentecosten Dominica.*

Ut vere fit pœnitentia, exercendæ sunt virtutes patratis sceleribus oppositæ.

Pœnitentia, inquiunt Theologi, non aliud est, quam compensatio peccati; hæc est satisfactio, quam peccator reddit majestati Dei, quam irritavit: justitiæ præcox, quam peccator in seipsum exercet quotidie, ut divinam flectat justitiam. Opus est igitur non solum peccatorem sese substituere in locum Dei, a quo esset puniendus, & indignationem Dei contra peccatum migrare in cor illius, qui expiat illud per pœnitentiam juxta illud Prophetæ Ps. 87. verbum: *In me transierunt iræ tuæ.* Sed ut proportio, quæ inveniri debet peccatum inter, & pœnitentiam vera sit, necesse est, pœnitentem post conversionem suam opponere virtutes contrarias vitiis, quibus antea indulgebat. *Ibidem in Panegyr. S. Augustini.*

Cum voluit Deus delere Amalecitas, præcepit, ut omnes, nemine excepto, internecione delerentur. Imago fidelis odii peccati, & rerum rerum omnium, quæ ad peccatum impellunt, cum veram instituere cupimus pœnitentiam. Hac in praxi nihil non justissimum est. Cum enim odium peccati semel in anima radices jecerit, hanc inducit ad execrandum, quidquid ipsi erat contrarium; & quidquid infelicitati suæ aliquid potuit conferre. Tunc anima hæc peccatum respicit tamquam gravissimam injuriam, quam inferre possit Deo; tunc init consilium ultionem ex semetipsa sumendi, infringendi vincula sua, & noxios affectus suos, atque per actus contrarios evertendi malos habitus, quos ipsa contraxit, mentis evagationem recessu, vanitatem modestia, loquendi pruriginem silentio, otium labore, mollitiem austeritate, gulam, atque intemperantiam jejunio, atque abstinentia. *Joly in operibus mixtis, ratio sancte vivendi tempore Quadragesimæ.*

Magna opus est constantia, ut nosmet omnibus pœnitentiæ laboribus objiciamus.

Cum peccator vere conversus pœnitentiam agere decrevit, ut divinæ satisfaciat justitiæ, eo ejus paratum esse debet, ut omnia suscipiat, omnia exequatur, omnia sustineat; utque conversionem suam integram, perfectamque ostendat, dicere debet, ut olim S. Paulus: Domine quid me vis facere? Verbum breve, sed vivum, & efficax, S. Bernardus ait. Sed quam longe ab hac christiana generositate distamus. Si quis enim in ipso conversionum nostrarum principio nobis veluti in tabula quadam proponeret omnes pœnitentiæ difficultates, si omnes indigitaret nobis tristes locos vitæ necessario austeræ, ac laboriosæ: hic te homines pellis quentes, irridebunt, contemnent; illic lectulo, tamquam cruci confixus, crudelem sustinebis febrium hic personam, quæ tibi charissima, amittes; illic ob secretam conjurationem de gradu tuo deturbaberis; heu! quam vereor, ne prompta, fatalisque desperatio efficeret, ut omnia deseretes, ac diceres ut ignavi illi, de quibus in Scriptura sermo est: Leones, & crudeles feræ obsident viam; certæ sese objicit morti, qui viam adeo periculosam ingreditur. Hic effectus est providentiæ illis, qui convertuntur, abscondere pericula, per quæ traducendi sunt, iisque gradatim pœnitentiæ austeritates ostendere, ne deterreantur. Deus eorum timoribus parcit; atque infirmitati illorum abscondit importunam funestissimi futuri cognitionem. Hæc tamen prima est dispositio, in qua esse debet peccator conversus, omnia propter Deum in spiritu pœnitentiæ sustinendi. *Flechier sermone de conversione S. Pauli.*

Ad veram pœnitentiam agendam peccata reparanda sunt bonis operibus contrariis.

Ut vera fiat pœnitentia, peccatum corrigendum est, in locum illius subrogando bona opera, & illa præsertim, quæ huic peccato respondent, & opposita sunt. Stimuli cordis propriis iniquitatibus ad angustias redacti! desideria superficialia, quæ ad effectivas usque satisfactiones non proceditis! Voluntates infirmæ, ac semiformatæ, quæ nullum producitis fructum! vos ad summum testes estis peccati; sed peccati reparationes non estis. Reparandum est, quod erat deletum, ac reparandum per ea, per quæ deletum fuisse innotescit. Corrigendum est, quidquid factum est contra Dei legem, per legis ipsius obedientiam iis in partibus, in quibus violatam esse scimus; qua in re plerumque fallimur. In corde non desunt quidam sensibiles loci, quos nemo audet scrutari, atque ut plurimum illi considerantur, qui nullo in discrimine habentur. Haud ægre eleemosynas erogat, qui suapte ingenio liberalis est. Prolixæ amantur orationes, cum attentione, ut fiunt, Deus scit; hæc formalitas est devotionis, quæ nullis stant sumptibus. Non omnis detrectatur austeritas, dummodo eam ipsi eligamus, & a nostra voluntate proficiscatur; sed cum antiquæ præventioni, vel dominanti peccato resistendum est, ad primum conatum deterremur; longe alii esse vellemus, sed semper iidem sumus, & quamquam conversionis honorem optamus, illius tamen pœnam perhorrescimus. *Idem.*

Quilibet se minime teneri putat ad pœnitentiæ austeritates.

Tantum est proprii amoris ingenium, ut quantumvis nobis persuasum sit de pœnitentiæ necessitate, tamen semper expedit viam, qua nos singillatim dispenset. Quilibet seipsum eximit, quilibet vitæ austeritatem vel magnis peccatoribus, vel præstanti sanctitate viris remittit, & se neutrum horum esse arbitratur. Qui fraterno cruore ultionis suæ sitim extinxerunt, qui compositis calumniis,

vel surreptitiis, coemptisque judiciis familias bonis everterunt, qui propriorum spoliis locupletati sunt, qui sacris sunt abusi mysteriis, ambitionem, & avaritiam suam religionis, & justitiæ integumento celantes, hos omnibus legum rigoribus damnamus, & pœnitentiam propter illos factam esse dicimus. Iisdem regulis subjicimus eos, qui religiosum statum amplexi sunt. Videmusne religiosum frugi, atque mortificatum? hanc illius professionem esse dicimus; hi crucem elegerunt, illis ferenda est. Censemus, alios quidem propter suæ vitæ flagitia ad pœnitentiam agendam teneri; alios vero propter professionis sanctitatem: ac pro nobis tertium dispensationis, ac libertatis statum comminiscimur. Non satis nefarii sumus, ut inter primos adnumeremur, neque satis devoti, ut inter alios adscribamur; nobis deesse putamus causas, propter quas illos sequamur; neque tantum roboris nobis est, ut hos imitemur: itaque illos quidem pœnitentes ex justitia, hos autem ex electione, ac statu appellantes, nosmet, si cum prioribus comparemur, tamquam justos censemus, nostrisque affectibus infelicem concedimus impunitatem, eo quod ad extrema quælibet non evaserunt; sin autem cum aliis conferamur, infirmos nimis esse putamus, atque nosmet a pœnitentiæ austeritatibus dispensamus, quia ad perfectionem nequaquam contendimus. *Idem sermone de Sancto Sulpitio.*

Satisfactiones, quas a nobis posset Deus pro peccato, quantumvis austeræ forent, semper sunt justæ.

Quantumvis austeræ essent satisfactiones, quas irritatus Deus a nobis exigere vellet, illis semper nosmet subjicere deberemus: injuria de justitia illius conquereremur, quamvis levissimæ improbitatis veniam nonnisi post plurimos austerissimæ pœnitentiæ annos vellet concedere. Sufficit intueri inæqualissimam rationem, quæ intercedit inter Deum læsum, hominemque lædentem, ut judicium feramus, nihil iniquitatis inveniri posse in iis omnibus austeritatibus, quas nobis Deus ad veniam consequendam poterat irrogare. Amissæ gratiæ reparationem eo, quo maxime cupiebat, pretio nobis proponere poterat. Miseri, nobis dicere posset, quæ mihi necessitas adest vobismet indulgentem præstandi, atque vobiscum pactum feriendi; ut quibusdam propositis conditionibus mecum redireatis in gratiam? Vosmet affligite, conterite corda vestra dolore, & corpora vestra gravissimis austeritatibus; inobedientia vestra plura his meretur; veruntamen spectus, omnem cordis vestri amaritudinem, omnemque lacrymarum vestrarum copiam vel minimum crimen vestrum esse deletuatum. Postquam a me semel defecistis, nil vobis debeo, & sine ulla injustitiæ nota possum ad vos non reverti, quidquid ipsi conemini ad me revertendi. Hujusmodi jus est, o Fideles quod peccatum Deo vestro tribuit erga vos. Hinc autem arguere possum, quantumvis graves pœnitentibus irrogare potuisset obligationes, has numquam in Deo injustas fuisse futuras; etenim jure poterat nullam satisfactionum nostrarum accipere: ideoque nulla nobis causa est, propter quam de pœnitentiæ severitate conqueramur. *Ex manuscripto sermone.*

Pœnitentiæ severitas primis Ecclesiæ temporibus.

Numquid necesse est hoc in loco terribiles veteris Ecclesiæ macerationes describere? Me pudet priorum fidelium exemplum proponere sæculo, quod ita flagitiosum est, uti nostrum. Illis ita persuasum erat, Deum nil nimis ab ipsis exigere posse cum iis in gratiam rediturum, ut fervori suo nullos circumscriberent limites. Quidam ultro sese in horrentem conjecerant specum alicujus carceris omnis aeris inclementiæ expositi, atque de tenebricosis illis recessibus indesinenter querulos in cœlum emittebant ejulatus, quasi perenni fatigati vigilia, ne Solem quidem lucere videbant, rati se indignos ea luce, quæ sibi affulgebat, neque cernebant noctem suæ obtendentem velamina, ut sibi eam interdicerent requiem, quam ipsa reliquis mortalibus conciliat. Alii in obscuris antris latentes fame pœnitus vincerunt eo in loco, quem suæ alegerant pœnitentiæ, ac voluntaria corporis captivitate mentis licentiam puniebant. Ceterum hujusmodi austeritates nequaquam erant propriæ eorum, qui inter ceteros sanctitate præstabant; fideles passim æque fervorem suum testabantur. Beatis illis temporibus videbantur ea peccata, propter quæ hodie ne una quidem fortasse lacrymula effunditur, septem annorum pœnitentiis expiata. Sed quibus pœnitentiis? Peccator contritus lacrymas suas cum pane miscens, precibus vim addebat per suspiria: *jejuniis preces alere.* Ore semper ejulatus, fletumque oculis præferens pro templorum foribus, quo per reverentiam palam non audebat inferre, terribiles emittebat rugitus: *Ingemiscere, lacrymari, mugire dies, ac noctes ad ostium templi.* Humilis in prostrationibus suis facie humi demissa advolvebatur coram presbytero, atque coram aliis fidelibus genua flectebat: *Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari;* hæc communis erat pœnitentiæ ævo suo austeritas, inquit Tertull. *Hæc omnia sunt exomologesis. Idem.*

Si austera hæc pœnitentia primis Ecclesiæ temporibus erat necessaria, nunc quoque similiter necessaria est. Nonne Deum eumdem colimus? Nonne eamdem legem, ideoque obligationem eamdem habemus? Sed præterea peccata nostra & plura sunt, & sæpe graviora; attamen nil minus commune est, quam pœnitentia, nil vulgatius, quam peccatum, nil infrequentius, quam expiatio. Proh Spiritus pœnitentiæ quam parum hodie in Ecclesia cognitus es! Nulla videntur amplius jejunia, macerationes nullæ, nulla vitæ mutatio. Credunt satis esse, si peccatum fuerint confessi, & æque ac antea oblectantur: haud ægre in pristina labuntur flagitia, neque magis seipsos convertere, quam punire volunt. *Bireus in primo sermone pro feria 6. post Cineres.*

Pœnitentia locum tenet justitiæ Dei.

Pœnitentia est compensatio, quæ divinam exæquat justitiam: *Hac pœnitentia compensatione redimendam proponit impunitatem.* Quod si Deus aliquod iræ tenet vestigium; quod illum ad ulcricem justitiam suam exercendam impellit: *Pro Dei indignatione fungitur*, ait Tertullianus; pœnitentia hos iræ sensus induit, illius expiat injurias, prævertit officia, & aliqua cum proportione in peccatorem id operatur, quod ipsa divina justitia operata fuisset. Quid agis, Deus, contra peccatores, ut ultionem tuam in terra, in purgatorio, & in inferno exerceas? Alios humilias; alios punis; doloribus, pœnisque illos afficis, ab illis suspiria, & ejulatus extorques. Sed quod per vim divina extorquet justitia, & contra nocentium voluntatem, hæc suavius, & blandius obtinet pœnitentia. *Idem.*

Pœnitentia continua esse debet, eoque vitæ nostræ tempore producenda.

Non satis est agere pœnitentiam, in omne vitæ spatium producenda est, eique finem mors debet injicere. Licet certi essemus, Deum nobis peccata dimisisse, non ideo minus pœnitentiam agere deberemus: enim si extremo non laboramus amplius ad mortem morbo, saltem fateri debemus, infirmam esse valetudinem nostram: illis similes sumus, qui recens convaluerunt, ad levissimum quemlibet ictum relabi possumus; & modicum illud salutis, quod nobis reliquum est, nonnisi per eadem remedia, per quæ illud adepti sumus, servari potest. *De Sancta Martha Presbyteris tractatu de necessitate Pœnitentiæ.*

Peccatores fugiunt pœnitentiam.

Peccatorum mollities fugit labores pœnitentiæ, & vias exquirit, quibus se ab illis dispenset. Hi causas inveniunt, quas prætexunt, ut sese ab illis omnibus, quæ gravia, atque dura sunt in pœnitentia, excusent, cujus fructum tantummodo vellent percipere. Postquam diu pro mundo laboribus exerciti sumus, levissimæ etiam pœnæ fiunt nobis non ferendæ, cum ferendæ sunt pro nostra salute, & sæpe corpus nostrum imbecille est, quia anima nostra tepida est, & ignava. Nihil extrinsecus facere possumus, quia nihil habemus ejus charitatis, quæ efficit, ut efficaciter velimus, & ne animum quidem habemus illam a Deo precibus obsecrandi. *Idem.*

O tempora, o mores! Quo potiori jure S. Paulus

irritatus ignorantia, in qua sæpe vivere volumus, sæculi hujus Christianis dicere posset, quod olim ad Romanos scripsit: *ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, Ad Rom. 2. An nescis, Dei bonitatem te ad pœnitentiam agendam compellere? Misericordiam ejus te novis cumulantem beneficiis, recentibus simul obligationibus onerare? & nisi velis diuturnam illius contemnere tolerantiam, atque infinitæ charitatis ejus divitias, amarissimum criminum tuorum dolorem respondere debere ei bonitati, qua tua peccata dimittit? *Ignoras*? Quam ignorantiæ prætexere causam posses? Quis Scripturæ locus, quæ Prophetæ verba, quod oraculum Jesu Christi te in hoc errore posset confirmare? Vetus, novaque lex te monet, eo quod te Dominus suffert, præstolatur, vocat, sibique parcit, tibi hac eadem de causa ad misericordiam illius esse confugiendum lacrymarum copia, & pœnitentiæ austeritate. *Ignoras*? Exempla insignium peccatorum, qui licet absoluti, & cum Deo in gratiam reversi pœnitentem, austeramque vitam duxerunt, te ex hac ignorantia profecto deberent educere; puta illud S. Petri Apostoli, qui postquam magistrum suum magis ex infirmitate, quam ex nequitia negavit, seipsum illis adjudicavit ploratibus, atque austeritatibus, quæ nonnisi cum vita finem habuere. *Ignoras*? *Ex morali Dictionario serm. 2. de Indulgentiis.*

Quomodo salutaris pœnitentia instituenda sit. Quæris, quomodo vivendum sit, ut salutarem agas pœnitentiam? en quid ego scio, S. Augustinus respondet. Inordinati appetitus mortificandi sunt. Sæpe ad carnem castigandam neganda illi sunt ea, quibus indiget, ut subsistat. Denique propter amorem Dei, & propriam salutem sustinendæ sunt cruces, quas tibi mittit providentia. Hoccine satis est pro salutari pœnitentia? Utique. At nimisne est? Nequaquam. Inde tamen quid tibi faciendum sit intellige. *Idem.*

Recepimus ipsi baptisma, quod Judæis Sanctus Joannes pollicebatur: sed heu! illius gratiam amisimus. Verum est, nobis alterum superasse, videlicet pœnitentiam, quam Tridentina Synodus post Patres modo austerum, ac laboriosum baptisma, modo secundum post naufragium tabulam vocat, Ita Tertullianus ait, qualis nauta, cujus navis scopulo illisa contrita est, jamjam fluctibus absorbendus, si apprehendere potest tabulam, illi mordicus hæret, in eaque omnem suam confidentiam constituit, semper tamen occupatus periculo, quod imminet sibi, semperque metuens, ne vel sibi vires deficiant, vel deglutiatur unda; talis esse debet Christianus, qui post Baptismum gratiam amisit; cujus videlicet confracta navis est, qua inter procellas mundi præservandus erat, in scopulos cupiditatum impacta: jamjam fluctibus absumendus adhæret pœnitentiæ, quæ illum sublevat, atque super undis sustinet: quam nisi reliquerit unquam, eo actus metu, qui totum spei ejusdem constituit argumentum, flatus Spiritus Sancti illum in divinæ misericordiæ portum usque propellet. *Abbas de Monmorel Homil. in 4. Adventus Dominicam.*

Quomodo faciendi sint fructus digni pœnitentiæ. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Satis esse non debet flores emittere, qui statim intereunt, sed fructus ferendi sunt permanentes. Ita quamvis Propheta quidam Davidi fuisset professus, a Domino translatum jam fuisse peccatum illius, cumque nequaquam æterna morte moriturum, quemadmodum S. Augustinus interpretatur, videmus tamen, sanctum hunc regem reliquum vitæ suæ spatium in pœnitentiæ austeritatibus traduxisse. Lavabo, ait ille, per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo ... Vin' scire, Sanctus Chrysostomus inquit, quomodo facere possis fructus dignos pœnitentiæ? vitam ducendo prorsus aliam ab ea, quam antea ducebas. Habesne aliquid alienum? Non solum hoc restitue, sed tuum etiam tribue. Illicitisne voluptatibus vacasti? ab illis etiam abstine, quæ licere videri possent. Nimio te mero proluisti, ac abdomini tuo indulsisti? hoc malum austeris repara jejuniis. Aliquidne fratri tuo aut dictis, aut factis obfuisti? id beneficiis, bonisque pensandum officiis est; etenim, hic Pater ait, non satis est spiculum revellere de corpore illius, qui vulneratus est, præterea necessaria adhibenda sunt remedia, ut vulnus ad cicatricem vocetur. A malo desistendum est, ac incipiendum est facere bonum. *Idem.*

Certum est, pœnitentiæ proprium esse peccata delere; sed non ideo credendum est, quolibet pœnitentiæ genere quodlibet peccatorum genus deleri. Ut intelligamus autem, quam severa esse debeat, notandum est, pœnitentiam duos producere effectus. Hæc Dominum lenit, hæc inferni ignem extinguit; sed ut Dominum flectat, concitet opus est peccatorem in ipsum, atque efficiat, ut in hunc Dei ira pertranseat: *In me transierunt iræ tuæ*. Ps. 87. Ut autem inferni ignem extinguat, opus est, ut hæc pœnitentia, quæ in terris divinæ justitiæ munere fungitur, aliquam habeat proportionis speciem cum infinitis cruciatibus, a quibus liberat. Num aliquid ultra requiritur, ut inferatur, quam severa esse debeat pœnitentia? Ideo Tridentinum Concilium docet, Christiani hominis vitam jugem esse debere pœnitentiam. *Idem.*

Pœnitentia licet severa, suavis debet videri propter mala, a quibus liberat. Christiana pœnitentia in magnis consistit gemitibus, laboribusque, quos a nobis divina exigit justitia. Acerbum est, Tertullianus ait, iis in artubus, qui sensu maxime valent, experiri vel ferri duritiem, vel ignis cruciatum, vel auctos pulveris cujusdam dolores, quæ carnes ipsas permeat, easque ad vivum usque depascit, sed hæc remedia quantumvis violenta, ab eo sustinentur, qui curari vult, non solum patienter; verum etiam festinanter conquiruntur. Peccavi in Deum, ac periculum est, ne in æternum peream. Ideo pergit hic Pater, sustineo, patior, ac me ipsum torqueo, ut redeam in gratiam cum illo, quem meis criminibus læsi: *Deliqui in Deum, periclitor in æternum perire; itaque nunc pendeo, & maceror, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi*. Tertull. lib. de pœnit. c. 11. Facere pœnitentiam est abdicare commoda corporis, & sensuum voluptates, minus temporis somno tribuere, quam natura postulet: illum gemitibus, ac suspiriis interrumpere, ejusque partem precibus impendere; deferre cilicium; pane, & aqua duntaxat uti, ac in pœnitentiæ opus transferre, quidquid fuit criminis instrumentum; ita demum vivere, ut omnino profanæ mundi hujus consuetudini moriaris. Ita hac de re loquuntur, sentiuntque Patres; variæ quidem esse possunt locutiones illorum, sensus vero sunt iidem. Hujusmodi fuit, & adhuc magis severa pœnitentia primorum fidelium, qui homines erant, uti nos, sed longe minus nocentes, quam nos, quibus res non erat cum alio Deo, quam nobis, & qui non alium metuebant ignem, ac nos. *Idem.*

Primi fideles non querebantur, quod nimis severa esset pœnitentia. Primi fideles intelligentes magnitudinem, atque æternitatem pœnarum, quæ sibi paratæ erant, avide ea arripiebant remedia, quibus præservandi erant, nec illa relinquebant unquam. Tantum aberat, quod murmurarent contra rigorem Ecclesiæ, a qua pro uno tantum scelere districtæ plurimorum annorum pœnitentiæ addicebantur, ut Dei misericordiam adorarent, qui dignaretur perfunctoriam admittere pœnitentiam pro expiatione peccatorum, quibus æternus ignis debebatur. His sensibus acti, atque suffulti pœnitentiæ nonnisi cum morte finem imponebant, & quasi vererentur, ne satis diuturni dies essent ipsorum, severitati pœnitentiæ id tribuebant, quod metuebant, ne illius tribuere possent diuturnitati. Plerique fidelium hodierna die hunc sibi infelicem efformant habitum, quo totum vitæ suæ spatium traducunt confitentes peccata, quæ patrarunt, & patrantes illa, quæ confessi sunt, atque alternis & criminum suorum, & suarum pœnitentiarum pœnitentiam agentes. Si hæc in te mutata est

Ecclesiæ disciplina, scitote, spiritum illius mutatum non esse, si aliquid de veteri severitate temisit, ut eos ad se vocaret filios a se recedentes, hæc, qua vobiscum utitur, indulgentia vobis terrorem incutiat; quoniam quilibet peccator vel in vita, vel post mortem, vel ipsius, vel Dei manibus puniendus est. Ita quo Ecclesia tenera hæc mater vobis se præbuerit faciliorem, eo Dominum magis severum experiemini, quo magis illius misericordia usi fueritis, eo plura justitiæ divinæ debebitis, quo pauciora illi in vita hac persolveritis, eo plura vobis persolvenda erunt in altera. *Idem*.

Non sufficit semel propter præterita peccata penitere, in posterum abstinendum est.

Addamus, quod facere pœnitentiam est patrata peccata lugere, & non ultra committere ea, pro quibus ploratum est; unde sequitur satis non esse, severa pœnitentia commissa expiare peccata, sed ab illis esse cavendum, quæ committi possent, pœnitentia perseverante. Ad id corpus castigandum est, & in servitutem redigendum; opus est, esse præcinctos gladio Evangelii, quo jugulentur affectus, prout renascuntur, ut pravi naturæ corruptæ fœtus abscindantur, utque Domino immoletur, quidquid displicet in oculis ejus.

Qua in re temporis hujus Christiani pœnitentiam constituant.

Pœnitentia severa esse debet, nos vero illam constituimus in precibus quibusdam distracta mente recitatis, in levi aliqua eleemosyna, quæ nullum nobis adferat incommodum, in jejuniis aliquot, ubi ad satietatem, atque libidinem non secus, ac in aliis epulis ventri indulgetur: denique debet esse perseverans, & plerumque dies una illam & orientem videt, & morientem. Post plurimos in scelere traductos annos animum appellere non possumus, ut unam tantum diem in pœnitentia vivamus; falso enim arbitramur, Dominum nostia nobis peccata dimittere, ubi ore tenus pollicemur non ultra ea nobis iri patratum, ita non admitimur per pœnitentiam ea delere flagitia, quæ jam deleta supponimus, neque inposterum metuimus morbum, quia in remedii facilitate confidimus. Sed Tertullianus ait, ubi nullus timor, ibi nulla correctio, & ubi correctio nulla, ibi pœnitentia vana est & inutilis. *Iacm*.

Spectatis primum prætextibus, pœnitentiæ necessitatem eludidam.

Quantumvis omnibus hominibus essentialis sit pœnitentia, quid non conantur plerique, ut sese ab illa dispensent? Quot utuntur rationibus, vel melius dicam prætextibus ad eas omnes, quas nobis irrogat Ecclesia, eludendas? Opinantur, exempli gratia, Quadragesimale jejunium servari non posse, quin detrimentum aliquod valetudo patiatur, quamvis numquam forrasse fuerint experti: utque onere conscientia levetur, vel potius ut illius stimuli obtundantur, id in medicorum conscientiam rejicitur, quorum plerique nimis facile veniam concedunt, quamvis sæpe ab petentibus illam decepti. Ab ipso etiam Pastore officiose facultas exquiritur, & jam se ad nihil teneri arbitrantur. *Idem*.

Pœnitentiæ fastidium prohibet ne plurimi convertantur.

Dicere possumus, metum, ne pœnitentiæ nos tædeat, vulgatissimum esse obicem plurimorum peccatorum conversioni. Videntur quidam, qui *lassati in via iniquitatis* expetiuntur ipsum peccatum esse pœnam peccatoris; qui, quin inde ullam percipiant dulcedinem, amaritudine dumtaxat perfunduntur, qui sub dæmonis jugo gemunt, & adeo miseram vitam ducunt, ut aliis, & sibi sint graves. Licet in adeo deplorabili statu versentur, quis credere posset, ipsus in animum sibi inducere non posse, ut vitam mutent? Si quid conantur ad Deum reversuri, cum Ecclesiæ præcepto jubentur, ubi eam quæ sibi irrogata fuerit pœnitentia, persoluturi sunt, nausea, tædioque efficiuntur. *Idem*.

Vox, quæ nobis intonat, *facite pœnitentiam*, vox est justitiæ simul, & misericordiæ, quæ peccatoribus de seipsis judicium permittunt. Ne dixeris ergo verbum hoc facite pœnitentiam, verbum esse durum; sed memento, quod S. Bernardus ait, longe durius futurum illud audite verbum: *ite in ignem æternum*. Gravissimus quisque pœnitentiæ labor videtur levis rite consideranti æternitatis supplicia. Tandem enim ne putes ullam te inventurum esse rationem, qua alterutrum vites, alterutrum necessario eligendum est: sed cogita hanc felicem esse necessitatem: etenim per pœnitentiam tua dissolvens debita simul immensa congregas bona, atque cessans Dei esse inimicus adscriberis in albo filiorum ejus, qui ad regni coronam possidendam sunt destinati. *P. Dozenne in morali Jesu Christi*.

Crux ultro in spiritu pœnitentiæ subeunda, gestandaque est.

Per voluntatem nostram peccavimus; ex voluntate nostra igitur pœnitentiam agamus oportet, Charitas efficere debet, ut boni fructus inde oriantur, unde per cupiditatem fructus mali prodierunt. Hæc ea est regula, quam Sanctus Paulus primis præscribit fidelibus dicens, quemadmodum fecisti, ut corpus tuum iniquitati deserviret, fac, ut imposterum operibus justitiæ deserviat; sed quisnam ita generosus est, ut ipse ultro cruci se affigat? Ubinam voluntariæ cruces inveniuntur? Plurimas quidem video coactas, necessarias, & inevitabiles; ad summum aliquas video, quæ tolerantur, quæ acceptantur, quæ non iniquo animo feruntur; sed longe paucissimas, quæ conquiruntur, exoptantur. Voluntariæ cruces habentur tamquam pars eorum, qui Deo sese devoverunt: ex mundo ejiciuntur, ubi maximum earum esset opus, & in deserta amandantur, ubi ut plurimum regnat innocentia: quasi crux, & pœnitentia pro illis tantum essent, qui minus nocentes sunt... Anima vere christiana, quæ se pœnitentia indigere cognoscit, & quæ salvari vult, non magis sine cruce esse deberet, quam sine fide, & religione. Igitur in toto vitæ nostræ decursu illum S. Pauli morem imitemur, quem hactenus nimium neglexinus: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*. 2. Cor. 4. *Tiberge in recessu christiano*.

Sententia S. Ambrosii de pœnitentia.

Cum vero pœnitenti persuasum sit peccata sua vel in hoc, vel in alio mundo esse punienda, vel per manus Dei, vel per suas; cum agitur de flectenda ira Dei, quæ in ipsum irritata est, & evitando inferno, quem meritus est, punit in se quidquid noxium est, atque ad criminis sui reparationem impendit, quidquid ad illud ipsum perpetrandum contulit. Hoc erat monitum, quod olim tradebat S. Ambrosius virgini lapsæ: succide has comas, quæ vanitatis tuæ causa, lapsusque tui occasio fuerunt, scribebat illi; oculi, qui noxios circumundique tulerunt intuitus, fiant duo fontes lacrymarum; hæc facies, cujus speciem, & decorem ut haberes in pretio impudicus amor effecit, pallescat, & emacietur: verbo, pœnis, ac jejuniis totum hoc corpus affige, ob cujus pulchritudinem tibimet complacuisti; illud cineribus adsperge, ac indue cilicio, ita ut horrorem dumtaxat imposterum excitet. *Abbas de Monmorel sermone in Evangelium Dominica 3. post Pentecosten*.

Apage carnales Hæreticos, qui in quolibet pœnitentiæ genere nil ultra requirunt, quam peccati cessationem, ac vitæ novitatem; qui prætexentes pœnitentiam alterum esse baptismum contendunt, peccatum nobis, non secus ac in primo, remittendum esse gratis, sine ulla sanguinis, aut lacrymarum effusione. Hic profecto secundus est baptismus; sed in hoc a primo diversus, quod in illo peccata remittuntur per quamdam regenerationis speciem, & ut ita dicam, per alteram quamdam regenerationem: cum e contra in exomologesi remissio nobis conceditur per modum curationis, atque pharmaci, ideoque cum dolore, abstinentia, & victus ratione. *Auctor sermonum christianorum sermone de sensibus pœnitentiæ*.

Ultro pœnitentiam ne horreamus.

Liquet sane, homines pœnitentiam, non secus ac ægros pharmaca perhorrescere: quis enim curari nollet sine dieta, amaritudine, dolore? Cato difficilium est inimica, & quemadmodum ambigendum non est, quo minus medicus indulgens, qui novaculæ, & phlebotomiæ usum damnaret, præ cæteris vulgo acceptus esset: ita mihi persuadeo, paucos esse peccatores, qui minime cupiant, artem

artem inveniri medendis vulneribus animæ suæ, quin ulla opus sit operatione vel in vulnus ipsum, vel corpus. *Idem.*

Hodie pauci agunt pœnitentiam.

Heu! Non est amplius tempus, Auditores, hortandi fideles, ut aas amplectantur pœnitentias, & satisfactiones, quibus sua scelera superentur. Vix audemus nosmet intra eos continere terminos, quibus Apostolus, & Tridentina Synodus utuntur; pœnitentiam saltem congruam esse debere vestris flagitiis. Religionis sensus in vobis adeo infirmi sunt, tantaque mollities, ut non ferendam existimetis austeritatem id, quod Sanctus Paulus indulgentiam quamdam erga vestram infirmitatem existimat: *humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ*. Ad Rom. 6. Frustra vos Apostolus admonet, ut ad pœnitentiam agendam id usurpetis, quod fuit instrumentum peccati: *Sicut exhibuistis membra vestra &c. ita exhibete &c.* Frustra vobis videntur, Sancti hanc regulam amplexi fuisse, eamque fideliter observasse. Ne istic ea enumeranda aggrediamur, quæ mei non sunt argumenti, silentio prætereamus rigidas austeritates, quas tot seu veteris, seu novæ legis pœnitentes exercuerunt; consideremus tantum præceptum, quod nobis in Evangelio irrogatur. *P. Gironst sermone de S. Magdalena.*

Vera pœnitentia quomodo facienda.

Intelligite, quid Sanctus Joannes Baptista in Evangelio vos doceat, ne vobismetipsis parcatis, ut palam in eas partes concedatis, pro quibus vobis standum est, ut Domino reddatis, quidquid illi abstulistis, & secundum Sancti pauli sententiam, adnitamini glorificare Deum per ea, quæ fuere criminum vestrorum causa, & instrumentum: *Sicut exhibuistis membra vestra &c. ita exhibete &c.* Hoc vere est *competentem facere pœnitentiam*. Hoc est directe pravos destruere habitus actionibus contrariis, quemadmodum Synodus Tridentina præscribit: hoc est bona fide satisfacere Deo. *Idem.*

Necessitas ferendi fructus dignos pœnitentiæ.

Hæc fructus pœnitentiæ dignos ferendi necessitas duo dicit; innuit primum, peccatori ferendos esse fructus pœnitentiæ; alterum vero, ferendos esse dignos fructus pœnitentiæ. Maxime naturalis horum verborum explicatio est, peccatori peccata sua non solum per pœnitentiam esse expianda; verum etiam pœnitentiam sufficientem esse non posse, nisi fuerit peccatis accommodata. Itaque en quid proprie intelligendum sit pro fructibus dignis pœnitentiæ; congrua videlicet pœnitentia, diuturna, severa, cum peccata enormia sunt, & gravia. Semper tamen de pœnitentia, quatenus virtus est, loquimur, sina qua Deo pro peccatorum reliquiis satisfacere minime possumus. Patres omnes hanc pœnitentiæ necessitatem affirmantes non prætermiserunt opus esse, eam, ut sufficiens sit, peccato competentem esse debere. Ita S. Cyprianus loquitur; gemitus, ploratusque nostri deceant magnitudinem scelerum nostrorum; profundis vulneribus salutaria adhibeamus remedia, neque minor scelere sit pœnitentia. Nemo dicat, severa hæc dogmata primorum sæculorum puritati convenire; non esse amplius in hominibus zelum eumdem: indulgentia utendum esse: Ecclesiam plurimum pristinæ severitatis remisisse, eamque non cogere amplius filios suos, ut sese submittant omnibus austeritatibus, quæ a Sanctis Patribus, veteribusque Canonibus institutæ fuerunt; quæ si quis effutiat, huic respondendum est, Sanctos Patres cum docuerunt pœnitentiam peccato esse debere convenientem, eam protulisse veritatem, quæ mutari non potest, & quæ in omnia sæcula subsistet .... Verum est Ecclesiam in iis, quæ ad disciplinam pertinent, plurimum de austeritate sua remisisse: permittit exempli gratia, ut absolutionis gratia citius, & facilius, quam olim conferatur: sed quod ad ea, quæ ad essentialia pœnitentiæ dogmata spectant, Ecclesia nihil remisit, neque remittere potest. Judicate, utrum mens illi fuerit unquam dispensandi fideles, ne congruam peccatorum magnitudini pœnitentiam adimpleant, & videte, quomodonam hac de re in Concilio Tridentino loquatur, ubi Domini ministris præcipit, ut easdem illis imponant. *Lambert homilia in diem festum S. Matthei.*

Cur nam vel imitatur rigor satisfactionis pro peccatis exhibendæ.

Satisfactio in essentia sua considerata nil aliud est, quam compensatio pœnæ æternæ, quam Deus nobis remisit peccatum nostrum dimittens, per temporalem pœnam pro æterna, quam meriti fuimus. Si hæc definitio bene fuerit intellecta, liquebit, quousque procedere debeat hæc pœna temporalis, & inferetur, non tam levis esse debere, uti existimatur. Tandem enim si in compensatione nequaquam perfecta exigitur æqualitas inter id, quod pensat, & pensatur; aliqua tamen ratio, & proportio debet inveniri. Si non tenemur tantum dare, quantum nobis remittitur, dandum tamen est saltem tantum, quantum pro viribus possumus. Porro qui peccans infernum prometitus est, hoc est, pœnam quodammodo infinitam, hiccine servat justæ compensationis regulas, cum satis esse putat, aliquot blatterare preces sine ulla cordis contritione, & sine ulla devotione? Qui toties æternum meritus est ignem enormium criminum tanta multitudine, creditne se Deo, officioque suo satisfacere, & aliquam servare proportionem, eumdem pœnitiæ, atque confessionis ferme finem faciens; intra paucorum dierum, vel etiam horarum spatium coarctans pœnitentiam criminum, quæ plures annos permanserunt. *P. Nepven in moda sese præparandi morti.*

Dei sapientia elucet in satisfactione, quam a peccatoribus expetit.

Ecclesiæ Patres, & Tridentinum Concilium pœnitentiam laboriosum vocant baptismum; & hoc Concilium Sacerdotibus præcipit, ut peccatoribus irrogent competentes peccatis pœnitentias, ne, si nimis ignava indulgentia leves inflixerint pœnitentias gravibus culpis, seipsos temere eo obruant onere, quo alios exonerare contendunt. Pœnitentia congrua esse debet primum magnitudini, & gravitati peccatorum. Hoc explicite docet magnus ille Doctor, itemque pœnitens insignis S. Augustinus: *In satisfactione*, ait ille, *ingentium peccatorum non verba tantum, sed & opera quæruntur*. Pro gravium satisfactione culparum non verba solum, hoc est, non vocales tantummodo preces, sed lacrymæ, gemitus, ingentes eleemosynæ, & longa jejunia quæruntur: *Addenda sunt lacrymæ, gemitus, uberiores eleemosynæ, continuata longo tempore jejunia*. Pœnitentia secundo congrua esse debet peccatorum multitudini, & diuturnitati. Et sane nonne mirum est, homines qui in scelere consenuerunt, &, ut ita dicam, incanuerunt sub jugo iniquitatis, qui plures annos in mundana, & flagitiosa vita duxerunt, pœnitentiam suam ad aliquot dies, & fortasse etiam aliquot horas redigere velle? Opus esset, ut qui ferre semper peccarunt, semper plorarent, & illi, qui fas sibi esse voluerunt nequissimas voluptates, eas etiam, quæ legitimæ sunt, sibi interdicerent. Pœnitentia denique congrua esse debet qualitati peccatorum, primum in rebus essentialibus. Ita qui aliena habent bona, non solum animum appellere debent ad ea restituenda, verum etiam ad id quamprimum faciendum: qui alienæ existimationi Labem offuderunt per obtrectationem, delere tenentur id, quod fecerunt, eo modo, quo efficacius id fieri possit: qui cum scandalo vitam duxerunt, tenentur reparare scandalum publica pœnitentia, & insignibus veræ conversionis argumentis. *Idem.*

Poterat Deus peccati satisfactionem obtinere, vel illud summa cum austeritate puniens, vel illud dimittens, quin aliquam peccatori pœnam irrogaret; infinita usus misericordia; vel denique justitiam simul, & misericordiam commiscens, ita ut peccatori gratiam concedens peccatum puniret, alterum quidem per justitiam puniens, altero per clementiam servato. Tertia hac ratione uti voluit, quippe quæ sapientiæ suæ magis erat conformis, illi crimen dimisit, & pœnam, quæ esse debebat æterna, in temporalem convertit. Si

enim peccatum summa cum severitate punisset, illud non expiasset; si illud nulla peccantibus irrogata pœna dimisisset, illi divina abusi fuissent clementia, atque iteratis, jugesque lapsus in jocum traduxissent. Itaque ut vallum aliquod objiceretur torrenti iniquitatum, quæ totum terrarum orbem inundassent, peccatores coercere quidem voluit metu æternarum pœnarum, quas iisdem altera in vita præparat; neque in hac peccatum illis dimittere voluit sine ea satisfactione, quam justitia ipsius in pœnitentia nanciscitur. *In specimine sermonum pro Adventu.*

Deus in satisfactionibus nostris nihil ultra vires nostras requirit.

Cum aliquid mortalibus debemus, hi ad extremum usque quadrantem jus suum persequuntur, sed quantumvis parum tribuamus Deo, hoc illi satis est. Virium tuarum imbecillitas non patitur te ipsum magnas exercere austeritates, fac eleemosynam: hoc tua prohibet egestas, ora: neque prolixas fundere preces vales, per intervalla mentem attolle ad Deum. Pauper es, & æger, patienter hanc sustine paupertatem, & ægritudinem; adde passionea tua crucis sacrificio, & cum Jesu Christi passionibus commisce, Deus commodus creditor est, qui omnia recipit in satisfactionem, & nihil ultra vires nostras exquirit. *Ibidem.*

Admirabile quidem est divinæ opus providentiæ, cui ne animum quidem advertimus, & quod nihilominus magnum esse deberet grati animi nostri erga Deum argumentum, res easdem, quibus pervertimur, ubi velimus, eas esse, quibus sanctificamur, & mirabili gratiæ, atque charitatis effectu, quin extra nosmet egrediamur, nos invenire malorum nostrorum remedium in iisdem instrumentis, quibus ad eadem perpetranda mala usi sumus. Hæc erat Sancti Pauli mens, cum juxta hoc principium ratiocinatus Romanis explicat, quanam in re christianæ pœnitentiæ essentia consistit, ac illis dicit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Ad Rom. 6. In hoc enim conversio vestra sincera videbitur, si quod in vobis erat peccati instrumentum, fiat vestræ pœnitentiæ materia; si quod prophanastis, cum mundo deserviretis, Dei servituti devoveatis, eique victimam, & holocaustum justitia ipsius dignum offeratis. Hoc illud argumentum est, secundum quod veram a falsa pœnitentia secernere debetis. *P. Bourdaloue in sermonibus sub ejus nomine editis, sermone S. Magdalenæ.*

Quam severa esse debeat pœnitentia.

Quemadmodum mollities me amovit a Deo; ita severitas eidem rursus admovere me debet. Quamobrem pœnitentia vestra severa esse debet, ac diligens; quare? quia in hoc judicio Deus vobismet vos tradet ipsos; deleat, opus est, pœnitentia vestra in vobis vestrum amorem proprium, quod facere nequit, nisi per sanctæ, & innocuæ austeritatis zelum. Si alii a nobis essent damnandi, atque de eorum nequitia judicium ferendum, quousque severitas nostra procederet? Cum autem de nobis agitur, quorum idololatræ sumus, & quos non solum unice, verum etiam delicate diligimus; quid nobis consilii capiendum est, quod abhorreat a severitate? quam nisi amplectimur, nonne gravissimam committimus injustitiam? Nonne millies experti sumus ea, quæ nobis patrantibus levia videntur, in aliis monstra videri? Id quod in nobis atomi instar videtur, in proximo immane portentum visum fuisse? Quænam rei hujus est causa? amor proprius. Hunc autem quomodo oppugnare possumus, nisi per pœnitentiæ austeritatem? Ipsa etiam vitia nostra diligimus, affectiones nostras virtutum loco habemus, & quod in aliis est non ferendum, nobis mite est, & jucundum. Attamen hæc omnia per pœnitentiam delenda sunt; opus est, ut quamvis in causa nostra incorrupti judices simus, & ratio, qua esse possumus, est nosmet judicare, atque in nosmetipsos acriter animadvertere. *Idem.*

Pœnitentiam quamtumvis severam non debemus perhorrescere.

Pœnitentiæ severitas nihil habet, o Fideles, quod novis grave debeat videri, & qui illam extimescunt, eamque tanquam monstrum in via salutis comminiscuntur, hanc minime norunt. Etenim ad quid severitatis hujus essentia redigitur? ad ea, quæ ratio nostra non probare non potest, & quibus licet invita sese submittere debet; velut ad evellendam ex cordibus nostris peccati affectionem, ad reparandam injuriam, quam a nobis proximo illatam fuisse cognoscimus; ad amovendas occasiones, quas in peccatum nos impellere ipsi fatemur, ad pœnas, quas nobis irrogat Ecclesia, subeundas. In his autem aliquidne est, cui ratio nostra non subscribat? Et licet in illis aliquid molestum occurreret, numquid jure conqueri possemus? Res in eo vertitur, ut in me eam suffocem cupiditatem, quam omnium malorum meorum originem esse cognosco, quæ efficit, ut mei obliviscar, & quæ cum officio meo simul esse non potest. Numquid injurius mihi Deus est præcipiens ut illam convellam? At enim id nequeo, quin mihimet vim faciam; verum nonne ideo mihi amabilis esse debet pœnitentia, quandoquidem nonnisi per hanc vim salvare me possum? Si lethali vulnere confossus fuissem, & manus auxiliatrix amarissima sectione mihi mederetur, numquid de hujus severitate justa esset querela? Pro anima vero difficile illud mihi esse debet remedium, quo pro corpore non videretur? Attamen hæc est rei illius, quam a me poscit Deus, essentia, ut videlicet oderim, quod me perdit, meæ incolumitati consulturus. *Idem.*

Quid sit homo vere pœnitens.

Quid est homo vere pœnitens, atque contritus? Homo est, inquit Origenes, qui, ut Job, indesinenter suam carnem affligit, atque jugiter cum suo dolore interdiu, noctuque versatur; adeo hic illi familiaris est: Homo, qui, ut David, neque intra, neque extra se ullam invenit requiem, ubi sua peccata recogitat; *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Psal. 37. peccatorum, quorum amaritudo quibuslibet voluptatibus fel, & virus adspergit; peccatorum, quorum intolerabilis pondus eum obruit, eumque semper incurvatum tenet, ut nullam ei in vita voluptatem relinquat; peccatorum, pro quorum expiatione numquam aulæ delicias gustabat, noctes, quibus aliquid quietis carpere poterat, transigens coram Deo in amaritudine doloris sui propria eluens peccata ... Job affligebat carnem suam; vos autem quomodo vestram? Nonne e contra solliciti admodum estis, ut quidquid illam incommodare potest, arceatis? Ille dies, noctesque cum dolore suo versabatur; vos autem veram vestri doloris causam recogitatis? Si ullum habetis dolorem, numquid ob peccata vestra doletis? Si ob hæc doletis, numquid hic dolor dolorem ipsius imitatur, qui vobis semper sit præsens? Gemebat David sub peccatorum suorum pondere, quod sustinere non poterat; *Tamquam onus grave gravata sunt super me:* vestram autem vobis nequaquam onus videntur, vel onus satis commodum, cui cum voluptate humeros subjicitis. *Ex morali Dictionario, Sermone secundo de Contritione.*

Quid olim diceretur facere pœnitentiam.

Olim facere pœnitentiam erat dies, noctesque gemere, ut olim David; nonnisi ægre, & gravate vesci, ut Job; cilitio indui, atque cineribus adspergi, ut Ninivitas; sibi inter horrentes solitudines tumulum effodere, ut Thaides, Ægyptiasque Marias; totum corpus ferreis aculeis laniare, & sanguine terram exilii sui fœdare, uti veteres Anachoretas; nudis carnibus loricam sibi clavis configere, ut æstate quidem calore, hyeme vero frigore contabescerent, ut SS. Guillelmos; publice in templo sua peccata deflere, humi regiæ majestatis ornamenta prosternere, & coram ingenti populo cum fletibus, & lacrymis veniam exposcere, ut Theodosios. Post hæc exempla, temperamenti gracilitas, ætatis, ac sexus distinctio, honoris cura, conditionis, & dignitatis privilegium meræ estis excusationes. Satis est Semel mortaliter in vita pec-

peccasse, ut æternum lugendum sit, si æternum vitæ spatium permitteret Deus, Tertullianus inquit: *Semel peccasse satis est ad æternos fletus*. Denique ut hoc ipsum vobis dicam eo modo, qui vos terreat minus, numquam pœnitentiæ vestræ integritatem, & perfectionem, quam habere debet, tribuere potestis, nisi Deo convenientem peccatorum vestrorum satisfactionem præbeatis. *Idem*.

Omnes agere possunt pœnitentiam bono afflictionum suarum usu &c.

Quomodo vero agi pœnitentia potest eo modo, quo flagitat Deus, ut justitiæ ipsius austeritati fiat satis? Deus, qui neminem dispensare voluit, singulis id præstandi adminicula præbuit. Quin conqueramini de ea servitute, cui vos vestra mancipant officia, immo illam existimate veluti aptissimum adminiculum, quo debita vestra erga justitiam Dei dissolvere valeatis. Dignatur ille vobis merito adscribere ea ipsa, a quibus legitime vosmet dispensare non possetis. Dignatur ille satisfactionibus, quas illi debetis, adscribere hos dies, atque horas, quibus pro illo aliquid quietis, ac voluptatis muneribus status vestri impenderitis ... Quænam consolationis causa, quodnam majus divinæ erga nos bonitatis argumentum, scire, nos illi satisfacere posse non solum per eas pœnitentias, quæ ab ejusdem ministris irrogantur, verum etiam per cruces, & afflictiones, quas ipse nobis immittit, inquiunt Patres Tridentini Concilii? Quotusquisque est, cui nihil accidat adversi? Modo simulati amici perfidia; modo irreconciliabilis inimici vexatio. Hos lis aliqua perdit, illos bonorum jactura ad egestatem redigit. Hos diuturna, & molesta ægritudo torquet; illos accepta urit contumelia ... Verbo singuli suas habent pœnas, & cruces, sed singuli etiam in crucibus suis invenire possunt, quid pro peccatorum suorum reliquiis Deo solvant; Deo inquam, qui ita bonus est, qui sibi satisfieri dignatur per ea, a quibus, humanitus loquendo, vosmetipsos dispensare minime possetis, ne ea pateremini; dummodo in pœnitentiæ spiritu, & non sine submissione nutibus ejus eadem patiamini. Vis, Domine, me pauperem esse, id ego quoque volo; si mihi opes essent, eleemosynis meritoria mihi opera compararem; sed quoniam hoc mihi integrum esse noluisti, fiat voluntas tua. Si mihi reditus essent, & prædia, majori fruerer tranquillitate: sed quoniam ad victum comparandum opus est, ut frontis meæ sudoribus exercear, libenter huic me labori subjicio, quæ in criminum meorum satisfactionem offero tibi. Si melius valerem, me ipsum abstinentia, jejunioque mortificarem, sed cum ætate confectus, viribusque effœtus sim, excipe, Domine, pœnas, quas meæ mihi pariunt infirmitates. *Idem Sermone secundo de Indulgentiis*.

Credendum non est, post absolutionem peccatum prorsus dimissum esse quoad debitam pœnam.

Quis nostrum scire potest, quandonam pro peccato suo satisfecerit Deo? Profecto ad justificationis gratiam percipiendam satis est in pœnitentiæ Sacramento sua aperuisse peccata cum vero dolore, quod patrata fuerint, ac sincera non ulterius eadem patrandi voluntate; sed remanet semper obligatio satisfaciendi divinæ justitiæ, quod cum minime fit, argumento est, sincerum dolorem æque, ac efficacem satisfaciendi cupiditatem deesse. Quomodo vero sine peculiari revelatione integram habere non possumus certitudinem, omnium peccata nostra dimissa fuerint quoad culpam, ita neque habere possumus, utrum pro illis omnino satisfecerimus. Nescit Ecclesia, quousque hæc procedere debeat satisfactio. Cum ministri aliquam peculiariter pœnitentiam irrogant, non ideo tamen contendunt, eos, postquam illam expleverint, ab omni satisfaciendi necessitate esse immunes; aliquam sane pœnam præscribunt, sed divinæ justitiæ jura, & pœnitentiæ officia ad hanc satisfactionem, quam designant, nequaquam coarctant. Peccatori semper remanet districta necessitas reparandi injuriam divinæ illatam majestati, debetque ille huic reparationi operam dare usque ad mortem, quam recipere debet tanquam sacrificii sui consummationem, postremumque actum ejusdem sacrificii. Vita Christiani Deo veræ satisfacere cupientis esse debet, S. Augustinus ait, jugis pœnitentia, ut mortificationis rigor inordinatam cupiditatem coerceat: *Violentia pœnitendi debet coercere consuetudinem peccandi*. *Sermo manuscriptus*.

Quam divinæ justitiæ satisfactionem præstare debemus per pœnitentiam.

Si Deus sibimet reservavit ultionem injuriarum, quas nobis homines intulere, hac in vita reservat pœnitentiæ ultionem injuriarum, quibus ipse afficitur: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet in Deum admisisse*, S. Augustinus ait. Tandem enim peccatum, qualecumque sit magnum, an parvum, impune esse non potest; illud homo in seipso punire debet voluntariis suppliciis, vel illud punire debet Deus in homine justitia sua. Non alia superest ratio leniendi iram ipsius, atque ultiones ejus avertendi, quam congrua satisfactio; ita pœnitentia servare debet proportionem inter eas pœnas, quas peccatoribus infligit, & eas injurias, quibus isti Deum per peccata affecerant. Ne vosmet decipiatis, ajebat hac mente S. Cyprianus. Ira Dei, quem irritastis, non ita facile, uti censetis, lenitur; non adeo facile illius flectitur misericordia; non tam cito sibi illatæ obliviscitur contumeliæ: *Putasne tu, Dominum cito placari, putasne, eum facile misereri, quem tuum non esse dixisti?* Haud ita, inquit ille. Plena, & integra satisfactio offerenda est Deo, ut plena venia obtineatur. *De la Rue, Discursu in quartam adventus Dominicam*.

Verum est, Ecclesiam sapienter indulgentem vel imbecillitati, vel modico filiorum suorum zelo nequaquam observare antiquam severitatem, qua absolutionem, nonnisi postquam diutina expleta fuerat pœnitentia, concedebat; sed quamvis aliquid per prudentiam de veteri disciplinæ severitate remiserit, ipsa tamen non dispensat peccatores a necessitate faciendi dignos fructus pœnitentiæ. Neque enim credit Deum omnino leniri posse, quin confugiendum sit ad laboriosa pœnitentiæ exercitia. Etenim quoniam idem Deus nunc læditur, eadem nunc scelera perpetrantur, & perpetrantur ab illis, qui ad earumdem legum observantiam tenentur, omne palam constat Deo eidem alia ratione omnino satisfieri non posse? Non minus hodie, quam olim verum est, ad iram Dei prorsus flectendam offerendam esse illi satisfactionem scelerum magnitudine parem. *Idem*.

De pœnitentia baptismo.

Inter eam remissionem peccatorum, quam per aquæ baptismum consequimur, & eam, quam per pœnitentiam obtinemus, hoc discriminis intercedit, quod in priori illo facile, modicisque sumptibus acquiritur, in altero vero plurimis opus est lacrymis, gemitibus, atque suspiriis, & nonnisi pluribus laboriosis exercitationibus comparatur. Hoc item alterum adest discrimen, quod in priori peccata nostra omnino delentur, & simul omnia quoad pœnam, & culpam, cum in pœnitentia Deus manum suam coarctet, & nobis Jesu Christi applicans merita culpæ, ac pœnæ veniam partiatur. Concedit ille quidem nobis omnium criminum nostrorum veniam, cum eum afferimus dolorem, aliasque dispositiones, quæ sunt necessariæ: nobis remittit æternitatem pœnarum inferni, quas criminibus nostris meriti sumus; sed hæc æternitas in temporales pœnas mutatur, quarum ipse sibi reservat jus, nisi eas pœnitentia criminibus nostris congrua redimere conati fuerimus. *Idem*.

De necessitate agendi pœnitentiam generatim.

Seu Deus per seipsum loquatur, seu ministrorum suorum organo utatur, nihil video, cujus frequentius occurrat mentio, & de quo apertius verba faciat, quam de pœnitentia. Sacra Biblia, quæ Dei oracula, Vetus, Novumque continent Testamentum, aperire nequeo, quin in singulis fere paginis aliquam inveniam magni momenti veritatem, quæ ad pœnitentiam pertineat. Primum, quod inno-

innocenti adhuc homini Deus protulit verbum, ast gravem illi pœnitentiam imponere, si per summum nefas divinum violaverit imperium. Deinde vero ubi secundo cum eodem collocutus est, duram hanc illi pœnitentiam imposuit, quia Domini non extimuit minas, & quia factus est prævaricator mandati, quod tanta cum facilitate exequi poterat. Prophetæ non loquuntur nisi ut rebellem populum ad Deum per pœnitentiam redire compellant. Sanctus Joannes divinus ille præcursor destinatus, ut præpararet vias ejus, qui venturus erat, ut mundi peccata tolleret, missionem suam inde exorsus est: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, & ille cujus ipse præcursor fuit, suam eodem incipit pacto. Nisi pœnitentiam egerimus, certissime peribimus. Denique Apostoli, & qui eorum locum obtinere debent, non aliud sunt; quam imago divinæ hujus vocis ad pœnitentiam prædicandam. *P. Masson Oratorii Presbyter sermone duodecimo Adventus.*

Pœnitentia aliquam habere debet rationem, & proportionem cum gravitate peccati.

Primum, quod spectet pœnitentia, est Deum contra scelera nostra irritatum lenire. Peccatum tale pondus est, ut si hoc in altera libræ lance statueretur, in altera vero quidquid boni humana, & angelica natura simul efficere possunt, illud præponderaret; peccatum enim infinitam continet improbitatem propter infinitum objectum, quod lædit; atque Thologi afferunt, quamvis inferni pœnæ extremæ sint, & quamvis omnes omnium damnatorum pœnæ simul essent conjunctæ, has tamen nequaquam exæquaturas esse supplicium, quod peccatum meretur; quamobrem tenent, Deum aliquid semper misericordiæ admiscere cum justitia sua, atque longe mitius punire, quam meremur: *Citra condignum*. Porro cum hæc sit peccati natura, cumque Deum eousque irritet, ut cogat illud in omnem æternitatem punire: cumque pœnitentiæ finis sit lenire illum, & efficere, ut peccator æternas pœnas evitet, quænam esse debet ejus severitas, quandoquidem non vult aliquid sui juris amittere? Ita Sanctus Bernardus pœnitentiam vocat, *compendium gehennæ æternæ*, seu quod pœnitentia efficere debet, ut peccator diu patiatur; seu quod hic extrema quæque pati debet; seu quod cum corpus, & anima simul aliquid peccato ejus contulerint, opus est, utrumque simul aliquid satisfactioni conferre. *Idem.*

De pœnitentiis nimium levibus, quas Confessarii peccatoribus irrogant.

Videtur Deus, Tertullianus inquit, mercatorem imitari, cum omne illi dissolvitur debitum: explorat enim, ac periculum facit pecuniæ, quæ sibi persolvitur; videt, utrum sequioris notæ, ac adulterinum sit argentum, utrum derosum, ac pondere imminutum. *Examinat neve scalptus, neve rasus, neve adulter*. Hoc ipsum Deus operatur: peccata nostra sunt debita, quæ cum illo contrahimus: pœnitentia pecunia est, qua illi satisfacimus. Considerat ergo, & scrutatur, utrum hæc pœnitentia genuina sit, utrum debito congra, utrum bona, & vera; utrum aliqua ex parte deficiat; raro enim Deo, uti opus est, satisfacimus, & perfecta pœnitentia ita rara est, ut S. Ambrosius terribilem hanc non dubitet propositionem proferre: facilius esse invenire, qui baptismi sui innocentiam servent, quam qui veram, perfectamque faciant pœnitentiam. *Idem.*

Magnus pœnitentiarum nostrarum defectus inde sæpe oritur, quod nimis leves sunt, & quod ne minimam quidem habent cum criminum nostrorum gravitate proportionem. Hæc agendi ratio habita nostri ratione a S. Cypriano vocatur: *Sub titulo misericordiæ malum fallens, & blanda pernicies*; agendi ratio, quæ quamdam nostræ infirmitatis miserationem, ac lenitatem prætexens nos fallit, ac omnia perdit indulgentia; ratio, quæ vi, & sanctitati Evangelii, legum puritati, & Ecclesiasticæ Disciplinæ regulis adversatur. Quid ex id genus pœnitentiis accidit? Accidit, quod sexcentas nobis falsas nostræ religionis ideas concinnamus, quod nostris abutimur sacramentis; Quid ultra? Accidit quod nullo in discrimine habemus Deum lædere, quoniam tam modico nobis stat impendio illi satisfacere; quod flocci facimus peccata omnia; quantacumque illa sint, quoniam adeo facile, atque tam modicis sumptibus absolvimur. *Idem.*

Non est amplius publicarum pœnitentiarum tempus, quantumvis enormia sint scelera, quæ patrantur: nemo sese amplius ante vestibulum templorum prosternit; non videntur amplius peccatores in cinere, ac cilicio coram populo sese peccatores confitentes. Ecclesia non præscribit amplius annos, quibus nobis plorandum, & jejunandum est. Sancti, & laudabiles hi mores obsoleverunt justis de causis; nobis inauditi sunt, & vix aliquod eorum nobis superest vistigium. Ubinam ergo reperies in tota vitæ tuæ ratione pœnitentiam numero, & magnitudini scelerum tuorum parem, nisi hanc tibimetipsi imposueris, & si per te ministrorum Dei viventis defectui suppleveris? Peccatores, qui me auditis, auderetis ne vosmet ipsos fallere rati, vobismet aliquam hujus generis irrogasse pœnam, atque clanculum vos fecisse, quod oriens Ecclesia jussu suo facere vidit filios suos plurimorum annorum intervallo. Etenim quot per summam infelicitatem, non dico sese lethali nota fœdarunt, sed in turpissimis vitiis marcuerunt, atque ideo fortasse insiolita patrarunt sacrilegia; aures tantum adhibuerunt consiliis, quæ turpis cupiditas in corrupto corde excitare potest, & in scelere, ac improbitate consenuerunt? Idcirco divinæ justitiæ debitores sunt, atque, si secundum religionis nostræ principia agere voluissent, debuissent pœnitentiam aggredi saltem parem illi, quæ in primitiva Ecclesia fieri consueverat. Religio eadem est, nec sensus, nec vocem mutat. Hisce etiam diebus inevitabilem esse fatetur hanc necessitatem peccata pœnitentiæ lacrymis eluendi, quod olim primos fideles docebat: & quamvis confessarii satis esse putent pœnitentiam levem, & pro sacramenti validitate sufficientem, non ideo tamen vos a pœnitentia dispensare, quæ congrua esse debet scelerum vestrorum enormitati, atque locum tenere pœnarum, quas meriti estis. *Pater Chamillard Sermone de Sancta Maria Magdalena.*

Non deest quædam præcautionis pœnitentia, quæ anteactum est contra peccatum.

Nullum peccatum est, præsertim vero cum plurium annorum spatio reiteratum est, quod in animabus nostris non relinquat fatalem erga malum dispositionem, & studium quoddam, quo rapimur ad illud rursus post ipsam etiam conversionem committendum, vel si mavis, post crimen quædam reliqua est infirmitas, qua resistere valeamus occasioni peccandi, & cupiditati, quæ dominatur in nobis. Ita quamvis peccata nostra remissa sint, ac Deus ratam fecerit absolutionem, quam nobis contulit minister, cui ipse potestatem tribuit ligandi, atque solvendi conscientias nostras; quantumvis illa lacrymarum nostrarum imbribus eluerimus; quantumvis per pœnitentiam ad unguem divinæ justitiæ satisfecerimus, infirmitas ex peccato profecta semper in nobis remanet, uti etiam studium illud, quo in malum ferimur, & fatales dispositiones erga quædam peccata. Hæc nobis sese obtrudunt, efficiuntque, ut indesinenter simus obnoxii periculo relabendi in abyssum, unde evasisse videbamur, numquam illuc reversuri beneficio secundæ hujus tabulæ, quam Deus toties nobis præbere dignatur, quoties eadem uti placuerit. Etenim, ut S. Chrysostomus inquit, animabus nostris præter propter idem accidit, quod corporibus: num violentæ febris æstus nos absumit; num diuturna ægritudo vires nostras exhaurit? Satis non est illius ardorem temperare, & prohibere, ne hæc nos efferat; sed ubi convaluimus, valetudinis nostræ diligentissima cura habenda est, minima etiam, quæ officere possint, evitanda, per intervalla ad remedia confugiendum est,

ne in-

ne infirmatum corporis temperamentum iterum in priores morbos relabatur. Quamobrem æque animabus nostris præcavendum est; & confugiendum ad quoddam pœnitentiæ genus, quod præservativam nuncupo medicinalem, & prævenientem; pœnitentiæ genus, quod animæ ipsæ, quæ ab omni criminis specie immunes fuerunt, immo etiam sanctitatis laude floruerunt, exercuerunt in terris, quamvis conscientia sua nullum ipsis mortale peccatum exprobraret. *Idem*.

In quo spiritus pœnitentiæ consistat.

Spiritus pœnitentiæ, qui exteriores virtutis hujus actiones animare debet, in interiori consistere debet persuasione, quod peccatores sumus, & quatenus peccatores meremur, immo etiam perquirere debemus peccatorum nostrorum punitionem; atque hac mente omnes acceptare privationes, incommoda, fastidia, morbos, qui accidunt nobis, & ea pœnitentiæ opera, quibus pares sumus, exercere. Neque putes te re ipsa spiritum hunc adeptum fuisse, statim ac his cogitationibus occuparis: verum optimum nihilominus est iisdem occupari, quandoquidem cogitatio orationi addita communis est via, per quam Deus suas in corde dispositiones effingit; quamobrem nobismet quædam præscribere debemus exercitia, quæ nobis hunc pœnitentiæ spiritum instaurant, illam sæpe oculis nostris subjicientes. *Idem*.

Plerique mortalium ignorant, quid sit pœnitentia.

Mundus repletus est mortalibus, qui sensibus suis indulgent, quorum vita prorsus animalis est, & terrestris, qui sensibilibus tantum voluptatibus afficiuntur, qui sibi nihil denegant eorum, quæ natura flagitat, qui tantum abest, quod naturalem nunc reprimant appetitum, cujus omnia studia vitiosa sunt, ut illum tantummodo explere, eique satisfacere satagant. Vita eorum mollis est, & remissa, viæ latæ, ac patentes, ac tota eorum cura, studiumque est ea omnia amovere, quæ molesta, & injucunda sunt; ea vero consectari, quæ illis placent. Non satis est hujusmodi insipientibus vivere in impœnitentia, eamque palam profiteri, nequeunt pati vitam, quæ magis regularis sit ea, quam ducunt; singularitatis, imaginationis, insaniæ, excessus nomine insimulant, quidquid oppositum est moribus suis, quia hoc discrimen tanquam suam damnationem respiciunt. Ploremus hos miseros, tanquam illos, qui in æternum abrenuntiarunt beatæ illi vitæ, quam illis tantum concedis, Domine, qui sibi vim faciunt, hoc est, qui pœnitentiam, vel vel mortificationem exercent. *Abbas Trappensis in moralibus, considerationibus in Evangelium Sancti Matthæi*.

Regnum cœlorum pretium est, & merces pœnitentiæ.

Dei filius nos admonet, quod pœnitentiam agamus, quoniam prope est regnum Deum. Qui voluptates tantummodo consectantur, & oblectationes inquirunt, huic monito acquiescere nequeunt. Nequeunt, vel potius nolunt eum concipere nexum, qui pœnitentiam inter, & regnum cœlorum invenitur: sed frustra sibimet eam abscondunt veritatem, quæ ipsis importuna est, omnibusque eorum actionibus adversatur. Semper verum erit dicere, regnum hoc pœnitentiæ, coronam hanc certaminibus, & mercedem hanc laboribus deberi; & donec calamitosi homines non efficient, ut antiquetur illa adeo vera, & constans Filii Dei sententia Matth. 11. videlicet: *a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, semper verum erit affirmare, illis tantum, quibus satis erit constantiæ, & fortitudinis, ut per asperas, duras, difficilesque incedant vias, te, Deus, concessurum felicitatem præsentia tua perfruendi; eos vero, qui latas dumtaxat, lenesque vias consectantur, ab eadem in æternum esse prohibendos. *Idem*.

Pœnitentia esse debet austera.

Quovis tempore Sancti Patres pœnitentiam *Baptismum laboriosum* dixere. Quænam autem esse debet hæc austera severitas, quæ necessario conversionem, & pœnitentiam nostram consequi debet? Cum Tertulliano ajo, eam a nostris dumtaxat peccatis jure posse constitui. Mementote ergo Fideles, quod accedentibus vobis ad aras petitum veniam criminum vestrorum, Dei locus tenendus est: *Pœnitentia indignatione Dei fungitur*. Divinæ justitiæ vices gerere, ac vosmetipsos damnare debetis, iræ illius munus obire, ac in vosmetipsos animadvertere; ideoque contra vosmetipsos supremi hujus Domini causam debetis suscipere, eumque ulcisci, & flectere, quocunque id vobis staturum sit sumptu. Prout magis, minusque nocentes estis, afficere debetis, ut plus, minusve sentiatis effectus indignationis, qua in vos ille succensus est. Pœnitentia nequit esse vera, Christiana, & rationi conformis, nisi hunc gerat characterem. Quid ergo fit, cum molli erga nosmet indulgentia, vel alia quapiam de causa detrectamus nosmet huic severæ legi subjicere, quæ tamen justa est, necessaria, & inevitabilis? Deus jura sua iterum acquirit, & vel in hac, vel in altera vita secundum omnem justitiæ, & severitatis suæ magnitudinem punit. Hoc illud est principium, cui innixi ratiocinati sunt Patres, hoc illud discrimen est, quod pœnitentiam inter, & Baptismum intercesse dixerunt. Addamus etiam, eos hujus ratiocinationis effectu integros jejunii, gemituumque annos fidelibus irrogasse. *P. Chamillart*.

Propositum docendi vitam pœnitentem reliquo vitæ nostræ cursu.

Obliviscamur paucarum lacrymarum, quas effudimus hactenus, & levium pœnarum, quas fortasse passi sumus, ut Deum ad misericordiam erga nos flecteremus. Credamus nos nihil adhuc fecisse, quod iram ejus lenire valeat, & hodie solum nosmet pœnitentiæ consecrare. Huic nosmet ita tradamus, ut nunquam abnuamus in omnibus viis incedere, per quas nos deducere illi placebit; nosmet omnibus illius austeritatibus subjiciamus, atque constanti, intemerataque fidelitate exequamur, quidquid nobis inspirare, atque præscribere illi placuerit. Credite mihi, nobis a nostra mollitie, cujus toties non sine gravissimo detrimento periculum fecimus, metuendum est magis, quam a nostro afferto fervore, qui nondum ad extremum aliquod audendum nos impulit. Scio equidem nihil esse, de quo directores accuratius illos admoneant, qui recens conversi sunt, quam ut caveant, ne zelus eorum fiat indiscretus: sed cum ab eo superiore dirigemur, qui æque prudens sit, ac pro nostra salute zelo succensus, & nihil eo inconsulto aggrediemur, ne adeo vani, ac audaces simus, ut eo duce in periculom aliquod nos lapsuros esse vereamur. *Auctor Anonymus*.

Peccator in spiritu pœnitentiæ recipere debet afflictiones sibi a Deo immissas.

Conversus peccator non debet amplius respicere morbos, atque tribulationes, quæ sibi immittuntur a Deo, oculo eodem, quo mundi sectatores respiciunt suas. Has intueri debet tanquam effectus divinæ misericordiæ, quæ illum constantia deficere in pœnitentiæ exercitiis videns, languori ejusdem fert opem, eumque leniter sua percutit manu, ne gravibus brachii sui ictibus illum feriat. Nonne igitur insignis esset cæcitas, vel terribilis temeritas illius creatarum rerum opem efflagitare, ut amicos beneficæ hujus manus ictus averteret? Nonne illam potius amanter deosculari debet, & cum Propheta rege dicere: *In flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper*? Psalm. 37. Ita, Domine, summum esset nefas, quod fortasse justitiæ tuæ indignationem mihi conflaret, si creatarum rerum subsidium exposcerem, ut me ipsum tuerer adversus iram tuam, quam amor tuus potius, quam tua tibi funderet justitia ... Quemadmodum peccatori non alia inquirenda est malorum, quæ patitur, causa præter peccata sua; ita immobilis permaneat, opus est, sub manu justitiæ, invictaque patientia eos omnes sustineat ictus, quibus eidem hunc percutere placuerit, donec illa sibi satisfactum fuisse testata, recedat misericordiæ locum factura. *Idem*.

Pœnitentia nostra cum vita ipsa producenda est.

Meminerimus semper peccatorum, quæ patravimus; indesinenter conjiciamus oculos in infinita bona, quæ amisimus, singulis momentis æterna cogitemus supplicia, quæ meriti sumus; & nunquam

quam ita erimus ignavi, ut pœnitentis vitæ rigorem, & austeritatem relinquamus. Nescimus, utrum supremus judex placatus sit; nos vero adeo stulti, ac vesani erimus, ut lacrymas abstergere velimus, & salutem nostram in discrimen adducere aliquot quietis momentis perfruituri? Nescio, utrum pœnitentia, quæ cessare potest, vera sit pœnitentia. Caveamus ergo quam diligentissime, ne revellamus unquam spicula, quibus placuit Deo cor nostrum vulnerare, propter extremum dolorem, quem nostra nobis mollities parit, quæ efficit, ut illum vix ferre valeamus . . . . Ut hanc nos doceret veritatem, Jesus Christus, qui æque pœnitentium, ac justorum exemplum est, noluit de cruce descendere, quo peccata nostra expiaturus ascenderat, minime ratus sacrificium suum absolutum fuisse, nisi totus e corpore sanguis effluxisset. Nullibi legimus, Sanctos Petrum, Matthæum, & Magdalenam, qui primi fuere, magisque illustres pœnitentes, cum quibus Deus usus fuerit misericordia, unquam deseruisse semel susceptam pœnitentiam, quamvis non deessent illis legitimæ causæ, propter quas secum possent dispensare. Evolvamus, quantum libuerit, sanctorum historiam, ne unum quidem inveniemus eorum vero præsertim, quibus gravia expianda fuere peccata, qui lacrymarum suarum cursum inhibuerit, atque cessaverit, quominus austeritatibus, & mortificationibus se ipsum torqueret. Nonne igitur insolens esset præsumptio arbitrari, cum ita nocentes simus, ut sumus, posse nos aliquot mensibus, vel annis pœnitentiæ satisfacere pro peccatis ita gravibus, & fortasse etiam gravioribus, quam quæ beati illi pœnitentes expiarunt laboribus, atque cruciatibus, qui nequaquam citius, quam vita ipsorum finem habuere? Quo jure ea nobismet polliceri possumus privilegia, quæ Deus neque electis, neque primogenito suo concessit, quantumvis imaginem tantum gereret peccatoris? Divina illius misericordia nos ab ita audaci credulitate præservet, atque nobis persuasum sit, quod licet semel divinam læserimus majestatem, & quamvis vita nostra in plura esset sæcula producenda, justam semper nobis futuram causam ad misericordiam illius confugiendi, & districtissimam agendi pœnitentiam. *Idem*.

Idea, quam de pœnitentia concipere oportet.

Si veram pœnitentiæ habere cupis ideam, cave, ne illam tibi fingas secundum plurimorum mortalium mores, qui præ cæteris illam exercere deberent: ad trutinam potius revoca locutiones eas, quibus Sancti Patres utuntur, ubi verba faciunt de virtute hac, quæ adeo illis est necessaria, qui divinam majestatem læserunt. Hanc passim appellant *Baptismum laboriosum*, *solam*, *quæ post naufragium fidelibus superfit*, *tabulam*, *temporalem infernum*, *gehennam salutarem*, *& juge lacrymarum sacrificium*. Igitur ex omnibus hisce diversis definitionibus patet, si a pœnitentia labores, lacrymæque sejungantur, omnem illius essentiam deleri. Nisi magis esset incommoda, magisque molesta, quam quæ hodie fieri consuevit, necessario inferendum esset, summos illos viros falsam virtutis hujus ideam concepisse: & ita ipsi in errorem lapsi fuissent, vel, quod cogitare animus horret, mens illis fuisset nos in errorem inducendi eam adeo tetris coloribus exhibendo. *Idem*.

Quam severa esse debeat pœnitentia.

Nunquid apertius hoc dici potest, quam per ea verba, quibus utitur Scriptura, ubi perfectam pœnitentiæ imaginem nobis exhibere contendit? *Scindite corda vestra*, quidam ait Propheta, *& non vestimenta vestra. & convertimini ad Dominum Deum vestrum, in jejunio, in fletu, & in planctu. Filia populi mei*, per alium Prophetam dicit Deus, *accingere cilicio, & conspergere cinere; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*. Aliquidne magis explicitum fingi potest, quam quod protulit Ecclesia per os tot præsulum in Tridentina Synodo congregatorum; gratiam videlicet nonnisi multis lacrymis, magnisque laboribus posse recuperari? Aliquidne magis validum potest inveniri, quam quod Patres inquiunt, ubi pœnitentiæ naturam describunt? Ex his rebus omnibus sequitur, quod labores, lacrymasque adimere idem est, ac penitus pœnitentiam evertere; & fateor, me minime posse memoria repetere, quidquid ab illis dicitur, quin dolore conficiar videns terribilem eam relaxationem, in qua nos vivere mihi videmur, ubi nostram vivendi rationem cum illa comparo, quam pœnitentes ducere debent. *Idem*.

Quid cogitandum de illa confessione, quam austeritas nulla subsequitur.

Nihil prodest, Sanctus Gregorius lib. 6. moral. cap. 15. ait, peccata sua confiteri, nisi confessionem pœnitentiæ labor excipiat; neque peccatorem vere conversum existimare possumus, quam cum verbo peccata sua confitens ea delere contendit austeritate, & afflictione pœnitentiæ, quæ sit patratis criminibus congrua: *Cum digna afflictionis austeritate*: & quemadmodum Filius Dei olim maledixit arbori pulcherrimas frondes habenti, sed nullum ferenti fructum, ita hunc apparatum confessionis sine fructibus pœnitentiæ non recepit. Quæ cum ita sint, de plerorumque fidelium pœnitentia quid est cogitandum? vel potius quid sentiendum de illis, qui fallacem conscientiæ securitatem se habere confidunt, cum nequissimæ vitæ historiam ad pœnitentiæ tribunal recitarunt? *Idem*.

Qui in mundo vivunt pœnitentem vitam ducere possunt.

Difficile est hominum conditionem invenire, ubi aliquid magis ferendum sit, quam in illa, in qua mundi hujus homines versantur. Hic status est pœnæ, & in ipsis situm est efficere, ut status sit pœnitentiæ. Quin alibi inquirant, quid patiantur, domi suæ satis inveniunt, unde mereantur, ac pœnitentem ducant vitam, qualis esse debet tota vita Christiani, quemadmodum loquitur Tridentinum Concilium. Quam mirifice hæc divinæ voluntati conformitas, & hæc patientia vobis prodessent ad dissolvenda debita, quæ peccatis vestris conflastis, & quam aptæ forent, ut divinæ justitiæ satisfaceretis! Molesta profecto pœna est, familiam accurate regere; non modici laboris est, servum in officio, & divinarum legum observantia tenere: arduum est patienter ferre, & moderatione, ac sapientia flectere mobile ingenium viri, vel uxoris inconstantiam. Undenam pro nihilo habentur omnes istæ ferme assiduæ mortificationes? Nunquid hujusmodi mortificationes minus apti erunt pœnitentiæ agendæ modi? nunquid Deo minus erunt acceptæ? Num dicere audebis, has simul esse non posse cum valetudinis tuæ gracilitate, cum ætate, ac statu tuo? Jam pridem in acerba hac exercitatione versaris. Hoc mirum est: vivis, ut ita dicam, in ipsius pœnitentiæ exercitio, & quod eadem bene uti nescis, ad plures abis, quin egeris pœnitentiam. Quanto majori staret impendio illi, qui lite excidit sua, huic, cui mors præcipuum abstulit præsidium, illi, cujus agros late grando depopulata est, huic, qui insignes passus est jacturas; quanto majori inquam staret impendio, si divinis obtemperans mandatis saltem ex hoc casu aliquam perciperet utilitatem per peccatorum suorum expiationem? Fortasse hoc opus erat infortunio, hac procella, ut ille in portum sese reciperet; cur ergo succenset contra beneficam manum, quæ illum istuc impulit? Hujusmodi adversa, ubi illis præclare homines usi sunt; plerosque Sanctos fecerunt, hæc vulgo viris accidunt bonis, & efficere possunt pœnitentes. Omnes tamen hos casus, & has occasiones satisfaciendi pro peccatis suis respiciunt, veluti quosdam effectus improbitatis hominum, vel ad summum eas fortunæ referunt acceptas, quin in eum, quem oporteret, usum illas convertant, in pœnitentiæ spiritu eas acceptantes. *P. Croiset in spiritualibus considerationibus*.

Quanto staret impendio artifici plurimum labore suo mereri, ac simul jucundam Deo efficere pœnitentiam, si attente Domino opus, laboremque suum offerret? Quænam vita hac magis laboribus est exercita? In ipso situm est efficere, ut eadem sit pœnitens, ac Deus labores ipsius meritis adnumeret.

meret ; Heu ! quietem ipsam dimidiare, ut labor producatur, sæpe labores ipsos fructu vacuos intueri, curas suas sexcentis angoribus exasperatas, diesque suos amaritudine repletos ! Hæc est plurimorum miserorum conditio ; verum quis prohibet, ne in tristi hac conditione benedictionis, & meritorum fontem inveniant ? In statu suo habent thesaurum, quem minime norunt, quia eodem uti nolunt. Deus sudoribus eorum pretium tribuit, statim ac eosdem pro criminum satisfactione afferunt. Nihil magis paterentur, si majori patientia laborem suum sustinerent. Patientia in sexcentis molestiis eveoribus salutaris est pœnitentia illi, qui omnia a manu Dei recipere novit. *Idem*.

Nullus est status vel conditio, quæ se a pœnitentia valeat dispensare.

Equidem scio Evangelium præcipere, ut fructus faciam dignos pœnitentiæ, ac simul plorantibus benedicere. Scio pœnitentiam debere vicem gerere Divinæ justitiæ, & cum severam hanc justitiam peccator nequaquam præverit, ipsam in hunc terribilem proferre damnationem, præcipiendo: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum* ... Scio tandem me ab hac via recedere non posse, quin errem, neque aliam sequi regulam, quin damnem vitam Sanctorum, & insimulem Spiritum Sanctum, qui eamdem afflavit illis, quasi spiritus esset erroris, eosque in illusionem induxerit. Nequaquam ; credere nequeo nobis tantam esse posse insolentiam, & impietatem, ut dicamus Paulos, & Antonios, Hilariones, & Arsenios, omnesque insignes illos eremitas, qui olim effecere, ut Ægypti, Thebaidisque deserta tantopere celebrarentur, a spiritu mendacii, erroris que actos fuisse. Si qui igitur sunt, qui se a laboribus, & mortificationibus proprii sui status, & ipsorum professioni quodammodo inhærentibus dispensent, non aliud dicere possum, nisi quod fieri potest, quod ex eorum justorum numero sit, qui non indigent pœnitentia ; vel homines esse, qui sub exterioris probitatis specie maxime essentiali desunt officio vitæ Christianæ. *Liber, cui titulus : Dialogi Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri*.

Pœnitentia nonnisi per molestas actiones fieri potest.

Solum pœnitentiæ nomen manifeste probat eam fieri non posse sine operibus, quæ cum pœnis, & laboribus conjuncta non sint. Cum hæc virtus nomen suum a pœna desumpserit, quam sibi anima infligit se ipsam affligens dolore, quod læserit Deum, & corpus suum mortificans, cui adhæret, & quod ut plurimum causa est criminum ejus : hæc ratio est, propter quam Scriptura sancta, & Patres nunquam de pœnitentia loquuntur, quin simul de molestis actionibus, lacrymis, ciliciis, gemitibus, vigiliis, jejuniis, cineribus, aliisque id genus exercitiis loquantur. *Revertimini ad Dominum in toto corde vestro, ac reditus vestri sinceritatem jejuniis, gemitibus, lacrymisque ostendite. Induimini cilicio, conspergimini cineribus, ac ploratuum vestrorum magnitudine imitamini gemitus, & suspiria matris in obitu unigeniti sui*. Nonne hinc inferendum est, pœnitentiam esse debere laboriosam, atque longe adhorrentem ab illis omnibus lenimentis, quæ hodie adhibentur ? *P. Gegou in libro cui titulus ; Usus Sacramenti pœnitentiæ*.

Pœnitentia secunda est post naufragium tabula.

Patres, atque Concilia, ut pœnitentiæ austeritatem exprimerent, ea usi sunt locutione, quam serio a vobis animadverti postulo. Illam secundam post naufragium tabulam appellarunt, innuentes Baptismum esse tanquam unicam navim, quam divina præparavit providentia, ut nos e funesto eriperet cataclysmo, in quo omnes Adæ filii, qui in sanctam hanc Arcam non ingrediuntur, intereunt. Sed si navis hæc in aliquem scopulum illisa frangitur, nulla superest via, qua naufragium evitari possit, nisi pœnitentiam amplectaris, tanquam fractæ navis tabulam, quam nunquam deseras, nisi postquam ad litus evaseris. Quam fidelis, & simplex hæc pœnitentiæ imago videtur, sed quam horribilis est ! Etenim tibi finge calamitosum hominem, qui in medio mari naufragium facit, & qui fluctuum vehementia agitatus fortiter adhæret tabulæ, vel fractæ navis reliquiis, quas primum arripere potuit : modo fluctuum vi ad nubes usque sublatus, modo in imum usque abyssi demersus, nihil non conatur, ut tandem ad litus aliquod appellat. Nunc in malum natantem, nunc in fractum illisus gubernaculum, nunc cæco actus fluctu in aliquam rupem impellitur ; ac tandem postquam diu ventorum, fluctuumque ludibrium fuit, postquam millies in maris imo jamjam deglutiendus subsedit, sese conjicit in littus undique fractus, cruore manans, & semimortuus. Hoc ipsum, Patres inquiunt, & Concilia, de pœnitentia dicendum est ; *Secunda post naufragium tabula* : tabula secunda, quam nobis obtulit misericordia, ut nos liberaret naufragio : ita ut per pœnitentiam nostræ saluti consulturi magna conari debeamus, & arduas, & molestas suscipere exercitationes. *Idem*.

Adhortatio ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos.

Ne nobismetipsis blandiamur, o Fideles, ea in re, ubi de æterna salute nostra agitur. Vel digni pœnitentiæ fructus faciendi sunt, vel in æternum pereundum est. Hi quidem fructus amari videbuntur ; sed nonne omnia pharmaca hoc ipsum præstant ? Ne consideremus eorum amaritudinem, sed eam salutem, quam nobis reddituri sunt, æternamque mortem, a qua liberare nos debent. Quid quotidie non fit, ut affecta valetudo, & periculoso aliquo morbo afflictata recuperetur ? jejunatur, amaræ potiones ebibuntur ; acutissimæ incisiones perferuntur, omne mundi commercium interdicitur, omnia amoventur oblectamenta. Abnuimus autem leves aliquot mortificationes suscipere, & aliquot pœnitentiæ exercitia obire pro gravibus noxis, quæ sunt veluti totidem mortales ægritudines, ex quibus nequaquam omnino convaluimus, & quarum reliquiæ molestam nobis portendunt recidivam, quæ fortasse miseræ mortis causa erit. Iterum dico : faciamus dignos pœnitentiæ fructus, & si mollities nostra adeo sancto consilio adversari voluerit, si mundus nostras vivendi rationem irridet, si hujus confusionis metus nos cohibet, cum Tertulliano dicamus, peccavi in Dominum, justitia ejus tulit in me æternæ mortis sententiam, & in periculo sum mortis æternæ ; hac de causa ingemisco, ploro, castigo corpus meum, neque uspiam satis graves invenio pœnitentias, quibus divinam misericordiam promerear. Quascumque austeritates amplectar, quodcunque malum patiar, si his sumptibus gratiam invenire potero, præclare mecum actum putabo ; felix, si tantulo impendio Deo meo satisfacere potero, & eas redimere pœnas, quæ vitæ meæ flagitiis debentur. *Idem*.

Ut pœnitentiam agamus, abstinere debemus a voluptatibus, & solatiis etiã licitis.

Cum læsimus Deum, nequaquam illi satisfacimus a peccatis abstinentes, nisi abdicemus voluptates, & solatia legitima, quæ amavimus, & nisi patimur ultro pœnam aliquam, ut in nobismet peccata nostra puniamus. Neque ideo putes oblectari Deum pœnis, & laboribus nostris ; sed mederi non potest morbis animarum nostrarum, nisi per ea remedia, quæ sint eisdem contraria. Vult ergo eos, qui lapsi sunt illegitima secuti, consurgere a legitimis etiam abstinentes ; & cor, quod sese in falsa effudit gaudia, & in solatia nimis mundana, coarctetur quodamodo tristitia, & mortificatione, quæ salutaris sit, & Christiana ; alioquin sperandum non est fore, ut nos vere pœniteat, ac Deo satisfiat. Et sane quinam error est credere, pœnitentiam fieri posse ab eo, qui in earum voluptatum perfruitione persistit, quæ palam malæ non sunt, & quas honestas mundus appellat, in ludorum, ac inutilium visitationum continuatione ? Pœnitentia dolorem, mœrorem, ac tristitiam supponit : possunt autem hi sensus in anima haberi, atque simul solatia, & voluptates perquiri ? *Idem*.

Per pœnitentiam

Nos hortatur Apostolus, ut quocumque pretio redi-

Redimendum est tempus, quod in vitiis insumptum est.

redimamus tempus: & Sanctus Gregorius lib. 6. Moral. cap. 6. hæc explicans verba ait, redimemus tempus, cum per lacrymas, & austeritatem pœnitentiæ tempus redimimus, quod per peccata, & vitæ nostræ flagitia perdidimus. Ex his verbis colligimus, si peccatori redimendum est per pœnitentiam tempus, quod per sua amisit peccata, & si tunc cum redimitur, ut Sanctus loquitur Augustinus, amittendum aliquod est eorum, quæ ad nos pertinent, ad emendum, quod ad nos non pertinebat; patet, nobismet interdicendum esse ultro jus illud, quo uti poteramus iis rebus, quæ vetitæ non sunt, ad reparandas præteritas noxas, & peccatorum nostrorum remissionem comparandam. Unde liquet etiam, pœnitenti nequaquam satis esse debere communia pietatis fidelium exercitia; sed graviora esse eligenda, tanquam remedia vulnerum suorum magnitudini idonea secundum verba Sancti Joannis, facite fructus dignos pœnitentiæ. *Liber, cui titulus*: Instructions Chretiennes, *pro vigesima post Pentecosten Dominica.*

Pœnitentia magna esse debet, pro magnitudine odii, quo Deus peccatum persequitur.

Metiri debemus, Domine, pœnitentiam nostram ex horrore, quo nostra odisti peccata; sed quam magnus hic horror est! Tantum enim illa odisti, quantum temetipsum diligis: & odium hoc proficiscitur ex infinita oppositione, quæ peccatum inter, & summam sanctitatem tuam intercedit. Infinite illud odisti, quia infinite bonus, & sanctus es; ad id autem consideranda sunt omnia mala, quæ nobis attulit peccatum, ut majori cum sollicitudine quæramus remedium, quod nobis contulisti, ut quidquid detrimenti passi fueramus, reparaternus. Peccatum nos a te dividit, pœnitentia nos tecum conjungit: peccatum nobis mortem infligit, pœnitentia vitam concedit; peccatum nos dæmonis filios facit, pœnitentia filios Dei; peccatum nos in infernum præcipites agit, pœnitentia vero efficit, ut paradisum mereamur. Oderimus ergo infinite peccatum, quod infinita nobis mala parit; amemus infinite pœnitentiam, cujus ope tot bona recipimus. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia, vel pœna, quā exigit Deus ob peccata etiam, quæ remissa sunt, ostendit quanto odio peccatum persequatur.

Magna quidem peccati nequitia, gravisque dicendus est horror, quo Deus illud persequitur; quia quantumvis magna sit illius misericordia, veniam ne amicissimis quidem concedere potest, quin legitimam ex illis satisfactionem exposcat, quemadmodum & Moysis, & Davidis exemplo didicimus. Gratis peccatoribus suam reddit amicitiam; reddit illis cum gratia omnes infusas virtutes, omniaque Spiritus Sancti dona; illis reddit merita omnium bonorum operum, quæ peccatum penitus annihilaverat: eos redeuntes amplectitur amantissime tanquam misericors Pater; quoad pœnam ipsorum peccatis debitam, illius æternam durationem remittit: pœnam vero, integrumque supplicium illis nequaquam remittit, quantumvis magna sit illius misericordia, & quantamcumque lætitiam pro reditu prodigi hujus filii testetur: *Scietis ultionem meam*, ait ille Num. 14. Sciat, volo, peccator, quantopere peccatum oderim; & quanquam sim Deus misericordiarum, nemo tamen impune me lædet: *non gustaremus peccati amaritudinem, si simul cum culpa remitteretur & pœna*, Sanctus inquit Augustinus Tractat. 124. in Joann. Nesciremus, quam amarum sit crimen, atque illuc post pœnitentiam reverti minime metueremus, si hæc pœnitentia, videlicet dolor peccati nulla pœna exciperetur. Itane, o Deus, adeo parum fidelibus de hac veritate persuasum est? Ita facile peccant; pœnitentia illis negotium minime facessit; putant rem totam in eo verti, ut insusurrent in Sacerdotis auriculam peccatum aliquo cum dolore, heu! sæpe superficiali, & cujus mera tantum species est; & posthæc nihil sibi vel faciendum esse, vel metuendum, quasi Deus ad illud animum nequaquam adverteret. Nescio, utrum hodierna die alius sit error hoc magis perniciosus saluti animarum, vel major imprudentia in plerisque fidelibus, qui, quin hac in vita agant pœnitentiam, & divinæ justitiæ satisfaciant, expectant, donec ipse Deus, vel in hoc, vel in altero mundo pœnas deposcat. *P. Gegou in libro, cui titulus: Usus Sacramenti pœnitentiæ.*

Hic erat Sancti Bernardi metus: *Vapulem, Domine, male operans*, ajebat ille, *vapulem, forte misereberis flagellato*. Percute, Domine, neque parcas mihi, ubi in scelus aliquod cecidero; fortasse hæc flagella te flectent, ut mei miserearis. Porro si timor iste sanctissimorum virorum corda pervasit; si id reputantes contremuerunt; si id causa fuit, propter quam toto vitæ suæ tempore gravissimas sustinuere pœnitentias, quam vim habere debet in animabus mundanis, quæ vitam suam omni vitiorum genere commacularunt? Si meræ negligentiæ effecerunt, ut sanctæ animæ Dei odium, & gravissima quæque mala metuerent, quid metuendum illis est, qui, postquam omni flagitiorum labe vitam suam fœdarunt, levem dumtaxat egisse pœnitentiam satis putant? Sancti hæc cogitantes inter pœnitentias, & austeritates suas toto vitæ suæ spatio trepidaverunt: animæ vero mundanæ post levem confessionem se in tuto esse censebunt. *Idem.*

Sensus peccatoris meditantis expiare scelera sua austeritate pœnitentiæ.

Peccator cum Salvatore dicere debet: *Baptismo debeo baptizari, & ecce quomodo coarctor usque dum perficiatur*. Baptismus, quo tu, o Salvator, baptizandus eras, Baptismus erat sanguinis tui, in quo immergendus eras propter peccata nostra in acerbissima passione tua: & adjecistis, *quomodo coarctor usque dum perficiatur*. Ego peccator, & ipse baptizandus sum Baptismo pœnitentiæ, qui Baptismus est lacrymarum, & quodammodo etiam sanguinis, si verum est, ut quidam Pater ait, lacrymas ibi effundendas quamdam esse sanguinis speciem; & sanguinis etiam Baptismus est, quia est veræ, perfectæque mortificationis Baptismus. Heu! quænam me urget sollicitudo cupientem sanctam laboriosi hujus Baptismatis ferre severitatem. Salvator mi, applica quæso mihi sanctos hos Baptismi pœnitentiæ rigores. In pœnitentiæ spiritu recipio mala, quæ mittes mihi, detrimenta, corporis, animique afflictationes, morbos hoc tempore miseriis refertο, & sine querela sub flagellis tuis caput submittam: sed quemadmodum efficis, ut sentiam gratiam, & benedictionem peculiarem, qua perfunditur, qui obtemperat tibi, cum jubes, me per pœnitentiam expiare peccata mea, æquo, lubentique animo accipio pœnas omnes, quas misericordia tua, potiusquam justitia, hac in vita mihi mittere voluerit. *Idem.*

Sanctæ austeritates, quas præcipis, Domine, & peccatoribus vere pœnitentibus inspiras, non solum sunt justitiæ tuæ effectus, verum etiam paternæ misericordiæ tuæ exercitium. Medice sapiens! hæc est vivendi norma, quam tuis præscribis ægrotis, ut suam curationem perficiant, utque illis omnia mali principia auferantur; hæc sapiens, est, & misericors præcautio, qua nostris infirmitatibus consulis, ad excitandam iis in occasionibus vigilantiam, in quibus facile labimur. Applica mihi, Salvator, saluberrimas hasce austeritates, quæ in me peccatorum meorum memoriam perennant, eaque horribilia efficiunt in oculis meis, ita ut mihimetipsi opera vere pœnalia imponam, quibus caro mea mortificetur, & crucifigatur, spiritus vero humilietur, quibus recidivæ metus mihi incutiatur, ita ut a pœnitentiæ exercitatione nunquam recedam. O pœnæ quam validum estis licentiæ, & furoribus frænum, quam amabiles estis! O sanctæ præcautiones vos toto pectore amplector, ac Divinam adoro misericordiam, quæ vos mihi imponit! *Idem.*

Pœnitentia reparat gloriam, quam peccatum eripuit Deo.

Pœnitentiæ exercitatio est veluti honoraria quædam mulcta, qua peccator reparat quodammodo honorem, quem Deo suum crimen abstulerat. Et profecto peccator incipit sese humiliare confitens suas infirmitates, & crimina, errores mentis suæ, suique cordis flagitia, deinde profitetur Deum

solum

solum esse sanctum, & a justitiæ via recedere quicumque illius legem infringit. Denique ut ipse eam ulciscatur injuriam, qua Deum affecit, distringit arma, ac in semetipsum severe animadvertit. Superbia causa fuit, propter quam obedientiæ jugum excuteret, humilitas eum pudore suffundit errores suos confitentem: voluptas cor ejus corrupit, contritio illud dolore frangit, & quia caro ejus rationem fefellit, illam austeritatibus crucifigit. Hæc omnia, sicut videtis, mirum in modum læsi numinis gloriam reparant. Ad hæc peccator per pœnitentiam hinc quidem suam agnoscit infirmitatem, inde vero Creatoris sui præstantiam, & postquam ejusdem excussit imperium, iterum sese eidem submittit. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentia Deo satisfacit magis, quā rigor iræ ipsius.

Quoniam severa est pœnitentia, iræ divinæ munere fungitur, ut loquitur Tertullianus, idque majori vi, & efficacia, quam Dei ipsius ira: vel potius agit in nobis id, quod Ipsius Dei ira, si sola sit, nequit efficere. Quare? Quia ira quidem Dei peccatum punit in nobis, non delet; pœnitentia vero illud delet puniens: quamobrem ira Dei, si sola sit, quascumque pœnas vel exigat, vel sumat de peccatoribus, nunquam efficere potest, ut Deo satisfiat, quod in inferno videtur, ubi tot pœnarum, quas iebrobi patiuntur, æternitas nunquam satisfacit Deo, quia in inferno, Sanctus Bernardus ait, Dei tantum ira operatur. Pœnitentia vero felici iræ simul, & misericordiæ divinæ immixtione, iræ quidem, cujus vices gerit, misericordiæ vero, quam flectit, justa, & integra est satisfactio, quam Deus expectat a peccatore. *Dictionarium morale.*

Pœnitentia necessitas.

Duplex tantum in cœlum patet via, vel innocentia, vel pœnitentia. Quis autem illuc per innocentiam se iturum putat, præter illos, qui per ætatem peccare non possunt? Peccatori sine pœnitentia, & sine mortificatione nulla salus. Quid est peccator, Tertullianus ait? homo est ad pœnitentiam, & mortificationem natus. Peccatori aut pœnitentia, aut infernus: illi plorandum, & ultro in tempore sustinendum est, aut invito in æternitate plorandum, & perferendum. Si vera narrat Evangelium, nil medium, est, elige utrum mavis, dum licet; at eligendumne est, atque deliberandum? Quodvis peccatum, Sanctus Augustinus inquit, vel ab ultore Deo, vel ab homine pœnitente puniendum est; vide, utrum optes. Nonne satius est divinæ justitiæ severitatem evitare eam prævertendo, vel potius eamdem flectere temet ejusdem ministrum constituendo? ..... Dignatur Deus justitiæ suæ causam in tuis committere manibus, dummodo bona fide hanc aggrediaris provinciam: quantumvis graves sint ictus tui, semper erunt infirmiores illis, quos omnipotens brachium infligit. Pœnitentia, Tertullianus inquit, vice fungitur justitiæ Dei. *P. Nepveu tomo secundo considerationum.*

Actiones nostræ ostendere debent, sinceram esse nostram pœnitentiam.

Actiones vestræ, vestræque agendi rationes debent ostendere, vos verum cepisse vestri convertendi, & pœnitentiam agendi consilium. Quantumvis firmæ sint, stabilesque deliberationes vestræ, ubi illis non accedunt comites virtutes, atque actiones, quamprimum quatiuntur, atque delentur. Ne in vitæ vestræ ratione patiamini quosdam mores, qui palam ostendunt, olim mundum vobis, quam Deum, fuisse chariorem; ne servetis amplius inania ornamenta, & luxus, & vanitatis reliquias, propter quas olim in mundo suspiciebamini; ex animo vestro obliterate suavissimas ideas, ac jucundissimas illecebras hujus mundi, quibus corrupti fuistis. *P. de la Rue semone de Santa Magdalena.*

Pœnitentia esse debet austera.

Hæc est Tridentini Concilii sententia *sess.* 14. *cap.* 2. Fructus Baptismi differt a fructu pœnitentiæ; etenim per Baptismum induimus Jesum Christum, & sumus in illo nova creatura plenam, integramque omnium peccatorum nostrorum remissionem recipientes: sed in pœnitentiæ sacramento ad primam illam novitatem pervenire non possumus sine magnis ploratibus, laboribusque, hoc ita divina justitia flagitante: ita ut non immerito pœnitentia a Sanctis Patribus Baptismus laboriosus vocetur. Audite, Ecclesiæ filii, verba matris vestræ: hæc vobis proponit magnas pœnas, magnosque labores, Baptismum laboriosum. Hæc vos docet, Divinam justitiam hoc petere. Hæc Ecclesiæ severitas est juxta spiritum ejus, qui nunquam extinguetur, & quem illa semper opponet laxitati. Quid nobis prodest cum concilio hæreticorum mollitiem detestari, qui hos sanctos pœnitentiæ rigores exploserunt, si in similem incidimus languorem, & re ipsa negamus, quod verbis fatemur? Hic Ecclesiæ rigor justus est; imitatur enim Dei justitiam, peccatore in semet ulciscente injuriam, qua infinitam hanc bonitatem, & majestatem affecit. Salutaris est, quia novus est Baptismus, difficilis quidem, & laboriosus, sed semper Baptismus est, per quem plorantes peccata nostra in cordis nostri amaritudine recipiemus primam illam novitatem, & integritatem Baptismalem, quam amiseramus. *Bossuet Meldensis Episcopus in libello quodam de Jubilao.*

Peccatum a confessario vel a Deo ultore, vel a pœnitente peccatore puniendum est.

Conquerimur, ubi confessarius aliquot præcipit jejunia, eleemosynas, mortificationes. Nunquid reo cum judice disceptandum est? Heu! quam parum hoc nobis videretur, si nobis esset persuasum, nos infernum jam fuisse prometitos, & levi hac pœnitentia a damnatione liberari. Ita est, peccator, vel ab ultore Deo, vel a corde pœnitente puniendus es: divinæ justitiæ vel contritione, vel supplicio satisfaciendum est: *Aut ab homine pœnitente, aut a Deo puniente.* Cum Deus æternus sit, atque infinitus, oderit, opus est, peccatum eodem modo, quo amat seipsum; quemadmodum autem Deus se ipsum in æternum amabit, ita peccatum in æternum oderit. Ita peccati pœna nullum habebit finem, quia odium peccati in Deo nullos est terminos habiturum. Peccatum igitur in hac vita per pœnitentiam expiandum est, vel subeunda æterna pœna, quam Dei justitia altera in vita nobis infliget. *Specimen sermonum pro Adventu.*

Pœnitentia præsens est antidotum contra futura peccata.

Pœnitentia instar est firmissimi valli, quod objicimus torrenti affectionum nostrarum, noxiorumque habituum, qui nos pertrahunt in scelus, nisi illis vallide obluctati fuerimus. Proh! Sanctus Augustinus ait, quam abest a peccandi consilio cor, quod jam pœnitentiam facere decrevit; cum ob oculos semper habens peccatum suum paratus est omnibus vitæ afflictionibus, pœnisque subeundis pro criminum suorum satisfactione! Quam longe distat a divitiarum cupiditate avarus, qui illas in sinum pauperum effundit! Quam procul a turpibus voluptatibus recedit impudicus, ubi paciscitur cum oculis suis, ne illos circumferat in objectum aliquod, cujus intuitus animæ suæ puritatem offendere possit! Pœnitentia præsentissimum est antidotum contra peccata propter actus charitatis, spei, & contritionis, quos complectitur, & propter merita sanguinis Dominici, quorum indesinenter instaurat applicationem peccatori pœnitenti; eadem copiosarum gratiarum effusionem meretur, Deum, ut ita dicam, ad sanctam excitans æmulationem, eum cogens, ut sese peccatori eo præbeat indulgentiorem, quo hunc in se ipsum severiorem esse cognoscit. Hæc Tertulliani sententia, cum ait: *Nos jejuniis aridi invidia cælum tundimus.* Sed, ubinam sunt hi veri pœnitentes? *Ibidem.*

Pœnitentia esse debet austera, & cet.

Homo peccator Dei locum tenet, cum se ipsum judicat per pœnitentiam; quod explicitis verbis docet Tertullianus lib. de Pœnit. Pœnitentia, inquit ille, virtus est, quæ in nobis vices gerere debet justitiæ, & indignationis Dei; justitiæ quidem, ut nos damnet, indignationis autem, ut puniat. Hic enim sensus est horum admirabilium verborum: *Pœnitentia Dei indignationi fungitur.*

Hæc

Hæc virtus est ; quæ in nos Dei causam suscipere debet , quæ debet in nobis teparare injutias illatas Deo , quæ nostrummetipsorum sumptibus Deum ulcisci , & flectere debet , quæ , prout plus , minusve nocentes sumus , efficere debet , ut plus, minusve divinæ indignationis , & odii pondus sentiamus ; illud dico perfectum odium , quo peccatum persequitur , & sanctam indignationem , quam contra peccatorem non concipere nequit , quia Deus est . Si Pœnitentia est rectæ rationi consormis , hoc est , si id est , quod esse debet , hic illius verus character est . Quæro autem ; character hic potestne illi convenite , nisi in severitatem inclinet , neque nobis contra nos hunc inspiret zelum severitatis , qui illius proprius est ? *P. Bourdalove in veris sermonibus primi Adventus sermone de pœnitentia severitate.*

In quo consistat vera , & essentialis Pœnitentiæ severitas.

Illud in pœnitentia majori nobis stat sumptu ; ac labore , quod nobismee interdicere debemus , quidquid propria ratio nobis vel peccatum esse , vel peccati causam ostendit ; quod ea cordibus nostria revellendæ sunt affectiones , quas ipsi noxias & peccati origines judicamus ; quod renunciandum est sexcentis tebus , quæ nobis quidem jucundæ sunt , sed nos in crimen illicere possunt ; quod bona fide acceptandum nobis est , quidquid scimus necessarium esse contra crimina amuletum ; quod tandem infelices peccati effectus operibus prorsus contratiis nobis sunt separandi . Hoc , inquam , illud est , propter quod pœnitentia nobis severa videtur . Hoc dempto , reliqua omnia æquo perferremus animo ; & dummodo hoc uno perfuncti fuissemus quoad ea , quæ veteres præcipiebant canones , haud ægre illos instaurari pateremur . Jejunaremus , cilicio indueremur , adspergeremur cinere , nosmet ad facerdotum pedes prosterneremus : sed ultionem in corde suffocare , injuriam dimittere, bonum male partum restituere , honorem obtrectationibus temeratum reparare , officio suo teneram sacrificare affectionem , periculosum commercium infringere , & animum ab iis rebus , quæ amantur , divillere , hoc naturam terret , hoc arduum est, & difficile . *Idem.*

Descriptio pœnitentis austeram vitam ducentis , & bonis vacantis.

Visus est hic homo , qui paulo ante nullius mali miseratione ducebatur , in xenodochiis famulari pauperibus , eorum detergere vulnera , eisque omnia præstare officia , quæ humilis charitas illi præscribere poterat . Visus est hic homo , quem vana gloriæ cupiditas paulo ante supra cæteros attollebat , propriis evertere manibus meditatas fortunæ amplioris ideas , quas ipse conceperat , & nihil putare magnum , nisi humanæ gloriæ contemptum . Visus est castigare corpus suum , illud in servitutem redigere , mentem suam humiliate , gestare crucem , ac lubenti , magnoque animo Jesu Christi mortificationem amplecti . *Flechier , in Panegyco Sancti Ignatii.*

Pletique peccatorum , qui agunt pœnitentiam , ignavi sunt , qui non satis consulunt sibi , ut semet tueantur ; sibi proponunt , ne quid mali faciant, sed nequaquam proponunt sibi , ut eorum , quæ fecere , malorum agant pœnitentiam ; cum Deo vivere volunt , quasi ejusdem semper amici fuissent, neque cogitsnt unquam , quod cum illius fuerint inimici , tenentur satisfacere justitiæ ejusdem , & postquam sibi licere voluerunt plurimas voluptates , quibus erat interdictum sibi saltem a quibusdam earum , quæ licent , esse abstinendum . *P. Valois Epistola 4. recessuum suorum.*

Hipotyposis S. Paulæ.

Admirabilis Sancta Paula procul quidem ab illis aberat flagitiis , in quibus fidelium plerique versantur , & nihilominus vide , quomodo illa viduitatis suæ tempore secum ageret , Sancto Hieronymo teste : *Ita levia peccata plangebat , ut illam gravissimorum criminum crederes ream* . Mœrebat illa , dolebatque tanta lacrymarum ubertate ob levia crimina , ut eam gravissimis quibuscumque sceleribus coinquinatam arbitrari posses ; illam obtestabamur , ut suis parceret oculis austeritates moderata , utque eos Sacris Bibliis perlegendis reservaret : at sinite , reddebat illa, me eam faciem deformare , quam fuco olim contra Domini mandatum illevi . Affligam opus est corpus istud , quod nimium deliciarum gustavit ; expiem , opus est, oblectationum , guadiorumque meorum diuturnitatem jugibus fletibus ; succedat , opus est , ciliciorum durities , & asperitas indumentorum mollitiei, & magnificentiæ . *Fromentieres sermone de Pœnitentia.*

Pœnitentia in totum vitæ spatium protrahenda.

Docent Sancti pœnitentiam usque in mortem esse producendam ; & peccatum tantum esse malum , ut credendum non sit , illud expiari posse dolore , qui minus diuturnior futurus sit , quam vita , & Deum illum nobis dimittentem , nequaquam dispensare , quominus illud lacrymia eluamus , & illius pœnitentiam agamus . Inde illud proficiscitur discrimen , quod inter Sanctorum , aliorumque vulgo peccatorum pœnitentiam videmus . Quanquam Sancti pro peccatis suis satisfaciant , nunquam tamen dolori suo faciunt satis ; plorant peccatum , illud execrantur , illud fugiunt , illud semper formidant . Alii e contra quam primum illius memoriam abjiciunt ; quo minus illius pondus sentiunt, eo facilius sibi persuadent , se veniam consecutos fuisse , atque cum hac falsa persuasione in fallaci vivunt tranquillitate . *Pater Alleaume in libro , cui titulus : Les souffrances de nostre Seigneur durant sa Passion.*

Fingete vobis videre Dei Filium , terribilem , & incorruptibilem judicem novissimo judicii die suo solio insidentem ; fingite vobis , hunc vobis ostendere alienigenas hos pœnitentes , eosque ostendentem in iræ suæ ardore vobis dicere : Miseri , quid respondere potestis huic exemplo , quod improbam duritiam vestram confundit ? Hi Ethnici erant , vos estis Christiani omnibus Evangelii mei mysteriis imbuti . Illis non aliud erat lumen , nisi quod obscura naturæ fax præferebat , vos autem fulgidissimum gratiæ meæ splendorem habetis . Illi unum dumtaxat ex servis meis audierunt ; ad vos autem plures deinceps per intervalla misi , qui voluntates meas vobis nunciarunt , atque jussa mea prodiderunt : illis semel tantum prædicatum fuit , vobis autem toto vitæ vestræ spatio : illis nonnisi urbis excidium intentatum fuit , vobis autem animæ vestræ , vestræque æternæ felicitatis interitus , cujus jactura toto cœlo luctuosior est , magisque irreparabilis . Ethnici illi egerunt pœnitentiam , & vos cum toto Christianismo vestro nondum resipuistis : illi mihi crediderunt Prophetæ , vos autem non credidistis mihi Dei viventis filio : illi jejunarunt , vos in comessationibus , & impudicitiis vestris permansistis : illi se sacco , & cilicio induerunt , vos semper pompam , vestimentorumque luxum amastis : illi profunda , & vera tristitia semet afflictarunt , vos cupidissime mundana gaudia , & solatia profana conquisivistis . Infelices Christiani quid habetis , quod respondere possitis ? Nunquid minus edocti fuistis , quam illi alienigenæ ? nunquid minus admoniti ? Nunquid pauciora curarum mearum , amorisque argumenta recepistis ? Nunquid minus vobis metuenda est mea ultio , atque justitia ? Cur ergo in impœnitentia permansistis ? Ideo , indigni , & infideles Christiani , damnamini . *Auctor Anonymus.*

Quomodo verus pœnitens sese gerere debeat.

Ne credatis , Auditores , me velle pœnitentem , statim ac conversus est , palam contra mundum insurgere , iisque fidem abrogare , quos eidem magis addictos cognovit . Hæc mea sententia non est ; sed hunc volo solum audacter , & sine ullo metu animum appellere ad munera sua obeunda , quin mundus illum amovere possit : ita ut si in pœnitentiæ praxi contemptum fuerit nactus , non ideo subsistat, neque animos abjiciat , si irrisionibus fuerit exceptus . Itaque contemptus ille , quo mundus excipit Sanctos , & quo Sancti mundum excipiunt , esse debet reciprocus : quod innuit Sanctus Paulus Apostolus per hæc verba ad Galat. 6,

mihi

mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, videlicet, ut Patres interpretantur; Mundus, & ille ultro citroque sibi pro contemptu contemptum, oro odio odium reddebant, quasi alter alteri invicem mortuus esset, ita ut si mundus Paulum tanquam mortuum respiceret, non aliter de mundo Paulus sentiret. Etenim quantumvis frugi, & sancta sit vita vestra justine, an peccatores fitis, religiosi, an æquo liberiores, nunquam evitare poteritis improba mundi dicteria. Flagitiosus homo es, & impudicus, de te omnes in cœtibus, ac societatibus obloquentur, totiusque civitatis fabula fies, atque ludibrium. Si igitur infidelis est mundus iis, qui fidelissime eidem famulantur, & secundum illius instituta, moresque vivunt, quænam illius erit improbitas in eos, qui in virtutis partes concedunt? *Pater de la Rue sermone de Sancta Maria Magdalena.*

In pœnitentia pro Deo tantum saltem faciendum est quantum an eo pro mundo fiebat.

Cum ergo vos, atque obsecro, ut in pœnitentia vestra pro Deo tantum saltem faciatis, quantum pro mundo fecistis, vestræ indulgeo imbecillitati: *Humanum dico propter infirmitatem vestram*. Dicere possem; his plura facite; at nil ultra posco. Heu quanam de te conquerimini? A me dura, & molesta exiguntur; verum aliquidne minus molestum, incommodumque mundo præstitistis? Nonne pro vili, abjectaque creatura longe plura fecistis iis, quæ pro Deo petimus? Petimus nunc, ut per pœnitentiam mortificetis corpus vestrum; at quoties alias illud stupidum, & pecudi simile per voluptates effecistis; & quot doloribus illud affecistis? Alias indefessi pro mundo, ac peccatis bonis illius vigilabatis; nunc aliquot dici horas traducite de Deo, deque æternorum bonorum illius possessione cogitantes. Queritis nunc, ut ab eorum necessitudine abstineatis, qui vos corrumpunt, & animum ad id inducere non potestis; sed quot eorum insaniæ zelotypiæ vestræ sacrificastis? Urgemini, ut eleemosynam erogetis, ubi adsit facultas; vos autem redditis mala esse tempora, pecuniam raram esse, ingentes esse familiæ vestræ necessitates; sed quin loquar de ingenti opum vi, quas absumpsistis, ut cupiditatibus vestris satisfaceretis? quantum auri, argentique in alea, immanibusque sumptibus profudistis? Nunc igitur in pauperum sinum effundite, quod in immodestos ornatus, in luxum, superbasque vestes prodigebatis; xenodochiis largimini, quod in alea, ludisque dispendebatis. Exigitur, ut aliquot momenta vestris invigiletis affectibus in recessu, & oratione, ac id agendi vobis deesse tempus asseritis; sed alias quot horas, quot dies, noctesque in spectaculis, ludis, turpibusque factis insumpsistis? Nihil tunc vobis pro mundo videbatur arduum, cujus est ergo, nunc pro Deo nihil vobis arduum videri. *Idem.*

Nulla est pœnitentia nisi austera vita ducatur.

Illusio est credere agi posse pœnitentiam vivendo, uti olim vivebatur, & vitam mollem ducendo, quæ nihil prætermittit, ut eam sibi compareт animi tranquillitatem, quæ erat idololatrarum felicitas, & quæ nullam sibi elabi patitur oblectationibus indulgendi, tempusque traducendi occasionem. Profecto hoc est non intelligere, quid sit pœnitentia. Postquam Deum læserunt, cum eo vivere cogitant, quasi sibi semper fuisset amicus, neque reputant, quod cum semper inimicus fuerit, licet nobis criminum veniam concessisset, tamen semper tenentur justitiæ ipsius satisfacere, & postquam sibi licere voluerunt tot illicita, sibi debent aliqua saltem prohibere eorum, quæ licita sunt. Sed Christianorum mollities eo usque processit hodierna die, ut ne audeamus quidem apud eos de jejunio verba facere, neque hortari, ut aliquid sibi detrahant somno orationi impendendum; ut nimis delicatam transeam refomationem; ut quotidianis sumptibus aliquid demant in eleemosynas erogandum; ut ad tempus sibi mundi consuetudinem interdicant; ut denique illis etiam abstineant voluptatibus, quæ omni culpa vacant pro illis, quibus contra fas, legemque Dei obtemperarunt, satisfacturi. *Ex manuscripto sermone.*

Fidelium primitivæ Ecclesiæ pœnitentia.

Primis Christianæ religionis temporibus, quibus major erat fervor, præ templi foribus videbantur pœnitentes cujuslibet sexus, ætatis, dignitatis, humiliati, prostrati, lacrymis madentes, ultra vestibulum pedem proferre non audentes, emittentes gemitus, & suspiria, a fidelium societate secreti, cinere, ac cilicio cooperti, obtestantes fratres suos in templum introeuntes pro ipsis orare, ut Domini justitiam flecterent, atque criminum suorum veniam obtinerent; a fidelium communione ejecti, a sanctorum mysteriorum participatione semoti, integros annos in austeritatibus, jejuniis, macerationibus, adeoque amaris contritionis sensibus traducentes, ut hodierni pœnitentes ne una tantum die eorum pondus vellent sustinere. Talis erat olim Ecclesiæ felicitas in filiorum suorum dispositione; raro inveniebantur fideles, qui sacra Baptismi vota temerassent; omnes fere culpa vacabant; vel si aliqui erat peccatores, horum pœnitentia magis ædificabat Ecclesiam, quam eorum scelera eidem scandalum attulissent. *Idem.*

Quamvis Ecclesia de pœnitentiæ severitate aliquid remiserit hujus ne utilitas semper permanebit.

Scio Ecclesiam filiorum suorum necessitatibus commotam coactam quodammodo fuisse, ut aliquid de antiquarum pœnitentiarum severitate remitteret. Sæculorum mutationes necessario quodammodo secum pertraxere disciplinæ lenimentum, sed illa non ideo naturam mutavit; non semper eadem illius praxis permansit; sed spiritus ejus nunquam immutatus est. Urbium regimen, & cujuslibet imperii leges mutata fuere, quippe quæ innitebantur judicio mortalium, quod varium est, atque mobile; sed lex Evangelii innixa præceptis Dei immutabilis, atque æterni eadem semper est. Pœnitentiæ severitas non viget amplius, verum est; sed natura, & necessitas pœnitentiæ in æternum vigebit. Divinæ justitiæ satisfacere non possumus pro patratis criminibus, quin congruam agamus pœnitentiam, atque ut obtineamus jus veniæ ejusdem sperandæ, quam primi peccatores per pœnitentiam consecuti sunt, similem nobismet præscribamus oportet. *Idem.*

Satis sæpe homines falsam pœnitentiam.

Fortasse vir bonus mundo videris, majorem prætere fers probitatem, bonam fidem, majorique cum sua erga homines munera adimples; attamen hoc nondum satis est, ut sis pœnitens. A criminibus cessasti, sed illa non expias; vitæ rationem mutasti, sed nondum magnum illud sensisti vulnus, quo cor ipsum mutatur. Crimina illa, quæ per pœnitentiæ dolorem nunquam expiasti, dimissa sunt in oculis tuis, atque te in hac re tutum putas; quasi ad pœnitentiam agendam satis esset abstinere a peccatis, postquam vitam flagitiosam, bonisque operibus vacuam vixisti. Periculosius hic status nihil habet, quod terreat te: delicta, quæ lacrymis nondum eluisti, & quæ ideo coram Deo nondum dimissa sunt, nil tibi metuendum relinquunt, ne peccatum in tuo pectore morietis, quod, quin illud agnoscas, in ipso morietis. *Idem.*

Ad pœnitentiam agendam facienda sunt actiones contrariæ peccatis, quæ commissa fuerunt.

Peccatores, ut omnino sua expient delicta, ea facere debent, quæ sint suis flagitiis contraria. Ne putes satis esse, si pravam vitæ rationem abdicent, ac recentem ordiantur. Quemadmodum manus a scribendo cessans non delet illa, quæ scripsit; quemadmodum lingua, quæ sese in injurias effundit, non expiat illas solo silentio; quemadmodum, qui obæratus est, æs alienum nequaquam dissolvit recentia non contrahens debita; ita sola vitæ mutatio præterita non delet peccata, nisi ploratus, gemitus, aliaque laboriosa pœnitentiæ opera accesserint. Vult Deus, peccatores, ut ab æternis se redimant suppliciis, seipsos carnis macerationibus damnent, atque ut reparent injurias, quibus illum affecerunt, omnibus membris, sensibusque suis, qui earum fuere participes, ea infligant supplicia, quæ cum criminum qualitate aliquam habeant rationem: *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc.*

nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in satisfactionem, ut Sanctus Paulus ad Rom. 6. inquit. *De la Font in Ecclesiasticis discursibus pro prima Septuagesimæ Dominica.*

In pœnitentia corporis, & sensuum mortificatio exercenda est.

Peccatum inter, ac pœnitentiam exactam requiritur compensatio. Non fuisti ignavus peccator, pœnitens ignavus esse non debes. Corporis tui amor omnium malorum tuorum causa fuit: opus est, odium, mortificationem, bellum eidem illatum, causam esse tuæ felicitatis. Ornatuum, vestiumque amor te in scelus impulit; simplicitatis, modestiæ, Christianæ regularitatis amor te inde retrahat, & ad pœnitentiam adducat, oportet. Mundi, societatum, & conversationum commercium animæ tuæ lethale intulit vulnus; domum tuam in solitudinem convertere, a mundo recede, & gustabis, quam suavis est Dominus. Vita tua non aliud fuit, quam series non intermissa voluptatum, solatiorumque; temetipsum gemitibus, ploratibusque damnes; carnem tuam mortifices, eamque indesinenter crucifigas, oportet &c. *Pater Massillon sermone de Magdalena.*

Hominis pœnitentis hypotyposis.

Verus pœnitens homo est, qui peccatorum suorum dolore tabescens lectulum lacrymis rigat, artus tegit cilicio, & Prophetæ exemplum secutus cinerem tanquam panem manducat. Homo est divinæ justitiæ caussam in se ipsum suscipiens; homo mœrore confectus, sæculo, omnibusque illius placitis mortuus, ipsas etiam maxime innocuas voluptates sibi interdicens, eo quod aliquando non abstinuit a noxiis; homo indesinenter carnem suam mortificans, corpus suum tanquam rebelle, atque incessanter domandum respiciens instar perfidi inimici, cui fidendum non est, vel rei instar, qui puniendus est, vel instar coinquinati vasis, quod est expiandum. Pœnitens homo est, qui jugiter se ipsum adjudicat morti, quia scit se vitam nequaquam mereri; homo, qui suarum recordatus profusionum sibi negat etiam necessaria; qui non audet amplius oculos suos in cœlum attollere, quia illius reformidat fulmina, quæ toties meritus est; homo, cujus mores humiliatione sunt pleni, quia putat per peccatum suum de statu sui nobilitate fuisse deturbatum: cujus vestes, ornatus, supellex aliquid habent lugubre, quia se ipsum omnino velut hominem tumulo destinatum respicit. Pœnitens homo est formidine, ac terrore perculsus, qui nil videt in sacris Bibliis nisi uberes promissiones, quibus se præbuit indignum: in Ecclesia, nisi sacra mysteria, quæ polluit; in religione nisi magna privilegia, quibus abusus est; qui de suggestu non audit nisi ea, quæ meritus est, supplicia, in Evangelio nil legit nisi justam criminum suorum pœnam. Denique pœnitens homo est annihilatus, humiliatus, confusus, & contritus, qui suam prospiciens indignitatem in ipso templi limine subsistit, tanquam Publicanus, & qui non contendit ad beatum felicitatis terminum, quo anhelat pervenire, nisi per molestam, austeramque viam pœnitentiæ. Hic est verus pœnitens; hæ sunt conditiones, quibus aliquis sperare potest se misericordiam impetraturum a Deo, quem indigne adeo offendit. *Pater Massillon sermone de exiguo Electorum numero.*

Paucissimi sunt veri pœnitentes.

Mundi profecto nos aliquando tædet, illius tumultus relinquimus, secedimus, ut commodius salutis nostræ negotio prospiciamus, cum Deo etiam, quem toties lacessivimus, in gratiam revertimur; sed hæc nonnisi pars est pœnitentiæ. Quotusquisque hanc peccatorum vitam amaris lacrymarum imbribus, & pœnitentiæ macerationibus expiat? Ostende mihi aliquot hujus pœnitentiæ, quam te facere putas, & in qua post tot peccata confidis, vestigia? Nunquid legem quadragesimalis jejunii? Sed quot peccatores vel ab ea se prorsus dispensant, vel ex dimidio tantum observant? Pauperes illam divitibus remittunt; nobiles eam tanquam usum vulgi respiciunt. Quid igitur? Nunquid officiorum tuorum pondus, tuum molestum negotiorum impedimentum, tuam adversam fortunam, tuum rei domesticæ curam, tuum dignitatum, honorumque tuorum pondus? Si hoc animo a te ista sustinerentur, vel susciperentur, credo equidem, tibi merito adscribi possent. Sed vellesne inanes prætextus, & male consarcinatas excusationes inter pœnitentiæ opera adnumerari? Vellesne, Dominum rationem habere pœnarum laborumque quos propter ipsum non suffers, & quibus sola te cupiditas tua objecit? Heu! inter hæc omnia ad summum nonnisi mundi pœnitens es, non religionis. Quid adhuc? Calamitates, morbi, infortunia, jacturæ bonorum, quibus divinitus cumulatus eras, ut ad salutem tuam utereris: Verum hæccine patienter, & humiliter sustines; an, quin ibi pœnitentiæ occasiones invenias, recentium delictorum materiam reperis? *Pater Massillon sermone de exiguo Electorum numero.*

Cavendum est, ne in pœnitentia tibi parcas.

Quandoquidem pœnitentia vices gerit ultricis Justitiæ Dei, cave ne tibi parcas; Deus enim ad examen vocabit hanc pœnitentiam, inquit Tertullianus, quemadmodum lydio lapide aurum, argentumque probatur: *Si qui venditant, prius nummatum, quo paciscuntur, examinant, neve scalptus, neve rasus, neve adulter, etiam credimus pœnitentiæ probationem inire.* Prope inspiciet, & considerabit pœnitentiam, qua peccator amissum redimit cœlum, visurus, utrum hæc sincera sit, an fallax pœnitentia. Scrutabitur, utrum integra sit, an aliquid eidem fuerit abrasum; utrum in divinæ stateræ trutina æquum habeat pondus; & nihilominus eam, quam possumus, leviorem facere cogitamus. Pulchrum sane est videre Christianum post tot peccata reformidare jejunium, vel exiguam erogare stipem, & vere se satisfecisse, ubi in sacerdotis auriculam sua insusurraverit crimina, & pro pœnitentia breviusculas preces aliquot funderit. Proh Dei justitia, quam districte aliquando jus tuum recipiens es judicatura! *Sermo Manuscriptus.*

Exterior Pœnitentia argumentum est sinceritatis pœnitentiæ interioris.

Necessarium profecto non est, quod dolor interior sese extrinsecus sensibilibus prodat indiciis: sed illi fidendum non est, nisi ita fortis extiterit, ut nos impellere nequeat ad scelera nostra expianda corporis, sensuumque mortificatione. E contra exteriores pœnitentiæ sunt veluti effectus, qui ostendit subsistere causam, videlicet dolorem, & criminum patratorum pœnitentiam. Hæ sunt veluti recentes incisiones, quæ rursus cordis vulnus aperiunt, novæ sunt causæ, quæ accendunt odium, & ultionem, quam contra peccatum inimicum nostrum concepimus. Hæc pœna efficit, ut criminis nostri meminerimus: veluti cum reus diuturno punitur supplicio, & per intervalla torquetur, quilibet cruciatus, quo afficitur, in mentem revocat illi causam, propter quam vapulat, eamque semper oculis ejus objicit: ita hæc pœnarum, ac pœnitentiarum continuatio, hæc austeritatum, ac toties iteratarum mortificationum prorogatio, atque voluntaria hæc afflictio, quæ æque diu viget, ac nostrarum iniquitatum memoria, tandem justitiam Dei flectit, cor ejus mollit, eumque quodammodo cogit, ut nobis criminum nostrorum veniam concedat, ut loquitur Tertullianus: *Nos jejuniis aridi, & omni continentia expressi, in sacco, & cinere voluntari invidia cœlum tundimus, ut misericordiam ambiamus orantes.* Vultibus nostris pallentibus, & ad maciem redactis, corporibus nostris siccis, & diuturna abstinentia deformitatis, humili hoc habitu corporis cilicio, involuti, cineribusque adspersi, nec non lacrymis pœnitentiæ Deum ipsum suo insidentem solio oppugnamus, sanctam illi vim facimus, ejusque, ut ita dicam, misericordiam cogimus. *Idem.*

Pœnitentia esse debet cum humilitate conjuncta.

Sancto Regi David peccatum suum semper ob oculos versabatur: *Peccatores oportet, ut videant se*, Sanctus Augustinus inquit, *& displiceant sibi.* Hæc enim suæ infelicitatis consideratio, & jugis peccati sui præsentia eos semper in humiliationis

statu

statu contineat, quæ perfectissima est dispositio, quam ab illis exigit Deus, simulque rationi maxime consona. Quis enim cogitare potest se reum esse mortis, & passionum Jesu Christi; nisi hujus adfuisset misericordia, se in æternos ignes præcipitem dandum fuisse, quin se ipsum annihilet? Quemadmodum autem spiritui naturaliter superbo nihil tam amarum est, quam humilitas, ita in mortificantis hujus virtutis praxi primus pœnitentiæ rigor consistit. *Abbas du Jarry sermone pro die Septuagesima.*

Sine dolore, & cordis contritione nulla est pœnitentia.

Quemadmodum ex corde omnia peccata prodeunt immediate, Dei Filius inquit, ita per dolorem directe ex corde emanantem illa expianda sunt, & voluptas ex illis percepta dolore eorumdem punienda est. Quam vehemens dolor hic esse debeat, judicari potest ex contritionis, & compunctionis nominibus, quibus in Scriptura appellatur ad indigitandum, Interpretes inquiunt, quod pœnitentis cor fractum, ac dolore confossum esse debet eodem ferme pacto, quo ex fracto vase, & ulcere cæso, quidquid ibi latebat impurum, egreditur: quasi lacrymæ ex corde emanantes secum omnem efferrent corruptionem peccati, propter quod effunduntur. Eheu! Christiane, amici *luges corpus, a quo recessit anima: non luges animam, a qua recessit Deus*, inquit Sanctus Augustinus. *Idem.*

Sine austeritate, & sine pœna nulla est vera pœnitentia.

Ubi nulla austeritas, nulla mortificatio, ibi nulla pœnitentia. Quælibet idea, quam virtutis hujus concipere potes, fallax est, si hanc aliter tibi exhibeat, quam severam, austeramque. Opus est opera satisfactoria, quibus peccata redimuntur, ut Sanctus Cyprianus ait, opus, inquam, est hæc opera aliquam habere rationem cum passione Jesu Christi, cujus opus adimplent. Hac in re, o Fideles, vosmet diligenter debetis excutere; etenim quid in vita vestra severum; quid mortificatum est, quod non esset in eadem, antequam in hæc laberemini scelera, quæ nostis, & quorum pœnitentiam agere vultis? Omnia hæc lenimenta tanta industria ab amore proprio excogitata; omnes istæ exceptiones, quæ fiunt, cum criminosi nexus semifranguntur; hæc immodica ornatuum pompa, quam sibi quisque permittit; hæ conversationes, quæ non videntur innocuæ, nisi ubi cum præteritis flagitiis conferuntur; secreta hæc murmura contra severitatem legis ea nobis prohibentis, quæ adhuc deperimus; affectiones istæ, quæ eo quod intra cordis nostri terminos conclusæ sunt, nihil nequitiæ in se habere videntur: hæc omnia, o Christiani, nequeunt conciliari cum spiritu pœnitentiæ, qui non peccati solum inimicus est, sed earum rerum omnium, quæ aliquem cum peccato nexum habent. Etenim, Sanctus Gregorius ait, nobismet sæpe ea prohibere debemus, quæ licita sunt, tanta cum severitate, quanta cum facilitate ea nobis permisimus, quæ vetita erant. *Idem.*

Vere conversi peccatoris pœnitentia ad mortem usque perseverare debet, quæ illius est consummatio. Non deserit tabulam hanc, quam illi post naufragium offert Ecclesia, nisi omni evaserit periculo. Et sane, Sanctus Bernardus ait, confessio est veluti pharmacum febrim auferens; sed pœnitentia est veluti victus norma, quæ vires restituit, & qua opus est, ut perfecta valetudo reparetur, præsertim si diu in scelera versati fuimus; diuturni quippe habitus peccatorum sunt veluti vehementes illi morbi, qui post se aliquem semper languorem relinquunt, ex quo ægre convalescere possumus...... Eheu! si pro dimissis etiam criminibus nobis trepidandum est; si Sanctus Paulus, licet nullius criminis sibi conscius esset, non ideo tamen se justificatum esse putabat; si David criminis sui veniam se consecutum fuisse certus; si Magdalena, quæ ex ipsius Jesu Christi labris absolutionem obtinuerat, adeo diuturnas, austerasque pœnitentias egerunt, quid nobis faciendum est, nobis scilicet, qui satis superque scimus, quod toties infernum meriti sumus; sed qui citra revelationem nunquam scire possumus, utrum peccata nostra nobis remissa fuerint, & utrum eam receperimus gratiam, quam amiseramus? *Idem.*

Quænam esse debeat pœnitentia.

Cum de pœnitentia loquor, pœnitentiam intelligo sinceram, solidam, efficacem; pœnitentiam intelligo ferventem, sedulam, severam: hæc enim una reconciliare nos posset cum Deo, & conscientias nostras coram Deo pacare; quia hæc una aliquam habet cum pœnitentia Hominis Dei conformitatem. Pœnitentia imperfecta, tepida, languens, pœnitentia ignava, in qua peccator seipsum audit, seipsum palpat, sibique parcit; pœnitentia commoda, quæ cum omnibus vitæ suavitatibus vult conciliare; pœnitentia, quæ non crucifigit carnem, quæ mentem non humiliat: pœnitentia sterilis, & sine bonis operibus, vana est pœnitentia, quæ Deum non lenit, sed lacessit, quæ conscientias nostras non sedat, sed sexcentis stimulis laniat, quæ earum tumultum non aufert, sed ipsa fit argumentum aculeatissimarum exprobrationum, sævissimorumque tumultuum, quibus torquemur. Opus est pœnitentia, Sanctus Chrysostomus inquit, quæ cum illa Jesu Christi esse possit conjuncta, & quæ pœnitentiæ Jesu Christi esse possit supplementum. Ad id autem opus est, ut eos omnes habeat characteres, quos hactenus memoravi, sinceritatem, soliditatem, integritatem, severitatem, atque ita particeps fiat omnium qualitatum pœnitentiæ Jesu Christi. *P. Bourdaloue sermone primo de Nativitate Jesu Christi.*

Pœnitentes, quam peccatores egerint, illos in extremo Judicio tuentur.

Fateor equidem, pœnitentiæ agendæ necessitatem gravem esse naturæ, sed in religione inevitabilis est. Christiani, quandoquidem non alia nobis superest ratio, qua nosmet præparare possimus magno illi judicio adeo severo, atque terribili, in quo de nostra æternitate dijudicandum est, ullane potest nimia esse cura ad nostri judicis iram leniendam, ut in statera ejus positi non inveniamur leves, & bonorum operum nostrorum pondus illi malorum præponderet? Quamvis magnus sis, vel fueris peccator, de salute tua non desperes, quippe judicem habebis illum ipsum Deum, qui venit ut salvos faceret peccatores, sed peccatores tantum vere pœnitentes. Gravissima scelera sanguine Jesu Christi & lacrymis contritionis abluta nequaquam imputabuntur auctoribus suis coram Deo, sed erunt causa gloriæ illorum, & insignis veluti reparatio majestatis supremi Judicis, qui benedictionibus cumulabit illos, donec interim in impœnitentes æternam maledictionem contorquebit. Magdalenæ, Petri, Pauli, Augustini magna illa die videbuntur ducere innumerabilem hanc pœnitentium cohortem, qui erigent quoddam veluti immortale trophæum gloriæ Divini Redemptoris sui; atque ex adorabili ejus ore excipient cum omnium criminum remissione coronam pœnitentiæ suæ, quæ in capite eorum, qui insigniores fuere majori luce, quam corona innocentium, fulgebit. *Abbas du Jarry sermone pro die Cinerum.*

Deus vitæ nostræ cursum producit, ut pœnitentiæ nobis spatium concedat; nos vero in recentibus patrandis criminibus tempus illud transmittimus, quod largitur Deus, ut patrata expiemus. Quin debita nostra dissolvamus, recentia quotidie conflamus, & incessanter adjicimus aliquid thesauro iniquitatis, quem in diem ultionis congerimus. Si ante annos decem nos Deus e vivis ademisset, facilius rationem reddere potuissemus, neque conscientia nostra innumeris onerata esset criminibus, quæ patravimus post illud tempus, quo jam adeo nocentes eramus. Nullum est ex his sceleribus, quod secum non deferat inevitabilem eorum expiandorum per pœnitentiam necessitatem; attamen longe nocentiores sumus, quam ante, neque adeo magis, quam ante sumus pœnitentes. *Idem.*

De illis, qui sibi

Quid? Nonne jam Divinæ opus est misericor-

parcunt in pœnitentia.

diæ, quod nobis permittit Deus propriorum scelerum nostrorum exercere justitiam? Et alteram etiam nobiscum exercere misericordiam contendimus: hoccine justum est? Cum autem in pœnitentia nostra tantum præcautionis, solertiæ, lenimenti adhibemus, nonne hoc juxta Tertulliani sententiam est in pœnitentia nostra committere eas infidelitates, quæ per aliam pœnitentiam essent expiandæ; & ad misericordiæ tribunal eo pacto agere, quod in nos Divinæ justitiæ severitatem excitare deberet? Tandem enim Deus in manu vestra justitiæ suæ gladium statuerat, vos ad pœnitentiam incitans; idque, ut inordinatam affectionem abscinderetis, ut noxia vincula, nexusque cæderetis, ut divisionem in peniriores usque animæ sinus inferretis, atque vosmetipsos sejungeretis ab iis rebus, quibus arctissime adhærebatis; verbo, ut vitiis, cupiditatibusque vestris cruentum inferretis bellum; vos autem per mollitiem, & ignaviam vobismet pepercistis. Reddite ergo, reddite Domino hunc ensem, quem adhibere nescitis, alia profecto ratione eodem utetur Deus. Quidne verba quidem fieri de jejunio, levique mortificatione potestis? Quid tu mulier mundana, quæ dies, noctesque in choreis traducis, non ferendum putas confessarium, quia præcipit, ut una vigiles hora precibus vacatura, &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, Sermone de pœnitentia.*

De severitate pœnitentiæ, & satisfactionis.

Nisi Deo, quod justum est, reddideris, ipse repetet. Hic creditor est, quem nemo fraudare debita potest pecunia. Quæ si vera sunt, quo in statu es? Quam horribile est incidere in manus Dei viventis! Quam graves sunt ictus brachii omnipotentis? *Si habes brachium sicut Deus.* Job. 20. Pœnitentia est actus justitiæ: debet ergo aptare satisfactionem injuriæ: sed quinam hoc facere peccator potest? Injuria est quodammodo infinita, quippe lacessit infinitam majestatem: quid autem efficere potest homo, quod non sit finitissimum? Hic debet Deo decem millia talenta, & vix uno denario solvendo est. Nonne igitur fateri debet se non esse solvendo, ac de se actum esse, si ullum ad extremum usque quadrantem persolvere jusserit Deus? Unus erat Deus, qui ex integro satisfacere, & parem injuriæ offerre posset reparationem; ideoque opus fuit, ut Dei Filius homo fieret, & animam efflaret in cruce, ubi suum obtulit sanguinem, cujus infinitum est pretium ad injurias reparandas, atque Divinæ justitiæ omnino satisfaciendum. Sed pretium hoc utile esse non potest, nisi per pœnitentiam applicetur, quæ eo magis severa esse debet, quo major est peccatorum enormitas. *Pater Nepveu in Christianis considerationibus tomo 1. pro die 14. Januarii.*

Si cogitaveris temporalem pœnam, quæ vobis infligitur, vel quam vos ipsi vobis irrogatis in pœnitentia, compensationem esse æternæ pœnæ, non admodum vobismet indulgentes præbebitis. Numquid ægre denarium persolvetis, cum decem mille talenta dimittuntur vobis? Si necesse non est inter id, quod compensat, & quod compensatur, inveniri æqualitatem, aliqua saltem ibi esse debet proportio; nisi ex vobis tantum quæritur, quantum debetis, tamen persolvite, quantum potestis. Et profecto justæne compensationis regulas servatis, cum pro infinita, quæ vobis remittitur, pœna, pro omni pœnitentia satis esse putatis aliquot vocales preces adeo parum attente fusas, ut in vestra vobis pœnitentia recens fiat novæ pœnitentiæ argumentum. Cum una, vel & altera hora complectimini eam pœnitentiam, qua expianda peccata sunt, quibus æternæ pœnæ deberentur, vel non satis intelligitis, quid sit pœna æterna, vel non satis eam vos promeritos fuisse cogitatis. *Idem pro duodecima Februarii die.*

De pœnitentiæ exercitatione.

Nihil magis necessarium est, quam pœnitentiæ exercitatio, & nihil hac est infrequentius. Plerique illam inter claustra relegant, sibique persuadent, ad cœnobitas tantumodo pertinere. Pœnitentiæ exercitatio plerumque regularibus opus est supererogationis, sæcularibus vero opus obligationis. Alii putant, hanc insignibus peccatoribus esse relinquendam: at quotusquisque in mundo est, qui non indigeat pœnitentia? Sanctus Augustinus vir ille adeo illuminatus profitetur, nullum esse fidelem, cui trepidandum non sit, si mors illum deprehenderit, antequam sese in pœnitentiæ praxi exercuerit. Sed quid in se continet praxis hæc pœnitentiæ? Eam ad aliquot preces redigere, quod plerique e mundo faciunt, est illis verba dare, eosque decipere: eos cogere, ut præter ordinem jejunent, ut ciliciis induantur, hoc est illos vel deterrere, vel ad desperationem adducere. Ut eorum imbecillitatis ratio habeatur, proponitur illis pœnitentiæ praxis, quæ omnium mortalium generi, cujuscumque conditionis, ætatis, sexus, professionis illi sint, potest convenire. Quod videlicet in pœnitentiæ spiritu excipiant omnes hujus vitæ casus, bonorum jacturas, morbos, & quidquid Divinæ Providentiæ jussu potest accidere. *Idem tomo quarto.*

Prima dispositio, quam expectat Deus ab eo, qui sincere agere vult pœnitentiam, constans est voluntas omnia propter ipsum aggrediendi, & sustinendi. Sed nullos habet fines hominum mollities, & omnia ita mutata sunt, ut non amplius Domini ministro id peccator dicat, quod ipsi Domino Paulus ait: *Quid me vis facere?* Sed confessarius, qui sæpe eo redactus est, ut pœnitentis voluntatem faciat, eique dicat, quod olim Jesus Christus cæco Evangelico: *Quid vis, ut faciam tibi?* Quilibet rationem haberi vult imbecillitatis cordis sui; quilibet sibi reservat jus de semetipso judicandi; facilem quilibet directorem quærit, qui penitiores conscientiæ latebras non scrutetur, sed cui aliqua bona voluntas sufficiat; aliquando etiam nonnulla monita æqui, bonique fiunt, sed pleraque sustineri non possunt. *Flechier, Panegyrica conversionis Sancti Pauli.*

SUPPLEMENTUM.

Ii, qui agunt pœnitentiam, eam agere possunt multiplices ob causas, licet justas.

POEnitentia ob multiplices causas agi potest: ex Justitia, ex semet pœnas exposcendo injuriarum, quibus quilibet Deum lacessivit. Hæc est pœnitentia peccatorum justificatorum, qui ultro pœnas inferunt sibi, ut Divinæ justitiæ a se labefactatæ satisfaciant. Ex præcautione fit pœnitentia ad corpus in officio continendum, ejusque prohibendas defectiones, quemadmodum amuletis morbi præoccupantur: hæc est pœnitentia animarum, in virtute progredi cupientium, quæ non solum superflua omnia rescindunt, verumetiam sibi subtrahunt necessaria. Fit pœnitentia ad imitationem, atque conformitatem cum Salvatore Mundi, qui cum Sanctus sit per essentiam, & innocentiam possideat tamquam jus immutabile inhærens naturæ suæ, pertulit tamen quidquid in pœnitentia austerissimum est, ac rigidissimum. Pœnitentia igitur non est innocentiæ opposita; hujus enim decorem, nitoremque tuetur; & quantumvis pura sit anima, semper pœnitentiam agere tenetur, sive ob animi grati sensum, sive ob imitationem. *Auctor Recens.*

Errant, qui credunt illam tantum, & spiritu non autem corpore esse exercendam.

Illusio est, qua Mundi spiritus, spiritus videlicet mollitiei semper usus est, credere pœnitentiam esse virtutem mere interiorem, eamque suum exercere imperium dumtaxat in spirituales animæ facultates; illi satis esse mutare cor; nostris tantum vitiis, & cupiditatibus bellum indicere; & solide exerceri posse, quin caro vel aliquid mali patiatur, vel quin ullo stet sumptu homini huic exteriori & terrestri, qui nostrummetipsorum partem constituit. Si enim hoc verum esset, Sanctus Chrysostomus inquit, ex bibliis libri integri essent abradendi, ubi Dei Spiritus hac in re carnalem

nalem prudentiam confundit testimoniis; quæ æque amori proprio adversatur, non minus, quam error veritati. Dicendus esset Sanctus Paulus rem acu non tetigisse, ac non satis bene Christianam pœnitentiam intellexisse, cum docebat, per hanc corpora nostra fieri debere hostias [Rom. 12.] viventes; *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*; cum exigebat, ut hæc ipsa virtus ad [Galat. 5.] carnis crucifixionem procederet: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis:* cum fidelibus præcipiebat, vel potius legem illis irrogabat, ut re ipsa in corporibus suis circumferrent Jesu Christi mortificatio- [2. Cor. 4.] nem: *Semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes*. Demum cum aliis præbiturus exemplum castigabat corpus suum, illudque redigebat in servitutem, veritus, addebat ille, ne postquam aliis pœnitentiam prædicasset, ipse [1. Cor. 9.] illam minime exercens reprobus fieret; *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. P. Bourdalove.*

[Esau, & Judas duo falsi pœnitentes.] Fingite vobis pœnitentiam Esau, cum pro lentium edulio vendidit fratri Jacob sacrum jus primogenitorum suorum: quibus clamoribus, ululatibus, fremitibusque dolorem suum testatus est? Sed quis illius extitit dolor? Propriæ intemperantiæ mœrore confectus gerit adhuc in corde suo abominabile homicidii desiderium, consilium [Genes. 27.] capit fratrem ipsum occidendi: *Occidam Jacob fratrem meum*. Dolori criminis sui adjicit sceleris longe gravioris meditamentum. Peccati enim sui pœnitebat solum, quatenus damnum intulerat sibi, sibique fecerat injuriam cedens juri suo, quod tanti erat momenti, pro turpi, sordidaque abjectissimi pulmenti voluptate. Hac ille in se ne cogitabat quidem offensam Dei, cujus benedictiones tunc temporis primogenitorum juribus [Ad Heb. 12.] inhærentes contempserat. Et hoc unum ob crimen profanatori simul ac intemperanti lacrymæ [S. Thom. 3. p. q. 85. art. 2. ad 1.] fuerunt inutiles. Pœnitentia sua nec Deum, nec Isaac parentem suum flectere potuit. Judas tradidit Magistrum, Dominumque suum morti, eumque proposito pretio, pactaque mercede prodidit; cujus criminis enormitate perculsus ad Judæorum cœtum confugit: a quo ductus? pœni- [Matth. 27.] tentia, Sanctus Matthæus inquit: *Pœnitentia ductus*. Neque satis illi fuit suum dolorem ostendere, se peccasse confitenti; *Peccavi*. Neque illi satis visa est publica confessio, adjecit etiam honoris separationem, & pretii restitutionem. Jesus Christus innocens erat, eumque tamquam nocentem tradidi vobis. Quænam magis aperta reparatio! Argentum hoc, abominabile sceleris mei stipendium, justi sanguine infectum, meum non est, illud nolo; simulque projicit ad pedes eorum; quænam celerior restitutio? Tamen abit, & se laqueo suspendit, & turpi desperatione misericordiæ, atque clementiæ Dei contumeliam faciens novo scelere mentitus criminum superiorum pœnitentiam; palam ostendit se non sceleris horrore correptum, se pudore suffusum ob eam turpitudinem, quæ naturaliter avaritiæ inhæret, & cædi, atque proditioni, illum pœnituisse. Si enim pœnituisset eo quod a se Deus læsus fuerat, næ ille quidem horruisset offendere Deum per desperationem, quem offenderat modo per parricidium. Non est odisse peccatum, omnes illius species non odisse: præterea non est odisse illud, cum illud non in æternum odisti. *Pater de la Rue in Adventu.*

[Nostra pœnitentia nostris esse debet congrua sceleribus.] Vultisne, animæ nuper conversæ, ut mundus vestræ plaudat pœnitentiæ? Agite, ut hæc priscis erroribus sit par, ut ille ignavos, timidosque pœnitentes non inveniat, postquam adeo improbos peccatores nactus est; ne videat inanem aliquam in vestra virtute jactantiam, postquam vidit tantam in vitio temeritatem: ne dicere possit post vitæ genus tot impudicitiis, ac libidinibus fœdatum, pœnitentiam vestram in eo subsistere, ut illud ipsum vobis nequaquam fas esse arbitremini. Donec post mutationem hanc tantum boni non feceritis, quantum antehac mali fecistis; semper mundum vereamini. Ita est, Fideles, mundus in hoc inexorabilis est, non solum in pœnitente quærit, ut a peccatis abstineatis; sed præterea majorum virtutem exigit, majorem verecundiam, majoremque voluptatum, terrenarumque rerum contemptum; & aliquando nimis severus est iis in legibus, quas bonis viris imponit. *Sermo, qui vulgo Patri Massilon acceptus refertur.*

[Cum tibi crastinum promittere nequeas, hodie pœnitentiam agere incipiendum est.] Verum est, Deum pollicitum veniam sese convertenti, nequaquam pollicitum fuisse diem crastinum conversionem suam differenti; ita ut si peccator differat illam in crastinum, periculum subeat perdendi omnia. Hoc prævertit injustas illationes, quas haurire vellet peccator ex piis Dei promissionibus, ut has probet moras, quas suæ nectis conversioni; illi enim nequaquam promissum fuit, Deum expectaturum esse finem harum tergiversationum: e contra eadem Scriptura, quæ veniam promittit, testatur etiam futurum ut desit illi tempus ejusdem deprecandæ. Qui misericordiam promittit, promittit quoque se quamprimum ablaturum tempus, & media illam obtinendi, si eam flagitare contempserit. Sed sicuti quod pœnitentem consolatur, non debet peccatoris audaciam confirmare: ita quod peccatorem terret, pœnitentem non debet turbare. Credere debet Deum exaudire quidem vota; hæc enim non solum est natura misericordiæ suæ, verum etiam officium justitiæ. Hæc autem non pro ignavis, ac præsumentibus animabus loquimur, sed ad roborandam quidem infirmitatem, præsumptionem autem infringendam. Hic igitur sermo ad infirmas, pavidasque, & peccatum metuentes animas habetur, ad eas, quæ inde emergere, ac in æternum peccato volunt nuntium mittere, ad eas, quæ vere, ac sincere diligunt Deum, vel saltem, quæ ita illum diligere cupiunt, vel quæ credentes illum a se satis amari, dolent, & amarissime conqueruntur. Harum autem singulis cum Dei Filio dicimus: *Confide, remit-* [Matth. 9.] *tuntur tibi peccata tua*. Quantumcumque gravia, & enormia scelera tua sint, major adhuc, & copiosior est Dei misericordia: hæc promiseris tantum est, ut Redemptio pro captivis, & venia pro peccatoribus. Captivorum dumtaxat, peccatorum, & miserorum sperare est. *Auctor Recens.*

[Hi effectus propriè sunt fructus pœnitentiæ.] Non satis est agere pœnitentiam, faciendi sunt fructus pœnitentiæ. Quamplurimi sunt ficulneæ Evangelicæ, quæ quidem frondibus erat induta, sed hic totus erat ornatus ejusdem. Non desunt frondes quibus tegamur, quibus & aliis, & nobismet ipsis fucum faciamus; videlicet extimæ quædam species pœnitentiæ. Nosmet accusamus, veniam petimus a Deo, omnia nobis pollicemur nihil assecuturi. Frondes sunt, extimiæ species pœnitentiæ: at afficiturne iis cor nostrum? Sincerus est dolor noster? Sed efficaxne est voluntas ista, quam nobis esse dicimus, deserendi peccata? Sequunturne effecta? Ullane in vobis morum mutatio videtur? Nil tale. Non desunt, qui foliis non contenti ferunt etiam aliquos pœnitentiæ flores: *Flores apparuerunt in terra nostra*. In agro [Cantic. 2.] cordis ipsorum aliquot visi sunt flores germinare. Videmur quidem duci pœnitentia, aliquot fundimus lacrymas; conatus aliquos exerimus: hi flores sunt, qui aliquot fructus polliceri videntur; sed tabidus mundi hujus aer, ad quem facile revertimur, occasiones, quibus recenter implicamur, voluptates, quæ adhuc nobis sapiunt, sunt tot veluti perniciosi venti, qui efficiunt, ut flores isti arescant, & decidant; atque hoc pacto fallunt æquissimam expectationem, quæ fuerat concepta, ubi

flores oboriri visi sunt. Verum neque sufficit fructus facere pœnitentiæ, sed digni pœnitentiæ fructus faciendi sunt. Videlicet facienda est pœnitentia, quoad fieri possit, congrua Divinæ Majestatis magnitudini, quam lædimus, necnon nequitiæ, & ingrati animi vitio, quo illam lædimus. Si tres hasce regulas secuti fuerimus, hæ nos ad veram pœnitentiam adducent. Pœnitentia adeo levis, & imperfecta, qualis nostra est, congruane est Divinæ Majestati? Poteſtne injuriam a nobis eidem illatam reparare? Breves aliquot preces, vagæ, & festinanter, & sine ulla attentione prolatæ ullamne habent rationem cum magnitudine, & copia scelerum nostrorum? Possuntne ista delere? Leves, ignavæque satisfactiones nostris similes aliquamne habent rationem cum nostra improbitate, ingratique animi vitio? Tantine ponderis sunt, ut Dei valeant iram mulcere, veniamque impetrare? Id genus pœnitentia nonne potius est recens pœnitentiæ argumentum, ac materia sufficiens, ut nova fiat pœnitentia? *Pater Nepveu in Christianis considerationibus.*

De pœnitentiæ mora. Cum Mundi Principes aliquem sua gratia privarunt, prope est, ut huic auferant maximum bonum, quo ille frui valeat sub iisdem; & vos ipsi intuemini, calamitosos hos homines vix spiritum protrahere posse, postquam ex Dominorum suorum gratia exciderunt. Domorum suarum nitor, famulorum numerus, honorum magnitudo, quæ sunt fortunarum suarum reliquiæ primæ illius gratiæ jacturam reparare non possunt. Principis indignatio supplicium est, quod omnes Philosophorum rationes mulcere non possunt. Sed si quis reperitur, qui stoica quadam constantia, & gravitate jactitet, hoc sibi nullo in discrimine esse infortunium tunc nihil est, quod potentiæ Principis majorem inferat injuriam vel magis illam irritet, quam iste contemptus suæ gratiæ. Ita totam vitam in Dei odio traducere, & nullo inde affici mœrore, nulla tangi pœnitentia ob tanti hujus boni jacturam; nonne palam hoc est in se convertere læsi, fatigatique numinis iracundiam, tantam hanc negligentiam perhorrescentis? Nonne hoc est procul ab illius aula, adspectuque projici, & exterminari? Nonne hoc est illum perquisitionibus, votisque nostris inexorabilem facere? Cur autem ille tandem gravissimo animæ nostræ supplicio in nos animadvertit, videlicet obstinatione in peccato, & finali impœnitentia; nisi quod ad primos suæ gratiæ motus nosmet convertere abnuimus; quo facto nosmet Macedonianis similes ostendimus, qui per summam indignitatem tanta Spiritum Sanctum contumelia efficiebant, ut eum Dei famulum nuncuparent. Simili pacto cum illo nosmetipsos gerimus, si enim ad nos cum gratiis adventat, ut convertamur, cum hoc quasi cum famulo nostro agimus, eumque dimittimus, ut alio tempore cum gratiis suis ad nos revertatur. *Sermo Manuscriptus.*

Ad perfectam peccatoris conversionem duo sunt necessaria. Duo Dei inimici evertendi sunt in homine, a quo Deus lacessitus est: 1. cor peccatoris: 2. peccatum. Cor perire debet per contritionem, mœroremque; peccatum vero per annihilationem. Cor hominis peccatoris annihilandum non est, maneat, oportet, ut Deo ob scelera sua satisfaciat; ita ut essentiam suam debeat retinere, sed pravas qualitates amittere, & illas cordis peccatoris, rebellisque contra Deum in eas cordis contriti, & propter peccata sua humiliati convertere: *Cor contritum, & humiliatum, non despicies.* (Psalm. 50) Peccatum vero omnino annihilandum est; & ratio est, quod in pœnitentia Deus largitur gratiam, & amicitiam suam homini, quæ cum peccato simul esse non potest. Ad id ergo opus est, ut pœnitentia peccatum annihilet. Per pœnitentiam peccator cum Deo gratiam sarcire quærit: opus est, ut sese conversurus ad Deum deleat peccatum, huic inimicum; quæ res sane ex Dei parte gratiarum ipsius expetit communicationem; ex parte vero hominis gratiæ huic cooperationem. *Pater Antonius a Sancto Martino a Porta.*

Hæc duo sunt opera maximi momenti, conversio, quam Deus fieri vult cordis humani peccatis inquinati, & conversio, quam peccator fieri cupit cordis Dei ad iracundiam excitati: duæ conversiones, quas Propheta verbis istis explicuit: *Convertimini ad me; & ego convertar ad vos.* Etenim quod ad primam pertinet, conversio humani cordis a Deo suscepta magnum opus esse dicenda est, quippe effectus est Omnipotentis misericordiæ, & infinitæ justitiæ, Dei nempe. Effectum quidem hunc esse Divinæ omnipotentiæ docet Ecclesia dicens hæc verba: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas.* Neque obscura sunt argumenta: 1. Deus enim veniam concedens se vere Dominum esse testatur, nullamque agnoscit vim supra se, quæ prolatam ab ipso sententiam possit revocare. Quod privatus quipiam illatam sibi dimittat contumeliam, inanis esset illius absolutio, si magistratus, quem penes judicium est, non ideo minus nocentem plectit. Si magistratus, qui judicio præest salutari littera absolvit dignum supplicio: Rex, qui ejusdem superior est, prolatam revocare potest sententiam, & reum merita pœna mulctare. Si Rex ipse pœnam remittit; Deus super illum positus peccatori potest ostendere, peccata coram hominibus antiquata, non esse coram ipso deleta. Ita omnes hominum remissiones possunt revocari, ex defectu potestatis omnino absolutæ, quæ in uno Deo reperitur; Ubi vero Deus veniam concedit, irrevocabilis est illius gratia, quia ejus potestas nulli subjecta est potestati. Cæterum criminis venia effectus est supremæ potentiæ, quæ regia est auctoritas, quæ potest quidem punire scelus hac suppliciorum adversitate per leges constitutum; sed punitio non pertinet ad illius caracterem; ad illam quippe attinet, non destruere, non perdere, sed servare, atque tueri: quod vetus quidam auctor Divinum appellat; quia cum Reges puniunt, id agunt, quod humanum est; sed cum parcunt, rem faciunt prorsus Divinam. (Seneca de clementia.) Magistratus sunt Judices subordinati, & a Regia auctoritate pendentes; ideoque punire tantum possunt, non parcere..... Dicere tamen possumus, cum venia sceleribus permissa pulcherrimus sit flos in regio diademate, esse tamen infimum objectum Divinæ potentiæ; Reges enim possunt quidem pœnam crimini debitam remittere, numquam vero delere culpam, quod unius Dei est; & casus Deo uni reservatus. Ita Dei Filius videns Judæos mussitare, quoniam sibi facultatem esse affirmabat, dimittendi peccata, ut hanc in se potestatem esse probaret, ob oculos eorum miraculum operatus est curans Paralyticum: *Ut sciatis, quia Filius hominis potestatem habet dimittendi peccata: dixit Paralytico: Surge.* (Matth. 9. & Marc. 2.) Igitur venia peccatorum effectus est supremæ potestatis. *P. Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Peccatoris conversio opus est infinitæ potentiæ.

Sicuti in carne regnat peccatum, ita in carne regnare debet pœnitentia. Quocumque modo id intelligamus, nulla vera est pœnitentia sine corporis mortificatione; & donec corpora nostra post peccatum erunt impunia, donec non subibunt supplicia, quæ sanctus zelus Deum ulciscendi nosmet jubet nobis imponere, numquam cor nostrum satis bene conversum erit, neque arbitrabitur Deus sibi umquam satisfactum fuisse. Postquam Mundi Salvator pro nobis egit pœnitentiam non sine adorabilis carnis suæ sumptu, fieri nequit, Sanctus Augustinus ait, ut a nobis alia ratione agatur. Opus est ut in carne nostra adimpleamus, quod per admirabile secretum providentiæ Dei desunt passioni, atque satisfactioni divini hujus Redemptoris. Quandoquidem in nostra carne regnat peccatum, ut Sanctus Paulus inquit, ita pœnitentia quoque in nostra

ſtra carnē regnare debet ; quoniam debet regnare ubicumque regnat peccatum. *Auctor Recens.*

In David pœnitente præclarum habemus exemplum ad imitandum.

David poſt converſionem ſuam actus pœnitentiæ ſpiritu nihil ob oculos ſuos videbat niſi Uriæ cladem, & dedecus fidelis hujus ſubditi thalamo illatum. Scelus ſuum indeſinenter verſabatur ob oculos ejus, & ipſe teſtatus eſt, non purpura, qua amictus erat, non victoriis, quas inceſſanter de ſemetipſo referebat, non ſua erga Dominum fide, non plauſibus, & laudibus, quibus a populo decorabatur, deleri unquam potuiſſe præteritorum ſcelerum memoriam, & effici, ut horrens illorum imago ex animo ſuo expungeretur. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Proh Deus! exclamabat ille, cum in mentem revoco multitudinem iniquitatum quibus obtuebar, & quibus me liberaveras; cum repeto dies illos tenebrarum, atque caliginis, ea tempora infelicia, quibus ſanctiſſimam legem tuam prævaricatus ſum, *Conturbatum eſt cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.* (*Pſalm. 37.*) Utique mœrore conficior, & omnes illecebræ, omnia lenocinia Regni, & ſolii mei nequeunt menti meæ hilatitatem adferre: *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis.* (*Ibidem.*) Tota regni mei gloria, & plauſus populorum meorum nequeunt in me amaram præteritorum criminum recordationem mulcere. Quid igitur tibi retribuam Domine pro tot muneribus, quibus me cumulaſti, tunc etiam cum infidelis tibi fui? Numquam dereliquiſti me. Quo magis me inimicum tuum profeſſus ſum, eo magis me favoribus tuis prævenisti. Tribuiſti mihi cor docile, mentem ad bonum proclivem, & ea nihilominus abuſus ſum. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Pſalm. 115.*) *Sermo qui Patris Maſſillon nomine circumfertur.*

Pœnitentia ad omnes promiſcue peccatores pertinet.

Hic non eſt adulandi locus: pœnitentia omnibus propoſita eſt; ſummis æque ac imis, divitibus æque ac locupletibus, Dominis æque ac ſervis. Cum Dei Filius dixit, eum qui per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratus non eſſet, numquam in regnum Cœlorum eſſe ingreſſurum, non auderent, puto, nobiles, & divites affirmare peculiarem pro ipſis appoſitam eſſe exceptionem, qua a Baptiſmi receptione diſpenſantur: & cum apud Sanctum Lucam addit, niſi egeritis pœnitentiam, ſimul omnes peribitis, putabunt, ſibi privilegia, atque exceptiones fuiſſe conceſſas, licet hæc addita fuerit univerſalis propoſitio? *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Pœnitentia efficit ut reperemus detrimenta, quæ per peccatum paſſi ſumus.

Cum pœnitentia ſit generale remedium contra peccata præterita, & præſentiſſimum medium ad Divinæ juſtitiæ læſæ ſatisfaciendum in ſingulas horas noſmet excitare debemus per actus ſinceræ contritionis, & perfectæ pœnitentiæ. Si qua gravi noxa facta fuerit gratiæ divinæ jactura, hæc tuto hac ratione ſarcitur. Nam licet vulgo dici conſuerit, poſt factum nullum adhiberi poſſe conſilium; & præterita mutari non poſſe, verum tamen eſt per pœnitentiam infectum fieri poſſe, quod factum eſt; & in illius poteſtate præteritum adeo poſitum eſſe, ut quæcumque patrata fuerint flagitia, vim habeat illa omnino obliterandi, & peccatori de integro puritatem, & innocentiam, quas perdiderat, reſtituendi. *Ex diſcrimine inter tempus, atque æternitatem.*

Ineluctabilis eſt neceſſitatis, quia ſine illa nulla ſalus eſt.

Cum tot commiſerimus peccata, ex quo in lucem hanc editi fuimus, ineluctabilis neceſſitatis eſt, agere pœnitentiam; ſine qua nulla ſalus eſt ſperanda. Veritatem hanc Deus nobis in ſcripturis aperuit, neque de eadem licet ambigere, quod videlicet nihil coinquinatum in Sanctam Jeruſalem ſit admittendum: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum;* (*Apoc. 22.*) ideoque duplex tantummodo in Cœlum patet vis, innocentia, & pœnitentia. Quarum altera non eſt amplius in noſtra poteſtate poſtquam tot peccata commiſimus, quæ nos de beato innocentiæ ſtatu, in quo poſt Baptiſmum verſabamur deturbarunt: altera vero, nempe pœnitentia una ſupereſt; alioquin actum de nobis eſt, quemadmodum docet Filius Dei in Evangelio: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* (*Luc. 13.*) Neminem excipit. Omni peccator, vel in hac, vel in altera vita pœnitentiam agere debet; debet vel ipſe ex ſe pœnas repoſcere, vel expectare pœnam ſibi a Deo vindice in omnem æternitatem expetendam: *Omnis iniquitas puniatur neceſſe eſt: aut ab ipſo homine pœnitente; aut a Deo vindicante.* (*D. Auguſt.*) Sed duplex hoc pœnitentiæ genus quam maxime diſtat. Pœnitentia, quam damnatis irrogat Deus, æterna eſt, inutilis, amaritudine plena; ſed quam ſibi in hac vita pœnitens peccator infligit, brevis eſt, utilis, dulcedine, & ſolatio perfuſa, quemadmodum Sanctus ipſe Auguſtinus teſtatur: *Inter has querelas nimioſque ploratus, conſolaturus ades, ſolita pietate, Domine Deus. Conſiderationes Chriſtianæ.*

Quid proprie ſit agere pœnitentiam.

Damnari equidem nolo, dicet aliquis, ſed quoniam omnino neceſſarium eſt ad id agere pœnitentiam, quid eſt agere pœnitentiam? Eſt in æternum peccatis abrenuntiare; eſt æternum inſtituere divortium cum iis rebus omnibus, quæ in cauſa fuerunt, ut divinæ gratiæ jacturam faceremus; eſt tanto ſcelerum noſtrorum dolore affici, ut certum ſit nobis numquam poſthac in culpam incidere; eſt ſecedere ab iis omnibus, quæ nobis eſſe poſſent recentis lapſus occaſio, licet nihil illis eſſe nobis poſſit antiquius, ita ut ſi noſter oculus, vel manus nobis offenſionis extiterint cauſa, hic oculus eruendus; & hæc manus abſciodenda, projiciendaque ſit: *Si oculus tuus ſcandalizat te: abſcinde eum, & projice abs te.* (*Matth. 5.*) Videlicet omnia relinquenda ſunt, quæ nos in ſcelus perducere poſſunt, licet nobis æque jucunda, acceptaque eſſent, ac manus, & oculus. Pœnitentiam agere eſt, vitæ rationem inſtituere prorſus oppoſitam illi, quam antea ſequebamur; odiſſe quidquid antea cum peccato amabamus, & amare quidquid antea perperam oderamus, quantumvis hoc grave, aut moleſtum corruptæ naturæ eſſe valeat. Verbo, eſt creaturam relinquere, ut ad Deum revertaris, quemadmodum flagitioſe vivens deſerueras Deum, ut creaturæ adhæreres. Agere pœnitentiam eſt pro peccatis ſuis Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, & quantum eſt in nobis illatam Divinæ gloriæ contumeliam reparare. Hæ autem ſatisfactiones ad jejunium, precea, & eleemoſynam rediguntur. Hoc eſt agere pœnitentiam; ullamne umquam huic ſimilem egimus; an ſaltem in illius agendæ voluntate verſamur? Numquid aliqua nobis hæret culpa, cui velimus ignoſcere? Scrutemur imam cordis noſtri partem; quot ſinus adhuc, & ambages inviſendæ, & expiandæ in hoc vitiorum omnium ſterquilinio? Num noſmetipſos fefellimus velleitates, & inefficacia deſideria pro ſincera noſmet convertendi voluntate, ſinceraque pœnitentia ſumentes? *Chriſtianæ conſiderationes.*

Cordis vere contriti ſenſus.

Nihil certe melius oſtendit pondus miſericordiæ Dei in anima pœnitente, quam intueri plurimos peccatores ſibi fortaſſe præteritorum criminum conſcios, adhuc miſeræ ſorti deditos, donec illa ex corruptionis maſſa educta eſt, & a Deo ad ſanctitatem vocata. Nihil hoc æquiorem animi grati ſenſum ciet. Tunc incomparabili hoc beneficio cumulata, ſanctæque humilitatis ſpiritu rapta clamat: Quid in me reperiſti Domine Deus tot gratiis, & favoribus dignum? quid in me erat præ tot aliis, niſi plus miſeriarum, ac plus reſiſtentiæ gratiæ tuæ? Quid feci, ut me præ aliis tot bonis ornares? Heu! cum me de præcipiti abyſſo, in qua alte demerſus eram, eduxiſti, id minime præ cæteris merebar; fueram infidelis in muneribus meis, ſurdus afflatibus tuis, & validis luminibus tuis cæcus. *Ex Sermone, qui P. Maſſillon acceptus, fertur.*

Pœnitendo ſpiritu cum

Non ſatis eſt externam habere pœnitentiæ ſpeciem, ſpiritus habendus eſt. Nihil vulgatius erat hoc ſpi-

Parvasti cor tres operatur effectus, titu pœnitentiæ primis illis temporibus, quibus integritas morum illum minus necessarium reddebat; hodie vero nihil infrequentius est, cum morum corruptio illum omnino necessarium esse testatur. Ubi spiritus hic potitus est corde, ibi certe tres hosce producit effectus; quorum primus est sincerum desiderium satisfaciendi Deo, affligendo cor suum, castigando corpus, sensus, & incompositas animi affectiones mortificando. Pœnitens respicit cor suum tamquam rebellionis hujus auctorem, per quam omnes illius facultates in Deum insurrexerunt: idemque ductus amore Dei, ac dolore numinis læsi, clamat: *Crucifigatur, reus est mortis*. (Psalm. 25.) Cor istud crucifigendum est vivo, & jugi dolore; sexcentorum scelerum reus est; ad illud puniendum, opus est, ut per sinceram contritionem omnibus criminibus moriatur. Respicit corpus suum tamquam rebelle mancipium, quod a Domino suo defecit; ideoque tantum abest, ut illi indulgeat, ut se numquam satis dure cum eodem agere posse arbitretur. Hinc illud mortificare cupit jejuniis, vigiliis, ciliciis, aliisque adinventionibus, quas pœnitentiæ spiritus suadet iis, qui eodem affecti sunt. Heu! indulgentia, qua noxiam carnem fovemus satis ostendit, nos nequaquam hoc pœnitentiæ spiritu animari. Alter effectus, quem in corde parit spiritus pœnitentiæ, amor est solitudinis, & desiderium a mundo recedendi. Pœnitens mundum, & periculosas, quæ in mundo sunt occasiones, quæ lapsuum suorum extitere causa eodem respicit cum timore, & horrore, quo spectantur scopuli, in quos allisus naufragium est passus. Illos evitare studet propria edoctus experientia, quanta sit imbecillitas, & corruptio sui cordis, & quam parum sibi sit in propria virtute confidendum. Credit se non posse invenire securitatem nisi in fuga, & secessu. Novus pœnitens respicere debet cor suum tamquam facem extinctam quidem, sed adhuc fumigantem, quæ statim iterum accenditur, ubi ad flammam fuerit admota, videlicet ad adspectum objectorum, quibus fuerat inflammata. Spectare debet virtutem suam veluti florem nuperrime efflorescentem, quem ventus, aut minimus solis ardor exurit. Denique anima, quam tetigit Deus, & quæ sese convertendi desiderio tenetur, recedere debet, sese recipere, ut agnoscat cordis sui corruptionem, scelerum suorum vim, & enormitatem, & funesta vincula, quibus adstringi passus est, ut coram Deo ingemiscat, ut principium tot malorum agnoscat, iisque applicet remedia. Si pœnitentiæ motus, quos nobis inspirat Deus adeo parvum habent effectum, num in causa est, quod negligimus secedere a mundo, qui efficit, ut illos amitteremus? Tertius effectus, quem in corde gignit spiritus pœnitentiæ est orationis frequentia. Anima pœnitens, quæ videt, ac sentit paupertatem suam, suam proclivitatem in malum, suam impotentiam, ac repugnantiam in bono facile intelligit necessitatem, in qua est divini subsidii, & gratiarum Dei, ut iisdem fulciatur: & quanam alia tutiori, certiorique via illas obtinere potest, quam per orationes? Ceterum nulla oratio apud Deum potentior est secreto hoc animæ gemitu, præterita plorantis mala, præsentesque miserias, & Deum deprecantis tristi quidem silentio, quod tamen facile auditur, ut illa quidem sibi dimittantur, ab his vero liberetur. Quid porro magis decet pœnitentem animam, cujus jugis occupatio esse deberet coram Deo gemere, & cum Propheta exclamare: *Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus a te non est absconditus*? (Psalm. 37.) Præsta nobis, Domine, hunc orationis spiritum; qui semper est cum gratia conjunctus, quæ in nos misericordiæ tuæ detrahit effectus, quibus quam maxime indigemus, nosque insignes peccatores in pœnitentes insignes convertit. *Pater Nepveu in Christianis considerationibus.*

Pœnitentia non consistit solum in recitandis aliquibus orationibus, sed agitur de effectibus. *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, dicebat Præcursor Filii Dei. Quod ille Judæis olim, hoc ipse Christianis omnibus dicit. Ibi nullum est verbum, quod notandum non sit. *Facite*, non igitur satis est dicere pœnitentiam, sed facienda est. Plures quidem pœnitentias dicere videntur, facere autem paucissimi. Omnes fere pœnitentiæ hodierna die ad verba dumtaxat rediguntur; sed ubinam sunt effecta? Recitantur contritionis formulæ, quarum cor expers est: hæc sunt verba. Profitemur nos vitæ rationem immutare velle, & converti, quin hoc umquam opere compleamus; hæc sunt verba. Recitamus quidem quasdam vocales preces, quas Confessarius nimis fortasse indulgens nobis recitandas imponit, pœnitentiæ loco: hæc sunt verba; sed ubi effecta sunt? Hæc nusquam videntur. Nonne huc omnis pœnitentia nostra redigitur? Quid autem sunt verba, si sola sint, nisi ventus? Quid ergo in illis fidendum est, ut peccatorum nostrorum veniam consequamur? *Idem.*

Præstat in hoc mundo, quam in alio agere pœnitentiam. Necessario in hac vita, vel in alia pœnitentia facienda est. Utrum mavis? Elige, donec licet; tempus aderit quo minime licebit, licet velis. Vitæ hujus pœnitentia non est diuturna, quia numquam vitæ tuæ terminos excedit, quæ semper est brevissima. Quantumvis hæc sit austerissima, semper tamen levis habenda est, si eam conferas cum inferno, quem meritus es, cum peccatorum, quæ commisisti multitudine, cum Dei a te læsi magnitudine. Perutilis est, una enim lacrymula, quam sincera elicit pœnitentia, Deum lenit, nos a peccato liberat, nobisque æternam felicitatem procurat; sed damnatorum pœnitentia modo caret; quandoquidem illos omnibus bonis privat, omnia illis infert mala; diutina est, non enim alium habet finem, quam æternitatem; inutilis etiam, non enim delet peccatum, neque a pena, quæ illud subsequitur, liberare nos potest. Utra videtur tibi anteferenda? *Idem.*

Qualenam esse debeat propositum pœnitentiæ. De fide est pœnitentiæ propositum præstantiorem esse debere omnibus desideriis, ac timoribus, quibus voluntas suapte natura fortasse movetur: si enim in corde unus esset timor, vel unum desiderium, quod vel æquaret, vel superaret istud propositum, jam hoc non esset propositum salutaris hujus pœnitentiæ, quæ salvum facere debet peccatorem. Hæc insignis veritas, & ratio, quam afferunt Patres est, quod pœnitentia, qua justificamur, nobis immittere debet horrorem peccati, qui æque perfectus sit ac amor, & timor, quo prosequimur Deum. At ut legi satisfiat, non sufficit Deum amare, & vereri; sed summopere amandus, ac timendus est, videlicet super omnia: ita ut contritionis mensura repleatur, non sufficit peccatum odisse, & detestari, sed opus est ut illud præ ceteris mundi malis oderimus, ac detestemur; & si odium, quod concipimus eo usque non procedit, frustra contendimus per hoc Deo satisfacere, eique placere. *Pater Bourdaloue in Dominicis.*

Quid sit vere agere pœnitentiam. De ea loquor pœnitentia, quæ parit in corde duraturam, constantemque mutationem, quæ efficit, ut peccatum oderimus ad illius habitus destruendos, ad illius occasiones fugiendas, ad infringendas cupiditates, quæ illius sunt origo; de ea pœnitentia, quæ efficit, ut peccator jam conversus, & ad bonam frugem reversus dicatur; de ea tandem pœnitentia, quæ pacem producit in corde, & quæ est æquissima ad salutem acquirendam prærogativa. Hæc illa est pœnitentia, quæ raro in hominibus inveniri dicitur, raroque invenitur. Plerique peccatorum aliquando saltem confitentur peccata sua, sed licet tunc facerent, quæ facienda sunt, ut justificentur, si paulo post iterum in eadem flagitia labuntur, hæ paucorum dierum mutationes, hæ innocentiæ momenta pluribus peccatorum annis permixta, merenturne nomen pœnitentiæ? inde ne

jure

jure salutis spes concipi potest. Infernus plenus est illis, qui hoc pacto egerunt pœnitentiam. *P. Segneri in Meditationibus.*

David non oblitus est peccati sui licet dimissi: nos vero ut obliviscamur nostrorum, eaque plorare non cessemus.

Ubi David peccatum suum confessus Prophetæ Nathan dixit: *Peccavi*, respondit illi Propheta, transtulit a te Dominus peccatum tuum. Post adeo apertum responsum dubitare non poterat David, utrum sibi crimen suum remissum fuisset; tamen petit adhuc deinceps, ut sibi remittatur; in hoc urget, hoc incessanter persequitur; non quod timeat se veniam non obtinuisse, sed desiderio illam semper in dies perfectius obtinendi, ut *ubi abundavit delictum, gratia superabundaret*. Hoc eodem consilio sibi nequaquam satis esse putat Dei misericordiam implorasse, obtestatur etiam Deum, ut sibi *secundum multitudinem miserationum suarum* indulgeat. Videlicet hic Rex peccati sui petit remissionem per omnia misericordiæ opera, quæ Dominus exercuit; quoniam opera eadem & varietate, & multitudine infinita, numerari non possunt: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Dici hic quoque potest David licet certum veniæ peccati sui ab eadem efflagitanda non cessare, ut doceat, quid faciendum sit nobis, qui non solum certi non sumus crimina nostra nobis fuisse dimissa, sed qui tot habemus de hac re causas dubitandi. Ne credamus, proprias recogitare iniquitates illorum esse tantum qui Deo servire incipiunt. Rex Propheta, qui Deo erat adeo acceptus, jugiter ob oculos gerebat scelus suum: *Peccatum meum contra me est semper*, Non dicit quidem; *adulterium meum contra me est semper*; quia quædam flagitia generatim potius, quam singillatim sunt memoria repetenda; verumtamen se peccasse numquam obliviscitur. Ita quantumvis justus, perfectus, sanctusque sis, licet David ipsum sanctitate æquares, opus est, ut usque ad vitæ finem, memineris infirmitatum tuarum, easque lacrymas eluas. *Idem.*

ad Rom. 5.

Psal. 50.

Psal. 145.

David semper ob oculos habet peccatum suum.

Peccatum David juge auctori suo bellum inferebat: *Peccatum meum contra me est semper*. Illud semper versatur ob oculis ejus, eique semper ingrati animi vitium refricat. Severus est censor, cujus in singula momenta amarissima sustinet probra, quæ numquam ei quietem permittunt, quæ jugiter illius animo occurrunt, quæ illum lacessunt: *Peccatum meum contra me est semper*. Poterat quidem David intuitum negare objecto molestissimo; sed illi placet hoc adspicere, & considerare, quoniam hæc æterna erit causa sui ruboris, doloris, & vigilantiæ. Sed cur peccatum tuum in te vim eamdem non habet? Quia tantum abest quod illud tuis oculis tibi subjicias, ut imo in id unum intendas, ut quam procul ipsum a sua mente, animoque semoveas. *P. Segneri in Meditationibus.*

Dolor ob last Deum & spes in Dei misericordia.

Peccavi, Domine; sed numquam peccati mei obliviscar: nolo amplius ulla re affici, nisi patrati hujus criminis dolore, & voluptate, quam ex spe veniæ obtinendæ percipere possum. Scio, Domine, quam indignus sum hac venia, sed hanc peto ad extensionem misericordiæ tuæ. Ut miserearis mei, nil minus requiritur, quam tota misericordia tua; ita olim precabatur te Rex Sanctus pœnitens; cur mihi non sunt illius sensus, & dolor? Numquid enormitatem peccati mei non agnosco? Numquid ignoro funestum illum statum, quo me adduxit, & miseram meam proclivitatem in malum, quam in meo corde reliquit? Quid ergo moror, ac non statim illud pœnitentiæ lacrymis eluo? Debeo quidem peccatis meis has lacrymas, & hæc pœnitentiæ exercitia, sed tuum est Domine, efficere, ut has fundam lacrymas, & sanctas hasce austeritates amplectar per gratiam tuam. Tuum est, abluere, & mundare me a peccato meo. A te supplex peto hanc pœnitentiæ gratiam, eique fidelis ero. Per illam ne pereat in me sceleris mei memoria, ut illud incessanter detester, semperque salubrem hanc memoriam fallacibus, atque inutilibus omnibus mundi gaudiis anteferam. *Idem.*

Vera pœnitentia satis non est dolore peccatorum suorum affici; petit, ut peccata expientur.

Ad fidem non sufficit credere ex corde, nisi ore fateamur. Hoc conceptis verbis Sanctus Paulus docet; cui addo secundum ejusdem Apostoli doctrinam, ad veram pœnitentiam non sufficere cor contritum, & humiliatum, nisi peccator simul offerat Deo in hostiæ formam carnem cum corruptis cupiditatibus suis mortificatam. Tale est, Sanctus Gregorius Pontifex ait, officium hominis, qui cum constet anima, & corpore, anima quidem spirituali, ac prorsus cœlesti, corpore vero terrestri, ac penitus materiali, debet utroque Deum colere, si exhibere vult Deo rationabilem cultum, in quo integritas Religionis consistit. *P. Bourdalove in variis Sermonibus suis.*

Ejusdem argumenti.

Eximium principium, quod re adhuc integra suppono, & unde argumentor, pœnitentiam Christianam late sumptam, duplex esse sacrificium, quod Deus exigit a nobis. Sacrificium spiritus, & sacrificium corporis; sacrificium spiritus per contritionis humilitatem, & sacrificium corporis per externam ipsam satisfactionis auctoritatem. Sacrificium spiritus, sine quo, quemadmodum Gentium magister docet, nil prodest corporis sacrificium; & sacrificium corporis, sine quo spiritus sacrificium plerumque est illusio, & phantasma coram Deo. Itaque utriusque hujus sacrificii conjunctio est omnino necessaria, ut perfectum fiat holocaustum de quo loquor, & a quo integra pendet hominis peccatoris reconciliatio cum Deo. *Idem.*

Quo zelo prisci Christiani puniebant in se minora peccata.

Quid admirabilius sanctis illis indignationibus, quibus primi Fideles sibimet irascebantur? quæ salutaria suspiria incessanter effundebant in cœlum? Quibus æris intrinsecus urebantur in corde, cum ob scelus aliquod sauciatam gerebant conscientiam? Quibus doloribus conficiebantur criminis unius recordatione? Nihil illis solatio esse poterat, nisi mortificatio; neque ullam invenire poterant pœnam, quæ sceleribus suis par esse posset. Dies noctesque in ferventi oratione traductæ nequaquam satis esse posse videbantur ad illa delenda. Pro nihilo habebant arctissima jejunia, quæ cum summa severitate observabant, tantum cibi sumentes quantum satis esset ad vitam alendam, quam ideo tueri volebant, ut diutius producere possent pœnitentiam. Quod si postquam in cinere & cilicio ante Ecclesiæ fores steterant plures annos perenni gemitu peccati lacrymis jam diluti veniam deprecantes, contingebat, ut hæc ipsis venia concederetur, eam spectabant tamquam gratiam, qua se indignos esse censebant; & ne secundo plorare tenerentur lapsum, levissimas etiam peccati occasiones vitabant. Voluptates honestissimæ illis periculosæ videbantur, & licet per pœnitentiæ magnitudinem primam morum integritatem reparassent, tanto ardore, & constantia perseverabant in semet mortificare, id quod efficerat, ut semel peccarent, ut sæpe fierent puriores, & sanctiores illis, qui numquam in similes noxas inciderant. *Sermo primus Academiæ anni 1667.*

Impius Antiochus falsæ pœnitentiæ exemplū.

Tantum similitudinis falsam inter, veramque pœnitentiam intercedit, ut Deus unus, qui cordium sinus rimatur, illas distinguere valeat. Quinam dolor majorem veritatis speciem præsetulit, quam impii Antiochi, qui pollicebatur se Jerosolymitano Templo restituturum quidquid abstulerat; neque id semel, sed decies tantumdem? Qui adeo præclaras protestationes effecerat, & qui profunde adeo se humiliare videbantur? *Orabat scelestus hic ad Dominum, a quo misericordiam non erat consecuturus*. Sese cum lacrymis, & ejulatibus humiliabat, idque palam coram omnibus exercituum suorum ducibus, atque præfectis. Confitebatur crimen suum, & recipiebat, se protectorem futurum populi Dei, quem hactenus fuerat persecutus. Volebat purpuram, regnumque abjicere, ut præ-

2. Mach. 9.

præco fieret mirabilium Dei. Cupiebat etiam in Judæorum sacra transire, & hanc amplecti religionem, quæ una tunc erat vera. Quem hæ rerum species non fefellissent? Quis non credidisset veram esse hanc illius pœnitentiam? Et nihilominus Deus illam abjecit. *A quo misericordiam non erat consecuturus. Auctor Recens.*

Pœnitentia quamdam statuit æqualitatis speciē Deum inter, & hominem.

Pœnitentia est effectus pendens a Divina justitia; cum enim per peccatum læsus fuerit Deus, injuria reparanda est, & Deo ex asse est satisfaciendum: & proprie loquendo læsa Dei justitia injuriam hanc delere non potest, neque hanc inæqualitatem redigere ad æqualitatem nisi per pœnitentiam. Etenim id pono, quod verum est, morientem in peccato illud retinere, & in eodem persistere in inferis in omnem æternitatem; donec Deus erit Deus, semper hoc peccatum committet. Ignes, carbones, flammæ, justitia Dei; facite quodcumque vultis in reprobo peccatore, numquam certe peccatum ejus delebitis. Illud in æternum puniam, dicet justitia Dei; ego vero, respondebit anima damnata, tibi in æternum maledicam. Te æternum odio persequar, dicet peccatori Deus; ego vero, peccator reddet, te in æternum execrabor, & perhorrescam. In æternum meam in te ultionem persequar, dicet Deus; ego vero evomam in æternum maledicta rabiemque meam contra te. Ita justitia non delet unquam, sed semper punit peccatum in Inferno. Deletur vero per pœnitentiam; hæc enim separans peccatoris voluntatem a creatura, cui adhærebat; illam iterum cum Creatore, a quo peccator recesserat, conciliat: cumque peccator infernum promeritus sit, efficit, ut ille quidem ulterius non reformidet, ut illuc cadat; sed ille sibimet faciat infernum ad offensam reparandam, ac ex integro restituendum Deo, quod illi debet. Cum vero infernus sit omnium malorum sentina: *Irruet super eos omnis dolor.* (*Job 20.*) Ita pœnitentia reddit cor inexplebile, ac industrium in excogitandis pœnis, quibus se ipsum torqueat in mundo. Punies me, Domine, in inferno tamquam inimicum; hic autem mirifice facis, ut ego in memetipsum animadvertam novis artibus pœnitentiæ. Hinc industres tot Sanctorum pœnitentias intuemur. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Sincera peccatorū nostrorum confessio.

Ubi mecum reputo præteritæ vitæ meæ flagitia, quam terribilis peccatorum vis occurrit animo meo, quorum nondum egi pœnitentiam! Qua ratione mulcere possum Dei justitiam? Licet unum tantummodo scelus patrassem: totum vitæ meæ spatium, quantumvis diuturnum, nimis fluxum esset, & breve ad pœnitentiam agendam. Quid autem erit post tot annos in habitu peccati traductos? Temet ulciscere, Domine! Peccatorem hunc, a quo toties lacessitus fuisti, statim puni, neque differas in diem ultionum tuarum tuas animadversiones. Ecce tibi sanctæ legis tuæ prævaricatorem inimicum gloriæ tuæ cupiditatum suarum mancipium; hominem in vitium pronum, virtuti oppositum, pœnitentiæ osorem, tuæ gratiæ rebellem. Ecce illum ad pedes tuos provolutum, sincere sua fatentem crimina, ac semet subjicientem omnibus suppliciis, quæ eidem irrogaveris. *Peccavi*, utique ego toties te affeci contumelia. Mereor justissimam damnationis sententiam, quam feres adversum me, nisi oculis misericordiæ tuæ me respexeris. Non dignus sum, qui in filiorum tuorum numero recensear; nomine adeo glorioso dignus non sum. Satis est, ut me veluti profugum servum tuum putes, cui tamen veniam largiri digneris: *Jam non sum dignus vocari filius tuus: sed fac me sicut unum de mercenariis tuis.* (*Luc. 15.*) *Christiana considerationes.*

Propositū pro virili deinceps expiandi peccata nostra.

Nimium differs, Domine, animadvertere in peccatorem æque improbum, ac ego sum. Volo deinceps me tibi æquiorem probare. Excipe tantum pœnitentiam, quam suscepturus sum ad reparandam contumeliam, qua infinitam majestatem tuam affeci. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte?* (*Jerem. 9.*) Reliquo vitæ meæ spatio lacrymis eluere volo factum, quo tibi displicui. Abrenuntio huic sceleri, cui nimis adhærere visus sum, & cujus tandiu expectat, ut offeram tibi sacrificium. Illi ex toto corde abrenuntio, illi in omne tempus abrenuntio. Sed quod reus crimen suum detestetur, non satis est; opus est, ut sicut oblectatus sum Deum lædens, ita nunc pœnitentiæ severitatem experiar. Ex hoc ipso temporis puncto polliceor, me non ægre neque gravate laturum, quidquid me pati volueris. Præterea in me ipsum quoque ultro animadvertere volo. Quæcumque mihi occurrent occasiones voluptate aliqua perfruendi; eamdem mihimet interdicam, ut justitiæ tuæ in pœnitentiæ spiritu satisfaciam. Ita vitam moresque meos volo instituere, ut nihil sit, quod egomet mihi possim objicere. Reparare volo scandalum, quod pravis exemplis meis præbui. Cum autem quidquid facere possum exiguum est, tibi in satisfactionem offero passionem, & mortem Filii tui. Intuere mala, quæ pertulit, & dimitte peccata, quæ ego commisi. *Ibidem.*

Pœnitentiæ Spiritus.

Anima pœnitens libenter amorit solitudinem, ut a sæculi corruptione recedat.

NOn postremus inter eos motus, quos spiritus pœnitentiæ inspirat animæ, quam tetigit Deus, & quæ sincero flagrat sese convertendi desiderio, amor est solitudinis, seu quod hæc illi tempus, locumque suppeditat effundendi cor suum coram Deo, nec non libertatem lacrymis, secretisque gemitibus, quibus vitæ præteritæ flagitia prosequitur: seu quod respiciens Mundum, & occasiones, quæ in Mundo passim occurrunt, quæ illam in tot flagitia impulerunt, & extiterunt causa lapsuum suorum, cum eodem timore, ac tremore, quo calamitosus intuetur scopulos, in quos allisus fecit naufragium, illos evitare conatur: seu quod edocta funesta experientia cordis sui corruptionem, voluntatis suæ imbecillitatem, suæque virtutis fragilitatem, putat se nullibi in tuto esse posse, quam in fuga, & solitudine. Hac de causa pœnitens peccator præ desiderio pro viribus satisfaciendi Divinæ justitiæ, solerter evitat omnes sodalitates, quibus ab hoc adeo sancto consilio posset deterreri. Hinc ille vias omnes scrutatur in Dei gratiam redeundi, ac in se magis, magisque confirmandi; nimis beatus si per pœnitentiæ mortificationes se ipsum confirmare posset in recta via salutis, æternæque felicitatis. *Societas ad petendum a Deo amorem Domini nostri.*

Qui verum non habet peccatorū dolorem sensim degenerat.

Si quando accidit, ut scelera nostra mente repetamus; memoria hæc non permanet diu; mens statim evagatur ad alia cogitanda: vix intra horam nos pœnitere potest scelerum nostrorum, eorumque affici dolore. Hinc peccata peccatis agglomeramus, quia non satis nos eorum pœnituit, quæ patravimus; non laboramus admodum, ut illa confiteamur; & quomodo hoc fieri posset quandoquidem via eorum reminiscimur? Ita contemnentes peccata nostra induramur; cumque nullo affecti simus dolore primorum scelerum, haud ægre veteribus addimus recentia. Cum enim nullis agitamur stimulis, & quiescimus, quasi nihil esset nobis metuendum; nullum scelus est, cui pares non simus, neque ultra reliqua est ulla spes ex cœno emergendi. Cum nullus est metus, nullus dolor, nullum probrum, nulla pœnitentia, spes etiam nulla est. *Ex Opusculis Sancti Chrysostomi.*

Verus pœnitentiæ spiritus non est flere sua mala, sed sua peccata.

Vera pœnitentia nequaquam in eo tantum sita est, ut ingemiscas, plores, ac te ipsum torqueas. Plurimi mœrent, & conqueruntur; sed de ærumnis suis, terrenisque malis, de adversa fortuna, de abjectis exercitationibus, quibus generis sui humilitate addicti sunt. Misera quidem hæc vita est; dolore confici non ob peccata sua, sed ob infortunia. In misero hoc tristique statu nullum cœlitus expectari potest solatium; laboratur sine merito & citra aliquam spem mercedis. Quam felices essemus, si quod ex necessitate patimur, libenter

pro

pro nostris sceleribus, & propter Jesum Christum sustineremus! Procul dubio jugum illius suave, & onus leve nobis videretur; & per fluxas, facilesque pœnas beatitudinis æternitatem mereremur. Veri pœnitentes invicta constantia omnes superant difficultates, a se amovent quidquid zelo eorum in hac via naturæ permolesta adversatur. Animæ magnæ, quæ vere quærunt præteritæ vitæ mala reparare, licet multa sint ardua, & aspera in angusta pœnitentiæ via, omnes superant difficultates, & omnes pro virili conatus exerunt, ut divinæ justitiæ satisfaciant. Hic verus est pœnitentiæ spiritus. Hoc pacto expediti omni timore, & affectu rerum terrenarum ingredimur in arctam hanc viam, in hanc viam pacis, donec perveniamus ad illius pacis sedem, quæ in omnem beatam æternitatem est perventura. *Card. Bellarm. de gemitu Columbæ.*

Descriptio bonitatis divinæ erga peccatorem exhibita in patre Filii Prodigi. *Luc. 15.*

Quinam sunt veri sensus animæ vere pœnitentis? Prodigi Filii ad Patrem reditus, ejusque circumstantiæ eos nobis palam ostendunt. Reditus illius statim consilium redeundi subsequitur. *Surgam*, & surgit, *Ibo ad Patrem meum*, & ecce jam se ad illius pedes prosternit. Quælibet mora, ubi de pœnitentia agitur perniciosa est: pœnitentiam non agit, qui procrastinatur. *Cum adhuc longe esset:* Deus hic seipsum describit; postquam descripsit Filium, & pœnitentem. Non solum hic Pater nihil exprobrat Filio, quod suavissimi etiam mortalium faciunt: vix illi præbet spatium confitendi peccata sua, cum cito sibi jubet proferri *Stolam primam*. Ita sese gerit Deus erga pœnitentem: præteritorum obliviscitur; ab eo nihil ultra peccatori metuendum est: gratia omnem dulcoravit amaritudinem. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus &c. Tomo 2.*

Pœnitentiæ Felicitas.

Non deest quodam felicitatis

CUm Mundi hujus vita infortuniis, ærumnisque perturbatur, lacrymis obortis nostris mala prosequimur: sed heu! inutiles hæ lacrymæ sunt, neque adempta nobis bona valent reparare. Lacrymæ vero, quas acer, vividusque peccatorum nostrorum ciet dolor, exitum habent toto cœlo beatiorem. Habent enim vim delendi omnes iniquitates nostras, ac nos in eum restituendi felicem filiorum Dei statum, unde per scelus excideramus. Peccati magnitudo, & veniæ spes duæ sunt æque validæ causæ ad eliciendas ex peccatoris oculis lacrymas, eumque ad pœnitentiam impellendum. Si illis vis inest eluendi crimina; si saluberrimum sunt pharmacum, cujus ope peccator ablatam sibi nancisci valeat salutem: nihil ultra requiritur, ut intelligamus de qua felicitate loqueretur Dei Filius, cum diceret: *Beati, qui lugent*. Jesus Christus lugentes beatos vocat, *quoniam ipsi consolabuntur*. Facile est intellectu eos qui pœnitentium more vixerint super terram, gaudio repletum iri post vitæ hujus spatium. Tristes quidem eritis, ait illis, sed tristitia vestra mutabitur in gaudium. Hæc autem felicitas pro illis non est, qui lugent jacturam bonorum temporalium, pinguium prædiorum, honorum, & dignitatum; pro illis tantum est, qui Divinæ gratiæ jacturam fecerunt. Cor illorum gaudio replebitur, cum supremi boni possessio finem fecerit tot mœroris occasionibus, quæ catervatim illi occurrunt, verum est, sed in hac quoque vita animæ sanctæ, humiles pœnitentes identidem delibant eas delicias, quibus fruitur anima fidelis gratiæ, & quæ contendit præteritæ vitæ flagitia austeritatibus, & mortificationibus, quæ præsentem suum statum decent. Pœnitens terrenas hasce voluptates relinquens aliqua perfunditur voluptate; lacrymas fundens, gaudet; & ipsæ etiam mortificationes ipsi in delitias commutantur, ita ut dicere possit cum Sancto Paulo: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea. Lambert in Anno Evangelico Tomo 7.*

genus in via pœnitentiæ.

Matth. 5.

2. Cor. 7.

PRÆCEPTA DEI;

Eorum observandorum obligatio, obedientia legibus supremi hujus Legislatoris debita.

MONITUM.



Oc in loco de divina lege non loquimur nisi quoad mandata, quæ continet; eorumque observandorum obligationem. Ideoque de obedientia generatim, de qua alibi sermo fuit, verba minime facimus, neque de Evangelicis institutis, quantumvis pleraque totidem præcepta sint. Argumentum hoc primo statim intuitu late nimis patere videtur, ut alia plura; sed satis coarctatum, brevibusque cancellis circumscriptum est, ubi de singulis præceptis seorsim oratio minime habeatur, nisi quatenus exempli gratia afferri possunt, vel ut id, quod reliquis omnibus commune est, explicetur. Itaque de præceptorum Dei observantia, vel de obedientia, quæ legi debetur, didascalicus institui potest sermo, quemadmodum institui solet de affectibus, pœnitentia, aliisque id genus argumentis, quæ generatim considerari possunt, quamvis plurima habeant membra, quorum singula proprio, ac particulari sermoni argumentum possunt suppeditare.

Notandum quoque est, quamvis Catechista vulgo Decalogum, vel Dei, & Ecclesiæ præcepta assumant pro familiarium instructionum suarum argumento, quatenus illa sunt prima christianæ religionis rudimenta pueris tradenda, hoc minime prohibere, quominus concionatorio more loqui possis de tanti momenti argumento, quod numquam satis pertractari potest; quoniam sine præceptorum observatione adulti salvi esse non possunt, & harum sacrarum legum prævaricatio unica est damnationis illorum causa. Adde his nullum ferme sermonem esse, cujus aliquam sibi partem hoc non vendicet argumentum, si totus in hoc nequaquam versetur; etenim in hoc tota fere Moralis christiana consistit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

I. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*. Numquam Deus majori in majestate refulsit, quam cum lex sua in monte Sinai promulganda fuit, atque probanda: quis terror, quis apparatus! Hodie vero in monte Tabor sua induitur gloria; facies ejus sole ipso nitidior est; Moyses, & Elias illum comitantur, quorum alter magnus est ipsius legislator, alter vero magno succensus fuit zelo contra legis prævaricatores.

Duo mortalium genera divinæ legis observantiæ opponuntur; alii hanc impune violant, & impii sunt; alii negligunt illam, & sunt ignavi Christiani, suimetipsorum amatores, ac parum ferventes: illi eam injustitiæ insimulant, quod libertatem ipsorum torquere velit, ejusque usum ipsis permittere; hi nimiæ severitatis illam redarguunt, quod molestam, gravem, incommodam vitæ rationem ab ipsis exposcat. Contra duplex hoc hominum genus duas hasce propositiones probaturus sum, concionis partitionem futuras. Prima est, Dei legem justam esse, ipsam immo æquitatem: altera est, facilem esse, & commode observari posse; ideoque nos ad illam observandam ex justitia, & ex propria utilitate teneri.

Quoad priorem partem; Dei lex justa est. 1. Quia justum est, leges a Deo irrogari, ut ab omnibus supremum ejus agnoscatur imperium. Rex numquam melius suæ auctoritatis magnitudinem ostendit, quam efficiens, ut voluntati suæ pareatur, ac suas leges indicens; tunc enim ostendit sibi potestatem esse obsequium, ac obedientiam exigendi. Ita Deus numquam se melius cognoscendum tradidit, neque sublimiorem unquam majestatis suæ conceptum populo impressit, quam cum illi veterem legem irrogavit. Nonne æquum est, ut cum supremus sit Dominus, eidem obtemperetur, & homines hanc in ipso qualitatem & agnoscant, & fateantur? *Constitue legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt*. Psalm. 9. 2. Leges quoque illius justæ sunt, immo illis nihil æquius: per leges vero duodecim illius præcepta intelligimus. Etenim quantum verum est hoc principium, unum esse Deum, unum primum Ens, supremum, a nullo pendens, absolutum universorum Dominum; tantum hæ quoque veræ sunt illationes: igitur colendus est, illi serviendum; nomen ejus in honore habendum, habendaque tempora, ac dies stati, quibus illi solemnis cultus adhibeatur. In altera vero tabula principium hoc prima est regula æquitatis, alteri non esse faciendum, quod nobismetipsis fieri minime vellemus; unde sequitur aliena bona eripienda non esse, proximi existimationem non esse lædendam, neque thalamum polluendum. Omnes hujusmodi regulæ æquitati naturali innituntur, easque gentes ipsæ barbaræ agnoscunt; neque perfectius aliquid cum omnibus meditamentis suis Philosophi excogitarunt. Inde autem inferendum, illas a nobis diligentissime observandas esse. 2. Qui vero prævaricati fuerint, æternis afficiendos esse suppliciis, quia Deum lædunt, quem norunt. 3. Nos aliter testari non posse Deo subjectos esse, quam leges illius sedulo observantes.

Propositio altera. Dei lex facilis est. Propositio hæc in paradoxorum numero non est recensenda, quibus mens numquam acquiescit, quæcumque afferantur argumenta. Veritas est, ipsi Dei verbo innixa: *& mandata ejus gravia non sunt*. 1. Joann. 5. Hæ porro sunt rationes. Cogita timores, atque stimulos conscientiæ, ubi leges violantur, cogita animi inquietas sollicitudines, cum de scelere patrando agitur; quot dolores, quam acerbitatem miseris parit voluptas. 2. Dei leges præ legibus mundi non sunt difficiliores. Considera, quanti stet urbanitatis leges, & leges avaritiæ pati; & quam servilibus assentationibus opus sit, ut omnibus placeas! Impii quoque hoc ipsum fatentur: *Ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis*. Sapient. 5. 3. Laborem lenit Deus unctione, quam effundit in jugum, quod gestare nos jubet: *jugum meum suave est, & onus meum leve &c.* Matth. 11. Hinc inferendum est, leges observandas esse sine lenimento; hoc enim nos illis infringendis objicit, atque reipsa illas infringit, qui eas interpretatur, vel modificare contendit; quod ostendi potest singulorum præceptorum inductione. Finis faciendus est eas referendo maledictiones, quas in divinæ legis prævaricatores Moyses ejaculatur. *Hoc argum. est P. Catrou.*

1. Observantia mandatorum Dei Christiani gloriam constituit; quippe servire Deo, regnare est, & nulla ratione magis de illo benemereri possumus, quam illius mandata servantes, eique obedientes. II.

2. Observantia hæc sedula, ac diligens nostram constituit sanctitatem, in hoc quippe consistit præsertim, ne illud unquam lædamus, & ne a justitiæ semita unquam recedamus.

3. Illius constituit meritum, coronam, & caussam remunerationis; ita enim loquitur S. Paulus, *corona justitiæ*. Cogere nos poterat Deus, ut gratis ei famularemur; sed tam magnificus est, ut minimas etiam opellas immensæ gloriæ pondere velit remunerari.

1. In hoc incumbendum est, ut legem a Deo irrogatam agnoscamus; ut videlicet intelligamus, quid illa præcipiat, quid vetet; ignorantiæ enim prætextus excusare nequit Christianum, qui a teneris usque unguiculis edocetur illam, & cui tot suppetunt seipsum erudiendi viæ. III.

2. Inviolabili modo exercenda, observandaque est: frustra difficultates prætexemus; illud enim in nobis situm est, & nihil Deus præcipit nobis ultra vires nostras; atque lex non est adeo difficilis, ut nonnulli putant, quippe difficultas omnis gratia imminuitur.

Tria in nobis opponuntur observantiæ legis, & præceptorum, quæ nobis Deus irrogavit; sed quamquam tres hæ difficultates insuperabiles nobis videantur, illa tamen servare & possumus, & debemus. IV.

1. Ratio nostra excæcata affectionibus, quæ sciscitantur, cur Deus hoc, & illud præceperit; & quæ aliquid semper excogitant, quod mandatis ejus opponant.

2. Cordis nostri corruptio, vel nequitia nostræ voluntatis contra legem hanc rebellantia, quia studiis nostris, naturæque ipsius propensioni est contraria.

3. Amor proprius, qui nullum ferre potest jugum, neque ullam sibi vim fieri patitur: *Confregisti jugum, & dixisti: non serviam*. Jerem. 2.

Sermo institui potest de præstantia legis, quam Deus hominibus tradidit, & mandatorum, quæ illis servanda proponit, ut nos ad fidelitatem magis excitaret. V.

1. Præstantia hæc ex auctoris dignitate desumitur; Deus enim scripsit legem hanc digito suo, & ipse hæc præcepta mortalibus irrogavit.

2. De horum mandatorum perfectione judicium ferri potest ex eorumdem substantia, videlicet ex rebus, quæ in iis continentur; quia nulla virtus est, quæ ibi non præcipiatur, vitium nullum, quod ibi non prohibeatur.

3. Ex

3. Ex finis eorum dignitate; non enim ad fluxum, ac periturum, sed ad æternum bonum referuntur.

VI. Hi tres sunt errores insignes, quos homines in divinæ legis observantia committunt.

1. Dei lex reformare nos debet, hoc est sanctiores, & perfectiores efficere; nos vero illam reformare conamur modificationibus nostris.

2. Dei lex integre observanda est; nos vero nonnisi dimidium illius observamus, inde aliquam semper abscindentes partem, cui nosmet submittere detrectamus, quin cogitemus, quod in ea parte deficere idem est, ac legem totam violare.

3. Dei lex talis permanere debet, qualem Deus illam indixit; nos vero falsis traditionibus, ut olim Scribæ, & Pharisæi, corrumpimus illam.

VII. Hæ tres propositiones sermonis partitionem efficere possunt.

1. Neminem salvari posse, nisi diligenter, atque constanter Dei mandata servaverit.

2. Illa servare in nostra positum esse potestate, atque ad id necessarias vires, & gratias a Deo nobis suppeditari.

3. Facile etiam esse illa observare, ideoque omnem prætextum & excusationem inutilem esse.

VIII. 1. Dei interest gloriæ, leges hominibus dicere, eosque ad mandatorum observantiam obligare: quoniam alioquin suprema ejus auctoritas, justitia, providentia cognosci non possent.

2. Nostra quoque interest Dei leges, & præcepta servare; ab illis quippe salus, æternaque fidelitas pendet; hoc pacto justitiæ illius evitamus supplicia, ac cœli benedictiones promeremur.

IX. 1. Alii Dei legem incusant, quod ea jusserit, quæ servari non possint. 2. Alii nimiæ severitatis illam redarguunt, quod præcepta adeo difficilia, & gravia tradiderit. Duplici huic criminationi obviam eundum est, ostendendo, 1. hujus legis æquitatem, 2. facilitatem.

X. 1. Vult Deus legi suæ obtemperari submissa obedientia, quin de irrogatis præceptis ratiocinemur. 2. Obedientia generosa; repellit enim ignavos, qui levissima qualibet difficultate deterrentur. 3. Obedientia fideli, & generali, quæ ad omnia sese extendat præcepta sine exceptione, & quin pro qualibet occasione, ac prætextu dispensari velimus.

XI. 1. Ignorantia prohibere non potest, ne Dei legem servemus; Deus enim legem suam tradens tradidit quoque omnia lumina, quæ ad illam perfecte cognoscendam sunt necessaria.

2. Neque nos prohibere potest infirmitas; illam quippe nobis injiciens Deus, vires omnes, subsidia, & gratias contulit nobis, quæ omnino erant necessariæ, ut illam ad unguem adimplere possemus. *Ex P. Giroust 2. sermone Adventus.*

XII. Novæ legis præceptorum præ legis antiquæ commoda triplici hoc verbo S. Augustinus complexus est: *Mandata facta sunt pauciora, faciliora, feliciora.*

1. Numerus minor est, quippe Salvator tot legis antiquæ præcepta abrogavit.

2. Faciliora sunt, quia copiosior est gratia.

3. Fructus promptior est, & amplior remuneratio. *Ex eodem.*

XIII. 1. Quamquam Dei præcepta nobis explorata, compertaque sint, sæpe illa ignorare simulamus, ne eadem observare teneamur.

2. Quamquam eorum necessitatem cognoscamus, illa tamen servare negligimus, eo quod non intelligimus quantum negligentibus ea malum immineat.

XIV. 1. Dei lex frænum est, ne malum faciamus, quippe gravissima prævaricantibus minitatur supplicia.

2. Fax est, quæ nos regit, ut bonum operemur: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, lucerna pedibus meis verbum tuum.* Psalm. 18. & 118.

Tria requiruntur, ut lex auctoritatem omnem apud mortales obtineat. XV.

1. Summa requiritur auctoritas, & absoluta, alioquin detrectabitur.

2. Requiritur, quod lex lata sit, cognita, promulgata, ita ut nemo ignorantiæ causam prætexere possit.

3. Requiritur denique, quod justa, & æqua sit, quod publicæ, & privatæ intersit utilitatis illam servare: quæ omnia in Dei lege inveniuntur.

1. Evangelicæ legis libertas opposita est servituti legis mundi. XVI.

2. Evangelicæ legis suavitas opposita est mundanæ legis austeritati.

3. Evangelicæ legis sanctitas opposita est legis mundi impuritati.

Christiani contra Dei legem tria mala committunt, & eadem, quæ Dei filius in Pharisæis arguebat. XVII.

Primum erat traditio contra legem: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Mundus quamplurimas habet leges, quæ contra legem Dei præscriptionem obtinuisse videntur.

Alterum est falsa legis interpretatio: & sane quisquis illam more suo interpretatur, & magis perspicua præcepta in oppositum sensum detorquet.

Tertium est exterior, & superficialis legis observantia, quin illius spiritum assequamur.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, atque Auctores, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum argumenta exornandas.

Sanctus Augustinus *lib. de natura, & gratia cap. 69.* probat, Deum nihil imperare, quod fieri non possit, quia justus est, sed in rebus difficilibus illius implorandum esse subsidium, & charitati omnia esse facilia. Sancti Patres.

Hoc ipsum docet serm. 6. *de tempore*, & in Psalm. 67.

Idem *lib. 8. cap. 6. de Genesi ad litteram* rationem adfert, cur vetuit Deus, ne Adam vesceretur fructu, qui erat in paradiso terrestri.

Hoc ipsum dicit, & docet *conc. 2. in Psalm. 70.*

Idem *lib. 14. de civit. Dei* loquitur de inobedientia Adæ, ac de præcepto, quod illi irrogavit Deus.

Idem *in Psal. 118. conc. 5.* hæc explicans verba, *Ne repellas me a mandatis tuis*, docet, sine gratiæ auxilio nos propriis viribus adimplere non posse omnia mandata Dei, eamdemque doctrinam repetit in Psalmo eodem *conc. 17.*

Idem in expositione Psalmi 43. ostendit Dei præcepta suavia esse, ac facilia spiritualibus, carnalibus vero, & huic mundo inhærentibus gravia.

Idem *in Psalm. 118.* hæc verba interpretatus, *ne abscondas a me mandata tua*, ostendit, quinam ignorent hæc mandata, quæ omnibus perspicua, exploratque sunt.

Idem expositione Psalmi 57. fusius loquitur de naturali lege, quam scripsit Deus in cordibus nostris.

S. Hieronymus hæc explicans verba: *Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea*, &c. refert minas, quas intentat Deus illis, qui legem ipsius minime servant.

Idem in iis, quæ scripsit ad Ctesiph. ac in tribus libris contra Pelagianos ostendit Dei mandata esse possibilia; sed ad illa observanda necessarium esse gratiæ subsidium.

Idem in cap. 23. S. Matth. explicat Mosaicæ legis verba, quibus jubebantur Judæi ferre Dei præcepta alligata in manu, & ante oculos; & Sanctus hic ait, quod eas in manu ferre, idem est ac illa adimplere; ante oculos vero gestare, idem ac illa jugiter meditari.

Idem,

Idem *Epist.* 16. *ad Pammachium* docet Deum integrum nobis relinquere observare præcepta Evangelica, & ea, quæ altioris sunt perfectionis.

Hoc ipsum ostendit in Epistola ad Demetriadem.

Idem *Epist.* 14. *ad Celantiam de ratione pie vivendi*, docet, Dei voluntatem ab illis tantum fieri, qui Dei servant præcepta, ideoque hos tantum cœlum esse adepturos.

Idem *lib.* 2. *contra Pelagianas* ostendit, filium Dei præcepta sua brevia vocare comparate ad Pharisæorum superstitionem, qui tot cæremonias adjiciebant iis, quæ præcipiebantur in lege, ut nemo eas posset adimplere.

Idem *Epist.* 1. *ad Demetriadem* docet, præcepta omnia esse adimplenda, & non aliqua tantum eligenda, atque aliis præferenda.

S. Cyprianus *Serm. de baptismo Christi* docet, nihil in Dei lege esse impossibile, vel nimis durum, & austerum.

S. Leo *Serm.* 5. *de Epiph.* docet, quam leve sit jugum Salvatoris mundi.

Idem *Serm.* 11. *de Quadrages.* docet, ad lucernam præceptorum Dei vitam nostram a nobis nunc, & aliquando a Deo esse ad examen revocandam.

Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 1. explicat, quid discriminis adsit inter præcepta, atque consilia.

Origenes in Epistola Sancti Pauli ad Romanos, in expositione capitis 8. hæc explicans verba, *quis nos separabit a charitate Christi*, docet, Dei præcepta præ aliis quibuslibet esse observanda.

Idem *Hom.* 16. *in c.* 26. *Levit.* loquitur de benedictionibus, quas effundit Deus in eos, qui præceptis obediunt.

Idem *lib.* 3. *cap.* 3. *Epist. Pauli ad Roman.* docet, præcepta adimplenda esse ante consilia, & etiam ante particulares inspirationes.

S. Basilius *tract.* 2. *de Bapt.* ostendit, si illi; qui oscitanter Dei præcepta custodiunt, a Deo puniuntur, quid tandem futurum de illis, qui eadem violant, vel minime servant?

S. Chrysostomus *lib.* 2. *de conjunctione cordis* ostendit, Dei præcepta facilia esse ad observandum.

Idem *Homil.* 10. *in* 2. *ad Corinth.* docet, laborem, & difficultatem, quæ in præceptis servandis occurrit, unice ab ignavia nostra proficisci.

Idem *Homil.* 34. *in Matth.* probat, rem haud difficilem esse mandata servare exemplo eorum, qui fideliter illis paruere.

Idem *Homil.* 19. *ad popul. Antioch.* quæritur, quod mundus servis suis, quam suis Deus, imperet difficiliora.

Idem *Homil. in illud Pauli: salutate Priscam, & Aquilam*, tradit præceptorum, & consiliorum discrimen.

Idem pluribus in locis ostendit, quam facile sit servare præcepta. *Hom.* 57. *in Matth. Hom.* 28. *oper. imperfecti. Hom.* 1. & 9. *in primam ad Corinth. Hom.* 16. *in Epist. ad Hebr.* & in sermone de Charitate.

A scriptoribus aliquot. Canisius *in opere Catechistico* prolixum habet tractatum, ubi docet præcepta non esse impossibilia.

Catechismus Tridentini Concilii parte 3. §. 1. loquitur de præceptis Dei generatim.

S. Bernardus *Tractat. de præcepto, & dispensatione*.

S. Bonaventura *in opusculis*.

S. Thomas *opusculo* 4.

Cajetanus *in opusculis*.

Joannes Vitalis *in speculo morali*.

Dandinus *in Ethicis sacris part.* 4. *l.* 42.

Hortus Pastorum *tract.* 2. *lect.* 1. & 2.

De Richelieu in institutione christiana lect. 7. loquitur de præceptis Decalogi.

Raynerius de Pisis, *in Pantheologia*.

Granatensis in Duce peccatorum lib. 1. cap. 22. loquitur de utilitate eorum, qui Dei legem observant.

Casuistæ, & Catechistæ omnes, ac plurimi Theologi, quisque more suo, hoc argumentum pertractarunt.

In Specimine Ethicorum pro Quadragesima tomo 2. serm. pro feria 4. hebdomadæ 3. sermo est de prævaricatione mandatorum, & oppositione legis Dei, & mundi. Concionatores.

P. Giroust sermonem habet de legis observantia.

In sermonibus, qui P. Ruæi esse creduntur, sermo pro feria 4. post tertiam Quadragesimæ Dominicam.

In sermonibus, qui sub P. Bourdalove nomine circumferuntur, duo sunt de lege filii Dei.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, de præceptorum observantia verba facit.

In sermone Purificationis tomo 1. mysteriorum B. M. Virginis.

Peraldus, Labatha, Busæus. Verbo *Obedientia*. Qui collectiones ediderunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

B*Enedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea.* Genes. 26.

Usquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam? Exod. 16.

Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, &c. Levit. 26.

Custodi mandata ejus atque præcepta, quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi, & filiis tuis post te. Deuter. 4.

Custodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ibid. cap. 5.

Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere &c. Ibid. cap. 6.

Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, & custodias omnia præcepta illius. Ibid. cap. 26.

Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, venient super te maledictiones istæ, & apprehendent te; maledictus eris in civitate, maledictus in agro, &c. Ibid. cap. 28.

Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, &c. Ibid. cap. 30.

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Psalm. 118.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Psalm. 11.

Beatus homo qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Psalm. 111.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Psalm. 118.

Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Psalm. 39.

Qui fingis laborem in præcepto. Psalm. 93.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. Psalm. 118.

Pax multa diligentibus legem tuam. Ibid.

Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi. Ibid.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Psalm. 18.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Psalm. 118.

Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Ibidem.

Beati

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ibid.

Beatus vir ..... in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Psalm. 1.

Beati qui scrutantur testimonia ejus; in toto corde exquirunt eum. Psalm. 118.

Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Ibid.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Ibid.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ibid.

Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Ibid.

Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam. Ibid.

Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. Ibid.

In toto corde meo scrutabor mandata tua. Ibid.

Lex tua meditatio mea est. Ibid.

Omnia mandata tua veritas. Ibid.

Salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. Ibid.

Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Ibid.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Ibid.

A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi. Ibid.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ibid.

Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Ibid.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ibid.

Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. Ibid.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine. Ibid.

Iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi. Ibid.

Servavi mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Ibid.

Omnia mandata tua æquitas. Ibid.

Fili serva mandata, & vives, & legem quasi pupillam oculi scribe eam in tabulis cordis tui. Prov. 7.

Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo. Eccli. 12.

Qui permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Eccli. 2.

Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius. Ibid.

Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; adjecit mandata & præcepta sua. Ibid. cap. 15.

Si volueris mandata servare, conservabunt te. Ibidem.

Qui credit Deo, attendit mandatis. Idem, cap. 32.

Utinam attendisses mandata mea? facta fuisset sicut flumen pax tua. Isaiæ 48.

Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Jerem. 31.

Salutare sacrificium est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate. Eccli. 35.

Computruit jugum a facie olei. Isaiæ 10.

Væ vobis qui reliquistis legem Domini altissimi. Eccli. 41.

Altiora te ne quæsieris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Idem cap. 3.

Si audieris præcepta Domini, & custodieris ea, venient super te benedictiones. Deuter. 28.

Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui timent eam, provenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Baruch. cap. 4.

Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Matth. 15.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Id. c. 19.

Irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Marc. 7.

Euntes docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Matth. 28.

Fac hoc, & vives. Luc. cap. 10.

Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? qui dixit ei ... Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. cap. 19. v. 16. 17.

Non veni solvere legem, sed adimplere. Matthæi cap. 5.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Idem cap. 11.

Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur. Ad Roman. 2.

Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile. 1. ad Timoth. 6.

Qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo. Joann. 3.

Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus gravia non sunt. 1. Joann. 5.

In hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Ibidem cap. 2.

Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Ibidem.

Qui peccat in uno, factus est omnium reus. Jacob. 2.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Joann. 14.

Exempla ex Veteri, Novoque Testamento desumpta.

Adam primus a Deo præceptum accepit; & primus illud perfregit. Hac de re pluri- mæ haberi possunt quæstiones, quas explicare hujus loci non est: exempli gratia, cur Deus legem irrogaverit illi, quem constituerat, ut præesset cæteris animantibus, & esset veluti rex omnium creaturarum: quomodo primus ille mortalium tanta præditus sapientia, & cujus mens adeo præclaris erat illustrata luminibus, se in errorem agi permiserit, ut infringeret mandatum Creatoris sui, quem vitæ suæ fatebatur auctorem, & qui mortem illi fuerat minitatus, nisi paruisset: & quomodo tandem præcepti hujus prævaricatio causa extiterit excidii totius posteritatis, omniumque malorum, quæ deinceps terris incubuere? Omnes has missas faciamus quæstiones, ut primæ dumtaxat respondeamus. Dedit Deus legem Adæ, ut sciret sibi superiorem esse, a cujus nutu pendere, & cui obtemperare debebat. Præterquamquod volens Deus illum æternam mereri felicitatem, propter quam creatus fuerat, hanc æquiori, atque statui suo magis conformi ratione non poterat promereri, quam Superioris sui sese submittens imperiis. Sed pœna, quam proposuit Deus ob rebellionem primi hujus hominis, qui præstantissimum erat manuum ejus opus, ostendit, quænam supplicia eos maneant, qui per audaciam, atque temeritatem ultoris hujus Dei leges, & præcepta violaverint. *Exemplum Adæ.*

Quemadmodum Adam primus est, qui inobedientiæ suæ exemplo mortales ad leges Domini perfringendas impulerit, ita Abraham mortalibus propositus est, tamquam primum, atque præstantissimum exemplar obedientiæ, quæ supremo universorum Domino debetur. Et profecto post Dei filium nullius fidelitas melius probata fuit imperiis gravioribus. Jussus enim fuit patrium solum, & locum nativitatis relinquere in aliam concessurus regionem, quæ ipsi locus erat exilii; atque statim dicto paruit. Sese circumcisionis legi submisit, quam ut in seipso inciperet, Deus illi præcepit. Quod vero sancti hujus Patriarchæ obedientiam effecit insigniorem, omnesque cœli benedictiones in ipsum, omnemque illius progeniem promeruit, illud fuit, quod per ipsum non steterit, quominus *Exemplum Abrahæ.*

gra-

gravissimum; acerbissimumque facinus aggrederetur; videlicet, ut illi filium sacrificaret unigenitum, spem frequentissimæ sobolis, quam per hunc eumdem filium Deus illi se concessurum receperat. Non audiit ille hac in re naturæ suæ sensus; non hæsit videns secum pugnare & Dei recens præceptum, & ejusdem promissionem. Leges omnes, quas deinde omnibus hominibus irrogavit Deus, nihil habent, quod cum præcepti hujus austeritate valeat comparari.

Moysis exemplum.

Magnus hic vir; cujus opera usus est Deus, ut populum suum de Ægypti captivitate liberaret, Legislator vocatur, quia ipse veterem legem indocili tulit populo, qui nonnisi metu ducebatur; ideoque lex illa data fuit in monte Sinai, ad quem populus ne accederet, terribili fulgurum inde emicantium adspectu, formidabili tonitruum fragore, ac horribili buccinarum undequaque clangentium sonitu deterrebatur. Ita Deus promulgavit decem præcepta, quæ in lege illa continentur, & quæ ad sæculorum usque finem erunt vitæ nostræ regula, itaut violari minime valeant, quin committatur scelus, & quin hoc ausus se perduellionis, ac divinæ Majestatis læsæ constituat reum. Ambigi nequit, quominus Moyses, qui a Deo fuit electus, ut legis hujus esset præco, ejusdem fidelissimus quoque fuerit observator; si enim peculiaribus a Deo sibi traditis paruit imperiis, qualia fuere, Pharaonem adire, populum per medios Ærythræi maris fluctus traducere, aliaque id genus, ubi maxime firma, & constanti animi præsentia fuit opus, credendum est, cum Deus illius usus fuerit opera, ut leges suæ ab aliis servarentur, hoc primum quoque fuisse, qui eas fidelissime observaret, quandoquidem mox adeo severe animadvertit in earum prævaricatores, necnon minas, & maledicta acerrime in illos ejaculatus est, a quibus perfringerentur.

Alia Scripturæ exempla.

Inutile foret istic multitudinem congerere exemplorum cum eorum, qui fideliter Dei legem servarunt, tum eorum, qui severissimis affecti fuere suppliciis, eo quod illam violarunt; omnes enim veteris testamenti justi viri nomen hoc meriti non sunt, ac tales reipsa non fuerunt, nisi quod seduli extiterunt legis observatores; & omnia scelera, quæ ab ipsis usque terrarum primordiis patrata fuerunt, non aliud fuere, nisi vel naturalis, vel scriptæ legis prævaricationes; quemadmodum benedictiones, omnesque gratiæ seu temporales, seu spirituales, quibus Deus veteres Patriarchas, Prophetasque cumulavit, fidelitatis eorum hac in re præmia fuere. Verum omittere nullatenus possum tres viros, qui religiosissimi fuerunt divinæ legis observatores, & quibus Scriptura singulari pacto hoc defert elogium.

Exemplū Job.

Primus est Sanctus Job, qui in ipsa licet naturæ lege dicitur justus, & timens Deum, quem ille ipse tot malis obrutus in amaritudine cordis sui innocentiæ suæ testem appellat. Quamobrem Origenes lib. 1. in Job ait, hunc omnem observasse legem, antequam lex ipsa ferretur: *Ante legem, & extra legem adimplevit omnia.*

Exemplū David.

Alter est Sanctus Rex David, cui Sacer Textus hoc perhibet testimonium: *Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Hic tamen semel lapsus est adulterii, & cædis reus; quæ crimina explicite prohibentur in lege: sed illius pœnitentia æque insignis est, ac ejus crimina, quæ infinitis propemodum justitiæ operibus reparavit eo usque, ut nullum inter Psalmos ejus invenire sit, ubi de sua in Domini legibus servandis fidelitate verba non faciat; cujus argumenti totus est, quantus est Psal. 118.

Exemplū Tobiæ.

Tertius denique est Tobias, cui Scriptura pariter gloriosum hoc perhibet testimonium, quod integerrima fide observaverit legem Dei sui ab adolescentia, atque hac in re supra reliquos generis suæ excelluerit. Cum enim esset ex numero captivorum, non potentissimi regis minæ, non concivium exempla, non uxoris convicia illum ab officio, & obedientia, quam debebat Deo, dimovere unquam potuerunt: quod deinde ipsum etiam filio suo tamquam pretiosissimam hæreditatem commendavit.

Exemplū filii Dei.

Dei filius, mundi Salvator, novæ legis auctor est; ille nihil in Decalogo immutavit, cui si quid addidit, id egit, ut aliquod præceptum in sublimiori perfectionis gradu observaretur, majorem præcepto charitatis tribuens latitudinem, ac radicitus convellens, quidquid criminosam legis perfectionem gignere posset. Abstulit ille quidem Christianis omnium legalium cæremoniarum onus, quæ illis temporibus bonæ erant, & sanctæ, sed quæ, cum figuræ essent tantummodo, cessare debebant, statim ac veritas enituisset. Sed ut nosmet subjiceremus iis, quæ ad vitæ nostræ institutionem in lege veteri erant essentialia, illis sese primum submittere dignatus est Jesus Christus: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Matth. 5. ita ut ejus exemplum non minorem in animis nostris vim debeat habere, quam ipsa præcepta ab ipso probata, ac instaurata. Hoc ille dixit Joanni Baptistæ, cum illum adiit ab eodem baptizandus: *Decet nos implere omnem justitiam.* Quæ verba nihil aliud significare possunt, nisi: quemadmodum veni, ut sanctarum, perfectarumque legum, quæ in Evangelio continentur, legislator essem, volo quoque earum esse fidelissimus observator: & in hoc omnem adimplebo justitiam, quæ sita est in harum legum observantia, quas nemo servabit, qui justus, perfectusque non sit.

Exemplū sanctorum novæ legis.

Jesu Christi exemplo subnectendum hic esset omnium novæ legis Sanctorum exemplum: quoniam vera sanctitas in hoc posita est, ut observentur leges, & mandata Dei; & illi præ cæteris sanctitatis laude floruerunt, qui ea perfectius servarunt. Hoc justi nomen significat, quod Evangelium tribuit illis, veluti Sancto Joseph, sanctoque seni Simeoni, aliisque nonnullis; & quotiescumque in Scriptura de Justis sermo est, illi intelligendi sunt, qui fideliter leges, & præcepta Domini servarunt.

Applicationes.

Cur homines legibus ad vitam ducendam indigeant.

Constitue legislatorem super eos; ut sciant gentes, quoniam homines sunt. Psalm. 9. Egregius, ut mihi videtur, tribui potest sensus his verbis David. Considerat ille effrænem Ethnicorum licentiam, propter quam sine lege, ac sine ulla submissione vivebant. Hoc in statu illi se vel Deos credant oportet, vel belluas. Deus nimis magnus est, neque superiori lege regi potest; bellua nimis stupida est, neque rationabili obedientia potest dirigi. Quicumque vivere vult sine lege, ad aliquem ex hisce gradibus se vel attollit, vel dejicit, & in neutro homo est. Sed proh bone Deus! *Constitue Legislatorem super eos*, qui illos in ordine cohibeat, & qui ostendens illis ipsos neque belluas esse, quandoquidem ratione præditi sunt, ut regi possunt, neque Deos, nimis quippe infirmi sunt, ut seipsos regant, doce eos homines esse liberos quidem, sed cum lege liberos: *Constitue legislatorem super eos. Mascaron in quadam funebri oratione.*

Quo in sensu, qui offendit in uno factus est omnium reus.

Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Jacob. 2. Quicumque totam servans legem in uno tantum ejus articulo prævaricatur, reus est, quasi legem totam perfregisset. Christiana sanctitas in praxi, ac totius legis observantia consistit. Hoc inferendum est ex Apostoli verbis, cui dicere satis non est, qui unicum legis apicem violaverit, totius violatæ legis reum esse; sed etiam id probat: Qui enim, ait ille, dixit: *Non mœchaberis*, ait etiam, *non occides.* Si occideris, licet mœchatus non fueris, legis es prævaricator. Hæc verba probant, Christianum eligere non posse legem particularem,

sed

sed simul universas sanctitatem illius efficere debere. Non quod verba hæc perinde sint intelligenda, ac ille, qui adulter non est, sit licet homicida, æque sit nocens, ac ille, qui & adulter simul est, & homicida; videlicet quasi qui contra unam tantummodo legem peccat, reipsa singularum sit legum prævaricator: hæc non est Apostoli sententia affirmantis solum, qui unam dumtaxat legem violat, totius legis esse prævaricatorem, vel quod illam dumtaxat legem infringens præsto est, ut universam infringat; seu quod illam tantum transgrediens peccat contra charitatem, a qua tota lex pendet, & Prophetæ; & hoc pacto fit totius legis transgressor.

Fili serva mandata, & vives, & Legem quasi pupillam oculi &c. Prov. 7. Sapiens non poterat apertius ostendere, qua cura Dei lex sit a nobis servanda, quam eamdem comparando cum oculi pupilla, qua nihil diligentius tuemur, quia facile vulnerari potest, & quia omnia vulnera illius maxime sunt periculosa, eo quod summopere delicata est; ideoque natura illam circumundique palpebris septsit, ut eam facilius defenderet. Hoc ipsum dici potest de lege Dei, quæ facile violatur; ad id enim una sufficit cogitatio, unicus oculorum conjectus, unicus voluntatis actus, licet extrinsecus non prodeat. Cæterum præstaret sibi oculos eruere, ut loquitur Salvator, quam per illos nobis scandalum afferri intuitu alicujus objecti, quod nos ad Dei legem infringendam alliciat.

Lex Dei lumen est nos illuminans. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Psalm. 18. Dei lex, & præcepta, quæ continet, nulli rei melius comparari possunt, quam lucernæ, quæ nos illuminat, & quæ inter vitæ hujus tenebras nos deducit; etenim illius ope detegimus laqueos, qui tenduntur nobis, & insidias, quæ nobis struuntur. In via, per quam incedimus inter obscuræ hujus noctis tenebras, hoc est in ignorantia eorum, quæ bona, vel mala sunt, atque in periculo hæc pro illis accipiendi, lucernæ hujus fulgore dignoscimus semitam, quam sequi debemus, & scopulos, qui evitandi sunt. Judicamus bonum ex conformitate cum lege hac; malum vero ex ejusdem oppositione cognoscimus. Ita quemadmodum lex peccati, ut Apostolus inquit, nos excæcat, vel oculis nostris velum obtendit, ne bonum secernamus a malo: Dei lex e contra oculos nobis aperit, & illuminat, ut detegamus pericula, quibus septi sumus, & hac ratione prohibet, ne in illa ruamus. Quamobrem regius idem Propheta illam vocat facem, atque lucernam gressus nostros regentem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc pertinentes argumentum.

Non erat unde se homo habere Dominum cogitaret, nisi & aliquid ei juberetur, & aliquid prohiberetur. August. 1. Genes.

Oportuit sic hominem prius fieri, ut bene velle posset & male; gratis, si bene, nec impune, si male. Idem, in Enchirid.

Conforta me Domine ut possim; da quod jubes, & jube quod vis. Idem, lib. Confessionum 10. cap. 19.

Deus non impossibilia jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis. Idem, l. de natura & gratia, c. 43.

Sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quia factus est obediens usque ad mortem; ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quia factus est inobediens usque ad mortem. Idem lib. 14. de Civit. Dei.

Ubi magna est inobedientiæ pœna proposita, & res a Creatore facilis imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio? Idem, ibidem.

Si quis unum mandatum custodiat, & aliud prævaricatur, nihil ei prodest. Idem, lib. de Parad.

Non est amicus recti, quando si fieri posset, mallet id quod rectum est, non juberi. Idem, in Psalm. 66.

Mandata in nova lege facta sunt pauciora, faciliora, feliciora. Idem.

Præcepta Dominica & multa sunt & unum, multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Idem, Homil. 19. in Evang.

Data est hominibus conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illa comprehenderis, & ad teipsum revocaris. Idem in Psalm. 57.

Nulla est anima quamvis perversa, quæ tamen ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim in cordibus hominum scripsit legem naturalem nisi Deus? Idem de Serm. Domini in monte, cap. 15.

Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. *Hæc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur & quibus non esset data lex.* Idem in Psalm. 57.

Mandatis Dei rectis atque arduis, humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas. Idem in Psalm. 118. Serm. 5.

Si aliquid jusserit Deus, quod secundum homines videatur injustum, justum credatur & fiat; cujus voluntas est sola vero justitia. Idem lib. de singul. Cleric.

Æquo jure mandatur omnibus, nullus ab hoc imperio liber est. (Loquitur de præceptis divinis) Hieron. Epist. ad Celantiam.

In quovis proposito, in quovis gradu, æquale peccatum est, vel prohibita admittere, vel jussa non facere. Idem in Epist.

Non præcepisset hoc qui bonus & justus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus. Basil. in regul. brev.

Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt aliquid homini a Deo esse præceptum, ut mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune possent servari. Hieron. in explanat. Symb. ad Damasum.

Ad naturam obsequii prior est voluntas imperantis, quam utilitas obsequentis. Tertull.

Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Concil. Trid. Can. 18.

Jugum meum suave est, & onus meum leve, ait Dominus; & nos e contra gravia efficimus, quæ ille levia constituit, & quæ ille suavia posuit, nos facimus amara peccando, Chrysost. de compunct. cordis.

Deus jussit, & audes interrogare si legem implere est possibile. Idem, Homil. 8. ad Popul. Antioch.

Juste enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio. S. Leo, Serm. 16. de Pass. Domini.

Lex Dei, lex semper, lex ad omnes, a cujus observatione nulla potest esse exemptio. Guill. Parisiensis.

Natura lege homo scire compellitur, seu pravum, sive rectum sit, quod operatur. Gregor. in cap. 27. Job.

Tunc Decalogi mandata perficimus, cum quatuor libros Evangelii custodimus, Idem, Homil. 16. in Evang.

Gravia mandata non sunt electis, quia dum æterna vitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta Evangelica gratanter ferunt. Idem lib. 5. in Reg.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu depromi hoc in argumento possit.

Quid lex, & præceptum.

QUodcumque statuatur discrimen legem inter, atque præceptum, constat, utrumque irrogandum esse a legitimam auctoritatem habente, & utriusque scopum esse debere actiones nostras ad finem adducere laudabilem, honestum, & rationi conformem, sive nos ad aliquid faciendum imperiis excitando, seu potestate pœnas, ac præmia statuendi rei alicujus usum interdicendo.

De Decalogo, & lege Dei.

Decalogi nomen legem significat decem complectentem mandata præstantissima, justissima, & æquitati naturali maxime conformia; sive eorum spectetur auctor, qui ipse Deus est; seu finis præstantia, quia non ad caducum, fluxumque, sed ad æternum bonum referuntur; seu denique ea respicimus, quæ continentur in illis, quia nulla virtus est, quæ ibi non præcipiatur, vitium nullum, quod ibi non prohibeatur; ita ut a S. Augustino qu. 401. in Exod. legum omnium compendium nuncupetur.

Et profecto, licet Deus Israelitis plura præcepta irrogaverit, videmus tamen satis existimasse Moysi duas tradere tabulas, quæ legis tabulæ appellantur, voluntatis suæ testes sæculis omnibus futuras. Ita si propius res ipsas inspexerimus, videbimus, alia quævis præcepta in decem mandatis duarum harum tabularum contineri; non secus ac ista in amoris Dei, & proximi præceptis continentur, quæ, ut Jesus Christus docet, legem omnem, atque Prophetas complectuntur. Animadvertendum tantummodo est, cum Deus Moysi legem suam tradidit, non tam dedisse illi novum lumen ad populorum mores formandos, quam instaurasse, ac fulgidius effecisse illud, quod in anima ipsorum impresserat, & cui caliginem quamdam inveterata cordis eorum corruptio offuderat, ne quis audiens Moysis legem abrogatam fuisse, sibi duarum tabularum præcepta nequaquam observanda esse arbitretur. Certum est enim, non ideo his præceptis obtemperandum, quia per Moysem lata fuere; sed quod natura ipsa in hominum cordibus eadem impressisse videtur, & quod ipse Dei filius ea in Evangelio explicavit, & confirmavit.

Cur Deus legê hanc hominibus dederit.

Deus in mundi creatione in humanis cordibus naturalem legem insculpsit, videlicet lumen, & cognitionem, qua natura ipsa docet, quid faciendum, quidve fugiendum sit; postmodum vero considerans, quod hominum in culpam proclivitas, & habitus ejusdem, qui in ipsis inoleverat, ex corde eorum quodammodo legem hanc obliteraverat; nec non quod plurimorum improbitas efficeret, ut illam se ignorare simularent; ut eorum omnibus suam probaret providentiam, infinitæ bonitatis consilio decrevit, ob oculos eorum scriptam legem proponere, qua novo quodam veluti titulo id observare tenerentur, quod antea in corde ipsorum scriptum fuerat. Hæc autem lex hominibus per Moysem lata in duas divisa est tabulas propter varietatem objecti, Dei videlicet, & proximi; illius quippe scopus est hominem salvare efficiendo, ut Deo, & proximo ea, quæ debet, persolvat. In priori enim continetur, quidquid debemus Deo; posterior autem rationem continet, qua nosmetipsos cum proximo gerere debemus.

De Lege æterna, naturali, divina &c.

Quamquam lex ista in decem mandatis contenta vulgo scripta lex, vel lex Moysia vocatur, aliis etiam nominibus appellari consuevit hoc ipsum significantibus, ejusque præstantiæ ideam dumtaxat adstruentibus. Nonnumquam enim dicitur lex naturalis, quatenus ab omni homine rationis compote agnoscitur, & nulla natio adeo barbara est, quæ solo rationis lumine non intelligat, quid bene, vel male sit actum; aliquando etiam lex æterna vocatur, quamquam non aliud est, quam æternæ legis quidam veluti radius, ac participatio. Ita regius loquitur Propheta Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & Philosophorum Ethnicorum nonnulli fateri non dubitarunt, nullam justam, & æquam legem esse, quæ suam non ducat originem a lege æterna, quæ in ipso Deo est. Ad hæc Divina, positiva, & scripta appellatur, quia Deus verus ejusdem auctor non solum verbis illam promulgare voluit, verum etiam digito suo, ut Patres loquuntur, scripsit eam, & ad nos usque transmissa fuit per Jesum Christum novum legislatorem confirmata.

Discrimen inter veterem, novamque legem.

Sanctus Thomas 1. 2. *Quæst.* 98. *art.* 1. ait, certum, & constans esse legem antiquam bonam fuisse; & Apostolus illam sanctam, ejusque præcepta sancta, bona, justaque appellat: præterquamquod maxime conformis erat rectæ rationi, quandoquidem coercebat concupiscentiam, & vetabat peccata rectæ rationi prorsus opposita; sed in hoc erat imperfecta, quod ex se minime poterat subditos, quos regebat, ad extremum eorum finem adducere; neque enim illis conferebat gratiam, sine qua æterna beatitudo obtineri non potest, & quæ legi Jesu Christi erat reservata. Ita vetus hæc lex peccatum prohibebat, sed illud delere non poterat; quod privilegium erat unius sanguinis Jesu Christi, vel gratiæ illius. Igitur quemadmodum vetus lex prohibens peccatum aliquid ad æternæ felicitatis acquisitionem operabatur, in hoc erat bona; sed quia gratiam non conferebat, in hoc erat imperfecta, ut inquit Apostolus. Consule Sanctum Thomam.

De præceptis affirmativis, & negativis.

Operæ pretium est hac in re non prætermittere discrimen illud, quod adest inter affirmativa præcepta, quæ aliquid faciendum imperant, & ea, quæ negativa dicuntur, quæ aliquid fieri vetant; hæc videlicet obligare semper, quovis tempore, & quibuslibet in occasionibus; exempli gratia præceptum, quod prohibet, ne aliena rapiantur, vel ne proximo obtrectemus, pro quolibet tempore latum est; cum interim præcepta affirmativa, exempli gratia eleemosynæ erogandæ, alicujus charitatis operis exercendi, in quibusdam tantummodo circumstantiis, & occasionibus obligat. Verum satis crebro accidit, quod negativum in affirmativo continetur; exempli gratia præceptum, quo proximum amare jubemur, simul nos obligat, ne umquam illum oderimus.

Discrimen quod præcepta inter, & consilia intercedit.

Ubi de mandatis Dei sermo est, omnino necessarium est illa cum consiliis nequaquam confundere, ne veritates, quæ afferuntur, plus æquo exaggerentur. Discrimen autem facile dignosci potest ex sola terminorum significatione; nemo enim adeo rudis est, & illiteratus, qui satis aperte non videat, præcipere, & suadere duo esse prorsus diversa; qui enim præcipit, absolute vult aliquid fieri, qui vero tantum suadet, integrum relinquit, ut illud vel fiat, vel omittatur: præterquamquod præcipit Deus, & quod tamquam absolutum præceptum irrogat, minus perfectum est, & facilius explendum, quam quod suadet simpliciter; consilium vero longo majus habere meritum, longe majori præmio esse donandum. Verum hæc tria sunt, ex quibus cognoscere facile possumus, utrum res aliqua præcepti sit, vel solum consilii. Primum est, cum Scriptura imperandi verbo utitur; hæc enim auctoritatis formula apertissimam significat obediendi necessitatem. Alterum est, cum infernos ignes minitatur; hæc enim damnatio formalem legis prævaricationem indigitat. Tertium est, cum omnes absolute, & indiscriminatim aliquid facere jubentur, quia hæc nota est constantis, atque inevitabilis obligationis.

Dei lex satis aperte nobis explorata est quocumque in statu simus.

Norunt omnes, ad hoc ut lex obliget eos, qui eidem subjecti sunt, illis esse debere perspectam, ita ut nulla prætexi possit ignorantia; injustum quippe foret aliquem punire, quod non obtem-

obtemperaverit superioris voluntati, quæ illi explorata esse non poterat. Hinc liquet, nulli vim esse legi obligandi, atque cogendi, nisi satis publicata fuerit, & legis publicationem saltem esse conditionem necessariam, sine qua nullam habet potestatem. Quamobrem Deus, qui voluit sibi a creaturis suis obtemperari, voluntates suas voluit homini quocunque in statu esse compertas. In statu naturæ naturalem legem in imis cordibus insculpsit. Qua celebritate promulgari voluit legem veterem, quam populo suo tradidit; Evangelica vero in omnes terrarum plagas lata fuit, ibique hominibus prædicata; & barbaræ illæ nationes, quæ illam audire non potuerunt, pro vitæ norma legem habent naturalem, quam ignorare non possunt citra stupiditatem, quæ illos rationis impotes facit. Hac de causa omnes homines divinam legem generatim sumptam observare tenentur.

Utrum fieri possit, quod aliquis invincibilem habeat naturalium præceptorum ignorantiam.

Ad quæstionem hanc solvendam, naturalia hæc præcepta trifariam sunt distinguenda; alia primitiva sunt, & universalia, quorum cognitio educitur ex sensu, quem ipsa verba nostræ offerunt menti, quale hoc est: *Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri*: alia sunt non adeo late patentia, quæ immediate ex præcedentibus inferuntur, tanquam ex principiis suis conclusiones, qualia sunt præcepta Decalogi: alia demum inferuntur quidem ex iisdem primis principiis, sed per illationes remotiores, obscurioresque, necnon per longas ratiocinationes. Quod pertinet ad primi generis præcepta, liquet, neminem, dummodo rationis usum obtineat, illa posse ignorare, quoniam natura hæc alte in cordibus nostris insculpsit, quemadmodum dubitari non potest de hoc theoretico axiomate, quod totum majus est parte sui. Quod spectat ad generis alterius mandata, communis, necnon Sancti Thomæ 2. 2. quæst. 94. art. 4. & 6. sententia est, posse aliquem, saltem ad breve tempus, invictam, & involuntariam eorum habere ignorantiam; non autem ad longum temporis intervallum; fieri enim minime potest, nisi vitium rationi offuderit tenebras, quo minus tandem ex principio, quod liquido patet, naturalis, ac necessaria illatio eruatur; exempligratia, nemini contumeliam inferendam esse; bonum ullius non rapiendum, ubi innotescat alteri faciendum non esse, quod nobismet ab ullo fieri nollemus. Quoad tertii generis præcepta, facile, & passim videntur a quibusdam invicte ignorari; nam sine disciplina, vel sine magno mentis acumine difficile est videre illationes; omnes a primis principiis adeo remotas, & quæ nonnisi prolixis argumentationibus inferuntur.

De necessitate servandi præcepta Dei.

Nihil magis persuadere potest obligationem Dei præcepta servandi, quam eorum observandorum necessitatem, ut salvi simus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matth. 19. Veritas hæc nunquam satis iterari dicendo potest; hodierna quippe etiam die non desunt homines ita impii, & cæci; qui asserant, seu facilis sit, seu difficilis Dei mandatorum observantia, hanc tamen saluti necessariam non esse: quod omnia christianæ religionis principia, & fundamenta evertit. Et sane, quanquam homo, antequam omnia legis opera adimpleat, potest justificari, & fieri bonus, cum antea impius esset; fieri tamen non potest, ut qui rationis habet usum, relinquere possit impietatem suam, & justus fieri, nisi hoc affectus sit animo, ut Dei mandata fideliter velit observare.

Dei præcepta non sunt impossibilia.

Gravissima illusio illa est, quæ Hæreticis persuadet, salutem aliquibus esse impossibilem, neque deesse mandata Dei, quæ observari non possunt. Satis liquet, paralyticum non posse in aciem descendere, neque mortuum ambulare, nisi alter quidem bonam valetudinem, alter vero vitam receperit. Ita proculdubio peccator, vel infidelis Dei legem nequit adimplere, nisi quidquam habeat præter infirmam naturam, ac liberum duntaxat habeat arbitrium sine subsidio. At si Deus præsto semper est, ut illi suam conferat gratiam, quemadmodum hanc nemini negat, cum saltem oratur, urgetur, quid in hoc impossibile invenitur? Quamobrem cum Deus legem suam a nobis servari jubeat, inferendum est, illius observantiam non esse impossibilem, quod Hæretici dicunt; quia justitia, & bonitas Dei pati nequeunt, aliquid a nobis exigi præter vires.

Dei lex humanis legibus præferenda.

Dei lex nullam cum humanis patitur comparationem; & statim ac humanæ leges religioni adversantur, ab illis vetustiori, æquiorique titulo dispensamur; quippe a Deo fuit, cui, antequam hominibus, obtemperare tenemur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Nova lex veteri comparata suavis est.

SAnctus Petrus loquens de lege veteri illam jugum vocabat, non autem leve, & suave, quale est lex Jesu Christi, sed ita grave, ac onerosum, ajebat ille, ut neque patres nostri, neque nos illud gestare potuerimus. Nonnunquam vestra auditur, o Fideles, querela de onerum vestrorum multitudine; quid esset autem, si subjecti essetis omnibus illis cæremoniis, quas Moysis lex tot veluti præcepta irrogabat, & quarum usus in christiana religione obsolevit? Quid de tot observantiis, ac variis exercitiis diceretis? Per hæc domanda erat Judæorum indocilitas, atque omnes illi spiritus rudes, indomitique in officio, & obedientia erant continendi. Illud servitutis tempus erat, & Deus supremus, atque absolutus rerum omnium dominus timore potius, quam amore populum suum moderabatur. Vos autem, quos in sinu regni mei congregavi, sequitur Dominus, non flagelli metu, nec minis cogere volo, ut ad me revertamini, non severitate, neque mandatorum numero coercere vos volo. Novam hanc vobis irrogans legem non tam vobis onus ingero, quam aufero abrogans legem illam, quam Moyses servus meus in monte receperat; legem illam, cujus non minus multa erant officia, quam acerba essent supplicia. Illis quidem severus eram judex: at vobis amantissimus ero pater: in illos totum impetum meum exercui, in vos omnem exercebo misericordiam, legem meam seu breviorem, seu uberioris gratiæ effusione efficiens faciliorem. *P. Girousl in Adventu de Divina legis observantia.*

Dei gratia facilem nobis efficit legem, & præcepta, quæ sine nobis fingemus.

Mirabile gratiæ effectus! Quo magis pro Deo facere cupimus, eo majores vires invenimus: quo durius videtur onus, quod injicitur, eo facilius gestatur; etenim quo minus nobismetipsis parcimus, eo liberalius in nos Deus suam gratiam effundit; & nihil est in christiana vita austerum adeo, quod gratia mulcere non possit. Verum est, Jesu Christi legem omnium esse perfectissimam; sed ideo ne difficillima est? Haud ita sane; illi enim perfectionis apici, ad quem lex nos evocat, per gratiarum mensuram respondet, quæ auxilio nobis fit, ut ad eum perveniamus. *Idem.*

Deus nequaquam suam vobis tradidit legem, ut illam negligeritis, quemadmodum vobis illius observantiam etiam atque etiam commendavit, ut illam remuneraretur. Supremus legislator, & Dominus perfectam exigere poterat obedientiam, quin alium nobis fructum polliceretur; quam supremo illius dominio debitum honorem adhibendi; & vos ipsi beneficiis ejus affecti vosmet mandatis illius submittere deberetis sine alia intentione, quam illi animi grati officium testandi. Novit ille quantum vestra vos utilitas excitet; vestrique tantum rationis habuit, quantum a Domino æque liberali, ac potenti expectare potestis. Omnes illius thesauri vobis aperti sunt; omnesque thesauri illius vestri sunt, dummodo aliquam vobismet vim faciatis legem vobis traditam servanti. *Idem.*

Dei lex sarcina est pectoris, non opprimens.

Dei lex libertatem nostram non onerat, non obruit, vel infirmat: e contra illam perficit, & servat: quamobrem S. Jacobus Apostolus cap. 2. hanc Dei legem perfectæ libertatis legem appellat: *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea:* hoc est nosmet legis hujus jugo submittentes experimur veritatem, quam nos docet Jesus Christus, videlicet, ut vere liberi simus, subeundum nobis esse jugum ipsius, quod leve est, & suave, & quod requiem confert animabus nostris. Paradoxum cuipiam videbitur dicere, onus leve esse, & jugum libertatem, & requiem conferre; veritas tamen est, quam illi omnes fatentur, qui periculum facere voluerunt. Ecce fratres mei, S. Augustinus in Psalm. 39. ait, quid intercedat discriminis inter Jesu Christi, aliorumque, quicumque illi sint, dominorum jugum: *Alia sarcina premit te, Christi sarcina sublevat te, alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet.* Alia pondera nos dejiciunt, & deprimunt; sed onus Jesu Christi, lex videlicet, quam nobis imponit, nos elevat, ac sustinet; aliud quodlibet jugum grave est, jugum vero Jesu Christi alas habet, & leve est: *Christi sarcina pennas habet.* Si volucri alas aufers, illam exonerare quidem videris; attamen verum est, a te in eum redigi statum, ubi sese ultra attollere nequeat, ac se magis gravem sentit, quam cum alas haberet. Redde illi onus, quod ademisti, videlicet alas ejus, ac levior erit, & volabit; *reddas onus, & volat.* Tale jugum est legis Dei. Quemadmodum avis pennis exuta levior videtur, & nihilominus gravius habet pondus, quoniam de terra sese attollere nequit, sic anima, quæ divinæ legis jugum excussit, minus impedita videtur ea, quæ jugum subiit; attamen liquet illam magis depressam esse, aggravatam, ac terræ concupiscentiis suis agglutinatam: e contra vero quæ fert jugum Jesu Christi, proprio pondere attollitur. *Christi sarcina pennas habet. P. Texier in Dominicali Sermone 7. post Pentecosten.*

Peccatores, qui legis evangelicæ jugum excutiunt, affectionum suarum mancipia sunt.

Vosmet decipitis, peccatores, cum idololatræ facti libertatis, vel potius licentiæ vestræ, divinæ legis jugum excutitis, ac dicitis nequaquam futurum, ut serviatis: *confregisti jugum meum, & dixisti non serviam.* Jerem. 2. Nulla creatura est, quæ a nemine pendeat: inviti servietis: nisi Deo servieritis, servietis diabolo, nisi vultis Jesu Christi jugum ferre, jugum mundi vobis erit ferendum; nisi fueritis sub lege gratiæ, sub peccati lege lugebitis. *An nescitis,* Apostolus ad Rom. 6. inquit, *quia servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?* Hoc utique scimus, atque sentimus, & nullus peccator est suis affectionibus obsequens adeo, qui fateri non teneatur, se experientia doctum cognoscere deplorabilem statum, ad quem rediguntur, qui legem Dei derelinquunt. *Idem.*

Maledictiones, quæ in caput sunt conversæ qui Dei mandata prævaricantur.

Quemadmodum qui ambulant in via mandatorum Dei, ibi non solum veram gloriam, sed etiam singulare Dei præsidium inveniunt in se, in familia, inque bonis suis, quæ benedictione cœlesti se cumulaturum Deus pollicetur: prorsus contra, nisi mendacii insimulare velint Scripturam, fateri debent, habitualem Divinæ legis contemptum, & mandatorum ejus prævaricationem omnia maledictionum genera in caput eorum detrahere, qui hac in re peccaverint. Opus est, hasce justas Dei minas expleri. Si renuis obedire voci Domini, omnes hasce terribiles maledictiones in teipsum detorquebis. Maledictus eris in bonis tuis, maledictus in filiis, maledictus in agro, maledictus in urbe &c. *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis.* Psalm. 118. *Idem.*

Qui Dei præcepta non servat, non habet charitatem, neque amorem Dei.

Ipse Dei filius testatur eum, qui dicit se habere charitatem, mandata vero Dei non servat, nebulonem esse, atque mendacem: *Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* 1. Joann. 2. & Joann. cap. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Citra sedulam hanc obedientiam, quæcumque bona opera agamus, Deus nos respicit tanquam rebelles, & inimicos. Perperam igitur hujusmodi homines sibi persuadent, Deum coronaturum munera hominis inimici, ac recepturum vectigal quarumdam eleemosynarum, jejuniorum, vel precum eorum, qui detrectant eidem præcipuum, quod poscit, amoris videlicet, & cordis tributum persolvere: quod quidem cor Dei esse non potest, nisi illi obediens sit, & nisi legem, & mandata ejus custodiat. *Idem.*

Pauci, uti debent, Dei mandata custodiunt.

In lege Domini voluntas ejus. Psalm. 1. Hæc solida est devotio, quæ consistit in sancto consilio mortem potius subeundi, quam legem Dei infringendi. Sed quam pauci ex nobis in hoc reperiuntur statu, qui tamen ad salutem assequendam absolutæ est necessitatis! Si rite cor nostrum excusserimus, inveniemus profecto voluntatem nostram in Dei lege non esse, sed potius in lege affectionum nostrarum, in lege carnis, & mundi. Lex Dei ultionem prohibet, mundi lex illam præcipit. Lex Dei mollitiem, adulterium, luxuriam vetat, lex carnis ad illam adigit, & impellit, qui sequuntur eam. Lex Dei furto, ac fœnori interdicit; avarus, fœnerator publice, qui usurariis contractibus, concussionibus, sexcentisque concussionum generibus viduæ, & pupilli eripis hæreditatem, ubi est voluntas tua? Dei lex crapulam, ebrietatem, libidinem damnat; ubi voluntas vestra est, voluptuosi, quibus non alius Deus est, quam venter, & qui ubique sensuum vestrorum oblectamenta perquiritis? Sequimini hoc examen, ac invenietis, voluntatem vestram nequaquam divinæ legis, ut opus esset, adhærescere; sed misere vanitatibus, pompis sæculi, desideriis, & incompositis carnis affectionibus esse mancipatam. *Idem.*

Fallax spes peccatorum, qui jugiter Dei leges prævaricantur.

Mali christiani non habent Dei legem scriptam in corde, & nunquam illam meditantur. Cum seipsos tantum diligant, Deum vero neque ament, nec metuant, jugiter divina præcepta perstringunt, quia in omnibus propriam quidem, non autem Dei voluntatem facere quærunt. Attamen liquet, non aliam in cœlum patere viam, quam mandatorum observantiam. Quæ cum ita sint, nescio quid cogitent tot Christiani, quorum vita jugis est divinæ legis prævaricatio, jugisque rebellio supremi legislatoris voluntati. Sperant nihilominus Deum secum misericordem futurum, ac se aliquando conversum iri. Ita Dæmon illos seducit, ac illis illudit, atque ipsi sibi blandiuntur, quin animadvertant, nullam sperandam esse felicitatem illis, qui Dei mandata servare detrectant. *Moralis Christiana, lib. 5. sect. 2. art. 1.*

Christiani præcipuum officium est Dei legem cognoscere, & observare.

Præcipuum hominis christiani officium est cognoscere, retinere, amare, & diligenter adimplere Domini præcepta. Hic sensus erat Prophetæ cum Psalm. 118. legis intelligentiam deposcebat, vel cum dicebat illam non memoriæ tantum ipsius præsentem esse, verum etiam in ipso corde insculptam, ac demum cum fatebatur animam suam legis testimonia custodisse, eaque vehementer dilexisse. Verum quis crederet non deesse Christianos in Dei lege penitus rudes, eamque discere detrectantes, quia sese eidem submittere nolunt? Alios vero, qui adeo parum illam norunt, ut vix aliquando menti suæ præsentem habeant; plures etiam, qui eam non solum non amant, sed oderunt, quia illos vim inferre jubet studiis suis, quæ omnino sequi volunt; plurimos vero, qui non solum legi divinæ non obediunt, sed in assidua rebellione contra Dei mandata flagitiosissimam vitam traducunt? Unusquisque seipsum colligat, & excutiat, ut videat utrum Domini legem prorsus ignoret, vel utrum quotidie illam propriis luminibus aliter suadentibus perstringat; quidquid enim mali facimus, inde est, quod ea ignoramus, quæ scire debemus, vel quod bonum probantes a malo patrando nunquam cessamus. *Abbas de Monmorel Homil. in Evangelium Dominica Pentecostes.*

Quin

Aliqua Dei mandata observamus, ipsi ingimus alia.

Quin cum habeamus charitatem, quæ in mandatorum Dei observantia consistit, *hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, aliqua tantum adimplemus, reliqua vero infringimus, perinde ac unius prævaricatio nequaquam reos nos efficeret ceterorum; satis subjecti, ut Domino pareamus in iis, quæ affectibus nostris non adversantur; sed proni semper ad rebellandum, si prædominantis in nobis affectus illis sacrificium exquirat. Hac in re æque nocentes sumus, ac Saul, qui a Domino jussus Amalecitis bellum inferre, eosque ad unum internecione delere, quin aliquem ex tanta clade superesse pateretur, pepercit Regi Amalecitarum, atque hac inobedientia in se Dei iram, & ultionem convertit. *Idem Sermone in Evangelium Dominicæ 17. post Pentecosten.*

Mandata nonnisi Deum non amantibus sunt difficilia.

Dei lex difficilis nobis videtur? indicio est, a nobis eum parum amari. Dei lex in iis omnibus, quæ continet, dulcis, ac suavis est illi, cujus cor plenum est charitate. Amor, ait S. Joannes in 1. Ep. cap. 5. in hoc positus est, ut mandata illius custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt, nec difficilia. Difficilia non sunt, cum amor ad illa observanda nos adigit: si vobis difficilia videntur, hoc inde accidit, quia cor vestrum plenum est amore mundi, ac vestrummetipsorum, Dei vero amore vacuum est. S. Augustinus Dominum hæc dicentem, & conquerentem inducit: Avaritia durissima quæque vobis imperat; videte, quid ipse jubeam, & utrumque confere. Imperat avaritia, ut maria navigetis, ut in ignotas abeatis plagas, ut vosmet sexcentis periculis objiciatis, attamen avaritiæ obeditis, & omnes meas leges repellitis. Nonne turpe est, mundo plus esse auctoritatis, quam Deo? Cum loquitur Deus, quot, & quam assidue objiciuntur difficultates; sed quam majores quotidie superantur, ut mundo placeamus? *Lambert in Sermonibus Ecclesiasticis, Sermone 18. de obedientia.*

Dei mandata ex corde, & alacriter adimplenda sunt.

Hoc generale principium est: in iis omnibus, quæ Deus jubet, ante cætera cor ipsum petit. Jubetne a vobis eleemosynas erogari? erogari vult æquo, magnoque animo, ac se amare profitetur eum, qui alacriter illam erogaverit. Petitne Deus a vobis opera charitatis, externum cultum, servitutis vestræ testimonia? Profitetur, nisi hæc opera ex corde fuerint profecta, se vos reprobaturum cum hypocrita populo labiis tenus illum honorante, cum interim cor eorum procul absit ab eo. Illi ergo Deo displicent, quos tædet ea facere, quæ urbanitatis ergo, vel alia quapiam de causa facere tenentur. Hi, uti opus est, non obediunt legibus Dei, quibus cum querela, mœrore, ac diffidentia obtemperant. Hic erat Judaici populi defectus, qui toties Deum questubus suis, ac obmurmurationibus irritavit. Dominum audio hac de re conquerentem: *Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me?* Num. 14. Quomodo autem populus iste percussus fuerit, & quam severitatem in illos Deus exercuerit, jam nostis. *Idem.*

Utile est ad populum verba facere de mandatorum Dei observantia.

Aliquis primo quidem intuitu dicere posset, verba facere de mandatorum Dei observantia argumentum esse, quod, qui maxime rudes, simplicesque sunt, optime norunt, & idem esse, ac in iis, quæ pueris tradenda sunt, terere tempus. Utinam, Auditores, iterum dico, utinam, quemadmodum hæc prima sunt christianæ religionis rudimenta, prima quoque essent hominis christiani exercitia! Omnes quidem mandata ad litteram didicerunt, at pauci eorum spiritum assecuti sunt: omnes decem præcepta Dei tenent, at non omnes ad unguem sciunt, in quo posita sint, & quænam sint essentiales ad illa rite servanda conditiones; & quemadmodum ab illis pendet salus, ita non alterum majoris momenti afferri potest argumentum. *Ex Manusc. Serm.* 2.

Deo magis obtemperandum est, quam ratio forum suadeat.

Non desunt humanæ leges, quas principes in subditos exercent suos, nec desunt divinæ, quas populis omnibus Deus irrogavit; verum hoc discriminis interest, in humanis legibus homini nonnunquam jus esse quærendi, cur hæc, vel illa præcipiatur, quod quidem in divinis non est. Sin autem discriminis rationem quæritis, scitote esse legislatorum discrimen. Humana quippe lex imperfectioni, & inconstantiæ patet, sed leges divinæ semper constantes sunt, atque perfectæ. Humana lex imperfectioni est obnoxia, & sæpe videmus principis legem veritatis locum obtinere, & sæpe legem impiam cum divinæ legis præjudicio subsistere. In hac autem occasione Christianus non potest solum causam inquirere, propter quam lata fuit, & contra eamdem insurgere, sed sese eidem submittere etiam debet, ac potius vitam suam in discrimen adducere, quam injustæ legislatoris voluntati parere. *Idem.*

Omnes Dei leges justæ sunt.

Si ex regio Propheta quæro, quid sint leges Dei, mihi respondebit: *Omnia mandata tua æquitas*, Psalm. 118. sed talis, tantaque æquitas, ut sit norma virorum omnium, qui esse volunt innocentes; sed talis, tantaque, ut homo nunquam perfectus esse possit, nisi quatenus ad illam propius accedere potest, ac sese illi conformare; æquitas adeo admirabilis, ut Deus ipse non aliam habeat providentiæ suæ regulam; quia ipsa æquitas est, ac prima regula eorum, quæ recta, justaque sunt. Cum reflectit Deus in mandatis suis nihil esse, nisi sanctitatem, atque justitiam, nonne illa sequi opus est, ac pro vitæ nostræ regula accipere? *Idem.*

Non petitur Deus, ut de præceptorum suorum sanctione ambigatur.

S. Augustinus adversarium sibi fingit objicientem injustitiam eam, quæ alicui videri potest extitisse in præcepto, quod Deus Adæ irrogavit. Erat, inquit impius memorato objiciens mandato, erat in paradiso terrestri arbor. Arbor hæc vel bona erat, vel mala; si primum, cur prohibebat Deus, ne Adam de illius fructu comederet? Sin alterum, cur illa erat in paradiso? *Si arbor bona est, quare non tango? Si mala, quid facit in paradiso?* Arbor hæc, frater, bona erat, sed ex ea vesci nefas erat, reddit S. Augustinus. *Te obedientem volo*: ubi obediendum est, ita omnibus quæstionibus nostris hac una Dominus respondet. *Te obedientem volo*. Ego sum omnia, tu nihil: ego supremus rerum Dominus, tu creatura mera: *Deus sum, & tu famulus*. Hæ sunt rationes omnes, quæ in christiana religione reddendæ sunt: Deus Dominus est, tu autem servus. Dicit Deus: volo; tibi vero, Tertullianus ait, non alia ratio ex Deo quærenda est: *Quid vis? Deus præcepit*; cede imperanti Deo, cede loquenti, ut volenti nullam ex se causam requiri, quemadmodum nullam ipse cuiquam reddere consuevit: *Sit pro ratione voluntas*. *Idem.*

Nobis curiositate non est opus post Christum, nec inquisitione post Evangelium, Tertullianus ait; ex quo Dei lex locuta est, nemini licet aliquid ultra quærere, percontari, interrogare, quia homo Deus hanc nobis legem imposuit. Et profecto in omnibus quæstionibus naturalibus sive morum, sive juris aliquidne ultra primum principium esse potest! Hoc autem primum principium voluntas Dei est; hæc igitur postrema ratio est, & prima regula, & nihil ultra quærendum est. In politicis, cum princeps edictum aliquod protulit, ac in illo certa signatum est hanc principis esse voluntatem, obtemperandum est, & ratio voluntas ejus est. *Idem.*

Auctoritas Dei qui legis est auctor, nos ad eam servandam cogit.

Prima, & potentissima ratio, quæ nos Dei legem, ac præcepta servare cogat, est, cogitare Deum ipsius auctorem esse. nam quanquam secundum Apostoli testimonium lex veus per Angelos fuerit lata, dubitari nequit, quominus ipse Deus sit auctor ejusdem; non enim solum verba legislatoris apertissime hanc probant veritatem, sed infinito ferme Scripturæ locorum numero confirmatur. Sed præterea nemo est, qui in seipso non experiatur, in corde suo a Deo insculptam fuisse legem secretam, quæ efficit, ut quæ bona ab iis, quæ sunt mala, secernas; honesta ab inhonestis, justa ab injustis dijudices. Quemadmodum ergo lex ista, suapte natura, nulla in re differt ab ea, quæ scripta

fuit, ambigi nequit, quominus Deus scriptæ hujus legis sit auctor, quemadmodum auctor est legis naturalis. *Ex Tridentini Concilii Catechismo de Decalogo.*

Juvabit tamen plurimum, & ad persuadendum magnum habebit momentum illa cogitatio, Deum esse, qui legem tulit, de cujus sapientia, & æquitate dubitare non possumus, neque ejus infinitam vim, atque potentiam effugere. Quare cum per Prophetas Deus juberet servari legem, dicebat se Dominum Deum esse, & in ipso Decalogi exordio; *Ego sum Dominus Deus tuus:* Exodi 20. alibi: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Malach. 1. *Idem.*

Deus hominibus legem irrogans suæ misericordiæ, & bonitatis magnitudinem ostendit.

Ne id quidem silentio prætereundum est, vel in hoc maxime Deum suam in nos clementiam, & summæ bonitatis divitias ostendisse, quod cum sine ullo præmio nos potuisset, ut suæ gloriæ serviremus, cogere, voluit tamen gloriam suam cum utilitate nostra conjungere, ut quod homini utile, idem Deo esset gloriosum: quod & per Prophetam dictum est, in Dei mandatis custodiendis multam esse retributionem. Non enim illæ tantum nobis benedictiones promissæ sunt, quæ ad terrenam felicitatem magis spectare videbantur, ut benedicti simus in civitate, & benedicti in agro; sed copiosa merces in cœlis, & mensura bona, conferta, coagitata, & supereffluens proposita est, quam piis; & justis actionibus meremur, divinæ misericordiæ adjumento. *Idem.*

Homo libere parere debet Deo.

Inter hominis creationem, ac reliquarum rerum productionem hoc discriminis interesse Tertullianus animadvertit; reliqua creata imperii voce facta fuisse, *fiat*, ut ostenderentur hæc ex ipsa creationis suæ forma creationis suæ gerere characterem; sed hominem propriis manibus effinxit Deus, quin aliquo imperioso verbo uteretur, ut ostenderetur libertas, quam ille in semetipso habebat, ac dominationem, quam in reliqua creata erat habiturus. At si Deus hoc imperio usus non est hominem creans, postquam hunc creavit, eodem est usus; utque illius probaret fidelitatem, vetuit, ne ex vitæ fructu comederet. Quare significare voluit ideo suam illi libertatem, imperiumque concessisse, ut gloriosius divinis legibus obediret. *Biroat in S. Mauri Panegyrico.*

Creaturæ sensu carentes obediunt Deo.

Vidistisne iratum, & ab imis sedibus convulsum mare, quod fluctus suos in litus allidit, ac ex aqua simul, & terra unicum dumtaxat elementum facere velle videtur? Attamen perinde ac in littore Dei legem scriptam videret, ipsumque suæ pœniteret audaciæ, atque temeritatis, recedit, & ne uno quidem gradu fines sibi a Deo præscriptos prætergreditur: *Ut divinas leges*, Tertullianus ait, *tanto magis homo custodiret, quanto etiam illas elementa servassent.* Heu! cur ex hoc exemplo non discimus obedire Deo, cum hoc elementum, licet sensu careat, tanta celeritate illius mandatis obediat? *Tempestates*, S. Hieronymus inquit, *verbum Dei faciunt, & tu non facis?* Procellæ parent Deo, ac licet totum æstuet mare, in loco, quem Deus illis indigitavit, subsidunt; elementa omnia, ut Propheta Ps. 110. ait, sedula obedientia illius mandata capessunt: *Exquisita in omnes voluntates ejus;* & homo solus, qui præ cæteris Deo magis obedire tenetur, illius jussa facere detrectet? Mare furoris sui frangit impetum; & homo cordis sui impetum cohibere non poterit! Elementa sibimet vim inferunt, ut Creatoris sui mandata exequantur; & homo non movetur clara hac voce, qua universa moventur! *Reina Serm.* 3.

Mandata Dei justa sunt, & rationi conformia.

S. Chrysostomus scite animadvertit, in Decalogo, quem Deus populo suo dedit, nullam afferre rationem eorum, quæ vel jubentur, vel prohibentur; adulterium, & cædem prohibens non addit, quia hæc magna sunt mala; parentum honorem, & amorem præcipiens, non ait, quia æquum est eos diligere, quibus vitam debemus. Deus has omnes rationes jam in hominis corde posuerat; & propria ejus conscientia interiori lumine præveniebat, quidquid illi dici potuisset ad æquitatem præceptorum, interdictorumque probandam: *Quoniam præveniens conscientia hæc omnia nos docuit.* *Mascaron in quadam funebri oratione.*

Omnia Dei mandata servanda sunt.

Quænam habenda est idea eorum mortalium, quorum vita bonis, malisque permixta est; & qui sibi blandiuntur mala excusari, pensarique bonis, quæ faciunt? Etenim licet unius tantum noxæ rei essent, & cæterum omnem Dei legem servarent, hæc una neglecta lex majorem habebit coram Deo vim, quam omnes virtutes, omniaque opera bona. Tantum enim abest, quod ea, quæ faciunt bona, eorum excusent peccata, uti e contra peccata eorum, quamvis unum esset tantummodo, viciant, atque corrumpunt omne bonum, quod faciunt; & de peccato hoc dici potest, quod olim de veteri Imperatore dictum fuit, qui sapientem excæcavit virum, eo quod ab illo monitus fuerat, ne divinos sibi honores adhiberi vel exigeret, vel pateretur. Factum hoc æternum Alexandri crimen appellat, quia hoc reliquis factis omnibus objicietur, atque triumphorum illius celebritati æternam caliginem offundet: *Crimen æternum Alexandri, quod nulla bellorum felicitas redimit.* Dicis nihil hoc juvene humanius, nihil liberalius, nihil magnificentius, at patet impudicam habere consuetudinem; nihil devotius hac muliere, frequens adit xenodochia, & invisit carceres, attamen paulo effusior est in detractionem, nec se corrigit unquam; dicis magistratum hunc hominem esse frugi, probitatis, & integritatis non contemnendæ, necnon ad unguem quibuscumque jus dicere: omnia hucusque bene procedunt; verum non dicis, illum iis, a quibus læsus est, injuriam non dimittere. Nihil ultra requiritur, ut, quodcumque facit bonum, inutile fiat: Non satis est præceptum aliquod servare, omnia servanda sunt. *Specimen Ethnicum.*

Qui præ cæteris præstant, facilius quam alii legem infringunt.

Dolens Jeremias Propheta, quod in populo Jerusalem nemo inveniretur, qui non impune Dei legem perfringeret, cum ibi injustos magistratus, mercatores fœnori addictos, pauperes quoque impatientes, ac invidos comperisset, decrevit tandem regni principes viros, & optimates adire ratus proculdubio futurum, ut quo plura a Deo receperant, eo magis præceptis illius obsequerentur: *Ibo ad optimates.* Sed heu! quam longe sua illum fefellit spes! *Et ecce hi magis confregerunt jugum.* Jer. 5. invenit quippe illos majori licentia jugum excussisse. Vereor equidem, ne apud viros principes eam quærens obedientiam divinis, ecclesiasticisque præceptis, quam in plebe non invenio, ibi longe minus ipsam reperiam; putant enim non extremum conditionis suæ privilegium hoc esse, quo super leges omnes constituuntur; & quidquid illorum circumscribit libertatem, vel illis vim infert, contatum esse, quo generi, loco, & potestati suæ officitur. Populus, qui parum audet, nonnisi contremiscens sæpe a lege recedit; sed nobiles cum nulla re cohibeantur, audacter omnia vincula infringunt, quibus religio eorum cohibere vellet affectiones, eorumque concupiscentiam ad officium revocare: *Ruperunt vincula.* *Fromentieres Sermone de Purificatione.*

Minæ, quas in Scripturis intentat Deus prævaricatoribus Legis.

Audite, Fideles, ac infrendite; audite minas terribiles, quas in Levitico intentat Deus prævaricatoribus legis, atque in temporalibus pœnis, quas minitatur Deus Judæis infidelibus, qui ipsius mandata perfregerint, intuemini imaginem æternorum suppliciorum, quæ præparat vobis, si eorum ingratitudinem, ac inobedientiam imitati fueritis. Nisi audieritis me, dicit Dominus; si judicia mea contempseritis, si irritum feceritis pactum, quod cum vobis percutio, immittam in agros siccitatem, quæ semina vestra comburent, & exercitus, qui messes vestras populabuntur; tradam vos in manus hostium vestrorum, & nemine persequente fugietis. Dabo vobis cœlum ferreum, ac terram æneam, arva complebo insectis,

quæ

quæ labores vestros inutiles, & agros desertos efficient. Nisi universa hæc supplicia vos ad frugem revocaverint, educam super vos gladium vindicem fœderis, quod perfregistis: immittam in urbes vestras pestem, & bellum, quæ eas misere vastabunt; excitabo adversum vos furorem illi oppositum, qui contra me vos attollat; synagogas, & templa vestra subvertam. Eritis cordis mei abominationis objectum, & efficiam vos opprobrium universarum gentium, vosque projiciam in ventum tanquam pulverem in omnes terrarum plagas, in quas dispergemini. Ita loquitur Deus exercituum contra violatores æterni fœderis, quod olim percussit cum populo suo, & quod cum Christianis instauravit. Terribilia hæc verba, quæ omnem ferme vim in meis labiis amittunt, satis adhuc virium habent, ut transgressoribus mandatorum Dei illa ostendant supplicia, quæ præstolari debent, per ea, quæ illorum nonnisi figura sunt. *Specimen orationum Panegyricarum tom. 2. Sermone pro die Purificationis.*

Dei mandata sunt justa.

Deus, qui nihil nisi veritatem docet, nihil, nisi quod justum, bonumque est, præcipit, si nobis imperat, ut Deum diligamus, aliquidne justius fingi potest? Nonne maxima hominis felicitas est posse diligere Deum? Si præcipit, ut proximum diligamus, nonne æquum est, fratrem amari? Si ultionem proscribit, nonne jure hoc agit? Membra mystici corporis Jesu Christi inter se minorem haberene debent charitatem, quam naturalis corporis membra? Nunquid dexterum lævo brachium vulnus infligeret? Manus, quam altera vulnere cruentasset, ex hac ultionem reposceret? Denique malum nobis interdicens Deus, bonum vero præcipiens, æquiora potest nobis præcepta irrogare? At enim inimico parcere, benefacere illis, qui de nobis pessime fuerunt meriti, repugnat natura: si bene inimico parcere, benefacere illis, qui de nobis pessime fuerunt meriti, repugnat natura: si bene instituta esset natura, tunc illa quidem repugnaret, quod peccati tantummodo effectus est. Non hæsit Abraham; præcipiente Domino, ut sibi unigenitum sacrificaret, paruit sine repugnantia, sine murmure, sine querela; sciebat enim Deum in iis omnibus, quæ præcipit, justum esse. Verum quam beatitudinem, quam felicitatem pollicetur illis, qui sibi fideles extiterint? *In eodem specimine pro 2. Dominica post Pascha.*

Deus nobis mandata irrogans, & gloriam suam, & nostram prospicit felicitatem.

Legitimum, ac inevitabile tributum, quod Deo reddere debeamus, fidelis est legis ipsius observantia: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* In hoc reperit Deus duplicem finem, quem sibi proposuit in creatione eorum, qui rationis compotes illum cognoscere, illi servire, eumque colere possent: illius quippe intentio fuit eos beatos efficere, atque simul ex illis exteriorem gloriam sibi comparare, quæ quin aliquid addat essentiali felicitati, quæ in eo reperitur, non ideo minus eam efficit perfectiorem. Deus hic magnitudinis, & majestatis sese totum in animam fidelem effundit per gratiæ suæ effusionem, & homines, qui objectum sunt, quod Deus amat, & in quo complacet sibi, sunt fideles observatores legis, qui, quoad possunt, submissionis, & obedientiæ tributum ei reddunt; qui pro illo impendunt, quidquid ab illo acceperunt, & qui in ejus cultum omnia bona transmittunt, quæ per liberalitatem ejus consecuti sunt. *Ibidem pro Dominica 22. post Pentecosten.*

Nunquam liberiores sumus, quam cum Deo obtemperamus.

Fallitur, qui putat se libertatis jacturam facere, cum sese Deo submittit illius servans mandata. Facile probari potest, hominis voluntatem nunquam magis liberam esse, quam cum divinæ paret voluntati: *Voluntas nunquam est magis libera, quam cum est magis ancilla*, S. Augustinus ait. In natura res nunquam in suaviori sunt statu, quam cum in ordine sunt. Corpus nunquam magis tranquillum est, quam cum animæ imperio subjectum est, hic enim corporis ordo est, ut sit animæ inferior, & statim ac ab hoc ordine recedere voluerit, non erit amplius liber, sed in statu erit violento. Ita anima nunquam magis tranquilla est, quam cum paret Deo, hic enim est animæ ordo, ut sit Deo subjecta, & si inquietum refugit, ne horret statum, nunquam ab officio discedat, inviolabili mentis divinæ legis observationi inhærens: *Voluntas nostra vaga, instabilis, inquieta*, S. Prosper ait; neque potest quiescere, & frui tranquillitate nisi per legem Dei, quæ illam in ordine continet. Quid est in mundo hominem in libertatem asserere? Nonne illum de carcere educere, & de captivitate liberare? Hoc agit Dei lex, peccatorem liberat de captivitate, in qua suæ illum detinent affectiones. *Ibidem pro feria 4. hebdomadæ tertiæ in Quadragesima.*

Deo rebus in omnibus obtemperandum est.

Nimis delicata obedientia est, in iis tantum obedire velle, quæ nobis arrident, & illa relinquere, quæ non admodum placent. Servi, quales ipsi sumus omnes coram Deo, hoc sibi arrogare non debent, ut Domini sui præcepta distinguant; neque ipsi domi nostræ pateremur famulos hoc pacto operantes: dici enim possunt, ubi seipsos dixerint voluntatem nostram facturi, suam tantum, non autem nostram perficere. Si nos ergo, qui nihil sumus, volumus fieri, quæcunque jubemus, quam profundam Deo obedientiam debemus? Hoc nos docuit Abraham exemplo, ex quo discimus nihil negandum esse Deo eorum omnium, quæ petit a nobis, ita ut in singula momenta præsto simus reddendis iis, quæ ab ipso accepimus; nunquam de promissionum illius soliditate diffidamus, quamquam ea nobis imperat, quæ iisdem adversari videntur; & nunquam datori Deo bona ab ipso nobis concessa præferamus. *Liber, cui titulus: Vita Sanctorum veteris testamenti, in vita Abraham.*

De lege naturali, deque invicta ignorantia.

Si ratio Adæ innocentia naufragium fecit, & si humana mens cognitione destituta est, nocentior non est, quam bruta animantia cæcum instinctum sequentia. Si homo in corde suo scriptam non invenit legem, nocens esse non potest, eo quod illam perfregerit, eumque pleno jure invicta absolvit ignorantia. Sed quanquam homo originis suæ puritatem fœdarit, tamen peccatum non omnia delevit præcepta, quæ Deus in anima ejus insculpserat, neque omnino naturale ejus lumen extinxit. Iis autem cogitationibus, quæ per Adæ peccatum non periere, accensetur existentia Dei, quam solus universorum adspectus nobis offert, animæ immortalitas, veritas futurarum pœnarum, atque remunerationum; ideoque Ethnicis, quibus evangelii lux non affulsit, non alia imputari crimina possunt, quam quæ contra hæc prima principia committunt, in quibus invicta ignorantia illos excusare non potest. *Ex tractatu de Conscientia.*

De jugo, & mandatis filii Dei.

Dei filius, qui præcepta, legesque suas jugum vocat, simul etiam illud leve esse testatur. Ne contemnas salutis tuæ curam, quasi facile esset illius possessionem acquirere, ut enim ad illam pervenias, jugum tibi subeundum est. Verum ne te difficultates deterreant, quasi insuperabiles essent; hoc enim jugum est leve. Gratia, quæ animam regenerat, efficit præcepta suavia, & facilia; & quemadmodum vapores, & exhalationes quantumvis graves facile ad mediam aeris regionem elevantur, ubi Sole attrahuntur, crassioribus duntaxat partibus relabentibus; ita affectiones, quas Spiritus sanctus animat, ad cœlum se attollunt, & adhærent Deo; gratia quotidie vires nostras collabentes restaurat, & quemadmodum dæmon incessanter nova suggerit peccati instrumenta, Dei spiritus & ipse nova suppeditat auxilia, quæ animam sustinent, eamque victricem efficiunt. *Ex tractatu eodem.*

Peccatum non committitur nisi divinarum legum prævaricatione.

In quovis peccato non deest rebellio contra Deum: *rupérunt vincula mea*, dicebat ille loquens ad Israelitas. Rebellis non semper de solio principem deturbare se velle profitetur: suum celat consilium, ac facinus nimis odiosum tegit; sed cum leges

illius perfringit, arma, & simulacra ejus conterit, & quin debitum illi adhibeat honorem, sub hostium vexillum meretur stipendia, tunc manifesta rebellio est. Quid autem peccator? Pedibus Dei leges obterit; illius discerpit, vel delet imaginem; impune leges infringit, quibus obedire detrectat sui ipsius, suarumque actionum dominus esse volens. *Ibidem.*

De gravibus mundi legibus, & levi Salvatoris jugo.

Eheu! quam dura, ac molesta exigunt a nobis mundi, Sathanæ, & affectuum nostrorum leges, magis quam leges Dei? Quanto gravius, duriusque jugum est, quod crudeles hi domini nobis injiciunt, præ suavi jugo Salvatoris? Videte, quid olim dæmon exquisiverit ab idolorum cultoribus in detestabili cultu, quem sibi adhiberi jubebat. Jussit illos propriorum filiorum sanguine sibi litare, & innocentium victimarum cruore suas aras inficere, vel eos tradere sacerdotibus, qui inhumanitate tigrides superabant, ac patribus inspectantibus parvulorum corpora in flammas projiciebant. Attamen quanta celeritate, quam cæca obedientia reges ipsi barbaras hasce leges servarunt, quamvis ipsa reluctabatur natura? In populis, qui verum colunt Deum, unquamne visa fuit divinis legibus obedientia huic similis, quam infideles adeo sævis, tyrannicisque legibus præstiterunt? Videte etiam, quæ oneris mundus injiciat illis, qui leges ipsius sequi profitentur. Quot pœnas, sollicitudines, angustias gignunt? Quot tumultus, ac suspiciones? Quam vim inferunt, quantum afferunt acerbitatis? Quoties propriis sensibus obniti, atque secretissimis studiis suis adversari coguntur? Quot periculis sese objicere debent, quot vigiliis, & languoribus fatigantur? Quot injurias, atque repulsas perferunt, ut principis alicujus viri gratiam vel aucupentur, vel non amittant? Attamen qua animi alacritate legibus adeo duris obsequuntur? Qua ardore molestissima quælibet onera ab illis imposita subeunt? Numquid ut sese ab illis dispensent mortales, imbecillitatem, ac infirmitatem suam prætexunt, quod facere consueverunt in iis, quæ Dei lex ipsa præscribit, cum paulo amara videntur? Denique videte, quantam in nobis vim habeant tyrannicæ leges affectuum nostrorum, quid illi postulant, quod eorum mancipia summa celeritate non exequantur? Nonne quotidie ambitioni, avaritiæ, prophano amori dicitur: *Quid me vis facere?* Actor. 9. Num fortissimæ rationis, ac naturæ leges conculcandæ sunt? Num cæde, & sanguine patria replenda est? vita, & libertas in sexcenta pericula objicienda, difficillima quæque aggredienda, & acerbissima toleranda? dummodo affectuum, qui dominantur in nobis, satisfiat desideriis, non pœnæ, non pericula metuuntur. Bone Deus! Quam præpostera perturbatio! Quæ rerum inversio! Sæcine minus uni, quam tyrannorum omnium auctoritati obtemperatur! *De la Font in Ecclesiasticis discursibus pro Quadragesima.*

Quilibet peccator Dei legem infringit.

Quid agit peccator, dum peccat? vult se gratiæ jugo subtrahere, ut se naturæ jugo submittat; mundi placitis, legibusque adhæret; unde fit, quod supremi Legislatoris leges detrectet. Obsequens affectioni, quæ in ipso dominatur, excutit jugum Omnipotentis: Dei sui legi rebellis illam pro libidine interpretari conatur, sibimet accommodat, atque in rem suam vertit; apertius loquamur: illam abjicit, contemnit, impugnat, evertit: *dissipaverunt legem tuam.* Mundanus ait, neque tacinet me officiis onerosis, atque molestiis objicere: earum vero viam arripiam, quæ cum mundo componere possim, &c. *Ex Manuscripto Sermone.*

Nova lex eadem fere nunc a nobis exigit, quod lex vetus.

Supponendum est novam legem a nobis exigere, quibusdam tamen cæremoniis exceptis, quibus recentes aliæ subrogatæ sunt, eadem ferme, quæ vetus a sectatoribus suis requirebat; nam Jesus Christus explicite ait se non venisse, ut illam abrogaret, sed ut adimpleret, & quicumque minima etiam illius præcepta ad unguem non observaverit, regni cœlestis participem non futurum. Itaque non propter dispensationem præceptorum nova lex differt a veteri, sed propter eorumdem extensionem, atque perfectionem. *Pater Aurelianensis de severitate Evangelii.*

Lex ista evangelica ne minimam quidem patitur relaxationem contra ea, quæ præcipit: immutabilis æque ac auctor ipsius hominum interpretatione non flectitur; neque vel traditiones, vel consuetudines contra illam præscribere possunt. Lex Moysis quibusdam in rebus judaici populi cesserat infirmitati, ac ipse Deus legislatoris indulgentiam etiam fecerat. Lex Jesu Christi non cedit. Incontinentia sæpe suos conatus exeruit usum libelli consecutura: ecclesia vero semper adversata est. Doctores nonnumquam mitiores invenere sententias, ut tepidorum infirmitatibus, ac interpretationibus legis, quæ humanis favebant affectionibus, indulgerent: eos tamen semper repulit ecclesia, utque legem interpretaretur, ipsam legem semper unice consulit. *Idem.*

Discrimen inter veterem legem, & novam.

Cum diceret Jesus Christus post Joannis Baptistæ tempus, regnum cœlorum vim pati, & eos tantum, qui sibimet vim faciunt, sperare posse, illuc se perventuros, noluit ideo affirmare, eos, qui in lege vivebant veteri, atque ante S. Joannis Baptistæ dies, non debuisse æque ac nos sibi vim facere, ut suæ saluti prospicerent. Ante Joannis Baptistæ tempora oportuit, ut hodierna die, sibi vim facere, ut contra concupiscentiam, atque affectus lex servaretur: etenim ante Joannis Baptistæ tempora in hominis corde ficere & desideria cohibenda, & ambitio regenda, & illiciti amores suffocandi, & aspera odia extinguenda. Ante Joannis Baptistæ dies Abraham amorem, patriumque superans sensum sibimet vim attulit, ut unigeniti sui morti assensum præberet, atque acerbissimi sacrificii fieret sacerdos. Ante Joannis Baptistæ dies castitatis victor Joseph sibi vim fecit, ut impudicæ dominæ illecebris, ac sollicitationibus resisteret. Ante Joannis Baptistæ dies Moyses, ut ostenderet se verum Israelitam, sibi vim tulit, ut abjiceret coronam, quæ sibi offerebatur, & quam præ manibus habebat. Cum igitur Salvator diceret post Joannis Baptistæ dies, regnum cœlorum vim pati, innuere volebat, ut in religione post Joannis Baptistæ dies aliquis salvus fieret, opus esse, ut quilibet paratus esset majorem sibimet vim inferendo ea, quam veteres sibi attulerant. *Idem.*

In lege veteri non defuere sancti viri, qui magnas exercuere virtutes, sibique vim fecerunt.

Sanctus Jacobus nos admonet, non eos, qui solum Dei legem audiverint, sed qui illam etiam adimpleverint, esse justificandos. Ideoque addit eos, qui audiunt illam, neque observant, similes esse homini prætereunti, ac sese in speculo respicienti, qui faciei suæ labes consideret: innuens per hæc verba, Dei legem esse debere speculum, in quo nos debemus inspicere non obiter quidem, & oscitanter, ut statim obliviscamur, quod sumus; sed mulierum instar ante oculos fere semper speculum habentium, atque illud in singula fere momenta consulentium. Eaque ratio est, S. Gregorius Homil. 17. in Evang. ait, propter quam imperavit Moyses, ut magnum illud vas aqua plenum, quod in aditu Tabernaculi esse debebat, ubi sacerdotes illuc ingressuri se abluerent, ex æneis speculis conficeretur, quibus utebantur feminæ, quæ ad ostium Tabernaculi morabantur; ut illi sese abluentes ibi se respicerent, atque recordarentur eas sordes abstergere, quas in facie sua deprehenderent, ita ut nihil in illis relinquerent divina majestate indignum. Sanctus hic Pontifex ait specula illa fuisse divinorum præceptorum figuram, in quibus animæ sanctæ sese indesinenter considerare debent, ut eos detegant defectus, qui sensim in actiones suas possent obrepere. *Moralis Christiana in Pater, lib. 6. sect. 1. art. 7.*

Sæpe Dei legem inspicere, & meditari oportet, ut defectus nostros detegamus.

Liquet,

Christianus totam legem adimplere debet.

Liquet; Christianam sanctitatem pendere a totius legis observantia, nobisque cum Salvatore dicendum: *decet nos implere omnem justitiam*, hoc est totam legem, a qua omnis nostra pendet justitia. Ita Dei legem suam irrogantis consilium fuit hominem prorsus spiritualem, ac perfectum efficiendi, ac si dici potest, sanctitati suæ corpus tribuendi, quod tot partes haberet, quot leges præscripsit. Ideoque quemadmodum corpus monstrosum esset, si aliqua illi membra deessent; Christianus quoque talis fieret, vellet unam tantum legem infringere, quamvis cæteras adimpleret; nulla quippe lex est, quæ non sit pars, & quodammodo membrum corporis sanctitatis suæ. Sicuti unius sufficit defectus, ut cuicumque perfectio adimatur sua; ita opus est, omnia concurrere ad eamdem illi tribuendam juxta axioma tritum, & ab omnibus mortalibus acceptum. *Sarazin tomo 1. Adventus: Sermone de Jesu Christo Legislatore.*

Nulla esse potest excusatio Dei mandata infringentibus.

Incredibilis in peccatore cæcitatis effectus est rationes conquirere, quas suæ erga Dei legem inobedientiæ prætexat; si illam infringit, necessario nocens est. Hic Deus iste imperans, ille homo est, qui obedire & potest, & debet; rebellio excusari non potest. Verum quis crederet, a peccatore nonnunquam ipsum Dei prætexi mandatum, tanquam legitimam illius infringendi causam? Lex, inquit ille, nimis austera est, nimis exigit multa; paulo major libertas obedientiæ meæ faveret, & libentius exequerer mandatum, quod minorem mihi vis inferendæ necessitatem imponeret. Non deest in hac arguendi ratione contradictio, quæ miram indigitat perversitatem. Peccator innuit se minus nocentem futurum, si esset liberior, ac facilius se a scelere temperaturum, nisi in illud ruere vetitum esset. Id illi cogitandum esset, non posse Deum malum aliquod probare, Deumque scelus esse probaturum, nisi illud lege ipsius interdiceretur. *Liber, qui inscribitur, animadversiones in quædam religionis, Ethiceque argumenta.*

Pauci Dei mandata observant.

Dei mandata ubinam gentium modo observantur, & a quibus? Præcipua quædam, maximique momenti excutiamus. Nunquid in magna hujus mundi luce intemerandæ pudoris, & christianæ honestatis regulæ servantur? Quænam in cogitationibus innocentia? Quænam in sensibus puritas? Quænam in verbis modestia? Quænam in factis verecundia? Ubinam speciosissimam virtutem hanc inveniemus? In plebe? Sed ibi vitium passim imperiosius dominatur, ubi lucri spes invenitur. Utilitas de rebus omnibus refert triumphum, & ubi semel suaserit crimen aliquod, perpauca sunt adeo constanter inita consilia, quæ diu tentationi admodum periculosæ resistant. In principibus? Omnia ibi mollitiem perflant, tot ornamenta, tot pretiosa, sed immodesta indumenta, otium, crapula, alea, conventus, spectacula. In mediocri conditione? verum est diutius ibi ordinem, virtutemque perseverasse, sed paulatim contagio omnia corrupit. *P. Gironst in Adventu tomo 1. Sermone de Consuetudine.*

Quid sit lex æterna.

Scire sufficit, legem generatim esse nostratum actionum regulam, quæ pretium, meritumque tribuit illis, quæ sibi conformes sunt, quemadmodum eas, quæ sunt difformes, condemnat: suppositaque hac notione, quæ nulli obnoxia est difficultati, lex æterna, ex D. Augustino lib. 1. de libero arbitrio suprema ratio est, per quam justum est omnia in ordine contineri; videlicet, Deus, qui quatenus suprema ratio est, jubet quidquid est in ordine, & vetat quidquid est ordini contrarium. Hic autem ordo, quem Deus rebus in omnibus constituit, & quem perturbari vetat, in rebus ipsis perspectus lex naturalis appellari potest: sed cum hic ordo nobis exploratus esse debeat, lex naturalis proprie in lumine intellectus consistit, quo bonum a malo secernimus; & pro legis hujus mandato sumendum est, quidquid ipsa naturaliter ratio nos docet. *Auctor Recens.*

Lex, & præcepta amanda sunt, ut bene serventur.

Verum est, ubi justitia non amatur, mandatum non aliud præstare, nisi quod affectus excitat, ac irritat concupiscentiam, quæ veluti mortua erat, vel saltem semisopita; quia non gignebat adeo violenta desideria, & quia non adeo nitebatur in vetitum, dum adhuc integrum erat illi sibimet satisfacere. Ad hæc cum amor, quo a nemine pendere cupimus, ægre se cogi ferat a lege, a qua subjicitur, jugum duntaxat excutere quærit, atque e servitute emergere; quamobrem sufficit aliquid esse vetitum, ut furenti illius desiderio flagremus: sed cum Spiritus sanctus in corde charitatem effundit, efficit, ut amemus quidquid lege præcipitur, ut in illa oblectationem inveniamus, & gloriam nostram in illius obedientia constituamus; & qui in odio habeamus auctoritatem imperii, tanquam tyrannidem nobis incommodam, illam diligamus, & amplectamur, tanquam salutare monitum, quod ad utilitatem nostram nobis tribuitur. *Idem.*

Animadvertit S. Augustinus, a Deo nonnunquam præcipi quædam nullius momenti, quædam vero, quæ in seipsis minime noxia videntur, prohiberi. Seu hoc pacto subigere voluerit humanam superbiam, quæ natura sua libertatem deperit, & quodvis jugum horret; seu significare voluerit, licet ea res, in qua illi obtemperatur, levis videatur momenti, hanc in oculis illius non contemnendam esse; liquet tamen, quantumvis indifferens esse possit id, quod præcipitur, vel prohibetur, peccatum oriri ex præcepto, quod violatur; neque aliam reddendam esse rationem, ut cogamur nosmet imperio submittere, quam præceptum ipsum legitima potestate irrogatum. *Idem.*

Dei mandata non sunt impossibilia.

Verum est difficilem esse ad cœleste regnum accessum; viam, quæ illuc adducit, arctam esse, illud vi expugnandum esse, ac magnis conatibus victoriam esse referendam. Si naturæ sensus audiuntur, Dei leges graves, difficilesque sunt, ac arduum est eo, in quo sumus, statu singulis diebus, horis, momentis resistere mundo, carni, consanguineis, amicis, ac tot aliis objectis, quæ nos alliciunt, & attrahunt: illud vero solatio nobis esse debet, nostrumque animum inflammare, quod omnia possimus cum gratia Dei, quæ nunquam deerit nobis; gratia, quæ jugum illius mite, ac jucundum, & onus, quod nobis imponit, leve facit. Itaque cum præceptorum observantia indeclinabili lege sit adultis omnibus imposita, in corruptæ naturæ statu eamdem ob causam opus est gratiam, & potestatem illa observandi omnibus tribui: alioquin verum esset dicere, præcepta, quæ Deus omnibus hominibus irrogat, hos ad impossibile obligare. Nos miseros! cum quo Deo nobis res esset, qui a nobis exigeret impossibilia! Ille nimis bonus, & fidelis est, S. Paulus exclamat, ita ut a servis suis nihil expetere possit, quod eorum vires excedat; Dei lex non proficiscitur ex tribunali iniquitatis, vel ex throno severitatis; in praxi dulcis est, & si quid habet, quod paulo austerius videatur, divinæ gratiæ unctione mulcetur. *Desumptum ex P. Antonio de S. Martino a Porta in libro, cui titulus: Les Conduites de la Grace, parte tertia.*

Quo in sensu in uno legem violans, omnium reus fiat.

Quicumque, S. Jacobus ait, legis partem perfregerit, totius legis perfractæ reus est; & ratio est, quia omnes partes legis æque a Deo sunt. Ille, qui dixit: non occides, dixit quoque, non mœcaberis. Si igitur ab impudicitiis abstinens corde foves ultionis sensus, quos tibi odium immittit, jam legis totius prævaricatores, ac tanquam talis pœna afficieris. *P. Aurelianensis Sermone de Severitate Evangelica.*

Libertini, legem suis flagitiis accommodant.

Sæpe homines, ut sua excusent vitia, atque in erroribus suis convalescant, verbis legis falsam appingunt sententiam; & quasi veritas suprema falli, vel fallere posset, nihil prætermittitur, ut lex legi opponatur. Justus summa intentionis rectitudine studet, ut res ipsas, quales vere sunt, cognoscat, vanitatem terrenarum rerum, spei fallaciam, ac promissionum mundi hujus versutiam; & quemadmodum illam cum magna cordis simplicitate

requirit, luminibus ejus abundat: *Qui quærit legem, replebitur ab ea*. Eccli. 32. Sed flagitiosus homo, qui illam suis cupiditatibus aptare studet, inde lapsus dumtaxat, & scandali arripit occasionem; *Qui insidiose agit, scandalizabitur in ea*. Hic nihilominus mundi character est, velle omnia ad suum sensum redigere, sensorio examine omnes religionis veritates discutere, vel sæpe etiam earum studium negligere, cum interim sexcentis in rebus non desit mira dexteritas, atque prudentia. *Ex morali dictionario, Sermone secundo de Bacchanalibus.*

Deus est legis Auctor, & id nos cogit, ut eam sedulo custodiamus.

Ut perfecte divina lex adimpleatur, persuasum esse debet, Deum esse auctorem illius. Cognovi, Domine, regius inquit Propheta, te ab æterno constituisse testimonia sanctæ, & irrevocabilis voluntatis tuæ, quam in articulis legis hominibus declarasti: *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea*. Psalm. 118. Cum enim magnum hoc religionis principium nobis est persuasum, influit, ut ita dicam, in totum vitæ nostræ corpus obsequentissimam diligentiam, qua Dei legem observemus, quæcumque sese nobis offerat occasio. Homines ab hac lege amputant, quod ipsis lubet; eam pro libidine, & juxta affectum, remque suam interpretantur; efficiunt, ut lex ista inflexibilis, S. Augustinus inquit, secundum sinuosas incompositarum voluptatum ambages flectatur; sed lex tua, Domine, semper recta manet, quantumvis illam inflectere, & secundum corrupta studia nostra illam torquere adnitamur. Supremus judex, qui solus est legis interpres, nos per eamdem legem judicabit, atque damnabit; tunc evanescent omnia legis lenimenta, injustæ omnes legis dispensationes, omnes falsi prætextus, quibus utimur, ut prævaricationibus nostris colorem aliquem allinamus; & peccatores omnium primi agnoscent æquitatem legis hujus, quæ illos damnabit: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Ps. 118. *Ex specimine Sermonum pro Adventu.*

Nobiles, ac divites mandatis Dei observandis non dispensantur.

Nobilitas, & opes nobiles, divitesque a temporis hujus ærumnis tuentur; verum illosne ab evangelicis legibus eximunt? Nunquid qui præ cæteris opibus diffluit, jure potest minorem habere pietatem, ac religionem? Profecto morum licentia, cordis, animique procacitas, vita adeo parum religiosa plurimorum, qui sæculi felices vocantur; hæc omnia nonne locum præbent interrogandi, utrum nobiles, & locupletes aliquo fruantur privilegio, quo a christianæ legis severitate dispensentur; & utrum conditionum inæqualitas in mundo aliquam supponat varietatem præceptorum Dei erga illos, qui in eadem vivunt religione? At qui prima Christianismi rudimenta non ignorat, ambigerene potest, utrum leges hæ obligent universos? Unum est evangelium, nonnisi una esse potest morum disciplina. Jesu Christi præcepta sunt immutabilia; nulla illis conditio subjecta non est, nemo est ab illis immunis. Diversæ in cœlo sunt mansiones, verum est, sed una tantum via est, quæ illuc adducit. Princeps, & subditus, dives, & pauper nonnisi eamdem morum regulam habere possunt, si fidem habent eamdem. Nulla dispensatio, nulla exemptio, eadem mandata, præcepta eadem, eadem consilia. Si quod lenimentum est, si qua in hac statuum varietate interpretatio est, hæc in divitum gratiam non est. Salus majoribus sumptibus comparanda est a viris principibus, quam ab illis, qui obscuram, molestamque vitam trahunt. Ubi plures superandi sunt obices, ibi major sibimet vis inferenda est. Opes latiorem non efficiunt viam, quæ ducit in cœlum, sed impeditiorem. Gravissimæ difficultates, quibus homo dives salutem operatur suam, nonnisi ex facilitate in tanta rerum copia pereundi proficiscuntur. *P. Croiset 2. tomo considerationum moralium.*

PRÆDESTINATIO.

Reprobatio, exiguus electorum numerus &c.

MONITUM.



Uamvis prædestinatio, & exiguus electorum numerus duo sint argumenta, quæ seorsim pertractari possunt, utrumque tamen simul conjungemus propter nexum, qui inter utrumque invenitur, quoniam alterum in altero continetur, & ab illo supponitur. Cæterum cum prædestinatio sit opposita reprobationi, quæ ambæ in Bibliis memorantur, cumque de fide sit non deesse prædestinatos simul, & reprobatos, huc afferemus, quæcumque hujus argumenti colligere nobis licuit.

Fateor equidem de concionatorum officiis circa hoc argumentum doctorum variare sententias; videlicet, utrum operæ pretium sit profunda hæc prædestinationis, & reprobationis pertractare mysteria, an utrum prætereunda sint tanquam argumenta, quæ hominum mentes magis perturbare possunt, quam illos ædificare, & erudire. Veteres concionatores in eam abiere sententiam, quasi præstet de hac re verba non facere, nisi ad admonendos auditores, ne mentem suam impediant quæstionibus, quæ ad praxim nihilum prosunt, & quæ efficere possunt, ut infirmos animos, terrisque idgenus cogitationibus præoccupatos in desperationem inducant, vel ut in effusiorem licentiam impellant eos, qui in eamdem studiis suis, & insita aliqua dispositione feruntur.

Cessi tamen hodiernæ consuetudini, atque experientiæ, quæ ostendit argumentum hoc cum fructu pertractari posse, dummodo populis nequaquam prædicentur sententiæ quorumdam, licet insignium Theologorum, & orthodoxorum, quorum tamen opinio in scholis tantum potest pertractari; hoc est, Deum ab æterno elegisse, & prædestinasse certum, determinatumque numerum pro gloria, independenter a prævisione meritorum, quin aliis eamdem gratiam largiatur, quamvis sufficientia ad salutem consequendam subsidia illis destinaverit. Hæc opinio iis scatet difficultatibus, quæ non ita perspicue solvi possunt, ut nullus in animabus remaneat tumultus. Quamobrem censeo illam de suggestu non esse afferendam, quia nihil inde inferri potest ad morum reformationem. E contra vero Theologi alii non minus eruditi asserentes nihil determinasse Deum pro aliorum quidem prædestinatione, aliorum vero reprobatione, nisi habita ratione meritorum, tuto hortari possunt fideles, ut cum timore, & fiducia salutem suam operentur, ac bonis operibus suis certam faciant electionem, qua Deus ipsos ab æterno prædestinavit.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti Structura.

I. imor, ac spes, ut generatim loquar, duo sunt absolute necessaria Christiano, ut suam tueatur innocentiam, ut in virtutis exercitatione perseveret, & ut ad æternam felicitatem perveniat. Timor, ne propter voluntatis suæ nequitiam reprobetur, & spes futurum, ut cœlesti beatitudine perfruatur, cujus jura eidem mors, & merita Salvatoris acquisiverunt. Prædestinationis autem mysterium utrumque hunc nobis sensum immittit. 1. Sensum humiliationis, ac metus salutaris propter ea, quæ nobis terribilia continet. 2. Sensum consolationis, & spei, propter ea, quæ omnibus hominibus solatium afferre debent, eosque excitare possunt, ut salutem suam operentur. Hæc esse debet hujus concionis partitio.

Quod ad primum pertinet punctum. Quamcumque sententiam in hoc prædestinationis argumento amplectaris, tria semper certissima occurrunt, & nunquam in dubium revocanda: Prima est, prædestinatorum numerum exiguum esse, & ad paucissimos redigi. Hoc est oraculum, quod ex ipsius Jesu Christi ore prodiit, quod nemo Patrum interpretatus est, vel in æquiorem, mitioremve sensum traduxit, & nemo hæreticorum in dubium revocavit; & quocumque modo explicetur, ut spiritus confirmetur in hoc timoris argumento, quod ipse Dei filius necessarium censuit iis etiam fidelibus, qui in religionis veritatibus melius essent confirmati, & in moribus probi; oraculum hoc semper verum erit, non solum habita generatim mortalium omnium ratione, sed etiam Christianorum dumtaxat, eorumque adultorum, qui singulari Dei beneficio, quod infinito Ethnicorum numero concessum non fuit, ad fidem, & veri Dei cognitionem evocati fuerunt: etenim hujus oraculi verba id palam testantur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Matth. 20. & 22. Non deest igitur, unde humiliemur, atque confundamur cogitantes, quomodo se gerat erga homines Deus; atque cum Sancto Paulo, qui & ipse id animo reputans formidine corripiebatur, exclamemus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Ad Rom. 11. Scio equidem omnia juste a Deo fieri, & hoc mihi satis est: sed quænam mihi formidinis causa est cogitanti, quantum a sanctorum, & prædestinatorum vita mea distet ratio vivendi! Alterum, quod certum, ac indubitatum occurrit, est ipsius nostræ prædestinationis incertitudo: utrum sors mea similis futura sit sorti Jacob, an Esau. Hoc mihi ænigma est, & mysterium, quod noluit Dominus revelare nobis, ne securitas in nobis ignaviam gigneret. Quid autem aptius fingi potest ad nos perterrendos simul, & humiliandos hac incertitudine, in qua de incerto futuri exitu vivimus? In Dei mente jam lata est sententia mea, scriptaque jam est in alterutro eorum librorum, in quibus vita, vel mors continetur. Deus ab æterno cognoscit, quinam futuri sint sui: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*: 2. ad Timoth. 2. ego vero vivo in alta demersus earum rerum ignorantia, quæ ad bene vivendum necessariæ sunt, ut dignus fiam, qui prædestinatorum numero adscribar? Tertium denique, quod in humiliatione, ac jugi timore continere nos debet, est gratia, quod est primum nostræ prædestinationis principium, & subsidium unice necessarium, ut magnum hoc negotium agatur, & transigatur. Quænam autem humiliationis, terrorisque causa nobis est, scire gratias omnes esse in manu Dei illas, prout ipsi placuerit, distribuentis, idque gratis, ac inter cæteras illas potissimum, quæ salutem incipiunt, atque perficiunt &c. Illationes ex his veritatibus eruendæ, quæ quidem terrere, non autem ad desperationem adducere debent, sunt: 1. Si prædestinatorum numerus exiguus est, & angusta cœli porta, nihil non conandum esse, ut illuc ingrediamur: *Contendite intrare*. 2. Cum prædestinatio nostra nobis incerta sit, satagendum esse, juxta S. Petri consilium, ut eam bonis operibus certam faciamus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram electionem faciatis*. 2. Petr. 1. 3. Quoad gratiam finalem, quæ nostræ prædestinationi cumulum addit, ad ferventiores confugiendum esse preces, eamque a Deo enixe petendam, quandoquidem orationi illam Deus voluit adnectere.

Punctum alterum. In prædestinationis mysterio summam nobis afferre debere consolationem video duas has certas veritates, quæ facile rationis, & auctoritatis ope possunt ostendi. Prima est, Deum ab æterno sincere voluisse nostram salutem. Altera est, nos posse, ac in nobis positum esse, salvos fieri. Quæ duo magnum nobis solatium afferre, ingentesque animos addere debent.

II. In inquieta formidine, ac diffidentia circa prædestinationem nostram tria hæc nos possunt confirmare. 1. Creator Deus ab æterno sinceram habuit nos salvandi voluntatem. Ita statuerunt duo Concilia, olim Arausicanum, & novissimis sæculis Tridentinum. Ita S. Paulus explicitis verbis testatur: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; 1. ad Timoth. 2. atque omnes afferri possunt probationes, quæ confirmare, & consolari possunt eos, quos naturalis timor aliquando ad desperationem usque conturbat. 2. Deus Redemptor effudit sanguinem suum pro universis. Quem salutis thesaurum in sanguinis hujus virtute non habemus, & quinam peccatorum numerus illum exhaurire posset, nisi sola nostræ salutis desperatio? 3. Deus Sanctificator eas nobis tribuit gratias, quæ omnibus hominibus sunt valida ad salutem auxilia. In nobis ergo positum est illis uti, ut ad nostræ salutis opus cum Deo cooperemur.

III. 1. Quid nobis sciendum de prædestinationis mysterio cum gratiarum actione, & confidentia in Deo. 2. Quid nobis de eodem cum humilitate ignorandum. 3. Quid cum fidelitate, constantia, & perseverantia faciendum, ut prædestinationem nostram certam faciamus.

IV. 1. Deus sincere nos vult salvos facere, sed non invitos, & nisi serio, constanterque, voluerimus. 2. Deus necessaria nobis tribuit subsidia, ut salvemur; sed erunt inutilia, nisi illis utamur, atque Dei providentiam in reprobatione nostra justam fuisse ostenderemus. 3. Deus re ipsa salvos nos faciet, si nosmet fideles præbuerimus gratiis ipsius; atque erimus ex numero prædestinatorum.

V. 1. Nimium diligens perquisitio in hoc nostræ prædestinationis argumento inutilis est, periculosa, & contumeliosa Deo; quia hoc est, confidentia carere. 2. Adniti, omnesque nervos contendere, ut salutis, & prædestinationis nostræ negotium certum faciamus, hæc omnium curarum nostrarum princeps esse debet, & maxima.

VI. Duo magna sunt mala, quibus circa prædestinationem sumus obnoxii, atque hi duo sunt scopuli, a quibus nosmet diligentissime præseverare debemus; præsumptio videlicet, & desperatio; quæ duo hac in concione oppugnanda aggredior ostendens, Dei prædestinationem neutri favere, & nos inexcusabiles esse, cum propter hoc mysterium nosmet tradimus: 1. vel præsumptioni, quæ efficit, ut nostræ salutis curam negligamus; quod primum erit punctum: 2. vel desperationi, quæ efficit, ut omnem salutis spem abjiciamus; hoc erit alterum. *P. Bourdalove Sermone hujus argumenti*.

Quod-

VII. Quodcumque decretum ante sæcula fecerit Deus, & quodcumque consilium de æterna sorte nostra inierit, 1. certum est, ipsum nos salvos facere velle, hæc prima est consideratio in hoc prædestinationis argumento facienda. 2. Certum est nosmet salvos facere posse: hæc est altera. Quocumque modo abditum hoc explicetur mysterium, certum est, neque in Deo tolli voluntatem homines salvandi, neque in hominibus libertatem operandi salutem suam ope cœlestis gratiæ, quæ ad id nunquam illis deest. *P. de la Colombiere.*

VIII. 1. Deus nos celat, quidquid in prædestinatione a nobis cognosci inutile est, & nos audemus scrutari. Divinæ interest bonitatis, atque sapientiæ id nobis abscondere: hæc prima erit pars. 2. Deus nobis aperit, quidquid in hac prædestinatione a nobis cognosci necesse est, & ipsi volumus ignorare. Justitiæ Dei interest hoc nobis detegere. Hæc pars altera. *Desumptum ex Quadragesima, quæ Patri de la Rue accepta refertur, Sermone hujus argumenti.*

IX. Tres veritates nos de salute nostra sollicitos, incertosque confirmare debent circa ea, quæ de prædestinatione, aut reprobatione nostra decrevit Deus.

Prima est: nostræ salutis opus a Deo simul, & homine pendere.

Altera est: hoc in nostris esse manibus per opera nostra bona.

Tertia est: ad id nunquam Dei auxilium deesse. *Ex eodem.*

X. De exiguo electorum numero. Quin de certitudine exigui hujus numeri disputem, perpendere volo causas, quæ illum adeo exiguum efficiunt, easque tres potissimum invenio, tres concionis partes futuras.

Prima est, raritas innocentiæ per pœnitentiam conservatæ, vel reparatæ.

Altera, vis motis humani, qui sequitur multitudinem.

Tertia, violatio officiorum, quæ magis inevitabilia sunt, & quæ in christiana religione sunt sanctissima. *P. Massillon sermone pro feria sexta Hebdomada Passionis.*

XI. Prædestinatio triplici ratione considerari potest.

Primo ratione Dei prædestinantis, hoc est, misericordiam suam disponentis pro hominum salute, eisque præbentis subsidia, quibus adjutus perveniat ad beatum finem, ad quem destinat illos.

Secundo ratione Jesu Christi, cujus imaginem gestare debent prædestinati: necessarium quippe est illos imagini ejusdem fieri conformes: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii Dei:* ad Rom. 8.

Tertio ratione voluntatis, & libertatis nostræ: Deus enim, qui fecit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis. *Ex specimine Sermonum pro feria quarta Hebdomada Passionis.*

XII. Quæcumque sit nostra de salute, ac prædestinatione incertitudo, hæ tres veritates efficere debent, ut fidenter eamdem operemur.

Prima: quicumque fideles sunt gratiæ, sunt ex numero prædestinatorum.

Altera: hæc fidelitas gratiæ pendet a nobis.

Tertia: Gratia deest nemini. *Ex eodem specimine pro decimanona post Pentecosten Dominica.*

XIII. 1. In salutis nostræ negotio nihil nobis a Deo timendum est, qui nihil prætermisit eorum, quæ erant necessaria ad æternam felicitatem nobis procurandam. 2. Omnia nobis a nobismetipsis esse metuenda; quod cogere nos debet, ut vigilemus, & laboremus, ut bonis operibus certam prædestinationem nostram faciamus. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta pro feria quarta hebdomade quinta in Quadragesima.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus *l. 2. de Prædestinat. & pers. cap.* 21. docet, quomodo ad populum de prædestinatione loquendum sit. Sancti Patres.

Idem *lib.* 2. *de Prædest. cap.* 14. loquitur de Tyriis, ac Sidoniis, quos reliquit Deus in eorum cæcitate, & qui credidissent, si Salvatoris miracula vidissent. Nec non cap. 17. & 18. plures tradi prædestinationis definitiones, vel potius rem eamdem variis verbis definit.

Idem *lib.* 5. *contra Julianum* acceptam refert duritiæ cordis plurimorum peccatorum causam impœnitentiæ eorum, & docet non permittere Deum, ut aliquis ex iis, quos prædestinavit, intereat.

Idem *in Epist.* 105. *ad Sixtum* ostendit in prædestinatione Deum nullam habere personarum acceptionem.

Idem *l. resp. ad articulos sibi falso impositos art.* 12. docet Dei prædestinationem immutabilem esse, & effectu suo non carituram.

Idem *l.* 4. *contra duas Epist. Pelag. cap.* 6. ostendit, quærere, cur Deus alios quidem prædestinet, alios relinquat, rem esse in quæstionem minime vocandam; & quam periculosum sit velle scrutari secreta Dei in hunc articulum judicia.

Idem *in Enchirid. cap.* 99. omne prædestinationis mysterium ad Dei misericordiam, atque justitiam refert.

Idem *l.* 2. *de Prædest. Sanct. cap.* 24. docet justificationem peccatoribus sine ullo præcedenti merito concedi.

Idem *Tract.* 26. *in S. Joan.* docet, prædestinationis secretum non esse curiosius investigandum.

Idem, vel auctor soliloquiorum cap. 26. & 28. de prædestinatione, tamquam de impenetrabili secreto loquitur.

Idem vel auctor libri *Hypognost.* ostendit, quid præscientia Dei differat a prædestinatione.

Idem *l.* 3. *contra Cresconium cap.* 37. ostendit quam exiguus sit eorum, qui salvantur, numerus, si cum multitudine eorum, qui damnantur, comparetur.

Idem *in Psalm.* 39. docet paucos esse Christianos, qui arctam sequuntur viam, ideoque paucos salvari.

Idem *Serm.* 102. *de Tempore*, aliquot habet animadversiones circa exiguum eorum numerum, qui in terram promissam ingressi sunt ex tot Israelitarum millibus, qui egressi sunt ex Ægypto.

Idem *Serm.* 32. *de verbis Domini* hæc explicans verba cap. 13. S. Lucæ; *Domine si pauci sunt, qui salvantur?* ostendit, cum peccatorum numerus toto cœlo major sit numero justorum, ac bonorum, idcirco plures esse reprobatos, quam prædestinatos.

Idem in Psalm. 47. & 48. eadem nititur argumentatione.

S. Gregorius *Homil.* 19. *in Evangel.* in hæc verba, *multi sunt vocati, pauci vero electi*, ostendit plures, qui ad fidem usque percipiendam perveniunt, ad gloriam usque non pervenire.

S. Chrysostomus *lib. adversus vituperatores vitæ monasticæ*, rationem, propter quam pauci sunt prædestinati, hanc esse ait, quia pauci sunt, qui ambulant in arcta via, quæ ducit ad vitam.

Idem *Homil.* 4. *ad popul. Antioch.* terribile affert testimonium exigui prædestinatorum numeri dicens ex tot mortalium millibus, qui tunc magna illa in urbe aderant, se credere futurum, ut vix centum salvarentur.

Recupitus *lib. de signis prædestinationis* in parte secunda Scripturis, Patrum auctoritatibus, aliisque pluribus rationibus probat reproborum ex Ascetici aliique.

adultis

adultis christianis numerum longe majorem esse numero prædestinatorum.

Granatensis in duce peccatorum cap. 7. loquitur de inæstimabili prædestinationis beneficio.

P. Caussinus *Tract. 2. aula Sancta* effato 6. ostendit æternam beatitudinem in manibus nostris esse, ac a nobis pendere, utrum in prædestinatorum numero simus adscribendi.

P. Chabu in libro, cui titulus, Secretum prædestinationis de exiguo prædestinatorum numero, deque magna multitudine reproborum, fusius hanc pertractat quæstionem, atque in partem utramque adfert argumenta.

P. Nepveu tomo 3. christianarum considerationum pro die 16. Julii docet, quam inutile, ac periculosum sit, scire velle, utrum simus prædestinati.

Bellarminus *Opuscul. de Gemitu Columbæ cap. 6.* ostendit, quam nobis metuendum, lugendumque sit propter exiguum electorum numerum.

Dionysius Carthusianus in Operibus minoribus tomo 1.

Omitto Theologos scholasticos. Quicumque scripserunt in primam partem D. Thomæ locuti sunt de prædestinatione, quæ est in paucis, quæ in Scholis agitentur, quæstionibus celeberrima.

P. Croiset 2. tomo Recessuum pro una die cujuslibet mensis.

Concionatores Noti. P. Delingendes, sermone pro feria quarta post Passionis Domin. integrum habet sermonem de Prædestinatione.

P. Texier sermone pro feria 4. hebdomadæ quintæ in Quadragesima.

Idem in Dominicali serm. pro Dominica quinquagesima.

P. Reina Concione 33. in fer. 4. post Dominicam Passionis.

Inter sermones morales unum habet hujus argumenti.

P. Bourdalove in novis sermonibus sermo pro feria 6. hebdomadæ primæ in Quadragesima.

P. de la Rue in sermonibus, qui sub ejus nomine circumferuntur in feriam 4. post Dominicam Passionis.

P. Massillon sermone pro feria 6. hebdomadæ Passionis, ubi verba facit de exiguo electorum numero.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta serm. pro feria 4. hebdomandæ 5.

Idem in Dominicali serm. 19. post Pentecosten de exiguo electorum numero.

Idem sermone pro Dominica 5. quæ superest post Epiphaniam, de Prædestinatione.

Biroat sermone 7. Adventus de mundi desperationibus, plura habet de Prædestinatione æque ac in sermone pro feria 3. post sextam Quadragesimæ Dominicam.

In Specimine serm. pro Quadragesima unum habet de prædestinatione, argumento 4. pro feria 4. Hebdomadæ Passionis.

In eodem specimine pro Dominicali alium habet Dominica 19. post Pentecosten.

Qui collectiones ediderunt. Granatensis in locis Communibus. Titulo *Prædestinatio, & Reprobatio.*

Summa Prædicantium, titulo *Prædestinatio.*

Langius, titulo *Prædestinatio.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

N*Ovi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me.* Exod. 33.

Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus. Deuter. 32.

Ego sum Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exod. 20.

Universæ viæ Domini, misericordia & veritas: Psalm. 24.

Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Psalm. 102.

Abominatio est Domino via impii; qui sequitur justitiam, diligitur ab eo. Prov. 15.

Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. Eccl. 9.

Nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Sapient. 11.

Novit Dominus dies immaculatorum; & hæreditas eorum in æternum erit. Psalm. 36.

Si volueris mandata servare, conservabunt te. Eccli. 15.

In charitate perpetua dilexi te, & attraxi te, miserans. Jerem. 31.

Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur a viis suis, & vivat? Ezechiel. 18.

Perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum. Osee cap. 13.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. 20.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matthæi 19.

Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Luc. 10.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Luc. 12.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joann. 10.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Idem, ibid.

Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo. Joann. 6.

Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Ad Rom. 3.

Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Ad Roman. 8.

Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit. Ibidem.

Ego scio quos elegerim. Joann. 13.

O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Ad Roman. 11.

Elegit nos in ipso (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Ad Ephes. 1.

Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Timoth. 2.

Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Ad Ephes. 1.

Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Ad Timoth. 2.

Cum metu & tremore vestram salutem operamini. Ad Philipp. 2.

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri cap. 1.

Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Ibidem, cap. 3.

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed ex omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Act. 10.

Exempla, & figuræ ex veteri, novoque Testamento desumpta.

NOnne Deo agendi ratio hæc est, quæ licet æquissima, tamen summum nobis inferre potest terrorem videntibus in eadem familia, ex duobus fratribus ad eamdem gloriæ adeptionem creatis, alterum quidem exercentem virtutes, & eam eligentem viam, quæ certissime ad beatitudinem adducit, alterum vero in peccati massa remanentem? Inter duos fratres Cain, & Abel, inter geminos fratres Jacob, & Esau, alter quidem prædestinatorum prototypus est, alter vero tristis reproborum figura. Meditatio quam faciat Deus alterum, & alterum reprobationis nobis terrorem incutere. Inter

inter duos Apostolos Judam, & Mathiam, alter quidem perditionis filius dicitur in evangelio, alter vero in alterius locum electus, & subrogatus. Hoc illud est, quod adeo terribile fit prædestinationis mysterium; hoc quod mortales omnes in timore, ac humilitate debet continere.

Metuebat David, ne in reproborum numero esset adscriptus.

Quantum metu, qua formidine angebatur sanctus Rex David cogitans, quid de ipsius æterna beatitudine, an calamitate Deus decrevisset? *Anticipaverunt, ait ille, vigilias oculi mei; turbatus sum, & non sum locutus*. Psalm. 76. At quæso, quænam erat hujus tumultus, atque terroris, quo mens sua agitabatur, origo? *Cogitavi*, respondet ille, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Animo reputabam æternitatem, ac annos, qui præsentem hanc vitam subsequentur. *Et meditatus sum cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*. Meditabar intra me, & animus meus terribili hac cogitatione commotus seipsum excutiebat, ut videret, utrum conscientia mea aliqua fœdata esset labe, quæ esse posset causa meæ reprobationis. *Numquid in æternum projiciet Deus? aut in finem misericordiam suam abscindet? aut obliviscetur misereri Deus?* Fierine posset, ut me Deus in æternum reliquerit, ac nunquam mei esset misertus? Hæc animo secum volutabat sanctus Rex, quæ gravissimis illum conficiebant curis; ignorabat enim, utrum esset ex numero prædestinatorum. Passim iisdem cogitationibus, ac David, perturbamur, verum ejusdem simul sensus concipiendi sunt; videlicet salutaris timor, qui efficiat, ut saluti nostræ consulamus, cæterumque in Dei misericordia confidamus. Hæ cogitationes profecto ad metum in nobis ciendum sunt aptissimæ; verum nunquam efficere debent, ut de divina erga nos bonitate diffidamus.

Figuræ, quæ ostendunt exiguum prædestinatorum numerum.

Antiquæ legis figuræ efficiunt, ut per umbras suas eam perspiciamus veritatem, quam ipse Dei filius nobis in evangelio declaravit; numerum videlicet electorum exiguum esse, illum vero reproborum satis magnum: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. S. Paulus unam ex illis figuris applicuit huic argumento desumptam ex Israelitis, qui ultra sexcenta millia numerabantur, pueris, mulieribusque non recensitis. Ecce quomodo hic Apostolus 1. ad Cor. 10. loquitur: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducarunt &c. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*. Hic quatuor diversa vides unam eamdemque figuram componentia; videlicet nubem, mare, baptismum, & escam. Israelitæ, qui erant populus Dei, universi, tecti fuerunt nube eadem, quæ eorum dux erat in deserto. Transierunt mare rubrum, quod illi baptismi loco fuit, omnes nutriti fuerunt esca eadem; & nihilominus ex numero hoc tanto, ac tam mirabili Caleb tantum, & Josue a Deo electi fuerunt, qui in terram promissam ingrederentur; & ne quis crederet, Deum aliter cum fidelibus agere, idem S. Paulus addit: *Hæc in figura facta sunt nostri*. Velum auferamus, utque justa fiat hujus figuræ applicatio, dicamus adultos omnes eodem Dei patrocinio protegi, omnes per tribulationum aquas traduci, omnes idem Baptismatis sacramentum recepisse, omnesque eodem Eucharistico pane vesci; sed paucissimos nihilominus esse, qui ad æternam perveniant felicitatem, cujus promissa terra erat figura.

Ex Principe Apostolorum alteram mutari possumus figuram priori antiquiorem, ac non minus perspicue veritatem eamdem exprimentem. Diluvium nempe, quo totum genus humanum absorptum fuit, excepta familia Noe, quæ octo constabat personis, quæ in Arca salvæ factæ sunt. Duo circiter annorum millia a mundi primordiis excesserant, quo diuturno viginti sæculorum spatio homines in infinitum ferme multiplicati, totum terrarum orbem replebant. Nihilominus ex innumerabili hac populorum multitudine, qua urbes, agrique frequentabantur, octo dumtaxat salvi sunt facti, reliquis omnibus diluvii fluctibus sepultis: *Pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*. 1. Pet. 3. Et addit S. Petrus ad fideles adultos loquens, similiter baptismum admodum paucos salvare, non quod illi virtus non adsit omnes salvos faciendi, a quibus recipitur, dummodo justitiam, quam ibi recipiunt, ad mortem usque tueantur.

Figura incendii Sodomæ, & Gomorrhæ, ex quo sola Lothi familia evasit.

Tertia figura nobis vigesimo Geneseos capite exhibetur in historia quinque abominabilium civitatum, quæ cum omnibus civibus suis conflagrarunt igne sulphureo cœlitus demisso, ex quo Loth cum familia sua tantum evasit. Quamobrem Apostolus S. Judas in canonica epistola dixit, Sodomam, & Gomorrham cum finitimis civitatibus nobis exemplo esse, quod ex igne perfunctorio, qui cecidit in illas, præcipites datæ sunt in ignem, ubi in æternum torquebuntur. Reliquas mitto figuras; veluti viduarum omnium fame laborantium, hominumque omnium lepra infectorum, solam Sareptæ viduam ope juvatam, solumque Naaman mundatum, quemadmodum legimus tertio libro Regum, & S. Lucas capite quarto enarrat. Ita ex innumera ægrotantium turba, qui Jerosolymæ ad probaticam confluebant, unus tantum sanabatur virtute Angeli aquam moventis, uti apud S. Joannem c. 5. legimus.

Comparatio prædestinatorum cum olivis in arbore excussa, & racemis post vindemiam remanentibus.

Ex omnibus similitudinibus, quæ afferuntur ad ostendendum exiguum electorum numerum, duas tantum proferam, quas legimus apud Isaiam cap. 24. ubi electos comparat primum paucis olivis, quæ in arbore fructibus denudato remanent, & quæ aliquibus protectæ frondibus olitoris diligentiam fefellerunt; mox vero racemos, quos vinitores prætereuntes reliquerunt: *Quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi cum finita fuerit vindemia*. Spiritus sanctus his similitudinibus significare voluit, numerum prædestinatorum, si cum reproborum turba comparetur, esse perexiguum.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

QUos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Ad Rom. 8. Dei filius nos conformitatis amore dilexit, se nobis similem efficere volens, ut nosmet salvare disceremus, & amore prælationis salutem nostram iis rebus, quæ sibi erant antiquissima, præferens. Nos quoque vicissim illi debemus conformitatis amorem nosmet illi similes reddendo; *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*. Vultisne igitur scire, utrum prædestinati sitis? Vosmetipsos inspicite. Estisne similes Jesu Christo crucifixo? Habetisne spiritum paupertatis, ut ille, spiritum humilitatis, spiritum pœnitentiæ, ut ille? Nisi vitam vestram ad normam vitæ ipsius conformaveritis, de salute vestra despero. Debemus etiam illi prælationis amorem. Jesus Christus salutem nostram rebus omnibus prætulit; nonne æquum est, ut illum præferamus omnibus, vanitati, ambitioni, pecuniæ &c.

Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. 1. ad Timoth. 4. Fateor equidem, Jesum Christum peculiari quodam modo Salvatorem esse prædestinatorum; illos enim reipsa salvos facit. Sed hoc non prohibet, quominus sit etiam Salvator eorum, quibus præbet subsidia sese salvandi, quamvis sua culpa damnentur. Hoc innuere voluit S. Paulus Apostolus his verbis: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium*. Quodam in sensu Salvator est omnium hominum; in ipsis enim situm est per illum salvari; sed præsertim Salvator est fidelium, qui salvi fiunt, quia deducit illos in vias salutis peculiari providentia. Apostolus in his verbis opponit fideles illis; qui fideles non sunt: fatetur ergo Dei illum Salvatorem esse illorum etiam,

qui

qui fideles non sunt; licet multo præstantius sit fidelium Salvator: unde sequitur, si illi pereunt, si prædestinati non sunt, suā tamen culpā non esse; habent enim Salvatorem, qui illis ea præbuit subsidia, quorum ope salvi fieri possent, si iisdem uti vellent.

Cooperari debemus cum timore saluti nostræ.

Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Ad Philipp. 2. Quamvis essem certus, me ex numero esse prædestinatorum, S. Chrysostomus inquit, de fide est, me sine cooperatione mea a Deo nunquam salvum factum iri. Si ergo cum Deo mihi cooperandum est, in Deo mihi est confidendum, ac diffidendum de me, semperque metuendum ne memetipsum perdam per infirmitatem meam, cum Deus salvare me vult per misericordiam. Sed hic timor nequaquam subsistere debet inter inutiles terrores, ac sollicitudines; hic esse debet in nobis initium veræ sapientiæ, quæ in hoc sita est, ut per bona opera nostra in moralem salutis nostræ certitudinem adduci valeamus. Totus enim prædestinationis ordo in his verbis continetur, quæ licet communia, nova tamen videri semper possunt illis, qui religiosa attentione meditantur illa: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Cum essemus in nihilo, non licebat nobis ad creationis nostræ opus concurrere; sed cum semel creati fuerimus, atque a Deo libertate donati, qua & bonum, & malum possimus eligere, nonne æquum est, ut cooperemur cum Deo in opere sanctificationis nostræ; & facultas merendi, quam nobis contulit Deus, debetne inutilis permanere?

[illegible]

Peccatores ex se Regnum cælorum amittunt; non autem Deus hoc illis aufert.

Auferetur a vobis regnum Dei. Matth. 21. S. Gregorius Magnus præclaram habet animadversionem in hæc verba, quæ Dei filius dixit Judæis: Regnum Dei illis ablatum iri. Eheu! Quis alius præter te, Deus, peccatoribus auferre potest regnum tuum? Nonne tu supremus es Dominus? nonne tu illud aufers, ubi tua præcipit justitia? Quonam ergo mysterio non dicis Domine: *Auferam a vobis regnum meum?* Innuit his verbis Salvator, S. Gregorius respondet, Deum nequaquam auferre peccatoribus gratiam, & regnum suum; sed propria singulorum peccata causam esse hujus supplicii, & hanc singulis consilii calamitatem. Non ait ille, auferet vobis Deus regnum suum, sed regnum Dei auferetur a vobis, ut intelligamus, si perimus, nequaquam a nobis insimulandam esse Dei bonitatem, & si reprobamur, nobis tantum succensere debere.

Ad omnes vocantur hæc verba: *Vult Deus omnes homines salvos fieri.*

Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2. Nil potentius ex his verbis summa consolatione refertissimis. *Deus vult:* hoc igitur non est simplex desiderium, velleitas quædam ab ea conditione pendens, quæ nunquam adimpletur: *Vult:* voluntas est, agens, sincera, quæ nihil intentatum relinquit, ut quod contendit, evincat. *Omnes homines:* non igitur voluntas est ad paucos homines coarctata, vel exiguum amicorum numerum, sed hæc generatim ad omnes extenditur. *Salvos fieri:* non vult igitur concedere solum aliquot gratias pro tempore; non gratiam vocationis, sine fructu justificationis; sed gloriam, æternamque felicitatem. Quam admirabilem significandi, consolandique vim habent hæc verba! S. Augustinus illa repetit, & in eodem explicat sensu. *Deus vult omnes homines salvos fieri, non ita tamen ut adimat liberum arbitrium.* Quam clausulam sanctus Doctor adjicit, ut quosdam confundat; qui generalem hanc voluntatem coarctare conantur ad eos, quos absolute salvos fieri voluit, quin aliquid ipsi per se fecerint salutem consulerint.

Quinam salvantur, & sint ex prædestinatorum numero.

Quis ergo poterit salvus esse? Matth. 19. Si tam pauci sunt prædestinati, & tantus numerus reproborum; quis ergo salvari poterit? Hoc Discipuli Jesu Christi respondebant magistro suo ostendentes difficultatem, quia divites salutem suam operantur, & hæc homines vulgo adhuc dicere possunt, ubi ipsis enuntiatur hoc oraculum, quod ex ipsa Veritatis ore emanavit: Numerum eorum, qui damnantur, esse infinitum, & angustam esse viam januam? *Quis ergo poterit salvus esse*, inquiunt illi? unde scire valeo? Illi sunt; qui metuunt inclinare, ne sint ex numero reproborum, qui vigilant, ne unquam labantur. Quis poterit salvus esse? Nobilis ille, ac dives, qui in nobilitate, ac opulentia sua semper humilis fuerit, a terrenis rebus alienus, ac necessitatum fratrum suorum misserebitur. Quis poterit salvus esse? Mulier illa fidelis; quæ intra domesticos parietes suos filios in Dei timore instituit, Domino fati sui curam relinquit, neque illis aliam destinat sortem, nisi eam, ad quam Dominus eos vocabit. Quis poterit salvus esse? Homo ille fidelis in officiis suis adimplendis, qui primævum Christianorum candorem, bonamque fidem imitatur. Homo, qui potens est, atque auctoritate præditus, ut eos tueatur, qui ipsius egent auxilio, & ut infirmum, & innocuum protegat: qui patiens est, qui injuriam acceptam facile remittit; & verbo, qui replet omnia christianæ religionis, & sui status officia: Quis poterit salvus esse? Vos ipsi, o Christiani, qui id quæritis, si hasce vias ingredi volueritis: sed qui eo modo, quem descripsi, vivunt, nequaquam illi sunt, qui majorem numerum componunt.

Qui bene vivere satagunt, credere possunt se prædestinatos esse.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Luc. 12. Ne dubites anima Christiana, decrevit Deus locum tibi in cælo tribuere, ideoque licet tibi regnum illud intueri tanquam hæreditatem tuam; quoniam hoc est regnum Patris tui: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Quod pro te fecit, hoc palam probat, & quod ipsa facis, vel conaris facere, indicium est, quod suspicioni locum præbere non potest, quoniam ejus innititur verbo. Sincera voluntas, qua præterita expiare cupis flagitia; opera bona, quæ modo operaris; horror, qui tibi reliquus est eorum, quæ contra Domini legem amasti; verbo, ardens hoc desiderium, quo flagras, operandi salutem tuam, effectus est desiderii, quo Deus te vult salvam facere.

Validum spei argumentum est, salutem nostram esse in manibus Dei.

In manibus tuis sortes meæ. Psalm. 30. Hoc efficere debet cumulum gaudii mei, quod cum David dicere possum Deo: In manibus tuis, Domine, sortes meæ; non dico solum, sors mea temporalis, sed mea etiam æternitas. Licet in mea esset potestate alibi spem constituere, ubinam tutius eam collocare possem, quam in manu Dei æque potentis, boni, & fidelis? Si in manibus meis esset, ubinam ego essem? Cumque adeo levis, ac fragilis sim, quo in te considerem, ubi esset præsidium meum? Quænam Christiano viro suavior esse potest cogitatio, quam cogitare Deum tanquam salutis suæ custodem, atque sequestrem? Peccatori vero in sceleribus suis inveterato quanta hæc spei causa esse potest, ubi cogitet: salus mea adhuc est in manibus Dei! Possetne Deus in illum severius animadvertere, quam illi magni hujus negotii curam relinquens, eumque ipsimet tradens?

Si Dominus nos vellet occidere, non ostendisset nobis hæc omnia. Lib. Judic. cap. 13. Dicebat patri Samsonis uxor ejus illum consolatura metuentem, se mortem subiturum eo, quod Angelum viderat: Hoc ipsum dicimus, si voluisset Deus damnare, ac reprobare homines, nunquid ille tot, tantaque fecisset, ut eos salvos faceret? illisne misisset Angelum testamenti, ut pro illis mediator esset? Illisne dedisset Unigenitum suum, qui victima fieret ad ejusdem iram leniendam? vidissetne in cruce suum effusum sanguinem, qui omnes inferorum ignes extinguere potuit? &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

N*On cum Paulo Apostolo expavescere, quod etiam ille cum consideraret, expavit, & expavescens exclamavit: o altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* August. Serm. 229. de temp.

Certus

Certus est Dei præscientia definitus numerus, & multitudo sanctorum, quibus diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Idem, Epist. 106.

Deus vult omnes homines salvos fieri, non ita tamen ut adimat liberum arbitrium. Idem.

Novit Deus qui sunt ejus, novit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam; novit in area ista triticum, novit & paleam; novit segetem, novit & zizania. Idem, tract. 12. in Joann.

Magna gratia commendatio, nemo venit nisi tractus; quare illum trahat, & non illum trahat, noli velle judicare, si non vis errare; semel accipe & intellige, nondum traheris? ora, ut traharis. Idem, tract. 26. in Joann.

Occultum est, altum est, inaccessibili secreto ab humana cognitione seclusum est, quemadmodum Deus & damnet impium, & justificet pium. Idem, lib. 21. contra Faustum, cap. 3.

Oves meæ vocem meam audiunt, sed non disputant, neque discutiunt. Idem.

De justitia Deus judicat: non de præscientia. Idem.

Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te. Idem.

Num adversus divina judicia garrire delectat, quia sunt inscrutabilia? Idem.

Deus meus & misericordia mea! o nomen sub quo nemini fas est desperare! Idem, in Ps. 58.

Quisquis dum nescit, an in bono perseveraturus sit, humiliter & sollicite Dei gratiam imploret, cum neque casum cavere, & in gratia perseverare satagat. Idem, de dono persever. cap. 8.

Datur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum, & datur ante suum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Ambrof. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 2.

Non ideo peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat; sed præscivit Deus, quasi Deus, quod ille erat propria voluntate peccaturus. Hieronym. lib. 3. Dialog. adv. Pelag.

Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infaustum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen; non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur, quin & de iis dubito. Chrysost. Homil. 1. ad Popul. Antioch.

Præfinitio hujus electionis abscondita est, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat, videat, ne cadat. S. Prosper, lib. 2.

Eligentium meritum nullum esse, nisi eos eligentis gratia Dei præveniret, quia electi sunt ut eligerent, non quia elegerunt electi sunt. August. lib. de Grat. & lib. Arbitr.

Nullum eligit dignum, sed eligendo facit dignum. Idem, lib. 5. contra Julianum.

Deus neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat. Ambrof.

Scivit, quod non sufficeret eligentis gratia, nisi invigilaret collaborantis industria. S. Eucherius.

Initium salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. August. de Eccles. dogmat. cap. 21.

Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei; fecit te nescientem, justificat volentem. Idem Serm. 15. de verbis Apost.

Si non est Dei gratia, quomodo Deus salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? Idem.

Qui potest dicere, ego electus sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum. Bernard. Serm. 9. in Septuag.

Homo sum, secreta Dei non intelligo, investigare non audeo; sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris. Salvian. lib. 3. de Provid.

Si sic prædestinati sunt homines, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus instantia correctionis. S. Hilarius, in Epist. ad Augustinum.

Terribile est valde, quod dicitur, multi sunt vocati, pauci vero electi, quia plures ad fidem veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur. Greg. Homil. 19. in Evang.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri potest in hoc argumento.

In Deo est prædestinatio.

De fide est in Deo esse æternam pro hominum salute prædestinationem; quippe prædestinatio eo in sensu, in quo in toto hoc accipimus tractatu, nihil aliud est, quam providentia Dei in hoc occupata, ut rationabilem creaturam ad extremum illius finem perducat. Unus tantum fuit Hæreticus, Erigenes nomine, qui hanc veritatem negaverit, atque impugnaverit, asserens in libro suo cap. 8. si in Deo aliqua concipiebatur præscientia, vel prædestinatio, hoc fieri tantum ratione eorum, quæ sunt temporalia. Lugdunensis ecclesia contra errorem hunc insurrexit, eumque damnavit; sed, ut docet S. Prosper, fides prædestinationis plurimis Bibliorum innititur testimoniis. Satis est videre, quid dicat S. Paulus Apostolus ad Romanos cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui &c. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

Prædestinationis definitio.

Prædestinatio, proprie loquendo, ordo est, & particularis providentia, qua utitur Deus, ut blande, ac libere ad finem ducat eos, quos elegit ab æterno, ut æterna beatitudine perfruerentur: vel cum S. Thoma 1. part. quæst. 23. paucioribus: Ordo est in Dei spiritu præparatus pro creatura rationabili ad vitam æternam deducenda. Quod non abludit a S. Augustini lib. de persever. definitione: *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*; beneficiorum scilicet, quæ certissime electos ad æternam vitam adducunt.

Prædestinatio est pars providentiæ.

Ex hac definitione sequitur, prædestinationem esse partem providentiæ, & prædestinationis, æque ac providentiæ officium esse dirigere media ad finem, vel eligere, & præparare media, quæ sint ad finem idonea. Verum cum certum sit secundum fidei principia, hominem fuisse creatum, ut beatitudinem, quæ est supernaturalis, acquireret, ideo requirebantur media, quæ congrua essent, & supernaturalia; cumque media hæc sint in Deo, qui habet etiam voluntatem illa tribuendi, sequitur in Deo esse prædestinationem. Sequitur secundo prædestinationem in Deo esse actum intellectus, quo videt vim mediorum certissimorum, quæ ducunt ad finem, ad quem destinat electos: *Præscientia, & præparatio*. Præterea actus est voluntatis, quo seipsum determinat ad singulis hæc, vel illa ex his certissimis adminiculis tribuenda. 3. Cum prædestinatio sit actio intellectus divini, necessario esse debet actus prudentiæ, infinitæque sapientiæ, quem omnibus humanis rationibus anteferre debemus. Cæterum cum prædestinatio importet aliam electionem, quæ est actus voluntatis, inferendum est etiam, illam infinite justam esse, & suprema cum sanctitate, nec non ardentissimo erga creaturam amore conjunctam. Sequitur 4. tandem æternam esse prædestinationem, quippe est actus intellectus, & voluntatis Dei, qui mutari non potest, ideoque ab æterno est; ita ut ea non recipiantur adminicula, nisi quod Deus eadem ante tempus determinavit; atque ita gratia quidem datur in tempore, sed præparatio fit in æternitate. 5. Denique ex hac definitione, cui Doctores omnes subscribunt, arguendum est, prædestinationem certam esse; quæ certitudo oritur ex vi divinæ scientiæ, quæ falli non potest, & quæ late ad omnes liberos eventus extenditur, qui evenire debebant, non autem ex vi subsidiorum, quæ nobis illa suppeditat; possunt enim prohiberi a

libero

libero hominum arbitrio, ita ut possit non concurrere: & si hæc certitudo procederet ex parte ipsorum subsidiorum, atque gratiarum, creatura non libere, sed necessario cooperaretur, ideoque prædestinatio, cum certa sit, & infallibilis, libertatem nobis auferret.

Varia nomina, & significationes, quæ prædestinationi traduntur.

Notandum est prædestinationis nomen bifariam desumi. Primo generatim pro iis omnibus, quæ decreta, ac determinata fuerunt jampridem, antequam in opus redigerentur; & extenditur cum ad eos, qui morti, tum ad eos, qui vitæ, æternæque saluti destinati sunt. Ratio altera magis coarctata est, neque continet in significatione sua nisi eos, qui ad gloriam vocati, & deducti sunt. Patres, & præsertim Sanctus Augustinus prædestinandi, & prædestinationis vocabula in utrumque sensum usurpant; sed Scriptura nonnisi in bonam partem accipit illa, ad explicandam videlicet filiorum Dei hæreditatem, & S. Prosper lib. 1. hoc semper in sensu docet esse accipienda: *Prædestinatio Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinet gratiæ*. Nonnunquam prædestinatio hæc vocatur electio, prædilectio, & amor, aliisve nominibus nuncupatur, quæ tribuuntur illi propter magnitudinem bonorum, quæ a Dei bonitate, & misericordia electis promissa sunt, & destinata.

Duplex est prædestinationis genus.

Biblia, Patres, ac Theologi duo prædestinationis genera admittunt, duasque affectionis, & electionis species in Deo hominum habita ratione; quarum altera est ad gratiam, & justificationem, & dicitur incœpta, sed quæ nunquam ad gloriam usque procedit: testes illi, qui a præclaris initiis ordiuntur, & magnos etiam faciunt progressus, sed qui minime perseverant, & quorum exitus calamitosus est, ac deplorabilis. Proprie loquendo vocatio ad justificationem, & gratiam, quæ ibi subsistit, consideranda potius est tanquam effectus providentiæ, quam prædestinationis; quia hæc in naturali vi, propriaque significatione sumpta, ad finem usque perseverat, neque mutatur. Dici quoque potest illud ipsum discrimen, quod finem inter, & media invenitur, gloriam inter, & gratiam reperiri. Altera prædestinationis species est ad gloriam, & perfecta vocatur, sumiturque pro decreto, quo Deus ab æterno constituit se collaturum gloriam illis, quos elegit, & qui eam promeriti fuerint, tanquam laborum exantlatorum mercedem. Hæc autem distinctio plurimum prodest ad plures hujus argumenti difficultates solvendas.

Duæ sunt in Deo voluntates hominis salvos faciendi.

S. Joannes Damascenus magna Theologorum stipatus corona (quorum sententiam concionator sequi debet, ne in audientium animo tumultum cieat) duplicem in Deo distinguit voluntatem circa prædestinationem hominum, alteram, quæ vocatur, vel vocari potest antecedens, altera subsequens: voluntate priori, quæ nec merita supponit, nec demerita, & quæ ab omnibus hominis actionibus est independens, voluntate, quæ ab uno procedit Deo, & ab amore, quo complectitur hominem sincere, & efficaciter, quantum in ipso est, vult omnium hominum salutem, quemadmodum S. Paulus 1. ad Timoth. 2. ait: *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Neminem relinquere vult in ea perditionis massa, in quam primi hominis peccatum omnes conjecerat; addit S. Petrus in 2. Epist. cap. 3. *Nolens aliquos perire*. Dicimus Deum efficaciter velle quantum in ipso est, quia per hanc voluntatem decrevit Deus necessaria tradere subsidia ad salutem obtinendam. Altera etiam in Deo voluntas est, quæ consequens appellatur, qua vult in inferno punire illos exempli gratia ex adultis, qui uti noluerint remediis, sibique activa fide applicare merita redemptionis Filii sui. Hæc voluntas, quæ pariter efficax est, pro fundamento habet subjectum, quod in Deo alienum est, & quod in nobis tantum invenitur, nostra videlicet peccata.

Magna difficultas in argumento quod tractamus, est conciliare certitudinem prædestinationis.

Illud vero in hac re difficillimum, maximique momenti est, conciliare videlicet prædestinationem cum nostræ libertatis usu; ita ut prædestinatio sit certa, infallibilis, inconcussa, & hæc certitudo non lædat, neque ullo modo detrimentum afferat libertati actionum nostrarum, neque ullam nobis injiciat necessitatem; vel quod idem est, ita ut quod Deus ab æterno decrevit, certissime adimpleatur, quin violentur jura nostri liberi arbitrii, quod omnia satis libere operatur, perinde ac in Deo nulla esset prævisio, aut prædestinatio. Difficultas hæc perperam explicita peperit errores, & hæreses, quas damnavit ecclesia, hodieque etiam parit tumultus, & curas in mentibus plurimorum, qui nondum hoc satis intelligunt, eosque ad extrema quævis impellit.

Diversa ratio explicandi prædestinationem.

Magna quæstio jampridem in Scholis agitata de electione, qua Deus prædestinatos ad gloriam secernit, quæ in duas destinet opiniones Theologos, est, utrum hæc prædestinatio ad gloriam, quæ ab æterno præstituta est, fiat independenter a meritis, atque dispositionibus, quas divina favente gratia illi attulerunt, quos Deus ita prædestinavit, atque elegit; an tunc tandem electio hæc fuerit conclusa, postquam merita fuere prævisa: duobus verbis, ut Theologorum more loquar, utrum electio, & prædestinatio meritorum prævisionem antecedat, an consequatur. Concionatoris non est agere Theologum de suggestu, neque alterutram hujus quæstionis partem probare: sed cum in sententia asserente, hanc electionem fieri independenter a nobis, atque meritis nostris, difficile sit occurrere illationibus, quas inde eruere possunt reprobi, qui hoc pacto ab æterna prohibiti videntur felicitate, antequam illam meruerint; quia cum electi non sint, neque in electorum numero descripti, qui quidem numerus recensitus, ac determinatus est, quæcumque afferatur distinctio, facere nequeunt, quominus credant, Deum non sincere, neque efficaciter ex parte sua salutem voluisse, Quamobrem præstat in alteram partem concedere, quæ bonitati, & justitiæ Dei magis conformia videtur.

Quòcumque modo nos prædestinati simus, de fide est, nunquam sine cooperatione nostra nequaquam esse salvos facturum.

In duabus hisce diversis sententiis, quarum quælibet propugnatores suos habet eruditissimos, atque catholicos, omnes consentiunt primo, quamcumque partem amplectamur, prædestinationem nostræ libertati non officere; omnes enim consentiunt, quemadmodum salvi esse non possumus sine gratia, quæ salutis nostræ unica ratio est, eaque semper gratis donatur, semper in nostra potestate positum est eidem assensum præbere, vel illam repellere. Secundo, in utraque sententia constans est, Deum nunquam salvos facturum adultos sine meritis eorum, ac sine eorum bonis operibus; & dicere, vel cogitare oppositum est a regulis fidei recedere. Tertio rationem loquendi ante, vel post merita nequaquam excludere eadem; etenim in altera propositarum sententiarum voluntas, qua Deus nos salvos vult facere, nostram supponit conversionem, in altera vero eamdem complectitur. Videlicet conversio nostra fuit vel causa, propter quam, vel medium, per quod nos vult Deus salvos facere, ideoque in utraque sententia semper de fide est, Deum nunquam nos salvos facturum sine cooperatione, & sine meritis nostris; ideoque neutra sententia favet laxitati.

Discrimen inter reprobationem, & prædestinationem.

Reprobationem inter, ac prædestinationem hoc discriminis intercedit, quod hominis voluntas est prima reprobationis causa, & justitia, ac voluntas Dei illam sequuntur: sed in prædestinatione semper, & in omni catholica opinione Dei voluntas prima causa est. Voluntas ejus prævenit hominis voluntatem, & homo cum illo cooperatur, ejusque sequitur consilia. Dei voluntas nobis præparat gratias, quæ sunt medium, & via, quæ nos ad felicem æternæ beatitudinis finem deducit: bonitas ejus unice nos ad fidem evocat, & nos ex nobis non possumus promereri gratiam justificationis, uti neque gratiam finalem ita ut si desumatur prædestinatio pro eo, quod continet, videlicet pro vocatione, justi-

justificatione, perseverantia, & gloria, liquido constat, illam nostra præcedere merita, & quæstio est solum de decreto, quo constituit Deus se nobis gloriam daturum, tanquam mercedem, & coronam justitiæ. Quod autem ad reprobationem pertinet, hæresis est a Conciliis damnata, affirmare cum Calvino lib. 3. inst. cap. 21. §. 9. c. 18. §. 4. c. 24. §. 13. eam a Deo decretam fuisse, antequam præerideret peccata, atque demerita reproborum; & ea hac monstrosa doctrina inferre velle, 1. Deum illis negare fidem, & omnia gratiarum genera: 2. illos ad peccatum incitare, & impellere: 3. illos misere fallere simulantem illis velle bona, quamvis nonnisi eosdem perdendi mens illi sit: 4. illos denique creasse, ut totidem efficeret victimas justitiæ suæ sine ulla alia ratione, quam ostendendi, & exercendi in miseros justitiam suam. Neque hæc effutientes cogitant sibi fingere Deum crudelem, injustum, atque crudeliorem illo Gentilium Deo, cui patres filios suos immolabant, hos adhuc viventes in ignem projiciendo.

Gratia liget prædestinationis, & justificationis initiū in hac re non agit sola.

De fide est, gratiam magnum esse principium, primamque causam, quæ operatur in nobis voluntatem sancte operandi, ideoque hæc prima est etiam causa nostræ prædestinationis. Verum enim vero S. Paulus, & universa docet Theologia, primam hanc causam nequaquam operari solam, & quantumvis victrix, & potens concipiatur, semper sine præjudicio eorum, quæ fides nos edocet, actus ille voluntatis, qui nostram efficit conversionem, & cooperatur gratiæ, actus est liber, & actum hunc Deus a nobis exigit, atque expectat, ut mereamur gloriam, tanquam meritorum nostrorum pretium, atque mercedem.

Quantum certum est in Deo dari prædestinationem, ac reprobationem, hoc est ab illo aliquos ab æterno ad gloriam electos fuisse, alios vero æterno decreto, quod nostram non lædit libertatem, reprobatos: tantum constat, a Deo utrosque cognosci, quemadmodum Sanctus docet Augustinus *lib. de Prædest. Sanct. Novit Deus, qui sunt ejus, novit, qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam*. In evangelio suppetunt nobis hujus veritatis argumenta; quandoquidem Salvator Jo: 10. ait: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum*. Idem Salvator ita loquitur de reprobatione, cum Judæis dicit: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. Ubi notandum est, hanc propositionem nequaquam esse intelligendam, quasi Judæorum reprobatio infidelitatis eorum causa extitisset; sed Salvator simpliciter innuit; quia scio vos non esse ex numero electorum meorum, non miror, vos incredulos esse, quamvis redimendi sitis pretio sanguinis mei, quod nihilominus culpa vestra non applicabitur vobis efficaciter ad gloriam. Hæc autem fuit Sancti Augustini mens: *Quia videbat eos ad sempiternum ignem prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*.

Quid docet Theologia de prædestinatorum, & reproborum numero.

Deus cognoscit non solum, quinam sit numerus electorum, & quinam reproborum; sed etiam quænam personæ utriusque numeri sint. Hic autem numerus in præscientia, & decreto Dei determinatus est æque, ac numerus stellarum, quæ sunt in cœlo, & arenæ, quæ in mari. Scit Deus tot esse, nec plures; scit hos, & illos esse, non alios, quemadmodum in quadam quadragesimali missa canit ecclesia: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus*. Et æque certe scit etiam, quot sunt Angeli, quot homines, quot cujuslibet speciei bruta animantia. Ideo filius de bono pastore inquit, hunc oves suas ex nomine singillatim vocare, quod sane facere non posset, si quot, & quænam sint, ignoraret: *Proprias oves vocat nominatim*, & addit postea; *Et cognosco eas*. Jo: 10. At nonne illas ignoraret, nisi earum numerum, & qualitatem teneret? Hoc fusius a S. Augustino serm. 148. de Temp. explicatur tract. 47. in S. Joannem .... Illud vero probe intelligendum est, visione, & cognitione Dei nullam nobis imponente necessitatem, nobis esse de nobismet duntaxat diffidendum, deque nequitia, nostræque voluntatis inconstantia; etenim in omni catholica opinione Deus neminem ab hoc numero excludit, nisi postquam viderit illum ob nequitiam & cordis improbitatem se indignum præbiturum fuisse, qui in illo admittatur.

De fide est paucos esse prædestinatos.

Quamvis post oraculum, quod ipsa veritas protulit de exiguo electorum numero, nemo citra temeritatem, errōremque ambigere possit de adeo explicita, & formali decisione: attamen cum ex illis, quæ tradit Scriptura, sciamus, numerum eorum, qui in cœlestem ingrediuntur Jerusalem, tantum esse, ut numerari non possit, ad duas hasce sententias, quæ secum pugnare videntur, conciliandas operæ pretium est animadvertere, Theologos Patrum auctoritati incumbentes docere 1. id non quæri, utrum prædestinatorum numerus magnus sit, immo etiam maximus; nemo enim id in dubium revocare potest; sed quæri, utrum major sit numerus reproborum, & utrum alter in alterius comparatione sit exiguus; & utrum hoc illud sit, quod ipse Dei filius distinxit, atque decidit. 2. Si generatim de omnibus electis, omnibusque reprobis loquimur, cujuscumque naturæ illi sint, cum multitudo Angelorum, qui in hoc beatorum numero continentur, toto cœlo major sit, quam mortalium omnium, qui sunt, fuerunt, & erunt omnibus sæculis, ex Patrum, Doctorumque sententia, nullum periculum est hoc in systemate affirmare, quo reproborum numerus electorum numero longe superetur. 3. Sin autem de hominibus tantum sermo est, generatim sumptis, quin Ethnici, Hæretici, pravique Christiani expungantur, constat longe plures esse, quam electos. 4. Si de solis Christianis agatur, simul cum pueris, qui ante rationis usum, & post acceptum baptismum decedunt, dici adhuc potest, plures esse prædestinatos, quam reprobos. 5. Si de solis Christianis adultis quæratur, in hoc proprie sensu ipsa veritas minorem esse electorum numerum edixit; *Multi vocati, pauci vero electi*. Plures afferri possunt rationes, quas experientia confirmat; sed cum eas recensere nimis longum sit, videri possunt apud Recupitum *de signis Prædestinationis, & Reprobationis*, ubi in altera Operis parte fusius traduntur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Nefas est scrutari prædestinationis mysteria.

CErtum est dari prædestinationem; si enim Deus est, est etiam providentia; si est providentia, est etiam prædestinatio; hæc enim supernaturalis providentia non aliud est, quam cura peculiaris, quam gerit Deus hominis, ut per certissimas vias illum ad æternam adducat felicitatem. Verum quin scrutari audeamus sublimis hujus mystrii secreta, vel detegamus artes, quibus providentia efficit, ut sua consilia ad optatum finem perducat, sufficit persuasum esse, nihil esse posse in Deo, totaque ipsius agendi ratione, quod sanctum non sit, nihil, ubi aliquid injustum occurrat, nihil a ratione abnorme, nihilque, quod contrarium sit infinitæ illius bonitati, & justitiæ, aut cuipiam ex divinis perfectionibus ejus: alioquin Deus non esset Deus. Hoc rite observavit Apostolus; cum enim aliquot attulisset difficultates, quæ videbantur adversari impenetrabili prædestinationis mysterio, non respondet nisi per hæc verba: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Ad Roman. 9. Et profecto, quæ temeritas est abjectæ, cæcæque creaturæ ex Deo rationem facti perquirere? Creatoris auctoritas nonne debet sufficere homini, quidquid illi opponat, quidquid illi pugnare posse contendat? Seu intelligat ille, seu non intelligat hoc mysterium,

nonne

nonne sufficere debet illi auctoritas Dei? Et si in aliis omnibus mysteriis, quæ ratio nostra intelligere nequit, verbo illius fidem habemus, cur ejus consilia audebimus perscrutari? *Pater Delingendes sermone.*

Cum æterna sit prædestinatio, hinc conjiciamus quantum debeamus Deo, qui de nobis ab æterno cogitavit, & peculiarem gessit curam nostræ felicitatis, antequam etiam nasceremur. Cur ergo tamdiu cunctamur amare Deum, qui nos tantum amavit, antequam etiam illum amare, & cognoscere possemus amorem, quo nos prosecutus est? *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Joann. 3. Sed cogitemus, quantum amor ipsius præcessit nostrum, quoniam amavit nos ante omnia sæcula, & ab æterno. Nonne hoc insigne est beneficium? quandoquidem Deus non citius seipsum amavit, quam nos diligeret; tandem enim nihil mente concipi valet ante æternitatem, quemadmodum nihil est post eamdem. Quid? hæc una cogitatio nonne durissimum quemlibet peccatorem movere potest? Dignitatus est Deus oculos in me conjicere ante omnia sæcula, & sine ullis meritis meis de perditionis massa me eduxit; quam gratiam non concessit tot aliis, qui nequaquam erant indignores, quam ego, adeo insigni favore. Ipse misertus est mei, tunc cum coram oculis ejus non eram nisi objectum odio suo dignum; & amor, quo complexus est me ab æterno, nequaquam sterilis fuit. Effecit, ut quotidie illius experirer effectus me tot cumulans gratiis, quæ totidem sunt viæ ad ea adimplenda consilia, quæ iniit de me ante omnia tempora. Heu! saltem, Deus meus, si ita infelix fui, ut te non amarem, nec ita cito, ut poteram, nec ita ardenter, ut debebam, modo saltem incipere volo, ne unquam imposterum cessem. *Idem ex parte.*

Nobis utilius est, prædestinationem nostram a Deo, quam a nobis pendere.

Cum Deus unus prædestinare valeat, ac unus ille gratiam conferre possit, qua gloriam mereamur, hac in re a Deo uno pendemus; quod procul dubio nobis utilius est, quam si vel a nobismetipsis, vel ab alio quopiam penderemus: tandem enim certiores esse debemus amoris, quo nos ille diligit, & curæ, quam gerit nostri, quam illius, quam ipsi gerere valeamus. Heu! Si prædestinatio mea a me uno penderet, deberem profecto jugiter metuere, atque diffidere; quotidiana quippe docet experientia a me negligi unicum illud negotium, quo nihil mihi esse debet antiquius, salutis videlicet meæ, & me mihi deesse, quamvis mihi Deus adsit, & me tot gratiis præveniat. Sin autem solus essem, & hac spe destitutus, quid fieret de me in tanta rerum omnium ignorantia, tot inter pericula, tot scopulis undique septus, in tanta imbecillitate, in tanta mentis levitate, tantaque omnium consiliorum meorum inconstantia? Tutius igitur est confidere iis curis, quas de salute nostra gerit Deus, & cum Propheta Psal. 30. dicere: *in manibus tuis sortes meæ*, in infinita tua bonitate confido. *Idem.*

Inanis timor eorum, qui turbantur prædestinationem, & reprobationem cogitantes.

Nulla ratio est certissimam timendi cognitionem quam habuit Deus, antequam essemus, de eo, quod in æternum futuri sumus, quasi hæc nobis aliquam injecerit necessitatem operandi salutem nostram, vel eam non operandi. Attamen nihil inani hoc timore frequentius est; illi etiam, qui præ cæteris virtutem præditi sunt, ubi prædestinationem cogitant, perturbantur. Mihi animus est inserviendi Deo usque ad mortem, ait anima vere christiana; sed heu! quinam erit fructus votorum meorum, si me Deus æternis ignibus adjudicavit, antequam etiam vitales carperem auras? Numquid ego providentiæ ipsius ordinem invertam; vel eum cogam ab illa voluntate recedere quæ suapte natura immutabilis, æternaque habetur? Scit ille, quid sibi de me faciendum sit in omnem æternitatem: si in libro vitæ descriptus sum, me inde non expunget: sin autem nomen meum ibi scriptum non est, in nullam spem interii, jamjam inter reprobos habendus. Fateor equidem cogitationem hanc negotium facessere posse, & illis, qui nimium illi inhærere voluerint, & qui paulo serius mysterium hoc noluerint scrutari. Sed facile est humiles, dociles que mentes confirmare, eisque omnem auferre dubitationem, quæ eorum diffidentiam alere posset. *P. de la Colombiere sermone 56.*

Quid nos confirmare debeat de prædestinatione solicitos.

Timetis, ne vos salvos facere velit Deus? verum nescitis, illum vos ex nihilo educentem non alium sibi proposuisse finem, nisi efformandi creaturam, quæ ipsi famularetur, & quam in hujus servitutis præmium efficere posset in æternum beatam? Imperium, quo jussit nos indesinenter pro cœlo adlaborare, naturale studium, quod erga supremum bonum nobis inseruit, & quidquid pro nobis præstitit, ut illud assequeremur, manifesta sunt, & practica argumenta sinceræ voluntatis, qua nos regni sui participes facere cupit, & indicia hæc adeo aperta sunt, & perspicua, ut si nostræ prædestinationis mysterium absolutam complecteretur nos perdendi voluntatem, non dubitarem affirmare, in Dei voluntate dari contradictionem, ipsum videlicet rem eamdem simul & velle, & nolle, quod Deo indignum est, & quod ne in creata quidem creatura potest inveniri. Ipsa etiam notio, & idea, quam habemus ejus providentiæ, cujus partem ipsa prædestinatio constituit, nos in hoc metu debet confortare; quippe hæc providentia nihil est aliud, quam jugis cura, qua Deus nos ad postremum finem, hoc est, ad æternam beatitudinem nostram nos adducere studet; hæc illa attentio est, qua nobis ea suppeditat subsidia, quæ idonea sunt, ut eo perveniamus, qua ita omnia disponit, ut quidquid in rerum natura est, quidquid in toto accidit mundo, saluti nostræ sit utile. Quomodo igitur dubitare possumus, quominus Deo sit voluntas nos salvos faciendi, Deo, inquam, qui nihil facit, immo qui nihil facere potest nostrum habitatione, quod non ad hunc finem dirigatur? Naturalia beneficia, fortuna, infortunia, inspiratio, in Dei nostri intentione omnia ad hunc scopum collimant; si quid ab eodem aberrat, hoc nonnisi illo invito, & per creaturarum rerum nequitiam accidere potest. *Idem.*

Nonne verum est, Christiani Auditores, timorem, quo formidare possumus, ut in reproborum numero simus, hunc inquam timorem ad morum nostrorum informationem inutilem esse, immo etiam effectum prorsus contrarium producere? Quilibet alius metus, sive ille, quem Dei justitia peccatoribus inspirat, seu quem in justorum corde illius bonitas gignit, nos ferventes, & cautos facit, nos ad vigilantiam, & laborem hortatur; sed hic timor efficiens, ut immedicabile timeamus malum, nonnisi laxationem, ac desperationem potest suadere. Etenim nonne palam innotescit, eos, qui terras hujusmodi fovent cogitatione, hoc inde inferre? Quandoquidem reprobatus sum, quid mihi proderit mortificatam vitam ducere, tot observare præcepta, quæ crucem figunt, ac in antecessum me infelicem præstare? Nonne expedit potius vitæ hujus bonis frui, quandoquidem non est, cur alienæ vitæ bona sperem? *Idem.*

Dubitare utrum Deus ipsum salvum facere velit, eum afficit contumelia.

Quid, Salvator amabilis! & ambiget quispiam, utrum ex animo ipsum salvum facere velis! & ambiget, postquam hoc ipse palam testatus es, immo solemniter etiam per os Prophetarum jurasti: & ambiget, postquam hoc tu ipse toties in Evangelio dixeris? verum quid dico, dixeris? ambiget adhuc post ea omnia, quæ pro nostra salute feceris? Incarnatio tua, annihilatio tua, itinera, sudoresque tui, gaudium, quo ex conversione nostra te affectum ostendisti, lacrymæ, quibus errores nostros prosecutus es, nobis persuadere non possunt, te invitum, te ægre, atque gravate in nos damnationis contorquere sententiam? *Idem.*

Cum Infideles, & Hæretici conquerentur de tenebris, in quibus relicti fuerunt, credimusne futurum,

ut Dominus obmutescat, nihilque habeat, quod illis reddere valeat? Sinite ipsum hanc cum calamitosis illis causam suam tueri, vobismet sufficiat ipsum hac vobiscum bonitate usum fuisse, quam ne optare quidem ausi fuissetis. Si cum aliis minus liberaliter se gessit, num ideo justa vobis est querela, mirum in modum ait S. Prosper? Vobis inquam, qui gratiis cumulati fuistis, vobis, quos tot aliis prætulit, qui nequaquam vobis erant deteriores. Vasa contumeliæ jure queri non possunt; cum in turpes, abjectosque usus destinantur; qui fecit illa, eorum Dominus est, ac de illis facere potest, quodcumque sibi libitum fuerit: sed mirum est, quod honoris vasa figulo exprobare velint injustitiam, quam reprobatæ argillæ factam fuisse contendunt; cum e contra in id unum incumbendum esset illis, quomodo ob habitum sibi honorem agerent gratias. *Idem.*

Exiguus prædestinatorum numerus efficere nō debet, ut de divina misericordia diffidamus.

Exiguum electorum numerum Scriptura comparat uvæ racemis in vite remanentibus, postquam vinitor pertransiit. Patres dixerunt, vix tres, vel quatuor ex centum millibus illius diligentiam fallere posse. Hoc verum est; sed quid vobis negotium facessit, dummo ex horum trium, quatuorve numero sitis? Vobis justa suppeteret trepidationis causa, si ob imminuendum beatorum numerum aliquis etiam ex bonorum numero cœlestis gloria prohiberetur. Sed certi estis neminem bonum inde exulaturum. Licet ex centum millibus unus dumtaxat salvus fieret, si bonus, & justus es, certus esto te hunc fore: quemadmodum e contra si in singula centena beatorum millia unus dumtaxat damnandus esset, si malus es, & gravi aliquo crimine obstrictus, certus es te hunc esse futurum. *Idem.*

Mala nonnullorum argumentatio de prædestinatione.

At enim si me destinavit ad gloriam Deus, nequeo æternum esse reprobus, & infelix, quodcumque audeam; & e contra si ille me reprobavit, necessario pereundum est mihi. Hæc neque catholici hominis vox est, neque illius, qui vel prima Theologiæ rudimenta perceperit. Si te Deus electorum numero adscripsit, decrevit ille salvare te vel pro meritis tuis, vel saltem per merita tua. In altera harum opinionum voluntas, qua te Deus salvum facere cupit, supponit conversionem tuam, in altera vero illam complectitur, videlicet conversio tua fuit vel ratio, propter quam Deus salvare te vult, vel medium, quo te vult salvum facere. Non ferenda temeritas est dicere, si prædestinatus es, te salvum fore, licet mortalium omnium nequissimus esses: etenim si prædestinatus es ad gloriam, prædestinatus etiam es ad sanctitatem; quod ipse nos docet Apostulus ad Rom. 8. *Quos prescivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui?* Si te Deus in cœlum decrevit adducere per vitæ tuæ cum Jesu Christi vita conformitatem, per arctam pœnitentiæ, & mortificationis viam, per operum charitatis praxin, per ipsam charitatem, per amorem Dei, & proximi illuc te adducere decrevit. Itaque si prædestinatus es, tantum certum est, te ex flagitiorum morum cœno emersurum, atque Salvatoris mundi vestigia lecturum, quantum certum est, te beatum futurum. *Idem.*

Frustra peccatores ad æterna divinæ voluntatis arcana cōfugiunt, ut sua excusent flagitia.

Frustra, peccatores, frustra ad æterna divinæ voluntatis arcana confugitis, ut colorem aliquem flagitiis vestris inducatis. Quomodo affirmare potestis, nolle Deum vos salvus facere, quos jampridem urget, atque sollicitat, ut convertamini? Vos, qui secretis toties exprobrationibus exstimulamini; vos, qui fortasse timetis, ut inviti ab eo convertamini? Ullane præterit dies, qua vos recens non aggrediatur? Ullane via est, quam intentatam reliquerit, ut vos ad bene agendum impellere, adversa, prosperaque fortuna, morbi, confusio, bonorum, amicorum, filiorum, honoris etiam, atque existimationis jactura? Quanto ab hinc tempore vitæ rationem mutassetis; non dico quidem, si id æque bona fide optassetis, ac optat Deus; sed nisi adeo pertinaces fuissetis in hoc vosmet perdendi consilio, uti constans est in vosmet beatos efficiendi cupiditate? Dicitis in Deo situm esse, vos salvos facere; quomodo vultis id credam, donec videro ipsum quidem nihil reliquum facere, quominus vos ex ea retrahat semita, quæ ad damnationem adducit, vos autem nihil relinquere inausum, ut in eadem permaneatis? Affirmatis Deo bonam erga vos deesse voluntatem; quid ultra igitur præstare posset, si vobis favere cuperet? vos autem si vosmet perdere velletis, quid deterius facere possetis, quam quod quotidie facitis? *Idem.*

Nihil vel inutilius, vel periculosius, quam nosse utrum prædestinati simus an reprobi.

Si vobis revelasset Deus, nomen vestrum in vitæ libro esse descriptum, quam inde perciperetis utilitatem? Numquid virtutis via vobis esset facilior, affectus vestri pacatiores essent, sensibilia objecta minus essent blanda, tentationes facilius superandæ, fortior constantia vestra, dæmon minus versutus? Sciretis, utrum prædestinati essetis; sed ad prædestinationem vestram adimplendam nonne vosmet mortificare, & sinceram, integramque agere pœnitentiam deberetis? Nonne iidem vobis obices adversarentur? Cum hac igitur scientia eadem vobis essent præstanda, quæ sine hac. Verum si altera ex parte vobis Deus vestram ostenderet reprobationem, quinam vobis incederet horror, quo dolore cor vestrum tabesceret, quænam vestra esset contra Deum querela, qui vobis suavem abstulisset spem, quam ipsi etiam in vita hac reprobi possunt habere? Quænam severitas, diceretis, infernum vestrum ab illo prævisum fuisse, antequam illum meriti fuissetis? Præterea, si prædestinati certo scirent se prædestinatos esse, nonne & vitæ hujus voluptatibus vellent perfrui? voluptates enim eas habent illecebras, quæ & justissimum quemlibet allicere possunt. Si igitur timoris frænum fractum fuisset futuræ pœnitentiæ certitudine, quam sibi prædestinati promitterent, quid non auderent? ... Etiamsi persuasum nobis sit de vitæ nostræ fragilitate, deque nostræ salutis incertitudine, in peccato persistimus tamen, perinde ac salus nostra esset certa; quid tandem esset, si nostræ prædestinationis essemus securi? Sin autem prædestinati felicitatis suæ cognitione abuterentur, quomodonam uterentur reprobi reprobationis suæ cognitione? Virtutem relinquerent, atque vitæ hujus voluptatibus niterentur compensare pœnas in inferno persuscodas. *P. de la Rue sermone pro feria quarta hebdomada Passionis.*

Per bona opera nobis certo prædestinamur, & salutem nostram operamur.

Bona tantum opera salutem operantur nostram, & si nihil per Deo in hac vita fecero, nullam in altera coronam habebo. Quid mihi prodest ad examen revocare, utrum me prædestinaverit Deus omnia opera bona mea prænoscens, an opera bona mea sint hujus prædestinationis effectus? *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Unicum illud nobis capiendum est consilium, certam faciendi nostram prædestinationem nostro in bonis operibus fervore; atque ut illa certa fiat, expectandum non est testimonium Angelorum; de fide illorum dubitare possetis; certius est operum vestrorum testimonium. Per virtutum exercitationem, & occasionum fugam, veram salutis vestræ viam ingredemini; atque forti, constantique tentationibus resistentia, necnon horrore peccati in eadem permanebitis; sed potissimum considerate, utrum in vobismet sentiatis secretum hoc testimonium, vos nempe facere, quidquid potestis, ac pro Deo universa relinquere. Si has in corde sentitis dispositiones, certi estis salutis vestræ: verum si erga illas aliquam invenitis repugnantiam, jam de prædestinatione vestra ambigere incipio. Verum quidem est vos adhuc in hac terra versari, ideoque judicium ferre non audeo, fortasse convertimini; at dicam, vos subire periculum ne convertamini, nisi hoc statim facere incipiatis. *Idem.*

Habemus necessariam ad salutem operandam gratiam.

Vos, qui me auditis, cæci peccatores, in vobis situm est; si omnes conatus vestros exercere vultis, agnoscetis in vobis situm esse salutem vestram operari, ac

Deum

Deum necessariam ad id vobis gratiam conferre; gratiam imbecillam, dicetis, non autem victricem; sufficientem, non efficacem? Heu! apage inanes has distinctiones primis ignotas sæculis. Cur stulte his detinemur ideis, ut nostra tegamus scelera? Cur in ea te, quæ nobis timorem deberet incutere, quærimus, unde flagitia nostra probemus? Optime dicebat S. Paulus ad Rom. 9. salutem neque in manu esse volentis, neque currentis: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; verum dicebat etiam, Deum nequamquam gratiam suam iis denegare, qui operabantur. Christiani omnes multo cum fervore operabantur, & si labebantur, peccata sua propriæ tantum nequitiæ referebant accepta. Deus, Christiani, semper justus est, semper misericors; si igitur nos ad bene operandum invitat, per gratiam invitat. Omnes necessaria, ut salvi efficiamini, habetis subsidia; idne Sole clarius videre, vultis? triplicem hanc veritatem apprehendite. Prima est, nostræ salutis opus esse commune & Dei, & vestri. Altera est, illud in vestris esse manibus per opera vestra bona. Tertia vero in subsidio Dei, quod numquam deest. Ne longius divinæ majestatis arcana scrutemini, ne vos illius opprimat gloria: hoc illud est, quod in prædestinatione utum, ac certum est. Hic morari opus est. *Idem*.

Deus vere vult salutem nostram, nos autem illam minime volumus.

Deus vult nostram salutem, non autem interitum; *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat*; idem ipse ait in Ezechiele. At vos ipsi vultisne salutem vestram? Nihil hoc magis ambiguum est: ut dicetis, Dei voluntas pro salute nostra longe incertior est. Heu peccatores! videte, quid fecerit Deus, ut vos salvos faceret, & quid ipsi faciatis. Video Deum vos in mundo posuisse, ideoque opus ejus estis: abluit ipse peccata vestra in sanguine suo; vos in lucem edi voluit hoc tempore ab idololatriæ sceleribus remotissimo: Angelum adjecit lateri vestro, qui toto vitæ vestræ spatio vos tueretur: oculos vobis aperuit, antequam in peccatum decidatis, ita ut numquam labemini, nisi antea ille vobis offendiculum ostenderit. Denique pro vobis mortuus est; vos autem pro salute vestra quid agitis? Heu! Non solum omnibus curis, atque beneficiis ejus non responderis, sed in antecessum eventis illa, salutem vestram tamquam negotiorum vestrorum novissimum reputatis, & dicitis, Deum nolle salutem vestram. In jugi sopore estis, atque omnimoda salutis vestræ negligentia, & vultis, quod Deus nune vos salvos faciat. Petitis, ut vestræ prædestinationi subscribat, neque vultis, quod in nobis est, illi necessariam curam afferre. *Idem*.

De peccatorum præsumptione circa salutis, atque prædestinationis negotium.

Præsumptio hæc, quæ efficit, ut peccatores unice in Dei misericordia confidant, quin aliquid ipsi conari velint, atque salutis suæ curam gerere: hæc inquam præsumptio suo laborat principio; & ratio patet. Etenim quocumque modo nos prædestinaverit Deus, de fide est, ipsum sine cooperatione nostra numquam nos salvos esse facturum. Si ergo verum est, ut salvus fiam, mihi cum Deo esse cooperandum, non ergo licet in Deo ita confidam, ut curam meæ salutis defetum, ut hanc in illum omnino rejiciam. Mihi jus est sperandi in Deum; verum simul inevitabili necessitate cum Deo operari, cum Deo agere teneor, & si confidentiam hanc ab hoc opere separo, meipsum perdo, & Dei ordinem inverto. Et profecto quinam est ordo Dei in humanæ salutis dispositione? Hic est duplici verbo, quod millies vos audivisse puto a S. Augustino expressum: *Qui facit te sine te, non salvabit te sine te*. Deus hic sapiens, ac omnipotens, qui te sine te ex nihilo eduxit, teipsum sine te salvare noluit; & etiamsi salutem ea in extensione acceperimus, quam illi præbet Theologia, hoc est quatenus præsupponit, vel complectitur conversionem nostram, quodammodo in Dei potestate non est nosmet sine nobis salvare: quare? quia, S. Thomas ait, totum nostræ conversionis mysterium consistere debet in nobis, videlicet in voluntate nostra, quam Dei gratia præparaverit, atque roboraverit. *P. Bourdaloue tomo I. Quadragesimæ sermone hujus argumenti*.

Fallax eorum ratiocinatio, qui dicunt, si prædestinatus sum, nihil mihi metuendum est.

At enim, si prædestinatus sum, nihil est, quod reformidem; sin autem, omnes curæ, & sollicitudines meæ salvare me minime possunt. Hæ fallaces illæ sunt argumentationes, quibus sæculorum omnium licentia seipsam confirmavit. Si ex prædestinatorum numero sum, nihil est mihi trepidandum: quænam illatio? ego vero respondeo, tibi e contra esse inferendum, si prædestinatus sum, hoc exigit, ut attentus sim, atque jugiter mihimetipsi invigilem. Primo statim intuitu propositio hæc paradoxum sapere videbitur: attamen, o Christiani, innititur non solidissimis solum, sed simplicissimis, & maxime naturalibus rationis principiis. Si enim prædestinatus sum, patet me non esse, neque esse posse, nisi per ea, quibus prædestinationem meam Deus adnectere voluit; vel ut rectius loquar, nisi per ea, quæ in mea prædestinatione continentur. Fides autem me docet inter hæc potissimum recenseri curam salutis meæ, metum judiciorum Dei, salutarem propriæ fragilitatis diffidentiam, exactamque diligentiam, quæ prohibeat, ne memet meis affectionibus tradam, atque in morum relaxationem decidam. Si nulla pro nobis est prædestinatio, certum est illam hæc omnia complecti. Quid igitur ago, cum salutem meam negligo hanc, qua abutor, prædestinationem prætexens? Admiramini, o Fideles, humani spiritus infirmitatem in omnibus istis. Quid ago? ego ipse destruo fundamentum, super quo ædifico, hoc est destruo prædestinationem meam, eodem tempore, quo illam suppono; & quare? quia ab eadem separo, quod separari non potest, & id, quod eidem essentialiter inhæret, & sine quo in Dei mente subsistere nequit. *Idem*.

Ecclesia in postremo Concilio eorum notavit Hæreticorum sententiam, qui sub specie exaltandi impenetrabile prædestinationis mysterium, sensim inspirabant secretum operum salutis contemptum. Hi profecto non decuisset juxta sectæ suæ principia ethicum aliquod explicare de christianæ pietatis officiis præceptum, postquam auditoribus suis tradidissent, Dei prædestinationem imponere homini absolutam agendi necessitatem; omnes actiones nostras, seu bonas, seu malas circa hoc versari decretum, quod Deus ab æterno constituit; nobis huic decreto subjectis non licere amplius nosmet determinare ad bonum, neque avertere a malo; nos liberi arbitrii jacturam fecisse; ideoque legis præcepta illis esse impossibilia, a quibus minime observantur. Hi doctores, inquam, postquam hujusmodi jecerint fundamenta, nequaquam concionari, ac dicere potuissent pœnitentiam prædicantes: omnes conatus vestros exerite, fratres, infringite vincula vestra, excutite eam servitutem, in qua detinemini, egredimini ex occasione, peccatum vestrum relinquite. Sed quomodonam id intelligis, reddere illis potuisset peccator? Si peccatum meum in immutabili hoc divinorum decretorum ordine statutum est, quomodonam illi abrenunciare possum; & quomodo e contra eidem abrenunciare non possum, si decreta est salus mea? Si prædestinatus non sum: quomodo possum converti? sin e contra, quomodo possum non converti? Cur ergo me ita urges, quandoquidem juxta sententiam tuam alterutrum necessario mihi faciendum est? Dicis, Deum unum esse, qui me ad bonum operandum determinat? cur ergo omnem tuum exeris zelum, ut me impellas, nihilque persuadeas? Nonne tali responso obduratissimus quisque suam excusare potuisset impœnitentiam contra asserta hujus reformationis severissima dogmata? *Idem*.

Circa nostra prædestinationis negotium ita in Deo confidendum est, ut frangere

Nostisne, Fideles, quomodonam Deus nostram temerariam de præscientia, & prædestinatione confidentiam confundet? Hoc ille faciet per nosmetipsos, per sensus nostros, & non secus ac olim in Evangelico servo, per nostram confessionem: *Ex ore tuo*. Aliis enim in negotiis, licet nobis persuasum sit de divina providentia, ac prædestinatione, nihil

ipsi

divinis de nobis consiliis respondere valeamus.

ipsi negligimus; atque nimis etiam nobismet consulimus, atque cavemus. Agiturne de ea re, ex qua nostra pendet fortuna, vel honor? Quamvis sciamus prævidisse Deum, quid futurum sit, atque eventus sit jam in ordine prædestinationis equidem notatus, afferimus tamen omnes curas nostras, omnem existimationem nostram impendimus, casus omnes prævertimus, atque obices amovemus, atque zelum, & industriam nostram in hoc collocatam sapientiam, virtutemque putamus. Scit Deus, dicimus, quid eventurum sit; vult tamen me omnem operam collocare, ut omnia e voto contingant: neque enim tenetur pro me operari miracula, atque ipsa ejusdem prædestinatio exigit, ut iis adminiculis utar, quæ mihi offert, ut ad propositum mihi finem perveniam. Ita ratiocinamur; nec male. In solo nostræ salutis negotio aliter sentimus; in hoc Deum omnia operari volumus; in hoc securi in illius providentia confidimus, cum interim tranquilli, inertesque manemus. Terrenis negotiis navamus operam, perinde ac nulla esset providentia, nulla prædestinatio, & omnia in nostra essent potestate; salutis vero negotium ita pertractamus, quasi ad nos nequaquam pertineret, ac a Deo tantum penderet. Moderemur utrumque, alterius excessum impendamus, ut alterius suppleamus defectui: hoc est, terrenis operam demus negotiis aliquantulum plus permittentes providentiæ, cui in salutis negotio nimium deferimus, & in salutis negotium transferamus aliquantulum ejus curæ, & sollicitudinis, qua terrenis rebus vacamus. Mundi curis majori cum confidentia in Deo, ac majori cum submissione erga præcepta Dei vacemus, confitentes sine illo omnes curas inutiles esse; salutis vero negotio vacemus, attentius nobismetipsis invigilantes, magis de nobismet diffidentes, majori pro nobismetipsis zelo succensi, & fatentes Deum sine nobis nolle magnum nostræ sanctificationis opus implere. *Idem.*

De prædestinationis mysterio ea tantum tenenda sunt, quæ revelare nobis placuit Deo.

Ne altius scrutari velimus impenetrabiles gratiæ quæstiones, atque tenebricosum prædestinationis mysterium, sed iis acquiescamus, quæ nobis revelare Deo placuit. Hoc mysterium est, quod hæreticibus locum præbuit; nobis illud sit fidei mysterium. Hoc mysterium est, in quo plures facile in errores impegerunt. Ecclesiæ decisionibus adhæreamus: mysterium est, quo flagitiosi homines abusi sunt, ut in flagitiis suis persisterent, eodem utamur, ut nosmet ad bonorum operum praxin excitemus. Immo procedamus etiam si opus est, & ut antiquus ille Solitarius, dicamus: si reprobus sum, saltem in hac vita Deum glorificabo. *Idem.*

Nimis curiosa perquisitio mysterii prædestinationis Deo est contumeliosa.

Curiosius perquirere; utrum nos elegerit Deus ut simus vasa iræ, an misericordiæ; utrum nomen nostrum in vitæ libro descripserit, an illud oblivioni tradiderit; utrum nos de reprobationis massa eduxerit, an in illa reliquerit; utrum previderit nos aliquando salvos, vel damnatos futuros esse: omnes hæ curiosæ, inutilesque perquisitiones procedere non possunt, nisi ex diffidentia divinæ bonitatis, & ex dubitatione, in qua versamur, utrum pro nobis bona, & favorabilia consilia conceperit; quod nonnisi contumeliosissimum esse potest Deo, quoniam prima cogitatio, & illa, quam cupit altius in mentibus, cordibusque nostris imprimere, est suæ videlicet erga nos bonitatis, atque dilectionis: *Sentite de Domino in bonitate.* Sap. 1. Idcirco patris nomine vult appellari, sed patris tali modo, ut reliqui patres non ita sint patres, ut ille: *Tam Pater nemo*, ut inquit Tertullianus. Quid ille non dixit, quid operatus non est, ut doceret se pro nobis habere viscera misericordiæ, suaque studia, curasque pro hominibus toto cælo, amantissimarum matrum amorem infinite superare? *Numquid oblivisci potest mater infantem suum? & si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui?* Isai. 49. Quot validis, atque persuadendum aptissimis argumentis eam probavit veritatem, quam per Sanctum Paulum prædicari voluit; se videlicet velle, omnes homines salvos fieri: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, 1. ad Timoth. 2. & per S. Petrum; se videlicet nolle, quemquam interim, sed universos ad ipsum per pœnitentiam reverti: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Petr. 3. Mihi injuriam inferes, ait ille apud Ezechielem, si putas me impii mortem optare; opto illum vivere, & converti: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, & non ut convertatur, & vivat?* Ezech. 18. Post hæc testimonia, & has paternæ charitatis protestationes ambigere adhuc, utrum hic amabilis Pater nos dilexerit; curiosius inquirere, utrum nobis viam confecerit nos ad extremum finem nostrum adducere voluerit, nobisque necessaria præparaverit ad hunc finem subsidia; nonne hoc est illius bonitati contumeliam inferre. *P. Texier, sermone pro feria 5. hebdomadæ quintæ in Quadragesima.*

De ea difficultate, qua nonnulli libertatem nostram cum Dei præscientia conciliant.

Haud ita facile esse inquis, hominis libertatem cum Dei præscientia, & virtutem gratiæ cum libero arbitrio conciliare. Vah! cur hoc tibi negotium facessere vis? Tuum non est hæc simul conciliare, sed Dei; hoc hujus interest, non tua. Qui duplicem naturam toto cælo distantem, divinam, humanamque in una, eademque persona conjunxit mirabili consensu, Sanctus Leo inquit, majestatem cum humilitate, virtutem cum infirmitate, immortalitatem suam cum nostra mortali conditione conjungens; quin naturæ divinæ gloria, & omnipotentia opprimeret, vel destrueret naturam humanam, & quin alterius humilitas alterius officeret dignitati, Deus idem satis habet sapientiæ, ac potentiæ, ut eam efficiat conjunctionem, quam concipere nequis.... Nihil certius, quam summa Dei potestas: nihil etiam inter creata sanctius, quam humana libertas, quam nil creatum cogere potest, & quæ jus etiam habet Deo resistendi. Novit tamen Deus, quomodo duo ista conciliet, neque tuum est, hæc velle intelligere. Cur igitur hoc tibi crucem figere finis? Cur temet iis implicas rebus, quas minime concipis? Sufficiat tibi scire, Deo infinitam esse sapientiam, ac nosse illum æterna consilia sua cum iis conciliare, quæ tu capis gratiæ illius cooperando. *Idem.*

Licet ignoremus, utrum prædestinati simus, tamen in Dei bonitate confidere debemus.

Si prædestinatus sum, aliquis ait; quodcumque faciam, salus mea in tuto est; si contra, quidquid faciam, inutiles erunt omnes conatus mei. Insana argumentatio, periculosus dæmonis laqueus, qui plurimos in damnationem, ac flagitiosum vivendi impulit genus. Undenam hoc pacto tunc solum argumentamini, cum de vestra agitur salute? Numquid ita ratiocinamini, cum de fortunis vestris, corporisque valetudine sermo est? Dicitis: si decrevit Deus me prospera fortuna frui, me opibus abundare, me ad dignitatum apicem evehi, cur operam impendo, ut meæ fortunæ, nomini, dignitati consulam? Qui ita loqueretur, hic profecto de sanæ mentis usu dejectus videretur; num vos sapientiores estis, cum de salutis vestræ negotio ita loquamini? Homo hic, dicitis, subsistere poterit, opibus augeri, honores adipisci, si operam navaverit, si nihil reliquum fecerit, quominus votorum suorum summam consequatur; cur autem non simili modo de vestra salute loquimini? Quænam hujus rei esse causa potest? vel quod discrimen?... Cavete quam diligentissime, ne hisce periculosis, ac inutilibus de prædestinatione quæstionibus implicemini. *P. Nepveu tomo tertio considerationum suarum.*

Quidquid Sanctos terret, & in mundo gignere potest desperationem ad unam hanc maximi momenti quæstionem redigitur, nonnisi in altera vita elucidandam: utrum videlicet simus ex numero prædestinatorum: quænam sit divinæ erga nos voluntatis dispositio, & quid ab æterno de nostra salute decreverit. Nihil sane singillatim statuere possumus de cu-

de cujuslibet Christiani prædestinatione, seu quod hoc divina celat providentia, seu quod ne ipsi quidem certi esse possint de liberi arbitrii sui consiliis, quæ in hac re & ipsa spectanda sunt. Sed docet Scriptura hoc spei nostræ generale principium a nobis esse constituendum, Deum sincere velle omnes homines salvos facere, atque per eum non statutum, quominus ad ejus gloriæ, pro qua illos creavit, possessionem perveniant. Fateor equidem, S. Bernardus ait, si id tantum spectemus, quod in natura sumus, vel quod facti sumus per scelus, ægre nobismet persuadere posse, Deum erga nos adeo propitios sensus fovere; sed altius cor ejus scrutemur, eas investigemus rationes, propter quas operatus est, ibique felicitatis nostræ principia inveniemus. *Bircat in Adventu sermone* 7.

De timore utrū Deus finalem nobis concedet perseverantiam, quæ prædestinationi nostræ cumulum addit.

Equidem scio finalem gratiam esse privilegium, quod Deus ipsa nonnisi prædestinatis concedit; sed æque verum est, ipsum fidelibus omnibus offerre gratias, & subsidia ad perseverantiam hanc obtinendam. S. Augustinus de dono persev. ait, hanc a Deo quoque humiliter, & enixe flagitandam esse: *Quisque dum nescit, an in bono perseveraturus sit, humiliter, & sollicite Dei gratiam imploret, cum eaque casum cavere, & in gratia perseverare satagat*: Et S. Chrysostomus addit, nos maximum hoc promereri posse beneficium per fidem, ac vigilantiam; & Synodus Tridentina sess. 6. cap. 3. præclaram inde hanc eruit illationem: Nemo aliquid sibi certum circa perseverantiam promittat, quamvis Christiani omnes spem suam in Dei gratia, & protectione constituant, quam Jesus Christus nobis promeruit; & cujus effectum certissime consequemur, nisi ipsi criminibus nostris obicem constituerimus. *Idem*.

Signa, utrū ex numero prædestinatorum simus.

Scio, dicet aliquis, prædestinationem effectum esse misericordiæ Dei: scio hunc gratias suas, quomodo eidem placet, conferre, & eos, quos a corrupta seperat massa, hoc unum bonitati illius acceptum referre oportere. Verum egone ex horum numero sum? An adhuc in hac funesta massa versor? Ut huic aliqua dubitationi lux afferatur, notanda sunt ea, quæ docet S. Augustinus; duo videlicet esse, quæ ipsi facere non possumus. Deus nos ante mundi creationem prædestinavit: *Elegit nos ante mundi constitutionem*, ad Ephes. cap. 1. post secula vero nos glorificat. Hæc duo extra mundum fiunt, & ignorantur a nobi, & alia duo fiunt in mundo, & illa scire debemus. *Vocat nos de mundo, justificat nos in mundo*. Si ergo aliquo modo scire vultis, utrum Deus vobiscum magna hac usus fuerit misericordia vos prædestinandi, videte, utrum separati sitis a mundo, & utrum in mundo pœnitentiam agatis. Si mundo inhæretis, si pœnitentia sincera nequaquam justificationis gratiam meremini, metuendum vobis est, ne ex beato electorum numero sitis. In vobis situm est iis uti subsidiis, quæ vobis præbuit Deus, ut salvaremini. Si in vobis positum esset in hoc mundo vos beatos efficere, jam essetis beati; in vobis positum est beatos esse in æternitate, & esse non vultis? *Ex Specimine sermonum pro feria quarta hebdomada Passionis*.

In vita nosmet gerere debemus quasi non prævidisset Deus, quid in æternitate futuri simus.

Supponamus nihil decrevisse Deum de hominum salute, nisi post mortem illorum. Hoc posito constat debere quemlibet serio de se cogitare, quin dicat, nihil accidet; nisi quod Deus prævidit, ac determinavit, quoniam *per adinaton* supponimus nihil ab eo prævisum, vel determinatum fuisse. Quod nobis tunc id supponentibus faciendum esset, nunc etiam faciendum est; omnia enim nobis eodem accident pacto, quasi neque prævisa, neque determinata fuissent. Æque liberi sumus, ac essemus, nisi Deus actiones nostras cognosceret, atque salutem in manibus nostris habemus, quasi Deus nihil determinasset de nobis, ut docet fides. Debemus igitur operari eodem pacto, quo tunc operaremur, eademque capere consilia. *Pater Duneau serm. pro fer. 4. post 5. Quadrag. Dominicain*.

Utrum Deus me prædestinaverit, an secus, quid ad me, si omnia accidant perinde? Prædestinatio illius non est causa, quæ mihi afferat necessitatem, neque ullum patitur detrimentum libertas mea; quandoquidem æque integrum mihi est me salvare, vel perdere, ac si neque prædestinatus essem, neque reprobatus. Dei immutabilia sunt decreta, non abnuo; falli nequit ejus præscientia, nihilque accidit, nisi quod ille decrevit, atque prævidit. Verum de hoc vobis cogitandum non est, neque huic rei immorandum. Certi estote nihil nisi ex voluntate vestra eventurum ex iis, quæ ad salutem vestram pertinent, vel interitum. Ad ea incumbite, quæ in vobis sita sunt; & ea, quæ secus, relinquite ... In mundi hujus negotiis sæpe animadverti hominibus terrena hæc negotia procurantibus nequaquam negotium facessere, quod scit Deus, quid illi facturi sint, & quid illis sit eventurum; sed quisque id capit consilii, quod in rem aptius existimat, ut quod cupiunt, consequantur, quin Dei prævisio illos moretur. Agricola numquam dicit, novit Deus, utrum hoc anno fertilis futura sit messis, an secus; sed quin sit de hac scientia sollicitus, arat, serit, occat, omnesque muneris sui partes adimplet. Mercator non ait: prævidit Deus utrum ditior evadam, an secus; cur necesse est memet itinerum, marisque tot obire pericula? Nemo eorum, qui ad aliquam in republica dignitatem anhelant, Dei consulit cognitionem: iis utitur artibus, quas aptiores putat, ut voti reus fiat, idque in omnibus mundi negotiis fieri consuevit ..... Si quis ægrotanti diceret, ne pharmacum haurias, scit enim Deus, utrum ex hoc morbo periturus sis, an secus; neque eveniet, nisi quod ille novit eventurum; crediditisne, hanc illis rationem satis futuram, nisi mente potius, quam corpore ægrotaret? *Idem*.

De prædestinatione eodem pacto loquendum est, ac de præscientia Dei in vita nostra.

Quod mortales omnes satis de præscientia Dei sciunt, nullam illius habendam esse rationem in nostris negotiis; nequaquam minus verum est, cum sermo est de prædestinatione: quia nulla umquam habetur ratio eorum, quæ decrevit Deus de eventibus, qui a nostris operibus pendent. Sed quilibet ita res omnes metitur, ut facile ad optatum finem perveniat, & ut votorum suorum summam consequatur: atque viri boni nihil ultra faciunt, nisi quod sese divinæ voluntati conformant, cum exitus fallit curas eorum. Eodem pacto agendum in iis, quæ ad nostram pertinent salutem; hoc est negligendum est, utrum nos prædestinaverit Deus; hoc est, utrum ex electorum numero simus, an secus: sed adnitendum ita vitam instituere, ut mereamur beatitudinem, quam promisit Deus illis, qui leges ipsius observabunt, certi hanc illius esse voluntatem, quod saluti nostræ sedulam navemus operam: & hoc in sensu voluntatem nostram cum ipsius voluntate conformare debemus, quæ est, ut cum ipso cooperemur ea in re, quam sine ipso facere non possumus, & quam ille sine nobis numquam operabitur. *Idem ex parte*.

Nobis persuasum est si reprobabimur, nonnisi culpa nostra reprobatum iri.

Æternum Dei decretum de eo, quod futurus sum, hac in vita penetrandum non est: illud vero certissimum est, si ex reproborum numero fuero, hoc ideo futurum, quod gratiis Dei respondere noluero: hic enim Deus infinite justus, atque misericors nequit me æterno, nullumque habituro finem damnare supplicio, nisi illud meritus fuerim. De hoc in fide dubitari non potest. Hoc autem satis est, ne perturbetur spiritus meus, & ne alia salutis meæ cura sollicitet, nisi fidelitatis erga eam gratiam, a qua pendet. Hoc necessario mihi sciendum est in hoc argumento. Quæcumque aliæ cognitiones, quas optare possem, mihi vel inutiles essent, vel periculosæ. Etenim ad examen revocare modum, quod Deus alios quidem reprobavit, atque prædestinavit alios; cur non easdem omnibus contulerit gratias; undenam alii damnentur cum iisdem, & fortasse validioribus gratiis, cum quibus alii salvantur; hæ quæstiones sunt, de quibus cum ne

verbum quidem protulerit Deus in sacris Scripturis, eas a nobis ignorari voluit ob causas divinæ suæ sapientiæ compertas. *Ex Specimine sermonum pro Dominica 19. post Pentecosten.*

Id, quod in Dei providentia minime concipio, probandum mihi est per ea, quæ in eadem concipio. Mihi persuadere debeo, si in ea quid occurrat, quod justitiæ contrarium videatur, hoc proficisci nequaquam posse ex imperfectione aliqua, quæ sit in Deo, sed ex ea, quæ est in mente mei, quæ exiguis finibus continetur. Inde vero timor, atque diffidentia nostra proficiscitur, quod in illis immoramur, quæ in hoc prædestinationis mysterio nequaquam intelligimus, quin animum advertamus ad ea, quæ Deus nobis manifestavit; & cujus revelatio sufficit, ut inde solatium percipiamus. Si Dei mentem, atque Ecclesiæ intentionem inspiceremus, ne alteram ex altera corrigeremus; iis, quæ cognoscimus, ad confidentiam nostram fovendam, & iis, quæ non cognoscimus, ad fidem exercendam uteremur. Sed prorsus opposita ratione plures eousque progrediuntur, ut credant, Deo non fuisse voluntatem nos salvos faciendi; atque id cogitantes sese suis cupiditatibus abdunt, quasi de salute illorum actum esset omnino. Teneamus igitur magnum hoc fidei principium, si gratiæ Dei fideles fuerimus, nos certissime ex prædestinatorum numero futuros, atque in nobis esse positum fideles esse gratiæ, quæ nobis numquam deest. Secretas vias, quas in salutis nostræ œconomia Deus sequitur, nescio; hoc autem scio sortem meam esse in manu Dei, qui misericordiæ, atque justitiæ plenus est, atque omnia opera bona, quæ fecero, depositum esse, quod illi committo, & cujus scio illum sedulam fideliter esse rationem redditurum. *Scio cui credidi &c. Idem.*

Opus est, quod metum judiciorum Dei nos cultui ejusdem fideles efficiat.

Fidelium plerique in officio continentur, Sanctus Augustinus ait, & post ipsum S. Prosper; mirabilem hoc Dei de hominibus judicium, quo alios vocat, rejicit alios; illos complectitur, hos deserit; sejungens illos, quos vult salvos facere, ut suis adjuti viribus, & gratiis certissime, quamvis libere, salvi fiant. & in corruptionis massa relinquens eos, qui per desideriorum suorum improbitatem, & cordis nequitiam illic cupiunt permanere. Hoc prædestinationis, & reprobationis mysterium eos terret; consideratio Dei hinc quidem misericordis, inde vero justi, atque severi illos sub potenti manu ejus humiliat. Gratiam impertit, cui vult, & miseretur eorum, quorum vult misereri. Inde vero quid accidit? Hoc nempe quod semper nobis trepidandum, semperque metuendum est; atque summa officii fide cultui illius inhærendum. *Ex sermone de Samaritana, qui P. Kneo acceptus refertur.*

Dæmon, æquius ratiocinatur ac nos in prædestinationis nostræ negotio.

Si prædestinatus sum, nequicquam laboribus exerceor, inquiunt impii; Dei voluntas explebitur; sin secus, oleum, operamque perdo ad cœli gloriam mihi comparandam contendens. Licet Scriptura, atque Patres nullum nobis hac in re solatium reliquissent; licet Salvator, ut animos faceret nobis, & fidem, & sanguinem suum non impendisset, dæmonis tantum mihi satis esset exemplum, ut prorsus opposita arguerem. Videte quo me redigatis; huc denique, ubi dæmonis utar prudentia, ut vitæ vestræ rationem corrigam, & velim sensus vestros juxta sensus illius conformari. Numquid ille, uti vos, argumentatur? num ait ille, si homo hic prædestinatus est, nequicquam illi struo insidias, numquam illum ex Dei manibus eruam? sin autem reprobatus est, inutiles erunt omnes conatus mei, ille ex manibus meis non effugiet. Quibus immo non utitur dolis, atque versutiis, ut justum impellat in scelus? quam negligit occasionem, ut peccatorem altius in ipsius immergat sceleribus? Agnoscite, Tertullianus ait, dæmonis ingenium, ac tantum curæ impendite salutem vestram operaturi, quantum ille, ut vestræ cumulum addat reprobationi. *Ex sermonibus moralibus.*

De aliquarum animarum prædestinatione.

Nequaquam licet nobis curiosius investigare rationes, propter quas prævenit Deus amore singulari electas animas quasdam, quas ille ad magna propter amorem suum agenda, sustinendaque destinat, seu quod latent in secretis sapientiæ consiliis, & in invisis providentiæ mysteriis; seu quod cum ipse cordis sui sit Dominus, sibi facultatem reservat illud, quocumque sibi placuerit, vertendi, atque large, effuseque suas conferendis gratias, ubi voluerit; quin aliam nobis permissionem relinquat, quam magnitudinem miserationum suarum cum reverentia adorandi. Nobis tamen aperit aliquando causas, propter quas alios aliis prætulit, quia illos invenit idoneos, &c. *Idem.*

Signa, ex quibus cognoscimus utrum simus prædestinati.

Certum est, res easdem, quæ in temporali divinorum decretorum executione occurrent, ab æterno præparatas fuisse in visione, ac mente Dei, quemadmodum videmus omnia lineamenta, quæ in imagine quadam videntur, inveniri in typo, ex quo imago educta est. Æternæ autem prædestinationis executio nobis indigitatur per divinorum mandatorum observantiam, bonorumque operum necessitatem, ideoque in ea incertitudine, utrum prædestinati sitis, an secus, id certo cognoscere quodammodo potestis vestram vivendi rationem intuiti. Videte, utrum prædestinati vitam ducatis. Vivite bene: *Serva mandata*, quemadmodum olim Dei filius dicebat. Hoc satis est, nihilque vobis sciendum est de vestra prædestinatione, quandoquidem certum est nolle Deum glorificare, nisi qui sancte vixerint, neque coronare, nisi qui strenue certaverit. *Auctor Anonymus.*

Sensibile argumentum, quo exiguus electorum numerus probatur.

Supponamus, Fideles, hanc omnibus extremam esse horam, præteriisse tempus, atque incipere æternitatem, Dei filium jamjam prodire nostrum singulos secundum cujuslibet opera judicaturum, ac nos omnes hic esse ab illo vel gratiæ, vel mortis sententiam expectantes. A vobis quæro & ipse gravissimo timore perculsus, sortem meam a vestra nequaquam sejungens, neque constituens eodem in situ, in quo omnes aliquando prodituri sumus coram Deo judice nostro, & in quo oro vos, ut ad breve momentum vosmet modo constituatis; quæro inquam, si modo Dei filius prodiret, terribili judicio justos a peccatoribus separaturus, creditisne, majorem numerum salvum fore? Creditisne, justorum numerum saltem numero peccatorum fore parem? Creditisne, si in præsentiarum excuterentur opera eorum, qui hac in concione frequentes adsunt; inter nos decem tantummodo justos inventum iri? A vobis hoc quæro? Vos id ignoratis, & ego quoque ignoro: ubinam cæteri essent? Dicam amplius; plurimi sunt peccatores, qui nolunt converti; plurimi, qui volunt, nec convertuntur; alii, qui convertuntur, ut relabantur, vel demum, qui fallaci temeritate se conversione nequaquam indigere arbitrantur. Incipite primum quatuor hæc peccatorum genera removendo; neque enim ex electorum erunt numero, quia nemo eorum est in gratia. Ubi igitur nunc estis justi in oculis Jesu Christi? In medium prodite, & vosmet a peccatoribus separate; triticum recede a palea; quid post hæc remanebit? Eheu! interitus noster jam fere certus est, nec advertimus animum! Sumus in via perditionis, neque inde egredi nitimur! *P. Massillon tomo 3. sermone de exiguo electorum numero.*

Licet inter nos unus tantum adesset reprobus nobis esset trepidandum.

Quamvis etiam ex omnibus nobis unus tantum reprobus esse deberet, idque cœlo demissa vox nobis nunciaret, quin singillatim indigitaret illum, quis ex nobis non contremisceret? Nonne nostrum singuli de se dicerent, ut olim Discipuli; numquid ego Domine hic reprobus sum? Quænam est sors mea, quod fatum meum? Egone suo es electorum tuorum numero, an es numero reproborum? traduces me ne ad dexteram tuam cum benedictis Patris tui; an cum maledictis me in infernum projicies? Hæc quilibet secum. Si ergo nequaquam nosmet in eum adducimus statum, ubi a capite nostro lacrymis, pœniten-

tia;

cia, ac fidelitate tantum propulsare valeamus infortunium, numquid sapientes fuerant? Fortasse inter nos decem tantum sunt justi: quid scio? fortasse ne unus quidem est: etenim, o Deus, sine terrore non audeo oculos convertere in abyssum justitiæ tuæ, & iniquitatum nostrarum multitudinem: fortasse, inquam, ex nobis omnibus unus dumtaxat salvabitur, & putas te hunc fore? fallaci hac suffultus confidentia quiescis, tu, cui fortasse magis metuendum est, quam alteri cuipiam, tu, cui trepidandum esset, licet infelix hæc sors in unius tantum reprobi caput esset lapsura! *Idem*.

Quanta adsit metuendi ratio, & qui parum timentur, ut ex reproborum numero simus.

O Deus! quam parum cognoscimus periculum, cui sumus obnoxii, ubi non omnis conamur illinc evasuri! Quid! infelix peccator non trepidas eam ob rem, propter quam justissimus, quisque pra terrore contabuit? Ob unam hanc æterni fati cogitationem visi sunt sancti pœnitentes pectus suum tundere, turbari, sese cineribus adspergere, atque cilicio arctius contegere, & vix os aperire ad fratres interrogandos; creditisne Dominum sua metuunt usurum esse misericordia? Visi sunt jamjam sub iteratis austeritatibus animam efflare, nisi misericordia tua, Domine, cordis eorum perterriti ventis imperasset, ita ut tranquillitas fieret. Hoc tot sancti viri fecerunt: mundus vero fere totus post tot crimina, tot lapsus, atque relapsus securus est; peccatores jamjam ferme a cœlesti patria prohibiti, qua se præbuerunt indignos, de fato suo ne minimum quidem sunt solliciti. Quidquid præcipitur ministris, qui illis adsistunt, hoc est, ne illos perterrefaciant, ne illis de terribilibus veritatibus loquantur, neque illis opem ferant, ut se ipsos seducant, atque in fallaci pravæ conscientiæ suæ pace sibi noxiam tranquillitatem concilient.

Frustra in Salvatoris morte ac passione confidimus nisi nostræ saluti cooperemur.

Verum est Dei filium in cruce morientem sese pro nobis obtulisse sacrificium, atque pro mortalium omnium salute sanguinem suum effudisse: *Pro nobis mortuus est Christus*. Sed nihilominus verum est, quamquam tanta illius extiterit misericordia, non omnes homines salvos fore: quippe infinita hujus sanguinis, mortisque merita non omnibus applicabuntur, neque ea sibi quilibet applicabit. Juda miser! Quid tibi profuit, quod filius Dei, qui tot benevolentiæ suæ tibi argumenta tradiderat, in cruce efflaverit animam? Crudeles Judæi! Pharisæi abominabiles, quid vobis profuit, quod Deus hic, qui apud vos tot miracula ediderat, qui tot ægros curaverat, qui tot gratias effuderat, in Calvario spiritum fuderit: quandoquidem ex tot guttis sanguinis, quæ fuerant effusæ, ne una quidem peccata vestra delevit? Latro infelix, qui ad latus Dei morientis obiisti, quid tibi profuit illum intueri in agone positum, quid audire illum Patri suo vota nuncupantem, ut parceret inimicis ipsius, quandoquidem orationis hujus fructus tibi applicatus non fuit? *Joly propositione de Jubilæo*.

Præcipua ratio exigui electorum numeri.

Pauci salvantur; o Fratres; in mundo enim nonnisi duo hominum genera concipi possunt, vel eorum, qui ita felices fuere, ut innocentiam suam puram, integramque servarent, vel eorum, qui eam semel amissam in pœnitentiæ sacramento recuperarunt. Prima exigui electorum numeri caussa. Duplex hæc tantum salutis via patet, idque nonnisi vel innocentibus, vel pœnitentibus. Ut jure ad cœli regnum adspires, vel innocens esse debes, vel pœnitens: nihil coinquinatum ingredietur illuc, Jesus Christus inquit, eoque vel conservata puritas, vel puritas reparata afferenda est: quotus autem quisque duplicem hanc sequitur viam? Mori ab omni labe purum, privilegium est, ad quod paucis adspirare licet: vivere pœnitentem gratia est, quam pauci obtinent; nihil enim in mundo veris pœnitentibus infrequentius est. *Pater Massillon sermone pro feria sexta hebdomadæ Passionis*.

Prædestinationis effectus.

Consummatæ prædestinationis effectus ea sunt omnia, quæ efficaciter ad salutem adducunt: cumque Deus sit auctor prædestinationis, illa tribuit, atque ad hunc finem immittit. In hoc ordine omnes constitui possunt vitæ hujus eventus, quos ipsi sæpe fortunæ acceptos referimus, bona seu naturalia, seu supernaturalia, prosperam, adversamque fortunam, bonos, malosque nostrorum consiliorum, & negotiorum exitus, & quidquid alicujus esse potest opis, ut ad æternam beatitudinem perveniamus. Cumque res omnes mundi hujus aliquid huic conferre possint consilio, omnes corporis, animæque qualitates, actiones, & officia omnia, omnes, quæ sese offerunt, occasiones, & quæ a providentia ad finem hunc sunt ordinatæ, totidem sunt effecta prædestinationis, & curæ, quam illa gerit, ut electorum suorum saluti prospiciat. Attamen dici nequit, in hoc numero peccata nostra recenseri, neque enim potest Deus illa ad finem adeo præstantem traducere: quamquam homines aliquando ex ipsis criminibus bonum, atque utilitatem hauriant, puta occasionem agendi pœnitentiam, vel ardentius diligendi Deum; etenim supposito peccato Deus secunda intentione, ejusque ordinem subvertendo, inde elicit argumentum vel pœnitentiæ, vel ardentioris charitatis. Sed cætera juxta directionem hanc fiunt beneficia, quibus Deus suaviter, & jucunde homines ad salutem adducit. *Pater Delingendes sermone hujus argumenti*.

Confidentia in bonitate Dei circa nostræ prædestinationis negotium.

Quodcumque fecerim, vel facturus sim; scio tandem Dominum eorum, quorum voluerit, misereri: *Cujus vult miseretur*. Hoc verum est; sed voluntas ejus non est cæca voluntas, vult semper, quod æquius est, nempe merito, pietatique favere. Deus in gratiarum suarum distributione omnino liber est: sed hoc fidelibus ejus tanto melius est; nec deerit, quominus liberaliter illis sua conferat dona. Quamvis bonus pater non teneatur filios hæredes scribere, numquid ideo metuendum est, ut illos privet, alios sibi quæsiturus hæredes? Non possum finalem perseverantiam mereri, illam tamen petere possum, ac Dei filius sese sacramento adegit, hanc precibus nostris nequaquam se negaturum. *Pater de la Colombiere sermone 56. de prædestinatione*.

Post ea, quæ pro nobis Domine & dixisti, & fecisti, quo jure tu, o modicæ fidei homo, diffidis? *Quid ultra potui facere vineæ, & non feci?* Responde Deo tuo anima timida simul, & ingrata? Quæ validiora cupere potuisses argumenta, ut tibi persuaderes salutem tuam mihi curæ fuisse, præ illis, quæ tibi dedi? Numquid magis meipsum demittere poteram, vel te sublimius extollere? Numquid unica in venis meis sanguinis gutta superfuit, vel una in corpore meo pars, quæ flagellis, ac vulneribus caruit? Quid ultra a me expetere potes, postquam meipsum tradidi tibi? Postquam tuam utilitatem meis prætuli bonis, vitæ, honori, aliquidne ultra facere poteram propter amorem tui? Si mihi animus non fuisset salvandi te, cur tot adhibuissem documenta, tot sacramenta instituissem, tot gratias contulissem? Numquid proprio sanguine tibi pharmacum præparassem, omnia vulnera tua sanarentur? Numquid tibi comedendum præbuissem proprium corpus meum, nisi anima tua mihi esset charissima? *Idem*.

Exprobrationes, quibus Deus peccatores corripit, ostendunt in ipsis positum fuisse, ut essent salvati.

Hæc quoque ex iis artibus est, quas inspirat vivendi licentia, persuadere videlicet neminem in mundo salvari posse, quibusdam saltem in conditionibus, ut suo veluti jure per fas, & nefas grassari possit, quidquid audere, & conari. Sed prætextum hunc evertit Deus per eas minas, quas impiis in Scriptura intentavit: *Vocavi, & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, &c.* Prov. 1. Neque enim ait; vocavi, & sequi me non potuistis: quæ verba efficerent, ut Deus, licet Deus sit, rationem redditurus esset interitus nostri, nobisque quodammodo caussam adjudicarent. Sed *vocavi, & renuistis*: hoc est, no-

fuiſtis efficaciter ; noluiſti conſtanter , noluiſti eo modo , quo ſoles ea velle , quæ bona fide velle conſuevisti . Hoc autem poſito , quod in vobis ſitum fuerit id velle , videamus , S. Auguſtinus ait , utrum jure conqueri poſſitis hac in re , ubi nihil petimus ex vobis , niſi quod velitis : *Vide ſi labor eſt , ubi velle ſatis eſt* . Si ut divites , nobileſque fieremus , ſatis eſſet velle , qui deſperaret , ſe cumulare poſſe divitias ? *P. Bourdalove in ſermone de Prædeſtinatione* .

Qui bene vivere ſtudent , credere poſſunt , ſe a Deo ſalvos factum iri.

Credine poteſt , nolle Deum nos ſalvos facere , cum nos bene vivere velit ? Quid ? vellet nos bonam ducere vitam , & bona occumbere morte , & nollet ſalutem noſtram ? Verum igitur eſt , velle Deum , nos omnes , qui bene vivunt , & bene moriuntur , ſalvos eſſe , hoc perſpicuum eſt . Non dubitetis , utrum velit Deus nos bene & vivere , & mori , id enim expreſſe docet in Scripturis : igitur neque dubitare poteſtis , utrum vos ſalvos fieri velit . Scitote , Sanctus Paulus ad Rom. 9. ait , nullam in Deo eſſe iniquitatem : *Numquid iniquitas apud Deum* ? Ideoque juſtitiæ coronam præparas omnibus illis , quos ſerio ad certamen invitat ; ſincerumque habet deſiderium præmium conferendi omnibus illis , quos excitat , ut currant in ſtadio . Omnes ad præliandum invitat ; ſanctæ adhortationes , quas per os Prophetarum , atque Apoſtolorum profert , generatim diriguntur ad omnes : igitur , quantum in ipſo eſt , vult omnes coronari , omnes recipere bravium . Clarius , & brevius ; vult Deus omnes , qui legem ſervant , ſalvos fieri ; at vult omnes ſervare legem : ergo vult omnes ſalvos fieri . Si eſſent aliqui , quos nollet Deus ſervare legem , illi hanc non ſervantes non peccarent , neque enim facerent contra Dei voluntatem : igitur aliqui eſſent , quibus permitteret Deus facultatem faciendi , quidquid malum vocatur a nobis ; quod ejus ſanctitatem deſtrueret . Et ſi qui eſſent alii , quos vellet Deus ſuam ſervare legem , & quibus nihilominus ſalutem conferre detrectaret , hoc illius juſtitiam everteret . *P. Texier ſermone de prædeſtinatione in Quadrageſima* .

Cum ſalus noſtra & a Deo pendeat , & a nobis , opus eſt , ut confidentes in bonitate Dei , qui facere nequit , quominus ex ſe ea conferat omnia , quæ debet , nihil quod ad nos attinet , reliquum faciamus ; ut ad effectus reducamus ſinceram voluntatem , qua nos ſalvos facere cupit . Etenim inniti fallaci impiorum argumentationi paſſim dicentium ; ſi prædeſtinatus ſum , nihil mihi timendum eſt , & Dei voluntas adimplebitur ; ſin autem e contra , quodcumque faciam , immutabile divinum decretum non mutabo ; inniti inquam funeſtæ huic argumentationi , qua ſeductor ſpiritus utitur ad animas decipiendas , illuſio eſt æque inſana , ac innoxia ; etenim ſi prædeſtinatus ſum , id fieri non poteſt niſi per ea , quibus adhæret prædeſtinatio . Hæc autem docet fideles eſſe chriſtianam vigilantiam , timorem cum reverentia conjunctum , accuratiſſimam omnibus gratiæ motibus fidelitatem . Itaque ſtatim ac omnia iſta relinquo , meipſum quodammodo reprobo , atque me prædeſtinatum putans facio , quidquid faciendum eſt , ut me nequaquam prædeſtinatum eſſe mihi perſuadeam . Neque enim , ſecundum ideas veſtras vos prædeſtinavit Deus , inquit Sanctus Fulgentius , ſed tamquam rationabiles creaturas , quæ mereri poſſunt , quæ victoriæ titulo cœlum lucrari debent , & quibus Deus gloriam tamquam juſtitiæ coronam pollicetur : itaut victoriæ , quas de affectibus noſtris reportamus , omnia ſatisfactoria opera , quæ ad noſtra expianda ſcelera fecimus , hæc virtutum catena juſti vitam componentium per finalem perſeverantiam terminata , ſint neceſſarius prædeſtinationis effectus ; & velle hæc duo ſeparare , velle , inquam , ſibi perſuadere ſe prædeſtinatum eſſe , ubi ea negliguntur omnia , quæ prædeſtinationem ſequi debent , hoc eſt eum errorem fovere , qui contradictionem involvit . *Specimen ſermonum pro Dominica decimatertia poſt Pentecoſten* .

Prava flagitioſorum argumentatio de prædeſtinatione.

Fieri nullo modo poteſt , improbus ait , ut meam ſententiam mutem , quandoquidem ante ſæcula prolata fuit ; fieri nullo modo poteſt , ut ſortis meæ Dominus fuerit deceptus . Argumentatio temeraria ſimul , & fallax . Temeraria quidem ; etenim itane argumentamini , cum de iis agitur negotiis , quæ vobis ſunt antiquiſſima ? Numquid litem deſeritis ſine productionibus , ſine exquiſitorum conſiliis , ſine ſollicitationibus hanc prætexentes cauſam , quod exitus illius Domino exploratus eſt ? Numquid noſmet ſorti credimus , ac naturam ex ſe ſola operari relinquimus , eo quod Deus dies noſtros numeravit ? Sed fallax eſt etiam argumentatio . Novit Deus ſortem meam , utrum beata , an funeſta futura ſit , eſto ; ſed ejus cognitio nil addit . Et S. Auguſtinus oſtendere volens , Dei præſcientiam nullam actionibus noſtris imponere neceſſitatem , hoc probat argumento . Tantum abeſt , ait ille , quod libertati noſtræ ullum afferas detrimentum præſcientia , quod potius per hanc confirmatur ; neceſſario enim fatendum eſt , res eodem modo eventuras , quo prævidens Deus futurum , ut evenirent . At prævidit Deus illas libere , ex voluntate , ſine vi , abſque neceſſitate eventuras ; inferendum eſt ergo futurum , ut hoc pacto eveniant . *Sermo manuſcriptus* .

Quid Deo dicere hanc ob rem non poſſet reprobus , ſi ille æternam electis ſuis beatitudinem deſtinans nulla habita meritorum ratione , de hoc minime cogitaſſet ? Ubi , Domine , ſunt illa miſericordiæ viſcera , de quibus Biblia loquuntur , quæ ubique prædicari voluiſti ? Undenam factum eſt , quod ſine ulla meritorum cognitione hunc eduxiſti de maſſa corruptionis , ut eum faceres filium adoptionis , regni tui hæredem , & vas honoris , me vero deſcripſiſti tanquam victimam funeſto mortis charactere notatam ? Quid adhuc , quod prima illa in diviſione , quam habuiſti , me ſine cauſæ cognitione damnaſti ? nonne ſatis erat de me nil mali cogitare , ſi nihil cogitares boni ? Integrumne poſt hæc erat ipſi contra tuæ potentiæ torrentem obluctari , liceb atne mihi contendere , ut tuum ingrederer regnum , ad id neque vocatus , neque deſignatus ? Electum tuorum quippiam tibi propoſuiſti , & quemdam electorum lapidum numerum compoſuiſti , ubi ut jam calculationes ſupputatæ ſint , & captæ dimenſiones ? Nihil addi poterat ; ut numerus augeretur . Quid ergo miſere illinc prohibitus facere poteram , niſi tuam quidem arguere bonitatem ; meam vero calamitatem deflere ? *P. Cauſſinus eſſato ſexto de prædeſtinatione* .

Rationes probantes exiguum eſſe prædeſtinatorum numerum.

Sola ſufficeret ratio ad ſuadendum prædeſtinatorum numerum perexiguum eſſe debere . Satis eſt ad id cogitare hinc quidem , quid ſit nobis faciendum , inde vero quid faciamus . Ut ſalvi ſimus , neceſſario vivendum eſt ſecundum Evangelii præcepta : at quotuſquiſque hodierna die ad illam ſuam vivendi rationem conformat ? Ut ſalvi ſimus palam noſmet Jeſu Chriſti diſcipulos profiteri debemus . Heu ! Quot pudet tales videri ! Effectu , vel affectu relinquenda ſunt ea omnia , quæ poſſidentur , & quotidie crux eſt ferenda ; et hac nota noſtin' plures Jeſu Chriſti diſcipulos ? Mundus irreconciliabilis eſt hoſtis Jeſu Chriſti , ac ſe Jeſu hoſtem profitetur , qui mundi placita ſequitur . Nemo poteſt ſimul duobus dominis ſervire ; uter plures habeat ſectatores , penes te judicium eſto . Unum mortale crimen divinæ , ſanctiſſimæque vitæ meritum aufert : num hodierna die ſatis innocens ducitur vita ? Quot ſecreta crimina ! Quot adoleſcentiæ peccata , quæ nos fallunt ! Quot gravia ſcelera , quæ levia exiſtimantur ! Nemo eſt certus ſuæ pœnitentiæ ; hinc autem plures ſalvos eſſe argumentaberis ? *R. Croiſſet tomo 1. receſſuum* .

D. Chryſoſtomi ſententia de exiguo prædeſtinatorum numero.

Quot putatis ex magna hac civitate ſalvos futuros , dicebat S. Chryſoſtomus ad cives Antiochenos ? Quod dicturus ſum , magnus ille vir addit ,

addit ; vobis terrorem incutiet ; attamen nequeo facere, quominus id dicam : ex tot animarum millibus, quæ nunc adeo ingentem componunt civitatem, quæ vel magnitudine, vel frequentia nulli cedit, vix centum salvas fient ; de quarum salute adhuc incertus sum. Antiochena civitas tunc temporis non minus exculta erat, quam hodierna die sint urbes, ubi Christiana colitur religio ; hospitiis erat repleta mortalibus, populus devotus fecebatur ; frequentabantur Sacramenta, ibique vivebatur, quemadmodum hodie vivitur in mundo. Ex Sancti hujus viri sententia, qui profecto, nisi superno afflatus fuisset lumine, tam hanc adeo serio non affirmasset, de exiguo electorum numero judicium feramus. Quid autem nosmet eo usque excæcamus, ut minime videamus, ita viventes, uti vivimus, in tanta salutis nostræ negligentia, nos in certissimum interitum ruere. *Idem*.

De magno reproborũ numero.

Si plerorumque fidelium vitam inspicimus, illi quidem ex reproborum potius, quam prædestinatorum numero futuri videntur ; & in hujus eventus incertitudine nequaquam servari æqualitatem, sed lancem infernum versus, potiusquam cœlum inclinare. Quomodo ergo mundi amatores non extimescant, quandoquidem Sancti ipsi, qui præ cæteris magis certi esse deberent salutis suæ, trepidant, & expavescunt ? Magnus ille Apostolus Sanctus Paulus castigat corpus suum, ne reprobus fiat ; & Sanctus Augustinus sensus suos cum Apostoli hujus sensibus conferens, nonnisi summo stupore, ac terrore captus, quid de hoc sentiat mysterio, significat : *Noli cum Paulo Apostolo expavescere, quod etia ille, cum consideraret, expavit, & expavescens exclamavit, o altitudo &c. Sirmas in sermone septimo.*

Non deest trepidandi causa ingentem reproborum numerum intuentibus.

Electorum numerus ad satis paucos redigitur ; quod oraculum ex Jesu Christi ore emanavit : *Pauci electi*. Nullus Pater illud vel interpretatus est, vel mitius intelligendum asseruit, vel in minus rigoroso sensu explicavit ; immo neque Hæreticus aliquis illud in dubium revocare ausus est. Verum quodnam terroris argumentum mentibus nostris non objicit ? Certum est potuisse Deum æque omnes homines prædestinare, quin duas efficeret massas, alteram quidem reproborum, prædestinatorum alteram ; potuisse efficere, ut Angeli, hominesque universi certissimam gloriam consequerentur. Quid igitur necesse erat, o Deus, æternos ignes succendere ad puniendos peccatores, qui culpa sua quidem damnantur, sed quos sententia, iisque variis rationibus in cœlum adducere potes ? Frustra mentis aciem intendo sapientiæ tuæ causas divinaturus, quæ prohibuerunt, ne Sanctorum numerum mortalium numero æquares. Possum quidem asserere, te hoc pacto voluisse ostendere ultricem justitiam tuam, quæ nonnisi in reproborum pœnis enitescere potest. Hæc ratio non admodum humanas afficit mentes. Ego quidem quotiescumque id reputo mecum, memet coram profunda Dei mei sapientia exclamare cogor : *O altitudo !* O consiliorum ejus profunditas : o impenetrabilis arcanorum abyssus ! Scio Deum nihil nisi juste operari, & hoc sufficit mihi : *Numquid iniquitas apud Deum ?* ad Rom. 9. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo ?* Curta mens, mortalis infirma ! sufficiat tibi Dei tui admirari sapientiam, quin illam audeas scrutari ! Igitur non deest, unde confundamur, & formidemus considerantes a Deo infernum creatum fuisse ; sed non deest etiam, unde totis artubus contremiscamus cogitantes longe plurimos illos esse futuros, qui reprobati illic æternum cruciabuntur. *Ex manuscripto sermone*.

Gratiæ omnes, per quas operatur Deus nostram prædestinationem, in manu Dei sunt, easque de quibus vult, & quando vult, gratis distribuit. Omnes dico gratias, & eas, quæ salutem incipiunt, & eas, quæ illam perficiunt. Quæ salutem incipiunt : hic fidei nostræ articulus est, vocationem ad Christianismum a meritis nostris nequaquam pendere. Sancti Augustinus, & Prosper semper præcipuum hunc nostræ religionis articulum inculcarunt : *Quis te discernit ?* dicebant illi post Sanctum Paulum. Superba creatura, quodnam igitur est tuæ electionis principium ? Si tui generis fausta fortuna te inter fideles edidit, cuinam gratiam acceptam referre debes ? Hac autem fidei veritate supposita nonne jure cum Apostolo exclamare possum : *Ubi est gloriatio mea ?* Quid gloriari potes eam ob gratiam, quam meritus non es ? Salutis nostræ consummatio non magis in potestate nostra sita est, quam nostræ electionis initium. Illis, qui sancte vixerunt, Deus sese semper concedit gratiam finalis perseverantiæ, & mortis in justitia : sed nequaquam sese huic legi subjecit, atque eo præsertim momento, quo de nostra æternitate statuendum est, locum habet hoc Sancti Pauli ad Rom. 9. axioma : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Sanctificationis opus effectus est beneficæ voluntatis Dei, non autem languidæ voluntatis ejus, qui moritur. Quæ igitur mihi non suppetit timoris, & humiliationis causa has veritates æque certas, ac terribiles cogitanti ? *Idem*.

Quid inferendum est ex eo, quod magis terribile adest in aliorum quidem prædestinatione, aliorum vero reprobatione.

Prædestinatorum numerus ad paucos redigitur, & nescio, utrum majori numero futurus sim. Gratia, quæ me ad salutem adducit, omnino in manu Dei est. Quid igitur faciam ? Quid capiam consilii ? Num illud solitarii ejus, de quo in libro de perseverantia loquitur Sanctus Augustinus, qui ex Sancti Doctoris principiis perperam intellectis eas hausit illusiones, quæ eum ad desperationem adegerunt, effeceruntque, ut cellam simul, salutisque suæ curam negligeret ? Haud ita profecto, o Christiani ; quod hoc in mysterio terribile est, nobis sane timorem debet injicere, ac nos humiliare, sed non ideo ad desperationem impellere. Exiguus est electorum numerus, cœli janua arcta est ; ego vero omnes conatus exeram ingressurus : *Contendite intrare per angustam portam*. Luc. 13. Modicum constantiæ, nisus generosus, certum consilium proculdubio perficiet, quod gratia Domini feliciter cœpit. *Contendite*. Prædestinatio mea mihi ignota est ; sed juxta cujusdam Sancti Apostoli consilium illam bonis operibus certam mihi facere adnitar : *Satagite, ut per bona opera certam vestram electionem faciatis*. 2. Petri 1. Quoad gratiam, qua a Deo donatus fui, & quæ meam incipit salutem, hæc æternum erit mihi grati animi argumentum erga Deum, a quo eamdem recepi : quoad illam vero, quæ perficit, & prædestinationi meæ finem imponit, ita favente Deo vitam instituam, ut nonnisi in justitia occumbere possim ; atque Deum precibus fatigabo id assecuturus, quod mereri non possum. *Idem*.

Cum animum adverto ad hæc Sancti Pauli verba, vult Deus, omnes homines salvos fieri, ii me rapiunt impetus zeli, quibus extra me quodammodo feror. Tunc temporis arrepta Crucifixi imagine vellem eos omnes consolari, quos timidum ingenium, vel non satis proba directio, vel quorumdam periculosorum librorum lectura ad desperationem usque perturbant. Jesu Christi morientis adspectus sufficiens esset, ut mihi videtur, eorum ambiguitati remedium. Fratres, dicerem illis, considerate hæc lumina extincta, caput cruentum, confossas manus ; ac deinde illis ea Sancti Pauli 1. ad Timoth. 4. adjicerem verba : *Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Non deest igitur in adeo generali beneficio pars mea. Non igitur Adam eam mihi conflavit perniciem, cui Jesus Christus medicinam minime attulerit. *Idem*.

Deus ab æterno salvare nos voluit. Hoc magnum est spei argumentum.

Mihi ambigenti, utrum in prædestinatorum numero adscriptus sim, quodnam majus esse potest solatium, quam scire, Deum ab æterno oculos suos in me convertisse, & ante sæculorum initium illum de me cogitasse ? Cum primum me vidit, propitio respexit oculo ; neque beatum voluit momento

mento eodem ; quo me ex nihilo educere destinavit. Heu! quænam ratio te impellere potuisset, Deus, ut me perdere velles, antequam essem infidelis? Non vis mortem peccatoris, quantumvis ille nequissimus sit ; sed ut convertatur, & vivat: quomodo vero velle posses mortem innocentis, qui nocens non fieret, nisi propter duram pereundi necessitatem, quam illi imposuisses? *Idem*.

Cum Jesus Christus obierit pro omnium salute, omnes nemine excepto salvari possunt ex S. Augustini sententia.

Redemptor Deus Sanguinem suum pro hominibus omnibus effudit ; ideoque hoc primum fuit Dei consilium illos omnes salvos facere, dummodo perfrui velint pretiosæ hujus mortis fructu. Hæc explicita est doctrina Doctoris gratiæ Sancti Augustini, qui nil prætermisisse videtur, ne hac in re de doctrina, & fide sua dubitandi locus superesset. Ita loquitur libro sexto contra Julianum, hoc est in controversiæ disputatione, ubi causæ necessitas exacte eum loqui cogit. *Impingo*, ait ille adversario suo, *inculco*, *infarcio recusanti*. Hoc dico, hoc repeto, hoc in omnes sensus verto, ne dubites. At quodnam est oraculum, quod tanta cum emphasi prolaturus est Augustinus? Hoc est: *Christus pro omnibus mortuus est*, Quid magis explicitum ; quid certius? Verum ut intelligatur, quonam in sensu loquatur de hac universalitate mortis Jesu Christi, satis est animum advertere ad eas circumstantias, in quibus hoc decisionis oraculum protulit. Conabatur Sanctus Doctor statuere universalitatem corruptionis per primi hominis noxam effusæ, atque ideo ita argumentatur. Jesus Christus pro omnibus mortuus est ; omnes igitur homines per iniquitatem primi parentis perierant, & quemadmodum originale peccatum nullam patitur exceptionem, nullam æque patitur Jesu Christi redemptio: hæc igitur nullis finibus, nullo limite continetur. Hæc igitur pro me est æque, ac pro aliis omnibus ; neque mihi potior est dubitandi causa, utrum me salvum facere velit, quam ambigendi, utrum pro me animam efflaverit ; & citra errorem, atque blasphemiam credere nequeo me ab illo reprobatum ab æterno fuisse, quin viderit futurum, ut me ipsum meis infidelitatibus reprobarem, ac mihi aditum prohiberem, ne in eorum numero recenserer, quos vult salvos facere. *Idem*.

Ut sis ex prædestinatorum numero, vim tibi debes inferre.

Narrat Sanctus Lucas, cum nescio quis ex Dei filio quæsivisset: Domine, paucine salvi fient? illum reddidisse, contendite intrare per angustam portam. Hæc unica est ad salutem via. Quilibet sibi vim facere debet, quilibet ingenium, studiumque suum debet superare, quilibet se ipsum continere debet, & a sæcularium placitis, sermonibusque abhorrere. Nequaquam faciendum est, quod mundus facit, quod plerique e sæculo faciunt ; lata enim perditionis janua est, quemadmodum Salvator ipse testatur, & patens via, quæ ducit ad illam, ac plurimorum vestigiis attrita. Si igitur per magnam hanc incedimus viam, per quam vulgo plerique ingrediuntur, in via perditionis sumus. Pauci sunt, divinus nos docet Magister, qui arctam inveniant viam: debemus ergo esse ex hoc numero exiguo, & non agere, uti vulgo consuevit. *Boudon in libro*, *cui titulus*: *Le* Chrètien inconnu.

Artes secretæ, quas adhibet Deus, ut nostræ prædestinationis negotium prospere cedat.

Quis dicendo enumerare posset, quidquid operatur Deus pro electis suis, ut magnum hoc prædestinationis negotium ad optatum finem perducat ; omnia consilia, præcautiones, artes, media, quæ præparat, & quibus utitur subinde, ut nostram suæ voluntati consociet, nosque tanto beneficio dignos efficiat? Hoc ille nobis aliquando ostendet, nobisque singillatim aperiet curas suas, secretasque vias, per quas ipsius providentia nos ad finem deduxit. Tunc nostram intelligentes infirmitatem, & nihilum, ac admirati eam sollicitudinem, qua Deus nos salvos facere studuit, non aliud facere poterimus, quam exclamare: *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Psalm. 88. *Sermo manuscriptus*.

Infideles, qui bene vivunt, obtinere possunt gratiam veniendi ad cognitionem Jesu Christi, & salutem suam operandi.

Non desunt profecto populi sedentes in tenebris, & in umbra mortis, quibus justitiæ Sol, cum per Evangelii prædicationem illuxerit, deinde secretis Dei judiciis, & impenetrabili consiliorum ejus altitudine eclypsi laboravit. Verum tandem quamvis hi populi in ignorantia demersi Jesum Christum non noverint amplius, de quo nunquam sibi verba fieri audiverunt, hic tamen quasdam eorum aliquibus concedit gratias, qui legibus rectæ rationis fideles, cujus prima habent rudimenta, bonis operibus attrahere possunt, non secus ac Centurio Cornelius, miraculosæ conversionis gratiam: & Sanctus Thomas testatur, a Deo potius de cœlo missum iri Angelum, a quo erudiantur, quam ille desit officio Redemptoris universalis hominum, eis denegans lumina, quibus indigent, ut illum agnoscant, ubi nullum peccatis suis obicem iisdem opponant. Ita cum nullus sit in terris homo, qui per Jesu Christi gratiam salvus fieri non possit, & cui supremus hic Redemptor nequeat mortis suæ merita applicare, immo cui nolit, nisi hic aliquem obicem statuat ; ita nullus est, qui frui redemptionis fructu non possit. *Abbas du Jarry Sermone de Magnalibus Jesu*.

SUPPLEMENTUM.

Quid sit prædestinatio. *De dono pers. c. 14.*

PRædestinatio, definiente Sancto Augustino, *Est præscientia*, *& præparatio beneficiorum Dei*, *quibus certissime liberantur*, *quicumque liberantur*. Comprehendit actum intellectus Dei, *præscientia*; & actum voluntatis Dei, *præparatio*. Actum intellectus, quo in generali gratiarum suarum thesauro, quarum vim effectumque in singula corda cognoscit, videt, quænam sint aptiores ad singulos certissime ad salutis suæ terminum perducendos, & actum voluntatis suæ, quo sese determinat huic vel illi dare, vel secus has gratias, & hæc certissima salutis subsidia. *Pater de la Rue in Quadragesima*.

Quid nobis faciendum cum desperationis crimine tentamur.

Non minima tentatio in ascetica vita est, diffidentiæ, quæ in eo posita est, ut quis putet se reprobatum iri, ideoque quidquid propter Deum fecerit, irritum fore. Periculosa tentatio! Adducit nos in teporem ; in officiorum nostrorum oblivionem, & salutis desperationem. Perniciosæ huic diffidentiæ opponamus plenam, integramque in meritis Filii Dei confidentiam, prædestinatusne sum? Hoc Christiano impenetrabile mysterium est: at servit Deo bono, ac fideli ; hoc sciat opus, & satis est: satis enim est scire qua bonitate, ac misericordia agat nobiscum. Cæterum si nobis non licet eas enodare difficultates, quas nobis nostra objicit imaginatio, modo supra quibusdam favoribus, quos Deus aliquibus quidem largitur, aliis vero negat, modo super prædestinatione, modo super finali perseverantia in bono, ne nobismet ultra crucem figamus. Homines qui majori lumine sunt præditi nil magis, quam nos intuentur in hisce mysteriis impenetrabilibus, nobisque sufficit certe dicere posse cum Sancto Paulo Apostolo: *Scio*, *cui credidi*. Hæc viva fides majorem habere debet vim ad omnes turbas nostras sedandas, quæ in nobis de salute nostra oboriuntur, quam præstantissima lumina, quam particulares revelationes, quæ aliquando meræ sunt illusiones. Necessarium non est, ut in iis sollicitudinibus, quas nobis salutis nostræ cogitatio facessit, dicere valeamus: Scio cui credo ; dicere satis est cum Apostolo, cui credidi: habitus fidei supplet actui, quem tunc non possemus elicere. His igitur dubitationis temporibus revocemus eos fidei, & confidentiæ actus, quos totus elicuimus ; hæc recordatio potest nobis in præsens tempus prodesse. *P. Segneri in Meditationibus*. *Tomo 3.* 2. Tim. 1.

Tribulationes, Tentationes, Peccatum ipsum conferunt ad Electorum sanctificationem.

Commistio boni, malique simul totam hominis vitam componit. Satis liquet favores, & solatia, quibus afficimur a Deo, in electorum cedere utilitatem. Sunt enim novæ causæ Deo inserviendi,

cique

eique arctius hærendi, ac puriora, & frequentiora
Psal. 112. laudum sacrificia eidem offerendi: *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*. At quomodonam adversa, tentatio, peccatum, quæ vitæ mala sunt, in bonum convertuntur pro justis? Hoc quidem intellectu arduum est; hoc vix persuaderi cuiquam potest, licet verissimum esse probare valeamus. Primum enim. Justorum tribulationes gignunt in illis virtutum, meritorumque incrementum: persecutiones eorum augent charitatem, eique novum afflant decorem eo nitidiorem, quo plures majoresque persecutiones patiuntur. Humiliationes magis, magisque eorum perficiunt humilitatem; infirmitates, & ærumnæ vitæ hujus illorum augent patientiam, & Divinis voluntatibus submissionem: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*.
Regum 1.
Secundo tentatio justo schola est, ubi discit inferni potestatibus repugnare, ubi edocetur illius dolos detegere, & ubi illius conatus contemnere assuescit. *Beatus vir, qui suffert tentationem*. Denique justi ex ipso etiam peccato fructum percipiunt. Lapsus eorum fons sunt suspiriorum, & lacrymarum; altioris humilitatis, & magis assiduæ vigilantiæ causa. Nihil ergo verius est, quam omnia in bonum justorum converti: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sed propter oppositam peccatorum oppositionem, omnia illis convertuntur in malum. Gratiæ ipsæ, quas Deus illis concedit, eos nocentiores efficiunt, & Divina misericordia, quæ corda eorum mollire deberet, & ad Deum revocare, eisque ostendere Divinam erga ipsos clementiam, non alium habent in cordibus eorum nequam effectum, nisi quod illa efficiunt nocentiora, eaque in flagitiis suis reddunt tranquilliora, & in illis admirabilem pariunt stupiditatem: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* Ex his indiciis licet vobis quodammodo de æterno fato vestro judicium ferre. Omnia vobis cooperantur in bonum; vobis est prædestinatorum character, & per hunc Apostolus eos nos dignoscere docet: *Scimus quoniam diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Jacobi 1.
Rom. 8.
Eccl. 5.
Supra.

Quid animæ fideli faciendum in ariditatibus, & spiritualibus desolationibus.

Obruimur nonnumquam tanta spiritus ariditate, ut omnem futurorum bonorum spem abjecisse videamur. Quid tunc agis anima vere Christiana? Licet tristibus hisce momentis tamquam reprobatam se intueatur, nihil tamen spernit, quod pertinet ad Deum, qui diligi meretur etiam ab illis ipsis, quos plectit. In terribili hoc statu ita se gerit, ut olim tres pueri Babylonici. Hos in idololatriam pellicere adnitebatur Nabuchodonosor eam prætexens causam, quod illorum Deus ipsos nequaquam ex manibus ipsius esset erepturus. Non est nobis, quid in hac re tibi respondeamus, dixerunt: scias tantum, Deum, quem colimus posse nos de medio etiam fornacis ardentis educere. Quod si minime velit, scias etiam magne Rex, nos neque Deos tuos, neque aureum hoc simulacrum, quod erexisti, adoraturos. Hoc ipsum tentatori reddere opus est, si nos urgeat ut mundi idolo sacrificemus; nam inquiet ille nobis; nihil est, quod a Deo vestro speretis. Deus, cui servimus potest nos ab æternis ignibus tueri; sed licet tueri nos minime vellet, illi tamen ad mortem usque fideles erimus, potiusquam alteri cuipiam, præter ipsum thus adoleamus. Quidquid eveniat, scio illum unum amore, absque observantia dignum esse. Nihil mihi saluti meæ timendum est, nisi a me ipso, dicere potes; scio te dominorum omnium optimum esse, ac fidelissimum: scio me nihil facere pro te, de quo rationem aliquando habiturus non sis. Denique tibi serviens quodnam periculum subiturus sum? Licet reformidem, ut ad finem usque valeam perseverare, serviens tibi id semper facio, quod mihi faciendum est. Servio Domino, quo non est alter mea dignior servitute, & obsequio. *Idem*.

Daniel. 3.

Non est distinctio Judæi, & Græci. Cum nullum sit Judæum inter Græcumque discrimen, ullumne pauperem inter, & divitem futurum est; ullum inter nobiles, ac alios e trivio, ubi de illorum salute agatur? Hæ prædilectiones in animarum regimine, studia hæc odio sunt, ac palam ostendunt affectum hunc zelum effectum esse carnis, & sanguinis vel ut loquar apertius, superbiæ, & avaritiæ. Mortalium omnium abjectissimi anima iisdem sumptibus stetit Mundi Salvatori, ac anima præstantissimi Regis. Numquid propter Deum operatur, qui insignium dumtaxat virorum, ac matronarum regimina exposcit, & frigidum, insipidum, ac fastidio proximum zelum habet, pro salute eorum, qui a mundo popellus vocantur? Judæus, & Græcus æque sunt opus manuum Domini. Deus hic, apud quem nulla est personarum acceptio, asserebat adveniente Messia nullum amplius futurum discrimen inter eos, & fore ut omnes in unum eumdemque populum coalescerent, a quo nomen ipsius vocaretur, & super quem promiscue opes misericordiæ suæ effunderentur. Væ illis, qui has cum aliis ab eo dividi invidentes sese iisdem dignos præbuerunt! Judaicus iste spiritus, qui Domini misericordias coarctare cupit, nonne adhuc regnat in nobis? Dominus omnium dives est in omnes invocantes illum, neque metuendum est, ut propter suas liberalitates ad egestatem redigatur. Quemadmodum terræ principes locupletes non sunt pro omnibus sibi inservientibus; fere semper importuni sumus cum ab illis gratias petimus, & plerumque illas concedunt, ut omni importunitate liberentur. Sed cum Deus noster sit dives pro omnibus, qui invocant illum, præcipit, ut incessanter illum precibus fatigemus; & si quando votis nostris differt annuere, id agit, ut per egestatem diutius cum illo permaneamus. Quæ major confidentiæ causa? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus*.

Dei Filius mortuus est pro omnibus sine ullo discrimine pauperum, divitumque. Ad Rom. 10.

In temporis venturi conspectu magnum nanciscimur humiliationis argumentum. Prædestinatus sum? an reprobandus? Salvus ero, necne? Nihil scio. Quantam nobis immittere debet humiliationem hæc incertitudo! Hoc unum scio, me nequaquam salvum futurum sine gratia perseverantiæ. Sed heu! Gratiam hanc neque mereri possum, neque certam mihi promittere. Quanam in re confidere possum? In Dei voluntate? Hæc mihi ignota est: *Quis cognovit sensum Domini?* In voluntate mea? hæc inordinata est, fragilis & inconstans. In bonis operibus meis? Væ mihi! præstantissima opera gratiam hanc promereri non valent. In gratiis, quibus cumulatus fui? Quis mihi dixit, me illis fidelem futurum? Quis pluribus gratiis auctus fuit, quam Salomon? probabiles tamen videtur ei perseverantiæ gratiam defuisse. In statu mei perfectione? Perfectiorne est statu Judæ socii, & Apostoli Filii Dei, testis virtutum, & miraculorum illius? Factus est proditor ex Apostolo, & desperata salute periit. Si fundamenti columnæ fuerunt eversæ, calami fragiles stabimus? Quæ nostra confidentia est? Nonne nobis est trepidandi, & humiliandi causa? *Pater Nepveu in Christianis Animadversionibus*.

In prædestinatione, & reprobatione magna nobis humiliationis est causa.

Rom. 11.

Sanctus Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos duplex ramorum genus distinguit in arbore. Alii quidem orti sunt quodammodo ex ipsa naturali arboris fœcunditate, alii vero insititii sunt. Ut arbor inseratur, aliquot amputantur ejusdem rami, ac in locum eorum inseritur germen, quod alitur succo, quo ramus naturalis fuisset alendus. In arbore salutis rami naturales erant filii Abrahæ, ex quibus aliqui per nequitiam confracti sunt, & gladio separationis, atque reprobationis secti sunt, in quorum locum gratuita electio Dei inseruit genimina Gentilitatis, quæ gratiæ succo fovet, & alit. His similes estis, Apostolus inquit. Antequam electi fuissetis eratis oleastri, steriles, ac suapte natura infrugiferi. Increduli Judæi a

Christiani nullam habent sese gloriandi causam eo quod in Judæorum locum fuerint suffecti.

Rom. 11.

trunco,

trunco, qui Jesus Christus est, amputati fuere. Hujus misericordia per gratiam suam vos in arborem Evangelicam insevit, ingressi estis in societatem cum radice a Judæis sumpta, victuri ex eodem succo gratiæ Jesu Christi. Super hæc dicitis, Judæos, qui veri erant rami, de Evangelica excidisse gratia; eos a Deo sectos fuisse tamquam ramos ab arbore avulsos, vos autem ab illo insitos, & in eorum locum suffectos fuisse. Vera dicitis; verum nihil est, quod inde gloriemini citra insolentiam; si enim per separationem suam vobis locum fecerunt, & si fuere divulsi, ne aliam causam iniquitatis, quam meram Dei bonitatem, qui vos dignatus est in locum eorum subrogare: vobisque timendi locus est, ne, nisi fructus attuleritis, vos quoque amputemini, & alii in locum vestrum succedant. Si enim Dei justitia adeo severa fuit, ut naturalibus ramis non pepercerit; numquid facilius parcet vobis, qui per gratiam, cum essetis alieni, ignoti, & inimici, in domum ejus introducti fuistis, & adoptati pro suis? *Si enim*

Ad Rom. 11.

Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcet. P. Gibien.

Dei consilia de prædestinatione, & sunt investigabilia.

Quamvis Dei de hominibus consilia sint abyssi, quarum ima pars perlustrari minime potest: fatendum nihilominus est, ex omnibus Dei secretis nullum esse magis impenetrabile, quam illud æternæ prædestinationis atque reprobationis. Scire enim in omnibus particularibus circumstantiis, cur Deus sæpe temporalibus bonis cumulet impios, eorumque scelera in terris impunia relinquat: cur altera ex parte permittat, ut quamplurimi omnium egeant, & in contemptu habeantur, conviciis, contumeliisque proscindantur; hoc sane sperandum non est, licet generatim aliqua facti hujus afferri possint argumenta. Certum est, Deum magnis peccatoribus insignes prosperitates concedere in præmium aliquot mortalium virtutum, quas exercuere; neque enim aliud largiri potest iis, qui sunt æterna beatitudine indigni, vel quia hæc quædam esse potest ratio molliendi duritiam cordis eorum ad rationem eos revocandi, a terrenis rebus avellendi, & immittendi gustum eorum bonorum, quæ sunt æterna. Quod si eorum flagitia debitis immunia pœnis abire sinit; id agit, quia sibi reservat eadem in altera mulctare severius, quam hic facere possit: E contra sæpe permittit ut justi bonis suis exuantur, humilientur, omnibusque modis divexentur: sed ut per patientiam expiare possint leves noxas, quas per fragilitatem committunt, atque ut multiplicatis meritis in cœlo altiorem gloriæ gradum acquirant. *Cardinal Bellarminus in Opusculis.*

Cur Deus Jacob quidem dilexit, Esau vero odio habuit, antequam in lucem essent editi, & quidquam boni, vel mali fecissent? Hoc admiratur Apostolus, & satis mirari nequit. Quis non terrebitur cogitans plures, non secus ac Judam, postquam diu in bonis operibus perseverassent, paulisper excidisse, ac misere periisse, cum alii, qui omnem fere vitam in flagitiis traduxerant, non secus ac bonus latro sese receperunt, beatumque finem flagitiosæ vitæ imposuerunt? Hæc mysteria sunt, quæ humana ratio non assequitur, & Apostolus admirabatur, quin eadem perscrutari auderet, ubi clamabat; *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus &c.*

Ad Rom. 11.

Sufficit igitur scire nullam in Deo dari injustitiam, & extremo judicii die omnes dicturos: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum.* Ad hæc utile nobis est hoc secretum; ac interest nostra illud ignorare. Efficit enim, ne quis peccator de sua salute desperet, & ne justus de sua certus sit. Hoc etiam præstat, ut justi non abjiciant spem de conversione peccatorum, ut jugiter pro his deprecentur, & pro viribus eos revocare contendant de iniquitatis via, in qua sese misere implicuerunt; & ut ipsi tandem, licet sint sancti, num-

Psal. 118.

quam in propria virtute confidant, sed diffidant de viribus suis, & cum majori conatu, ac tremore salutem suam operentur, quo minus sciunt utrum in bono sint perseveraturi. *Idem.*

De voluntate quam habet Deus homines salvos faciendi.

Certum est, licet Jesus Christus natus sit, passus sit, & mortuus generatim pro mortalium omnium salute, non tamen omnes homines salvos fore. De fide imo est numerum electorum, videlicet eorum, qui redemptionis fructum percepturi sunt exiguum esse, eorum autem qui damnantur maximum. Salvator satis superque sumptus erogavit, & ipse factus est victima propitiationis pro peccatis nostris, dicit Sanctus Joannes, neque pro nostris tantum, sed pro omnibus omnium. Sed non omnes obediunt Evangelio, Sanctus Paulus inquit, ideo non omnes possunt salvari. Sincera quidem est Salvatoris voluntas, sed per nequitiam nostram non sinimus esse efficacem. Poteratne Deus apertiora, illustrioraque nobis præbere monumenta ejus desiderii, quo salutem nostram concupiscit? Pro salute nostra plura præstitit, quam quæ ipsi cupere possemus. Si nobis facta fuisset optio petendi pignus aliquod amoris ejus, & voluntatis salvandi nos; ausine fuissemus, vel occurrissetne nobis cogitatio petendi, ut homo fieret pro nobis, & ea, quæ passus est pateretur? Denique ullusne adeo parum sanæ mentis vir invenietur, ut credat, ut Deus ab infinito redemptionis beneficio vel unum hominem eximere voluerit? Quoniam pro omnibus mortuus est &c. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 1.*

Quanta nobis Deo agenda sint gratiæ, quia nos prælegit ex tot decem millibus mortalium, qui pereunt quotidie.

Dubitarene possumus de Divina erga nos bonitate? Hæc potestne apertius nobis indigitari? Ad eam cognoscendam comparemus statum nostrum cum illo tot infidelium, Schismaticorum, Hæreticorum, qui circum undique extant. Major terrarum pars ab iis colitur, quibus veræ fidei lux non affulget. Catholicismus quintam fortasse partem terrarum non occupat. Ad hæc inter eos, qui eas incolunt terras, ubi vera colitur fides, quot Athei, impii, in omnem licentiam effusi, qui sine fide vivunt in ipso fidei centro? Quot, qui veræ Religionis meram habentes fidem, illius munera non explent propter defectum viventis fidei illius, quæ per charitatem operatur? Quot, qui in altissima degunt earum rerum ignorantia, quæ illis essent sciendæ? Quot, qui injustitias accumulant, & hac via locupletantes invictum saluti suæ obicem statuunt? Quot qui sese reos præbent eorum omnium scelerum, quæ qui committerent, nequaquam in regnum cœlorum ingressuros esse edixit Apostolus? Quot, qui sine multis sceleribus in salutis suæ oblivione, & Cœlestis regni negligentia versantur? Auferte eos omnes, qui pœnitentiam non agunt; eos de prædestinatorum numero auferte; quid reliquum erit, nisi parva manus eorum, quibus fides, Religio, pietas, justitia commendata est? Qui de sua salute solliciti, serio eidem vacent, vel qui postquam nimis facile sese flagitiis omnibus ingurgitarunt, illa per pœnitentiam expiare contendunt. Modico huic numero proculdubio Cœlum destinatum est, & in modicum etiam hunc numerum vos Deus evocavit. Vos præelegit præ millibus, ut in hoc amicorum suorum albo recenseret; & quibus hactenus vos gratiis cumulavit, ut ingrederemini? Neque de communibus, & generalibus gratiis loquor, sed de peculiaribus illis subsidiis, de insignibus prædilectionibus, de personalibus favoribus, quos non omnibus, uti vobis concessit, & qui satis palam ostendunt, vos a Deo ad Cœli sedem incolendam electos esse, & significant peculiare illud desiderium salvandi vos, licet *per adynaton* verum esset ab eo reliquam mundi partem fuisse derelictam. *Recens Auctor.*

Interest nostra prædestinationis nostræ secretum latere.

Voluit Deus, ut totius vitæ spatio in terribili hac incertitudine versaremur; voluit nobis Deus fati nostri secretum contegere, ut indesinenter, ferventerque saluti nostræ daremus operam. Heu! tanta

tanta sit licet incertitudo nostra, tot sint metuendi, atque trepidandi causæ, non ideo minus nosmet periculo objicimus cupiditatibus nostris inserviendi; nec minus in omne nefas ruimus, & volutamur. Quid tandem esset, si de sorte nostra essemus securi! Si essemus de nostra prædestinatione præmoniti, quid nobis præcaveremus, ut a mali obcæcatione præservaremur? Quam vim nobismetipsis inferremus, ne torrente rapi sineremus? Quam curam adhiberemus affectibus nostris dominaturi, ac Christianam vitam ducturi? Me jam damnatum esse scio, diceret procax quipiam; ergo voluptatibus omnibus indulgeamus. Scio, diceret ignavus, imperfectusque Christianus, me salvum fore: cur ergo me ipsum mortificem, ac mihi vim faciam? Cur bona opera facio? Cur me ipsum torqueo? Scio quænam sors mea certissime futura sit; frustra meis studiis, & habitibus adversabor. Inde vero, proh Deus, quænam in Universo terrarum orbe mala! quæ morum verecundia! quæ in ipsa Religione confusio! Divinam adoremus in hac sortis nostræ incertitudine sapientiam; quandoquidem efficit, ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Electi ii sunt, qui Deum amant, & pro viribus salutem suam operantur. *Rom. 8.*

Rite horum verborum sensum assequamur: *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum.* Non dicit Sanctus Paulus hæc omnia converti in utilitatem eorum, quos diligit Deus; amat enim omnes homines, sed in eorum, qui diligunt Deum. Hoc in loco Apostolus prævertit, evertitque falsum eorum systema, qui de sua salute non sunt admodum solliciti; Deus enim, inquiunt, rem agit suam, & si illi prædestinati sunt, quocumque tamen res cesserit, semper omnia ex eorum voto contingent. Hæc insignis est cæcitas; liquet enim Sanctum Paulum hominis cooperationem exigere, ut iste salvetur. Et profecto quocumque tandem modo electio æterna explicetur, de fide est, Deum nequaquam nos sanctos efficere, quin aliquid & nos ad id conferamus. Ad sanctitatem nos vocat, omnia nobis suggerit sanctitatis acquirendæ subsidia: sed nemini tribuit Christianarum virtutum omnium congeriem, nisi homo ipse aliquid conferat ex se, in quo sanctitas vera consistit. Nos invitat ad acquirendas virtutes, quibus sancti sunt, & mox singulis optionem facit semel sanctificandi, vel perdendi. Sequimini ergo constanter Salvatoris vocantis vocem, quia vestram salutem desiderat, & eritis ex numero electorum. Si eidem non responderis, reprobatio vestra certa est, vosque estis causa unica interitus vestri. *Idem ibidem.*

Prædestinationis mysterium non obstat quo minus timeamus, vigilemus, oremus.

Si Prædestinatus sum, inutile est me timere; sin secus, inutile est me vigilare. Hoc illud est sophisma, quo impietas utitur; cum inde prorsus oppositum esset inferendum: prædestinatus sum, ergo mihi ambulandum est cum timore. Et profecto si prædestinatus sum, hoc sum nonnisi per ea subsidia, quæ adjecit Deus prædestinationi meæ: at fides docet unum ex his subsidiis esse vigilantiam, & metum: quid ergo facio, cum istud negligo? Everto fundamenta, super quæ ædifico, everto prædestinationem cum illam suppono; quia ab eadem separo, quod separari non potest. *Ex dictionario morali.*

Electorum numerus modicus est.

Intrate per angustam portam, Salvator ait; quæ enim ducit ad interitum lata est, & numerus transeuntium per illam magnus; quæ vero ducit ad vitam, arcta est, & pauci ejus aditum inveniunt. Plures vocati sunt, & ex eorum etiam numero, qui vocati sunt, pauci sunt electi. Cum terribilis hæc veritas, quam toties discipulis suis iterabat Jesus Christus, aliquem ex illis impulisset, ut eum interrogarent: Adeone exiguus est eorum, qui salvi fient, numerus? Dei Filius hoc unum reddidit: Cœli porta arcta est, contendite intrare. Diffuit Scriptura figuris, probationibus, & exemplis terribilis hujus veritatis; & sana ratio satis exiguum hunc numerum probat. Una tantum via est, quæ ducit in Cœlum, unum duntaxat Evangelium est; at quotusquisque arctam hanc sequitur viam? Quotusquisque Evangelii hujus dogmata sectatur? Quinam esset nobis de veritate, & sanctitate Religionis nostræ conceptus, si post ea omnia, quæ dixit Jesus Christus, si post ea omnia, quæ sancti fecerunt, magno in numero essent electi? *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Quid faciendum nobis sit de prædestinatione.

Prædestinatio nostra nobis mysterium est; hujus cognitionem sibi unice reservat Deus; nec defuere summæ illius Sapientiæ rationes, ut ita operaretur. At nobis bonitas ejusdem revelavit quid faciendum sit nobis pro salute nostra. Omnia rediguntur ad duplicem hanc veritatem, utramque simplicissimam, & intellectu facillimam: Æterna felicitas nostra adhæret fideli, constantique nostrorum officiorum observantiæ; ad hæc rite obeunda, numquam nobis deest gratia. Hæc nobis pro certis habendæ sunt; aliud præterea quærere in hac re, tribui non potest, nisi licentiæ, quæ nescit amplius quam prætexere suis flagitiis excusationem, vel suggestionibus dæmonis, qui sanctis animabus negotium facessere oblectatur. *P. Segneri in Meditationibus.*

Multi Christiani non minus reprobabuntur, quam Judæi, infideles, & Hæretici. *Matth. 7.*

Non solum habita ratione infiniti propemodum numeri infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum, exiguus erit numerus illorum, qui salvabuntur, verum etiam si soli inspiciantur fideles, qui in ipso Ecclesiæ sinu intereunt. Paucas invenies veritates hac magis terribiles, & nulla fortasse hac apertior est, atque probatior. *Intrate per angustam portam: lata est via, quæ ducit ad perditionem. Quam arcta est via, quæ ducit ad vitam! Quam pauci sunt, qui intrant per eam.* Et alibi: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quibus verbis Salvator nobis ostendit eorum omnium hominum vocationem, *multi sunt vocati*; per illa vero, *pauci electi* designat electorum numerum nimis arctum fore; pauci enim volunt exercere virtutes, quæ sunt ad salutem necessariæ. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 2.*

Figura modici electorum numeri.

Ex omnibus totius terrarum orbis habitatoribus una tantum familia ex diluvii aquis evasit. Ex quinque oppidis cœlesti igne absumptis, quatuor duntaxat mortalibus flamma pepercit. Ex tot Paralyticis prope Piscinam præstolantibus, unus pro singulis vicibus curabatur. Exiguum electorum numerum comparat Isaias paucis oleis, quæ post messem relictæ supersunt, & racemis paucis, qui vinitorum solertiam fallunt. Bone Deus! licet ex decem millibus mortalium unus tantum damnaretur; mihi tamen esset trepidandum. Heu! ex decem millibus fortasse vix unus salvabitur, & nihilominus vitam sine ullo timore traducimus. *Idem ibidem.*

Cum numerus verorum fidelium sit exiguus, sequitur exiguum etiam esse numerum prædestinatorum.

Licet fides non doceret nos terribilem hanc veritatem, positis quibusdam Evangelicis principiis, de quibus Christiani omnes consentiunt, sola sufficeret ratio ad probandum numerum eorum, qui salvi futuri sunt, esse exiguum. Callentes nostræ Religionis vera dogmata, Christiani hominis officiis imbuti, de nostra in vitium proclivitate, deque morum licentia eruditi, inferrene possumus, fore ut multi salutem suam consequantur? Ut quis salvus fiat, illi necessario vivendum est secundum Evangelica instituta; quotusquisque vero hodie tamen vitam suam ad illa componit? Heu! quot mortalium nunc rubore plurimo suffunderentur, si tales viderentur? Abrenunciandum est effectu, vel affectu iis omnibus, quæ possidentur; crux semper est circumferenda. Integerrima requiritur puritas, summa conscientiæ religio, humilitas sincera, charitas ardens, rectitudo perfecta. Ex hujusmodi notis plurimos ne Jesu Christi discipulos agnosceris? Hæc tamen ea sunt, quæ prædestinationis nostræ haberi possunt argumenta. Mundus infensissimus est Filii Dei hostis; utramque simul

domi-

dominum hunc sequi, nemini certé licet. Ipsi utet major sit numerus judicate; & inde cognoscere poteritis, quam sit exiguus numerus prædestinatorum. *P. Croiset in Ascetici Exercitationibus. Tomo 5.*

Quantumvis exiguus sit prædestinatorũ numerus, contendendum nobis est, ut ex illo simus.

Linquet paucos salvos factum iri, ubi conferantur cum admirabili fidelium intereuntium multitudine. Verum quamvis hic numerus longe minor esset, debemus tamen quocumque pretio contendere, ut ex hoc numero simus. Ad id autem hoc nobis proponamus consilium omnes nervos ætatis, industriæque intendendi, nihilque pro tanti momenti negotio contemnendi. Via, quæ ducit ad vitam, arcta est; licet amor proprius obluctetur; licet omnes id ægre ferant cupiditates, duæ in cœlum non patent viæ. Igitur in arena, & hoc ipso temporis momento consilium capiamus, ultima quæque audendi, ut per angustam portam hanc ingrediamur. Fugiamus omnes directores, doctoresque laxos, Theologos, qui subinde novas ingerunt sententias; hi mali sunt duces. Via arcta est; nobismet persuadeamus arduam etiam esse, ac difficilem, præsertim vero crucem bajulanti. Sed eligendumne est, cum unica est via? Dei Filius alteram non indigitavit. Nemo eorum, qui salvi sunt, aliam secutus est, num tu nactus es aliam? Hæc parum frequens est via; verum cave ne cum multitudine incedas; tumultus quem parit, ac pulvis quem excitat, prohibet ne errantes errorem sentiamus; sed cum multitudine ruimus in interitum. Mundum fugiamus, ejus placita horreamus, illud vero præcipue, quo jubemur aliorum facta, & exempla sectari. Non aliam quam Evangelium, regulam sequamur; quocumque pretio arctam hanc viam teneamus, & certi erimus nos in exiguo hoc grege recenseri. *Idem ibidem.*

Prædestinatio, & reprobatio sunt secreta quæ humana mens penetrare non potest.

Cum loquitur Sanctus Augustinus de Divinæ providentiæ consiliis in hoc humanæ salutis negotio, loquitur tamquam de intimo aulæ cujusdam penetrali, ac recessu, ubi consilia conferuntur, atque capiuntur, quorum deinceps agnoscuntur effectus, quorum tamen causæ, & rationes latent. Deus, qui ab æterno in salutis negotio protulit judicium suum jam consilium cepit, decrevitque quidquid futurum est. Effectus ipse, qui aliquando prodibit in horum quidem reprobatione, aliorum vero prædestinatione innotescet. Causæ vero, & rationes, propter quas ipse ita egerit, litteræ nobis erunt signatæ; & si de hoc percontati quidquam fuerimus a Sancto Paulo Apostolo, ille, qui ad tertium usque cœlum raptus, tot inde secreta detexit, reddet: *Quis cognovit sensum Domini; aut quis consiliarius ejus fuit?* (Rom. 11.) Magnum profecto est salutis negotium; immo unicum est; sed de hoc agitur in profundis tenebris æternorum Dei consiliorum. Propheta illud appellat. *Negotium perambulans in tenebris.* (Psal. 90.) Quid hoc rei est? Negotium perambulat? & præterea perambulat in tenebris? hæ duæ sunt difficultates difficiles explicatu? Heu! Christiani, hoc negotium salutis nostræ negotium est. Simile est illis judiciis, quæ de magistratu ad magistratum, de consilio ad consilium feruntur, de quo vulgo dicimus, hoc negotium perambulavit *a été ébien promenée*, modo videbatur jam definitum, cum aliquid recens emergens obstitit ne ad finem perduceretur. Hoc, inquam, simile est nostræ salutis negotio. Modo jam de illo actum videtur, & peccator jam videtur interiisse: cum Dei misericordia intercedit, & provocat, moramque nectit; quæ ad mortem usque trahitur, atque finalem perseverantiam, quæ omnia concludit. Ad hæc, negotium istud perambulat in tenebris, & quibus tenebris? Judicii videlicet Dei, quæ omnes homines latent. Deus latet in tenebris, atque abdit se in caligine, quæ penetrari non potest. Numquid sunt tenebræ in Deo? In luce enim, eaque inaccessibili habitat. Quis oculorum aciem in lucem hanc intendere posset, quæ intellectuum maxime perspicacium aciem hebetat? *Auctor Recens.*

Non sine prævisione bonorum vel malorum operũ vult Deus nos salvare aut damnare.

Licet ab æterno numeraverit Deus ut ita dicam multitudinem electorum suorum: nihil tamen decrevit inconsultis libertate, & actionibus nostris; ad quod probandum ex infinita testimoniorum Veteris Testamenti nube, unum dumtaxat adferre satis puto. David scire cupiens quinam essent Cœlesti beatitudine donandi, quæsivit a Deo: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis stabit in monte sancto tuo?* (Psal. 6.) Deus vero qui per summam indulgentiam fidelium servorum suorum votis subscribit, reddidit illi: *Qui ingreditur sine macula; qui operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo.* (Psal. 14.) Non ait, illi, quos data opera elegi, quos ab æterno salvos facere constitui, quin ullam meritorum eorumdem rationem haberem, illi, in quos præter cæteros oculorum aciem conjeci: sed paucis complectitur omnia bonorum operum genera, per quæ in Tabernaculum aditum patere vult. Et quia triplici modo potest aliquis mereri, cogitationibus, verbis, & factis, ad tria hæc respicit, ut intelligamus, se in tanti momenti negotio nihil determinasse, quin singula prænoverit, & ut nosmet excitemus, quantum in nobis est, ad promerendam tribus hisce rationibus gloriam immortalem. *Recens Auctor.*

Prædestinationis institutio electis, & reprobis est utilis. S. Bonav. in vita S. Francisci.

Prædestinationis, salutisque incertitudo nonnisi molestissima bonis animabus accidere potest. Judicium ferre possumus ex eo, quod scriptum est de magno Patriarcha Sancto Francisco, qui summa & inexplicabili affectus lætitia fuit, ubi Deus illi palam ostendit, a se illi remissa fuisse peccata, quæ diutius lacrymis fuerat prosecutus. Verum summa licet molestia afficiantur diligentes Deum ob hanc incertitudinem; hic verus est effectus Divinæ in eos providentiæ, quia semper sunt humiliores, verecundiores, atque vigilantiores. Quod ad reprobos pertinet, quam maximi interest eorum, non esse de fine, qui illos manet, sollicitos. Utile ipsis est ignorare, quid sibi sit eventurum, ne per desperationem in omne nefas ruentes multa fidelibus efferant mala, ideoque semper augentes & crimina sua, & aliorum pœnas, majorem semper sibi conflent damnationem. *Cardinal. Bellarminus de gemitu columbæ.*

Bonæ conscientiæ testimonium debet nos consolari in nostra salutis incertitudine. Lib. de Corrept. & Gratia.

Cur cogitatis Deum voluisse nobis occulere, utrum simus in gratia, & utrum in ea simus perseveraturi? Ut videlicet timeremus, vigilaremus, superbiam nostram frangeremus, ac in humilitate persisteremus. Deus hoc nobis secretum esse voluit, & absconditum; ne quis, Sanctus Augustinus ait, intumesceret; sed omnes, & illi etiam qui bene currunt, trepidare non cessarent: nesciunt enim quem finem habiturum sit stadium suum. Cæterum quæcumque nostra sit hac in re incertitudo, viri boni animos despondere non debent. Qui enim sincere, & cum timore Deo serviunt, plura habent indicia, & quibus cognoscere possunt se amari a Deo, ejusque voluntatem esse, ut in gratia sua perseverent. Hæc erat olim Sancti Bernardi sententia dicentis: Quis gloriari potest, se ex electorum esse numero; se ex illis esse, quos ille prædestinavit ad gloriam? Nihil in hac re certi habemus; sed speramus, & spes hæc nostra nos consolatur. (Serm. in Septuag.) Idem Spiritus Sanctus in Scripturis nos docet bonam conscientiam, spiritum contritionis, exercitium amoris Dei, patientiam in adversis, in ærumnis, & ægritudinibus nobis esse causas summæ lætitiæ, firmæque spei, quæ omnes timores nostros debet moderari. *Opera spiritualia Blosii, & a Ponte.*

Salutem nostram operari debemus cũ timore, cui tamen immixta sit confidentia in Deũ. Eccl. 9.

Sacræ literæ, quibus monemur, & cum timore serviamus Deo, salutemque nostram cum tremore operemur, nobis per hæc verba innuunt, quod alibi per os Sapientis dicunt; neminem scire utrum amore sit dignus, an odio. Magna quidam felicitas est esse ex numero prædestinatorum ad vitam æternam; quos dedit Deus Filio suo, & quos nihil evellet de manibus ejus; verum quis novit an ipse ex hoc numero sit? Non vult Deus, secretum

hoc

hoc nobis innotescere, vult solum *nos satagere ut certam vocationem nostram, & electionem faciamus per bona opera nostra*. Non igitur pati debemus, cor nostrum perpetua obrui tristitia propter jugem ambiguitatem, in qua sumus electionis nostræ; Sanctus enim Petrus Apostolus docet, nos sanctum vitæ genus ducentes & bona exercentes opera illam certam nobis facturos: tunc enim Spiritus Sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quod Deo sumus fideles; sed quod qui hodie bene vivit, cras labi potest: opus est, ut interior voluptas, qua perfundimur, sit cum humili nostræ infirmitatis timore conjuncta, quandoquidem ita natura facti sumus ut semper in terram inclinemus. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo* 8.

Ep. Petr.

Per opera bona scribimur in libro vitæ, per mala autem delemur.

Cum Dei Filius dixit discipulis suis: Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in libro vitæ, nequaquam illos prædestinatus esse affirmavit; sed eos docuit, si prædestinatorum opera fecissent, ac fideliter Deum coluissent, sancte, ac pie vivendo, illos sperare posse, immo etiam debere, se in beatorum numero futuros. Novit Deus, verum est, qui sui sunt; novit eos, qui per perseverantiam victoriam sunt relaturi; non ille, nec alius quilibet ea nomina delet, quæ hoc pacto scripta sunt; nos vero, qui in fidei caligine vivimus, nosmetipsos, ut ita dicam, per bona opera scribimus, & per peccata delemus. Lætari quidem possumus ob eam virtutem, quam hodie exercemus; & ex conscientiæ nostræ testimonio aliquam percipere possumus consolationem; verum opus est ne huic gaudio venenum afflet hæc vanitas, quæ crebro opera bona subsequitur, si enim Deus nosmet nobis traderet, in crastinum, non essemus illius. Timeamus ergo ne labamur, sed timeamus freti fore ut Deus nobis præstet auxilium, ut compleamus, quod incœpimus per gratiam suam; & eas quas hactenus largitus est nobis tamquam finalis gratiæ arrhas inspiciamus. *Tourneux ibidem*.

Licet prædestinationis secretum assequi nequeamus, non ideo minus saluti nostræ invigilare debemus.

Fatendum est humanæ prædestinationis, & reprobationis secretum intelligi nequaquam posse; Dei de fato nostro providentiam admirabilem esse, & ejus judicia humanis esse mentibus invia. Ubi cogito terribilem tot peccantium reprobationem, & aliorum quorumdam gloriosam electionem, videre mihi videor duo fictilia, quæ Deus olim Prophetæ Jeremiæ ostendit, quorum alterum confractum est: *Dissipatum est vas, quod ipse faciebat*, alterum vero conservatum est *quia placuerat oculis ejus*. Levem nobis magni hujus secreti imaginem Sanctus Paulus Apostolus nobis tribuit his verbis: *Aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*. Duo sunt vasa, inquit, alterum quidem honoris, contumeliæ alterum; non quasi innuere velit Deum esse damnationis cujusquam auctorem, cum ipse peccator sit æterni sui interitus causa; sed ut juxta ea, quæ docet Princeps Apostolorum, ipsi nobis electionem, salutemque nostram procuremus. Duorum horum casuum adeo discrepantium apertissimum in collegio Apostolico habemus exemplum. Quis non credidisset Apostolum a quo Dei Filius venditus fuit, electum, ut apud barbaras gentes nominis ejusdem gloriam proferret, gratiam adeo sublimem, adeo parvo in discrimine esse habiturum. Quis non cogitasset illum ad tantum dignitatis fastigium promotum, sessurum esse super unum ex duodecim soliis judicaturum duodecim tribus Israel, omnes videlicet populos terrarum? Attamen vir hic, quem tot beneficiis Salvator affecerat, qui unum erat cum illo: *Homo unanimis, & notus meus*, inquit Propheta, de tanta decidit dignitate. Huc usque evasit perfidiæ, ut benefactorem, Deumque suum proderet, atque venundaret. Cur hoc? Non quod Salvator illum perdere vellet, *nolens aliquos perire*. Sanctus Petrus ait: Sed quod miser uti noluit infinitis propemodum gratiis, quas illi Dominus adeo beneficus concesserat. *Auctor Recens*.

Jerem. 18.
Ibidem.
Rom. 9.
Psalm. 54.
2. *Petr.* 3.

Judas sui ipsius in... cidit in reprobationem.

Judæ reprobatio nequaquam argumento est, quasi Deus illum ad proditionem adeo nefariam efficiendam procuraverit; sed justissimum fuit suæ infidelitatis, suæque ingratitudinis supplicium. Cupiebas Domine ex eo eximium sanctitate virum efficere, & reprobus infelix factus est. Longe pluribus illum prætuleras, ut ad gloriosum Apostolatus munus illum proveheres, sed nequissimo scelere optima Providentiæ tuæ consilia fefellit. Generali vocationi non parum adjeceras, quippe socium tibi optaveras, & gratiis peculiaribus eumdem ornaveras. Effeceras illum eleemosynarum tuarum, earum videlicet, quæ tibi ad alendum Apostolicum Collegium offerebantur, promum condum. Temet ad illius usque pedes in Cœnaculo abjeceras; & effeceras, ut intelligeret tibi apertum esse teterrimum illud consilium, quod inierat, ut ejusdem horrorem eidem immitteres. Illum amicum vocasti, cum execrabile tibi osculum fixit. Quodnam cor licet æneum tot Divinæ bonitatis illecebris voluisset resistere? Tamen hoc ingratitudinis, ac infidelitatis monstrum tot gratiis abusum est. Quis negare potest, justissimum fuisse sumptum de carnifice detestabili supplicium; qui suopte ingenio libens, & volens in tantum scelus se præcipitem dedit? *Ex specimine Orationum Panegyricarum. Tomo* 1.

Ipsa etiam Electorum peccata Deus eorum subjicit prædestinationi.

Sanctus Augustinus ait ipsa etiam peccata Electorum non abhorrere ab ordine prædestinationis eorum, & Deum ideo lapsus illorum permittere, ut inde bonum pœnitentiæ illorum eliciat. Magnæ quippe virtutes profundæ inniti debent humilitati; & sæpe necesse est, ut confusio, quæ ex peccato oritur, nobis ingerat sensus humilitatis quos non haberemus, si innocentiam semper sartam tectam tueremur. Humilitas cum sit basis, & virtutum omnium fundamentum, sequitur necessario eam simul esse argumentum moraliter certum prædestinationis Electorum, immo etiam elationis eorum ad sublimiorem apicem sanctitatis. Peccatum igitur, licet ex diametro oppositum charitati, quæ nos Deo conjungit, nostræ confert Prædestinationi; confert autem per altissimam humilitatem ad quam nos adducit, ubi semel nostras iniquitates attentius intuemur. In ipso Apostolorum Principe apertissimum intuemur eorum, quæ dico, exemplum. Permisit Deus, ut ille in tantum rueret scelus, & magistrum, Dominumque suum se nosse abnegaret; & negotioni adderet juramentum. Quid inde tamen? Apostolus ille reversus longe humilior factus est; humilitas vero in causa fuit, ut non solum supremum illum apicem mereretur, ad quem Dei Filius illum provexit, verum etiam ut simul disceret uti clementia cum fratribus suis, considerans humanæ naturæ fragilitatem, propter quam homo quilibet propria culpa ruere potest in interitum. *Ibidem*.

Divinæ justitiæ secreta tantum nostras cogitationes excedunt quantum Cœli super nostrum caput attolluntur.

Cum Deus sinit creaturas suas labi in nihilum, & ex earum interitu alias efficit, cum ad Regni solium evehit, qui squalebant in vinculis, & dimittit superbos de sede, ut illos in servitutis statum dejiciat; hic ludus est Providentiæ suæ. *Ludens in orbe terrarum*, Sapiens inquit, cum vero ex hominibus, quos suo redemit sanguine, alios quidem eligit, alios autem reprobat; eos, qui minora sortiti sunt talenta præfert iis, qui præstantioribus nitent, ut illis sublimiores committat provincias, & ad eminentiores dignitates attollat: hoc mysterium est Divinæ hujus Sapientiæ, cujus consilia tantum nostris excellentiora sunt, quantum cœlum super terram attollitur, & cujus fines creato spiritui sunt invii. Ab hac Divina Sapientia proficiscuntur effectus adeo miri, ut universum terrarum orbem profundo stupore defixum teneant. Ex hoc inaccessibili Sanctæ Majestatis penetrali egrediuntur illi adeo terribiles justitiæ ictus, qui momento omnia gigantum terræ ausus profligant, qui non ferenda superbia tumentes minitabantur in Cœlum ascendere & super impositis montibus scalarum instar vi cœlesti

Prov. 8.

arce

arce potiri. *Ex specimine Orationum Panegyricarum. Tomo* I.

Charitas distinguens Dei Filios a filiis Dæmonis nota est prædestinationis. Joan. 3.

Charitas, qua proximum nostrum prosequimur, non solum certissimum, atque apertissimum est nostri erga Deum amoris indicium, verum etiam est solidissimum nostræ prædestinationis argumentum. Charitas, Sanctus Joannes inquit, distinguit Sathanæ filios, hoc est reprobos a filiis Dei, hoc est a prædestinatis. *In hoc manifesti fiunt filii Dei, & filii Diaboli*. Charitas hæc erga proximum, dicit dilectus Apostolus, certissimum est indicium illius, qua diligimus Deum, & apertissimus nostræ prædestinationis caracter: e contra vero charitatis defectus non dubium est indicium reprobationis. Cum minime valeamus satis testari nostri erga Salvatorem grati animi sensus eos honores adhibendo, qui ad ipsum potissimum dirigantur, quoniam bonis nostris non indiget, hæc nobis saltem est consolatio, quod illi in persona fratrum nostrorum gratificamur, qui æque & illius fratres, atque membra sunt: atque ita testatur, sibi ea, quæ illis bona conferimus, adeo esse jucunda, & accepta, ac si hæc illi faceremus; eorumque fidelissimam habet rationem, nos ex hoc ipso tempore describens pro minimis rebus in numero electorum; quæ merces profecto digna est Domino adeo magnifico, & liberali. *Spiritus Christianismi P. Nepven*.

PRÆSENTIA DEI.

PRAXIS PRÆSENTIÆ DEI. EFFECTUS QUOS IN ANIMA GIGNIT, &c.

MONITUM.



IN collectione hac, non secus ac in concione de præsentia Dei, separari minime potest immensitas supremi hujus Entis, quod ubique est, & in entibus omnibus reperitur. Verum si opera pretium non fuerit hac de re fusius verba facere, saltem supponendaest, tanquam fundamentum earum rerum, quæ sunt pertractandæ; sed ex cogitatione, & consideratione a Christiano facienda de Deo, qui per essentiam, potentiam, ac visionem suam præsens est, valida hauriri possunt argumenta illum metuendi, amandi, colendi, verbo, omnia coram eodem agendi.

Nemo potest ambigere, utrum hoc argumentum utilissimum sit, & ad formandos mores pertineat; & quamvis contineat generalem bene vivendi rationem, quæ in pluribus aliis etiam argumentis occurrit, optandum esset, hoc sæpius, præsertim vero de suggestu pertractari, quemadmodum ab Asceticis fieri consuevit. Pauca sunt, quæ latiorem eloquentiæ campum aperiant, pauca, ubi de sublimioribus agi possit: quandoquidem hic omnes Dei perfectiones concurrunt, illæ etiam, quæ aptissimæ sunt ad seu peccatorum, seu bonorum hominum mentes, animosque permovendos.

Ceterum argumentum hoc nequaquam adeo arctis finibus continetur, neque adeo sterile est, ut primo statim intuitu videri potest: omnis fere morum disciplina hic locum habere potest, fierique possunt inductiones omnium statuum, conditionum, omniumque actionum vitæ. Pauca sunt argumenta, in quibus Biblia, Patres, Theologi, Asceticique nobis nobiliores suppeditent sensus, ideoque concionatori locum tribuant majores motus excitandi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

PRima, quæ sese ultro offerat hoc in argumento, concionis idæa est ostendere praxim Divinæ præsentiæ tutissimam, efficacissimamque viam esse, per quam in Christiana religione pervenire valeamus ad vitæ sanctitatem, & ad perfectionem, quam nos docet, nobisque præscribit. Ut hoc nobis persuasum sit, tanquam certa, ac indubitata veritas, supponendum est, sanctitatem, atque perfectionem, ad quam omnis Christianus contendere debet, tribus in rebus consistere. 1. in peccati fuga: 2. in praxi virtutum, ac in status nostri muneribus obeundis; 3. in unione cum Deo per ardentem charitatem, integramque cultui ejusdem devotionem. Deinde ostendendum est in totidem partibus, Divinæ præsentiæ cogitationem validum esse subsidium ad tria hæc observanda cum ea perfectione, quæ maxima fieri potest.

Pars prima. Quod spectat ad peccati fugam, 1. Hæc veritas est ex solo rationis lumine comperta, utque ipsis etiam Ethnicis explorata; quandoquidem illorum Philosophi eam attulerunt pro fundamento, ac primo disciplinæ moralis effato, uti videre est ex pluribus, iisque admirabilibus Senecæ locis, qui hac in re, uti Christianum decet, locutus est. 2. Inutile est omnium Patrum sententias adferre, ut hæc probetur veritas, quam Spiritus Sanctus passim docuit in Scripturis; ita ut Prophetæ nullum aptius, ac vehementius frænum inveniant ad peccatorum compescendam insolentiam, quam illos admonere, ipsos a Deo videri, & vindice oculo respici, necnon illum nequaquam passurum impune abire eum, qui coram ipso peccaverit: atque ne credant se illius acutissimam oculorum aciem fallere posse, hunc secretissimas etiam eorum intentiones scrutari, atque in corde ipsorum omnes illorum cogitationes tanquam in tabula descriptas perlegere. 3. Quotidiana docet experientia satis esse principis alicujus viri, magistratus, vel illius, qui vel dignitate, vel auctoritate gravis est, præsentiam ad furentis cupiditatis impetum frænandum; necnon unum sufficerem testem, ne in ipso affectus æstu crimen aliquod perpetretur. Quid igitur Dei præsentia non obtinet, si alte fuerit in mente peccatoris impressa? Hinc inferri cum Prophetis potest omnium malorum, ac scelerum, quæ in mundo committuntur, originem inde existere, quod homines sibi Deum nequaquam proponunt præsentem.

Pars altera. Cogitatio Dei ubique præsentis, atque omnium actionum nostrarum testis nos ad omnium Christianarum virtutum exercitationem impel-

impellit? Hoc ipse Regius Propheta testatur Psalmo 118. *Servavi mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* 1. Si enim regis, vel imperatoris adspectus milites ad strenue præliandum excitat, eisque animos addit, ut in certamine virtus ipsorum effulgeat, quid non efficiet Dei viventis præsentia, oculos in nos semper figentis, ut ipse testatur Psalm. 136. *Firmabo super te oculos meos*: ac præterea nobiscum agentis, atque agendi vim, & facultatem conferentis? Si hanc cogitationem sæpe alte conciperemus, qua diligentia, qua fide omnibus seu religionis, seu status nostri perfungeremur officiis? Quinam esset in precibus fervor nobis cum Deo præsente, & audiente loquentibus? Quæ puritas intentionis in omnibus coeptis, consiliisque nostris? quæ circumspectio in omnibus verbis, gestibus, & actionibus? Ubi licet per præcipua vitæ munera, status, & actiones discurrere: 2. & deinde ostendere Dei præsentis cogitationem effecturam, ut majori, qua fieri possit, perfectione omnia munera nostra obeamus: 3. concludere, hanc Dei præsentis cogitationem effecisse, ut omnes Sancti maxima quæque aggrederentur; eamque nos excitare debere ad omnia bona opera suscipienda, quorum Deus testis erit, & pro quibus æterna præmia concedet; hanc esse, quæ nos inflammare debet ad omnes difficultates superandas, & quodlibet aggrediendum pro Domino, qui videt non solum operam, quæ sibi præstatur, verum eam etiam, quam illi præstare cuperemus, & quidquid propter amorem ipsius vellemus efficere.

Pars tertia. Christiani perfectio tandem consistis, vel potius perficitur per unionem cum Deo, qua non aliam in hac vita cum eodem habere possumus arctiorem. Hæc autem unio fit per vivam fidem, charitatem ardentem, & conformitatem sensuum, voluntatum, cogitationum, & affectuum. Quis non videt cogitationem Dei, qui nos suo dignatur amore, & qui patitur se a nobis tanquam fidelissimum amicum haberi; quis non videt, inquam, cogitationem hanc nos posse cum eodem conjungere? Absentia, quæ amicos separat, sæpe etiam eorum amorem imminuit, & extinguit, sed Deus nunquam recedit a nobis, singulis momentis præsentia illius frui possumus: verbo, ejus essentia, adspectus, operatio, per quæ necessario nobis est præsens, possunt veluti totidem nexus in nobis cordis, affectionis, & voluntatis unionem producere &c.

II. 1. Nefarii homines ideo audacter in vetitum ruunt, quia nunquam Deum sibi præsentem esse considerant. 2. Boni non aliud magis validum habent subsidium, ut in bono perseverent, ut suam tueantur innocentiam, & ut in virtute proficiant, quam frequentem Divinæ præsentiæ cogitationem.

III. 1. Deus non solum adest, sed inest etiam nobis, & jugiter de nobis cogitat. Ab illo essentiam, vitam, & quidquid boni habemus, recipimus; atque non ferendo ingrati animi vitio vel ab illo per scelera nostra recedimus, vel per noxiam oblivionem de illo ne cogitamus quidem. 2. Nobis præsens est per actionem faciens nobiscum, quidquid facimus; & peccantes non solum contra illum agimus, sed cogimus etiam, ut agat contra se ipsum efficientes, ut nostris inserviat iniquitatibus, quemadmodum ipse per Prophetam conqueritur.

IV. Bonum, & fructus, quem ex Dei præsentia recipiemus. Hæc nobis inspirabit metum, ne illum offendamus; dolorem, quod coram illo, sub oculis ejus, & in ipso ejusdem sinu peccavimus; desiderium, quo illi fidelissime imposterum adhærere cupiemus. Hæc nos ad virtutum omnium exercitationem impellet, hæc nos excitabit ad evitandas difficultates, quæ in virtutis exercitatione occurrunt &c. 2. Mala, quæ accidunt cogitationem Divinæ præsentiæ amittentibus, simul metum judiciorum Dei amittunt, in omnis flagitiorum genere proruunt, ac deinde in deplorabilem decidunt calamitatem, quæ Deum cogit, ut ab illis recedat, idque eo longius, quo ipsi per flagitia sua ab eodem recedunt: ac tandem efficiet Deus, ut illi præsentiam ipsius sentiant per illud supplicium, quod in eos exercebit, eo quod ex beneficiis ipsius præsentiam ejusdem agnoscere detrectaverint.

V. 1. Dei præsentia fons est luminis, quod nos de omnibus officiis nostris erudit; quod nos tuto in viam virtutis adducit, ac prohibet ne erremus, ita ut non esset opus aliis præceptis, atque mandatis: *Ambula coram me, & esto perfectus.* 2. Fons est gaudii, & consolationis, quæ efficit, ut Domini jugum nobis leve, ac suave videatur, & quæ inter eas difficultates, sine quibus virtus esse non potest, nos animat, & inflammat.

VI. 1. Dei præsentia peccatum proscribit, & pertinacissimum quemlibet ab eo patrando deterreret, si mortales per nequitiam oculos, & cogitationem minime averterent. 2. Illa metum animæ innocentiam, atque integritatem metu offendendi Deum, qui videt nos, atque omnium actionum nostrarum est testis. 3. Illa sedat affectionum nostrarum tumultum, eorumque vehementissimos impetus reprimit, atque coercet. *Pater Texier in Dominicali, sermone pro tertia Adventus Dominica.*

VII. Causa cæcitatis plerorumque mortalium ex duobus funestis oritur principiis, quibus pro virili in duplici hujus concionis parte mederi contendam.

Primum est, a nobis nunquam respici Deum tanquam præsentem nobis, & nos quocumque in loco simus videntem. Vittam, ut ita dicam, oculis Dei objicimus rati illum de actionibus nostris non esse sollicitum.

Secundum, fere nunquam cogitamus nos esse præsentes Deo, videlicet, nunquam illum respicimus, & nunquam ab illo respici existimamur; atque oculis nostris vittam alligamus, ne illius præsentiam consideremus. *Birout in separato volumine aliquot continente sermones in nonnullas anni Dominicas.*

VIII. 1. Deus medius est inter nos tanquam amantissimus pater, qui nos protegit, qui nos consolatur, atque confirmat &c. 2. Deus medius est inter nos tanquam terribilis judex nos, si gratiis ipsius abusi fuerimus, puniturus. Quodnam timoris, atque fortitudinis argumentum! Dei quatenus patris, Dei quatenus judicis præsentia. Hoc insignis documenti argumentum est. *Specimen sermonum pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

IX. 1. Obligatio, quia tenemur vacare praxi Divinæ præsentiæ primum erit concionis punctum. 2. Modi ubique servandi præsentiam Dei erit alterum. Rationes, quæ ad id nos cogunt, ostendent nos hoc debere. Regulæ, quas tradam, nos hoc facere posse ostendent. *Ex tomo 4. Operum Asceticorum. P. le Valois.*

X. Quidquid spectat ad artem hanc adeo sanctam, & utilem, ad tria puncta, quæ triplicem concionis partem efficere poterunt, redigi posse mihi videntur.

Primum est scire, quot modis anima se ipsam coram Deo possit statuere.

Alterum est, quis modus, vel quæ methodus nos peculiariter deceat: non enim omnes ad singulos pertinent.

Tertium, quibus modis uti possimus methodum hanc sæpe revocanti, ut illam nobis familiarem reddamus. *Idem in secunda Exhortatione hujus Argumenti.*

XI. Deus creaturis omnibus præsens adest triplici modo, quem ignorat nemo; per essentiam, vel immensitatem; per potentiam omnia conservans entia, & ad omnes eorum actiones concurrens; per præsentiam, vel adspectum videns, quidquid accidit in mundo. At fortasse non omnes sciunt,

vel non considerant, nobis aliquas efficiendas esse animadversiones in singulas hasce præsentias, de quibus satis omnibus persuasum est.

1. Deus ubique præsens est per immensitatem, & infinitam essentiæ suæ diffusionem. Animadversio: ergo in sinu Dei peccator sua scelera patrat. Principis leges violare quocumque in loco ditionis ejusdem scelus est; eas autem violare coram illo, & sub oculis ejus insolentia est, & contumelia severissimis pœnis coercenda. 2. Deus ubique præsens est per potentiam, agit omnibus nostris cogitationibus, desideriis, actionibus etiam nequissimis concurrens. Animadversio: igitur illius abutimur potentia, ut peccantes ipsum lædamus. 3. Deus ubique est per præsentiam, hoc est conspectum suum. Animadversio: igitur ubique testem habemus, & judicem, quem evitare non possumus, & qui nos impunes abire non finet.

XII. Fide præsentiæ Dei peccatores æque, ac justos commovere debet.

1. Validissimum frænum est ad peccatorum nequitiam coercendam; & cum peccatores ab illa mentem avertunt, vel cogitatio hæc satis potens non est ad eorum impotentiam cohibendam, manifestum est argumentum illos in profunda cæcitate versari. 2. Validissima ratio est, quæ justum ad bona opera impellat, cuique excitet ad quælibet pro Dei cultu aggredienda.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia possit ad propositas concionum structuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *in Soliloquiis cap.* 14. fusius loquitur de præsentia Dei, ubi inter cetera dicit, Deum ita intentum esse, ut cujuslibet singillatim opera intueatur, quasi unus hic esset in mundo.

Idem *in Psalm.* 93. in ea verba: *Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, ait peccatorum pertinaciam inde proficisci, quia se a Deo videri non considerant.

Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *Offic. c.* 14. Scripturæ testimoniis ostendit, videre Deum, quidquid in mundo fit, & secretissimas etiam cogitationes, abditissimasque intentiones nostras rimari.

Idem hoc ipsum ostendit *Octonar.* 2. *super Psalmum* 118.

Sanctus Hieronymus *lib.* 15. *in cap.* 55. *Isaiæ* in hæc verba, *quærite Dominum dum inveniri potest*, docet quomodo Deus sit prope nos, & nos prope illum.

Idem *Epist. ad Cyprian.* explicat Psalm. 89. ubi fusius de præsentia Dei verba facit.

Idem *lib.* 9. *in cap.* 29. *Isaiæ* de eodem hæc disserit argumento, & *lib.* 3. *in c.* 9. *Ezechiel.*

Idem *lib.* 4. *in cap.* 46. *ejusdem Prophetæ*, & in cap. 5. Proverbiorum.

Sanctus Gregorius *lib.* 19. *Moral. c.* 3. refellit impios dicentes, vel opinantes hominum facta a Deo non videri.

Idem *lib.* 25. *Moral. c.* 4. hæc explicans verba Job 34. *Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem*, docet, quocumque in loco simus, nunquam ex Dei præsentia elabi non posse.

Idem *lib.* 21. *eorumdem Moral.* hoc ipsum ostendit in hæc verba, *Nonne ipse considerat vias meas &c.*

Idem *lib.* 9. *Moral. cap.* 34. loquitur de criminibus, in quæ labuntur, qui cogitationem Divinæ amittunt præsentiæ.

Sanctus Basilius *in regul. brevior. interrog.* 72. Dei aspectum comparat principis, & domini præsentiæ, coram quibus nemo audet quidquam mali operari.

Idem *in respons. interrog.* 32. docet, Deo omnes cordis nostri cogitationes videntur non eas tantum; quæ pravæ, sed etiam quæ inutiles sunt, esse amputendas.

Idem *interrog.* 21. quærit causas evagationum mentis nostræ, cum intime Deum habeamus præsentem, qui illas intuetur.

Idem *lib. de vera virginitate* docet, quam circumspecti esse debeamus in cogitationibus, atque desideriis nostris coram Deo, qui videt illa, & quem nihil fallit.

Idem in quodam regularum loco ostendit Dei præsentiam debere impetus nostros cohibere, & omnes incompositas cordis nostri affectiones compescere.

Sanctus Bernardus *serm.* 56. *in Cant.* hæc explicans verba: *En ipse stat post parietem nostrum*, docet quomodo Deus sit præsens, & quem effectum hæc præsentia producat.

Ascetici. Granatensis in tractatu de oratione, & meditatione cap. 2. §. 4. loquitur de jugi memoria, quam habere debemus de Deo.

Idem in memoriali cap. 1. §. 10. cap. 4. §. 9. *lib.* 6. *cap.* 3. §. 1. loquitur de præsentia Dei, de fructu, qui inde percipi potest, & de effectibus, quos producit.

Rodriquez tomo 1. de Christianæ perfectionis praxi, tractatu 6. Tractatus hic plura continet capita, & complectitur, quidquid hoc in argumento magis solidum, ac moribus utile dici potest.

Jacobus Alvarez de Paz *tom.* 3. *lib.* 5. *de perfecta contemplatione Appar. cap.* 2. præ omnibus fusius hoc argumentum pertractavit, ac illud duobus capitibus comprehendit.

P. Gaud *ex lib. de perfectionis natura, & causis solit.* 9. prolixum habet hujus argumenti tractatum.

Joannes de Angelis Italice alium ejusdem edidit argumenti.

Rodericus de Solis Hispanice, *lib. de arte serviendi Deo part.* 2. a c. 8. ad finem tractatus.

Lessius in Opusculis agit de immensitate Dei; & P. Mancorps de eadem re loquitur in sermonibus de perfectionibus Dei, sermone 2.

P. Suffren in tomo 1. Anni Christiani cap. 5. ubi loquitur de bonis, quæ ex Dei præsentia percipimus, in articulis quatuor in plures paragraphos subdivisis.

Cardinalis de Richelieu in libro de perfectione Christiani cap. 8. egregie hoc pertractavit argumentum.

P. de Argentano Capuccinus in collationibus suis de magnalibus Dei collatione 13. fuse de hac re loquitur.

In libro, cui titulus Christianus interior, loquitur de felicitate, qua in hac etiam vita fruimur per Dei præsentiam.

P. Ludovicus a Ponte in Duce spirituali tom. 1. cap. 5. loquitur de pluribus modis sese coram Deo statuendi; sed quæcumque ab ipso dicuntur, referuntur ad orationem, quod generale est libri illius argumentum.

Hortus Pastorum *tract.* 2. *lect.* 1. agit de immensitate Dei ubique præsentis.

Franciscus Arias *in profect. spirit. part.* 2. *tract.* 2.

P. Nepveu in Christianis considerationibus tom. 2. pro die 26. Maji, & tom. 3. pro die 18. Sept.

Eusebius Nierembergius in Homiliis Catenatis homil. 66. §. 2. 3. & 4.

P. S. Jure lib. 3. de cognitione, & amore Domini nostri cap. 7. fuse hoc tractat argumentum in sex sectionibus libri in folio.

P. Guilloré lib. 3. Operum Asceticorum instructionem habet de præsentia Dei.

Pean tom. 3. Spiritualium discursuum, discursu 4.

Concionatores recentes. In specimine sermonum pro Quadragesima, sermo pro feria 3. hebdomadæ 3. est de præsentia Dei.

Biroat in separato volumine aliquot anni Dominicas continente, sermonem habet hujus argumenti pro tertia Adventus Dominica.

P. Te-

P. Texier in Dominicali tom. 1. in Evangelium Dominicæ 3. Adventus.

P. Duneau in Adventu sermone pro Dom. 3. plura habet de immensitate, & præsentia Dei.

P. Le Valois tom. 4. operum asceticorum tres habet deinceps exhortationes hujus argumenti.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tom. 3. sermonum particularium, & sejunctorum.

Summa prædicantium. Titulo præsentia.

Qui cofferantia ediderunt.

Labatha }
Lohner } Titul. præsentia, & immensitas Dei.
Dreaellius }

Engelgrave in Dominica Pentecostes.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor. 1. Reg. c. 16.

Oculi Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem eis, qui cordi perfecto credunt in eum. 2. Paralip. c. 16.

Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Jobi 13.

Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia, quæ sub cœlo sunt, respicit. Idem, c. 28.

Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Idem, c. 42.

Scrutans corda & renes Deus. Psalm. 7.

De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. Psalm. 32.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Psalmus 87.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Psalm. 15.

Magnus Dominus, & magnitudinis ejus non est finis. Psalm. 144.

Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Psalm. 138.

Tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Ibidem.

In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Prov. 15.

Omnes viæ hominis patent oculis ejus. Proverb. 16.

Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Eccli. 23.

Væ qui profundi estis corde, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: quis videt nos, & quis novit nos? Isaiæ 29.

Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Eccli. 39.

Cœlum & terram ego impleo. Jerem. 23.

Iniquitas domus Israel magna est nimis valde; dixerunt enim: Dominus non videt. Ezech. c. 9.

Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei. Dan. 13.

Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum hoc in conspectu ejus? Reg. c. 12.

Coinquinabar in medio eorum. Ezech. 22.

Nulla est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Ad Hebr. 4.

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Joann. 1.

Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Act. 17.

Hendry Bibl. Tom. III.

Fide Moyses invisibilem tanquam videns sustinuit. Ad Hebr. 11.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Lucæ 5.

State coram Domino semper. 1. Reg. c. 10.

Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Psalm. 118.

Veteris, Novique Testamenti Exempla.

Exemplum Henoch.

Ex omnibus justis, qui diluvium præcesserunt, affirmare possumus neminem fuisse, quam Henoch, celebriorem. De hoc Sanctus Augustinus ait, post Abel ipsum præ cæteris, qui ante Noe vixerunt, fuisse *insignissimum*. Sed omnis virtus illius unico nobis verbo indigitatur, cum inquit Scriptura Genes. 5. ipsum coram Deo ambulasse: *Ambulavit cum Deo*. Hoc est compendium, quod ipsa facit, hominis, cujus adeo eximia sanctitas fuit, & qui præter Eliam unus est, quem Deus dignum censuerit, qui minime moreretur. Ambulavit coram Deo eo modo, quo Michæas Propheta nos facere hortatur, hoc est cum vigilantia amoris, cum metu, & obsequio, quod causa fuit, ut in singula momenta consideraret Deum tanquam vitæ suæ testem, ac judicem, tanquam dominum cordis sui, principium omnium actionum suarum, omniumque votorum finem. Ita hæc una locutio, quod videlicet ambulaverit coram Deo, ostendit nobis quanam in re Sanctum hunc virum imitari debeamus; hoc enim est singulis momentis Dei voluntatem consulere, sese illi in minimis etiam actionibus conformare, ut nihil fiat, quod illi possit displicere. Felix extitisset Adam, si de illo dici potuisset, quod dictum est de Henoch, quod scilicet ambulaverit coram Deo; neque enim tam misere fuisset lapsus, ab iniquo serpente verba sibi dari sinens. Non igitur mirandum est, si in præmium virtutis Henoch Scriptura hoc illi perhibet testimonium: *Placuit Deo*: quod nos docet, non posse nos placere Deo, nisi prout magis coram illo ambulare studuerimus, ne quidquam faciamus, quod illi possit displicere.

Exemplum Abrahæ.

Cum voluit Deus ad perfectionis apicem attollere Abraham Patriarcham, eumque hominibus tanquam sanctitatis exemplar proponere, satis illi fuit dicere, ambula coram me, neque præsentiæ meæ memoriam unquam dimiseris. Abraham non erat Solitarius aliquis in quodam specu conclusus, & habitans in desertis; iter facere debebat inter infideles, ac dierum suorum non minimam partem inter Idololatrarum corruptionem, & vitia traducere. Attamen nihil de illius sanctitate imminutum est, quandoquidem paruit consilio, quod illi tradiderat Deus, tanquam præsens antidotum contra periculosas occasiones, quæ ipsi occurrere poterant: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Vade, age Abraham, terrarum orbis partem peragra: ne formides futurum, ut boni mores tui corrumpantur, atque inficiaris tabo perniciosorum exemplorum, quæ videbis, dummodo ambules coram me, hoc est vitam instituas, perinde ac semper Deum ob oculos tuos haberes.... Hoc celebre est verbum illud, quod proprie continet vitam, quam ducere debent veri filii Abrahæ, hoc est, veri Christiani; *Ambula coram me*. Ego tibi semper sum præsens, quodcumque egeris, quodcumque dixeris, quodcumque cogitaveris: *& esto perfectus*. Ne credas adhuc te esse perfectum, sed contende, ut facias ea, quæcumque facis, omni attentione, quæ necesse est, diligenter perficiens.

Cain fuit primus, qui credidit a Deo visum non iri facinus, quod erat patraturus.

Salvianus scite animadvertit, Cain primum quodammodo fuisse, qui credere incœpit, Deum nescire, vel negligere ea, quæ in mundo evenirent, vel nihil videre eorum malorum, quæ in terris patrarentur. Hac mente, auctor hic ait, ille primum solitudinis latebras conquisivit ratus sibi sufficere, si mortalium nemo sceleris sui testis esset, quasi Deus nihil vidisset; ideoque negare ausus est crimen suum Deo quærenti, ubinam

esset frater ipsius. Credidit enim se negando celare posse factum, quasi illud patranti non adfuisset Deus. Sed, ut idem Apostolus inquit, cum credidisset a Deo nequaquam videri hominum peccata, cum Abelem fratrem suum occidebat; intellexit tandem nihil fallere posse Deum, ubi audiit sententiam, qua hic ipsius puniit parricidium. Quid fecisti, ait? frater tuus licet mortuus loquitur tamen, vox sanguinis ipsius de terra, ubi illum fudisti, clamat ad me, ita ut usque ad altissimum cœlorum verticem clamor ejus perveniat ultionem expetiturus.

Exemplũ S. Regis David.

Hac Dei semper præsentis, ac nos ubique videntis cogitatione usus est David, ut violentas superaret tentationes, quæ inter prosperum fortunæ cursum, inter opes, & florentis vitæ delicias, necnon inter adulantium aulicorum assentationes, illecebrasque passim occurrunt: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, Psalm. 15. Cum cogebam consiliarios meos de republica acturus, cum exercitibus meis præeram, cum populi causas, & jurgia audiebam, cum intra ædium mearum penetralia me recipiebam, noctu, interdiu; verbo, in qualibet temporis circumstantia mihimetipsi dicebam: hic est Deus, quem colis; ille te videt, oculos suos figit in te; memento igitur obsequii, amoris, & obedientiæ, quam illi debes.

Alia eorũ exempla, qui ob oculos Dei præsentiam habuerunt.

De Noe legimus Genes. 6. ipsum coram Deo semper ambulasse: *Noe vir justus, atque perfectus cum Deo ambulavit*. Sanctus Paulus ad Hebr. 11. ait, Moysi Deum semper fuisse præsentem, quasi hunc ille oculis suis intueretur: *Invisibilem tanquam videns sustinuit*: Elias de se ipso testatur, idque Sacramenti fide confirmat, se non solum fuisse coram Domino Deo Israel, sed se in conspectu illius stabilem, constantemque permansisse: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto*. 3. Reg. 17. David nonne Judæis morem hunc commendat, & de illis amare conqueritur, a quibus negligebatur? *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum*. Psalm. 53. Samuel vero ante Regium Prophetam nonne illos admonuerat, ut indesinenter coram Domino starent? *Stato coram Domino semper*. 1. Reg. 10. Et de strenuo Juda Machabæo, deque militibus ejus, quæ parva erat armatorum manus, nonne dicit Scriptura, ab illis triginta quinque hostium millia cum duce Nicanore cæsa fuisse precibus, cum illi ad bellum excitarentur jucunda recordatione, quod depræliantes a Domino Deo spectabantur? *Præsentia Dei magnifice delectati*. 2. Machab. 10.

Modus, quo S. Paulus in Areopago docet, Deum esse in nobis.

In celebri Athenarum Areopago tota eloquentiæ suæ vis, atque copia adhibenda fuit Sancto Paulo, ut illis pseudosapientibus mundi persuaderet, Deum nequaquam, ut arbitrabantur, intra templi ambitum contineri, vel sub idoli simulacro latere: sed illum in nobismetipsis esse, ac nos in illius immensitate esse, vivere, & moveri: *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*: Act. 17. Neque mirum esse debet, quod hic Deus illis esset adhuc ignotus, & tanquam ignotus ab illis coleretur, teste Aræ ipsius epigraphe, quæ Sancto Paulo præbuit illos erudiendi occasionem: *Ignoto Deo*. Eorum ignorantia erat quodammodo excusabilis, nam licet Deus satis sese illis prodidisset in operibus suis, dici tamen potest, eorum habita ratione, Deus ignotus fuisse, quem ne ubique præsentem agnoscerent, cæcitate, quam Idololatriæ tenebræ illis offuderant, prohibebantur. Illud vero mirum est, quod fideles, qui sunt filii lucis, & luminis, ex ethnicæ superstitionis caligine educti, de hac veritate sint erudiendi, vel quod cum ipsis de eadem satis persuasum sit; ad eam tam parum advertant animum, ac si inter densissimas ignorantiæ tenebras versarentur.

Exemplũ Susannæ apud Danielem.

Hæc in re prætermittendum non est Susannæ exemplum: etenim hæc Divinæ præsentiæ cogitatio illam sustinuit, cum a duobus impurissimis senibus oppugnatam se vidit, qui ut ejus labefactarent constantiam, minitati sunt, se eamdem tanquam infamem adultetam accusaturos, & ut impudicissimi facti facilitatem adstruerent, ostenderunt, nullum esse testem, ac nemini unquam compertum illud futurum: *Ecce ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt*. Daniel. 13. Ideo autem nequissimi senes tantum ausi sunt facinus, quia Divinæ præsentiæ cogitationem amiserant, & ab ea oculos suos, uti Scriptura inquit, declinaverant: *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum*. E contra vero ne innocens Susanna tanto se pollueret scelere, cujus sibi promittebatur impunitas, & cui nisi præbuisset assensum, certissimam sibi imminere mortem videbat; unica fuit causa memoriæ præsentiæ Dei, quæ ob oculos illius jugiter versabatur: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei*.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Non cogitamus Deũ esse in medio nostri, & in nobis.

M*Edius vestrum stetit, quem vos nescitis*, Joann. 1. Hoc Sanctus Joannes Baptista dicebat Judæis Messiam in deserto quærentibus, cum medius inter illos versaretur. Quasi diceret; quid hic quæritis, quid me interrogatis, utrum sim Messias? Hic est inter vos; oculos aperite, & videbitis illum, qui tot in urbibus vestris operatur miracula, vobisque tot virtutum præbet exempla. Hic ille est, quem quæritis, & adeo insignia vobis præbet suæ missionis testimonia. Hic Emmanuel est, quem promiserunt Prophetæ; Deus, qui est vobiscum; & nihilominus eum nondum cognoscitis, immo etiam eum cognoscere negligitis: hæc cæcitas est voluntaria, in qua estis, & causa vestræ infelicitatis. Heu! quam vereor, ne hoc ipsum jure valeat exprobrari pluribus eorum, qui me audiunt: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*. Deum habetis medium inter vos; hic in vobis est per essentiam, per præsentiam, per potentiam: hic vos tuetur, vos nutrit, vobis naturæ, & gratiæ vitam impertit, & nihilominus vivitis, quasi illum minime cognosceretis &c.

Deus necessario nobis præsens est tam quam judex.

Dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Psalm. 93. Non videbit nos Deus, ajebant impii, de quibus loquitur Propheta: recedamus ab eo, & nos punire non poterit. Heu! Quæ insania est fugere judicem, cujus essentia est esse ubique! Si Deus aliquod ex attributis suis posset abdicare, hæc procul dubio esset immensitas, quandoquidem hæc illum præsentem facit in iis locis, ubi incessanter offenditur: verum si illic adesse cogitur, ibi aderit tanquam inexorabilis judex, qui contemptam gloriam suam æterna ultione reparabit. Nostrum igitur est eligere, utrum Deum in medio nostri velimus vel tanquam patrem, vel tanquam judicem, qui ne unum quidem impune abire patietur scelus coram se patratum. Heu! Vel uno ambigere licet momento? Itane miseri animus, ut Deum ad nos perdendos velimus impellere, Deum, qui id unum cogitat, quomodo in hac vita sese nobis amatissimum probet patrem, in altera vero nos æternum beatos efficiat?

Oblivio præsentiæ Dei malorum omnium est causa.

Dixisti non est, qui videat me. Ezech. 47. Sanctus Hieronymus in hæc verba animadvertit Prophetam post prolixam criminum Jerosolymæ enumerationem illi tandem exprobrare oblivionem Dei, tanquam causam malorum omnium, in quæ lapsa est. Equus effrænis se ipsum agit in præceps, & navis sine gubernaculo in certum interitum ruit. Hoc ipsum evitare nequit, qui non habet amplius frænum præsentiæ Dei, & qui hoc timore non regitur. Ipse in interitum fertur sese incompositis affectionibus mancipans, & nil ha-

bens

bena ultra, quo valeat cohiberi. Hominum conspectus non semper satis potens est, cumque semel pudoris jactura facta est, humanus respectus non satis habet virium: *Deum non timeo, & hominem non revereor*. 1. Luc. 18. Legum timor satis non est vel ad omnia mortalium genera compescenda, vel ad omnia peccatorum genera prohibenda. Alia enim crimina sunt, quæ leges non inquirunt, alia ad quæ earum potestas non extenditur, & alia denique ita abscondita, & secreta, ut nonnisi suprema revelationis die, qua omnia in apricum proferentur, cognoscenda sint, atque manifestanda. Unus igitur Dei timor peccata cohibere potest; & ubi semel ille exciderit, dicere possumus, hominem a Deo derelictum esse, atque sese cordis sui desideriis, hoc est, insanissimis cupiditatibus tradere.

Quam terribilis est locus iste!..... Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Genes. 28. Eidem nostram excitemus, ac in locis, qui nec suspicione, nec periculo vacant, ubi adesse possumus, quin occasionem illuc accedendi quæsiverimus, tunc revocemus cogitationem præsentiæ Dei, & cum Sancto Patriarcha Jacob dicamus: Quam terribilis, & innocentiæ periculosus est locus iste! Locus ille, ubi Jacob erat, sanctus erat, & quidquid illi terribile visum est, fuit Divinæ majestatis radius, & spectaculum, quod illi dormienti oblatum fuit; sed locus, ubi sese reperit aliquando innocens anima, est lapsus occasio, terribilis est propter periculum, quod ibi invenitur: sed tunc ut se præservet a scelere, atque ex occasione elabatur, cogitare debet, illum terribilem esse, ibique adesse testem, accusatorem, & judicem ultores oculos habentem: *vere Deus est in loco isto, & ego nesciebam*. Itaque ut impune peccari posset ex Sancti Augustini sententia locus esset inquirendus, ubi non esset Deus, & ubi non haberet oculum apertum ad ea, quæ illic fiunt vitenda.

Deus ubique necessario est; nullus peccator præsentiam illius potest evitare.

Non longe est ab unoquoque nostrum. Act. 17. Hæc sunt Sancti Pauli verba. Putare non debetis Deum procul esse a vobis, vel extra vos. Ille in vobis est. Quærebam extra me, Domine, Sanctus Augustinus ait, illum, qui erat intra me. Deus magis præsens est vobis, ac intra vos magis realiter, quam ipsi vobis adsitis. Hic vitam tribuit omnibus, quæ vivunt, vim, motumque omnibus, quæ moventur, & essentiam omnibus, quæ sunt. Tuetur omnia potentia præsentiæ suæ, & sine jugi hujus præsentiæ subsidio omnia esse cessarent, ac in nihilum reverterentur. Cogita igitur te repletum esse Deo, circumdatum Deo, & quasi in Deo innatantem. O Deus! quis igitur posset a præsentia tua recedere, & fallere oculos tuos? Abi, peccator, fuge, alas indue, & si mundus non satis magnus est, præter omnia creata advola, nunquam proferes gradum, quin tibi occurrat Deus, quoniam illum intra te ipsum geris, & ab illo separari non potes.

Christianus id unum cogitare debet, quomodo placeat in oculis Dei, quibus subjectus est.

Ad oculum servientes. Ad Ephes. 6. Dæmon Dei, hominumque hostis in iis, qui secundum mundum vivunt, hoc evicit, ut illi sese mundo captivent omnia facientes, ut oculis hominum placeant, ut Apostolus inquit: *Ad oculum servientes*. Et Sanctus Chrysostomus passim hoc probat aulicorum exemplo, qui quod agunt, non agerent, nec quod patiuntur, paterentur, neque jugem sibimetipsis figerent crucem, nisi principi placere contenderent sese illius accommodantes ingenio, ac sese ad mores illius conformantes. Profecto patrimonia sua in tot sumptus, servorum catervam, magnificas vestes, pretiosamque supellectilem non erogarent, nisi crederent in se hominum oculos convertere, & tanquam spectatissimos viros haberi. Cur autem Divinæ præsentiæ recordatio, & cogitatio, quod ille oculos suos in nos habet attentos, potestatem non habeant immutandi turpem hanc servitutem in curam homine Christiano dignam, qui profitemur se colere Deum, placere in oculis Dei, omnia cum ea, quæ fieri potest, perfectione operando?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

NOn longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te. August. l. 2. confess. cap. 2.

Non a te auferam oculos meos, quia & tu non aufers a me oculos tuos. Idem, in Psalm. 31.

Ego dico quod Deus totus oculus est, totus manus, totus pes, quoniam omnia videt, omnia operatur, & ubique est. Idem, Epist. 3. ad Fortunatum.

Multum laboravi quærens te extra te, & tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. Idem, in Solil. cap. 31.

Propior est nobis Deus qui fecit, quam multa quæ facta sunt, in illo enim vivimus, movemur, & sumus. Idem.

Hominis testimonium declinamus, & in conspectu Dei, quæ sunt indigna committimus. Ambros. Apol. David. c. 10.

Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo teste peccamus. Idem, ibidem.

Qui peccat, agit ne omnino videntem videat, non autem ne ipse videatur. Gregorius, lib. 22. moral. c. 22.

Nusquam deest, & tamen ab iniquorum cogitationibus longe est: nec tamen ibi deest ubi longe est, quoniam ubi non est per gratiam, adest per vindictam. Idem, Homil. 8. super Ezech.

Ponamus ante oculos quæ sit illa Dei natura, quæ tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Idem, ibidem.

Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, nunquam quod ei displicet, faceremus. Hieron. ibid. in Ezech. 8.

Memor esto Dei, & non peccabis. S. Ignatius Martyr.

Deus non tantum nobis proximus, sed infusus est: non tantum in oculis ejus, sed & in sinu vivimus. Minutius Felix in Octavio.

Hac solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. Clem. Alexand. lib. 3. pæd. c. 5.

Peregre prodigus profectus est, & in regionem longinquam fugit, sed testes suos, sed accusatores oculos patris non effugit. Chrysost. Serm. 3.

Magna est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum agitis ante oculos judicis cuncta cernentis. Boethius, lib. 3. consol. Phil. Prof. 6.

Non tam sæpe respirare debemus, quam Dei meminisse. Greg. Nazianz.

O quam profunda cæcitas, Deum ante oculos non habere. Cassiod. in Psalm. 9.

Licet omnis, qui male agit, odit lucem, & quærit tenebras, Dei tamen oculos cuncta conspicientes latere non potest. S. Innoc. in decret. Grat. cap. 2.

Quis in oculis principis sui audeat, quod displiceat principi ipsi? Basil. in regul. brev. interr. 19.

Omne tempus, quo de Deo quis non cogitat, perdidisse se computet. Bernard. in specul. Monach.

Magna custodia tibi necessaria est, quoniam ante oculos judicis cuncta cernentis vivis. Bernard. lib. medit. c. 6.

Si Dominum præsentem, & omnia videntem, & judicantem cerneremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. S. Thom. Opusc. 58. c. 2.

Plus confundi, & plus timere debet homo solum Deum videntem, quam totum mundum peccata sua videntem: ubi enim ille non videt quid agis, qui

ubique est? S. Bonaventura. Serm. 7. Dom. 2. post Pentecosten.

Multum refrenat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere. Lactantius, de ira Dei, c. 8.

Nihil Deo clausum est, interest animis nostris, & mediis cogitationibus intervenit. Seneca, Epist. 43.

Duobus modis Dei præsentia antidotum peccato præstat, & quia nos Deus intuetur, & quia nos Deum intuemur. Ignatius Martyr, Epist. 9. ad Heronem.

Quem memoria Dei occupat, minus patet aliis cogitationibus, præsertim malis. Idem, ibidem.

Quatenus a Deo conspici credimus, coram tanto arbitro & judice nostro, peccandi audaciam cohibemus. Idem ibidem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi possit.

Quid intelligatur per hoc nomen præsentiæ Dei.

CUm de præsentia Dei loquimur, illam bifariam concipere possumus. Primum, Deum nobis esse præsentem, hoc est nos de illo cogitare, ac Divinam ejusdem essentiam oculis fidei respicere tanquam intime præsentem ei loco, ubi sumus. Secundo, nos Deo esse præsentes, hoc est ab illo nos videri, ac semper respici, ita ut oculos ejus nihil fallere possit non dictum, non factum, non cogitatum, neque desiderium; & quocunque in loco esse possimus, eum semper spectatorem esse, judicem, ac testem eorum omnium, quæ facimus, ideoque seu bene, seu male agamus, omnia semper coram ipso, & ob oculos ejus accidere.

Duplex præsentia generis in Deo.

Duplex distingui potest in Deo præsentia, generalis altera, per quam ille in creaturis omnibus eodem modo invenitur, altera particularis, per quam non in omnibus creaturis est, sed in quibusdam tantum hominibus per peculiarem suorum donorum, gratiarum, providentiæ, & protectionis suæ communicationem. De priori tantum hoc in tractatu sermo est, ubi sciendum, vel potius supponendum est, quod neminem latet.

Quot modis Deus præsens sit omnibus creaturis.

Primum: statim ac admittitur Deus, hic immensus est, replet, ut ipse loquitur, suo numine cœlum, terramque, ac nulla res est, cui præsens non adsit. Ubique igitur est, inquiunt Theologi, & ubicunque simus, semper Divina illius majestate septi, & penetrati sumus. Patet ratio: si enim infinitus non esset in omnibus perfectionibus suis, non esset Deus. Cum igitur infinitus sit in extensione sua per essentiæ suæ diffusionem, nullos, ne mundi quidem, limites habere potest. Secundo: cum infinite sit perspicax, nihil fugere potest lumina ipsius: omnia videt in ipsis, omniaque semper sunt oculis suis præsentia. Quamobrem addit Sanctus Thomas 1. part. quæst. 8. art. 2. illum ubique esse per præsentiam, hoc est per cognitionem suam, & applicationem spiritus sui, ut nos, & omnia creata consideret. Hoc pacto dicitur aliquis præsens esse in loco, ubi videt, quidquid illic est: sed inter Dei, hominumque conspectum hoc discriminis interest, quod homines non agnoscunt res, nisi per imagines, quas sensos eorum percipiunt; quæ causa est, quod non solum non vident omnia, sed præterea distinguere nequeunt objecta, quæ vident, nisi temporis successione. Sed longe alia est Dei cognitio; non videt ille per mutuatas imagines, sed per essentiam suam. Quamobrem cum præsens sit ubilibet propter suam immensitatem, non solum videt omnia, sed omnia simul videt, & semper, sine successione, ac sine ulla temporis intermissione. Præterquamquod homines nonnisi externam rerum speciem vident, intus vero penetrare non possunt, quia quod exterius non est, nullam sensibilem sui producere potest imaginem. Mentis cogitationes, & motus cordis illos latent, quoniam illi sub sensibus minime cadunt. Deus vero interius, exteriusque videt, penitiores cogitationes nostras scrutatur, quia non solum est omnium motuum nostrorum causa efficiens, sed etiam præterquamquod est exemplar, & idea, quæ res possibiles repræsentat, infinita ejus cognitio prohibet, ne aliquid actuale ipsum lateat. Tertio, Deus omnibus præsens est per potentiam, hoc est, nihil in mundo esse potest, quod non referatur ad ipsum veluti causam, & quod vere non sit ejusdem effectus; ita ut creata omnia in nihilum, unde educta fuerunt, relaberentur, nisi Deus in singula momenta illa sustineret, atque tueretur. Omnes eorum potentiæ inutiles essent, ac in æterno permanerent otio, nisi Deus immediate, & per se ipsum ad omnes eorum motus nequaquam concurreret. At possetne Deus nos hoc pacto tueri? Potestne hac ratione ad omnes cogitationes, sensus, actionesque nostras concurrere, quin præsens sit? Nonne ad id opus est, ut simus, & vivamus in illo, & ille ubicunque nobiscum sit cum tota potentia sua, quemadmodum est per essentiam, & cognitionem?

Discrimen inter immensitatem, & præsentiam Dei.

Quæri posset, utrum unum, idemque sit dicere Deum esse immensum, & dicere illum ubicunque esse præsentem; sed Theologi insigne animadvertunt discrimen inter immensitatem, & supremi hujus entis præsentiam; immensitas quippe est perfectio absoluta, essentialis, & necessaria in Deo, per quam concipimus Dei essentiam nullos habere suæ magnitudinis terminos; at præsentia non est absoluta in Deo perfectio, sed creaturis relata. Non est æterna perfectio, quia creaturis tunc tandem præsens esse cœpit, ex quo illæ esse inceperunt; non est perfectio necessaria, non enim absolute necessarium erat, quod ille creaturis tribueret essentiam, ideoque illis præsens adesset. Quapropter hæc actualis Dei ubique præsentia est veluti consequens trium perfectionum, quæ in Deo sunt necessariæ, videlicet absolutæ essentiæ ipsius necessitas, infinitas, & immutabilitas.

Idea, qua de immensitate Dei concipere debemus.

De magnitudine Dei judicium nequaquam ferendum est ex spatio locorum, non secus ac illius duratio ex temporum diuturnitate æstimanda non est. Quod æternitas Dei est ratione temporis, hoc Dei immensitas est ratione locorum. Longitudinem æternitatis Dei metiri non vales, etiam si sæculorum myriades alias aliis adjicias: tempus enim non est nisi duratio ex partibus composita, quæ omnes finitæ sunt: & Dei æternitas quid est infinitum nullas habens partes, ex quibus coalescat. Momentum est invariabile, quod integrum respondet singulis momentis temporis, & quod infinite omnem illius superat durationem: ita ut tota Dei æternitas præsens sit indivisibili temporis nostri momento; & nihilominus æternitas ejus tota temporis duratione comprehendi non possit. Similiter metiri nequis immensam Divinæ essentiæ magnitudinem quamlibet loci magnitudinem alteri adjiciens, neque maximum spatium alteri superaddens, quodcumque coneris, ut illud, quam fieri potest, vastissimum comprehendas. Et ratio est quod quilibet locus suos habet terminos, quibus septus, ac finitus est; immensitas vero Dei essentialiter omni caret termino, ac fine. Nullus igitur locus illum capere potest, quia infinite magnus est, & nihilominus magnitudo hæc est adeo simplex, ut absolute sit indivisibilis; ideoque verum est illam totam esse collectam, totamque præsentem in quolibet loci puncto, quantumvis exiguum sit, & indivisibile.

In quo praxis Divinæ præsentiæ consistat.

Utilissima hæc Divinæ præsentiæ praxis in duobus præsertim consistit, in intellectu, & voluntate. Quoad primum pertinet, intellectus agnoscit Divinam majestatem ubique præsentem, Cœlum,

terram

terramque sua essentia replentem, per potentiam suam in omnibus creaturis agentem, ac videntem, quidquid fit, cum omnia coram ipsa fiant. Et quanquam Scriptura efficiat, ut satis veritatem hanc cognoscamus, tamen intellectus fidei lumine illustratus multo magis roboratur; quapropter Sanctus Paulus ad Hebr. 11. *Fide Moyses....... invisibilem tanquam videns sustinuit*; hoc est per vivam præsentiæ Dei fidem cum invisibili egit, atque conversatus est, quasi illum vidisset. Quod ad rem alteram spectat, postquam intellectus ita ex se operatus est, operatur quoque voluntas ex certissima hac cognitione hauriens sensus, & affectiones reverentiæ, lætitiæ, confidentiæ, contritionis, aliasque id genus, quas homines huic sanctæ praxi dediti cum inæstimabili fructu exercent, ita in jugi contemplatione vitam ducentes.

Diversi modi Deum sibi præsentem concipiendi, & quinam præ cæteris præstet.

Non desunt, qui, ut se coram Deo constituant, illum sibi sub variis symbolis exhibent; alii quidem tanquam lumen, alii vero tanquam ignem; illi velut mare, hi sub aliis imaginibus. Quidam sibi fingunt Jesum Christum prope se facientem, quidquid ipsi faciunt, ut ipsis præbeat exemplum, eosque doceat, quid facere debeant. Damnari nequeunt hæ methodi, quas plures Sancti secuti sunt, quas & docuerunt, & ipsi cum summa utilitate exercuerunt. Sed vitæ spiritualis magistri, qui majori lumine pollent, eas suadere non audent, non solum quod nimis mentem applicant, verum etiam quod non satis probatæ videntur. Etenim re ipsa Jesus Christus prope nos non adest, ex quo non sumus prope adorabile Eucharistiæ Sacramentum, & Deus neque mare est, neque ignis, neque lumen; & hæ omnes loquendi rationes, quibus Scriptura, & Patres nonnunquam utuntur, sunt metaphoricæ; atque Theologi quidam jure metuunt, ne sibimet repræsentare Jesum Christum præsentem alibi, quam in Sacramento, obnoxium sit alicui illusioni in iis, quibus nimis vehemens est imaginatio; quamvis absurdum non sit illum sibi fingere talem qualis fuit in Præsepio, in Calvario, vel cum inter homines versabatur, & qualis nunc gloriosus est in Cœlo; hoc enim nonnisi reverentiæ, devotionis, & amoris sensus potest inspirare. Cavendum est tamen, ne quis fallacem concipiat ideam, quasi Deus actu esset talis, qualis erat cum vivebat in terra. Praxis vero magis solida, & illa, cui est inhærendum, est sibi Divinam repræsentare essentiam, quæ totum replet universum, eamque ubicumque respicere, in omnibus creatis rebus, & in nobismetipsis agentem; illam adorare, amare, in rebus omnibus consulere, nosmet ejusdem cultui devovere, nihil prætermittere, ut illi placeamus, & omnes actiones nostras in conspectu ejus facere. Cum autem praxis hæc jugis esse non possit, ejus tamen habitus acquirendus est illam sæpe exercendo.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Plerique hominum non agnoscunt felicitatem suã, quod Deum habeant semper præsentem.

NOn satis est habere thesaurum, ut locuples sis; scias etiam, oportet, te illum possidere, illius pretium agnoscas, atque eodem ad arbitrium tui valeas. Heu! quam deplorabilis est cæcitas nostra! Divites sumus, & infinite divites ultra etiam spem nostram, ac desideria, sed divitias ipsi nostras ignoramus. Habemus in nobismetipsis infiniti pretii thesaurum, qui est essentia, præsentia, & potentia Dei cum omnibus adorabilibus perfectionibus ejus; eadem circumsepti, impleti, imbutique sumus, & nihilominus adeo pretiosum thesaurum possidentes pauperes sumus; atque extrema laboramus inopia, quia vel illum nos habere ignoramus, vel eodem uti, ac perfrui nescimus. Dei nostri præsentia fruentes, videlicet bonorum omnium fontem possidentes familiariter cum illo conversari possumus, illi adhærere, præstantissimas exercere virtutes, infinitam meritorum copiam acquirere, denique in hoc immensarum divitiarum thesauro præcepi beatitudine incipere possumus in hac quoque vita ea perfrui felicitate, qua Angeli, & Beati in Cœlo lætantur: sed hic thesaurus, quantumvis pretiosus, & locuples, nobis inutilis fit vel per ignorantiam, vel per attentionis, & considerationis defectum; eo quod animum non advertimus ad magnum illud bonum, quod in nobismetipsis habemus, ita ut cum Sapiente dicere possimus? *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Eccli. 20. Liber, cui titulus: Christianus interior.

Pax, atque tranquillitas animæ Dei præsentia gaudentis.

Suavissimus fructus, quem ex Divinæ præsentiæ praxi percipere valeamus, est pax, atque tranquillitas, in qua constituitur anima, quæ agnoscens, & gustans Deum in medio sui præsentem, tanquam in paradiso lætabunda perfruitur. Loci omnes eidem nullo sunt in discrimine: libere ad utramque extremam terrarum orbis plagam sese conferret, neque se exulem, extorremque cogitaret: illic enim posita semper tanquam in patria sede permaneret, ac domi suæ, semper easdem possideret opes, semper suavissima conversatione perfrueretur: quia patria, domus, thesaurus, consolatio ipsius Deus est, quem ubique invenit, & cujus Divina præsentia æque gaudet ubique.......

Sanctus Augustinus de Sancto Cypriano loquens, qui fidei ergo in exilium fuerat conjectus, egregie dicit: Quas terrarum in oras strenuus ille vir mitti poterat, ubi eum non inveniret, propter quem ejiciebatur? *Quo mitteretur, ubi ille non esset, propter quem mittebatur?* Membrum hoc nonne capiti hærebat suo, ubicunque furor ipsum separare arbitrabatur? Insana persecutorum crudelitas, idem Pater ait, si locum vis invenire, ubi Christiani exules degant, quære prius locum, ex quo Deum possis expellere; etenim ubicunque hic aderit, ibi fideles nunquam exilium invenient: *Si quæris exilium, quo Christianus jubeatur exire, prius inveni, si potes, unde Christus cogatur exire*. Partim ex eodem, partim ex Fromentiere.

Ex Dei præsentia eumdem percipere fructum possumus, quem percipiebant ex Jesu Christi præsentia percipiebant.

Quam felix mihi videtur Apostolorum conditio! semper habebant præsentem Jesum Christum, omnes illius actiones videbant, audiebant omnia illius verba, totam vitæ rationem intuebantur, & hæc Divini institutoris sui præsentia duo illis bona conferebat. Alterum, quod talem semper habentes actionum suarum testem nihil ausi fuissent, quod Divinis oculis ejusdem esset indignum, & cum aliquid illis excidebat a sanctis ejusdem præceptis abnorme, videmus in Evangelio eos semper correptos fuisse. Alterum; quod adeo eximium ob oculos semper habentibus exemplar non deerat modus omnia ad summum perfectionis apicem adimplendi. Hæc autem eadem bona sunt, quæ ex Dei præsentia percipere possumus. Altera quidem ex parte ille est spiritus infinitus, qui replet omnia præsentia sua, qui totus oculus est, ut facta nostra intueatur, totusque auris, ut nostra verba audiat, & levissimas etiam cogitationes nostras scrutetur. Quæ validior ratio in officio continere nos posset, ac prohibere, ne quid audeamus ob oculos ejus, quod illi possit displicere? Ex altera vero hic idem Deus, qui per actionis præsentiam nobiscum agit, & operatur, nonne efficere debet, ut omnia hac mente operemur videntes videlicet placituri? Cumque hac in re nostrum sit exemplar, hoc pacto possumus actionibus nostris eam omnem tribuere perfectionem, cui pares sumus. *Idem ex parte*.

Vivere in oblivione Dei, qui ne ad breve quidem momentum obliviscitur nostri; mente, & cogitatione recedere a Deo, qui nobis semper adhæret; non colere, neque revereri Deum, qui ad

nos usque se demittere dignatur, & qui nos suas putat delicias; hoc est esse ingratum, ac ignorare bonum, & honorem, qui nobis ab ipso confertur; sed quodammodo ab ejus præsentia recedere, & quantum fieri potest, illam fugere, & cum eo necessitudinem inire nolle, ut alteri cuipiam rei vacemus, hoc est nosmet indignos probare eo honore, quem confert nobis, & mereri, ut ipse corde, & affectu tam procul a nobis recedat, quam prope est per essentiæ suæ necessitatem. Testemur imposterum, o Christiani, majori nobis esse in pretio felicitatem, quam possidemus. Sæpe saltem vacemus Deo, qui semper nobis vacat. Nunquam ille cessat, quominus de nobis cogitet, nobis invigilet, nobiscum concurrat, agitque nobiscum, ita ut si unico vitæ nostræ momento curam hanc, concursum, actionemque suspenderet fieri, nequaquam posset, ut subsisteremus illico in nihilum reversuri. Nonne igitur supremo huic enti præsentes esse deberemus cogitatione, corde, & affectu, quemadmodum sumus per essentiæ nostræ substantiam: a Divina ipsius voluntate pendere, ad illum rebus in omnibus confugere, & nihil eodem inconsulto operari &c. *Ex Anonymo Auctore.*

Dei præsentis, & videntis cogitatio prohibere debet, ne illum lædamus.

Scio, Domine, me coram te esse; hominum quidem oculos evitare possum, tuos vero fallere non possum: dies, & nox, lumen ac tenebræ, mundus, & solitudo nullo tibi sunt in discrimine. Scrutaris, detegis, vides abditissimas cordis mei cogitationes; neque peccare possum, quin tu testis sis actionum mearum secretissimarum. Nunquid ulterius aliquid requireretur, ut eam, quam debeo fidelitatem servarem? Nunquam animum adjicere possem, ut peccarem coram illis, quos vereor in terris, quomodo vero peccem coram Deo meo? *P. Cheminais in sensibus piis.*

Quid inferre debeamus ex præsentia Dei, quam Christianus ignorare non potest.

Homo ignorare non potest sine nimis crassa cæcitate, Deum in se semper esse; non credere nequit adeo perspicuam veritatem sine infidelitate suppliciis constringenda; eamque credens reus est gravissimi contemptus, nisi ejicit ex anima sua peccatum, ut eam faciat locum habitationis Creatori suo ab omnibus sordibus vacuum, ut nequeat absolute indignus esse magnitudine ipsius. Dei puritas cum vitiorum nostrorum sordibus simul esse non potest. In hominis potestate situm non est efficere, ne in ipso sit Deus, quandoquidem hic ibi est per necessitatem, & per immutabilem essentiæ suæ conditionem; sed in ejus potestate situm est illum per peccatum ejicere. Si Deus omnia videt in nobis, itane cæci erimus, ut coram illo facere audeamus, quod nonnisi gravissimo rubore suffusi coram hominibus facere possumus? Cum hominum oculos fallimus, putamusne fallere posse oculos etiam Dei, quibus nihil absconditum est? David nunquam gravius ob scelera sua torquebatur, quam ubi cogitabat, se illa coram Deo commisisse. Sciebat ille quidem universum terrarum orbem sceleris sui testem, & spectatorem esse, sed Creatoris sui oculus causa erat sui doloris, atque cruciatus: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Psalm. 50. Cardinalis de Richelieu in libro de perfectione Christiani, cap. 8.

Praxis præsentiæ Dei.

Fieri nequit, quod Dei præsentia alte animo cujusquam sit impressa, quin hic gravissimum peccati horrorem concipiat. Quamobrem asceticæ vitæ magistri animabus, quæ peculiarem salutis suæ curam habere volunt, suadent, ne unquam animum ab adspectu adeo utili, & cogitatione adeo salutari amoveant. Non jubentur illæ quidem actu, ac sensibiliter præsentiam hanc ob oculos habere: hæc enim obligatio plurimorum esset causa scrupulorum, timorum, atque tumultuum. Satis est pluries in die sese in Divina hac præsentia constituere, nihilque facere, quod illam possit destruere; cum certum sit, illam censeri persistere, donec actio eidem prorsus contraria eidem finem imponat. Præstat jugiter laborare propter Deum generali proposito, quam jugiter sibimetipsi invigilare. Præstat semper amare Deum, quam indesinenter considerare, utrum ametur. Et sane sine gratia prorsus extraordinaria impossibile est habere Deum sensibiliter in spiritu, & imaginatione præsentem; & qui molestam hanc amplecteretur praxim, in perfectione retrocederet potius, quam progrederetur; amitteret enim sexcentas bene operandi occasiones, ut nimis attenderet mediis, quæ sibi proponeret ad hoc faciendi facultatem acquirendam. Ita præsentia Dei, quæ nobis commendatur a Sanctis, non tam mentis, quam cordis est præsentia, quæ per varios actus acquiritur, per quos nosmet ita frequenter devovemus Deo, ut habitus hic perseveret. *Idem.*

Coram Deo stare debemus cum metu, & reverentia.

Sum coram Deo, & Deus semper coram me est: debeo igitur semper esse coram illo, & jugiter dicere illud cum Propheta: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sum.* Quanam reverentia, sed potius quo timore coram tanta majestate consistere debeo? Quomodo ausim facere coram Deo, quod coram homine non auderem? Deus me semper respicit, nonne illum in omnibus actionibus meis respicere debeo? Nonne eorum hic finis esse debet, sicut est principium? De me semper cogitat; heu! ego vero ingratus de illo fere nunquam cogito. Deus ita de me sollicitus est, perinde ac præter me nemo esset in terris: ego vero cæcus mundo, mihimetipsi, sexcentisque vacans nugis, ac Deum meum negligo, perinde ac ignorarem illum, vel in illum non crederem! Qui Deum cognoscit, qui de Deo sollicitus est, pro nihilo habet, quidquid Deus non est, & vivit, quasi in mundo nil esset aliud præter ipsum, & Deum. *Pater Nepveu tomo 3. Considerationum Christianarum pro die 28. Septembris.*

Deus per actionem suam nobis præsens est, omnibus actionibus nostris concurrens.

Deus præsens est non solum per essentiæ suæ immensitatem, verum etiam modo efficaci. Mecum est, ut mihi ferat opem, ut me moveat, ut agat, ut mecum operetur: nihil sine illo possum, sed omnia cum illo. Nequeo vel minimum edere motum, vel minimum desiderium concipere, actionemve ullam facere, nisi suum mihi præstet concursum: sed hunc nunquam mihi negat, licet eodem utar, ut eundem offendam: quænam indulgentia! hac abutar? Sed si meæ semper se accommodat voluntati, si sese meis subjicit votis, nonne æquissimum est, me etiam memet ejusdem voluntati submittere? Si mecum ille semper concurrit, nonne æquum est me etiam cum eo consentire? Neque solum agit mecum, verum etiam cum omnibus agit creaturis propter me. Pro me lucet cum Sole, refrigerat cum aere, calefacit cum igne; nonne iniquus essem, nisi hisce meis creaturis unice ad gloriam ipsius? sed nonne ingratus essem, si abuterer earum opera, ut illum offenderent, cujus jussu mihi famulantur? *Idem.*

In Deo sumus, & Deus in nobis.

Deus in me est, & ego in illo; ille animæ meæ magis intimus est, quam anima corpori meo: Anima mea divelli potest a corpore, & subsistere; sed anima mea a Deo separata esse non potest, cessaret enim esse, nisi Deus esset in illa, & illa in Deo. Deus non est procul quærendus, ajebat Sanctus Paulus ad Athenienses: *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* Act. 17. ipse est & vivit in nobis...... Sed Deus adhuc modo longe magis admirabili est in animis sanctorum: ibi enim est per impressionem suæ majestatis, per communicationem suæ sanctitatis, per effusionem suæ bonitatis in multitudine gratiarum, quibus eos cumulat. Plerisque fidelium dici potest, quod olim Sanctus Joannes Baptista Judæis: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Joann. 1. Deus medius est inter vos, eumque ignorare videmini; etenim quid alibi quærere potestis, cum habeatis illum in vobis, qui omnis possidet bona? *Idem.*

Nil magis nos in officio continere potest, quam Dei præsentia.

Beatus fidelis, qui in singulos gressus, atque singulis momentis, quibus respirat, redit ad Deum, sibique effingit imaginem semper præsentem beneficiorum illius; quandoquidem certum est, nulla re

nos

nos magis in officio contineri; nulla re nostram roborari inconstantiam, quæ efficit, ut tanta facilitate a virtute ad vitium gradum faciamus; nulla re denique felicius voluntatem nostram in bono confirmari, quam præsentia Dei: *Ubicumque fueris sine Deo, male eris, & male tibi erit; & ubicumque fueris cum ipso, bene eris, & bene erit tibi*, inquit S. Bernardus serm. de miser. human. E contra sine præsentia Dei fieri nequit quominus in gravissima crimina decidamus. Si homines præcipua negligunt officia sua, & impune sacratissimas leges infringunt, si sine ulla religione, ullisque conscientiæ stimulis sese omnibus sceleribus mancipant; si cum contemptu veritatis, & sanctitatis religionis in idololatriam, atque Atheismum labuntur, ideo hoc accidit, quia a Deo oculos averterunt. Ecce quomodo hic loquatur: *Aversi sunt filii Israel, & fornicati sunt cum Baalim, percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in Deum, nec recordati sunt Domini Dei sui*. Judic. 8. *Specimen sermonum pro Quadragesima feria 3. post tertiam Dominicam.*

Recedimus a Deo, neque de illo cogitamus tunc, cum de nobis meretur optime.

Sensu, oculisque careat opus est, qui nec sentit, nec videt præsentiam Dei, qui in nobis est, & qui nos suis cumulat beneficiis, quandoquidem sine illo nec vivere nobis licet, neque operari; sed quoniam ne uno quidem momento bonitatis ejus favoribus vacui sumus, ne uno quidem momento vivere debemus, S. Augustinus ait, quin illum animo nostro præsentem habeamus, eique gratias agamus; & nihilominus per horribile ingrati animi vitium in singula momenta beneficii hujus Dei conspectum amittimus. Mane consurgimus, neque cogitamus illum fuisse nobiscum, ut superiore nocte nos tueretur; vespere cubitum imus, quin gratias illi habeamus propter ea bona, quæ toto diei illius spatio ab ejusdem largitate recepimus, & adeo penitus illius meminimus, quasi nullo modo noster esset benefactor. Ille nobis semper cura sua adest, nos vero ingratitudine nostra ab illo recedimus, neque illum intuemur. Heu! quot Christiani sceleribus suis ab hoc misericordiæ Patre recedunt eodem tempore, quo ipse magis accedit ad illos! Sed quidquid hujusmodi ingrati conentur, præsentiam illius non effugient, & nisi eum habere voluerint præsentem, velut patrem, præsentem habebunt velut judicem. *Idem.*

Quomodo simul Deo & præsentes, & absentes esse possimus.

Hoc præsentiæ, & absentiæ, accessus, & recessus mysterium Sanctus Augustinus comprehendere non poterat. Tecum sum, dicebat ille Deo, & simul extra te sum: tecum ex necessitate essentiæ meæ; extra te ex mentis meæ evagatione; tecum ex naturæ dependentia, extra te ea absentia voluntatis. Supra me es, neque te veneror: sub me, neque te video; circum me, neque sentio; intra me, neque intelligo. Peccatum efformat chaos quoddam, quod infinitam statuit distantiam Deum inter, & peccatorem: distantiam S. Augustinus addit non loci, sed mentis: *Non loco, sed mente*, non spatiorum, sed motum; *non spatiis, sed moribus*; non corporis, sed cordis; *non corpore, sed corde*. Cum peccator cogitat se a Deo videri, & audiri; cum reputat, se indesinenter versari sub oculis justi hujus judicis, qui omnia rimatur, & quem nil fallit; cum, inquam, peccator huic vacat cogitationi, contremiscit, fremit, vel saltem interiorem sentit diversarum harum cogitationum pugnam: peccatum hoc patraturus sum, sed me videt Deus: hanc operaturus sum iniquitatem, sed quidquid agam, Deo erit compertum: in hac ambiguitate animi Deus loquitur ad cor, & pro Deo loquitur conscientia: sed quare peccator non semper id infert, quod esset inferendum? quare cupiditatem officio anteponit? quia recessit a Deo, & quin cogitet se a Deo videri, sibi persuadet ab eo non videri. *Auctor actionum christianarum tomo 1. sermone de peccato.*

Dei præsentia dis-

Seu justus, seu peccator quispiam possit illius oculos fallere; qui solus tanta cum veritate, quanta cum dignitate dicere potest: *Cœlum, & terram ego impleo?* Nulla enim latet creatura, ut S. Paulus testatur; omnia patent oculis ejus, tamquam exta victimæ, quæ jugulata est, & adhuc sub sacrificuli dextera palpitat. Perinde ac magnus hic Deus nil esset, nisi pes, adest ubique; quasi nil esset, nisi oculus, videt omnia; quasi nil esset, nisi manus, agit omnia; testis agens, testis semper præsens: hoc illud est, quod displicet impiis, qui pati nequeunt testem scelerum suorum adeo illuminatum, censorem adeo rigidum, judicem adeo severum; sed hoc illud est etiam, quod justum consolatur. Scit Deum omnibus præesse gressibus suis, ne labatur, omnes considerare actiones, ut remuneretur, omnesque cognoscere vias, ut sanctas efficiat. Justus luminibus ejus illustratus, confirmatus gratia, fidelitate animatus experitur Dei diversam fieri præsentiam, prout amor ipsius est diversus. *Idem tom. 3. sermone de bonis religiosæ vitæ.*

plicet impiis, & justis solatio est.

Dei præsentia efficit, ut omnia nostris perfungamur officiis.

Quanta felicitate munera vestra obiretis, si ita consuescere possetis, ut vel semper, vel sæpe ob oculos vestros Deum præsentem haberetis! Hæc summa est laus Henoch, cujus sanctitas ita perfecta fuit, ut præter Eliam ex omnibus hominibus unus extiterit, quem Deus dignum censeret, ne moreretur. Ambulavit cum Deo; (Gen. 15.) hoc est in omnibus actionibus suis Deum habuit præsentem. Deus dixit Abrahæ, *ambula coram me, & esto perfectus*, Gen. 17. quibus verbis innuebat nihil aptius esse ad illum sanctificandum, perfectumque efficiendum. Job cap. 9. testatur se in omnibus suis actionibus gessisse, quasi hominem, quem Deus suo penetravit timore. David (Psalm. 15.) providebat Dominum in conspectu suo semper, quæ res efficiebat, ne commoveretur. Michæas cap. 6. ait: *Judicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te*: & addit, *sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Beatus ille, qui Deum habet jugiter præsentem! Numquam aberrat, quia dux illius Deus est: amat officia sua, quia amat eum, a quo illa sibi irrogata sunt; patienter sustinet, quia illum consolatur Deus; si ceciderit, statim consurgit, quia Deus illum attollit: nihil desiderat, quia possidet Deum suum, & Deus totus illius est: hæc terrena contemnit, quia numquam avertit oculos ab ea felicitate, quæ toto cœlo iis omnibus præstat, quæ nitent in terris: assidue meretur, quia omnes actiones suæ sunt totidem sacrificia, quæ offert Deo. Conemur igitur Deum assidue habere præsentem; sancta hæc consuetudo admirabilem nobis afferet opem, ut munera nostra expleamus, & ad statum nostri perfectionem progrediamur. *Lambert, sermone 24. de ecclesiastica vita perfectione.*

Sæpissime accidit, quod cum Deus intime sit nobis præsens, ab eo tamen cogitationibus, & desideriis absimus.

Scriptura divina frequenter nos admonet, ut sollicite quæramus Deum; quamvis enim Deus non longe sit ab unoquoque nostrum, cum in ipso vivamus, moveamur, & simus, ut Apostolus loquitur, nos tamen longe sumus e Deo, & nisi assidue disponamus ascensiones in corde, & scalas nobis erigamus in cœlum, & magno labore Deum quæramus, cum filio prodigo in regione longinqua, procul a patria, & a patre pascimus porcos. Ac ut breviter explicemus quomodo inter se ista cohæreant, ut Deus non longe sit a nobis, & nos tamen longissime absimus ab illo: dicimus Deum non longe a nobis abesse, quoniam ille nos assidue videt, cujus oculis omnia sunt præsentia: idem quoque de nobis assidue cogitat, quia illi cura est de nobis; & ipse idem nos assidue tangit, quia portat omnia verbo virtutis suæ. Nos autem longissime absumus a Deo, quia Deum non videmus, nec videre possumus; cum lucem habitet inaccessibilem: sed nec sufficientes sumus cogitare aliquid de Deo ex nobis, tamquam ex nobis, multo minus illum affectu pio tangere, illique inhærere valemus, nisi nos susci-

piat,

plus, & ad se trahat dextera ejus. Ideo enim David cum dixisset: Adhæsit anima mea post te, continuo adjunxit, me suscepit dextera tua: nec solum longe absumus a Deo, quia neque illum videre possumus, neque facile de illo cogitamus, neque illi per affectum inhæremus: sed etiam quia occupati temporalibus bonis, quæ nos undique circumstant, & obruunt, facillime Deum obliviscimur, & corde arido vix nomen Dei in Psalmis, & sacris precibus per linguam sonamus. *Cardinalis Bellarminus de ascensione mentis in Deum in præfatione.*

Divinæ præsentiæ cogitatio omnia e mundo expellere potest peccata.

Senecæ sententia est, maximam peccatorum partem ablatum iri, si auctoritate, meritisque clarus vir præsens adsisteret illis, qui cujuslibet generis peccatum aliquod sunt patraturi: *Maxima pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat*: Sed Sanctus Hieronymus hanc ipsam latius extendens sententiam addit, frequentem Dei nos videntis, ac semper nobis præsentis memoriam omnia ex mundo ejicere posse peccata: *Memoria Dei cuncta excludit flagitia*: Ita ut quemadmodum beatifica visio in cœlis Beatum in absoluta constituit impossibilitate peccandi, moraliter quoque impossibile videatur, Christianum, qui certo quidem, licet obscuro fidei lumine respicit Deum tamquam vitæ, omniumque actionum suarum testem, nefas aliquid audere posse. Quocumque in cœtu sit, quæcumque illi accidat tentatio, quodcumque pravum intueatur exemplum, quemcumque turpem audiat sermonem, ubi Deum adesse considerat, & quemlibet singillatim spectare eadem attentione, Sanctus Augustinus ait, perinde ac ille unus esset in mundo, sese feliciter tamquam in abyssum, ut ita dicam, in hos Dei obtutus conjiciens, unum illum cogitans, mentemque divina hac præsentia occupans, atque corpore tantum iis interveniens cœtibus, qui illum in crimen impellere possent, semper fovet sensus amoris, ac timoris simul plenos, quibus prohibetur, ne quid agat, quod Deum possit offendere. *P. Texier in Dominicali tertia Dominica Adventus.*

Deus in nobis est per operativam præsentiam.

Deus creaturis omnibus præsens est, quia assidue operatur in illis; & ita omnibus inhæret hominibus non solum per necessariam essentiæ suæ immensitatem, verum etiam per operationes suas: *Non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Act. 17.* Ne putetis peccatores, Deum, quem offenditis, procul a vobis esse: in illo sumus, movemur, & vivimus, inquit Sanctus Paulus Apostolus; unde inferre videtur conclusionem divinæ in nobis præsentiæ per ea beneficia, quibus ab illo cumulamur. Mea enim sententia innuere vult, Deum quatenus causam efficientem esse debere intime effectibus suis præsentem, quoniam facit illos excellenti ratione, quæ Dei propria est: vel etiam innuere vult, se entium omnium supremum esse, quæ ne momento quidem subsistere possent, nisi ipse tueretur illa non solum per actionem suam, verum etiam per præsentiam, tamquam super generalem, ac solidam basim. Hæc veritas solatio nos replere deberet, o Fideles, æternam beneficii memoriam ciere, & efficere, ut cum Sancto Augustino diceremus: *Omni momento me obligas Domine*; cumque nulla sit hora, qua recentibus non augeat beneficiis, ne unum quidem labi momentum debet, quo te non diligam, & quo tibi inservire non satagam. *Biroat in tomo separato continente sermones in quasdam anni Dominicas, sermone de tertia Dominica Adventus.*

Cogitatio operativæ hujus præsentiæ [illegible] nobis debet [illegible] & [illegible]

Deus omnibus actionibus nostris cooperatur tunc etiam, cum agimus contra ipsum. Ipse est in oculis nostris non solum ut servet illos, sed ut cum iisdem oculis agat: non dicam equidem, ut pœnitentiæ lacrymas effundant, sed heu! nobis suum præstat concursum, ut obscœnos circumferamus obtutus: in nostris cordibus est, non solum ut illa tueatur, verum etiam ut omnibus eorum desideriis cooperetur, nec iis quidem sanctis; sed iniquissimis. Nonne hæc gravissima est injustitia, quam homo contra Deum committere possit, quod videlicet Dei bonitatem, neque indulgentiam suæ servire cogat nequitiæ? *Servire me fecisti in peccatis tui. Isaiæ 43.* Neque satis est, quod illius manu contra ipsum utatur, jubeatque Deum contra Deum ipsum pugnare. Si quod in vita nostra momentum esset, quo ille sua beneficia suspenderet, minori cum ingratitudine eodem in sceleribus nostris abuti possemus; si quæ esset operatio cordium, vel manuum, vel linguarum nostrarum, cujus penes nos esset arbitrium, eo minus inique contra illum usurpare possemus, sed heu! quo vulnera nostra ferre possumus, ubi ille non sit per sua beneficia! Quodnam in vita nostra tempus eligere possumus, quo hanc ille non mereatur; & quam actionem facere, in qua ille nobiscum non agat? *Idem.*

Quare [illegible] nobis sit Deum saltem [illegible] testem hominibus.

Pudor, ne videamur, frænum est, quod natura criminibus nostris injecit, nihilque magis reformidat peccator, quam lucem, ac testes. Solitudo, & nox improbis illius favent consiliis, quamobrem Sanctus Ambrosius inquit: *Erubescit testimonium erraris, qui non erubescit errorem*: Ex hac naturali sententia procedit effatum illud peccatoribus omnibus adeo commune: Nemo sciet, id audacter faciamus: *Nemo nos videt. Dan. 13.* Abominabile effatum! quod tamen in Christianismo subsistere nequit, in quo Deum adoramus, qui, ut Sanctus Augustinus ait, totus oculus est, & qui oculos suos in nos habet intentos. Quod si unius tantum hominis intuitus prohibere potest, ne peccetur; si oculi patris, heri, principis, filii, servi, subditique audaciam coercent, quid tandem oculi Dei? quam vim habebunt in animam, quæ oculis fidei intuetur Deum attentum, ac vigilantem, ut omnia ipsius vestigia consideret? Hic unus testis nonne pluris faciendus est, quam omnes omnium mortalium oculi, & nonne longe magis interest ab illo, quam a mortalibus omnibus in pretio haberi? Deus unus magnus est homini testis, & magis metuendum vobis est, ne quid faciatis, quod oculis ejus displiceat, quam ne in mortalium omnium oculis id agatis. Addite, Deo explorata esse turpissima etiam criminum vestrorum discrimina. Cum coram hominibus peccamus, exteriorem dumtaxat peccati speciem illi vident; quod vero teterrimum, ac turpissimum est, latet in corde: tu vero, Domine, secretissimas etiam criminum nostrorum intentiones scrutaris; quia oculi tui non circum nos modo sunt, verum etiam intus in corde nostro, omnibus invigilant actionibus nostris, cogitationibus, desideriis æterna cum sollicitudine, ac lumine, quod fatigari non potest. *Idem.*

[illegible]

Cuperem equidem mortalibus omnibus persuadere usum præsentiæ Dei exemplo tot Sanctorum, ac tot piarum animarum, quæ numquam obliviscuntur Dei in corde suo residentis, Non quod imaginationis vi jugiter huic cogitationi inhærere debeamus; sufficit enim per intervalla oculos intra nosmetipsos conjicere, ut ubi objectum hoc videamus, & per iteratos fidei actus æternam veluti præferre facem cogitationibus nostris, saltem cum peccati urget occasio. Ubi primum tentatio constantiam nostram sollicitaverit, hæc revocemus lumina. Meminerimus Deum nobis esse præsentem, ac nos intueri. Aperiamus oculos fidei, & cernamus testem, & judicem omnium actionum, & cogitationum nostrarum. Cogitemus Deum non solum esse præsentem in loco, ubi sumus; verum etiam intra nos esse per immensitatem suam; vereamur igitur conspectum ejus, neque eo vidente audeamus, quod coram alio quolibet teste non auderemus, O Deus! si de hac veritate nefas est ambigere, imposterum nihil nisi hoc animo aggrediar, ut tibi placeam. Satis est, te mihi testem esse, ut cogar ita vitam instituere, ut Christianum

decet,

decet; atque omnes tibi displicendi occasiones evitem. Imprime; Domine, altius cordi meo hunc sensum, ne dæmon, ne cupiditates, ne illecebræ creaturarum, quæ non aliud sunt, quam imagines tuæ, illud ab ea avertant fidelitate, quæ tibi debetur. *Idem*.

Oculi Dei non ferendi sunt peccatori; qui cæce suis noxiis patet cupiditatibus: optaret infelix Deum, cujus fidem suffocare non potest, cæcum esse, ne ea videret facta, quæ æternis obruere tenebris conatur. Ambigere aliquando vult, utrum Deo scelera sua sint explorata, eaque per sacrilegam impietatem oculis ejus conatur abscondere dicens, quod veteres quidam profani crediderunt, illum terrenis hisce rebus non immisceri, vel saltem illi nullo esse in discrimine, utrum oculorum suorum puritas tot abominabilium objectorum adspectu læderetur. Impium effatum, cujus nonnisi dæmon auctor esse potest ad auferendam Dei præsentiam, quæ criminum cursum cohiberet. Videte, quæso, quanam arte ad id usus est. Cum Ethnici Deum unum agnovere ducti rationis lumine, quod nequaquam ita extinguere potuerunt, ut eam ignorarent veritatem, quam creata quævis enarrant, dæmon illis persuasit, Deum hunc cæcum esse, ut omnem auferret hunc offendendi metum; & qui crassa cæcitate ducti Deos ubique statuerunt in aere, in terra, in arboribus, in sylvis, immo etiam in variis domuum suarum locis, non videmus ullum posuisse numen in hominis corde, ne ibi æternum haberent testem, atque censorem pravarum actionum suarum; & quidem S. Pater scite animadvertit inter Ethnicos alios coluisse Solem, & alios Lunam, ut in hac diei, & noctis partitione vacuum invenirent tempus, quo nullum criminum suorum testem haberent: & orator christianus Minutius Felix in Octavio narrat inter cætera, quæ Ethnici in christiana religione reprehendebant, hoc non postremum fuisse, quod Deum nimis curiosum venerarentur, qui omnia scire, & cognoscere vellet: *Nolunt Deum tam curiosum, & in actus humanos nimium inquirentem. Idem*.

Magna cæcitas est non cogitare de Deo, qui semper est præsens.

In Dei sinu vivimus, & sumus, ut inquit Apostolus, & fere numquam de Deo cogitamus. Sumus inter honores, felicitates, opes, & nugis tantum vacamus. Quæ cæcitas, quæ tenebræ! ex uno somno in alterum labimur, cum anima nostra nihilo magis interdiu experrecta sit, quam noctu, cumque interiores sensus nostri interdiu æque sopiti sint, ac noctu exteriores. Similes sumus cæco dormienti, qui duplicem tunc habet cæcitatem; alteram enim illi somnus addit. Cum expergiscitur non videt lumen Solis, non mundi speciem, neque creaturarum sibi præsentium diversitatem: ambulat in mundo, nec diversa illius videt objecta: sed cum dormit, cæcitas illius crescit, duo enim habet principia, quorum alterum tantum satis esset, ne videret, quod ob oculos habet. Ita cum dormimus, in profunda Dei oblivione demergimur, sed illud mirum est, quod ex somno excitati in eadem oblivione persistimus, cum anima nostra de Deo non sollicita, ineptissimis dumtaxat vacat objectis. *Auctor Anonymus*.

Cum Deus in nobis sit, cur illum extra nos procul quærimus.

Quis nescit Deum esse ubique, & omnia sua immensitate replere: quandoquidem ipse per Prophetam ait: *Numquid non cælum, & terram impleo*? Quamobrem Sanctus Rex David inquit: quo ibo a spiritu tuo & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; si alas assumpsero, ac trans maria evolavero, tu illuc me adducis. Deus igitur ubique nobiscum est: & in corde nostro tunc etiam cum illum procul abesse putamus. *Ecce intus eras*, dicebat S. Augustinus, *& ego foris, & ego te quærebam: mecum eras, & tecum non eram. Alius Auctor Anonymus*.

Omnes Sancti fuerunt velut mystica illa animalia, de quibus loquitur Ezechiel Propheta, oculis plena, qui numquam claudebantur, & qui respiciebant Deum præsentem ubique, in omnibus locis, ac statibus omnibus, in quibus aderant, atque hoc pacto innocentiam servabant, & abhorrebant a qualibet re, quæ lædere posset divinam hanc majestatem, quæ illis intime præsens erat. E contra vero effrænis licentia, ac vitiorum omnium congeries in peccatore, Scriptura inquit, inde oritur, quod se ipsum ita excæcat, ut quamvis Deus ubique sit, illum ubicumque comitetur, ac indesinenter respiciat, a suo tamen conspectu hic ipsum removeat: *Non est Deus in conspectu ejus*. Psalm. 10. Non habet ob oculos Deum, & uti loquitur Scriptura, non ambulat coram Deo: ideoque *inquinatæ sunt viæ illius*, hoc est vita ejus omni flagitiorum genere commaculata est. Hæc omnium criminum causa est, nolite quærere, cur illius cogitationes, desideria, facta sint adeo turpia, & nefaria. *Non est Deus in conspectu ejus*. Na aliam iniquitatis causam; numquam se a Deo videri considerat. Hæc est, Ezechiel Propheta addit, magna iniquitas Israel: hæc origo est omnium scelerum, & omnium vitiorum principium. In jugi oblivione versatur Dei sui, ita ut si ex actionibus ejus feratur judicium, dici queat, ab ipso Deum minime agnosci, vel ipsum Dei penitus oblitum fuisse; nam dicere, vel credere, illum a Deo non videri, idem est ac dicere, vel credere, non esse Deum: *Iniquitas domus Israel magna est nimis; dixerunt enim, Dominus non videt*. Ezech. 9. *P. Texier in Dominicali sermone pro tertia Adventus Dominica*.

Dei præsentia est ad perfectionem via.

Cum Dei præsentia supremum sit, & universale remedium, quod Sancti Patres nobis præbent ad omnes dæmonis tentationes vincendas, & ad superandam tepiditatem, quam in christianarum virtutum praxi experimur, & alioquin valida ratio ad efficiendum, ut in omnibus actionibus nostris sanctas dumtaxat, purasque intentiones habeamus; liquet viam esse facilem, ac brevem ad acquirendam perfectionem, viam, quæ cæterarum in se vim, & efficaciam continet, viam tutam, & quæ supplere potest omnibus præceptis, ac regulis, quæ nobis ad vitæ rationem instituendam tradi possent, uti sola est, quam Deus ipse Abraham docuerit: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Gen. 15. Ait *esto*, non *eris*, ut melius intelligamus certitudinem eventus; hoc enim ita certum est, quod tibi ob oculos proponens Deum sanctus, perfectusque fies, ut, ex quo omnem præsentiæ illius attentionem impendis, te jam perfectum esse censere possis: nam non secus ac astra a Sole lumen, virtutemque mutuantur, & ab eodem illuminantur, & statim ac illi præsentes sunt, illico fulgore ejusdem coruscant, ita justi, qui sunt veluti stellæ in Ecclesia Dei, ex Dei præsentia, & jugi ascensione cordis sui in illum omne recipiunt lumen, quo intus in oculis ejus, & extra in hominum oculis nitent, & virtutem, quæ necessaria est, ut sese generali mundi totius bono utiles præstent. *Rodriguez. part. 1. tractatu 6. cap. 1.*

De immensitate Dei, cui sumus præsentes.

Quidam, ut divinæ immensitatis considerationem sibi faciliorem efficiant, sibi repræsentant universum mundum repletum Deo, sicuti est, ac seipsos medios in hoc infinito divinæ immensitatis oceano, veluti spongiam in mare demersam. Comparatio hæc satis æqua videtur, & humano ingenio adaptata; sed reipsa nequaquam rite explicat id, quod per Dei præsentiam intelligimus. Hæc enim spongia in medio pelagi si sese attollat, ejusdem invenit superficiem, si dextrorsum, aut lævorsum feratur, littora attingit, si deorsum, in imo subsidet. Sed in Deo nihil horum est; in illo nec finis, nec terminus est, quia immensus est, & infinitus. Ad hæc cum spongia sit corpus, aqua, & quæ & ipsa corpus est, totam in omnibus partibus ejus penetrare non potest: nos vero toti, & ubique a Deo integre penetramur. Hæc tamen

com-

comparatio ; eliæque id genus, licet infirmæ sint, opem tamen aliquam afferunt, ut infinitam Dei immensitatem aliquo modo capiamus, & quomodo ille nobis, rebusque omnibus intime præsens adsit: Ideoque S. Augustinus non semel utitur illis: Cæterum meminerimus opus est, ut nosmet in Dei conspectu statuamus, necessum non esse illum nobis vel prope latus, vel in hoc, aut illo determinato loco repræsentare, neque sub hac, vel illa forma exhibere. Sufficit hac in re fidei actum elicere, præsupponendo ipsum vere præsentem esse, quin ulterius quæramus, quomodo hoc fiat. Ita Moyses facere consueverat, qui, S. Paulo teste, consideravit Deum licet invisibilem, eumque semper menti præsentem habuit, quasi vidisset illum. *Id.*

Fatendum est unum duntaxat in mundo esse Deum; sed hujus tanta est magnitudo, ut mundus nimis angustus sit, neque illum intra limites suos capere valeat: etenim quacumque ex parte illum spectemus, in infinitum extenditur, ita ut Deus sit in omnibus locis sine divisione, sine partibus, cum eo, quidquid habet potentiæ, gloriæ, & majestatis. Magnus est, inquit Propheta, & magnitudo ejus nullum habet finem, aut modum. Et profecto, nisi Deus hanc haberet immensitatem, sequeretur, saltem aliquam creaturam extra Dei conspectum fingi posse, quo ille pervenire non posset, nisi cederet loco: similiter mundus situm mutare posset, atque semper magis ferri in ea spatia, quæ supra Deum esse fingimus: vel fortasse crederetur ille in hoc mundo contineri, quemadmodum anima continetur in corpore, quin majorem habeat extensionem. Hoc proculdubio indignum esset Deo, vel quod creatarum rerum ambitu coarctaretur, vel quod aliquid ultra ipsum existeret, quod manu ejusdem minime sustineretur. Deus igitur infinite magnus est, sicuti in aliaqualibet perfectione est infinitus; ita ut nullus fingi possit vel in universo, vel extra locus, ubi ille non adsit. Dico extra, etenim cum ille æternitate sua omnes annos nostros excedat, nullumque adeo remotum sit ab hominum cogitatione momentum, quo Deus non fuerit, quod est; cur eodem pacto sese super cœlos non extendat, itaut nullus fingi possit locus, quamvis nobis remotissimus, ubi æque sit gloriosus, & potens, ac in medio Angelorum? Præterquamquod Dei potentia nequaquam ita coarctata est, ut novos creare, & producere nequeat mundos, si vellet, quin sibi locum facere teneatur, vel a creatis rebus opem mutuari ad id, quod vellet, agendum. *P. Maucorps sermone secundo de immensitate Dei secundum Lessii mentem.*

Quæ dulcedo sit esse cum Deo.

Quam suave est lateri suo propinquum habere omnium amicorum suorum amantissimum, ac potentissimum! Nil magis labores nostros lenire potest; nil magis nos in cœptis nostris confirmat; nil inter ipsos inimicos majorem nobis addit confidentiam; nihil nobis dulciorem efficit lætitiam, quam ubi illum cum ipso gustamus. Fieri non potest, ut meliores ex hominibus amici jugiter simul versentur: Deus unus semper amicis suis præsens est, semper prope est, nos undique circumdat, ac ipsas nostras animas penetrat. Attamen hæc adeo jucunda, utilique præsentia illis tantum adest, qui indesinenter de ipso cogitant. In complurium Sanctorum, præsertim vero S. Bernadi vita legimus insignem hunc sanctitate virum in corde suo recessum sibi extruxisse, ubi in singula momenta inter ipsa etiam gravissima negotia cum Deo versabatur, ab illo consilium petens, eique suos adhibens honores. Quis prohibet, quominus hujus imitemur exemplum, & cum etiam in cœtu sumus, vel negotiis vacamus, per intervalla attollamus oculos in illum, qui in imo nostri cordis habitat, & cogitemus, quod cum coram eodem simus, cavendum est diligentissime ne quid audeamus, quod ille improbare, & damnare possit? *Auctor Anonymus.*

Hæc quidam est Dei præsentia sanctis familiaris, illum in operibus ejusdem cognoscere.

Cum omnia creata sint opera Dei, & aliquot gestent perfectionum ejus vestigia, animæ sanctæ, quæ Deum quærunt, inveniunt illum, eumque in rebus omnibus, tamquam in imaginibus ejus agnoscunt. Nihil vident, nihil audiunt, nihil accidit, quo se ad illum laudandum, admirandum, ac incessanter laudandum agi non sentiant. Ita Sancti jugiter coram Deo ambulabant, & quidam praxin hanc extenderunt usque ad vitam, & actiones Salvatoris mundi, quarum memoria excitabatur ab iis rebus omnibus, quas intuebantur, sicuti legimus de S. Bernardo, cui, donec erat in solitudine, arbores, & agri qualibet hora de filio Dei verba facere videbantur. Montes omnes illi erant Calvarii, arbores omnes erant Cruces, sæpesque omnes memoriam ciebant spinarum, quibus Salvator fuit redimitus. Hæc eadem methodus est, quam vitæ contemplativæ magistri docent, ut ex rebus creatis ad Creatoris amorem ascendas; nec defuere animæ, quæ ita sancte huic exercitationi assueverant, ut herbæ coliculus, vel arboris folium satis esset ad memoriam divinæ magnitudinis, atque potentiæ excitandam. *Idem.*

De immensitate, ac præsentia Dei in rebus omnibus.

Deus per essentiæ suæ immensitatem creatis rebus omnibus præsens est. In cœlo est, & in terra, in altissimo cœlorum vertice, & in profundissima terrarum abysso: sed scitote illic non esse solum per moralem præsentiam, & quemadmodum princeps præsens est in regno suo per auctoritatem, leges, atque ministros; sed realiter ibi ipsum esse per essentiam, eumdemque ubilibet esse, ubilibet æque magnus, ubilibet æque potens, æque felix, æque sanctus, æque Deus. Utique Deus est in me, & in omnibus partibus essentiæ meæ, & in partibus omnibus cujuslibet essentiæ ne una quidem est, quæ Deo non repleatur. Ite per universum mundum, altius, quam potestis, ascendite, descendite, si fieri potest, usque in terræ centrum in abditissimos, remotissimosque terrarum sinus recedite, quælibet maxima, & minima corpora dissecate, videbitis Deum esse ubique, & invenietis totum Deo esse repletum. *Pater le Valois, tom. 4. operum Asceticorum, ubi loquitur de immensitate Dei.*

Quamvis Deus nobiscum sit, nos non sumus cum Deo eo modo, quo esse deberemus.

Si Deus nobiscum est, numquid ipsi vicissim cum Deo sumus, & mutua hæc præsentia est? Non quæro utrum cum Deo simus eo modo, quo sunt res anima carentes; quæro utrum simus cum Deo eo modo, quo esse debent creaturæ ratione præditæ per jugem, ac voluntariam mentium, & cordium nostrorum huic præsentiæ attentionem? Heu! ille est ubique, & nullibi ferme invenimus illum, ille prope adest, & nos absumus ab illo; nobiscum permanere vult, & nos cum illo noluimus permanere. Præsentiæ ipsius praxin tamquam molestam respicimus, & nonnumquam etiam velut impossibilem, vel eorum tantummodo propriam, qui ad eminentem evasere sanctitatem, ad quam contendere non audemus. *Idem in prima exhortatione de præsentia Dei.*

Deus non generatim solum nobis concessit spiritum cogitandi, verum etiam peculiariter nobis largitus est rationem, per quam a rerum visibilium cogitatione nosmet attollere possumus ad cognitionem illarum, quæ non videmus, cum aliqua inter eas ratio intercedit. Quidquid videmus, quidquid audimus, objecta omnia, quæ nostris sensibus occidunt, sunt entia creata, quæ necessariam, & essentialem habent cum suo Creatore rationem: *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Job 12. Hæc opere sunt manuum ejus: specula sunt, in quibus ille divinas suas perfectiones nobis repræsentat; hæc sunt vestigia, & imagines divinitatis ejus; hæc sunt totidem concionatores, qui de illius sapientia, potentia, misericordia loquuntur, & qui indesinenter de illis loquuntur, & qui ubique loquuntur voce semper constanti, & qui ea loquuntur lingua, quam omnes passim intelligunt: *Non sunt loquelæ,*

neque

atque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Psalm. 18. Quomodo igitur non sæpissime cogitare possumus de illo, quem omnia nobis tradunt cognoscendum, & quem omnia nobis prædicant? *Idem*.

Non cognoscimus Deum, qui in nobis est.

Quam merito fidelium plerisque dicere possem, quod S. Joannes dicebat ad Judæos loquens: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis*. Deus vester medius est inter vos, ille in vobis est, sed ignoratis illum; si enim illum cognosceretis, si vel simplicissimam haberetis supremæ illius majestatis, infinitæ bonitatis, & innumerabilium perfectionum ideam, solus omnes occuparet cogitationes vestras; mentes vestras ita raperet, atque absorberet, ut aliud quodvis objectum ex oculis vestris evanesceret; sed iterum dico, illum ignoramus, & nosmetipsos ignoramus: nescimus, quid exigat ex nobis vel rationabilium hominum qualitas, vel fidelium character. *Idem*.

Divinæ præsentiæ praxis plurimum confert, ut perfecti efficiamur.

Affirmo, Dei præsentiam eminenter continere rationes omnes, quæ nos ad perfectionem possunt adducere; illuminare, & excitare; animos addere, & sustinere; consolari, & roborare; interiorem, exterioremque partem componere; animæ nitorem adjicere, eamque insignioribus virtutibus cumulare, & nihilominus eamdem in profunda humilitate continere. Ita sane: Dei præsentia magis, quam omnes libri, concionesque omnes illuminat. Dei præsentia excitat; cum enim Deus eadem bonitas sit, possumusne jugiter de illo cogitare, quin amemus; possumus illum amare, quin inflammemur, ut amorem nostrum eidem testatum faciamus? Si meditatio, Davide teste, divini amoris ignem accendit, quid tandem praxis præsentiæ Dei, quoniam hæc jugis est meditatio? Denique Dei præsentia animos addit, ut omnia aggrediamur, omnia sustineamus. Hæc nos confirmat, & cum tædio afficimur, & cum tentationibus petimur. Deus me certantem videt, & animos despondebo? Scit Deus me pati, & me pati vult; egone mihi parcere audeam? Præcipit mihi Deus hoc, & illud charitatis opus; ille me adspicit, ac testis erit, utrum illud fecerim, ego vero ipso inspectante eidem obtemperare detrectabo? Ambulans coram te, Domine, omnes adimplere volo voluntates tuas, & omnia tua mandata facessere. Ita loquitur Propheta Psalm. 118. *Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*. *Idem*.

Mala, quibus nosmet subjicimus Dei præsentiâ omittentes.

Nequaquam agentes in conspectu Dei, assuescitis agere ex libidine, & omnes sequi cupiditates vestras: libido hæc mox dominatur in vobis, & cupiditates absolutum exercent imperium, justoque judicio Deus, qui se oblivioni traditum videt, quodammodo obliviscitur vestri, ac vobismetipsis derelinquit: *Israel non intendit mihi: dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Psalm. 80.

O terribile verbum! Israel, dicit Deus, de me non cogitat: populus hic, quem elegeram, quem beneficiis cumulaveram, non recordatus est mei: dereliquit me, ego vicissim derelinquam illum, ac sinam eum propriam libidinem sequi! *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Inde vero quot lapsus, quot peccata! *Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*. Psalm. 9. Fieri non potest, quominus in sexcentas periculosas occasiones impingat. Una Dei præsentia regere nos posset, sed de illa ne cogitamus quidem: numquid mirum est si labimur, si quotidie nova, & ubi sese offert occasio, recentia committimus scelera? Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. *Idem exhortatione secunda*.

Modus præsentiæ Dei animarum perfectarum propriur.

Creaturæ nonnumquam, quin aliquid animæ dicant, illi apparent tot veluti imagines, in quibus ipsa inspicit Deum: quacumque ex parte sese in mundo vertat; imagines videt, quæ ipsi supremum hunc rerum Dominum exhibent, quæ illius memoriam indesinenter instaurant, ac prohibent, ne unquam illius oblivione capiatur. Ita illa omnibus oculos aperit, quin distrahatur, semper rapta, translataque in Deum: opera quidem illam alliciunt, sed multo magis opifex: immo opera illi non placent, nisi quod illic detegit sapientiam, potentiam, omniaque magnalia opificis, cui omnem, quam potest, gloriam attribuit; sed cui non omnem, quam meretur, gloriam reddere potest. Creata omnia, tamquam Dei beneficia considerantes, nunc non cogitamus amplius illius sapientiam, & potentiam, sed bonitatem tantummodo consideramus. Nobis non aliud videtur amplius, quam amor, & diceres, amorem, & bonitatem ipsius caliginem offudisse omnibus aliis perfectionibus ejus, vel has non esse nisi bonitatis ejus, amorisque instrumenta. Si stellas suspicimus, recordamur Deum illis impertire lumen, quo nos illuminent; si terram despicimus, reminiscimur a Deo firmatam fuisse, ut nos sustineat, & ab eodem uberem factam, ut nos alat, & sic de cæteris, ac de sic rebus omnibus, quæ tum necessitatibus, tum vitæ hujus deliciis inserviunt. Difficile est hominem ita omni sensu carere, ut se tot cumulatum bonis inspiciens non diligat suum benefactorem. *Idem*.

Quanta reverentia stare debemus coram hac Dei majestate.

Si Deus semper est coram me, ego quoque semper coram illo esse debeo, ac incessanter cum Propheta dicere; Vivit Deus, in cujus conspectu sum. Quanam reverentia, sed potius quanam trepidatione coram hac majestate standum est mihi? Quomodo coram Deo id facere audeam, quod coram homine non auderem? Me semper respicit Deus, nonne illum omnibus in operibus meis respicere debeo? Nonne hic illorum finis esse debet, sicuti principium est? Ille de me cogitat semper; ego vero ingratus de illo fere numquam cogito. Deus ita attentus est in me, ita occupatus, perinde ac ipse solus essem in mundo; ego vero cæcus mundanis rebus, me ipso, sexcentisque occupor nugis, ac Deum meum perinde negligo, ac si ignorarem illum, vel nullum esse crederem! Qui Deum cognoscit, qui Deo vacat, pro nihilo ducit, quidquid Deus non est, ac vivit, quasi in mundo nemo esset præter se, ac Deum. *Pater Nepveu, tom. 3. christianarum considerationum*.

Me videt Deus. O magnum verbum intelligenti illud! Quam aptum est ad cupiditates nostras coercendas, ad nostra desideria moderanda, ad prævertenda peccata, ad constantiam roborandam, ac fervorem fovendum, ad vitæ rationem instituendam! *Me videt Deus*, semper mihi præsens est, semper attentus, semper cogitat de me; & ego illum non respicio, de illo fere numquam cogito, numquam illi attentus sum: quis pudor? *Me videt Deus*, quanam reverentia, ac modestia coram illo stare debeo? Seraphim præ reverentia coram tanta hac majestate faciem suam contegunt, ego vero terræ vermis non contremisco? *Me videt Deus*. Audeamne ob oculos ejus, qui adeo puri sunt, ut iniquitatem respicere nequeant, audeamne ea facere, quæ coram homine aliquo non auderem? Audeamne peccare coram illo, quem scio infinito odio persequi peccatorem, atque peccatum, & cui satis est velle, ut illum perdat? *Me videt Deus*; penitiores cordis mei sinus rimatur, omnes illius motus videt, rationes omnes, propter quas operor, intuetur; quanam igitur intentionis puritate omnia mihi præstanda non sunt? &c. *Idem tom. 3. considerationum*.

Peccatorum peccat, quia cogitet se a Deo videri, sibi vel persuadet, vel persuadere vult ab eo non videri.

Cum peccator cogitat se a Deo videri, & audiri; cum sibi repræsentat se indesinenter esse sub oculis justi judicis hujus, qui omnia intuetur, & quem nihil fallit; cum, licet proprii amoris artes eum decipiant, dicit Deo: tu cor meum scrutaris, & me perfecte cognoscis, eminus agnoscis cogitationes meas, antequam ipse illas concipiam: *intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti*. Psalm. 138. Scis quid cogitem, ac penitiores cordis mei latebras scrutaris, ut secretissimas ejusdem actiones intelligas. Cum, inquam,

inquam, peccator magnas hasce considerationes secum reputat, contremiscit, fremit, vel saltem interius experitur duarum diversarum cogitationum certamen: Peccatum hoc patraturus sum; sed me Deus videt: injustitiam hanc aggredior, sed quidquid agam, illam sciet Deus: amicum meum proditurus sum, & perditurus inimicum; sed quacumque utar arte, omnes illius circumstantias deteget Deus. In hac consilii incertitudine Deus loquitur ad cor, & pro Deo loquitur conscientia; sed undenam fit, quod peccator numquam inde eam elicit conclusionem, quam deberet? Quia longe a Deo est, & quin cogitet se a Deo videri, sibi persuadet se ab eodem nequaquam videri. *Auctor actionum christianarum serm. de peccato.*

Dei præsentiæ cogitatio nos avertit a peccato.

Praxis præsentiæ Dei valida ratio est, quæ nos avertat a peccato, nosque adigat ad nil audendum, quod indignum sit nobilitate, & generositate Christiani. Etenim quisnam, dummodo sensum, mentemque non amiserit, peccatum committere vellet sciens se esse coram Domino, & supremo Judice suo, qui videt omnia, qui nihil impune relinquit, & qui terræ imperare potest, ut dehiscat, quod olim accidat, ac repente illos, a quibus læditur, deglutiat? Quisnam famulus officio suo deesse auderet, ubi a Domino suo inspiceretur? Quis fur tanta esset audacia, ut inspectante judice, a quo damnandus est, furaretur. Hac de causa Scriptura impensius nobis hanc praxin commendat: *In omnibus viis tuis cogita illum*, Sapiens ait Proverb. 3. *& ipse diriget gressus tuos*: & Mich. cap. 6. ita loquitur: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*. *Auctor Anonymus*.

Sacra narrant Biblia, regem Assuerum inde potissimum contra superbum Amanum irritatum fuisse, quia credidit, illum voluisse crimen se inspectante committere: *Etiam me præsente Reginam vult opprimere*. Nonne Deus hoc ipsum jure dicere potest? Peccator tu coram Deo tuo audes committere scelera, quæ coram hominibus ne cogitare quidem auderes? Quisnam ita esset temerarius, & audax, ut in conspectu judicis proximi bona vellet surripere? Quisnam adeo perfrictæ frontis esset, qui turpe aliquod committens coram hominibus, a quibus minime cognosceretur, non erubesceret? Quid! Numquid Deus minus timendus est, quam vir aliquis spectatæ auctoritatis, vel etiam non exploratæ? Numquid minor divinæ majestatis, quam honestatis publicæ ratio est habenda? Coram hominibus non audes quidquam improbe conari; id vero citra metum, & impudenter coram Deo facies? *Specimen sermonum pro feria tertia post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Quam impressionem in homine Christiano facere debet præsentia Dei.

Cum Christianus quidam Philosophus nomine Athenagoras in Apologia, quam Christianorum causam probaturus habuit coram Marco Aurelio Imperatore, nihil aptius invenit ad abolendam ex principis hujus animo pravam impressionem, quam nominis Christiani perceperat, quam dicere, fidem, quam illi profitebantur, eos cogere, ut crederent se a Deo omnibus in locis interdiu, noctuque videri, & ab eodem secretissimas etiam cogitationes penetrari, quarum districtam aliquando rationem sunt reddituri. Hinc conjice, Cæsar, ajebat illi Philosophus, quam longe absint a criminibus, quæ ipsis vitio vertuntur, homines, qui adeo nefarii, ac impii tibi exhibentur. *Auctor Anonymus*.

Omnia nobis in mentem revocant Dei præsentiam.

Omnia, Domine, divinam præsentiam tuam nobis ob oculos ponunt, atque te in iis rebus non intueri, quæ magis se nostris oculis ostendunt, effectus est cæcitatis, ac inauditæ stultitiæ. Terra, & qui incolunt illam, quidquid in ea ad nostrum usum posuisti, omnesque ornatus illius tantum ob oculos nostros nitent, quantum Sol, & omnia Sydera, quæ cœli pulchritudinem constituunt, ut per manuum tuarum opera menti nostræ fias præsens. Non igitur mirum est, Domine, si peccati tenebris involuti sumus, quia a divino tuo lumine recedimus; sed mirum potius esse deberet, si oculos jugiter avertentes a te numquam decideremus. *Auctor Anonymus*.

Fructus, qui ex divina præsentia percipiuntur.

Divinæ præsentiæ praxis in hoc posita est, quod anima per fidem edocta sibi Deum repræsentans non per figuram quidem, aut imaginem, quam sibi effingit, sed per simplicem cognitionem, Deum videlicet id esse, quod est, necnon plenum majestate, potentia, & bonitate, ascendit ad Deum, atque se cum illo conjungit cum amore obsequentissimo attentius, ac frequentius, quam fieri possit. Ex hac praxi diu adhibita in anima oboritur status luminis, quod illi detegit defectus ipsius, eamque docet, quid ipsi faciendum sit. Inde oritur etiam timor filialis, quo cohibetur pluribus in occasionibus, in quibus in malum rueret, inde confidentia, tranquillitas mentis, puritas, devotio, sancta lætitia, aliaque infinita bona, præsertim vero constantia in virtute, ac pietate, quæ nonnisi hac arte potest comparari. *Ex tomo primo Asceticorum spiritualium Patris Surini.*

Viri nequam de divina præsentia non secus ac Sancti dubitare non debent.

Ratio ejus, qui sese nequitiæ mancipasset, ita ne aberrare posset, ut insanam hanc conciperet cogitationem, de qua quidam ex amicis Job principem hunc injuria insimulabat? Deum videlicet, quippe qui solium suum super cœlos constituit, imperfecte dumtaxat, ac indistincte ea intueri crimina, quæ homines patrant; crassitiem, atque extensionem nubium densum velut, obscurumque velum sub pedibus illius obtendentem efficere, ne ille hominum actiones videat; atque illum, cum nequeat eorum facta cognoscere, omnes suas curas intendere, ut superne omnes cœlorum, syderumque motus moderetur? Ego quidem credere nequeo, peccatum tantam rationi caliginem offundere, ut similes fingantur chimeræ. Nequaquam, non secus ac Sancti, peccatores nequaquam ignorant, oculum Dei densissimas penetrare tenebras, lumen afferre quocumque, renes, & corda scrutari, ut loquitur Propheta: potentiam ejus nullis liminibus circumscribi; cœlum, terram, vel infernum præstare non posse perfugium illis, quos ejus justitia persequitur: potens illius brachium eos in remotissimis, secretissimisque locis apprehendit. Nullus est dubitandi locus, quod peccatores ambigant de præsentia, justitia, & potentia Dei; etenim totis artubus contremiscere, atque pallescere videntur, cum hæc illis in memoriam revocantur; testis est ille Cæsareæ Præses, de quo in Apostolorum Actis cap. 24. est sermo. Et profecto cum illis infinitum exponitur lumen, incomprehensibilis potestas, ac terribilis severitas ejus, qui testis est, eritque judex actionum ipsorum, verba, quæ ad id adhibentur, sunt veluti totidem tonitrua, quæ illos excitant, & fulgura, quæ illos cogunt, ut oculos aperiant. *Liber, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eusebii Presbyteri.*

Cur præsentia Dei non habet in nobis eumdem effectum, ac hominis, qui actionum nostrarum est testis.

Ad cohibendum hunc iniquitatis torrentem, qui tantam in mundo parit vastitatem, nihil aptius est, quam cogitatio Dei ubique præsentis: sed si eo caret effectu, quem gignere deberet, inde factum est, quod homines non habent fidem, ac sensuum tantummodo consilium sequuntur. Prope est, ut aliquis alteri necem inferat? si quem adesse sentit, a quo videatur, retinet brachium, neque meditatum scelus absolvit. Alius paratus est, ut furtum faciat, vim exerceat, vel aliquam injustitiam committat? Testis adspectus illum deterret, & prohibet, ne cogitatum facinus patret. Tu omnia vides, Domine, nihil sub Sole fit, quod tibi non sit compertum, atque exploratum: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*. Ad Hebr. 4. Nulla tibi nox est, profundissimas etiam obscuritates, densissimasque tenebras penetras: *Tenebræ non obscurabun-*

turbantur a te, & nox sicut dies illuminabitur. Psalm. 138. Attamen hæc cogitatio nullum statuit obicem impiæ cupiditati suæ satisfacere quærenti. Hominis præsentia illum deterret, ac initum consilium evertit; tua vero Domine nullam in corde illius efficit impressionem, & impetus delectationum suorum vi rapi se patitur. Hujus discriminis causa est, quod ille caret fide, vel quod fides illius ita extincta est, ut eadem quodammodo uti nequeat. Homo, qui eum videt, sensu ejusdem afficit; te vero non videt, atque nonnisi ex fide cognoscit. Si fides ejus viva esset, illi toto cœlo præsentior esses, quam si oculis te videret &c. *Abbas Trappensis in christianis considerationibus in S. Lucæ Evangelium.*

SUPPLEMENTUM.

Optima ratio ... Deum semper præsentem ...

QUilibet quovis tempore, & ubicumque consideret quod facit, quod dicit, quod cogitat: quoniam ipsius cogitationes, verba, & opera latere non possunt illum, qui adest ubique, qui omnia novit, & audit, & qui renes scrutatur, & corda. Mortalis gravi licet actus tentatione tunc rubore suffunderetur faciens, vel dicens aliquid turpe coram alio mortali; quomodo ergo ita audax est, ut omnis linguæ, sensibusque suis permittat, supremo Judice suo audiente, & inspectante? Esto quidem, S. Augustinus ait, a nemine videatur; quomodo vero illius oculos fallat, qui de Cœli vertice prospectat quidquid in terris transigitur? S. Basilius virginem Deo sacram erudiens, illam hortatur, ut extremam adhibeat verecundiam coram Jesu Christo, Patre Æterno, Spiritu Sancto, & choris Angelorum, quia vident omnia, & quocumque fugiamus, numquam eorum oculos possumus evitare. Si rite nobis esset persuasum inter ipsas concubiæ noctis tenebras, ac silentio Deum esse non spectatorem solum actionum nostrarum, verum etiam secretiorum cogitationum cordis; nae ipsi quidem cautius, ac verecundius vitam duceremus; semper nobis occurreret dictum illud Dei ad Abraham: *Ambula coram me; & esto perfectus*: Cogita te semper a me videri, & perfectionem acquires. *Card. Bellarminus in Opusculis.*

Epist. 109.

Plurimis Christianis dici possent ea, quæ olim S. Joannes dicebat Judæis. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Medius inter vos est Jesus Christus, & ignoratis illum; si enim illum cognosceretis, posseritisne illum adeo modica dilectione, reverentia, grati animi sensu complecti? Quænam fuit Judæorum calamitas legitimum Regem illum, Dominum, Redemptorem Messiam non cognovisse? Messiam hunc ardenter adeo concupitum, ac tamdiu expectatum, Adventus cujus tempora adeo palam erant connotata, cujus doctrina, & miracula prophetarum oraculis palam respondebant? Numquid minus malum est homini Christiano Jesum Christum cognoscere fide infirma, languenti, & semiextincta, fide exanimi, quæ lucet adhuc, ut nos inexcusabiles faciat; quæ tamen non satis efficax est, ut nos veros Christianos efficiat. Jesus Christus seipsa medius est in nobis in adorabili Eucharistiæ Sacramento; at sub hoc integumento agnoscitisne Jesus Christus? Illumne, o Mundi Principes, cognoscitis? Populi nostis illum, qui in Templis nullam illi adhibetis reverentiam, & qui nullum reperire potestis temporis momentum, quo eumdem in altaribus nostris situm veneramini. *P. Croiset in Asceticis Exercit.*

Genes. 17.

Deus est in omnibus, & etiam in animabus nostris per præsentiam. Jerem. 23. Psal. 138.

Deus immensus est, replet, ut ille ipse de se inquit, cœlum, & terram; replet universa, & licet plurimi essent mundi, eos repleret, & esset ubique: *Si ascendero in cœlum*, ajebat Propheta, *tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Poterat etiam dicere; quocumque recedere possim, sive superne sive inferne, ac trans cœlorum ambitum, numquam solus ero; tu enim ibi aderis mecum. Quia nuspiam esse possum, quo minus tum intra te; opus est, ut me sustineas, omnia quippe potentissimo brachio tuo sustinentur. Neque putes Deum corpora tantum replere, & penetrare; spiritus quoque penetrat, & cordium remotiores sinus scrutatur. Quomodo vero scrutaretur, nisi esset ibi? quomodo eorum audiret gemitus, si procul abesset. Quomodo Propheta dicere posset: *Audiam quid loquatur in me Dominus*; si Dominus non esset in illo, vel prope illud ita ut vocem illius posset audire? Beata anima, quæ diligit Deum, & a Deo diligitur; habet enim semper dilectum suum in corde; & semper in dilecti sui corde manet! *Qui enim manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, S. Joannes ait. *Cardinalis Bellarminus in Opusculis.*

Psal. 84.

Joann. 4.

Principes terræ metuuntur, & jure; sexcenti quippe illis sunt modi ulciscendi illatas sibi injurias, licet eorum imperia intra certos limites contineantur. Qui læsæ majestatis reus est alio confugere potest, & sæpe, quin pedem efferat; prope regem versatur; quin hoc ille sciat; & in ferarum alicujus loci tenebris securitatem invenit: & quinam Dei iracundiam hoc pacto eludat? Ubique est, & æque potens ubique. Infernus ipse satis profundus non est, neque tam late patet terra, ut eos tueri possit, qui vel oculos illius fallere, vel ejusdem potentiam fugere posse contenderent. *Auctor Anonymus.*

Nemo ira Dei fugere eam licet, quia ubique est.

Mundus repletus est laqueis nostræ fragilitati positis; vix proferre pedem tuto licet, quominus in illos incidat; ideoque sanctissimus quisque ingemiscit. Hoc a mundo Paulus avulsit, atque Antonios; hoc frequentavit; hodieque frequentat deserta, locosque omnes solitudini sacros. Omnes tamen hujusmodi laquei possunt evitari, quin prorsus a Mundo recedas, imitatus Regem Prophetam, qui in ipso aulæ tumultu, oculos a Domino minime dimovebat, tibique veluti exemplum proponens Reginam Esther, quæ cum ob status sui necessitatem deberet conviviis, profanisque ludis interesse, nulla alliciebatur ineptorum id genus solatiorum voluptate, quia subinde Dei sui memoriam instaurabat. Mundus frustra nectit insidias animæ, quæ a Dei præsentia non excidit. Hoc pacto in Dei clientelam sese recipit; ita majori cum effectu cœlestia implorat subsidia, quod facere nequiret per verba, quibus non semper cordis affectus consentit. Itaque interest gloriæ illius, in quo sperat, eum tueri; & profecto ipse illam ab omnibus inimicorum suorum laqueis liberabit. *P. Segneri in Meditat.*

Justus evitat d. mundi laqueos semper intentos in Deum oculos habens.

Cura, qua Rex Propheta numquam amovebat oculos suos a Domino, nequaquam sita erat in hac una cogitatione, Deum ubilibet adesse; verum posita quoque erat in affectione cordis, quod semper erat paratum capessendis, faciendisque absoluti Regum Domini mandatis. David cæterum tamquam alacer fidelisque servus Dei beneplacitum sibi per imperia innotescere præstolatur, sed ad minima Dominicæ voluntatis indicia intentus, eadem cum fidelitate illis obsequitur. Ipsa etiam Dei sui prævenit desideria scire cupiens, quid illi magis esset placiturum. Hac mente oculos semper in Dominum attentos habere decet: status hic vere perfectus est; talem nihilominus esse decet omnium Christianorum statum, qui deferunt Dei legem insculptam in cordibus suis; hic enim thesaurus periclitatur, nisi alios habuerit custodes, quam timorem violandi præceptum. Semper in officiis obeundis ambigitur, & periculosæ opus plenum est aleæ, illis constanter inhærere, cum quis ibi tantum subsistere vult, ac timet, ne ulterius progrediatur. *P. Segneri in Meditat.*

Justus non amovet oculos a Domino, ut sciat quid placeat illi.

Servus attentus est Domino suo, ut sequatur, & concomitetur illum, quemadmodum suum postulat officium. Christianus homo, Jesu Christi discipulus divini hujus Domini, vestigia legere debet, & quomodonam hoc adeo necessario munere perfungetur, nisi sibimet proponens semper hoc

Justus oculos tenet defixos in Dominum suum, tamquam servus in herum quem sequi debet.

omnium

Omnium actionum fuarum exemplar? In fingula momenta infpice in illum, ut in illius ductu videas, quæ tibi fint fequenda veftigia. Præcedit ille, ut tibi monftret iter, tibi dicens; *Sequere me*; & univerfale mandatum hoc femper iterat tibi, quicumque peculiaris incidat cafus. *Sequere me*. Imitare iftic patientiam meam, humilitatem meam, amorem meum paupertatis. Indefinenter igitur memoria repete actiones Chrifti Domini, quæ totidem mandata funt, ut illas fequaris. Quænam potior homini gloria eft, quam Deum ducem fequi, ac pedetentim, & fedulo illius fectari veftigia? *Gloria magna eft fequi Dominum*. Hoc unum quærebat Sanctus Job: *Veftigia ejus fecutus eft pes meus*. *Idem P. Segneri in Medit.*

Eccli 23.

Job 23.

Juftus oculos habet femper intentos in Dominum tamquam in eum a quo in omnibus pendet, & a quo omnia illi funt expectanda.

Deus ita Dominus nofter eft, ut ab illo rebus in omnibus pendere debeamus. Quin enim loquar de temporalibus bonis, quorum Auctor eft, & Confervator, æterna felicitas, quam fperamus, venia fcelerum, quæ Cœli nobis aditum obftruunt, liberatio a periculis, quæ lapfuum noftrorum effent caufa, perennia fubfidia, quibus prope infinitæ neceffitates indigent noftræ; omnia hæc ab illius pendent arbitrio. Noftra igitur quam maxime refert indefinenter oculos habere intentos in Dominum, ne quid operemur, quod fit illius indignum bonitate, & ut beneficos ejufdem obtutus in nofmet convertamus. Hic ex heris omnibus optimus eft; hic inceffanter manus habet apertas, ut noftris opem ferat egeftatibus, & id unum quærit, quomodo nobis afferat folatium. Ne ftatuamus ergo obicem beneficiis illius, eorumdem obliti; quis eft fervus, qui negligat Dominum, a quo omnis fua pendet felicitas; qui ejus evitet præfentiam? qui ad illum confugere dedignetur, quamvis hoc illi facere liceat, immo etiam ille facere jubeatur? Singulis vitæ meæ momentis Deum meum alloqui poffum, & certus fum, me audiri ab illo; In fingulos greffus opus eft mihi illius fubfidio, & labi poffum in laqueos, quos mihi pofuerunt inimici mei; numquam amovebo ab illo oculos meos; ne ille fuos umquam amoveat a me. *Idem*.

Opus nobis eft, ut Deum omnes dirigat greffus noftros, ne igitur oculos ab illo deflectamus.

Ad ulterius ciendam confidentiam in nobis, Scriptura certiffimum nobis proponit confilium promerendi validam de cœlo protectionem; eft autem, ut numquam oculos deflectamus a Deo, ut in viis omnibus uni huic placere quæramus, ut illi omnia opera noftra dicemus, ea ad majorem ipfius gloriam referentes, tamquam ultimum finem quem nobis proponere debeamus; ut femper operemur tamquam agentes omnia coram fuprema hac majeftate, certi, nos ab illo videri, & ad eodem quæcumque facimus confiderari. Hac ratione quidquid ad nos fpectat, quodammodo fpectat ad ipfum Deum, & ille fumma cum oblectatione refpicit actus noftros, ut ii, qui referuntur ad ipfum. Nos protegens nancifcitur confervationem boni, quod fuum eft, & efficiens, ut ea quæ concipimus confilia optimum confequantur effectum, nobis cooperatur, nobifcum ad majorem ipfius gloriam concurrit. Si difficile vobis videtur oculos figere in adorabilem ejus præfentiam in fingulos greffus, inde oritur, quia vobis non eft plena, & integra in ipfo confidentia, quia adhuc nimii eftis propriæ prudentiæ, quia nondum omnia opera veftra facitis, ut illi placeatis; verbo, quia illum non diligitis. Hoc vobifmet perfuadete, vos ex vobis nihil poffe; quemlibet greffum vobis effe periculum proximum, & fortaffe etiam lapfum, nifi Deus propitiam vobis manum tetenderit. In affidua hac neceffitate, quam vobifmet ftatueritis, divinæ erga vos protectionis, facile omnes cogitationes veftras converteris in illum. Involutis tenebris obfcuræ noctis in via, quæ penitus vobis ignota eft, nifi fuperno lumine illuftrati fueritis, poteftifne cogitare de duce, qui folus poffit vobis rectum iter oftendere? Ejus præfentia vobifne gravis effe poteft? Vobis longe plurimæ funt caufæ non amovendi oculos a Deo toto hoc in vitæ veftræ curriculo, præfertim vero gradientibus fecus ora tot abruptorum locorum, quibus undequaque feptæ funt viæ, quas tenetis. In falutis via tenebræ citius nos opprimunt, quam in alia quavis, & pericula, per quæ currimus fæpe oculos noftros fallunt. Omnibus itaque in viis noftris de Domino cogitemus, opem illius fidenter imploremus, & diriget ille pedes noftros. *P. Segneri in Meditationibus*.

Non fatis eft fcire Deum medium effe inter nos; cogitandum eft illum medium effe, & nobis ambulandum effe coram illo.

Medius veftrum ftetit, quem vos nefcitis. Chriftiani omnes fciunt Deum medium effe inter illos; fed hoc eft, quafi nefcirent, quia ad id non advertunt animum, & hæc eft omnium malorum noftrorum caufa: *Non eft Deus in confpectu ejus; inquinatæ funt viæ illius in omni tempore*. Si Deus nobis femper effet præfens, quemadmodum nos femper illi præfentes fumus, numquid illi permitteremus tot res, quæ illi difplicent? Audetne aulicus committere non equidem dico, fcelus, fed quidquam indecorum coram Principe? Volumufne ad Chriftianifmi perfectionem breviori via pervenire? Nofmet tamquam jugiter præfentes Deo exiftimemus. *Ambula coram me, & efto perfectus*. Hoc nobis etiam atque etiam commendant fancti, tamquam aliquid, non utile folum, verum etiam faluti neceffarium. *Recens Auctor*.

Genef. 17.

Affuefcendum per fidem Deum in nobis effe, jugiter effe, ferme cum illo ut eft verecundi.

Ad ufum præfentiæ Dei acquirendum non fatis eft, nobis per fidem effe perfuafum, nobis Deum modis omnibus effe præfentem: Opus eft etiam ut affidue illi præfentes fimus, ut illi perhibeamus eos reverentiæ, honoris, amorifque fenfus, quos jure a nobis poteft exigere. Ne patiaris igitur, Deum folum effe intra te tamquam Principem derelictum in aula fua, conftantius quam fieri poterit mane coram illo; omnes eidem placendi artes inquire, adora illum, lauda, benedic, illi gratias age; luge, temet illi profterne, ac age pœnitentiam coram illo tot injuriarum, quibus illum affecifti. Sed potiffimum fanctum nomen ejus invoca; gaudet ille videns fubfidium a fe experi, quia gaudet opitulari. Invoca illum, ut dirigat greffus tuos, ut te in tentationibus fuftineat, ut in laboribus roboret, ac ornet te muneribus fuis in tua egeftate demum, ut adfit tibi præfertim in hora mortis tuæ, quæ in fingula momenta poteft contingere. Si enim Deus tamquam bonitas ipfa vult de te bene mereri: altera ex parte tamquam Dominus tuus, orari vult, ut bene mereatur. Extrinfecus quæro oblectamenta, & lætitiam, cum intra me unicum geftem veramque fontem amicitiæ. Heu! fumma premor egeftate, quia nefcio frui thefauro immenfo, quem poffideo. Quænam in hominibus ambitio eft, ut occupent apud terræ Principem aliquem ex iis honoribus, qui homines Principi propiores faciunt, ita ut facilius gratias obtineant! Tibi femper infinite præfens fum, fupreme cœli, terræque rex, poffum tibi in fingulas horas obfequi, & poffum iterare petitiones meas, quin timeam, ut bonitatem tuam defatigem. *P. Segneri Tomo 4. Meditat.*

PROCRASTINATIO POENITENTIÆ.

Pœnitentia ad mortem dilata, suspicione non vacat, & sæpe inutilis est; Impœnitentia finalis, &c.

M O N I T U M.



E Pœnitentia procrastinatione, deque finali impœnitentia communi titulo agendum censui; quippe duo hæc argumenta necessitudine quadam sibi cohærent, cum alterum alterius causa sit, & effectus: præterquamquod utrumque ad eumdem Salvatoris finem refertur, qui est, ut videlicet mors in peccato timeatur, quod propriè impœnitentia finalis operatur. Hinc fit, quod hoc argumentum aliquam habeat etiam rationem cum morte peccatoris, cum habitu peccati, cum Dei derelictione, de quibus singillatim suo loco actum est, ubi quæ dicta fuere, consuli poterunt, si necessitas jusserit. Reor tamen, quin aliunde quidquam petendum sit, non defuturam satis uberem rerum supellectilem ad argumentum de impœnitentia, vel conversionis mora pertractandum. Notandum solum est, a nobis promiscue conversionis, & pœnitentiæ nomina usurpari ad innuendam vitæ mutationem, integramque, ac sinceram criminis, criminosarumque affectionum omnium dubitationem.

Quod ad impœnitentiam pertinet, de qua seorsim agi potest, hac voce finalem intelligimus impœnitentiam, ad quam conversionis procrastinatio peccatores adducere consuevit; quamvis hæc continuata voluntas in peccato permanendi, necnon negligentia per pœnitentiæ sacramentum scelera sua expiandi, actualis impœnitentia vocari potest, quatenus est ad illam, quæ reprobationi cumulum addit, dispositio.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Structura.

I. 

I vulgatiores noxiæ hujus procrastinationis, & moræ sine fine interjectæ conversioni causas diligentius excusserimus, ad tres potissimum redigi intelligemus; 1. in aliis stupor est, acidia, divinarum rerum tædium; 2. in aliis amor peccati, noxia aliqua familiaritas, vel affectio illis imperitans, eosque in turpi retinens servitute; 3. in aliis denique cæcitas mentis est, & obduratio cordis, quæ efficit, ut neque judiciorum Dei metu, neque æternæ damnationis suæ periculo moveantur. Itaque assero differre pœnitentiam, & conversionem per acidiam, divinarumque rerum fastidium, idem esse ac subire periculum, ne mors cunctantem in impœnitentia deprehendat; 2. pœnitentiam, & conversionem differre propter amorem peccati, idem esse ac periclitari, ne ultricis justitiæ Dei effectu peccator in impœnitentia moriatur: 3. denique pœnitentiam per mentis cæcitatem, & cordis obdurationem differre, idem esse, ut ita dicam, ac ad interitum festinare, atque mortem in peccato inevitabilem facere.

Pars prima. Quod ad acidiam pertinet, vix credi potest, quot peccatoribus lethalem soporem immittat: illa efficit, ut a pœnitentiæ tribunali peccator habitu quodam procul absit; utque de die festo in alium semper differatur, atque in tempus aliud remittatur confessio. Hujus viæ mortalium satis communis est character, ita ut nequeat ignorari. Hi nequaquam insignes sunt peccatores, de quorum sceleribus homines passim obloquuntur; occulti peccatores sunt, turpibus obnoxii vitiis, & criminibus, quæ mollities quidem parit, alit autem ignavia. Nulla in re sibi vim possunt inferre; cumque non modica inferenda sit, ut peccator se colligat, resipiscat, vitæ rationem mutet, sibique suas oblectationes interdicat, nequit certum capere consilium, & ita de die in diem, de anno in annum differt pœnitentiam. Neque putes, id genus peccatores per intervalla nullis tumultibus, sollicitudinibus, conscientiæ stimulis agitari; sed acidia, quæ illis dominatur, quamprimum omnia sedat, & mulcet. Cæterum cum timor unus ille fere sit affectus, quo eo in statu moveri possint, sexcentas sibi proponunt chimericas difficultates in hoc reditu ad pœnitentiam. Modo enim pudor obest secretas iniquitates in Sacerdotis auribus retegendi; modo timor in Ministro Dei inveniendi nimis severum divini juris patronum; modo austeritates, quas pœnitentia præscribit; obligatio orandi, vigilandi, sese mortificandi, a noxiis societatibus recedendi, ac subinde sese ab aliis seorsim colligendi. Quæ omnia, cum conciliari minime queant cum ignavia, efficiunt, ut semper differant pœnitentiam, & nunquam incipiendi ineant consilium. Hinc fit, quod acidia hæc illos certissima ad impœnitentiam adducat, quin illi ne intelligant quidem; quia mors illos ut plurimum hoc in statu deprehendit.

Pars altera. Si peccatori ignavo metuendum est, ne a morte in impœnitentia deprehendatur, secundo loco affirmo, illi, qui per amorem suo crimini adhæret, metuendum esse, ne ultricis justitiæ consilio in impœnitentia moriatur. 1. Hunc non pudor, non timor retinet; jejunia, preces, omnesque pœnitentiæ austeritates illius conversionem prohibere non possent, si hæc simul esse possent cum affectionum ejusdem objecto. Verum cum pœnitentia simul esse nequeat cum noxio amore, consilium capit diutinæ impœnitentiæ, quæ est semper differre pœnitentiam. Hujus viæ hominibus dictum censendum est, quod olim Dei filius dixit Judæis: *In peccato vestro moriemini.* Joann. 8. Dico autem 1. justo divinæ justitiæ consilio vulgo hanc contemptæ misericordiæ fieri reparationem; & justificationem hanc quodammodo providentiæ deberi. 2. Hanc esse pœnam, quam Deus per Prophetas suos peccatoribus minitatur: *Iniquitates suæ capiunt impium. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam.* Prov. 5. Quoties accidit, ut peccatores inter effusam in omne libidinum genus licentiam, alii in scelerum suorum æstu ad plures abierint? Nunquam Dei justitia, & ultra magis effulget, quam in ingeous publicis suppliciis, quæ aliis documento sunt, & ostendunt, hos peccatores vehementi affectu criminibus suis inhærentes ita mori, uti vixerunt, videlicet in impœnitentia.

Pars tertia. Non desunt cæci, indurati que peccatores, & qui tales effecti sunt Dei gratiæ resi-

stendo, quibus millies urgebantur, ut tandem peccatis abstinerent, ac de salute sua cogitarent. Nunc nullis cœli afflatibus moveri possunt; immo sibimetipsis interdixerunt, quidquid eos ab erroribus suis poterat revocare: omnes religionis sensus suffocarunt, omnia fidei lumina extinxerunt, omnes conscientiæ stimulos retuderunt, jamque Athei sunt, qui omnem Dei timorem abjecerunt. Nonne patet hos in impœnitentia propter cordis indurationem morituros, a Deo in illo statu relictos, ad quem per scelus sese redegerunt?

II. De pœnitentia ad mortem dilata. Ostendere potes, peccatorem, qui tandem accedente morte suam incipit pœnitentiam, nunquam fere eam facere, quæ ad salutem sufficiat. Hæc sunt argumenta.

1. Hoc etiam posito, quod subita morte, quæ illum de conscientiæ suæ statu deliberare prohibeat, minime deprehendatur, pœnitentia tunc temporis fere nunquam est integra quoad confessionem. Etenim in morbis ipsis, qui mentis libertatem non auferunt, quo terrore, ac stupore corripitur extremis momentis acerbæ illius discessionis? Quot domesticorum negotiorum impedimenta expedienda sunt? Quomodo in eo tumultu, ac perturbatione repeti possunt complures anni impœnitentiæ? Quomodo eo temporis præcipiti lapsu in memoriam revocari possunt numerus, species, & peccatorum circumstantiæ? Quomodo sese diligenter excutere, utrum aliquid alieni possideatur, atque certum esse id ante obitam restitutum iri? Quomodo reparari possunt detractiones, & calumniæ, scandala, injuriæ, & damna proximo illata? Quoties cogitatio recurret ad ea bona, quibus perfruebaris, & quæ mox tibi relinquenda sunt! Hæc omnia sensus omnes a veræ pœnitentiæ proposito avertunt. Ubinam ergo tunc integritas confessionis, cujus defectus minime refici possunt in morbi circumstantiis, neque in afflictas corporis vires; etenim cur tandiu dilata fuit pœnitentia; cur in illud rejecta momentum, quo nullatenus, ut par est, fieri posse liquebat?

2. Pœnitentia in morte peracta, & ad extremum usque illud spatium reservata fere nunquam sincera est quoad voluntatem, certumque peccati relinquendi consilium. Tunc peccatum non ultro deseritur, sed necessario; vera conversio non est cordis, quod cum determinatione mutat objectum, sed impossibilitas est ea bona servandi, quæ morte auferuntur; denique coactum est sacrificium, quod Deo minime placet.

3. Pœnitentia, quæ sub extremum vitæ spatium fit, fere nunquam est supernaturalis: humanus incerti exitus timor sæpe sola illius causa est, & raro ibi Dei gratia aliquam obtinet partem. Hæc Sancti Augustini sententia est: peccator, ait ille, pro extremis illis momentis Dei sui gratiam minime expectet: mors in justitia merus est divinæ effectus misericordiæ; & hanc veluti sibi legem irrogavit Deus gratiam suam negandi peccatoribus, qui dum viverent, eam contempserunt.

III. Pœnitentiam, & conversionem in extremum vitæ spatium differentibus tria sunt metuenda.

1. Ira Dei, qui hanc sibi reservare consuevit horam, ut nostras dilationes, moras, frigiditates, & contemptus gratiarum, quæ tandiu dissimulavit, puniat subtractione earumdem gratiarum, & negatione illius, quæ præ cæteris præstantissima est, finalis videlicet perseverantiæ.

2. Affectiones, & pravi habitus nostri, qui eo ad nos perdendos fortiores sunt, quo corporis, animique facultates sunt infirmiores.

3. Dæmon denique, qui nihil sibi temporis superesse videns, nihil inausum relinquit, ut peccatoris conversionem prohibeat modo periculi cogitationem auferens, modo pœnitentiæ voluntatem avertens; modo terrorem incutiens morituro, eumque adigens ad desperationem &c.

Potens ratio ad pœnitentiam amplectendam; ac sine mora nosmet ad Deum convertendos est cogitare, quod quo magis differimus, eo nequiores, & improbiores evadimus; ideoque periculum subimus, ne unquam veram pœnitentiam efficiamus. Argumenta desumuntur. IV.

1. Ex parte Dei, qui fatigatus expectando eos, qui voci illius aures obstruunt, gratias suas negat abutentibus, ac tandem deserit animas, quæ per infidelitates suas illi resistunt.

2. Ex parte nostri; quo enim magis pœnitentia differtur, eo difficilior evadit pœnitentia, & vera conversio propter malos habitus, qui quotidie invalescunt, ac propter affectiones, quæ in dies magis confirmantur, quæ tunc nonnisi ægre, & velut ab invitis relinquuntur.

3. Talis est natura temporis, cujus ne momentum quidem nobis certum est, in quo nulla spes est constituenda.

1. Pœnitentia in morte per se difficillima est; tempus minus aptum est, peccator minus idoneus, morbi dolores prohibent; sexcentæque aliæ ingruunt cogitationes, quæ totidem obices statuunt. V.

2. Pœnitentia hæc longe illis adhuc est difficilior, qui in illud usque tempus distulerunt, propter exiguum temporis, quod superest, spatium, propter conscientiæ impeditissimam confusionem, propter defectum subsidiorum, quæ tunc haberi non possunt.

Duæ propositiones concionem partiri possunt. VI.

Prior: nullam spem esse magis inanem, temerariam, & stultam, quam peccatoris, qui de conversione sua minime sollicitus, dum gratia illi opem, & occasionem præbet, semper differt, ac præsumit adfore tempus, quo gratia, & occasio illi sint profuturæ.

Posterior: nihil Deo contumeliosius esse, quam præsumptionem peccatoris conversionem suam in tempus opportunum differentis, *P. Massillon Sermone de falsa peccatorum confidentia.*

1. Pœnitentiæ procrastinatio tandem Dei patientiam fatigat, postquam ille tandiu peccatores expectaverit. VII.

2. Hi misericordiarum, ac beneficiorum Dei fontem exhauriunt abutentes tempore, & adminiculis, quæ sibi præbentur, ut ex infelici statu, in quem sese conjecerunt, emergant.

3. Dei justitiam irritant, licet non impune; illa quippe aliquando severior erit, quo lentior.

De Pœnitentia in mortem dilata: *Quæretis me, & non invenietis.* VIII.

1. Deum quærent peccatores, qui, dum viverent, abjecerunt, & contempserunt illum; neque illum invenient, quia non quærunt eo modo, ac tempore, quo quærendus est.

2. Non invenient, quia Deus vicissim recedet, atque sese abscondet: frustra illum invocabunt; etenim fugiet, quemadmodum minatus est.

1. Quam horribile malum est mori in peccato, & impœnitentia: malum infinitum sine evadendi spe, & ad æternam adducens infelicitatem. IX.

2. Quinam illi sint, qui in peccato, atque in impœnitentia moriuntur? Qui videlicet de die in diem pœnitentiam procrastinant, eamque in mortis horam rejiciunt.

3. Hi in peccato, & finali impœnitentia moriuntur, & quomodo hoc accidat.

Pœnitentiæ procrastinatio, & adfectata negligentia ex peccati habituali statu emergendi fere manifestum est, certissimumque reprobationis indicium. X.

1. Quia hæc mora non aliud est, quam perennis impœnitentia, quæ quo diutior est, eo propius ad finalem impœnitentiam accedit, quæ cumulum addit reprobationi peccatori de dies in diem conversionem, ac vitæ mutationem differentis.

2. Quia

2. Quia hæc procrastinatio effectus est habitualis securitatis, & quietis, quæ in peccato invenitur: qui enim sine metu, stimulisque peccat, in peccato suo permanet, atque persistit, quin inde emergere studeat. Quod autem majus argumentum est fore, ut in peccato moriaris, quam in eo ad extrema usque vitæ momenta permanere, ubi ultum tempus aderit, ratio, & ipsa etiam voluntas scelera relinquendi, incertum est.

3. Quia hæc mora indesinenter recentia addit peccata, quæ conversionem difficiliorem efficiunt, & quæ tandem divinam ultionem irritant, cujus effectus maxime terribilis in hac vita est reprobatio.

XI. Qui de die in diem sese convertere tergiversantur, 1. abutuntur misericordia Dei illos ad pœnitentiam expectantis; cum enim mors debita sit peccatori, statim ac scelus patratum fuit; quot sunt momenta, quibus, illos vivere sinit, eorumque differt supplicia, tot sunt gratiæ, & effectus suæ misericordiæ.

2. Abutuntur misericordia Dei illos vocantis: quot enim interiora lumina extinguunt? quot gratiæ, ac cœlestes afflatus contemnunt? &c.

3. Abutuntur misericordia Dei offerentis veniam, si velint sincere converti; quia veniæ spes, atque temeraria in misericordiam ejus confidentia efficit, ut pœnitentiam agere detrectent, eamque in vitæ finem rejiciant. *Biroat, Sermone altero in feriam quartam post primam Quadragesima Dominicam.*

XII. Ostendi potest, spes peccatorum, qui pœnitentiam in mortem differunt, ut plurimum decipi.

1. Quia decipiuntur tempore, quod sibi pollicentur, ac in sua potestate non habent.

2. Decipiuntur gratia, quam tandiu neglectam jure illis denegat Deus.

3. Decipiuntur propria voluntate, quæ tunc temporis, nec sincere, nec efficaciter peccatum relinquet.

XIII. De morte in peccato, & in impœnitentia: distingui possunt tria personarum genera, qui ita moriuntur, quorum imprudentia efficere potest per varietatem characterum ipsorum, & per ea, quæ ipsorum calamitatem subsequuntur, ut nosmet colligamus, ac nobismet consulamus.

1. Primi in actuali impœnitentiæ suæ infelicitate moriuntur, hoc est in desperatione, vel diffidentia de misericordia Dei.

2. Alii moriuntur sine ullo pœnitentiæ genere, sine dolore, sine sacramentis, sine sacerdotum auxilio.

3. Postremi in falsæ pœnitentiæ exercitio moriuntur. *Pater Bourdaloue in Sermonibus sub ejus nomine editis, Sermone pro feria secunda post secundam Dominicam.*

XIV. Duas maximi momenti hac in re veritates vobis explicandas aggredior.

Altera est: Differre in singulos dies pœnitentiam idem est, ac sese objicere in discrimen non agendi pœnitentiam.

Altera vero: Ubi agitur pœnitentia, postquam extremum vitæ spatium expectatum fuerit, qui terminus est, in quem peccatores illam vulgo rejiciunt, hanc suspicione nequaquam vacare, & metuendum esse, ne inutilis sit. *Auctor Sermonum Christianorum in omnia Ethica christiana argumenta serm. pro fer. 2. hebd. 2. in Quadrag.*

XV. Impœnitentia vitæ, vel mora, quæ nectitur conversioni, ad mortis impœnitentiam adducere consuevit.

1. Propter habitum; quia iidem habitus manent; & si unquam, in morte profecto per habitum operamur. Pœnitentiam, dum viveres, distulisti: homo es consilia capiens, quin aliquid unquam exequaris; in morte etiam in singulos dies, horasque differes pœnitentiam.

2. Propter affectiones, & impedimenta: impœnitentia enim quandam veluti catenam nectit; qua peccator ita vincitur, ut eam fere nequeat infringere.

3. Propter obdurationem, sensumque carentiam: qui enim in peccatis perseverat, ita induratur, ut nulla re amplius afficiatur, & ita moritur, uti vixit.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita Concionum argumenta exornanda.

Sanctus Augustinus *lib. 8. Confess. cap. 5. & 11.* mirum in modum describit moras, quas ipse suæ conversioni nectebat, & suos hac de re sensus adfert. Sancti Patres.

Idem *Exposit. in Psalm.* 102. explicat quot modis Deus peccatores ad pœnitentiam vocet, & causas, quas isti prætexunt, ut illam differant.

Idem *Serm. 59. de Verbis Domini* loquens de Patre familias operarios in vineam suam conducente, ostendit non tergiversandum esse, ut a Domino vocemur.

Idem *in explicat. horum verborum Exodi: Induravit Dominus cor Pharaonis*, ostendit Deum, postquam diu peccatores expectavit, eosque urgere non desiit, ut se convertant, eos tandem in eorum obduratione relinquere, atque deserere.

Idem *in expos. Psalm.* 32. docet, tempus misericordiæ, quo nos expectat Deus, tempus esse præsens; sed mox justitiæ tempus adfuturum, ubi nullus erit amplius pœnitentiæ locus. Hoc ipsum aliis docet verbis in Psalm. 60. hæc explicans verba: *Misericordiam, & veritatem ejus quis requiret?* & in eumdem Psalm. ostendit non esse tantum in Dei misericordia confidendum, ut non timeatur ejus potentia, & ratio, quam habet puniendi.

Idem *tract. 33. in Joann.* docet, quam periculosum sit differre pœnitentiam.

Idem *lib. 50. Homiliarum Homil. 40. Et in Sermonibus de Tempore*, ostendit dubiam esse, nec suspicione vacuam pœnitentiam in mortis tempus dilatam.

Idem *lib. de vera, & falsa Pœnit.* agit de peccatorum pœnitentia in morte peracta, postquam per totum vitæ spatium fuerit dilata.

Sanctus Hieronymus *Epistol. 22. ad Eustochium* docet nullam adhibendam esse moram, Deo vocante.

Idem *lib. 7. cap. 22. Isaiæ, & lib. 9. in cap. 30. ejusdem* ostendis, quam noxia sit dilatio, cum Deus peccatores ad pœnitentiam invitat.

Idem *lib. 2. in cap. 5. Isaiæ* in hæc verba: *Væ qui trahitis vanitatem in funiculis vanitatis*; acriter in illos invehitur, qui in sceleribus suis perseverant, quia jampridem illos sustinet Deus.

Idem *lib. 16. cap. 16. Isaiæ*, docet Deum, postquam diutius expectaverit peccatores, tandem illos ulcisci.

S. Ambrosius *lib. 2. de Pœnit. cap. 11.* ostendit, quam indigna, & contumeliosa Deo sit hæc procrastinatio.

S. Chrysostomus *Homil. 31. in Genes.* exemplo Abrahæ docet celeriter, & sine cunctatione Deum vocantem sequendum esse: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Genes. 12.

Idem Homil. 14. in Matth. hæc explicans verba: *relictis retibus secuti sunt eum*, loquitur de celeritate, qua voci Dei obtemperandum est.

Idem *Homil. de Pœnit. ad popul. Antioch.* Auditores etiam, atque etiam hortatur, ne differant conversionem.

Sanctus Gregorius *Homil. 12. in Evangel. & in Decalog.* loquitur de pœnitentiæ dilatione, & hanc in rem funestas refert historias.

Tertullianus *lib. de pœnit. versus finem* peccatores urget, ne differant pœnitentiam, sed quamprimum ad hoc remedium confugiant.

Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oration. in sanct. Baptism.* docet, nefas esse dæmoni meliorem vitæ partem tradere, & reliquum Deo reservare.

S. Basilius in libro, cui titulus: *Admonitio ad filium spiritualem*, eum monet, ne adolescentiæ criminibus sese abdat, sperans se vergente in senium vita pœnitentiam acturum.

Idem *Orat. 4. de pœnit.* plures adfert rationes, ut peccatori persuadeat, ne diutius conversionem suam differat, & quamprimum pœnitentiam agere instituat.

Auctor operis imperfecti in S. Matthæum Homil. 5. ita diffidit de pœnitentia, quam peccatores insignes sub mortem reservant, ut arbitretur plerosque nequiores, quam erant, e vita decedere.

Salvianus *l. ad Ecclesf. Cathol. sub finem* ostendit, affirmari non posse, eos, qui pœnitentiam agere distulerunt, tunc verum, sinceramque agere pœnitentiam.

S. Bernardus *serm. 27. de modo bene vivendi* ostendit; cum in vita agitur pœnitentia, locum esse sperandi futurum, ut apud Dei misericordiam peccatorum venia obtineatur; verum non deesse dubitandi locum, utrum obtineatur, cum qui male vixit, pœnitentiam distulit in mortem.

Ascetici aliique. Dionysius Carthusianus *Opusc. de convers. peccator. art. 2.* ostendit, quod conversionem differre, idem est, ac tempus insumere, quin quidquam meriti obtineatur, immo peccata sua accumulare, & indesinenter recentia perpetrare.

Ludovicus Granatensis in duce Peccatorum tomo tertio *cap. 24. & 25.* fusius hoc tractat argumentum.

P. Haineuve in libro, cui titulus: *Magna via, quæ mundum perdit*, 1. *part. sect.* 3. ubi loquitur de morte in peccato mortali, ostendit eos, qui vulgo in peccato moriuntur, esse peccatores, qui in mortem differunt conversionem.

P. Crasset libro, cui titulus: *Prædestinationis secretum*: tractatu de bene, & male valentium pœnitentia, fusius loquitur de procrastinationis hujus inutilitate, & periculo.

P. Guilleminot in libro, qui inscribitur, *Christiana sapientia* cap. 14. de re eadem fusius verba facit.

P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur: *Les Conduites de la Grace &c.* tract. 1. sexta fundamentali veritate.

Moralis Christiana *in Pater lib. 7. sect. 1. art. 8.* ubi Auctor ostendit, periculosæ opus plenum aleæ esse de uno in aliud tempus, & multo magis in mortem usque pœnitentiam differre.

P. Nepveu tomo 2. Considerationum Christianarum utiles habes, ac prudentes de hac procrastinatione considerationes.

Liber, qui inscribitur: *Bellum vitiis*, prælio contra impœnitentiam.

P. Croiset in primo tomo Recessus spiritualis.

Recupitus de signis prædestinationis, & reprobationis, secundo reprobationis signo.

Dandinus in Ethicis sacris lib. 11. de morte cap. 7. de morientium pœnitentia.

Specimen Ethicum in tractat. 1. de Novissimis.

Raynerius de Pisis in Pathologia titulo pœnitentia cap. 6. Pœnitentiam non esse differendam usque ad mortem.

Concionatores recentes. P. Delingendes sermone pro feria 3. hebdomadæ 2. in Quadragesima, ubi loquitur de morte in peccato.

Biroat sermone secundo pro feria 4. post 2. Quadragesimæ Dominicam, ubi ostendit eos, qui differunt pœnitentiam, Dei abuti misericordia.

Idem sermone pro feria 5. post 4. Quadragesimæ Domin. ubi ostendit eos, qui ita differunt pœnitentiam, decipi tempore, Dei gratia, & propria voluntate.

Abbas de Aubignac in editis sermonibus unum habet hujus argumenti.

Mainbourg, sermone pro feria 2. post alteram Quadragesf. Domin. loquitur de gravissimo hujus vitæ malo, hoc est de morte in peccato.

P. Texier in Adventu de impio infelici serm. 14. ubi ostendit impium maledictum esse in pœnitentia sine dolore.

Idem in Quadragesf. Sermone pro Domin. Passionis ostendit pœnitentiæ dilationem notam esse reprobationis.

Mathias Faber *Domin. 3. Quadrag. cap. 8.* refert causas, propter quas peccatores differunt pœnitentiam.

Auctor sermonum christianorum, tom. 2. serm. pro 4. Adventus Domin. de pœnitentiæ procrastinatione.

Idem serm. pro 1. Domin. post Epiph. rationes adfert, propter quas peccator non invenit Deum, cum illum quærit.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone pro feria 2. hebdomadæ 2. in Quadragesima hoc argumentum pertractat.

P. de la Colombiere, sermone de necessitate sese præparandi ad mortem.

P. Aurelianensis sermone de usu confidentiæ in peccatorum conversione.

P. Massillon sermone, qui eidem refertur acceptus pro feria secunda post Domin. Passionis de falsa peccatorum confidentia.

P. Girouſt sermone pro feria secunda hebd. 2. in Quadragesf. de impœnitentia finali.

Inter morales sermon. unum hujus argum. reperies.

In sermone P. Bourdalove, & in alio P. Cheminais in Magdalem, egregie quædam invenies ad pœnitentiæ celeritatem, & dilationem spectantia.

P. Bourdalove præterea sermonem habet pro feria secunda post 2. Quadragesf. Domin. de illis, qui in impœnitentia moriuntur.

In Specimine sermonum pro Adventu, sermo sextus secundi argumenti, & septimus tertii est de pœnitentiæ procrastinatione.

In Specimine eodem pro Quadragesima tomo 1. quartum argumentum pro feria secunda hebdomadæ secundæ est de dilata pœnitentia.

P. Ludovicus Granatensis, in locis communibus, titulo *Dilatio pœnitentiæ*. Qui collectanea ediderunt.

Busæus in Panario, titulo *Procrastinatio*.

Labata, titulo *Pœnitentia*, propos. 28.

Lohner *Bibliotheca Manualis* tomo secundo, titulo *Pœnitentia*.

Summa Prædicantium, titulo, *Pœnitentia quam primum facienda*.

Peraldus *p. 2. de vitio Acediæ cap. 5. de vitio dilationis*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Quandiu ponam consilia in anima mea? Psalm. 12.

Filii hominum usquequo gravi corde? Ps. 4.

Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psalm. 94.

Vocavi & renuistis, despexistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Proverb. 1.

Tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo. Ibidem.

Iniqui-

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Prov. 5.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescientia ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job 20.

Ne adjicias peccatum super peccatum, nec dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Eccli. 5.

Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. Eccle. 7.

Cor durum habebit male in novissimo. Eccli. 3.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccli. 5.

Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere; & gloriaberis in miserationibus illius. Eccli. 17.

Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Eccli. 5.

Quærite Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est. Isaiæ 55.

Peccator centum annorum maledictus erit. Isai. 65.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad Rom. 2.

Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. Ibid.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. Ad Corinth. 6.

Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Ad Ephes. 5.

Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Ad Galat. 6.

Quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini. Joann. 7. & 8.

Exempla ex veteri, novoque Testamento desumpta.

Cain mortuus est in impœnitentia.

PRimum, quod in Bibliis occurrat, impœnitentiæ exemplum est infelix Cain, improborum omnium primipilus. Post trucem fratris sui mortem, cujus sanguis, quo primum rubuit tellus, fuit vox, quæ a Deo ultionem clamans periit; minax vox Domini, tanquam tonitru hominem hunc perterruit quidem, non autem convertit. Confessus est peccatum suum, quia illud negare amplius non poterat; sed Sathanas, qui illud huic suaserat, tale, ac tantum, postquam patratum fuit, illi repræsentavit, ut omnem spem veniæ illi ademerit, atque ad desperationem adegerit. Nimis magnum scelus meum est, dicit ille Deo, quam ut veniam merear: & quin doloris, & pœnitentiæ sensus foveret, quin in id curam, animumque intenderet, ut Deum precibus leniret, lacrymisque crimen elueret, in eo stetit, ut ea solum vereretur mala, quæ sibi ab hominibus poterant ingruere. Tu me fugitivum, & errenem in terra facis, ait, & quicumque invenerit me, occidet me. Iram Dei ipsius ne reputat quidem; in humanæ dumtaxat iræ consideratione subsistit: deplorabile quærit solatium in Dei promissione, qui illum nequaquam interfectum iri pollicetur; neque laborat majus illud obtentutus solatium, quod præcipue ab ipso erat quærendum, peccati videlicet veniam, doloremque, quo propter illud confici debebat: & hoc pacto per suam pertinaciam, atque desperationem factus est reproborum omnium antesignanus.

Pharaonis impœnitentia, & induratio.

Pharao vulgo respicitur tanquam cordis indurati, & impœnitentiæ exemplum, quod sese dedere, atque Domini imperio obtemperare simulabat, dum ultionis ejusdem flagella experiebatur; sed qui statim ac eadem excusserat, mordicus in prima persistebat sententia, ita ut flecti nequaquam potuerit, quantacumque coram illo a Moyse patrata fuerint miracula. Agnovit tandem rebellis iste, sed cum tempus non erat amplius, Deum pro Israel decertare; Æthiopæi quippe maris fluctibus absorptus in alteram migravit vitam obdurationis suæ dignissimas pœnas subiturus.

Supplicio Achan, qui scelus suum morti proximus tantum confessus est.

Achani exemplo docemur peccatorum confessionem, ac pœnitentiam in extremum vitæ spatium non esse rejiciendam. Achan in Jerichuntina obsidione regulam auream, palliumque coccineum suffuratur contra explicitum Dei mandatum, quo cautum fuerat, ne quis civitatis hujus anathemati devotæ spolia retineret. Contra furem hunc irritatus est Deus, eumque severissimis affici jubet suppliciis. Verum quomodonam agnosci, detegique potest hujus sceleris auctor, quem viderat nemo? Josue hac de re consulit Dominum, conquiritur nocens, ac urgetur, ut prolato in medium, quod sustulerat, nollet extrema experiri. Agnoscit Achan scelus suum, quod teterrimis coloribus eidem ob oculos ponit conscientia, sed non ideo movetur: sortes conjiciuntur in Tribum, unde originem ducit, non loquitur; sors super ejus familiam cadit; metus quidem cor ejus adoritur, lingua vero obmutescit; denique detegitur Achan, cogiturque scelus fateri suum, quod nequit amplius abscondere: sed justum, quod merebatur, supplicium non evitavit. Hoc plerisque peccatoribus accidit, qui peccata sua confiteri, eorumque pœnitentiam agere in illud temporis spatium differunt, quo ultra differre non poterunt. Sed tunc non est tempus amplius: quippe illorum coacta est pœnitentia, & ab invitis extorta. Scelerum suorum veniam fuissent assecuti, si opportune sinceram eorum confessionem fecissent, verumque dolorem concepissent, atque aliena dominis reddidissent; sed in finem usque distulisse, hoc est in causa, quod confessio sæpe inutilis est.

Falsa pœnitentiæ signa.

Externa pœnitentiæ signa, quæ peccatores morientes præseferunt, nequaquam certa sunt veræ pœnitentiæ argumenta; & quamvis semper illa æqui, bonique facimus, & in meliorem partem interpretamur, nullo tamen sunt in discrimine habenda, neque illis omnino fidendum. Lacrymæ ex. gr. tunc temporis magnam vim habent, & beatus, qui illas ex corde effundit, verum memento quot lacrymarum imbres effuderit ille, qui per intemperantiam suam primogenita amisit. Ex Apostoli ad Hebr. 2. sententia ille *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*; neque enim propter Deum, sed propter jacturam, quam fecerat, lacrymabatur. Alia doloris indicia; protestationes, quæ tunc fiunt, consilia, quæ fideliter in posterum adimplenda proponuntur, non sunt minus æquivoca: vulgo enim videmus, ubi periculum evanuit, nullam fieri morum immutationem.

Quid ex Abimelechi morte discendum est.

Abimelech, si quis unquam, ambitiosissimus Princeps, strenue murorum ruinam conscendit arcem quamdam vi facta capturus; sed eodem temporis momento mulier quædam in caput ejus tegulam dejicit, & victori lethale vulnus infligit. Viro isti, quin ad Deum confugeret, extremaque vitæ momenta in æternitatis cogitationibus impenderet, morienti nihil nisi mundi gloria, qua nihil ipsi erat antiquius, ob animum versatur. Quid igitur, ait ille, Abimelechi memoriæ posteritas exprobrabit, illum manu mulieris fuisse interfectum? Tantam non patiar injuriam, ensem tuum stringe, ait ille armigero suo, ut manu tua moriar: *Evagina gladium, & percute me*. Jud. 9. Quid autem? infelix, S. Chrysostomus inquit, extrema vitæ momenta in sanis id genus cogitationibus teris? Quid? *jamjam moriturus hæc cogitas?* Hic ambitiosus erat, cui eo, quo vixerat, pacto erat moriendum. Hoc ipsum omnibus fere morientibus peccatoribus accidit: moriuntur cum iisdem ambitionis, avaritiæ, ultionis, voluptatis habitibus, quos habebant, dum viverent: non aliæ in mente illorum versantur imagines, non alia in voluntate studia, quam quæ veteres affectiones in illis aluere.

Celerius pœnitentia David.

Non distulit diu adulterii, cædisque a se patratæ pœnitentiam David; & S. Ambrosius in Regia hujus apologia, quam concinnavit, hoc animadvertit potissimum, Regem hunc, statim ac a Propheta Nathan correptus fuit, agnovisse, & confessum fuisse crimen suum, & illico egisse pœnitentiam, quam in vitæ usque finem perduxit, itaut doloris magnitudine omnem peccati labem absterserit. Vide, Sanctus hic Doctor ait: *Ille rex tantus, & potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam; sed pramatura confessione, atque immenso dolore, reddidit peccatum suum Domino.*

Amon filius Manassis, patris sui fretus exemplo impœnitens moritur.

Manasses Rex quinquaginta vitæ suæ annos in omni nequissimorum scelerum genere traduxerat; sed cum deinde ad Deum confugisset, & sua plorasset peccata, Deus illius pœnitentiam excepit, eique æternæ salutis gratiam concessit. E contra vero Amon filius ejus, qui primam patris sui vitam, & flagitia imitatus est, ubi regni solium obtinuit, biennio tantum regnavit, ac in sceleribus suis animam efflavit. Cur hoc? Quia, ex eruditorum auctorum sententia, consilium inierat patrem suum imitandi, ac tandem sub extremum vitæ spatium pœnitentiam agendi. At Deus, qui non vult hominem ita de ipsius misericordia præsumere, ut inde occasionem arripiat in scelere perseverandi, una cum annis inanem illi ademit spem, & hujus præsumptionis pœnam aliis, quæ tot sceleribus debitæ erant, adjecit. Si igitur exempla vultis imitari, Amonem inspicite, juvenem Regem hunc cogitate, ac Dei manum, quæ illum prævertit, formidate.

Conficta, & inutilis Antiochi pœnitentia in morte.

Exemplum hoc de concionatoriis suggestibus sæpissime resonat. Antiochus post sexcenta sacrilegia, & fanda infandaque omnia contra Judæorum populum perpetrata, ut hos ad veri Dei cultum abdicandum compelleret, incurabili percussus plaga, neque putorem, qui ex corporis ipsius tabo, quo totus inficiebatur exercitus, ferre valens, & alioquin graviora sibi in altera vita metuens supplicia, voluisset Dei iracundiam mulcere, has omnes evitare pœnas, ac cœlestem ultionem evadere. Hac mente pollicebatur se restiturum Templum; quod deleverat, illud magnificis donariis locupletaturum, ac urbem Jerosolymam in pristinum nitorem revocaturum, necnon effecturum, ut Judæorum, quam Atheniensium, gloria esset præstantior. Verum cum omnes hujusmodi pollicitationes ex servili tantum timore proficiscerentur, & ex divinæ ultionis formidine, sine ulla nequitiæ suæ detestatione: Scriptura inquit, illum frustra conatum fuisse iram Domini lenire: & ab eo invocatum fuisse Deum, a quo misericordiam non erat consecuturus. Hæc imago est pœnitentiæ, quam peccatores agere consueverunt sese sub extremæ vitæ spatium convertentes, cum mortis terrores, & metus inferni inanem ab illis dolorem extorquet.

Cætera antiquæ legis exempla, quæ non sunt adeo cognita, neque ad peccatores conversionem suam in mortem differre volentes perterrendos accommodata, prætereo.

Prompta Magdalenæ pœnitentia.

Promptitudo, quæ primus est veræ pœnitentiæ character, est omnium tergiversationum omissio, ubi illa peragenda est; neque aliud in Magdalenæ conversione magis animadversione dignum occurrit: *Ut cognovit quod Jesus accubuisset, &c.* ait Evangelium: *Ut cognovit*, hoc est statim ac Deus illius oculos aperuit, & gratiæ interioribus illustrationibus mentem illius irradiavit, illico peccatum perhorruit; ne minimum quidem temporis spatium hæsit, non deliberavit, mundo autem non adhibuit suadenti, ne quid leviter, ac præcipitanter aggrederetur; non immorata est in hujusmodi argumentationibus, hoc est fallacibus artibus, quas humana prudentia suggerit peccatoribus, ut illis persuadeat in iis, quæ ad Deum pertinent, nullam unquam satis adhiberi posse maturitatem, atque diligentiam; hæc omnia Magdalenam minime remorantur. E contra ea superare constituit, ne sua in diem crastinam suam conversionem differre: quare? quia jam in pœnitentiæ spiritu operabatur. Cum autem de pœnitentia sermo est, S. Chrysostomus inquit, non minus deliberare nefas est, quam dubitare, cum agitur de fide.

Prompta Zachæi conversio.

Zachæus sancta Jesu Christi videndi actus curiositate ascendit arborem desiderio suo satisfacturus. Hoc erat momentum, a quo Zachæi salus pendebat. Nisi arborem ascendisset, Jesus Christus illum benigno oculo non respexisset; sed nisi statim benigno huic divinæ misericordiæ favori respondisset celeri vitæ mutatione, id, quod illum convertit, ejusdem reprobationi inserviisset. Res prorsus aliter accidit; Zachæus enim divina percitus gratia, atque intrinsecus mutatus illico dixit: dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquid fraudavi, reddo quadruplum; quæ ubi protulit, excepit statim ex ore Salvatoris suave illud salutis suæ pignus: *Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ.*

Prompta S. Petri post peccatum conversio.

Primum principium, propter quod peccator redit ad pœnitentiam, est Dei gratia, gratiosusque divinæ bonitatis intuitus. Sed Sancti Petri exemplo docemur statim ad Deum esse redeundum, ubi ille in nos misericordiæ suæ oculos conjecerit, & ubi gratia illius cor nostrum illustraverit, atque tetigerit: *Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est verbi, quod dixerat ei.* Luc. 22. Statim ac Salvator illum respexit, meminit eorum, quæ sibi ab eo dicta fuerant, atque eo ipso temporis momento sincerum peccati sui dolorem concepit. S. Chrysostomus de hoc S. Apostolo verba faciens in Homilia, quam de Jona conscripsit, S. Petrus, ait, non petiit plurium annorum spatium, ut de pœnitentia deliberaret; sed nocte eadem, qua cecidit, & resurrexit; eodem tempore, quo vulnus sensit, medicinam expertus est, cujus virtute convaluit: *Petrus ad Pœnitentiam non multorum spatia postulavit annorum, sed ipsa nocte; qua cecidit, ipsa quoque surrexit.*

Quid S. Pauli conversio nos doceat.

S. Pauli conversio duas maximi momenti veritates nos docet: primum magnum hunc Apostolum non recepisse pœnitentiæ gratiam in humiliationis excessu, quod aliis pœnitentibus accidit; sed in vehementia passionis, cum cædem dumtaxat, sanguinemque anhelaret. Hoc miraculum est, quod Deus non omnibus facit diebus, neque facere tenetur, ideoque, quod ab aliquo sit expectandum. Veritas altera est, hunc eumdem Apostolum celeriter paruisse voci Dei, quin ullam prætexeret excusationem, vel necteret moram: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. Quod ipse mox in Epistola ad Galatas cap. 21. testatus est, se nulla re teneri, aut retardari potuisse: *Continuo non acquievi carni, & sanguini.*

Boni Latronis conversio.

Boni Latronis conversio ut plurimum peccatoribus confidentiæ præbet argumentum: sperant fore, ut in morte non secus ac ille convertantur, & non secus ac ille misericordiam obtineant. Sed cum hoc unicum sit exemplum, nihil inde inferendum est. Latro hic insignis erat peccator, non abnuo; momentum, quo ille conversus est, extremum erat vitæ ipsius, non diffiteor: sed hoc primum erat suæ vocationis momentum, Eusebius Emissenus ait: *Non fuit latroni extrema illa hora, sed prima.* Respicis conversionis ejus tarditatem, idem Pater inquit: ego vero illius celeritatem admiror: *Cito ignoscit Dominus, quia cito ille convertitur.* Latro hic videratne Dei filium prædicantem pœnitentiam, ac divinitatem suam miraculorum fulgore probantem? Judæa universa plena erat prodigiis Salvatoris, & Judæa universa indurata gratiam repulerat, & Salvatorem suum supplicio crucis damnaverat. Latro hic, ubi primus sibi gratiæ radius affulsit, illum suum Regem agnoscit, eumque Deum suum adorat vel in cruce, & in doloris, & ignominiæ centro positum; *Consortem crucis agnoscit Deum.*

San-

Sanctus Augustinus ait. Attamen, o peccatores; hoc est confidentiæ vestræ argumentum, hoc exemplum est, quod ad probandam præsumptionem vestram affertis? Ille non distulit, uti vos; etenim sese convertit, ubi primum Dei filius petiit, ut converteretur.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Expectandum non est mortis tempus, ut nosmet mori preparemus.

ET vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Luc. 12. Dei filius ipse hoc nobis monitum tradidit, cum dixit, nos semper paratos esse debere in extremam hanc horam; nam si semper paratos esse opus est, multo magis semper nosmet præparare debemus; cum fieri nequeat, ut parati simus, antequam nosmet præparaverimus. Ratio vero, quam adfert, nonne manifesta est? Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Et sane si adventus ejusdem sciremus horam, & homo certus esset vel diuturnæ vitæ, vel certi annorum numeri, illius mora, & negligentia aliquam excusationis speciem admitteret; sed cum extrema hæc lateat hora, cumque nemo futuri certus esse queat; cumque Deus incessanter minitetur, se non opinantes oppressurum homines, & experientia quotidie harum minarum ostendat effectus; quæ cæcitas est expectare moriendi tempus, ut sancte vivas? Cum hostis obsidet muros, ac arcem circumundique vallo clausit, tempus non est annonæ, & commeatuum in urbem inferendorum tempus; cumque jam jam vela ventis explicanda sunt, tempus non est navim instruendi, atque præparandi, &c.

Quærite Dominum, dum inveniri potest. Isaiæ 55. Sexcentis Scripturæ locis docemur, quædam esse tempora ad quærendum Deum ita accommodata, ut si hæc elabi patimur, fere nunquam inveniatur. Quid enim hæc sibi vellent verba: gratiam ejus similem esse fulgurum nitori, qui momento præterit non ultra rediturus? Quid illa Prophetæ: si hodie vocem ejus audieritis, ne in crastinam diem autem illi adhibere differatis, ne voluntatem abjiciat vos iterum vocandi? Quid illa S. Joannis; adesse tempus operandi bonum, cui tenebricosa succedit nox, qua nemini licet operari? Quid tandem illa Isaiæ; quærite Dominum, dum prope est, & inveniri potest; nisi verum esset, momentum illud, quo certe sperare possumus illum a nobis inventum iri, tempus esse, quo ab eodem vocamur? Velle enim in aliud tempus differre, idem est ac subire periculum, ne illum unquam invenias.

Quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini. Joann. 8. Hæc verba nonne terrorem peccatoribus incutere debent: *Quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini.* Quærite, Dei filius ait: qui enim quærit, invenit, quod quærit: sed misericordiam quærite tempore misericordiæ, non autem tempore judicii. Misericordia tempus habet suum, & judicium suum; ne duo hæc tempora confundatis, nisi in spe vestra vultis confundi. Venite ad me, donec bonitas mea vobis aperit cor, donec patet gratiæ meæ thesaurus, donec lacrymæ, & suspiria vestra me movent. Si enim expectaveritis tempus mortis, si expectaveritis donec in misericordiæ locum justitia succedat, me cum Judæis quæretis, & non invenietis: clamabitis, & vos non exaudiam.

Non eludit divinæ justitiæ ultionem, qui differt pœnitentiam.

Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Luc. 3. Nescio utrum aliquid aptius exprobrari possit illis, qui de die in diem suam differunt conversionem; sperant se effugere posse ultionem Dei consilio, quod se iniisse putant aliquando se convertendi. Putatisne futurum, ut hoc pacto evitare possitis justa supplicia vestris sceleribus debita, pœnitentiam in illud rejicientes tempus, quo illam peragere non poteritis? Frustra diuturnioris vitæ spe vosmet decipitis; Dei brachium jam sublatum est, ut vos percutiat; securis sensim succidit inutilium horum arborum radices; & mala iram Domini effugere studet, qui futuram animo concipiens pœnitentiam illam in præsentiarum facere negligit: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?*

Quicumque sese conversum differt, in periculo est, ne unquam convertatur.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Luc. 15. Timendum fuisset, ne prodigi filii conversio inanis esset cogitatio, & cunctatio conversionis omni fere fructu carentis: sed prodigus ne momentum quidem interjecit; & dicens surgam, & ibo, simul surgit, & corripit iter. Pœnitentiæ meditamenta, conversio in futurum tempus dilata peccatori soporem duntaxat immittunt; ubi de conversione agitur, qui sese gratiæ non dedit eo temporis momento, quo sollicitatur ab illa, periculum subit, ne nunquam convertatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

D*Atur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari; sed auctores esse non possumus, quod, qui sic petierit, mereatur absolvi.* Augustin. Serm. 57. de tempore.

Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; Pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo ne & ipsa moriatur. Idem ibidem.

Quanto diutius expectat Deus, tanto gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali a Domino sustinemus, patientia est, non negligentia: non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Idem, Serm. 102. de Temp.

Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit, sed huic dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Augustinus in Psalm. 114.

Agens pœnitentiam & reconciliatus cum sanus est, & postea bene vivens, securus exit; agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 42.

Percutitur etiam hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est Dei. Idem in Sermonib. de Sanctis.

Conversio si contigerit alicui peccatori, etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione; sed quoniam vix, vel raro est tam justa conversio, timendum est de pœnitente sero. Idem, lib. de vera & falsa Pœnitent.

Satis est a fide alienus, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat. Idem, Serm. 4. inter communes.

Si vis pœnitentiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Idem, ibidem.

O si tempus pœnitentiæ sic cognosceretur, quando est in nostra potestate, sicut cognoscetur amissum; quam serio jam pœniteremus! Idem, Serm. 24. ex communibus.

Non peccare metuit, sed ardere. (Loquitur de Pœnitente moribundo.) Idem, Epist. 114.

Christiano non est crastinum. Tertull.

O homo qui differs de die in diem, forte habiturus hodie ultimum diem. Augustinus, Serm. 201. de tempore.

Morientes non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit. Idem, Serm. 56.

Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni januam cum precibus venit. Greg. Homil. 11. in Evangel.

Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Idem, Homil. 12. in Evangelio.

Peccatorum tanto sequitur districtior sententia, quanto peccanti ei magna est patientia prorogata; quia divina severitas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Idem, lib. 25. Moral.

Vita, si a peccati perpetratione nec temporis

longinquitate conspicitur; hac ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accipimus, ac contra seipsum convertit. Unde necesse est, ut cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prorogata pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus. Idem, lib. 17. Moral. cap. 4.

Sera pœnitentia nunquam sera; semper ad indulgentiam Dei aditus patet; etiam sub ipsa morte nonnunquam ad immortalitatem transitur. Cyprianus ad Demetr.

Nos peccata velociter quidem promptoque animo committimus, pigre vero postmodum ac sero pœnitentiam agimus. Basil. Homil. 8. in divitem avarum.

Laqueus fortis est pœnitentiæ dilatio; qui enim nimium differt, ille pravis suis operibus, quasi propriis laqueis tandem misere capitur. Idem, in Caten. aurea.

Aliqui proposita spe pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant: cum pœnitentia peccandi remedium sit, non peccandi incentivum. Ambros. lib. de Pœnit. cap. 9.

Unius diei Sanctos efficimus, qui nihil præter velle afferimus. Gregor. Nazianzenus.

Justo Dei judicio fit, ut quia, cum potest homo converti, non vult; cum vult forte converti, non possit: tunc enim securum est homini pœnitere, cum potest ipse peccare. Innoc. III. Serm. 2. de Adventu.

Cum inceffabili augmento suæ pravitatis intereunt: (Nempe qui diu pœnitentiam distulerunt.) Beda.

Omne cunctationis vitium (in Pœnitentia) a præsumptione importatur. Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 6.

Absit, ut aliquis ita interpretetur, quasi vero sibi pateat ad delinquendum aditus, & redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, quoties ignoscitur, toties delinquendo. Tertullian. lib. de Pœnit. cap. 7.

Noli tardare converti ad Deum; nescis enim quid pariet superventura dies. Chrysost. Epist. ad Theodorum.

Multis (inquis) dedit Deus privilegium, ut in ultima senectute converterentur. Quid igitur? numquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dixis fortasse? Contingit aliquando. Sed cogita quod de anima deliberas. Chrysost. Homil. 22. in secundam ad Corinth.

Nunquam est sera conversio: latro de cruce transit ad paradisum. Hieronymus in Epistol. ad Lætam.

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam in ultimo vitæ spiritu, si admissorum pœniteat. August. de Eccles. dogm. cap. 48.

Quanto diutius expectat Deus, ut emenderis, tanto gravius judicabit, si neglexeris. Idem, lib. de Utilit. agendi pœnit.

Latro ille, qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur. Chrysost. lib. de Reparat. lapſ.

Non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit. Senecæ, lib. de brevit. vitæ.

Non fuit latroni extrema hora, sed prima. Eusebius, Emissenus, Homil. de bono latrone.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia locis ad hoc argumentum possit adferri.

Quid sit impœnitentia in morte, & in vita.

Finalis impœnitentiæ non potest alia notio tradi præter eam, quæ mortalibus omnibus comperta est, videlicet mors est in peccato, quin peracta fuerit pœnitentia; quin etiam Deo, qui lethali noxa lacessitus fuerat, reditum fuerit in gratiam; seu peccator in morte determinata voluntate nolit pœnitentiam agere, seu de divina diffidens misericordia in desperationem cadat; seu vitiis suis mordicus inhærens nolit sincere pravos habitus exuere; seu denique nolit adimplere conditiones, quæ ad criminum remissionem obtinendam sunt necessariæ. Illud autem in argumento, de quo agimus, animadvertendum est, quod nolle agere pœnitentiam, donec bona fruimur valetudine, illam de anno in annum differre, & in vitæ finem rejicere, vocari potest status impœnitentiæ, vel habitualis impœnitentia, quæ ad finalem impœnitentiam disponit, ac ducit.

Procrastinatio pœnitentiæ, ut hic sumitur, tribus modis fit, qui sunt periculosi.

Quivis peccator, qui conversionem, & pœnitentiam in tempus differt, tria tantum sibi proponere potest, hoc est, vel illam differre donec in manifesto sit mortis periculo, ita ut nequeat illam ultra statutum tempus procrastinare; vel illam in senium, & extremum ætatis spatium remittere, atque speret se tunc facturum dignos pœnitentiæ fructus, qui ad salutem erunt necessarii; vel denique de anno in annum, de festivitate in festivitatem rejicere, donec adimpletum fuerit aliquod magni momenti negotium, atque omnia ablata fuerint impedimenta. Ex iis, quæ deinde afferuntur, videri poterit in singulis modis hisce moram semper noxiam esse saluti, & pœnitentiam ita dilatam incertam esse, difficilem, & suspicione minime vacuam.

Dici nequit omnino impossibilis pœnitentia ad mortem dilata.

Quantumvis salus periclitetur, & quantuslibet metus incuti debeat peccatoribus pœnitentiam suam in mortem usque differentibus, & quantumvis etiam conversio tunc temporis suscepta difficilis sit, nec suspicione vacua, dici nec potest, nec debet omnino fieri non posse, ubi peccator sanæ sit mentis, & satis temporis habeat, quo sincerum peccatorum suorum dolorem concipiat, præsertim vero cum recipit sacramenta. Rationes, quas post S. Thomam afferunt Theologi, sunt, 1. quia Dei misericordia major est, quam hominum nequitia, quantacumque hæc sit, licet pertinacissima: 2. quia si moriens sui compos est, ideoque liber, bene uti potest gratia, quam Deus denegat nulli, qui ex se ea perficiat omnia, quæ in sua potestate posita sunt. Itaque peccator semper habens gratiam absolute necessariam, ut convertatur, quocunque in statu sit, converti potest, & consequi misericordiam. Hoc docet D. Thomas in Magistrum sententiarum; & probatur his Scripturæ verbis apud Ezechielem 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Cur conversiones in morte raro sinceræ sint, & plerumque falsæ.

Cum vulgo per temeritatem in Dei misericordia confidentiam peccatores in mortem differant conversionem, atque flagitia sua in illud usque tempus perducant, quo illa nequeunt amplius committere, Sancti Patres, atque Doctores afferunt, pœnitentiam nunquam magis esse difficilem, minus suspicione vacuam, atque sinceram, quam cum in illud usque spatium extremum dilata fuit: 1. quia bonorum, & voluptatum amor in illud usque tempus productus difficilius abjicitur, quoniam diutino habitu inolevit: 2. quia difficilius est eum peccatorum suorum vero, & supernaturali dolore affici, qui nunquam hunc dolorem exercuit: 3. quia morientes ut plurimum inefficacem habent dolorem profectum ex præsenti malo, quod sustinent, vel ex servili metu illius, quod in altera sustinendum vita nimis sunt: 4. quia mors illos opprimere potest, antequam possint conscientiæ, & saluti suæ consulere: 5. licet etiam satis habeant temporis, ac libertatis, tentationes nunquam sunt vehementiores, voluntas nunquam infirmior; & Deus ipse illis negat gratias validiores, quæ magis essent necessariæ, & quibus sese præbuerunt indignos. Hæc ea sunt argumenta, quæ a Patribus, & Doctoribus afferuntur, docentibus parum fidendum esse in conversionibus ad vitæ finem dilatis, quamvis de nemine singillatim desperandum sit, neque illi neganda sint sacramenta, nisi aliæ suppetant causæ.

Cavendum vero præsertim est hoc in argumento, ne in quorumdam Novatorum errorem impingas

predi-

prædicantium, atque probantium conversionem peccatoris ad mortem usque dilatam esse magis, quam moraliter impossibilem. Ratio, quam adferunt, supponit hæresim a Tridentina Synodo proscriptam, peccata non remitti per contritionem, vel Sacerdotis absolutionem, sed per pœnitentiam patratorum scelerum magnitudini parem: ideoque pœnitentiam, & conversionem in mortem dilatam, quo tempore deest tempus, desuntque vires diuturnæ, austeræque satisfactioni suscipiendæ, semper inutilem esse. Quamvis illi, qui hanc rationem afferunt, eamque confirmare conantur, crederent peccata dimitti ex virtute sacramenti pœnitentiæ, ubi cum necessariis dispositionibus acceptum fuerit, semper tamen in errore sunt, & aliter ab ecclesia sentiunt inter necessarias hasce dispositiones tanquam essentialem sacramenti conditionem recensentes diuturnam, austeramque satisfactionem. Quod si quidam Sancti Patres ad probandam pœnitentiæ in morte susceptæ inutilitatem, infirmitatemque pro argumento usurpant modicum tempus, quo illa præcipitanter peragitur, eorum sententia non abhorret a nostra, multum videlicet temporis spatium ad conscientiam rite excutiendam requiri, ut saluti prospiciatur; vel juxta communem rerum ordinem, cordis mutationem repente non fieri, & ad id inusitata opus esse gratia miraculo proxima. Quoad satisfactionem vero, quam Novatores isti, tanquam præcipuam pœnitentiæ partem requirunt, morbi dolores, voluntaria mortis acceptatio offerri Deo possunt saltem in partem pœnæ, quam peccatores divinæ debent justitiæ, si cum necessariis dispositionibus acceptum fuerit sacramentum.

Principia quædam secundum quæ hoc in argumento citra temeritatem disseri potest.

Primum; cum fidelis post vitam ab insignibus flagitiis vacuam, non dico perfectam, neque ita irreprehensibilem, ut nunquam in scelus aliquod lapsus fuerit, sed vitam ut plurimum frugi, ceteroquin sollicitam, ut iterata pœnitentia resurgat, quoties ceciderit; cum hic fidelis, inquam, in morte præbet ea religionis signa, quæ ab ipso petit ecclesia, & sacramentis munitus decidit, rationabile judicium ferri potest, illum a Deo in transitu gratiæ auxilio nequaquam fraudatum fuisse, sed ab eodem cum illo factam fuisse misericordiam. S. Augustinus hoc in re nequaquam dubitare videtur: *Securus exit*, ait ille de Christiano loquens, qui postquam ita vixerit, e vivis decessit. Secundo, cum fidelis post annos multos in criminibus traductos sese bona fide collegit, cum adhuc bona utebatur valetudine, præsertim vero cum reliquo vitæ spatio digna in suscepta vitæ ratione permansit, atque factis suis solidam, firmamque pœnitentiam probavit, atque in mortis hora eosdem sensus foveat, confirmat, instaurat; semper credendi suppetit ratio, illum non damnatum fuisse, & in osculo Domini animam efflasse. Sed tertio, cum ad Deum in morte tantummodo redit, postquam pœnitentiam in extremum vitæ spatium distulit, quantumvis bonos sensus tunc ille testetur conversio hæc, & pœnitentia nunquam suspicione vacua existimata fuit.

Non desunt valida præjudicia ad hoc, ut pœnitentia in morte sæpe falsa sit.

Hæc quoque Sanctorum Patrum communis est sententia, quamlibet pœnitentiam a peccatore ipso mortis tempore susceptam magna falsitatis inditia, quorum tria potissimum referunt. Primum est Dei verbum, quod nulla alia in re magis perspicuum, expliciumque est: aliquos idgenus locos attulimus, quos istic repetere inutile est. Alterum præjudicium fluit a tempore, quo hæc fit pœnitentia, quæ nunquam minus commode fieri potest, quam in morte. Tempus Dei non est totum vitæ tempus, sed illud solum, quo nos vocat; sed tempus mortis nequaquam illud est, quod nobis tradidit, ut nosmet morti eidem præpararemus. Neque hoc tempus est, quod magno huic negotio sit impendendum; non enim aliud minus aptum est seriæ cogitationi; & nunquam minus pares sumus illi adhibendæ diligentiæ, quæ ad id est necessaria. Tertium denique præjudicium contra pœnitentium hanc in

mortem usque dilatam hoc est, quod cum necessitas tunc nos adigat, ut revertamur ad Deum, legitima subest metuendi causa, ne peccator invitus, & coactus, non autem ultro, & ex corde agat pœnitentiam.

Hæc pœnitentiæ dilatio nō injuria haberi potest tanquam reprobationis argumentum.

Constat prædestinatos quoque nonnunquam in gravissima labi flagitia, ex quibus illico resurgunt, & quorsum salutarem, austeramque agunt pœnitentiam: e contra vero reprobi in sceleribus suis persistunt, & illa nonnisi cum extremo spiritu relinquunt. Idcirco Doctores vulgo tanquam reprobationis signum pœnitentiæ cunctationem memorant; cum enim idgenus homines de die in diem converti, ac pœnitentiam agere differant, ut plurimum in impœnitentia moriuntur, quæ cumulum addit quodammodo eorum desperationi, quoniam in habituali statu peccati, in quo vixere, moriuntur.

De fide est post primum mortale scelus, quod in nobis baptismi gratiam extinxit, Deum nobis conversionis gratiam nequaquam debere, & jure suo illam nobis negare posse; nobis nullum jus esse eam nobismetipsis promittendi; neque illam ullo pacto mereri nos posse: hoc inquam de fide est. De fide quoque est, neminem mereri posse finalem perseverantiæ gratiam, quæ nostræ salutis opus coronare debet, & quam citra quamlibet injustitiam Deus sanctissimo cuique negare potest. Vos autem, qui nunquam justos fuisse meministis, qui hac in vita esse arbitramini, ut solatiis, & voluptatibus indulgeatis, qui mundo huic ita inhæretis, perinde ac inde nunquam essetis migraturi; quomodonam duas hasce distinctas, separatasque gratias speratis, quarum utraque omnia mortalium merita excedit; videlicet conversionis gratiam post peccatum, & gratiam finalis perseverantiæ post vitam sanctissime etiam traductam? Utramque simul invicem permixtas, confusasque vosmet assecuturos speratis, idque in extremo vitæ spiritu, ubi opus erit, ut conversio vestra simul etiam sit finalis vestra perseverantia: & duas hasce gratias, quæ sanctis omnibus duæ sunt, vobis unam duntaxat futuram; nonne hæc temeritas est, & manifesta præsumptio?

Quamquā Deus misericors est, æquum est, ut suā exerceat justitiam in eos, qui ejusdem bonitate abutuntur.

Verum est, Deum esse misericordem, & quod homo propriis præstare viribus nequit, hoc Redemptoris gratia, ubi huic placuerit, efficere posse: sed etiam sicuti bonitatis ejus interest in morte non deserere eos, qui, dum viverent, illi servitutem præstiterunt, opus quoque est, illius innotescere justitiam permittendo, ut qui, dum bene vivendi tempus, & adminicula haberent, ipsius obliti sunt, sui obliviscantur, cum morituri sunt, & omnem salutis suæ curam abjiciant.

Propositū sese convertendi non sufficit, sed justificatio statim incipienda est.

Cum pœnitentia sola peccatum deleat, ita sola eadem efficit, ne in finalem impœnitentiam labamur, & morte inter iniquitates nostras oppressi in damnationis ruamus. Hinc oritur satis non esse conversionis quædam fovere consilia, vel de pœnitentia in futurum tempus peragenda deliberasse; hanc modo incipere debemus; præterquamquod facile est mutare mentem, atque in hoc initio in futurum consilio decipi, & aberrare. Hæc enim ut plurimum ars est amoris proprii, qui ea frui cupit felicitate, quam in peccato nanciscitur, ac remittit in crastinum earum abnegationem, quæ omnino facienda est, laboremque, qui in eadem efficienda invenitur.

Hoc gratiæ mysterium est, quod peccatores non satis intelligunt, & quod evolvere operæ pretium est. Quanquam verum est dicere, ut Scriptura docet, Deum infinitæ misericordiæ suæ effectu sæpe peccatores ad pœnitentiam expectare, nihilominus liquet etiam, nec omnes, nec æque expectari. Si enim Davidem, Petrum, Magdalenam expectavit, non ita tamen Core, Dathan, & Abiron, aliosque plurimos, quos statim in scelere percussit, quin illis sese colligendi præberet tempus: & cum iis, quos expectavit, non eandem semper agendi rationem adhibuit. Alios quidem diu, alios brevi

tempo-

temporis spatio sustineat ; immo etiam quemdam gratiarum numerum statuit, quamdam peccatorum mensuram, propitias quasdam occasiones, quibus elapsis nullum superest tempus pœnitentiæ opportunum, gratia nulla ad salutem satis valida, nulla ad sese convertendas occasio satis benigna. Unde judicium ferri potest, quod quandoquidem peccator hoc tempus, hanc mensuram, has occasiones ignorat, differre conversionem suam est periculum subire sese nunquam convertendi.

Cur Deus, qui pœnitentibus veniam pollicitus est, tempus ejusdem faciendæ polliceri noluerit.

Cum ineffabili bonitate sua Deus omnia ad humanam referat salutem, ne veniam se consecuturos desperantes præcipites in omnia peccatorum genera proruant, veniam pœnitentiæ adnectit ; verum ne veniæ spes illis occasio fiat in sceleribus perseverandi, illis pœnitentiæ peragendæ tempus promittere noluit. Nisi veniam promisisset illis, qui baptismi sui sanctitatem violassent, qui semel ab ea decidissent, nullum in flagitiis suis modum servassent. Similiter si Deus hominibus veniam offerens, ex quo sese convertissent, illis etiam mortis horam revelasset, promissio huic adjectæ cognitioni illos diutius in scelerum habitu retinuisset. Quoniam Deus nos ad pœnitentiam se expectaturum in hoc usque tempus promisit, dixissent illi, quid nos cogit, ut conversionem maturemus, quandoquidem nullum imminet periculum in extremum senii tempus pœnitentiam rejicientes ? Quid autem divina præstitit misericordia, ut homines præservaret, ne in horum scopulorum alterum alliderentur ? In pœnitentia quemdam veluti portum primis constituit, ut post naufragium reparare possent eam, quam fecerant, jacturam ; ut autem secundis in peccato perseverantibus metum injiceret, Deus veniam illis promittens diem crastinum eorum pœnitentiæ nequaquam promisit.

Impœnitentia alia voluntaria est, involuntaria altera.

Moritur in peccato per involuntariam impœnitentiam, qui post vitam flagitiose transactam, quin veteribus recentia adjecerit scelera, subita opprimitur morte, veluti apoplexia, vel insania. Moritur per eamdem etiam, qui sine ecclesiæ ope, ac sine sacramentorum administratione abit ad plures : accersitur quidem Sacerdos, sed ubi hic accessit, æger sanæ mentis, & linguæ usum amisit. Sed præter hanc involuntariæ impœnitentiæ speciem adest altera, quæ voluntaria est, & affectata ; & est, cum in morte actu adhuc animus alicui pravæ adhæret cupiditati : cum exempli gratia impudicus separari non vult ab objecto, & causa peccati sui, quodcumque illi Confessarius suadere conetur, cum avarus fatetur aliena se possidere bona, & illa restituere detrectat, cum pater suos amat filios, quibus ne displiceat, relinquit illis ea, quæ scit a se injuste acquisita fuisse ; denique cum peccator, cujuscumque conditionis ille sit, extremum spiritum suum efflat versus idolum, quod vivens adoravit &c.

Potest aliquis mori in impœnitentia licet Ecclesiæ sacramenta susceperit.

At enim cum aliquis, quodcumque vitæ genus duxerit, omnia ecclesiæ sacramenta recepit antequam moreretur, cum sacra se exomologesi expiavit, sacro viatico pastus est, extremaque delibutus unctione fuit, nonne credendi locus est post hæc morientem christiano homine dignam mortem oppetere ? Ita sane, dummodo veram habuerit criminum suorum pœnitentiam, sincerum ob læsam numinis majestatem dolorem, certumque consilium, si convaluerit non perpetrandi imposterum ea, quæ ipsum Dei inimicum fecere : non autem si post recepta sacramenta cum noxiis cupiditatibus suis ille decesserit. At sacramenti gratia, inslabis, cor illius immutavit. Hoc verum esse nequit ; quoniam sacramenta secundum constantem Theologorum doctrinam non operantur nisi supposita interiori dispositione eorum a quibus recipiuntur. Sed sacramenta dispositionem hanc non gignunt, verum supponunt, ut producant effectus gratiarum, pro quibus instituta fuerunt. Si peccator, exempli gratia, moriens non est vere pœnitens, nisi in corde verum habet præteritæ vitæ dolorem, nisi præsto est, ut vitam mutet, ubi convalescat, confessionis sacramentum illi erit inutile ; etenim institutum est, ut eorum tantum peccata dimittat, quos satis suorum criminum pœnitet.

Duplici ratione aliquis in finalem impœnitentiam labi potest, vel in peccato suo mori.

Finalis impœnitentia procuIdubio est malorum omnium maximum, & duplici modo in eam aliquis labi, & in peccato occumbere potest ; videlicet per impœnitentiam, quam Theologi formalem, vel per eam, quam materialem appellant. Formalis impœnitentia est, cum aliquis ita in sceleribus suis occalluit, ut pœnitentiam agere nolit, neque veniam expetere, quamvis videat, & sentiat se morti proximum esse, ac se certissime reprobatum iri, nisi ad divinam misericordiam confugiat. Si nihilominus infelix iste nulla tangitur pœnitentia, vel securus persistit, vel si de divina bonitate desperans putat inutile esse ad Deum confugere, vel denique si peccata sua negligit confiteri sperans adhuc se ex eo periculo incolumem evasurum, pristinaque valetudine perfruiturum, hæc formalis est impœnitentia, novumque peccatum tot aliis recens superadditum. Si enim per desperationem hoc fit, peccatum est contra Spiritum sanctum, quod neque in hac, neque in altera vita dimittitur, & ut S. Hieronymus ait : *Solum crimen est, quod veniam consequi non potest*. Sin autem ex voluntaria omissione duntaxat accidit, peccatum est contra charitatem, quam sibi debet, cum in eo salutis periculo, in quo versatur, pœnitentiæ subsidium sibi procurare teneatur. Materialis impœnitentia est, cum pœnitentiæ omissio sine novo accidit crimine. *Ægrotus* exempli gratia medicum obtestatus est, ne sibi det verba, fucumque faciat, sed libere morbi statum, salutisque discrimen aperiat, ut sua prospiciat æternitati, medicoque affirmante nihil esse periculi, interim æger opprimitur morte. Hic moritur in impœnitentia, & damnabitur, non eo quod peccata sua confessus non fuerit, sed propter peccata, quæ patravit, & quorum nullam habuit contritionem. Aliquando etiam hoc accidit, cum moriens petiit confessarium, qui tunc tantum advenit, cum æger confiteri ultra non potest omnium sensuum usu amisso. Unus est perfectæ contritionis actus, qui tunc illum præservare valeat, ne in impœnitentia moriatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

De morte in peccato.

E*Go vado, & in peccato vestro moriemini* : Quidnam filius Dei Judæis minitatur ? A vobis recedo, quemadmodum a me recessistis, & in peccato vestro moriemini. Illos admonet mortem eorum cum peccato conjunctum iri, tanquam extremam pœnarum, calamitatum, & maledictionum oppressionem, necnon funestissimam duorum maximorum, simulque omnium malorum commixtionem, quibus divina justitia contemptam ulcisci possit suam misericordiam. Hæc autem non Judæis tantum, quantum nobis etiam, o Fideles, Jesus Christus intentat. Peccatores, qui conversionem, & pœnitentiam vestram procrastinatis, adhuc in altero tantum horum malorum versamini, ex quo facile per pœnitentiam emergere potestis ; ne differatis illam ; si enim vos deprehenderit mors, ibi in æternum permanebitis ; & alterius mali accessione prius fiet insanabile. *Ex Sermonibus Abbatis de Aubignac.*

Esto quidem pœnitentia ad scelerum nostrorum veniam promerendam novissimis vitæ diebus eamdem habeat virtutem, quam statim ac peccatum fuit perpetratum ; sed respondete, quæso, quisnam hanc vobis moram spopondit ? Numquid cum Deo pactum fecistis, ut his vobis terminis [illegible] ? Explo-

tatis

tatus ne vobis est vestræ mortis annus; illiusdiem, horamque nostis? Temerarius profecto sit, oportet, qui de futuris ita præsumit: divinam sibi vendicat auctoritatem, qui ita de futuro disponit; unus quippe Deus videt, quæ futura sunt; cum interim homo cæcus, qui nescit, quid crastina paritura sit dies, immo neque utrum futurum sit, ut crastina sibi dies affulgeat, injuria salutis suæ opus rejicit in annos, quos fortasse visurus non est. Mors fur est, qui in tenebris irruit, qui dormientes nos fallit, neque de adventu suo nos monet. Heu! aliquis fortasse animo consilium iniit sese proximo die festo convertendi, cui satis non erit vitæ, ut ad hunc perveniat diem; aliquis fortasse pœnitentiam se quamprimum acturum pollicitus est, cui vix triduum vitæ superest; aliquis cras se manum conversioni suæ admoturum decrevit, cui crastina dies nequaquam illucescet; aliquis me audit fortasse, cui divina misericordia reliquum dumtaxat hujus diei spatium concedet, quod fortasse misere absolvet, & hac nocte justitia Dei ab illo animam repetet, ac vitæ totius rationem deposcet. *Idem*.

Nemo præsumere potest, sibi mentis sanitatem fore extremo vitæ spatio, ut agat pœnitentiam.

Quamvis etiam mors vestra preceps non esset, sed ætatis vestræ imbecillitati accommodata, præsumerene potestis futurum, ne ratio ante corpus ipsum moriatur? Febris delirium impœnitentiæ vestræ sequi potest insaniam; sopor sensuum vestrorum, ætatis hujus ægrotis communis, mentis vestræ sopori comes accedere potest; & magnus annorum numerus, sine alio quovis casu, in eumdem vos remittere potest terminum, in quo sunt infantes. Verum scitote primam infantiam peccando parem non esse, alteram vero, quæ accidit in senectute, parem non esse pœnitentiæ. *Idem*.

Verum esto extrema senectus omnibus vacua sit infirmitatibus, quibus esse solet impeditissima; esto; sanæ mentis usus non desit, integrumque tibi sit ad Deum clamare, peccavi in cœlum, & contra te, Pater misericordiæ! quis polliceri tibi potest, pœnitentiam hanc utilem tibi, & Deo acceptam futuram? Quid! post prostitutos pulcherrimos vitæ tuæ dies in omni iniquitatum genere, post tot annos mundi hujus idolis devotos, post tot Dei gratias prophanatas, ejusdemque misericordias contemptas; audebis adhuc præsumere pro tot debitorum dissolutione brevem, infirmamque pœnitentiam illum esse accepturum? Næ tu quidem vehementer errare potes. Cum virium defectus integrum tibi non sinet delinquere, cum necessitas ex hac vita migrandi, non secus ac omnibus vitæ flagitiis valedicendi, cum imbecillitas corporis auferet animæ potestatem pravis satisfaciendi cupiditatibus, cum te pœnitebit potius non posse ulterius peccare, quam peccavisse: putas futurum, ut tibi Deus parcat? Conjice oculos tuos in Esau, conjice in Antiochum: uterque a Deo, nec sine lacrymis, suspiriis, & gemitibus pœnitentiæ gratiam expetierunt, & neutri illam Deus concedere voluit: delassata erat illius misericordia, & irritata justitia. *Idem*.

Pœnitentia in morte plerumque inutilis.

Si novissimis vitæ annis periculum est, ne inutilem dumtaxat habeamus pœnitentiam, quid de illa dicendum, quæ in extremum vitæ momentum rejicitur? Putasne morientis pœnitentiam certo esse talem, qualem expetit Deus? Fateor equidem hoc via mihi persuaderi posse: Anima accessu mortis perturbata difficillime ita sui compos est, ut coram Deo meritorium valeat actum elicere. Gemitus, & lacrymæ hominis jamjam morituri sunt potius doloris, quam amoris erga Deum effectus, ac tunc ipsum nefariæ vitæ pœnitet potius, eo quod illa morbum peperit, mortemque paritura est, quam quod Creatoris sui legem violaverit. Scio equidem hujusmodi in occasionibus non deesse, qui omnia promittunt exteriori morientis contritionis speciei, dummodo ecclesiæ legetur pars bonorum, quæ male parta, surreptaque fuerunt, vel dummodo illi relinquatur pars divitiarum, quibus moriens imposterum frui minime potest, vel aliquod resarcitæ gratiæ præbeatur indicium, cum omnino ultionis sumendæ modi, & desideria amittenda sunt. Quid de hujusmodi pœnitentia futurum sit, statuere nolo; affirmare tamen audeo rem periculosissimæ plenam esse aleæ huic fidere, suamque æternam salutem committere. *Idem*.

Deus, postquam diu peccatorem expectavit, ut plurimum illum deserit in morte, neque amplius audit eum.

Vocavi, & renuistis, ego autem in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos. Hic simul peccatoribus exprobrat Deus, & minitatur. Expectavit, ait illis, tempus hoc, quod ex me quæsivistis, passus sum illum adolescentiæ æstum, quem prætexebatis, defervescere; præstolatus sum donec hic cupiditatum vestrarum ignis deflagraret; poteram eo ipso temporis momento, quo a me recedebatis, a vobis quoque vicissim recedere; attamen misertus sum vestri, vestræque infirmitatis; distuli discessum meum satis superque justum in tempus remotius; expectavi usque ad proximum festum diem, quemadmodum petebatis. Sperabam vos ad me reversuros, atque aliquid pro salute vestra conaturos; attamen nihil eorum fecistis, quæ promittebatis. Concionatores ad vos locuti sunt eo zelo, quem mea quidem gloria, salus autem vestra illis inspiravit, pœnitentiæ ministri pro sacris tribunalibus vos præstolati sunt, gratiarum mearum, ecclesiæque thesauri peccatoribus omnibus patuere: denique expectavi, ut justitiam vobiscum exercerem: *Expectavi, ut facerem judicium*; sed quinam dilationis hujus meæ fructus extitit? *Et ecce iniquitas*, Isai. 5. dies quidem pœnitentiæ, anni vero nequitiæ, vaga confessio, & festinenter peracta, & sexcentæ in tota vita recidivæ, levis aliqua eleemosyna post mille rapinas: *Et ecce iniquitas*. Contempsistis gratias, monita, minasque meas: *Ego autem in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos*. Ex sermone de cordis obduratione, qui P. Massillon esse perhibetur.

Fidendum non est externæ speciei peccatoris in morte conversi.

At enim non defuerunt pertinacissimi, & nequissimi peccatores, qui in morte gemitus, & suspiria effuderunt, atque labiis adhærere deosculantes Jesu Christi in cruce animam efflantis imaginem: hi proculdubio extrema saltem vitæ momenta in lucro pro cœlesti gloria acquirenda posuera. Eheu! Auditores lectissimi, nobis, qui in reliquis rebus adeo parum indulgentes sumus fratribus nostris, quis adeo benigna de illis inspirare potuit judicia? Quis de illorum spondere pœnitentia potest? Aliquot pia verba? Ex quo de cordis sinceritate judicium ferri potest ea oris sententia? In ipso etiam mortis lectulo, quid mundum deceat, consideratur. Tunc decet videri Christianum; hoc solatium est universæ familiæ ploranti præbendum; hæc persona est unicuique vicissim gerenda. Deo promissiones fiunt eadem sinceritate, qua olim amico, cui os sublimiri optabatur. Sed cur ergo æquivocis acta signis ecclesia peccatoribus justorum sacramenta, & fidelium sepulturam concedit? Quia videlicet hæc amantissima parens, quæ de filiorum suorum interiori parte non judicat, signa hæc in æquiorem partem interpretatur, & credit Dominum fortasse usum fuisse absoluto, quod in hominum corda habet, imperio, ut efficaciter peccatorem hunc morientem moveret; & quia quantum interest sua, nullis parcere vult curis erga illum; sed non ideo plurimum credit his pœnitentiæ signis, quæ peccator morti dumtaxat proximus edidit. *Sermo Manuscriptus*.

Si periculosum est pœnitentiam in mortem usque differre, periculosum igitur est illam vel uno differre momento. Heu! quisnam scit terminum, quem præscripsit Dominus stadio, quod currimus? quantumvis juventutis flore, optimaque fruamur valetudine, quot casibus sumus obnoxii? Casus aliquis repente ingruens nobis impœnitentibus mortem potest afferre; morbus inter ipsas voluptates obortus; ex intemperantia fortasse profectus, repente nocentem opprimet; atque tunc manifestus pecca-

tor

tor in hypocritam pœnitentem mutati videbitur. Verum quam longe a funestis hisce casibus distamus? Nihil profecto scimus, & sine ulla præcautione vitam traducimus. *Idem.*

Qui conversionem suam de anno in annum differre consueverint, illam in morte etiam procrastinant.

Hic negligentiæ in iis, quæ ad salutem pertinent, habitus, quem peccatores contraxerunt, in æternum permanet; quod de anno in annum differebant, de hebdomada in hebdomadam, de die differunt in diem, & quin intelligant, mortis laqueis involvuntur, & hac procella merguntur. Nequeunt etiam diuturno affecti morbo familiæ suæ negotiis consulere; ideoque non admodum probabile est, illos conscientiæ suæ negotio vacaturos. Inviti relinquunt filios impeditissimis rebus irretitos, & uxorem omni solatio vacuam: & ipsi quoque in arduo, & difficillimo negotio omni consolatione carituri videntur. Quascumque curas gesserint, quæcumque inierint consilia, vidimus sæpe diligentiam, qua usi sunt, illis inutilem fuisse, non ergo fidei consonum est, postquam vitam traduxerint in jugi earum rerum negligentia, quæ ad ipsos unice pertinent, ipsos non decipi: & si decipiantur, quid de illis fiet? Ideo in Ecclesiastici libro Spiritus sanctus nos admonet, ne conversionem nostram procrastinemus, & ne, uti consuevimus, pœnitentiam in futurum tempus rejiciamus, ne abutamur tempore, & gratia, quam nobis offert Deus, ne imposterum nobis hoc salutis momentum desit, & prudentia, ac sapientia, ne non externa etiam subsidia deficiant. *Alius sermo Manuscriptus.*

Quid! homo, qui mundum sectatus est, qui totam fortasse vitam in negotiorum impedimentis traduxit, qui terrena solum amavit, prudenter speret futurum, ut bene se morti disponat: præsertim vero si ætas, & morbi effecerint, ut id cogitans vitæ, quod sibi reliquum est, spatium, nihil nisi mortis responsum in seipso reperiat, ut Sancti Pauli verbis utar; hoc est proximæ mortis certitudinem? Haud ita; spes hæc inanis, insanaque præsumptio est: aliquod esse debet intervallum inter vitæ hujus negotia, & mortis diem. Quid diceres de nauta, qui tunc solum ad examen vocaret, utrum rudentes, & anchoræ firmæ sint, cum se procella jactatum, ac naufragium imminere videret? Quid de arcis præfecto, qui murorum ruinam reparare, atque commeatus comparare tunc solum cogitaret, cum jam vallo circumseptus esset, & hostis jamjam bellicis tormentis propugnacula quateret? Vel de œconomo, qui rationes, & syngrapha tunc expedite satageret, cum rationem redditurus accersitur? Mors vero quid est? Si sacris litteris habemus fidem, periculosa navigatio est, per quam de tempore ad æternitatem scopulos inter, atque procellas traducimur: Prov. 1. difficilis est obsidio, in qua anima repente hostibus circumsepta oppugnatur; Luc. 19. rationum redditio est, ubi homo rationem redditurus est de omnibus vitæ suæ motibus, de verbis, cogitationibus, actionibusque universis. Luc. 16. *R. Gaton libro de præparatione ad mortem.*

Morbi dolores prohibent, ne bene moriendo nosmet præparemus.

Esto etiam, si lubet, homo subita morte nequaquam opprimatur: quomodo tamen probabile est, hunc extremo illo vitæ spatio sese ad bene moriendum disponere posse! Levis febris accessio, capitis dolor quantumvis parum violentus, efficiunt, ne homo aliquid aliud cogitare possit, quam malum suum; dolor enim, quacumque in parte perferatur, omnem spiritus, sensuumque aufert applicationem, ut solatium aliquod inquirat, aut sese in questus effundat. Et nihilominus aliquis sibi persuadere poterit, ægrotum inter languores, & imbecillitatem, quæ in gravioribus morbis nunquam desunt, doloribus confectum, tristitia, tædioque fatigatum, & quocumque circumferat oculos, timoris argumenta videntem; aliquis, inquam, persuadere sibi poterit, ægrotum in tanta cogitationum confusione vacare posse omnibus virtutis, & pietatis actibus, qui necessarii sunt, ut se sanctæ morti disponat? Ullane igitur in mundo cæcitas esse potest, nisi hæc sententia extrema cæcitas est? *Idem.*

Deus expectando fatigatur.

Deus tædio afficitur, ejusque delassatur patientia expectando. Ille prior nobis suam gratiam, suumque offert amorem; adjutricem tendit manum, ut nos eruat ex abysso, in quam præcipites cecidimus; efficit, ut nostram videamus calamitatem, & illud, in quo versamur, periculum in nullam tedimus spem intereundi: quodlibet vitæ genus tentat, suavitatem, austeritatemque, ut nos revocet; sed post has cunctationes, nisi profecerimus, fulgurat, tonat, fulminat, gratias suas amovet, vel infirmas tantum concedit. Conversionem nostram in extremum vitæ spatium rejicimus, sed inopina mors nos aufert, & Dei iracundiæ, & ultioni nos objicit. *Auctor Anonymus.*

De illis, qui negotia sua prætexentes conversionem differunt.

Inde vero tot peccatorum retardatur conversio, quia in illud rejicitur tempus, quo vacui sint ab omnibus impedimentis, atque negotiis, quibus retinentur in mundo. Cum me lite hac expedivero, quidam ait; cum munere meo, demandataque mihi provincia perfunctus fuero, alter inquit; cum familiæ meæ consuluero, filiisque prospexero, cum exiguam bonorum vim in senectutem meam comparavero, tunc serio animum conversioni meæ, ac pœnitentiæ peragendæ impendam. Ita in mundo loquuntur: expectare vis, donec expeditus sis ab omnibus sæcularibus curis, & a terrenis negotiis omnibus vacuus. Teipsum misere fallis, peccator; nunquam enim plenam hanc spiritus libertatem assequeris, nunquam nulla terrenarum rerum cura impeditus eris, semper mancipium eris eorum habituum, qui te trahunt, & in singulos dies convalescunt. Itaque si de eo statu, in quo es, egredi cupis, ne momentum quidem differas, ubi Dei voce appellaris; quantumvis adhuc terræ bonis adhærescas, quamvis sæculi corruptionem sapias, quanquam prædominanti adhuc tenearis affectu, audi Jesum Christum loquentem, & ex quo vocem ejus audieris, statim de peccato, ut olim Lazarus de tumulto, egredere. Alioquin nunquam fortasse converteris. *Sermo, qui P. Massillon acceptus refertur, de Habitu.*

At enim aliæ me tenent difficultates, prohibentque, ne de malo, in quo sum, statu egrediar; quid pro conversione mea conari possum, donec huic mundo adhæreo? Quam curam salutis meæ negotio impendere possum, donec mens sæcularibus curis est impedita? Ita loquuntur homines; sed hæc verba nullius sunt utilitatis; hæc quippe negotia, quæ nos relicturos speramus, quotidie alia aliis invicem sibi succedunt. Vix quibusdam defuncti voluptatibus, nugis, & amoribus ætatis unius, in negotia, curas, laboresque alterius migramus; neque in provectiori ætate majorem nanciscemur spiritus libertatem, majoremque animi solutionem, quam in juventute, in qua omnia fascinant, blandiuntur, alliciunt. Quocumque in statu sis, malæ semper sunt affectiones tuæ, ac recentes habes cautiones, quas causeris; & quæ tuam conversionem impediunt. Hodie nimis molestum est, illud infringere vinculum, quod tantam adfert voluptatem, cras nimis dissipata mens erit, neque negotio, quod adeo serium est, vacare poterit. Post hæc in dies magis salutem nostram negligimus, quia nimis diu peccatum amavimus. Cum nosmet omnino vacuos putamus, tunc recens ingruit cura, quæ in aliquod tempus adhuc rejicit pœnitentiam, & conversionem. *Idem.*

Aliquando tempus erit, quo vosmet convertere cupietis, & fortasse non poteritis.

Jam novi te, Auditor: tempus erit, inquis, quo omnibus affectionibus tuis valedices, quo nexus omnes infringes, quo cum Deo redibis in gratiam; non semper iisdem perturbamur affectibus, & bonum sufficit momentum, ut immutemur. Hostium cladem facilem esse putas, neque dubitas de victoria, ubi ad illam animum volueris appellere. Miser! nonne de te jure, quod de Samsone

Sci-

Scriptura, dicere possem: *Egrediar sicut ante feci, & me excutiam; nesciens quod recessisset ab eo Dominus*. Ita loqueris, quia te ipsum ignoras. Tibi detonsi fuerunt crines illi, in quibus tuum robur consistit, & nescis; Dalila secretum retexit, neque ultra es, qui primum eras. Abi, abi, quoad tibi placuerit, blandire tibi. Dicis, *Egrediar sicut ante feci*; non credo; & fallax hæc confidentia tua mihi est apertissimum interitus tui argumentum. A te recedet Deus, cumque ille non erit amplius tecum, quid facere poteris, quid non debebis metuere? *Sermo Manuscriptus P. Stephani Chamillard*.

Qui differt pœnitentiam, salutem in periculum adducit.

Adveniet fortasse dies, qua pœnitentiam ages, sed fortasse etiam non adveniet. Heu! frater, hic disertissimus S. Chrysostomus exclamat, cum dicis *fortasse*, cogitasne, qua de re agatur? fortasse, ubi de tua agitur salute? fortasse, ubi agitur de anima tua? fortasse ubi de tua agitur æternitate? Fortasse damnabor; non damnabor fortasse. O terribile, horrendumque fortasse! O formidabilem incertitudinem! *P. Aurelianensis Sermone de Conversione*.

Quam difficile est repente immutari in morte.

Quid! brevibus illis momentis, quibus anima efflanda est, excutere, detestari, expiare, diuturnæ, ejusque flagitiosissimæ vitæ peccata reparare! Quid! repente mutare ideas, studia, affectiones, sensus! vehementes mortificare animi ægritudines, vehementes nexus infringere, violenta coercere desideria, inveterata jugulare odia, habituum ponderibus resistere, studiorum omnium cursum inhibere; momento terrenarum rerum æstimationem, & gustum abjicere, & cœlestia tantummodo sapere! Næ hoc quidem citra miraculum fit, fierive potest. *Idem*.

Tempus sese convertendi illud est, quo a Deo vocamur.

Videtis, Fideles, non deesse tempus sese convertendi, agendique pœnitentiam, quod si labatur, vix vobismet misericordiæ sperandæ superest locus. Non secus ac non desunt patientiæ dies, quibus ille peccatores sustinet, ita quoque dies adest iræ, & justi judicii; quæ quidem dies proprie illa est, qua ex hac vita decedimus, quemadmodum Deus ipse nos admonet. Præteriit occasio; tempus opportunum abiit, & per incuriam, æternasque cunctationes illud elabi passi sumus: messis tempus advenit. Quamobrem Isaias Propheta dicebat: Quærite Deum, dum prope est. Quando vero prope? Cum nos alloquitur, cum in corde nostro illius resonat vox; hoc verum est illius quærendi tempus. Verum si tempus hoc, & hanc occasionem elabi passi fuerimus, fortasse frustra invocabimus illum; frustra deserta, maria, montesque illum quæsituri illustrabimus: *Quæretis me, & non invenietis*. Joan. 7. *Auctor Anonymus*.

Peccator, qui indesinenter pœnitentiam differs! Evangelica piscina figura est, quæ tuam portendit infelicitatem! Moras incessanter, & cunctationes adfers, atque pœnitentiam tuam procrastinas: verum scias, piscinæ aquam non semper ab Angelo commoveri, scias, pœnitentiæ gratiam non semper offerri. Hæc sæpe vocavit te, sæpe te sollicitavit, ut ad Dei misericordiam confugeres; sed non semper te vocabit, sollicitabitque. Et cum te etiam vocabit, & Angelus conscientiam tuam movebit, adeo infirmus eris, ut teipsum secus hujus piscinæ oram tantummodo trahes; quo ubi perveneris, tot invenies, quibus prohibeberis, ne te in aquam projicias, ita ut omnem deinceps salutis tuæ curam abjicias. *Sermo Manuscriptus*.

Deus velut gratiarum suarum dominus non tribuit eas, cum nobis, sed cum ipsi placet.

Nihil æque liberum est, ac Dei misericordia in gratiarum suarum dispositione. Sane Dei *Spiritus ubi vult spirat*. Ideo auris adhibenda est voci gratiæ loquentis ad cor; latet enim, unde veniat, aut quo vadat; *Vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat*. Joan. 3. Ne dicas ergo te, ubi volueris, pœnitentiam suscepturum; hoc enim a te minime pendet, sed a gratia, quæ libera est, & libere operatur. Cum Deus sit gratiarum suarum dominus, illas inæqualiter pro voluntate singulis elargitur, *Dividens singulis prout vult*: 1. ad Cor. 12. & S. Chrysostomus ait, Deum agere tanquam supremum Dominum, ac Dominatorem, cum illas tribuit cui vult, & quando vult: *Cui vult, & quando vult, dat gratiam*. Cum autem tanquam Dominus agat, agit inæqualiter; neque cum peccatoribus æque, atque cum justis se gerit. Justos nunquam derelinquit, nisi prius derelinquatur, ideoque illis gratiam suam tribuit, donec sibi fideles existunt: verum aliter cum peccatoribus operatur: modo cum illis suam exercet misericordiam, modo illos indurat: *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*. Ad Rom. 9. Præsumit ergo, qui putat non defuturam sibi gratiam sese convertendi, agendique pœnitentiam eo tempore, quod ipse constituit, ac determinavit. *Idem*.

Peccator in morte non inveniet Deum, quem inquirit.

Cum Deus sese peccatori sæpe obtulit, & peccator pertinaciter gratiæ illius obluctatus est, infelix iste non invenit illum ultra, cum ipsum quæsiverit: *Quæretis me, & non invenietis*, Joann. 7. ita Deus ipse minitatur. Quid! toto vitæ spatio non aliud præter corporis voluptates quæsivisti, & putas in morte pœnitentiæ gratiam te inventurum? Terræ bona dumtaxat amasti, & in morte cœlestia bona te consecuturum speras? Dum viveres, non aliud, quam mundi hujus delicias optasti, & in morte credis te Paradisi deliciis perfruiturum? Quæ insania! quæ cæcitas! *Alius Sermo Manuscriptus de finali impœnitentia*.

Quam insipientes sunt illi, qui in extremum vitæ suæ spatium omnem æternitatis suæ curam rejiciunt; & putant inter terrores judiciorum Dei, coram quo brevi prodituri sunt, ad infernalium suppliciorum adspectum, quibus non multo post torquendi sunt, & inter dolores, qui animam a corpore divellunt, se cogitare posse, uti par est, quomodo suæ saluti prospiciant! Quomodonam ex toto corde eum diligent, quem nunquam dilexerunt in vita, & sine cujus amore salvi esse non possunt? *Auctor Anonymus*.

Moriens sæpe non intelligit, quid sibi dicatur, cum a Deo veniam petere suadetur.

Persæpe accidit, ut qui dum viveret, neque de Deo, neque de salute sua cogitavit unquam, & qui semper neglexit semet ad bene moriendum disponere, proficere nequeat ex bonis, quæ sibi traduntur, consiliis, atque iis, quæ ipsi fiunt, adhortationibus. Sacerdos, qui illi adstat, ad lectuli cervical mira dicit; optima tradit monita; & saluberrimas suggerit rationes ad tentationes dæmonia superandas; verum tempus discendi non est, ubi singulari certamine cum hoste confligendum est. Æger nihil intelligit eorum, quæ sibi dicuntur; eadem quidem verba nonnumquam repetit, sed ore tenus, non corde. Verbo, periit, antequam bonis, quæ sibi præbentur, uti possit consiliis. Sed hic nonne suo dignus est infortunio? Quænam imprudentia est sese tanto discrimini objicere! videre sibi cum adeo terribili hoste decertandum esse, & prælii momentum expectare, ut illata vulnera eludere, ejusque insidias evitare percipiat! *P. de la Colombiere, Sermone quinto de necessitate sese præparandi ad mortem*.

Magna imprudentia est mortis expectare tempus, ut te ad bene moriendum disponas.

Ubi sensimus, quanti referat sese ad bene moriendum præparare, sathanas omnem industriam suam in eo collocat, ut nos ad præparationem hanc in extrema vitæ momenta rejiciendam impellat; sed hæc ars adeo crassa est, ut miraculi loco habeatur, quod tot alioquin sciti homines eadem se falli patiantur. Mortis tempus expectare volumus, ut ad bonam mortem obeundam nosmet præparemus; verum quo auctore tunc præparationi huic tempus non defuturum speramus? Ad hæc licet certi essemus momenta aliquot non defutura, exiguum illud temporis spatium sufficere poterit, ut ea omnia adimpleamus, quæ in illud facienda rejicimus? & licet satis pro rebus omnibus esset, nunquid illud ad quæcumque tunc agenda tempus est opportunum? Hoc incertum est, breve,

breve, malum; nunquid sanæ mentis est illud pro maximi momenti negotiis transigendis reservare? *Idem*.

Quamvis etiam cum audacissimo quovis supponerem metuendum non esse, ne opprimamur; ajo, tempus, quod in morte suppetere potest, nequaquam satis futurum, ut vosmet bene moriendo præparetis. Nostis enim morbum, quo aliquis moriturus est, ab aliis, qui accidunt in vita, nequaquam distingui ex primis ejusdem appulsibus. Aliquot elabuntur dies, quin quidquam metuatur, ideoque de morte ne cogitetur quidem: periculum deinceps detegitur, sed statim non adeo apertum est, ut nulla spes sit reliqua; atque ea tantum quæruntur remedia, quæ ad valetudinem quam primum faciendam utiliora censentur. Hoc medicorum tempus est: tota familia incessanter circa ægrotum occupata est, ut eorum mandata facessat; penes te judicium sit, utrum ægro satis superque sit, quod agat, cum tot remedia sibi applicari, ac in se operari patitur. Tandem postquam inutili conatu omnes medicæ artis vires exhaustæ sunt, ille admonetur, ut sese præparet morti, quod nonnunquam accidit, cum vix quatuor & viginti horarum vitæ superest spatium; & sæpe etiam longe brevius sanæ mentis, atque usus sensuum. In angusto hoc temporis intervallo testamentum scribendum est, funeris norma præscribenda, res domestica componenda. Ut hæc omnia a bene valentibus fierent, plurium dierum spatium, & magnum requirerent otium: quomodo ergo aliquot horæ sufficient morienti, cui præterea omnia conscientiæ suæ negotia procuranda sunt, quorum curam semper in diem extremum distuli? Hæccine omnia adeo brevi fieri bene possunt? Vel potius hæc omnia fieri possunt male eo tempore, quo infirmæ sunt vires, cognitio modica, exilis memoria, & quo sensus dolorum, quibus corpus oppressum est; in se totam animæ attentionem, & curam convertit juxta illa S. Augustini verba: *Illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris? Idem*.

Confusio, ac tumultus animæ, quæ sese morti præparare distulit in illud tempus, quo moriendum est.

Homo tunc eodem in statu est, in quo urbs ab hostibus arcta obsidione vallata, magnoque impetu oppugnata. Justitium indicitur, literarum silent Academiæ, Commercium, Artes squalent, & omnia in hac cessant calamitate. Omnes per muros discurrunt, ac per propugnacula, quo communi periculo vocantur. Ita homo doloribus mortis oppressus, ut Prophetæ verbis utar, suis tantum doloribus vacat; anima tota iis impenditur partibus, quæ magis affectæ sunt; ibi omnes exerit conatus ad propulsandum hostem, qui jamjam arce potiturus est. Tunc temporis non videt amplius, non audit, & suum tantummodo malum sentit: eo tempore nemo audet amplius verbum facere de sexcentis negotiis, quorum singula maximi momenti sunt; attamen hoc illud tempus est, quod pro maximo, pro unico, proque illo reservatum est negotio, in quo de rebus omnibus in omnem agitur æternitatem. Væ mihi si adeo parum sanæ mentis fuero, ut hoc faciam! Væ mihi si ad extremum usque vitæ spatium distulero id, quod totius vitæ debet esse negotium! *Idem*.

Falsa sese aliquando convertendi confidentia ducit ad impœnitentiam.

Falsa hæc confidentia, quæ sperat contra omnem spem, quæ sine ulla religione salutis suæ negotium in tempus acceptius remittit, neque metuit, ne ita procrastinans voti summam consequatur; falsa hæc confidentia, quæ in futura conversione conquiescit, quin aliquid audeat efficere, ut operetur illam; quæ non alium gratiæ recipit fructum, quam inanem promissionem futurum, ut in posterum fidelius adhæreat illi; hæc falsa confidentia, inquam, scopulus est conversionis, funesta origo impœnitentiæ, & illusio fatalis, qua utitur dæmon, ut quæcumque optima consilia irrita efficiat, & vereor, ne falsa hæc confidentia omnes fere damnet peccatores. *Sermo, qui P. Massillon attribuitur, de falsa peccatorum confidentia*.

Mysteria hæc ad commovendum aptissima, quæ hisce pœnitentiæ diebus pietati vestræ exposuit ecclesia, excitarunt fortasse in plerisque vestrum sensus conversionis, & pepererunt aliquot vitæ magis christianæ desideria: millies commoti, contriti, agitati fuistis, ac millies de vitæ mutatione consilium inivistis. Sed in his felicibus gratiæ motibus affectiones vestræ adhuc voluntati, & cordi imperantes desideria vestra cohibuere, objicientes, tempus hoc nondum illud esse, quod saluti vestræ statutum est; vividæ juventutis æstum, vel negotiorum nimis urgentium impedimenta non pati, ut serio vestræ conversioni vacetis; neque tempus, & occasiones saluti vestræ utiliores defuturas. Inanes autem hujusmodi prætextus, & commentitii obices fortasse in caput vestrum convertent malum illud funestum, quod Dei filius Judæis minitabatur: *Moriemini in peccatis vestris*. Joan. 7. & 8. Moriemini, quin adimplere potueritis hæc bona vestra consilia, ideoque in impœnitentia moriemini. *Idem*.

Inanes prætextus, qui propter pœnitentiæ dilationem illis objiciunt mali, quæ Judæis Salvator minitatur.

Peccatores, qui hoc pacto procrastinatis, quænam res unquam vobis hanc spem certam facere potest futurum, ut ex funesto hoc statu emergatis? Ego quidem existimo incertum omnino esse, utrum in morte vosmet convertetis, an in peccato vestro moriemini; scire enim debetis, sola desideria, ubi simplicia perseverent esse desideria quovis effectu vacua, neminem convertere. Sed si dubitaretis, quonam in statu morituri sitis, quamvis peccatores vivatis, essetne prudentiæ vestræ cum hac dubitatione persistere in calamitosissimo statu, unde vestris viribus egredi vobis nequaquam liceret, nisi insueta gratia vos illinc educat? Semper spem, metumque inter nutantes, ac in utramque partem fluctuantes, necnon fati vestri exitum præstolantes, tutiusne relinquere potestis consilium, ex eo videlicet emergendi statu, in quo diem vestrum obire minime velletis? Si vobis non major esset metuendi, quam sperandi causa, sapientiæne esset in hac tranquillitate immorari? Sed undenam hæc vobis inter spem, metumque esse potest æqualitas? plurimas quidem metuendi, sperandi vero minimas habetis rationes. Quidquid potest vobis in memoriam revocare duas hasce propositiones adeo contrarias: Moriar in peccato? an in eo minime moriar? vobis terrorem debet incutere, & efficere, ut tutiorem partem amplectamini. Hoc autem primum consilium longe certius est homini in peccato viventi. Nostis enim vires vestras nequaquam sufficere, ut de peccato exire valeatis: divinum, neque id commune, vobis opus est auxilium, quod sibi nemo promittere potest; cum e contra nequaquam alieno egeatis subsidio, ut in peccatis vestris immoremini. *Idem*.

Quam vana sit peccatorum confidentia, qui suam differant conversionem, & in Dei gratia confidunt.

Scio equidem, quantumvis nefarii peccatores simus, de salute nostra desperandum non esse; sed humilis confidentia nulli innititur rei, & quidquid potest, nil inausum relinquit: vos autem rebus in omnibus confiditis, quin aliquid efficiatis. Humilis confidentia peccatorum salutis est causa; vos autem illam scelerum vestrorum cumulum facitis: humilis confidentia contremiscens in amaritudine cordis scelerum veniam expectat; vos autem hanc frigide in inutili impœnitentia expectatis, quam nunquam fortasse, vel nonnisi sero nimis estis facturi. Novi equidem pœnitentiam Deo nunquam displicuisse, sed tempus est, quo illam inutilem credere debemus, & confidentia, quam in hac pœnitentia statuimus, præsumptione, & scelere non vacat. Tunc turpiter, temereque speramus feliciores occasiones expetentes, quin ullum in præsenti conatum efficiamus. Hic ille fatalis est error, in quo plerique vivunt peccatores: hæc fallax est illusio, qua nititur dæmon ad salutis sensus in anima oppugnandos. *Idem*.

Frustra qui conversionem differt ad id aptius tempus expectat.

Quid ergo? Cum speratis futurum, ut alio tempore Deus vestri misereatur, putatisne illum cor vestrum esse immutaturum? Sed cur in futuro potius, quam in præsenti confiditis? Nunquid cor ve-

vestrum pœnitentiæ magis esse dispositum? Quænam vero causa vobis est credendi, occasiones tunc fore magis opportunas? Nunquid in corde vestro majorem invenietis facilitatem infringendi vincula, quæ & præteritum, & futurum tempus magis magisque confirmaverint? vincula, quæ diuturnus habitus alligaverit, nonne difficilius erunt infringenda? Nunquid facilius resistere poteritis torrenti, qui jamdiu collecta aquarum congerie intumuerit? Nunquid facilius resistere poteritis inclinationi, quæ annorum longitudine inoleverit non amplius corrigenda? Jurene eas exigere potestis circumstantias, quas post elapsum temporis spatium vobis magis opportunas esistimatis futuras? Conversionem differtis, quia nimis molestum, ac difficile vobis esset in præsentiarum agere pœnitentiam, sed minus vobis molestum, ac difficile futurum est illam explere, cum in scelere magis occallueritis. Crediris arborem hanc, quo magis adoleverit, eo facilius esse corrigendam? vulnus hoc, quo magis veneno fuerit imbutum, eo facilius esse curandum? Nunquid insanius aliquid fingi potest? Præstolamini tempora pœnitentiæ, quæ magis sint opportuna, & non intelligitis futurum, ut hoc ipsum tempus omnem vobis pœnitentiæ instituendæ auferat facilitatem. *Idem*.

Certum est divinæ sapientiæ ordinem probari non posse, si peccatori jus adsit semper in Dei sui misericordia sperandi, & si hæc misericordia quovis tempore sese fallaci peccatoris confidentiæ accommodaret, satis esset fovere conversionis desiderium, ut hoc jus haberemus illam in morte obtinendi. Justus, qui sensus suos mortificat, ut finalis perseverantiæ donum obtineat, nihil haberet ergo, in quo obdurato, & pertinaci præstaret peccatori, qui ad illud promerendum nil agit? Nullum igitur discrimen esset, sive homines indesinenter innocentiæ vias, an inquinatissimas scelerum semitas usque ad vitæ finem decurrerent? Utrorumque sors par esset? Stultum igitur esset ferre Domini jugum ab adolescentia, quia qui hoc faceret, nequaquam ab illo differret, qui in morte gratiam præstolaretur. Pœnitentia igitur in vitæ finem rejecta sapiens esset exquisitissimæ prudentiæ consilium, & ecclesia pœnitentiæ, & pietatis exercitia præscribens, & ad Sacramentorum frequentiam nos excitans, peccatoribus dumtaxat verba daret. *Idem*.

Qui conversionem suam differt non solum salutis suæ incertus est, sed prope suæ damnationis est certus.

Peccator de sua conversione præsumens illam procrastinando non solum in horribilem salutis suæ incertitudinem, verum etiam in manifestam suæ damnationis certitudinem labitur. Expectas enim, quod te convertat Deus: at quomodo expectas? Scelera sceleribus adjiciens, omnia salutis adminicula negligens, quæ Dei verbum, sacramenta, ac ministri illius offerunt tibi; nihil de vitæ tuæ ratione, morumque tuorum mutans improbitate. Quomodo ergo teipsum in tuis sceleribus fallis expectans, quod te inde sola liberet gratia, quin tu ipse ullam afferas curam? Gratia, quam inter flagitia tua expectas, fructus est lacrymarum, suspiriorum, & vis illius, quam sibi quilibet infert; diutius petenda est, desideranda, inquirenda. At illamne indesinenter requiris? Dominum urges, ut hanc tibi largiatur? Omnem industriam tuam collocas, ut illam promerearis? Quin immo cum temeraria confidentia dicis: spero Domine fore, ut me convertas. veniat dies, quo funesta mea vincula infringas, me tuearis contra salutis meæ inimicos, & me ex abysso educas, in qua sum, meæ calamitatis misertus. O te miserum, & insipientem! Itane a Deo tuam conversionem petis? Ignorasne nihil aptius esse ad amovenda Domini beneficia, & gratias, quam temeritas illa, cum qua eadem expectas; atque ita neminem salutis suæ minus certum esse, & magis certum damnationis suæ, quam vitam in nefaria hujusmodi cunctatione ducendo? *Idem*.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem; usquequo avertis faciem tuam a me? Usquequo relinques Domine animam meam inquietam, fluctuantem, incertam, & in singulos dies nova pœnitentiæ consilia ineuntem, quin illa uspiam exequatur: *Quandiu ponam consilia in anima mea?* Usquequo sines me vitæ meæ curriculum in inani promissione sinceræ pœnitentiæ traducere, quin unquam promissi fidem præstem? Dissipa hæc vana phantasmata, inutilia hæc meæ conversionis meditamenta; ne patiatis me cordis mei studia sectari, quod tu quidem mihi tribuisti, ut te diligerem; & ego injuste erga creaturas converti: præveni mala, quæ imminent mihi, & quæ decidunt in peccatores, qui inanem confidentiam suam in mortem usque producunt. Respice infirma desideria mea, non tanquam inania pœnitentiæ consilia, sed veluti primos commotæ conscientiæ, tuamque misericordiam implorantis, clamores &c. *Idem*.

Quomodo a Deo petenda sit conversionis sua gratia.

Fidendum non est pœnitentiæ morientis, qui illam in hoc usque tempus distulit.

Cum peccator sese ad Deum tunc tandem convertit, ubi gravi morbo se pressum videt, qui mortem minitatur, quid de illo sentiendum est? Nihil scio, S. Augustinus respondet: hoc unum scio plurimum de illo metuendum esse: *Non sum securus*. A sacerdote quidem absolutionem consecutus est; verum utique est. Hanc illi dare debuit sacerdos; neque eam negare potest ægro petenti, & aliquo exteriori signo suam pœnitentiam testanti. At hæc absolutio in Dei judicio probabitur? Hoc mihi quidem, sequitur idem doctor, valde videtur ambiguum: *non sum securus*. Potui quidem morientem audire, extrema illius excipere suspiria, illum excitare, illi pœnitentiæ sacramenta conferre; utrum vero Sacramentum hoc suum habuerit effectum, & pœnitentia sincera fuerit, hoc profecto affirmare non possum: *Pœnitentiam dare possum, securitatem non possum*. Id ergo genus pœnitentes *damnabuntur*. Meum non est de illorum sorte decernere, nihilque habeo, quod explicite afferam: *Non dico. Liberabuntur?* Hoc minus adhuc asserere possum, minus præsumere, & in hanc spem alios adducere: *Non dico, non præsumo, non promitto*. Neque enim vel alios, vel me ipsum fallere volo: *Nec fallo, nec fallor. P. Gironst, Sermone de impœnitentia finali*.

Hac in re nostram consulamus experientiam. Quot quotidie videmus, quot audimus ægrotantes eo, in quo laborant, periculo inire, si convaluerint, vitæ sanctissime traducendæ consilia? Quæ verba proferunt? Quæ suspiria in cœlum emittunt? Si illos audis, sancti erunt, dummodo dignetur Deus aliquot adhuc annos ad vivendum illis concedere, ac proferre vitam jamjam desituram. Malum reipsa decrescit, neque adeo violentos accessus habet; ignis, quo absumebantur, defervescit, bona redit valetudo, reflorescunt vires, jamjam convalescunt; verum ideone meliores fiunt? Hoc vos nostis, Fideles; vos testes appello; in iisdem videntur habitibus, in iisdem impudicitiis versantur. Miramini. Ego quidem hanc mutationem non miror, vel potius ullam unquam extitisse veram mutationem nego, jamjam coram Deo prodituri, ac prope extremum vitæ spatium animam efflaturi id erant, quod semper fuerant, & quod modo quoque sunt. Quamvis tantum illi promitterent, ac tot pœnitentiæ signa præseferrent, si tunc illos evocasset Deus, si mors illos sustulisset, actum jam erat de illis, quoniam eorum dolor, ac pœnitentia sinceri non erant. *Idem*.

Quam difficile sit, quod peccator in morte convertatur.

Peccator, quem vobis istic exhibemus, homo est sensibus immersus, & qui carnis consilia sectari consuevit: ut ergo illius in morte pœnitentia sit supernaturalis, supra seipsum exurgat oportet, sese ab iis rebus omnibus expediat, quæ terrena, ac materialia in hanc usque diem in intentionibus suis fuere, atque ob superiores agat causas iis, propter quas semper operatus est. Hic homo est, in quo omnes fortasse cupiditates vicissim dominatæ

sunt,

sunt, & quæ effecerunt, ut ille peccata omnium fere specierum, ac prope infinita numero perpetraret. Ut ergo universalis sit illius pœnitentia, opus est, ut susque deque, absit verbo invidia, totum animæ suæ statum vertat; sibique cor, ut ita loquar, novum, novumque spiritum fingat; ut in pretio habere incipiat, quod contempsit, & contemnere ea, quæ habuit in pretio, ut amet, quidquid odit, & oderit, quidquid amavit, &c. Nunc autem hoc a vobis quæro, o Fideles, utrum, dum magna vis morbi sævit, & dum internæ omnes facultates turbatæ sunt, ac vitiatæ, dum dolor, quo corpus affligitur, omnem in se mentis cogitationem convertit, æger parne esse possit iis omnibus considerationibus, quæ faciendæ sunt, ut seipsum excitet ad contritionem æque perfectam, qualis tunc decet, ut nihil prætermittat, & in re nulla deficiat? Erratis, Christiani, vehementer erratis, si credítis momento abjici posse priores illusiones; momento abdicari posse quadraginta annorum affectiones; momento intelligi posse veritates, quibus nunquam satis impensa fuit cogitatio; momento has veritates, magnas veritates, æternas veritates ita profunde, ac tanta vi in anima imprimi, ut illis excitemur, afficiamur, animemur, rapiamur eo usque, ut imposterum sincere velimus Deo, salutique nostræ sacrificare fortunas, voluptates, affectiones omnes, quæcumque sint, & quocumque dolore hoc nobis statutum sit, eo usque ut id plena, efficaci, stabili, & inconcussa voluntate velimus. Mutatio adeo subita, & prompta miraculum est. Vos autem pro vobis Deum miraculum hoc effecturum putatis? & in hoc confiditis? & hoc sperantes in flagitiis vestris volutamini? vos miseros, cæcosque! *Idem*.

Difficultas, quæ efficit, ut differatur pœnitentia.

Quot peccatores hanc conversionem, hunc reditum ad Deum sibi fingunt velut opus, quod in præsentiarum sibi arduum sit, & fere impossibile? Nonne hoc illud est, quod efficit, ut incessanter de ætate in ætatem, & sæpe etiam in mortem differatis pœnitentiam? Modo autem perfecta valetudine, omnique spiritus præsentia gaudetis; in eo statu estis, ubi considerare, perpendere, meditari potestis: saltem non deest vobis tempus, non subsidia; vincula, quæ vos retinent, nondum sunt æque fortia, ac erunt, cum novis dilationibus, recentibusque cunctationibus confirmabuntur. Quid ergo erit, cum gravi accedente morbo, mortis proximæ adspectu perterritis vix reliqui vobis erunt tadii aliquod obscuratæ rationis, ac brevi extinguendæ? Quid erit, cum familia, uxor, filii, amici, domestici circum vos solliciti aderunt, seu ut aliquam ferant opem, seu ut a vobis lumen aliquod circa alienum æs, aliaque negotia recipiant, caput vestrum opplebunt sexcentis imaginibus, iisque diversis, vosque in eam confusionem conjicient, ubi vestri compotes ultra non eritis? Quid erit, cum intra aliquot horarum spatium corporis, animique deficientibus viribus, efficienda erit præceps confessio, ubi deerit tempus, quo vosmet excutiatis, quo verba deerunt, quibus sensus vestros explicetis? Quid erit, cum in integra sensuum destitutione habitus maxime confirmatus, nefarius, flagitiosus in vos absolutum exercebit imperium? Hæccine illa asserta pœnitentia est, in qua tantopere confiditis, & a qua vultis vestram pendere æternitatem? Si non aliam habetis spem, non alium salutis vestræ sponsorem, ego profecto de salute vestra despero. *Idem*.

Confessarii subsidium fere inutile est peccatori qui non nisi in morte de salute sua cogitavit.

Fateor equidem, nautam in procella, medicum in morbo, scitumque, ac prudentem confessarium morte accedente esse necessarium; sed heu! quid millies accidit? quid adhuc singulis accidit diebus? loquitur Confessarius, loquentem æger non audit: Confessarius ut hunc excitet, ea profert, quæ magis pathetica sunt, eique christianissimos suggerit sensus: sed hic ignotus est ægrotanti sermo; nihil intelligit. De te cogita, sacerdos clamat, a Deo pete misericordiam. His quid redditur? Sæpe ne verbum quidem: æger surdus est, sensu caret: & ratio est, quia in extremo hoc defectu, in quo attrita sunt organa, & anima non aliam ferme habet actionem, nisi quod rerum quarumdam reminiscitur, ea tantum comprehenduntur, quæ in vita comprehensa fuerunt, atque iis tantum afficimur, quibus affecti fuimus, dum viveremus. Visne morientem hunc excitare, eique animum immittere? ob oculos illius pone mundi hujus ideas, & respondebit: sed donec de anima tantum loqueris, de peccatis, pœnitentia, dolore, metu judiciorum Dei, confidentia in misericordiis illius, de altera vita, Sacramentis, præparatione, qua hæc recipienda sunt, clausæ erunt aures illius, obmutescet lingua, & cor ejus frigidum erit, & induratum. *Idem*.

Irridebit Deus peccatores morientes, qui dum viverent illuserunt Deo.

Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo. Deus ita loquitur peccatoribus, qui conversionem suam in mortem usque distulerunt, & qui nefariam vitam cum morte sancta simul se conjungere sperant; vel qui in confidentiæ suæ præsumptione se confirmantes audent sperare nunquam sibi defuturam gratiam, quæ ipsis opem ferat, eamque semper ad cordis eorum fores vigilaturam, ut ubi apertæ fuerint, ingrediatur. Gratia sua habet momenta; nisi hæc occupaverimus, neque illa nostris aderit momentis. His ergo peccatoribus ita loquitur Deus: Ego vos vocavi, & vocantem non audistis. Neglexistis consilia, quæ ego, vel nomine meo sacerdotes vobis suggerebant. Ego quoque par referam pari. Me, dum viveretis, contempsistis, vos morientes contemnam; in vita me repulistis, ego vero vos in morte repellam. Quemadmodum vosmet mihi duros præbuistis, & ego vobis. Non solum non quæram, non feram opem; recedam, vos deseram, atque tanquam hostis victo insultans, ita vos irridebo: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo*. *Idem*.

Inania non sunt terriculamenta, ubi loquor de tempore, quo Deus misericordiam facere negat. Deus sæpe hoc per os Prophetarum testatus est: Tunc clamabunt, & non exaudiam. Terribiles, certæque minæ! Væ illi, cui Deus negat gratiam efformandi salutares hos clamores, qui ex contrito, & humiliato corde proficiscuntur. Hujusmodi tantum clamores Dei iram possunt infringere. Sed peccatores, qui ad Deum redire procrastinant, clamabunt aliquando, cum dies Domini advenıet: sed clamabunt tanquam servi, qui metuunt supplicium, & Deus non exaudiet eos. *Auctor Anonymus*.

Deus, qui veniam pœnitentiæ promisit, pœnitentiæ crastinum diem non promisit.

Deus in pœnitentia quemdam veluti amicum pro peccatoribus portum constituit, ut ibi post naufragium sua valeant detrimenta reparare; sed ut metum illis injiciat, qui temeraria confidentia in hoc subsidio in peccatis suis perseverant, Deus illis veniam promittens eorum cunctationibus crastinum diem non promisit, ut præ metu, ne morte in pravo hoc deprehendantur statu, sese convertere maturent: *Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit*, S. Augustinus ait, *sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit*. Quamobrem non cessat Spiritus sanctus admonere nos, ne de die in diem conversionem differamus, ne subita cœli ultione opprimamur: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem &c.* Eccl. 5. Hac arte urget Deus peccatores, ut sese convertant, atque tepidum, & incuriosum excitat, ut diligentius suo munere perfungatur. Hæc si desit incertitudo, indulgentia, quam peccatoribus promisit Deus ad se revertentibus, efficeret, ut illi in omni vitiorum genere perseverarent usque ad vitæ finem; & ipsi in virus converterent pœnitentiæ remedium, quod illis offert Deus, ut eorum vulneribus medeatur. Ita quemadmodum Deus ineffabili bonitate omnem consiliorum suorum rationem ad hominum salutem refert, ne illi per desperationem veniæ exce ruant in omnia flagitia, illis pœnitentiæ portum promisit; ita ne hæc veniæ spes illis occasio fieret in

sce-

scelere perseverandi noluit illis pœnitentiæ hujus peragendæ tempus promittere. Quandoquidem pollicitus est Deus, dicerent, se nos ad hoc usque tempus expectaturum, commode ad id animum appellere licebit; nulla nos cogit res, ut adeo festinanter conversionem nostram maturemus. Possumus citra quodvis periculum meliores ætatis nostræ annos voluptatibus impendere, atque in senectutem rejicere pœnitentiam, cum cupiditates nostræ minus erunt æstuosæ, & jamjam defervescent. Hoc docet Sanctus Augustinus Conc. 2. in Psalm. 105. *La Font in sermonibus Ecclesiasticis pro decima quinta post Pentecosten Dominica.*

Difficile est mori proximum de salute sua, uel opus est, cogitare.

Reipsane creditis adeo facile esse animæ Christianæ, cujus fere tota attentio occupata est sensu malorum corporis sui, serio ea secum volvere objecta, quæ minus sibi sunt familiaria; recogitare cum amaritudine omnes vitæ suæ annos, omnesque præteritos errores cognoscere, atque damnare? Nonne patet e communi experientia, & ratione magistra, omnes fere homines fere numquam minus pares esse quærendo Deum, quam cum sunt morti propiores; & plerosque pietatis actus, quos eo eliciunt in statu, posse quidem in viris bonis esse argumenta illius sanctitatis, in qua morbus eos nactus est, in aliis vero non esse aliud, quam effectus consuetudinis moriendi cum Ecclesiæ, & religionis cæremoniis, & sæpe etiam effectus imbecillitatis, quæ efficit, ut ægri nequeant illis resistere, qui eos ad sacramentorum receptionem hortantur. *Auctor christianorum sermonum pro prima Dominica post Epiphaniam.*

Quandoquidem vel pœnitentia agenda est, vel pereundum est, cur differtur? Numquid cito nimis fieri potest, quod necessario faciendum est, ne pereamus; & periculum est, ne illud omnino faciamus, sero nimis id facere volentes? Intra annum, intra mensem convertar; cur non hodie? Ne unius quidem diei certus es, & annos numeras? Numquid futurum in tua potestate situm est? Vix situm est præsens. Nisi præsenti uteris, ut convertaris, certus esse nequis illius, quod subsequetur. Cras, inquis, convertar; at quoties in diem crastinum distulisti, qui semper advenit, & ad te numquam pervenit? Cras? qui tibi dixit futurum, ut tibi dies crastina illucescat? Qui, Sanctus Augustinus ait, veniam peccatori pœnitenti promisit, pœnitentiam procrastinanti crastinum diem non promisit. *Pater Nepven. Tomo 1. Christianarum Considerationum.*

Conversionem procrastinantes, indignos nosmet præbemus quibus Deus gratiam tribuat conversionis.

Quo magis conversionem differes, eo magis peccatorum numerum augebis, eo magis a te Deum removebis, eo magis illius charitas frigescet, eo magis illum irritabis. Quam autem gratiam expectare potes a corde, quod non solum non amat, sed etiam contra te irritatum est? Quandoquidem tamdiu in peccato vixisti, insueta indigeres gratia, & vehementi gratia, ut converteretis; at vehemens hæc gratia, non vulgaris bonitatis effectus est: numquid jure illam a Deo te consecuturum sperare potes, quem toties contempsisti, ac adeo indigne injuria affecisti? Quanam igitur in te constituis spem futuræ tuæ conversionis? Non in alia profecto, quam in cæca tua præsumptione. *Idem tomo tertio.*

At enim, ut convertatis, validiorem gratiam expectas; videlicet Deo invitanti insultas: non satis te urget; adeo infirmis invitationibus te victum minime dedis; validiores gratias expectas? Numquid ad has obtinendas via est prioribus aures obstruere? At quam gratiam expectas? Eam, quæ conversionis tuæ opus perficiat? O chimæram! ullane gratia est, quæcumque illa sit, cujus effectus ab hominis cooperatione non pendeat? Donec expectas, voluntas tua non operatur; igitur donec expectas, conversio tua impossibilis est. At enim victricem gratiam expectas, cujus virtus, atque suavitas haud ægre, & sine labore, atque contentione te ad bonum convertat. Alia hæc est chimæra. Cor non mutat repente objecta, ac studia sua, quin sibi vim adhibeat? Quantumvis efficax, & lenis extiterit illecebra gratiæ, quæ Sanctum Augustinum convertit, quibus opus fuit laboribus, ut sese a vitiis expediret; quibus dubitationibus agitatus non fuit? Quis sui ipsius horror, quis in sola mutationis cogitatione terror, quæ consiliorum sibimet succedentium varietas! Quæ sententiarum oppositio fluctuantem illius agebat spiritum in jugi incertitudine! Et putas te nullo convertendum labore? Gratiam expectas? O Deus! quænam hæc est expectandi ratio illi resistendo, illam impugnando, illi omnes in cor tuum aditus præcludendo! juvenis es? Hæc, dicitur, ætas est voluptatum: *Expecta.* Ad maturiorem ætatem pervenisti? Sexcentis impeditus negotiis, senium est expectandum: *Reexpecta.* Bona frueris valetudine? Hoc tempus non est de Deo cogitandi: Especta. Uteris mala? nondum extremum vitæ spatium advenit: *Reexpecta. P. Cheminati serm. de Magdalena.*

Affectiones nostræ in morte prohibent ne convertamur.

Duo solent accidere, quæ a nobis minime perpenduntur, & quæ nihilominus numquam satis possumus meditari. Primum est, quod anima in morte videns scelerum montes super caput suum congestos, seque intuens omnibus circum affectionibus alligatam æternam sibi minitantibus captivitatem oculos aperire incipit, ut suam cernat calamitatem, ac de sua salute cogitet. Vellet illa quidem converti, atque compedes suos infringere; sed quoniam a Deo derelicta est, vis eadem, quæ efficit, ut ad libertatem anhelet, libertati illius adversatur; affectus iidem, qui efficiunt, ut pœnitentiam inquirat, prohibent, ne pœnitentiam inveniat. Hoc obruta dolore vellet quidem ex vinculis suis egredi, at illa solvere nequit. Longa criminum, & iniquitatum series, valida affectionum ejus catena crudele illius fatum est, & certissima reprobationis, ac interitus ejusdem causa. *Abbas de S. Martino in Quadragesima.*

Insignis temeritas eis bonam expectare mortem criminosè vitam ducentes.

Bonam sperare mortem post vitam flagitiose actam, hoc non solum est omnium gratiarum maximam sperare gratiam, sine qua ceteræ inutiles sunt, sed gratiam, quæ omne superat meritum; gratiam, qua majorem sanctissimus quisque ausus non fuisset expetere in suæ servitutis remunerationem; gratiam, quam Salvator Apostolis suis negare potuisset, quin illis afferret injuriam. Tu vero, peccator, gratiam hanc speras? Verum non attendis te illam a mortali hoste sperare? ab hoc ipso Deo, quem neglexisti, quem ad hanc usque diem lædere non cessasti? Quid? post vitam in omni flagitiorum genere traductam, post aures omnibus Dei vocibus obstructas, post monita, minas, & imperia ejus contempta, expectas adhuc non solum gratias, sed gratiarum omnium maximam? *P. de la Colombiere.*

Contra rationem agit qui bene vivere in senectutem differt.

Agendi ratio horum mortalium, qui pie vivere se tunc tandem incepturos proponunt, cum extrema confecti erunt senectute, semper rationi, bonoque sensui adeo opposita visa est, ut Ethnici ipsi illam tanquam rationabili homine indignam improbaverint. Quæ insania, vetus quidam ajebat Philosophus, qui hanc veritatem solo rationis lumine didicerat, tunc velle incipere bonum vitæ genus, cum vita relinquenda est? atque tunc tandem sibi vacare velle, cum mens non est amplius ulli curæ par? bono sensui nihil tribuere velle nisi tempus illud, quod rei nulli idoneum est? nolle virtutem amplecti, quam cum in impudicitia, & libidine ultra vitam producere corporis vires non sinunt? Ita loquitur Seneca libro de vitæ brevitate. *Ex moralibus sermonibus.*

Insanum est in mortis tempus conjicere curam salutis suæ.

Quam insipientes illi sunt, qui in extremum vitæ suæ spatium omnem æternitatis curam rejiciunt; & qui putant inter judiciorum Dei terrores, coram quo brevi prodeundum erit, coram omnibus inferni suppliciis, in quæ jamjam præcipites

dandi erunt, atque inter dolores, qui animam a corpore divellunt, cogitare poterunt, uti opus est, de suæ salutis negotio? Quomodo ea toto corde suo diligent in morte illum, quem, dum viverent, non amarunt, & sine amore cujus salvi esse non possunt? *Liber cui titulus: Cruciatus Domini nostri Passionis ejusdem tempore.*

Tanta est mundi corruptio, ut plerique homines nullum videant periculum, cui obnoxius est, qui vitam ducit impœnitentem; & credunt, se per Dei misericordiam extremis vitæ momentis præclare uti posse, & unum dumtaxat requiri ad omnium scelerum suorum veniam obtinendam, quemadmodum in reliquis omnibus vitæ momentis. Itaque dici potest, mundi Christianum, qui non omnes religionis sensus abjecit, credere se posse, ut virum bonum decet, obire, postquam in gravissimorum scelerum effusissima licentia vitam traduxerit. Cogitatio hæc, quam nobis inspirat licentia, error est ex alio profectus, videlicet Deo tantum inesse bonitatis, ut post vitam nefarie anteactam negare velit mortem pœnitentem. Si hoc potest, si ita bonus est, ut hoc permittat, quemadmodum reipsa aliquando permisit, non sequitur inde ipsum ad id teneri, atque hoc ab illo expectandum esse, quandoquidem hoc ipsum longe plurimis renuit, qui in suis peccatis moriuntur. Peccator, qui hanc gratiam expectas, & qui inani huic innixus spei in flagitiis tuis perseveras, quam religioni affers injuriam? Quid Dei filius evangelicam legem irrogans hoc sibi proposuit, ut te cogeret solum christianam mortem oppetere, non autem christianam vitam traducere? Fierine potest, ut fideles sacro baptismate abluti tunc tantum Christiani sint, quum moriuntur? Baptismus non alias confert gratias, quam quæ in morte exerceantur? Numquid nescis mortem pœnitentem præmium esse vitæ pœnitentis? totum vitæ spatium non esse satis longum, ut diei unius scelera defleantur, ut quidam loquitur Pater? Et vis, mortis pœnitentiam sufficere ad vitæ totius crimina lacrymis eluenda? Scio equidem gratiam, ut miracula operetur, a tempore non pendere, ac sæpe uno tantum indigere momento pro insigniorum peccatorum conversione; verum quænam esse potest sperandi causa, te horum miraculorum participem futurum? *Sarazin, serm. de Jesu Christo per pœnitentiam Redemptore.*

Insueta opus est gratia, ut convertatur peccator, qui diu distulit pœnitentiam.

Ut e peccato emergas, in quo jam pridem volutabaris, non divina tantum, atque insolita opus est ope; verum etiam misericordiæ miraculo opus est; obdurati quippe peccatoris conversio inter præcipua gratiæ miracula recensenda est. Nosti non deesse, qui postquam peccarunt, & diu in calamitoso hoc statu permanserunt, gratiam inveniunt: verum hæc singularia sunt; cum e contra satis est, permittere Deum, res eo modo procedere, quo solent, ut in tuis sceleribus moriaris. Verbo me expediam, post vitam flagitiose actam te perire, fatum est peccatorum omnium, quos imitaris; te vero post tot moras, & cunctationes salvari prorsus divinum miraculum est, cujus vix exemplum reperies. *P. Massillon sermone, qui eidem acceptus refertur, pro feria secunda post Passionis Dominicam.*

Scis etiam conversionis gratiam, quam expectas in morte, gratiarum omnium minime esse vulgarem; attamen cum te eadem indignissimum præbueris, tibi ad eadem obtinendam jus esse contendis? Indignissimum propter hunc obdurationis characterem, cujus quanta sit enormitas, bene nosti; indignissimum propter lumina, & afflatus Spiritus Sancti, quibus toties abusus es; indignissimum propter divini verbi, mysteriorum, & dogmatum fructum, quem contempsisti; indignissimum propter felicia studia, quæ Deus tibi largitus est, & quæ tamdiu in adeo pravum usum convertisti; indignissimum denique propter fallacem securitatem, quam tibimet concinnasti, & quæ scelus est scelerum omnium nequissimum, Abs te quæro: si unus tantum esset peccator, qui a Deo conversionis suæ gratiam expectare deberet, hiccine tibi similis esset? & si uni tantum peccatori metuendum esset, nonne ipse vereri deberes, ut in caput tuum Cœli maledictio sæviret, atque ne reprobareris tanquam reus omni prorsus venia indignissimus? *Idem.*

Pœnitentia in morte rara, & difficilis.

Insignes de malo in bonum mutationes momento nequaquam fiunt. Mutatio vero pravæ naturæ in bonam insignis est: neque huic sufficit momentum mortis; atque vera pœnitentia tunc temporis adeo rara est, ut miraculi loco possit haberi. Videmus ea omnia, quæ difficilia sunt, raro contingere; peccatoris vero conversio numquam tantum quantum in morte difficilis. Corporis dolores spiritum opprimunt, qui nonnisi ex habitu operatur; tunc enim deficit natura, neque virium quidquam superest nisi pro iis rebus, quas facere consuevit. Qui pati non didicit, cum ægrotat, semper conqueritur, eique molesta videntur quæcumque fiunt, ut aliquod ipsi solatium afferatur; qui numquam pietatem, ac religionem coluit, illius actus elicere, ejusque solida præbere signa non potest. *P. Nouet in recessu ad sese morti præparandos.*

Pœnitentia in extremum vitæ spatium dilata, vulgo fallax.

Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quam terribilia hæc verba sunt. Quid, Domine! Nonne tibi tanta bonitas est, ut hominum ingratissimo parcas, dummodo tibi illatæ injuriæ ipsum pœniteat? Nonne pollicitus es, ubi peccator ad te fuerit conversus, te iniquitatum illius obliturum? Omnia hæc vera sunt; attamen nihil horum vulgo adimpletur in eo, qui in extremum vitæ spatium suam distulit conversionem; etenim pœnitentia illius ut plurimum vera pœnitentia non est, sed mera mentis agitatio, tumultus conscientiæ, suæ damnationis prætensio, &, absit verbo invidia, morbi animæ desperati symptoma. Ut bona fiat pœnitentia, opus est, cor ita peccatum oderit, ut actuali, quam habet, voluntate pro Deo standum esset, etiamsi in iis occasionibus esset, in quibus peccare consuevit: opus est, ut voluntatis hujus vi præsto sit omnibus infringendis vinculis, quibus peccato adhærescit, & efficiat, ut in tota vitæ suæ ratione Jesu Christi præcepta refulgeant: opus est, ut noxiæ voluptates, quibus illectus fuit, illi displiceant; ut pauperum substantia, qua locupletatus est, jam illi immane videatur onus, quo velit statim in arena liberari; ut odia irreconciliabilia, quibus cor illius ulceratum erat, in christianæ charitatis sensus mutentur: ut denique peccator hic nova fit creatura, & Jesus Christus per spiritum novum in ipso formetur: alioquin pœnitentia hæc non aliud est, quam exterior tantummodo cortex, & fallax species pœnitentiæ. Quæro autem abs te, utrum pœnitentia ex mortis timore profecta has omnes habeat conditiones? Itane cor immutat, ut si convalueris, præsto sit vitiis omnibus deserendis? Quot illi sunt ita affecti, ut nihil illis præter facultatem, & impunitatem desit, ut adhuc incompositis suis indulgeant cupiditatibus? Scelerum patratorum dolor causa non est, Sanctus Augustinus ait, quæ ex impiorum labiis eliciat preces, quas morituri effundunt Deo: hæc pœnitentiæ imago ex corde illorum nequaquam proficiscitur; sed violentus motus est, quem mortis parit formido. *Pater Guilleminot capite decimoquarto de sapientia christiana.*

Quæ cum ita sint, quomodo audeas in mortem differre conversionem tuam, ut cum Deo redeas in gratiam? Quis tibi dixit non defuturam tibi facultatem, ac tempus extremo eo vitæ spatio temet convertendi? te ex capite non laboraturum, ita ut omni prorsus vi cognoscendi careas? te immunem futurum ab aliis casibus, qui subitam mortem possunt inferre? Quis tibi spopondit voluntatem tuam momento illo immutatum, atque efficaciter abominaturam esse, quidquid semper ardentissime deperiit;

Quis

Quis denique tibi polliceri poterit, si te tunc temporis pœnituerit, nullam pœnitentiæ tuæ defuturam ex iis conditionibus, quas experit Deus? Sacramenta, quæ recipies, damnationi tuæ cumulum non additura, & peccata omnia, quæ admittis ita pœnitentiam procrastinans, nequaquam in caput tuum detractura effectum terribilium harum minarum: vocavi te, & voci meæ obtemperare noluisti; manum tibi tetendi, & ne adjuvantem quidem respexisti; minas meas in ludibrium vertisti, & consilia mea contempsisti; ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo? *Idem*.

Conversionem procrastinando peccatorum numerus semper augetur.

Producit Deus vitæ nostræ curriculum, ut nosmet convertendi nobis tribuat tempus; nos vero in recentibus sceleribus perpetrandis illa impendimus momenta, quæ divina bonitas nobis concedit, ut ea omnia, quæ patravimus, expientur a nobis. Quin debita nostra dissolvamus, recentia in dies conflamus, & indesinenter aliquid huic iræ thesauro aggerimus, quem in diem ultionis thesaurizamus. Si decem ab hinc annis te ex hac vita abstulisset Deus, facilius tibi reddenda ratio fuisset, neque conscientia tua iis onusta esset criminibus, quæ deinceps gravia, numeroque carentia patrasti. Nemo est, qui secum non afferat inevitabilem peccatorum per pœnitentiam expiandorum necessitatem; interim longe nocentior es, quam olim, at non ideo magis te pœnitet. *Specimen sermonum pro Dominica 15. post Pentecosten.*

Peccato in conversio in morte difficilior futura est, quam in vita.

Speras te sub mortis horam convertendum? Fallax, inanisque spes. In hora mortis peccatum majorem vim obtinebit; ita Dei major erit, quam in vita; atque ita conversio multo erit difficilior. Sed præter quamquod peccatum tunc majorem vim obtinebit, peccator majorem habebit imbecillitatem. Hominis virtus a gratia proficiscitur; ejus vero infirmitas a peccato. Peccator autem obduratus pauciores habebit in morte gratias, ac majori peccatorum numero obruetur, quæ tamquam onerosa sarcina animæ illius incumbens facultatem eidem auferet sese ad Deum attollendi. Spiritus ejus profundis peccati vulneribus saucius, atque in iniquitatum suarum lectulo projectus non majorem habebit vim, quam languens corpus in lectulo mortis. *Ibidem pro prima Dominica post Epiphaniam.*

De conversionis dilatione generatim.

Quicumque peccator pœnitentiam agere differtur, periculum subit vel numquam, vel in morte duntaxat sese convertendi: sed addendum est, peccatorem, qui in morte tantum convertitur, adhuc subire periculum sese male convertendi. Et sane pauci sunt homines, qui mori velint impœnitentes; neque multi illi sunt, quibus certa hæc stetit sententia, nonnisi in morte pœnitentiam agendi. Proponunt enim tunc tandem sese convertere, ubi juventus abierit, ubi libido deferbuerit, ubi satis factum fuerit ambitioni. Hos ego dico vel numquam, vel in morte sese conversuros, quo tempore dixi imminere periculum fore, ut sese convertentes male convertantur propter rationes, quas superius attulimus. *P. Aurelianensis sermone de conversione.*

De falsa se aliquando convertendi confidentia.

Confidentia sese aliquando convertendi in eo, qui in præsentiarum se minime convertit, ad impœnitentiam adducit, vim enim inferens misericordiæ, ut peccatorem deserat, in abusus ejusdem pœnam hunc suapte natura divinæ justitiæ meretur effectum. Hæc enim confidentia perniciosissimam parit illusionum omnium, in quas peccatores in morte duntaxat pœnitentiam agentes labi divina permittit justitia: cum enim pœnitentiam tamquam rem facilem considerare consueverint, plurima omittunt, quæ magni momenti sunt, rati se facere plura iis, quæ requiruntur. Inde fallaces illæ tranquillitates, quas homines semper proni ad ea credenda, quæ cupiunt, respiciunt veluti effectus gratiæ, & prædestinationis eos, qui veri sunt consummatæ reprobationis effectus; eo magis funesti, quia boni speciem præseferentes malum sunt immedicabile. Desperatio quidem magnum est malum, & agitationes, quas gignit, aliquid habent valde horrendum; sed audacter dico; moriens minorem mihi injicit terrorem inter tetras cogitationes, quæ desperationis tentationem illi suggerunt, quam in ea tranquillitate, quam immodica confidentia producit. Ad desperationem infringendam gregarius quilibet confessarius valida semper habet arma, quibus sine metu uti potest; ad confidentiam vero superandam consultissimus quisque nonnisi infirmissima, atque usus difficillimi arma distringit. *Idem.*

Conversionem differre est, nolle num quam ex corde converti.

Nequiequam aperietis aures Ecclesiæ monitis, aliisque Jesu Christi consiliis eo tempore, quo pœnitentiam agere cupietis, si modo illas obstruitis; nequicquam pœnitentiæ necessitatem intelligetis, si in simplicibus tantum, atque commentitiis deliberationibus immorantes illas adimplere numquam maturabitis. Pœnitentiam differre, vestra quidem sententia, est illius expectare momentum; mea vero, illius agendæ occasionem amittere, & pœnitentiam deserere: vestra est, adhuc aliquot annos in peccato traducere; mea, in peccato decedere: vestra, simplex est officii dilatio; mea, finalis est reprobatio. Etenim quin loquamur de repentinis casibus, quibus morte occupari potestis, quamvis vobis concederem satis tranquilla morte vos obituros, neque defuturum vobis tempus, quo pœnitentiam agere valeatis, quid discriminis interesse putatis inter pœnitentiam, quæ a morientibus fit, & finalem impœnitentiam? Ego sane, si ex communi rerum cursu judicium ferendum est, nihil discriminis inter utramque reperio; & si quando reperitur, miraculum est Deo uni cognitum, quemadmodum ipse unus est, qui miraculum illud valeat operari. *Sermo manuscriptus, cujus auctorem ferunt P. de la Rue.*

Deus passim gratiam suam in morte illis negat qui eam, in vita contempserunt.

Nihil immitius est, quam bonitas contempta, & patientia fatigata. Senex es, & peccator senex. Vitæ tuæ diuturnitas breviorem non facit peccatorum tuorum diuturnitatem; anni tui producti inutilia sunt divinæ misericordiæ dona. Hæc ergo spectare debes veluti tot Dei maledicta, Sanctus Gregorius inquit, atque tot reprobationis tuæ pignora: *Ipsa prorogata pietatis tempora, quasi damnationis argumenta teneamus*; hos enim divinæ bonitatis effectus negligens mereris, tibi validiores denegari gratias, ut conversionem tuam operaris. *Idem.*

En forsasse ades, Auditor, prope ætatis tuæ finem: infirmitates tuæ tibi mortem non procul abesse pronuntiant; de vitæ brevitate quereris; velles te esse immortalem, ut libido tua esset immortalis; & putas in mortem beatam immortalitatem præparandam esse tibi, qui beatitudinem tuam in peccati tui immortalitate constituisti? De Deo ex temetipso fer judicium. Quænam esset tui cordis affectio erga eum, qui æternum tibi esset ingratus, cui quotidie acceptas injurias dimitteres, & qui a te rebellis quotidie deficeret? Nonne tandem illum ferendo fatigareris? nonne te illius ingratitudinis tæderet? nonne succenseres? &c. *Idem.*

In morte licet sincere pœnitentiæ peragendæ tempus haberemus, sæpe illam peragere non possemus propter obices, qui occurrunt.

At enim scelestos videmus homines, quorum mors ipsis etiam bonis est invidenda; qui post vitam in omni flagitiorum genere impudentissime transactam, ut dicitis, mortui sunt, ut veros Christianos, verosque Sanctos decet. Quam modico pretio sanctitatem comparari posse arbitramini? Sanctus Gregorius Nazianzenus ait: Nos uno die, uno momento sanctos efficimus, & ex vestra sententia satis est sanctum esse cupere, ut reipsa aliquis Sanctus fiat? *Unius diei Sanctos efficimus, qui nihil præter velle afferunt.* Scitote, quamvis ingentes lacrymarum imbres effuderint illi, attamen nequaquam mortuos esse, uti christianum hominem decet; quia veram Christiani pœnitentiam in mortem non rejicit. Verus Christianus non expectat mortis momentum, ut se verum esse Christianum osten-

ostendat. Verus Christianus omnibus diebus, omnibusque vitæ momentis ad bene moriendum se præparat. *Sermo manuscriptus.*

Quoniam tunc temporis vix vestri compotes eritis propter infirmitatem, ad quam vos vestra ægritudo redegerit, tunc facere cogemini ea potius, quæ faciunt alii, quam quæ ipsi facere velletis, & quæ vere a vobis facienda sunt. Mihi credite, uxoris ejulatus, lacrymæ filiorum, qui unice amantur, maximam habent vim in animo, quem vis morbi fregit, satisque potentes sunt, quæcumque suscipiantur consilia, ut prohibeant, ne munere vestro perfungamini, neque satisfacitis justitiæ, & charitatis officiis, quibus citra salutis periculum deesse minime licet: *Si expectaveris infirmitatem*, S. Augustinus ait, *vel minis, vel blanditiis duceris, quo tu non vis.* Immo neque nobismet promittere possumus tunc eam spiritus libertatem esse habituros, quæ necessaria est, ut cogitetis vosmet, sicuti opus est, convertere, & rite peccata vestra confiteri. Namque quomodonam homo, cujus corpus violento affectum est morbo, cujus sensus sopiti sunt, cujus spiritus corporeæ affectionis particeps languens, & æger est; homo dolore confectus propter crudelem, ac inevitabilem separationem rerum omnium, quas impensius amavit, sexcentis impeditus negotiis, quibus consuli cupit, sexcentis iisque funestis excruciatur objectis, futuri incerti, æternique adspectu perterritus; homo, inquam, in hoc statu, cui numquam satis libertatis est, ut vel minimis vacet negotiis, quomodonam par esse potest rei tantæ necessitatis simul, atque difficultatis? *P. Nepveu, libro de preparatione ad morte.*

Quam periculosum sit conversionem in mortis horam rejicere.

Omnino periculosum est conversionis cogitationes in mortem rejicere; hæc enim deliberatio complectitur voluntatem subeundi periculum damnationis, si inexpectata morte occuperis; nulla enim adhibetur præcautio contra mortes, quæ repente sæviunt, & opprimunt. Hæc autem deliberatio adeo sensu omni caret, ut homines numquam in iis, quæ res terrenas respiciunt, paria capiunt consilia. Unquamne visus fuit, exempli gratia, princeps adeo insanus, qui adulteratæ margaritæ lucrum facturus vitam, honorem, regnumque suum in discrimen adduceret? Attamen hæc longe minor esset insania præ illa, qua mortalis se ipsum in periculum adducit infiniti boni quidem amittenti, infinitæ vero subeundæ calamitatis pro terrena re; quæcumque tandem ea sit. Hoc nihilominus faciunt, qui tunc de se ipsis cogitare expectant, cum jamjam erunt morituri. Hæc non stultitia tantum est, sed noxia stultitia, quæ Deum irritat per justitiæ ejusdem contemptum, quæ violat præceptum pœnitentiæ ab illo nobis irrogatum, quæ ejusdem abutitur patientia, atque misericordia, quæ meretur in morte eas ab illo negari gratias, quæ in vita neglectæ fuerunt. *Specimen Ethicum tractatu primo de Novissimis cap. 5.*

Abyssi tantum, præruptaque præcipitia undequaque illi circumstant, qui ita in mortem differunt pœnitentiæ cogitationem, ut ulterius illam differre minime valeant. Omnia illis æque periculosa sunt; mentis stupiditas, ac libertas; mortis oblivio, & recordatio: hæc enim spiritus libertas sæpe locum præbet periculosissimæ tentationi, qua eo in statu aliquis oppugnari possit, videlicet ingentis terroris qui efficit, ut anima omnino desperet; cui nemo magis patet, quam qui, dum prospera fruerentur valetudine, numquam de morte, atque conversione sua fuere solliciti. Quamquam eo in statu nequaquam deesset omnis spiritus præsentia, quæ desideranda videtur, putasne multum confidendum esse in his pœnitentiæ argumentis, quæ exiguo tantum intervallo mortem præcedunt? Hoc non est judicium, quod de illis semper tulit Ecclesia, quæ e contra suspicione non vacare numquam existimavit; atque pœnitentiæ subdidit eos, quos hoc in statu reconciliaverat, quasi omnino absolutionem non recepissent, pro nihilo fere habens, quidquid toto ægritudinis suæ tempore fecerant. *Idem.*

Insignis eorum temeritas, qui in tempore confidunt, & pœnitentiam procrastinant.

Ex iis omnibus, quæ ad peccatoris pœnitentiam requiruntur, ne unum quidem est, quod omnino in illius potestate positum esse valeat affirmari. Illud vero, quod omnium minime pendet ab eodem, tempus est: & quamvis de crastina tantum ageretur die, hanc sibimet tuto promittere nequit. Conversionem autem rejicere non in crastinum, sed in annos plures, eamque eum hac exitus securitate rejicere, idem est ac illudere omnibus hominibus, quibus sana mens est; his enim fucus fieri velle, eisque probare, quot te vere convertere velis, idem est ac sibimetipsi illudere, atque temeraria spe se ipsum fallere. Incredibile est hac in re, in qua de eo agitur, quod esse debet charissimum, tibi consulere velle, cum ultro, alacrique animo temer conjicis in discrimen tibimet omnino non consulendi. Si par sperandi, ac metuenda adesset causa, tunc adhuc extra omnem verisimilitudinem esset deliberatio illa, qua distineris; quid autem cum longe plures, gravioresque metuendi, quam sperandi sint causæ? *Liber cui titulus: Animadversiones in varia Ethica argumenta. Tomo 3.*

Conversionem differre est omnia periclitari, ac nullam sibi spem relinquere.

Saluti vestræ inutiles efficitis gratias, quibus præclare uti possetis, & nihilominus eas vos affecuturos speratis gratia, quibus indigetis, ut salutem consequamini, & quæ nequaquam sunt in vestra potestate? Præsens tempus abire finitis, quin aliquem inde fructum percipiatis, & futurum quantumvis incertum vobis non defuturum speratis! Bonos afflatus, quibus urgemini, ut vestræ saluti consulatis, negligitis; & validiores, quibus urgeamini, expectatis, quamvis semper vosmet eisdem in dies magis indignos probetis, nullumque sperandi locum habeatis. Denique in jocum vertitis rationes omnes, propter quas timere debetis, & frustra æterna, quæ imminet vobis, calamitas ob oculos exhibetur. Crederetne posset quispiam futurum, ut non aliam agendi rationem susciperetis, si e periculo, quod vobis impendet, non tutissimam evadendi spem haberetis, vel nisi vobis esset, unde scelera vestra probaretis? At falluntur ne qui hoc de vobis ferunt judicium? Vivite ergo usque ad mortem quemadmodum hodierna die vivitis: in via bona estis, cur inde egrediendum, cur alia vobis ineunda via est? Hoc pacto vobiscum loqui, idem est ac aliis verbis dicere, numquam fore, ut convertamini. *Idem.*

Si verum est, Deum passim pœnitentiæ gratiam in morte conferre, ut in nobis hanc alat spem: cur ille in omnibus sacrorum Bibliorum paginis spem hanc nobis eripuit? Cur numquam dixit, se præsto esse, ut illam concedat? Cur immo contrarium dixit: *Ridebo, subsannabo, non exaudiam.* Prov. 1. *& in peccato vestro moriemini?* Joan. 7. & 8. Hic neque de misericordia, neque de gratia verba fieri audio. Ex iis ergo, quæ dixit, judicate, quomodonam ille sit in obstinatum peccatorem affectus. Verum neque hic immoror, judicate ex iis, quæ fecit; si verum est gratiam hanc umquam fuisse promissam, verisimile est ex eo tempore, ex quo peccatores morientes extiterunt, Deum, ut promissionibus suis fidem conciliaret, aliqua ostensurum exempla fuisse peccatoris obdurati, qui tamen jamjam animam efflaturus gratiæ coronam exhibuit. Aliquod igitur exemplum afferte. Sanctus Bernardus unum duntaxat se invenisse testatur, bonum videlicet latronem in cruce. Vos conversionis ejus tarditatem respicitis, ego vero, Sanctus ait, illius admiror celeritatem? *Cito ignoscit Dominus, quia cito ille convertitur.* Et sane nonne in latronis hujus fidelitate, docilitate, prompta obedientia, subito ardore pœnitentiæ nonne pertinacissimæ

ſtræ nequitiæ veſtræ damnationem invenietis ? Ubinam ergo reperietis exempla, quæ vobis veliſicentur, ſi exemplum hoc adeo publicum vobis palam adeo adverſatur ? *Ex ſermonibus, qui Patris de la Rue eſſe perhibentur, ſermone hujus argumenti pro feria 5. poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Metuendô magis, quâ ſperandum eſt peccatori pœnitentiam in mortem differendi.

Peccatori morienti nullum ſperandi ſupereſſe locum non aſſero. Dominus noſter Latroni gratiam contulit, ut poteſtatis ſuæ magnitudinem nobis oſtenderet, ac ſpem noſtram fulciret; ſed uni illi hanc tribuit, & præterea nemini eam conceſſiſſe videtur, ut oſtenderet terrorem noſtrum ſemper excedere debere ſpem, & quod ſemel ille fecit in adeo ſingulari occaſione, eſſe meræ ſuæ bonitatis effectum. Differre igitur pœnitentiam, eamque in mortem uſque differre, eſt ſalutem ſuam ſpei miraculi committere. Verum hæccine agendi ratio venia digna eſt, ac talis eſt, quæ in mentem vel mediocri ſenſu præditam cadere poſſit, ex miraculo parum adeo communi efficere fundamentum negotii illius, quo non aliud vel delicatius eſt, vel difficilius, videlicet noſtræ ſalutis? *Idem.*

Fruſtra ſperant peccatores ſe noviſſimis vitæ ſuæ annis vivendi rationem eſſe immutaturos, & poſtquam omnibus nequiſſimis cupiditatibus ſuis ſatisfecerint, atque turpiſſimis libidinibus ingurgitaverint, tandem ex vitiorum cæno evaſuros, acturos pœnitentiam, ac Deo fideliſſime adhæſuros. Vitam vanam, & noxiam mors nocens, & execrabilis ſequitur; ita morimur, ut viximus. Veritatem hanc millies nobis Jeſus Chriſtus prædicavit, nihil frequentius in Sanctorum Patrum ſcriptis occurrit, & experientia hanc in re adeo generalis eſt, ut fuſius hoc perſequi argumentum inutile cenſeam. Videlicet morti proximi eadem habemus ſtudia, errores eoſdem, qui nos perdiderunt, cum perfecta valetudine perfrueremur. Inter morientem peccatorem; & eum, qui in improbitate ſua debacchatur, hoc unum diſcrimen eſt, quod jamjam moriturus tunc licet invitus animo quædam reputat, quæ antea ſemper ſumma cura evitaverat ? quæ in ſe quidem ſolatio plena ſunt, & ſæpe ſunt promptæ converſionis principium, cum ſponte, & ad aras illa meditamur; ſed quæ terrorem, ac formidinem injiciunt, cum in peccatore ſimul cum mortis proximæ circumſtantia inveniuntur. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillard.*

Difficultas ſeſe convertendi in morte.

Verum eſt ad extremum uſque ſpiritum, peccatorem in pœnitentia gratiam invenire poſſe, & ſalutaribus ejuſdem imbribus omnes ſuas iniquitates eluere; verum inde etiam graviores ejuſdem terrores procedunt; etenim paſſim illum occupat mors, quæ accedit, & ingruit ne cogitanti quidem. Si ſeſe diſponere vult ad Eccleſiæ Sacramenta recipienda, ideoque ad ſeſe colligendum, ac ſtatum conſcientiæ ſuæ cognoſcendum, ibi invenit impeditiſſimum chaos, quod nullo pacto poteſt expedire. Si ad Deum ſeſe convertere, ejuſdem miſericordiam vult implorare, nulla re afficitur; cæterumque ſatis in corde ſuo ſentit, quam indignus ſit venia, quam non adeo facile mereri poteſt, & quæ magis efficacem, ſinceramque reditum poſcit. Interim urget hora, mors advenit; peccatori, ſeu paratus ille ſit, ſive imparatus, ſtatim coram Deo prodeundum eſt. *P. Giroust, Sermone de bona morte.*

Converſionem in mortem differre magnus ſalutis ſcopulus eſt.

Si noſtræ ſalutis negotium in morte duntaxat abſolvitur, dicet quiſpiam, quænam hæc tanta eſt feſtinandi neceſſitas ? numquid aliquandiu non poteſt differri ? Nonne ſeveriſſima etiam principum decreta in cauſis, quæ majoris habentur momenti, moram aliquam concedunt ? Hic maximus eſt noſtræ ſalutis ſcopulus propter quamplurima naufragia infamis. Cum enim omnes homines ſibi diuturnam polliceantur vitam, ſæpe in futurum tempus æternitatis ſuæ curam rejiciunt; ſed ſecreta quadam providentia, quæ vulgo eorum præſumptionem improviſa morte punit, & deceſſus eorum accelerat horam, ut vitæ diminutione ſcelerum eorumdem curſum inhibeat; ſe ipſos iis rebus omnibus oppreſſos vident, in quibus confidebant, tempore, quo, ubi minus exiſtimant, deſtituuntur; gratia, a qua deſeruntur; Deo ita ulciſcente ſuæ bonitatis abuſum; propria denique voluntate, quæ odiſſe non valens, quod ſemper amavit, in criminoſis affectionibus ſuis perſeverat, & licet mortis terrores irruant, ſervat tamen uſque ad ſepulchrum ſecretum quemdam ſuorum flagitiorum amorem. *Auctor Anonymus.*

Pœnitentiam differre non debemus mortis horâ ignorantes.

Quot in hac adſunt corona, quibus vitæ terminus, & mortis momentum non procul abeſt ? Et quot ex illis hoc quam longiſſime abeſſe arbitrantur ? Si Deus eo, quo loquor, momento mihi ſingillatim indigitaret, ut horum ſingulos de hoc ſuggeſtu alloquens dicerem; frater mi, qui hoc minime cogitas, conſcientiæ tuæ diſponere debes; cras enim morieris; & nunc extremum voce mea te admonet Deus: ſi ita ad eos loquerer, & certi eſſent mihi a Deo hoc revelatum fuiſſe, ne unus quidem eſſet, qui non converteretur, atque ſtatim e veſtigio omnes affectiones ſuas non relinqueret, ne unus quidem, qui illico in arena pœnitentiam non ageret, quin vel unum cunctaretur momentum. Cur ? certi quippe eſſent extremum diem ſuum adeſſe, neque vellent reliqui temporis jacturam facere. Eheu Fideles ? cur non facitis, quod illi facerent ? cur illi modo non faciunt, quod tunc facerent ? Ullamne habemus cautionem contra vitæ inconſtantiam, & mortis incertitudinem &c. *P. Bourdalove in veris ſermonibus ſuis tomo 1. ſermone de pœnitentia ſeveritate.*

Divites in morte de ſuis cogitant divitiis.

Quid dicam de funeſto hoc amore, quem divites ad mortem uſque fovent pro bonis, quæ tot laboribus compararunt, & quæ illis omnem auferunt curam, quam ſpiritus ipſorum alia in re collocare poſſet per crudelitatem illi tyrannorum ſimilem, ſub quorum poteſtate olim Dei populus premebatur ? Spiritus anguſtia, ad quam ſervitus olim filios Iſrael redegerat, tanta erat, Scriptura inquit, ut audire non poſſent Moyſem ſibi de promiſſa terra loquentem. Mundanorum ſervitus ſub ſæcularium bonorum amore ad mortem uſque gementium minus gravis non eſt, quamvis minus ſentiatur. Fruſtra ſacerdos apud illos de Deo, deque promiſſa terra verba facit: *Non acquieverunt illi propter anguſtiam ſpiritus & opus duriſſimum.* Cura, quam impenderunt, ut divitias ſuas congregarent, & quam adhuc impendunt, ut illas tueantur, licet morientes, inani decepti ſpe ſe nondum fortaſſe morituros, & futurum, ut iiſdem adhuc indigeant, cura eſt, quæ reliquas omnes exhaurit. Hæc cogitatio eſt omnes abſumens cogitationes, nihilque reliquum facit in mente eorum, quod in uſum ſuum non convertat. *Auctor ſermonum chriſtianorum pro prima poſt Penteceſten Dominica.*

De illis, qui pœnitentiam in ſenium rejiciunt.

Ego vado, & quæretis me &c. Sunt, qui Jeſum Chriſtum quærunt, nec inveniunt, quia illum male quærunt. Sed quoniam ſperant mortales ſe nequaquam futuros in numero eum male quærentium, addendum eſt, ut hoc omne perfugium illis auferatur, a pleriſque eorum, qui Jeſum in extrema quærunt ſenectute, hunc male quæri, nec inveniri. Veritas hæc nimis aperte confirmatur experientia. Nihil infrequentius eſt, quam realis in ſenibus immutatio; moriuntur fere ſemper quemadmodum vixerunt. Eorum judicia fiunt quodammodo immobilia, & immutabilia, eorum præjudicia ineffabilia, eorumque habitus in mortem uſque perſeverantes. Quod ſi aliqua vel levi idea neceſſitatis immutandæ vitæ moventur, ex mobilitate, qua eamdem ſectantur, cor eorum non admodum illa affectum

videtur, & quamcumque pœnitentiæ speciem extrinsecus præseferebant, fallacem, & merum timoris omnino humani effectum fuisse innotescit. *Specimen Ethicum in Evangelium feria quinta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Ingratitudo est abuti eo tempore, quod nobis ad pœnitentiam eam agendam concedit Deus.

An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Apostolus non innuit solum, Deum peccatoribus præbere spatium pœnitentiæ, eisque relinquere tempus, & occasiones, quibus uti valeant gratia, quam offert ipsis, ut salutem suam operentur; verum etiam probat, Deo non aliam magis validam, & efficacem suppetere rationem, ut nobis conversionem nostram persuadeat, quam suam nobis ostendendo patientiam. Etenim nonne vere dicendum est gravissimum esse ingrati animi vitium hominis illius, qui Deum adeo bonum videt, ut eos tandiu ad pœnitentiam expectaverit, & nihilominus ejusdem abutitur patientia, ut illum offendere perseveret suam differens conversionem? O Deus! Quam efficax fuit Jonæ prædicatio in corde Ninivitarum! Ubi solum proposuit, adhuc quadraginta dierum spatium illis ad peccatum relinquendum concedi, statim permisso tempore usi sunt, ut austerissimam agerent pœnitentiam. Sed heu! quot effluxerunt anni, ex quo Deus hujus christiani conversionem expectat! & interim hic concessa abutitur cunctatione. Nonne jure dicere possumus ipsum jugiter abuti divina bonitate, ac patientia? *Biroat, Sermone pro feria 4. post primam Quadragesimæ Dominicam*.

Peccator qui differt conversionem Dei patientiã dilatat.

Deus passim peccatoribus, dum vivunt, plurimum temporis spatium concedit, ut agant pœnitentiam; illos diu sustinet, ut opportunum inveniat tempus eos ad se pertrahendi, efficiendique, ut vocem suam audiant: *pœnitentiam agite*. Patienter hunc expectat diem; viginti, ac triginta annos hac mente, & hoc consilio præstolatur. Peccator vero cum differt conversionem, quid agit? Tempore abutitur ad pœnitentiam longius removendam; & quin Dei bonitati, ac misericordiæ respondeat, ejusdem irritat justitiam: & quin salutem suam operetur, in criminibus suis perseverat. Nonne hoc est divina abuti bonitate, cum, quin eidem tribuatur, quod a nobis expectat, & ad quod ob solam nostram utilitatem nos urget, atque sollicitat, non differamus solum, sed eadem utamur dilatione in prorsus oppositos fines, videlicet ut in sceleribus nostris persistamus, & ut criminum nostrorum numerum augeatur? *Idem*.

Æquum est peccatori in morte negari a Deo pœnitentiam, qui ille toto vitæ tempore facere noluit.

Nonne hic satis magnus est divinæ bonitatis, & misericordiæ conatus, vos quotidie invitare, ut anteactæ vivendi rationis pœniteat, temporis pernicitatem ostendendo, ac periculum ne opprimamini vobis intentando? Hæc omnia vos immo ita confirmabunt in mente patientiam illius defatigandi, & vosmet coram ipso non humiliandi, nisi tunc temporis, quo inevitabilem interitum vestrum videbitis, ejusque brachium districto ense in caput vestrum sublatum, ut vobis lethale vulnus infligat? Cum ille gratia sua vos sollicitaret, dixistis: in morte, non hodie: in morte ad id animum appellemus, nunc alia nobis transigenda negotia sunt: in morte, illud tempus est de Deo cogitandi; hoc vero tempus vitæ præsentis gustandæ. Sed vita hæc jam præteriit; ecce ob oculos vestros mors adest! Quid expectatis, nisi a Deo vobis morientibus negari id, quod viventes ipsi negastis? Ab eodem vobis ostendi, vitam gratiæ quidem fuisse tempus, non voluptatis? Insignis ergo pro quolibet vivente audacia, ac temeritas summa est omnem curam obtinendi gratiam pœnitentiæ in extremos dies vitæ conjicere. *Ex sermonibus, qui P. Rue accepti referuntur, sermone pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Exemplum Antiochi.

Antiochus ille, cujus inutilis pœnitentia toties in auribus vestris personuit, Asiæ dominator erat, totiusque terror Orientis. Nonne maxime Domini gloriæ interfuisset Principis hujus, quo ætate illa nullus erat potentior, recipere submissionem? videre illum magnifice reparantem damna, quæ Jerosolymitano attulerat templo; verique Dei legem, qua late patebat ejus imperium, constituentem, ac sese eidem subjicientem? Quem Antiochi conversio religioni progressum allatura non videbatur? His tamen Deus oculos claudere videtur, majoremque inveniens gloriam, ac utilitatem indigitans terræ hujus principibus viris, fallacem ipsorum esse opinionem existimantium se a Deo in gratiarum distributione distingui: atque ipsum sibi honori ducere illis largiri veniam, quocumque tempore sese ad illam exorandam velint demittere. Principes, quamvis pœnitentes videantur, reprobat; & prodigia, ut ita dicam, pœnitentiæ gratiam misero latroni; quia in principum delictis majorem invenit nequitiam, & ingratitudinem. *Idem*.

Conversio in articulo mortis ut plurimum libera non est.

In corde fieri debet conversio: cor istud, atque voluntas, ut veram operetur conversionem, liberum esse debet, sincerum, & constans; quæ inevitabiles sunt conditiones. Peccatoris autem morientis voluntas non solum libera non est, sed coacta: non solum sincera non est, sed simulata; non solum constans non est, sed fluxa, fragilis, & mutationi obnoxia. Ubi tales sint cordis dispositiones, quid illis confidi potest? Nulla est sine libertate conversio. Divortium, quod tunc cum mundo facis, numquid liberum est? nonne immo vere fit ab invito? Relinquis peccata tua, Sanctus Ambrosius ait: falleris, tua te peccata relinquunt. Et constat ratio: illane reliquisti, dum adhuc servare posses? Occasiones, ac societates relinquis: falsum est; te occasiones, & societates relinquunt. Ratio est: donec illis fidelis esse potuisti, eas umquamne reliquisti? Vitam tuam in peccatorum tuorum satisfactionem effundis: ridicula propositio: Deus a te hanc vitam divellit. Ratio est: numquam nisi de vita fuisti sollicitus, donec illam adhuc servare te posse putasti. Quænam tibi haberi potest gratia ob involuntarium hoc sacrificium? *Idem*.

Qui pœnitentiam in mortem distulere, plerumque nimis infirmi sunt contra tentationes quibus tunc oppugnantur.

Moriens autem resistere poteris tentationibus, quæ tunc accidunt, & quæ suum tunc furorem ingeminant? Dum viveres illas numquam repellere didicisti, quomodo autem illas jamjam moriturus repelles? Dum bona frueris valetudine, quid requiritur, ut ab eodem pœnitentiæ tribunali, & eucharistica mensa recedens gratiam amittas? Nihil plerumque, nisi recordatio, levis imaginatio, momentanea attentio importunis phantasmatibus, quæ tuas cogitationes corrumpunt, & cum quibus per habitum quamdam iniisti familiaritatem: nihil ultra bene valenti opus est, ut te in scelus iterum mergant. Quid autem amplius requiritur in dolorum oppressionem, in iteratis conatibus, quos tunc dæmon instaurat, ut iterum sibi possessionem ejus animæ acquirat, cui semper dominatus est? unicum habituale peccatum sese tuæ offerat cogitationi, quod vel unico momento cor tuum in eo requiescat, jam actum est; si oculum ad hoc phantasma convertis, si in eodem oblectaris, hic extremus erit vitæ tuæ spiritus, extremumque, & lethale animæ tuæ vulnus, vulnus quidem inexpectatum, sed immedicabile; jam in æternum, ac in nullam reditus spem interiisti. *Idem*.

Tempus, in quod pœnitentia differtur, incertum est.

Confidine potest in tempore, quod adeo incertum est? Stato tempore agam pœnitentiam, verum tunc adhuc mihi superérit tempus? Saluti meæ vacabo tempore senectutis meæ: at ullane mihi erit senectus? Quo scis, utrum ex te nocte hac anima sit repetenda? *Hac nocte animam tuam repetent a te*. Luc. 12. Dies crastinus defecit homini evangelico magna meditanti. Quot opprimuntur, alius quidem mensæ accumbens,

alius

alius alea tempus ludens, alius suis negotiis invigilans? Hoc ipsum tibi fortasse continget: quo autem tot inutilia abibunt desideria? *Væ Babylon!* Apoc. 18. Angelus Apocalypsis ajebat: Cur? quia terribilium Dei judiciorum advenit hora; quia ad fatalem eam pervenisti diem, quam minime expectabas, & inanium desideriorum tuorum fructus evanuerunt. Vides ante te momentum recessus tui, ubi omnibus affectionibus vacuus, ac sæculi lenociniis expeditus tuam incipies conversionem: momentum hoc designas, illud digito tangis, jamjam adesse imaginaris; attamen ab illo tam prope abes, quam si numquam esset futurum: *Væ Babylon!* si enim pretiosum hoc neglexeris momentum, quod pœnitentiæ meæ tempus esse debet; momentum hoc, quod est tuorum desideriorum objectum, tibi auferet mors, & momentum, quod tibi præstituis, numquam adveniet. *Idem sermone pro feria tertia Hebdomadæ Passionis.*

Fallaces spes, quibus homines innituntur, ut suam differant conversionem.

Omnes cunctationum nostrarum causæ triplici spei innituntur; nobis non defuturum tempus, neque defuturam nobis gratiam ad ea, quæ proponimus, efficienda, necnon in nostra semper futurum potestate assentiri gratiæ, ideoque, ubi libitum fuerit, nosmet convertere. Attamen per fidem, ac rationem liquet, triplicem hanc spem esse fallacem; incertosque nos esse, utrum tempus aderit, utrum gratia nobis suppetet, utrum cooperandi gratiæ voluntatem habebimus. Sed ubi nostra ratio est, quandoquidem salutem, ac æternitatem nostram adeo incertæ committimus spei? Salus nostra nonne satis per se ipsam incerta est? Nonne aliunde plurimæ nobis sunt dubitandi causæ? numquid opus est cunctatione nostra recentem adjici incertitudinem? Nonne e contra nobis cavendum, atque toto studio in id incumbendum esset, ut salutem nostram quam certissimam efficeremus? Modo tempus in manibus nostris est; moraliter certi sumus, Deum suam nobis offerre gratiam, ac efferere possumus, non deesse nobis plenum usum libertatis; satis est dicere, volo; cur ergo adhuc procrastinamus? Cur rem tanti momenti, in qua de nostra agitur æternitate, incertis futuri temporis casibus credimus? *Biroat in tomo separato continente sermones aliquot in anni Dominicas.*

Cum aliquod adimplere consilium cunctamur; moræ hujus aliqua esse debet causa, quæ ad hæc duo capita redigatur: vel quod temporis decursu facilitas aliqua accedet, ita ut susceptum opus commodius possit absolvi; vel quod interim tempus acquiritur, & ex hoc intervallo voluptas aliqua percipitur. Nonne hæc duo sunt fundamenta, propter quæ, o Christiani, conversionem nostram differimus? Attamen ratio persuadere debet, hac mora difficultates augeri, non minui; & si rationi fidem habere detrectamus, nonne hoc experientia docebit? Tot anni sunt, quibus Deo resistitis, ac de die in diem vincula vestra perfringere procrastinatis; bona fide, quæso, hac cunctatione quid lucri fecistis? Numquid melius estis dispositi? an e contra opus hoc magis arduum, ac difficile videtur vobis; & hæc mora nova etiam prioribus catenis vincula adjecit? Ne interiorem animi sensum dissimulemus; tempus lucrari volumus, volumus interim peccati voluptatibus frui; hoc nos moratur. O vos miseros! ut breve tempus lucremini, totam, quanta est, periclitamini æternitatem? Heu! conversionis vestræ terminum prorogastis, aliquot annorum spatio sceleris vestri nefariam perfruitionem produxistis: quid vobis superest, nisi quod sexcenta adhuc scelera damnationi vestræ addidistis; sexcentos gratiæ obices opposuistis, & pœnitentiæ argumenta multiplicastis? Cur hodie non facitis, quod aliquando faciendum est, quod citius non fecisse sexcentis intus stimulis excruciatos pœnitebit? Neque dixeritis: videbimus, cogitabimus. Quid videre vultis, ut id concludatis, quod vultis? Videre vultis, utrum cunctatione hac vosmet a pœnitentiæ necessitate dispensare poteritis? Sed huc tandem redeundum est. *Idem.*

In mortem differtur salutis, & conversionis cogitatio.

Ut plurimum salutis nostræ negotium in morbum extremum rejicitur; hoc est, æternitatis negotio, quo alterum antiquius nobis esse non decet, & cui toto vitæ tempore vacandum est, illud tempus destinamus, quo ne levissimum quodvis mundi hujus procurare possemus, quo rebus omnibus impares, ineptique sumus, ubi prorsus sumus inutiles: Expectem, Domine, donec hoc tempus accesserit? expectem, donec me urgeas, ut vitæ rationem immutem, ac me convertam? Quam dudum me frustra sollicitas? numquid ea gratia, quam modo mihi confers, adhuc erit inutilis? Usquequo meliores vitæ meæ dies in inanibus nugis transigam, quas ipse ante cæteros damno? Nonne illas damnavi, ut magis inexcusabilis fierem, incessanter meam differens conversionem? *Pater Croiset Tomo primo de spirituali recessu.*

Apage conversiones has cupitas, ac meditatas; sed in solo positas desiderio, earumque suscipiendarum consilio. Urgens agnoscitur immutandæ vitæ necessitas, aliqua, ut id e voto accidat, ineuntur consilia; evitatur societas eorum, quorum videndi ratio habetur velut obex aliquis, ne quod propositum fuit, expleatur. In voluntate paulo magis christiana quidam sentiuntur motus, qui non antea sentiebantur. Ulterius etiam progredi velles, sed pondus longe vehementius quamprimum hos omnes imbecilles conatus evertit; malus habitus, metus ne contemnaris, ac fabula fias, si repente vitam immutaveris, nimis magna vis in effrænatis cupiditatibus coercendis efficiunt, ut ex parte, ac imbecilliter velis, quod efficaciter, & absolute oporter velle. Funestus animæ status, quem Sanctus Augustinus respicit velut fatalem quandam mentis, & cordis suspensionem, qua hinc quidem perfunctoriis fulgoribus veritatis, quæ nitet, oculos perstringentibus excæcatur; inde vero aggravatur atris affectionum suarum vaporibus, sexcentisque impedimentis, quibus semper sterilia, & inefficacia consilia superantur! *Ex morali Dictionario. Sermone primo de indulgentiis.*

Difficultas, quæ in vitæ mutatione metuitur, efficit, ut sese convertendi animus abjiciatur.

Flagitiosa, quæ ducitur, vita, & ad quam relinquendam animum advertere nequis, nonne magnos hos conversionis conatus evertit, & labor, ac difficultas, quæ in eadem relinquenda metuitur, nonne in homine nequam id agit, quod olim habitus criminis in Augustino illum perstringere conante? Pœnitentiam agere constituis: intelligis quanta sit hujus vocis extensio, & nosti quod opus aggrediaris? Te ipsum adeo parum nosti, ut te sine nobis vivere posse arbitraris? *Putasne sine istis, & istis poteris?* Tantamne tibi vim inferes, ut te ipsum in iis contineas, in quæ tuum te rapit ingenium; ut numquam ultra cum illis verseris, qui libidinum tuarum socii exstiterunt; ut illud commercium infringas, ut illud acceptum tibi crimen evertas, ut violentam hanc, quæ tibi dominatur, cupiditatem convellas? Falleris, si hoc te posse putas ætate ea, qua cum affectus omnes ardeant, & sanguis æstuet, qua cum natura adhuc fervens sit, & sibimet satisfaciendi libido nihil virium suarum amiserit, omnem agendæ pœnitentiæ viam præcludere tibi debere videntur. Veniet tempus magis opportunum, atque tunc facies, quod nunc frustra facere velles. *Sermo Manuscriptus.*

Profecto tot inter desideria, quæ adeo frequenter nobis immisit Deus ad ipsum revertendi, aliudne nos deterruit obstaculum, quam inordinatus rei alicujus, quæ nobis vetita erat, affectus? quam timor, exempli gratia, restituendi, quod alienum

est, vel dolor relinquendi vitæ genus molle, & otiosum, quod cum pœnitentia conciliari non potest, vel illatam nobis injuriam christiano spiritu dimittendi metus? Adeo verum est, S. Chrysostomus concludit; libidinosum vivendi genus catenam esse, quæ arcte adeo nos alligat, ut omnem auferat motum erga bonum, & tantum nobis in malum pondus adjiciat, ut in illud necessario quasi trahamur. Cur non confringimus funestam catenam hanc, cur obicem hunc non prosternimus, cur non induimur spiritu pietatis ad evertendam irreligionem nostram, quæ communis est causa, propter quam pœnitentiam in aliud tempus rejicimus? *Idem*.

Pœnitentia differtur propter fidei defectum, & quod alterius vitæ veritates non considerantur.

Si qui conversionem suam in tempus aliud rejiciunt, bene nossent veritates, quas proponit religio de adventu futuri judicis æque terribilis, ac Deus ille, quem colimus; de temporis brevitate, quod ille in singula subtrahere potest momenta; de misera sorte illorum, qui in peccato morte opprimuntur; de pœnis æternis, quæ fatum hoc subsequuntur; differrine posset pœnitentia, & in crastinam diem remitti negotium, quod in æternum nobis perire potest, nisi hac die transigatur? Ne quæramus igitur, ut cupiditati nostræ colorem aliquem allinamus, aliam dilationis causam; ne illam acceptam referamus assertæ nosmet convertendi difficultati; ne prætexamus ultra nostram infirmitatem, neque causam rejiciamus in vim habitus, qui nos moratur, & prohibet, vel in dulcedinem voluptatum, quæ perplacent nobis: modica fides, & irreligio nostra præcipuus est obex, qui inutilia efficit omnia desideria, quæ nobis inspirat Deus cum illo in gratiam redeundi. Damnabilis status, Sanctus Chrysostomus inquit, qui suapte natura nos in alium adducit, qui illius est veluti finis, & qui in hoc positus est, quod anima in peccato suo quodam veluti sopore capta quiescit; quod sensum quodammodo amittit in iis, quæ pertinent ad salutem; quod lethargo veluti quodam percutitur, quo prohibetur ne sentiat, audiat, concipiat aliquid eorum, quæ ipsam in Dei viam possent revocare; quod iis tantum, quæ placent, intenta non alium motum recipiat, nisi quem illi cupiditas imprimit! *Sermo manuscriptus*.

Post diu dilatam conversionem difficultas sese convertendi non erit minor.

Si sese convertendi difficultas efficit, ut id faciendi cogitationem abjiciamus, numquid per hanc dilationem difficultas hæc minuetur? Temporis processu facilius poterit habitus hic superari? labor, quem, id conati, experimur hodie, imposterum levior erit? Numquid facile coercebimus torrentem hunc, qui quotidie magis recentibus, quæ committimus, peccatis auctus intumescit? Numquid levi negotio perfringemus catenam hanc, quæ in dies magis, magisque roboratur? Numquid facilius sarcinam hanc abjiciemus? Dæmonne in posterum infirmior erit, an nos fortiores? Quomodo ille nos perdidit? Adspectu voluptatis, quam nobis gustandam præbuit; spe, quam tradidit, redituum nostrorum augendorum, si quid per nefas ausi fuissemus, nobis pœnitentiam tamquam nimis molestam, & cœli viam, tamquam salebrosam, & inviam ostendens. Numquid deinceps spiritus hic nequam minus vel calliditatis, vel vitium habebit, ut nobis easdem insidias struat, atque in illas nos detrahat? Mens nostra peccati caligine occæcata nunc magis perspicax fiet in peccato vivens? Voluntas nostra fortior erit, & appetitus noster rationi, & gratiæ obsequentior? Quomodo ergo facilior erit conversio nostra, si in tempus aliud differatur? *Idem*.

Mortis hora expectanda non est, ut nostræ saluti consulamus.

Visine fuerunt umquam nisi de sana mente dejecti, Sanctus Chrysostomus inquit, qui tunc rebus suis consulere expectaverint, cum jamjam essent subituri judicium? Urbs, quæ hostium potentium impetum metuit, expectatne, donec mœnia sua bellicis quatiantur tormentis, ut commeatus curet inferri! Numquid navis tunc suis instruitur rudentibus, totoque velorum apparatu, cum inter pelagi fluctus agitur, vel cum prope est, ut in scopulos allisa frangatur? Numquid tunc tandem medicus accersitur, cum ægri salus deplorata est? Nemo sane hæc differt; putaret enim alioquin omnia in manifestum periculum adducere. Quomodo igitur in re tanti momenti, quanti salus æterna est, ac tempore adeo pretioso, quale illud est, quod nobis conceditur, ut mortem cogitemus, & quod illius eventum in tuto potest constituere, ita sumus imprudentes, ut tunc tandem illi curas nostras velimus impendere, cum fieri fere non potest, ut id nobis e sententia contingat? *Idem*.

Quam temerarii sumus! putamus, in noxia officiorum nostrorum oblivione, in molli cœlestium rerum negligentia, in jugi negotio, quod nosmetipsi nobis facessimus, ut cupiditatibus nostris satisfaciamus, viventes expectare posse beatam mortem, quam Sancti semper Deo, semperque sibimetipsis intenti sibi fere promittere non potuerunt, & quam nonnisi summa cum trepidatione, ac tremore sperarunt? Numquid quod in morte nobis metuendum est, satis non est, ut nostram excitet negligentiam, ut nosmet eidem præparemus; neque satis, ut nobis ostendat errorem inanium prætextuum, qui efficiunt, ut de die in diem differamus, postquam tot annos fortasse distulimus? *Idem*.

Confessio in articulo mortis facta suspicione non caret.

Saltem, inquiunt, mors, quæ adventare deprehenditur, bonum hunc effectum producit, ut simulac nos lethali morbo affectos cognoscimus, confessarium vocemus, ut rite conscientiæ nostræ negotiis prospiciamus. Verum est; sed cum non deesset mihi metuendi locus, hæc omnia nihil apud Deum valere, quis mihi spondere potest cum in mortem usque nosmet eidem præparare expectaverimus, tunc satis temporis nobis relictum iri, ut id rite faciamus, nos hoc tempore egregie usuros esse, & pœnitentiam, quam tunc instituemus, non inutilem futuram? In veteribus vitiorum habitibus perseverare cupientes extremum vitæ spatium præstolamur, ut tunc nosmet sincera pœnitentia ad mortem sancte obeundam præparemus. Verum ad id suppetetne nobis tempus, vel si quæ nobis supererit particula, sufficiet, ut illud transigamus negotium, quod in horam illam rejicimus? At esto sufficiat; sapientisne est pro re tanti momenti, tantæque discussionis reservare tempus adeo breve, adeo incertum, adeo operi tam necessario importunum? *Sermo manuscriptus*.

Vin' scire, quid fere semper accidat? In morbis, qui vulgo accidunt, æger altera ex parte agnoscere fugit periculum, in quo est; ex altera vero illi primis diebus, quibus & vim, & cognitionem haberet, ut saluti suæ prospiceret, veritas dissimulatur: & cum de Sacramentis recipiendis agitur, quin saltem illi dicatur, quod Isaias Propheta Ezechiæ regi dixit: *dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*, quæruntur ambages, ut illi verba dentur, & morbum nequaquam mortalem esse intelligat, quo pacto valida ipsi adimitur ratio conandi omnia, ut ad Deum revertatur. Nunc fallax conjugis, aut amici benevolentia, aliquando etiam turpis hæredis alicujus cupiditas metuentis, ne quod erogandum est in pia legata, vel in restitutionem fortasse necessariam, opimam imminuat hæreditatem, quam jamjam oculis vorat, sunt causa, propter quam ægrotanti mortis periculum absconditur, quod tunc tandem ubi semianimis est, aperitur. Hinc accidit, quod hæc mors licet naturalis pro illo subita est; & si ea, quæ tunc recipit Sacramenta, viventibus aliquam afferre possunt consolationem, metuendi locus est, ne plerumque morienti sint inutilia. *Abbas de Monmorel sermone in Evangelium Dominica decima quinta post Pentecosten*.

Conversio differenda non est sub negotiorum prætextu.

Ut tibimet persuadeas, te serio, & sincere pœnitentiam agere, ac temet convertere velle, differendum non est, sed statim operi manus est admovenda: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Ne tua negotia causeris: ubi spiritualia nos urgent, Sanctus Chrysostomus inquit, temporalia ne vocanda quidem negotia sunt; & nullam possunt excusationem prætexere. Ne differas; neque dixeris, conscientiæ tuæ negotio tempus, quod per negotia tua tibi primum vacuum fuerit, a te impendendum esse: nisi enim tu tempus arripis, hoc negotia tua tibi nunquam relinquent. Hæc sibimet vicissim alia aliis succedunt, vibia varam sequitur, atque ita invicem nectuntur, ut antequam unum ad finem perduxeris, alia quatuor semper emergant. Hæc est catena, cujus terminus inveniri facile nequit, & ex qua temet nunquam expedies, nisi illam perfregeris. Hoc illud est consilium, quod olim Valeriano tradidit Sanctus Eucherius, & quod hodierna die ipse tibi trado: infinitam hanc negotiorum seriem perstringe, primum, unicumque negotium tuum, salutis videlicet tuæ, deinceps primas, ac maximas curas tuas occupet. *P. Valois Epist. 9. de recessu*.

Dolor in morte eo quod acta non fuerit pœnitentia, cum per tempus, viresque liceba.

Sanctissimarum legum contemptus! Obstinatio in peccato! impiæ de terribilibus religionis veritatibus irrisiones! Ecce me jam ad incitas redactum, & postquam semper distuli memetipsum agnoscere, atque ut Christianum decet, vitam instituere, mihi ultra id agendi tempus non adest; quandoquidem ex hac luce decedendum est. Utinam secutus fuissem tot piorum, ac me longe sapientiorum hominum exempla, qui nequaquam extremum vitæ spiritum expectarunt, ut se pœniteret, atque ad frugem reverterentur! Utinam memet convertissem, cum a Deo fortibus, frequentibusque afflatibus urgebar! Quænam nunc esset consolatio mea! Hoc facere poteram, at non feci, & ecce morior! Miseros censebam, qui mihi erant invidendi. Nunquid causa mihi erat, propter quam ob scelera mea mihi plauderem? Tales erant, non fateor, sed inutilis confessio; confessio, quæ me ad desperationem adducit! amara, ac sterilis pœnitentia! *Ergo erravimus!* Hæc igitur est tota vitæ meæ conclusio! Opus est ergo, ut saltem in morte pietatis Christianæ merita agnoscam! Confessio mea insignem meretur mulctam. Illam mihi extorquet desperatio. O Deus! quis dolor, cum inter amaram hanc pœnitentiam anima efflatur. Ne permittas, Divine Redemptor, me illum unquam experiri. Non deest mihi causa, propter quam me præteritorum pœniteat: verum hæc mihi saltem consolatio est, quod scio, pœnitentiam hanc in præsentiarum mihi minus inutilem esse. Me igitur pœnitet, Domine, quod sero te amaverim &c. *P. Croiset tomo secundo recessuum*.

Cum differtur in mortem conversio periculum est ne in impœnitentia mors occupet.

Si ad bene moriendum satis esset extrema recipere Sacramenta, Crucifixi Domini imaginem deosculari, aliquot etiam effundere lacrymas, fortassa minus inexcusabilis esset imprudentia, qua in mortem usque pœnitentia differtur. Non semper difficile est invenire Confessarium doctrina, & zelo præditum, qui in extremo nobis adsit periculo. Sed quot mortalibus nullum ex hujusmodi subsidiis defuit, qui tamen in peccato sunt mortui! Mori in cinere, & cilicio, sacerdotum, & religiosorum corona circumseptum, hoc quidem est ædificante, non autem sancta occumbere morte. Bonam mortem efficera est mori post omnia vitæ flagitia per pœnitentiam delera; est mori in gratiæ statu, mori viva fide, invictaque spe plenum; mori plenum horrore rerum omnium, quæ deperit mundus, & plenum amore Dei, qui omnem quemlibet alium amorem superet: quæ omnia nunquid illi factu facilia sunt, qui salutis suæ curam in extremum illud tempus conjecit? *Pater Croiset tomo secundo recessuum*.

Quanam arte cor adeo subito immutabitur; affectiones non momento solum extinguentur, sed mala omnia, quæ gignere potuerunt, reparabuntur, corrigentur habitus, vincula, per quæ creatis rebus adhæremus, infringentur, aliena bona restituentur, Christianæ virtutes, quæ ne de nomine quidem agnoscuntur, acquirentur, denique conscientiæ tot stimulis dilaniatæ intra paucas horas quies, & tranquillitas reddetur, omnesque rationes in promptu erunt, si nulla ferme antea adhibita fuerit cogitatio? Hæccine facilia esse dicere audebimus? vix etiam sunt possibilia. *Idem*.

Qui semper differt conversionem, tandem moritur in impœnitentia.

Ubi ceciderit arbor, ibi erit. Infelix arbor! nunquid tandiu hærendum erat, ut tandem adeo male caderet? nunquid illi tellus tot annos erat occupanda, & ipsa tot frondibus, ramisque convestienda, ut igni æterna sufficeret alimenta? Heu, in quo stetit, quominus in latus alterum laberetur? adeo vehementer impulsa fuerat Spiritus Sancti afflatu, adeo sæpe in bonam partem inclinata visa fuerat! Illam corrigere neglectum est; existimatum est nunquam defuturum tempus, quo corrigi posset; non cogitabatur tam brevi, ac tam celeriter casuram fuisse; concursum est, ut si fieri posset in alterum latus laberetur, sed nimis sero; & malum illud fuit prævertendum: *Ubi ceciderit, ibi erit. Idem*.

Conversio dilata non est facilior, sed difficilior.

Quid? fides oriens, principia piæ institutionis, stimuli, qui nondum aculeum suum amiserunt, gratia minus rejecta, hæc omnia nequitiæ tuæ modo cedunt; & vis, cum fides erit semimortua, cum prioris educationis ne vestigium quidem supererit, cum stimuli sub terribili scelerum congerie suffocati erunt, cum nullam in te vim gratia obtinebit propter iteratum ejusdem contemptum, vis conversionem tuam faciliorem esse, voluntatem dociliorem, & cor minus improbum? Ætas in flagitiis transacta nimis corrumpit cor, atque illud in quamdam necessitatis speciem adducit, propter quam semper nequam esse debeat. At enim ætas matura sensum tribuit. Tribuit quidem, non autem sensum pietatis, qui in morum licentia consenuit; senex minus insanus est, hoc est, facilius suos agnoscit errores, sed non ideo sapientior est, ut suos mores reformet. Mens plerumque decipit cor; hujus corruptio non semper extinguit lumina illius, sed efficit inutilia. Ubi adolescentiæ tuæ delicta meminetis, fateberis frigide te peccasse, at non ideo meliorem vitæ rationem institues. *Idem in spiritualibus considerationibus*.

Fidendum non est tempori, ut differatur conversio.

At tempus erit, quo vir bonus fies. Qui te audit, nonne diceret te æternorum providentiæ secretorum esse sequestrem: conversionem nonnisi opus tuum esse debere, ac te numerum etiam dierum tuorum præfigere? Tempus aderit? Vellesne vadem esse futuri hujus temporis? Tempori adeo incerto audebisne alicujus filii tui vitam committere? & tranquilla animæ tuæ salutem illi committis? Tempus erit, cum vir bonus fies. Videlicet speras non defuturum tibi tempus, quo te pœniteat eorum, quæ modo male facis. Cur autem id facis, cujus speras futurum ut te aliquando pœniteat? Tibi promittis tempus, quo defleas errores adolescentiæ tuæ, flagitiosa tua gaudia damnes, & ingemiscas ob ea, quibus nunc oblectaris. Quæ gravior insania est, quam meliores vitæ annos insumere in effodiendo sibi dolorum, ac pœnitentiæ fonte inexhausto? Speras te futurum hominem frugi, postquam te pertæsum fuerit hominem fuisse nequam. Quam præceps est fundamentum, cui hæc audax innititur confidentia! Non ita sapiens es, inquis, ut hac ætate fallacibus mundi illecebris non decipiaris. O te miserum! Nunquid te sapientem fore speras, postquam tandiu desipueris? Mundi voluptates tandem afferunt tædium. Ita sane: sed nonnisi postquam rerum bonarum gustum abstulerunt. *Idem*.

Pœnitentia in mortem dilata ut plurimum inutilis.

Cum corpus mori incipit, cor potestne satis vitæ servare, ut motum edat illi similem, qui necessarius est, ut nosmet attollamus ad Deum? Cum membra vim omnem amiserunt, peccator

potestne

poteſtne ſatis virum hab.re, ut adeo magnum, mirumque gradum faciat, qualia eſt ab inferno ad Paradiſum? Cum prope eſt, ut extremum efflet ſpiritum, poteſtne adeo validam, ac vehementem vocem emittere, quæ da abyſſi imo, ubi eſt, in cœlum uſque provecta exaudiatur? Poteſtne extrema imbecillitate confectus, ac ſummo terrore perculſus omnibus hoſtibus ſuis reſiſtere, ac de illis ſperare triumphum? Hae de cauſa dixit Sanctus Auguſtinus, pœnitentiam, quam petit, qui morbi imbecillitate laborat, imbecillem eſſe, ac ſe metuere teſtatus eſt, ne, quam moriens petit, & ipſa moriatur. *Liber, cui titulus; colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Peccatum paſſim in morte validius eſt, & peccator infirmior, ita ut illi reſiſtere nequeat.

Io extremo vitæ ſpatio peccator nequaquam fortior credendus eſt, & peccatum infirmius; fieri poteſt, quod aliquæ affectiones tunc minus acres, & violentæ ſint, quam cum bona fruitur valetudine: non enim deſunt, quæ niſi cum vita extinguuntur, & quædam etiam, quas mors ipſa extinguere nequit; quas infernus ignis omni virtute ſua nequit ſuperare; quas æternitas cum infinita omnium ſæculorum ſerie nunquam delebit. Sed eſto etiam mors in illas eamdem vim habeat, ac in corpori; non equidem video quomodo hoc efficere poſſit, ut peccator minus nequam exiſtat. Pictor, cujus pennicillus vitiatus eſt, vel cujus ſaucia manus eſt, non ideo minus egregius eſt pictor. Immo e contra mihi nocentior videtur peccator, qui peccati jugum non excutit eodem tempore, quo putat peccato minus virium ineſſe. Cæterum ſupponia, peccatorem aliquam referre poſſe victoriam ſine gratia, eo quod cum infirmo hoſte illi ſit decertandum. Si hominis infirmitas talis eſt, ut dum vis ejus maxime viget, ne minimum quidem bonum ſine gratia valeat operari, nonne meridiana luce clarius eſt, peccatorem eo languore confectum, ad quem mortis propinquitas eum redegit, ſuperare poſſe, ſe de crudeliſſimo, & potentiſſimo hoſte, ſine potentis gratiæ ſubſidio victoriam eſſe relaturum? *Idem.*

Sanctus Paulus Apoſtolus teſtatur peccam non deeſſe corpus: *Corpus peccati*. Peccator dum vivit, efformat, ut ita dicam, omnes infelicis hujus corporis partes. Illi caput appingit vanitate, ſuperbia, ambitione: oculos illi tribuit obſcœnis, imprudentibus, & curioſis obtutibus; linguam format mendaciis, detractionibus, blaſphemiis; manus effingit cædibus, rapinis, uſuris; cor efficit impudicis, vel temerariis cogitationibus, inordinatis cupiditatibus, odiis injuſtis; verbo corpus illius informat effuſiſſimis cujuslibet generis libidinibus, atque criminoſis operationibus. Quod autem ad noſtrum pertinet argumentum, hoc eſt, dum peccator vivit, haſce partes eſſe quodammodo ſejunctas, non enim niſi ſucceſſive coaleſcunt; ſed in morte congregantur, & conjunguntur, quod efficit, ut corpus peccati tunc ſit perfectum, omnibuſque numeris abſolutum. Peccatum, ut ita dicam, naſcitur cum peccatore, adoleſcit, convaleſcit, progreditur, prout hic ad varias vitæ ſuæ ætates procedit; atque magnitudinem, vimque omnem habet, ac ad conſummationis ſuæ terminum pervenit, cum peccator, Sanctus Auguſtinus ait, ad ſuum pervenit finem. Quod ſi miſer hic, dum omnes ſuas habebat vires, non potuit ſeparatim hoc caput, hos oculos, linguam, manus; cor ſuperare; poteſtne citra præſumptionis notam, ac citra inſaniam ſperare, in extrema imbecillitate, cum morbus illi vitam erepturus eſt, ſe corpus, animumque ſuum ſibi ſubditurum, de monſtro hoc relaturum victoriam, cum illud omnibus illius artubus ſimul conjunctis omnem magnitudinem, ac vim ſuam, ut nuper dictum eſt, obtinuerit? Si, cum adhuc infans eſſet, cum adhuc in incunabulis contineretur, ab illo ſuperari non potuit; quæ ſpes oboriri poteſt huic mortem inflictum iri, cum gigas evaſerit? Si miſer, dum vigeret, & dum peccata ſingillatim, ac deinceps unum poſt aliud eum laceſſebant, his par eſſe non potuit; quomodo audeat ſperare ſe conjunctas ſimul omnium vires in mortem propulſaturum? Impii, Spiritus Sanctus loquit in Sapientia, tunc contremiſcent ad ſcelerum ſuorum recordationem; & ipſorum iniquitates in illos inſurgent, eoſdem accuſaturæ, ac perditutæ. *Idem.*

Quodnam ſit fundamentum confidentiæ, qua ſperat peccator ſe a Deo in mortis articulo exaudiendum eſſe;

Inde facile nobiſmet perſuademua, peccatorem, qui in mortis articulo teſtatus eſt aliquem vitæ anteactæ dolorem, miſericordiam obtinuiſſe, quia in religione fere nulla veritas eſt, quæ vehementius, & frequentius repetatur, quam hæc: Deum videlicet bonitatis eſſe refertiſſimum, ſemper ulnas expanſas porrigere ad eos recipiendos, qui ſincerum habent deſiderium e ſceleribus ſuis emergendi; David, qui adulter fuit, & homicida, ſe peccaſſe confitentem ſtatim audiſſe ex ore Prophetæ Nathan, quod Dominus jam illius peccatum tranſtulerat; publicanum hæc tantum in Templo proferentem verba, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, Luc. 18. deſcendiſſe juſtificatum in domum ſuam; filium prodigum iterum in paterna domo receptum fuiſſe, eo quod ad Patris pedes provolutus dixerat: *Pater peccavi in cælum, & coram te*; Luc. 15. Latronem denique cruci confictum prope Dei filium hæc dicentem, *Domine memento mei*, ſtatim hæc audire meritum fuiſſe: *Amen dico tibi. Hodie mecum eris in paradiſo*. Luc. 23. His igitur teſtimoniis, atque exemplis innituntur, qui adeo benigne de morientium peccatorum pœnitentia judicant. Sed liceat mihi dicere, eos nequaquam rite argumentari, quantumvis optime ſentire debeant de divina erga peccatores miſericordia. Negare equidem nequeo, Divinam miſericordiam, cum ſit infinita, ideoque nequeat ullo tempore circumſcribi, non poſſe, ubi voluerit, peccatorem in morte ſalvare; ſed næ ille perperam arguit, qui illam hoc facturam, quia facere poteſt, argu- gumentatur. *Idem.*

Temeritas eſt confidere in exemplo unius bono latroni conceſſo.

Singulare exemplum; ubi potiſſimum de morum agitur diſciplina, regulæ exceptionem non ſtatuit & privilegium non abrogat legem, ſed e contra illam confirmat. Hujuſmodi converſiones, Sanctus Bernardus Ep. 8. ad Brunonem ait, ſunt *non tam exemplum, quam miraculum*. Mirum ſane eſt, quod in omnibus ſacris libris unum inveniamus bonum latronem, qui in morte miſericordiam receperit. Unus quidem fuit, ne peccatores, qui jamjam animam ſunt efflaturi, diſperent; & unus dumtaxat eſt, ne peccatores in vita præſumant. Quidquid ſit, non valet dicere, Sanctus Chryſoſtomus hom. 22. in 2. ad Corinth. inquit; ſemper mihi tantum erit temporis, quantum ſatis eſt, ut convertar. Cogita infinitum peccatorum numerum interiiſſe, qui morte occupati fuere. Time ergo, ne eadem te maneat ſors. At enim aliqui etiam in peccatis ſuis voluntati ſunt uſque ad extremam ſenectutem, neque defuit illis tempus pœnitentiæ. Neſcio, hic Pater addit, utrum, quæ dicis, certa ſint: ſed eſto; quid inde? Deum tibi eamdem gratiam collaturum? Vel fortaſſe eam tibi conceſſurum? Heu! attende, cum ita loqueris, agi de ſalute, vel interitu æterno animæ tuæ. Quamobrem ſi quæ rationis tibi particula ſupereſt, tibi perſuade, quod evenire poteſt oppoſitum ejus, quod reris. Eſto quidem, fieri poſſit, Deus tantum bonitatis habeat, ut tecum hac utatur ratione, quia eadem uſus eſt cum nonnullis, qui tibi ſimiles erant; ſed ſalus tua nimis magni momenti negotium eſt, ut non debeat in hoc diſcrimen adduci, id expectando, quod magis metuendi locus eſt, quam ſperandi, eventurum. *Idem.*

SUPPLEMENTUM.

Falluntur qui poſſe nos agere pœnitentiam in hora mortis, & quare.

VElle converſionem ſuam in mortem differre, eſt nolle converti: neque enim tunc per tempus licet vacare tanti momenti negotio? Quid enim eſt converti? Quid agere pœnitentiam? Eſt

odiſſe

odisse peccatum super omnia. Quomodo autem fieri potest, ut qui tot vitæ suæ tempore peccatum amavit, qui invitus illud deserit, qui illud adhuc amare perseveraret, si vitæ spatium sibi superesset, momento illud odisse valeat, eo modo, quo opus est? Quænam veritatis species adest, talem mutationem, quæ tot laboribus, præliisque stat illis qui in vita sua serio convertuntur, momento fieri, cum corpus adeo sit infirmum, mens adeo oppressa, & eo tempore in quod nemo alicujus momenti negotium vellet rejicere; quia nemo tunc aptus est quidquam cogitando, cum anima doloribus morbi adeo sit obruta, ut tota periculi sui cogitatione distrahatur? Verum licet mens atque voluntas, satis essent liberæ, non ideo dicendus est aliquis converti. Requiruntur præter hanc spiritus libertatem validæ, & peculiares gratiæ, quæ efficiant ut sancta concipiantur desideria, & conscientiæ nostræ ordo instituatur: quod plerumque negat Deus illis, qui in mortem usque pœnitentiam distulerunt; sufficientes dumtaxat communesque gratias illis concedens, quarum ope numquam sese convertent. Ecce autem effectus terribilis illius comminationis, quam protulit Spiritus Sanctus: *Vocavi, & renuistis: extendi manum, & non erat, qui adspiceret .... Ego vero in interitu vestro videbo, & subsannabo vos*. Peccatores quidem eo momento conatus aliquos exerunt, in quibus tamen non admodum confidendum est: cum hac in re similes sint fatuis virginibus, de quibus loquitur Evangelium, & quæ quia paratæ non erant, ut advenientem sponsum reciperent, in nuptialem aulam non potuerunt admitti. Attamen nil intentatum liquerunt, ut sibi compararent quidquid deerat; sed cum sero nimis essent reversæ januam clausam invenerunt. Frustra clamaverunt, oraverunt, flagitaverunt; neque enim aliud tulerunt responsum, quam hoc: *Nescio vos*. *Considerationes Christianæ.*

Prov. 1.

Matth. 25.

Cum Deus toto vitæ nostræ spatio a nobis expectaverit conversionem, credibile non est, illum nobis morientibus eam concessurum.

Cum eo morbo afflictatis, quo efferendi sumus, nuntiabitur, nullam superesse spem & prodeundum esse coram Deo: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*: aliquot exeremus conatus, Sacramenta expetemus, plorabimus, flebimus; at idcone convertemur? Hoc ipsi nobis polliceri non possumus, cum timendi sit locus, ut Dei Filius nobis, non secus ac fatuis virginibus dicat, *Nescio vos*. Sanctus Augustinus hujusmodi conversiones cogitans trepidabat: *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus; si securus hinc exit; non sum ego securus*. Quæ cum ita sint, cur in crastinum differenda est pœnitentia? Veremini, ne nimis cito serviatis Deo, cum uni illi vobis unice serviendum est? Hæccine vos terret difficultas? Numquid deinceps minores tibi aderunt difficultates? Cum optima fueris corporis valetudine, tibimet promittere nequis, difficultatem hanc a te iri superatum, & speras te in mortis articulo eam superaturum, quod numquam facere conatus es, & quod nunc tibi fieri nequaquam posse videtur? Numquid patientia, qua Deus adhuc tecum usus est, te in eam spem adducit, ut credas ipsum adhuc eadem usurum? Quid ergo, eo quod Deus tecum sua usus est bonitate, ideo eum lacessere pergis? Itane ejusdem abuteris clementia? An nescis Deum hactenus espectasse te, ut te ad pœnitentiam adigeret? Tu vero per duritiam tuam, & impœnitens cor tuum iræ thesaurum thesaurizas in diem ultionum: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? &c. Ibidem.*

Matth. 5.

Rom. 2.

In morte converti gratia est quam nemo potest mereri.

Fieri ne potest, nos adeo cæcos esse, ut postquam diuturno annorum intervallo illusimus Deum, a Deo speremus nos gratiarum omnium, quas Sanctissimo cuique præstare possit, maximam recipiamus, videlicet ut in illius amore moriamur? Hæc illusio est, qua Satanas utitur, ut nos misere perdat. Verum ut errorem hunc abjiciamus, insculpamus in cordibus nostris verba hæc Sancti Hieronymi morientis: *Vix unus de centum millibus, qui male vixerint, meretur a Deo indulgentiam. Ibidem.*

Conversiones in morte raræ sunt, & nullus fere occurrit, qui adeo sero sese converterit.

Quam infrequentes sunt conversiones, quæ in mortis hora fiunt, & quam pauci tunc temporis pœnitentes veri inveniuntur? Nonne hoc est insultare Deo mundi hujus reliquias offerre, eique sacrificare tempus, quod non potest amplius peccatis impendi? Hoc enim plerumque Deo dant illi, qui non convertuntur, nisi cum ante Dei tribunal prodeundum est, & cuique metuendum est ne faciat, quod plerique faciunt, nisi Deus illos Divinis luminibus suis illos illustret. Beati quibus persuasum est de hac tanti momenti veritate, & qui illam in praxim conantur redigere. Sed væ nobis, si postquam illam intellexerimus, ex ea non proficiemus, & pœnitentiam in extremum vitæ spatium rejiciemus. Quam metuendum est, ne cum tandiu illam distulerimus, tandem inviti illam in inferno facere teneamur! Maximas equidem tibi gratias ago Domine, quod me hactenus sospitem, incolumemque præstiteris; quod mortem inhibueris, ne me adoriretur, antequam agerem pœnitentiam, & quod adhuc me pœnitentem recipere velis, ingratus licet te tot impiis sceleribus lacessiverim. Gratiam quæso largire, ut hodierna die pœnitentiam agere incipiam, cui nonnisi cum ipsa vita finem imponam. Fui hactenus sterilis arbor illa quæ nondum peperit pœnitentiæ fructum, & quæ idcirco meruit tuum maledictum; sed especta adhuc Domine, & futurum spero, ut te juvante fructus uberes feram: *Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam*. Meritus sum, ut me tamquam justitiæ tuæ aliis exemplum proponeres; sed clementia tua fretus in eam adducor spem fore ut in me Divinarum miserationum tuarum effulgeat exemplum. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Luc. 13.

Pœnitentiæ procrastinatio magnus est scopulus in quem plures animæ illiduntur.

Si, summi licet momenti salutis negotium in morte dumtaxat absolvitur; quænam festinandi nos urget necessitas? Non licet in aliquod spatium differre pœnitentiam? Edicta etiam severissima nonne in ipsis etiam maximi momenti rebus mores permittunt? Hic ille arduus est salutis scopulus ob plurima naufragia infamis. Sicut enim omnes se diu vitam sperant producturos, pœnitentiæ curam semper in futurum tempus rejiciunt. Sed secreto Providentiæ consilio illorum præsumptionem inopina morte punientis, ac properantis mortis eorum spatium ad compescendam tot scelerum copiam vitæ eorumdem imminutione; nanciscuntur se iis rebus omnibus deceptos, in quibus spem suam collocarant. Decipit eos tempus, quod nil tale opinantibus deficit. Decipit illos gratia, qua destituuntur, ita justitia Dei ulciscente præteritarum gratiarum abusum. Decipit tandem ipsa eorum voluntas, quæ cum nequeat consilium capere odio habendi, quod semper amavit, in noxiis affectibus suis perseverat; & licet mortis urgeat terror, ad tumulum usque fovet aliquam erga sua scelera charitatem. Quam ob rem Patres inquiunt, nihil magis incertum esse salute procrastinantis; & insignis est imprudentia tanti momenti negotium in ea adeo incerta collocare. *Sermo octavus Accademiæ, anni 1675.*

Inanis præsumptio peccatoris credentis se pœnitentiam agere posse, cum ipsi placuerit.

Deus bonus est, peccator secum ait; non creavit nos, ut perderet: credere fore ut aliquando nobis illius desit misericordia, impium est; & cum pœnitentiæ extremos vitæ meæ annos devovero, tantundem, quod sancti complures, præstabo. Hic primus est effectus patientiæ Dei in peccatoribus, noxia, & præsumens confidentia in vitæ suæ diuturnitate, quasi ab eorum nutu penderet. Scripturæ locutionibus parum intenti, non vident dignari Deum sibi invisam furis similitudinem vindicare tunc venientis, cum minime espectatur. Funesto hoc in rerum situ, quænam sunt hominis consilia? Quærit sibi beatam procurare juventutem; & juventutem hanc protrahit, donec Mundus sua illi oblectamenta non negat. Tempus hoc

pœni-

pœnitentiæ, quod a proposito vitæ systemate non abhorrebat, numquam accedit, cumque videat peccator se de ætate in aliam traductum neque mentem mutasse, nec cor; causas prætexit, ne umquam accedat. At quisnam crederet has ipsas causas ab ipsa Dei magnitudine, justitia, bonitate depromi? Verum est tamen, non deesse peccatores qui cogitent Deum nimis esse magnum, ut quæ homines faciunt, illi negotium facessant: nullam esse rationem inter peccantium conatus, iramque Dei; vel si Deus curam gerit humanarum actionum, satis illi compertam exploratamque esse eorum infirmitatem, ut non ideo velit in iras erumpere. Contumeliosum Divinitati argumentum; quod altera causa est patientiæ, qua improborum sustinet flagitia; potissimum ad obscœnitatem spectantia. *Sermo Academiæ, anno 1693.*

Semper ob oculos nobis versari deberent præteritæ vitæ flagitia.

Criminum nostrorum pondere obruimur, & vix cogitamus; numquam tamen hoc ex mentibus nostris deberet excidere, ut incessanter illa elueremus perinde ac a nobis recens patrata. Hæc esset ratio nostram frangendi superbiam, sæpe repetendo nostros lapsus, & ea, in quæ incidimus mala; cautiores etiam & vigilantiores essemus, ac nobismet diligentius caveremus. Sanctus Paulus, qui non peccabat amplius in singula momenta altius repetebat præterita scelera, & ea etiam narrabat, quæ per ignorantiam commiserat, & quæ per Baptismum deleverat. Venit Jesus Christus in mundum ut salvos faciat peccatores, quorum ego sum primus.. Quamvis peccata fuerint remissa, tamen cum illorum reminiscimur, nobis dolorem, pudoremque ciere possunt, & efficere, ut illum diligamus, qui per summam indulgentiam ea nobis condonavit. *Ex Opusculis Sancti Chrysostomi.*

Mera præsumptio est in morte misericordiam Dei sperare, dum viventes vocem illius audire nolumus.

Si Scripturarum locos consulimus, ubi loquitur Deus de pœnitentia, quæ fit dumtaxat in morte, nobis timendi potius, quam sperandi locus est. Nam præterquam quod morientis conversio gratia est, quam non meretur, & qua e contra se præbuit indignum per ea scelera, in quæ hæc illum dejecit præsumptio; gratia est, quam Deus illi pollicitus non est, imino quam se petenti negaturum minitatus est. Numquam satis ostendi potest hæc veritas adeo terribilis, neque satis iterari illa Dei ipsius verba: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexisti omnem consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia: tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.* Ex his verbis inferamus; morientes debere semetipsos excitare ad pœnitentiam spe adductos misericordiæ, qua Deus cum illis uti potest; viventes vero operæ pretium facturos, si quam primum illos pœnituerit ad minas sibi a Deo intentatas evitandas, quam si peccare perrexerint adduci fallaci spe ejus gratiæ, quam nemo umquam illis promisit. *Le Tourneux in Anno Christiano.*

Prov. 1. 24.

Bonus Latro nihil de se prætumens fatetur se juste damnari, & meretur veniam.

Crucifixus fuerat Dei Filius inter duos latrones medius, ut eorum sceleris conscius haberetur; ille vero alterum ea hic testem assumit, ac patronum suæ innocentiæ. Promiserat ille, ubi in Crucem sublatus esset, omnia ad se pertracturum esse, & facturum, ut qualis esset ab omnibus agnosceretur: incipit autem ab hujus latronis conversione. Nuperrime pro peccatoribus oravit, & statim voti damnatur peccatoris hujus sanctificatione. Pœnæ, quas pro peccatis patimur, Jesu Christi cruciatibus adjunctæ dignæ fiunt quæ vitam æternam promereantur; & hic dominicæ mortis fructus a Salvatore applicatur huic homini pro suis latrociniis crucifixo. Latronis Crux per Salvatoris Crucem sanctificatur; hoc pacto suorum criminum pœna fit expiatio; & mutatio cordis illius, quam Jesu Christi gratia operatur, omnia mutat in illo, & supplicia sua in salutis suæ instrumentum convertit. Pœnitentia ejus notatu digna est: Veretur Dei judicia, quoniam redarguit socium suum illa non reformidantem. Sua confitetur scelera; fatetur quidem se dignas factis suis pœnas luere. Exprobratio alteri facta ostendit, ipsum vere detestari scelera, quorum nomine se ipsum insimulat. Mortem, crucemque ipsam recipit tamquam pœnam, quam meritus est, neque a Filio Dei petit inde liberari, malens in vita hac peccati sui pœnas persolvere, ne illæ sibi in altera sint sustinendæ. Deum quidem timet, sed eo timore, qui peccati veniam minime excludit; quapropter inquit: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Non postulat regnare cum Jesu Christo; hunc orat solum, ut ipsius meminisse velit. Nihil in suis meritis confidit, omniaque a Salvatoris sui misericordia præstolatur. Se nullare dignum putat, & obtinet omnia ab illo, qui gestit dare iis plura, quæ petuntur, ubi cum corde contrito, & humiliato vere petatur. *Le Tourneux in Anno Christiano.*

Luc. 23.

Si boni Latronis exemplum nobis est spei argumentum, illud mali terrorem nobis debet incutere.

De morientis pœnitentia, ne desperemus; licet sera, sterilis non erit, modo sit vera. Latronis in cruce conversi exemplum spem nefariis peccatoribus adstruit, ipsos quoque ut illum, anteactæ vitæ veniam esse consecuturum, si in morte vere, ut illi sese converterint. Sed ne quis se ipsum fallat, Latronis alterius damnatio ostendit nullam pro impœnitentibus esse gratiam; & conversionem peccatoris in morte gratiam esse, quam ille non meretur, & quam non omnibus concedit Deus. Mirum est, quod tot mortales se cum Latrone bono salvos futuros sperent, & pauci metuant, ut cum malo damnentur. Jus quidem tibi ad salutem est, dummodo convertaris; sed jusne tibi est, ut expectetur, donec fueris conversus? Quidquid alteri contigit ea Latronibus, non contigit alteri. Uterque eodem affecti supplicio sunt; uterque proximi erant Deo, sed non uterque fidem habuit, quæ salvum facit, & fides ex Divo Paulo donum est. Per hanc fidem alter præ altero enituit, ut idem Apostolus inquit, & quis inter utrumque discrimen constituit? Quid habes, quod non acceperis? Vereamur, ne in vita nosmet confundamur cum impœnitentibus, ne cum illis in morte etiam confundamur. Si illud tantum inspexerimus, quod duobus hisce Latronibus contigit, alterius exemplum tantum timoris in nobis ciere debet, quantum spei alterum ciet. *Tourneux in Anno Christiano.*

Boni Latronis fides eo admirabilior est, quia solus Jesum Christum licet crucifixum, Regem esse cognovit.

Sancti Patres boni Latronis fidem æque ac pœnitentiam admirati sunt. Quippe Jesum Christum agnovit inter ipsas infirmitates, quibus reliquis hominibus abscondebatur. Illum ab ipsis Discipulis suis derelictum tuetur. Crux huic non ut aliis scandalum fuit, tanquam Regem habuit, qui pendebat ex ea, & cognovit eumdem in Regnum suum per eamdem intrare. Illum credidit Jesum Christum, & palam professus est. Martyres inter cruciatus gloriosum Jesu Christi nomen confessi sunt, ille vero eum confessus est, cum ab aliis blasphemiis proscinderetur; omnibusque conspirantibus, ut hanc Regis dignitatem irriderent dicendo: si est Rex Israel, salvum faciat semetipsum; recens iste Discipulus, quin omnium blasphemantium irrisionem metueret, palam dicit: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quæ gloriosa confessio effecit ut a nonnullis Patribus ipso Martyrii titulo decoraretur. *Idem ibidem.*

Quam injustus sit peccator nolens audire vocem Dei.

Loquitur mihi Deus in imo cordis mei, & nescio utrum illi obediam, & dubito utrum voci illius victas dem manus. Mensis abiit, immo sex; fortasse etiam plures anni, cum Deus a nobis

sacri-

sacrificium non bonorum quidem, vel vitæ nostræ; quod si posceret, numquid illud nobis esset detrectandum? Sed unius voluptatis; unius solatii, unius affectus, nihili unius sacrificium, & hoc illi negamus; & nos eidem placere negamus? Meditemur hujus repulsæ nequitiam, & injuriæ gravitatem. Tamen Deus iste, cui exile hoc sacrificium negamus; ille ipse est, a quo juges gratias expectamus, & veniam cum plurimorum scelerum, tum istius etiam repulsæ, qua quotidie illi propria sua bona negamus. Quandonam oculos aperiemus, ut videamus errores nostros, ac tantum concipiamus terrorem, quantum opus est, facti adeo nefarii, & ab omni religionis specie abhorrentis: nisi hoc modo contigerit? Fateamur facinus hoc nostrum contradictionibus, & injustitiis diffluere. *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 5.*

PROSPERITAS.

Prosperitas justorum, & iniquorum: pericula, & mala prosperitatis.

MONITUM.



Difficile est habere concionem ita propriam hujus argumenti, ut non admisceantur alia quædam, cum quibus necessitudine veluti quadam cohæret, ita ut omnino separari non possint: prosperitas enim est plurium bonorum congeries, in quibus mundi sectatores suam felicitatem constituunt, & quorum possessio efficit, ut beati censeantur, & nuncupentur. Adversitas, quæ illi opposita est, providentia, quæ vitæ hujus bona, & mala distribuit propter fines, qui nobis explorati non sunt, crimina, & flagitia, quæ hoc in statu passim grassantur, aliaque plura argumenta naturali quodammodo nexu cum hoc conjunguntur. Hoc tamen prohibere non debet, quominus hæc pertractetur materia, non secus ac alia plures, in quibus totum sæpe discrimen ex varia illas pertractandi ratione procedit.

Cæterum argumentum hoc, de quo Biblia, & Patres sæpe loquuntur, ex quo Ethnici quoque Philosophi præcipua moralis scientiæ hauriunt documenta, & cujus denique exemplis pleni sunt libri: hoc inquam argumentum non minus Ecclesiastico suggestu dignum est: locum præbet vivis descriptionibus instabilitatis rerum humanarum, suadet bonorum mundi contemptum, immittit metum status adeo periculosi, nobisque detegit scopulos sub hac felicitatis specie latentes: denique ostendit minus invidendam, quam deflendam esse sortem illorum, qui diutina, ac jugi prosperitate fruuntur: atque si eo pacto tractetur, quo tractari potest, fiet sermo non minus utilis, quam eloquens, atque disertus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Ro sermonis de mundana prosperitate argumento desumi possunt istæ duæ propositiones, aut veritates, quæ illum bifariam partientur. Prima est: temporalem prosperitatem, quæ ut plurimum est objectum votorum, ac desideriorum illius, qui sequitur mundum, esse debere objectum contemptus, timoris, ac abominationis vero fideli. Altera est: impiorum prosperitatem, quin nobis invidiæ sit causa contra beatos sæculi, quibus omnia fluunt e sententia; vel causa querimoniæ contra providentiam, efficere debere, ut & eorum infelicitatem misereamur, & Dei erga nos consilium adoremus, qui non passus est nos in hoc mundo beatos esse, ut æterna in altero beatitudine perfrueremur.

Pro priori, supponendum est prosperum rerum cursum, rerumque affluentiam per se nullo esse in discrimine, & inæqualem bonorum vitæ hujus divisionem pro mundi regimine esse necessariam, sed his postremum obtinentibus locum inter ea, quibus a Deo homines cumulantur, hæc a nobis quidem impensius & enixius optanda non esse, sed 1. contemnenda, quoniam a Deo nullo habentur in pretio, quandoquidem uberius gravissimis etiam inimicis suis largitur illa; quoniam non ideo in oculis ejus magis accepti sumus; & quia sæpe sunt pretium injustitiæ, & criminum eorum, a quibus possidentur. 2. Metuenda nobis esse propter periculum, in quod nos adducunt, æterna bona amittendi. 3. Fugienda esse, & abominanda, quippe vulgo sunt causa criminum, ac malorum, quæ committuntur in mundo.

Veritas altera: 1. Impiorum prosperitas non solum excitare non debet invidiam nostram contra possidentes illam, verum etiam efficere, ut eorum infelicitatis misereamur: quoniam hæc passim reprobationis nota est eas ob rationes, quæ in decursu collectionis hujus occurrent. 2. Quin de providentia conqueramur, Deo benedicere debemus, eique gratias agere, quod nos eo in loco constituerit, ubi pauciores habemus nostræ salutis obices, ac plura adjumenta ad æternam felicitatem comparandam, &c.

Facile est videre, prosperitatem impiorum efficere, ut eorum interitus, atque pernicies certa fere sit, atque inevitabilis. II.

1. Quia alit, & fovet eorum vitia; cupiditates, superbiam, ambitionem, voluptatem, aliaque crimina, quæ mergunt homines in interitum. 2. Quia obstaculum est fere insuperabile omnibus Christianis virtutibus, quæ media sunt prorsus necessaria ad salutem operandam. Hujusmodi sunt humilitas, patientia, mortificatio, quæ omnia cum prosperitate simul esse posse nequaquam videntur.

1. Prosperitas impiis tribuit facultatem, facilitatemque malum operandi, prava consilia exequendi, atque cupiditatibus suis obtemperandi. 2. Illis impunitatem promittit in criminibus, videntibus Deum pacem eorum non perturbare, nulla illos afficere pœna, neque ulla calamitate felicitati illorum obstrepere; quamobrem omni flagitiorum generi sese mancipant. 3. Efficit etiam, ut nequissimarum actionum laudatores, fautoresque III.

repe-

reperiant, quin Divinorum suppliciorum terrorem illis immittat.

IV. Temporalis prosperitas ut plurimum tres malas efficit Impressiones in illis, qui eadem perfruuntur. 1. Facit, ut corde, & affectu adhæreant mundo: hic enim illius proprius, & peculiaris effectus, & ideo quæritur, & exoptatur, ut homines suam in hoc mundo felicitatem constituant contra primum Christianæ religionis principium, & promissionem, qua in Baptismo se mundo, ac pompis ejus abrenunciaturos polliciti sunt. 2. Facit, ut obliviscatur Dei, omniumque pietatis, & religionis officiorum. 3. Studio, quo in malum feruntur, addit facilitatem, & subsidia ad illud patrandum.

V. 1. Temporalis prosperitas optanda non est, cum eadem caremus: omnium enim sæculorum docet experientia, plurima pericula, & mala eam comitari, ac in omnem vitæ spatium, omnemque æternitatem subsequi. 2. Cum eadem fruimus, metuenda est, quia fortasse nostræ damnationis erit causa.

VI. 1. Prosperitas fidem infirmat, immo etiam prorsus evertit; etenim non sequimur amplius ejus principia, & lumina, sed politicæ prorsus mundanæ rationem sectamur. 2. Evertit spem Christianam; videmur enim abrenunciare alterius vitæ bonis, de terrenis dumtaxat solliciti. 3. Necessario effectu extinguit charitatem tam erga Deum, cui vitæ hujus bona præferuntur, tum erga proximum, qui contemnitur, & quem ne cognoscere quidem affectamus.

VII. Tria sunt potissimum vitia, vel peccata, quæ ex mundana prosperitate proficiscuntur. 1. Superbia. Cum enim nosmet supra cæteros elatos intuemur, illos despicimus, & hæc superbia eo usque procedit, ut nosmet fortunæ nostræ auctores credamus, quin illam Deo referamus acceptam, & speremus fore, ut sine ope illius omnia nobis fluant ex sententia. 2. Licentia audendi omnia; omnia nobis fas esse putamus, ex quo in manu nostra facultas, atque auctoritas sita est. 3. Cordis durities; nullis Christianis veritatibus, gratiis, & cœli minis afficimur; laudibus tantum, & adulantium verbis movemur.

VIII. Mundana prosperitas considerari potest 1. in causis, quæ produxerunt illam, atque tunc passim noxia est, utpote quæ fructus iniquitatum, malarumque artium, per quas nosmet extulimus, & ad sublimem fortunæ fastigium evasimus. 2. In effectibus: impellit enim in sexcenta crimina, & causa est plurimorum scelerum. 3. In termino, in quem asserta hæc felicitas tendit, hoc est in æternam infelicitatem.

IX. Temporalis prosperitas saluti fatalis est, & perniciosa, & vulgo spectanda est tanquam nota reprobationis. 1. Ita excæcat eos, qui constanti felicitate fruuntur, ut non aliam vel credant, vel sperent, quam vitæ hujus beatitudinem. 2. In commentitia hac felicitate soporem illis ita immittit, ut summam votorum sit eadem tranquille in reliquum vitæ spatium gaudere. 3. Cor eorum ita indurat, ut nulla alia re afficiantur.

X. 1. In prosperitate omnia vitam mollem, otium, voluptatem, vitium suadent. 2. In prosperitate omnia impedimento sunt conversioni peccatoris, omnia ejusdem media efficit inutilia.

XI. 1. In prosperitate, atque hujusmodi bonorum affluentia lapsus frequentes sunt, & fere inevitabiles, occasiones, & media cupiditatibus satisfaciendi nunquam desunt &c. 2. Media, & subsidia consurgendi rara sunt, tenuia, & ut plurimum irrita, quamobrem id genus hominum in manifesto periculo versatur.

XII. Tria magna sunt mala, quibus illi obnoxii sunt, qui prospero rerum cursu lætantur, sive hoc in statu nati sint, sive labore, ac industria ad illum pervenerint.

Primum est, quod se ipsos non norunt, & putant ea, quæ possident, bona, & commoda, quibus fruuntur, sibi deberi, atque ex illis ipsis profecta esse, quin eadem providentiæ referre debeant accepta; quæ causa est, propter quam se aliis præstare putant, & plerunque prosperitas superbiam creat.

Alterum est, quod ea quæ magis realia, atque essentialia sunt, negliguntur, quod Christianarum virtutum praxis deseritur, quod temporalia dumtaxat bona quæruntur, & spiritualia penitus contemnuntur.

Tertium est, quod prosperitas, & terrenorum bonorum copia accedens licentiæ, atque facultati propriis satisfaciendi cupiditatibus, sæpe nihil adeo flagitiosum, ac turpe est, quod inausum relinquatur.

In duobus sermonis punctis iis, qui prosperitate XIII.
fruuntur in mentem revocari potest.

1. Beatitudinem horum felicium sæculi, cum sit temporalis, esse inconstantem, ac sexcentis perturbationibus, sexcentisque molestis casibus obnoxiam. 2. Illos in aperto versari æternæ calamitatis periculo, postquam perfunctoria, fluxaque gavisi fuerint felicitate.

Ostendi potest, impiorum prosperitates gravissi- XIV.
mum esse supplicium, quod ab illis Deus in hac vita possit expetere. 1. Quia hoc est funestum æternæ reprobationis eorum præsagium. 2. Quia hoc est illos in eo statu relinquere, ubi media salutis operandæ sunt difficillima, ac moraliter impossibilia. 3. Quia quotidie crimina criminibus agglomerantes thesaurizant sibi iræ thesaurum, atque sua pro altera vita augent supplicia, sese indesinenter in hac nequiores efficiendo.

Circa impiorum prosperitatem duo errores corri- XV.
gendi sunt.

Primus est, quod illi tanquam beati ducuntur, quorum etiam beatitudini invidetur, cum e contra nemo sit magis miserandus, neque in apertiori æternæ infelicitatis periculo versatur.

Alter est, quod bona, quibus fruuntur, existimantur veluti Dei benedictiones super illos, cum e contra nulla alia sit apertior nota Divinæ in ipsos iræ, & indignationis. *Ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Dominica 3. post. Pascha.*

1. Impius felix est occasio scandali pluribus, XVI.
qui inde ansam arripiunt obmurmurandi contra providentiam, & accusandi Christianam religionem, quod olim Ethnici faciebant. 2. Objectum est invidiæ mortalibus, sed illis esse debet potius miserationis objectum. 3. Justum est subjectum in quo Deus ultionem suam, & severissimas justitiæ suæ pœnas exercet.

1. In prosperis facile obliviscimur Dei, & omni XVII.
flagitiorum generi nosmet mancipamus. 2. Deus vicissim quodammodo obliviscitur peccatorum in prosperis, illos tradens desideriis cordis ipsorum, neque eos amplius tanquam filios respiciens.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas concionum structuras exornandas.

SAnctus Augustinus *lib.* 1. *de Civit. cap.* 30. Sancti Patres.
ostendit prosperitatem gignere, & fovere vitia omnia.

Idem *lib.* 10. *Confess. cap.* 28. docet mundi prosperitatem nunquam tutam esse, sed cum metu conjunctam.

Idem *lib. de* 50. *Homil. Homil.* 41. *& in Ps.* 50. docet perniciosam esse prosperitatem, ac per eam mentem, moresque corrumpi.

Idem *in Psal.* 138. ostendit vitam præsentem ex die, & nocte constare, prosperitatem vero diei, & adversitatem comparat nocti.

Sanctus Gregorius in illud Jobi 3. *Quare data est mi-*

est misero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt? ostendit justos metuere, ne temporalis prosperitas tota sit bonorum operum suorum merces, & ne prohibeat, quominus vitæ alterius cogitent bona.

Idem *in Pastoral. part. 3. Admon.* 23. egregia tradit monita illis, qui prosperitate fruuntur.

Idem *Admonit.* 27. ostendit Deum tribuere nonnunquam prosperitatem justis tanquam remunerationis initium, & aliis, ut inexcusabiles sint, quod illi non servierint.

Idem *lib. 10. Moral. in cap. 28. Jobi* plures adfert rationes, propter quas sæpe permittit Deus, ut omnia impiis cedant e sententia, & justi sæpe in hac vita sint calamitosiores.

Idem *lib. 6. Moral. in cap. 4. Jobi* ostendit impiorum prosperitatem, quantumvis constans videatur, a Deo maledictam esse, neque diu subsistere.

Idem *lib. 23. Moral. in cap. 4. Jobi* acriter refellit Hæreticos, qui felicem quidem, prosperumque rerum suarum cursum afferebant tanquam argumentum veritatis doctrinæ suæ, persecutiones vero, ut Ecclesiam Catholicam a Deo reprobatam esse probarent.

Idem *Homil. 19. in Ezechiel.* ostendit justos in cœlo duplicem ferre palmam, & coronari tanquam victores, eo quod de prosperis æque, ac de adversis triumphum retulerint.

Idem in aliis pluribus moralium locis ostendit periculum prosperitatis, & utilitatem, quam Christiani referunt ex adversis.

Sanctus Chrysostomus in exhortatione in cap. 16. Sancti Matthæi ostendit, neque quærendum, nec optandum esse homini totam vitæ spatium in jugi prosperitate traducere.

Idem exhortatione in cap. 18. hujus vitæ bona, quæ a mundo veluti bona habentur, esse vera mala, & sæpe ea mala, quæ maxime formidamus, esse bona, si illis bene uti noverimus.

Idem exhortatione in cap. 24. docet peccata, quæ in prosperis committuntur, gravius, quam cætera puniri.

Theodoretus sexto, septimoque sermone de providentia rationem reddit inæqualis divisionis, qua Deus hominibus vitæ hujus bona, & mala partitus est, ac ostendit, illum consuescere alia aliis temperare.

Sanctus Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 15. & 16.* eos consolatur, qui & bonorum calamitatibus, & prosperitate impiorum dolent.

Sanctus Bernardus *serm. 42. in Cantic.* docet putandum non esse, Deum sua oti erga peccatores misericordia, cum permittit, omnia illis fluere e sententia, sed potius severissimam in illos exercere justitiam.

Afcetici aliique. Recupitus de signis prædestinationis, & reprobationis *signo* 4. ostendit impiorum prosperitatem signum esse reprobationis.

Dandinus *in Ethicis Sacris lib. 36.* fusius verba facit pluribus in capitibus de prosperis, & adversis.

P. Caussinus in Aula sancta effato 14. de tribulationibus loquitur de prosperitate impiorum tanquam de punitione Dei.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta in libro, cui titulus: *Les Conduites de la Grace* par. 3. tract. 9. ostendit unum ex mediis, quibus utitur Deus pro peccatorum conversione, esse prosperitatem.

P. Cordier in familia sancta tom. 3. cap. 16. §. 8. docet, quomodo familia sancte instituta sese gerere debeat in prosperis.

P. Poirè Auctor Triplicis coronæ Sanctæ Virginis in libro, cui titulus: *Scientia Sanctorum*, part. 2. cap. 8. ostendit, injuria vituperari providentiam, vel saltem obmurmurari de bonorum, malorumque divisione, bonis, & impiis facta.

P. Nepveu in Christianis considerationibus tom. 4. consideratione pro die 18. Novembris ostendit infelicitatem peccatoris in ipsa prosperitate.

P. Texier in Adventu serm. 4. ostendit impium in sua prosperitate maledictum. Concionatores nuperi.

Idem in Dominicali Domin. 4. post Pentecost. agit de bonorum, impiorumque prosperitate.

De la Volpilliere tom. 2. serm. de prosperitate impiorum.

Flechier serm. 3. pro comitiis Occitaniæ plurima habet hujus argumenti.

P. Giroust tom. 3. Quadragesimæ sermone pro feria 6. hebdomadæ Passionis.

Abbas de Monmorel *tom. 1. Homil.* pro 4. post Epiphaniam Dominica.

La Font in continuatione sermonum Ecclesiasticorum tom. 1. pro secunda Adventus Dominica.

Joly tom. 1. propositionum, pro 5. Dominica post Epiphaniam.

P. de la Colombiere in tomo Christianarum considerationum unam habet de adversitatibus, & alteram de prosperitate impiorum.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali tom. 2. sermone pro 3. Dominica post Pascha hoc tractat argumentum.

Specimen sermonum pro Dominicis. Secunda Quadragesimæ Dominica.

Ibidem pro 2. Dominica adventus.

P. Massillon recens editus. Sermone pro feria 5. post Cineres fusius loquitur de prosperitatis periculis.

Berchorius } Verbo *Prosperitas*. Qui cal[illegible]
Labatha }

Granatensis in locis communibus. Verbo *Fortuna*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Bibliorum huic argumento.

INimici Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Psalm. 36.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani: & transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus. Ibidem.

Ne zelaveris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Ibidem.

Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. Psalm. 72.

Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias. Ibidem.

Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Psalm. 80.

Prosperitas stultorum perdet illos. Proverb. 1.

Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua. Eccl. 7.

Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole. Eccl. 8.

Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio. Eccl. 9.

Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Job 21.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Idem. ibidem.

Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum. Jerem. 12.

Væ qui opulenti estis in Sion, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciviitis in stratis vestris. Amos 6.

Quare

Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se? Habacuc 3.

Ve vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, Luc. 6.

Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Luc. 16.

Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 2. Machab. c. 6.

Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Exempla eorum, qui in prospe ritate lapsi fuerunt.

SAtia significari non potest, quam perniciosus esset mundus, si fautribus suis perennem, semperque constantem largiretur prosperitatem. Videmus innocentiam Adæ, sanctitatem Davidis, sapientiam Salomonis non satis habuisse virium, ut insignes hos viros in prospero eorum statu tuerentur, ipsosque nimiæ felicitatis pondere obrutos cecidisse. Itaque inter præstantissima monita, quæ olim Moyses populo Dei tradidit, fuit illum admonere, ne, *ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.....obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus*. Deut. 8. Quamobrem Sanctus Hieronymus in Ezech. 13. dixit superbiam, crapulam, otium, delicias, mollitiem fuisse peccatum abominabilis urbis illius, quæ igne cælitus demisso conflagravit; eo quod hæc omnia nos ad Dei oblivionem inducant.

Facile est in tentationibus cedere tentationi.

. Considerate duos hosce magnos viros, utrumque ab uxoribus tentatum illos in peccatum impellere cupientibus. Omnia favent Adæ, omnia Jobo adversantur: ille est in statu innocentiæ, hic in statu naturæ corruptæ: Adam immediate ex Dei manibus egressus, Job ex idololatris majoribus ortus. Attamen Job victor est; Adam vero turpiter victus. Non alia adest ratio, Sanctus Chrysostomus inquit, præter hanc: Adam in prosperitate tentatur, Job in adversis: sterquilinium Job pugnæ locus est longe felicior, quam paradisus terrestris: *Job cautior in stercore, quam Adamus in paradiso*. Si ergo sanctissimi etiam, atque justissimi tentationibus inter innocuam prosperitatem superantur, quid erit de peccatoribus in noxia prosperitate degentibus? certe hæc illos perdet prosperitas: *Prosperitas stultorum perdet illos*. Prov. 1.

Vos non latet, postquam David cum Bersabea insigne illud, ac nemini non exploratum facinus patravit, Deum nihil illi vehementius exprobrasse, quam quod in tantum ingrati animi vitium cecidisset, postquam ipsum tot beneficiis large, effuseque cumulaverat. Audite ipsius Dei verba: *Ego unxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Juda: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora: quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* 2. Reg. 12.

Amani exemplum ostendit non semper esse felicem neque contentum etiam in summa prosperitate.

Nulla unquam prosperitas major, atque consummatior fuit, ea, qua fruebatur Aman, coram quo jussu regis omnes flectebant genu. Rex me sua dignatur familiaritate, ajebat superbus iste Assueri minister, me quotidie recentibus cumulat beneficiis, primum in imperio illius locum teneo. Nonne hic homo est mundanæ felicitatis apicem assecutus, si ex hac externa specie judicium ferendum est? Omnibus cupiditatibus suis satisfecerat, neque reliquum erat illi, quod cuperet, præterquam unius Mardochæi submissionem, hanc detrectantis; attamen dolor hic adeo levis in speciem satis fuit, ut superbum hunc ministrum in tanta felicitate, atque affluentia miserum faceret, quemadmodum ipse non ægre confessus est: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias*. Esth. 3.

Exempla eorum, qui in rebus prosperis intumuerunt, licet antea essent modesti.

Quis nescit Saulem, antequam ad regnum eveheretur, & Deus illi populi regimen committeret, virum fuisse bonum, atque ex Sacri Textus testimonio neminem in toto Israel ipso extitisse meliorem? Sed cum ad hunc dignitatis apicem evectus fuit, brevi mores, totamque vitæ rationem mutavit. Furens invidia, quam contra David concepit, ejus crudelitas, inobedientia, & impietas Deum coegerunt, ut illi regnum eriperet, quod illi in præmium virtutis contulerat. David, qui in ejus locum surrogatus fuit, & qui ex humili pastoris statu ad regnum elatus fuit, non ita quidem sui oblitus est: sed ea, quæ illi prospere evenerunt, cor illius ita inflarunt, ut scire vellet numerum subditorum suorum secreta actus vanitate, quam de sua potentia, & auctoritate concepit. Salomonis prosperitas majorem illi peperit calamitatem, & infamiam, quam sapientia gloriam peperisset. Roboam regnum suum certum, statutumque videns Divinas leges contempsit, atque exemplo suo populum Israel a cultu Domini abduxit. Prosperitas regi Ezechiæ, quantumvis sanctus esset, suasit, ut Babylonici regis legatis thesauros suos ostentaret: & Deus permisit, ut in jactantiæ pœnam illi auferrentur. Adeo verum est, prosperis cor inflari, mores corrumpi, & fieri sæpe, ut ipsæ Dei leges contemnantur.

Dei Filius in Thabor loquitur de passione sua.

Cum Dei Filius in vertice Thabor gloriosus apparuit, voluit Moysem, & Eliam de mortis, & passionis ejus ignominia secum miscere sermonem; non quod metueret, ne hoc, ut ita dicam, prosperitatis, & gloriæ momentum oblivionem illi induceret ejus consilii, quo per humiliationes, atque passiones homines erat salvos facturus, sed ad nostram eruditionem, ut homines exemplo suo discerent, in elatione, in prosperitate, inter honores, qui sibi adhibentur, & plausus, quibus excipiuntur, debere meminisse, fluxam esse gloriam hanc: hoc lætitiæ, & consolationis tempus, quod illis aliquando permittit Deus, non esse præmium suis laboribus debitum, sed dumtaxat modicum solatium, quo animentur ad perferendas æquiori animo vitæ hujus pœnas, & cruces, ut eidem inserviant. Beati hujus sæculi ita facere non consueverunt; respiciunt hanc prosperitatem, quomodo gloria Thabor a Sancto Petro respiciebatur: hic suam requiem constituere, & felicitatem suam collocare cupiunt, & quin cogitent hoc in mundo perferendum esse, & colloquendum de mediis æternam gloriam acquirendi, quærunt adulatores, qui sibi de iis tantum loquantur, quæ eorum fovent vanitatem.

Idem Salvator plorat, antequam triumphans Jerosolymam ingrederetur.

Dei Filius Jerosolymam triumphans ingressurus docet, ne mundi felicitate nos perstringi sinamus, ac veritate dissipemus nebulam, quam illa mentibus nostris offundit. Lumen non solum detegit nobis fragilitatem, atque inconstantiam rerum earum, quæ nos palpant; verum præterea nobis ostendit fluxa hæc bona semina esse dolorum, & miseriarum, si permiserimus, cor nostrum per lætitiæ voluptatem illius adhærescere; ideoque viam hujus evitandi periculi esse spectare finem, qui brevi es est deleturus.

Mali divitis exemplum nos docet, quod prosperitas mollitiem inspirat.

Prosperitatis est inspirare mollitiem; cujus rei eximium nobis suppetit in Epulone Evangelico exemplum. Summa illius est mollities; ejus quippe convivia exquisitissimis dapibus, cupediisque instruuntur; ejusque voluptates assiduæ sunt, non secus ac immodicæ: *Epulabatur quotidie splendide*. Semper deliciis intentus de pœnitentia nunquam cogitat. Superbia illius summa est, nulla est magnificentia, nitor nullus, quem non affectet; vestium pompa illum cum principibus, atque spectatissimis mundi hominibus confundit, ratum fortasse, quia dives est, omnia sibi licere, & externam hanc lucem, qua septus est, efficere debere, ut si minus genere, saltem opibus, in hoc mundo sibi reverentiam conciliet. Talis est cæcitas eorum, qui prospero rerum cursu, & affluentia

fruun-

fruuntur. Omnia sibi fas esse putant, voluptates, delicias, solatia. Quo ambitionem suam non extendunt? magistratus, dignitates, officia, nihil infra se esse arbitrantur.

Sperandum non est in hac, & in altera vita prosperitatem.

Prosperitas, gaudia, deliciæ, quibus in hoc mundo contra Dei legem perfruimur, ultra vitam hanc non extenduntur, ac videntur veluti somnium, quod præterit, & evanuit. Hujus rei testimonium habemus in iis verbis, quibus Abraham Patriarcha malo diviti respondit: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*. Illi revocat in mentem ea bona, quæ vivens receperat, eique non alia post hæc fore ministratum; quandoquidem ea, quibus ipse brevi tempore gavisus est, illis præmi loco, quæ in omnem sperare poterat æternitatem. Cui addendum est, cruciatus, quibus dives hic reprobus torquebatur, effecisse, ut oblivisceretur prosperitatis, & gloriæ, qua dum viveret, perfruebatur: *Fili recordare*. Et profecto quinam de se conquerentur in inferno reprobi, qui tot bonis in mundo cumulati fuerunt? Nonne possederint divitias? nonne suavissimis voluptatibus indulserunt? verbo, nonne felices fuerunt? & nonne illi tales se ipsos esse censuerunt? Heu! quæ felicitas! quæ divitiæ! quæ voluptates! quæ prosperitas! Quid profuit nobis jactantia, ajunt illi in Sapientia; Quid divitiarum vanitas contulit nobis? Omnia transierunt tanquam umbra, & velut fumus evanuerunt. *Transierunt omnia illa tanquam umbra*. Sap. 5. Mirum esse non debet, si hoc pacto loquuntur, quoniam, ut Sapiens ait, unius horæ calamitas omnibus diuturnæ vitæ calamitatibus oblivionem inducit: *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ*. Eccli. 11.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Deus sæpe ex hac vita eripit homines, dum majori prosperitate fruuntur.

D*Ucunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Job 21. Iræ Divinæ fulmen passim hos sæculi beatos percutit, cum minus timent, & minorem habent diffidendi causam: in ipso ætatis flore, in ipso felicitatis apice, cum fortuna eorum ad summum evasit, ac demum cum maxime constituta videtur eorum prosperitas: *In puncto*: cum nihil sibi vel a cœlo, vel a terra metuendum esse putant, atque impotentia eorum per quosdam veluti gradus cum ipsa prosperitate ascendens eo usque processit, ubi Domini iram capiti illorum jamjam imminentem sollicitat. Videte hunc divitem, de quo loquitur Evangelium: quodnam temporis punctum eligit Deus illum puniturus? post adeo uberem messem, quæ illum coegit vetusta horrea, cellasque nimis angustas subvertere, atque longe majora ædificare ad prædiorum suorum fructus capiendos; tunc maxime cum ipse secum diceret: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare*. Hoc illud fuit tempus, quod Divina elegit justitia, ut ex mundo impium hunc exturbaret: *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te*. Luc. 12.

Terrenæ prosperitates Babylonicis fluviis comparantur.

Super flumina Babylonis illic sedimus &c. Psalm. 136. Cum Babylon in bibliis sit mundanæ prosperitatis figura, Sanctus Augustinus scite animadvertit non deesse homines, qui sua magnitudine, opibus, & voluptatibus ebrii satis esse non putantes ex Babylonicis aquis bibere, sese immergunt aquis fluminis illius, secus quod civitas ista ædificata est; verum alios etiam adesse, qui inter ipsa prospera sedent tanquam in exilii loco considerantes ad Sion cœlestem anhelant, a qua longe divisi sunt. Hi, Pater idem pergit, gementes secus flumina eorum sedent, sese supra hæc terrena attollentes, neque porum gustare volentes lætitiam in hac sede afflictionum. Alii tandem exilii sui locum patriam suam esse putantes, ne ibi subsistentes, quia transeundum dumtaxat est, amittunt æternorum bonorum memoriam, atque vitæ præsentis suavitatibus vacant. Hi, sequitur Sanctus Augustinus, in fluminis aquis submerguntur, hi terrenarum prosperitatum torrente se rapi sinunt, quin ut his infelicibus suis brachia ad cœlum attollant, & in animæ suæ naufragio salutarem pœnitentiæ tabulam apprehendant.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat. Psalm. 36. Docet experientia subitas hasce fortunas, quæ criminis debentur, fere semper labi atque celeriter, ac ruinerunt. Vidi impium, inquit Propheta, qui sese extulerat tanquam cedrus Libani; transivi, neque erat amplius; quæsivi illum, & ne vestigia quidem reperta sunt, ubi ille commorabatur. Hæc est impiorum prosperitas; repente fulget, & evanescit, veluti somnium. Ædificium est in arena extructum, quod subito ventus flatu subvertitur. Hi agitabuntur tanquam pulvis, quem ventus excitat de terra, inquit Propheta Psalm. 1. *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*. Si nobis de hujusmodi veritatibus esset persuasum, omnia terræ bona, quæ mortalium prosperitatem efficiunt, tanquam præteritura somnia duceremus.

Non amorum prosperitatum locus durandi.

Dejecisti eos, dum allevarentur. Animadvertit Sanctus Augustinus aie in hæc verba Psalm. 72. Prophetam non dicere, dejecisti superbos, & ambitiosos hos homines, postquam elevati fuerunt; sed dum elevarentur; ita ut non aliud elevationis, aliud dejectionis tempus fuisse testetur: Alii aliud est tempus elevationis, aliud dejectionis. Nequaquam. *Elevatio ipsa ruina est*. Prosperum peribunt, addit Propheta, & tanquam fumus evanescent: *Excedent deficientes quemadmodum fumus deficient*. Psalm. 36. O quam justa hæc est comparatio, Sanctus Gregorius Magnus ait! Quandonam fumus dissipatur? Dum attollitur, prout sese latius extendit, evanescit in aerem. *Ascendit, tumescit, evanescit*: quo magis ascendit, eo magis dissipatur. Hæc vera est prosperitatis peccatorum imago.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

S*I aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit, non deceptoria est, nonne fluxa, caduca, temporalis, mobilica, transitoria? nonne plus habet decipiendi, quam delectationis?* Augustinus in Psalm. 41.

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in via sua, cujus peccatis differ ultor; majoremque hoc ira Dei est. Idem in Psalm. 9.

Nemo frangitur rerum adversarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur. Idem lib. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 15.

Solatia opus habemus, & quidquid nobis exhibet Deus, cum prospera exhibet, non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. Idem in Psalm. 155.

Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus, & magis cavendus, cum se illicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. Idem Epist. ad Dioscorum.

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. Idem super Matth. Serm. 29.

Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Idem Epist. 30.

Nulla res longa mortalium, cuicumque felicitas sæculi diu teneatur, multitudine. Idem super Numer. lib. 11.

Nemo securus est in iis bonis, quæ potest invitus amittere. Idem de libero arbitrio.

Præsens vitæ prosperitas aliquando ideirco datur, ut ad meliorem vitam provocet, & aliquando

 ag

ut in æternum plenius damnet. Gregorius in Pastoral.

Desperatis quidquid poscunt donant medici, sic Deus injustis temporalia largitur. Idem lib. 16. Moral. cap. 11.

Sancti viri magis in hoc mundo prospera, quam adversa formidant, sciunt namque, quia mens, dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora derivatur. Idem lib. 5. Moral.

Cum quis in prosperitate potius diligitur, incertum est, utrum prosperitas, an persona diligatur. Idem in Moral.

Admonemur prospera mundi metuere, & contra omnem sæculi felicitatem acrius vigilare. Idem Procem. in Psalm. 50.

Tribulatio unam patientiam probat, prosperitas omnes virtutes. Ambrosius.

Noverca virtutis prosperitas. Ita applaudit, ut noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur. Chrysol. lib. 1. de Curial. nugis.

In omni adversitate fortunæ infelicissimi infortunii genus est aliquando fuisse felicem. Boethius de consol. Philos. lib. 2.

Plus reor hominibus adversam, quam prosperam prodesse fortunam. Hæc enim specie felicitatis cum videtur blanda, mentitur, illa semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Hæc fallit, illa instruit. Idem ibidem Prof. 8.

Luge peccatorem fortunatum, intentatur enim gladius judicii. Nilus.

Ex prosperitate luxuria, ex luxuria vitia omnia. Lactantius de divin. instit. lib. 2. c. 2.

Nihil infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Hieronym. lib. 5. in c. 16. Ezech.

Nihil infelicius, cui nihil accidit adversi, quia male judicarunt de ipso Dii. Seneca, lib. de Provid.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in argumento possit hauriri.

Quid generatim sit mundi prosperitas.

QUid sit mundi prosperitas facilius intelligitur, quam vulgo exprimatur; aliqui enim definiunt illam habita ratione earum rerum, quæ illius sunt objectum, videlicet opum affluentiæ, honorum, & voluptatum; & creditur triplicium horum bonorum congeries id esse, quod homines hac in vita beatos efficiat. Tenent alii hanc prosperitatem in secundo rerum omnium cursu, in fortunarum magnitudine, in dignitatum acquisitione, ac tranquilla, & constanti honorum, quæ cupiunt, possessione consistere, quin molesto aliquo perturbantur casu, qui omnem commentitiam eorum felicitatem evertat. Credo duos hosce characteres præter propter ad rem eamdem, eamdemque recidere notionem, quæ vulgo concipitur, quin id perpendatur, in quo singulorum beatitudo consistit: videlicet prosperitatem in hoc esse positam, quod omnia cedant e sententia, ac tranquille fruamur bonis, quæ possidentur, quin aliquid nobis mœrorem, ac sollicitudinem afferat.

Discrimen inter fortunæ, & gratiæ bona.

Hoc nobis persuasum esse debet, de fortunæ bonis, quæ temporalia vocantur, & mundanorum prosperitatem constituunt, nequaquam idem sentiendum esse ac de bonis gratiæ, & gloriæ, quæ veram felicitatem nostram constituunt. Hæc semper bona sunt, neque possunt unquam esse mala; sed cum bona temporalia, licet sint semper cœli bona, per se nullo in discrimine sint, possunt esse, immo sæpissime mala sunt, vel potius verorum malorum, hoc est criminum, & vitiorum origo: verum negare nemo potest, illa esse posse, & reapse bona esse, ideoque Dei beneficia, quibus uti possumus ad æterna bona acquirenda, atque salutem operandam; quæ causa est, quod prosperitas nonnunquam præmium est, & aliquando, immo sæpius supplicium impiis, qui abutuntur illis ad vitia sua fovenda; & hoc pacto sibi thesaurizant iræ thesaurum, & in altera vita sibi severissimam ultionem conflant. Itaque ut hoc in argumento rite loquamur, dicere debemus, hæc bona, quæ mundanam felicitatem constituunt, vera esse bona, licet fluxa, & fragilia, quæ esse possunt nostræ salutis instrumenta, non secus ac causæ interitus nostri, propter quas reprobi damnantur. Peccator pravo usu hæc bona corrumpit. Corruptio in his bonis non est, sed in corde peccatoris iisdem abutentis, qui ne cogitans quidem in caput suum detrahit secretum illud maledictum, quo Deus percutit peccatores, dum sese cordis sui tradunt concupiscentiæ.

Aliorum quidem prosperitas, aliorum vero adversitas Divinæ providentiæ ordini non adversantur.

Seu providentiam tanquam naturalem, seu tanquam supernaturalem spectemus, aliorum quidem adversitas, aliorum vero prosperitas illi minime officiunt; sed in his potius illa maxime elucet. Quod enim ad naturalem spectat providentiam, inæqualitas bonorum fortunæ, & statuum, atque conditionum constituit mundi pulchritudinem; quoniam hoc pacto homines sibi vicissim utiles sunt, ac mutuo sibi opem ferunt, ita ut hæc inæqualitatis species non minus probet adesse providentiam, quam ordo ipse, quem admiramur. Cæterum quod spectat ad supernaturalem providentiam, prosperitas, & abundantia nequaquam sanctitati repugnat; quandoquidem ut secundum Christianæ religionis leges vivamus, necesse non est sese ad veram paupertatem redigere, uti crediderunt Pelagiani, cum plurimi in ipsis prosperis rebus, omnigenaque bonorum affluentia sanctitatem adepti sunt.

Sapiens est Divinæ providentiæ consilium in temporalium bonorum vitæ hujus distributione non semper permittere, ut impii prospero rerum cursu lætentur, & justi adversis premantur; oppositum quippe consilium, Sanctus Augustinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 8. ait, indignum esset infinita ejus sapientia, & in mentibus nostris fundamentalia religionis everteret puncta; etenim quomodonam credi posset esse providentia, si Deus peccatores in hoc mundo nunquam plecteret, eosque in integra impunitate viam ducere sineret? *Nulla esse Divina providentia crederetur.* Si omnes illos in hac vita puniret, aliquis sibi persuadere posset, nullum fore judicium extremum, quandoquidem nihil ad judicandum sibi Deus reservaret: *Nihil ultimo judicio reservari putaretur.* Cæterum si Deus, Doctor idem sequitur, nunquam justis temporalia bona concederet, non deesse videretur occasio dicendi, bona hæc suapte natura esse mala, eaque non a Deo, sed a dæmone impertiri, quæ fuit hæresis Manichæorum; *Non ad Deum ista pertinere dicerentur:* & si justi semper rerum affluentia, ac prosperitate perfruerentur, periculum esset, ne quis arbitraretur, nullam præterea virtuti sperandam esse mercedem; & religio adeo mercenaria cupidos, avarosque potius, quam pios, sanctosque facere videretur: *Nec pios nos faceret ista serviens, sed potius cupidos, & avaros.*

Cur Deus non puniat omnes impios in hoc mundo, sed potius illis prospere tribuat.

Deus, vulgo Doctores inquiunt, non punit omnes mundi hujus peccatores, ne vel resurrectio non expectetur, vel non timeatur judicium, quasi omnes in hac vita jam judicati fuissent. At neque omnia crimina impune abire patitur, ne de illius providentia ambigatur. Itaque punit aliquando, aliquando vero non punit. Cum in hac vita punit, ostendit eos, qui puniti non fuere, in altera puniendos esse; ubi vero non punit, nostram exercet fidem, & vult a nobis secundum expectari judicium toto cœlo terribilius, quam quod in hoc mundo exercetur.

Si passim impii prosperis rebus frui videntur, hoc accidit, Sancti Patres inquiunt, & inter cæteros

San-

Sanctus Chrysostomus, quod non omnino sunt impii, & quod in eorum vita aliquid laude dignum videtur. Difficile completa invenitur impietas; in ipsis viis iniquitatis interlucent rectitudines quædam, & quædam virtutes sub jugo, & in catenis vitii captivæ. Superficialis hæc bonitas, Sanctus Augustinus ait, specie quadam felicitatis pensatur, Deo perfunctoria conferente solatia peccatoribus, quos æternis destinavit suppliciis. Viri boni vulgo exagitari dicuntur; at quinam sunt hi viri boni adeo perfecti, qui nullam habeant imperfectionum, humanarumque infirmitatum immixtionem? Non igitur mirum esse debet, si aliquando justos affligit, si impiis nonnullarum temporalium prosperitatum solatia concedit; quæ tota est merces, quam illis impertit.

Prosperitas impiorum nota est reprobationis.

Cum relinquit Deus insignes peccatores prosperis frui rebus, eosque cumulat bonis, quin eorum gaudiis, noxiisque voluptatibus funesto aliquo casu obstrepat, hoc fere manifestum indicium est, hos ab illo deseri, neque amplius tanquam filios haberi. Magna est ira Dei, Sanctus Bernardus ait post Sanctum Augustinum, cum non exercet iram suam in peccantes, eosque sinit impune peccare. Hi sibi persuadent, se a Deo amari, hunc sibi favere, quia omnia fluunt sibi e sententia, & nulla re perturbatur felicitas illa, qua gaudent. Aliquando etiam insultant justis, qui affliguntur a Deo, rati propter gravia afflictari peccata, quemadmodum amici Job magno huic, fidelique Dei famulo exprobrabant. Sed falluntur. Error illorum est cæcitatis effectus, & cæcitas hæc effectus justi, atque formidabilis judicii Dei adversus illos. Non noverunt Divinæ providentiæ erga homines consilium, quo alios quidem tanquam filios, alios vero excipit tanquam inimicos, ita ut liqueat, hanc felicitatem, ob quam peccatores gloriantur, sæpe effectum esse Divinæ erga ipsos indignationis.

Considerandum est, nefarios homines, quos prævidet Deus futuros per nequitiam, & pertinaciam suam ex numero reproborum, non aliam habere partem in bonis Dei, nisi eam, quam possident ex fluxis mundi hujus bonis, & in alia vita, cum nullam habituri sint hæreditatis dominicæ partem, in æternum rebus omnibus carituros. Quamobrem si permittit Deus, ut in rerum omnium affluentia vivant, & id consequantur, quod eorum cor concupiscit, atque omnibus præsentis vitæ deliciis perfruantur sine ullo judiciorum Dei timore; næ illis metuendum valde est, ne, si hoc in statu illos reliquerit, hæc affluentia, & prosperitas causa sit, & indicium reprobationis eorum; cum interim ærumnæ, labores, & adversa, quibus interea justos exercet, hæc æqui, bonique consulentes, tanquam media, quibus pro peccatis suis satisfacere possunt, ad id prosunt, ut illos ea digniores efficiant hæreditate, quæ ipsis manet in cœlis.

Cur prospera inflant, & adversa dejiciunt.

Hominum plerique industriæ, meritoque suo acceptum referunt, quidquid ipsis fluit e sententia, quidquid vero accidit adversi, hoc in cæcam rejiciunt fortem, quæ temere, & inconsulto homines attollit, deprimitque: unde fit, quod prosperitas, quæ nostram erga Dominum excitare debet cognitionem, eorum dumtaxat inflat superbiam; & adversitas, quin illos Divinis legibus subjiciat, efficit sæpe, ut animos despondeant.

Prosperitas, ut plurimum insignem peccatorem efficit incorrigibilem.

Periculosissimus prosperitatis effectus est peccatorem incorrigibilem efficere, ideoque ad finalem impœnitentiam perducere. Et ratio constat. Via enim, qua nostra castigare possimus errata, hæc est, si corripiamur. At beati hujus sæculi ad apicem felicitatis evecti ut plurimum neque a mortali quopiam, neque a Deo corripiuntur: homines quippe non audent illos corripere; licet deberent eo esse animo, quo fuit Sanctus Joannes Baptista, ut principum indignationem, ac inimicitiam subire non reformidarent. Quamobrem homines hujusmodi sexcentos inveniunt assentatores, censorem vero vitiorum suorum neminem. Neque corripiuntur a Deo: cum enim extrinsecus semper effusi sint, ac mundanis gaudiis, & voluptatibus abditi, non audiunt quid illis exprobrare posset Deus aut ministrorum suorum voce, aut conscientiæ stimulis, aut interioribus gratiis, quas illis identidem elargitur. Oportet, nimis clara voce Deum loqui, ut ab id genus mortalibus exaudiatur; at e contra raro tantum, ac submissa voce loquitur ad illos, & sæpe ne verbum quidem profert, eos tanquam filios a se relictos putans, quos ne ira quidem sua dignos arbitratur; unde sequitur, quod peccator in eodem statu permanens moritur in impœnitentia, post fluxam, brevemque felicitatem in æternum infelix.

Prosperitas non fidem tantum, sed spem etiã Christianam infirmat.

Spes duplicem habet effectum: prior est efficere, ut invisibilia, æternaque bona desideremus, quia magna, & solida nobis videntur; alter est efficere, ut illa speremus, quia facilia nobis videntur, quæ Dei ope acquiramus. Prosperitas, utrumque hunc spei delet effectum, vel saltem cum illis simul esse non potest. Homo enim, qui prospero rerum cursu gaudet, & affluenter omni bonorum, ac voluptatum genere perfruitur, illectus, captusque terrenorum bonorum amore, & crassioribus sensuum voluptatibus ebrius afficine potest cogitatione spiritualium bonorum, quæ spes Christiana illi proponit? Sanctus Paulus negative respondet: *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt.* Homo carnalis Divina non gustat, libenter omnes cœli voluptates renunciaret, dummodo semper terrenis perfrui sibi liceret.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Cur permittit Deus, ut impii prosperitate fruantur.

Quod hominum plerosque fallit, eisque scandalum adfert, hoc est, quod putant aliquem ideo beatum esse, quia improbus est, cum res e contra accidat: & ideo improbus sit, quia beatus. Vel Deus dispositionis hujus non est auctor, vel secus: si primum, cur illius providentiam insimulas? si alterum, hoc nonne sufficit, ut eam justissimam esse intelligas? At enim injustus est Deus, qui impiis prospera tribuit; sed ego aliter argumentor; dicendum est profecto prosperitatem magnum esse malum, quandoquidem pars est impiorum. Quid enim deterius concedere potest impiis Deus, quam prosperitatem, quæ eorum crimina fovet, & quæ maximum est æternæ illorum felicitatis impedimentum? *P. de la Colombiere in Christianis Considerationibus.*

Fateor equidem, sæpe Deum mundi sectatoribus terræ bona relinquere, verum scias, nunquam horum perfectam oblectationem illis concedere: patitur quidem eos possidere, quod quærunt, sed inde prius jucunditatem abscindit; rem quidem illis permittit, non autem cupitam felicitatem. Obtinent illi ingentes opes, dignitates insignes, molles voluptates, at nihilo secius semper sunt miseri. Neque mireris: fallax est eorum prosperitas. Videntur quidem nequissimi peccatores, versuti fœneratores, corrupti judices, publicarum pecuniarum raptores in singulos dies majorem felicitatem acquirere, & beatiores fieri; sed illos videri, dic, non esse. Hæc est personata felicitas & cortex mendax: *Bracteata felicitas*, uti Ethnicus quidam loquitur. Vir bonus non agnoscit felicitatem suam, nisi videat hos sæculi beatos re ipsa calamitosissimos esse. *Specimen Eloquentiæ Abbatis de Aubignac.*

Impiorum prosperitas est brevi duratura.

Felicitas, quæ viginti vel triginta dumtaxat permanet annos, & quæ hoc elapso tempore evanescit, & quam gravissima subsequitur miseria, invidenda non est. Talis est prosperitas impiorum; hæc præsentis vitæ terminos non prætergreditur, illi nihil secum in tumulum afferunt, &

quæ sequuntur, sunt funestissima. Hæc pompa, hic nitor, quibus septi sunt, hæc dignitatis insignia post mortem omnia evanescunt. Tunc lampas eorum extinguitur; decidunt in tenebrarum abyssum, & in nullam reditus spem inciciunt. *Auctor Anonymus*,

Deus in hominum vita prosperis miscet adversa.

Deus, qui punit eos, quos filiorum numero recipit, in hominum vita bona malis admiscet, præsertim vero in vita fidelium; & utraque temperat, ne illos inflet prosperitas, si semper constans extiterit, neque adversitas opprimat, nisi cessaverit. Etenim uti Sancti animadvertunt, difficilius est prosperitati, quam adversitati non cedere, & alterius fulgor periculosior est pondere alterius. Sæpe docti experientia vidimus eos, qui in adversis visi sunt sapientissimi, tales esse desiisse, cum Deus illos liberavit: & finem ærumnarum factum fuisse lapsus principium. *In vitis Prophetarum, vita Elisei Prophetæ*.

Facile intelligimus; quomodo qui nullam unquam in terra gustat voluptatem, omnibus mundi voluptatibus vacuus, diesque suos in egestate, & squalore ducens, vivere possit in terra, quin illi adhærescat, ibique velit permanere. Quomodo enim adhærere velit creatis rebus, quæ nullum sibi afferunt solatium, & nonnisi summam infelicitatem promittunt; cum per fidem videt, se istic esse inquilinum, & advenam, necnon in cœlis sibi paratam esse beatitudinem nulla ex parte deficientem? Non magno illi stat labore non amare illud solum, eamque regionem, ubi nihil possidet, & ubi omnia plurimum conferunt, ut ipsum miserum faciant. Hujus characteris anima in tristi hac egestatis conditione posita nullum suavius invenire potest solatium, quam sibimet dicens, hæc mea sedes non est; terra hæc mea patria non est: hic tanquam in exilio sum: quam primum in Sanctorum sedem avolabo, ubi omni deliciarum, & bonorum genere perfruar: terrena hæc omnia pereunt, firmissimæ etiam fortunæ adversitatibus, & mutationibus sunt obnoxiæ, sed infiniti thesauri, quibus in cœlo perfruar, nunquam mihi auferentur. Verum enim vero sensus hi adeo salutares locum habere nequeunt in anima bonis, & opibus circumsepta: in affluentiæ, & prosperitatis statu omnia illi adversantur, sed in adversis, & calamitatibus omnia illi favent. Heu! quam difficile est non cupere ibi semper manere, ubi omnia rident, & placent: quam difficile est non adhærere mundo, cum omnia aliquid conferunt, ut illum nobis amabilem præbeant! quam difficile est nolle tabernaculum ibi figere, ubi omnia alliciunt, & oblectant! *P. Massillon tomo 1. sermone hujus argumenti*.

Prosperitas non semper est Dei beneficium.

Cave, credas, mundi felicitatem gratiam esse, quam suis tantum amicis concedat Deus. Sæpe Deus opes, & honores concedit iratus, ubi ab ipso petuntur, eosque puniens tribuit, ut inquit Sanctus Augustinus. Te destinaverat, ut in tenebris, ac humili loco viveres, ut hac via ad gloriæ cumulum te perduceret: pertinaciter repulisti consilium, quod de te ipse conceperat, tu tibi pro libidine vitæ rationem constituisti, atque voluntatem ipsius tuæ subdere conatus es. Vim fecisti fato tuo; concedit ille tibi, quod postulas, atque in ira sua te voti damnat. Opes, honores, dignitates, ridens fortuna, prosper rerum cursus, robusta valetudo, qua diu his rebus omnibus perfruaris; hæc omnia tibi conceduntur in pœnam. *Idem*.

Prosperitas aliquando præmium est virtutum mere humanarum.

Non semper tamen ob hunc finem Dominus hæc bona tribuit, quæ humanum cor petituris terræ bonis agglutinat; ea aliquando etiam impertit tanquam præmia, atque temporales largitur opes, velut pretium virtutum aliquarum, quæ mere humanæ sunt. Sanctus Augustinus hoc accidisse testatur Romanis, qui tantam obtinuere potentiam, & gloriam in moralium virtutum suarum mercedem. Bonus es amicus, in promissionibus fidelis, integer vitæ, rectus, patriæ amore succensus, atque ad illius utilitatem, ac gloriam tuendam satis generosus: hæ omnes virtutes, quarum anima charitas non est, pro cœli acquisitione nullius sunt momenti; sed illas Dominus remuneratur in terris; cumque prorsus humanæ sint, illis præmia prorsus humana retribuit. *Idem*.

Mundi prosperitas pars esse videtur reproborum.

Jesus Christus ubique desperate videtur de illis, qui in opibus, affluentia, ac prosperitate vivunt; ubicunque occurrunt anathemata illis intentata, qui fallacibus mundi gaudiis oblectantur; in omnibus ferme sacrorum librorum paginis illi, qui vitam inter delicias ducunt, maledicto perculsi videntur; ubique audiuntur detonare fulmina in eos, qui cum sæculo lætantur: ubique leguntur promissiones, quæ ingenti solatio sunt illis, qui istic patiuntur; ubique præsentis sæculi felicitas impiis tanquam eorum hæreditas traditur: ubique cœlestis beatitudo justis promittitur, qui istic in squalore versantur; ubique legimus terræ hujus beatos jam mercedem suam recepisse, & ubique docemur regnum pusillorum, & pauperum de hoc mundo non esse. *Idem*.

Mundus nobis periculosior est, Sanctus Augustinus ait, cum ridet, quam cum persequitur, & favores illius, quibus nobis commendatur, magis metuendi sunt, quam repulsæ, quæ nos ad eum contemnendum inducunt. Et sane seu temporalem spectes prosperitatem ex ea impressione, quam efficit in corde, ut illud corrumpat, seu ex ea facilitate, qua velificatur affectibus, ubi cor jam fuerit corruptum, fateberis, salutem in rerum copia adeo difficile curari posse, ut fidelis, qui fidei lumen sequitur, omnia prosperitatis, qua fruitur, bona respicere debeat tanquam terribilia cœli flagella, & supplicia, quibus Deus iratus hominem punit.

In prosperis non desunt, qui nobis peccantibus blandiantur.

In prosperis, ac dignitatibus omnia aliquid conferunt ad cupiditates nostras fovendas: laudes, quas mortales nostræ fortunæ devoti indiscrete prodigunt nobis, adulantium caterva, qua stipati sumus norunt exaggerare minimas actiones nostras, quæ bonæ videntur, & speciosum obtendere velum illis, quæ tales non sunt, ut earum celent nequitiam. Quid dico? Malum adhuc gravius est; ad cumulum usque evasit, & excogitatur ars callida vitia ipsa probandi, & illis omnium virtutum colores allinendi. Homo ita stipatus adoratoribus, atque his laudum illecebris corruptus se mereri putat; eo quod ipsum mereri dictitant alii. *Idem*.

O quam tristes sunt prosperitatis effectus! Quandoquidem ita res se habet, Domine, & mundi pompa tot scopulis circumsepta est, linque me in humilis status mei caligine, ubi tutus sum; quoniam nitens, & magnifica mundi vita tot est impedita laqueis, averte ab ea pedes meos, ut ambulem potius in umbra status rerum omnium egeni, ubi cor meum a rebus terrenis fit magis expeditum. Hujusmodi esse debent nostræ cogitationes, & verba, ubi spectamus ea mala, quæ prosperitas parit, metuentes, ne hæc tota sit hæreditas nostra, & experientia docti in prosperis plures esse in æternum pereundi occasiones. *Idem*.

Gratia Dei vel nullum, vel modicum habet effectum in iis, qui prosperitate fruuntur.

Cum qui prosperis fruuntur, gratias recipiunt, abutuntur illis, & hæ fere semper inutiles fiunt. Sua circumsepti magnitudine, impediti, & quodammodo sepulti in pompis, & luxu afflatibus Spiritus Sancti nesciunt respondere. Quod nimium iis afficimur rebus, quæ nos palpant, parum attenti sumus voci Domini, quæ nos expeditos esse vult, & quæ in anima nimis agitata impressionem efficere nequit. In prosperis nequaquam præbemus aures Domino, neque ad illum cum humili confidentia confugimus; in adversis nosmet ad gratiam convertimus, ejusque fatemur imperium: & in adversis dumtaxat vere Christiani sumus. Manasses tunc tandem opem exposcit ex Deo patrum suorum, cum inter compedes, & vincula squalet. Adam tunc tandem oculos aperit,

et suum videat peccatum, atque nuditatem suam, quam innocentiæ tempore non cognoverat, cum audit vocem Dei ita succensi, & vocantis illum, & scit, crimen suum totum indignationis ipsius pondus in caput suum convertisse. Prodigus filius tunc tandem redit domum patris sui, a qua per effrænam licentiam recesserat, cum post insanam bonorum omnium dissipationem se pane, ciboque carentem agnoscit. Tunc solum confugimus ad Deum, non autem in prosperis, ubi omnia placent, & nihil afficit tædio. *Idem*.

Occasiones, & externa omnia plurimum conferunt, ut hominem prosperis gaudentem rebus a via salutis avertant; atque huic sunt totidem obices, quos anima vitæ molli assueta summa cum difficultate potest superare: omnia concurrunt ad alendas, fovendasque in ejus corde affectiones, eas vero potissimum, quæ sunt periculosissimæ: objecta catervatim sese omnibus illius sensibus exhibent. Infelicia fortunæ principis alicujus mancipia illius scrutantur partem infirmiorem, & nihil intentatum relinquunt, quod illi valeat velificari: spectacula, ludi, commercia, assentationes, negotia callide incœpta, & callidius ad finem perducta, nihil prætermittitur: quilibet quærit illius cor fallere, & quilibet se illud fefellisse gloriatur. Adulatores, qui illi circumstant, identidem cupiditati illius nova suggerunt objecta, ad ejusdem ardorem irritandum. Ita omnia concurrunt ad inducendam in beatos sæculi oblivionem sanctæ patriæ, ad quam toto nisu jugiter est contendendum. *Idem*.

Querimoniæ de providentia propter impiorum prosperitatem.

Hic, Domine, tua secreta consilia veneror; videns enim terrarum orbem repletum bonis, qui afflicti sunt, & impiis, qui bonis omnibus affluunt, illos in summa inopia, hos autem in copia, illos in egestate, hos in felicitate, non possum, quin obstupescam propter spectaculum, quod sapienti, justæque providentiæ tuæ adeo videtur oppositum. Cum mali divitis mensam opipare instructam video. Lazaro interim micas de mensa decidentes, sibique per crudelitatis excessum negatas petente: cum video tot insignes sceleribus homines omni bonorum, commodorum, ac deliciarum genere affluentes, tot interim justis, ac innocuis rebus omnibus, quæ ad vitam sunt necessariæ, carentibus: fateor, inquit Propheta, meos commoveri pedes, & parum abesse, quominus tuam insimulem providentiam de nimia erga impios quidem indulgentia, erga bonos vero crudelitate. Parum abest, quominus te injustitiæ redarguam. Etenim cur, mecum ipse reputo, hic homo, qui nomine tenus Christianus est, motibus vero, & actionibus Ethnicus, fruitur vita tranquilla, ac profunda pace in terris, cum interim homo vere fidelis sub ærumnarum pondere gemit, & languet? Cur diviti nequam omnia rident? Principis thesauri huic uni patent; gratiæ omnes effunduntur in illum; grando agros ejus non depopulatur, terra, cœlum, & elementa omnia aliquid conferre videntur peccatoris lætitiæ, & voluptati, cum interim vir bonus omni careat ope; & donec ille bonis omnibus diffluit, justus se videt derelictum, dejectum, ab omnibus contemptum, & sine ullius auxilio. *Idem*.

Qui terrenis bonis fruitur ad satietatem, cœlestia non cogitat.

Animum a terræ bonis avellere, & cœlestia tantummodo desiderare, sunt sensus Christiani, & salutares, qui effectum suum obtinere non possunt in corde bonis, & voluptatibus affluente; omnia illi in affluentiæ, ac prosperitatis statu adversantur, cum interim in statu afflictionis omnia illi faveant. Quomodonam omnes cordis motus intendi possunt erga Sanctorum sedem, dum inter peccatores tantum dulcedinis invenitur, & quomodo præsens hæc vita respici potest tamquam tempus exilii, cum tanta reperitur voluptatum varietas, quibus occupatur animus, & quomodo nonnisi obiter uti creaturis potest, quarum illecebræ fascinant? Ita in hoc prosperitatis statu mortales ea fruuntur animæ tranquillitate, quæ similis est tranquillitati impii Evangelici, qui postquam multa cumulaverat bona, dicebat intra se, lætare, anima mea, quiesce; habes enim opes in plurimos annos collectas. *Idem*.

Videns divitem hunc superbum, impium, magnum nihilominus, eaque fulgentem auctoritate, quam insignis illi dignitas confert. Omnia coram ipso contremiscunt, omnia illius cedunt imperiis, nihil vi cupiditatum ejus resistit. Arbiter juris, & legum, quas pro se latas non putat, evertit, opprimit, destruit, quin aliquis eidem adversari conetur. Spectaculum hoc tibi scandalum ingerit, verum ne scandalizeris. Non enim desunt providentiæ consilia reparandi ea mala, quæ impii hujus hominis infert injustitia; sed constans prosperitas, qua ipsum inter scelera frui vides, indicium est, notam illius non procul abesse. *P. Aurelianensis sermone de temporalibus pœnis peccati*.

Scelera, quæ in prosperitate committuntur, illius cursum retardant justa Dei supplicia.

Mala, quæ in terrenis quarumdam familiarum negotiis videmus, frequenter nobis ostendunt, Deum in hac etiam vita punire eos, qui acceptis bonis abutuntur. Obstupescimus nonnunquam videntes insignes quasdam domos corruere, ac repente labefactari; & causas inquirimus? Quisnam absorbere potuit tot prædiorum, tot dignitatum, tot munerum locupletissimos redditus, ac fundos? Historias consule, ac intelliges domos hasce adeo opulentas fuisse impiorum domos, eos, a quibus constitutæ fuerunt, homines fuisse omni religione vacuos, ob insanas libidines famosos, & qui in summa rerum affluentia, ac prosperitate id unum cogitarunt, quomodo in terris fortunam suam stabilem, atque certam facerent. Eorum insana vanitas, immoderata ambitio, cæca profusio, effrænis enitendi cupiditas tandem excitarunt procellas familiis magis perniciosas, quam vehementissimi aquilones; idque permisit providentia, ut intelligeremus, scelera, quibus nosmet mancipamus in rebus prosperis, esse causam, quod hæc prosperitas fluxa est, nec diuturna. *Idem*.

Error est credere nos Deo in prosperis fidelius quam in adversis famulaturos.

Næ illi quidem perperam intelligerent Christianæ disciplinæ rudimenta, qui arbitrarentur virtutem facilius, atque constantius in prosperis, quam in adversis exerceri. Si mihi minus ferendum esset, dicet aliquis, fidelius mea munera obirem; ærumnæ omnes meas occupant curas. Qui in bonis ducunt dies suos, ingratissimi profecto essent, nisi Deo inservirent, vitæ necessitates, & molestiæ illos ab illo minime avertunt; id unum cogitandum ipsis est, quomodo se ipsos sanctificent. Sed indesinenter cum incerta, ac fere desperata fortuna in angustiis, metu, laboribusque luctantes quomodo simul ad animæ nostræ sanctificationem animum appellere possumus? Argumentum fideli homine indignum! Quin consideremus, quam cum salute nostra rationem nostra habere possit fortuna, fatentur sapientes plus virtutis requiri ad eam tuendam, cum felix est, quam perferendam, cum est calamitosa; & moderationem suapte natura infrequentiorem, ac difficiliorem esse, quam patientiam. Non magna opus est constantia, ut nosmet disponamus ad eas subeundas calamitates, quas nec prævertere, neque eludere possumus; at sine magna sensuum nobilitate animum appellere nequimus ad eos contemnendos eventus, qui nostram palpant cupiditatem. *Liber, cui titulus: Considerationes in varia religionis, ac moralis argumenta*.

Bonis nequaquam incedit admiratio, ubi vident impios in terra triumphare: sciunt enim fortunæ bona esse non posse præmium virtutis, & a Deo ita contemni, ut hæc ab inimicis suis possideri permittat. Illi miseratione ducuntur calamitosorum hominum, qui hisce bonis abutuntur, ut flagitiosam ducant vitam: prævident enim terribilem ultionem, quam, futurum est, ut aliquando ex illorum ingratitudine deposcat Deus. Heu! inquiunt illi, hæ voluptates aliquando desinent, honores isti evanescent, servitus huic licentiæ suc-

succedet; hanc elationem, ac existimationem æterna excipiet ignominia. Copia, & voluptas cum nocentibus præteribunt; & hi homines impii adeo in hac vita felices, in altera erunt miserrimi. Viri boni possent melius veritatem exprimere dicentes, impios miseros esse, ex quo sunt beati; & in eorum fato, donec etiam hanc vitam vivunt, nihil calamitosius esse ipsa felicitate? *Ipsa felicitas impiorum fossa ipsorum est*; ait Sanctus Augustinus in Psalm. 93. *Idem*.

Homines in prosperis non ita felices sunt, ut existimatur.

Qui videret hos fortunæ amicos deliciis affluentes, ab omnibus in honore habitos, & quibus Deus ad aliquod tempus parcit, diceret procul dubio nihil eorum statu esse jucundius, nihilque eorum vitæ genere optatius. Sed qui illos intus, & in cute scrutari velit, videbit esse pelagus, quod temporis malacia tranquillum videtur, sed quod semper aliquam tempestatem, ac rupem suo sinu abscondit. Qui videret viam latam, qua decurrunt, quin ullum inveniant obicem, diceret nihil statu eorum esse tranquillius, nihil pacatius: sed si penitiores cordis illorum latebras rimaretur, atque in antecessum videret abyssum, quo commentitia hæc ducit dulcedo, nihil est terribilius, nihil horribilius, nihil deplorabilius. Hunc rerum omnium copia frui, honoribus cumulari, ab omnibus coli, deliciis innatare, extra omnium molestiarum jactum esse, omnibus doloribus invium, quid hoc suavius? Sed per latam hanc viam ad supplicia nullum habitura finem advolare heu timeamus, atque finem adeo terribilem remis, velisque evitemus. *P. Massillon*.

Prosperitas, & felix negotiorum eventus unice pendet a Deo.

Prosper, vel infelix rerum nostrarum exitus vulgo pendet a sexcentis peculiaribus circumstantiis, sexcentisque casibus, in quibus nullam ipsi partem habemus. Occursus, occasio, momentum, hilum, nihilum, ut videtur, sæpe vel retardavit, vel feliciter maximum quodvis opus ad finem perduxit. Certa quadam rerum coacervatione, quæ nullam intra se rationem habere videbantur, effectum est exempli gratia, ut ex duabus familiis in eodem gradu, ac loco positis altera quidem repente corruerit, altera ascenderit. Omnem hominum exere prudentiam, nunquam prænoscere poteris has circumstantias, occasiones, tempora vel adversa, vel prospera; nunquam illa vel accelerare poteris, vel amovere. Deus igitur unus est, cujus sapientia, & potentia tantæ sint, ut eminus agnoscere valeat, quid futurum est, ut paulatim illud disponat per eas vias, quæ nos latent omnino; ut ordinet, ut aptet, ut colligat tot media, quæ nonnunquam sibimet invicem adversantia videntur, ut ex illis id, quod contendit, evadat. At itane Deum adigere vultis, ut vobis faveat, ut pro vobis varios vitæ eventus disponat, ut negotiorum vestrorum cursum prosperum faciat, a cultu illius recedentes, legem ejus violantes, atque vosmet palam inimicos ipsius profitentes? *P. Giroust sermone de humana prosperitate tomo 3. Quadragesimæ*.

Dei justitia aliquando evertit domos, quæ per injustitias crevere.

Obstupescimus, cum opulentas, affluentesque bonis omnibus domos repente corruere, atque unius, ut ita dicam, diei spatio dissipari videmus. Earum ruina conterit creditores, ac hæredes, qui in nullam reditus spem intereunt. Illis ipsis, quorum nulla res agitur, stupor incedit, & ultro, citroque sciscitantur, quanam via tanta bona adeo celeriter abire potuerint? Hoc Dei fulmen est ultionem petentis ex patre fœnore, concussionibus, atque injustitiis locupletato. Hic tot calamitosorum sanguine fuerat saginatus, omnia in urbe, ac provincia deglutiverat; sed juxta emphatica Jobi verba, Deus facit, ut evomat omnia: *Divitias, quas devoravit, & de ventre illius extrahet eas Deus*. Job 20. Vobiscum, o Fideles, reputate, ac in mentem accersite, quidquid hac in re nostis... Non satis intelligitur: sed hoc Dei fulmen est, quod evertit prosperitatem familiarum, quæ per nefas ad fortunæ apicem ascenderunt. *Idem*.

Quare via impiorum prosperatur, interrogat Jeremias Propheta cap. 12. alloquens Deum? Vias tuas, Domine, relinquunt, leges tuas contemnunt, insontem opprimunt, pupillum, ac viduam diripiunt, nullum intentatum relinquunt scelus, ut in mundo niteant; & re ipsa nitent, constantique felicitate fruuntur. Cur hoc? *Quare via impiorum prosperatur*? si hoc ex me quæritis, Auditores, non deest, unde vobis faciam satis. Etenim ipse ex vobis vicissim quæro; quid per assertam hanc prosperitatem intelligitis? Intelligimus, dicetis, peccatores in terra beatos esse, ita ut bona omnia in eorum sinum confluere, mala omnia eos fugere videantur. Si ex specie externa judicium ferendum est, illi nihil patiuntur, communibus miseriis obnoxii non sunt, in luxu, rerumque omnium affluentia vitam traducunt. Scio equidem, fratres, externam speciem felicitatis eorum esse testem: sed externæ speciei non semper fides est habenda..... Etenim quo tandem fallax hæc evadit felicitas, qua homines ita inebriantur, & quæ nostros oculos allicit? in æternam damnationem. Heu aliquidne ultra requiritur præter hoc unum verbum; si rite meditemur illud, ut cor nostrum avellat a rebus omnibus, quæ mundi prosperitas appellantur, & ut eorum illusionem intelligamus? *Idem*.

In prosperis magnæ fidei veritates, magna objecta, quæ nobis illa proponit, puta, vitæ alterius bona, Sanctorum felicitas, suavitas, quæ in Dei cultu percipitur, virtutis beatitudo, nos ne afficiunt quidem; etenim sensus omnem hominis attentionem exhauriunt, eumque imparem reddunt, quominus invisibilia cogitet bona, & multo minus diligat illa. Quomodo enim error auferri potest homini ebrio fortuna, ac omnia sub auctoritate sua tremere inspicienti? Quidquid aliis accidit, eorum calamitas illum erudire non potest: immo videtur eidem novas afferre vires, ut crescat; atque se ipsum tanquam ab omni infortunio cernens immunem dicit id, quod impium dicentem inducit Propheta Psalm. 29. *Dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*...... Adde his prosperitatem, instar lenti, occultique veneni paulatim in cor ipsum obrepere, ac sensim animas optime natas corrumpere, secretamque inspirare superbiam, efficere hominem imperiosum, superbum, contemptorem, prout illum alienæ subtrahit potestati; illum denique in luxum, & mollitiem conjicere, eique omnimodam Dei oblivionem immittere. *In specimine sermonum pro Adventu, sermone pro 2. Dominica*.

Prosperitas inflat homines, eosque superbos facit.

Peccatores beati, atque florentes vulgo se ipsos tanquam fortunæ suæ auctores respiciunt, suamque temporalem felicitatem veluti opus suum considerant, dexteritati suæ referunt acceptas opes, quas adepti sunt, honores, ad quos pervenerunt, atque sibimet clanculum plaudentes dicunt, nos ipsi, non Dominus, hæc fecimus: *Manus nostra fecit hæc*. Hic autem cordis tumor est mors spiritualis, qua illos percutit Deus, ut Sanctus Augustinus in Psalm. 38. inquit, etenim per superbiam, qua inflantur, amittunt gratiam, qua vivebant: *Superbia, qua intumescunt, amittunt gratiam, qua vivunt*. Inebriantur sua prosperitate, magnitudine, opibus, voluptatibus, & in hac infelici ebrietate amittunt memoriam Dei, & salutis suæ, ac ad præsentis dumtaxat vitæ delicias gustandas incumbunt. Sibi persuadent, honorem, qui sibi defertur, tributum esse meritis suis debitum, & recipiunt thus, quod sibi adoletur, cujus fumo perstringuntur, ne amplius se ipsos agnoscant. *Sermones iidem pro secunda Quadragesimæ Dominica*.

Prosperitas excæcat peccatores.

Cæcitas est ferme individua prosperitatis comes; cum aliquis se putat esse certum temporalium bonorum dominum, quorum gustat possessionem, negligit perquisitionem bonorum æternorum, quorum levem dumtaxat imaginem fides nobis tribuit. Cor, quod corrumpitur in otio, & mollitie, men-

menti semper tenebras offundit, velut ii loci, Sanctus Chrysostomus inquit, ubi stagnantes, corruptæque putrescunt aquæ, ex quibus tetri exhalant vapores, qui suam improbitatem, ac mephitim aeri ambienti communicant. Hinc Propheta impium felicem, atque florentem nobis exhibet tanquam cæcum, cui Deus aufert cogitationem judiciorum suorum, vel qui ex se eorum memoriam amittit per infidelitatem gratiæ, quæ ea in tritum ipsi repræsentat inter fulgorem illum, quo amictus est. *Auferuntur judicia tua a facie ejus*, Psalm. 9. Itaut felicitatem suam inconcussis inniti putans fundamentis, in superbia cordis sui dicat: *Non movebor a generatione in generationem*. Psalm. 10. Etenim quamvis ambigere nequeat, quominus hoc fictitium ædificium cum corpore quo sustinetur, lapsurum sit in sepulchrum, tamen respicit mortem tanquam eminus sepositam, quæ res omnes inanes fovet spes illius. *Ibidem in Domin. 3. post Pascha.*

Quam periculosus sit status prosperitatis.

Nullus periculosior status est, quam prosperitatis; illum enim fere sequitur oblivio Dei, & homo sæpe Creatoris sui beneficiis abutitur eundem læsurus. Re ipsa videmus divites divitias suas in scelerum suorum instrumenta convertere, ut seducant innocentiam, ut conjugiorum fidem frangant, ut pacem familiarum perturbent. Videmus principes viros generis, & dignitatis suæ auctoritate abuti, ut opprimant infirmos, ut persequantur justos, ut calumnientur innocentes, ut ab hominibus inanes referant honores, ut spectentur, & veluti mundi idola colantur. Videmus scientiam, vim, valetudinem, aliaque corporis, fortunæque bona per ingratitudinis monstrum plurimorum scelerum causas fieri. Ita fides nobis potissimum est necessaria in prosperis, ut Deum spectemus veluti auctorem honorum, dignitatum, opum, aliorumque bonorum temporalium, ut hæc ab eodem accepta per sanctos usus ad cultum, & gloriam ipsius referamus. *Idem sermone pro 13. post Pentecosten Dominica.*

Nullibi magis fide opus est, quam in prosperis.

Si raro accidit, ut videamus fidem de humanis adversitatibus, ærumnisque victricem, prodigium ferme est in religione invenire fidem, quæ vanitatum, voluptatum, honorumque sæculi illusionibus infirmata non sit. Et sane fidei est, nos supra sensus, omniaque visibilia bona attollere, ut æternis, atque invisibilibus bonis, quæ nobis proponit, adhæreamus. Hæc autem elevatio, atque, ut ita dicam, hæc animæ translatio in Deum in adversis longe facilior est; cor enim circum se tristia tantum inveniens objecta, quibus adhærescere nequit, sponte veluti sua ad infinitam sese transfert beatitudinem, quam illi exhibet fides. Hoc in prosperis non usuvenit; dignitatum fulgor, voluptatum suavitas, divitiarum commoda dolosas habent illecebras, quæ nobis ostendentes mundum cum iis, quæ in ipso jucundissima, atque suavissima sunt, efficit simul, ut spes a fide proposita quædam veluti chimera habeatur. Ita qui prospero rerum cursu fruuntur, tenentur sæpe elicere actus fidei in florentissimo statu, in quo sunt, ut veritatis hujus considerationes periculosis illusionibus, quibus septi sunt, opponant. *Ibidem pro Dominica 20. post Pentecosten.*

Si terrenæ prosperitatis proprium est animas etiam corrumpere, quæ nativitatis jure supra cæteras eminent, multo magis eas corrumpere possunt, quæ per industriam se ipsas efferunt. Si enim difficile est non perstringi ejus prosperitatis fulgore, quem avitum domi nostræ invenimus; quid erit cum ex obscuræ domus caligine egressi repente tanta in luce coruscare nosmetipsos videmus? Si ea in sublimitate vertigine laborant illi, quos ad eamdem natura disposuit; quanto magis metuendum est illis, qui per injustas vias sese eo provexere? Cæterum (eaque Sancti Augustini sententia est) nihil impuni prosperitate perniciosius est. Tunc credimus quocumque pretio illam esse tuendam, ingenii vires ad id exerendas, ac fortunam eo proferendam, ut longius nequeat. Nobismet ob patrata scelera plaudimus, atque ad recentia audacter adjicimus animum. Nobismet cum illo calamitoso, de quo loquitur Scriptura, dicimus: peccavi, officii, ac religionis meæ terminos prætergressus sum: verum quid inde? quid ideo mihi accidit triste? nunquid pessum iverunt res meæ? cur ergo dolendum? *Ex morali dictionario sermone 2. de ambitione.*

Prosperitas sæpe indicio est nos a Deo derelictos esse.

Patrum omnium sententia est, peccatoribus nullum magis metuendum esse malum ea prosperitate, qua fruuntur. Hæc bona, hæc valetudo, hic prosper rerum eventus, qui illis soporem immittunt, & in peccatis indurant, argumento sunt illos deseri a Deo, qui eorum curam non gerit amplius, & qui omnem criminum ipsorum punitionem in infelicem æternitatem reservat. *Væ vobis, qui habetis consolationem vestram*, Salvator ait Luc. 6. Hoc illud omne est, quod sperare potestis; væ vobis, nisi eo severius in vosmetipsos animadverteritis, quo lenius vobis peperci, vobisque locum præbui metuendi integram severitatem justitiæ, quæ vos non punit, sed quæ omnes colligit iras suas, ut acrius in vos animadvertat..... Hoc profecto est ex validissimis argumentis, quibus utimur probaturi, Deum punire peccatores post mortem, si moriantur, quin egerint pœnitentiam. *P. Heliodorus Parisiensis Capuccinus, serm. 3. de voluptatibus.*

Dei consilium in impiorum prosperitate.

Nihil in mundo vulgatius est hac querela, bonorum videlicet conditionem admodum esse deplorabilem; eos æque, vel etiam magis exagitari, quam malos: prosperitatem, atque tranquillitatem quæ virtutis esse deberent privilegia, passim iniquitatis, & injustitiæ partem esse, atque instrumentum, ac tandem justos, & peccatores simul permixtos iisdem malis obnoxios esse, perinde ac iisdem adstricti essent criminibus. Cogitatio hæc impios contra Deum commovit, eosque redegit, ut vel de justitia illius dubitarent, si providentiam confitebantur, vel providentiam negarent, ut illius justitiam defenderent. Sancti nonnumquam commoti fuerunt, & ipse etiam regius Propheta sentiens Dei manum, quæ super ipsum calamitatum, ærumnarumque accessione gravior fiebat, vidensque pacem, & tranquillitatem peccatorum fatetur se zelo simul, indignatione, ac stupore correptum fuisse, donec in sanctuarium Domini ingressus est, ut ibi secretas detegeret causas ejus dispensationis, quæ illi adeo abhorrens videbatur. Sed consilia Dei longe distant a consiliis hominum. Cum nefarios homines prospero rerum cursu frui sinit, ideo sinit, ut vel beneficiis commoveantur, si quid grati animi sensus in illis superest; vel ut imperfectas virtutes aliquas eorum fluxis felicitatibus remuneretur; vel ut eos sibimetipsis relinquat, ac cupiditatibus ipsorum tradat velut ægrotos, de quorum valetudine actum est, & quibus permittitur, quidquid petunt; vel ut ostendat quam parvo a sapientibus æstimanda sint bona, quæ Deus ipsis etiam suis concedit inimicis. E contra vero cum illos affligit, id agit vel ut ostendat odium, quo peccatum persequitur, flagitiosos homines suppliciorum exemplo coercens; vel ut invitos pœna revocet in ordinem, in quem voluntaria pœnitentia sese redigere noluerunt; vel ut significet illis se Dominum esse, alios quidem severissime puniens, alios quadam impunitatis specie gaudere permittens, ne, si neminem puniret, crederet aliquis, ipsum humana hæc vel non videre, vel non moderari; vel ne, si puniret omnes, crederetur nihil ille sibi judicandum reservare in extremum diem; ac nihil reliquum esse, quod post hanc vitam improbi patiantur. Ita S. Augustinus argumentatur. *Flechier sermone de tribulationibus.*

Si cordis humani sinus scrutamur, ut illius exploremus consilia, hoc satis est, ut nobismet persuadeamus; maximam prosperitatem æquivocam esse notam felicitatis etiam terrenæ illius, qui eadem

perfruitur: tunc enim videbimus, hunc hominem, qui nobis beatus videtur, chimericis sese mancipare ideis, ob nugas turbari fallaci nuncio concuti, semper metu agitari; felicitatem suam constituere in spe boni illius, quod minime possidet; integros annos traducere inter curas, mœroresque, ut illud possideat, & postmodum, ubi illud fuerit assecutus, contemnere. Nos illum videbimus ita bona, honores, ac voluptates sitientem, ut quo plura possideat, eo plura possidere desideret, respiciens quod supra se est, statim ac pervenerit illuc, non amplius veluti terminum, sed tanquam transitum; atque hoc pacto per ipsam felicitatis ipsius speciem veram illis infelicitatem videbimus. Testis est Salumon, qui supernaturali scientia illustratus, quam a Deo petierat, protulit hoc oraculum Sapientissimo mortalium omnium dignissimum: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Eccli. 1. *Abbas de Monmarel in Dominica quarta post Epiphaniam*.

In prosperis eque ac in adversis Deo benedicere debemus.

Cum Deus nos aliqua affligit calamitate, quia Dei digitum agnoscamus, eventum hunc respicimus tanquam fortuitum, vel cæcam insimulamus fortunam, quæ temere, & inconsiderate percutit; neque attendimus, quod ne unus quidem de capite nostro decidit prius sine cognitione providentiæ sapientissimæ, quæ omnia ad electorum bonum, atque utilitatem permittit. E contra si omnia nobis e voto cedunt, si bonis diffluimus, si aliquid gloriosum nobis accidit, libenter ibi agnoscimus justi numinis opus; & tantum abest, quod tunc de propria diffidamus infirmitate ad adspectum dignitatis, quæ longe vires nostras excedit, ut non dubitemus, quominus nobis necessarium meritum adsit, ut eo perfungamur munere, in quo nos ab eadem providentia constitui censemus. Hinc nonnulli facile Dominum in calamitatibus ignorant, & in prosperis confitentur; quamvis utrorumque arbitrium sit penes illum, & nihil sine illius accidat jussu. *Idem Homilia in 4. Quadragesima Dominicam*.

Prosperitas naturaliter producit otia.

Omnes percurrite conditiones, nullam magis otiosam, inutilemque invenietis, quam eorum hominum, qui prosperis gaudent, earumque mulierum, quæ sua habent commoda, & omnibus vitæ hujus deliciis fruuntur. Operi vacant artifices, & totos dies occupati sunt; agricolæ frontis sudoribus sibi comparant victum; mercatores suis inhærent negotiis; at qui in prosperitate versatur, nescit quomodo tempus traducere possit; ludat opus est, iter instituat, solatiis indulgeat. David pastor dies noctesque suo pecori invigilat; David miles ducit exercitum, ac Philistæos delet occidione; at illene ab hujusmodi laboriosis conditionibus ad tranquilliorem statum gradum facit? prospero gaudet rerum cursu, omnibusque negotiis vacuus est? otium illi soporem immittit, atque solatia, & oblectamenta consectatur eo tempore, quo alii in aciem descendere consueverunt: *Quo tempore reges solent ad bella procedere. Joly propositione de mundana prosperitate pro quinta post Epiphaniam Dominica*.

Permittit Deus impios prosperis frui rebus, ut hos miseros inexcusabiles faciat. Vobis concessi, dicet aliquando, quidquid optabatis; vos magnos feci, divites, potentes, ut hæc beneficia locum vobis præberent amandi me, ac servandi præcepta mea; vos autem adeo ingrati fuistis, ut illis abuteremini, ut me contumelia afficeretis. Hæc vobis contuli bona, non ut luxum, otiumque vestrum foverem, sed ut vos impellerem ad æterna acquirenda bona per fidelem legis meæ observantiam; vos autem illis usi estis, ut vosmetipsos corrumperetis. Quid his respondere potestis, & utinam præterquam vobismetipsis hoc malum acceptum referre potestis. *Idem*.

In prosperitate jugiter de justicia Dei nobis metuendum est.

In hoc prosperitatis statu, prætterquamquod jugiter de nobismetipsis diffidere debemus, debemus quoque in jugi Dei timore versari. Omnia mihi fluunt e sententia, perfecta valetudine fruor, nihil mihi resistit, facio, quæcumque volo; verum heu! nunquid me Domine repulisti a facie tua, nunquid tibi causam tribui, ut omnem de me curam abjiceres? O Deus misericordiæ, & bonitatis; nolo hanc misericordiam, quæ pravis cupiditatibus meis non adversatur. Affige hanc valetudinem, qua usus sum, ut te læderem, adsperge salutari amaritudine eas voluptates, quæ me inimicum tuum effecerunt; deprime hanc vanitatem, & fastum, qui mihi omnem Christianæ humilitatis sensum abstulerunt. *Idem*.

Quam varie Deus cum Herode, & S. Jo: Baptista se gesserit.

Quis non mirabitur videns Herodem in solio vitæ hujus deliciis, ac bonorum affluentia innatantem quamvis incestus, ac improbus sit, cum interim Joannes Baptista Prophetarum omnium maximus, atque sanctissimus inter compedes, & vincula in obscuro carcere languet? Heu Domine! Quot ob miram hanc bonorum, malorumque vitæ hujus distributionem in dubium providentiam tuam revocabunt! Quonam abierunt frequentes illæ, magnificæque promissiones, quibus bonis te fauturum esse recepisti! Quis credidisset futurum, ut derelinqueres mortalium omnium justissimum, omniumque prædicatorum ardentissimum ultioni impudicæ mulieris, ac incesti Principis potestati? Hæccine agendi ratio est satis apta, ut ministros ad gloriam tuam procurandam, & legum tuarum profanatores corripiendos adigas? Nonne metuendum potius est, ne fortissimi cujuscumque animus corruat, & ne zelus intepescat, ubi exilium, carcer, mors fidelium servorum tuorum pars esse deprehendatur? Hi erant Ethnicorum sensus, cum videbant cognatos, amicosque suos honoribus bonisque exutos, ferreis catenis obrutos, ac sævissimis damnatos suppliciis, ex quo in Jesu Christi sacra transierant. Verum avertat Deus, nos, qui alios habemus oculos, quam infideles illi, eosdem sensus habere. Docet fides, si bona, ac mala vitæ hujus indiscriminatim justis accidunt, & impiis, Divinam providentiam in altera vita bonis præparasse ea bona, quorum improbi exortes erunt, ac malis etiam destinasse pœnas, a quibus justi erunt immunes. *La Font in continuatione discursuum Ecclesiasticorum pro secunda Adventus Dominica*.

Divina justitiæ effectus est in hac vita permittere, ut peccator impura prosperitate fruatur.

Ecce impium, qui Deum irritavit nequissimis criminibus, quæ contra gloriam illius fingi possint: hic Dei patientiam fatigavit, atque scelerum suorum enormitate sibi omnipotentis iram conflavit. Quam inde ultionem repetet Deus? Putatisne illum amaritudine omnia ejus gaudia adspersurum? insanabili morbo eum percussurum? existimationem, & bona illius perditurum? omnia ejus consilia eversurum, eumque de summo magnitudinis, ac felicitatis cumulo, quo per dolos, atque injustitias ascenderet, deturbaturum? Ita sane, si illius misereretur, si illum convertere vellet, si misericordia erga ipsum uti vellet; sed quod ulcisci vult tot sibi illatas contumelias, has impunes relinquet, ut severius in auctorem animadvertat: *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret*. Sinet hunc per fas, & nefas divitias congerere; sinet hunc mundi gaudiis, & voluptatibus inebriari; tradet hunc corruptioni cordis ipsius; sinet hunc fallaci prosperitate saginari tanquam victimam brevi justæ vindictæ suæ immolandam. *Idem*.

Donec Deus peccatorem in hac vita punit, pravis consiliis ejus resistit, vias ejus spinis obstruit, ut quidam loquitur Propheta, aliquam illi calamitatem immittit, indicio est, ipsum nondum paternam erga ipsum abjecisse benevolentiam, & velle adhuc illum excitare e somno, in quo alte demersus est, eumque a sceleribus, & flagitiis avocare. Sed postquam Deus inutili labore omnes sui amoris artes exercuit, amovetne ultricem manum suam a peccatore? scelera ejus impunita relinquit? patitur nequissima ejus consilia e voto cedere? finit illum pro libidine terræ voluptatibus

inebria-

inebriari, quin illis aliquam admisceat amaritudinem? hoc certissimum est, quod haberi possit, æternæ reprobationis illius argumentum. Non potest Deus modo magis terribili in peccatorem suam in hac vita exercere iracundiam. *Idem.*

Ex impiorum prosperitate sumenda non est occasio obmurmurandi contra providentiam.

Cave, ut impiorum prosperitatem spectes veluti causam dubitandi de providentia; nihil enim efficit, ut magis enitescat: cave, ne invideas magnis his peccatoribus, qui per nefas opes congessere: *Noli æmulari*, Regius inquit Propheta Psal. 143. *in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.* Infideles, quibus fidei lumen non affulget, eorum prosperitatem, pacemque fallacem respiciant tamquam cœli donum, & criminum impunitatem; illos credant beatos, ubi eos vident vitæ hujus deliciis innare, gloria, & divitiis cumulatos, atque nominis sui timorem omnibus injicientes: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Nos vero si luminibus fidei judicamus, non secundum judicium, quod de illis in mundo fit, sed secundum magnitudinem criminum, quibus Dominum irritarunt, numquam credemus impios beatos esse in ipso fortunæ ipsorum cumulo; miserebimur potius insignis eorum prosperitatis, quam illi invideamus; ac terrenam eorum in hac vita impunitatem spectabimus veluti funestum æternæ reprobationis eorum, atque severissimæ in altera vita damnationis præsagium. *Idem.*

Ad quemcumque magnitudinis cumulum impii evecti sint, quantumvis omnia illis cedant e sententia, quantumvis in criminibus suis impunes esse videantur, quin eorum statui invideamus, misereamur potius eorum, & fallacis hujus prosperitatis, quæ illos execæcat, perdit, & ad æternam damnationem adducit. Cum S. Paulino dicamus; absit, Domine, ne hoc in mundo simus participes sortis beatorum sæculi, a qua longe diversam in altera præstolamur. Ne permittas, nos aliquam habere cum illis societatem in bonis, atque voluptatibus, quoniam in sæculo futuro ab illis in æternum separandos esse speramus. *Quid mihi cum horum societate commercium sit, cum quorum sorte discretio est? Idem.*

Non semper permittit Deus, ut impii prospero rerum cursu fruantur.

Nonne docet experientia, ubi aliquis per nefas se cupit attollere, atque illegitimis rationibus locupletari, si ad tempus aliquod prospero gaudet rerum cursu, Deum tandem permittere, ut lapsus eo gravior, ac perniciosior sit, quo ex altiori ille decidit gradu? Inania, & ambitiosa fovistis consilia familiam opibus augendi, filios attollendi; & postquam aliquantisper omnia e sententia fluere conspexistis, jam pauperiores estis, abjectiores, magisque contempti, quam antea. Neque id accidit ob industriæ, & laboris defectum, ad id enim nullum non movistis lapidem: *Seminastis multum, & intulistis parum.* Aggæi 1. Seminastis multum, fortasse manu utraque accepistis, sacrum, profanumque nullo in discrimine habuistis; nullum fœnus est, nulla fraus, nulla versutia, quibus usi non sitis, ut opes congereretis. Id autem non permisit Deus, & fortasse misericordi consilio, ut vosmet colligeretis, & ne per prosperitatem constantem in interitum rueretis. Ille non solum fortunam vestram evertit, verum etiam ad turpem redegit paupertatem: ecce jam impliciti estis ea lite, quæ excidium vestrum perficiet. Ostendere voluit Deus in persona vestra, non semper felicitatem per scelus acquiri, & novit ille, quo pacto de gradu dejicere possit eos, qui contra providentiæ suæ decreta se attollunt. *Auctor Anonymus.*

Si bonis, honoribus, mundi felicitate fruimur, verbo, si in prosperitate versamur, ne illis adhæreamus, & ne ideo gloriemur, satis est animadvertere, nos non diu illis gavisuros, & omnia bona, quæ nobis elabuntur, vel ex se intereunt, nobis quodammodo dicere muta quidem, sed quæ intelligi potest, voce, hæc Prophetæ verba: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psalm. 61. Ita forma hæc, quæ excidit, & quæ mulieris hujus idolum est; familiaritas hæc, quæ incipit extingui, & in qua homo ille omnem voluptatem suam constituit, valetudo hæc, quæ infirmatur; auctoritas, quæ nutat; existimatio, quæ atteritur; honores, qui evanescunt; hæc omnia naturæ, fortunæque bona, quæ tempus paulatim aufert, hæc nobis recinunt verba: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Sapiens nobis persuadere cupiens, quemadmodum ipsi persuasum erat, de pernicitate, qua *præterit figura hujus mundi*, quin ne ullum quidem horum fallacium bonorum vestigium relinquat, quæ tantopere consectamur, plurimas congerit similitudines æque significantes ac solidas, dicens ea præterire velut umbram, vel tamquam cursorem crebro anhelitu festinantem, vel navis instar agitatos fluctus magna celeritate secantis, vel sicut avem per aera volantem, quin deprehendi possit locus, per quem transiit. *De Monmorel Homil. in Domin. 3. post Pascha.*

Hypocrisi hominis secundum mundum beati.

Felicem esse secundum mundum non semper est felicem esse secundum Deum. Prosperitas stagnis simillima est, quæ ex teterrimo aquæ pacatæ imo atros emittunt vapores, & circumfusum aerem obscurum simul, & insalubrem efficiunt. Qui prospera ebrius est fortuna, cæcus est, qui numquam ob oculos habet Deum: terræ hujus adipe repletus ros cœli contemnit: iis vacans, quæ sunt contemptibilia, negligit, quæ sunt æterna; gaudens beneficio, quin benefactorem adspiciat, nocens impune, quin cogitet sibi judicem esse, delet ex animo molestas omnes imagines, quæ ipsum in officio continere possent; possidens opes, quin nihilum earum agnoscat, dicit intra se, nulla re unquam commoveri se posse; non aliam habet voluntatis suæ regulam, quam ipsam voluntatem: credit sibi licere, quodcumque lubet, & quidquid suam palpat ambitionem, sibi deberi. Sibi veluti legem irrogat suis satisfaciendi cupiditatibus, atque suis voluptatibus perfruendi. Terribilis status! Infelix christiani hominis status! *Auctor Actionum christianarum in Panegyrico Sanctæ Elisabeth.*

Prosperitas nullius est subsidii ad virtutem acquirendam.

S. Chrysostomi sententia est, prosperitatem nihil homini prodesse ad virtutem comparandam. Hæc tamen paradoxum sapere videtur; qui enim sibi victum quotidie comparare non debet, & qui nulla turbatur calamitate, hic videretur oculos semper in cœlum elatos habere debere ad gratias agendas dexteræ, quæ in ipsum tot gratias effundit; omnisque ejus cura in eo collocanda, ut virtutes excoleret, atque in omni bonorum operum genere sese exerceret. Sed oppositum docet experientia. Preces non alias effundit, quam Pharisæi precibus similes; si illum audis loquentem, Deus illi debere videtur; cumque omni bonorum genere diffluat, nihil a Deo petit. Sensuum voluptates, quibus se mancipat, non sinunt ipsum mentem ad æternarum rerum cogitationem attollere, & quemadmodum opes, quæ de terra prodierunt, semper ad originem suam feruntur; qui his onustus est, terrestres tantummodo, & christiano homine indignas fovet cogitationes. Cujus rei probatissimum si quæratur argumentum, satis est meminisse, quid populo Israel in deserto contigerit. Hic nupertime ex Ægypto erat egressus, ubi laboribus obruebatur, & vix tantum habebat frugum, quantum ad vitam protrahendam satis esset. Gravissima tamen ejus necessitas, & maximus labor non æque illum dolore afficiebat, quam quod spatium sibi non relinquebatur, quo Deo vota nuncuparet. Hæc maxima erat servitutis ejus pœna, hic dolor præcipuus, & licet inter idola versaretur, illa nihilominus execrabatur. Tandem aliquando misericordia ductus Deus illum de infelici regione eduxit, atque in amœnissimam adduxit solitudinem, ubi nulla re turbabatur. Totum illi tempus vacabat; atque ne a laudabili consilio averteretur, quo Deo uni vacare velle videbatur, Dei providentia œconomi instar omnibus ejus consuluit necessitatibus. Non tenebantur

Israe-

Israelitæ agros excolere, ut fruges meterent, quibus vescerentur. Angeli quodammodo eorum erant promicondi, & quotidie cœlestem illi mannam demittebant. Neque has dapes vel præparare, vel condire tenebantur, quippe non deerat mannæ quilibet gustus quarumcumque epularum. Vestes illorum usu non atterebantur, morbi procul aberant: & hæc miracula totidem erant veluti præcones indesinenter clamantes in cœlo Deum esse, qui omnem cultum eorum merebatur. Attamen numquam magis impii fuerunt, neque Deum umquam adeo contempserunt. Coegerunt Aaronem, ut sibi conflaret Deos iis similes, quos viderant in Ægypto; & quamvis ille nullum non moverit lapidem, ut eos ab impio facinore deterreret, pati debuit, ut illi aureum conflarent vitulum, quem in triumphi morem quocumque circumtulerunt ab omnibus adorandum, ubique recinentes: Israel ecce Deos, quibus debes libertatem tuam; ecce illos, qui de servitutis jugo te eripuerunt. Verum quidnam adeo miram in populo peperit mutationem, ut adeo perniciosum consilium iniret? Ille nimia fruebatur abundantia, & prosperitate. Hoc illum perdidit, eumque impulit in nefarias abominationes, quas, dum opprimeretur, perhorrescebat. Sed prospero rerum cursu frui, & virtute præditum esse duo sunt æque rara in terra, ac in cœlo sunt inseparabilia. *Pater Cordier in familia sancta tomo 3. cap. 16. §. 8.*

Difficile est terrenis non inhærere bonis in prosperitate.

Si honorum hujus mundi contemptus maxime difficilis est homini, quam longe difficilior erit ea possidenti, utilitatem, ac existimationem ex illis recipienti, quippe earum rerum copia perfruitur, quæ ab hominibus cupidissime conquiruntur? Magnum habeat in semet imperium oportet eo in statu, qui adeo felix videtur, ita ut cordi suo non permittat sibi complacere. Asserere videtur Sanctus Augustinus, majorem esse virtutem animum ab omni cupiditate vacuum, ac rerum cœlestium amorem in prosperitate, ac temporalium bonorum affluentia tueri, quam in infortuniis constantem esse, atque patientem. Qui, ait ille, in prosperitate incorruptibilis permanet, in calamitatibus erit inconcussus; difficilius enim est nimio amore non prosequi præsentem felicitatem, quam dolorem inhibere ob jacturam illius, cum illam non possidentes amplius, eam in idea tantum, & veluti remotissimam consideramus. *Ex libro, cui titulus: Sapientia christiana cap. 10. veritate decima.*

Abundantiæ tempus conversioni peccatoris aptum non est.

Dies secundum mundum felices non sunt dies conversionis; atque tempus prosperitatis non est tempus pœnitentiæ. Saluberrima quæque consilia, patheticæ exhortationes, lectionis piæ, gravissimæque considerationes tunc raro cor ipsum commovent. Honores fascinant, affluentia excæcat, vitæ in deliciis transactæ suavitas inebriat. Volui hæc omnia dissipare vestigia, dicit Deus per Prophetam, atque te ab erroribus tuis avocavi: *Locutus sum ad te in abundantia tua*. Jerem. 2. Tecum locutus sum, cum omnia tibi arriderent, & cum bonorum omnium copia difflueres: *Et dixisti non audiam*, & voci meæ aures tuas obstruxisti. *Pater Croiset tomo 2. Spiritualium Considerationum.*

In prosperis Dei beneficia non ita facile cognoscuntur.

Vidi insaniam eorum, Dominus inquit de his sæculi beatis loquens, & perhorrui: *Vidi fatuitatem*. Num illos nutriebam adipe terræ, ut cœli bona contemnerent? Nonne ego bonorum omnium Dominus sum, atque distributor? Eo quod bonis cumulati fuerant, num ideo minus grati esse debebant; & quod erant ditiores, debebant ideo minus esse fideles? Heu! inanes has dulcedines excipiet amaritudo nullum finem habitura: *Ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle*. Jerem. 25. Felix pœna, si fatalis prosperitas non eamdem haberet cum vita diuturnitatem. Calamitas, infortunium, quod ante mortem accidit, plerumque maximum est salutis præsidium: sed digiti mundum amanti nihil tam metuendum est, quam ne felix sit usque in extremum vitæ suæ diem. *Idem.*

Cæca mundi sapientia sæpe de providentia conqueritur ob inæqualem bonorum hujus mundi divisionem, quæ injusta mortalibus videtur. Boni etiam nonnumquam cum Sancto Rege Propheta conquesti sunt: *Mei autem pene moti sunt pedes, pacem peccatorum videns*. Psam. 72. Qui infirmiores sunt, atque in virtute parum solidati scandalum patiuntur, & conqueruntur; impii vero sua sorte contenti sibi plaudunt, quod mundum Deo prætulerunt, qui cruces tantum, atque ærumnas videtur promittere fidelibus servis suis. O cæca mundi prudentia, quam parum vias Domini calles! quam parum falsa a veris bonis dignoscere nosti! quam male tenes id, quod ad veram felicitatem magis conducit! Etenim audacter dicere possumus hæc bonorum genera, in quibus improbi suam constituunt felicitatem, bona esse, quæ Deus illis in hac vita concedit iratus. *Auctor sermonum in omnia Ethica christianæ documenta Dominica 3. post Pascha.*

Infortunium aliquod nostram sæpe turbat prosperitatem.

Neque putes eos, qui beati, ac prospero rerum cursu frui videntur, semper ab omnibus immunes esse infortuniis: adversæ satis est fortunæ flatus creditor nimis urgens, ærumna aliqua, ut illos prosternat. Statimac novum hoc ædificium super aliorum plurimorum ruinis extructum labascere intelligitur, quæ illico fervet ira, quot repente irruunt mortales, licet rem suam vel modice illic agi putent? Amicitia omni excidit jure suo, ex quo amicus nostra aufert bona; nulla auditur affinitas, & sola consideratur jactura. Ubi primum innotuerit res tuas deficere, ipsi etiam necessarii tui insurgent in te, ut te mordeant, atque discerpant, ut loquitur Habacuc cap. 2. *Numquid non repente consurgent, qui mordeant te?* Mutatur fortuna tua, rerum omnium facies mutatur. Frustra ostendere niteris non malam fidem, neque imprudentiam hanc tibi conflasse calamitatem: quotusquisque creditor infortunii tui miserebitur? Dolent vicem tuam, quia illis officit casus tuus. Cognatio, necessitudo, amicitia, omnia cedunt cupiditati: *Suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis*. In jus vocaberis, sexcenti diem tibi dicent, singulis partem ad se trahere conantibus reliquiarum fortunæ tuæ. Postquam omnia tuæ cupiditati concesseris, omnia alienæ reddere debebis, atque ipse *eris in rapinam eis*. O dignam avaritiæ, & immodicæ ambitionis sortem! Paucæ sunt non vulgares opum congerendarum viæ, quæ feliciorem exitum habeant. Vosmet nimium attollere vultis; cogitatis familiæ vestræ recentem addere nitorem, vos autem illam sub ruina vestra commulatis: *Cogitasti confusionem domui tuæ. Pater Croiset tomo secundo Christianarum Considerationum.*

Jesus Christus unam tantummodo constituit viam, qua mortales omnes ad felicitatem, quam illis destinat, adduceret; quæ via crucis est, atque tribulationum. Hæc tam pro principibus est, quam pro pastoribus; & docet fides, ab ipso excipi neminem, & si quis istic haud intermissa frueretur felicitate, statum illius esse pertimescendum; neque enim ibi videretur hæc nota, & character, qua electi ab iis, qui ex hoc numero non sunt, distinguuntur. *Abbas Trappensis tom. 1. veritatum christianarum.*

Divina providentia mysterium est; hæc nos attollit cum deprimit.

Justus quidem es Domine, ajebat Jeremias Propheta, & quomodo permittere potes, innocentem quidem affictari, impium vero esse beatum: *Justus quidem tu es Domine; quare via impiorum prosperatur?* Animadvertite Prophetam incipere dicendo, Deum justum esse; & si has peccatorem inter, atque innocentem permittit inæqualitates, hoc mysterium est, quod est adorandum. Joseph in gravissima earum persecutionum, quas pertulit, providentiam, qua affligebatur, adoravit; ac tandem vidit explicationem ejus mysterii, cui sese

sub-

subdidit, quin illud vellet scrutari. Quisnam videns virum hunc exagitatum, teterrimis accusatum criminibus, in horribilem carcerem detrusum, crederet hanc esse viam, qua ad sublimem fortunæ apicem perveniret? Servitus, & carcer suntne gradus, per quos ad regni solium possit ascendere? Tuum dumtaxat est, Domine, mysticas eligere vias, ut eos attollas, quos deprimis; hæc secreta sunt, quæ adorare debemus, & quorum exitum præstolari opus est tranquilla submissione, & confidentia perfecta. *Specimen sermonum pro Dominicis in 4. Quadragesima Dominicam.*

Deplorabilis status peccatoris, cui omnia prospere eveniunt.

Væ peccatori, qui in iniquitate prospera utitur fortuna, Scriptura inquit: Peccatori felici, peccatori, cui omnia fluunt e sententia, peccatori, qui videt crescere bona sua, amicos, honores, eodem tempore, quo auget numerum scelerum suorum. Eheu quam funestus, & miser hic status est! Ne invideamus huic, inquit Propheta, fatales scelerum ejus causas, & ne spes in partem accedendi hujus beatitudinis vos improbitatis illius consortes efficiat: *Noli æmulari in malignantibus.* Psalm. 36. Fidei subsidio auferamus velum, quod tegit terribile obdurationis ejus mysterium: scrutemur secreta severæ providentiæ, quæ illum deserit; atque ad adspectum infelicitatis ipsius misericordia ducti serio laboremus, ut ab ea nobis quam diligentissime caveamus. *Abbas du Jarry de Ascensione.*

SUPPLEMENTUM.

Malorum prosperitas maximum eorū malum.

CONstans peccatorum prosperitas maximum illis malum est. Quo minus Deus requiem eorum perturbat, eo magis in illos animadvertit. Tunc enim pravæ eorum affectiones in singulos dies fiunt deteriores; tunc illi magis obstupescunt, longius aberrant, & in salutis suæ negotio obcæcantur. Sed aliter sentit cæca mortalium multitudo; plerisque enim beatum videtur sæculum cum privati fortunarum suarum prosperitate Principes imitantur, cum virtutis egeni sint, & omnium novissimi; cum nitent spectacula, licet Religio in contemptu habeatur; cum luxus omnium in se oculos convertat, quamvis christiana charitas negligatur; cum libidines ex divitis hauriunt crumena, unde lustris, ganeisque sumptus suggerantur, licet pauper ad extremam egestatem suam levandam nihil inveniat. Tamen, si patitur Deus hæc mala in mundo percrebrescere, certi sumus tunc illum in nos magis, magisque ad iracundiam esse succensum. Maxime terribilis ex omnibus ultionibus ejus est, pati scelus impune. Sin autem e contra omnia lusus, comessationum, compotationum, voluptatum, sæculique stultitiarum subsidia nobis abstulerit, tunc ille suam in nos misericordiam ostendit. *Sanctus Augustinus in quinta ad Marcellinum Epistolà.*

Rex Propheta nequaquam in sublimi impii fortuna intuenda immoratur: Vidi illam, inquit, & præterivi; præclarum quidem nobis documentum. Temetipsum periculo objicis; ut te illa perstringat, ut illam admireris, concupiscas, & de Providentia conqueraris, qui sæpe justum in humiliatione relinquit, ut ipsum in virtutis partes concessisse pœniteat. Obiter igitur oculorum aciem converte in hos sæculi beatos, eamque fige in terminum, in quem proxime desituri sunt. Tumulus brevi Magnum, ejusque teget magnitudinem. Hic vobis immorandum est, simulque cogitandum, infernum æternam futuram esse mansionem illius, qui invidia dignus videbatur. Non videbitur ultra nitenti famulorum caterva stipatus interesse spectaculis, lautis accumbere mensis, in superbis ædibus detineri, & in hortorum deliciis versari. Hæc omnia tamquam somnium evanuerunt illi, & deinceps in æternum carcer igneus illius erit habitaculum. Nolite humanas felicitates, nisi sub hoc aspectu intueri, earumque cogitatio vobis semper erit salubertima. Bona, quæ celeriter ita prætereunt passim post se infinita pertrahunt mala, longius timenda sunt, quam desideranda. *P. Segneri in Meditationibus suis.*

Permittit Deus impios prosperis rebus frui ad perficiendam justorum virtutem.

Ad virtutem expiandam, confirmandam, a vitii contagione præservandam, eamdemque cœlesti corona dignam efficiendam, præliis opus est, difficultatibus, ærumnis, persecutionibus. Igitur & persecutoribus opus est, ideoque hominibus pravis, qui auctoritate, ac potestate valeant. Boni huic muneri pares non sunt; ideoque illud peccatoribus tradit. Idcirco illos auctoritate, atque opibus cumulat; & illi fiunt instrumenta justitiæ suæ, necnon iracundiæ ministri. Hos igitur manu arripit, ut olim funes ad templi profanatores percutiendos; utque bonis reverentiæ, & submissionis sensus inspiret, Deus ex illis veluti funiculum facit, attollit, & percutit. Ad solum ictus rumorem, fugitur, clamatur, trepidatur; cumque paulo post scelesti puniti fuerint, & filii correcti, Deus contentus est, omnia in ordinem rediguntur, & flagellum in ignem projicitur. Ita arripuit Deus Antiochum, Herodem, Reges Syros, & Ægyptios, non ut illos gloria cumularet, sed ut per illos populum suum revocaret ad officium. Ita ille avaros, sitientes, homines sine honestate, ac lenitate ad magistratus promovet. Hoc in gradu nemo illis audet resistere; frustra illis adversaris; Deus illos tuetur. Expecta donec illis ad fines suos assequendos usus fuerit; quamprimum erunt eorum ludibrium, quos suæ libidini devoverunt. *P. de la Rue in Quadragesima.*

Ratio alia propter quam sinit Deus peccatores prosperis frui.

Hi Homines improbi, alioquin ob tot scelera sua odio habiti itane omni virtute destituti sunt; utne ulla quidem lux eis oboriatur? Romani isti inimici Deo eousque ut sibi tamquam numinibus thura adoleri vellent, nonne in terris celebrabantur propter justitiæ amorem, vitæ frugalitatem, morumque gravitatem? Nonne hac de causa Judas Machabæus ad illorum fœdus confugit, eorumque armis divini populi libertatem tuendam tradidit? Hanc ob causam Deus illorum imperium æque ac nominis celebritatem protendit, illis tamquam flagello usus est in Asia, & in Africa, iisque subjecit populos, & Reges, qui honoris, & rationis fræna ignorabant. Hac in re justitiæ suæ canones sequebatur Deus, & S. Augustinus ait, ab illis secessisset, si cum minime posset Ethnicis Romanorum virtutibus æternas coronas tribuere; illis saltem in terra non dedisset fragiles honoris, humanæque gloriæ coronas, quas tantopere expetebant. Eorum justitia, æquitatis amor, bona fides mercede caruissent; quod Dei Providentiam non decet, qui ut Tertullianus inquit, justo præmium debet, & peccatori supplicium: *Bonum factum, sicut & malum Deum habet debitorem. Idem ibidem.*

De Civit. Dei lib. 5.

Tertull. de pœnitent.

Væ peccatori prospero rerū cursu fruenti.

Felices, florentesque peccatores, ob vestram tranquillitatem nolite efferri: Peccavi, dicitis. & quid mihi triste contigit? Malorum utique funestissimum accidit vobis; hoc ipsum quod post tot scelera adhuc estis felices. Impunitas vestra vestrum malum est; hoc enim certum pignus est, Deum cum vobis rationem ponere, vobisque parum illud bonum rependere, quod fortasse fecistis; eumque, ubi mora advenerit, nolle quidquam debere vobis; ita ut tunc temporis nihil ultra illi dicendum sit vobis, quam quod malo diviti dixit: *Recordare, quia recepisti bona in vita tua:* Luc. 16. Recordare, & hac recordatione metire, quid tibi debeatur in cœlo. *Recordare*, te in vita hac fuisse flagellum Dei; virgam ad filios corrigendos; hos obrutos fuisse auctoritate tua; tua oppressos potentia, ambitioni tuæ devotos; exutos avaritia, pedibusque tuis obtritos, & conculcatos. Tempus venit, quo virgæ in ignem sunt projiciendæ, filii in hæreditatis possessionem vocandi. Vos quoque vicissim estis humiliandi, idque in omnem æternitatem. *P. de la Rue in Quadragesima.*

San-

Infelicitas peccatoris in rerum prosperitate viventis. Job 5.

Sanctus vir Job peccatorem cujus fortuna jampridem confirmata est tamquam annosam arboretu quæ prealatas radices egit respicit: Vidi, inquit ille, peccatorem hunc, & *statim maledixi*. Impii fortuna, ubi constans est, est illi gravissimorum malorum præsagium, & reprobationis argumentum, Dei Filius minitatur illi per hæc verba, quæ plane Jobi sententiam confirmant: *Væ vobis divitibus*, Prosperitas sine adversis justo ipsi fieret excidii periculosissima occasio. Quid igitur sperandum est de peccatore, qui in rerum omnium affluentia, & in florenti fortuna prospero rerum sine ulla offensione cursu perfruitur. Eædem in illo usque ad mortem rigebunt cupiditates; quandoquidem eadem habet easdem fovendi adminicula. Sibi ille commodam ac deliciis affluentem in terra vitam proponit. Deus tranquillitatem ejus non interpellabit, sed heu! quam funesta impio est tranquillitas ista! Dominus non prohibet cursum prosperorum; Illud patitur, ut extrema Judicii die secundum plenam peccatorum mensuram animadvertat: Ut in plenitudine peccatorum puniat. *P. Segneri in Meditat.*

Luc. 6.

Machab. 2.

Difficile est ne malus dives obliviscatur misericordiæ, & justitiæ Dei.

Difficile est, quod homines nequam in prospero fortunæ cursu ad insolentiam usque non intumescant. Immo facillimum est, eos ita progredi, ut obliviscantur & misericordiæ Dei, qui illos patitur, & justitiæ, quæ manet illos. Fidei veritates nullam in illorum spiritu vim faciunt, quia mundus suavis eos distinet, votis eorum indulgens. Sinunt in mente sua Religionis canones obliterari, quia sæculi instituta cum eorum effusa licentia conciliantur. Ebrii fortuna sua, procul abest, ut cœlum spectent tamquam fontem verorum bonorum, & felicitatis sedem. Cæterum nondum creaturarum perfidiam, atque injustitiam nondum experiuntur; e contra præstolantur quidquid concupiscunt; & illis omnes suas affectiones devovent. Nihil de vita altera, atque æternitate solliciti, in aurem utramque stertunt, neque illis oculos aperit indignatio Dei. Hanc in sopore suo minime sentiunt; Imo non dormiunt nisi quod Deus iratus est. Notanda hoc in loco est Sancti Augustini locutio: *Modo dormiunt*, ait ille, *& iratum non sentiunt, sed ut dormirent, iratus est.* Credidissem Deum irritatum fuisse, ut a somno illos deterreret, sed cur irritatus est, ut illi dormiant? Quandoquidem hic idem sopor, in quo sunt, manifestissimum est iræ ejusdem argumentum. Nequaquam, terribilis hæc ira non se prodit perinde ac, ne illos ex somno excutiat, veretur. Post hæc ne quis mihi objiciat Deum æquiorem visum iri, si peccatores minus essent beati, quis enim magis terribilis esse potest justitiæ suæ effectus, quam felicitas illa, qua illis omnis reprobationis suæ sensus aufertur? *P. la Pesse Tomo 5.*

In Psal. 75.

Mortales eo magis ingrati fiunt erga Deo, quo beneficiis illius gratiores se prabere debent.

Libidinosus, ac intemperans deberet ille quidem affici sensu tot gratiarum divinæ misericordiæ, quæ & illum, & illius patitur prosperitatem. Gratus esse deberet Deo ob patientiam qua illum tanta cum suavitate invitat, ut convertatur, & qua illi pœnitentiæ tempus suppeditat. Cum ab illius pendeat, ut pendet, arbitrio, dubitare non potest quo minus suam illi debeat valetudinem, cæteraque bona: tandem enim in ipso est hæc omnia, si voluerit, auferre, ipsumque exterminare. Verum quin injustitias suas reparare studeat, in iis perseverat, illas auget, in suis sceleribus æque ac in prospero cursu triumphat; qua insana agendi ratione judicem cogit, ut omni abjecto miserationis sensu, sese illi inexorabilem præbeat. Severe in ingratum animadvertitur; immo audeo dicere, cum voluptate quadam in illum sævitur; & accepta beneficia fiunt suppliciorum ejus principium. Peccatorum felicium, & ingratorum sensus Sanctus Job nobis per hæc exprimit verba: *Quasi nihil posset facere omnipotens æstimabant eum, cum ille implesset domos eorum bonis.* Bonis, opibusque replevit Deus domos eorum; ipsi vero cum eodem ita se gerunt perinde ac nihil ultra accepturi essent, neque vcrituri ab illius omnipotentia, eoque insolentiæ procedunt, ut illum contemnant. Si in alia demersi caligine squallerent; si in egestate laborarent, verum haberent magnitudinis illius, suæque submissionis sensum; preces illi nuncuparent, & vota. Supremam illius protectionem expeterent; illum delatis ultro honoribus omnium bonorum suorum Auctorem confiterentur. Sed ipsam benefactoris suis memoriam, conceptumque amittunt; curant enim suas cupiditates ejusdem alere beneficiis. Quomodonam oblivisci possunt, Deum, qui domos eorum replevit, posse etiam easdem exuere? Felicis peccatoris ingratitudo ad insaniam usque procedit, omnemque Dei, quem dedecore afficit, indignationem meretur. *P. la Pesse Tomo 5.*

Cap. 22.

Quamvis facile sit, ut vir bonus divitiis pervertatur, adhuc tamen difficilius est, quod malus dives convertatur.

Vir bonus locuples esse potest, & beatus; sed vir bonus, locuples, & beatus, periculo proximus est sese pervertendi. Homo nequam qui prospero rerum cursu floret converti potest; sed hoc multæ operæ est, ac laboris. Periculum adit in flagitiis suis dormitandi; ejusque damnatio certior, quam salus est. O Deus, qui salvos nos optas, age nobiscum tamquam cum electis tuis. Ne nobis parcas; percute nos, si vulnera nos sunt ad te deductura. Si lacrymas fundimus, sine illas fluere. Nulla habita ratione aufer nobis quidquid amamus, quidquid prohibet, ne te diligamus. Divelle nos a mundo, a nobismetipsis, a rebus omnibus, ut uni tibi hæreamus. *Idem.*

Impiorum prosperitas efficit fideles in bono constantiores.

Non est cur miremur constantem peccatorum in terris felicitatem: crimen & criminosus brevi evanescent, nullumque florentis eorum fortunæ vestigium supererit: *Elevati sunt ad modicum*. Tempus prosperitatis malorum nobis diuturnum videtur; quia obex est, ne complesnut nostra desideria, quæ fortasse simili prosperitate frui vellent. Persuasum nobis esse debet, Deum rebus in omnibus mortalium omnium generalem sibi proponere utilitatem, indignationis, & iracundiæ suæ effectus inhibendo. Si æquissimum Dei intueamur consilium etiam in ipsa impiorum prosperitate æque ac in humiliatione justorum, certissime constat, omnem terrarum orbem brevissime desiturum, si peccatores in ipso flagitiorum suorum primordio exterminarentur. Persuasum nobis esse debet, immixtionem felicium, & calamitosorum, bonorum, & malorum quæ in mundo videtur, ad privatorum utilitatem nonnihil conferre. Perspicuum est peccatorum prosperitatem bonis esse posse utilissimam eodem in sensu, quo docet Salvator, *necesse esse, ut veniant scandala* ad majorem fidelium utilitatem. Exempli gratia quot Doctores ac Martyres aliqua peperit hæresis? quantum auget fervorem Catholicorum? Quam perficit fidem eorum? Veri fideles in officiis suis fiunt diligentiores: crescit humilitas, & sese communit consideratione malorum, in quæ mens humana labi potest ubi semel sese in reprobum tradidit sensum. Per ea scelera, in quæ alios ruere cernimus, melius erga nos divinæ misericordiæ effectus sentimus. Hoc pacto viri boni videntes constantem eorum prosperitatem, qui in sæculi vitiis vivunt, firmius inhærent Deo. Hoc efficit, ut de salutis nostræ inimici versutiis diffidant, sibique magis caveant contra illius calliditatem. Hoc in sensu peccatorum prosperitas fidelibus prodest, eorumque vires auget, ut a malo quidem longius absint, in bono vero constantius perseverent: *Plurimum prosunt, ut cautiores simus. P. la Pesse Tomo 5.*

S. August. de vera relig. c. 8.

Fidelis nō dolet impiorum prosperitate, sciens hanc cum eorum vita desituram.

Quin in amaros questus prorumperemus intuiti peccatorum prosperitatem; nonne potius contemnere deberemus omnia hujus mundi bona, quandoquidem bonis æque ac malis communia sunt, & plerumque sunt para peccatorum. Si Dei Filius vobis in hoc mundo pollicitus est prosperitatem, si hanc fidelibus omnibus pollicitus est, de illo

vestræ

vestræ audiantur querelæ, ubi videritis infidelem quidem beatum, fidelem vero calamitosum: *Si felicitatem sæculi hujus tibi promisit Christus; murmura adversum eum . . . . . quando vides infidelem felicem*. Verum si contra dixit futurum ut boni ingemiscant, cum mundus gaudebit; quæ vestra querela est? Si fideles sumus, Dei mandatis nosmet subjiciamus. Acquiescamus statui, in quo divinæ Sapientiæ constituere nos placuit, & omnem divitiarum cupiditatem abjiciamus ne evadamus nequiores. Prosperitas peccatorum nobis invidiam non cieat. At enim & justi simul esse possumus, & divites: non abnuo. Fideles licet divites terræ hujus bonis non inhærent, ac præsto sunt, ut omnia derelinquant si hanc Dei voluntatem esse sibi persuadeant. Locupletes ideo justi quis flocci faciunt omnes mundi hujus divitias. Verum est hos numerabiles esse utpote paucos, justos vero calamitosos longe plurimos esse. Cur hoc? quia terra cœlum est peccatorum; hi sibi sunt Dei; justi vero omnem spem suam in Dei bonitate constituentes, non aliam mansionem debent expectare, quam gloriam æternam. *P. la Pesse Tomo 5.*

In Psal. 36.

Insolita Dei Misericordia minima etiam disponit in fidelium suorum utilitatem. Rom. 8.

Quidquid sit de peccatorum prosperitate; quemcumque inde mœrorem concepimus, assuescamus non ita curiosius perquirere, quod in viis Dei, & adorabilibus divinæ illius providentiæ secretis assequi non possumus. Certi simus illum omnia in fidelium utilitatem disponere. *Diligentibus Dominum*, Apostolus inquit, *omnia cooperantur in bonum*. Ille semper ad majus suorum Electorum commodum disponit: Quantumvis stuporem nobis injiciat ejus consilium, fidenter credamus, nihil ab ipso in minimis quoque rebus negligi, quod nobis ad salutem valeat conferre. Intuentibus nobis peccatorum prosperitatem videbitur fortasse Deus non admodum esse sollicitus de illis, qui pertinent ad Ipsum: Verum infinita ejus Sapientia potest ne quidquam sorti committere. Num quidquam in terris fieri, dici, cogitarique potest in terris, quod eum fallat? Nonne magnum nobis consolationis argumentum est, teneri ad credendum, omni in eventu, ad majorem utilitatem nostram Deum sapientiam, & bonitatem suam exercere? *Idem*.

Prosperitas efficit ut homines nullo sensu afficiantur, cum Dei ira illis minitatur.

Mirantur nonnumquam videntes mundi sectatores, ac perditos nullo in discrimine habere minas, quas Deus illis intentat, & omnino oblivisci eorum suppliciorum, quæ illos manent. Hæc terrena felicitas eos concomitatur, & causa est, quod omnem sensum abjiciunt. Si molesto quopiam eventu perturbarentur; possent tunc oculos aperire, ac videre justitiam Dei jamjam in ipsos tela sua contorquentem. Sed omnia eorum affectionibus velificantur, & ipse terribilis hujus justitiæ conceptus ex eorum mentibus oblitteratur. Quomodonam fides illis exhibere potest judicem, cui aliquando reddituri sunt rationem districtam vitæ suæ; cum omnes sensus jugulatint suavissimo tumultu impedimentorum, unde suas hauriant divitias? In hoc rerum situ, quidnam eos cogere posset, ad judicia Dei pertimescenda? Nihil jam id assequi potest, quam hujus fortunæ mutatio. Tunc obduratissimi peccatores sentire possunt pondus manus omnipotentis, quæ ubi voluerit prosternit, quidquid attolli passa est. Tunc peccatores in se reversi per malum præsens, quod minime aperiebantur; conantur saltem futura evitare mala, quæ debent expectare. *Perterriti, erudimur*, S. Gregorius Nazianzenus ait. Ictus qui nos terrent, & obruunt, efficiunt, ut illos præsentiamus, qui nobis impendent, & nos manent; atque ea quæ patimur, erudiunt nos de iis, quæ expectare possumus a nobis esse perferenda. *P. la Pesse*.

Epist. ad Cæs. Fratr.

Causa hujus stupiditatis peccatorū.

Quæ causa est, ut parum idonei simus ad cognoscendum periculum, quod subimus, cum prosperorum eventuum series vitium fovent; voluntas enim peccatoris taliter inhæret objectis, quæ amat, ut cæterorum ferme objectorum sensum amittat. Hinc sequitur, quod peccator semper se minus converteret erga Deum, quo magis votorum suorum summam consequetur; etenim per hoc, ut Scriptura loquitur, fit omnino terrenus, & animalis. Heu! Mortales mundi sectatores, quam misera hæc vestra conditio est! si quamvis omnia vobis fluant e sententia, eaque possideatis, quæ vestris cupiditatibus velificantur, tamen ultionum Deum non reformidatis. Tandem vobiscum aget, tamquam cum inimicis, eo magis irritatus in vos, quo minus iram illius effugere contenderitis. At hæc eadem ira, quæ suapte natura omnia vobis prospera largitur, contemnenda non est. Quorsum? quia fere eam temeritas, atque præsumptio subsequitur. *P. la Pesse*.

Undenam oriatur mira securitas in qua homo peccator vivit.

Voluptatem, gloriam, terræ bona aucupatis; his pacate frueris, quamvis scelera sceleribus cumules, cumque tibi genio indulgenti nihil accidat triste, te undique tutum putas, & Dei legem nullo habes in discrimine; quippe nullis tibi stat sumptibus illam violare. Ne quis se tutum esse arbitretur, qui noxios velit affectus suos suaque retinere vincula. Ne cogitat quidem se eo versari in periculo, in quo est, cum vivendi licentia funestos exitus non habet: mortalis excæcatur, & exitus ipse illum confirmat. Ita puer eo nequior evadit, quo magis sperat se abusurum patris nimium crudeliter amantis indulgentia. *In labore hominum non sunt*, inquit Propheta, *& cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia*. Homines pravi non afflictantur, ut cæteri, & ideo magis superbiunt, atque intumescunt, audaciusque sua scelera committunt, quia ipsorum impietas nullis torquetur adversis. Verumtamen Deus in eos severius nequit animadvertere, quam permittendo, ut se misericordia præbeant indignos, & de ipsis iniquitatibus suis agant triumphum. Omnia itaque ad felicis peccatoris requiem simul ac interitum confluunt: Deus, qui eorum felicitati nullum constituit obicem; & qui eam permittens, ulciscitur; & peccator ipse qui ex ipsa sua felicitate crescit, ut in vitiis suis callum ducat; & ipsum denique peccatum, quod in vitæ suavissimæ cursu, suum celat horrorem. Nonne miserum oportet illum esse, qui miseriam suam sibi in voluptatem convertit! Patitur justus; tamen diligit illum Deus; peccator voti sui compos est, tamen hunc Deus perhorrescit. *P. la Pesse*.

Psalm. 72.

Impii prosperitas argumentum est divinæ in illum iracundiæ.

Prosperitas impii super terram; plerumque est gravissimum supplicium, quo Deus illum in terris punire possit. Cogitatio hæc deterrere deberet filios tenebrarum, & carnis sapientiam confundere: quamvis e contra impii prosperitas divinæ justitiæ videatur officere; hæc illius tamen est certissimum ac terribile documentum. Vere dicere possumus: plerumque omnia peccatori e voto contingere, quoniam Deus in illum irritatus est; quia peccator, qui dies suos in abundantia, & deliciis traducit, tunc est divinæ ultionis objectum. Quomodo istud? Quia prosperitas aliquo in sensu efficit, ut de salute peccatoris spes abjiciatur; aufert enim peccatori timorem, quem habere deberet judiciorum Dei, ad quæ non advertit animum inter delicias, & flagitia, inter quæ suum terit tempus; & quia calamitosus hic status, in quo peccator totum suum tempus impendit, magis magisque Dei misericordiam ab his miseris mortalibus amovet. *P. la Pesse*.

Prosperitas prohibet, ne Dei judicia videantur.

Prosperitas suapte natura peccatoribus aufert metum judiciorum Dei, qui eos possidere sinit, quod diligunt. Hujus iracundia super illorum capita non sævit; sopore capiuntur, atque dormitant; ac nulla se excitantur. Ardenter suis cupiditatibus obsequi festinant; sine ulla religione, & exceptione in omne nefas ruunt. Pravarum suarum affectionum mancipia, omniaque illis permittentes oblivioni tradunt judicis jamjam illos damnaturi minas, semperque magis se suis flagitiis ingurgitant. Fingi tamen potest status hoc calamitosior?

Hic

Hic profecto eo magis metuendus est, quo magis se circumundique in tuto esse cogitantes effusiori licentia omnibus se abdunt cordis sui desideriis. Talis est constantis peccatorum felicitatis effectus. Omnia illis arrident; omnia illos illiciunt, cumque se felicitatis verticem attigisse putent, afferta ipsorum felicitas eos ita excæcat, ut nullum habere queant sensum malorum, quibus jamjam sunt obruendi. *P. la Pesse.*

Prosperitas impiorum magnus est obex Piorum conversioni.

Obstupescimus nonnumquam intuiti flagitiosos homines, quibus negotium minime facessunt Dei minæ, & qui oblivioni tradunt ea, quæ ipsis præparantur supplicia. Succenseamus temporali huic felicitati, quæ illos subsequitur: si quo molesto perturbarentur eventu, oculos aperirent, ac Dominum districto fulmine armatum viderent jamjam in illos animadversurum: verum cum omnia fluant ad cupiditatum suarum arbitrium, ipsam etiam justitiæ notionem amittunt. Quomodonam homo hic lucro, magnisque suis intentus negotiis iniquitatum suarum opprobrium, pœnamque vereatur? Ipse de his omnibus disponit, quæ suam illiciunt cupiditatem. Eum fulcit herus, qui cum illo omnes iniquitatis fructus partitur; miseri, quos expilat, & opprimit per manus illius transire tenentur; ab illius pendet arbitrio eorum questulus, quemcumque vult, sensum appingere; æque callidus, avidusque novit nancisci occasiones utendi vi, & colore ob eamdem tegendam. Fides non repræsentabit illi Supremum Judicem, cui aliquando districtam rationem est redditurus; illius quippe sensum omnem suffocavit inter tumultum eorum impedimentorum, quibus locupletatur. Hoc in statu quis illum cogere posset, ut Dei judicia reformidaret &c. *P. la Pesse in Sermone de justitia Dei miseros per prospera puniente.*

Peccator in prosperis videtur sibi polliceri, quod divina semper potentia valeat substare.

Prosperitas efficit, ut cum contemptu, & indignitate Dominum excipiamus excæcantes nosmetipsos, ac nobismet persuadentes futurum ut imposterum propriis viribus stare possimus quin cœlestibus auxiliis indigeamus; sed qui adeo liberaliter suas in nos benedictiones effudit, nonne earum ubi voluerit fontem exhaurire potest? Quid dico? Qui nos de pulvere eduxit, nonne, ubi velit, iterum in pulverem potest redigere? Numquid minus factus est potens, quia nos exaltavit? Saltem bona, quibus ab illo aucti fuimus, efficiant, ut ejusdem potentiæ meminerimus. Numquid potentior esse debet, ut ea nobis auferat, quam fuit ut illa nobis prodigeret? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Peccatori caro emenda sunt pretio fallaces lætitiæ, quas in terrenorum bonorum possessione percipit.

Licet peccatores in vita putissimis, atque constantissimis gaudiis perfruerentur, ideone sors illorum esset invidenda? Non ita sane; quoniam pars eorum post ubitum nonnisi infernus esse potest. Cogitatione penetremus horrentia hæc loca, ibique intueamur peccatorem hunc, quem vidimus adeo locupletem, potentem, atque nitentem in terris. Sentiemur carceris horrorem, pondus catenarum, carnificum sævitiam, ignis eam devorantis vim, opprobrium, quo suffunditur, contumeliosa verba, quibus proscinditur, ejus questus, gemitus, dolores, cruciatus, rabiem, atque desperationem, qua discerpitur. Pari quæcumque fingi possunt mala, quin valeat ullum doloribus suis sperare solatium; in omnem æternitatem uri, rabie agitari, desperare, donec Deus erit Deus: hic fructus est gaudii, & voluptatum, quas peccator, dum viveret, gustavit: vellem ne illis & ego eodem pretio perfruendas coemere? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Quam periculosa sit prosperitas sine adversis.

Sanctus Augustinus animadvertit nihil impuni prosperitate perniciosius esse. Credunt tunc homines sibi quocumque pretio esse progrediendum, talenta sua in lucro esse ponenda, fortunam, quousque fieri potest promovendam. Sibi gloriantur, cum mala fecerint, & quotidie ad graviora patranda fiunt ardentiores. Cum misero illo, de quo in Scriptura sermo est, peccavi, inquiunt, omnes fregi officiorum meorum cancellos, omniaque Religionis instituta susdeque permiscui, ut ascenderem; & quid mihi accidit triste? Numquid negotia mea pessum abierunt? Cur ergo mihi terror incutitur? Hinc autem quid ipsi inferemus? Nihil non maxime terribile propter minas, quas intentavit Deus apud Prophetam suum. Dereliquistis me, ut poneretis aras fortunæ, eique sacrificia offerretis. Credidistis in tranquilla bonorum vestrorum possessione vos inventuros esse perfugium iracundiæ meæ: irrisistis saluberrima eorum monita, qui vobis affirmabant satius esse adire periculum omnia potius perdendi, quam animam suam, sed quo vosmet redegeritis, ipsi videbitis. *Dictionarium Morale tomo 1.*

Impius vivit in terris quin aliquando ad Deum revertatur victima est, quam ille saginari sinit in diem ultionum suarum.

Impius vivit in terris, tranquillam, beatamque vitam ibi traducit, immo triumphat; hæc ea est, quæ passim auribus nostris accidit querela; hic color est, qui aliquando prætexitur, ut de Sapientia, justitiaque Dei dubitetur. Hæc bonorum malorumque permixtio carnales animas deterret; & prosperitas, qua fruitur improbus, corruptas indurat animas, quæ nonnumquam eo impudentiæ perveniunt, ut dicant, Deum sapientiorem futurum, si impii minus viverent. Paulisper expectate, animæ incertæ, ac nutantes, quarum frequens hæc de Deo auditur querela. Paulisper adhuc expectate, vobisque persuasum erit, impium non esse beatum, nisi ut magis, magisque lapsu suo magnificet Deum, quem afficit contumelia, & qui illum in scelerum suorum tolerat iniquitate. Erit enim ille objectum ultionis Dei, cum fuerit antea patientiæ ejusdem. Ipsi credimus impium hunc mortalium omnium beatissimum; sed licet impius; licet beatus sit, misera victima est, cui parcit Deus Providentiæ suæ legibus adhæsurus. Diuturnam illi vitam concedit, ut ei spatium relinquat in se revertendi, atque ad officium redeundi: verum cum omnes illius spes inanes sint, (absit verbo invidia) sinit victimam hanc saginari postmodum suo furori immolandam. *P. la Pesse tomo 5.*



PRO-

PROVIDENTIA DEI.

Cura, quam gerit necessitatum spiritualium, atque temporalium hominum.
Confidentia, quam in illa habere debemus, & submissio illius consiliis, atque imperiis præstanda.

MONITUM.



Ullum in christiana morum disciplina argumentum reperies, quod divina providentia latius pateat, quandoquidem in omnibus locum habet argumentis. Inter cætera vero hoc nimium arctius a confidentia in Deo, & conformitate cum voluntate Dei, de quibus alibi sermo fuit, discrepare videtur; neque separari potest a justorum adversis, prosperisque impiorum, hæc enim ad providentiam pertinent, non secus ac ultio, quam exercet in improbos, quod ostendimus, cum de prosperitate ageremus. Quamobrem cum crambes repetitio, ut in adagio est, noceat, nequaquam hoc in loco iterabimus ea, quæ in memoratis titulis allata sunt; qui aliquem cum hoc, de quo agimus, nexum habent, atque rationem.

Fert igitur animus ea hic tantum afferre, quæ inveni propius ad suggestum pertinentia, & quidquid collegi ex Patribus, Theologis, Asceticis, atque Concionatoribus spectans ad generalem providentiam, qua Deus mundum moderatur, præsertim vero qua justorum curam gerit omnia, quæ accidunt, ad eorum salutem disponens.

Argumentum hoc aliquando late patens prædicatoribus auctor essem, ut præsertim de confidentia loquerentur, quæ in providentia Dei collocanda est pro vitæ hujus necessitatibus; in hoc enim passim deficimus, cum e contra nimis confidamus propter ea, quæ salutem, ac spiritualia bona respiciunt; atque ut adniterentur persuadere auditoribus suis, Deum peculiarem gerere curam eorum, qui ipsi fidelius serviunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Structura.



Ulla in Deo perfectio est, quæ quovis tempore hominum contradictioni patuerit magis, quam illius providentia. Alii eam omnino negant, quod fecere veteres quidam Philosophi, hodieque faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, nec aliam vitæ normam sequuntur, nisi suas cupiditates. Alii eam insimulant, atque perstringunt tamquam injustam in bonorum, malorumque vitæ hujus distributione; & isti homines sunt amore proprio excæcati, qui seipsos tantum respiciunt omniaque ad suum commodum, atque utilitatem referunt, id tantum probant, quod sibi accidet, & de Divina erga se providentia conqueruntur. Alii denique sunt mundi sapientes, atque politici, qui inania concipiunt consilia, & qui in coeptis suis sibi persuadent votorum suorum summam consecuturos ope suæ tantum industriæ, laborumque suorum, quin pendere velint a providentia, & in ea suam confidentiam statuere. Hæc tria sunt hominum genera, quos cum Scriptura vocare possum profugos a providentia, & quos hoc in sermone impugnaturus sum, aliis quidem persuadens veritatem, atque necessitatem providentiæ omnia hujus mundi regentis; aliis vero, qui conqueruntur, ostendens illam infinite sapientem, ac justam esse in ordine, quem instituit, & ea ratione, quam cum hominibus agit; ac illis tandem, qui ab illa pendere nolunt, & qui in sua tantum industria, & dexteritate confidunt, ipsos numquam nisi in perniciem suam votorum suorum summam esse consecuturos.

Pars prima illis, qui nolunt agnoscere providentiam, quæ omnibus terrenis rebus invigilat, easque perducit ad finem licet per eas vias, quæ nobis exploratæ sunt, satis est oculos conjiciant in partes omnes, quæ magnum hunc mundum constituunt, ac videant, quonam ordine per tot sæcula omnia conserventur, ut statim inferatur Universum orbem hunc nequaquam fortuito coaluisse, vel casu gubernari; sed infinita regi sapientia, quæ, ut Spiritus Sanctus ait, attingit a fine usque ad finem. Itaque inter Dei omnipotentiam, ac providentiam talis est nexus, ut alteram fateri non possimus, quin simul & alteram fateamur. Potentia illius in entium omnium micat creatione, ejus vero providentia mirum in modum elucescit in ea actione, qua omnia moderatur: & quemadmodum nihil sine illius omnipotentia producitur, ita nihil nisi per ejus providentiam regitur, deducitur, gubernatur. Latius institui potest sermo de perfectionibus, quæ hanc providentiam componunt; de infinita ejus sapientia quæ omnia cognoscens, ignorare nequit, qua re indigeant creata; de bonitate, quæ illa non eduxit ex nihilo, ut derelinqueret; de Justitia, non enim tenebatur Deus illis essentiam conferre; sed hoc posito, quod illa ad hunc finem creaverit, hoc etiam sibi arrogavit officium illis suppeditandi adminicula, quibus illuc pervenirent. Quod multo magis justum est erga hominem, quæ omnium creaturarum præstantissima est, & pro quo cætera facta sunt.

Pars altera probare debet æquam esse providentiam iis, qui conqueruntur, atque illam injustitiæ nomine insimulant in inæquali bonorum, malorumque hujus vitæ distributione, quod opibus cumulet impios, & in afflictione, paupertate, & squalore bonos relinquat: sed ut his criminationibus respondeamus, ostendere debemus eos, qui in hæc murmura erumpunt, esse 1. Homines amore proprio excæcatos, qui sua tantum commoda, suasque curant res, non autem ordinem, ac bonum totius societatis humanæ; quæ stare non potest nisi per mutuam submissionem, qua alii pendeant ab aliis, pauperes quidem a divitibus, divites vero a pauperibus. 2. Non videre naturalem providentiam, quæ temporalibus eorum invigilat necessitatibus, semper subordinatam esse supernaturali providentiæ, quæ salutis animæ ipsorum curam gerit; ita ut ea ratio, quæ illis nimis austera videtur, ex infinita hujus sapien-

tia

tiæ judicio sit æternæ illorum felicitati utilissima &c.

In parte tertia respondebimus illis, qui contendunt sese divinæ providentiæ consiliis subtrahere, se sola industriæ suæ vi votorum summam consequi posse, & ut verbo me expediam, vitæ suæ arbitros esse, quibus ostendendum est nihil unquam illis cessurum ex sententia, nisi peculiarem in hac providentia confidentiam constituerint. 1. Quia lumina eorum nimis infirma sunt, & circumscripta, ut videant, quid faciendum, ut quo contendunt perveniant. 2. Quia sibi complacet Deus evertens inania sapientum sæculi consilia, quemadmodum in Scripturis minitatur. 3. Quia ferre non potest superbos, qui extruere volunt Babylonicam turrim, eosque propriis tradit cupiditatibus, quæ est omnis excidii eorum causa.

II. 1. Adesse providentiam eventus omnes, qui nobis accidunt, disponentem tamquam media ad finem, quem infinita Dei sapientia sibi proposuit, ideoque nosmet illi subjicere debere, nequicquam enim illi adversamur; & quidquid nobis hæc providentia præcipit, semper ad nostram esse utilitatem, si nosmet ex animo eidem subjicimus. 2. Providentiam hanc super justos potissimum vigilare, ac efficere, ut omnia in eorum cedant utilitatem, ideoque ipsos nil melius efficere posse, neque sublimiorem virtutem exercere, quam sese illi penitus subjiciendo.

III. 1. Cum nobis persuasum sit, uti decet, adesse providentiam, supremamque caussam omnia hujus mundi disponentem tam generatim, quam singillatim; persuasum quoque nobis esse debet, irrito conatu aliquem illi adversari, aut resistere velle; etenim quidquid illi stræpere, nobis invitis eveniet. 2. Qui illi obluctatur, agit contra seipsum, infinitis se privat bonis, & commodis; quemadmodum e contra qui sese suis rebus omnibus submittit, illam adigit, ut sui præcipuam curam suscipiat, & gerat.

IV. 1. Omnino necessarium est in mundo esse providentiam, sine qua omnia in terra, & cælo confusa essent, atque perturbata, nihilque vigere, & subsistere posset. 2. Quanam in re hæc providentia consistat, quod sit illius officium; hoc duplex esse, alterum naturale, & supernaturale alterum. 3. Omnino in illa confidendum pro vitæ hujus, & alterius bonis; alioquin nos neutra consecuturos.

V. 1. Qui omnem confidentiam suam in Divina providentia constituit, rationem invenit, qua semper sit tranquillus, contentus, & in hac ipsa vita beatus. 2. Hic rationem invenit, qua æternam sibi in cælo procurare possit felicitatem; hæc enim via est certam faciendi salutem nostram, eximias quaslibet virtutes exercendo.

VI. 1. Nihil iniquius eo, qui providentiam fateri detrectat, 2. Nihil infelicius eo, qui sese providentiæ consiliis conformare recusat. Sed e contra per duplicem prorsus oppositam illationem, nihil sapientius eo, qui rebus in omnibus providentiam adorat, atque rebus in omnibus ducem sequitur fidem providentiæ. Nihil felicius eo, qui in providentiæ sine omne suum collocat præsidium. Hæ duæ sunt veritates, quæ solatium afferre possunt, & concionis partitionem efficere. *Desumptum ex novis, variisque sermonibus P. Bourdaloue.*

VII. Quicumque providentiam negat, atque Dei excutere quærit imperium, id nonnisi alterutra ex his rationibus efficere potest; videlicet vel spiritu infidelitatis, quia hanc non agnoscit, neque credit providentiam; vel simplici cordis rebellione, quia illam credens, atque supponens eidem sese subjicere detrectat; quamobrem duplicem hanc propono veritatem.

Prima est: Si hoc agit spiritu infidelitatis, hæc maxima cæcitas est, in quam aliquis labi possit, quin hoc est Atheum esse.

Veritas altera: Si ex cordis rebellione; hæc gravissima est obduratio, ac perspicuum argumentum, quod homo ipse omnibus vitiorum generibus mancipaverit, & cor illius omnino corruptum sit. *Ex eodem.*

De eorum infelicitate, qui providentiæ regimini sese subtrahere quærunt. 1. Abnegans adorabilem hanc providentiam homo vel nullum sequitur consilium, vel suum, quod certissimum est malorum omnium principium. 2. Deum relinquens, & a providentiæ illius mandatis recedens Deum pariter cogit, ut recedat, & summoveat paternum præsidium, quod justorum in terra felicitatem constituit. 3. Hoc pacto seipsum privat suavissima, & unica consolatione, quam habere possit in adversis. *Ex eodem sermone.* VIII.

Duo sunt, quæ ex S. Augustini sententia hominem movere possunt, & in corde illius impressionem efficere, officium scilicet, & utilitas. Officium, quia rationalis est; utilitas, quia amat se ipsum. Ostendere autem volo, 1. Officium nostrum nos adigere, ut providentiam credamus. 2. Et nostra interesse eidem nosmetipsos subjicere. *Ex antiquis sermonibus editis sub nomine Patris Bourdaloue.* IX.

1. Nihil Deo contumeliosius est, quam de illius providentia diffidere; ipse enim asserit hoc Ethnicorum, atque infidelium proprium esse, qui Deos colunt, qui illis, ubi ope indigent, opitulari minime valent. 2. Nihil inutilius est, quam sese illi opponere, se attollere, vel conatus exerere, ut contra ejusdem statuta aliquid ad finem perducatur; ipse enim Salvator affirmat, neminem esse, qui propriis viribus, atque industria addere possit staturæ suæ cubitum unum. 3. Nihil suavius est, nihilque majus afferre solatium potest, quam providentiæ hujus imperiis sese submittere. *Ex auctore sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta sermone pro 14. post Pentecosten Dominica.* X.

De peculiari erga justos providentia.

In peculiari providentia, quam habet Deus erga justos animadverto duas qualitates, quas Sapiens tribuit providentiæ generali, vim videlicet, & suavitatem; *Attingit a fine usque ad finem, & disponit omnia suaviter.* 1. Vis ejus elucet consulendo efficaciter necessitatibus eorum, qui in illa confidunt. 2. Suavitas vero efficit, ut sine labore, & molestia vivant magis contenti in mediocritate sua, quam alii in opulentia, cujuslibet bonorum copia. *Ex eodem, sermone pro 4. Quadragesimæ Dominica.* XI.

1. Alia est generalis providentia in omnes res hujus mundi. 2. Alia est providentia naturalis, & particularis in quemlibet hominem singillatim. 3. Alia est providentia supernaturalis in omnes homines, præsertim vero in justos. *Biroat pro 4. Quadrag. Dominica.* XII.

Cum de providentia sermo est, ita cæci sumus, ut aliqui 1. Deo per impietatem negent regimen universorum; 2. Alii per infirmitatem de illius ope diffidant; 3. Utrique offensi ob ea, quæ præter ordinem in mundo occurrunt, audent improbare Dei providentiam, & conqueri de inæquali bonorum, malorumque vitæ hujus distributione. *Ex P. de la Rue in sermonibus sub ejus nomine editis.* XIII.

Tribus modis læditur providentia. 1. Per diffidentiam in necessitatibus, quibus premimur, & metum inanem, ne illa nobis desit in iis, quæ sunt necessaria. 2. Per murmur in adversis, quæ accidunt nobis. 3. Per querimoniam, in quam erumpimus ob inæqualem bonorum hujus mundi divisionem, ex qua nonnunquam scandali occasionem arripimus: *Pene moti sunt pedes mei pacem peccatorum videns. Desumptum ex parte ex Dominic. de la Volpilliere de providentia.* XIV.

In Evangelium de panum multiplicatione. 1. Efficit providentia, ut Deus misereatur necessitatis, ad quam redactus est populus, qui illum in desertum secutus fuerat: *Misereor super turbam.* 2. Miseretur modum quærit illi opem ferendi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* 3. Invenit opem feren- XV.

ferendi modo, hoc utitur, ut illis tribuat, unde ad saturitatem usque vescantur: *Manducaverunt, & saturati sunt*. Hæc tria facit Dei filius opem laturus populo, qui ipsum secutus fuerat. *Ex Auctore Sermonum Christianorum Sermone pro sexta post Pentecosten Dominica*.

XVI. 1. Infelicitas, & cæcitas eorum, qui contra Dei providentiam insurgunt. 2. Sapientia & fidelitas eorum, qui in eadem confidunt. *Ex secundo Dictionarii moralis Sermone*.

XVII. In homine considerari possunt ratio, & fides. 1. Ratio, quæ palam ostendit, adesse providentiam, debet consequenter impellere hominem rationabilem, ut sese illi submittat futurus in hoc mundo beatus. 2. Fides, quæ de eadem nos dubitare non sinit, cogit etiam hominem christianum, ut se magis peculiariter illi submittat, futurus in æternum beatus. *Ex specimine Sermonum pro Quadragesima*.

XVIII. 1. Divina providentia omnibus necessitatibus nostris attenta est; hoc nos consolari debet. 2. Cum patientia, & submissione expectare debemus mandata illius: hoc de officiis nostris erudire nos debet.

XIX. 1. Obligatio, qua tenemur confidentiam nostram in Deo constituere pro rebus temporalibus nequaquam nos eximit a rationabili cura de nostris negotiis habenda. 2. Obligatio, qua debemus in Dei providentia pro animæ nostræ salute confidere, nequaquam excusat nostram temeritatem, ac præsumptionem, nisi ipsi summa cum diligentia, sollicitudine, ac metu incubuerimus ad hoc salutis nostræ negotium.

XX. 1. In prima sermonis parte fieri potest elogium Providentiæ, ostendendo illius qualitates, applicationem omnibus generalibus, & particularibus necessitatibus; bona, quæ nobis procurat confidentia, quam in illa collocamus, quia nos ab anxiis liberat curis, quibus indesinenter illi torquentur, qui in semetipsis tantum confidunt, & industria sua, vel in hominum auxiliis. 2. In secunda vero parte fieri potest ejusdem Providentiæ Apologia contra eos, qui illam impugnant, ostendendo rationes, quibus alii eam conantur evertere, ineptas esse, & censuras, quibus politici quidam eam perstringunt, temerarias esse, nullius ponderis, & insanas; ac tandem aliorum obmurmurationes Deo infinite esse contumeliosas. *Ex P. Texier in Dominicali*.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornanda.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib. 4. de Civit.* refert, & damnat Ethnicorum sententiam de fato, & fortuna, quam velut Deum venerabantur.

Idem *de Sermon. Domini* affert causas, propter quas permittit Deus, ut justi aliquando ad inopiam redigantur.

Idem *in Psalm.* 145. ostendit Dei Providentiam ad minima etiam se extendere.

Idem *lib. 1. de Ordine* eos improbat; qui in mundo injustitias, & mala esse queruntur, quamvis providentia de rebus omnibus disponit.

Idem in expositione Psalmi 39. in hæc verba: *Jacta super Dominum curam tuam*, ostendit, quam de nobis gerat curam providentia, & hoc ipsum præstat in hæc verba Psalmi 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi*.

S. Gregorius in variis operum suorum locis loquitur de diversis providentiæ proprietatibus. Videri potest quid ille dicat in libris 25. & 27. moralium in Job.

Idem lib. 16. eorumdem moralium probat id; quod in mundo inordinatum videtur, admirabili providentiæ ordine constitutum esse. In quinto reddit rationem, cur providentia patiatur impios in mundo, & in 18. fusius verba facit de hujus providentiæ consiliis.

S. Hieronymus in hæc verba cap. 1. Jeremiæ: *Dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream*, loquitur de peculiari cura, quam providentia gerit justorum.

S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 13. eorum refellit errorem, qui tenent Deum nullam habere curam eorum, quæ in mundo fiunt.

Idem *in Hexam. lib. 5. cap.* 13. fusius loquitur de providentiæ cura in omnia creata.

S. Paulinus in Epistola ad Jovem, eloquenter describit, quomodo providentia rexit cœlorum motus, & quidquid est in Universo.

Minutius Felix in *Octavio* ostendit providentiam, quæ in naturæ ordine effulget.

Lactantius pluribus in locis loquitur de providentia, præsertim vero lib. 3. cap. 19. & lib. 8. c. 1.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. ostendit providentiæ curas in omnibus statibus, in omnibus conditionibus, & generatim in omnibus rebus hujus mundi.

Boethius *lib. 5. de Consolat. Philosophiæ* explicat quid sit res fortuita, & ait, coram Deo nihil esse fortuitum.

Origenes *in lib. Numerorum* docet, Deum in hoc mundo non permittere malum, nisi ut eveniat bonum, quod pluribus probat exemplis.

Idem loquitur etiam de providentia in Homilia prima in Genesim.

S. Basilius Homil. 7. in Psalm. 39. in hæc verba: *Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me*, ostendit peculiarem curam, quam de justis gerit Deus.

S. Chrysostomus Homil. 23. in S. Matth. docet, secundum Jesu Christi præceptum non esse, cur solliciti simus de rebus vitæ hujus, sed in Dei providentia confidendum esse.

Idem tres edidit libros de providentia, qui sunt in quinto operum ipsius tomo.

Salvianus Massiliensis Episcopus octo de providentia libros conscripsit, ubi collegit quidquid hoc in argumento dici potest.

Theodoretus in tomo secundo, aliisque operum suorum locis.

S. Bernardus serm. 2. & 4. in Psalmum *Qui habitat, &c.* loquitur de providentia erga Justos, & in sermone 68. in Cantica ostendit Dei providentiam in ecclesia.

Granatensis in Duce peccatorum cap. 12. & lib. 1. Catechismi sui. Ascetici aliique.

Lessius tractatum edidit de providentia, quem Gallice reddidit, atque interpretatus est P. Maucorps in libro, cui titulus: *Discours des incomparables perfections de Dieu*.

P. Caussinus in Aula Sancta effato 4.

Liber, cui titulus: Duo fundamentalia salutis principia decerpta ex operibus Lessii a Patre Antonio Girard: eorum primum est veritas Dei unius, & providentiæ ejusdem.

P. Ludovicus Franciscus de Argentano in collationibus suis de Magnalibus Dei collatione 16.

P. Guilleminot in libro, qui inscribitur: Sapientia Christiana cap. 3.

P. Didacus Alvares e S. Dominici familia cap. 12. *de Auxilio Dei* late disserit de providentia Dei erga bonos.

Liber, cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicæque argumenta tomo 3.

P. Du Sault in libro de confidentia in Deo aliquot habet capita de providentia.

P. Poire in libro, qui inscribitur: Scientia Sanctorum, amplum habet de providentia tractatum.

P. Nepveu in tomo 1. christianarum considerationum loquitur de confidentia in Deo.

P. Surin in Dialogis Asceticis tomo 1. lib. 3. c. 5. ubi agit de conformitate cum voluntate Dei.

Rainerius de Pifis in Pantheologia titulo *Providentia*.

Quicumque fcripfere contra Atheos, totidem fuere providentiæ patroni.

Moralis in Pater lib. 1. fect. 2. art. 6.

Hortus Paftorum tract. 2.

Liber, qui infcribitur: Tractatus moralis de divina providentia erga creaturas, fine nomine auctoris.

Concionatores recentes.

P. Delingendes in fermone de conformitate cum voluntate Dei plurima habet de providentia.

Biroat fermone pro 4. Quadragefimæ Dominica.

P. Texier in Dominicali ferm. pro eadem Domin.

P. Bourdalove in antiquis fermonibus fub ejus nomine editis pro Dominica eadem.

Idem in novis, & veris fermon. fuis, fermone pro die eadem.

P. De la Rue fermone in eamdem diem.

Specimen Ethicum tomo 7. in Evangelium Dominicæ 4. in Quadragefima.

Auctor fermonum in omnia Ethicæ chriftianæ argumenta, fermone de particulari providentia erga juftus pro Dominica 4. Quadragefimæ.

Idem de providentia generatim fermone pro Dominica 6. poft Pentecoften.

De la Volpilliere.

Auctor fermonum chriftian. pro 6. poft Pentecoften Dominica.

In Dictionario morali duo funt fermones deinceps, & plurea confiderationes in hoc argumentum, & alius adhuc fermo inter fermones morales auctoris ejufdem.

In fpecimine fermonum pro Quadrag. tres funt hujus argumenti fermones, & unus in fpecimine pro Dominicis.

Qui collectanea ediderunt.

Granatenfis in locis communibus.
Labatha in Thefauro)
Lohner) Titulo: *Dei providentia.*
Summa Prædicantium)

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

D*Ominus regit me, & nihil mihi deerit.* Pf. 22.

Jacta fuper Dominum curam tuam, & ipfe te enutriet. Pf. 54.

Angelis fuis mandavit de te, ut cuftodiant te in omnibus viis tuis. Pfalm. 90.

Omnia a te expectant, ut des illis efcam in tempore. Pfalm. 103.

Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Ibid.

Ne dicas: Non eft providentia: ne forte iratus Deus contra fermones tuos, diffipet cuncta opera manuum tuarum. Ecclef. 5.

Omnia in menfura, & numero, & pondere difpofuifti. Sap. 11.

Cum fis juftus, jufte omnia difponis. Sap. 12.

Pufillum & magnum ipfe fecit, & aqualiter cura eft illi de omnibus. Sap. 6.

Attingit a fine ufque ad finem fortiter, & difponit omnia fuaviter. Sap. 8.

Non eft alius Deus quam tu, cui cura eft de omnibus. Sapient. 12.

Cum magna reverentia difponis nos. Ibid.

Tua autem, Pater, providentia (cuncta) gubernat. Sapient. 14.

Altiora te ne quafieris: non eft enim tibi neceffarium ea, qua abfcondita funt, videre oculis tuis, Eccli. 3.

Nubes latibulum ejus, (ajunt impii.) *Non noftra confiderat, & circa cardines cæli ambulat.* Jobi 22.

Dixerunt (impii) Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Ezechiel. 9.

Quis praparat corvo efcam fuam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos? Job cap. 38.

Vos qui dereliquiftis Dominum, qui obliti eftis montem fanctum meum, qui ponitis Fortuna menfam, & libatis fuper eam. Ifaiæ 65.

Omnes via tua parata funt, & tua judicia in tua providentia pofuifti. Judith. 9.

Ego cognovi te in deferto, in terra folitudinis. Ofee 13.

Quarite primum regnum Dei, & juftitiam ejus, & hac omnia adjicientur vobis. Matth. 6.

Ne folliciti fitis anima veftra quid manducetis, neque corpori veftro quid induamini: nonne anima plus eft quam efca, & corpus plus quam veftimentum? Ibidem.

Refpicite volatilia cæli, quoniam non ferunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vefter cæleftis pafcit illa. Nonne vos magis pluris eftis illis? Ibid.

Si fænum agri, quod hodie eft, & cras in clibanum mittitur, Deus fic veftit: quanto magis vos modica fidei? Ibidem.

Nolite folliciti effe in craftinum, craftinus enim dies follicitus erit fibi ipfi. Ibidem.

Nonne duo pafferes affe veneunt: & unus ex illis non cadet fuper terram fine Patre veftro? Matth. 10.

Veftri capilli capitis omnes numerati funt: multis pafferibus meliores eftis vos. Ibidem.

Confiderate corvos, quia non feminant, neque metunt, quibus non eft cellarium, neque horreum, & Deus pafcit illos. Luc. 12.

Omnem follicitudinem veftram projicientes in eum, quoniam ipfi cura eft de vobis. 1. Petri c. 3.

Veteris, Novique Teftamenti Exempla.

QUin immoremur eam confiderantes rationem, qua Providentia in mundi politici regimine ufa eft, & modum, quo eum fervavis ordinem, quem ipfa in univerfo conftituit, iftic afferemus exempla infigniora peculiaris ejus curæ, qua hominibus juftis profpexit.

Exemplum providentiæ erga Noe diluvino tempore.

Vetuftiffimum, celeberrimumque Providentiæ miraculum illud eft, quod in gratiam Patriarchæ Noe operata eft, cujus elogium Spiritus fanctus contexuis. Cum nefaria fcelera, quæ paffim graffabantur in terra, Dei quidem patientiam fatigaviffent, juftitiam vero irritaffent, Creator hominum iniit confilium delendi opus fuum, atque univerfali cataclyfmo homines fimul, & animantia, quæ vivebant in terria, obruendi. Cum autem tot inter fontes unus inveniretur juftua Noe, hic electus fuit humani generia reparator, juffus a Deo Arcam ædificare, ut illius fervaret reliquias ad ejus tantummodo familiam redigendas. Si maxime terribilis fuis divinæ Juftitiæ effectus, qui ad illud ufque tempus vifus fuerit, terram univerfam hoc pacto inundare, dicere quoque poffumus, providentiam nunquam magis enituiffe, quam jufto Noe præfcribentem modum, quo fe, fuofque ab univerfali eriperet naufragio, eique tempus præbentem Arcæ extruendæ, quæ caperet eos paucos homines, atque animalia, quæ iterum totum terrarum orbem fœtibus erant repletura, atque fingillatim tradentem dimenfionem, divifionem, divifionefque diverforum conclavium Arcæ ejufdem, ac eas diftinguentem animalium fpecies, quæ illuc erant ingreffura . . . Deinde vero quanam cura providentia deduxis navim hanc, quæ fluctuabat fine ullo nauta, a quo regeretur, dum interim reliqui mortales, qui in ludibrium fibi verterant labores, & præcautiones Noe, hoc diluvio abforpti fuerunt.

Exemplum providentiæ erga Moyfem.

Confideremus in Exodo parvulum Moyfem Nili fluctibus innatantem, vimineis impofitum incunabulia, & aquarum arbitrio traditum. Hoc unum ex illia objectis eft, ex quibus providentiæ miracula melius intelligimus. Pueri mater hominum furorem metuena illum forti reliquerat: foror adhuc eminus illum profpiciebat intuitura, quid illic accideret; fed nil ejus infirmitas conari poterat, ut illum præfenti periculo liberaret. Interim Deus fit

parvu-

parvulæ hujus scaphæ nauta, & ecce quomodo puerum incolumem servat providentia. Utitur hæc ejusdem Pharaonis filia, quæ secus fluminis oram deambulans miseratione ducta pueri, quem fortuito adspexit, illum ad se jussit adferri. O admirabile providentiæ consilium! dedit infantem hunc alendum matri, a qua in lucem editus fuerat, & quam soror ejus, quæ, cum non procul abesset, accersivit. Regina deinde adoptavit, atque in ædibus suis enutriri jussit illum, qui, quidquid Pharao adniteretur, affecturus erat, ut omnia primogenita Ægypti occidione delerentur, & deinde ipse Pharao cum toto exercitu Ærythræi maris fluctibus submergeretur.

Exemplum providentiæ erga Abraham.

Inter Sancti Patriarchæ Abraham virtutes principem, & fontem omnium benedictionum, quas Deus in illum, omnemque illius posteritatem effudit, jure affirmare possumus fuisse submissionem divinæ providentiæ mandatis; quod ipsum totus vitæ ejusdem decursus liquido ostendit. Statim quidem huic viro diviti, & qui in patria sua magni nominis erat, præcepit, ut in ignotam concederet terram, quam nonnisi tanquam exilium poterat considerare; coegitque hominem hunc, qui pacatum domi vitam vivebat, ut longi itineris laborem susciperet, quin quid eventurum esset cognosceret. Vult denique Deus hominem omni bonorum genere affluentem repente pauperem fieri illi promittendo futuras opes, quarum nonnisi imaginem, ac spem animo concipere poterat. Neque illi signanter præscriptus fuit locus, quo esset iturus; jussus fuit dumtaxat exire, omnia relinquere, omnino confidere in Deo, atque futura omnia eidem committere. Quisnam posset, S. Augustinus ait, hujusmodi cedere imperio, quin vivam haberet fidem, stabilemque in hac divina providentia confidentiam? Attamen sanctus hic vir non hæret, huic respondet imperio illud statim exequens: rebus omnibus oculos claudit, præterquam Deo, quam unice tanquam ducem sequitur: ita videmus in Scripturis, quomodo illius curam gessit providentia, quæ effecit, ut ille plura iis, quæ reliquerat, inveniret. Eadem paternæ hujus providentiæ cura animadverti potest erga sanctum hunc Patriarcham in reliquis omnibus actionibus, & eventibus, in quibus semper fuit submissionis divinis imperiis exemplum.

Exemplum providentiæ erga Isaac, & Jacob.

Isaac, qui providentiæ filius appellari potest, perfecte hac in re patris sui virtutem imitatus est, ideoque eosdem etiam expertus est effectus, quos operosum nimis esset referre . . . Sed dicere possumus, amantissimæ hujus providentiæ curam magis adhuc erga Jacob filium ejus enituisse. Non sine peculiari Dei numine, atque consilio factum est, quod hic minor natu paternam benedictionem reciperet de primogeniti jure dejecto Esau, qui major erat natu; neque potest aliquis considerare quomodo hoc acciderit, quin divinam admiretur providentiam, quæ ita disposuit. Ejus egressio de paterna domo, patientia, diuturni labores illius, opera, quam ille præstitit Labano socero suo, reditus in patriam; verbo, omnes vitæ ipsius casus aliquibus divinæ erga ipsum providentiæ vestigiis connotati sunt; & plerique Sancti Patres credunt, mysticam scalam, quam vidit in somnis, symbolum fuisse eorum, quæ deinceps in persona illius erant adimplenda, & imaginem providentiæ, quæ noverat a terra ad cœlum usque attingere, ac universa sapientissime moderari. Apparuit illi Deus in scalæ hujus vertice, ut ostenderet, unum ipsum, absolutamque ipsius voluntatem esse primam causam, & quodammodo primum mobile entium, quæ fiebant. Angeli ascendentes, atque descendentes designabant absolutam potestatem, quam in omnia creata Deus habet, & quomodo noverit deducere inferiora per ea, quæ illis sunt superiora. Diversi illi gradus connotabant etiam divina providentiæ instrumenta, quæ efficiunt veluti divinam quandam catenam, cujus cavendum est, ut ne unus quidem infringatur annulus, quoniam per hanc seriem mediorum a Deo ordinatorum alii quidem attolluntur, alii vero deprimuntur.

Exemplum providentia erga Joseph.

Joseph in gravissimis, quibus premebatur, persecutionibus adoravit providentiam affligentem se, ac tandem vidit ejus mysterii explicationem, cui sese subdiderat, quin illud vellet penetrare. Nunquam fortasse melius eluxit omnipotens hujus providentiæ consilium, ut quod contendebat, evinceret usa illorum ipsorum oppositione, qui sibi adversabantur. Qui illum vidisset a propriis fratribus ad necem conquisitum, quos miserationis reliquiæ da suscepta mortis illi inferendæ sententia deterruerunt suadentes, ut illum potius veluti mancipium venundarent. Qui illum vidisset falso de teterrimis criminibus accusatum, atque in horrentem carcerem detrusum, credidissetne hanc viam esse, per quam ad sublimem fortunæ apicem erat perventurus? Tuum tantum est, o Domine, mysticas ingredi vias, ut eos, quos deprimis, attollas. Hæc secreta sunt, quæ, ut olim Joseph, adorare debemus.

Exemplum providentiæ in David.

Sanctus Rex David proculdubio inter insignia numerandus est exempla, per quæ providentia ostendit, qua ratione utatur, ut quod proposuit, eveniat. Satis est cogitare, quomodo ad regni solium humilem pastorem evexerit. Victoria, quam de Goliath reportavit, primus fuit ad coronam gradus; per illam enim ingressus est in familiam Saul, ejusque filiam uxorem duxit. Deinde providentia eadem, quæ ipsum adeo sublimi honori destinaverat, illi patrocinata est contra invidiam, & odium Saul, qui infensissime illum persequebatur. Postquam vero factus fuit Rex potens, ac præclaris rebus gestis magnam nominis gloriam fuit adeptus, proprii filii rebellione oppressus fuisset, nisi hæc eadem illi opem tulisset providentia, quæ dissipavit consilium, quod Achitophel præbuerat, & quæ illi victoriam acquisivit. Sed quemadmodum providentia nunquam Sanctum Regem hunc dereliquit, ita hic fuit disertissimus providentiæ encomiastes. Omnes illius Psalmi repleti sunt laudibus, quibus illam celebrat: & illos ideo conscripsit, ut omnes excitaret homines ad confidentiam suam in Dei providentia collocandam; postquam toties validissima ejus auxilia expertus fuit.

Providentiæ exemplum in duobus Tobiis patre, & filio.

Peculiaris cura, quam providentia suscepit de utroque Tobia, patre scilicet ac filio, in sermone de providentia prætereunda non est. Nemo erat in terra justior Tobia, qui, Scriptura teste, in ipsa infantia omnem consummatæ virilitatis maturitatem habebat. In captivitate semper fidelis veri Dei cultui adhæsit; & dum cæteri sese rapi sinebant torrente consuetudinis, & exempli, ut ad vitulos aureos adorandos sese conferrent; ille contribulibus suis egenis ferebat opem, mortuis parentabat, atque omnibus bonis operibus vacabat. Non fugit, qua cura Dei providentia illius incolumitati studuerit, & quomodo tandem illum affligi passa est, ut virtus ejus magis elucesceret. Sese etiam in filium ejus extendit paternæ sanctitatis imitatorem, cui data opera Angelum misit longi itineris, quod necessario ingressurus erat, ducem, & præsidium in omnibus periculis, quæ illi ingruerunt. Angelus autem cum eum sospitem, atque beneficiis cumulatum in patriam reduxisset, tandem prodidit se unum esse ex Spiritibus cœlestibus, qui adstant ante thronum Dei, a Deo unice missum, ut illius gereret curam, patremque simul ac filium alta reliquit admiratione demersos, ac summam Dei erga se bonitatem laudantes.

Exemplum providentiæ erga Mardochæum.

Quot videmus casus divina disponente providentia in gratiam bonorum in eadem confidentium accidere? Aman cædem, exitiumque Mardochæo minitatur; jamque crucem paravit, de qua ille suspenderetur; neque aliquid ipsum moratur præter Assueri consensum, quem se tenet certo consecuturum. Sed providentia innocentiæ incolumitati invigilat; permittit Deus regem hunc per noctem somnum capere non posse; imperare, ut sibi earum rerum, quæ a regni sui primordiis acciderunt, monumenta legantur; ac forte incidere in conjurationem quamdam, qua prope fuit, ut ex regni solio, & viventium

numero exturbaretur, nisi a Mardochæo certior factus fuisset; inde sciscitari quodnam viro huic pro tantis in Regem meritis collatum fuerit beneficium; & nullam illi gratiam relatam fuisse, cognoscere. Historiæ seriem nostis, eas tantum reputate circumstantias, quas memoravi: nonne in regis vigilia, in annalium lectione, in conjurationis hujus occursu, in curiositatis, animique grati sensu palam visibilis providentiæ, quæ vitæ Mardochæi curam gerebat, consilia deprehenditis?

Alia miraculosa providentiæ exempla erga eos, quos diligit Deus.

Quamvis ea in ope, quam Deus amicis suis tribuit, ille vulgo communem dumtaxat suam potentiam adhibeat causas ita disponens, ut effectus sint naturales: attamen providentia non pepercit miraculis, ubi necessaria fuerunt; quemadmodum egit cum Elia Propheta, quem aluit corvi ministerio quotidie escam afferentis in specu, quo ille ad evitandam persecutionem Achab se contulerat. Miraculo pariter usa est erga Danielem, ad quem cibum misit, cum in lacu leonum detineretur, per Prophetam Habacuc, qui per capitis crines apprehensus repente illuc, ubi Daniel erat, translatus fuit. Sed inter cætera providentiæ miracula illud omnium maxime adorabile fuit, quo quadraginta annos manna cibavit populum Dei in deserto, miraculo adhuc magis insigni eductum de Ægypti captivitate. Cibus hic quotidie de cœlo labebatur, eumque populo suo distribuebat Deus, prout ille indigebat; quod adeo perfectam illi contulit valetudinem, ut Sacer Textus in tribubus eorum nullum fuisse infirmum affirmet. Illud vero adhuc erat admirabilius, quod esca illa quantumvis simplex, præclarissimas tamen habebat qualitates, & se gustui singulorum accommodabat.

Providentia enituit in multiplicatione panum a Deo facta.

In novo testamento præcepta simul habemus, quæ Salvator irrogavit, & exempla, quæ præbuit ejus confidentiæ, quam in providentia constituere debemus. Præcepta explicita sunt cap. 6. S. Matthæi, quod ferme totum hujus est argumenti, & cap. 12. S. Lucæ. Illustria vero nobis dedit exempla duplici præsertim in occasione per multiplicationem paucorum panum, & aliquot piscium, quibus innumeram aluit populi multitudinem hominum circiter quinque millium, qui illum secuti fuerant in desertum sine ullo commeatu, ac sine ulla spe, sed tamen sine impatientia, & sollicitudine, quod post tres itineris dies se rerum omnium egenos conspicerent. Salvator se eorum misereri testatus est, & credidit, inclementer se facturum esse, si illos sine ope relinqueret, & negligeret alere eos, quorum egestatis erat causa. Quamobrem, postquam illos eo redegit, ut omnipotentiæ suæ ope omnino indigerent, concludit S. Augustinus, si opus clementiæ fuit in Salvatore ita multiplicare quinque panes, ut quinque hominum millia saturarentur, fuisse quoque actum justitiæ debitum populo, qui illum secutus fuerat, & justificationem providentiæ suæ, ac præsertim probationem, qua omnibus fidelibus ostendere tenebatur fieri non posse, ut aliquis deseratur, qui in omnibus necessitatibus suis in illa confiderit.

Confidentia in providentia, quam habuit S. Joseph sponsus B. Virginis.

S. Joseph egregium est exemplar ejus confidentiæ, quæ in providentia divina collocanda est. Angelus sancto huic viro in somnis apparuit, ac Dei voce præcepit illi, ut cum Jesu, & Maria in Ægyptum aufugeret. Omnia Josepho persuadebant in Judæa permansionem; res sua, studium, cognati, amici, requies, necessitas, & facilitas victus sibi comparandi, totidem erant vincula, quæ illum retinebant; e contra vero omnia illum ab hoc itinere deterrere videbantur, viæ longitudo, inopia, & necessitas, in qua erat omnium vitæ commodorum, quippe qui nullum habebat viaticum, nullum commeatum, ac incertitudo, ubi itineris tempore diversaretur, & unde victum sibi compararet, cum ad itineris terminum pervenisset. Hos omnes perfregit obices, quin hæreret, quin vel unum momentum cunctaretur, illius fretus auxilio, a quo iter suscipere jubebatur.

Providentia Salvatoris erga Apostolos & Apostolorum cõfidentia in eadem.

In Evangelio non alia desunt exempla, neque occasiones aliæ, ubi Salvator in terris vivens visibili, & miraculoso modo egestatibus hominum consuluerit; sed cum Apostolis suis hoc magis efficaci, licet occulto, egit modo; quia cum illos sine pecunia, & commeatu misisset ad erudiendos civitatum, & oppidorum Judææ populos, interrogavit eos, utrum aliquid ipsis defuisset; & nihil a se unquam desideratum fuisse palam testati sunt; quod fieri non potuit sine peculiari providentia, quæ curam suscepit illis suppeditandi, quidquid ad victum erat necessarium. Post Salvatoris mortem Apostoli, & discipuli ejus longe apertissimos providentiæ effectus experti sunt; quippe qui in extremas terrarum penetrarunt oras, atque semper inter barbaras nationes versati sunt quavis ope humana destituti. Satis est autem adhibere S. Paulo suos enarranti labores, ea, quæ subiit, pericula, persecutiones, quas passus est, atque omnis humani auxilii carentiam, ut statim judicium ferre possimus, nisi confidentia in providentia divina illi fuisset opitulata, eum millies fuisse moriturum. Hoc ipsum de aliis Apostolis dicendum est.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum huic Argumento.

Divinæ providentiæ de nobis consilia nos modo latere, aliquando nobis a Deo detegenda.

QUod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Jo: 13. Certi esse debemus, nos a Deo deduci, nobisque cum in iis rebus omnibus, quæ accidunt, dicere, quod olim Jesus Christus Petro, cui pedes erat abluturus: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Hi morbi, hæ calamitates, hæ persecutiones vobis ad interitum esse videntur: *Tu nescis modo.* Quomodo hoc scis, & quisnam hoc dixit tibi? Huc fortasse te redegit Deus, ut inde beatior emergeres: *Scies autem postea.* Hæ injustitiæ, quæ tecum exercitæ fuere, hæ calumniæ, quibus obrutus fuisti, hæc oblivio, hic contemptus, in quo haberis, illata tibi videtur contumelia; *Tu nescis modo.* Hæc tamen Josepho tutissima fuit ad sublimem fortunam via; tibi autem erit? *Scies autem postea.* Licet hæc omnia pro præsenti fortuna nihil essent, quid erunt tibi pro æternitate? Hoc non intelligis modo, Anima christiana, sed intelliges aliquando, cum revelabit Deus providentiæ suæ secreta, atque manifestabit consilia, per quæ te ad finem, quo cupiebat, perduxit.

Terrenarum rerum anxia cura inexcusabilis est homini Christiano.

Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Matth. 6. Non cura, sed nimis anxia cura interdicitur. Hæc sollicitudo in infidelibus toleratur, sed in Christianis inexcusabilis est; sibi fidem, atque confidentiam adesse testatur, qui his in rebus immodicis sese timoribus torquet; at nonne hic quodammodo fit infidelis? Nihil hac sollicitudine iniquius est; ad quam avertendam validissimæ rationes nobis ab eodem Jesu Christo afferuntur. Deus, inquit ille, Pater vester est, & Pater vester cœlestis, atque novit, quibus rebus indigeatis. Si ergo novit vestras necessitates, nequaquam credere debetis, illis minime opem ferre, quod easdem ignoret. Si Pater vester est, & Patrum omnium optimus, licetne vos de illius bonitate, & cura erga vosmetipsos diffidere?

Sollicitudo pro vitæ hujus bonis Ethnicorum est, & idololatrarum.

Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Matth. 6. Dei filius nos admonet, quod pro vitæ hujus necessitatibus torqueri est Ethnicos imitari, qui providentiam ignorantes, neque alia, nisi hæc præsentia, cognoscentes bona, potiori jure illa consectantur. Postquam vero hanc nobis severitate, atque acrimonia plenam exprobrationem attulit, ut nos ex hoc sopore excitet, atque salutarem imprimat verecundiam nos Ethnicis comparans, consolatur nos dicens Deum esse patrem nostrum, eumque scire, quibus rebus indigeamus: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Hoc sane mentibus nostris omnem afferre debet tranquillitatem, nosque cogere, ut omnes illi curas permittamus tanquam filii, qui nequaquam laborant, ubi

victum,

victum ; atque vestimenta comparent sibi , unice in parentibus suis confidentiam omnem constituentes. Deus, qui omnia moderatur, Pater noster est, sed pater æque bonus, ac potens, qui videt, quidquid in terris fit, & perfecte novit, quibus indigeamus.

Omnem sollicitudinem vestram prejicienses in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 1. Petri 5. Hoc sane multum est, velle hominem, qui sexcentia necessitatibus premitur, qui litibus urgetur, qui inimicorum caterva septus, & filiorum alendorum corona circumdatus est, velle inquam, hunc omnem abjicere sollicitudinem : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes*. Quid autem promittit Deus, ut hoc a nobis obtineat? Multum profecto promittit, videlicet ipsum nostri curam habiturum : *Quoniam sibi cura est de vobis*. Hoc sane multum est, atque infinitum faciemus quæstum, cum omnes cæci, infirmi, miserique hominis curas abjiciemus, ut mereamur curam Dei, qui infinite perspicax est, atque omnipotens, ut nobis ferat auxilium: etenim quamvis Deus rerum omnium curam gerat, atque generalis illius providentia sese in omnes late extendat, hic de peculiari agitur cura, deque peculiari applicatione, quam Deus justis pollicetur.

Quanam fit utilitas in Deo confidendum.

Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente? Quis audet dicere, aliquid injussu Dei contingere posse? In iis, quæ nobis accidunt, malis nequaquam succensere debemus, vel fortunæ, vel imprudentiæ, vel pravæ hominum voluntati : sed illa accepta referenda sunt uni Deo omnia secundum providentiæ suæ ordinem disponenti, atque moderanti ; ita ut nihil in mundo considerare debeamus præter Deum, & nos. Hoc est fundamentum confidentiæ, quæ in Dei providentia habenda est. Ita quidquid peccatum non est, hoc Deus non permittit solum, sed vult. Permittit crimen hominis, a quo affligimur, & injuste agitamur : non quod actionis improbitatem velit ; sed hoc est instrumentum, quo utitur providentia, ut nostri periculum faciat, vel ut nos puniat. Quamobrem si quis de iis queritur malis, quæ sibi ingruunt, de Deo, deque hujus providentia proprie conqueritur. Noli respicere Semel tibi convicia ingerentem, vel te afficientem contumelia, sed Deum per Semei te humiliantem. Ne respicias Absalonem, qui persequitur David, sed Deum per Absalonem in David animadvertentem.

Nihil in hoc mundo accidit, quod Deus minime velit, atque permittat.

Flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, non ad perditionem nostram evenisse credamus. Judith. 8. His verbis prudens, ac virtute prædita Judith Bethuliæ cives consolabatur ea in obsidione, qua jampridem premebantur : credamus, ajebat illa, hæc mala, quæ patimur nobis, ad correptionem, non autem ad interitum missa fuisse. Et profecto hæc veritas est, de qua nobis persuasum esse debet, ea omnia, quæ providentiæ jussu hac in vita nobis accidunt, ad nostram accedere utilitatem, seu in gratiæ, seu in peccati statu versemur. Unicum culpæ malum excipiendum est; at si peccatores intereunt, atque damnantur: hæc pœna in eorum utilitatem non cedit ; sed donec in hac vita sumus, omnia pœnæ mala a Deo ad nostram mittuntur utilitatem: permittit etiam nonnunquam Deus, ut in peccatum labamur, non quod nos labi velit, sed labi sinit, ut humiliores fiamus.

In ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tua voluntati resistere. Ephes. 13. Necessitas est, nosmet adorabilibus hujus providentiæ imperiis subjicere ; velis enim, nolis, id fiet, quod Dominus voluerit. Præstat igitur nos leniter duci, quam vi trahi. Ita est, S. Augustinus inquit, extra omnem dubitationis aleam situm est, quod creatura velit, nolit, Creatoris sequitur voluntatem; si hanc ultro sequatur, munere suo perfungitur id faciens, quod debet; sin autem resistat, eamque sequi detrectet, ipsa tamen invita facit, quod ultro facere deberet ; quia Dei voluntatem exequimur etiam ab ea recedendo. Hinc S. Augustinus duo ista distinguit, servare ordinem providentiæ, & ejusdem providentiæ ordine retineri. Potest quilibet ordinem hunc non servare, vel sese eidem non submittere, hoc enim cuilibet integrum est ; sed nemo hunc fugere potest ordinem, neque enim in nobis positum est avitare, vel pati, quod ut nobis eveniret, decrevit Deus. Hinc videtis, necessario nos quoquo modo providentiæ esse subjectos.

Necessitas nos cogit, ut nosmet providentiæ subjiciamus.

Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo, & in terra. Matth. 6. Si bene perpendimus vincula, quibus creatura Creatori adhæret : si rite consideramus nos servos illius esse, & ipsum Dominum nostrum ; ipsum Regem esse nostrum, & nos subditos ejus ; ipsum Patrem nostrum esse, nos autem filios ipsius, facile intelligemus opus esse, ut eidem obtemperemus. Hæc autem obligatio nequaquam in eo tantum posita est, ut illius mandata exequamur, neque illa violemus ; sed præterea ut voluntati illius subjecti simus, neque providentiæ ejusdem nutibus obsistamus, quæ est quædam veluti generalis, habitualis, & constans obedientia, quæ se extendit ad ea omnia, quæ Deus vult, & jubet ; & quemadmodum nihil jubet, quod minime velit, vel non permittat, nos ideo illi in omnibus, omnibusque momentis obtemperare possumus. E contra vero cum illi resistimus, quotuplici inobedientiæ crimine alligamur? tot sane, quot ipse habet jura, præcipiendi, impetandi, ac obedientiam exigendi.

Præstantissima ratio parendi Deo est nosmet providentiæ ipsius imperiis subjicere.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententia Sanctorum Patrum hujus argumenti.

SIc (Deus) unumquemque nostrum tanquam solum curat, & sic omnes, tanquam singulos. August. lib. 3. confess. cap. 11.

Nulla creatura est, quæ non, velit nolit, divinæ Providentiæ serviat. Idem in Expos. Epist. ad Galat.

Tu Dei servo, tu bonis operibus dedito aliquid existimas defuturum? unde tam incredula cogitatio? quid facis in domo Domini perfidum pectus? Idem.

Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes : nihil enim tibi evenire permittit, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. Idem in Soliloq. cap. 15.

Projice te in eum, non se subtrahet (Deus) ut cadas; quid timet hominem homo in sinu Dei positus? quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Idem, lib. 2. confess. cap. 11.

Si Dei Providentia non præsidet rebus humanis, nihil de Religione satagendum. Idem, lib. de utilit. credendi.

Non in toto corde confitetur Deo, qui de Providentia ejus in aliquo dubitat. Idem in Ps. 9.

Quidquid hic accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de Providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. Idem, in Ps. 148.

Sit homo qui esse debet, mox ei addentur omnia per quem facta sunt omnia. Hieron. in c. 6. Matth.

De divina miseratione tunc sperandum amplius est, cum præsidia humana defecerint. Ambros. in Exam.

Mundi unus est rector, qui universa quæ sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Cyprian. Serm. quod Idola non sint Deus.

Deus in omnia sufficit, nec potest esse perspicaciæ prævaricator. Tertullian.

Tam nemo Pater, (quam Deus.) Idem, lib. de Pœnit.

Quis coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse temeritatis reliquus potest? Boet. lib. 5. de consol. pros. 1.

Miro modo fit, ut quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia ejus consilio militant etiam, quæ ejus consilio repugnant. Greg. lib. 6. Moral.

Quis tam furiosus, ut cum Dominum Creatorem

omnium non neget, gubernatorem neget? & cum autherem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit? Id.

Inenta est mihi illa majestas, cui gubernatio pariter, & administratio universitatis incumbit, & cura seculorum. Bernard. serm. 46. in Cantic.

Sicut plus est Deus, quam omnis humana ratio; sic mihi plus videri debet, quod a Deo cuncta agi cognosco. Salvian. contra gentes.

Quod si melius geruntur ea quæ consilio, quam quæ sine consilio geruntur, nihil omnium rerum melius quam omnis mundus administratur, consilio igitur mundus administratur. Ciceru, lib. 2. de Invent.

Cura tua cura hominis est: Deo autem de omnibus cura est; noli tu de tuis curare, ne Deus de illis minus provideat. Chrysostum. Homil. sup. Mathæum.

In Dei administratione, multa a nobis nisi in obscuris ænigmatibus perspici nequeunt: sive hac ratione arrogantiam nostram coercere velit, sive nos ad æterna revocare. Gregor. Nazianz. orat. 17. post reconcil.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu hoc in argumento depromi possit.

Providentiæ definitio.

RAtio, rectus sensus, & fides nos docent, adesse providentiam, quæ universa hæc moderatur. Verum quid hæc est providentia? Theologi cum ecclesiæ Patribus trifariam illam definiunt. 1. Dicunt cum Boethio lib. 4. de Consol. Prosa 6. *Providentia est divina ratia in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit*; hoc est, quemadmodum strictius, & clarius a S. Thoma 1. p. q. 22. art. 1. explicatur: *Est ratio ordinis rerum omnium in finem, in Deo existens*. Ratio est, per quam Deus cum ordine omnia ad finem perducit. 2. Cum S. Jo: Damasc. lib. 2. Fid. cap. 29. dicunt: *Est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem accipiunt*. 3. Et addunt cum S. Thoma virtutem esse operantem, omniaque ad finem impellentem. Ratio est ordinis, hæc illius sapientia est: voluntas benefica, hæc illius bonitas: virtus operativa, hæc ejus est omnipotentia. Tres istæ adorabiles perfectiones ad creaturarum, quas produxit Deus, utilitatem applicatæ, id efficiunt, quod providentiam vocamus.

Providentia alia naturalis est, alia supernaturalis.

Quemadmodum duo sunt fines generales, ad quos creata destinata sunt, alter quidem naturalis, alter vero supernaturalis; ita & duo sunt providentiæ genera, alterum, quo Deus rebus prospicit omnibus secundum earum naturam eum servans ordinem, quem ipse in mundo constituit, alterum, quo regit creaturas sublimioribus consiliis, quæ referuntur ad finem, quem illas creans sibi proposuit. Finis hic dicitur supernaturalis; superat enim omnes naturæ vires, & nonnisi extraordinario, & gratuito acquiri potest concursu, quem liberaliter concedit Deus præter illum, qui naturæ debetur.

Plures etiam providentiæ species in Deo possunt distingui.

Divinæ interest providentiæ consulere necessitatibus totius hominum communitatis generatim; quæ universalis providentia potest appellari; & quia singuli homines sunt membra hujus communitatis, interest etiam providentiæ singulorum prospicere necessitatibus, eaque particularis dicitur providentia: & quia in singulis hominibus nihil præstantius, & dignius est anima immortali, interest quoque providentiæ æternis animæ necessitatibus prospicere: & quod tandem corpus mortale, ac tempori subjectum est animæ instrumentum in operationibus ejus, est etiam providentiæ temporalibus corporis necessitatibus consulere; quam temporalem voco providentiam. Vel nulla est providentia, vel hæc omnia complectitur officia.

Omnia divinæ providentiæ subjecta sunt, & erga Deum nihil est fortuitum.

Cum quidquid in mundo accidit, divinæ providentiæ subjectum sit, quemadmodum demonstrative probat S. Thomas articulo secundo quæstione 22. sequitur, casus omnes, qui accidunt, & quidquid fortuitum appellatur, non esse tale nisi habita ratione causarum particularium, quæ prohiberi possunt; ne suos effectus producant, sed cum subjectæ sint causæ generali, & supremi, nihil est, quod ordini per eam constituto sese valeant subtrahere. Hinc fit, quod quidquid nobis fortuitum est, a Deo prævisum est, imperatum, vel permissum. Hoc principio refellitur sententia Stoicorum, qui agnoscere videbantur vim superiorem, quam fatum vocabant: *Fatalem necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat*, ut loquitur Seneca lib. 2. Nat. quæst. c. 35. Sed manifesta contradictio est, asserere aliquid in mundo esse fortius Deo; hoc enim efficit Deum pendere ab eo, quod ipso fortius est, ideoque illi aufert divinitatem in id, quod a nemine pendet, transferendam. Præterquamquod hæc sententia, quæ a Sanctis Patribus, & præsertim a S. Augustino impugnatur, omnino hominis libertatem evertit.

Quamvis homo liberum habeat arbitrium, tamen providentiæ ordini subditus est.

Tradit Deus hominem in manus consilii sui, quin ideo cesset homo divinæ providentiæ ordini subditum esse; hæc enim traditio non aliud significat, quam libertatem, atque indifferentiam ejus, quatenus non est ad unam tantummodo operationem coarctata, veluti virtus rerum naturalium, quæ mutæ sunt, & ad finem suum aliena vi, non autem per seipsas adductæ. quippe quæ actuum suorum non habent arbitrium. Et eædem actiones, quæ ex libero proficiscuntur arbitrio, adhuc subjectæ sunt divinæ providentiæ, quatenus ad Deum, tanquam causam suam, possunt reduci; quod non prohibet, quominus pro animabus justis Deus peculiarem habeat providentiam. Ita cum Boethius loquitur de immutabilitate rerum, quæ divinæ providentiæ subditæ sunt, hoc intelligitur de infallibili certitudine, quæ in Dei providentia invenitur, quæ nunquam deficit, non autem de effectibus, quorum alii quidem necessarii sunt, alii contingentes.

Deus immediate omnia moderatur.

Duo ad providentiam pertinent; alterum est ratio ordinis rerum ad finem suum tendentium; alterum est hujus ordinis executio, ipsa videlicet gubernatio. Deus autem, ex D. Thomæ sententia, immediate rebus omnibus consulit secundum rationem ordinis, quo ad finem suum feruntur. Sed quod spectat ad hujus ordinis executionem, Deus non omnia immediate gubernat; sed ea moderatur, ac dirigit interventu superiorum, ut in omnibus mundi hujus rebus constituat subordinationem, quod in ipso non est impotentiæ, sed præstantiæ, bonitatis, & dominationis argumentum; non secus ac in principibus supremis dignitatis, & præstantiæ nota est subditos, & ministros habere suo parentes imperio, qui eorum mandata exequantur. Sed ignorare causam, ac rationem rerum, quæ ministrorum suorum accidunt opera, hic sane in principe insignis esset defectus.

Providentiam adesse, qua mundus gubernatur.

Dubitanter inquirere utrum in Deo sit providentia, quæ peculiariter sibi depoposcerit provinciam regendi mundum hunc, quem ille creavit; hæc, ex Clementis Alexandrini sententia, ex iis quæstionibus est, quæ punitionem potius, quam responsionem merentur. Quoniam ambigere de providentia, est ambigere, utrum mundus subsistat ex partium componentium conservatione; est ambigere, utrum cœli, & sydera super caput nostrum in orbem ferantur, utrum variæ sint anni tempestates, utrum in terris creaturæ sint; quippe ne una quidem est, cujus structura, qualitates, & operationes non sint totidem probationes adesse supremam potestatem, qua creata fuit, & supremam sapientiam, qua ad finem deducitur.

Dei existentia, sapientia, potentia, providentia res sunt adeo essentialiter conjunctæ, ut ex sapientissimorum Ethnicorum sententia, si datur prima, & universalis causa spiritusque dominans, ac essentiam, vitamque tribuens iis omnibus, quæ existunt, necesse etiam est, hanc universarum curam suscipere, cumque sit velut immanis hujus corporis anima, sese super omnes illius partes effundere. Impii tantum, rudesque Ethnici docuere, Deum terrena

hæc

hæc negligere, præstitisset eos dicere, nullum omnino esse Deum; quippe Deum sine providentia concipere, idem est ac sibi fingere inane quoddam divinitatis phantasma. Deo providentiam auferre idem est ac auferre illi vel sapientiam, vel bonitatem, quæ sunt essentiales qualitates illius. Etenim vel nostram novit infirmitatem, vel secus; si primum, caret sapientia; sin alterum, quin afferat medicinam, caret bonitate.

Rationes eædem, quæ probant Deum in mundo probant etiam esse providentiam.

En tibi argumentum, quod omnes continet probationes, quæ afferri consueverunt contra impios, ac flagitiosos homines, ut de providentiæ veritate persuadeantur. Unus est Deus; omnia hoc nobis annuntiant; existentia illius indelebilibus scripta est characteribus in rebus omnibus, immo etiam in corde tuo. Igitur & providentia est; hic enim Deus non existeret, nisi sapiens esset: quæ autem illius esset sapientia, si fortuito eventui mundum, quem creavit, reliqueret? Ita rationes eædem, quæ Deum fuisse probant, simul & providentiam esse probant; vel potius utimur ordine, quem in magno hoc orbe videmus, & sapientia, qua gubernatur, quæ quidem nihil est aliud, quam providentia, ut probemus Deum esse, atque supremam intelligendi vim, quæ illum conservat, & quæ ordinem, quem ibi videmus, tuetur. Alias probationes fusius sub hujus tractatus finem afferemus.

Divinæ providentiæ ratio in humanorum criminum punitione.

Si Deus non semper impios post eorum crimina punit, nequaquam ibi inferendum est nullam esse providentiam. Divina Justitia sæpe aliqua utitur mora; sed nunquam Deus abjicit mentem hoc ocyus, vel serius faciendi. Nonnunquam exemplaria immittit supplicia, ut suam ostendat providentiam, atque sedet murmurationes eorum, qui dubitare possent; sed plerumque suum retinet brachium, seu daturus impiis spatium pœnitentiæ, & redimendi scelerum pœnam pretio bonorum operum; seu ostensurus se aliquid in futuram vitam reservare. Hac de causa sæpe videmus impios impunitate fruentes post nefarie facta, cum interim Dei justitia temporali pœna persequatur levissimas quaslibet bonorum noxas, illorum vero flagitia æternis suppliciis reservet.

Quod ad fortunæ pertinet bona, nemo potest ambigere, quominus providentiæ consilium sit eadem inæquali ratione distribuere. Deus enim sæpe manum aperit, & affluenter suas opes effundit in eos, qui abutantur illis, ut ostendat se bonorum suorum dominum esse, ac de illis pro sua, non autem nostra voluntate disponere: sæpe etiam illam claudit erga pauperes, qui eum enixius efflagitant, vel quia non vult sibi servitutem præstari spe commodorum, vel quia videt futurum, ut illi interreant, si affluenter ea possederint. Illius igitur commune consilium est bona hæc modo Justis, modo impiis elargiri. Cum justis illa impertit, illis subsidium præbet justitiam augendi bono illorum usu; pauperibus ea confert, quæ illis sunt necessaria, & calamitosis perfugium præbet: sed interea e re censet, justum nullam habere certitudinem semper, ac sine ulla intermissione rerum copia fruendi, ne in illis suam constituat felicitatem, & ne Deo ob lucri spem deserviat. Sed impiis etiam aliquam humanæ felicitatis portionem assignat providentia, seu ut per dona illos ad officium revocet, seu ut remuneretur, si quid unquam boni fecerint, antequam illos privet bonis æternis, seu denique in ira sua hæc illis bona concedit, quia inter opes, & copiam impii reprobationi suæ cumulum addunt.

Deus secundis utitur causis, ut providentiæ suæ consilia exequatur.

Verum est, Deum nemini concedere potestatem, & curam mundum regendi, ipsum per se sua exequi consilia, atque a se uno pendere, ut quodcumque sibi placuerit ad finem perducat. Sed hoc non prohibet, quominus quibusdam comminat Deus curam sua exequendi consilia, & imperia. Veritas hæc ad plurimos extenditur; ad divites erga pauperes; quamobrem divites vulgo providentiæ vicarii appellantur erga egenos, quibus subvenire tenentur ex eo, quod bonis sibi divinitus datis abundant; ad parentes erga filios, ad dominos erga famulos; & generatim ad superiores omnes erga eos, qui illis subditi sunt: hinc fit, quod qui obtemperant illis in iis, quæ non sunt contra Deum, subditus est imperiis providentiæ; qui vero illis rebellis est, providentiæ jussa detrectat.

Cum intersit providentiæ mortalium omnium necessitatibus generatim, & singulorum speciatim consulere, solum rationis lumen nobis ostendit providentiæ hujus ordinem expetere, quod generale bonum particulari præferatur; quemadmodum princeps totius imperii sui bono, & securitati prospicere debet, quin negotium illi facessat, utrum privati nonnulli aliquid inde capiant detrimenti, de quo jure conqueri nequeunt. Hoc solum principium, quod in dubium revocari nequit, satisfacere potest questubus, & murmurationibus, quæ contra providentiam fieri possent; quare permittat impios bonis admisceri, & simul cum bonis vivere; quare tot sint noxæ creaturæ, quæ in terris ad aliarum excidium positæ tantum videntur; quare tanta sit in conditionibus, & in bonorum mundi hujus divisione inæqualitas. Qui non æque ac alii affluentem bonorum copiam sortiti sunt, vel qui ex hoc ordine a Deo constituto aliquid mali patiuntur, jurene conqueri possent, si cogitarent hæc omnia pro communi bono, & pro universali providentia esse necessaria, quandoquidem singuli ibi suam nanciscuntur utilitatem, quæ non semper in principum regimine invenitur.

Divinæ providentia animarum potius, quam corporum nostrorum invigilat utilitati.

Credendum non est providentiam temporalibus tantum negotiis nostris invigilare debere; si enim Deus, quem colimus, suam gloriam perquirit, Sanctos potius, quam divites facere illi gloriosum est; si autem nostram utilitatem, nobis utilius est in æternum, quam ad breve tempus esse beatos. Si Deus sapientia plenus est, præcipuas curas suas debet impendere ei rei, quæ præcipua est, & majoris momenti; ideoque animæ nostræ necessitatibus: & si bonus est, quærere debet ea, quæ nobis meliora futura sunt, ideoque animæ nostræ bona præ bonis corporis ipsius; & denique si Deus ipse fidelis est in promissionibus suis, nobis non debet temporalia subsidia, nisi postquam æterna contulerit; hic enim est ordo ab Incarnata Sapientia constitutus: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. 6.

Per hoc principium, quod in dubium revocari nullatenus potest, Deum videlicet animæ potius, quam corporis, atque æternæ felicitatis potius, quam boni temporalis nostri rationem habere, facile magnum auferri potest mundi scandalum, quod præbet justorum quidem adversitas, iniquorum vero felicitas; hic enim scopulus est, in quem pseudosapientum illidit argumentatio. Putant Deum injuria peccatorum quidem elationem, justorum vero dejectionem æquo animo ferre; & cum Propheta Psalm. 43. exclamant: *Exurge, Domine, exurge*; excute hunc somnum gloriæ tuæ adeo contumeliosum. Nunquam vero Dei oculus in mundi regimine attentior est, neque ordo melius unquam servatur, quam in hac specie perturbationis: tunc enim omnia ad justorum utilitatem disponens, hos & propriis adversitatibus, & prosperitatibus impiorum ad veram felicitatem perducit.

Non prohibet Deus rationabilem negotiorum nostrorum curam.

Illud autem cogitandum est, Deum nequaquam prohibere rationabilem curam, qua ipsi labore nostro propriis necessitatibus consulere debemus; legimus enim, S. Paulum quotidie laboribus sibi victum comparasse, atque adhortatum fuisse fideles ad manuum laborem, ut haberet, unde aleretur, atque pauperibus opem ferret. Sed illas tantum prohibet curas, & animi anxietates, quibus incessanter torquentur illi, qui de illius providentia diffidunt; itaut inopiæ timor sæpe illos a justitia deterreat. Hæ illæ sunt sollicitudines, & curæ, quas Dei filius condemnat, quia omnia dividunt, dissipantque animæ pacem, atque tranquillitatem perturbant, ac prohibent, ne vacet Deo. Si enim illi, qui mordicus

temporalibus rebus inhærent; famulantur Deo, hoc agunt potius, ut bonis diffluant, quam ut Dei regnum inquirant, quod Jesus Christus proprie interdicit.

Non minus debemus Deo propter ordinarii illius providentiā, quam si pro nobis efficit, extraordinaria, & miraculosa.

Homines maxime commoventur extraordinariis, & miraculosis auxiliis, quæ divinitus accipiunt quibusdam in occasionibus; ordinaria vero subsidia, quæ quotidie recipiunt, ne cogitant quidem; sed ratio fallacia hæc ipsorum judicia corrigat necesse est, atque tandem aliquando fatendum est, nos non minus debere Deo, quod nos alit, & nostris necessitatibus consulit vulgato modo, quam si ad id quotidie miraculum operaretur, quod cum aliquibus Sanctis fecit. Semper utroque modo eadem agit providentia, eadem erga nos bonitate acta, & eadem, vi, qua hos effectus producit.

Dei providentia se aeque ad minima, ac ad maxima extendit.

Fallitur, qui putat providentiam ad majora tantum se extendere, quia id merentur, & præ reliquis dignitate sunt. Ignorarine potest, nihil Deo dignum esse; & nihil inter hæc inferiora, ac terrena illius curam, atque intentionem mereri; sed divinæ sapientiæ interesse, late sese ad omnia, & singula extendere, atque omnia infinito consilio suo moderari, ita ut nihil eam fallat, & fugiat? Etenim quid hic est universus orbis, si cum Deo, qui nullis finibus continetur, conferatur? cum Deo, qui, ut Isaias cap. 40. inquit, immanem hanc aquarum congeriem mensus est, atque manu sua immensam hanc cælorum molem appendit, tribusque digitis universum sustinet orbem terrarum. Et profecto non majori stat illi pretio totius mundi, quam atomi unius creatio, & pro utraque unicum illi satis fuit verbum: *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*, Sap. 6.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Omnium infidelitatum maxima est non credere providentiam.

SI per spiritum infidelitatis, & quod providentia non creditur, eidem sese subjicere detrectat aliquis, quodnam malum cum hoc est comparandum? non credere id, quod sine ulla dubitatione non solum inter credibilia maxime fide dignum est, sed quod credibilium omnium est fundamentum? non credere, quod Ethnici ipsi præ aliis sapientissimi solo rationis lumine crediderunt; non credere quod independenter ab ipsa fide ipsi indesinenter experimur, sentimus, & fateri cogimur sexcentis in occasionibus eo testimonio, quod primi naturæ motus nobis extorquent; sed præsertim non credere apertissimam veritatem per easdem rationes, quibus eadem maxime confirmatur, & quæ solæ satis esse possunt ad nos persuadendos: talis est illius hominis status, qui providentiam fateri detrectat. Seipsum excæcat, S. Chrysostomus inquit, in ipso luminum fonte, qui est ipse Deus, nam prima, magisque immediata conclusio, quam ex Dei existentia inferre possumus, hæc est, esse providentiam. Unde sequitur, quod hanc negans providentiam, vel Deum ignorat, quæ horribilis est impietas, vel monstrosum sibi effingit Deum, hoc est Deum, qui creatarum rerum curam non gerit; Deum, qui neque de earum incolumitate, neque perfectione sollicitus est: Deum, qui neque justus, neque sapiens, nec bonus est, quia nihil horum esse potest sine providentia. Hinc S. Chrysostomus addit, eo redit, ut in ipsa christiana religione sit Ethnicus, vel quantumvis Christianus non abhorreat ab eo, quod in ipsa Ethnicorum superstitione vitiosissimum, & corruptissimum est. Vix enim inventæ sunt Ethnicorum sectæ, quæ providentiam negaverint, vel de illa dubitaverint, nisi illæ, quæ nequissimis innixæ principiis homines ad turpissimas voluptates, atque obscœnitates impellebant: illæ videlicet, quibus optandum erat, ne in mundo vel Deus esset, vel lex, vel pœna, vel merces, vel providentia, vel justitia. *Pater Bourdaloue in variis Sermonibus tom. 2.*

Cæcitas, & contradictio hominis mundani de providentia.

Hominis mundani scelus circa providentiam est sese præbere incredulum, atque sensu carentem contra rationem eamdem. Etenim hic idem impius solo rationis instinctu, quin ne cogitet quidem, admittit providentiam. Quomodo istud? Hoc sane. Credit regnum nonnisi principis sapientia, & consilio bene gubernari posse: credit domum sine patrisfamilias vigilantia, & œconomia non posse subsistere: credit navem regi non posse, si peritus, attentusque desit nauta; & cum cernit navim hanc pleno mari fluctus secantem, familiam hanc rite institutam, regnum hoc in pace, ac tranquillitate florescere, haud hæsitanter concludit, non deesse mentem, quæ iis omnibus præsit. Sed ubi de universo agitur mundo, aliter vult argumentari, & vult hunc sine providentia, sine consilio, & fortuito in eo mirabili ordine, in quo illum intuemur, vigere. Hoc nonne est propriis adversari luminibus, propriæque rationi resistere? *Idem*.

Nemo est, qui non expertus sit aliquē effectum providentiæ in vita sua.

Nemo est, qui animo vitæ suæ annos reputans, atque memoria repetens, quidquid sibi contigit, immorari non debeat quibusdam punctis, hoc est occasionibus quibusdam, in quibus versatus est, quibusdam periculis, e quibus evasit, & quibusdam eventibus felicibus, vel infelicibus, sed insuetis, & singularibus, quibus perculsus fuit, & qui fuere totidem visibilia providentiæ argumenta. Quod si verum est de mortalibus omnibus sine ulla exceptione, multo magis verum est de illis, qui in mundo nitent, qui magna habent in mundo negotia, qui mundi commercium, & secretum norunt. Quid enim est mundus, ajebat Cassiodorus, nisi magnum theatrum, & magna providentiæ schola, ubi quantumvis parum attendatur, singulis momentis discimus, non deesse in universo potentiam, atque sapientiam humanā superiorem, quæ eorum consilia vertit in ludibrium, quæ eorum fata disponit, & quæ tamquam supremum rerum omnium habens arbitrium omnia moderatur? *Idem*.

In mundo vivitur, quasi providentia non crederetur.

Tale malum est, quo sensim mundi spiritus nos adducit. Quamvis providentia credatur, vivitur tamen perinde ac non crederetur. Creditur providentia, & nihilominus negotia transiguntur eadem sollicitudine, anxietate, impatientia, eadem oblivione Dei, cum res prospere cedunt, eadem animi dejectione in adversitatibus, eadem audacia in conatibus, ac si providentia hæc nomen esset inane, & de re nulla decideret, vel in rebus nullam sibi partem vindicaret. Et profecto si providentiæ fides in vitæ nostræ ratione eam obtineret partem, quam debet; hoc est, si hæc providentia semper nobis ob oculos obversaretur, si nostrum quisque seipsum respiceret tanquam subditum ad illius jussa exequenda natum, jam nihil in nobis non rationabile adesset; nulla cupiditate agitaremur, nulla abriperemur impatientia, non essemus vani, non inquieti, non superbi, non invidi, non ingrati erga Deum, neque erga homines contumeliosi. Providentiæ huic subjecti non bonis, neque malis abuteremur; rebusque in omnibus servaremus sanctam hanc sensuum, & desideriorum moderationem, quæ secundum Sancti Pauli sententiam nos & in prosperis modestos, & in adversis patientes efficeret. *Idem*.

Qui a providentia recedunt, sunt idololatræ fortunam colentes.

Considerate mundi sectatorem, qui a providentia recedit, ne ab eadem ulterius dependeat, id agere, ut vel in quemcumque sortis eventum vitam ducat, vel cæce sequatur fortunæ cursum, cujus torrens omnes infirmas animas trahit, vel ut sese regat secundum humanæ prudentiæ consilia, in cujus partes sapientes mundi concedunt. Ajo utrumque Deo maxime contumeliosum esse. Etenim non aliud vitæ suæ habere principium, quam fortunam, & cursum hujus sequi velle, nonne est labi in Ethnicorum idololatriam, qui, ut S. Augustinus

finus animadvertis, quin in mundi eventibus Dei consilia adorarent, maluerunt sibi fingere varium, ac mobile nomen, quod fortunam dixere, eo usque, ut illi delubra ædificarent, in necessitatibus suis ei vota nuncuparent, ad illud leniendum sacrificia offerrent, eique gratias agerent, cum illud sibi propitium adfuisse supponerent? Idololatria, cujus abusum illi ipsi, qui inter Ethnicos aliqua præditi erant sapientia, ferre non poterant: *Quid enim est*, ajebat Plinius, *quod nunc toto orbe, locisque omnibus fortuna invocatur, una cogitatur, una nominatur, una colitur?* *Idem*.

Humana prudentia per superbiam providentiæ subesse detrectat.

Causa eorum, qui providentiam deserunt, ut humanæ prudentiæ consilia sequantur, paucioribus obnoxia malis esse debere videretur; sed hac in re fallimur. In fortunæ fautoribus plus est temeritatis, sed in mundi sapientibus plus superbiæ. Quæ enim superbia est, quod homo in seipso confidens, ac in se uno spem omnem collocans, satis illustratum se putet, ut seipsum regat, atque jure sibimetipsi plaudere possit, & bona sua eousque, ut inter se dicat, quod impii in Scripturis: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*. Deut. 32. Ego ipse me feci, qualis sum, per industriam, laboremque illuc evasi, ubi sum; fortunæ domus meæ, negotiorum meorum prosper eventus, locus, quem teneo, omnia sunt opus manuum mearum, non Domini. Quæ superbia, cum non satis sit luminis, ut sexcentis in occasionibus hominum consilio carere nequeamus, satis nobismet consilii esse putemus, ut Deum consulere minime teneamur? *Idem*.

Qui sese providentiæ subtrahere vult, necessario turbatur.

Cum, secundum Bibliorum testimonium, cogitationes hominum sint incertæ, confusæ, timidæ in iis præsertim, quæ ad illos pertinent: *Cogitationes mortalium timidæ*. Sap. 9. Si homo ad seipsum redactus propria duntaxat sequitur consilia, statim inquietus est, incertus consilii, pavidus, cum de nulla re certus esse possit, cum de rebus omnibus diffidere debeat, suæ libidini traditus, sua inconstantia agitatus, mancipium imaginationis, quæ ipsum illudit, obnoxius nobilitati ejus ingenii, quod illi dominatur, Cum repletus sit cupiditatibus, quæ etiam sibimet adversantur, non aliud expectare debet, nisi ut ab illis lanietur; & si semetipsum colligit, statim secundum varios animi situs tristitia obruitur, metu corripitur, odio exardescit, amore infatuatur, nequissima invidia disrumpitur, immodica ambitione voratur, ira intumescit, dolore torquetur, in seipso non pœnam, sed infernum inveniens. *Idem*.

Principum favor non potest supplere divinæ providentiæ.

Si huic amabili providentiæ Dei supplere erga nos posset hominum favor, hic sane principum favor esset, quos tanquam terræ Deos respicimus, vel amicorum, & ministrorum, qui assident illis, qui in mundo omnia nobis posse videntur: Hi autem illi sunt, in quibus ne confidamus, Scriptura nos admonet, nisi super laborantem ædificare basim velimus: *Nolite confidere in principibus*. Psalm. 145. Utque hanc fidei veritatem nobis experientia magis exploratam efficeret, isti illi sunt, quorum favor pertinaciter conquisitus, ac inutiliter excultus justo Dei supplitio quotidie facit plures miseros, plures illusos, defatigatos, deceptos, ideoque plures magnæ hujus veritatis testes: videlicet in filiis hominum, etiam secundum mundi conceptum, nullam esse salutem: *In filiis hominum, in quibus non est salus*. *Idem*.

Qui a providentiæ ordine recedunt, post plurimas curas, & mala eam simul tenent.

Ex his favoris adoratoribus, ex his mundi sectatoribus, atque mancipiis quærite, quid in ipsis accidat, & videte, utrum ne unus quidem sit, qui non fateatur, conditionem suam pluribus obnoxiam esse fastidiis, molestiis, & mortificationibus, quæ evitari possunt, eamque perpetuam esse captivitatem. Nonne ita illi in ipso prospero rerum suarum cursu loquuntur? Cum vero post tot artes, ac dolos eorum prudentia in aliquem scopulum allidit, & inopinato casu aliquo, qui eorum perturbat consilia, se neglectos, contemptos, & oblivioni traditos videns, tunc, S. Augustinus exclamat, solemnem adhibent honorem providentiæ, a qua nunquam pendere voluerunt. Atque tunc quoque vicissim Deus non sine quadam irrisionis specie, quam illi sua permittit justitia, & quæ nulla in re ipsius lædit misericordiam, credit se jure illis respondere posse: *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis*. Deut. 32. Ubi sunt Dii, quorum præsidio freti, nihil timebatis, & qui vobis opem ferre debebant? Dii, quorum præsidio superbi eratis ubi sunt? *Surgant, & in necessitate vos protegant*; prodeant nunc, ac vestram curam suscipiant. *Ibidem*.

Mundani licet rebelles sunt adhuc sub imperio providentiæ.

Mundanus quantumvis rebellis nonne adhuc est sub imperio providentiæ? Sane est, & invitus erit; sed hoc ipsum cumulum addit ipsius infelicitati. Hæc enim duo sunt providentiæ genera, quæ in homines exercet Deus, alterum severitatis, & alterum bonitatis, alterum justitiæ, & alterum misericordiæ; & simulac homo sese propitiæ subtrahit providentiæ, in qua requiem suam debet inquirere, invenit se traditum severæ providentiæ, quæ persequitur illum, ut grave eidem suum ostendat imperium. Quasi diceret Deus; noluisti illam amplecti, hanc sustinebis; quippe æterna, & irrevocabili lege alteram alteri subrogavi.... Amoris mei providentia te delinire non potuit, imposterum ergo justitiæ meæ providentia te coercebit, te reprimet, atque ultionibus, qua occultis, qua manifestis, sese tibi aperiet, atque invitum ad officium revocabit. *Idem*.

Bona eorum, qui subjecti sunt providentiæ.

Cum perfecte subjecti eritis providentiæ, in id unum animum, operamque impenderitis, ut vosmet in statu vestro sanctificetis, quin phantasma aliquod consectemini. Hinc familiarum vestrarum curam gerentes, postquam id perfeceritis, quod & Christianos decet, & in vobis situm est, ut votorum summam consequamini, in amabili hac providentia conquiescetis, in cujus sinum, ut Apostolus inquit, omnes curæ projiciendæ sunt, credentes, atque cum certitudine credentes, si vos eidem fideles extiteritis, hanc vobis nullibi defuturam: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*. 1. Petr. 5. Hinc ex mundi servitute, atque captivitate eruti, omnia a Deo expectabitis, in Deo præsidium, & confidentiam vestram constituetis; assequemini sanctam, beatamque filiorum Dei libertatem; nubes omnes evanescent; tempestates omnes sedabuntur; ac momentum secretæ pacis, quam superbia vestra toties perturbavit, plurimorum reparabit fallacium bonorum damnum, ad quæ contendebatis, inanesque auferet cupiditates, quæ vos tot molestiis, & tam gravibus certaminibus objiciebant. *Idem Serm. 1. Nativitatis Jesu Christi*.

Contradictio impiorum providentiam negantium.

Illud vero mirum est, quod homo dissolutior sæpe de providentia dubitare vult per rationes easdem, quæ invicte probant providentiam, & quæ solæ satis esse deberent, ut hanc illi persuaderent. Etenim cuinam rei innituntur hæ de providentia Dei dubitationes? quod in mundo mira ordinis perturbatio videtur. Immo hinc, S. Chrysostomus inquit, necessario inferendum est illi, providentiam adesse. Et sane cur mala, quibus plus est mundus, inordinatam perturbationem efficere videntur, & efficiunt, nisi quod contra ordinem fiunt, ordinique repugnant? Quid autem hic ordo est, cui repugnant, nisi providentia? Impius ergo id objicit, quod omnem aufert objectionem, & fit infidelis per id, quod fidem illius confirmare deberet. At enim, inquit ille, si daretur providentia, nunquid in hominum societate tot accederent mala, quæ ipsis etiam hominibus scandalum ingerunt? At respondeo: sed hoc ipsum, quod ipsis etiam hominibus ingerunt scandalum nonne authenticum est providentiæ argumentum, non permittentis hæc mala probari, & volentis illa ab hominibus tanquam flagitiosa, & nefaria semper censeri? Si nihil hominibus scandalum afferret, tunc fortasse ambigi posset, utrum esset providentia, & fortasse impius in corde suo dicere posset, non est Deus. Sed donec ex vitii nequitia

scan-

scandalum arripimus, donec ipsius mundi censura licentiam damnat, providentia in tuto est; & nil horum officit illi. Hæc autem semper scandala erunt, quia semper Deus erit, & providentia. *Idem, Serm. de Providentia.*

Deus mortalium omnium singulatim curam gerit.

Fatendum est debere Deum suas curas necessitatibus peculiaribus, ac temporalibus omnium creaturarum; ad id enim seipsum adegit iis promissionibus, quæ maximam habent persuadendi, atque movendi vim. Admiratus est ille modicam hac in re fidem nostram: *Quanto magis vos modicæ fidei?* Vetuit, ne in posterum sollicíti essemus: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Matth. 6. Nos etiam ad flores, & volucres misit, ut de hac re edoceremur; quippe avium, florumque alimentum, & ornatus palam providentiæ solertiam ostendunt: *Respicite volatilia cœli.* Ex vilium harum creaturarum comparatione cum nobis instituta bis suadet confidentiam, nobis inquam, qui prima sumus curarum ejus objecta: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Tenetur ergo omnium filiorum suorum necessitatibus consulere; qua in re illum de fide præstitisse scio, ut ejus inimicos provocare non dubitem, ut vel unum inveniant hominem justum, unum filii Dei nomine dignum, quem, cum extrema laboraret inopia, providentiæ manus minime juverit. David diu vitam produxerat, & utriusque fortunæ vices fuerat expertus; at profitetur se neque in ipsa adolescentia, neque in senectute sua unquam vidisse justum derelictum, ac justi progeniem ad egestatem redactam. *P. de la Rue Serm. pro Domin. 4. Quadragesima.*

Inæqualitas conditionum, quæ sunt in ecclesia, probat esse providentiam.

Vestra toties auditur querela de magna conditionum inæqualitate, cum principum, tum subditorum; cum dominorum, tum famulorum; cum divitum, tum pauperum; quæ quidem vobis ingens perturbatio videtur, sed potius est admirabile divinæ providentiæ secretum. Citra hanc inæqualitatem mundus languesceret, atque confusus esset. Omnes in potentiæ æqualitate sibi ultro citroque operam, mutuumque denegarent auxilium: alter alteri officium, & obedientiam detrectaret. Fuit igitur, S. Augustinus ait, universalis providentiæ omnia complectentis consilium diversas generis humani partes mutua subordinatione in unione, & actione continere per hanc statuum, & conditionum diversitatem, per hanc opum, & inopiæ oppositionem, per necessitatem, qua nobiles ignobilium indigent opera, & ignobiles favore nobilium, per impossibilitatem, qua alii sine aliis nequeunt subsistere, per legem, quam irrogavit Deus ignobilibus quidem, ut nobilibus reverentiam, & obsequium deferrent, nobilibus vero, ut erga illos justitiam, & charitatem exercerent, & per legem laboris, quam generatim mortalibus omnibus infixit. *Idem.*

Altius menti imprimenda est veritas, quæ magno esse potest solatio; quidquid in mundo fit, unice in electorum bonum fieri. Existimatis Deum distribuere bona, prosperos eventus, coronas, victorias ad opes huic afferendas, ad illi auctoritatem conciliandam, ad populorum reverentiam, & admirationem erga alium ciendam. Ineptæ cogitationes! Deus non aliud quærit, quam salutem filiorum suorum, utque illos eo deducat, gloria, contemptus, opulentia, paupertates, throni, compedes, prospera, adversa omnia manibus suis miscet Deus, non fortuito quidem, sed ad arbitrium, veluti varia prudentiæ adminicula ad justum ad veram gloriam attollendum idonea. *Idem.*

Quod fortuitum videtur, est effectus providentiæ.

Oculos aperiamus visuri, quomodo perficiat Deus id, quod decrevit; quantalibet erga peccatores utatur patientia, & quantumvis omni lenitatis genere illos sustineat, tandem experiuntur, omnes illius sententias irrevocabiles esse, & quidquid in eos inexorabili sua justitia decreverat, certissime adimpleri. Sapientia illius adeo mirifice omnia disponit, & hæc naturaliter adeo adimplentur, ut ea fortuito quasi fieri videantur; sed ita fortuito, ut omnis sapientia, & omnis bona, vel mala hominum voluntas ea prohibere non possint, quemadmodum in Scripturis videmus neque Esau, neque patrem ejus Isaac prohibere potuisse, quod de Jacob decreverat Deus. *Liber, cui titul. Vita Patriarchar. Vita Isaac.*

Bonis persuasum est omnia in mundo regi sapientia providentiæ consiliis, & nihil fortuito contingere. Illi eventus omnes, qui accidunt, tanquam Dei respiciunt imperia, qui in bonorum, malorumque distributione nonnisi optimas habere potest intentiones. Si non omnia semper illis e voto eveniunt, inde tamen per animi submissionem maxima eliciunt bona; cum impii a contra in Deum rebelles tanquam desperati patiuntur, neque Deus passiones eorum ipsis merito adscribit. *Abbas de Bellegarde, in Proverbia Salomonis.*

Providentia, quæ avibus victum suppeditat, non derelinquit homines.

S. Cyprianus eloquenter utitur comparatione a filio Dei instituta volucrum cœli non serentium, & escam suam a divina misericordia expectantium. Volucres Deus pascit, inquit ille, & passeribus alimenta diurna præstantur, & quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec potus, nec cibus deest. Tu christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo charo aliquid existimas defuturum? Nisi putas, quia, qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt, quibus cœlestia, & divina tribuuntur. *Ex S. Cypriano de opere, & eleemosyna.*

Qua cura Deo serviendum sit, eo quod ille nostri curam gerit.

Hanc, ut ita dicam, sibi depoposcit provinciam Deus ea omnia, quibus homo indigeret, suppeditandi, ut eum cogeret ad suam confugere potentiam, suæ benedicere bonitati, suam admirari providentiam, & majori cum tranquillitate, & confidentia suas leges adimplere. Omnia opera admirabilia, o Domine, quæ ex nihilo eduxisti, ut nostris egestatibus inservirent, a benefica manu tua eas recipiunt impressiones, quæ illas in meam excitant utilitatem; nonne æquum est, ut præcipuam assentationem meam convertam, ut tua celebrem beneficia, & eam felicitatem acquiram, cui me destinas? Tu pro me tantum facis hac mente, ut id agam pro te. Id unum mihi est agendum: si a meo fine recessero, quem locum tenere debeo inter infinitas creaturas, quæ in meam tibi obtemperant utilitatem? *Liber, cui titulus: Animadversiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Si Dei providentia tanta cura creatarum rerum sensu, & ratione carentium conservationi invigilat; quid tandem faciet erga rationabiles substantias, quæ primum in terris obtinent locum, & pro quibus cætera quæcumque creata sunt? Ullane veritatis species esse potest, a summo rerum domino eam negligi creaturam, a qua una gloriam recipere potest, vel eam negligendo ipsum, quod cupit, ex ea percipere posse? fatendum est ergo Dei providentiam æque necessariam esse, atque existentiam, sapientiam, bonitatem, ac infinitas perfectiones illius. *Ex tractatu de religione Marchionis de Planitie.*

Qui in providentia confidit, libere potest ad Deum confugere.

Anima, quæ sese in providentiæ ulnas projicit; id agit, quod ab illa exigit Deus, atque hoc pacto cogit Deum, id facere, quod ipsa ab eodem expectat. Deus illius periculum fecit, eamque fidelem nactus est; ipsa quoque vicissim, absit verbo invidia, periculum facit Dei, & ab eo aliquod fidelitatis testimonium exquirit. Deus, ut loquitur Scriptura, interrogavit illam per bonorum ejus jacturam, per paupertatem, vel morbum, quæ totidem sunt quæstiones Dei, quemadmodum a S. Cypriano appellantur; opus est, ut illa vicissim interroget Deum, & plena humili confidentia petat ab eo, ut promissi fidem exolvat. *Ex Sermone hujus argumenti inter Sermones morales.*

Frustra aliquis providentiæ imperiis adversatur.

Cum hominis consilia abnormia sunt ab hac suprema ratione, & immutabili decreto, frustra dicere potes, quod olim insolens Adonias: *Regnabo:* Deus enim firmiori vocis tono ait, *non regnabis.* Ultionis cupidus, invidusque frustra cogitat perdere inimicum suum, ut olim Aman se perditurum esse Mardochæum gloriabatur: Deus, qui eadem

est

est veritas, atque potentia, inquit, non perdes. Homo, qui sollicitationibus, dolis, ac versutiis suis prope esse videt, ut lis sibi adjudicetur, frustra, judicio victor decedam, inquit, Deus enim, cujus providentiam lacessivit, ait; non vinces, quamvis omnia judicum suffragia favere tibi videantur. *Idem*.

Omnia, quæ in mundo accidunt, a Deo ad electorum salutem referuntur.

Omnes isti magni eventus, qui in civili mundo inanem hominum prudentiam perturbant: omnes isti casus adeo varii, mobilesque, qui adeo contrarios in mentibus nostris motus cient: inopinati casus, qui fortunæ libidini inferuntur accepti, adeo subitæ elationes, lapsusque adeo præcipites; regnorum fortuna, & interitus, eorum incrementa, & decrementa, opera sunt dexteræ Dei, qui hominum saluti invigilat, qui nihil intentatum relinquit, ut hoc sibi e voto contingat, qui omnia contemnit, dummodo hoc unum assequatur. *Ex Sermone quodam P. de la Colombiere*.

Solliciti sumus, & agitamur, quippe supponimus humanis hisce conatibus nobismet comparare posse ea, quæ nobis desunt, neque enim satis credimus, Deum hanc suscepisse curam nobis consulendi, vel quia non satis subditi sumus imperiis providentiæ Dei, neque vellemus temporalibus hisce bonis carere, quamvis ille vellet; sed ea, quæ ad victum sunt necessaria æquissimis, & legitimis acti causis perquirere possumus; communis enim ordo providentiæ est, hominum laboribus uti ad ea procuranda, quæ sunt ipsis necessaria. Ita anxia sollicitudo est quædam rebellionis species contra Deum, & tranquilla applicatio est executio ordinis providentiæ: sollicitudo est suimetipsius perquisitio, & applicatio pars est ejus laboris, quo Dei regnum est inquirendum. *Essais de morale tom. 5.*

Ex mente ejiciendæ sunt sollicitæ de futuro cogitationes.

Eas omnes abjiciamus curas, quæ inutili labore animum lancinant, quia sive solliciti simus, sive secus, Deus unus est, qui hæc omnia tribuit nobis, & eo tribuit liberalius, quo minus ipsi solliciti sumus. Ad quid nobis proderunt omnes hæ curæ, & anxietates, nisi ut nos torqueant, & ut earum pœnam sustineamus? Qui ad magnificum invitatus accedit convivium non quærit, utrum ibi futurum sit, unde vescatur; & qui ad fontem se confert, non sollicitus est, utrum ibi sitim sit revelaturus. Quandoquidem ergo nobis Dei adest providentia, quæ ditior est, quam magnificentissima quælibet convivia, & uberior, quam fontes altissimi, ne solliciti simus, neque diffidamus. *Ex Homiliis S. Chrysostomi*.

Qui a providentia pendere detrectat in hæc vitæ miser est.

Fingite vobis, Salvianus ait, navim medio in mari furentibus agitatam ventis, sine nauta, & gubernaculo, elementi hujus libidini, & procellarum furori traditam: talis est in mundi commercio homo, qui solus seipsum regit. Quam in abyssos ille non decidet? in quot scopulos non allidetur? quot naufragiis non erit expositus? Nihil mente ejus infirmius est, nihil voluntate illius mobilius; cor ejus perpetuo oppositarum affectionum æstu agitatur. Quid ergo ille aget? nunquid in hominibus confidentiam constituet: hæc certa calamitas est: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, Jerem. 17. Malorum omnium maximum est confidere in hominibus, quia homo suapte natura cupidus est, infidelis, inconstans; quæ qualitates satis ostendunt, quid ab illo sit expectandum. *Ex Manuscripto Sermone*.

Non desunt mortales, qui cum non possint rationem omnem ita abjicere, ut absolute negent providentiam in Deo, cor habent ita cæcum, ut illam credere, eique sese submittere nolint. Agunt, quasi nulla esset providentia, eadem sollicitudine quærunt, quæ sua sunt; in negotiis eadem utuntur versutiis; in adversis æque animos despondent; in iis, quæ infeliciter accidunt, æque mœrore afficiuntur; atque in cœptis suis pari calore, ac audacia feruntur, ac si nulla esset providentia. Magna insania est providentiam non credere, sed longe major eam credere, & in ea non confidere. *Idem*.

Cælorum motus, & natura universa providentiam esse docent.

Quid enim esse potest tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra, circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem Sole lustratur: jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira, & divina libratio. Vide ut annum Solis ambitus faciat, & mensem; vide ut Luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis, & quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de syderibus oratio, vel quæ regnant cursum navigandi, vel quæ arandi, metendique tempus inducant; quæ singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur; summi opificis, & perfectæ rationis eguerunt; verum etiam sentiri, perspici, intelligi sine summa solertia, & ratione non possunt. Quid cum ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur? nonne auctorem suum, parentemque testantur? *Minutius Felix in Octavio*.

Contra eos qui in divina providentia non confidunt.

Væ pravis illis Christianis, qui in Dei providentia non confidunt, qui magis carnales, quam Judæi, temporalium dumtaxat bonorum fruitione lætantur: & qui facile conqueruntur, & obmurmurant, si quando illa defuerint; quin animadvertant unquam illum, qui avibus cœli escam suppeditat, nequaquam deserere servientes sibi, & cum minus de nobis curam gerere videtur, tunc magis, quam nosmetipsos nobis invigilare. Hoc unum ille petit a nobis, ut rebus in omnibus in eo confidamus, & ubi aliquid molestum accidit nobis, intra nos dicamus, Dominus videt me, & sufficit mihi; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*. Ps. 22. Hic Danielem de lacu leonum, ac tres pueros de ardenti fornace eduxit; brachium illius abbreviatum non est, & pro me facere potest, quod fecit pro illis. Vult Deus nos ad ipsum confugere, nos in ipso confidere; nos illi adhærere, immo etiam illi gratias agere ob adversa, quæ nobis immittit; quippe scire debemus omnia a sapienti, illuminataque providentia gubernari. Tunc scientes omne officium, & Christiani hominis sanctitatem in eo positam esse, ut velit, quod vult Deus, ut maneat contentus in eo statu, in quo ille nos constituit, nec mutemus viam, in qua nos incedere cupit, dicemus, quod olim populus Dei Jeremiæ Prophetæ respondit: *Sive bonum, sive malum voci Domini nostri ... obediemus*, Jerem. 42. *Abbas de Mommorel Sermone pro 6. Dom. post Pentecosten*.

Ethnicorum sensus de providentia.

Dicere possumus Ethnicis non minus luminum affulsisse, quam nobis in hoc de mundi hujus providentiæ visibilis argumento, hoc est providentiæ, quæ in naturæ ordine regnat: atque inter eas veritates, quas per ipsas tenebras, quibus immersi erant, illis ostendit ratio, nulla est, cujus ipsi apertiorem, distinctioremque ideam conceperint; tunc vero potissimum, cum sibi finxerunt universum orbem tanquam immane corpus ex omnibus creaturis tot veluti membris compactum, cujus Deus tanquam spiritus universalis ubique diffusus & motus omnes moderabatur, & partes omnes animabat. Et sane quemadmodum videntes corpus, quod agit, quod videt, quod ambulat, & reliqua omnia obit munera sine ulla perturbatione, & confusione, statim secretum horum omnium motuum principium arguimus: ita ubi mirabilem hanc consideramus congeriem tot diversarum creaturarum, quæ omnes agentes secundum impressiones illas, quas perceperunt, unanimi consensu coalescunt ad efformandum hoc totum ingens ex tot aliis compositum, nonne tenemur ascendere ad primam causam, quæ omnia tuetur, omnia regit, omnia fovet, animat omnia, & sine qua reliquæ vitæ, & motu care-

carerent eodem fere pacto, quo corpus ab anima separatum? *Ex Specimine Sermonum pro Dominicis Domin. 4. Quadragesimæ.*

Adest peculiaris providentia in unumquemque nostrum.

Non ambigimus, quominus generalis adsit providentia; at nobisne satis persuasum est, universalem hanc providentiam fieri pro unoquoque nostrum singularem; & inter eos, qui credunt sibi magis de hac veritate persuasum esse, quot sunt, qui eamdem suis anxiis sollicitudinibus, suaque diffidentia non impugnent? Attamen in Bibliis frequentius, nihilque probatius occurrit ea cura, quam de nobis gerit providentia. Cur ergo tot anxietates, Animæ timidæ, ac diffidentes? Vosmet Domino committite, ac ille vos nutriendi curam suscipiet: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ps. 54. Num Deus, qui omnia tuetur, vos solas derelinquet? Providentia hæc, quæ ad vilissima etiam humi repentia insecta se extendit, nihilne faciet pro creaturis, quæ præcipua sunt opera manuum ejus, & nobilissimi sapientiæ ejus effectus? Quænam vestra esset sententia de sculptore, qui opera numeris omnibus absoluta constringeret, in quibus omnes artis suæ perfectiones, & veneres deprompsisset, ut diligentissime rudia asservaret principia, & imperfectas adumbrationes?... Cur ergo tot sollicitudines, tot curæ, tot lites, itinera, labores: omnes hæ inquietæ prævisiones, omnes provisiones inutiles nonne tot sunt injuriæ, quas Dei potentiæ infertis, tot secretæ negationes providentiæ Dei? Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis; petite cum Salomone sapientiam, & alia bona subsequentur. *Ibidem.*

Si id serio cogitaremus, quod accidit nobis, videremus divinæ manus lineamenta, & characteres providentiæ palam impressos ubique. Memoria repete occasionem illam acerbissimam, ubi in summa rerum tuarum perturbatione inopinatum illud invenisti subsidium, ut inde feliciter emergeres: repete urgentem illam necessitatem, in qua sincerus amicus tibi opem tulit, cum ab omnibus derelinquereris; repete funestum illum casum, ubi certissime tibi pereundum esse videbatur, & ex quo non sine quadam prodigii specie evasisti. Quis cohibuit armatam manum, qua jamjam configendus eras? quis avertit mortale vulnus, quod tibi impendebat? Quis te amovit a periculoso tramite, ubi in insidiis positus te necaturus hostis operiebatur? Quis tibi inspiravit saluberrimi illius pharmaci usum, cui tuam debes valetudinem, de qua actum jam erat, nisi hæc providentia, quæ tibi invigilabat, cum de ipsa ne cogitares quidem? Hæc tibi subveniebat in amico, tibi opem ferebat in eo munere, in eo auxilio tuebatur, in præsensione illa illuminabat, & secreto agebat in exterioribus causis, quarum erat veluti anima, & principium. Sed sumpsisti instrumentum pro causa, quæ illo utebatur, & hominibus acceptum retulisti id, quod Deo uni erat referendum. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi, inquit Propheta; hoc est opem ab illis petii, qui opitulari poterant, sed fateor, Domine, quidquid boni inde percepi, a te profectum fuisse. *Ibidem.*

Injuria queritmur nos a providentia relinqui in iis rebus quas contra ejusdem jussa suscipimus.

Quamplurimis impeditus es negotiis, inquis, ex quibus temet expedire non vales. Lites, itinera, morbi omnes opes tuas exhauriernnt; familiam habes, quam nutrias, servos, quibus mercedem persolvas, creditores, quibus satisfacias, & vix reliquum tibi est, unde vivas. Frustra cœli, & creatarum rerum opem imploras; nullum recipies solatium? quereris te a providentia deseri; at nunquid jussu illius tot superfluis sumptibus temet implicuisti, hæc temeraria consilia cepisti, famulorum numerum multiplicasti, supellectilium pompam auxisti? In his omnibus nil quæsivisti aliud, nisi ut in mundo magis enitesceres, & ab omnibus cognoscereris; plurimum confidebas in principis remuneratione, in consanguinei hæreditate, in amici beneficio; omnes istæ spes evanuerunt. Attamen semper eadem in luce, ac pompa videri vis; nihil imminuere vis sumptuum, quos facere consuevisti, confugis ad turpes, ac nefarias vias, ut subsistas; & cum hæ tibi e voto non cedunt, contra Deum obmurmuras. Eheu! scias providentiam nequaquam teneri, ut cupiditatibus tuis velificetur. *Ibidem.*

Vulgatus prætextus, ne in Dei providentia confidatur.

Nunquid expectandum mihi, donec in mei gratiam Deus miracula operetur? filios habeo, nonne mihi adnitendum, ut eorum felicitati prospiciam? Bona habeo, nonne mihi invigilandum, ut illa tuear? insignem obtineo in republica gradum, nonne pro virili illum sustinere debeo? Hic vulgatissimus est prætextus, quem cupiditas, & ambitio causantur, & quo tegere solent ea omnia crimina, quæ contra providentiam committuntur. Per hunc prætextum avaritia in frugalitatem migrat, diffidentia in sapientiam, dissimulatio in prudentiam, versutia in dexteritatem, ambitio in animi magnitudinem, murmuratio in questum innocentem; verbo, vitium virtutis induit personam. Sed frustra hac in re nobis blandimur, & nosmet excæcamus: rationabilis quippe nobis permittitur cura, non autem nimis anxia sollicitudo, diffidentia, cupiditas, & avaritia, quæ ut plurimum has curas concomitantur. *Ibidem.*

At enim quacumque ratione, & cura, bona, divitiasque congerere quæritis, quia sunt omnino necessariæ; sed hac ipsa de causa, quia sunt absolute necessariæ, S. Chrysostomus inquit, in providentia vobis confidendum est: sed bene nostis, providentiam hanc cæcam non esse, cupidam, avaram, ambitiosam, quales vos estis, neque illam teneri cupiditati vestræ pabulum, sed vitæ vestræ alimenta præbere; & cum hæc vita vobis molesta sit in mediocritate, & humilitate, relinquitis necessarium, quod tutum habetis, & quod confidentibus in Deo deesse non potest pro spe superflui, quod saluti vestræ periculosum est, atque superfluum. *Ibidem.*

Quilibet sibi particularem facit providentiam, ac in se tantum confidit.

Quilibet particularem sibi fingit providentiam juxta illam conditionem, in qua est: mercator in negotiatione suam constituit providentiam, opifex in opere suo, doctus in scientia, aulicus in dexteritate, negotiosus homo in versutia, & quod magis horribile est, ipsum crimen apud quamplurimos providentiæ locum tenet. Doli, rapinæ, proditiones, perjuria, fœnora, turpia commercia, hæ sunt sæculi providentiæ; hæc illa sunt, quæ tibi, Deus, peccatores substituunt. O vos miseros vestram levare contenditis egestatem criminibus, & nescitis hoc ipso crimine vos miseros fieri! Verum est, hasce vias, licet turpissimas, nonnunquam ad optatum finem perducere; fallaces has providentias, absit verbo invidia, sectatoribus suis bona, & divitias conferre, cum interim, qui sese veræ providentiæ committunt ad incitas aliquando redigantur: verum si Deus nos temporalibus privat bonis, ideo privat, quia æterna procurare nobis desiderat: *In Domino confido, non erubescam.* Psalm. 24. Sed peccatores rubore suffunduntur. *Ibidem.*

Providentia in scelerum punitione non servat uniformitatem.

Ordo, & consilium Dei oculos apertos in omnem mundum habentis est nullam in speciem servare uniformitatem in suppliciis, ut peccatores in officio contineat incertos, quid sibi eventurum sit; aliquando lento gradu ad vindictam incedens, ut sua magis niteat patientia, aliquando celeriter animadvertens, ut sua severitate deterreat, aliquando clam ad scandalum evitandum, aliquando palam ad publica exempla præbenda: aliquando impios a justis separans, ut suum adoretur judicium, aliquando justos cum impiis permiscens, ut justi fugere, vel corrigere nefarios teneantur; aliquando leviora persequens crimina, ut nihil impune esse ostendat, aliquando graviora etiam elabi sinens, ut non hic omnia punienda, & aliam futuram vitam, pœnamque aliam intelligamus. *P. de la Rue Sermone de Providentia.*

Solus universi hujus adspectus probat, non deesse providentiam qua regitur.

Necesse non est in universo inquirere argumenta providentiæ, quæ illi præest. Orbis hic visibile pignus est vigilantiæ, & curæ Creatoris sui.... Hic nobis exhibet mirabilem diversarum partium congeriem ratione, cognitione, sensuque carentium, quæ idcirco seipsas tegere, ac sustinere non possunt. Quomodo fidei consonum est, opus adeo egregium, & mirabile oblitum esse auctoris sui, statim ac ab eodem essentiam obtinuit? Non quæro quomodo vigere posset cum eodem ordine, iisdemque proportionibus sine ope ejusdem intelligentiæ, quæ illius concepit ideam, & brachii ejusdem, quod illud effinxit. Non quæro quomodo corpora illud componentia, semper secum pugnantia, semperque cæca impressione agentia sese invicem non destruerent, si motus, per quem subsistunt, non proficisceretur ab hoc eodem Ente, quod unum omnia illius novit, & movere potest machinamenta. Hoc quæro, utrum verisimile sit, Deum, cui nihil proderat magnum hunc orbem creare, cum creare voluerit, ut mox casus incertitudini, vel ut melius dicam, naturali studio, quo fertur in nihilum, unde egressus est, derelinqueret? Mihi videtur, satis esse debere cuilibet rationis compoti in illum oculos convertere, ut ibi omnes deprehendat characteres providentiæ, qua gubernatur. *Liber, cui titulus: Considerationes in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

Indignum est providentiæ imperiis adversari.

Si intelligeremus nostratum argumentationum, & questuum de divina providentia in bonorum, malorumque distributione indignitatem, nihil ultra requireretur, ut illius sapientiam, & æquitatem veneraremur. Decetne nos viles terræ vermes, nos ob amorem proprium, & cupiditates cæcos penetrare velle supremi Creatoris nostri secreta; & quod graviorem adhuc temeritatem designat, rationem ab illo expetere imperiorum ejus, immo illi velle imperare? Meminerimus, quid ille sit, quid nos; consilium, quod inde cœperimus, erit submissæ reverentiæ consilium. Sed quid respondere possumus, cum nobis explicatur bonorum, malorumque a Deo instituta divisio? Divisio autem hæc est. Quædam præparavit bona, quæ pro justis tantummodo sunt, & quæ impii non obtinebunt. Quædam etiam præparavit mala, impiis tantum destinata, & quæ justi nunquam patientur. Voluit quædam esse, & bona, & mala, quorum justi, & impii simul essent participes secundum suæ misericordiæ, justitiæque consilia. Quid in hac providentia invenire possumus, quod cum nostra quoque ratione conforme non sit? Licet infirmi, ignarique simus, fateri cogimur illum infinite justum esse, atque sapientem... Tandem vero illud critico cuilibet maxime temerario, atque impio os debet obstruere; bona, quæ unice nobis acquirere, & mala, quæ nobis unice evitare prodest; non ita esse divisa, ut nequeant esse communia. *Idem.*

Nobis non inquirenda sunt providentiæ consilia.

Cur a nobis investigandæ sunt causæ, propter quas Deus quosdam permittit eventus? Nonne satis esse debet scire, a Deo permitti? Si de hac re interrogaremur, gloriari deberemus, quod non aliud respondere possemus, nisi hoc esse divinitatis secretum, & nostrum non esse illud vel scrutari, vel divinare. Admitteremus obsequium, quod dominis nostris debemus, si nobis fas esse vellemus inanibus cogitationibus nostris evolvere sapientissimi regiminis secreta: curiositas, quæ non ageret ad Dei investiganda consilia, conatus esset contra illius magnitudinem, atque providentiam susceptus. Tranquilla eum submissione adoraturis imperia Dei in iis omnibus, quæ contra nostram spem accidunt, & contra præjudicia nostra, hoc pacto dumtaxat argumentandum est. Dubitare non possum, quin Dei manus omnia moveat machinamenta, quæ varias mundi scenas ludunt: hoc me credere jubet fides. Dubitare non possum, quin Dei sapientia toto cœlo luminum suorum magnitudine, & extensione humanam vincat sapientiam. At quid evenire video, cujus me latet causa, & finis: mihi satis est certum esse, Deum illius esse auctorem, sive illud præceperit, sive permiserit; unicum, quod mihi capiendum superest, consilium est me illi submittere, & tacere. *Idem.*

Liquet, in Deo esse peculiarem pro justis providentiam, etenim pro illis peculiarem habet curam, vigilantiam, benevolentiam, & potentiæ suæ applicationem. Hæc sane hinc quidem valida ratio est, quæ nos a peccato deterreat, & ad virtutem impellat; inde vero, quæ justis amoris plenissimam, firmissimamque confidentiam immittat! Ubinam invenire possent majorem necessitatum suarum, majorem erga egestatem suam misericordiam, majus subveniendi desiderium, majoremque id præstandi potentiam? Quam piger cor nostrum optimis etiam amicis prodere, ut illis nostras significemus necessitates? quam sæpe in illis nullum miserationis sensum invenimus! quam crebro deprehendimus modicam esse eorum potentiam, ac parum nostris egestatibus levandis idoneam! quæ etiam nonnisi dimidiate, & frigide impenditur. Unice ergo nobis confidendum est in hoc patre amantissimo, in hoc perfecto amico, in hoc Deo, qui totus est oculus, totus cor, totus manus, ut nobis opituletur. *P. Texier in Dominicali, Sermone pro 4. Quadragesimæ Dominica.*

Quodnam subsidium bonis tribuat providentia, & quâ in occasione.

Animadvertendum est, ubi sermo est de subsidio, quod per providentiam suam tribuit Deus viris bonis, semper de illo intelligendum esse, quod ipsis necessarium est vel ad vitam ducendam, vel ad status decorem tuendum, non autem de illo, quod per cupiditatem habendi superfluum quærere possent. Vidistisne Deum defuisse unquam temporalibus bonorum necessitatibus? Sin autem illi sibi eas comminiscuntur necessitates, quas non habent, novit Deus illas dignoscere, & dijudicare. Queritur aliquis, quod non habet unde immodicam suam expleat ambitionem; dolet alius, quia sibi deest, unde vitam alat mollem, & voluptatibus deditam. Eheu! Deus nequaquam locavit providentiam suam, ut cupiditatibus nostris velificaretur, & ea liberaretur miracula, quæ nobis essent funesta. *Biroat Sermone pro quarta Quadragesimæ Dominica.*

Providentiæ non officit videre egenos, & pauperes.

Verum est visos fuisse, & adhuc videri bonos viros paupertate laborantes, & qui uxores, filiosque suos ostentantes illa evangelii verba usurpare possunt: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Respondeo tamen ad nonnullorum sanctificationem, atque salutem utilius esse, eos aliquot ferre mala, vel necessitates, ut fiant magis humiles, patientes, orationi dediti, voluntati divinæ obtemperantes, & habeant occasiones plurimas exercendi virtutes, quæ illos ad sublimem sanctitatem attollant. Quod si Deus illis non opitulatur in temporalibus necessitatibus, id facit, ut longe graviores, & nocentiores evitent, id facit, ut virtutem illorum experiatur, vel ut puniat secretam aliquam superbiam, confidentiæ defectum, vel aliquam in cultu suo infidelitatem. Tandem non est illis providentiam suam negare, ubi eisdem opem non fert, sed potius occasionem auferre peccandi, vel sese in pietate relaxandi. *Idem.*

Donec opes immensæ in impiorum manibus evanescunt, & rediguntur ad nihilum, videmus modicum bonum in justorum manibus in infinitum multiplicari, vel saltem alio providentiæ effectu tantum illis satisfacere, quantum omnes mundi divitias. Vos testor, sacratæ solitudines, quæ sanctos aluistis; nobis ostendite Antonios, Paulos, Hilariones, quos integro sæculorum spatio aluit providentia, & qui herbis, quas manibus suis convellebant, vescebantur ita contenti, ac si magnificis interessent conviviis. Et vos, claustra, quæ adhuc Sanctos excipitis, & orationis meæ argumentum estis, & providentiæ, quam prædico, trophæum: fortasse apud eos loquor, qui, quod dico sentiunt, & quorum alii in mediocri fortuna vivunt beatiores, quam si totum terrarum orbem possiderent, & alii sine aliis reditibus præter providentiam subsistunt,

& sunt

& sunt veluti totidem viventia ejus veritatis, quam prædico, argumenta: a Deo nunquam derelinqui eos, qui eidem inserviunt, & in ipso suam confidentiam constituunt. *Idem.*

Quæstitas patris, quam erga nos habet Deus, nos cogit, ut in providentia ipsius confidamus.

Videmus etiam in familiis, filios neque ob victum, neque ob vestitum esse sollicitos, nequaquam dubitantes, quominus parentes sui sint satis solliciti. Ita parentes a filiis suis hanc non exigunt curam, & si de hac re cum illis colloquerentur, dicerent, hoc illis negotium facessere non debere; id unum autem illis cogitandum, ut scilicet virtute præditi evadant. Quod autem spectat ad honores, munera, occupationes, hæc omnia illis præparabunt, ubi per ætatem iisdem pares fuerint. Similiter affectos Deus esse cupit filios suos, & hac de causa patris nostri induit & nomen, & rem. Nos de terrenis hisce rebus vetat esse sollicitos; vult nos in providentia sua conquiescere, non secus ac infantes in nutricum suarum sinu quiescunt. *Ex Morali Christiana in Pater.*

Quam felices essent Christiani, si paulo attentius considerarent, quid ipsi sint quatenus Christiani, quid sint erga Deum, & quid erga illos Deus! Quanta felicitas est esse Dei filios, & patrem habere Deum! Profecto ipsorum in hoc mundo vita quædam esset imitatio, & imago vitæ Beatorum, si sub Dei providentia vivere possent, quemadmodum filii se a patribus suis duci sinunt, id unum cogitantes, quomodo placeant ipsis, & de vitæ præsentia rebus ne minimum quidem laborantes. Id tamen plerique non cogitant. Alunt in cordibus suis spiritum avaritiæ sub specioso prætextu consulendi necessitatibus suis; omnes cogitationes, curasque suas in abjectis collocant rebus, quasi semper hoc in mundo essent permansuri, neque alteram post hanc vitam expectare deberent. *Idem.*

Providentiæ nos met subtrahere non possumus.

Mirum est, anima, vitaque carentia nunquam discedere ab ordine, quem illis providentia præscripsit; solus est homo, qui, quin infinitæ sapientiæ consilia sequatur, & Creatoris sui obsequatur imperiis, seipsum pro libidine regere vult, itaut malit ad interitum ruere per vias deerrantes, quam illam ingredi, quam sibi ostendit providentia. Attamen quocunque ille se vertat, si ex una elabatur manu, hæc illum altera apprehendit; sed ex manu bonitatis, a qua tot favoribus cumulatus fuit, injustitiæ manum decidit. Ita divina providentia semper dominatur; & peccator nihil conari potest, nisi quatenus illi permittit; qui si per improbitatem se præbet indignum, qui tanquam filius ametur, evitare non potest, quominus tanquam hostis excipiatur; & Deus tantum gloriæ ex æterna illius calamitate percipiet, quantum si in æternum cum ipso in cœlis regnaret. Hoc pacto providentia suum obtinet finem, sin minus hac ratione, alia, quin illi adversari valeat humana nequitia. Nisi ille ultro, ac lubens se illi subjecerit, sese invitus subjiciet. *Ex Lessii tractatu de Provid.*

Providentia divina scit bona educere ex malo &c.

Non loquor hoc in loco de luminibus, quibus divina providentia homines deducit, neque de ordine, quem servat in justificatione peccatorum, neque de suppliciis, quæ illis minitatur, neque de præmiis, quæ illis proponit; satis est in præsentiarum fateri magnum esse consolationis argumentum inter eam, quæ in mundi negotiis videtur, perturbationem scire, esse Deum, qui omnibus hisce rebus invigilat; & si quando impietas de virtute triumphat, nihil tamen fieri sine permissione supremi illius Domini, qui id non pateretur, nisi majorem inde gloriam esset percepturus. Nam licet inde æterna plurimarum animarum sequatur pernicies, pernicies, quæ nunquam satis defleri potest; hæc tamen patienter ferenda est, quoniam Deus aliis rationibus cladem hanc potest reparare, & adhuc ex tanto malo majora educere bona. *Ex Sermone de Providentia, Patris Maucorps.*

Necessitas est nosmet adorabilis providentiæ imperiis submittere: velis enim, nolis, quod Deus voluerit, eveniet juxta verba illa: *In ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Esther 13. Præstat igitur nos leniter adduci, quam violenter trahi; etenim, ut notat S. Augustinus, nemo prætergredi potest leges, quas præscripsit Deus, & necessario persolvendum est, quod illi debetur. Ita est; constat, creaturam sequi Creatoris sui voluntatem hoc, vel illo modo, si haud hæsitanter eam sequitur, fungitur munere suo id agens, quod debet; sin autem resistit, eamque non sequitur, nihilominus in vita facit, quod ultro facere debuisset. Divinæ quippe voluntati obtemperamus etiam ab ea recedentes. *P. Delingendes Sermone pro feria 3. Hebdomada 5.*

Ex animæ immortalitate sumitur argumentum ad providentiam probandam.

Si anima nostra est immortalis, quemadmodum dubitari non potest, extra omnem dubitationis aleam positum etiam est, post hanc vitam habendum esse judicium, ut singulis mortalibus pro meritis eorum tribuatur, impiis quidem pœna, justis vero debita merces. Necessario igitur opus est in mundo aliquam esse providentiam, quæ hominibus invigilet, & eorum actiones inspiciat, singulis pro meritis retributura, eo usque ut omnes Philosophi, & religiones, quæ tenent animæ immortalitatem, pœnas etiam admittant, & præmia cum providentia, quæ illa juste distribuat. *Ex Lessii tractatu de Veritate Dei.*

Naturæ ordo, & creata omnia annunciant esse providentiam.

Undenam quæso, adeo rapidi existere possent, adeoque justi, & moderati cœlorum motus, prætetquam a divina potentia, atque sapientia? Undenam adeo præclarus concentus, qui nunquam intermittitur, vel nutat, semper sibi æqualis, & constans per tot sæcula? Undenam adeo mirabilis tot animantium structura, & varietas? Unde proportio, & symmetria tot organorum adeo belle singularibus officiis suis respondentium? Unde incredibilis seminum virtus pro productione corporum, & omnium partium eorumdem tanta arte, atque ordine dispositarum, ut haud difficile omnia ad suum finem perveniant? Quemadmodum nihil horum esse potest ex se, ita nihil per se possunt esse. Immo neque essentiam suam habere possunt vel a fortuna, & casu, ubi nil certum, & constans reperitur, sed omnia simul sunt confusa, & incerta. Dicendum est ergo necessario, hæc omnia a suprema aliqua mente profecta esse, cujus infinita sapientia invenire, potentia producere, & providentia potuit gubernare. *Idem.*

Boni sensus est non resistere providentiæ: resistentia hæc est inutilis; quidquid enim conetur homo, Deus semper est Dominus: succenseat, murmuret, frendat, certissime fiet, quod Dominus decrevit. Contra Dei mandata murmurantes tempestatibus maris a S. Chrysostomo comparantur. Violentum hoc elementum sæpe in cœlum videtur assurgere, & ex abyssis egredi, ut omnia subvertat. Sed nequicquam mare furentibus ventis adjutum conatur: *Usque huc venies, & non procedes amplius.* Job 38. Subsidere cogitur ad vocem Domini, & Creatoris sui; parendum est. Hoc ipsum accidit hominibus furentibus, qui in Deum ipsum videntur exardescere: omnes eorum conatus sunt inutiles; semper fiet Dei voluntas, & providentiæ illius imperia implebuntur. *Specimen Sermonum pro Quadragesima Sermone pro Dominica 4.*

Quid Ethnici aliqui de providentia crediderint, & quid de eadem christiana religio nos doceat.

Crediderunt Epicurei indignum esse illo, qui beatus, & immortalis haberetur, humanis sese immiscere negotiis, vel minimarum rerum curam gerere. Hoc erat metiri Deum ex hominum imperfectione, quasi spiritum haberet arctis finibus circumscriptum, & negotiorum multitudo requiem illius perturbaret. Stoici fato subjecere providentiam, aliique eam ad necessarios effectus coarctarunt; quales sunt motus cœlorum, syderum influxus, anni temporum diversitas, & generatim quidquid ab hominum arbitrio non pendet, quod crediderunt non posse huic subjici providentiæ, quia concipere non potuerunt, quomodo liberæ actiones alienæ voluntati subjectæ esse possent. Quamobrem S. Augustinus ait, impios hujus opinionis auctorem cœcos

se

fecisse Deos suos, ut homines in libertatis possessione relinqueret. Sed Spiritus sanctus duplici verbo insulsas, falsasque has refellit opiniones in libro Sap. c. 8. ubi ait: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter:* ab uno ad alterum attingit extremum, atque de rebus omnibus disponit a creatarum rerum prima usque ad novissimam, a summo cœlorum vertice usque ad profundum abyssi, a sæculorum initio usque ad finem. Nihil excipitur; omnia sine ulla exceptione sub sapientiæ regimine continentur. Attingit fortiter, quin ulla fatalis eam cogat necessitas; disponit suaviter, quin vim faciat liberis rebus: facie Solem suum super bonos, & malos lucere, & pluit super justos, & peccatores. *P. Duneau 4. Quadrag. Dominica.*

Ad texendum divinæ providentiæ erga justos elogium, meminisse oportet trium perfectionum, quæ illam componunt, scilicet sapientiæ, bonitatis, & potentiæ, quæ tria efficiunt hanc providentiam certam, suavem, & efficacem. Sapientia infinita detegit vasto huic intellectui Dei res omnes existentes, atque possibiles, causas omnes, effectus, relationes, ususque causarum, & effectuum, fines omnes, & media, omnia temporum, personarum, locorumque discrimina; verbo omnia machinamenta, quæ in ingentis hujus mundi structura, & regimine inveniuntur. Hac posita cognitione bonitas pariter infinita Dei voluntatem impellit ad concipienda consilia digna magnitudine, & gloria illius, & utilia creaturis, quibus ordinat, atque destinat necessaria media, ut ad suum finem perveniant. Tertio ejus omnipotentia sese operi applicat juxta consilium voluntatis suæ, ut loquitur S. Paulus ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Tres hæ perfectiones efficiunt providentiam certam, suavem, & efficacem. *P. Texier in Dominicali Sermone pro 4. Quadragesima Dominica.*

Justus es, Domine, ajebat Jeremias Propheta; quomodo vero permittere potes, innocentem affligi, & impium esse beatum: *Justus es Domine, quare via impiorum prosperatur?* Animadvertite Prophetam incipere dicendo, Deum esse justum, & si hanc permittit inæqualitatem inter peccatorem, & innocentem, hoc mysterium esse, quod adorandum est. Joseph in gravissima persecutione, quam passus est, adoravit providentiam affligentem se, & tandem vidit ejus mysterii explicationem, cui sese subjecerat, quin illud vellet penetrare. Qui vidisset hominem hunc exagitatum, teterrimis criminibus accusatum, in horrentem carcerem conjectum, credidissetne hanc viam esse, qua ille ad sublimem fortunæ apicem conscenderet? Servitus, & carcer suntne gradus ad solium? Tuum tantummodo est, Domine, mysticas eligere vias, ut eos attollas, quos deprimis: hæc sunt secreta, quæ adorare debemus, & quorum effectus cum tranquilla submissione, & perfectaque confidentia expectandi sunt. *Ex Specimine Sermonum pro 4. Quadrag. Dominica.*

Deus curã gerit operis sui, & illud non potest deserere.

De Deo erga creaturas nequaquam idem dicendum est, quod de architecto erga ædificium; quod ubi semel extruxit, derelinquit, secedit, & opus ultra non indiget opificis manu. Sed opera Dei semper egent manibus ejus. Mundus est ædificium, quod ulnis suis sustinet: *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Ad Hebr. 1. Si Deus illum momento desereret, ille in nihilum reverteretur. Considerate, Salvator ait, lilia, & flores; videte quænam sit eorum pulchritudo? Salomon in splendore majestatis suæ nunquam locupletius ornatus est. Considerate volucres cœli; considerate cantus eorum, qui innuunt, quanam tranquillitate vitæ suæ curam Creatori relinquant. Vermen etiam terræ considerate, cujus peculiarem gerit curam, neque ambigetis de illius providentia. Homines, qui facti estis ad vestri Creatoris imaginem, potestisne dubitare, quominus curam gerat earum rerum omnium, quæ ad vos pertinent? Si tantam habet pro vilissimis animantibus providentiam, quam ille pro nobilissimis creaturis habebit? Insana est hominis ingratitudo; qui solus ex omnibus Creaturis in Creatore suo non confidat. *Idem.*

Integra habenda est confidentia in Deo cujus nunquam nos deseret providentia.

Fieri ne potest, ut providentia, ubi indiguerint, negligat in se confidentes? Equidem nego, utque mihimet persuadeam, rationem meam tantummodo consulo. Hæc me docet, adesse universalem Dei providentiam, quæ universum regit orbem, quæ creaturarum etiam sensu carentium opera utitur, ut quod contendit, evincat, quæ omnibus invigilat, regit omnia, omnia novit. Toti gentili antiquitati, vel saltem saniori illius parti hoc quovis tempore fuit persuasum; atque ut meam in eam statuam confidentiam, satis est mihi singillatim applicare universalis hujus providentiæ regulas, atque ita argumentari: Universorum Dominus, distributor bonorum, qui omnibus providet necessitatibus, ne uni quidem ex creaturis suis deest; quotidie solem suum oriri facit super caput nostrum statis horis; vestit arbores quidem frondibus, & volucres pennis; ego vero objectum, in quo sibi æternum complacet, ego ad æternam felicitatem creatus: ego, cui Dominus faciei suæ impressit imaginem; ego, pro quo gratiæ suæ thesauros prodegit: ego, quem ad superiorem extulit ordinem, ego, ubi indiguero, illius ope carebo? Haud ita sane, Auditores; illi etiam, qui in sæculo suspiciosissimi sunt, nunquam suspicari consueverunt de amicis suis, neque metuere, ne ab illis aliquando deserantur, ubi in illis rectum cor agnoscunt, & alioquin sciunt ipsos libenter etiam non amicis gratificari. Amabilis Dei mei providentia! talis es erga omnes homines; pro illis easdem curas haberes, quas reliquarum geris creaturarum, si sua ratione uterentur, ut sese consiliis tuis prorsus committerent. Sed heu! me miserum! me iis, quæ necessaria sunt, destitutum invenio, quod non omnem confidentiam meam in Domino constitui; si viverem sine tumultu, sine anxietate, tutior essem. Hoc me docet ratio. Argumentum cæteroquin adeo validum, ut eodem Jesus Christus utatur ad inhibendam discipulorum suorum ardentem sollicitudinem, qua sibi impostetum providere cupiebant: *Respicite volatilia cœli.* Hi sunt providentiæ universalis effectus: *Nonne vos magis pluris estis illis?* Nonne vos mihi quam illi chariores estis? Hæc illa conclusio est consolatione plena, quam omnes inferre debemus, ut in particularibus necessitatibus in providentia confidamus. *Sermo Manuscriptus.*

Semper injuste contra providentiam murmuratur.

Deus unus, o Christiani, cujus regimen sit necessario ab omni injustitia vacuum; attamen de ipso etiam conquerimur; providentia illius scopus est contradictionum nostrarum; & quoniam per illam Dominus mundum gubernat, munera distribuit, gradus ordinat, fortunas dividit, impatientes divini imperii, ubi nos in cupiditatibus nostris læsos putamus, vel cum severitate ab illis exceptos, a quibus regimur, contra providentiam erumpimus, illam injustitiæ insimulamus, illi calumniamur, & sæpe etiam a blasphemiis ad incredulitatem gradum facimus. En enim quid contra Dei imperium querelæ faciunt. Similes filiis Israel, ut illi, exclamamus: *Estne Deus in nobis, an non?* Ullusne Deus, qui vitæ eventibus præsit, an secus? Atheus ex defectu, quem se deprehendere putat in eo modo, quo universus regitur orbis, certissimam se haurire putat rationem primum ens negandi. *Idem.*

In providentia confidere debemus pro rebus terrenis.

Magna cum tranquillitate in paterna Dei providentia quiescere debemus, alioquin si in diffidentiam labimur, labimur in prorsus Ethnicam sollicitudinem, quemadmodum idem Salvator ait: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Matth. 6. Et nonne mirum est, quod in iis, quæ ad æternam pertinent salutem, in eo velimus confidere, nolimus autem pro vitæ hujus bonis, quæ adeo parvi facienda sunt? Quis pater unquam vellet filium suum fame interire, quemadmodum Jesus Christus inquit in evangelio? Credimus autem, posse Deum suos deserere? *Pascit latronem, non pascat filium?* Teipsum

aluit,

aluit, cum læderetur a te, cum vero illi servies, te derelinquet? *Pavit injustum, deseret pium?* ait S. Augustinus in Ps. 6. Quid tibi sperandum sit judica ex eo, quod jam recepisti, & quod adhuc recipis ab illo. Jesus Christus mortuus est pro te, pascit te corpore, & sanguine suo, nunquid vilem, abjectamque corporis tui escam negabit? Tibi cœlestia pollicetur bona, nunquid terrena negabit? *Liber, cui titulus: Christiana rudimenta pro 14. post Pentecosten Dominica.*

Cum Deus sit Pater noster, in providentia ipsius cur nobis est confidendum.

Si fidem haberemus, quomodo non haberemus perfectam pro temporalibus, ac spiritualibus necessitatibus nostris confidentiam in Deo, quandoquidem Pater noster est? Hoc suave patris nomen, nonne a nobis omnem sollicitudinis speciem amovere deberet? Deus est pater noster, & patrum omnium optimus; alii patres, si cum hoc conferantur, patris nomine sunt indigni. Hic rebus in omnibus pater est quoad essentiam, & quoad potentiam, quem nihil latet, qui melius novit, quibus rebus indigemus, quam ipsi; qui nostræ meminit infirmitatis, quin ne momentum quidem elabi sinat, quin cogitet de nobis; qui divina sua providentia generaliter rebus omnibus invigilat; & de quo Salvator noster testatur, ne unum quidem passerem in terram delabi sine ejus imperio & ne unum quidem capitis nostri capillum esse, quem ille numeratum non habeat; attamen Christiani, qui sunt filii Patris hujus, in eo vix confidunt. Videmus quotidie filios hominum in parentum suorum cura conquiescere, quin vel de victu, vel de vestitu laborent. Post hæc fatendum est sane, Christianum parum cognoscere, quid sibi sit utile. *Bondon in libro, cui titulus:* Le Cretiens inconnu.

Fortuna eorum, qui providentiæ eo se illa elevant, diuturna non sunt.

Unique, Domine, laudibus celebranda est providentia tua in iis pœnis, quas de illis reposcit, qui sese conantur attollere sine se. Vidi illos in sublimi magnitudinis ipsorum vertice; vidi illos sublatos tanquam Cedros Libani: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani.* Ps. 36. Insolentes sibi gloriæ vertebant fortunam suam, eamque sibi tantum debere gloriabantur: *Manus nostra excelsa, & non Dominus.* Deuter. 32. Speciosum quidem erat ædificium; sed quid de illo factum est? Cum religione minime fulciretur, *Transivi, & ecce non erat. Quæsivi, & non est inventus locus ejus.* Ps. 36. Hoc eorum fatum est, qui vivunt in iniquitate, & qui a providentia pendere detrectant: *Injusti autem disperibunt simul*; germen eorum misere cum illis dissipabitur: *Reliquiæ impiorum interibunt.* Illi e contra, qui Dei cultui inhærentes, & providentiæ illius imperiis submissi nihil nisi per ejus impressionem aggrediuntur, illis suum confert auxilium, illos de manibus inimicorum educit, & in benefactorum mercedem in pace diebus suis finem imponent. Hæc totidem sunt promissiones, quas Spiritus sanctus facit per os Prophetarum suorum illis, qui in divina providentia confiderint. *Sermo Manuscriptus.*

Sæpe insignia visa sunt exempla hujus providentiæ Dei in illos, qui in negotiis suis sequi volunt humanæ prudentiæ regulas, potiusquam in providentia confidant. Etenim quin retro lapsa sæcula repetenda sint, nostrum hoc consulamus. Quo tandem evasere beati illi, quorum fortunæ nosipsi fortasse invidimus, ubi sunt ingentia illa prædia, magnificæ domus, quibus nomen eorum erat insculptum? Ad alios migravere dominos. Deus, qui scelus impune pati non potest, neque hominem, qui providentiæ ipsius seipsum velit subtrahere, eorum confundit superbiam, deprehendit illos in jactantia eorum, disturbavit eos, donec adhuc in stadio versarentur, dissipavit ingentia illa bona, agrum illum vænire permisit. *Idem.*

Inde negotia nostra in deterius labuntur quia providentiæ imperiis resistimus.

Cum, quin divina scrutemur consilia, humano tantum more argumentamur, dicimus, heu! quomodonam domus illa adeo potens repente corruit? Infelicitas illa, quæ nobis ciet admirationem, satis naturaliter ad inquirendam illius causam impellit; eamque acceptam referimus modo sumptibus perperam effusis, modo pecuniis, quas alea consumpsit, modo negotio alicui, quod male cessit, quod neglectum fuit, modo infidelitati servorum, qui herilibus sumptibus locupletati sunt, modo licentiæ filiorum in omnem libidinem effusorum, qui bona obliguriertunt. Possunt quidem hæc omnia aliquid contulisse; verum hoc caput non est. Deus auctor est; crediderunt illi in felicitate sua se sine me subsistere posse, ac satis fortes esse, cum carneo tantum innitrentur brachio, ac ducem temerariam imprudentiam suam sequerentur; dissipabo consilia eorum, & commentitiam eorum sapientiam confundam. Ubi sunt hæc idola, dicam eis, in quibus confidebant? *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?* Deuter. 32. Nunc eorum opem implorate. Hoc illi vobis extricent negotium; ex hac vos eruant difficultate, inhibeant hujus creditoris acta, qui vos ad inopias redacturus est; vos jamjam labentes sustineant: *Surgant, & opitulentur vobis.* At quisnam negotiis vestris alium tribuere poterit cursum præter eum, quem ipse jubeo? *Idem.*

Vin' hac in vita beatus esse? hæc patet via. Quænam? hæc nempe; cum Deus primum sit principium rebus omnibus motum tribuens, nullum ipse ex me motum sumere debeo; cum providentia de rebus omnibus debeat statuere, memet submittere debeo, quodcumque de me, rebusque meis illi lubitum fuerit; cum providentia omnia ad meam referat utilitatem, ecce acceptare debeo, quidquid ipsa mihi immittit; cum illa sit omni creaturarum voluntati superior, non aliam voluntatis meæ normam habere debeo, quam suam. *Idem.*

Nobis persuasum esse debet quidquid accidit providentiæ nutu contingere.

Cum de fide sit providentiam adesse, de fide est eam impugnari non posse, nisi qualitatem fidelium abdicemus. At enim hac in re, quod nobis negotium facessit, & causa est tot querimoniarum in iis, quæ moleste accidunt nobis, hoc est, quod dijudicare vix licet, utrum hoc, vel illud, quod accidit, sit ordo providentiæ, ut illius erga nos adoremus consilia. Sed cum semel constitutum fuerit hoc principium, adesse providentiam, & hanc se ad omnia extendere, & nihil nisi ea movente fieri; necessario credendum est providentiam hanc sese ad omnia diffundi, & nihil nisi per motum ejus fieri; ideoque memet illi submittere debere, eamque acceptare. Itaque in hoc situ rerum quid consilii capiendum est? Non aliud, nisi quod certus esse debeo, providentiam rebus omnibus pro nostra utilitate invigilantem non permittere hæc omnia contingere, nisi ut me trahat ad se, atque me divellat ab iis rebus omnibus, quæ ab eadem me possent avellere. *Idem.*

Confidentia habenda in providentia.

Quid nobis metuendum est, Sanctus Augustinus ait, Deum protectorem, & providentiam ejus ducem habentibus? Quid, Sanctus hic Doctor ait, times, ut Deo duce, atque providentia ejus tibi patrocinante pereas? *Times ergo ne pereas?* Nunquid nescis, ne unum quidem capitis tui capillum illius in jussu lapsurum non esse: *Cujus capillus non peribit?* Eheu! si Deus ita curam gerit eorum, quæ nullius sunt momenti, & quæ tueri adeo parum interest: *Si sic tua custodiuntur superflua*, quænam nostra esse debet securitas in animæ cura, quæ illi est adeo pretiosa? Etenim quæ veritatis species adest, ne capillum quidem perire, ipsum vero permittere, ut pereat anima, nobilissima hæc nostrum pars, nisi nosipsi curam illius omnino abjecerimus? *Idem.*

Quo dulcedo sit in Dei Providentia confidere.

Dominus regit me, inquit Propheta, nihil mihi deerit; verum est, me pauperem esse, & rebus omnibus egenum; sed Dominus gerit curam mei; & si ille ipse curam suscipit consulendi necessitatibus meis, nihil mihi potest accidere, præter culpam, sine illius imperio: quid mihi metuendum est? Quam uber consolationum fons non invenitur, qui divinam erga servos suos providentiam meditatur? Quam suave est, cogitare quanam sapientia

Domi-

Dominus ad gloriam quidem suam, meam vero salutem disponit! Inimici versutia, & nequitia, invidentis mala voluntas, sexcenti molesti vitæ hujus casus, omnia cedunt in utilitatem diligentium Deum. *P. Croiset in spiritualibus considerationibus.*

Præcipuæ rationes, propter quas in Dei providentia confidere debemus.

Duo dicis, Domine, ut ad eam, quam tibi debemus, confidentiam horteris. Primum est, providentiam tuam sese ad omnia extendere; ne unam quidem ex creaturis esse, quæ non sentiat illam: ea omnia, quæ necessaria sunt, a tua manu recipi; nihil deesse avibus cœli, licet nec serant, nec metant, nec annonam congerant; nos vero longe præstantiores esse, ideoque digniores curis tuis, tua ope, ac vigilantia. Alterum vero, quod omnem licet adhibeamus solertiam, laborem, industriam, staturæ nostræ ne cubitum quidem addere possumus. Quæ satis, superque sunt, Domine, ut nobis persuasum sit de necessitate nosmet projiciendi in ulnas tuas, & nosmet sine ulla exceptione tibi committendi, in æternum abjiciendi hanc turbam, & sollicitudinem indignam illo, cui aliquid est fidei, & religionis; removendi cogitationes, desideria, curasque ab omnibus illis objectis, quibus eodem impendimus, & imposterum unum dumtaxat aliis quibuslibet exclusis mentium, & cordium nostrorum sensus omnes occupet; regnum videlicet tuum, sicuti vis, & jubes, quemadmodum explicite per hæc verba innuisti: *Quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Hoc est, ante cætera quærendum nobis est regnum Dei, sicuti explicite præcipis, atque ut eodem digni efficiamur, impendendi sunt omnes conatus nostri, omnes gratiæ, omnia lumina, quæ a tua excepimus bonitate, & quidquid ad nostras pertinet exteriores necessitates, providentiæ tuæ consilio permittendum est. *Abbas Trappensis in considerationibus moralibus in Evangelium S. Matthæi.*

Homines providentiam incusant, cum agunt, ac sese regunt, quasi illa se nullis rebus permisceret; quamvis ignorare nequeant, quanta sit curarum suarum inutilitas ob malos earum rerum, quas aggrediuntur, eventus, ob oppositiones, quæ eorum consiliis adversantur, ob jacturas, quas ibi patiuntur, ubi immensum lucrum se facturos putabant, ob pseudoamicorum, in quibus confidebant, infidelitatem, ob eorum interitum, in quibus spem omnem constituebant, ob sexcentos casus, qui omnia illorum evertunt consilia, & qui sæpe mortalem afferunt molestiam; tamen per incomprehensibilem pertinaciam in voluntario permanent errore, ex quo neque Dei imperia, quæ illis palam annuntiata sunt, neque propria experientia eos possunt eruere. *Idem.*

Falso fortunatorum insignium eversio aliis quam Deo refertur accepta, ubi contra providentiæ ordines nosmet elevamus.

Eheu! Auditores, quotidie vobis stupor incedit videntibus inopinos lapsus, fortunatumque insignium eversiones; harum causas scrutari vultis; easque modo acceptas refertis gratiæ competitoris, qui vel plures habebat suffragatores, vel cui magis arrisit fortuna, & cui cessit e voto, ut vos deturbaret de gradu; modo invidiæ inimici vel prosperitati vestræ invidentis, vel dolentis, quod ipse vobis posthabitus fuerit; modo tandem patrono, qui vestræ defuit necessitati; sed cortici inhærentes, externamque solum consulentes speciem sanum fortasse judicium ferre potestis? Si longius prospicere possetis, videretis, hæc nonnumquam instrumenta esse, quibus Deus usus est ad puniendam audaciam, qua providentiæ suæ leges violastis. *Vidi*, ajebat Regius Propheta Psalm. 36. hanc Dei in omnes homines providentiam admiratus, *vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Sed quia impius erat, quia contra Dei voluntatem se extulerat, magnitudo hæc quam primum evanuit. Elevatio, quæ non alii innititur fundamento, quam impietati, quam primum labefactatur. Vix illum in sublimi magnitudinis suæ gradu intuitus sum, cum recidit in obscuritatem, & pulverem: *Transivi, & ecce non erat.* Credidi saltem in illius interitu aliquas saltem superfuturas magnificentiæ ejus reliquias, quæ aliquam adeo insignis fortunæ adstruerent ideam; sed mea me fefellit opinio; quæsivi, & nihil inveni: *Quæsivi eum, non est inventus locus ejus.* Beatus ergo, cum eodem sancto Rege clamare debemus, beatus ille, cujus cor inflatum non est, & cujus oculi elati non sunt! Beatus, qui eo contentus gradu, in quo a Deo positus fuit, qui nequaquam illectus fuit eo fulgore, quo principes nitent; & quem superbia non impulit, ut ex ea egrederetur mediocritate, in qua providentia eum ortum ducere voluit. *Sermo manuscriptus.*

Ipsa hominum crimina conferunt, ut providentiæ consilia adimpleantur.

Quamvis creaturæ in divina providentiæ cursu suam immisceant nequitiam, providentia tamen falli non potest, neque deesse illis, qui in ipsa confidunt; ita ut qui semel se eidem commisit, credere possit, se esse inter manus Dei, tamquam puerum inter ulnas nutricis suæ, & recipere a manu Dei, quidquid mali eidem homines inferre contendunt. Etenim quamvis Deus odit crimen, quod committitur in ea, quæ nobis infertur, injustitia; nihilominus per supremam potestatem suam, cui nihil resistere valeat, & per infinitam scientiam, quam nihil latere potest, causas secundas ita ordinat, atque disponit, ut illis ad sua exequenda consilia utatur. Crimina ipsa, quæ permittit, quamvis non desit improbitas liberæ voluntatis committentis illa, locum suum inveniunt in ordine providentiæ, & per divinæ sapientiæ dispositionem fiunt media ad voluntates illius adimplendas. *P. Surin in Dialogis spiritualibus, tomo 1. lib. 3. cap. 4.*

Verum est, Deum sinere, quod causæ agant secundæ, ille numquam earum cursum mutat; sed tamen omnes earum effectus ordinat ad bonum animarum, quas salvas facere vult. Nihil fit, quin illius justitia, & misericordia concurrant. Permittit malum pluribus ingruere, qui illius providentiæ sese subtraxerunt. Ita adolescens ille in libidinum loco cæsus ibi expectabatur a Deo, & Deus duxit manum interfectoris, non quod malum affectione aliqua prosequeretur, sed justa providentiæ suæ dispositione, alterius utens improbitate ad alterius improbitatem puniendam; & quemadmodum per justitiam suam impii actionem disponit, ita per misericordiam, & amorem disponit omnia in bonum eorum, qui sibi fideles sunt, neque eos deserere potest, quemadmodum nec genitrix filium. *Idem.*

Legis antiquæ sancti, quidquid ipsis accidebat, providentiæ acceptum referebant.

Tota Scriptura plena est hac doctrina, & Sancti amici Dei, velut Abraham, David, & Job, quidquid eveniebat, Dei providentiæ referebant acceptum. Aliquidne est, quod minus a Deo proficisci videatur, quam quod a dæmone proficiscitur? Attamen Job, cum rapta illi fuerunt bona sua, cum filii domus ruina contriti fuerunt, in his solam providentiæ dispositionem respexit: Dominus, inquit, hæc omnia mihi dederat; ipse eadem abstulit mihi; neque irascitur cum dæmone, qui harum auctor erat calamitatum. Ita viri boni loquuntur, quibus persuasum est omnia sibi a Deo provenire, vitamque suam non aliud esse, quam dispositionum providentiæ texturam. Hæc inconcussa est basis submissionis, & consolationis eorum in eventibus molestissimis, qui accidere possunt. Tranquille in sinu providentiæ quiescunt, non secus ac filius in sinu matris suæ; se ipsos semper considerantes in manibus Dei patris sui, numquam anxii, sollicitique sunt de illis, quæ sibi eveniunt. *Idem.*

Bona, quæ recipimus nosmet omnino divinæ providentiæ tradentes.

Vultisne scire, quænam recipiamus bona, ubi nosmet hoc pacto divinæ providentiæ consiliis committimus? Hæc videlicet; quod sollicitas exuimus curas, quibus passim nosmet, & nostra conquirimus: quod anxietatem illam relinquimus, quam humana suadet providentia; quod omnino nostri obliviscimur, ut omnino a Dei sapientia, bonitate, ac po-

ac potentia pendeamus. Homo, qui vita sui ipsius curam Deo committit, magnum eidem facit sacrificium, quippe id abjicit, quod est primus proprii amoris effectus, & sese ab eodem separans plurimorum scelerum radicem convellit. Mente concipiamus nautam, qui multis fatigatus tempestatibus, & videns scientiam suam ad id inutilem esse, gubernaculum deserit. Si certo sciret non defuturum sibi extraordinarium numinis auxilium, nonne eo sapientior; & beatior esset, quo magis in Deo confideret, eo usque ut gubernaculum in mare projiceret? Deus autem pollicetur, se curam suscepturum eorum, qui propter amorem Dei curam sui abjecerunt, vel saltem in providentia confiderint, in iis, quæ sibi molesta contingere possint. *Idem in capite sequenti.*

Quam felices illi sunt, qui divina freti providentia, in Dei manu relinquunt fatum suum, eique integrum permittunt eorum, quæ ad ipsos spectant, arbitrium! Hæc constans est veritas, cujus praxis ita necessaria est, ut sine illa vita non aliud fit, quam motus irregularis, & perpetua agitatio propter multitudinem actionum, curarum, & præcautionum, quibus repleta est, quæ negotium facessunt, & quæ eo omni carent fructu, atque utilitate, quæ inde speratur. *Abbas Trappensis tomo primo effatorum christianorum.*

Rebus in omnibus parere debemus nutibus providentiæ.

Divina consilia, omnesque providentiæ dispositiones adorandæ sunt. Dubitari non potest, quominus justæ suppetant causæ permittendi, quod homines nobis agant injuste, quod veritatis hostes prævaleant, & nos opprimamur. Ille semper & Pater, & Dominus est, & mandata ejus semper colenda sunt, sive ille nobis suam bonitatem, atque clementiam testatur, seu nobiscum sua utatur severitate. Felix necessitas est omnes amare status, in quibus nos esse jubet Deus, atque ab omni cupiditate vacui, & expediti sequi debemus omnes divinæ providentiæ motus. Hujus est disponere de iis, quæ ad nos pertinent, nostrum vero judicia ejus adorare, eisque nosmetipsos submittere. Si veritas hæc ita esset comperta, & in praxin redacta, uti oportet, terra mutaretur in cœlum, & homines in Angelorum naturam migrarent. *Idem.*

Ulline rei istic adhærere possumus, quandoquidem nihil nisi incertum hic est, & Deus de rebus omnibus absolute disponit, quin nos vocet in consilium? ille, ubi vult, aufert virum uxori, filium patri; quæ privationes constanti pace & videndæ sunt, & perferendæ. Ad id satis est scire providentia illius omnes hos motus regi, & ordinari. Ille ubique adorabilis est & ejus imperia, quæcumque sint, a nobis profunda humilitate, & submissione excipienda sunt. *Idem.*

Confidentia in providentia cū sumus pauperes, ægri &c.

Quonam animo affecti esse debemus in morbis, in paupertate, & in omnibus, quæ nobis accidunt calamitatibus? Cave, ne quæras a Deo, cur te miserum facit; hoc est mysterium, quod adorare, & cui nosmet submittere debemus, quin illud scrutari velle audeamus. Providentia ejus semper benefica est, & mala, quibus nos in speciem affligit vera sunt bona, quæ nobis debent animos addere. Quantumvis miser sit ille status, in quo nos providentia constituit, nobis persuasum sit, Deum esse nostrum præsidium, virtutem nostram, nostrumque præmium, quoniam ipse nostra erit gloria. Hoc spiritu animatus erat Apostolus cum ad Corinthi fideles scribebat: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus.* *Specimen sermonum pro Dominicali, Quarta Quadragesimæ Dominica.*

SUPPLEMENTUM.

Nihil paternam divinæ providentiæ curam fallit.

Quid admirabilius est ea ratione, qua divina Providentia moderatur creata, eaque universa ad ipsorum finem adducit! Sapiens de Deo verba faciens inquit, illi de omnibus æque curam esse; videlicet, nihil esse, quod Deo curæ non sit; nec in terram decidit passerculus, sine Patris Cœlestis voluntate, juxta Filii Dei doctrinam. Si quis ea omnia cognoscere posset, quæ in universo continentur orbe, hic magnam haberet causam admirandi magnitudinem, atque extensionem divinæ Providentiæ, quæ omnibus, non generatim solum, sed singillatim etiam prospicit. Divina Providentia unum tantum Summum Pontificem constituit, qui universum Christianum orbem moderaretur, & omnibus Ecclesiasticis Ordinibus invigilaret; non autem singulis fidelibus, quamobrem longe plures Episcopi, aliique Pastores sub illo constituti sunt a Filio Dei ad tanti gregis custodiam. Ita complora Regna ab uno reguntur, qui cum per se nequeat rebus omnibus prospicere, plures habet Ministros, & Magistratus, quorum cura, & opera ubique in regno rectus ordo servatur. Deus unus par est, qui omnia generatim & singula singillatim prospectet, & ne passerculi quidem obliviscatur. Numeratos habet omnes capitis nostri capillos, neque aliquem interire finit; tantam nostri, rerumque nostrarum curam gerit. Audit etiam clamorem corvorum, neque eos deserit, si a parentibus deserantur. Nonne igitur tuto, ac tranquille inter ulnas Parentis optimi quiescere possumus in ipso concubiæ noctis horrore, inter leones, atque dracones, inter etiam infernales copias in nos confertas, & conjuratas? *Card. Bellarminus in Opusc.* Sap. 6.

Providentia efficit ut bonum simul ac malum ad fines suos adorabiles apte conducat.

Omnino persuasum esse debet nobis impiorum prosperitatem esse in manu Dei tamquam flagella, quibus utitur ad alios impios puniendos, vel tamquam virgas ad Fidelium noxas persequendas, vel tamquam terrena præmia aliquibus imperfectarum virtutum conatibus debita. Et profecto cum impii nequaquam in omnibus impii sint, nonne justitiæ ordo postulat, ut si quid illi laude dignum egerint in Ecclesia obiter saltem terrenam aliquam mercedem recipiant? Cæterum neque justi rebus in omnibus justi sunt. Nonne ad illos expiandos a labe, quam parum cauta cavit natura, crucibus, humiliationibus, persecutionibus opus habent. Non igitur deesse debent persecutores, ac tales persecutores, quibus auctoritas adsit. Hæc autem persona ad quos spectat, nisi ad homines pravos? Ne miremur ergo si quando illos Deus sua munit potentia; si illis sua ministrat fulmina? *Assur*, inquiunt Biblia, *Virga furoris mei, & baculus ipse est.* Sed ubi terribilis hic divinæ ultionis minister mandata sibi commissa adimpleverit; ipse quoque vicissim cædetur. *Sermo alter Accademiæ anni 1711.* Isai 10.

Frustra in Providentia confidit, qui otiatur.

Essentialis Christiani perfectio est, viventem, agentemque in divina Providentia confidentiam habere. Nam licet minime deceat in nobismetipsis, vel in rebus creatis vim nostram collocare; vult tamen Deus, ut quantum in nobis est, & ipsi laboremus. Dicit enim fidem sine operibus, esse velut corpus sine anima; nostris vineis, messibus, fructibusque invigilat; sed exigit, ut & nos secum vigilemus, agros excolamus, ac nobismetipsis opitulemur donis ejusdem utentes. Non abnuit omnipotens brachium suum nobis commodare ad cladem Madianitarum, scilicet dæmoniorum salutis nostræ inimicorum; sed jubet nos quoque ensem distringere, & bellum illis inferre, cum ille gladium super caput eorum sublatum tenet; videlicet, nos pro virili parte dæmonum tentationi resistere, quantum in nobis est, nec pati, ut inutiles relinquantur gratiæ, quas nobis largitur Deus, ut inimicum adeo potentem propulsemus. Bipalmaris igitur esset illusio in divina Providentia confidere, & decussatis interim brachiis otiari, saluti nostræ, quantum in nobis est cooperari nolentes. *Ibidem.*

Sæpe Deus punit impios, & bonos remunerat ante judicium ad excitandos nos, qui dormitant in iniquitate.

Ad eos confundendos, qui Dei Providentiam negant, illis in hac etiam vita ostendenda est levis quædam adumbratio judiciorum ejus punientis quidem impios & bonos remunerantis, ut nos Sapientiores efficiat, & in officio contineat. Si enim Deus numquam animadverteret in eos, a quibus lacessitur, vel si aliquando in hac quoque vita servis suis munera non conferret, providentiam illius minime crederent, virtutem perhorrescerent, quasi hæc in homines bonos conflaret mala, quæ iisdem contingunt; omnibus se vitiis ingurgitarent, quasi hæc essent occasio, & fons prosperitatis malorum; vel si in hac vita exciperentur secundum opera nostra bona, vel mala, putarent, chimericum esse quidquid de judicio Dei narratur. *Ex Opusculis S. Chrysostomi.*

Laudes Deo agendæ propter curam divinæ suæ Providentiæ.

Quid molitur insipiens, qui divinam Providentiam tuam conatur eludere? Prohiberene potest, ne tu Domine in illum consilia tua exequaris? Sperat illene te invito omnia sibi a sententia successura? Nonne illi permisisti tempus sese attollendi, ut illum confunderes, ac deturbares? Verum si nosti hominem superbum confundere, quin te pendere detrectaret; scis etiam Christianum humilem elevare tuis voluntatibus obtemperantem, sese omnibus nutibus tuis subjicientem, omniaque bona sua in manibus tuis collocantem. Scit, humilis hic Christianus, nihil fallere curas tuas, & te illos tantum deserere, qui illas velint eludere; scit in te Patris charitatem cum potentia, & sapientia nullis finibus circumscriptam esse conjunctam. Utique Domine, charitas summa qua nos complecteris, semper infinita regitur sapientia. Ad unguem cognoscens necessitates nostras nobis quotidie largiris, non quidem, quod placet, sed quod oportet. Me igitur in ulnas tuas Domine projicio nihil magis optans, quam quod tua erga me consilia adimpleantur. Deus meus diligit me; nequit unquam oculos a necessitatibus meis amovere. Nihil mihi accidere potest, quod ille nolit, saltem, quod non permittat. Quænam hinc mihi pacis, ac tranquillitatis causa in hac quoque vita? *P. Segneri in Medit. Tomo 3.*

Peculiaris Dei providentia in eos qui eidem adhærent.

Nihil fortasse melius in Scripturis connotatum est, quam hæc Dei in illos Providentia, qui eidem fideliter serviunt, eumque ardentissime diligunt. Repetite primam ipsam mundi hujus ætatem, quem Dei famulum, quem virum bonum supremus hic rerum Dominus sua protectione dignatus non est? Torrentium instar aquæ diluvii decidant, ad mortalium omnium interitum: Noe ejusque Familia a tanta hac publica, & universali calamitate vindicantur. Decidat ignis in oppida quinque, & illa comburat: Loth bonus est, & huic parcit ignis. Joseph a fratribus venundatus alienigenis calumnia lacessitus, & sons habitus, licet omni culpa vacet de carcere gradum facit ad solium. Quot miracula Deus operatus non est, & quotidie operatur in gratiam fidelium servorum suorum? Opus est, ut sub pedibus aquæ obdurescant, ut Daniel in leonum lacum demissus alatur; ut David de furentis, ac insanientis Regis manu liberetur; Dominus non parcit prodigiis, atque miraculis. *P. Croiset in Asceticis Exercitat.*

Quamvis in Deo confidendum sit, tamen sollicitis nostris negotiis invigilare debemus.

1. Petr. 5.

Deum habetis, qui etiam Pater vester est; *Omnem sollicitudinem vestram in illum projicite.* Deus curam vestri gessit, antequam essetis, Sanctus Augustinus ait: num hodie cum vos creaverit, vestri obliviscetur? Deo fideliter servite, de cetero nolite esse solliciti. Quot sollicitudinibus, ærumnis, timoribus careremus, si vere confideremus in Deum, si Dei Providentiæ fidem haberemus? Vult quidem Deus, ut necessitatibus nostris prospiciamus, præcipit etiam, ut sapienter omnia prævideamus. Virgines fatuæ rejiciuntur, quod tempestive sibi oleum non comparaverunt. Agendum est, quidam Sanctus vir ait, quasi omnia ab industria nostra penderent: tamen confidendum est in Providentia perinde ac nostræ curæ & industriæ nihil prodessent. Deo serviamus, serviamus, & tranquilli simus in omnibus vitæ casibus; *quod ipsi cura est de nobis.* Deus omnia videt; futurum æque ac præteritum. Deus nos amat, eo igitur de nobis curam gerente, nihil tam metuendum est nobis, quam nostra diffidentia: hæc sæpe inhibet cursum beneficiorum, & gratiarum erga nos. *P. Croiset in Exercit. Ascet.*

Ibidem.

Timendum nobis non est, quod nolit Deus nobis consulere, & opitulari. 1. Petr. 5.

Fratres mei, dicebat Princeps Apostolorum: *Omnem sollicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Si Deus curam habet de nobis, si vult nos in divina ipsius Providentia confidere; timebimus ne ille possit; vel ne fidem præstare velit? Si minus experimur duplicem hunc Providentiæ suæ adeo beneficum effectum, succenseamus nobismetipsis, modicæ fidei nostræ, nostris infidelitatibus, nostræque in cultu ejus ignaviæ. Modicum damus Deo, omnia ferme illi negamus, licet ex nobis petat, nisi quæ facillima sunt, & æquissima; modicum vero quod illi damus, ita rustice damus, ut ingratiis dare videamur. Hinc fit, ut vel nullam in divina Providentia confidentiam habeamus, vel si quam habemus, tantula est, ut ad alios potius ipsamque industriam nostram confugiamus, quam ad Deum, qui nullo pacto deesse potest confidentibus in illum. *Idem ibidem.*

Deus peculiari providentia pauperum curam gerit.

Mundi Salvator poteratne quidquam facere pauperibus utilius, quam se ipsum in eorum numerum referendo? Poteratne Providentia uberiorem illis assignare fundum, victuique illorum rationem? Et si vigeret fides in nobis, ullusne illis esset beatior? Ex quo Dei Filius se pauperem esse voluit, non pauperi, sed Jesu Christo nego subsidium. Non abjectum, sordidumque hominem rejicio, sed Dominum universorum; & Redemptorem supremumque mortalium omnium Judicem contemno. Censemus autem a paupere meram peti gratiam, cum petitur eleemosyna; hoc jus est, quod exigit, & quod illi debemus. Omnia bona nostra Dei sunt supremæ dominationis jure; eorumque illi & tributum, & honorem debemus. Deus hoc adeptit tributum, & hos fructus in pauperum alimoniam: hos in locum suum subrogat, ut verbis suis tributum hoc exigant. Post hæc possumus ne aliquam adferre sævitiæ nostræ erga pauperum miserias excusationem, eo quod exiguam a nobis opem consequantur. Cur Deus Reprobis hoc unum objicet, quod pauperibus in necessitatibus eorum non fuerint opitulati? Nisi quod injuriis, & injustitia facti hujus ad ipsum personam refertur. *P. Croiset in Asceticis Exercit. Tom. 3.*

Quam sæpe in Scripturis pauperes commendati sint.

Eleemosyna inter certissimas prædestinationis notas potest adnumerari, sicuti duritia erga pauperes perspicuum est parum ambiguæ reprobationis argumentum. Dei Misericordia solidissimum est salutis nostræ argumentum; quid vero nobis tutius efficit hoc fundamentum, quam misericordia erga pauperes? *Beati misericordes*, Salvator ait, *quoniam ipsi misericordiam consequentur. Date, & dabitur vobis*, ait alibi. Patres autem Testamenti veteris nonne eadem docuere? Eleemosyna, Tobias inquit, eripiet animas nostras a peccatis, verum eorumdem nobis dolorem obtinens. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Nonne hæc certa sunt adorabilis providentiæ erga pauperes argumenta; eos toties divitibus commendasse? Et profecto unicum illud commodum, quod procurent divitiæ possidentibus eas est, solvere posse quidquid debent justitiæ Dei suam hæc bona in pauperum manibus collocando. Hoc pacto quot fideles amici, & potentes patroni possunt divites sibi apud Deum conciliare! *Beatus*, inquit Propheta, *qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Idem. ibid.*

Matth. 5.

Tob. 12.

Luc. 11.

Psal. 40.

Vigilat in servos suos providentia, ut unice eorum curæ occupata videatur.

Verum est nos viatores esse in hoc mundo, & hic iter facere per arduos, & periculosos calles; verum quid non præstat quotidie Deus prohibiturus, ne servi sui deerrent, ac pereant? Gratias adhibet, occupat Angelos, seipsum eorum ducem constituit. Secretis afflatibus docet quæ facienda sint, & quæ fugienda.

Diceres, Deum sola servorum suorum cura occupari. Mundus amabiles has Providentiæ artes ignorat. Mundani judicium ferunt de variis casibus, qui bonis accidunt, perinde ac de adversitatibus Joseph ferebatur; sed non vident divinæ Providentiæ subsidia, quæ omnia ad Electorum salutem convertit, juxta illud Apostoli verbum: *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8.) Licet terra universa Dei servis inferat bellum, quid illis tanto duce, & auspice metuendum est? Universa hominum nequitia illis nocere non potest. Omnes dolos exerceant, ut eis negotium facessant; omne crudelitatis genus expediant, ut illos perdant; totus erumpat adversus illos infernus: quid illis est trepidandum? Deus pro illis stat. *P. Croiset in Asceticis Exercit.*

(Ad effectus divinæ Providentiæ percipiendos Deo strenue ac ferventer serviendum est.) Nihil magis cor bonum permovere potest, quam peculiaris hæc cura, quam gerit Deus sibi inservientium: nihilque aptius est ad excitandum in illius cultu fervorem, quam singularis hæc Dei erga servos suos Providentia. Adnitamur hoc in numero recenseri, & id experiemur; sed meminerimus ad hoc ut hos percipiamus effectus, Deo generose, ac liberaliter esse serviendum. Timidi illi, ignavique servi, quibus humana ratio dominatur, & qui clam serviunt Deo: mercenarii servi, qui ob quæstum tantummodo serviunt, negantque etiam eidem partem eorum, quæ ab illis exigit, qui id tantum agunt quod illis placet, verbo venales animæ, nequaquam experiuntur suaves effectus singularis Providentiæ, quæ ferventibus tantum impenditur. Deo serviendum est cum fervore, & sine ulla exceptione. Quodlibet enim frigus jure nostram jugulat confidentiam: cum enim male adeo serviamus Deo, quo jure exigere possumus, ut divina nobis Providentia patrocinetur? in omnibus molestiis hujus vitæ casibus, in adversis, cumulatissimam habeamus in Dei bonitate confidentiam. De manu illius, tamquam de optimi Parentis dextera, accipiamus quidquid illi nobis placuerit immittere. Nostram semper respicit felicitatem, quamcumque nobis tentationem injiciat; omnia ergo quæ ad nos pertinent, in manibus ejusdem relinquamus. *Idem ibidem.*

(Quid sit Providentia.) Ethnicos inter, & Christi fideles convenicet, rationem esse superiorem, quæ omnia ad ipsorum finem adducit, per ea, quæ singulorum statui, naturæque sunt congrua: *Attingit a fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Hinc sequitur Providentiæ munus esse consulere necessitatibus totius communitatis hominum in genere. Hoc universe Providentia potest nuncupari; & quoniam homo quilibet membrum est hujus communitatis; Providentiæ interest quoque singulorum hominum prospicere necessitatibus, quod particularis appellari potest Providentia; & quoniam immortalis anima illud est, quod in quolibet homine præstantius est, maximique momenti; interest quoque Providentiæ æternis animæ necessitatibus prospicere; & hoc æterna Providentia potest nuncupari. Quod tandem corpus mortale, ac tempori obnoxium est animæ in obeundis ejus functionibus instrumentum; est quoque Providentiæ temporalibus corporis necessitatibus consulere, quod temporalis Providentia potest nuncupari. *P. de la Rue in Quadragesima.*

(Deus superbum confundit semet Providentiæ subtrahere conantem.) Non minimum inter mortalium mala censetur nolle sese divinæ Providentiæ committere. Fortasse non est tibi indocile ingenium, quod rebus in omnibus suo velit consilio inhærere juxta arbitrium tuum atque contra Domini voluntatem; verum neque tibi est spiritus obediens, qui quodcumque accidat, dicat: Deus Dominus est, id agat, quodcumque ipsi libitum fuerit. (1. Reg. 3.) Tamen nisi temet sine ulla exceptione, & summa cum humilitate illi commiseris, ipse, qui est ante sæcula, humiliabit te. (Psalm. 54.) Non vis cum merito temet Dei mandatis subjicere, sciet ille te nolentem quoque, & cum tuo dedecore subjicere, nec illi labore multo stabit confusio tua. Manus Israel es in manu mea, tamquam lutum in manu (Jerem. 18.) figuli. Satis est figulus sibi e manibus elabi sinat opus suum, ut in sexcenta fragmina dissiliat: Ut Dominus tibi vitam auferat, retrahat, satis est manum, qua sustineris. Penitus ergo nosmet voluntati illius subjiciamus, hæc una esse debet nobis regula. Demittamus caput sub ictibus ejus; qui si nos percutit, quidquid eveniat, illi gratias agamus. Quodcumque nobis facis Domine, omnia facis in æquitate, & justitia. (Daniel. 3.) *P. Segneri in Meditat. Tom. 3.*

(Deus sæpius ocyus glorificat humilem qui rebus in omnibus in divina Providentia confidit.) Manus eadem, quæ nullo negotio nostra dissipat consilia, efficere potest, ut illa feliciter cedant. Non difficilius Domino fuit nos attollere, quam deprimere. Eduxit ille Joseph de turpi Carcere, ut ad sublimiorem gloriæ verticem eumdem efferret; & quod pro Joseph operatus est, id egit, & agit semper, ut homines perfecte in sua Providentia confidentes attollat: *Humiliamini . . . . ut vos exaltet.* (1. Petr. 5.) Sed etiamsi Deus in hac vita degentes non elevaret, non desunt eidem rationes, quæ nonnisi summæ utilitatis nobis esse possunt. Saltem in die Visitationis suæ; videlicet universalis Judicii die prolixe sarcietur damnum, quod in humili submissione omnibus voluntatibus ejus passi fuerimus. Tunc Deus retribuens singulis secundum opera eorum reddet centuplum illis, qui nunc omnibus imperiis illius capessendis parati sunt. Quænam gloria est homini, qui a Deo Creatore suo in honore habetur, & gloria decoratur coram universis! Ergo nunc vosmet subjicite consiliis omnibus, quæ de vobis fovet divina Providentia, omnibusque tentationibus, quibus eidem placuerit virtutem vestram experiri, & certissime tempore Visitationis Domini exaltabimini: *Humiliamini sub potenti manu Dei; ut vos exaltet in tempore Visitationis. P. Segneri Tom. 3. Medit.*

(Deus pro nobis habet curas parentis optimi, & sapientissimi nostras potius cōsulit necessitates quam desideria.) Id potissimum prohibet quominus divinæ Providentiæ nosmetipsos committamus, quod non satis in eadem confidimus: quasi Deus erga nos bonitate esset vacuus, vel gravioribus curis implicitus, quidquid ad nos pertinet, sorti committeret. Hic quidem gravissimus esset error; quoniam ipse testatur sibi ex æquo curam de omnibus esse: *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Verum alius esset error, existimare, curam hanc in eo positam esse, ut studiis nostris obsequatur, ut temporalia nobis procuret commoda cum ipsius nostræ salutis impendio. Quid est ægri alicujus curam gerere? Numquid est ei quæcumque poposcerit, dare, id etiam, quod ipsi obfuturum est? Nequaquam. Immo est, saluberrima illi propinare pharmaca, licet aliquando reluctetur, atque detrectet. Ægri sumus. Vult Deus nostri curam assumere non ut nos fallat, sed ut remedia magis amara propinet, quæ judicat nostræ saluti salubriora. Nobis igitur persuadeamus nos a cœlesti Patre per summam illius erga nos charitatem afflictari. Scit quibus rebus egeamus, quod ipsi nescimus. Utique ille vobis nectit obices, & conatus vestros evertit: *Omnem ergo vestram sollicitudinem projicite in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. Idem ibid.* (1. Petr. 5.)

(Nulla in terris suavitas est, nisi illi, qui omni no se providentiæ committit.) Si veritas hæc rite intelligeretur, facile omnia divinæ Providentiæ permitteremus, & permissio hæc nobis summum esset vitæ nostræ solatium, ac vitam ipsam in perfecta quiete omnibus expediti curis vivere possemus. Nihil enim tristius est, quam secum animo versare sexcenta chimærica consilia numquam adimplenda; quam agitari metu sexcentorum malorum, quæ numquam fortasse eventura sunt. Ratio autem exhauriendi omnes perennes hasce sollicitudines est sese in Domini manus tradere tamquam filium, qui se regendum committit patri suo, a quo se valde amari cognoscit: *Omnem sollicitudinem projicientes in eum.* (1. Petr. 5.) Animadvertite, non dicere S. Petrum, quod curarum vestrarum partem Providentiæ relinquatis, vult autem, ut curas omnes projiciatis in illam. Heu! Si rite perpenderetis, quantum minime rerum temporalium sollicitudo vestræ officiat saluti! Retardat saltem progressum vestrum in perfectione christiana, partitur cor vestrum Deum inter, & mundum, & sæpe efficit, ut alterius obliviscamini, altero dumtaxat per-

perfruituri ? Hanc igitur curam inutilem tamquam colubrum, qui in sinum tuum conatur adrepere; festinanter illam projice abs te : *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Omnia Domino permitte; nihilque tibi deerit; ac inde locupletissimum fructum hauries; quia ita operaberis salutem tuam. Salvam facies animam tuam, dicit Dominus per Prophetam, quia in me collocasti confidentiam tuam. Tot sancti Regulares qui eleemosynis vivunt, insigne nobis præbent exemplum perfectæ confidentiæ, quæ in Deo est habenda, & saltem admonent fideles, quod cum non alias habeant, unde alantur opes, quam illorum eleemosynas; divina bonitas numquam ad hanc usque diem illis defuit, sed abunde illorum necessitatibus consuluit. Talis constantia, qualis est tot Sanctorum Cœnobitarum, excedit quidem communes regulas, non diffiteor; sed semper quantum in nobis est, & semper cum confidentia in Domino, adlaboremus; neque ille quidquam necessarium nobis deesse permittet. Nullas habeamus curas inutiles, aut nostræ quieti, vel conscientiæ nocuas, vel Sanctæ Dei providentiæ contumeliosas: hic enim exprobrare posset nobis; Numquid factus sum domui Israel desertum sterile, vel terra serotina? *P. Segneri in Meditationibus.*

Psal. 54.

Jerem. 39.

Verum est nobis laborandum esse ut nobismet necessaria comparemus sed magis in Providentia, quam in curis nostris nobis est confidendum.

Cum pecuniæ necessitas, quæ nobis est, ut nostris vitæ necessitatibus consulamus, ut plurimum prætextatur ad excusandum ejusdem amorem; Salvator nos docet, si fideliter, fidenterque servierimus Deo, nos liberatum iri plurimis sollicitudinibus; & Dominum illum, qui adeo utiliter abjectissimarum etiam creaturarum necessitatibus invigilat, abunde nostris quoque consulturum. Quo in sensu nobis dicit : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Tuto in illo confidite, a quo habetis & vitam, quæ escæ anteferenda est, & corpus, quod pretiosius est indumentis, quibus cooperitur. Quot sæpe curis, & inutilibus laboribus careremus, si in nostris necessitatibus ad divinam Providentiam confugeremus! Hæc prospicit avium necessitatibus, numquid humanis non consulet? Pater Cœlestis alit illos, quin ipsi congregent in horrea; numquid minus illos enutriet qui illum noverunt, illum diligunt, illum observant, & colunt? Dei Filius justas, & rationabiles curas non improbat, quas quisque de victu suo gerere debet: esset tentare Deum, ea negligere subsidia, quæ divina nobis exhibuit Providentia, quibus ad victum necessaria nobis comparemus; nimiam dumtaxat sollicitudinem, diffidentiam, festinationem damnat. Agendum est itaque quasi rerum eventus a nostris penderet curis; si tamen res e voto cesserint, omnia & singula Dei Providentiæ accepta referenda sunt. *P. Croiset in Asceticis Exercit. tom. 5.*

Matth. 6.

Deus vult superbam eorum confundere præsumptionem qui in se tantum fidunt.

Anxietas, & nimia sollicitudo in negotiorum nostrorum procuratione æque improbandæ sunt, ac incuria, & inertia. Siquidem in Dei ope, & Providentia minime fiditur, plurimum detrimenti patimur; atque si curæ, laboresque nostri plerumque steriles sunt, modicæ tantum confidentiæ, & Religioni nostræ succensendum est. Num putas si tibi divinæ Providentiæ desit ordo, & auxilium, festinationibus tuis te obtenturum esse, quod tibi necesse est? Oblectatur Deus superbiam nostram, & industriæ præsumptionem confundere. Quibus artibus utendum est, quid non intenditur, ut aliquis fiat potens, & insigne aliquam fortunam consequatur? Vigiliæ, mentis applicatio, versutiæ, recentisque inventionis industriæ; systemata, sodalitates, conjurationes, nihil prætermittitur, nihil intentatum relinquitur: nil tutius, atque probatius videtur, quam consilium, quod captum est, dum corruit ædificium. Cur? Quia cum propriis tantum viribus fueris confisus, Providentia tuam irridet superbiam, & in ictu oculi evertit immane hoc fortunæ simulacrum, quod plurimo multorum annorum labore posueramus. *Idem* [illegible]

Christianis præ cæteris de Providentia diffidendum.

Si Providentia tantam gerit avium curam, ut nec victus illis desit, nec cætera, quæ ad vitam sustinendam necessaria sunt; si agros floribus vestit tam jucunda colorum varietate depictos: quanto magis nobis sperandum est, Deum rebus in omnibus negotiorum nostrorum curam habiturum; præsertim vero si absque ulla exceptione in illius bonitate confidimus? Profecto illum videmus curas suas extendere ad florem, qui hodie nascitur, & cras in clibanum mittitur; & metuimus, ut nostri obliviscatur, nostri inquam, qui ad ejus imaginem creati sumus? Nostri, quos elegit, ut sibi famularentur, & qui ab eo ad æternam felicitatem sumus destinati? Mirum nobis esse non debet, si plurimis hisce prævenientibus subsidiis privamur: cur hoc? quia nobis deest confidentia, quia unice in nostra confidimus industria, in viribus nostris, arte, calliditate. Anxietas nostra, sollicitudo, diffidentia, timor, modica fides sæpe in causa sunt, ut Deus nos sequi sinat nostra consilia, ut nostra culpa decidentes, aliquam saltem in illo confidentiam habeamus, ut lapsos attollat; & ut teneamur illius bonitatem confugere Dei Filius nobis in Evangelio dicit : *Hæc omnia gentes inquirunt;* Ad Ethnicos pertinet quærere undenam alantur, & induantur. Probrum, quod alto pudore suffundere deberet Fideles, qui ad Dei imaginem creati, per Baptismum regenerati, Gentilibus prælati per vocationem suam ad Christi Religionem, divino redempti sanguine; ut sint Cohæredes regni cœlestis, vix, ac ne vix quidem capiunt consilium omnia in manibus Domini adeo benefici, & liberalis permittendi. *P. Croiset in Exercit. Asceticis Tomo 5.*

Matth. 6.

Pater cœlestis non a diligentia quam nos in nostris necessitatibus derelinquere.

Jure quidem in Evangelio dicit Dei Filius, Ethnicorum esse victum, vestitumque diligenter inquirere, cum enim ignorent Deum, cumque error, & peccatum vetent ne ab illis videatur; ideirco non nisi visibilia, & peritura cognoscunt bona, & Providentiæ thesauros ignorant, qui tam large, ac liberaliter super universum terrarum orbem effunduntur. Nobis vero, qui sumus Filii Dei legitimique Regni ejusdem hæredes, turpe esset his rebus ita vacare, quasi hoc esset præcipuum negotium nostrum. Nobis satis esse debet scire; Patrem nostrum cœlestem ignorare non posse illa, quorum indigemus: cum enim tanto nos prosequatur amore; cumque sciat quid nobis desit, fieri non potest ut nos pati videat, quin simul opituletur. De illius ergo Providentia ne diffidamus; & illi cura erit de omnibus. Primum quærite regnum Dei, & post hæc omnia adjicientur vobis. *Idem ibidem.*

Admirabile divinæ Providentiæ erga justos exemplum in Patriarcha Joseph nobis propositum.

Nihil admirabilia divinæ Providentiæ consilia nobis apertius ostendit, quam exemplum Josephi, & nemo forrasse utilius expertus est quænam virtutis ratio habenda sit hominibus, quam sanctus hic, & illustris Jacobi Patriarchæ filius. Exemplum quod in illo suppetit nobis protectionis Dei eo quod vulgatissimum est, nequaquam nos minus perstringit. Et eo modo, quo fratres illius perdendi consilium inierant, quis ausus fuisset hanc fovere spem, ut adolescentuli hujus virtus eum ad tantum fortunæ fastigium extolleret. Pater quidem illum summa charitate complectebatur, non solum quod illum genuisset, cum jam declinaret in senium; sed multo magis quod in illo deprehenderat suavitatem, obedientiam, submissionem prorsus amabiles. Hoc ipsum in fratribus accendit invidiam, quæ illos impulit, ut hunc alienigenis venumdarent; neque alius criminis calor quæsitus fuit, quam simplex somnii alicujus narratio, quæ hanc fratribus mentem injecit, ut eum de medio tollerent. Ecce illum jam servitio mancipatum, quin ulla ipsi spes libertatis affulgeat. Jam ferreis constringitur vinculis; & in obscurum conjicitur carcerem. Quid hic justus agit tot inter ærumnas? Semper magis adhæret Deo; illi ardentius famulatur; Fuitque Dominus cum eo. Quemadmodum som-

somnium sanctum hunc virum in adeo miserum statum redegerat; Providentia quoque, ut ita dicam, somnio usa est, ut inde illum ad regale fastigium attolleret. Factus est Generalis regiæ domus Procurator; totaque Ægyptus ejusdem paruit imperiis: *Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joseph*, & Deus propter Joseph permisit, ut Regnum hoc adeo floreret, ut accolæ in extremis necessitatibus suis illuc confugerent. Post egregium adeo divinæ protectionis erga justos exemplum, ulla ne potest superesse causa, propter quam de divina Providentia diffidamus? Sæculi Principes, qui omnibus voluptatibus vosmet ingurgitatis, qui vitam vestram jugiter in deliciis traducitis; domus vestra, & vestra fortuna fortasse jam omnino corruisset, nisi pauper domesticus Deum timens eam sustineret, & vos qui ad extremam necessitatem redacti contumeliosæ sorti traditi videmini, confidite, semperque, ut veros Christianos decet vivite: Etenim Spiritus Sanctus profitetur, nunquam justum derelictum fuisse, neque semen illius visum fuisset panem ostiatim emendicare. *P. la Pesse Tomo 4.*

Matth. 6.

In Providentia Dei magis, quam in industria nostra confidendum est.

Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque congregant in horrea. Verbis his nequaquam improbat Dei Filius humilem, pacatam, ac submissam adlaborandi rationem, qua necessaria nobis ad victum comparamus; damnat vero anxiam perquisitionem, qua propter cupiditatem undequaque conquirere festinamus; quæ justæ necessitatis terminos ignorat, cui nihil superfluum est, quæ semper inhiat acquirendo, & ita in suo labore, & industria quiescit, ut nihil in Providentia confidat; quæ diligentissime cavet, ne quidpiam sibi desit, & quæ in impatientiam, & murmur erumpit, cum alicujus rei egestate laborat. Hoc exprobrans Dominus nequam inde contendit, ut decussatis brachiis oscitemur, quin pro virili ea procuremus, quæ ad nostrum, familiæque victum sunt necessaria; sed ex cordibus nostris extrudere vult inquietam, inanemque sollicitudinem, quæ efficit, ut omnino nostris viribus freti, non majori in discrimine habeamus Providentiam, quam Athei, qui nullam divinitatem admittunt. *Tourneaux in Anno Christiano Tomo 9.*

Confidentia in Providentia Dei non excludit humana subsidia, sed illa sanctificat.

Nutantes animæ, quæ ubi minoribus vitæ necessitatibus urgemini statim in querimoniam, & murmur erumpitis, quasi jam actum de omnibus esset: qui nostra effinxit corpora, iisque hanc injecit necessitatem, ut alerentur, nonne ipse par est, qui iisdem hanc suggerat alimoniam, qua illa voluit indigere? Fierine potest, ut adsint mortales crassi adeo & rudes, qui putent se industria sua posse ea sibi comparare, quibus indigent, quin ulla in re divina egeant Providentia? Num ex illis aliquis est, Salvator inquit, qui staturæ suæ cubitum valeat adjicere? Labores omnes, & motus, quibus nosmetipsos torquemus, inanes sunt, nisi illis a Deo requisita accesserit perfectio. Faciendum est igitur, quod Princeps Apostolorum docet: videlicet ut Deo omnes sollicitudines nostras permittamus: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet*, inquit David. At perfecta hæc confidentia, & divinæ Providentiæ submissio excluditne humana subsidia? Nullo pacto. Id solum attendendum est, ut ea charitas, non autem cupiditas omnia corrumpens adhibeat. Charitas vero ita mediis utitur ad finem suum perventura, ut tamen divinæ Providentiæ innitatur; iisdem & cupiditas utitur, cum hoc tamen discrimine, ut in illis omnem suam confidentiam constituat. *Idem.*

Pessime ter necessaria ad victum conquirere est Semipaganum esse.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini; Hæc enim omnia gentes inquirunt. Mirum sane non est, Ethnicos ita esse de rebus ad hanc mortalem vitam necessariis sollicitos; cum enim credant Deus rebus humanis non præesse, ejusque providentiam ad abjectissimas quoque creaturas se extendere; necesse opus est, ut solliciti sint, atque perquirant quæcumque sibi, familiæque suæ necessaria sunt, & putent hæc omnia unice ab ipsorum industria pendere, cum nihil aliunde valeat expectare. Quod vero Christiani, qui Deum omnipotentem adorant omnia videntem, scientem, moderantem, & providentem. Christiani qui illum quotidie invocant tamquam Patrem suum in Cœlo, quod inquam Christiani crucem figant sibimet iis curis, quæ ad nihilum prosunt, ut quæ sibi sunt necessaria procurent: hoc sane summam habet admirationem, & ostendit, hujusmodi Christianis satis non esse fidei, ut sese ab Ethnicis secernant. Ejiciamus ergo ex cordibus nostris inanes omnes sollicitudines, ac mutemus hoc vivendi genus divinæ bonitati nostræ adeo contumeliosum. Quid minutæ nobis hæ prodessent festinationes, nisi ut similes efficeremur gentilibus, qui nostram ignorant felicitatem, quia optimi, ac omnipotentis Patris Filii & vocamur, & sumus. Fac Domine, ut melius nostram dignitatem intelligentes iis omnibus abrenunciemus, quæ cor nostrum partiri possunt, ut unice te diligamus, tibique serviamus, atque a te uno rebus in omnibus pendeamus. *Tourneaux in Anno Christiano tomo 10.*

Cur velit Deus se a nobis Patrem vocari.

Deus jugiter nobis invigilat; & maximæ infidelitatis fontes essemus, si ita essemus miseri, ut de hac re ambigeremus, ex quo Dei Filius tot curas assumpsit, ut de hoc nos certiores efficeret. Sumpsit sibi Deus nomen Patris nostri, seque hoc jubet appellari nomine, quod sæpius in sanctis Bibliis usurpat, ut nostræ opituletur infirmitati, plenamque in nobis ciet in divina sua bonitate fiduciam. Hac de causa Salvator nobis tradere voluit eam orationis formulam, quæ ab his mollissimis verbis ducit initium: *Pater noster*. Deus ideo se Patrem nostrum nuncupat, quia erga nos curas habet parentis optimi, atque amantissimi. Deus ideo se Patrem nostrum dicit, quia nobis tradere cupit hæreditatem filiorum suorum. Deus ideo se Patrem nostrum nominat, quia cupiens nos in cœlestis hæreditatis suæ partem arcessere, adducit nos in viam, quæ nos ad eamdem est deductura. *Labere in Anno Evangelico tomo 7.*

Providentia moderatur omnia in ipsorum etiam malorum Christianorum sententia.

Apage omnia hæc impia, & gentilia nomina fortunæ, stellæ propitiæ, horoscopi, astri dominantis, & fati. Ratio sola satis est ut eorum nobis contemptum immittat, & fides horrorem. Deus omnia videt; Adorabilis ejusdem Providentia rerum omnium curam gerit, omniaque moderatur. Ad illius beneplacitum miseri sumus, vel locupletes. Christiani, illi etiam, qui minus religiosi sunt, nobis persuadent Deum solum esse supremum fortunæ ipsorum Dominum. Quandonam bonis operibus vacant, nisi cum de temporali aliquo bono acquirendo sermo est? Quænam causa fuit insignis illius eleemosynæ? Litis alicujus victoria, vel alicujus ægri curatio. Quidquid in natura est nobis de divina loquitur Providentia, omnia illius elogium concinnant, mutum quidem, sed illam nobis digito veluti indigitans. Adeo manifestum est, Dei Providentiam omnia regere, & gubernare, ut homines etiam æque licentiores, ac flagitiosos intueamur nuncupare vota; quamobrem? Ut assequantur, inquiunt illi, bonam fortunam, propitium tesserarum jactum; ut patronum nanciscantur, qui hunc illis magistratum, hanc provinciam procuret. Hoc adeo perspicuum est, ut pauci sint, licet impii, quibus hoc non sit persuasum. Et animadvertite quæso, quid accidat inter eum, qui minimum aliquid distrahere, & eum qui illud ipsum sibi vult comparare. Qui vendit, quotquot nummorum emptor habet, pretio vellet illud venundare; emptor vero id, quod auro uno æstimatur, obolo eam vellet auferre. Quinam igitur conciliare potest homines, quorum adeo inter se pugnant sensus? Divina, procul dubio, Providentia. Divinus ille Salvator, qui & nascens, & moriens salutem attulit mundo per ineffabilem Providentiam suam singulis momentis

con-

conciliat homines, utilitatis causa ita dissentientes, ut alioquin numquam possent conciliari. *P. la Pesse, & Recens quidam.*

Summa est diffidentia ambigere de Providentia Dei postquam Salvator obiit in Cruce.

Confidite, animæ justæ, in promissionibus Dei, earumque complementum fidenter expectate. Consideremus quid pro nobis egerit Deus, & inde judicemus quid in posterum facturus sit. Inspiciamus illum morientem, & pro salute nostra in cruce expirantem; & post hæc, si fieri potest, de amabili ipsius Providentia dubitemus. O Providentiam Dei mei! Numquid hominibus oboriri de te suspicio potest, futurum ut illis desint ad victum necessaria? Num incepisti opus tuum, ut illud imperfectum relinqueres? Numquid permitteres, ut ea interiret hæreditas, quæ tibi tantos stetit pretio? Haud ita, S. Augustinus ait, Dei Filius æque vere nos salvos facere vult, ac vere pro nobis mori voluit. *Qui seipsum dedit mortalibus mortalem: seipsum dabit immortalibus immortalem.*

S. August.

Omne igitur bonum a benefica Dei nostri providentia sperare possumus. *Expecta Dominum*, inqui Propheta; *viriliter age: confortetur cor tuum*, & instaura vota tua. Munera, quæ tibi divina præparat providentia nondum apparent; sed nondum venit tempus; opus est, ut sationis tempus messem præcedat. Meminerimus nos nequaquam propter viam hanc laborare. Amabilis hæc Providentia non vult, nos virtutem amplecti propter fluxas consolationes illi inhærentes, & multo minus propter temporalia, perituraque bona; sed æternam nobis præparat beatitudinem. Benefica hæc Dei nostri manus nobis paucos, qui adhuc ad vivendum supersunt, vitæ dies largitur, ut illam promereri valeamus. Ne immutemus ergo temporum ordinem, quem nobis Providentia præscripsit; certi illam nostris necessitatibus non defuturam: si in ipsa tantum, non autem in nobismetipsis confiderimus. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum.*

Quo usque insolentiæ procedant ambitiosi sibi uni acceptam referentes magnitudinem suam.

Quot sunt Christiani, qui cum semet coram Deo humiliare deberent, eique omnem bonarum actionum suarum gloriam acceptam referre; seipsos tamquam fortunæ suæ auctores, artificesque intuentur, suæque dexteritati se debere putant honores, ad quos pervenerunt, & opes, quas adepti sunt, atque dicunt: Ego memetipsum magnum feci; dextera nostra, non autem Domini, ista operata est. Tantum abest, quod sua magnitudine atque potentia uti velint, ut Deum colant, ut immo velint se coli atque haberi tamquam terræ hujus Deos. Ex dignitate sua sibi conflant idolum, cui ipsi omnium primi thus adolent, & coram quo volunt omnes prosterni. Ita ille Rex Assyriæ prosperis rebus, victoriisque tumens contemplatus muros magnæ Babylonis, tanquam opus manuum suarum, suæque gloriæ theatrum eo usque evasit insolentiæ, ut jusserit non alium, præter se Deum coli, qua late patebat imperium suum, succenditque fornacem, cujus flamma ad usque quinquaginta cubitorum altitudinem attollebatur, jussus in eam projici, qui detrectarent genua flectere ante sacrilegum illud simulacrum, quod faciem illius referebat. Sed in quæ mala ruunt, ne cogitando quidem hæc ambitionis monstra adeo felicia, & florentia, cum se prosperis efferri sinunt, ac sibimetipsis eos deferunt honores, quos ab aliis etiam exigunt? Si illis, ut Regni huic, præ manibus esset potestas; cogerent mortales omnes, ut coram suæ auctoritatis, gratiæque idolo flecterent genua. *Ibid.*

PRUDENTIA.

Prudentia christiana, prudentia sæculi, vera, & falsa prudentia, politica, &c.

MONITUM.



Satis constat, prudentiam generalem esse virtutem, quæ omnes actiones nostras, seu mere morales, seu christianas, & supernaturales regere debet. Verum ut inde fiat moralis, & christiana concionis argumentum, peculiares regulas sequi necesse est.

Prima est, ne latius in prudentiæ laudes generatim evagemur; sed immoremur actionibus, virtutibusque, quas moderari, vel regere prudentiæ refert; cujusmodi esse debent opera charitatis, familiæ cura, bonorum fortunæ usus, zelus, devotio.

Altera est sermonem vel totum, vel saltem potiori ex parte versari debere circa falsam prudentiam, & hujus mundi politicam passim in Evangelio, & Epistolis Sancti Pauli damnatam, tamquam Dei inimicam, oppositamque christianæ simplicitati, quæ pati nequit astum, simulationem, dolum, duplicitatem, versutiam, in quibus carnis prudentia, & sæculi sapientia consistunt.

Tertia est ostendere, in quo christiana prudentia consistat, in actionibus videlicet, sensibus, conscientia, totaque vita ratione ad religionis lucernam, atque in rebus dubiis juxta sapientum, proborumque virorum consilia moderanda. Denique in hoc, ut in alicujus momenti negotiis, quorum incerti sunt exitus, nihil aggrediaris, nisi postquam mature consulueris.

Opera quoque pretium est animadvertere, quamvis prudentia, & sapientia inter se differant, promiscue tamen hæc usurari nomina, ubi de hoc agitur argumento.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia sermonum hujus Argumenti Systemata

I. 

Cum ratione homo a cæteris animantibus distinguatur, constat homines inter se distingui, atque inter alios enitescere per sapientiam, atque prudentiam, quam in rebus agendis, totaque vitæ suæ ratione præ se ferunt: ita ut gloria, & existimatio, cujus magis sunt cupidi, sit nomen virorum sapientum, atque prudentum, qui non se ipsos tantum, verum etiam & alios regere possint, in quos nescio quam naturalis superioritatis auram ipsa confert sapientia. Hoc igitur unum quæritur, quænam sit ista prudentia, quam tanti homines faciunt; & quemadmodum altera quidem non deest falsa, altera autem vera, aio, veram ideam, quam de utraque habere debemus, desumendam esse a judicio Dei, ad quod conformari debet existimatio, quæ de altera habenda est, atque contemptus habendus de altera:

Judicium autem, quod de utraque facit Deus, qui eadem sapientia est, nobis a S. Paulo Apostolo duplici declaratur propositione, quæ concionis partitionem potest efficere.

Prima est, sæculi prudentiam, ac sapientiam mundi, quæ sequitur dogmata evangelicis prorsus opposita, veram coram Deo esse stultitiam, ac deplorabilem cæcitatem; *sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum*. 1. ad Corinth. 3. ideoque Christiano talem esse existimandam, veluti Deo inimicam abominandam, ejusque praxin cane pejus, & angue fugiendam.

Altera est, id quod hominum plerique insaniam, mentis infirmitatem, ac nominibus etiam magis contumeliosis appellant, christianam videlicet simplicitatem, quæ in eo posita est, ut evangelicis dogmatibus hæreamus, eamque tanquam vivendi normam sequamur, veram esse sapientiam, scientiam Sanctorum, & unicam salutis viam: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. 1. ad Corinth. 1.

Quod ad primam propositionem, aut veritatem pertinet; præterquam quod Spiritus Sancti oraculum est a Sancto Paulo prolatum, *quod sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*; ideoque etiam si effati hujus rationes assequi non possumus, illud tamen credere debemus, quoniam ab eadem veritate profectum est, quæ numquam decipi potest. Hic idem Apostolus in prima ad Corinthios cap. 3. tres afferre videtur rationes, quæ pro modulo nostro de rebus judicandi, omnes homines rationis usu compotes debent persuadere. 1. Quia hi prudentes sæculi inanibus dumtaxat consiliis pascuntur, non secus ac homines, qui de mentis sanitate dejecti chimerica duntaxat medicamenta fovent locupletandi, fortunas suas provehendi, terrena promovendi negotia; verbo mente volutant finem homine indignum, qui creatus est, ut æterna felicitate perfruatur, ad quam ne animum quidem advertunt: *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt*; *evanuerunt in cogitationibus suis*, inquit de his sapientibus loquens. 2. Quia in nugis, ac nullius momenti rebus immorantur, qualia ut plurimum sunt pleraque hujus mundi negotia, quibus totus eorum animus repletus est, quin vacent salutis suæ negotio, quod unum omnes eorum curas, vel saltem primam, ac præcipuam eorum diligentiam meretur: ita ut quantumvis sapientes, prudentesque videantur, veri sint pueri, sine ratione, sine judicio, nugis duntaxat intenti; qui, quo magis ineptia, nugæque suæ sibi fluunt e sententia, eo dementiores illas rebus momenti toto cœlo majoris anteferunt: *Dominus novit cogitationes sapientium, quia vanæ sunt*; 3. Quia hi sapientes, politicique mundani, ut fines suos assequantur, dolis, injustitiis, fraudibus, omnique noxiarum artium genere utuntur, quæ Dei iram excitant, eumque ad ultionem irritant: quamobrem hi sæculi sapientes ex ejusdem Apostoli sententia mortalium omnium stultissimi habendi sunt; non enim nisi ad interitum suum adlaborant, & ubi etiam vori damnantur, non secus ad homines furiosi, insanique sese in præceps projicientes, vel suis sibi manibus necem consciscentes, qui nonnisi post mortem se cæcos, ac imprudentes fuisse cognoscunt: *Nos insensati vitam illorum æstimabus insaniam &c.* Sap. 5. Quod innuit Apostolus, cum subdit Deum effecturum, ut illi falsæ prudentiæ suæ laqueis capiantur: *Comprehendam sapientes in astutia eorum*. 1. ad Cor. 3.

Quo ad alteram veritatem, alteramque propositionem pertinet, quod homines stultitiam putant, videlicet vitam, totamque vitæ rationem secundum Evangelii normam componere, eam veram esse sapientiam, rationes patent iis, qui fidem habent, & sunt vere Christiani. 1. qui enim has nobis præscripsit regulas, eadem sapientia est, & donum sapientiæ, quod Sanctis a Spiritu Sancto communicatur, in eo situm est, ut divina lumina sequantur. 2. quia prudentius agi nequit, quam veris insistendo viis, quæ certissime deducunt homines ad eum finem, propter quem sunt in mundo. 3. quia in vitæ ratione nulla major ostendi prudentia, atque sapientia potest, quam evitando omnia pericula, ac superando obices omnes, qui in supremæ nostræ beatitudinis perquisitione inveniuntur &c.

II. Prudentia non minus in christiana vita, quam in morum disciplina utilis est. 1. Efficit, ut animam corpori, bonum spirituale temporali, salutem, æternamque felicitatem terrenis opibus præferamus; ac tandem præstat, ut omnia secundum singulorum præstantiam, merita, ac utilitatem in pretio habeamus. 2. Efficit, ut, cum de salute agitur, tutiorem ineamus viam, ac aptiora amplectamur consilia ad finem, quem nobismet proposuimus, obtinendum. 3. Efficit, ut omnia consulto maturemus, prohibetque, ne in tota vitæ nostræ ratione aliquid præcipiti conatu festinanter agamus.

III. De sæculi prudentia. 1. Sexcentos nobis suggerit prætextus, ne id quod Deo, & religioni debemus, adimpleamus. 2. Omne fraudum, dolorumque genus nobis tradit ad fallendum proximum, ad nos sumptibus illius provehendos, ac illi supplantandum. 3. Huc tandem redit, ut nosmetipsos fallat, ut alterius vitæ, & hujus etiam sæpe bona amittamus; oblectatur quippe Deus humanæ prudentiæ evertens consilia.

IV. De prudentia christiana. 1. Efficit, ut humanis quibuscumque rationibus oculos claudamus, ubi de conscientia, officioque nostro res est. 2. Prohibet, ne decipiamur in iis, quæ ad salutem pertinent: numquam enim magis necessaria prudentia est, quam hac in re; nulla enim hac magis utilis esse potest, & necessaria. 3. Efficit, ut omnia evitemus pericula, quæ metuenda essent in procuratione hujus negotii, quo alterum nobis antiquius non est.

V. De sæculi prudentia. 1. Quemadmodum in Ethicis prudentia virtutes omnes regit, easque omnibus vitæ actionibus utiles præstat, ita mundana prudentia nullas otiari permittit animi ægritudines, nulla vitia, ac scelera prætermittit, ut votorum suorum summam consequatur. 2. Quemadmodum christiana prudentia omnibus mundi placitis adversatur, ita prudentia carnis omnia evangelica dogmata conatur evertere.

VI. De prudentia christiana. 1. Videndum in quo hæc vera prudentia consistat; videlicet, ut bonum sibi finem proponat, qualis est Dei gloria, salus nostra, & nostra æterna felicitas; ut eligat, & amplectatur vias, quæ aptiores, tutioresque sunt ad eam assequendam; & denique ut suscepta consilia generoso, & constanti animo exequatur. 2. Ostendendum est, quam necessaria sit ista prudentia in christiana religione, inque eo statu, quem sumus amplexi, & ad quem nos Deus evocavit; sine illa quippe nulla vera virtus est, nihilque boni fieri potest. 3. Quomodo possit acquiri; eam videlicet enixis precibus a Deo, uti Salomon, petendo, sapientes, & exploratæ probitatis viros consulendo, ac demum nihil aggrediendo, Deo, propriaque conscientia inconsultis, &, quod Sanctus Bernardus suadet, quin antea deliberatum fuerit, *an liceat, an deceat, an expediat*.

VII. De falsa sæculi prudentia. Mundi sectatorum, ac politicorum sæculi prudentia falsa est, ac in tribus deficit, quæ concionis partitionem possunt suppeditare.

1. Sibi nequaquam proponunt verum finem, qui Dei quidem gloria, sua vero salus æterna esse debet. 2. Non consulunt rationem fide illustratam, ac roboratam, sed avaritiam, ambitionem, voluptatem, aut aliamquamlibet affectionem suam. 3. Passim suum eligunt interitum; hujus enim mundanæ prudentiæ effectus est, ut plurimum funestus, ac infelix. *P. Texier in Quadragesima, & Dominicali.*

VIII. Quid Christana sapientia, & sapientia mundi differant.

1. Christiana sapientia nos illuminat; lumina ejus sunt lumina fidei, & Spiritus Sancti; sed mundi sapientia falsa ægritudinum animi luce nos excæcat. 2. Christiana sapientia nos dirigit, atque tutis, certisque tramitibus ad nostrum finem adducit; mundi vero sapientia ab hoc nos avertit efficiens, ut prorsus oppositas vias inquiramus, & eligamus. 3. Christiana sapientia nos adducit ad postremi finis nostri possessionem, nosque beatos facit; mundi autem sapientia nos æternum miseros facit, nocentes efficiens. *Ex specimine sermonum tomo tertio Quadragesimæ.*

IX. De falsa mundi politica. 1. Mundi politica, & prudentia carnis, quo nomine illam vocat Apostolus, ordinem pervertit in fine, quem sibi proponit, qui semper abjectus est, & Christiano indignus; ut plurimum enim est temporalis aliqua utilitas. 2. Cæca est mediorum electione, ut plurimum eligens iniquiora; arbitratur enim temporali utilitati obfuturas religionem, virtutem, rectamque fidem, quæ alioquin meliora sibi media suppeditarent. 3. In exequendo impia est, ac brutalis; violat enim humana, divinaque jura, gravissimis nequaquam abstinens criminibus, dummodo hæc ad optatum finem consequendum censeat utilia. *Ex Quadragesima P. Maimbourg.*

X. De Christiana, & vera prudentia. 1. Christiana prudentia in hoc posita est, quod prudentiæ carnis adversetur, ea, quæ Dei sunt, potius, quam nostra requirens. 2. Nunquam melius suæ veræ studet utilitati, quam per virtutum, Evangelicorumque dogmatum exercitationem Dei gloriam inquirens. 3. Numquam in Dei judicio gloriosior est, quam cum hominum judicium contemnit, ut Dei legem sequatur.

XI. De mundana prudentia, & sapientia falsa. 1. Sæculi prudentia inimica Dei est, quemadmodum testatur Apostolus, opposita quippe est fini; & consilio, quod de nobis Deus habet; nec non illius spiritui, ac dogmatibus, legibus etiam, & præceptis ab eodem nobis irrogatis adversatur. 2. Deus reciproce se prudentiæ sæculi profitetur inimicum; se enim opponit fini, ad quem illa contendit, omnia illius consilia, & conatus evertens; irrita efficiens, quæcumque illa meditatur eaque in illius interitum, & confusionem convertens.

XII. Ex eo quod Salvator ait, filios tenebrarum prudentiores esse, quam filios lucis, inferri potest, ut vere prudentes simus, sanctæque sapientiæ luminibus regamur, illos nobis esse imitandos.

1. In ardenti cupiditate ad propositum finem, salutem videlicet animarum perveniendi. 2. In electione facienda mediorum, quæ nos illuc adducere debent, & quæ tutissima, & maxime idonea censuerimus. 3. In cura, & solertia, qua consilia sua exequuntur nihil negligentes, & omnia prævidentes.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia potest ad proposita argumenta exornanda; & auctores de iisdem agentes.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib. 2. de doctina Christiana* cap. 7. septem numerat sapientiæ gradus, per quos Christianus debet ascendere.

Idem in libro, cui titulus: *Expositio quarumdam quæstionum in Epist. ad Romanos*, in hæc verba *Prudentia carnis inimica est Deo*, docet, in quo carnis prudentia consistat.

Idem; vel auctor sermonum *ad fratres in Eremo* sermone 4. docet, in quo sita sit vera prudentia.

Sanctus Hieronymus *Epist. ad amicum ægrotum de viro perfecto* hipotyposin habet Christianæ prudentiæ, & simplicitatis, eamque cum carnis prudentia comparat.

Idem hæc Proverbiorum explicans verba: *Si quæsieris eam* (sapientiam scilicet) *quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam*; ostendit magnum illum thesaurum, qui in vera sapientia invenitur; in quo illa consistat, & quomodo comparetur.

Idem *in cap. 14. Proverb.* hæc verba explicans: *innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos*, docet, quinam sit, qui prudenter, & Christiane operatur; qui vero imprudens, ac insipiens dicendus sit.

Sanctus Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 27. docet prudentiam officiorum, virtutumque omnium originem esse.

Idem *lib. 2. cap. 17.* docet, quam periculosi sint consiliarii nequam.

Sanctus Gregorius *lib. 1. moral cap. 2.* in hæc verba Job: *Vir simplex, & rectus*, ostendit prudentiam a nimia simplicitate esse distinguendam.

Idem *lib. 10. moral. cap. 17.* in hæc verba: *Deridetur justi simplicitas*, humanæ prudentiæ elegantem habet descriptionem.

Idem *lib. 18. in Jobi cap. 22.* usque ad finem; & lib. 19. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. fusius de prudentia, & sapientia loquitur.

Idem *lib. 6. moral. in cap. 12. Jobi* prolixum habet sermonem contra versutias, dolos, & astûs mundanæ prudentiæ.

Origenes *lib. 1. in cap. 1. Jobi* in hæc verba: *Erat Job simplex, & rectus*, in Jobi persona describit hominem rectum, & simplicem, qualem requirit Evangelicum.

Sanctus Basilius orat. 21. hoc tractat argumentum.

Ascetici aliique. Jacobus Alvares, tom. 2. lib. 3. part. 2. cap. 6. §. 1.

Petrus Sanchez, de regno Dei part. 6. cap. 10.

Franciscus Arias tom. 3. Thesauri inexhausti.

Antonius Gaudier *de natura perfectionis par. 4. cap. 11.*

Bernardinus Rossignolius *de disciplina Christianæ perfectionis.*

Lessius, de *justitia, & jure lib. 1.*

Jovianus Pontanus *tom. 1. lib. 5.*

Raynerius de Pisis *in Pantheologia.*

Drexellius *in Rosis Marianis par. 2. cap. 1.*

Granatensis in duce peccatorum *cap. 10.* loquitur de prudentia generatim, & illius acquirendæ præcepta tradit.

Auctor Ethicæ Christianæ *in Pater lib. 1. sect. 1 art. 1.* ubi ostendit veram sapientiam in hoc positam esse, ut vita secundum Jesu Christi doctrinam conformetur.

Idem lib. 8. sect. 4. art. 3. ubi loquitur de mundi spiritu, deque falsa prudentia.

P. Haineuve in continuatione tertiæ partis de ordine sermone 22. prolixum habet de prudentia, eisque partibus tractatum.

P. Antonius de Sancto Martino a Porta, in parte secunda libri, qui inscribitur: *Les conduites de la grace*, docet mundanam prudentiam causam esse spiritualis cæcitatis.

P. Suffren tom. 1. anni Christiani cap. 7. sect. 5. agit de prudentia, deque actionibus ad virtutem hanc pertinentibus.

Abbas de Bellegarde in animadversionibus suis in libros sapientiales, & præsertim in proverbia plura habet de sapientia, atque prudentia.

Concionatores recentes. P. Delingendes sermone pro feria 6. post Passionis Dominicam refert errata, quæ accidunt in humanis consiliis, quæ totidem sunt prudentiæ defectus.

P. Texier sermone pro feria quinta hebdomadæ quintæ in Quadragesima de falsa sæculi prudentia loquitur.

Idem in dominicali Dominica 8. post Pentecosten idem tractat argumentum, & idem ferme sermo est.

Maim-

Maimbourg in Quadtagesima sermone pro feria 6. hebomadæ quintæ agit de salsa prudentia.

De la Volpilliete sermonem edidit de prudentia Christiana.

P. de la Colombiere serm. 59. ubi agit de salutis cura, ostendit filios sæculi in negotiis suis peragendis, quam filios lucis, esse prudentiores.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta sermone pro feria sexta post Passionis Dominicam sermonem edidit de falsa prudentia, ubi omnes illius species commemorat.

Idem in Adventu sermone secundo, ubi ostendit mundi sapientes adversari Jesu Christo illos salvare satagenti.

Specimen sermonum pro Quadragesima, tertio argumento pro feria 6. in Passionis hebdomada.

Granatensis in locis communibus titulo *prudentia*, *& imprudentia*.

Qui collectanea ediderunt. Busæus in *Viridario*. Verbo *Prudentia*.

Summa Prædicantium. Verbo *Prudentia*.

Peraldus tomo 1. parte tertia.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

EN populus sapiens & intelligens, gens magna. Deuteron. 4.

Gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Deuteron. 32.

Qui dissipat cogitationes malignorum, ... qui apprehendit sapientes in astutia eorum. Jobi 5.

Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem. Jobi 12.

Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? Abyssus dicit: Non est in me; & mare loquitur: Non est mecum. Jobi 28.

Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? Ibidem.

Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Jobi 28.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere a malo, intelligentia. Ibidem.

Abscondita est sapientia ab oculis omnium viventium. Ibidem.

Trahitur sapientia de occultis. Ibidem.

Sperabam quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Jobi 32.

Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti. Proverb. 3.

Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. Ibidem.

Gloriam sapientes possidebunt? stultorum exaltatio, ignominia. Ibidem.

Timor Domini, principium sapientiæ. Prov. 1.

Sapientiam, atque doctrinam multi despiciunt. Ibidem.

Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Prov. 8.

Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Ibidem.

Ne innitaris prudentiæ tuæ. Proverb. 3.

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris. Prov. 9.

Posside sapientiam, posside prudentiam: ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te. Proverb. 4.

Scientia sanctorum prudentia. Proverb. 9.

Posside sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Proverb. 16.

Cor prudens possidebit scientiam. Prov. 18.

Sapiens timet, & declinat a malo. Prov. 14.

Vir sapiens fortis est. Proverb. 24.

In malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap. 1.

Sapientiam, & disciplinam qui abjicit, infelix est. Sapient. 3.

Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab iis, qui diligunt eam. Sapient. 6.

Optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Sapient. 7.

Si quis erit consummatus inter filios hominum; si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Sapient. 9.

Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Sapient. 5.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Sapient. 7.

Mitte illam de cœlis, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Sapient. 9.

Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Proverb. 21.

Sapiens corde præcepta suscipiet. Prov. 10.

Qui sapiens est, audit consilia. Prov. 12.

Radix sapientiæ est timere Dominum. Eccli. 3.

Ubi non est scientia animæ, non est bonum. Proverb. 19.

Dicebam meliorem esse sapientiam fortitudine? Eccl. 9.

Omnis sapientia a Domino Deo est, & cum illo fuit semper. Eccli. 1.

Initium sapientiæ, timor Domini. Ibidem.

Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit illam tibi. Ibidem.

Si dilexeris audire, sapiens eris. Eccli. 6.

Non est sapientia nequitiæ disciplina. Eccli. 19.

Omnia Deus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam. Eccli. 43.

Est sapiens animæ suæ sapiens. Eccli. 37.

Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore Dei, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi. Eccli. 19.

Plenitudo sapientiæ est timere Deum. Eccli. 1.

Corona sapientiæ, timor Domini. Eccli. 1.

Est sapientia, quæ abundat in malo. Eccli. 21.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Isaiæ 5.

Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Jerem. 5.

Confusi sunt sapientes: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis. Jerem. 8.

Quis ascendit in cœlum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, & invenit illam? Non est qui possit scire vias ejus. Baruc. 3.

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Matth. 10.

Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Luc. 16.

Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Ad Roman. 12.

Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ibidem.

Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Ibidem cap. 16.

Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam. 1. ad Corinth. cap. 2.

Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum. Ibidem, cap. 3.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens, 1. ad Corinth. 3.

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. ad Corinth. 1.

Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Ibidem.

Sapientia carnis inimica est Deo. Ad Rom. 8.

Pru-

Prudentia carnis, mors est. Ibidem.

Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Ad Roman. 1.

Exempla ex Veteri Novoque Testamento deprompta.

Prudentia S. Patriarchæ Abrahæ.

QUamplurima suppetunt nobis exempla prudentiæ in lege veteri; insigniora quædam satis erit afferre. Sancti Patriarchæ Abraham prudentia sese primum nobis offert, eaque in omnibus actionibus, totaque vitæ illius ratione refulsit, in eo vero potissimum, quod fecit, ut cum Loth consanguineo suo pacem tueretur. Uterque divites erant, ac potentes, & solum, in quo habitabant, utriusque pecoribus alendis satis non erat; quotidie recentia oboriebantur jurgia inter utriusque servos, atque pastores; ac jamjam periculum aderat, ut domini servorum suorum contentionibus immiscerentur, ac prorsus pax omnis tolleretur. Ad periculum hoc prævertendum singulari prudentia usus est Abraham; non cogitavit, utrum sibi cedendum, an jure in uberi ea regione, cujus possessionem obtinebat, immorandum esset; neque illi defuissent rationes, si prudentiæ sæculi aures adhibere voluisset; sed pax, & concordia hæreditas longe tota Chananitide pretiosior ipsi videbatur. Ecce prudentiæ opus: primus compositionis vias tentavit: Ne modicæ utilitatis spes sit inter nos causa dissidii: separemus greges nostros, ne animi separentur; si dextrorsum perrexeris, ego lævorsum contendam, & hoc pacto omnia inter nos jurgia dirimentur. Consilium hoc, & hic propriæ utilitatis contemptus singularem profecto in magno hoc Patriarcha indigitant providentiam.

Prudentia Jobi.

Ex eo pacto, quo facer Textus de Sancto Job loquitur, liquet Principem hunc non opibus tantum, existimatione, auctoritate, verum etiam sapientia, atque prudentia magnum fuisse, quandoquidem illum sapientissimo cuilibet ævi illius censet esse præferendum. Sed palam ostendit, sapientiam illius nequaquam mundi fuisse sapientiam, quam reprobat Deus, sed eam, quam celebrat, atque commendat in fidelibus servis suis, qui superna secuti lumina a mundi hujus placitis procul abhorrent. *Erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Job 1. Talis re ipsa est vera sapientia, quam Scriptura simplicitatem nominat, non quidem eo in sensu, quo passim pro mentis defectu usurpatur, sed pro rectitudine cordis sine dolo, sine astu, sine duplicitate agentis.

Prudentia David.

David secundum Scripturæ testimonium fuit exemplar prudentiæ: tu in cap. 18. primi Regum libri illius elogium contexit, atque caput illud concludit dicens, nomen illius hac re tantum, quantum fortitudine, cujus insignia præbuerat argumenta, insigne fuisse. *Prudentius se gerebat David, quam omnes servi Saul; & celebre factum est nomen ejus nimis.* 1. Reg. 18. Ejus vero prudentia maxime enituit in eo modo, quo se gessit, ubi illum Saul persequebatur, atque dexteritate in evitandis, quæ sibi struebantur, insidiis, quin unquam de injuriis, quibus afficiebatur, ultionem reposcere vellet.

Salomonis sapientia, & providentia.

Salomon antonomastice Sapiens appellatur, quia a Deo hanc obtinuit sapientiam, quæ non aliud est, quam Divini spiritus participatio. Illa autem ab ipsa adolescentia, & statim ac regnare cœpit, impetravit; verum dicendum est quoque, antequam illa divinitus donaretur, ultra ætatem maturam præ se tulisse prudentiam cum optione sibi facta a Deo petendi, quidquid ardentius optaret; non opes, ac potentiam petiit ad conatus viros infringendum, a quibus bello lacesseretur, neque voluptates, quas ejusdem ætatis adolescentes deperеunt, sed unice sapientiam ad commissum sibi populum regendum. Quæ petitio adeo accepta fuit Deo, ut non petitam solum sapientiam, verum etiam non petitas opes, quibus sapientiæ donum præferendum censuerat, consequeretur. Felix! nisi sub extremum vitæ spatium hic Princeps gloris, omnique bonorum genere cumulatus, præditusque sapientia, cui mortalium nemo parem ostentare potest, nisi hic, inquam, Princeps gloriæ suæ caliginem offudisset gravissima insania, atque stultitia thus adolendo pellicum suarum Diis, atque Moabitarum, Ammonitarumque numinibus delubra, ac aras ædificando; quod nulla ratione posset concipi, nisi Scriptura in ejusdem persona ostendisset hinc quidem sapientiam undequaque mirabilem, inde vero mentis errorem incomprehensibilem: *Mira excellentia, & mira subversio*; ut Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum ait, de adeo monstrosa mutatione locutus.

Patriarchæ Josephi prudentia.

Admirabilis Patriarchæ Josephi prudentia in sapienti apparuit consilio, quod tradidit Pharaoni, cui futurum prædixerat, ut in Ægypto septem inauditæ ubertatis anni præcederent, ac septem alii sterilitatis subsequerentur, qui Ægyptum totam, reliquasque terras affligerent. Addidit enim, a Rege sapientem eligendum esse virum, cui demandaretur cura colligendi fruges omnes septem illis fertilitatis annis, ita ut quinta earum pars congereretur in horrea ad id de industria variis in Ægypti locis ædificanda, ut fruges omnes essent in regis potestate; pro sapienti consilio totius regni incolumitati pro toto subsequentis annonæ spatio prospexit. Rex consilii sapientiam, & consulentis admiratus prudentiam illi hanc provinciam censuit esse demandandam, & ut rite eam procuraret, ad perfecti sui dignitatem evexit illum, ut quidquid in rem maxime futurum censeret, exequeretur. Quemadmodum autem per sapientiam ad sublimem hunc dignitatis gradum pervenerat, eadem sapientia sese in eo gessit magistratu.

Danielis prudentia & sapientia.

Daniel Principes, Satrapasque omnes sapientia superabat, quod mirum esse non debet, Dei quippe spiritu, ut Scriptura testatur, afflatus erat, eique sapientiæ donum contulerat, quod toto cœlo mortalium omnium scientiam, & prudentiam excedit. Hinc ille ab adolescentia obscœnissimos confudit senes, qui Susannæ stuprum inferre conati fuerant, ac palam ostendit, illos nequissimi criminis reos esse, cujus pudicissimam fœminam insimulabant. Deinde Sacerdotum Idoli Bel clanculum surripientium epulas, quæ numini offerebantur, fraudem aperuit, & plurimis in occasionibus præ se tulit eam prudentiam, cui omnium regionis illius sapientum prudentia par esse non poterat.

Mardochæi prudentia.

Si periculum unquam fuit, vel fuit opus prudentia ad illud evitandum, vel si quod fuit unquam maximi momenti negotium summa dexteritate transigendum, procul dubio illud periculum fuit, in quo universus Judæorum populus regis Assueri tempore versabatur. Superbus Aman illius jam decreverat excidium, & jam emanaverat edictum, quo in toto Imperio Judæi omnes ad cædem erant rapiendi, nisi Mardochæi prudentia fatalem hanc prohibuisset cladem sapienti consilio, quod Reginæ Esther tradidit, quo factum est, ut pœna in caput illius, qui eam meditatus fuerat, & contra nationem universam præparaverat, relaberetur. Historia satis est comperta; verum nescio, utrum ulla unquam visa fuerit par huic sapientis Mardochæi prudentiæ, qui Divina adjutus ope negotium hoc ita composuit, ut sibi, totique populo suo imminentem procellam dissiparet.

Falsa Jeroboami prudentia.

Sæpe justo Dei judicio accidit, ut qui mundana politica temporalia spiritualibus præferunt, utraque amittant. Ita Jeroboam & sibi, & posteris suis regnum Israel amisit. Metuens enim, ne, si populus Jerosolymam pergeret ibi verum Deum adoraturus, dominationis ejus jugum excuteret, ac in Regis Juda, qui ea in urbe dominabatur, ditionem concederet, detestabilis politiæ consilio decrevit in urbe regni sui principe delubrum ædificare, ibique aureos vitulos collocare, quibus velut

Diis

Diis thus adoleretur, ut populus suopte ingenio in superstitionem pronus domi reperiens idola, quæ coleret, non admodum religionis causa sollicitus alieri cuipiam Divinitati alibi vota sua vellet nuncupare. Itaque hoc pacto in regnum suum invehens idololatriam in se, totamque familiam ira Dei iram convertit, ut illi quidem sceptrum fuerit ademptum, tota vero ejus progenies extincta.

Plura exempla ostendentia quomodo talium sæculi prudentium evertat Deus.

Deus unicum, ut Scriptura testatur, oculi nutum adhibuit, ut politica Achitophelis consilia confunderet, efficeretque, ut illa neglecta Absalonis cladem, & interitum parerent. Similiter secreta, admirabilique providentia effecit, ut Aman in suum laboraret exitium, ubi Mardochæum perdere conabatur. Invidia quoque fratrum Joseph obstinato animo fratris supplicium quærentium hunc ad totius Ægypti imperium provexit. Ita Saul, Achab, aliique nonnulli ob contempta, quæ sibi a Deo per Prophetas præbebantur, consilia, & quod mundanæ politicæ regulas sequi voluerunt, interiere.

Quamquam non facti alicujus eventus, sed illius faciendi consilium auctoris probet sapientiam, nihil tamen apertius nobis Jesu Christi sapientiam in admirabili Ecclesiæ suæ institutione probat, quam ejusdem eventus; nobis inquam, qui ex effectibus, & exitu magis, quam ex causis, atque principiis judicamus. Cum enim ea video, quæ secum maxime pugnare videbantur, quam plurimum profuisse, ut opus illud perficeretur; nonne jure illinc inferre possum factum hoc fortunæ acceptum referri non posse, & Ecclesiam magnificam illam esse domum, cujus graphidem ipsa Sapientia delinaverat? *Sapientia ædificavit sibi domum*. Verum nihilominus est, satis non fuisse, quod Sapientia illius ædificandæ rationem, modumque proponeret; oportuit enim, ut & potentia manum operi admoveret, atque communi consilio, & consensu cum sapientia cooperaretur: qua in re præcipue cum sancto Paulo admirari debemus duo hæc Divina attributa simul in Jesu Christi persona conjuncta: *Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. 1. ad Cor. 1. Neque minus sapientiam hanc admirari debemus in iis instrumentis, quibus usa est, ut salutem hominum operaretur, quod quidem magnum illud opus est, pro quo in terram descendit: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam*. Nunquid humana prudentia illa adhibuisset instrumenta, quæ proposito fini adeo videbantur opposita; & hic nonne prorsus Divinæ sapientiæ est effectus? Ad hæc hujus tantum increatæ, incarnatæque simul Sapientiæ intererat nobis veras sapientiæ, atque prudentiæ regulas tradere, quod præstitit in Evangelio, ubi nobis præcepta tradidit mundanæ sapientiæ, & prudentiæ sæculi omnino contraria.

Prudentia Sancti Pauli cum zelo conjuncta.

Sanctus Paulus Apostolus, qui in Epistolis contra sæculi prudentiam, quam carnis prudentiam, & Dei vocat inimicam, invectus est, & qui nihil prætermisit, quominus illam in odium adduceret, ut pro illa sapientem crucis insipientiam, & Evangelicam prudentiam statueret: hic, inquam, Apostolus non minus exemplo, quam scriptis, & prædicationibus, & Divinam simul docuit sapientiam, & mundanam evertere conatus est. Cum enim hic procul dubio præ æliquis Apostolis maxime fuerit zelo succensus, cumque zelus ea virtus sit, præ cæteris prudentiæ consilio regenda: Deus qui ardentem hunc zelum inspiraverat illi, prudentiam quoque prorsus Divinam eidem contulerat; cujus non aliud inquirendum est argumentum, quam quod de se ipso ait, qui discreto, indulgentique zelo sese omnia omnibus faciebat, atque singulorum ingeniis, studiisque accommodabat, quin aliqua in re suæ officeret conscientiæ, vel aliquod contra Domini sui rem, gloriamque pateretur, ut omnes Deo lucrifaceret.

Quorumdam Scripturæ locorum huic argumento Applicationes.

Mundi sectatores in negotiis suis prudentiores sunt, quam viri boni in suæ salutis negotio.

Filii sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Luc. 16. Mundi sectatores longe aliter, majorique cura terrena negotia procurant, quam viri boni, ut plurimum, salutem suam operantur. Qua enim sollicitudine obsequuntur illis, quorum favore apud principes, atque optimates uti possunt? Quam attente de illis bene mereri student? qua diligentia illis placere contendunt? Si charitas similem nobis suaderet vigilantiam in iis rebus omnibus, quæ nobis prodesse possunt, ut ad pietatem progrediamur, nonne hoc satis esset, ut sancti evaderemus? .... Cum omnes perpenduntur labores, qui in omnibus mundi statibus perferendi sunt, ut quilibet suam provehat fortunam, perseverantia, quæ adhibenda est, ut opportunum tempus expectetur; firma spes, qua fulcimur, ne, ubi res male cesserit, animos despondeamus; patientia, quæ exercenda est in repulsis, & oppositionibus, quæ inveniuntur: dissimulatio, qua uti oportet cum illis, a quibus injuria afficimur, liquebit mundi asseclas sanctitatis lauream adepturos, si propter Deum facerent, quod pro opibus suis toto nisu conantur; probosque viros malos aulicos fore, si pro mundo id tantum præstarent, quod faciunt pro Deo.

Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 1. ad Cor. 1. Cum profiteatur in Scripturis Deus se eversurum sapientiam sæculi oppositam suæ, mirum esse non debet, si inter homines tot videntur conatus irriti, tot perturbata consilia, tot infelices exitus in iis, quæ agenda suscipiuntur.... Spiritus nequam! impii politici! frustra sexcentas excogitatis artes, ut ad pravos fines vestros perveniatis; oculus ille, qui nunquam quiescit, omnes dolos vestros intuetur; abditissima consilia vestra scrutatur; secretissimas deliberationes vestras assequitur, conatusque vestros optime concinnatos evertit, cum vel ipsi contumeliosi sunt, vel ab illius voluntate recedunt. *Perdam sapientiam sapientium* &c.

Sæpe, qui mundo videntur sapientissimi, in iis quæ ad salutem pertinent, cæci sunt.

Stultissimus sum virorum. Prov. 30. Si fidei, vel rationis oculos satis puros haberemus, ut in salutis nostræ negotio de nobismetipsis judicium ferremus, ne ipsi quidem coram Deo rubore suffunderemur .... Exclamaremus cum Salomone, & potiori jure dicere possemus: *Stultissimus sum virorum*. Me ingenium sublime ferunt; me doctum hominem, ac in rerum agendarum cognitione peritum dicunt; sed cum propius me ipsum excutio, & considero quid sum, & quid facio, video nullam esse meæ similem stultitiam. Aliena quidem curo, meorum autem obliviscor, Familiam meam divitiis exorno, filios meos locupletare contendo, ac in id omnem operam navo, interim vero de me quid fiet? Quodnam erit fatum meum non in hac tantum vita, quam in alia? Nihil equidem scio, & ad id ne obiter quidem fortasse animum appuli. *Stultissimus sum virorum*.

Obscurentur oculi eorum, ne videant. Psalm. 68. Magna hæc ingenia, quæ rebus terrenis abdita, & unice fortunæ suæ provehendæ dedita, tanta dexteritate delicatissima quæque, & difficillima expediunt negotia, atque summa perspicacia secretissimas quaslibet ambages enucleant, non vident objecta, quæ omnem illorum diligentiam merentur, ac illis tantum adhærescunt, quæ sunt contemnenda, quia cæci sunt. Diceretne aliquis illis bonos non esse oculos? Ita sane dicet, qui Christiano situ judicare volet; satius esset non videre omnino, quam male videre: *Obscurentur oculi eorum ne videant*.

Prudentes sæculi non vident objecta nisi per medium affectuum suorum.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Joann. cap. 11. Politici illi, atque illuminati Jerosolymæ spiritus, qui apud Caipham convenerunt de vita, vel morte Jesu Christi deliberaturi, non respexerunt illum velut hominem irreprehensibilem mori-

moribus; atque eximiæ sanctitatis virum; neque tanquam miraculorum opificem, sed velut hominem, cujus vita suæ officeret existimationi, & qui, ut ajebant, reipublicæ interitum afferre, ac privatorum fortunis obesse posset. Mundanos hic metus illos movit, atque impulit ad agendum; nisi cum interpretibus dicere velimus, tres consiliarios, quibus aures adhibuere, tres fuisse incompositos affectus suos; invidiam, quam Jesu Christi miracula excitabant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit*; Ambitionem, quæ efficiebat, ut & ipsi universales plausus, quibus Jesus excipiebatur, desiderarent: *totus mundus post eum vadit*: avaritiam, quæ illis metum injecit, ne Romani ipsorum eriperent bona: *Venient Romani, & tollent nostrum locum*. Ita sæculi prudentes nonnisi per affectiones suas, quæ quidem diversos rebus colores allinunt, atque eas speciosis prætextibus celant, omnia prospiciunt. Ambitiosus existimat se nihil nisi ex animi magnitudine, atque pro bono publico operari.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

HÆc est vera sapientia, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus. Augustin. de Serm. Domini in monte.

Prudentia carnis dicitur, cum anima pro magnis boni temporalia bona concupiscit. Idem, lib. 83. Quæst. Quæst. 6.

Habes prudentiam, cujus est flere occidua, & quæ æterna sunt quærere. Ambrosius in cap. 6. Lucæ.

Sapientia hujus mundi stultitia est, quia ignoras Deum, quem semper deberes inquirere. Idem.

Primus officii fons prudentia est, qui & in virtutes derivatur cæteras. Idem, lib. 1. Offic. cap. 27.

Nihil agit sapiens nisi quod honestum sit, nisi quod cum sinceritate sine fraude sit, neque quidquam facit, in quo se crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. Idem, lib. 3. Offic. cap. 5.

Prudentia est virtus, quam si quis rite sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteque abscedet, nunquam vitiorum pestem incurret. Basil. Homil. 12.

Prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Hieronymus super Oseam.

Sapientes, non terreni aliquid emolumenti pro divitiis habent, sed coronam solummodo, quam pro virtutibus in futuro percipiunt. Idem, in cap. 14. Proverb.

Prudentem dico, non scitum & doctum, sed sensatum, & mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, & secundum quod poest rationabiliter omnia agere. Chrysostom. Homilia 5. in Matth.

Altus gradus prudentiæ est ordinare vitam secundum exempla sanctorum, altissimus secundum exemplum Christi. S. Bonav. de Gradibus virtut. cap. 9.

Tolle prudentiam, & virtus vitium erit. Bernard. Serm. 49. in Cant.

Uno verbo, est sapiens, cui quæque res sapiunt prout sunt. Idem, Serm. 1. de verb. Apost. non est regnum Dei esca & potus.

Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Idem, in Sermonibus.

Soli Christiani veram sapientiam habent: Abbas Nilus, in Biblioth. Patrum.

Acuti ad vana, hebetes ad æterna: Ambros. *Humiliter in hoc tempore vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternum vivatur.* Augustinus.

PARAGRAPHUS V.

Quid hoc in argumento ex Theologiæ fontibus peti queat.

COmmunis definitio, quam Ethicorum magistri de prudentia tradunt, hæc est; recta ratio eorum, quæ agenda sunt, non secus ac scientia recta ratio est eorum, quæ sunt scienda: videlicet, prudentia virtus est intellectus, per quam cum bonus propositus fuerit finis, viæ quæruntur, quibus ad eum perveniatur. De viis hujusmodi deliberatur, aptiores eliguntur, ac denique quod consilii captum est, vel adimpletur, vel ab aliis adimplendum curatur. Sanctus Augustinus lib. de liber. arb. illam paucioribus verbis describit, cum illam vocat scientiam eorum, quæ cupienda sunt, vel fugienda: Sanctus Basilius in princ. Prov. a. illam vocat faciendorum, atque omittendorum cognitionem: quæ omnia unum, & idem significant. Sanctus Thomas quoque 2. 2. quæst. 37. art. 4. virtutis hujus notionem tribuit dicens hanc non intellectualium tantum, verum etiam moralium virtutum naturæ participem esse, quatenus non confert nobis solum bene operandi facultatem, vel facilitatem, sed quatenus id faciendi exercitationem etiam tribuit, & usum rectificans voluntatis, ut actiones illius bonæ, atque honestæ sint; videlicet officium prudentiæ est non considerare solum, quod est rationi conforme, sed hanc ipsam rationem actioni applicare, quod fieri nequit, nisi voluntas sit rectificata. *Definitio prudentiæ generatim sumptæ.*

Cum Evangelici verbi præcones hos passim confundant prudentiæ, atque sapientiæ terminos, tunc potissimum, cum de Christiana agitur prudentia, operæ pretium est scire, a D. Thoma sapientiam dici cognitionem rerum naturam investigantem, primum requirentem principium, unde fluunt, extremumque finem, ad quem referuntur. Ideoque sapientia proprie loquendo cognitio est veritatis, quam habemus de primis, supremisque causis, unde fit, ut qui plurima scit per experientiam, postquam attentius secundas inspexerit causas, earumque effectus cognoverit, doctus quidem appellari possit, sed non sapiens, nisi cogitationem ad sublimiores causas extulerit. Secundum hoc principium vera sapientia consistit in perquisitione veri boni, & nostri extremi, præcipuique finis, qui & Dei gloria est, & nostra. Veri autem sapientes illi sunt, qui semper in mente habent intentionem colendi Deum, eique placendi, qui sciunt terrenas res tanti facere, quanti valent; illasque ad Deum, a quo creatæ fuerunt, remittere, iisque bene uti ad æternitatem merendam. *Quid sit sapientia, & ejus definitio.*

Vulgo tria prudentiæ genera distinguuntur. Prima est *naturalis prudentia*, quæ ex recto potius sensu, quam ex diuturna proficiscitur experientia. Altera est *prudentia acquisita*, quæ rebus transigendis, atque considerationibus fit. Tertia denique nec acquisita, neque naturalis est, sed *infusa*; quæ nonnisi superioris rationis præcepta sequitur, & secundum fidei lumina operatur, & quæ proprie illa sapientia est, unum ex donis Spiritus Sancti, de quibus nuper locuti sumus. Hæc autem supernaturalis, & Christiana prudentia vitæ nostræ regula esse debet, & de illa hoc in tractatu agendum est, quin tamen aliæ duæ excludantur. Nam quemadmodum prima sine altera ita imperfecta est, ut Aristoteles, & D. Thom. nolint illi prudentiæ nomen tribuere; & secunda sine tertia semper errori obnoxia est in finis sui electione; Vita supernaturalis prudentia utriusque supplet defectui, & utraque utiliter utitur, ubi cum illis invenitur. *Triplex prudentiæ genus distinguitur.*

Quemadmodum in terrenis negotiis non deest falsa prudentia, quæ ignorat, quid vere prosit, quæ sine modo consilia machinatur, eaque infelici eventu periclo, & quæ ut gloriam, vel fortunam *Falsa prudentia, et de falsa agitur.*

auci-

aucupetur, ea insistit via, qua longius aberrat: in iis etiam, quæ ad salutem pertinent, cæca sapientia est, quæ malum cum bono confundit, quæ, ut Propheta quidam ait, tenebras accipit pro lumine, & viam, quæ ducit ad mortem pro illa, quæ ducit ad vitam; falsam hanc prudentiam, atque sapientiam istic perstringimus, prudentiam, sapientiamque dupliciter deceptam, eo quod ignorat veritatem, quam se cognoscere credit, & arbitratur se eam sequi veritatem, quam deserit. Falsa hæc prudentia multiplici nomine appellari consuevit: dicitur enim mundana politica, prudentia carnis, sapientia, vel prudentia sæculi.

Supremi, veriique boni amor prudentes nos facit.

Supremi boni amor prudentiam facit; hic nos regit, atque in mediorum electione factum nobis præfert: hic denique nobis aufert fallacium bonorum illusionem, ac docet pretium, ac utilitatem earum rerum omnium, per quas unici, & supremi hujus boni possessionem nobis procurare potest. Ut ad eum, quem valde amamus, finem perveniamus, semper tutissimam, optimamque eligimus viam. Ad id semper tantum luminis, atque vigilantiæ nobis est, quantum est opus; vel ut melius dicam, animi affectio omnia mentis lumina objecto suo applicans efficit, ut hac in re summo polleat acumine. Hinc Dei Filius in Evangelio dixit, filios Mundi prudentiores esse, quam filios lucis: quod verissimum est; cum enim mundi sectatores quam ardentissime suam fortunam, honorem, vitam, valetudinem adament, maximam habent dexteritatem, ut ex levissimis etiam proficiant occasionibus; cum interim boni Christiani, quamvis ad Deum ire contendant, tamen non eamdem habent diligentiam, ut earum rerum omnium, quæ ad finem ipsorum conducere valeant, quam sedulissimam habeant rationem. Inde vero inferendum est, non esse in illis amorem veri boni, qui vere prudentes efficit; non quod hic amor eadem sit prudentia, sed tantum, quod principium est, quod ab illa supponitur.

De vera prudentia judicium esse debet ex fine.

Prudentia judicium est mentis, quo actio quælibet regitur singillatim. Judicium hoc vocatur etiam recta ratio, quæ virtutibus in omnibus dominatur, & sine qua virtus nulla esse potest. De recta hac ratione passim in Ethicis occurrit sermo, licet parum perspicue explicetur. Hæc autem ad duo præsertim redigitur, quæ jam memoravimus, quorum alterum rectus finis est, quem ratio sibi proponere debet; licet enim juste ratiocineris, atque summa polleas dexteritate, ut opportuna capias consilia, nisi propositus finis bonus fuerit, nulla prudentia est, nulla ratio recta: infelix astutia est, quæ eo tandem redit, ut nos miseriores efficiat. Hoc est ingenio valere, ut te ipsum perdas, & callere viam, quæ ducit in præceps. Sed præter finem rectum, qui tanquam primum ponitur principium, & secundum quem ratiocinandum est, lumen etiam requiritur, cujus ope æqua capiantur consilia, & fini apposita media accommodentur; quo in re fere nunquam deest: ita ut prudentia, & recta ratio in hoc sitæ sint, ut omnia metiri noveris ad finem tibi propositum assequendum, ut & ipse ad Deum pervenias, & alios quoque ad finem eumdem perducas; qua in re tota Sanctorum scientia, & sapientia Christiani consistit.

Prudentia regit mediocritatem, in qua virtus consistit.

Hinc intelligi potest, prudentia, rectaque ratione regi mediocritatem, quam in rerum omnium usu virtus tuetur. Vulgo hoc difficillimum esse, & nullam satis certam præscribi regulam posse dicitur; quippe nosmet aptare debemus rerum statui, ac personarum dispositioni, quæ nihil habent constans, & uniforme, & in quibus mobilitas est, inconstantia, & inæqualitas. Verum nisi certæ tradi regulæ possunt pro qualibet actione singillatim, possunt, immo debent generalia quædam tradi axiomata, non ita difficili negotio singularibus casibus applicanda. Quod si horum axiomatum applicatio pendet a bona fide, amor boni, quem supponimus, certissime bonam fidem efficit; & dummodo bona fide velis secundum hæc axiomata omnia moderari, quamvis non semper indivisibile mediocritatis punctum offendas, ad illud tamen propius accedes; & si nubeculæ, quas cupiditas passim offundit menti illam excæcatura, aliquando rectum nos tramitem celant, non ideo tamen procul aberrabimus, & amor finis, a quo nunquam mentis aciem detorquemus, per intervalla in rectum callem adducit.

Cum nimis procedit sapientia, jam virtus non est; non enim desunt, ut ita dicam, quidam cancelli, ultra quos egredi nequit, & ad quos sese debet extendere. Si ultra illos lumen suum transfert, essentiam simul, & nomen amittit, migratura in naturam, & qualitatem vitii, quod Scriptura dæmoni attribuit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus*. Genes. 3. Hoc vitium re ipsa melius naturæ dæmonis, quam hominis convenit. Quamobrem Apostolus etiam atque etiam commendat fidelibus, ne, ultra quam fas est, velint esse sapientes, sed sese intra justæ moderationis fines contineant: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Ad Rom. 12.

Actus prudentiæ.

Ethnici Philosophi quatuor præcipuos prudentiæ actus distinguunt, videlicet prævidentiam, consilium, judicium, imperium. Prævidentia respicit futurum, vel finem, qui propositus est, & de quo est deliberandum. Consilium mature deliberat de mediis, ut ad propositum finem perveniatur. Judicium in hoc situm est, quod postquam varia proposita fuerint media, ac de illis fuerit deliberatum, optimum, & aptissimum, per quod finem consequi possis, eligatur. Imperium est actio, qua adimpletur, quod deliberatum est, atque voluntas, ceteræque, corporis, animæque facultates impelluntur ad manum operi admovendam, atque ad ea omnia, quæ fieri possunt, efficienda, ut fiat, quod in rem fore judicatum fuerit. Hæc autem prudentia cum quatuor actibus præsertim requiritur in summi momenti negotio, quale salutis negotium est, qui finis est, quem Christiana prudentia sibi debet proponere. Hoc unum animadvertendum est circa extremum finem, beatitudinem nempe, deliberandum non esse, sed eo supposito de mediis tantum, quæ illuc perducunt, quærendum esse.

Multifariam contra Christianam prudentiam peccatur.

Sex præcipui animadverti possunt errores, qui in humana accidunt vita circa Christianam prudentiam, & qui præbent occasionem distinguendi sex imprudentium hominum genera, quos Scriptura insipientes, & fatuos appellat. Primus error illorum est, qui nullum sibi proponunt finem, qui nunquam cogitant, propter quam causam in mundo sint, & qui non considerant, quem terminum omnes actiones, conatusque sui sint habituri. Hujusmodi sunt infiniti ferme Christiani, quibus in hac vita non alius esse finis videtur, quam vivendi, ac transigendi tempus, quin unquam cogitent æternitatem. Error alter eorum est, qui sibi malum proponunt finem, ac oppositum illi, pro quo unice in mundo sunt. Id genus illi sunt, qui extremum finem suum in bonorum mundi hujus possessione constituunt. Tertius est non eligere media apta ad eum finem, quem sibi proposuerunt, & qui bonus, atque honestus esse supponitur. Cum medium ad æternam felicitatem perveniendi, qui quidem extremus est finis noster, sit justitia, & praxis omnium Christianarum virtutum; media hæc ab illis non eliguntur, qui opposita via illuc pervenire contendunt flagitiosum vitæ genus secuti, vel qui alia insistunt via, quæ eo non perducit, quales sunt actiones mere humanæ, & politicæ, quæ nullo pacto referuntur ad Deum. Quartus contra prudentiam error est eorum, qui volunt quidem finem, ac media necessaria: sed qui non eligunt ea, quæ status sui magis sunt propria, vel qui tot amplectuntur, ut non sint amplius media, vel viæ, sed impedimenta eos prohibentia ne finem suum consequantur. Quintus eorum est error, qui convenientia quidem, & congrua eligunt media,

sed

sed illa ad finem non referunt; qui virtutes exercent, atque bona opera faciunt; sed intentionibus abjectis, necnon terrenis, atque ut amori proprio, ac temporali cuipiam velificentur cupiditati. Sextus denique eorum est, qui ad finem media quidem referunt, sed minus apte; qui singulis non eum referunt gradum, qui decet illos, qui exiguas res magnis præferunt, & consilii, atque supererogationis operibus opera præcepti, atque obligationis postponunt. Hi sunt errores imprudentiæ, qui efficiunt, ne prospere succedat salutis negotium, quod nobis ob oculos versari debet.

Cum prudentiæ sit virtutes omnes regere, omnia idcirco vitia prudentiæ opposita esse videntur; hæc tamen præ cæteris huic magis directe opponuntur, imprudentia, temeritas, negligentia, præceps consilium, inconstantia, inurbanitas, imperitia, defectus quicumque judicii, mentis, dexteritatis, consilii, festinatio, anxietas, doli, fraudes, versutia, omniaque mundi placita. Vera prudentia hæc omnia debet evitare: sed hic non est locus ostendendi quomodo hæc inter se differant vitia; scire satis est, hæc omnia cum Christianæ; tum ethicæ tantum prudentiæ esse prorsus opposita.

Quanam in re quocumque in negotio prudentia consistat.

Vera prudentia in eo sita est, ut ex quovis difficili, impeditoque negotio te facile expedire noveris, utque eam afferas curam, & ordinem, qui necesse est, ut e voto succedat. Cum autem nullum majoris momenti negotium sit, & quod facilius nobis elabi possit, quam salus æterna; imprudentissimus sane ille est, qui negligit illam, & quacumque dexteritate polleas, quocumque in rebus aliis acumine utaris, haberi equidem potes scitus aulicus, sapiens magistratus, judex perspicax, prudens imperator, callidus institor, at Christianus prudens, & vere sapiens haberi non potes, nisi apte salutis tuæ negotio prospexeris.

Humana pruden in ordinem a Deo institutum subvertit media in finem convertens.

Deus unus esse potest hominis finis; alia quæcumque nonnisi media sunt, quæ illum adducant ad Deum. Verum humana prudentia quid agit? Ordinem subvertit, ac finem suum facit, quod medium esse tantum deberet: quod Sanctus Augustinus his verbis expressit: *Utendis frui, & uti fruendis*. Opes non aliud sunt, quam medium ad cœli thesauros acquirendos; eas vero politicus avarus in postremum suum finem convertit. Honores non aliud sunt, quam medium ad Paradisi gloriam promerendam; eos vero politicus ambitiosus in suum finem immutat. Mundi prudentes non respiciunt Deum, nisi quatenas consiliis, atque utilitati suæ potest inservire; sed ex quo hæc prudentia carnis nos a nostro fine vertit, noxia est; quia creaturam in Dei ipsius loco statuit, eique maxime necessariam abrogat perfectionem, quæ in hoc posita est, quod extremus sit hominum finis, quemadmodum est ejusdem principium.

Quemadmodum in vita civili quædam adsunt momenta, a quibus temporalium negotiorum exitus pendet, ita in vita spirituali adsunt momenta, a quibus nostra pendet æternitas: & quemadmodum humanæ prudentiæ principium est non pati, ut pretiosæ hujusmodi elabantur occasiones, quæ vulgo nunquam revertuntur, ita non postremum est Christianæ prudentiæ præceptum quam diligentissimam habere hujusmodi favorabilium occasionum rationem, quibus salus nostra adhærere videtur: hujusmodi sunt inopinati casus, qui in animum nostrum vim faciunt, jacturæ bonorum, morbi, adversa fortuna, quæ efficiunt, ut nosmet colligamus &c.

Vulgaris humanæ prudentiæ error circa electionem eorum, qui sunt consulendi.

Inter vulgares, ac perniciosissimos humanæ prudentiæ errores non extremus ille est, qui accidit in eorum electione, quos illa in conscientiæ, & religionis negotio consulit. Deliberationes, & consultationes in quolibet rerum genere non damnantur; immo periculosæ plenum opus est aleæ consilium non exquirere, ubi de re aliqua magni momenti agatur; sed prudentis est non ab omnibus, neque in omnibus rebus consilium capere. Denique ad id unum consulendum est, ut veritas pateat: ideo qui eos consulit, qui illam aperire nequeunt vel ob scientiæ, vel ob sinceritatis defectum, imprudens, ac improbus est, quia decipi vult, atque ultro veritatem dissimulat agens contra conscientiam suam. Attamen hoc malo nihil vulgatius est. Humana quippe prudentia eos tantum consulere vult, qui mundi placita sectantur, eos, qui in errore versantur, eos demum, qui illius consilia, rationesque probabunt. Cavet autem, ne consulat Deum, divinarumque legum viros consultissimos; atque hoc pacto videmus neminem fere ex animo requirere veritatem; atque homines plerumque jam cepisse consilium, antequam illud petant, & eos quærere, qui sibi blandiantur, & plaudant, non qui quod facto opus est doceant.

Hominum plerique de terrenis tantum negotiis deliberant, raro de moralibus, & ad vitæ rationem spectantibus, quamvis de his potissimum deliberandum sit. Qui etiam magnum mentis jactant acumen, ubi de terrenis agitur bonis, consilium petunt; sed pro virtute, ac salutis negotio neminem consulunt. Si quid edoceri cupiunt, hæ leves erunt circumstantiæ, & minuti casus, sed de potissimo hujus negotii articulo ne sermonem quidem instituunt: & quod nequius est, in quæstionem vocant id, quod per se malum est, omnemque mentis adhibent vim in malum potius, quam bonum.

Duplicitas prudentiæ est opposita non autem simplicitas Christiana.

Potest aliquis prudens simul esse, & simplex; simplicitas in hoc sita est, ut neminem fallat; prudentia vero, ut se a nemine falli permittat. Ideo dicit Salvator: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Matth. 10. Sed hodierna die, & semper prudens dicitur versutus, & callidus homo, qui alienis sumptibus negotia sua promovere novit, & simplices dicuntur illi, qui sibi ab aliorum fraudibus, ac dolis cavere nesciunt; quod idem est, ac si prodigum diceres liberalem, & parcum, atque frugi avarum vocares. Ita speciosis vocabulis mala, & virtutum nominibus vitia palliantur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Discrimen Dei inter, mundique sapientiã.

De sapientia Dei aliud sentiendum est, ac de hominum sapientia. Ille sapiens non est vel propter consilia, quæ ipsi traduntur, vel propter studium, ac successivas cognitiones, quas acquirit. Ille per se omnia novit, omnia regit, imperat omnia, atque suis probet inimicis, nullum capi posse contra ipsum consilium, efficit, ut iniquitas eorum sibi mentiatur, ut licet invita nequitiæ suæ in se præbeat testimonia, ac in eos decidat laqueus, quos aliis tetendit. *Ex sermonibus moralibus*.

De mundi prudentia, & sapientia.

Job, qui ævo quoque suo tot videbat in sapientissimis etiam hominibus errores, & vitia, ubique sapientiam requirebat, quam nullibi invenire poterat: *Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Job 28. Nunquid in aula Principum, atque inter optimates? Hi soluti videntur spiritus, qui rebus in omnibus acuuntur, qui in consiliis omnia in suam convertere norunt utilitatem, atque iis viis, quæ aliis ignotæ sunt, tuto ad fines suos pervenire. Ibi quærenda sapientia non est. Illi nimium suas deperdunt voluntates, luxum, comessationes, solatia, vitam suavem, & voluptuosam, quæ cum sapientia simul esse non potest: *Non reperitur in terra suaviter viventium*. Nosmet igitur convertamus ad mare; illi fortasse, qui utrumque mundum viderunt, qui omnium gentium noverunt mores, qui exoticas quotidie merces afferunt, hi beatiores erunt, & aliquid de sapientia nobis enarrabunt. Sed non ita. *Abyssus dicit: Non est in me; & mare loquitur:*

Non

Non est mecum. Ista igitur fortasse hæc ima reliquit, & sese recepit in cœlum; cœli aves, curiosi, audacesque spiritus, qui sese attollunt, qui volant, atque in sublime feruntur, ut propius cœlestia considerent, qui de religione disceptant: sed heu! Neque id genus hominibus sapientia secreta sua detegit: *Volucres quoque cœli latet*. Ubi hæc igitur sapientia est? Ne id ex mortalibus quæsieris; *Abscondita est ab oculis omnium viventium*. Deus unus eam novit, ille unus hanc respicit, in illo moratur, & requiescit. *Pater Catillon in sermone quodam Adventus*.

Mundi hujus sapientia stultitia est.

Sapientia hujus mundi, Sanctus Paulus 1. ad Cor. 3. inquit, *stultitia est apud Deum*. Stultitia est, quia in pretio res habet inanes, & contemptibiles, atque industriam in id collocat suam, ut minuta consectetur lucella, quæ illi exhibet mundus: stultitia est, quia mundum tantummodo scit, & ignorat Deum, qui unicum illius esse deberet objectum: *Ignorat Deum, quem semper deberet inquirere*, Sanctus Ambrosius inquit: stultitia est, quia pro hoc tempore tantum laboribus exercetur, cumque tempus transierit, quid reliquum est laborum ejus? Dei sapientia a contra, quæ, ut Sanctus Paulus ait, mundo stultitia videtur, de Deo tantum sollicita est, ut illius possessionem acquirat; nescit hæc politicas rationes, dolos; mundi versutias, sed scit Jesum Christum, ejusque Evangelium, in tempore quidem laborat, sed propter æternitatem, ubi suam nanciscitur requiem. Duplicem hanc sapientiam comparate; utra vera sit, judicate, sapientiane Dei, an illa, quam mundani sapientiam appellant; illane, quæ huic mundo, temporique inhæret, an quæ ad Deum usque, ipsamque æternitatem se attollit? *Idem*.

Vera sapientia, & prudentia Christiana in hoc posita est, quod via salutis eligatur.

Spiritus Sanctus in Ecclesiastico ait: *Est sapiens animæ suæ sapiens*. Nemo sapiens, nisi qui omnes suas cognitiones, & lumina impendit saluti, & sanctificationi animæ suæ. Esto quidem, Sanctus Bernardus ait, par sis regundis provinciis, in optimatum consiliis præsis, & veluti oraculum undequaque consularis; ajo tamen te in omnibus consiliis tuis decipi, atque evanescere in cogitationibus tuis, si quid animæ tuæ præfers saluti; *Optimus rerum æstimator est, qui nihil aliud sibi præferendum putat*. Quotcumque præclaras cogitationes, quotcumque validas argumentationes concepetis, si tuæ oblitus fueris salutis; mortalium omnium imprudentissimus es, minime sapiens, & minime perspicax; in his enim nihil vere bonum, nihil laude dignum est, Sapiens ait: *Ubi non est scientia animæ, non est bonum*. Prov. 19. Credo equidem inter cæcos te tanquam mentis acie præstantem videri; at Deus, qui non fallitur, per Isaiam cap. 19. cogitationes tuas inanes esse testatur: *Cogitationes eorum cogitationes inutiles, opera eorum opera inutilia, & non est judicium in gressibus eorum*. Quam habere potes sapientiam tu, qui reliquisti Deum omnis sapientiæ fontem, ut affectibus tuis obsequereris? *P. Texier*.

At enim nemo inficias ibit inter eos, quos mundanos dicis, fortia inveniri capita, excultas mentes litteratos homines, verbo prudentes, & secundum mundi mores, & sæculi negotia sapientes. Bene dicis secundum mundi usum, sed secundum Deum, qui veritas est, magnum spiritum vocas hunc fatuum, qui postquam in Ecclesia Jesu Christi consenuerit, nondum aliquod ex principiis ejus assequitur, & momentum præceptorum ejus ignorat? Forte caput vocas, qui in terrenis rebus est perspicax, & qui in cœlestibus cæcutit, & nihil audit, ubi de Divinis rebus accidit sermo? Sapiens Spiritu Sancto repletus stultos, insanosque id genus mortales appellat: cap. 2. *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo*. *Idem*.

Politici potius affectus suos quam prudentiæ lumina sequuntur.

Invidia, ambitio, avaritia funestæ sunt faces, quæ prudentiæ carnis prælucent in omnibus mundi consiliis. Ad obscurum, & fallax harum tædarum lumen volunt politici eas invenire vias, quibus uti debent, ut sibi e voto cœpta illa contingant, quæ animi cupiditates suggerunt, postquam omnem extinxerunt lucem, quam sana ratio, fides, Evangelium, & doctrina sanctorum illis præferre poterant; non aliud admittunt lumen, quam quod mundi honor, familiæ utilitas, & ingenii sui libido præbent. Si igitur sapientes, atque prudentes sunt, ideo sunt, inquit Jeremias, ut malum operentur; nullam habent scientiam, aut dexteritatem, ut operentur bonum, & nesciunt prudentiam in hoc positam esse, ut justas ad laudabilem, honestum finem aperiat vias. *Idem*

Quid sit mundana prudentia, & mundi spiritus.

Nostis, quid sibi velit mundum scire, & prudentem esse secundum mundum? Hoc docet in moralibus suis Sanctus Gregorius hæc Jobi explicans verba; *Deridetur justi simplicitas*. Mundum scire, est artem callere decipiendi, fallendi, mentiendi, mendacium pro veritate, & pro mendacio veritatem venditandi; est scire verborum ambagibus negotium ita implicare, & impedire, ut judices decem annorum labore illum expedire non valeant; ast scire artem efficiendi, ut calumnia probetur, ac solida virtus contemnatur. Hoc est Sapientiæ mundi compendium. *Sapientia hujus mundi est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera, falsa demonstrare*. *Idem*.

Mundana politica nunquam Dei gloriam considerat.

Hæc impia est, ac detestabilis politicorum consuetudo, in consiliis capiendis, atque deliberationibus ineundis nunquam Dei gloriam cogitare, sed propriam tantummodo utilitatem, & non Evangelii dogmata, neque æternitatis consilia, sed sæculi dumtaxat rationes spectare. Ad examen non revocant, utrum conatus sui justi sint, nec ne; sed utrum sint utiles; ac in iis etiam, quæ bona sunt, non eam respiciunt, quæ adest in ipsis, bonitatem, sed eam, quam afferre possunt, utilitatem. Aliquod sese illis munus offert? si inde multum auri, argentique hauriri posse videntur, non laborant, utrum in eodem Deo fideles esse queant. Aliqua ex parte beneficium, aut dignitatem se adepturos sperant? non admodum solliciti sunt, utrum liceat, an secus, sed utrum appositum sit, ut ad propositum sibi finem perveniant. Si uxorem ducere volunt, diligentissime bona, genus, affinitates inquirunt, quod vero ad pietatem, animæ salutem, Dei voluntatem pertinet, hoc utique negligunt. *Idem in Dominicali sermone de salute*.

Quid accidit cum prudentiæ regulas sequimur, vel secus.

Prudentia virtus est, quæ nos impeccabiles facit, quamvis infallibiles minime faciat; quæ nos a peccato facit immunes, licet non semper ab errore tueatur; & quæ efficit, ut tunc bene agamus, cum te ipsa, &, ut ita dicam, materialiter male operamur. Quod intelligi debet, cum in dubiis, obscurisque rebus sequimur prudentiæ regulas, nempe conscientiam, Christiana præcepta, proborumque virorum consilia. Sed hominum plerique nunquam ferme deliberant, non rationem, non fidem in consilium vocant, sed se trahi naturæ motu, vel affectionum impetu sinunt; ita ut, quemadmodum cæcos tantum duces sequimur, mirum esse non debet, si millies in præceps labimur. *Idem*.

Quinam imprudentes, & insipientes vocandi sint.

Insipientes voco divites, & potentes sæculi, si non cogitantes se pro cœlo, non autem pro terra natos in id omnes industriæ, ac ætatis nervos contendunt, ut nutantem sibi fortunam, prima quavis calamitate evertendam, constituant; si minime virtutum thesauros colligentes pro fluxis, ac perituris dumtaxat bonis laboribus exercentur ea servantes, quæ serius, ocyus deserere debent. Insipientes voco omnes illos, qui, uti Scriptura inquit, oculos habent, & non vident, qui pro aliis lumen sunt, pro se tenebræ, qui curiosius ea, quæ extrinsecus sunt, scrutantur, quin, quid in sua agatur conscientia, perquirant. *Ex moralibus sermonibus*.

Sapientia, de qua loquitur Salomon, non est

illa

illa politicorum mundi, quæ posita est in calliditate, ac dolo, ut delicatum aliquod negotium feliciter perducatur ad finem, ut sibi [illegible] consilia cedant e sententia, ut difficultas aliqua expediatur, ut in laqueos impediantur ii, cum quibus res est, ut aliis se subliciatur, & quam diligentissime provideatur, ut sibi factus fiat. Hæc illa sapientia est, quam Spiritus Sanctus diabolicam, & carnalem appellat; Dei autem sapientia nos docet finem facere suum, & potiora hujus mundi bona ut æternis utilia tenemus; animæ bona corporis anteferre, æternum spiritui subjicere, ut supplicia quidem a Deo imminentia evitemus, [illegible] vero, quas sibi servientibus pollicetur, promereamur. Beatus, qui hanc nobis [illegible] sapientiam, [illegible] mundi [illegible] prudentiam, qui vero temporalium divitiarum vanitatem, & inutilitatem cognoscit, & qui omnia nullo habet in discrimine, quomodo acquirat ea, quæ temporis decursu non peribunt, & quæ fures nequeunt auferre. *Abbas de Bellegarde in [illegible] Proverbiis.*

Quam aliam sequi debemus regulam, o Fideles, ut judicemus, deliberemus, agamus, præter veritates æternas? His principiis, atque infinitis nosmet conformare debemus, ne procul recedamus a fine, propter quem creati sumus, & qui semper nobis ob oculos versari debet. Si in id oculi semper essent intenti, neque aliunde consilia perquireremus, si in hac libra omnia appenderemus consilia, tum illa quidem semper essent æquissima, nec erraremus, lapsibusque obnoxii non essemus, neque misere in tot scopulos impingeremus. Deus nobis suum lumen ostenderet, ut nos illuminaret; ut se nobis facem afferret, ut [illegible]. Fides [illegible] nobis [illegible] pretium ostenderet, ac periculum aperiret; prudentia Divinam sapientiam inspiraret, sæpe in humanis quoque negotiis transigendis [illegible]. Verum quid facimus, quid ipsi consulimus? Profecto non Dominum, non Evangelium, non fidem. Quid ergo? prudentiam prorsus carnalem, [illegible], quæ omnia se videre putat, & nihil videt. Nosmetipsos in causa propria judices facimus; nobis tamen fidem habere volumus. [illegible] oculos nostris [illegible] speciosis quibusdam fulgentibus, atque omnia nobis ex animo eventura sperantes, operi manum admovemus, ac nosmet periculo objicimus. Quid consulimus? Mundum, mundi placita, mundi perfidiam, infelicissimas eas illusiones, ac speciosarum [illegible], quæ præcipites in errorem nos agunt, origines. Quid consulimus? animi ægritudines, inexplebilem avaritiam, quæ nos devorat, ac semper animum nostrum pervertit, ut, quod nobis utilius est, amplectamur; immoderatam ambitionem, quæ nos stimulat, atque semper ad honorum apicem impellit; iracundiam, quæ nos inflammat, ac semper ulterius cupiditatum irritat, [illegible] libidinis, quæ efficit, ut nullas voluptates contemnamus. Hoc nostrum consilium est, hi consiliarii, hi domini. *Pater Giroust in Adventu, sermone de fide.*

Quomodo sese plerique gerunt mortalium? Satis superque consilium, deliberationem, solicitudinem, diligentiam, ut in mundo vivant, ut commodam, ac opulentam sibi conditionem procurent; ut agros, & prædia sibi comparent, ut [illegible], supellectilem, servorum familiam, salaria, [illegible], & [illegible]. His primus, [illegible] ut [illegible] dicunt, unicus finis est, propter quem tot sunt conatus, tot consultationes habentur; propter hunc tot perferuntur labores, tot subeuntur pericula, tot [illegible], [illegible], vigiliæ, labores &c. Verum ut salvi [illegible], quid capitur consilii &c. *Idem.*

Sciant sapientes, Domine, [illegible] consilio [illegible]

nisi in vestrum [illegible], utrumque caput [illegible]. Confundant prudentes sæculi [illegible] illos in sensum suum; sinam illos in tenebris ambulare, ac ruere in abyssum, unde nequibunt emergere.... Hoc quotidie videmus, atque experimur. Pauperum consilium capiunt, idque non sine propriæ conscientiæ detrimento, & Deum suum [illegible] etiam pro terrenis hisce rebus male [illegible]. Millies sapientior, atque beatior ille est fidelis, qui singula, ut Christianum decet, revocat ad examen, ad Deum confugiens, atque animum advertens in rebus omnibus, quas Deo placuerit ipsum edoceri; Evangelii dogmata audiens, iisque in omni vitæ ratione [illegible], hæc omnibus actionibus suis applicans, ut [illegible] dicto [illegible], quæ licent, ab iis, quæ vetita sunt, & quæ decent, ab iis, quæ minime decent, [illegible], atque ad id legis documentum [illegible], denique quid faciendum [illegible], nisi [illegible], cui David [illegible] habeatis, [illegible] hoc velit Deus, Dominique præceptis [illegible] tanquam speculo, ad quod omnia componat, quæcumque animo proponit, atque ut [illegible] redigere valeat. Non minima fidei, & religionis nostræ utilitas est, habere regulam, quæ sese ad status omnes extendat, ut [illegible] dispositiones, quibus affici possumus, ut nulla occasio sit, ubi [illegible] & ubi prudentes & Christiane agere non debeamus. *Idem.*

Prudentiæ [illegible] effectus est; ideoque quicumque inconsulto affectus suos audit, eisque obsequitur, prudentis nomen non debet mereri, nisi forsitan carnalis prudentiæ, quam Sanctus Paulus Dei inimicam appellat, quia [illegible] sese submittere primæ legi Dei, quæ ratio est, sed [illegible] sequitur ingenium [illegible], [illegible] proprium, [illegible] libidinem. Perfecta prudentia, quæ Christiana prudentia est, Deum in deliberationibus consulit, primo hujus veritatis monita sequitur, atque semper ante cætera Divinam consulit voluntatem.... Docet autem experientia, omnes hos [illegible] sæculi, in deliberationibus suis numquam sese ad Deum convertere, neque umquam illum in consilium accersere. Nunquam [illegible], quod lex Dei præcipit; quod ad illius gloriam [illegible]; quod proximi charitas, justitia, & veritas exigunt; sed id tantum, quod ipsorum interest, vel quod [illegible]. *Pater Texier in Dominicali, Sermone pro [illegible] post Pentecosten Dominica.*

In Sapientia [illegible] videre omnes hos mundi politicos, qui [illegible], ut [illegible] inique, ut perdant innocentem, ac virum bonum opprimant; qui calumnias comminiscuntur, ut honori illius nebulam offundant; qui lites eidem intentant, ut ejus [illegible] bona; & qui [illegible], ut illi invidiam inferant. *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Contumelia, & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum.* Quænam secreta est causa, propter quam hæ omnes artes excogitantur ad innocentem virum perdendum, & opprimendum? Invidia, quam concipiunt homines vitiosi, [illegible]; dolor, eo quod ille sibi non sit obnoxius [illegible]; quod ille contemnit, quæ ab ipsis habentur in pretio; quod eorum [illegible], atque vivendi ratione prorsus opposita efficit, ut magis eorum [illegible] elucescant.... Hac de causa Spiritus Sanctus in Ecclesiaste declarat, e se longe majori de pretio habere simplicem virum, cui nullus insit dolus, ut fallat, atque decipiat, quam acutissima ingenia, quæ non sine conscientiæ suæ detrimento, & cum Divinarum legum contemptu, per fas, & nefas, quodcumque conantur, evincunt. *Idem.*

Mundus nihil habet fidei, & Evangelio magis oppositum, quam carnis prudentiam, superbamque sapientiam, de qua politici, & sapientes mundi gloriantur; hanc, inquam, sapientiam, quae nihil est aliud, quam superbia, dissimulatio, dolus, & [illegible]. Infelix ista sapientia perdit quamplurimos, qui in speciem quidem virtutum fructi [illegible] officia [illegible] observantes, [illegible] virtutis [illegible], [illegible] hominum a criminibus gravioribusque flagitiis [illegible] interius phariseorum prudentiam, ac fermentum, quod totam [illegible] substantiam corrumpit. Ideo Jesus Christus ab ipsa nativitate [illegible] simplicitatem [illegible], & [illegible] huic oppositis prudentiae. Poterat ille quidem [illegible] homines prodire, quin per infantiae [illegible] duceretur, & sine ullis puerilitatis [illegible]; sed voluit [illegible] pseudoprudentes saeculi, quomodo sancta puerilis, & crucis stultitia [illegible] eorum sapientiae erat praeferenda; ideoque per Prophetam suum loquitur: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Docet [illegible]

[illegible]

ertoris, atque aperta inimica sapientiae Evangelii, & veritatis, quam Jesus Christus edocuit. *Sarazin tomo secundo Adventus Sermone de Sancto Joanne.*

Qui fidei lumina sequitur hic vere sapiens est.

Christianus, qui fidei lumina sequitur, sapiens, & prudens evadit propter justum, aequumque sensum, quem nobis tradit de mundo, mundique bonis hominum affectus sibi captivantibus. Etenim cum maximus error, & religionis sanctissimi maxime nocuus sit falsum judicium, quod de divitiis, honoribus, & voluptatibus fertur, cumque oporteat earum rerum veritatem exploratam esse, atque compertam, fidem unam habemus, quae illis personam auferat, & quae haec omnia nobis exhibeat, qualia re ipsa sunt: ita ut haec prohibeat, ne fidelis inani eorum specie fallatur, neque ea vera putet bona, ideoque amanda, & conquirenda. Quis ambigit, utrum fides nobis hanc auferat fascinationem, ideoque, utrum illi debeamus cognitionem eorum, quae credenda, faciendaque sunt, sine qua Christiana religio merum esset politicae inventum? *Idem, tomo 1.*

Pseudo-sapientia exteriorē virtutis habitum affectat, & gloriam aucupatur.

Quaedam sapientia est, quae mera coram Deo est stultitia, quae inane est phantasma pietatis, vel exterior species quaedam, quae sedulo religionis externum habitum praefert, cum hic prodesse potest, ut e voto nostra cedant consilia, & quae haud haesitanter facerrimas leges infringit, ubi nostris cupiditatibus adversentur: quae jugiter dolos nectit, artesque excogitat, ut virtutis nomen cum ipsa criminis dulcedine tueatur; quae ad mundum refert quidquid propter Deum se facere simulat, & quae postquam fallaci lumine suo nobis persuasit, ut nihil habeamus antiquius quam hujus mundi felicitatem, necessaria ex hoc principio illatione nos cogit, ut omnia mundo, ac nobismetipsis sacrificemus. Haec Sapientia Dei inimica est, inquit Apostolus ad Roman. 8. & omnes religionis leges evertit: *Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subjecta. Ex specimine orationum panegyricarum, panegyrico Sancti Ignatii.*

Vera sapientia, & prudentia Christiana.

Non deest vera sapientia, quae secundum fidei principia tantummodo operatur; quae omnia societatis officia ad illa Christianae religionis referens, fideliter illis defungitur, quin negligat ista, quae nunquam recedit a medio, quod rite servandum est inter excessum relaxationis, vel severitatis, rigoris, vel indulgentiae, quod Christiana charitas ab omnibus exigit, & quae ex rebus omnibus aliquem referens fructum, omnia ad Dei gloriam, nostram sanctificationem, fratrumque salutem traducit. Videtur non admodum difficile esse hanc prudentiam acquirere, postquam mundi Salvator illius nobis principia reliquit adeo solide in Evangelio suo constituta, docens caecam oraculis fidei submissionem; mandatorum, & consiliorum fidelem exercitationem; juge suavissimarum cordis affectionum sacrificium; verum earum rerum omnium, quae sensus alliciunt, & in saeculo nitent, ac placent, contemptum. Haec sunt Christianae prudentiae instituta, quae omnibus conveniunt hominibus, & quae in omnibus Evangelii paginis fuse leguntur. *Idem.*

Omnes se prudentes jactitant, verum nescio utrum aliqui unquam prudentes fuerint, quam hujus temporis Christiani.

Omnibus temporibus homines prudentiae laudem adfectarunt; nemo unquam extitit, qui fateri vellet, se prudentia vacuum; seu tanta sit gloria sapientem haberi, ut illam abdicare pudeat; seu adeo turpe sit non esse prudentem, ut hoc fateri idem ferme sit, ac fateri se hominem non esse. Quomodocunque sit, dicere possumus ex omnium virtutum numero prae reliquis universe unam hanc maxime adfectari, hoc vero praesertim saeculo, quod sapientiae saeculum dicitur, & quo quivis boni sensus, ac rationis regulas se cognoscere, & diligentissime sequi profitetur. Fateor equidem praeter acumen, quo scite de editis in qualibet scientia voluminibus judicium fertur, fateor inquam, negotia nunquam majori, quam aetate hac diligentia transacta fuisse; mirum esse quot singulis diebus recentes inveniantur viae ad propositum finem assequendum: qua solertia ea tegantur machinamenta, quae ad illum obtinendum adhibentur, & qua arte, & dexteritate adhibeantur...... Verum tantum abest, quod hinc inferendum sit, nos hodierna die admodum rationabiles, ac prudentes esse, ut mihi videatur nulla afferri posse magis aperta ad oppositum probandum argumentatio. Tandem enim liquido constat hanc illam esse, quam carnis prudentiam Sanctus Paulus appellat, quae, cum eodem Apostolo teste sit Dei inimica, facere nequit, quominus spiritus prudentiam evertat. *Pater de la Colombiere tomo 3. sermone 59.*

Vir secundum mundum sapiens statim ac aliquid coepit consilii, oculos circumferens undique dignoscere quaerit, quinam sibi obesse, vel prodesse valeant, ut illos in suas, si fieri possit, partes trahat. Attamen de Deo, sine quo homines nec obesse possunt, nec prodesse, ne cogitatur quidem; de Deo, qui solus momento separare potest afflictissimam quamvis fortunam, ac florentissimam perdere: qua in re eo imprudentiores sumus, quia non ignoramus illum mirum in modum gloriae suae zelotem esse; & quemadmodum oblectatur eos tueri, qui ad ipsum confugerunt, ita solere inanem eorum confundere confidentiam, quam alii in sua habent sapientia. Ideo ille *reprobat consilia principum*, Psalm. 32. non quod reprobet reges in illius tutelam sese recipientes, sed quia cum illis non desint plurima humana subsidia, infrequentius, quam caeteros, ad Deum confugere meminerunt. *Idem.*

Mira caecitas est inire consilia confidentiae contraria.

Haec mira est mundanae politicae caecitas, vel potius cumulus stultitiae. Ut temporalia negotia sibi cedant e sententia, artibus utuntur Deo palam oppositis: credunt se votorum summam consequi posse Dei gloriam laedentes, eumque tanquam adversarium provocantes. Hoc agit non ille solum politicus, qui religionem reipublicae utilitati censet posthabendum, aulicus, qui dolis, ac versutiis fortunam suam debere gaudet, Judex, qui amicos sibi conciliare cupit, alios miseros efficiendo; verum etiam mercator, qui dum sese festinans, vel etiam, si mavis, victum sibi comparaturus, festis quoque diebus ultro, citroque commeantibus merces distrahit, & fallaci pondere, atque mensura vendit, qui bonas malis merces commiscet, qui mentitur, & pejerat, ut plus aequo lucretur; artifex, qui festis operatur diebus; servus qui fidelis non est. Et profecto credimusne per hujusmodi vias illuc pervenire nos posse, quo tendimus? Fierine potest, ut mens humana aliquid se, non adjuvante solum, verum etiam invito Deo, facere posse praesumat? Ime patiens Deus! qui subvertis eorum consilia, qui in propriis viribus confidunt, favebis eorum conatibus, qui te laedunt, ut cupiditatibus suis satisfaciant? benedices consiliis, quae vetas, & quae te dedecore afficiunt? Quinimmo haec omnia consilia in illos convertet, qui utuntur illis, de illis per ipsos ultionem sumet, & efficiet, ut in proprio scelere suum nanciscantur supplicium. *Idem.*

Quae conditione liceat humanis uti consiliis, & prudentia, quin illa praejudicium sit.

A Christiana religione nequaquam humana prudentia in negotiorum vestrorum cura proscribitur, & fas est omnibus humanis uti rationibus, quae nulla in re Dei legem infringunt. Verum illud unum quam diligenter praecavendum est, ne omnis in rationibus hisce confidentia constituatur; ita ut ad Deum omnibus in occasionibus confugere negligatis. Vellem, saltem hae curae coelum inter, ac terram dividerentur. Interdiu, noctuque animo vestra versatis negotia: non abnuo prudentiae opus esse illis prospicere; sed memento, quid moneat Sapiens; *Prudentiae tuae pone modum.* Proverb. 23. Prudentiae huic fines statuite, aliquid de jugi hac sollicitudine remittite, in preces traducite partem hujus temporis, quod in consulendo, atque deliberan-

liberando transfigitis. Credo hæc; quia nullum cum negotiis vestris malorem palam habere videntur, non minus quam prolixæ consolationes. Illis est prosutura. Munera illis afferatis, qui vel auctoritate, vel opere vobis opem ferre possint, si pauperibus erogaveritis partem eorum, quæ vitis hujusmodi elargimini, munera profecto majorem vim obtinerent, pauciores in terris suffragatores quæritis, & aliquem vobis in cælo patronum comparatis. *Idem*.

Præsertim de statu amplectendo deliberandum est; ibi potissimum opus est prudentia.

Cum deliberavit aliquis de eo vitæ statu, quem elegit, secum ille reputavit, utrum honestus esset; utrum honestum sibi suppeditare posset victum, utrum nimiam assiduitatem, laboremque perquireret; at cogitavitne utrum illius officia sine noxa obire posset; utrum in eo conscientiæ suæ aliquid esset metuendum? Filius in Ecclesiasticum statum invehendus est; status hic nihil nimis operosum habet; immo facile præbet, unde lautius vita ducatur; ad summas etiam dignitates in eo patet aditus; tandem ille gravis non erit familiæ, ac primogenitus fiet locupletior. Verum ille ad statum hunc non vocatur, immo indolem habet, ac studia a statu illius sanctitate abhorrentia; periculum est, ne pereat; sed hæc nullo in discrimine habentur; diceres salutem æternam esse, obtinenti, quin ne animis quidem illi adverterunt, hanc vel negotium non esse, vel negotium hoc ad nos minime pertinere. *Idem*.

In salutis nostræ negotio prudentia opus esset.

Quid prodest, Fideles, nos a Deo ratione donatos fuisse, si hæc nobis inutilis est uni illi rei, propter quam donati sumus, videlicet ut cælum acquireremus? Heu! utimur, ut ita dicam, ratione, illam atterimus, absumimus in puerilibus nugis; illis nos doctos gloriamur, ubi de nulla re agitur, quilibet honori sibi vertit, aliis consilia præbere, & rebus in omnibus non vulgarem prudentiam ostendere; attamen in eo, quod caput est, deficimus, & cum agitur de æternitate, dicerdes, nos communi usum sensu destitui. Hoc satis est, & super ad vobis auferendas fallaces eas præventiones, quæ nos tanto periculo objiciunt. *Idem*.

Unio simplicitatis cum prudentia.

Hoc nobis consilium tradit Jesus Christus, serpentis nimirum prudentiam cum columbæ simplicitate esse conjungendam. Simplicitas cordis, quod Deo placere quærit, frangit consilia dæmonis; & amoris proprii, qui nos in malum pellicere studens sub pro ejus boni ductione, ad quod tendimur ferri intelligimus; magna nobis est opus prudentia, atque maxime est proprium sensum non sequi. Nihil illusioni minus obnoxium est, quam humilitas, & obedientia. Judicium proprium est dæmon meridianus, qui se lucis angelum simulat, ut nos præsertim, ubi de fide agitur, fallat. & in mysteriis Divinis simplicitas fidei, & cordis affectio longe præstant menti nimis perspicaci cum superbo corde conjunctæ. Prout charitas destruit amorem proprium, efficit, ut in anima crescat hæc Divina prudentia, quæ illam docet verum bonum ab apparenti secernere; id enim, quod bonus videtur zelus, re ipsa talis semper non est: cum plurimum habeat audaciæ, modicum vero luminis, majus efficit malum, quam quod prohibere potest; & hoc malum tanto majus est, quo magis boni fecisse motu arbitratur. *P. Dozenne in libro, cui titulus: Morale Jesu Christi capite extremo*.

Prudentia quidem est necessaria qualitas, ut quævis negotia bene succedant e sententia.

Ut magni aliquod momenti negotium nobis accidat e sententia, non paucæ requiruntur qualitates; mentis acumen requiritur, ut opportuna inveniantur consilia; sed necessarium quoque est judicium ad eadem ponderanda, antequam illorum utamur. Deinde calore opus est, ut capiantur; sed non minus moderatio necessaria est, ut ex omnia mensura, quibus est opus, serventur, & perspicacia utendis, ut omnes effectus prævideantur. Si fortitudine opus est ad labores, & difficultates sustinendas, & patientia ad exitum præstolandum, bene intellectu quoque opus est, ut de mediis eligendis deliberetur, & dexteritate, ut rite adhibeantur; ita sine prudentia nihil unquam e voto contingere potest. Alicui satis erit caloris, ut negotium aliquod aggrediatur, cui satis non erit frigoris ad præcipitem quamlibet festinationem inhibendam; unde evenit, quod diligentia in importunam migrat festinationem, & acumen in desideriorum suorum impedimentis consumpitur. Alter satis habebit ingenii, ut ea inveniat omnia consilia, quæ ad agendum erunt necessaria, cui non satis erit prudentiæ, ut illa scite dijudicet, ac illis utatur. Alius satis erit perspicax, ut negotii alicujus progressum prævideat, qui satis non erit, ut eventum præsentiat. Quosdam invenies in theoreticis admodum gnavos, qui in practicis erunt ignavi; alios, qui recta capient consilia, sed eadem exequi non poterunt; alios, quibus non deerit diligentia, ut bonas arripiant occasiones, simulac sese offerunt illis, quibus deerit judicium, ut illis utantur; huic satis animi est, ut difficillimum quodlibet aggrediatur, non satis constantiæ, ut in eo perseveret. Hæc causa est, propter quam paucis perfecte e voto cedant negotia propter alicujus necessariæ qualitatis defectum; sed qui vere prudens est, postquam & omnia inierit consilia, omnesque acceperit præcautiones, quas necessarias putat, eventum providentiæ committit sciens, nihil præter voluntatem illius, cui se totum submisit, accidere posse. *Liber, cui titulus: Conduite du Sage dans les differens etats*.

Prudentia in muneris nostri exercitatione, ac status officiis debet enitescere.

Quemadmodum in muneris nostri exercitatione, & status, quem sumus amplexi, obeundis officiis potissimum prudentiæ defectus enitescunt, ita in his maximus esse debet usus prudentiæ Christianæ; qui enim, ut Christianum decet, vitam vult instituere, munus suum neque considerat, neque exercet, nisi tanquam medium aliquod ad salutem operandam sibi traditum a Deo; non autem tanquam instrumentum ad se quidem damnandum, ad illum vero lædendum; ita ut eodem perfungens potius, ut placeat Deo, quam ut hominibus satisfaciat, abhorret ab humanæ politicæ placitis, atque dolos, & versutias Evangelicæ prudentiæ toto cælo oppositas detestatur. Immo neque prætermittit quidpiam, quod justis intentionibus suis velificetur; idemque cavet quam diligentissime, ne in eos impetus erumpat, qui personæ, ac dignitati suæ possent officere. Omnibus actionibus suis, Sanctus Chrysostomus inquit, ostendet, se intra veræ prudentiæ cancellos consistere, ac serpentis prudentiam imitatus paratior erit bonorum, existimationis, nominisque jacturam subeundæ, quam conscientiæ suæ irretiendæ, & aliquid contra Dei honorem peccando; quemadmodum serpens non metuit totum corpus suum in discrimen adducere, dummodo caput, vitæ principium, tueatur. *P. Hainauve tomo quarto de Ordine sermone 92*.

Prudentia exigit, ut deliberetur, antequam alicujus momenti negotium suscipiatur.

Antequam momenti alicujus negotium aggrediamur, jubemur a prudentia nobiscum, cum aliis, & præsertim cum Deo deliberare; ne temere nos mox illi implicemur, ac deinde nos id aggressos fuisse pœniteat. Itaque prudentia, quæ nihil inconsulti faciendum suscipit, semper in consilium rationem vocat, ac conscientiam accersit, antequam quidquam consilii capiat; etenim satis non est illi, Sanctus Bernardus inquit, scire esse aliquid, ut illud aggrediatur; sed exploratum sibi esse vult, utrum sibi expediat, ac utrum deceat, & quemadmodum qui prudenter agere vult, propria doctus experientia cognoscit se fortasse magnis esse obnoxium erroribus, ubi se ipsum duntaxat consuluerit; & nullam certiorem esse prudentiam, quam de propria prudentia diffidere; illum non pudet, ab aliis edoceri, aliorumque potius, quam sua sequi consilia; ac tandem cum ex Scripturis audierit, omnes hominum cogitationes errori esse subjectas, eorumque prudentiam, ac prævidentiam sæpissime falli, ad Deum præsertim se convertit, ut ab eo sua poscat lumina, ejusque sciscitetur voluntatem. *Idem*.

Cum

Vera sapientia est rebus in omnibus Dei sequi voluntatem, ubi innotuerit.

Cum fidelis in iis, quæ facit, id unum spectare debeat, ut Dei beneplacito obtemperet, atque illius expleat voluntatem, in omnibus deliberationibus hunc unum debet finem respicere. Debet igitur totum judicium, totamque diligentiam impendere in eligendis viis, quibus illuc facilius valeat pervenire, omnemque dexteritatem in repellendis obicibus, qui eidem possent obesse. Ideo ante cætera in id incumbere debet, ut hoc Dei beneplacitum agnoscat, ac in id omnes perquisitiones, ac meditationes impendat, jugiterque ob oculos æternam hanc habeat legem, ut sese eidem conformet. Hæc tutissima est nunquam errandi ratio, dummodo ad illam exequendam æqua adhibeantur consilia. *Idem.*

Mundi spiritus est prudentia carnis.

Certum est mundi spiritum in hoc positum esse, ut triplici huic satisfaciat concupiscentiæ, quæ peccati corpus constituit, & hominem prorsus carnalem efficit; quamobrem secundum Jesu Christi, Apostolorumque loquendi rationem vivere secundum carnem, & vivere secundum mundum, unum & idem est; & qui præ cæteris melius vivunt, in Evangelio sæculi sapientes, prudentesque appellantur. Hinc in œconomi infidelis parabola, cujus astum laudibus dominus ipsius celebravit, quasi prudenter egisset, additur: *Filii hujus sæculi prudentes filiis lucis in generatione sua sunt.* Et quoniam quilibet suæ satisfacit concupiscentiæ, cum fruitur bonis, honoribus, & voluptatibus hujus mundi, calliditas, qua ad illa sibi comparanda mortales utuntur, illa est prudentia carnis, & mundi sapientia, quam Sanctus Jacobus Apostolus *terrestrem, animalem, & diabolicam* vocat, & quam *Dei inimicam* esse Sanctus Paulus testatur; quippe mundi sectatores subdoli, versutique sunt, cum res agitur sua, & cum eorum placita directe Evangelicis adversantur institutis. *Ex morali Christiana in Pater lib. 8. sect. 4. art. 3.*

Hypotyposis pseudo sapientiæ mundi opposita Evangelicæ simplicitati.

Nihil mirum est, si plerique boni, qui vitam suam secundum Evangelicas leges instituere conantur, a mundi sectatoribus contemnantur, atque in ludibrium traducantur. Ita enim Sanctus Gregorius loquitur, cum hæc explicat verba, quæ in libro Jobi leguntur: *Deridetur mundi simplicitas:* ostendit, Filiorum Dei simplicitatem, atque prudentiam prudentiæ filiorum sæculi oppositam tanquam stultitiam, atque insaniam traduci: *Mundi hujus sapientia*, ait ille, *est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt, hanc qui nesciunt, subjecti, & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim, quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat.* Idem.

Mundanæ politicæ impietas.

Si intus, & in cute sæculi ingenium explorabitur, liquebit non aliud esse quam dolum; quamobrem sese invicem supplantare subdole homines quærunt: Hæc tamen calliditas specioso, honestoque vocabulo tegitur, & vulgo dicitur prudentia; politica, cujus fundamentum est detestabile istud auctoris novissimorum sæculorum placitum hujus scientiæ regulas præscribentis: bonum esse virtutem specie tenus acquirere, nullus enim inde fructus percipi potest; sed periculosam esse praxin illius, quippe quæ ut plurimum impedimento est, ne magna consilia, ingentiaque cœpta fluant e sententia. Hinc fluunt impia illa dogmata religionem publicæ utilitati posthabendi; non laborandi de eo, quod justum est, sed utilitatem unice inquirendi; ac demum non legem, non conscientiam, non justitiam, sed propriam dumtaxat rem consulendi, qui scopus est finis, & ratio omnium deliberationum nostrarum, & unica actionum norma. Impii, & detestabiles sensus, quos inspirat, atque in praxin redigit mundana politica, & sæculi scientia, quam jure Dei inimicam vocat Apostolus, quandoquidem religioni apertissimum bellum indicit. *Auctor Anonymus.*

Prava politicorum consilia tandem in eorum excidium convertuntur.

Ut plurimum omnia politicorum consilia, omnesque deliberationes in auctorum interitum vergunt. Pseudo illi sapientes Hebræi, qui cum apud Caipham convenissent, gravissimum omnium scelerum decreverunt, mortem videlicet Filii Dei, & ne, ajebant illi, regnum suum perderent, oculos religionis consiliis clauserunt, regnum simul, & religionem, ut Sanctus inquit Augustinus, amiserunt. Mors quippe Jesu Christi causa fuit, propter quam civitas ipsorum æquata fuit solo, templum dirutum, populi internecione deletis, & natio universa in exilium ejecta, ac in omnes terrarum plagas dispersa. *Temporalia perdere noluerunt, æterna non cogitarunt, utrumque perdiderunt.* Hic igitur vulgatus est terrenæ politicæ effectus, se ipsam confusam videre, & propria doceri experientia, media, quibus utuntur, effectus intentionibus suis prorsus oppositos gignere. Et ratio est; quia sese irreconciliabilem profitetur Deus inimicum, atque in Scriptura se mundanam hujusmodi prudentiam reprobaturum, & perditurum: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Pater Texier in Dominicali octava post Pentecosten Dominica.*

Errores, quos in deliberationibus suis homines contra prudentiam committunt.

In mundo mortales ratione utuntur eodem pacto, quo olim Judæi, ut Jesum Christum occiderent. In Synagoga de illius morte non quæritur; hoc jam pridem captum fuerat consilium; deliberatur dumtaxat de modo, quo illi quidem turpior, inimicis vero illius tutior mors inferatur: *Quid facimus?* dixerunt illi, quid agendum est, ut ultioni colorem aliquem prætexamus, atque juxta judicii formas hominem hunc de mortalium numero exturbemus? Accusandus est, eo quod blasphemaverit, populosque seduxerit. Nonne quotidie hoc faciunt, qui mundi spiritum, sensusque sequuntur? Non quærunt, utrum concupiscentiæ suæ desideriis velificentur; sed quomodo illam explere valeant, inquiunt. Non de peccato, sed de peccati circumstantiis deliberant? *Quid facimus?* Quid agendum est, ut huic satisfaciamus cupiditati? pecunia hominem illum corrumpamus. Quomodo familiam hanc opprimere possumus? quibus coloribus calumniam hanc dissimulabimus? quibus utemur artibus, ut de inimico pœnas sumamus? Verum justane est hæc oppressio? ultio hæc, vel calumnia licet? Non interest; hoc in quæstionem ne vocatur quidem; de rei summa jam captum est: de additamentis dumtaxat quærendum. Cupiditatem explendam esse, hoc stat; viæ tantum quæruntur, quibus malum callide fiat, ut recti species servetur. *P. Novet in meditationibus de Salvatoris Passione.*

Ut prudenter agas honestus semper ob oculos tibi finis versari debet.

Quemadmodum scientiis in omnibus certa quædam præsupponuntur principia, quibus nemo inficias eat, & quæ ita sunt regula ratiocinationum, quæ de re in quæstionem vocata fiunt, ut labefactari nullo modo possint; ita qualibet in deliberatione constans, & immutabilis finis statuendus est, qui omnia regat consilia, quin opinando aliquis

inde audeat recedere. In principium consiliis pro principio publicæ rei utilitas finis est sibi proponendus. Occurrit grave aliquod negotium, de quo deliberandum est; bellum inferendum, fœdus percutiendum, pax statuenda? Plures consultissimi viri hac de re, quid censent, in medium proferent; verum ne unus quidem erit, qui non affirmet consilium suum publicæ utilitatis futurum, atque ad hanc tanquam ad sibi propositum finem, in quo omnes conveniunt, referri. Quare viri boni, & qui Christianæ prudentiæ lumina sequi volunt, ante cætera sibi proponere debent ob oculos Dei gloriam, salutem suam, & publicam utilitatem tanquam omnium deliberationum suarum finem. *Maimbourg in Quadragesima.*

Mundana prudentia filii opposita, quæ est a Deo.

Mundana sapientia abdicanda est, si Divini spiritus sapientia regi desideramus: opus est, propria lumina extingui, ut illa Divini spiritus recipiamus, quandoquidem inter utraque tanta est oppositio. Heu! nonne videmus, quomodo illa sibi adversentur in rebus dijudicandis, ac decernendis? Si propria tantum lumina consulimus; fateor equidem, opes nobis bona videbuntur; honores, & voluptates summas apud nos habebunt illecebras, verum si hæc objecta nonnisi cum Divini spiritus luminibus intueamur, quam longe aliud feremus judicium? Divitiæ non videbuntur amplius bona, sed malorum omnium causa, quippe Deus semper in illas sua jaculatur anathemata; in honoribus nihil nisi nihilum, & inane intuebimur; ac mundum ipsum contemnemus, & execrabimur; atque prout sacra lumina in mentibus nostris augebuntur, ita de creatarum rerum amore, ac pretio tantum peribit; eo quod vel minimum cœlestis hujus luminis radium earum nihilum, & vilitatem nobis ostendet. *Ex collectione Sermonum recentium, qui Patris Champigni esse perhibentur. Sermone de corde novo.*

Falsa Herodis politica.

In Herodis persona unum invenimus ex illis sæculi prudentibus, qui in omni vitæ suæ ratione humanæ tantum sapientiæ leges consulunt, qui in actionibus suis non alium sequuntur ducem, quam ambitionem suam, & qui sæpe, ut noxium finem assequantur, nequiores adhibent artes. Hinc crudelis iste princeps tantum innocui cruoris effudit, ut regnum, quod injuste occupaverat, tueretur. Sed quam male omnia Herodis cessere consilia. Magi ad illud non revertuntur, & Jesus Christus, cujus necem meditabatur, ex manibus ejus elabitur. O humana prudentia, quam cæca es in consiliis tuis! *Lambert, homilia in festum Innocentium diem.*

Contentus esse non potest, qui pravis artibus finem suum est assecutus.

Ne pravas artes unquam adhibeas, ut votorum summam assequaris; parum enim honestæ viæ omnem auferunt gustum utilitatis, quæ per illas percipi potest. Hoc unum cogita, ad quæcumque felicitatis gradum per fas, & nefas perveneris, nunquam futurum, ut conscientia te illa pacifice perfrui permittat, & aculeos, quibus torqueberis, eo quod injuste fueris adeptus ea, quæ tibi deerant, te longe miseriores effecturos, quam olim esses, cum eorum afficiebaris desiderio. Etiamsi omnibus persuaseris, tuam agendi rationem crimine caruisse, hoc tibimetipsi nunquam persuadere poteris, & quotiescunque videberis tibi honestus homo existimari, talem te non esse stimulis suis redarguet conscientia. *Liber, cui titulus: De filiorum educatione, a Joanne Pico editus.*

SUPPLEMENTUM.

Sapientia sola tanquam est in se ipsa thesaurus, ut omnibus totius orbis divitiis sit præferenda.

SAlomon optavit Sapientiam, & Sapientia, quæ prævertit optantes se, & occurrit se inquirentibus, semet illi obtulit ultro. Hanc precibus petiit a Deo, sciebat enim ab uno illo dari posse; & illum secundum Sancti Jacobi verba liberaliter eam largiri cum fide petentibus. Mundana, & animalis Sapientia, quam Sanctus Paulus prudentiam carnis appellat, in mundo satis communis est; at Sapientia Christiana, quæ, secundum Scripturas, in Dei timore consistit, satis est rara. Hæc non habetur, quia non poscitur, quia non optatur, quia pretium illius ignoratur. Hanc rebus omnibus præferebat Salomon, quia hoc in loco testatus, se nihil umquam majoris fecisse, quam hanc; quoniam totius mundi aurum præ illa, tamquam pugillus arenæ maris ei videbatur. Sancti pluris hanc virtutem faciunt, quam quidquid habent, & rursus quidquid non habent. Qui ex illis mundi hujus possident bona, se beatiores arbitrantur, quia Deus illis gratiam concessit illum cognoscendi, & metuendi; quam quia illos opibus, atque honoribus cumulaverit, li vero, qui nihil habent, unam hanc optant Sapientiam, qua putant se satis locupletes esse posse, quia sola est infinitus thesaurus hominibus. Qui a Deo Sapientiam receperunt, non solum ut illum timeant, verum etiam ut alios doceant illum vereri, eique servire, hanc sine invidia communicare debent, ut in lucro ponant talentum, quod acceperunt, & semet reddant, ut inquit Scriptura, *participes amicitiæ Dei* per rectum usum, fidelemque dispensationem thesauri, qui illis creditus est. *Tourneux in Anno Christiane.* *Sap. 7.*

De humana prudentia, & in quo vera prudentia consistat.

Prudentia est recta ratio rerum faciendarum non secus ac scientia est recta ratio rerum sciendarum. Quomodo igitur in scientiis errare duobus modis possumus; 1. Cum ratio persuasa est de illatione mendacii, cui nonnisi species inest veritatis; 2. Cum hæc eadem ratio ad probationes efficiendas, inferendasque conclusiones falsis innititur principiis, quæ tamen illi rationabilia videntur: ita contra veræ prudentiæ rectitudinem duplici pacto peccari potest; 1. Cum studium, & labor rationis nostræ impenditur propter finem, qui vere bonus non est, quamvis omnem habeat speciem bonitatis. Hic proprie effectus est prudentiæ carnis, quæ sibi aliquid persuadet ad libidinem spectans, tanquam verissimum bonum suum. 2. Cum ad finem seu bonum, seu malum perventuri, non adhibemus media, quæ vere bona sunt, sed quæ in speciem dumtaxat bona creduntur; & hic effectus est calliditatis. Itaque mundana hæc prudentia inimicus est eo magis metuendus, & perniciosus, qui nobis sese exhibet tamquam Angelus lucis, vel sub luce, quæ extrinsecus tantum nitet, vel sub veræ sapientiæ persona. Si ea mundi sectatote quæro cur ad Salvatoris exemplum non parcis inimicis tuis? Cur cum hoc, vel illo in gratiam non redis? Cur in iras adeo pronus es, ut ad oculi nictum, ad cachinnum, ad flatum veri prætereuntis, Deo succenseas? Reddet ille mihi statim: quid inquiet mundus? Qui bono corde est, nonne honoris sui incolumitatem servare teneretur? Ecce statim humana prudentia interjecta, quæ solis lumini offundit caliginem, egregium genetosiratis colorem assumens: Sed hæc non est nisi species inania prudentiæ. Mundani erubescerent, si quis diceret; hic vir bonus est, bonus fidelis, homo Deum timens. Numquid huic par cæcitas inveniri potest in mundo; bona adesse ingenia, quæ virtutis pudeat, & quæ pati nequeunt, ut de se dicatur: hic bonus est Dei famulus? *Pater Antonius de Sancto Martino, a Porta.*

Mundani calllidiores sunt, ut ad fines suos perveniant, quæ Filii Dei.

Fatendum est, si homines cæci sunt in finium suorum electione, oculatos esse in electione mediorum, quæ ad illos perducunt, & nequaquam alienas sequi vias ut cupiditatum suarum finem consequantur. Huic forsasse innixus fundamento dicit Dei Filius, filios tenebrarum sapientiores esse, quam filii lucis; non quod teapse velit prudentiam tenebrarum prudentiæ lucis præferre; sola enim qualitas filiorum lucis eos, qui tales sunt, adducit in veræ sapientiæ possessionem; sed quia sæpe usuvenit aliorum nequitiam calliditorem esse, quam aliorum virtutem; & in mundi sectatoribus, miseram eorum prudentiam magis esse

per-

perspicaciem, attentionem magis vehementem, conatus etiam magis assiduos, & fervidiores. *Sermo tertius Accademiæ anni 1675.*

Exempla quæ ostendunt quam falsa sit & fallax humana prudentia.

Scire Pharao cladem populi Israel fuerat molitus; verum non potuit unquam prævidere obicem, qui omnia illius eversurus erat consilia. Puer jussu suo flumini expositus clam in ædibus suis nutritus omnem Ægyptiorum potentiam evertit, & salvum fecit Israel. Abimelech cum septuaginta fratrum suorum cæde solium occupasset; mox eos jugulari jussit, qui ad eam cladem sibi opem præstiterant; sed non valuit ipse violentam evitare necem, lapidis ictu percussus a fœmina. Judæi contra Jesum Christum concilium habuerunt, cumque multa hinc inde afferrentur, dixerunt inter se:

Joan. 11.

Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani; & tollent locum nostrum & gentem. Hoc pacto ratiocinantes decreverunt Jesum Christum occidendum esse, ut suæ civitati, ac genti prospicerent. Sed funestum istud consilium eos perdidit, in miseram ceciderunt servitutem, in qua non legem, non religionem, non cæremonias habebant. *Sanctus Basilius in quodam ex Sermonibus suis.*

Imago prudentiæ carnis.

Quam miseret videre curas, & labores, quibus se ipsos torquent filii Noe, ut nomen suum immortalitati consecrent, & ut sibi contra Domini iracundiam propugnaculum & in calamitatibus asylum ædificent! Naturalis imago prudentiæ carnis. Quæ insania est in brachio carnis, in suæ virtutis auctoritate, in amicorum, patronorumque suorum gratia, in thesauris, fortuna, industriaque confidere? *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Nisi Dominus nostra regit consilia; nisi ipse omnium finis, & auctor est, nisi Deus ipse nostram instituerit fortunam, omnes curæ conatusque nostri ad nihilum rediguntur. *Pater Croiset in Anno Christiano.*

Mundanorum dementia præcipue in eo posita est quod eligunt media prorsus contraria fini, quem sibi proponunt.

1. Cor. 3.

Ut Apostolus mundi hujus Sapientiam confundat, non vocat illam simpliciter ignorantiam, vel errorem, sed stultitiam in oculis Dei: *Stultitia est apud Deum.* Re ipsa sæculi Sapientia sibi vendicat prævidentiam, & ratiocinationem, qua caret; & in hoc mira insania est: Etenim ullane gravior est insania, quam inire consilia prorsus fini sibi proposito adversantia? Mundi sapientes ad felicitatem adspirant non secus ac sapientes Evangelici, sed iis insistunt viis, quæ maxime a vera aberrant felicitate. Vera hominis felicitas in eo sita est, ut Deum agnoscat, amet, & hac in vita illi serviat; neque enim alioquin post mortem esse potest beatus. Quid autem insipientes hi? Sese jugiter omnibus ingurgitant voluptatibus; inhiant opibus, quæ sexcentas iisdem ingerunt curas; indesinenter vanos appetunt honores, quibus superbiunt, & supremi boni adspectum amittunt. Ardenter optare felicitatem, ea vero sectari, quæ ad miseram deducunt infelicitatem, tanta stultitia est, ut major nequeat excogitari. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Dei consilia procul distant a consiliis hominum.

Quam longe a nostris Dei discrepant consilia! Quis lacrymis prosecutus non esset tristem Josephi casum? De illius sorte procul dubio metuendum erat. Puer Ismaelitis venditur; totum illius crimen est rectitudo, simplicitas, pietas. In carcerem conjicitur, quia suam tueri voluit innocentiam. Attamen ipse carcer, & ipsa captivitas gradus sunt, per quos ad solium evehitur. Humana prudentia hoccine iter arripuisses, ut Josephum ad primum Ægyptii imperii honorem eveheres? Rectam hanc viam nacta fuisses? Hæc erat tamen brevissima, & sola; quæ illum ad tantum magnitudinis fastigium, tantamque felicitatem promoveret. *Pater Croiset in Asceticis Exercitationibus.*

Mundi Sapientia coram Deo stultitia est.

Conceptus, quem in ipsa etiam Christianæ religionis luce, sibi proponunt mortales, fallax est; nulla vera sapientia est præter eam, quam Jesus Christus in terris nos docuit. Quid autem homo iste Deus nobis præscripsit? ut paupertatem diligamus, cruces, contemptus. Diceretne auderes decipi Jesum Christum? Quomodo autem auditis mundum, quo jubemini amare divitias, voluptates, honores: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est*, in domum Patris cœlestis non admittemini. Ibi sedes iis tantum posuit, qui regulas Divinæ hujus Sapientiæ sequentur, quam mundi sapientes vocant stultitiam: *Stultus fiat, ut sit Sapiens. Pater Segneri in Meditationibus.*

Baruch. 3.

Prudentiæ regulas sequamur, sed in uno Deo confidamus.

Prov. 3.

Spiritus Sanctus nobis usum prudentiæ non interdicit, cum jubet in Deo confidere; prohibet solum ne omnino in prudentia nostra confidamus: *Ne innitaris prudentia tua.* Et sane Dominus æque temeritatem, & nimiam odit prudentiam. Altera eum tentat, ac nimis de illius auxiliis confidit; eum negligit altera, & nihil ejusdem subsidio debere videtur. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus vestris:* hæc duo sejungenda non sunt. Temerarius, qui omnia sorti committit, videtur vim inferre Deo, ut ad nutum suum prodigia operetur; sed vir prudens secundum Evangelium hinc quidem omnia disponit, ut effectum suum consequatur, inde vero invocat Dominum, a quo omnia se sperat consecuturum. *Idem ibidem.*

1. Petr. 4.

Oblectatur Deus sæculi prudentiam confundere.

Oblectatur Deus eorum præsumptionem confundere, qui confidunt in Sapientia sua & apertissimis documentis ostendit omnem speciosam hanc prudentiam meram esse stultitiam. Fratres Joseph, Sanctus Gregorius magnus inquit, se putabant sapientes secundum affectus suos; qui fratrem vendendum esse censuerunt, ne inter ipsos assurgeret ea auctoritate, quam Deus in somnis illi portendebat; atque illum servum efficientes, totius Ægypti Dominum, atque Dominatorem fecerunt. Vendiderunt illum, ne potens fieret; ipse nisi venditus fuisset, potens fieri non potuisset. Ita juxta Sancti Pauli sensum Deus gessit confundere sapientes in fallaci, atque tenebricosa prudentia sua, utiturque iisdem conatibus, quos exerunt voluntatibus ejusdem adversantes, tamquam aptissimis mediis ad eos velint, nolint excitandos. *Auctor Anonymus.*

Sæculi sapientia opposita est sapientiæ Jesu Christi; igitur sæculi sapientia fallax est.

Quanta principiorum diversitas, & oppositio? Mundus hominis felicitatem constituit in voluptate, honore, opulentia; & Jesus Christus palam affirmat beatos esse, qui lugent, qui pauperes sunt, qui persecutionem patiuntur. Quemadmodum fieri nequit, ut veritas utrobique inveniatur; facile est cum Sancto Bernardo ita argumentari: vel fallitur Jesus Christus, vel mundus errat; at Jesus Christus ipsa veritas est, æternaque sapientia; fallitur igitur mundus, & Salvatoris instituta æque certa, & extra omnem dubitationis aleam sunt posita, ac fidei nostræ mysteria. Omnem hujus argumentationis vim assequi, idem est ac auferre generale principium horridæ hujus contradictionis, quæ inter Evangelii placita, nostramque vivendi rationem intercedit. *P. Segneri in Meditationibus.*

Sapientia sæculi falso hominis felicitatem in voluptatibus divitiis, & honoribus constituit.

Fallax sæculi Sapientia vocatur Sapientia terrena, carnalis, diabolica; terrena cum felicitas in terræ hujus opibus collocatur; carnalis, cum in voluptatibus carnis constituitur; diabolica cum in falsis honoribus Luciferi exemplo, ambitiosorum antesignani ponitur. Igitur mundi Sapientia illusio est; spem quippe facit, nos beatitudinem nostram inventuros in bonis, quæ nos beatos nequaquam possunt efficere. Usus divitiarum a nobis faciendus est, nobis in nostris necessitatibus consulere: illæ media sunt, per quæ perveniamus ad extremum finem nostrum, & media etiam periculosissima. Nos igitur fallit Sapientia mundana, cum efficit, ut nimis sollicite inquiramus illas; nos etiam fallit, cum efficit ut nostram con-

constituamus felicitatem in illis rebus, quæ corpus nostrum alliciunt; hoc enim est velle felicem nosmet coarctando ad ea, quæ corporis pariunt felicitatem, neque attendendo ad ea, quæ unice animæ felicitatem constituunt. Neque honores vera sunt hominis bona, non enim constituunt meritum, cujus dumtaxat sunt notæ, immo etiam notæ maxime ambiguæ; quandoquidem in terris sæpe cum impio simul communes sunt, & bono. *P. Segneri in Meditationibus.*

Oratio ad Deum, ut Sapientiam donum nobis commodat.

Quidnam est in oculis tuis, Domine, humana Sapientia? Amplitudinis cogitationes, ambitionis, ac politicæ ambages; hæc id genus omnia coram te insania sunt. Glorientur mundi sapientes magna agitare consilia; iisque callide exequendis vacent; eorum cæcitatem collacrymabor. Se miseros putant, cum post tot motus nihil ipsis benevertit; sed illos miseriores crederem si omnia ipsis floerent e sententia; semper enim magis, magisque recedunt ab eo fine, quem illi sibi deberent proponere. Nequaquam, Domine, sapientiam non vocabo, nisi eam, quæ docet omnes meos conatus dirigere ad finem, propter quem creatus sum. Hanc in omnibus meis deliberationibus consulam; Hanc auro, pretiosisque lapillis anteferam. Sed ubinam gentium unum hanc veram sapientiam inveniam? Non habitat illa in corpore subdito peccatis; igitur opus est, ut ducam initium expiando cor meum, si volo hanc a Spiritu Sancto mihi communicari: & nonnisi per pœnitentiam illi dignam ipsa habitationem potero præparare. Hanc a te peto Domine, certus enim sum hanc mihi constanter futuram vitæ meæ regulam; ne rejicias vota adeo justa, & sincera. Si oblivviscerer consilii mei, neque eam consulerem; hodierna luce peto abs te, ut meo cum rubore perturbes, quidquid sine eadem me facturum decrevero, *P. Segneri. Tomo 5. Meditationum.*

Viæ, quæ in scelus adducunt, similes sunt illis, quæ ducunt ad virtutem; Christiana opus est Sapientia, ne decipiamur.

Vitium inter, & virtutem tanta affinitas est, ut si parum a solida pietate deflectas, certissime labaris in eos errores, in quos scelus adducit. Num aliquid est, quod constantiam melius imitetur, quam pertinacia, liberalitatem quam prodigalitas, prudentiam, quam versutia? ita vitia virtutis specie teguntur. Sæpe iracundia immoderata vult pro justo zelo haberi, & timiditas pro humilitate. Quemadmodum ergo facile non esset a recto tramite declinare, & in falsæ pietatis statum incidere, quandoquidem hæc adeo prope veram pietatem imitatur? Et profecto quot hodierna die sunt asserti spiritales, qui rectam viam sequi videntur, quamvis ab eadem procul aberrent? Amor proprius, qui eos in omnibus suis operibus deducit, hos eos usquefeducit, ut illis persuadeat ipsos juxta æquissima principia operati, eorumque opera justa esse. Secreta hæc voluptas, quam ex laudibus percipiunt; amor hic, quo vitæ hujus commoda consectantur, incomposita hæc ubique præsidendi, & omnia ad sensus suos redigendi cupiditas; denique oblectationes, quas subinde percipiunt ab actionibus suis, illis damnandæ nequaquam videntur. Si illos loquentes audis, nihil eorum prudentia admirabilius est. Cum laudantur, Deus laudatur in illis. Si laborem fugiunt, & ea, ipsis negotium facessunt, id agunt, ut sine ulla distractione, & exceptione se devoveant Deo. Cum nimium solliciti sunt ne egestate premantur; hæc est pro futuro tempore sollicitudo, quæ potest haberi, quin fiat Providentiæ contumelia. Cum gradus præeminentiam, ac auctoritate videntur appetere, propter proximi utilitatem agunt; cumque sua ob jactantiam bona recensent opera; hæc peculiaris est meditatio earum gratiarum, quæ ipsis Deo sunt agendæ. *Sermo tertius Accademiæ anni 1695.*

Cum de virtute agitur, facile est errare, & malum pro bono desumere.

Quemadmodum in mundanis rebus falsa interest prudentia, quæ ignorat vel confundit vera bona, quæ init consilia sine ratione, eaque sine ullo fructu exequitur; & quæ ad gloriam, vel fortunam adeundam via insistit, quæ a proposito fine aberrat; adest etiam in iis, quæ ad salutem pertinent, sapientia cæca, quæ bonum cum malo confundit, quæ, ut inquit Propheta, tenebras pro lumine accipit, & viam, quæ ducit ad mortem pro illa, quæ ducit ad vitam. Infelix sapientia, & dupliciter decepta, & eo quod ignorat veritatem, quam credit cognoscere, & eo quod putat se veritatem sequi, quam deserit. Proculdubio Deus ut adeo deplorabili cæcitati mederetur per os Sapientis nos admonet, non deesse viam prorsus aberrantem, quæ videtur habere rectitudinem angustarum semitarum, per quas justus incedit; quæ tamen adducit in teterrimum finem, quo viæ latæ, per quas impii decurrunt, solent adducere. Quinam æquior conceptus fingi potest periculi harum viarum, eo, quem nobis adstruit Salomon? Hæc via est, quæ tuta videtur esse; quam citra metum ingredimur, in qua sine sollicitudine immoramur. Et nihilominus viæ hujus finis ducit ad mortem. Quid igitur in adeo molesto situ faciendum est. Si progredimur in inevitabilem interitum ruimus; si inde emergere volumus prohibemur vinculis eo validioribus, arctioribusque, quo videntur, non dicam equidem suaviora, & jucundiora; sed sanctiora, sacratiora, & manu ejusdem pietatis, & Religionis elaborata. Nonne igitur opus est prudentia satis bene illustrata, ad veram viam eligendam? *Sermo quartus Accademiæ anno 1695.*



PUR-

PURGATORIUM.

Pœna, quæ ibi perferuntur; charitas erga defunctos; preces pro mortuis; & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.



Aud operosum erit copiam invenire, quæ hic titulus compleatur. Multitudo librorum de Purgatorio agentium, & sermonum in hoc argumentum elaboratorum præter ipsius argumenti magnitudinem satis latum aperiunt campum concionatoris quidem eloquentiæ, auditorum vero doctrinæ. Auctores complures integra edidere hujus argumenti volumina, & concionatores quidam octavas ejusdem edidere. Id igitur unum inquirendum erit, ut concioni idonea eligatur partitio, & ea supellex, qua singula rite exornentur.

Animadvertendum tantummodo occurrit, sub hoc titulo nos complecti & pœnas, quas animæ a corporibus suis separatæ in Purgatorio patiuntur, & preces pro mortuis fundendas, ut excitemus fidelium charitatem ad opem illis ferendam, ne satis sibi esse putent sterili miseratione duci, neque sibi persuasum esse de veritate cruciatuum, quibus animæ in eo tristi loco torquentur, quin eas discant rationes, quibus ipsi hæc eadem tormenta valeant evitare.

Ne quid nimis proferatur hoc in argumento, quod per se satis patheticum est, & ad charitatis atque misericordiæ sensus ciendos satis appositum, semper distinguenda sunt ea, quæ de fide sunt, ab iis, quæ innituntur Doctorum sententiis tantum, vel communi fidelium credulitati, vel revelationibus, aut apparitionibus, quæ ab auctoribus fide dignis afferuntur.

Sin autem probanda assumitur Purgatorii veritas contra Hæreticos, vel sancta praxis pro mortuis exorandi, ostendendum est, cujus ponderis sit auctoritas traditionis ab immemorabili, & patrum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, sententia; probandumque, libros Machabæorum authenticos esse, & pro Scriptura sancta habitos; atque ostendendum eos locos, qui ex novo Testamento afferuntur, a primis Ecclesiæ Doctoribus de Purgatorio intellectos, explicatosque fuisse.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia concionum hujus Argumenti Structura.

I. 

Urgatorium proprie locus est, ubi justitiæ simul, & misericordiæ Dei affinitas quædam habetur: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi; justitia, & pax osculatæ sunt.* Videlicet divinæ justitiæ severitas apparet in magnitudine tormentorum, quibus in altera vita punit animas in horribili eo carcere clausas, ut, quod illi debent, persolvant: hoc primum est hujus concionis punctum. Alterum est, ibi etiam Dei misericordiam magis enitescere, quia viventibus facultatem, & adminicula tribuit applicandi meritum mortis, & passionum suarum, ut illius satisfaciant justitiæ, utque sanctas animas eruant de his obscuris carceribus per preces, opera bona, & suffragia, quæ hac mente offeruntur Deo.

Punctum primum. Dei sanctitas procul dubio inter illius attributa maxime terribile simul est, & maxime amabile; quoniam ne levissimam quidem pati potest maculam, quin illi, qui eadem pollutus est, necessitatem infligat eam vel aquis pœnitentiæ eluendi, vel in altera vita purgatorii flammis expiandi: ad hunc quippe effectum maximam justitiæ suæ severitatem exercet, ne quid pollutum ingrediatur in cœlum, ibique infinitæ puritatis fruatur adspectu. Quamobrem affirmo, purgatorium proprie theatrum esse, ubi divina justitia cum gravissima prodit severitate. Nam quamvis inferni supplicia infinite graviora sint, ac magis terribilia; attamen non admodum mirum est, quod Deus extremum suæ justitiæ rigorem exerceat contra apertos hostes, ac rebelles, qui bonitatis ejus illecebris sese dedere noluerunt; quod autem extrema utatur severitate adversus animas purgatorii, quod in illas rigide animadvertat, quin aliquid justitiæ suæ jure remittere velit, hoc mirum est, efficitque, ut cum Apostolo dicam, horribile esse incidere in manus Dei viventis, postquam eum lenire negleximus, eique in hoc mundo, qui misericordiæ ipsius regnum est, satisfacere, & maluimus expectare in altero, qui est regnum justitiæ. Porro tria peculiariter extremam hanc severitatem ostendunt. 1. Qualitas harum animarum, quæ sunt subjectum, in quo supremus Judex suam exercet justitiam. Hæ sunt sponsæ illius, quibus nihil magis pretiosum habet in mundo; quas unice diligit, & quibus gloriæ thronos, æternamque destinat felicitatem. Hæ sunt hæredes cœli, ad quod jus habent acquisitum, quatenus filiæ; cæterum crimine vacuæ sunt, vel si quæ crimina commiserunt, hæc illis dimissa, & condonata fuerunt. Magnis virtutibus ornatæ sunt; in bonis operibus sese exercuerunt; insignes de affectibus suis victorias reportarunt; de proximis, deque Ecclesia perquam bene meritæ fuerunt; pro Dei gloria laborarunt; & nihilominus tamquam nocentes puniuntur, arctantur, in tristi loco conclusæ tenentur, & longe gravius mulctantur, quam in scelestissimum quemque humana justitia animadvertere consueverit. Quæ severitas, qui rigor! 2. Hic ostendenda est magnitudo pœnarum, quibus divina justitia illas damnavit: privatio Dei ad tempus; quæ pœna damni vocatur. Quem dolorem illis adfert hæc longinquitas & supremi sui boni privatio! hinc pœna sensus, cujus instrumentum est ignis, qui incomprehensibile adfert tormentum, ac denique utriusque supplicii duratio. 3. Causæ, propter quas adeo horribilibus torquentur cruciatibus, videlicet ob expianda levia crimina, venialia peccata jam quoad culpam dimissa, defectus, quibus sanctissimus quisque vix vacuus fuit. Puncti hujus conclusio est magnum peccati horrorem concipere, extremam adhibere vigilantiam in minimis etiam noxis evitandis, curam expiandi illas potius per pœnitentiam in hac vita, quam in altera, ubi tota divinæ justitiæ severitate punientur.

Punctum alterum. Dixi, si divina justitia in pur-

purgatorio omnem suam exercet severitatem, misericordiam ibi non minus enitescere; & quamquam vulgo dicant, alteram vitam esse tempus nocentium justitiæ, & supplicio destinatum, tamen Deus admirabilem ibi facit hujus misericordiæ, & justitiæ consensum per auxilium, quod sanctis hisce animabus procurat fidelibus facultatem, ac modum præbens illis solatium afferendi; immo etiam illas ab his cruciatibus liberandi, vel saltem eorum diuturnitatem breviorem efficiendi. 1. Hoc probandum est Bibliorum auctoritate, Patrum consensu, & universali, & immemorabili Ecclesiæ totius praxi. 2. Explicandum est, quam facile illis opem ferre valeamus, & quibus rebus; precibus, jejuniis, eleemosynis, ad quæ alia opera bona omnia referuntur, & qua ratione non multo labore earum debita dissolvere valeamus per indulgentias &c. 3. Hæc apparet misericordia ex officiis, quæ illis a fidelibus præstari jubet Deus officiis charitatis erga omnes mortuos, officiis justitiæ erga consanguineos, & eos, qui propter nos patiuntur, officiis gratitudinis &c.

II. 1. Rationes, propter quas animabus purgatorii solatium afferre tenemur. 2. Media, per quæ illud afferre & possumus, & debemus.

Quod pertinet ad rationes, hæ ad tres præcipuas redigi possunt. 1. Ibi agitur de Dei gloria, qui nonnisi invitus infestissimos punit hostes, quid igitur erit, ubi brachium illius continebimus, quod ille per justitiam suam exonerare tenetur super sanctas animas, quas unice diligit? ita eas precibus nostris, atque suffragiis e lustralibus flammis eripientes, studiis illius favemus, gloriam ejus procuramus, deque ipso perquam optime meremur. 2. Ratio altera est miserarum harum animarum utilitas, quæ maximo flagrant desiderio videndi Deum, qui supremum eorum bonum est, & desiderium hoc violentum, dilatum, retardatumque illis inexplicabile tormentum infligit: præterea pœna sensus torquentur, quam illis violentus infert ignis incomprehensibili dolore omnem illorum penetrans substantiam. Triplici porro ex causa illis solatium afferre tenemur pro triplici affinitatis nexu, quæ ipsis nobiscum intercedit. Prima est naturæ; parentes sunt, fratres, cognati. Pater ille flammis uritur, donec ingratus, inhumanusque filius voluptatibus vacat: *Dum superbit impius, incenditur pauper* &c. Psalm. 110. Affinitas altera est amicitiæ. Quinam dicere possumus sanctæ amicitiæ leges a nobis servari, cum illius, vel illorum obliviscimur, quibus illam juravimus? Tertia denique religionis est; adest enim inter militantem, & purgantem Ecclesiam quædam communicatio. 3. Ratio tertia ex nostra desumitur utilitate, Deus enim nobiscum aget, quomodo ipsi cum aliis egerimus, ac permittet nos oblivioni tradi, ac derelinqui, si fratrum nostrorum in terribili eo statu fuerimus obliti, eosque deseruerimus &c.

Quod spectat ad media, quæ suppetunt nobis; opem ferendi animabus, quæ in purgatorio torquentur, atque illis aliquod procurandi solatium inter eas pœnas, quibus uruntur, hæc ad tria potissimum rediguntur, quæ reliqua continent. Videlicet: 1. Missæ sacrificium, quod hac mente vel offertur, vel offerri jubetur: sacrificium, quod cum ex parte ad hunc finem institutum sit, mirificam obtinet virtutem. 2. Preces, jejunia, eleemosynæ, & omnia opera pœnalia, quæ, cum sint satisfactoria, offerri possunt pro solatio earum animarum, quæ patiuntur. 3. Indulgentiæ, quæ illis applicari possunt, & quas adeo facile possumus lucrari.

III. *Sancta, & salubris est cogitatio exorare pro mortuis*. 2. Machab. 12. Sancta est: 1. Fluit enim ex principio sancto, nempe charitate, quæ efficit, ut has sanctas animas consideremus tamquam amicos Dei, qui illum aliquando glorificabunt, qui fructum percipere possunt ex orationibus, & suffragiis, quæ effundimus pro illis, qui extrema necessitate laborant, & nihilominus sibimet opem ferre non possunt &c. 2. Salubris est sanctis illis animabus, quippe eas pœnis liberat, vel saltem illis affert solatium &c. 3. Utilius est viventibus, quia eorum auget merita, ac totidem ipsis in cœlo patronos conciliat, quot ex purgatorii flammis liberat, ac tandem illos in hanc adducit spem fore, ut Deus cum illis eadem ratione utatur, qua illi cum aliis fuerint usi.

IV. De rationibus, quibus impellimur ad opem sanctis hisce animabus ferendam, easque precibus nostris levandas. 1. Miserationis causa; incredibiles patiuntur pœnas; licet ignoti nobis essent, alieni, vel etiam inimicissimi, nos eorum misericordia duceremur, si illos videremus humiliatos, omni malorum genere obrutos, & illis opem ferre possemus: sed fratres sunt, amici, nostri similes, agnati, nonne igitur vicem eorum dolere debemus? 2. Justitiæ causa: illi sunt, qui de nobis perquam optime fuerunt meriti, patres, matresque, qui nobis vitam dedere, qui nos aluerunt, & instituerunt: amici, qui operam suam nobis præstiterunt, cum maxime egeremus illorum auctoritate: nunc autem ipsis ope nostra indigentibus hanc citra turpem injustitiæ notam possumus renuere? 3. Charitatis seu erga Deum, seu erga proximum causa: dicere licet ex omnibus charitatis actionibus, quas erga fratres nostros possumus exercere, hanc maximam esse, utilissimam, Deoque acceptissimam.

V. 1. Nemo unquam magis Dei gloriam procurat, quam procurando liberationem animarum purgatorii, & earum beatitudinem accelerando. 2. Nemo unquam utilius propriæ consulit gloriæ, & saluti, quia sibi conciliat amicos, atque patronos, qui par pari referre conabuntur.

VI. De magnitudine pœnarum purgatorii; tria nobis illas præbent cognoscendas, simulque nos jubent misereri sanctarum animarum, quæ illis torquentur, atque omne illud adhibere solatium, quod possumus, malis, quæ sustinent. 1. Quod purgatorii pœnæ toto cœlo vitæ hujus superant pœnas. 2. Quod diutius vigent, quandoquidem sententia communis est, non deesse, quæ plura sæcula in horrenti eo carcere permanent, & patiuntur. 3. Quod animæ, quæ adeo gravibus pœnis excruciantur, impares sunt, quæ sibimetipsis opitulentur.

VII. Miseratio; qua afficimur erga miseros, ex tribus ut plurimum rebus desumitur, quæ in animabus purgatorii locum habent. 1. Ex merito patientis: quodnam vero sanctarum animarum sit meritum non latet. 2. Ex magnitudine malorum, quæ illas pati videmus. Heu quænam sunt purgatorii tormenta? 3. Ex affinitate, quam miser nobiscum potest habere: at qui in purgatorio patiuntur, sunt amici nostri, consanguinei, fratres &c.

VIII. 1. Tria Deum cogunt severe in has sanctas purgatorii animas animadvertere; illius videlicet sanctitas, quæ pati non potest aliquid pollutum ingredi in cœlum; justitia ejus, quæ exigit ut læso numini ad extremum usque quadrantem satis fiat; amor ejus, qui similitudinem flagitat, & qui reformat quidquid illis deest, per has flammas, quæ extremam animabus addunt perfectionem. 2. Tria nos vicissim cogunt, ut, illis laborantibus feramus opem; amor videlicet, quo Deum prosequimur, cui nihil acceptius facere possumus, quam amicis ipsius opem ferendo, & eos quodammodo ex justitiæ ejus manibus eripiendo, pro illis satisfacientes; justitia, & gratitudo propter ea bona, quæ ab illis, dum viverent, cumulati fuimus; & demum amor, quem debemus Jesu Christo, qui sibi factum putat, quidquid boni fratribus nostris facimus.

IX. Spiritui persuasum esse debet, adesse purgatorium. Fides, ratio, populorum omnium consensus, & patrum omnium sæculorum auctoritas id nobis persuadent. 2. Sed cor excitari debet ad miserationem, ut per Ecclesiæ suffra-

gia

gia solatium afferat pœnis extremis, quæ illic perferuntur.

X. In christiana religione triplex hominum genus invenio, qui varias ob causas nihilum conferunt ad animarum purgatorii solatium. Primi illi sunt, qui eas pati non credunt; secundi, qui id credentes non moventur; tertii, qui & credunt, & moventur, sed non utuntur legitimis, & efficacibus mediis ad solatium illis afferendum. In primo genere complector hæreticos, & quosdam flagitiosos homines, qui nefaria obstinatione purgatorii veritatem rejiciunt. In altero duros quosdam, sensuque carentes catholicos, qui purgatorii veritatem confitentes non afficiuntur ea miseratione, & zelo, quo procuranda est libertas animarum, quas Dei justitia ibi detinet in captivitate. In tertio tandem ingentem Christianorum numerum, qui se hanc fidem, & hunc zelum habere gloriantur, sed qui noxia negligentia non procurant illis auxilium, quod expectant. Pro triplici hac personarum varietate sermonem partiri volo.

1. Contra primos devotionis hujus veritatem probabo. 2. Contra secundos pro virili devotionis hujus fervorem excitabo. 3. Contra tertios ejusdem devotionis usum, & praxim dirigam. *Sermo P. Bourdalove hujus argumenti.*

XI. De iis, qui desunt charitatis officiis erga defunctos.

1. Alii nullum exercent charitatis actum erga mortuos; ostendendum est, quam duri sint isti, sine sensu, sine gratitudine, sine miseratione. 2. Alii misericordiam habent, & charitatem inordinatam; satis est illis effundere lacrymas, dolorem testari, in gemitus, & ejulatus erumpere, &c. 3. Alii denique charitatem habent ambitiosam, quam funebri pompa, magnificis elogiis, superbisque ostentant Mausolæis, &c. *Ex eodem in tertia parte sermonis precedentis, quæ esse potest integræ concionis argumentum.*

XII. 1. Orare pro defunctis maximus est charitatis actus, quem erga proximum exercere valeamus. 2. Ex omnibus charitatis actibus facillime exerceri potest, propter diversas rationes, quibus hoc facere possumus, quin multum detrimenti patiamur, & quin amittamus meritum omnium bonorum operum, quæ hac mente possumus offerre Deo.

XIII. 1. Fides jubet nos credere, esse purgatorium; hoc in priori parte ostendemus. 2. Charitas nos jubet opem ferre animabus, quæ ibi a divina justitia retinentur. *Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta sermone primo octavæ mortuorum.*

XIV. Magnitudo pœnarum purgatorii in ea verba: *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Job 19.

1. Dei manus repellit sanctas animas, atque ad aliquod tempus removet a conspectu suo. 2. Aggravatur super illas, & gravissima sensus pœna, igne videlicet, eas torquet. 3. Sese super easdem extendit, ut earum proferat supplicia, donec divinæ justitiæ prorsus satisfecerint. *Sermo secundus octavæ ejusdem.*

XV. 1. Qui negligunt animabus subvenire in adeo urgenti necessitate, metuendi causam habent, ne & ipsi vicissim negligantur, & ne diu acerbissimis purgatorii pœnis torqueantur. Nemo majorem habere potest spem evitandi aliquando pœnas easdem, vel ab illis quam citius liberandi, quam qui operam transmiserint alios liberaturi. *Idem sermone tertio.*

XVI. 1. Ostendere præstantiam hujus charitatis præ aliis, quæ erga proximum exerceri possunt. 2. Ostendere quodnam est meritum, & utilitas, quæ ex adeo sublimi charitate nobis cedunt. *Idem sermone 4.*

XVII. De Missæ sacrificio pro mortuis oblato.

1. Altaris sacrificium est expiatorium habens virtutem satisfaciendi justitiæ divinæ, cum pro mortuis offertur. 2. Quomodo applicandum sit: *Idem sermone septimo.*

De indulgentiis pro mortuis: *Beati misericordes.* Matth. 5. 1. Beati, qui hunc misericordiæ actum exercuerint, qui in hoc positus est, ut sanctæ illæ animæ fruantur fructu meritorum Salvatoris, quia nequeunt Deo aliquid acceptius facere, & quod minori stet ipsis impendio. 2. Beati secundo, quia merentur, ut Deus illis eamdem procuret indulgentiam, quæ reciproce supremæ beatitudinis ipsorum perfruitionem accelerabit, *Idem sermone sexto.* XVIII.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest ad propositas Concionum structuras exornandas.

Sanctus Augustinus librum edidit, cui titulus: *De cura pro mortuis*, ubi ostendit orationem pro mortuis esse traditionem ab universa Ecclesia receptam. Sancti Patres.

Idem sermonem edidit *de igne purgatorii*, ubi docet, quinam purgandi erunt hoc igne, & quam gravis, atque intolerabilis erit hic ignis.

Idem *serm.* 32. *de verbis Apostoli* docet extra omnem dubitationem positum esse, quod Ecclesiæ preces, salutare sacrificium, & eleemosynæ, quæ pro defunctorum animabus erogantur, illis solatio sunt.

Idem *in Enchirid. cap.* 109. docet orationem hanc salutarem esse illis, qui dum viverent, meriti sunt ejusdem fructum post mortem percipere; hoc est, qui bene vixerunt, sed qui levia aliqua habent crimina expianda.

Idem *in Psalm.* 37. docet, quænam sit magnitudo pœnarum purgatorii; & hoc ipsum ostendit in libro *de vera, & falsa pœnitentia.*

Idem *serm.* 42. *de Sanctis* habet aliquid satis vehemens in hoc argumento, & addit nullum esse tormentum, quod cum illo valeat comparari, quod ibi perfertur.

Idem *lib.* 21. *de Civitat. Dei*, ubi sæpe loquitur de purgatorio, cap. 16. docet infantes statim, vel paulo post baptismum mortuos, cum rationis usu destituti sint, & peccare nequeant, nequaquam purgatorii pœnas perferre.

Idem cap. 3. libri ejusdem loquitur de temporalibus pœnis, quibus homines in hac, & in altera vita puniuntur.

Idem libro 50. homiliarum homil. 16. sub finem docet rigorem ignis purgatorii parem fore multitudini, & gravitati peccatorum.

S. Gregorius explicans hæc verba Psalm. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, repræsentat magnitudinem cruciatuum purgatorii.

Idem libr. 4. Dialogorum cap. 39. 40. 41. Scripturarum auctoritate probat esse purgatorium, & animas inde liberari posse precibus viventium.

S. Athanasius *quæst.* 34. docet animas purgatorii solatium recipere ex precibus, quas fideles pro illis effundunt in cœtibus suis, & ex bonis operibus, quæ exercent.

S. Chrysostomus passim, sed præsertim in homil. 40. in primam ad Corinthios eamdem ostendit veritatem.

Auctor Epistolæ, quæ Sancto Cypriano adscribitur, & inter opera illius invenitur, ostendit eadem esse inferni, & purgatorii tormenta.

Auctor, qui sub Sancti Cyrilli nomine edidit Epistolam in forma Elogii S. Hieronymi, quæ invenitur inter opera hujus Patris tom. 9. ostendit gravitatem suppliciorum, quæ in eo tristi loco perferuntur.

Origenes Homilia 8. in Leviticum loquitur de igne purgatorii, ubi lignum, paleæ, & fœnum, hoc est opera aliquem habentia defectum, &

levia

levia peccata, juxta Apostoli locutionem, ardebunt.

S. Dionysius *lib. de Eccles. Hierarch. cap.* 7. loquitur de orationibus pro defunctis, & aliquibus cæremoniis, quas primi fideles in exequiis suis adhibere consueverant.

S. Crysostomus *homil.* 30. *in Epist. ad Philipp.* docet consuetudinem pro mortuis orandi in Missæ sacrificio esse traditionem apostolicam.

S. Hieronymus *Epist.* 26. *ad Pammachium* eum laudat propter eleemosynas, quas erogavit pro requie animæ conjugis suæ; cum Ethnicis satis sit consanguineorum suorum tumulos vario fiorum genere adspergere.

Venerabilis Beda *in cap.* 4. *ad Thessalonicenses* loquitur de purgatorio, deque officiis, quæ defunctis præstanda sunt.

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Myst.* 5. docet, quam utiles sint defunctis orationes, quæ effunduntur pro illis.

S. Anselmus *in Elucid.* docet minimam purgatorii pœnam majorem esse maxima, quæ in hoc mundo ferri possit.

Sanctus Bernardus, *de quinque regionibus* tres locos assignat, quo animæ a corporibus secretæ mittuntur; paradisum videlicet, purgatorium, & infernum.

Consulto omitto ingentem Sanctorum Patrum, veterumque auctorum numerum, quos nimis longum esset referre, & qui tanta auctoritatis non sunt in Ecclesia, ac illi, quos memoravimus.

Aliique, Bellarminus præter tractatum de purgatorio in primo tomo controversiarum, de hoc loquitur etiam tomo tertio Opusculorum *de Gemitu Columba cap.* 19.

Cajetanus *in Opusc. tom.* 1. *opusc.* 23.

Lucas Pinellus *tract. de altera vita.*

Petrus Canisius *in opere Catechistico quæst.* 9.

Jacobus Hautinus in libro, cui titulus: *Patrocinium defunctorum*, continet tres partes. Prima agit de veritate purgatorii, de magnitudine, & diuturnitate pœnarum, quæ ibi sustinentur; altera de rationibus, propter quas illis solatium afferre debemus, qui illis addicti sunt; ac tertia de mediis illis opem ferendi.

P. Monford Anglus latine edidit tractatum eximium de charitate erga mortuos.

P. Dionysius Auger duos edidit tomos ejusdem argumenti; quorum prior continet causas, propter quas animarum in purgatorio degentium misereri debemus.

P. Binet plures ante hanc diem annos ejusdem argumenti librum edidit.

P. Antonius de S. Martino a Porta, e Carmelitarum familia, in libro, qui inscribitur: *Les conduites de la grace, &c.*

Tractatus de effectibus peccati venialis, quod purgatorii pœnas meretur.

Raynerius de Pisis, verbo *Purgatorium*, theologice tractat, quidquid ad hoc pertinet argumentum.

P. Maucorps sermone 13. de perfectionibus Dei juxta Lessii mentem.

P. Ludovicus a Ponte in mysteriis fidei parte prima meditatione 26.

Dionysius Cathusianus *de Novissim. lib.* 2. *a cap.* 14. *usque ad* 34.

P. Guillelmus Stanihurstus, *de Novissimis.*

P. Nicolaus Lancicius. *Opusc.* 6. *cap.* 10. *&* 11.

Jodocus Andries *tract. de purgat.*

Laurentius Kepplerus de subsidio animarum.

Pædagogus Christianus.

P. Novet in recessu præparationis ad mortem, meditatione secunda pro die quinta.

P. Nepveu in tomo 4. Christianarum Considerationum.

Concionatores nuperi, qui edidere sermones hujus argumenti.

P. Catillon in Adventu.

P. Bourdalove in sermonibus.

Biroat in tertio tomo panegyricorum.

P. de la Rue de oratione pro mortuis, tom. 3. sermonum.

Lambert in anno Evangelico, sermone pro die mortuorum tomo 7.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ christianæ argumenta parte tertia, tomo 4. mysteriorum integram habet octavam de charitate erga fideles, qui decesserunt.

P. Bertet Capuccinus, & ipse octavam edidit hujus argumenti volumine separato.

P. Constantius, religiosus recollectus aliam habet cum octava Assumptionis B. V. conjunctam.

Specimen sermonum pro Quadragesima pro feria 5. hebdomadæ quartæ, Primum, alterumque argumentum sunt pro mortuis, & aliud etiam in specimine pro Adventu.

Qui hujus argumenti collectanea ediderint non alios reperio præter Granatensem, & Lohner.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Jobi 19.

Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Idem, cap. 31.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi. Idem, cap. 30.

Mirabiliter me crucias. Idem, cap. 10.

Dum superbit impius, incenditur pauper. Ps. 10.

In requie mortui requiescere fac memoriam ejus; & consolare illum in exitu spiritus sui. Eccli. 38.

In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Zach. 9.

Spes, quæ differtur, affligit animam. Proverb. 13.

Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. 2. Machab. 12.

Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Matth. 5.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Idem, ibidem.

Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Idem, cap. 12.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Idem, cap. 25.

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Marc. 4.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16.

Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit .... Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. ad Corinth. 3.

Mementote vinctorum. Ad Hebr. 13.

His, qui in carcere erant, spiritus veniens prædicavit. 1. Petri cap. 3.

Non intrabit in eam (nempe in cœlum) aliquid coinquinatum. Apoc. 21.

Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Psalm. 65.

Exempla, vel figura eorum, quæ ad animas purgatorii pertinent ex Veteri, Novoque Testamento decerpta.

In secundo Machabæorum libro legimus, insignem Judam Machabæum collatione facta misisse duodecim mille drachmas argenti Jerosolymam, ut Domino piacularia offerentur sacrificia pro illis, qui pugnantes in prælio ceciderant. Id narrat Scriptura non simpliciter tantum, quin illud Exempla Judæ Machabæi, qui orationem pro mortuis instituit.

pro-

probet, sed cum eulebat, & commendat dicens: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Ex hac autem historia inferendum est, non solum Judam Machabæum credidisse purgatorium, sed hanc generalem fuisse omnium Judæorum fidem; quandoquidem unanimi consensu tantam argenti vim contulerunt, ut offerentur sacrificia pro militibus, qui in acie occubuerant, atque per illa eorum peccata remitterentur. Certum, qui melius nosse poterat consuetudinem, & praxim veræ religionis, quæ tunc erat Judaica, quam Judas Machabæus summus Sacerdos, & Pontifex, magnus superstitionis inimicus, & primus divinæ legis zelator? Exemplum hoc mihi bene expressum sufficere debet, ut ostendatur, hunc morem fuisse, atque religionis articulum apud Judæos, non secus ac hodie est [illegible]

Quid fecerit summus Pontifex Aaron ad Dei iram sedandam.

Summus Pontifex Aaron videns Deum iratum contra populum suum de medio visceribus elicuisse ignem devorantem, quo jam ultra quatuordecim capitum millia fuerant absumpta, thuribulum ductus accurrit in medium populi, quem ignis adhuc absumere pergebat, obtulitque Deo thus, & sacrificium, mediusque stans mortuos inter, ut vivos, preces effudit pro populo, & plaga desiit: *Obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Num. 16. En o Sacerdotes Domini, quo zelo, & miseratione acti esse debetis, fidei lumine videntes innumeram multitudinem animarum inter purgatorii flammas ardentium, & non sacrificia, non sacerdotes, non nummos habentium, ut offerant Deo hanc propitiationis, & expiationis hostiam, quam illis debent incensum a vestrum, quibus Salvator æternalis characterem offerendi hoc sacrificium pro vivis, atque defunctis, vestrum inquam est, imitari magni illius Pontificis factum ob finem imponendum plagæ, quæ purgatorii animas affligit, & flammas, quibus misere vorantur, extinguendas? [illegible]

Deus prohibuit Moysem, ne pro populo oraret; nobis autem e contra jubet pro defunctis preces effundi.

Moysi preces effundenti pro populo, quem Deus illi regendum commiserat, Dominus inquit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Hic vero prorsus oppositum accidit; vult enim, nos precibus laborare pro animabus illis, quæ sibi charissimæ sunt, & partem populi sui constituunt. Placet illi, nos justitiæ ipsius preces, eleemosynas, & sacrificia pro illarum libertate offerre. Quid fieret, si modo aperiret nobis Deus magnum hunc fornacem, tragicumque purgatorii spectaculum, ita ut auribus nostris acciderent clamores, & ejulatus, quos emittunt illæ de carceris sui sine intermissione emittunt? Vos procul dubio caperet miseratio, vos, qui siccis oculis videre non possetis chirurgi dexteram novaculam ad artus amputandum misero cuipiam admovere, vos, qui miseram ad crucem trahi videre non possetis, quin præ horrore infremeretis: ehem! si hasce animas inter supplicia sua versari videretis, numquid minus misericordia afficeremini? Numquid eorum tormenta leviora, & pœnæ magis ferendæ viderentur? Heu! quamam sunt animæ istæ? numquid illas ignoratis &c. [illegible]

Ingratitudo Pincernæ Pharaonis, qui oblitus est Josephi.

Ferrine potest ille Pharaonis minister, cujus ingrati animi vitium quadragesimo Geneseos capite nobis exhibetur? Fuerat ille in vinculis, & carcere cum Joseph; ab hoc certissimum acceperat vaticinium futurum, ut quamprimum liberaretur, & cum Pharaone rediret in gratiam, atque in intercedens Joseph illum postulerat tantum, ut recordaretur sui, cum coram rege ministraret illius benevolentiam iterum adeptus: *Tantum memento mei.* Hoc unum a te expecto, dixit ille pincernæ, ut officio tuo redditus coram Pharaone mei misereatur, & conaris illi suadere, ut me ex hoc carcere educat, quo crudelitas, atque injustitia me redegerunt: *Ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Genes. 40. Ingratus hic servus vix e compedibus egressus, & cum Pharaone reversus in gratiam novo prosperitatis suæ fulgore occæpus obliviscitur statim beneficiorum, quæ acceperat, libertatis dulcedo in eo delet memoriam ejus, qui eamdem debebat, & Joseph benefactor illius, est ingrati animi signum, celerem promiserat liberationem, languet adhuc duos integros annos in carcere. *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* En imaginem, o Christiane; teipsum agnoscis? Heu! amicus patri tuo dixisti, te nunquam oblitum illius; toties illi dixisti, nihil tibi antiquius fore salute illius; ille tibi adeo tenere commendaverat, ut ne alienum a te contraxisses, ut quam plurimum postremam suam voluntatem exequereris, ut adjiciens animæ suæ quam diligenter curares. Fili mi, nunc tibi extremum vale dico, tibi bona mea, & cor lego: *tantum memento mei, fili mi, cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere.* Hoc unum a te peto, ut inter vitæ delicias, quibus post me es perfruiturus, *cum bene tibi fuerit*, non obliviscaris, quid tibi sim, neque mihi denegas, quod mortalium novissimo debes: *& facias mecum misericordiam*; ut precibus tuis placatum mihi præbeas supremum judicem æquitatis meæ, ut magnus hic Deus citius in hujus carceris squalore me detineat, ut educat me de carcere isto, &c. Animabus in purgatorio patientibus idem fortasse accidit, quod eidem Joseph fecerunt præsidium fratribus suis possent duentibus in agris: Sumpserunt illi quidem panem, & vinum, quod illis obtulit; postmodum vero ingrati beneficio commendias reponentes illum tunica exuerunt, & in arentem cisternam demiserunt; illic adolescens conclusus erubescere, ut ipsum de hoc carcere educerent absque eo, quod fieret, ut lacrymæque flectere possent cor eorum, & in illis naturæ sensum excitare. Hoc adeo Propheta Amos adeo inhumanum visum est, ut mala imprecans fecerit fratribus, qui omnem humanitatis sensum abjecerant, qui obstinantes, & comedentes ea, quæ sibi fratre absente obtulerant, intercepcibus ejus, qui doloribus illius afficerentur: *Bibebant vinum in phialis, & nihil patiebantur super contritione Joseph.* Hæc est hypotyposis eorum, quæ accidunt in purgatorio degentibus. Frustra, ut Joseph, quamquam ad suos fratres, amicosque opem implorant, homines quibus eorum curam obstringunt, & studia ipsorum minime afficiuntur, si filii etiam addicunt illorum hæreditatem, seu laborem patrum suorum, & lacrimis vicem referentur, illos tamen in eo carcere languescere, & inter flammas tenebri sinunt. [illegible]

Alia allusio ad Josephi infelicitatem, & fratrum ejus ingratitudinem.

Joseph exutus suis vestibus suis, in vetere cisterna conclusus erat; & interim fratres illius lætissime super caput ejus comedebant, & bibebant: *Et sedentes manducabant.* Genes. 37. In hoc autem crudeli facto illud terribilissimum est, quod iidem ipsi fratres auctores erant, & causa calamitatis illius. Ipsi exspoliaverant illum, ipsi illum in hoc obscuro carcere concluserant, & nihilominus, ut crudelitati accederet cumulus, super caput illius lætabantur. Tristes animæ, quæ experimini eamdem captivitatem, ad quam vos redegerunt fratres vestri, hoc ipsi hi nunquam vobis fuissent consanguinei, fortasse non essetis in ea miseria, in qua estis: illi sunt causa peccatorum vestrorum, cur non tunc etiam pœnarum vestrarum incoriam committunt, & obliviscuntur bona, quæ illis vos reliquistis, & in sudore frontis vestræ illa estis adepti. Nolite igitur, o crudeles consanguinei, inevitabilis vos urget necessitas, commiseramini statum eorum, & convertimini illis præbere Deum propitium, & misericordem [illegible]

Quid acciderit tribus pueris in fornace Babylonis.

Narrat sacra Scriptura, Nabuchodonosor ingenti stupore fuisse perculsum, cum vidit, ex in fornace, in quam suo jussu fuerant conjecti tres pueri, eo quod flammam ipsius adorare noluerant, quartum apparere similem filio Dei: ubi Sanctus Bonaventura inquit: Jesum Christum pati

cum

cum animabus patientibus, iisdem involvi flammis, socium esse pœnarum earumdem, cumque ipse earum caput sit, illæ vero ipsius membra, in partem accedere omnium passionum, & affici doloribus omnibus, quibus illæ afficiuntur. Sed per aliam rationem subliminorem, & ex S. Paulo Apostolo desumptam, Jesum Christum pati in harum animarum persona, ac esse quodammodo in statu violento propter beatitudinis earum dilationem, & gloriæ retardationem. Debemus igitur respicere Jesum Christum in persona fratrum nostrorum captivorum in flammis illis, & de servitute eripere eum, qui nos a morte liberavit. Nonne ergo debemus iisdem oculis respicere has animas, quæ extremis torquentur suppliciis in purgatorio; quoniam Jesus Christus residet in illis, & tamquam sanctis, & tamquam pauperibus, & tamquam patientibus?

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Deus in purgatorio in anima perficit suæ sanctitatis imaginem.

EGo cælabo sculpturam ejus, & auferam iniquitatem illius. Zachar. 3. Deus per Zachariam dicit, se extremam admoturum esse manum imagini, quam sculpsit, atque ita emundaturum illam ab iniquitatibus ejus. Ut hæc verba applicentur animæ in purgatorio patienti, animadvertendum est, animam in hac vita rudi, ut ajunt, minerva cælatam fuisse per pœnitentiam, quæ deleverat culpam, & partem pœnæ peccatis illius debitam; sed quoniam hæc nondum omnino expiata fuerant per fructus dignos pœnitentiæ, dixit Deus, opus est, ut iterum cælum adhibeam hanc perfecturus imaginem, eique extrema similitudinis meæ lineamenta impressurus: *Ego cælabo sculpturam ejus*; quasi peritus sculptor, qui marmoream statuam, quam primum quidem informem cælaverat, & ad unguem iterum expolit. Divinæ sanctitatis rudi forma delineamus tantummodo imaginem perfecte in nobis exprimendam, sed imperfectiones nostras funditus non convellimus, neque pœnitentiæ cælum ad ipsas usque radices immittimus. Eheu! Deus iterum manum admovet huic operi neglecto, & imperfecto, donec animam hanc perfectam efficiat suæ sanctitatis imaginem.

Sæpe obliviscimur animarum defunctorum.

Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde. Psalm. 30. Cardinalis Cajetanus ait, mortuos a corde eos esse, qui sunt in purgatorio: *Qui vivunt in chartis, vivunt in ore, vivunt in sepulchris, sed mortui sunt in corde*. Nam quamvis vivant in chartis, & libris, qui eorum meminerunt, in ore illorum, qui de ipsis loquuntur, & in cippi sepulchralis epitaphio, quod est vitæ eorum compendium, mortui sunt in corde filiorum, consanguineorum, amicorumque suorum, qui obliviscuntur promissionum, quibus se illis post obitum opem laturos receperant: quamobrem animæ istæ jure per os Regii Prophetæ conqueruntur, se oblivioni datas esse tamquam mortuos, de quibus non cogitatur amplius; ita ut nemo eorum infortunii amplius misereatur. *Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde*; hoc est se mortuas esse in cordibus viventium, a quibus derelictæ sunt: *Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos*. Psalm. 128. Cognati, & affines, qui sæpe per cœmeteria pertranseunt, super eorum ambulant sepulchra, quin cælestem ipsis benedictionem precentur.

Leges amicitiæ nos cogunt amicis defunctis subvenire.

Omni tempore diligit, qui amicus est. Proverb. 17. Hoc est: adversitas, absentia, & mors numquam debent imminuere benevolentiam amici erga amicum; unde inferendum est, nostram erga defunctos amicitiam triumphare debere de morte, ac vivere etiam post obitum eorum, ideoque nos gratitudinis, & justitiæ legibus teneri, ut eis subveniamus. Quod si tenemur succurrere fratribus, & amicis egestate laborantibus, quanto magis tenemur opem ferre ipsis in purgatorio patientibus, ubi in extrema sunt necessitate, & ubi ipsi sibi opitulari non possunt. Ardent in flammis voracibus, quas ipsi nequeunt extinguere; vincti sunt catenis, quas perfringere nequeunt; incomprehensibilia patiuntur tormenta, quibus seipsos nequeunt liberare.

Tot nobis in cælo amicos comparabimus quot animabus in purgatorio opem tulerimus.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. 16. Consilium hoc tradidit olim mundi Salvator; comparate vobis amicos, qui, cum diem extremum obieritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Divites amicitiam defunctorum acquirite, pro illis eleemosynas erogantes; pauperes illorum amicitiam redimite precibus, & suffragiis. Vos, quicumque estis, cujuscumque status, & conditionis, offerte pro illis pœnas, labores, & omnia opera bona, ad quæ vestræ vos obligat conditionis officium. Illi fient vobis totidem amici, & patroni, qui jugiter in cælo pro vestra salute Deum misericordiæ sollicitabunt: totidem oratores, qui causam vestram perorabunt verbo, totidem amici, qui causam vestram suscipientes pro libertate vestra laborabunt in grati animi argumentum ob inæstimabile beneficium, quod a vobis receperint. Credent illi sibi & favorem, & vim omnem esse impendendam in gratiam eorum, qui sibi precibus, & suffragiis fuerint opitulati.

In purgatorio nobiscum id fiet, quod ipsi aliis fecerimus.

Serve nequam, nonne oportuit & te misereri conservi tui? Matth. 18. Ita Deus aliquando exprobrabit eos, qui miserti non sunt fratrum suorum opem illorum implorantium misero in statu, in quem redacti sunt. Eo pacto, quo cum illis egistis, vobis agetur aliquando, si ita felices eritis, ut ex eorum numero sitis, qui in gratia Domini moriuntur, & quibus temporalibus dumtaxat pœnis expianda sunt peccata, quæ commiserunt. Nihil vobis remittetur eorum, quæ divinæ justitiæ debetis, atque severissime in vos animadvertetur. Heu! hæc ratio nonne satis valida est, ut corda excitet nostra ad miserationem erga animas purgatorii? A nobis respiciendæ sunt tamquam in eo statu, in quo & ipsi futuri sumus, atque earum ignes, & flammæ considerandæ sunt tamquam nobismetipsis præparatæ. Tunc vellemus, alios nostri misereri, ab aliis divinæ satisfieri justitiæ pro pœnis, quæ criminibus nostris debentur: foveamus in antecessum hos eosdem sensus erga afflictas animas; ad id nostra nos impellit utilitas: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Matth. 7. Si habueritis charitatem erga illas, suscitabit Deus eos, qui erga vos charitatem habebunt.

Sanctæ illæ animæ opem nostram implorant, ut pro illis spondeamus.

Vim patior, responde pro me. Hoc nos sanctæ illæ animæ orant. In crudeli hoc carcere violento dolore torqueor; responde pro me, & mihi te vadem præsta. Frustra ad Deum confugiunt. Hic illas non audit, renuitque applicare ipsis mortis, sanguinisque sui merita. Quomodo, inquiunt, hic homo Deus cautio mea sit, quandoquidem ipse me retinet in hoc carcere, & ille jubet me pati? *Quis respondebis mihi, cum ipse fueris?* Quomodo ille erit sponsor meus, quoniam est creditor meus? Se igitur terram versus convertunt animæ istæ, & ad unumquemque nostrum confugiunt oratum, ut pro illis respondeamus. Creditor hic scit, vos solvendo non esse; attamen non rejiciet sponsionem vestram, quippe non deest vobis bonorum operum vestrorum thesaurus, quæ illius adjuvante gratia semper facere potestis. Captivis oberatis aliquam afferre potestis opem, haurientes ex fonte inexhausto meritorum, & satisfactionum Jesu Christi.

Pœna, quam his animabus infert Dei privatio.

Mutatus es mihi in crudelem, inquit S. Job cap. 30. Videris, Deus, mihi in crudelem mutatus; tuus sum, te unum cupio, te sentio in anima mea, & te non video, neque possideo. Esse simul, & separatum esse; sperare, cupere, anhelare, amare, nec obtinere posse, quod amatur, ac se ab illo, qui amatur, exagitatum videri, & non cessare, quominus ames, & patiaris: Ferrea corda! non quæro a vobis, quid de hoc supplicio sentiatis:

ósi Da amadens, & fenti, quod dico, Da cor, quod Deum suum diligat, & judicabit, cum exoluere fidelium dolor adeo efficax sit, & ab amore adeo impeto, & vehementi productus, nihil aptius esse ad hominum misericordiam concitandam, nihilque inclinationem [illegible] opem commovere posse.

Ipsâ quedamne do salvavit Salvatori, qui afflictis subdivis operatur.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. Dei filius hominum novissimum respicit, tamquam unum ex fratribus suis, idemque liberat hunc hominem flammis purgatorii ex aqua de illo hanc meretis, ut si ipse liberatur, ejusque coelum aperitur. Hoc in sensu, postquam Moyses eduxit populum Dei de servitute Ægypti, Scriptura inquit, ab eo de captivitate educitum fuisse Deum ipsum: *cum populo suo Redemisti ex Ægypto gentem, & Deum ejus.* 2. Reg. 7. Cum ergo fideli charitatis vehementissimo [illegible] laboramus, ut patientes animas liberemus, non dicemus, *Redemisti gentem, & Deum ejus.* Tu redemptor es Redemptoris tui, & Salvatoris tui Salvator; illum liberasti [illegible]

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

ILle purgatorius ignis durior est quam quidquid in hoc sæculo pœnarum possit videri, sentiri, aut cogitari. August. Serm. 41. de Sanctis.

Tam ignis iste, etsi æternus non sit, miro tamen modo gravis est; superat enim omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. Idem, Serm. de igne purgatorio.

Salvus erit, sed quasi per ignem. Quia dicitur, *Salvus erit, contemnitur ille ignis.* [illegible] *quamvis salvus per ignem. Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hac vita.* Idem, in Psalm. 37.

Eodem igne, quo et damnatus cruciatur, & electus purgatur. Idem [illegible]

Illo transitorio igne, de quo dicit Apostolus: Salvus erit, sic tamen, quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Idem, Sermone 41. de Sanctis.

Quanto fortiùs peccavit, tanto tardiùs & periculosiùs transibimus per ignem purgatorium. Quicumque ergo de culpa tantum sibi [illegible] vindicabit quantum flammæ [illegible] disciplinæ, & quantum stultæ longanimitatis ferè fit, tantum sæpius pœna de[illegible]. Idem, lib. de 50. Homil. Homil. [illegible]

Totis viribus unusquisque laboret, ut [illegible] eleemosynas possit [illegible], & ultionem pœnæ [illegible] bonis redimere, ut de ipso nihil [illegible] mereatur, quod ille ignis possit absumere. Idem, Serm. 41. de Sanctis.

Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Idem, in Psalm. 58.

Productior est pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Idem, Tract. 124. in Joann.

Cur non dicamus, quamvis miris, sed tamen veris modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Idem, lib. 21. de Civit. cap. 10.

Adhærebunt spiritus licet incorporei corporalibus ignibus, & ineffabilibus modis, recipientes ex ignibus pœnam [illegible] Idem [illegible]

Ora pro defunctis, ut cum fuerint in æterna gloria, orent pro te non negligenter. Idem.

Etiamsi nusquam in Scripturis legeretur oblatum pro mortuis sacrificium, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas. Idem, lib. de cura pro mortuis, cap. 1.

[illegible] *precibus Sacerdotis, quæ ad altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Idem, ibidem.

Quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis [illegible] purgari. Gregorius, in Psalm. 3. Pœnitent.

Scio futurum esse, ut post vitæ hujus exitum aliqui flammis expientur purgatoriis. Idem, in exposit. ejusdem Psalm.

Donec omnes homines possunt fieri justi, post mortem nulla datur boni operis occasio. Hieronymus, in cap. 9. Eccles.

Cum dicit (Apostolus) Salvus erit, sic tamen quasi per ignem, ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus salvus fiat, & non sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur. Ambros. in 1. ad Corinth.

Orationes pro defunctis annua die facimus. Tertull. de corona militis.

Defunctorum animæ pietate vivorum relevantur. Augustinus, lib. 8. Quæst. Quæst. 2.

Mortuis oportet succurrere non lacrymis, sed precibus, eleemosynis, & oblationibus. Chrysost. Homil. 41. in 1. ad Corinth.

Hoc a primis Christi discipulis traditum. Gregorius Nyssenus.

Si omnes, quæ in mundo cogitari possunt, pœnas, tormenta, & afflictiones, minori, quæ in purgatorio habetur, pœnæ comparentur, velut solatia erunt. Cyrillus Hierosolymit. vel alius in Epistol. ad Augustinum.

Nihil inter se differunt tormenta infernalia ab iis, quæ sunt in purgatorio, quia eadem sunt magnitudine, sed unum est, quo differre possunt, quia infernalia finem non expectant, & purgatorii pœnæ sunt cum fine. Idem, ibidem.

O tormenta misericordia cruciant (Deus) Cyprianus [illegible]

Scimus, quia post hanc vitam in purgatorio luciturum [illegible], quæ fuerint hic neglecta, redemtur usque ad novissimum quadrantem. Bernardus de obitu Umberti.

Quidquid enim parvi pendimus, heu! quanto illic cruciatu vindice flamma cumulatur! Idem, de eo quod legitur Jube in [illegible] tribulationibus liberabit te.

Definimus quantum ad illos, qui vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari. Concil. Florentinum.

Idem ignis est, qui damnatos cruciat in inferno, & qui justos in purgatorio. S. Thomas, in 4. dist. 21. Quæst. 1.

Melius est hic peccata purgare, quam [illegible] in futuro reservare. Lib. 1. de imitat. Christi, cap. [illegible]

Si ulterius te non possis hic multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorii? Idem, lib. 3. cap. 12.

Quidquid elemosynæ [illegible] antiquissima est [illegible] Ecclesiæ, pro defunctis orare & offerre. August. lib. de hæresib. hæres. 53.

Ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Chrysost. Homil. 69. ad popul. Antioch.

Non exibis ex hoc carcere, donec etiam minima peccata persolvas. Hieronym. in cap. 5. Matth.

Credimus orationibus sanctæ Ecclesiæ, sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, mortuos adjuvari. Augustin. Serm. 33. de verbis Apostoli.

Credimus animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. Concil. Trident. Sess. 25.

[illegible] *hostiæ oblatio propitiatio est pro mortuis. (Altus hostia [illegible]) Gregorius.*

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu depromi possit in hoc argumento.

Definitio purgatorii, & quid sit.

PUrgatorium, ex D. Thoma in suppl. quæst. 69. art. 6. locus est, ubi, qui in statu gratiæ decedunt, debent ad tempus luere pœnas, quæ illis solvendæ supersunt, & quæ debitæ sunt peccatis eorum per contritionem, vel pœnitentiam quoad culpam, æternamque pœnam dimissis. Sanctus Augustinus in Enchirid. eamdem tradit definitionem, & iisdem ferme vocibus, cum ait hunc subterraneum esse locum, ubi animæ fidelium defunctorum, qui non ad extremum usque quadrantem satisfecere pro peccatis, quorum veniam consecuti sunt, divinæ justitiæ satisfactionem absolvunt. Credo definitionem hanc nulla explicatione indigere.

Quid nos hac in re credere jubeat Ecclesia.

Esse in altera vita locum, & statum a Paradiso, & Inferno diversum, ubi animæ quædam ad tempus Dei adspectu privantur, & ubi patiuntur peccatorum reliquias expiaturæ; his animabus in hoc loco, statuque subvenire preces fidelium, qui modo in terris vivunt, vel qui cœlesti gloria fruuntur. Hæc ea sunt, quæ hoc in argumento nobis credenda proponit Ecclesia. Quod spectat ad modum, durationem, & locum pœnarum, hæc sunt potius studii nostri, quam fidei objecta, & scholasticarum disputationum argumenta. Verum quamvis absolute constitutum non sit tamquam fidei punctum in Ecclesia, quonam exteriorum cruciatuum genere damnatæ sint animæ fideles, nec quonam in loco post mortem patiantur, donec aliquid reliquum est, quod divinæ justitiæ persolvant; attamen certum est, maximam inter pœnas, quas patiuntur, esse ad tempus Dei conspectu privari, & cum Ecclesia, necnon communi Doctorum consensu creditur ignis esse omnium cruciatuum instrumentum; verum in hoc potissimum omnes consentiunt, quousque evadant vitæ hujus pœnæ, earum tamen severitatem ne longe quidem accedere ad eas, quæ perferuntur in purgatorio, quicumque tandem sit locus ille, ubi perferuntur.

Duplex pœnarum genus, quo in purgatorio perferuntur.

Omnes consentiunt Theologi, in hoc loco, tristique purgatorii carcere, fidelium animas duplici pœnarum genere torqueri, data paritate, quemadmodum reproborum animæ in inferno torquentur. Prima dicitur damni pœna, eaque consistit in privatione Dei ad tempus, cujus diuturnitas pendet ex multitudine, & gravitate peccatorum, quæ expianda supersunt. Pœna altera est pœna sensus, quam gignit ignis, vel aliud quodlibet supplicium a divina justitia determinatum. Quod pertinet ad dolorem, quem duplex hoc pœnarum genus parit, omnes ajunt Theologi, animas pati magis, quam omnes homines simul passi unquam fuerint, vel passuri sint, vel naturaliter pati possint, vel fingere possimus, eos pati posse. Hæc acerbissima est gradatio, est tamen S. Augustini serm. 41. de Sanctis: *Purgatorius ignis durior est, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum sentiri, videri, aut cogitari.* Creditis fortasse non deesse in verbis hyperbolem? nequaquam; in pœnis istis id supra naturam est, quod nostras cogitationes excedunt. Fatendum est tamen, omnes animas, quæ in tristi hoc loco versantur, non omnes æque pati, quemadmodum non omnes æque debent justitiæ Dei: earum dolores imminui, ac levari precibus viventium; & quasdam etiam præter beatitudinis æternæ, ac divinæ visionis dilationem nulla sensus pœna torqueri.

De suffragiis pro mortuis.

Opera nostra bona aliis prodesse non possunt ad illis obtinendum gloriæ statum per viam meriti, & simplicis meriti, seu de congruo, seu de condigno. Quilibet enim singillatim ad gloriam per merita propria, non autem per acta aliena disponitur; sed bonum alicujus opus alteri utile, proficuumque esse potest per viam orationis ad obtinendum gratiæ statum, donec ille adhuc vivit in terris; hoc est, sanctum aliquem virum precibus, bonisque operibus suis posse, non mereri quidem, sed sanctis orationibus suis impetrare a Deo primam gratiam pro aliquo peccatore. Præterea quod extra omnem dubitationis aleam situm est, bonum opus obtinere potest pro aliis gratiæ additamenta per modum meriti, cujusmodi esse potest complementum satisfactionis, & pœnæ remissio; sed animabus purgatorii perutile est, earumque obtinet liberationem per modum suffragii.

Jure exprobrantur novissimorum temporum reformatores, quod abolere velint consuetudinem pro defunctis orandi: sed fatendum est decem ac tria, & amplius effluxisse sæcula inter primos hæreticos, qui hunc errorem severunt, & horum temporum novatores; & tantum abest, quod hujus erroris antiquitas assertis hisce reformatoribus ullam vim præbeat, quod immo illic falsæ doctrinæ suæ manifestam damnationem inveniunt. Quis enim ausus est Ecclesiæ tranquillitatem perturbare circa piam hanc consuetudinem, & legem hanc reformare? Fuit Aerius presbyter Armenus, professione Arianus, hæreticus negans Jesu Christi divinitatem, & consubstantialitatem personarum in adorabili Trinitate; ideoque ex tunc ab Ecclesiæ sinu divulsus, a fidelium communione ejectus, & tamquam talis habitus a nostris etiam novatoribus, qui & ipsi Arianos tamquam hæreticos habent. Hic ille est, qui quarto sæculo orationem pro defunctis ausus est inter ea puncta rejicere, quæ reformanda esse censebat; cujus rei duo nobis adsunt testes irreprehensibiles Sancti Epiphanius, & Augustinus. In facto autem innegabili ita possumus argumentari. Fideles omnes nemine excepto servant hanc ab immemorabili consuetudinem pro defunctis orandi, omnesque constantissime sentiunt praxin hanc tamquam sanctissimam esse habendam. Qui primus eam in dubium accersere est ausus, homo est iis difluens erroribus, qui notorie publici sunt, Arianus hæreticus. Numquid ergo huic potius habenda fides est, quam toti ab Apostolis ad nos usque traditioni?

Purgatorii veritas Scripturæ auctoritate probatur.

Cum urgentur Catholici, ut in Scripturis ostendant fundamentum, quod asserimus, ut credamus purgatorium, quamvis hoc illis proferre non teneamur, atque eorum, qui illum in dubium vocant, sit probationem afferre, propter quam id negant; attamen tres proferimus locos, quos Sancti Patres, primique Doctores de purgatorio intellexerunt. Primus ille est, ubi Salvator Matthæi cap. 5. carcerem minitatur, quo conjiciendus est ære alieno obstrictus, qui creditori suo satisfacere neglexerit, illic permansurus, donec ad extremum usque quadrantem æs alienum dissolverit: *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* Hinc post Tertullianum cap. 35. de Anim. Sanctum Cyprianum Epist. 52. Sanctum Hieronymum cap. 3. in Isai. Sanctum Eucherium homil. 2. in lib. Reg. inferimus extra vitam hanc esse carcerem, unde egredi non licet, nisi anima fuerit emundata, & satisfecerit divinæ justitiæ, cum quando corpori hæreret, non rediit in gratiam. Locus alter est distinctio, quam facit Salvator cap. 12. S. Matthæi inter peccata, quæ remissa sunt, & ea, quæ numquam remittentur: *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Unde post SS. Gregorium lib. 4. Dialog. Isidorum lib. 1. offic. Eccl. & Bernardum in Cantic. infertur, in hac vita esse debere satisfactionem pro peccatis, quæ in terris expiata non fuerint. Tertius locus est ignis, de quo loquitur S. Paulus cap. 3. Epistolæ primæ ad Corinthios. Hic ignis, per quem hominum opera expiabuntur, per quem opus imperfectum reformabitur, per quem homo patietur, quia absumatur: *Ipse salvus erit*, inquit Apostolus, *sic tamen quasi per ignem.* Unde post Origenem multis in locis,

locis, S. Hieronymum, S. Augustinum in Psal. 37. S. Paulinum, & Theodoretum inferunt, ibi pœnam ignis sustineri. Cum hos locos afferimus, eosque de purgatorio interpretamur, Doctores hæretici nostram irrident inscitiam; sed cum illis ostendimus has interpretationes non esse marte nostro confictas, easque nobis traditas fuisse sexdecim, & septendecim ab hinc sæculis ab irreprehensibilibus doctoribus nulla habita partium ratione, cum minime prævidere potuerint dubitationes, quæ hoc in argumento poterant suboriri; & cum videmus e contra hæreticos, qui in tot magis necessariis religionis articulis erraverunt; utra pars est eligenda?

Veteris testamenti testimoniis purgatorii veritas probatur.

In secundo Machabæorum libro legimus, celebrem Judam Machabæum collatione facta duodecim mille drachmarum argenti, has misisse Jerosolymam, ut Domino piacularia offerrentur sacrificia pro peccatis eorum, qui in acie ceciderant. Scriptura non approbat solum hoc factum, sed laudat, dicens hanc sanctam esse, saluberrimamque consuetudinem orare pro mortuis. Hæretici negant audacter duos Machabæorum libros inter sacros habendos esse. Sed respondemus illos mille, ac trecentos ante diem hanc annos pro Canonicis habitos fuisse, de qua re explicitum habemus decretum tertii Carthaginensis Concilii, cui S. Augustinus interfuit, qui cum aliis Patribus huic decreto subscripsit: & quamquam auctores quidam ante Concilium istud dubitaverint, an hi libri vere essent Canonici, necne, constat illos deinceps a fidelibus omnibus acceptos fuisse.

Veritas purgatorii, & precum pro defunctis est traditionis Apostolicæ.

Docet nos S. Chrysostomus homil. 69. ad Pop. quænam fuerit hac in re Apostolorum sententia: *Ab Apostolis hæc sancita fuerant, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio*; sciebant enim hoc illis esse utilissimum. Ita loquitur magnus hic Doctor, qui declarat Apostolorum jussu pro defunctis preces effundi. Quod si apostolicæ traditionis testimonium quærimus, ullumne certius optare possumus hoc, quod unius est ex discipulis eorumdem Apostolorum? ... Hic est Sanctus Dionysius Areopagita, qui palam loquitur in libro de ecclesiastica Hierarchia, totumque septimum caput insumit narrans plurimas res a Deo institutas in eorum gratiam, qui christiane moriuntur. Ait, sacerdotem devotam affundere orationem pro defuncto; mox addit, hanc fieri orationem ad divinam exorandam misericordiam, ut defuncto condonare velit omnia, quæ per fragilitatem deliquerit.

Hæc eadem veritas Conciliorum auctoritate probatur.

De hac veritate ambigere nefas est, post decretum tertii Carthaginensis Concilii can. 65. cui S. Augustinus subscripsit, & quod mox sexta Synodus confirmavit. Concilium hoc non declarat solum duos Machabæorum libros canonicos esse, prohibetque, ne sacra mysteria nisi a jejunis celebrentur: Si enim, ait, a prandio necesse erit commendare Deo animas mortuorum, hoc simplicibus precibus fiet. Ad hæc primum Nicænum Concilium hoc modo loquitur: Cum aliquis decesserit Episcopus, omnes Ecclesiæ, omniaque Diœceseos cœnobia certiora fiant, ut oretur pro eo.

Quis nos melius sanctas primævæ Ecclesiæ consuetudines docebit, quam tot Præsules, atque Doctores, non pietate minus, quam doctrina illustres, qui propriis usurparunt oculis ea, quæ viderunt? En quid dicat S. Augustinus lib. de cura pro mortuis: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed si numquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare offeruntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*. Ex Sancti Doctoris hujus verbis inferendum est, quod licet ille deceptus fuisset in iis, quæ de purgatorio ait, ut contendit Calvinus, quod falsissimum est, confitendum nihilominus esset, certissimum esse, quod dixit de consuetudine pro defunctis orandi excepta ab Ecclesia. Quomodo enim fides habenda non est tanto Doctori palam adeo asserenti id; quod ævo suo in Ecclesiæ universalis more erat positum, & quod quotidie ob oculos habebat? Alia suppetunt etiam æque perspicua testimonia Sancti Athanasii, Sancti Basilii, Sancti Gregorii Nazianzeni, Sancti Cyrilli, Sancti Chrysostomi, Tertulliani, Sancti Cypriani, Sancti Ambrosii, Sancti Hieronymi, quæ a Bellarmino in tractatu de purgatorio referuntur.

Oratio pro defunctis consuetudo est ab omnibus nationibus, & religionibus accepta.

Si generalis omnium mundi populorum, qui aliquod numen colunt, sententia invictum est argumentum contra Atheos, qui nullum venerantur; hæc eadem non minus valida ratio est contra hæreticos, qui purgatorium negant, quæ communis est fides Ethnicorum, Turcarum, Judæorum, & omnium populorum quantumvis parum rationabilium, qui pro mortuis orandum esse contendunt. Adeo universalis consensus causa est, quia solum sufficit rationis lumen, ut tria hominum genera distinguantur in mundo. Primi ita pii, sanctique sunt, ut præmia tantummodo illos maneant; secundi ita pravi, impiique sunt, ut nonnisi supplicia mereantur; tertii medium tenent. Plurima quidem faciunt sancta, præmiisque digna; sed aliqua etiam mala, & digna temporali saltem supplicio: cumque sæpe in mundo nullam subire pœnam videantur, arguitur, illos in altera esse puniendos. Hæc est S. Augustini argumentatio *in Enchirid. cap.* 109.

Venialia peccata, quæ non merentur pœnas æternas, plectuntur pœnis temporalibus in purgatorio perferendis.

Viri boni crebro venialia peccata committunt; hoc patet. Scriptura sacra ait plurima esse id genus crimina, & docet experientia, sanctissimum quemque in hac vita ab illis immunem non esse. Cæterum constat etiam, has noxas licet leves vel in hoc, vel in altero mundo esse puniendas; quandoquidem Salvator ipse ait Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Levia igitur peccata, nisi in hoc mundo fuerint expiata, in altero erunt punienda; & non in æternum; hoc enim liquet; & Dei misericordia nimis magna est, ut minime velit adeo severo persequi supplicio noxas adeo leves, a quibus ne sanctissimi quidem viri prorsus esse possunt alieni. Igitur temporali pœna in purgatorio puniendæ sunt.

Aliæ rationes desumptæ ex mortalibus peccatis quoad culpam dimissis.

Hæc etiam valida ratio est ex Scripturis desumpta; quamvis omnia mortalia peccata, non secus ac venialia nobis remittantur, quotiescumque per sinceram pœnitentiam revertimur ad Deum, non sequi tamen una cum peccatis omnem debitam illis pœnam remitti: e contra ut plurimum magna eorum pars nobis superest expianda, & nisi illam in vita hac integram persolverimus, quod sæpius accidit, illi certissime post mortem in purgatorio satisfaciemus. Ita David justificatus pro dimisso crimine adhuc punitur, & pœna illius est mors filii sui, quem unice diligebat, ut ad incolumitatem illius exorandam Deo preces effuderit, septem diebus jejunaverit, atque humi procubuerit, quin tamen aliquod divina justitia obtineret. Hæc omnia palam ostendunt consuevisse Deum aliquam exigere satisfactionem a peccatoribus, quibuscum redit in gratiam. At certum est, hos peccatores posse ex hac vita decedere, immo etiam sæpe ea viventium numero exturbari, antequam satisfecerint: illis igitur necessario in altera vita satisfaciendum est; non autem in inferno, quia criminum veniam consecuti sunt; igitur in purgatorio, qui carcer est, unde exitus non patet, nisi antea omne debitum prorsus fuerit dissolutum: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Matth. 5.

Magnitudo pœnarum, quæ in purgatorio perferuntur.

Videmus, quid credendum sit de magnitudine pœnarum purgatorii secundum accuratioris Theologiæ principia, ex eo, quod scripsit D. Thomas in 4. distinct. 22. quæst. 1. Incomparabili huic Docto-

Doctori satis non est asserere purgatorii pœnas omnibus vitæ hujus pœnis esse graviores; sed addit, ibi duo pœnarum genera sustineri, quarum altera sensus est, damni altera; & quidquid in utraque levissimum est, longe gravius esse iis malis, quæ in mundo nobis accidunt gravissima. Hoc docet S. Thomas, qui fusius deinde quæst. 3. suam probat propositionem . . . Hæc denique satis communis est sententia inter eruditissimos Theologos, purgatorii tormenta pro eo tempore, quo permanent, nihilo mitiora esse tormentis inferni. Veritatem hanc D. Thomas tuetur; ignis, ait ille, quo damnati in inferno, & justi in purgatorio torquentur, idem est. Quod non abluit a sententiis Sanctorum Patrum a nobis allatis.

Eorum, quæ diximus, non deest ratio, quæ a Sancto Thoma loco citato numer. 5. plurimi fit, & quam hoc modo explicat. Dolor non est vulnus, quod recipitur, sed hujus vulneris sensus; quo magis vividus nobis sensus est, eo majori dolore affici possumus. Quamobrem quidquid vulnerat partes magis delicatas, atque sensibiles, hoc majorem adfert dolorem; cum autem omnis sensus, qui est in corpore, migret in animam, hinc sequitur, quod si quid animam lædit, hoc illa ad vivum persentiat. Ignis autem purgatorii animam urit, ideoque cum illi dolorem infert, qui omnes corporis dolores excedit. Consideremus igitur primum purgatorii ignem, cum ejusdem naturæ sit, ac ignis inferni, nonnisi vehementissimum esse. Consideremus secundo, dolorem immediate in anima, & in spiritualibus facultatibus sentiri multo magis, quam si perciperetur sensibus corporis, qui per se magis stupidi sunt, & obtusi.

Peccata venialia severis merentur puniri suppliciis. Dictis duas alias addo considerationes, quæ ostendunt, purgatorii pœnas extremas esse. Prima est, velle Deum, peccatorem per illas pro omnibus peccatis justitiæ suæ satisfacere; nam licet hæc peccata mortalia non sint, sunt nihilominus peccata, ideoque Dei infinite magni offensæ. At nulla est divinæ majestatis offensa non evitanda, licet de sexcentorum mundorum incolumitate, deque malis omnibus prohibendis ageretur; hoc enim supremum Ens ita omnes res creatas excedit, ut neque mandata illius violare, neque observantiæ erga illum deesse ullo modo liceat, seu ut aliquo bono fruatur, seu ut ab aliquo liberetur malo quicumque mortalis. Hinc fit, levissimum Dei contemptum factum ab hominibus abjectis, atque terræ vermibus, qui data opera venialiter quolibet die, & qualibet hora peccant; hunc, inquam, contemptum, quamvis levem in speciem, expiari non posse, nisi supplicio, quod ordinis sit superioris illis omnibus, quæ mens suggerere potest. Hanc ignoret veritatem, ac nesciat, quid sit Deus, oportet ille, qui non intelligit terribilium harum pœnarum severitatem.

Altera consideratio, quæ probat extremam severitatem, qua utitur Deus erga justos flammis purgatorii damnatos, est momento, quo vitæ nostræ finis injicitur, finem quoque injici tempori gratiarum, & meriti, atque ita misericordia locum præbente judicis irritati justitiæ nihil præter supplicia esse expectandum. Cogitatio hæc illis est terribilis, qui ingentia norunt debita, quibus obruti sunt.

Duratio pœnarum purgatorii has nobis extimescendas efficere debet. Si terribiles purgatorii pœnæ quam primum deficerent, excusari quodammodo possent illi, qui has siccis oculis respiciunt; verum cum maxima sit earum diuturnitas, sunt prorsus inexcusabiles. Plurimorum, eorumque insignium Theologorum sententia est, has pœnas plurimos annos durare posse, immo etiam plura sæcula; quod innititur revelationibus dignis fide, quæ testantur aliquot animas damnatas esse, ut usque ad extremum judicii diem sævissimis pœnis illis torqueantur. Hæc opinio innititur etiam auctoritati aliquorum Sanctorum Patrum, veluti Sancti Cypriani: cui addi potest Ecclesiæ consuetudo ab immemorabili anniversaria celebrantis pro illis, qui ante id tempus centum, vel ducentum annis decesserunt, & adhuc perseverantis, quin aliquod unquam tempus precibus hujusmodi præscribat. Ratio, quæ adfertur, est, peccata nostra, quæ puniri merentur, mereri quoque diu puniri. Dicere etiam possumus futurum, ut pœnæ ejusmodi quantumvis graves modice ab hominibus metuerentur, si animæ illæ, hoc elapso temporis spatio, statim ex purgatorio avolarent in cœlum. Et Deus, qui hominum perspectum habet ingenium, scit, se illorum producentem tormenta majorem illis justitiæ suæ terrorem incutere, quam si illa efficeret breviora, qua re minus metuenda fierent, minoremque vim ad homines in officio continendos haberent.

Illud etiam hoc in argumento notatu dignum est, hominem, qui toto vitæ suæ spatio unum duntaxat, mortale peccatum commisisset, quamvis hoc per pœnitentiæ sacramentum remissum fuisset, graviorem, ac diutiorem in purgatorio pœnam mereri, quam alterum, qui innumera venialia peccata patrasset. Etenim si verum est, quemadmodum nefas est ambigere, peccatum mortale, antequam remittatur, æternam mereri pœnam, ideoque toto cœlo majorem ea, quam mereri potest innumera venialium peccatorum multitudo, penes vos esto judicium, utrum hoc unum mortale peccatum quamvis remissum debeat gravius puniri, quam multa venialia peccata, quæ eodem modo remissa fuissent.

Rationes, quæ nos impellere debent, ut animabus purgatorii feramus opem, & primum Dei amor. Anima, quæ Deum ardenter amat, quæ ex toto corde illi servire vult, quæ omnibus in rebus eidem placere quærit, ob plures causas erga defunctos charitatem debet exercere. 1. Deus ita magnus, & perfectus est, ut mereatur ab hominibus tantum amari, & coli, quantum potest. Hinc anima ejus amore capta illius gloriam tantummodo procurare debet; inter cujus rei præstandæ modos oblivisci non debet validissimum, & quem manu semper habet, esse educere purgatorio animas, quæ illic gravissima patiuntur tormenta, & quæ, ubi cœlestem adeptæ fuerint gloriam, Deum glorificabunt magis, quam omnes homines efficere possint in terris, quia ibi palam videbunt Deum non secus ac alii Beati, quia illum amabunt ea dilectione, quæ digna sit hac visione, cumque illo glorificabunt modo, qui huic amori sit par. Itaque quicumque zelo succensus est propter Dei gloriam, hac in re illum eximie testari potest.

A Deo jam cumulati fuimus, & quotidie infinitis bonis recenter cumulamur. Teneor igitur ob sexcentas causas, quidquid possum, conari, ut meam illi testatam faciam gratitudinem. Deus autem omne bonum, quod hominibus facimus, sibi factum putat, quemadmodum idem Salvator affirmat; possumne ergo validius habere argumentum, quo his animabus tenear opem ferre, quam videte, me hic re filio Dei rem adeo jucundam perficere, ac si illum ipsum de purgatorii pœnis liberarem? Nonne hoc est illi gratias meliori, quo possumus, modo referre, ea in re de eodem benemereri, qua nihil ipsi antiquius est, atque in locum nostrum sanctas subrogare animas, quæ illi pro nobis ob omnia beneficia gratias agant?

Deo nostra bona opera offerentes pro animabus purgatorii nihil amittimus & plurimum lucramur. Nihil ipsi amittimus, sed nostram potius in cœlo gloriam augemus, cum opera nostra bona pro purgatorii animabus offerimus: quod palam probatur ex certissimis Theologiæ principiis docentis, tres vulgo proprietates in quolibet opere bono inveniri. Prima est, hoc gradum gloriæ in cœlo mereri; secunda, impetratorium esse, ut Scholæ loquuntur, hoc est excitare Deum ad gratiam aliquam seu nobis, seu aliis, pro quibus illud offerimus, concedendam: tertia, satisfactorium esse, hoc est pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfacere. His positis quilibet facile videre potest,

quo

quo pacto offeratur bona opera Deo pro liberatione animarum purgatorii; neque enim offeruntur, quatenus sunt meritoria; videlicet non applicatur animabus patientibus bonorum operum meritum, quia merces illis in cœlo debita promissa iis tantum est, qui operantur illa, atque ita tota ad illos pertinet, quin alicui cedere eam, vel aliquem in partem ejus vocare possint. Nihil igitur amittitur meriti orationum, jejuniorum, eleemosynarum, cum ista pro fratrum animabus offeruntur. E contra meritum eorum augetur, charitas enim aliis accedens virtutibus, has magis commendat, & sublimiorem gloriæ gradum assequitur.

Cum omnes Theologi nequaquam consentiant, cedi posse impetrationem, quæ omnibus bonis operibus nostris inhæret, in gratiam animarum purgatorii: si quæratur, quid sit applicare defunctis bonum opus, brevi respondeo, esse hoc ad illos transferre, quatenus est satisfactorium; vel ut clarius loquar, est illis cedere omnem satisfactionem, quæ fieri posset per hoc opus bonum pro peccatis nostris justitiæ Dei, & supremum exorare judicem, ut illam pro expiatione criminum earum animarum excipiat. Si ergo aliquid boni facio, meritum omne pro me est, omnis impetratio pro me, vel pro illis, quibus eam applicare volo; sed satisfactio non est pro me, neque pro homine vivente, sed pro mortuis, quibus illam integram cedo.

Orationes pro mortuis melius recipiuntur, quam quæ pro viventibus fiunt.

Hæc propositio est D. Thomæ, *in supplem. quæst. 71. art. 5. ad 2.* cujus hanc adfert rationem, quia defuncti magis indigent hoc subsidio, cum ipsi per se, ut viventes, sibi opem ferre, & mereri nequeant, ut a Deo opem consequantur. Proculdubio propter hanc rationem preces, quæ pro mortuis effunduntur, Deo gratiores sunt, quam quæ pro viventibus fiunt. Quia eleemosyna, quæ erogatur pauperi in extrema necessitate posito, & victum sibi comparare non valenti, magis Domino placet, quam quæ bene valenti, atque robusto defertur. Alia etiam afferri potest ratio ex S. Dionysio de cœlest. Hierarch. cap. 7. desumpta, dicente preces, quæ pro viventibus offeruntur, non semper suum obtinere effectum, seu quod ea, quæ petuntur, noxia esse possunt, seu quod multitudo peccatorum illos indignos efficit, qui voti damnentur. Sed nil horum locum habet in precibus, quæ effunduntur pro defunctis. Etenim, ut S. Augustinus inquit, negare nemo potest, quominus sacrificia, & viventium eleemosynæ animabus defunctorum ferant opem, quia in vita hac meruerunt, quod hæc sibi utilia essent in altera: ubi Theologi nonnulli hanc afferunt modificationem, nempe, si preces istæ, & hæc opera bona non sunt utilia animabus, pro quibus offeruntur, prodesse tamen aliis, quibus illa applicare Domino visum fuerit. Sed numquam frustra oratur: si enim illa, pro quo oratur, in purgatorio non est, Deus preces applicat pro aliorum ope, ac liberatione.

Qui offerunt preces suas Deo pro purgatorii animabus, non minus pro se obtinent gratiam.

Neque illud prætermittendum est, quod animabus purgatorii cedentes hanc partem fructus operum nostrorum bonorum, quæ satisfactio est, nos tamen non ideo illis impetrationem tribuimus, atque ita semper nobis integrum est offerre illa mente obtinendi aliquod donum a Deo. Hæc eadem opera christianæ charitatis consilio peracta apud Dei bonitatem majorem vim obtinent; ita ut preces, & bona opera ita instituere valeamus, ut quin illa multiplicemus, nobis vel aliis id obtineamus, quod petimus, & simul aliquid conferamus sanctarum harum animarum solatio, & tranquillitati. Nihil facilius est, quam duo ista conjungere; etenim tandem omnium bonarum actionum hoc proprium est, ut simul seu pro nobis, seu pro alio quopiam obtinere possint a divina misericordia aliquam gratiam, atque satisfacere justitiæ illius pro peccatis seu nostris, seu aliorum, quibus jus nostrum cessimus; & tantum abest, quod per hoc aliquam subeamus jacturam, ut vix credibile sit, quam vim, virtutemque precibus, bonisque operibus conferat ad id, quod petitur, obtinendum hæc, quæ erga animas illas exercetur misericordia.

Qui bona opera sua pro mortuis offert, non solum non efficis minus, sed multo plus, ut suspiciam a debita suis criminibus eximat pœna, quam si illa non offerres, omnemque eorum fructum sibi reservares; heroicus enim actus, quem facimus hæc pro illis offerentes, & nosmet iisdem privantes, virtutem habet omnino pro nostris sceleribus satisfaciendi. Fructus omnis, quem inde percipere possumus, est pro animabus illis, quibus eum cessimus; sed actus ipse, per quem cessimus, nobilis hic, & generosus actus pro nobis est, non pro illis, & continet quemdam satisfactionis modum longe perfectiorem, quam plurimi putent. Ratio altera: hic actus est præstantissimus, & meriti non communis; igitur satisfactio, quam secum gerit, ubertima est, quoniam merito par. Cum igitur justus per opera bona meretur gloriam, eamque non communi ratione meretur, se dignum præbet non solum novo gloriæ gradu, sed eo, qui aditum ad gloriam eidem aperire potest faciliorem: se igitur eximit a temporali pœna, ideoque divinæ satisfacit justitiæ. Ratio tertia: quo magis nosmet Deo præbemus acceptos sancta quapiam actione, eo magis reparamus injuriam eidem noxiis actionibus illatam. Hoc enim insignium actionum proprium est, non æternam dumtaxat mercedem mereri, sed obtinere integram præteritorum scelerum oblivionem, omnemque eorum memoriam delere. Quamobrem plurimi, iique insignes Doctores tradunt, in quolibet bono opere satisfactionem, & meritum semper esse paria; & huic innixi principio dicimus charitatem, quæ erga defunctorum animas exercetur, cum magni sit apud Deum meriti, maximam quoque habere vim pro satisfactione peccatorum, & remissione pœnæ, quæ in purgatorio perferenda est. Ratio quarta: inter actus, quos pro criminum satisfactione elicere possumus, princeps facile contritio est. Fieri autem potest perfectissimæ, acceptissimæque Deo contritionis species eo, qui sequitur, modo. Peccator cogitans per scelus suum infinitam majestatem læsam fuisse, & pro virili crimen suum reparare desiderans, consilium init liberandi plures, quam poterit, animas ex piacularibus flammis, ut inde expeditæ, atque beatæ, nomine ipsius, æternas Deo gratias agant. Quidquid propter Deum isthic facere possumus, nihil est, si conferatur cum hac sublimi, & prorsus divina ratione, qua Sancti illum in cœlo glorificant, & colunt. Hæc igitur admirabilis ratio est, qua divinæ justitiæ ad extremum usque quadrantem satisfacere valeamus.

Adminicula, quibus animabus purgatorii satisfacere possumus.

Primum illud, quod faciendum sit illis, qui inierunt consilium animabus purgatorii opem ferendi, conari est, e Dei gratia non excidere; qui enim in mortali crimine versatur, hic nihil efficere potest acceptum Deo, & quod divinæ satisfacere valeat justitiæ seu pro suis, seu pro alienis criminibus. Hoc posito vulgatiora suffragia sunt oratio, jejunium, & eleemosyna, de quibus nihil est, quod singillatim hoc in loco verba faciam. Dicam solum jejunii nomine omnia exteriorum mortificationum genera comprehendi; puta cilicia, vigilias, &c. ab aliquo solatio, ludo, spectaculis abstinere; in mensa sibi negare, quod magis sapit, & placet, injurias dimittere, &c. Eleemosyna, quæ censeri potest inter opera, quæ ad satisfaciendum justitiæ divinæ sunt aptissima, duplici ratione animarum earum solatio confert. Primum enim propria virtute confert, hæc enim aqua est ignem extinguens; secundo meritis eorum, quibus erogatur, & qui plerumque boni sunt, & ideo precibus obtinent, quod petunt a Deo; & si illi, qui

eleemosynam elargiuntur, nihil merentur, quod in gratiæ statu non sunt; illi, quibus confertur, cum mortali noxa vacant; a Deo obtinent harum animarum, quæ misere torquentur, solatium.

De indulgentiis pro defunctis.

Ratio peculiaris, & in paucis efficax ad opem ferendam animabus purgatorii est bonus usus indulgentiarum; de illis loquor, quas Jesu Christi Vicarius viventibus elargitur non sine facultate easdem pro defunctis applicandi. Hujusmodi Indulgentiæ mortuis applicabiles, cum ut eas lucremur, non alias efflagitent conditiones, quam quæ in acquirendis pro viventibus requiruntur, hujus loci non est earum vim, causam, & institutionem explicare.

De sacrificio Missæ, pro mortuis.

Satis liquet, adorabile Missæ sacrificium, cum pro viventibus, & mortuis æque institutum sit, ideo præsentissimum esse remedium, ut animæ purgatorii lustralibus ignibus eripiantur. Itaque consuetudo illud ad hunc finem offerendi adeo communis est, ut ad eam probandam nullum sit opus Theologorum, vel Patrum auctoritate. Hoc unum admonere debemus, magnæ hujus actionis effectum non pendere ex bona, vel prava Sacerdotis illud offerentis dispositione; quamvis bona quidem dispositio distinctum, ac separatum meritum habeat, sed illud per se operari; ideoque certissime votorum summam obtinere, qui illud pro mortuis offert, vel offerri contendit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

De purgatorii pœnis verba fieri apte non possunt, neque earum exprimi potest magnitudo.

SI ex veteris cujusdam auctoris animadversione magni dolores muti sunt, quia obruunt, ac stuporem immittunt, ut ita dicam, sensibus eorum, qui illos experiuntur: purgatorii dolores tanti sunt, ac tam ingentes, ut mutos illos efficiant, qui eosdem cogitare, ac de illis loqui velint. Hic nobis accidit, quod olim amicis Job, qui cum illo humi procubuere septem dies, totidemque noctes, quin ne verbum quidem proferre possent; quia dolorem illius modum omnem excedere intuebantur; status miser, ad quem illum redactum conspexerunt, eos mutos fecit, eisque tantum injecit terrorem, ut ne hiscere quidem valerent. Hoc ipsum præter propter de illis dicendum est, qui scrutari volunt magnitudinem pœnarum purgatorii: quemadmodum extremæ sunt, & incomprehensibiles in seipsis, ita etiam ineffabiles sunt; hæc abyssus est; hic est oceanus, in quo mens humana facit naufragium: *Magna est velut mare contritio tua*. Thr. 2. Liber, cui titul. *Octava Mortuor, a P. Bertet e Capuccinor. famil. in lucem edita.*

Amor hic omnes minuit pœnas: hic blandus est præstigiator, qui efficit, ut suave id videatur, quod amarum est, qui gravissimas quaslibet pœnas leves facit, & qui diutissimum, atque molestissimum tempus tamquam brevissimum exhibet. Quin immo cæteras quascumque pœnas aufert, & si invenit cor ob aliam quamlibet causam dolore confectum, illius mœrorem lenit, & mirum in modum tristitiam coercet. Ita amor, quo Jacob Rachelem complectebatur, omnes illius labores mulcebat, atque eorum longitudinem efficiebat breviorem: *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Gen. 29. Et S. Augustin. lib. de bono viduit. 22. *Ubi amor est, non est labor, aut si labor est, labor amatur*. Attamen hoc lenimentum pœnarum sævissimarum, hæc abbreviatio temporis molestissimi, qui sunt effectus amoris in purgatorio suspenduntur; quia animæ illæ nequaquam proprie propter Dei amorem patiuntur, sed per amorem Dei; ita licet cum amore patiantur, amor hic tantum abest, quod eorum pœnam imminuat, ut sit pars, & immo maxima pars pœnæ ejusdem, quia carent sui amoris objecto. *Idem.*

Sanctitas animarum quæ in purgatorio patiuntur.

Nihil ad animos permovendos aptius est, quam videre innocentem pati; nil vero gloriosius, & jucundius, quam misero opem ferre. Animæ istæ sanctæ sunt, & innoxiæ, quia ab omni crimine sunt immunes, in gratia confirmatæ, ac certæ se illius numquam detrimentum passuras. Sanctæ sunt in omnibus actionibus suis, atque inter supplicia sua Deum laudibus celebrant. Adeo sanctæ sunt, ut earum plurimæ plus habeant gratiæ, & charitatis habitualis, quam plures ex iis, quæ cœlesti gloria fruuntur; adeo sanctæ, atque potentes, ut a Deo insignes gratias, & singularia obtineant beneficia pro illis, qui vivunt in terra. Non debemus igitur adeo sanctis, & beneficis animabus succurrere, easque de pœnis eruere? Quam beatum te duceres, si Laurentio in craticula posito, vel Paulo in itineribus laboranti tulisses opem? Invidemus felicitati, & gloriæ fidelium, qui primis Ecclesiæ seculis floruerunt, & qui Martyres in carceribus positos invisere, eisque opem afferre gaudebant &c. *Idem.*

Deus audit libenter preces, quæ pro animabus purgatorii effunduntur.

Cum Deus perfecte diligat has animas, quatum pater est, frater, amicus, & sponsus, haud operosum erit flectere cor amore, ac benevolentia refertum; immo illi summam afferemus voluptatem pro iis laborantes. Verum est, ipsum justitiæ suæ ordine cogi, ut illas puniat: sed nihilominus non abjicit affectum amantissimi patris, qui eodem tempore, quo illas punit, cupit aliquem invenire obicem, quo prohibeatur, vel aliquem, qui suæ justæ quidem, sed beneficæ indignationi adversetur; immo ipse etiam irascitur, ubi neminem obsistentem inveniat. Hoc modo, & hoc animo efficit Deus, ut animæ illæ patiantur; justitia quidem sua in eas illum animadvertere cogit, sed amor efficit simul, ut cupiat, aliquem suæ obsistere iracundiæ: *Sic cruciat, quos amat*, S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 5. inquit. *Idem.*

Nonnisi per applicationem meritorum Salvatoris sanctis hisce animabus prodesse licet.

Utique Salvator; nil possumus ipsi, ut patientibus animabus feramus opem, & fatemur, nos imbecillia esse dumtaxat liberationis earum instrumenta, & nonnisi per meritorum, atque satisfactionum tuarum applicationem nos aliquam illis opem posse conferre. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu*. Zach. 9. Tuus, o Domine, sanguis emollit compedes earum, catenas infringit, extinguit flammas, illas abstergit, emundat, exornat, tuaque gloria dignas efficit. Per novissimam hanc applicationem illæ, ut olim Jesus Christus in cruce, exclamant: *Consummatum est*. Completa est redemptio nostra, salus nostra adimpleta est; vincula fracta sunt, contriti compedes, ignes extincti; simulque ex eo loco egressæ cœlum ingrediuntur. Nostrum dumtaxat est, o Fideles, illis eximiam hanc applicare medicinam, quam præparavit illis Salvator, & quam nobis in manibus pro earum curatione, & solatio reliquit: *Quis medebitur tui?* Thren. 2. Non inquit Propheta, quis mederi poterit? hoc enim omnes efficere possunt Christiani operibus bonis: eos tantum inquirit, qui hoc facere velint, & re ipsa faciant: *Quis medebitur tui?*... Non igitur nisi negligentiam, ac sævitiam tuam incusare potes. Tu, o Fidelis immitis, causa es, propter quam animæ illæ torquentur; cum enim illis opem ferre valeas, non fers; tu crudelis Christiane es, qui tantum abes, quod illis tamquam propitius medicus opituleris, sis quodammodo carnifex earum. *Idem.*

Consolabimur has animas mœrore confectas, & oceano amaritudinis immersas efficiendo, ut sentiant fructus ejusdem calicis in Eucharistico sacrificio oblati: hic calix nonnisi solatium ipsis præbere potest. Ita donec justitia Dei offert illis indignationis suæ calicem, ut omnem illius exhauriant amaritudinem, offeramus irritato Deo calicem sanguinis filii ipsius, & divinum hunc liquorem amaræ huic potioni immisceamus, ad illius amaritudinem leniendam, levandamque tristitiam. *Id.*

Pecca-

Quid facere possint in sanctarum animarum solatium.

Peccatores, quos convertitis, jacturam facere possunt gratiæ, quam illis procuratis; sed animæ istæ nunquam ea excidunt gloria, qua in antecessum opera vestra perfruuntur. Peccatores possunt, immo & debent cooperari conversioni suæ, sed animæ purgatorii nil facere possunt, ut libertatem consequantur. Denique cum peccatorum conversioni adlaboramus, labores nostri sæpe inutiles sunt saluti eorum, nec prosunt, nisi ut eorum in altera vita pœnas augeant, nisi ex nostris fructum perceperint. Deus enim propter fœdus illud, quod icit cum ecclesia sua nobis relinquens adminicula, quibus illis opem ferre possemus, opera bona nostra excipit, & animæ illæ nostris suffragiis recreantur. *Idem.*

Desiderii, quo sanctæ animæ Deum videndi flagrant.

Quis intelligere posset ardorem votorum, quibus illæ Deum videre, ac supremo bono suo perfrui concupiscunt? Tempus diuturnum est, & desideria violenta; objectum proximum est; videre semper sibi differri infinitum bonum, quod speratur; semper ardenter optare bonum, quod tandiu differtur, quin possideatur; quodnam supplicii genus, Auditores! Hoc illud est, quod animis suffert in purgatorio. Longa boni hujus mora, magna hujus boni, quod sperat, nec possidet, propinquitas, tres sunt causæ doloris ejus. *Idem serm.* 3.

Quam gravis sit animabus illis suæ felicitatis dilatio.

Eheu! quam diuturnum illud videtur tempus, quo non solum infinitum bonum, sed extremi mali speratur liberatio! Quam longi sunt dies, quam molesta momenta, cum transiguntur in privatione earum rerum, in quibus omne gaudium nostrum positum erat, & omnis gloria nostra, & in positivis, ac sensibilibus pœnis, quibus excruciamur! Quamobrem dicere possumus, quemadmodum voluptas tempus efficit brevius, ita dolorem illud producere, ideoque duplicem quodammodo temporis dari mensuram; alteram extra nos, quæ ea syderum motu, altera intra nos, quæ ex affectuum nostrorum motu desumitur, &c. Animæ beatæ æternitatem tanquam momentum putant: *Mille anni ante oculos tuos*, Domine, *tanquam dies externa, quæ præteriit*; & animæ purgatorii ipsa momenta æternitatem putant, quia neutræ tempus nostrum, sed suum metiuntur. *Idem.*

Ex quo anima in purgatorium ingreditur, cum Propheta Psal. 119. exclamat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, multum incola fuit anima mea.* Heu! quam diuturnum est exilium meum, quam scio ex obscuro hoc carcere egredior, ut me conferam ad perfruendum supremo bono, & voluptatibus cœlestis patriæ meæ, quam post tantum temporis spatium spero! Quando apparebo ante faciem Dei mei, eumque sine obice, ac integumento contemplabor? Sciscitatur, quando tempus adveniet, quia nihil scit, & hæc incertitudo auget pœnam illius; ita in hac incertitudine, & libertatis suæ dilatione effundit tanquam lacrymarum torrentes, profunda obruitur tristitia, ac se videns a Dei visione, & possessione semotam cum eodem Propheta inquit, lacrymæ meæ factæ sunt mihi panes die, & nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? *Idem.*

Jure conqueri possunt animæ istæ de mora, qua illis ferimus opem.

Suffragiorum nostrorum dilatione eas cogimus jure conqueri de iterata mora, quam nectimus, & qua efficimus, ut tandiu patiantur: *Heu me! quando dicetur mihi, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*, ait S. Augustinus in Solil. c. 35. Heu quam crudeles sunt animabus illis hæ dilationes, & quam diuturnum, ac molestum est, quod modicum dicitis! Contendendum igitur est, ut hoc passionum, dolorumque tempus illis fiat brevius. *Idem.*

Animæ purgatorii indesinenter patiuntur.

Videmus, quacumque pœna homines afficiantur, infelicissimum quemque aliqua habere intervalla, quibus solatium percipiat; & sicuti inquit Propheta, si vespere lacrymarum fundimus imbres, mane gaudemus, hæc mistio, atque interruptio efficit, ut majori cum voluptate ea bona gustemus, quæ in vita hac possidemus. Tertullianus ait, quædam esse bona, quæ ferenda non sunt. Equidem hæc non alia puto, quam illa, quibus incessanter, & sine intervallo perfrui deberemus: ea quippe, quæ jucundissima sunt, fastidimus, si nimis diuturna sunt. Quæ cum ita sint, quid dicendum nobis est de his animabus, quæ non quiete, ac lætis rebus fruuntur, sed incessanter immitibus uruntur ignibus, quin vel ullum quietis momentum obtineant; quæ indesinenter affligantur ob privationem Dei, omniumque gloriæ bonorum; & quæ assidue, ac sine ulla intermissione patiuntur. Nonne igitur non ferendum esse dicendum est dolorem earum, itaut nisi eadem Dei manu sustinerentur, ne momento quidem subsistere possunt? *Idem.*

Anima purgatorii jugiter illi vacat bono, quo caret.

Anima in purgatorio fortiter adeo adhærere ideæ boni illius, quo caret, ut inde mentem suam nequeat avellere; ita ut quemadmodum animæ beatorum in cœlo jugiter suam considerant beatitudinem, eique subinde animum advertunt, atque secum indesinenter omnino reputant jucundissimam hanc cogitationem, quin vel uno momento illam intermittant; ita animæ purgatorii incessanter animo suo molestam hanc volutant cogitationem, neque illam unquam a sua avertunt infelicitate. Heu! careo visione Dei mei, & deliciis gloriæ, quibus modo fruerer; sed tanti hujus mali causa mea est negligentia. Immitibus flammis uror; sed mihi uni succensere debeo; illas poteram evitare. Deus iratus est contra me; sed scelera mea illum irritaverunt. Illum mulcere poteram, & modicis sumptibus justitiæ illius satisfacere; hoc non præstiti; culpa mea est. Omnes hujusmodi considerationes, quibus identidem suas pœnas, sua peccata, suamque recogitat negligentiam, sunt nuntii Job, a quibus admonetur de suis calamitatibus, ac detrimentis sine ulla intermissione, & quin liber ei spiritus relinquatur, vel quin inter unam, alteramque ærumnam requies ulla ei permittatur. *Idem.*

Indesinenter in purgatorio pœna sensus perfertur.

Ignis, quo animæ illæ comburuntur, *ignis indefessus* a S. Hilario in Ps. 118. vocatur; ignis, qui nunquam fatigatur, & semper cremat animam, donec aliquid divinæ debet justitiæ. Heu! in hac vita inimicus persequendo fatigatur; sed animæ purgatorii nullum habent momentum, quo liberum ducant spiritum, incessanter torquentur. Dei brachium, quo percutiuntur, nunquam delassatur: ignis divinæ instrumentum justitiæ infatigabilis est, neque infirmatur. *Idem.*

Crudelitas eorum, qui animabus purgatorii non opitulantur.

Ut omnis suffocetur miserationis sensus erga miseras animas! nonne æque crudelem esse oportet, ac olim dives ille nequam, qui Lazari præ foribus ædium suarum jacentis infelicitatem nunquam misertus est? Oculi ejus aperti sunt, & miseri hominis vulnera videt, auribus illius accidunt clamores, & ejulatus pauperis, & nihilominus vulgatissimis naturæ motibus non afficitur: quisnam illum intuitus ita durum erga similem sibi eum pati, vel sævitiam ejus excusare potuisset? Heu! quis ergo vestram, Auditores Christiani, excusare posset crudelitatem, quam adeo frequenter erga has miseras animas, quas nullo juvatis subsidio, exhibetis? Potestisne domo efferre pedem, quin vobis mortualis quæpiam occurrat pompa, quæ sopitos excitet sensus vestros de parentum defunctorum statu securos? Quemcumque profertis gressum in his cœmeteriis, ac templis, nonne excitatur in vobis memoria amicorum vestrorum, quorum ossa oculis vestris exposita sunt, ac inter quæ in his sanctis locis vestra quoque collata quamprimum cogentur viventium emendicare preces, atque suffragia? Mortui quidem non clamant, neque ossa proferunt verbum; verum est: muta sunt eorum crania, ac pus cadaverum nullam habet amplius similitudinem cum corpore vestro mortali; non abnuo; sed ecclesia nonne suis clamoribus, precibusque pro illis loquitur ad vos? Num aures obstruxistis enixis flagitationibus,

nibus, & sollicitationibus ejus? Nonne ipsa tanquam ex tenebricosa ejus carceris, ubi miseræ illæ torquentur animæ, caligine clamat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Job 19. P. de la Rue, sermone de precibus effundendis pro Mortuis tomo tertio sermonum, qui illi tribuuntur.

Ingratitudo eorum, qui obliviscuntur, & derelinquunt parentum suorum animas post eorū decessum.

Parentibus vestris sepulchri honorem deberis; quibus probris vosmet dignos præbuissetis, quod ingrati animi vitium præ vobis tulissetis, si ex contemptu, animi libidine, oblivione, aut ingenio nuda, & frigida reliquissetis eorum corpora, postquam illinc anima decessit? Nonne vobismetipsis probro verteretis negligentiam ejus officii, & curæ, quæ potius ad vivorum, quam ad mortuorum solatium fuit instituta? Cura quidem laudabilis; sed quid interest emortui cadaveris magno strepitu, funebrique pompa efferri, an clanculum in sepulchrum inferri, post exitum vitæ: in ligneo, an plumbeo loculamento putrescere; vermium, an ferarum pabulum fieri? Attamen in hoc omnis erga mortuos pietas constituitur; exterior aliqua corporum suscipitur cura, donec omnem abjicimus sensum, ne flectamur doloribus animarum, quæ excruciantur, & quæ judiciorum Dei viventis severitati traditæ sunt. Ubinam ergo est miseratio vestra, ubi grati animi sensus erga eos, qui de vobis perquam bene meriti sunt? *Idem*.

Illis in altera vita opem ferre debemus, qui in hac vitam nobis contulerunt.

Quoties parentes vestri proprio insudarunt exitio, dum vestræ invigilarent utilitati? Animo igitur reputate, pœnas, quas illi pro vobis pertulerunt, peccata, quæ pro vobis commiserunt, & supplicia, quæ propter amorem vestri in caput suum pertraxerunt, & adhuc patiuntur. Extendite ergo usque in tristem eorum mansionem eleemosynas vestras; illuc vestra ingrediantur suspiria, & ex malis, quæ ipsi parentibus vestris peperistis, vestra metimini officia. Pro vobis tot laboribus, dum viverent, exerciti fuerunt; nihilne pro illis post eorum obitum facere vultis? Pro vobis patiuntur, nihilne pro illis pati vultis? Hæc bona, quæ vobis ipsi reliquerunt, & quorum vos possessionem adiistis, fuerunt ipsis occasio peccatorum, & materia suppliciorum, tantone pretio genitoribus vestris stare debent voluptates vestræ, atque solatia! Quem doloris sensum habere non debent patres vestri, cum sumptibus suis vos ridentes, lætantesque conspiciunt? Quæ pro illis tristitia, cum Deus illis ostendit, quem in usum male effudistis ea, quæ ipsi collegerunt! Quæ recens doloris causa pro illis, ubi audiunt, vos in superfluas vanitates impendere fructus veterum peccatorum suorum! cum aliquando vos intuentur suo procedente funere, lætitiæ sensus cum tristitiæ specie miscere! Ad tantæ crudelitatis adspectum augetur quidem miserarum animarum supplicium; sed nonne ipsa etiam vestra crescit reprobatio? Si in altera vita nactæ sunt Deum severum, qui in eas animadvertat propter nimiam, qua vos prosecutæ fuerunt, dilectionem: nunquid crudelitas, & sævitia vestra non invenient immitem Judicem, a quo condemnemini? *Idem*.

Sævitia erga animas purgatorii magnū est nobis reprobationis præsagium.

Nisi vos movet tot animarum prædestinatarum, & nihilominus in horrenti carcere detentarum ad criminum reliquias expiandas calamitas, nonne hoc indicium est, vos nequaquam in prædestinatorum numerum descriptum iri, & metuendi causa, ne eo in statu futuri sitis, ubi nullum fructum capere valeatis ex iis suffragiis, quæ pro vobis aliquando offerentur? Equidem vereor, ne in prædestinatorum numero sitis; si enim essetis, intelligeretis, quid sibi velit separatum esse a Deo, qui vestræ esset deliciæ. Si essetis Dei filii, propter felicissimam hanc affinitatem ad misericordiam vos flecteret fratrum vestrorum calamitas Dei adspectu carentium, qui unus eos beatos potest efficere. Gratia operaretur, quod quotidie operatur natura inter filios ejusdem patris, eodem concretos sanguine, & ex eadem familia: non estis ergo filii Dei. Eheu! illum fortasse aliquando patrem vestrum vocabitis, quemadmodum dives nequaquam appellabat Abraham, neque mitius ab illo excipiemini. *P. de la Rue Sermone de Oratione pro mortuis*.

De hæreticis impugnantibus fidem purgatorii, & orationem pro mortuis.

Ut oratio pro mortuis superstitionis nomine insimularetur, quod Hæretici faciunt, suffocandi fuere tenerrimi naturæ sensus, quos in nobis parentum nostrorum memoria non excitat, quin hæc quamdam excitet anxietatem cum reverentia conjunctam, qua impellimur, ut pro eorum requie vota nuncupemus; damnandæ fuerunt omnes terrarum orbis nationes, quas nulla prohibere potuit barbaries, ne majorem suorum cineres revererentur; improbandus fuit veterum Patriarcharum mos, qui super patrum tumulos pauperibus publica sternebant prandia, eisque solemnes erogabant eleemosynas; fides abroganda fuit Sacrorum librorum auctoritati, docentium orationem pro mortuis cogitationem sanctam esse, ac salubrem; gravissimis ecclesiæ Patribus neganda fuit auctoritas, scripta eorum mutilanda, opera infideliter vertenda, & omnium elapsorum sæculorum traditio neganda. Hæc facienda fuere, & per tantum nefas mens, & cor hominum ad hanc erga mortuos sævitiam deducenda fuerunt. *Idem in alio Sermone Manuscripto*.

De Catholicorum negligentia in precibus pro defunctis effundendis.

Quanam in re præstamus illis, quorum errorem damnamus, si cum nobis persuasum sit de necessitate, ac utilitate orationem pro mortuis, earum praxin negligimus? Uter nocentior est, illene qui obstruit oculos necessitatibus fratris sui, an qui videt illas, eique opem negat? Aperite ergo hodierna die oculos, & cor illorum miseriis: nostrum quilibet est intra duos mundos, quorum alter ante, alter vero post nos est; alter fugit, alter advenit; alter in terram revertitur, alter egreditur de terra. Mundus hic præteritus sunt patres nostri; mundus hic oriens sunt filii nostri; æterna priorum requies in manibus nostris quodammodo sita est: alter ex his mundis a vobis opem petit, vos autem ab altero opem expectatis. *Idem*.

Divini adspectus privatio in purgatorio.

Anima quin in Deo suam requiem inveniat, sentit hunc ipsum Deum sibi sinum suum claudere, illam expellere, atque per vincula, quæ sensibus percipi nequeunt, crudelibus ignibus adnectere. Terribile exilium, mansio terribilis! deplorabilis solitudo, & deplorabilis societas! Crudelis separatio, & unio crudelis! a corpore, & a Deo suo separata, sed immitibus flammis unita, inhærens, vincta. Quænam damnato hæc in inferno desperatio est! Sed quis dolor fideli in purgatorio! Uterque Deum quærunt, utrumque Deus fugit, uterque sese offerunt Deo, utrique se Deus abscondit. Justi in purgatorio Deum petunt, & Deus illos repellit: ad Deum accedunt, & Deus ab illis recedit; illi se in Deum ejaculantur, & Deus illos præcipites dejicit. *Idem*.

Ignis in purgatorio pœna.

Quoad pœnam, quam ignis miseris hisce animabus adfert, ignis ex omnibus elementis ad agendum celerrimus, & qui adeo mirabiles gignit effectus, cum manibus nostris applicatur, in manibus Dei quid facturus est? *In duritia manus tua adversaris mihi*, Job cap. 30. inquit. Ibi totum Dei robur impeditur; ibi ille agit tanquam Deus, non autem simpliciter tanquam naturæ moderator, sed tanquam supremus naturæ Dominus, de rebus omnibus vel secundum, vel contra ipsarum studia disponens. Quidquid autem Deus facit tanquam Deus, id agit non sine excessu magnitudinis, quam omnes cogitationes nostræ assequi nequeunt. Deus loquitur, ut Deus, & Deus est verbum illius; Deus amat ut Deus, & Deus est amor illius; Deus parcit ut Deus, & Deus pro nocentibus moritur; Deus remuneratur ut Deus, & Deus est ipsa merces: Deus punit ut Deus, quænam suppli-

supplicia! Et si elegit ille ignem pro sui furoris instrumento, quinam esse debet hujus ignis præ nostro hoc ardor, & virtus? *Idem*.

Animæ purgatorii sibi nequeunt opitulari.

Quod si ad acerbitatem dolorum, & diuturnitatem pœnarum accedat tertia calamitas, quod animæ in purgatorio se ipsæ juvare non possunt, profecto non parum excrescet infelicitas animarum earumdem. Hic enim in terris vix quisquam est tam miserabilis, qui non possit vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos requirendo, vel appellando ad aliud judicium, vel misericordiam judicis implorando, vel aliqua alia ratione se a cruciatibus aliqua ex parte liberare. At in purgatorio nihil omnino possunt, nisi patienter supplicia tolerare. Possunt quidem viventes in carne sancti homines pro defunctis orare, & eleemosynas, atque alia satisfactoria opera pro eis offerre Domino. *Bellarminus de gemitu columbæ lib. 2. cap. 9.*

Status, in quo animæ purgatorii nostram excitare debent miserationem; hæ animæ sunt, quæ multum patiuntur, quæ ardent igne flatu divinæ indignationis succenso, cujus tormenta longe excedunt, quidquid non pati solum, verum etiam concipere in hac vita crudelissimum possumus. Nihil est cum purgatoriis pœnis conferendum, nisi ipsius inferni pœnæ, si durationem, & desperationem excipias. Alienus, inimicus etiam te ad misericordiam flecteret, si illum hoc in statu videres; at amicus frater, mater, pater est, quem ardentibus flammis comburi vides, neque uruntur, nisi quod te nimis amarunt; neque hæc mala patiuntur, nisi fortasse, quod nimium festinanter pro te bona cumularunt; & calamitas eorum, cujus amor, quo te prosecuti sunt, vel causa extitit, vel occasio, te non movebit? Numquid adeo sævus esse potes? *P. Nepveu tomo 4. christianarum considerationum pro singulis anni diebus.*

Satis esse non debet sterilis erga sanctas has animas miseratio.

Neque in sola miseratione subsistendum est: hoc spectaculum excitare debet vestram charitatem, & zelum, ut illis opitulemini. Heu! animæ istæ adeo crudeliter excruciatæ vos sollicitant lacrymis suis, ea benevolentia, qua vos prosecutæ sunt, & ea, qua jure expectant, ut vos illas prosequamini. Na minimum quidem exerere possunt conatum, ut sese illis expediant ignibus, quibus invisibilibus vinculis alligatæ sunt; sed vos illas liberare potestis. Divinæ satisfacere nequeunt justitiæ, nisi debitum omne ad extremum usque quadrantem dissolverint; sed vos modico sumptu pro illis satisfacere potestis. Illæ nullam sperare possunt gratiam, quantumvis enixius precentur; at eam vos illis obtinere potestis: oratio, eleemosyna, mortificatio, minimum opus bonum, quod pro illis Deo offeratis, illis esse potest solatio. *Idem*.

Purgatorii cogitatio nobis immittere debet vel levissimorum criminum metum.

Status, in quo sunt animæ purgatorii, non miserationem tantummodo vestram excitare, & charitatem inflammare debet, verum etiam vobis timorem incutere. Quodcumque illæ patiuntur, vobis significare debet, quid sit vel levissimum crimen, & quo illud odio persequatur Deus; Deus enim infinite misericors adeo severe animadvertit ob unam venialem noxam in animas adeo sanctas, quæ illius sponsæ sunt, quas unice diligit, & a quibus perfecte diligitur. Ignis piacularis facem vobis præferre debet, ut intelligatis, quid sit crimen veniale, quod parum adeo extimescitis, & quod facile adeo committitis; sed efficere debet, ut certum ineatis consilium tot, tantaque mala per pœnitentiam prævertendi. Potestis brevi, levique mortificatione pro diuturnis, crudelibusque purgatorii pœnis satisfacere, nec id agitis. Nunc modico sumptu redimere vobis licet, quod aliquando nonnisi gravissimis pœnis luendum erit, & negligitis. Vivæ, veræque pœnitentiæ lacrymula modo ignes illos potest extinguere, torrentibus tunc effundendis non extinguendos; quæ cæcitas! Heu! quam acerbis fletibus hanc aliquando prosequemini negligentiam, quæ adeo charo pretio vobis statura est! *Idem*.

Animabus illis opem ferentes, Deo nihil gratius facere poteritis, illum dura liberabitis necessitate, quam illi justitia & sanctitas sua injicit, quantumvis, ut ita dicam, amor ejus repugnet. Vobismetipsis maximum procuratis bonum; cum enim illæ suam vobis felicitatem debituræ sint, cum eadem perfruentur, numquid vestri obliviscentur? Pro vobis autem deprecantes quid a Domino obtinere non poterunt? *Idem*.

Ex nobis pendet liberare animas purgatorii, & fieri quodammodo Salvatores earum.

Si in vestra situm esset facultate damnatos omnes servare, quem in corde vestro effectum cogitatio ista produceret? Deus autem parem vobis confert potestatem. Vobiscum suam partitur auctoritatem; justitiæ quidem suæ infernum reservat, vobis autem purgatorium relinquit.... Vestrum est illum exhaurire; vos illius flammas extinguere potestis. Eadem flamma in utroque carcere adurit; carceris hujus rei magis, quam alterius vestram merentur misericordiam? nonne est illos odisse, videre eorum miseriam, illis opem ferre posse, & id vel abnuere, vel negligere? *P. de la Rue sermone manuscripto hujus argumenti.*

Satis liquet, quid sit hæres, quem consuetudo in demortui vocat successionem; liberalitatis ejus effecta æque rara sunt, ac doloris; eleemosynæ æque infrequentes, ac lacrymæ. Nimis eminus ad eum loquitur natura, ut cor illius ad parentis interitum molliat, & nimis prope ad eum cupiditas loquitur, ne aliquod sibi elabi permittat lucrum, quod hic illi affert interitus. Recentem hæreditatem prædam sibi debitam putat, & defuncti largitates tamquam furtum sibi factum existimat. Quidquid sanguis valet, hoc est in filiorum corde turpes hos avaritiæ sensus reprimere; quos tamen non semper celare potest... Nisi urgens aliquod negotium nostram cum patris vita fortunam consociet, haud ægre solatium invenitur morti, quæ sæpe nimis lenta videntur, & raro vita nostra prævertit. Ut videamus dolorem sincerum, & lacrymas sine arte, & fuco super mortuos effluere, pauperum tabernæ adeundæ sunt: illic sine ulla avaritiæ causa, simplex natura flectitur necessariæ separationis incommodo, nec alibi inquirit solatium, nisi in sensu, & ope miserationis. *Idem*.

Putant nonnulli se animæ suæ tranquillitati consulturos esse testamento. O inutilem prudentiæ vestræ precautionem? Quid bonum testamentum appellas? Ut tale fiat, sufficitne dicere, dono, lego, relinquo, jubeo, volo? Quot in forma, materia, executione difficultates! propter oppositiones eorum, qui se læsos putant, propter solemnes justitiæ formulas, propter executorum incuriam, aliosque sexcentos id genus scopulos, in quos testatorum prudentia misere allidit. Sed optimum etiam testamentum, quod æquissime confectum est, & celerrime adimpletum, exigui est meriti coram Deo; ideoque modicæ opis animæ tuæ.... Deo, hominibusque lego, dicis. Quid interest! Vel leges, vel secus, te invito vel Deus, vel homines id possidebunt, quod possides. Inanis morituri superbia honori sibi vertere coactam liberalitatem. Nonne Deus, qui omnia videt, & ponderat, videt te hoc tempore ea legare, & relinquere, quæ retinere non vales; atque tunc incipere largiri, cum amplius non potes retinere? te nequaquam donaturum, si adhuc retinere posses; & te nihil donasse, donec poteras retinere? *Idem*.

Dei gloriam procurat, qui purgatorii animas liberat.

Ita est, Fideles, etiamsi Deum ex toto corde diligeremus, quamvis illius gloriam tantummodo quæreremus, totus amor, & zelus hic in terris imperfectus est: in cœlo tantum cognoscitur Deus, qualis est: cœlo igitur animam inferre, est Deo maximam, quam creatura illi procurare valeat, gloriam procurare; est aliquid majus facere, quam mortuus suscitare, totumque mundum convertere. Quid Domine! post hunc zeli mei effectum, post hoc amoris mei monumentum oblivisceris mei? Regnum tuum illi promisisti, qui aquæ frigidæ calicem sitienti fratri præberet; & illud negabis mihi

postquam lacrymarum imbre flammas extinxero, quibus ille urebatur? Postquam fratri cœlum aperuero, illud mihi obstrues? *Idem*.

Dolor animæ, quæ caret adspectu illius, qui summum est bonum ejus.

Intelligite, quantus sit dolor animæ, quæ terrenis rebus omnibus vacua, & ab omnibus sensibilibus objectis separata jam Deum unum quærit, ad Deum unum contendit, Deum unum amat, & nihilominus se licet invitam repelli sentit, ita ut pervenire non possit ad terminum hunc tantopere concupitum, neque summum bonum possidere. Intelligite, quantus sit dolor animæ a regno, quod ipsi destinatum est, exulantis, atque in ignito carcere conclusæ, ubi videt se propter crimen, quod facile evitare poterat, vel quod saltem facile poterat expiare, propter venialem noxam, hæc enim ad id satis est, hoc supplicio mulctari. Scio equidem has cogitationes, quia communes sunt, nunc minorem in nobis habere vim; sed quæcumque sit mens, ac sententia vestra, ego fremo, & quicumque necessariam impendere velit huic rei attentionem, non secus ac ego, fremere debet. *P. Valois in exhortatione de peccato veniali*.

Deus nobiscum aget eodem modo, quo erga defunctos nosmet gesserimus.

Si miserti fuissetis harum animarum, & si illis indigentibus tulissetis opem, alii vicissim vestri misererentur, vobisque subvenirent: & quamvis nemo pro vobis sigillatim preces effunderet, Deus charitatem, & misericordiam vestram remuneraturus ad solatium vestrum transferret magnam earum precum partem, quas generatim pro defunctis omnibus effundit Ecclesia. Hanc passim elargitur Deus mercedem illis, qui erga exutas corpore animas misericordes fuere, ut eorum alii misereantur, juxta illud Scripturæ verbum: *Faciat vobiscum Deus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis*. Ruth 1. Sin autem e contra vosmet duros, sensuque carentes præbueritis erga defunctorum animas, si earum fueritis obliti, easque reliqueritis, & alii post obitum vestrum obliviscerentur vestri, & relinquemini in justam vestræ oblivionis, sævitiæque pœnam. Regius Propheta loquitur de quadam oblivionis terra, & ait, Dei justitiam in hac præsertim oblivione enitescere: *Justitia tua in terra oblivionis*, Psal. 87. Hæc terra oblivionis numquid est purgatorium? non solum quia animæ, qui ibi versantur, ea oblivione torquentur, qua viventes eas negligunt, verum etiam oblivione illa, qua ipsæ mortuorum oblitæ sunt. Jure Deus oblivionem pro oblivione illis retribuit, quemadmodum per Isaiam c. 23. minitatur: *Et in die illa in oblivione eris septuaginta annis*. *P. Bertet in octava Mortuorum*.

Quod de eleemosyna erga pauperes S. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 28. ait, id nos dicere possumus de charitate erga miseras animas; nostram videlicet misericordiam sine modo operari debere, & facere non solum quod potest, sed ultra: *Hoc magnum incentivum misericordiæ, ut necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus, & plus interdum, quam possumus*. Misericordia par esse debet miseriæ; harum animarum miseria summa est; ita misericordia nostra nullum servare debet modum. *Idem*.

A Deo petendum est earum liberationem præsertim dum altaris sacrificium offertur.

Nonne isthic imitari possem illius Prophetæ factum, qui missus a Deo ad Regem, qui populi sui calamitatibus minime afficiebatur, sese non ad regem, sed ad altare convertit exclamans: *Altare, Altare*! Altare ubi quotidie sancta immolatur victima, victima propitiationis, & expiationis pro viventibus, & mortuis, ad te me converto tamquam ad primum solatii fontem, & causam liberationis sanctarum animarum. Ad te, Agnus Dei, qui eas redemisti oblatione tua, & effusione sanguinis tui in cruce, quem adhuc offers quotidie Patri tuo in aris nostris, ut earum liberationem perficias. Ita, o Fideles, ipsum ipsi offerentes infinitam erga has animas misericordiam exercebimus. *Idem*.

De Indulgentiis pro mortuis.

Satisfactiones in indulgentiis oblatæ, cum ipsæ sint Jesu Christi satisfactiones, magis acceptæ sunt Deo, quam nostræ, quia factæ sunt a persona divina, cujus sanctitas est infinita. Sunt Deiparæ Virginis satisfactiones, quæ super omnia creata gratia affluentissime repleta fuit, & quam præ cæteris magis dilexit Deus. Sunt etiam copiosæ Apostolorum, Martyrum, atque tot Sanctorum satisfactiones, qui Deo acceptissimi fuerunt. Ita cum offerimus Deo in mortuorum solatium has adeo pretiosas satisfactiones, eas jure libentius excipit, quam nostras, quæ plurimis defectibus, & imperfectionibus permixtæ sunt. *Idem*.

Animæ purgatorii proprie loquendo patiuntur, quin satisfaciant.

Verum est, sanctas animas indesinenter, & admirabili cum patientia pati eas pœnas, quas pati ne ad breve momentum possent, quin morerentur, easque longe graviorem, severioremque agere pœnitentiam, quam quæ olim in primitiva Ecclesia agi consueverat. Attamen nequaquam proprie satisfaciunt; præsentes earum pœnæ nihil imminuunt eas, quas divina illis irrogavit justitia, seu earum diuturnitatem, seu rigorem spectes; & donec illas penitus exhauserint, & donec pertulerint toto eo temporis spatio, quod illis inflixit Deus, nihil inde præsentibus pœnis abradunt: *Satispatiuntur, non satisfaciunt*, inquit Doctor Angelicus in 4. dist. 7. qu. 2. art. 4. etenim satisfacere proprie est prævertere pœnam, quam meretur, & qua nos supremus Judex damnavit, aliis pœnis minoribus, quibus ille cogitur aliquid demere, vel numero, vel tempori earum, quibus nos punire decrevit. Satispati, & satisfacere, ut Scholasticis verbis utar, in hoc differunt, quod qui satisfacit aufert reliquæ pœnæ obligationem, qui satispatitur nil aufert, & pro futuro tempore nil valet.

Actus est prudentiæ cupere in hac potius, quam in altera vita suum habere purgatorium.

Actus est prudentiæ audire gemitus defunctorum, & ab ipsis edoceri, quomodo similes cruciatus sint evitandi. Cum illis plus charitatis in sit, quam divitis nequam, libenter nuntios mitterent ad ægrotantes, & eos omnes, qui afflictionibus anguntur, ut illos admonerent, & excitarent ad perferenda incommoda, calamitates, doloresque omnes, quos tanta patientia, & submissione patiuntur, itaut nihil ipsis in altera vita persolvendum supersit: *Ne veniant in hunc locum tormentorum*. Luc. 16. Una dies febris, unius horæ tristitia, fluxus dolor, & perfunctoria calamitas, quam æquo animo propter Dei amorem ferrent, illis purgatorii menses abradet; etenim alterius vitæ tempus, tempus est justitiæ, quo Deus ad extremum usque quadrantem sibi exigit persolvi, quod debetur; cum e contra vitæ hujus tempus sit gratiæ, & misericordiæ, quo modicum satis esse putat, ut grave debitum dissolvatur. Illud vero maxime considerandum est, quod pœnæ, quas post mortem irrogat Deus, meræ sunt sine ullis meritis pœnæ; dum in hac vita actus patientiæ, si, ubi opus est, exerceatur, non solum est debiti dissolutio, sed etiam quæstus, & lucrum, quod nobis affert inæstimabilem gratiæ, gloriæque thesaurum. Quamobrem merito S. Augustinus orabat: *Domine in hac vita purges me, talemque me reddas, cui emundatorio igne non sit opus*. P. Novet *in Recessu pro præparatione ad mortem meditatione 2. die quinto*.

Quid diceremus hominem intuiti domum suam congerentem ligna, quibus vivens adhuc ibi conflagraret? Heu! Multo insipientior nostra est insania, cum tot venialibus noxis, quas in singula momenta audacter committimus, congerimus, ut S. Paulus ait, ligna, fœnum, & paleas, ad animas nostras in purgatorio comburendas; & quod magis adhuc mirum, quamvis nobis integrum est nosmet ab hoc igne devorante eripere in hac vita mulcendo iram judicis nostri levibus pœnitentiis, & operibus satisfactoriis, quod nunc levi nobis staret incommodo, nos ne minimum quidem ad id laboremus. *Ex Pædagogo christiano cap. 19.*

Nostra negligentia in precibus pro defunctis effundendis.

Si in hac vita aliquem ex amicorum nostrorum numero videremus in ignem prolapsum, quin inde emergere posset, & nobis facile esset inde illum educere, itane duri, & crudeles essemus, ut manum eidem tendere detrectaremus? *In quamen-*

men-

mensura mensi fueritis, Dominus inquit Math. 7. & Marci 4. *remetietur vobis*. Idcirco, nisi dum vivitis, opitulati fueritis animabus istis sanctis, & prædestinatis, post mortem vestram permittet Deus, ut vel nemo pro vobis deprecetur, vel si quis pro vobis oraverit, nullius virtutis sint orationes illius. *Idem*.

Nonne ita vobiscum agi meremini? Non appulistis animum, ut vestræ opem ferretis animæ, dum vobis licebat, cur appellant alii? Nunquid filii vestri erunt sapientiores vobis, & melius agent, quam vos egistis? Num major illis instat obligatio? At enim, dicet quispiam, rem in meliorem ordinem redigam; nequaquam ab illius voluntate rem pendere patiar, ergo ipse extrema cera providebo. Heu! cur tanti momenti negotium, ubi animæ vestræ requies, & felicitas agitur, aliis committitis, cum per vos illud melius transigere valeatis? Cur illud post mortem rejicitis, cum in hac etiam vita felicius eidem prospicere valeatis? Cur te ipsum non facis præclari hujus testamenti, quod meditaris, executorem? Cur ipse Deo non tribuis, quod pro te ab aliis vis tribui? Certum est hoc melius acceptum iri, si tuis, quam alienis manibus tribuas, atque illud majoris apud Deum pretii futurum .... Nunquid ignoras quomodo se gerant hæredes? Plurima discutienda, ac illustranda esse; plures a Judicibus forensibus sententiæ, & plurima ab Ecclesi fulmina esse petenda? Longas habendas esse mores, & divisiones, propter quas omnes querun r; quorsum tot pia legata? Testamentum hoc interpretandum est, modificandum est, huic alterum supponendum est. Ita vulgo fieri consuevit, & interim ardet anima in purgatorio nequicquam opem implorans. *P. Catillon sermone pro die Mortuorum in Adventu*.

Sanctorum animarum merita, & dignitas exigit, ut earum misereamur, eisque subveniamus.

Descendite adhuc viventes in hunc locum, ut olim Propheta; cogitatione illuc ingredimini, & illic videbitis sanctas animas in ignibus illis ardentes; nobiles animas, cœli filias, hæredes Dei, quibus ille æternas coronas præparavit, animas perdite amantes pulchritudinem ab illis fugientem, ac sese oculis earum subtrahentem; amabiles sponsas judicis, qui illas adeo male mulctat, cui pro cruciatibus laudes, pro flammis, quibus uruntur, ardentiorem reddunt amorem; quæ illius iram adorant, quæ illum tam in sævissimis suppliciis, quam in suavissimis miserationibus & colunt, & diligunt. Proh Deus! quinam potes animadvertere in animas adeo humiles, & innocentes? Ubinam est bonitas, suavitas, misericordia tua? Sed querendum non est de Deo, quoniam justus est, & justitiam debet exercere; sed de vobis fortasse, o Christiani, qui illis solatium afferre debetis. Ex vobis quærendum est, ubinam sit charitas, & misericordia vestra, cum videatis adeo nobiles animas in adeo deplorabili statu languescere. Istæ non sunt latrones, non animæ perditæ, & derelictæ; prædestinati sunt, sancti sunt, fratres vestri sunt, cognati, affines, qui in flammis istis ingemiscunt. Heu! illi, dum viverent, vos unice dilexerunt, eorum post mortem obliviscemini? Semet curis, doloribusque confecerunt, ut vos beatos efficerent, illos in miseria sua deseretis? Vobis magnificas ædificaverunt domos, vos autem in ignis carcere torqueri patiemini? fortasse pœnas luunt, quod nimis vos locupletarunt, fortasse puniuntur, quod luxui, vanitati, ludisque vestris materiam præbuerunt; verum saltem aliquam illis partem concedite harum iniquarum opum, quas tanto vobis compararunt sumptu; & quod eas in tantam præcipites egit calamitatem, aliquid opis afferat, ut inde educantur. *Idem*.

Funerum pompæ inutiles sunt.

Eo primæ cogitationes vestræ redeunt vulgo, ut nescio quas exteriores pompas, magnificasque exequias præparetis, ac superba extruatis mausolea &c. Hoc videlicet mortui curant: hic lectus vester, hæ lacrymæ illis prosunt; hoc a vobis expetunt, & earum flammas extinguit. Hæc omnia ad id unum conferunt, ut vestrum dolorem fallant, & quomodocunque eidem faciant satis: *Ista solatia sunt qualiacunque vivorum, non subsidia mortuorum*, Sanctus Augustinus inquit. Hæc viventibus quidem aliquod afferunt solatium, mortuis vero non item; & ego affirmare audeo, quo major est pompa, & apparatus, eo majorem esse doloris speciem, quam veritatem. Si ex corde diligitis, imitamini strenuum Judam Machabæum; efficite, ut pro illis sacrificia offerantur. *Idem*.

Quin preces effundantur, & offerantur sacrificia pro animabus defunctorum, satis esse hodierna die creditur species quædam doloris, & luctus, quæ nihil habet præter vanitatem, atque ostentationem. Templa, & aræ exornantur, cadaver multa effertur concomitantium caterva, & quin mors de hominum fastu, ac superbia referat triumphum, volunt triumphum referre de morte magnifico hoc apparatu, hac stemmatum nobilitate, his dignitatis insignibus, ac tumulorum, ac mausoleorum magnificentia. Hæc omnia mortuis conferre quid possunt? *Solaria sunt vivorum &c.* Cum potius offerenda essent pro animarum requie sacrificia, vel erogandæ eleemosynæ, ut pro illis Deo preces effunderentur &c. *Sermo Manuscriptus*.

In purgatorio ignis fungitur officio judicis.

Eusebius Emissenus ait, opus esse, ut purgatorius ignis Judicis officio fungatur, & quamdam exerceat judicii speciem in reos ob ulciscendum Deum, ac puniendos nocentes ob injuriam, quam in terris magnitudini illius intulerunt, illi creaturas anteferentes: *Ignis purgatorii necesse habet exercere judicium*. Quem significare velle mihi persuadeo ignem hunc, cum justus sit, ac sapiens, ad trutinam revocaturum altera quidem in lance Dei magnitudinem, in altera vero creatarum rerum humilitatem, & post hanc institutam comparationem lumen ardoribus consociando animabus istis ostensurum prælationis earum iniquitatem, & in eas severissime animadversurum. *Ex octava pro Defunctis a P. Constantio ex Recollectorum familia conscripta*.

Purgatorium emundat atque reformat animas, ut in illis Dei imaginem exhibeat.

Necesse est, Sanctus Bernardinus inquit, adesse purgatorium, ut extrema admoveatur manus huic imagini Dei, quam in nobismetipsis gerimus: *Deformatio pulchritudinis Divinæ requirit purificationem*. Itaque purgatorius ignis pictoris functus officio delet maculas, quas in mundo animæ illæ contraxerunt, ut Divinos inducat colores. Flammis suis oculorum aciem, oris intemperantiam, linguæ mendacia, manuum injustitias, & cordis reformat impuritatem. Hæc ipsius etiam Sancti Augustini sententia est asserentis, hoc elementum secundum Divinæ justitiæ ordinem comburere in animabus illis, quidquid dedecore affecit justitiam Dei, & absumere, quidquid fulgori gloriæ ipsius offudit caliginem: *Illic quæcumque Divinam imaginem obscuraverunt, consumentur*. Idem.

Tormenta, quæ ignis supplicia in eas animabus infligit.

Ille purgatorius ignis, S. Augustinus serm. 41. de Sanctis, ait, *durior est, quam quidquid in hoc seculo pœnarum possit videri, sentiri, aut cogitari*. Ita ut in caminis illis ardentibus, ubi Dei justitia ad tempus retinet has fideles animas: in illis flammarum torrentibus, in quibus illas immersit, in eo carcere ignis, ubi illas vinctas habet, donec sordes, quas contraxere, expiaverint ... Quis posset dicendo vobis exhibere præaltas abyssos, horrentes carceres, torrentes sulphuris, atque flammarum? Hic ignis agens tanquam Divinæ justitiæ, Divinæque contemptæ bonitatis instrumentum fit sanctarum animarum supplicium, & carcer ardens, ubi calamitosi captivi illi gemunt nunquam inde egressuri, nisi prius crudele hoc elementum omnes eorum labes deleverit, virtutes omnes emundaverit, omnesque defectus illorum reformaverit. Hoc illa significant Filii Dei verba: *Amen dico tibi, non exies, donec reddas novissimum quadrantem*. Matth. 5. Heu! quam insipientes

sunt

sunt peccatores hac in re, *Sanctus* Hieronymus exclamat: sibi conflant catenas, quibus aliquando in ignibus illis vincientur, sibi gravissima præparant supplicia, quæ aliquando in altera vita patientur, Nonne sui inimicus vocandus est, qui se ipsum his onerat vinculis; & nonne insignis stultitia est ad ignem hunc alendum tot ligna congerere? *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* 1. Ad Cor. 3. *Idem.*

Nequit utilius Dei gloria procurari, quam animabus purgatorii opem ferendo.

Si de gloria Dei procuranda agitur, num aliquid ultra requireretur, ut miseris animabus opem ferre teneremur? Zelum quidem habemus pro gloria Dei; sed minime facimus, quod opus est, ut hanc illi procuremus. Exempli gratia, admiramur Apostolicos viros, qui maria tranant, ut animarum conversioni operam navent; & sane munus hoc prorsus Divinum est; verum scitisne, quod Gerson magnus ille Parisiensis universitatis Cancellarius, & ante ipsum *Sanctus* Bonaventura dixerunt, nempe fidelium animarum in purgatorio detentarum gloriam procurare munus esse quodammodo ipsa Ethicorum conversione præstantius? quia cum animæ purgatorii positæ sint extra omnia vitæ hujus pericula, & in gratia confirmatæ, magis certum est, Deum ab his, quam ab Ethnicis ad fidem conversis, esse glorificandum. Hinc sequitur zelum opitulandi his animabus esse posse hoc in sensu præstantiorem ipso Apostolico zelo, quem tantopere extollimus. *P. Bourdalove in sermone Purgatorii.*

Credere purgatorium, neque moveri ad illa officia obeunda, quæ Christiana charitas erga animas fidelium ibi detentas imponit, hoc sane est sensu carere, neque iis affici rebus, quibus mens ratione prædita, vel dicam melius, quibus mens Christiana maxime affici debet; hoc enim est nullum habere sensum pro gloria Dei, quæ non minima in harum animarum liberatione sita est. Ad hæc habere est æneum cor erga animas easdem, quæ nos tanquam suos liberatores intuentur, quæ norunt quam gratiam pro se in manibus nostris collocaverit Deus, & quæ, ut eadem bene uti velimus, expectant. Denique hoc est propria non moveri utilitate; quia Christianorum charitatem nobis post mortem merebimur, si hanc viventes erga fideles animas exercuerimus. *Idem.*

Causa, propter quam opiferari debemus animarum purgatorii.

Spiritu nosmet conferamus in subterraneos locos, ubi Dei ultio eo gravius sævit, quod punit, ut pateat. Cogitemus illum sulphuris lacum, eos flammarum torrentes, quibus anima patiens submergitur; sed immoremur id perpendentes, quod peculiare huic inest supplicio, & propter quod ab inferni pœna distinguitur. Sed quid dico? Nullum, auditores, inter hæc mala discrimen est præter durationem. Illic non secus ac in inferno anima igne erit circumdata, & involuta. Hoc ipsum elementum eodem sulphure inflammatum sæviet, medullas ipsas exquiret; idem carcer, eadem captivitas, iidem carnifices, eadem horrentia spectra, idem vermis depascens. Domine ne corripias me in furore tuo, exclamat cum Davide *Sanctus* Augustinus de purgatorio loquens, neque in ira tua percutias me. Hæc realia sunt supplicia, veræ pœnæ, quæ super mortuos sinceras possunt elicere lacrymas. *Sermo Manuscriptus.*

Ingratitudo filiorum erga parentes, quorum post obitum statim obliviscuntur.

Quænam est ingratitudo vestra! propter tot beneficia, quibus a parentibus vestris cumulati fuistis, illis, donec vivunt, alimenta, in eorum senectute solatium, & ad extremum usque eorum spiritum obedientiam debetis: alioquin vosmet inhumanos, & ingratos credidissetis, & re ipsa fuissetis: nunc mortui sunt; nunquid omnia ipsis mortua sunt? corpus eorum vermium pabulum est, neque vestra eget ope; at spiritualis ipsorum necessitas nunquid ideo desiit, & mortua est anima eorum, ex quo a corpore secessit? Nullane amplius affinitas est? cognatio nulla? Non sunt amplius amici vestri, eo quod ab oculis vestris evanuerunt? Sunt adhuc; vivunt adhuc, patiuntur sub brachio ultricis Domini justitiæ; orant vos, ut precibus vestris eos liberetis, & vos omnem curam, amorem, miserationem, gratique animi sensum abjecistis. *P. de la Rue sermone de Defunctis.*

Quam gratæ erunt animæ sanctæ ob eam felicitatem, quam illis ipsi procuraverimus.

Si, ex Patrum sententia, charitas Sanctorum fit ardentior in gloria, numquid ibi omnem exuent benevolentiam, animumque gratum pro illis, qui ipsos ex crudelibus purgatorii flammis eduxerint, ut in suavissimas Paradisi delicias transferrent? Si in felicitatis suæ dulcedine nulli obnoxii sunt vitio, nunquid ingratitudini erunt obnoxii? Quia anima, quæ possidet Deum, in se colligit virtutes omnes, omnique beatitudine, quæ cogitari potest unquam, perfruitur, nunquid hæc ratio est, propter quam illi negemus liberalitatis gloriam erga eos, qui ejusdem fuerint miserti? .... Sed ipse Deus, qui bonum, quod illis conferimus, tanquam sibi collatum putat, negabitne centuplum ejus boni, quod a nobis perceperit? Hoc promisisti, Domine, te nempe misertùrum eorum, qui aliorum fuerint miserti. Defuncti, qui pœnis suis id expiant, quod suæ deest innocentiæ tibine ostendent finem calamitatis suæ, vincula sua confracta, & certam beatitudinem suam, quin te cogant suæ obsequi gratitudini pro nobis impetrantes, quod pro illis ipsi obtinuerimus? *Specimen sermonum pro Adventu, sermone pro die Mortuorum.*

Amicorum mortuorum oblivisci non debemus.

Cum gratiæ natura nos omnes fratres constituerit, alios aliis invicem per vincula charitatis conjunctos, sed præter hunc nexum, qui cum fidelibus omnibus communis est, alter efformatur ab amicitia, qui non minus fortis est, cum virtuti innititur veluti fundamento. Ne unus quidem ex nobis est, cui mors aliquem ex optimis amicis non eripuerit: non sine verecundia fateamur, mortem eamdem, quæ fecit, ut amici jacturam faceremus, fecisse quoque, ut amitteremus etiam amicitiam. Certissimum tamen est Christianam amicitiam nunquam magis enitescere, quam post mortem amicorum; tunc enim illis magis vera, ac magna procurare possumus subsidia. His animabus nil crudelius accidere mihi videtur, quam se ipsas intueri ab illo derelictas, qui sinceram, æternamque sibi juraverat amicitiam. Heu! si illas inimici desererent, haud magnopere quidem dolerent; sed crudeliter adeo oblivioni traditas esse ab amicis, quos optimos arbitrabantur, hoc tormentorum omnium est maximum: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. Ibidem pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam.*

Illi, quorum preces mortuis sunt inutiles.

Non desunt quamplures fideles, qui pro mortuis preces effundunt, & qui nullam ipsis opem afferunt, quia potius ipsi alienis indigent precibus, quam pares sint, ut pro aliis deprecentur .... Similiter cogitaris mortuos magnam percipere utilitatem ex tumultuosis sodalitatibus, quibus homines ob humanos potius respectus, quam ob pietatis causam intersunt; & ut viventibus potius morem gerant, quam ut mortuis opitulentur? Neque hoc dico, ut damnare velim consuetudinem colligendi fideles ad efferenda cum honore Christianorum corpora, & ad preces pro illis fundendas. Avertat Deus, a me improbari, quod Sancti Patres probaverunt. Sed assero ad funebres cæremonias invitandos esse potius homines bonos, & eos, quorum explorata pietas est, quam eos, qui æquo liberiores sunt, quorum preces fere inutiles sunt, & Deo lædendo magis, quam iræ illius mulcendæ pares .... At vultisne promptum, & efficax afferre subsidium animabus in purgatorio gementibus? Expiate corda vestra, facite vosmetipsos Dei amicos, cum hoc perfecte, & sincere in gratiam revertimini. Quippe vobis persuasum esse debet, preces vestras nunquam majori adjumento illis futuras, quam cum animo concipietis

harum

harum pœnitentium animarum sensus, atque dolentes, quod supremam hanc læseritis majestatem, adnitemini facere, quidquid illæ fecisse vellent. *Lambert Sermone pro Mortuis.*

Quod tormentum animabus purgatorii afferat ignis pœna. Certum est, & docet experientia, nullum esse dolorem illi parem, quem ignis gignit; ita ut si quis in ardenti fornace clauderetur, & divinitus vivere posset inter flammas, quin moreretur, ille per hoc unum tormentum magis torqueretur, credendum est, quam per reliqua, quæcumque illa essent, quæ illi possent infligi: quippe hæ flammæ devorantes carne illius penetrata in ipsa usque viscera permearent; ignita eorum ossa non aliam haberent formam, quam ignis candentis ex fornace educti; latera ejus succensa quacunque terribiles scintillas emitterent; sanguis ejus fuso plumbo, ferventique oleo ardentior in totum illius corpus immodicum calorem effunderet, & in medullas usque inferret incendium: caput, os, dentes, pedes in totidem carbones conversi semper arderent, quin unquam absumerentur. Quæro igitur, unum in mundo par huic ignis tormento tormentum inveniretur? Sed heu! quid discriminis nostrarem hunc inter, & purgatorii ignem intercedit! Noster hic ignis factus est, ut nobis serviret, non ut torqueret: sed Deus purgatorii ignem fecit, ut nocentum animas severe puniret. Noster ignis plurimum sui ardoris amittit, quia aliis permixtus est elementis crassioribus, & oppositas qualitates habentibus; & quamvis purus esset, semper invenit resistentiam in ipsa materia, qua indiget, ut alatur: sed ignis piacularis ab his omnibus impedimentis immunis est, nihilque potest vim illius imminuere, aut vehementiam cohibere. Denique ignis noster cum igne purgatorii comparatus, proprie loquendo, nil aliud est quam pictus ignis. *P. Monford in tractatu de Charitate erga defunctos cap. 3.*

Quanta sit pœna Dei privatio in purgatorio. Si fieri posset, quod aliquis frueretur bonis omnibus, omnibusque voluptatibus, & honoribus mundi, vel si mavis, mille mundorum, & ad hæc, illius æterna esset fruitio, ac tandem tota hæc beatitudinis æternitas integra in uno tantum puncto colligi posset; tamen tanta hæc felicitas non exæquaret vel minimam partem illius, qua fruitur, qui vel uno momento beatifica gaudet visione. Quemadmodum igitur anima corporeis vinculis expedita eo in statu sita est, in quo videre potest Deum suum, & in quo ipsum revera videret, nisi peccata illum removerent, sequitur infiniti boni privationem, quale hoc est, illi tormentum esse magis intolerabile, quam esset huic viro, de quo locuti sumus, integra suæ felicitatis jactura, quantacumque illa esse fingatur. Quænam igitur est afflictio animæ ita a Deo separatæ, quinam sunt mœrores illius, quænam tristitia, cum cogitat se culpa sua amisisse, sin minus in æternum, saltem ad tempus cœli bona; & Dei possessionem, qua caret, bonum esse toto cœlo majus, quam sit omnium creatorum bonorum fruitio, licet esset æterna? *Idem.*

Animæ istæ supremo suo bono privatæ Dei ardentissimo flagrant amore: cum enim non contineantur amplius in corporis carcere, nihil prohibet, quominus perfecte omnes intelligant rationes, propter quas totis viribus amare possunt Deum. Cum ergo se eo in statu videant, in quo illum possidere possunt, & nihilominus ab eo separatæ sunt, licet non sint in æternum separatæ, fieri non potest, ne illum eo prosequentibus amore, quo prosequuntur, crudelis hæc separatio sit non solum purgatorium, verum etiam quædam species inferni. Hoc in mundo levissimam dumtaxat habemus divinarum perfectionum cognitionem; spiritus enim nihil nisi per sensus, & sub crassis imaginibus videt, præterquamquod sæpe ad id parum attendit, adeo eum tædet in uno, eodemque objecto immorari; ideoque facile amittit cogitationem Dei, qui cum sit mere spiritus, nil habet, quod sub sensibus cadat. Quod pertinet ad voluntatem, hæc in tot affectus diversa est, tot desideriis, ut plurimum, futilibus, vel noxiis occupata, tot vinculis terræ inhærens, ut sese ad Deum nequeat attollere, neque illum, nisi frigide amare, & eo modo, quo amatur bonum, quod vix cognoscitur. Præterea in hoc exilio animæ indesinenter id cogitant bonum, quo carent, & ea mala, quæ patiuntur; quæ cogitatio ita earum occupat mentem, ut ne uno quidem momento sese eadem valeant expedire. At nulla pœna cum ea conferenda est, per quam dies, noctesque ob oculos habemus nostræ infelicitatis imaginem. Hic tamen est deplorabilis status, in quo sunt animæ in purgatorio: si illis ad solatium aliæ cogitationes suggeruntur, excitari quidem possunt ad mala sua patienter ferenda, sed horum illis memoria auferri non potest. *Idem.*

Consideratio vermis qui crudeliter animas purgatorii affligit. Ratio, propter quam justi levium aliquot criminum rei aditu cœli ad tempus prohibentur, non exigua est dolori eorum accessio. Sciunt solam suæ calamitatis causam esse, quod injuste læserunt Deum amore, & honore infinito dignum; Deum, cui plurimum debebant; Deum, quem ipsa etiam inter tormenta super cætera diligunt. Hæc cogitatio omnium cruciatuum est crudelissima, est tanquam telum, quod imam cordis eorum partem transverberat, ibique lethale vulnus infligit. Quotiescunque redit; sed heu! quandonam illam ex animo possunt expellere? Quotiescunque redit, videlicet in singula momenta, in gemitus rumpunt, suspiria emittunt, seipsos increpant, quod misere a Deo recesserint. Cruentos effundunt imbres, dum ex illis quæritur *ubi est Deus tuus*; Deus hic adeo amabilis, & adeo parum amatus, a quo tot receperunt bona, & qui modo contra illos iratus eorum ulciscitur ingratitudinem, illis abscondens faciem suam, illos a suo adspectu projiciens, & in horribili carcere detinens. Profecto quemadmodum nullus hoc acquior dolor est, ita nullus est, qui hoc magis sentiatur. *P. Monford tractatu de Charitate erga mortuos, cap. 4.*

Subvenire animabus purgatorii summi est meriti. Mundi Salvator docet, satis esse eleemosynam elargiri, ut omnino emundemur. Quæ si vera sunt, quemadmodum ambigere nefas est, cujusnam meriti esse debet spiritualis nostra eleemosyna, cum proximum de extrema educimus calamitate, eique infinitum bonum procuramus; cum omnia illius debita persolvimus, eique opem ferimus, ut egrediatur de carcere, ubi incomprehensibilibus cruciatibus torquetur; cum tandem in libertatem assertum inferimus cœlo, ubi Dei aspectu, qui omnium votorum nostrorum terminus est, beate perfruitur? Quis satis dignis prosequi posset elogiis tantam charitatem! S. Thomas generatim explicans discrimen, quod adest inter corporalia misericordiæ opera, & spiritualia, ait, hæc illis non minus excellere, quam anima corpori antecellit. *Idem.*

Fundamentis purgatorii veritas probatur. Ut argumentis purgatorii veritatem palam probemus, primum aliquot principia constituenda sunt. Nonne verum est, nihil pollutum in regnum cœlorum esse ingressurum? Hoc dicit Jesus Christus. Nonne secundo verum est, illos, qui decedunt a mortalibus etiam peccatis immunes, non ideo tamen immunes esse a minoribus sordibus, vel habitu peccati venialis? Hæ duæ sunt propositiones certissimæ, & in dubium non revocandæ. Utrumque simul connectamus. Nihil pollutum ingreditur in cœlum; plurimi in gratia cum quibusdam maculis moriuntur; opus est ergo has animas emundari, antequam ingrediantur in gloriam. Hoc autem illud est, quod purgatorium dicimus; nihil hoc magis reale, nihil certius. Sed non minus certum est, quod sequitur. Si de fide est in futura vita leves vitæ præsentis noxas expiari, traditio vetus est, atque ab immemorabili, ex primis usque ecclesiæ sæculis dilapsa,

modum

modum illas expiandi, & divinæ justitiæ satisfaciendi miseris animabus acerbissimum dolorem adferre; seu consideremus pœnam damni; quæ posita est in privatione Dei ad tempus, seu pœnam sensus, quam ignis infert. Quid autem ex his veritatibus, quæ passim ab omnibus probantur, potest inferri? *Sermo Manuscriptus*.

De indulgentiis pro mortuis.

Facilior via, qua vestram explere possitis erga mortuos charitatem, via est indulgentiarum. Et sane quanquam post suæ peregrinationis finem non sint amplius sub potestate ministrorum Domini, & per absolutionem in eum statum adducti sint, ubi nequeant amplius ipsis applicari Jesu Christi merita in sacramentis; attamen per viam suffragii ecclesiæ thesauri super illos effundi possunt usque in vitam futuram. Tuto huic inniti principio summi Pontifices quibusdam in locis, atque temporibus concessere, quod anima de purgatorio liberari posset, si post fidelis confessionem, & communionem preces quædam effunderentur. Hic, Auditores, omnem adhibere deberem zeli mei vim, vel contra improbitatem eorum; qui adeo salubrem institutionem audent improbare, vel contra eorum negligentiam, qui eadem uti non conantur; sed relinquamus invectivas, ut exortationis viam tantummodo adhibeamus. *Idem*;

Si pro peccatis satisfactum non fuerit in hac vita, satisfaciendum erit in altera.

Si obligatio pœnæ luendæ non semper extinguitur criminis abolitione, qua de re ambigere nefas est, obligatio hæc adhuc remanet in anima, quæ patitur in purgatorio. Sæpe ex corpore suo aufertur post integram confessionem, ante satisfactionem criminum multitudini parem; sæpe onerata est ingenti venialium peccatorum numero, cum a corpore divellenda est: hæc peccata illi non remittuntur nisi ipso separationis momento juxta communem Doctorum sententiam; ita ut nullus amplius sit locus vel operibus satisfactoriis, vel indulgentiis, quas ipsa per se valeat acquirere. Opus est ergo, anima e corpore egressa in altera vita debitam suis criminibus pœnam persolvat. *Sermo Manuscriptus*.

Nihil miseratione dignius eo, quod animæ purgatorii patiuntur.

Eheu! nos ad miserationem pronos esse gloriamur; & affectum adeo tenerum excitare quærimus in commentitiis etiam objectis, quæ vel theatra nobis exhibent, vel fabulosi libri nobis exponunt: en dignissimum argumentum, quod totam cordis vestri miserationem valeat exercere. Post omnia, calamitosi, qui in purgatorio torquentur, sunt innocentes: fateor equidem, superesse adhuc in illis aliquam peccati maculam, qua in supplicii sui loco retinentur; sed per has ipsas maculas in illis refulgere video radium gloriæ, cui destinati sunt. Animæ istæ confirmatæ sunt in gratia; proxima est earum felicitas, earum prædestinatio certa est. Quid magis misericordia dignum, quam illustres hi calamitosi? Eheu! Auditores, super mortuos simulatas effundere lacrymas, dum realia mala veras exposcunt, hoc est incredulorum more plorare: *Sicut cæteri, qui spem non habent*: ad Thessal. 4. *Sermo Manuscriptus*.

S. Chrysostomus post Apostolum damnat lacrymas mere naturales, quæ defunctorum memoriæ effunduntur; saltem nos hortatur, ut dolorem nostrum supernaturalibus causis attollamus. Et bona fide fateamur; lacrymæ, quas post mortem alicujus, quæ nobis gravis est, effundimus, ex amore proprio potius emanant, quam ex charitate; en exempla. Vir post uxoris mortem, quæ illum frequentis familiæ, & adhuc matris curas, & amorem deposcentis patrem reliquit; uxor, quæ virum dexterum, scitumque perdit, spem familiæ, quæ periculum est, ne creditorum libidinis, vel causidicorum avaritiæ præda fiat: mater, cui fato sublatus fuit filius, quem unice diligebat, Rachel est plorans filios suos, neque aliud habens sui doloris argumentum, quam quod sibi ablata fuit voluptas illos videndi, & amplectendi; *Noluit consolari, quia non sunt*. Matth. 2. Eheu! Auditores, si intra hos terminos nostra erga defunctos charitas continetur, nonne & ego dicere possum, quod olim Jesus Christus illis omnem charitatem suam in amicorum amore constituentibus: *Nonne & Ethnici hoc faciunt*? Matth. 5. Visæ sunt inter illos uxores, quæ cum illas vitæ hujus tæderet post conjugum fata, breviores quæsiere vias, quibus quamprimum viris suis jungerentur: visæ sunt omnes exhaurire thesauros suos, ut viris magnifica ponerent monumenta, & reliquum vitæ suæ spatium prope cineres eorum traducere. *Idem*.

De Missæ sacrificio pro animabus purgatorii oblato.

Missæ Sacrificium tutius est solatium, quod inter cruciatus suos habere possint defuncti. Et sane, si Judas Machabæus arbitratus est se nullo modo melius prospicere posse animabus eorum, qui in acie ceciderant, quam imperando, ut pro earum requie sacrificia Jerosolymæ offerrentur: *Misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*. 2. Machab. 12. Quid fidelium animabus non prodesset saluberrimum Jesu Christi sacrificium? O Domine, sacrificium illud, quod in Cruce perfecisti, a te primum pro mortuis oblatum fuit: inde ad inferos descendisti, ut illinc animas captivas educeres. Primum hoc sacrificium, quod instauras quotidie, nonne eumdem habere debet effectum? Proculdubio, guttæ sanguinis, quem ibi effundis, ardentes penetrabunt fornaces, atque in eum tristitiæ locum refrigerium, ac solatium afferent. Has ob causas vetustissimæ omnes Liturgiæ Jesu Christi sacrificium viventes inter, ac mortuos partiuntur, & hodierna etiam die, postquam pro vivis preces effusæ sunt ante consecrationem, pro defunctis oratio differtur, donec adimpleta fuerit consecratio, & Jesus Christus præsens sit in victimæ statu, & prope sit, ut jam illius defluat sanguis. Igitur error non est affirmare, Jesu Christi sacrificium propitiatorium esse pro mortuis æque ac pro viventibus, quemadmodum Synodus Tridentina declaravit. *Idem*.

Valida ratio est, ad sanctis animabus opem ferendam, cogitare, illas sæpe propter nostram occasionem pati.

Sæpe propter amorem nostrum, nostramque causam animæ purgatorii patiuntur; ita est; propter vos ingratis, inhumanique filii pater vester ardentibus ignibus torquetur; quia immodicis curis se exercuit, ut vos divites faceret; quia vestram fortunam suæ ante ferre voluit officio; propter te, filia ingrata, mater tua ardet in purgatorio, quia nimium tuæ indulsit vanitati. Mundus repletus est Christianis, de quibus dici posset, quod Propheta dicebat de fratribus sævis, qui non movebantur calamitate Joseph, qui lætabantur, ac lætitia, meroque se inebriabant, quin vel minimum quidem eos moveret status, ad quem ille redactus erat: *Bibentes vinum in phialis, & nihil patiebantur super contritione Joseph*. Amos 6. Nonne hæc imago est plurimorum? Fruuntur bonis, quæ patres sui comparaverunt, quin ne cogitent quidem illis solatium afferre in eo statu, in quo Dei justitia illos constituit: *Dum superbit impius, incenditur pauper*. Psalm. 110. *Specimen sermonum pro feria quinta post quartam Quadragesimæ Dominicam*.

Cogitatio, quæ semper sanctis his animabus obversatur, privationem Dei calamitatem esse, quam ipsæ meritæ fuerunt, & effectum iræ judicis, qui ad tempus eas a suo conspectu projecit, maxima est earum dolori accessio. Inde proficiscuntur crudeles illi reditus, quibus subinde peccata a se patrata recogitant, & funestas reputant pœnas malorum, quæ perferunt: inde oriuntur importunæ illæ, crebræque interrogationes, quibus sese torquent cum Propheta dicentes; *ubi est Deus tuus*? Ubi est finis tuus, tuum centrum, æternæ tuæ felicitatis objectum? Ubi est? Quo recessit? In te positum fuit temet in eum statum adducere, ubi post hujus vitæ exitum eodem fruereris. Cur hunc tibi obicem constituisti? Si miserum illum visitasses, si opportune stipem erogasses, si levem aliquam austeritatem exercuisses,

tantum

tantum hoc mali evitasses, cur ea neglexisti? Ideo differtur tibi Dei tui fruitio. Inter acerbissimos hos moerores, inter has molestissimas cogitationes, ac importuna monumenta animæ illæ sunt sibimet supplicium; exprobrant sibi, quod causam Deo recedendi præbuerint: fatentur se culpæ suæ in tantam cecidisse calamitatem, quæ inutilem lacrymarum ipsis elicit imbrem. Vident se certissima ad regnum Dei habere jura, se gloriæ ipsius hæredes esse, & nihilominus sibi in horribili carcere vivendum esse, procul a patria, a regis sui aula extorres, & a patris sui adspectu remotæ; *Ubi est Deus tuus? Sermo Manuscriptus.*

Ista ligata constituunt, quo fundo illæ animæ cruciantur, ut adspectum se consiciant.

Quinam esse debet excessus doloris, quem animæ purgatorii experiuntur, cum, quantumvis ardentissimo flagrent desiderio possidendi Deum, se repente prohibitas sentiunt? Gratias, charitas, jura, quæ hæc illis ad cœlum consert, eas attollit, sed reliqua peccata illas retrahunt. Deus tanquam pater eas accersit; sed Deus tanquam judex eas rejicit. Ad illum tendunt, quia diligunt illum; ab eo recedunt, quia nondum sat mundæ sunt. Ad concipiendam oppositionem motuum, quos afflictæ animæ illæ sentiunt in Deum tendentes, & recedentes a Deo, mihi fingo ignem extremis quaque continentem, ut egrediatur e loco ubi conclusus est; mihi fingo vehementem ventum, qui in terræ sinu captivus eam concutit, succutit, eamque subsilire facit, ut sibi inveniat viam, quam invenire non potest. Eheu! cur, Domine, inquiunt miseræ illæ, tot inter oppositos motus, quos intra se conciliare coguntur, cur nos ita & tibi, & nobismet contrarias facis? Cur altera quidem manu nos trahis, & repellis altera? Infinitis tuæ bonitatis illecebris captæ, terribilibus justitiæ tuæ judiciis rejectæ, semper inquietæ, quia a te, o Deus, separatæ sunt, quia tu unus eas beatas efficere vales. Eheu! voluptates innocuæ, quas nimium festinanter conquisivere; levis cum aliquo eterno bono nexus; amor proprius, quem non satis cohibuerunt, quantos illis nunc dolores gignitis, quantos elicitis imbres lacrymarum! *Idem.*

De igne ardente, & emundante animas purgatorii.

Spiritu, & animo adeamus eos ignes, ardentesque fornaces, quas sanctæ animæ extinguere nequeunt; sed unde ad nos brachia tendunt, ut exciteant ad misericordiam. Vosmet præsentes, si lubet, constituite huic spectaculo, quod vestros invitat oculos, quod vestras lacrymas poscit, magisque teneros cordium vestrorum sensus requirit. Statim quidem in hoc suppliciorum loco ignem video devorantem, flatu Divinæ iræ succensum; ignem, quem Deus attollit ad eos producendos effectus, qui supra naturam sunt; ignem, quo Deus, qui judex, & læsus est, utitur ad injurias suas ulciscendas, ad exequenda judicia, & cujus vis idcirco respondere debet magnitudini injuriæ, cujus est supplicium; ignem, cujus substantia eadem est, ac ignis inferni, Sanctus Augustinus inquit; qui immediate agit in animam, quæ in hoc separationis statu sensus magis teneros habet, quam ubi corpori conjuncta est; quia patitur in se ipsa, & nihil amittens virtutis, sensusque sui hujus ignis spicula indesinenter, atque incessanter sustinet: ignem, qui cruciatuum omnium acerbissimus est, igne nostrate ardentior, acutior dolore omni, quem rotæ, cruces, equulei afferre possunt; quia animæ illæ nihil suæ sensibilitatis amittunt, vel quia Sanctus Augustinus ait, igni insepultæ, absorptæ, & immersæ quodammodo sunt. O Deus! quinam est animæ status, in quo quocumque se vertat, ignem tantum invenit, non aliud pabulum habet quam ignem, quo septa est, & undique penetrata! Fingite vobis reum ardentibus prunis nudato corpore impositum; caro ejus assatur, ossa comburuntur, contrahuntur nervi, corpus inflammatur: hominem totum in igne; clamores, quos emittit, suspiria, quæ edit, contorsiones, quibus agitatur. Natura nobis cor præbuit nimis pronum ad miserationem, ita ut adeo crudeli supplicio moveri nequeamus: & nihilominus quid hoc supplicium est, nisi pictura supplicii, si comparetur cum eo, quo animæ purgatorii quoad tempus, & modum cruciantur? Quoad tempus quidem: neque enim horæ, vel diei unius intervallo, sed sæpe integris sæculis animæ illæ torquentur. Quoad modum vero; quia hic ignis elevatur, ut sit Divinæ justitiæ instrumentum, atque animas illas emundet, dolorem illis infligit, qui in omnem earum substantiam sese effundit, ut tantum illæ patiantur, quantum ipse actioni suæ materiam invenit. Heu! ubi miseratio est, ubi charitas, nisi pœnis harum animarum movemur? *Idem.*

Clamores, & suspiria animarum, cor nostrum flectere debent.

Cur mihi non licet vobis proferre funestam hanc seriem suppliciorum, quæ illæ perferunt; ostendere vobis tragicum hoc purgatorii spectaculum; has ignis abyssos aperire, & efficere, ut exaudiatis miseros afflictarum animarum clamores flagitantium; ut pœnas suas parumper perpendere velitis, ut earum misereamini. Quid enim illæ non patiuntur per verbera, quo ceduntur, per manum Dei, a quo percutiuntur, & a quo miracula fiunt, ut illæ torqueantur: *Mirabiliter me crucias*: Job 10. Dei, qui olim earum amantissimus, nunc in hoc ultionis loco illis, ut ita dicam, fit crudelis; *Mutatus es mihi in crudelem*; Job 30. qui aggravat super eas omnem vim brachii sui, & illis manus suæ duritia adversatur: *Et in duritia manus tuæ adversaris mihi*. Heu! satisne plorari possunt animæ illæ, quæ sunt non solum tanquam derelictæ ab eo, qui, dum illæ viverent, paterna eas charitate complectebatur; sed etiam, qui sese illis adversarium declarat, & precibus earum nequaquam afficitur. Amarissimo dolori indulgentes nequicquam Deo revocant in memoriam antiquas illius erga se misericordias, ut flectant cor ejus, qui earum factus est judex: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Psalm. 88. Nunquam audiet eas, nisi in satisfactionibus, quæ pares sint illatis injuriis ad ultimum usque quadrantem id, quod debent, persolverint: *Donec reddas novissimum quadrantem*, Matth. 5. *Idem.*

Nobiles hi mortui de fornacibus suis clamant assidue, ut nos eorum calamitatis misereat: *Clamant quotidie, qui jacent in tormentis. Sed pauci sunt, qui respondeant, & misereantur.* O fratres! Sanctus Augustinus addit, quam sæva crudelitas! *O quam grandis crudelitas fratres mei!* Æger queritur, & querenti opem afferre conamur: *Ecce infirmus clamat, & medici eum consolantur.* Christiani in purgatorio conqueruntur, & nemo illis cogitur opitulari: *clamat autem in tormentis fidelis, & non est, qui respondeat illi.* Scio equidem, vos illis lacrymas dedisse, ubi occubuerunt, verum opusne est dolorem vestrum istic subsistere, ut super eorum tumulos lacrymas effundatis? Cur non facitis, ut illæ in purgatorium usque defluant, ut illi ex his intelligant se a vobis amari? *Idem.*

Mortuis nostrum amorem, & gratitudinem testari debemus.

Quam turpe est Christianis, amare consanguineos suos, donec vivant, animabus vero illorum opem afferre negligere? Illis parentarunt? eos ad sepulchri locum deduxerunt? eos efferentes videre cessarunt? lugubris sonitus, qui illos ex humanis decessisse nunciavit populo, desiit? nonne eorum statim memoriam abjiciunt, & dolor eorum nonne, ut cum Sancto Bernardo loquar, ex illis fuit, qui in ploratus, & lacrymas evanescunt? Vel si adhuc posthac illorum meminerunt, nonne ideo meminerunt, ut tristes excitent luctus scenas, utque immodici doloris impetu se trahi sinant, & donec vel hypocritas, simulatasque, vel inutiles effundunt lacrymas, num animum appellunt, ut pro eorum requie preces effundant, quorum mortem fletibus prosequuntur? Parcite lacrymis, Sanctus Ambrosius ait, minus dolete ob consanguineorum jacturam, sed potius aliquam illis opem ferre conamini efficientes, ut pro illis offeratur religionis sacrificium; minus contendite, ut sepulchrum

ctorum eorum mundo gloriosum fiat, superba illis mausolæa exstruentes, quæ a Sancto Augustino *Vivorum solatia, non adjutoria mortuorum* vocantur, & magis satagite, ut animæ eorum beatæ inferantur in cœlum. Hæc potius humanitatis officia negligite, relinquite potius præclaras has cæremonias pompamque funebrem, sed ea illis officia præstate, quæ æternam illis conferant vitam. *Humanitatis officia, non æterna vitæ præsidia.* Idem.

Animabus purgatorii opem negare non possumus, nisi primo omnem naturæ sensum abjiciamus.

Inter omnes Christianas virtutes, nulla ad exercendum ita facilis est, neque humano cordi ita conformis, ac miseratio: quemadmodum nihil nobis magis naturale est, quam miseria, ita nihil pariter magis proprium, quam miseratio, & misericordia. Virtutes omnes aliquid auferunt ex hominis natura. Fides rationem, mentemque aufert, obedientia voluntatem, paupertas opes, humilitas decora, & meritum, pœnitentia corpus evertit; nulla denique virtus est, quæ homini aliquid hominis ejusdem non auferat. Misericordia una illi ingenita est: hic primus est motus, qui ex substantiæ illius fundo nascitur; & quemadmodum ipsi nascimur in miseria, ita etiam cum misericordia nascimur; quamobrem Job Propheta miserationem secum ex matris suæ utero egressam fuisse dicebat: *Crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Job 31. Nihil igitur facilius exerceri potest, quam misericordia, quæ tamen si erga miseros omnes facilis est, erga animas, quæ in purgatorio torquentur, est facillima. Si miseria generatim nos movet, fatendum est, miseriam illius, qui virtute præditus est, & generose patitur, multo magis nostram mereri miserationem. Videritne possunt creaturæ digniores, ditioresque his purgatorii animabus, quippe quæ in gratia Dei sunt, quod unicum est dignitatis, & divitiarum fundamentum? Fingine potest malum gravius eo, quod illæ patiuntur? *Specimen sermonum pro feria quinta post quartam Quadragesima Dominicam.*

Miserabilis status, ad quem redactæ sunt animæ purgatorii.

Nemo calamitosior est eo, qui inter Divinæ ultionis flammas gemit ad reliquias suæ fragilitatis expiandas; pœnarum suarum minima magis afflictus, quam viventium infelicissimi in doloris excessu; nonne nostram meretur miserationem, nonne huic opem nostram elargiri tenemur? Victima justitiæ semperque inter ultionis flammas charitatis igne succensus, spe animatus, & nil sperans eorum, quæ amat; filius patris ditissimi misericordiarum, & qui illius rigorem tantum experitur; sin minus inter afflictos calamitosissimus est, nonne saltem inter calamitosos est afflictissimus? Quanquam semper cum Divino capite nostro conjunctus, nihil tamen per se fructus capere potest ex iis bonis, quæ in nostra sunt potestate. Si adhuc jus aliquod habet in immensos thesauros, qui in Jesu Christi sanguine continentur, & qui destinati sunt ad nobilem hunc captivum in libertatem efferendum, tamen inde liberari non potest, nisi hos illi thesauros applicare nos curaverimus. Itaque si non aliam libertatis suæ spem habet, nisi nostram miserationem, quid tandem de nobis fiet, si eum in suppliciis suis reliquerimus? *Specimen sermonum pro Adventu pro die Mortuorum.*

Viventes sunt vicarii misericordiæ Dei erga defunctos.

Ipsi constitui sumus vicarii misericordiæ Dei contra ejusdem justitiam, & bonitatis contra vindictam. Ut olim Moyses, liberare debemus electum populum de servitute Pharaonis, animas purgatorii in cœlum inferre, quemadmodum Israelitæ ex alieno, fatalique solo in promissam, deliciisque affluentem terram deducti fuere. Donec Pater justus suas exercet animadversiones in filios, hi qui carent subsidio tanquam orphani sine tutore: nostrum est illis opitulari in ipsarum miseriis, illas in infirmitatibus tueri, & in hæreditatis possessionem inducere. Pauperes sunt, quia per se Ecclesiæ thesauris carent, & ipsæ sibi Jesu Christi divitias applicare non possunt. Infirmæ sunt, quia contra percutientis manum se tueri non possunt; sed per libertatem, opes, & beneficia, quibus cumulantur a nobis, nos earum evadimus protectores, & benefactores. *Idem.*

Per nos, Sanctus Augustinus inquit, cœli cives in aliena terra exules, legitimi filii a patris facie projecti, hæredes gloriæ in carcerem flammarum conjecti, unice per nos expectant sua vincula infringi, in patrium solum reverti, & consequi osculum pacis ab eo, qui vitam illis elargitus est, & cujus separatio illis sexcentas acerbissimas mortes infligit: *Expectant nos, ut juventur per nos.* Nos expectant, atque expectantes nobis proponit Ecclesia, tanquam nobiles calamitosos, qui nos tanquam spem, præsidiumque suum respiciunt. Quæ unquam validior ratio esse potest, ut tot Sanctorum lacrymis, gemitibusque obsequamur? Si autem curis nostris traditi sunt, ideone tristem attollent vocem suam, ut nos clamoribus suis surdos inveniant?

Pro mortuis eamdem habere tenemur charitatē, quam habere debebamus erga viventes.

A mortuis ad breve tantummodo tempus separati sumus, omnes simul in Cœlo conjungendi. Non ideo tamen amittendi sunt nobis charitatis, & miserationis sensus, quos pro illis foveremus, si essent adhuc in terris; longe gravioribus torquentur pœnis, quam in hoc mundo ferre potuissent; longinquitas nequaquam excusat, ne illis opitulari teneamur; e contra quia longinquitas ipsa miseriam efficit acerbiorem, fides nostra supplere debet visui, eisque eo majori zelo feremus opem, quo eorum infelicitas est nobis occultior. *Ex octava Mortuorum P. Bertet.*

Si inter homines inveniri potest misericordia ab omni cupiditate vacua, & prorsus gratuita, qualis Dei est, hæc proculdubio illa est, quæ erga defunctos exercetur. Cum viventium calamitati opem ferimus, aliquam expectare possumus utilitatem, vel par pari nobis relatum iri sperare possumus, sed cum erga defunctos misericordia exercetur, quam terrenam opem, quam utilitatem sperare possumus? Hæc pura, & integra misericordia est illi similis, quam Deus nobiscum exercet: *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi non possit reddere*, Sanctus Ambrosius lib. de Tob. cap. 1. inquit. In auxiliis, quibus viventibus opitulamur, pluribus humanis rationibus agi possumus; & in ope, quam mortuis ferimus, nullam mercedem, nullam humanam utilitatem a mortuis ipsis possumus expectare: hoc igitur, Pater ille inquit, præstantissimum est opus misericordiæ, quia omnium integerrimum est, & ab omnibus humanis rationibus vacuum. *Idem.*

De illis, qui retinent pia legata, quæ sunt Ecclesiis, vel pauperibus pro mortuis.

Si ingratitudo vestra, & iniquitas eo usque procedit, ut beneficum testatorem fraudetis non ope tantum, quam ob animi grati testimonium illi debetis, sed illa etiam, quam suo sibi testamento legavit, pia illius retinentes legata, vel non persolventes illa eo tempore, quo ipse constituit, nonne vosmet reos præbetis omnium scelerum, & dignos omnibus anathematis, quæ leges Ecclesiasticæ, sacrique Canones in ingratos, injustosque hæredes contorquent? Concilia nunquam vehementius locuta sunt, neque magis terribilia anathematum fulmina sunt ejaculata, quam contra injustos detentores bonorum, quæ fideles morientes Ecclesiis, vel pauperibus legaverunt, & eos, qui extremas testatorum fraudant voluntates. Hujusmodi raptores a Conciliis palam injusti, homicidæ, Ethnici &c. vocantur, & tanquam tales a corpore Ecclesiæ sejunguntur, & excommunicantur. *Idem sermone 5.*

De Missæ Sacrificio pro mortuis oblato.

Si sanctæ animæ istæ salutis Sacrificium non possunt offerre, nos hoc pro illis offerre possumus; & si ejusdem oblationem peragere nequeunt, illius tamen queunt fructum percipere. Cum hoc sit propitiationis, & expiationis Sacrificium, suam virtutem extendit ubicunque adsunt crimina, quæ remitti possunt, & pœnæ, quæ debent persolvi. Militans Ecclesia illud etiam quotidie pro viventibus offert, ac pro defunctis. Vos [illegible] Fideles,

quibus

quibus Evangelii lumen affulget, & qui nostis Divino huic Sacrificio virtutem inesse toto cœlo majorem, quam legis antiquæ Sacrificiis, quandoquidem certissime, ac per se operatur harum animarum solatium, quamvis offerentes illud, vel illi, qui ipsum offerri jubent, in gratiæ statu non sint: qui denique scitis, vos liberaturos has animas de flammis, quibus vorantur, deque omnibus aliis sensibilibus pœnis, quibus torquentur; & æternam vos illis requiem comparaturos, vix ex tumenti sacculo argenteum depromeretis eo consilio, ut pro earum libertate sacra fiant. *Idem*.

Præparamini, Sacerdotes Domini, altarium ministri præparamini, ut Divinum hoc Sacrificium majori zelo, & pietate, qua fieri poterit, pro viventium & mortuorum salute offeratis. Vos estis ministri militantis Ecclesiæ, cui Deus patientem commendat Ecclesiam, quæ hoc Sacrificium offerre non potest; pro utraque illud offerte; cogitate characterem vestrum vobis conferre qualitatem mediatorum Deum inter, & fideles, seu vivant, seu vita excesserint. Vobis hanc Deus contulit potestatem iram suam hoc Sacrificio mulcendi. *Idem*.

Animæ purgatorii esse debent nostræ miserationis objectum.

Si primos naturæ sensus consulimus, nihil est, quo magis moveamur, quam cum intuemur principes viros calamitosos, reges captivos, nobiles vinctos; hæc objecta sunt miserationis, quæ ipsa etiam corda sensu carentia permovent; & satis est illa intueri, ut misericordia afficiamur. In purgatorio tristia hæc invenire possumus spectacula; & in magnitudine suppliciorum, quibus torquentur, qui in horrenti eo carcere detinentur, invenimus magnitudinis miserationum nostrarum argumentum... Heu! miseremini calamitatum tot nobilium animarum; si catenæ earum non sunt æque gloriosæ, ac illæ Divini amoris in cœlo, non sunt minus innocuæ; si patiuntur, hilari, alacrique animo patiuntur, quia se Divinæ voluntati obtemperare cognoscunt. Et quanquam purgatorius ignis idem esse dicatur, ac ignis inferni propter dolorem, quem gignit, longe tamen differt propter motum, quem in voluntate producit. Etenim in purgatorio nonnisi amoris, & confidentiæ actus producit, in inferno autem rabiem ciet, atque desperationem. Aliquidne ultra requiritur ad misericordiam ciendam? Hi calamitosi sunt quoad statum, sed quoad status sui usum beati sunt: sustinent, sed colunt manum, a qua vapulant, gemunt, sed pœnarum suarum auctorem diligunt, seu propterea quod eos gratia consolatur, seu quod certi sunt futurum, ut in cœlum ingrediantur. *Biroat sermone primo pro die Mortuorum*.

Violentus ardor, quo sanctæ illæ animæ flagrant, possidendi Deum efficit, ut huic semper inhæreant, licet ab eo semotæ; neque cogitationes suas impendere possint objecto alicui, quod vel brevi momento mentem avertere valeat a Divinæ magnitudinis cogitatione. Attamen eheu! debent hoc intuitu carere; violentaque eorum desideria coercentur. Non tanto impetu lapis centrum versus tendit; ignis non tanta vi sursum sphæram versus suam attollitur, quanta animæ illæ feruntur in Deum, qui eas sua attrahit specie, & qui naturalibus studiis earum addit motus supernaturales, ut illuc contendant. Attamen dum maxima desideriorum suorum vi nituntur, inhibentur a Dei justitia, a qua id, quod propter peccata sua debent, coguntur persolvere. Heu! quam funesta hæc sententia est, quæ animam privat fonte beatitudinis suæ, & efficit, ut quodammodo damnatorum pœnas sustineat. David Absaloni fratris cædem remittit, & cum illo redit in gratiam, hac tamen imposita conditione, ut Jerosolymæ maneat, sed Patris, quem diligit, vultum non videat: *Verumtamen in Jerusalem maneat, & non videat faciem meam*. 2. Reg. 14. Hæc ea sententia est, quam fert Dominus contra animam purgatorii flammis addictam: *Verumtamen non videat faciem meam*. Sancta eris, & prædestinata; gloriæ meæ æternitas tua est, sed nondum justitiæ meæ fecisti satis. Carebis ad tempus conspectu meo, & pœnas, ac tormenta sustinebis, has peccatorum reliquias expiatura. *Idem*.

Quid facerent animæ purgatorii, si in terras reverti possent ad pœnitentiam agendam.

Quærite ex animabus, quæ in his carceribus flammarum detinentur, quid facerent, si in terram reverti, & in corpora sua redire eis liceret. Heu! nullum in reliquo vitæ ipsarum spatio momentum esset, quod alacriter austeritatibus, & mortificationibus non impenderent, ut hæc supplicia evitarent. Proh Fideles, donec tempus nobis est, nobisque suppetunt Sacramenta, & Sanguis Jesu Christi, quibus certam faciamus salutem nostram, fierine poterit, nos iisdem abuti, ut scelerum nostrorum numerum augeamus? Animæ istæ ad vos suos clamores convertunt, vosque, ut misereamini, obtestantur: *Miseremini mei, saltem vos amici mei*. Job 19. sed ego vobis dico: *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Eccli. 30. Animarum vestrarum vos misereat; ne tantum terræ huic inhæreatis, ut amittatis cœlum; neque vos fœret in periculum objiciatis pro fluxa, fragilique voluptate æternas voluptates amittendi &c. *Idem*.

Charitatis argumenta, quibus ad opem fratribus nostris in purgatorio gementibus ferendam agamur, desumere debemus illos tanquam prædestinatos intuiti. Jus habemus ad Patris nostri hæreditatem, ad eamdem felicitatem vocati sumus; illos ergo considerare debemus tanquam beatæ æternitatis candidatos; & præstantissimum charitatis actum, quem ipsi præstare possimus, reor esse illis opem ferre, ut ad hunc finem perveniant. Obligationes istæ longæ graviores sunt pro illis animabus, quæ in purgatorio patiuntur, quam pro Christianis, quos oculis intuemur. Cur? quia in maxime urgentibus nostræ miserationis, & amoris officiis secretam habemus diffidentiam, ne homines illi, quibus benefacimus, ex reproborum numero fortasse futuri sint. Pauper hic, qui ex me petit eleemosynam, fortasse reprobus est, & eodem ore, quo propter Dei amorem stipem efflagitat, fortasse sanctum ejusdem nomen blasphemat &c. *Idem*.

Compendiosa status animarum in purgatorio descriptio.

Ut in vobis facilius misericordia excitaretur, aperiendum esset ob oculos vestros purgatorium; ibi videretis animas Divina justitia excruciatas: non quidem in æternum, sed hæc mora terribiles illis adfert pœnas, quia eas Dei visione privat, ad quem adeo violentis aguntur studiis, & quo culpa sua carent. Eheu! ibi veros ignes intueremini, sed miraculosos, qui aliquid habent simile cum ignibus inferni, & qui ex Theologorum sententia omnes vitæ hujus pœnas excedunt. Earum vero infelicitatis cumulus est, quod ipsæ sibi nunquam opem afferre possunt: omnia earum suspiria, omnes lacrymæ ne unam quidem flammarum, quibus uruntur, scintillam possunt extinguere. Una est fidelium charitas, quæ aliquid earum solatio valeat conferre, vel earum libertatem parere; & ad illos sese convertunt, ut querula voce eis dicant: *Miseremini mei saltem vos amici mei*. *Idem sermone* 2.

Utilius est in hac vita Divinæ satisfacere justitiæ, quam alteram expectare.

Hic status est, in quo animæ purgatorii versantur, longe alius ab eo, in quo hoc in mundo erant, ubi sibi cœli viam breviorem, faciliorem que efficere poterant, ac evitare tormenta adeo sæva, atque diuturna pœnis levioribus, brevioribusque. Hoc igitur vitæ tempus, tempus est misericordiæ, tempus propitium, tempus acceptabile, quo Dei iram mulcere possumus, eique modico sumptu satisfacere: post hoc nullum erit amplius tempus, via nulla: *Et tempus non erit amplius*... Meremur profecto, Domine, severitatis tuæ effectus experiri, neglex imus debita nostra in terris, ubi facile poteramus dissolvere; lacryma una iram tuam prævertere poterat, & flammas, quibus urimur, extinguere. Postquam per misericordiam tuam nostra nobis scelera remisisti, eorum pœnas integra pœnitentia expiare neglex imus; æquum est, nos in præsentiarum tibi satisfacere, sed Christianis, inhumanis consanguineis, duris, ingratisque hæredibus, qui nobis debent, hanc immitte, Domine, mentem persolvendi, quod nobis debent, & quod suæ debent conscientiæ, ne eorum

rum

rum injustitia; & nefaria negligentia ulterius nostras protrahat pœnas, & ipsos etiam in æternum condemnet. *Ex octava P. Bertet pro Defunctis.*

Dolor, quo animæ purgatorii torquentur, quod Divinæ justitiæ non satisfecerint.

Quam acerbe fero, Domine, dicere potest anima purgatorii, non posse facere satis justitiæ tuæ, neque eidem, dum poteram, satisfecisse! Cum in terra essem, & in corpore meo, te facile placare poteram; jejunium, eleemosyna, oratio, levis pœna, levisque mortificatio centuplo expiasset crimina mea, atque tantumdem pœnarum, quas illa merebantur, demere potuissent. Sed hic heu! scis, Domine, quænam sit magnitudo cruciatuum, quos sustineo: sexcenta jejunia, sexcentæ mortificationes, omnes dolores, tormenta omnia, quæ in terris possunt sustineri, nihil sunt, si comparentur cum levissima pœna, qua uno tantum momento afficior; & nihilominus, Domine, iram tuam mulcere non possum, neque facere satis justitiæ tuæ; nihilque demo de magnitudine pœnarum, quæ adhuc mihi perferendæ supersunt. Omnes cruciatus mei cruciatus tantummodo sunt, non autem satisfactiones; nec misericordiam tuam mereri, neque justitiæ tuæ satisfacere possum. *Quid faciam, o custos hominum?* Utique, animæ sanctæ, si inutiles sunt vobis cruciatus vestri, nostri vobis utiles erunt; si Divinæ justitiæ satisfacere vobis non licet; ipsi pro vobis faciemus satis. Non deerunt plures fidelium myriades, qui intra hoc octiduum sua offerent jejunia, preces, eleemosynas, & quidquid satisfactorium est in bonis operibus suis, ut Dei iram sedent, ut pœnas vestras leviores, brevioresque efficiant, ut ardorem flammarum vestrarum extinguant. Ne decipiamus Auditores spem illarum nostra infidelitate. *Idem.*

Exhortatio ad orandum pro mortuis.

Sanctus Ambrosius in funebri Valentiniani Cæsaris oratione eximia hæc habet verba: *Animam piam nostris oblationibus prosequamur.* Pii hujus Imperatoris animæ requiem sensu zeli, ac pietatis a Deo deprecemur. Populi mecum manus vestras ante Sanctuarium attollite, ut saltem post illius mortem hac oblatione sancta magnitudinem meritorum ejus remuneremur... Sequimini, Fideles, magni hujus Antistitis, sanctique Doctoris exemplum, offerte cum Sacerdotibus Sacrificium adeo efficax pro animarum, quæ patiuntur, tranquillitate; illæ hoc expectant justitia vestra, & charitate. *Idem.*

FINIS TOMI TERTII.

